R.P. EMMANUELIS DE NAXERA TOLETANI E SOCIETATE IESU, ...

Manuel : de Najera

Digitized by Google

C.3.a

6
39/N
31

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

R. P. EMMANVELIS
DE NAXERA
TOLETANI
E SOCIETATE IESV,
SACRARVM OLIM LITTERARVM INTERPRETIS
In Collegio Complutenſi, nunc Regij Concionatoris
COMMENTARII
Litterales ac Morales in Librum Iudicum.
TOMVS TERTIVS;
Cum quatuor Indicibus, Primò Paragraphorum, Secundò ad Conciones Conſtruendas, Tertiò Locorum Sacræ Scripturæ, Quartò Rerum & Verborum.

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODIT.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE




LVGDVNI,
Sumptibus HORATII BOISSAT & GEORGII REMEVS.

M. DC. LXIV.
Cum Approbatione & Superiorum Permiſſu.

S. Marie de Scala

Digitized by Google

Digitized by Google



EXCELLENTISSIMO PRINCIPI DOMINO

D. RODERICO PIMENTEL,

MARCHIONI DE VIANA, PHILIPPI IV.

A CVBICVLIS STATORI, MILITIÆ ITALICÆ Dictatori, Catalaunicæ Principis Phalangis Ductori, Gubernatori Madanræ, in Galæcia ſupremo Belli Imperatori;
Ac tandem

SARDINIÆ ELECTO PROREGI, &c.

ACcipe, ô Princeps Excellentissime, extremum hunc forſan laborum, ac vigiliarum fœtum, chariorem hoc nomine, quia in ſenectute genitum, atque hoc maximè nomine debitum Tibi. Præſertim, cum ex aliis compluribus priùs in lucem editis ſatis didicerim, quid in meis operibus, tum cæteris, tum mihi diſpliceat, arrideátve. Quo prudentiæ maturitas ætate comparata, Doctrinæ vbertas longioribus ſtudiis aucta, rorum delectus

Digitized by Google

innumeris conquiſitus experimentis ſimul concurrant, vt mihi dignum tanto Patrono, tanto Duce, tanto Principe contingat hoc opus. Eius Argumentum Te Iudicem meritò vendicat, Doctrina Patronum. Totus, quantus eſt liber, Martem Spirat, bellicis fragoribus inſonat: ille Tibi ob oculos ponet, non tam documenta, quæ teneas, aut quæ ſequaris exempla; quàm facinora pulchrè aut fœdè patrata, quæ ſenſu tuo probes, aut damnes. Ille vberrimam Doctrinæ, ac Sacræ Litteraturæ longè, latéque ſegetem oſtentans Tua tela, Tuam virtutem aduocat, vt ab hoſtibus tutus ſit obtrectatorum falcibus, & faucibus: nulliſque terrebitur inuidiæ, aut fortunæ minis, Ducis tanti præſidis munitus.

Æneid. 1. *Sub pedibúſque Tuis, Clypeique ſub orbe tegatur.*

Eadem apud priſcos Fabulatores extitit & Minerua ſapiens, & Armata Pallas. Caput ipſum æternis Scientiarũ ſeminibus plenum horrida preſſère caſſide, ſiniſtram Ægide, iaculo dexteram, ac corpus integrum chalybe cinxerunt, ac ferro. Veluti illius Sapientia cunctos in ſe hoſtes exciuerit: opuſque habuerit immortale Numen, quia Sapiens, & Sapientûm cuſtos aduerſus inuidiam armari, excubiáſque perpétuò agere nullo ſomno intermiſſas, nulla quiete. Neque abſimili forſan indicio Angelus ille Apocalypſeos, ſiue Chriſtus ipſe, cuius manus impleuerant ſtellæ, fulgidiſſimæ ſcientiarum faces, vel ore ipſo, quod vacabat ſolùm, gladium circum ferebat ancipitem, vt vel terrorem arceret, vel incuteret, ſolicitus inuidioſi Depoſiti. Nullibi ergo tutiùs, aut oportunius elucubrationes haſce depoſuero, quàm in ſinu tuo, cuius fatalis enſis tam multis, quàm diſſitis terræ plagis emicuit, pari hoſtium conſternatione, & alleuatione tuorum.

Verùm quâ ex parte laudes tuas exordiar, hæc me ſola cura, hæc difficultas ſola circunſtat. An quæ Mediolanenſis Militia vidit, aggrediar? Statim mihi occurres, & haſtatus, & priuatus miles, quin vnquam patereris, vt generis claritudo gradus Tibi foret ad honores, & munera, ſolúmque ex virtute gradum ad Præfecturas faceres, & ex Nobilitate ad virtutem. Si in Catalauniam priùs oculos iecere, ô! qualem Te cernam inter Primores belli duces, & Principes gentis, geminatis titulis, bellicâ nempe gloriâ, & auita Majeſtate conſpicuum, adeóque inter cæteros caput extollentem,

Virgil. Eclog. 1. *Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.*

Si ad Sanabricos fines orationem conuertam, iam perſtrepet aures concuſſæ Luſitaniæ clamor, quam tum primum Imperator tot cladibus afflixiſti, vt dirutis oppidis, æquatis ſolo mænibus, hominibus ferro, & igni conſumpis, demum aliquando didicerit, quæ, & quanta ſontes debeant expectare ſupplicia. Quid ſi à Lybiæ littoribus initium faciam, vbi ferociſſimi populi ſuo cælo, ſuo ſidere, & flagrantibus armantur arenis, quas miles Tuus tam numero impar, quàm virtute exſuperans toties, Te Duce, vidit hoſtili ſanguine reſtagnantes. Si in Te ad Luſitanos iterum reducem, quà Galæciæ noſtræ conterminos, defigam obtutum, in incerto erit, quò priùs rapiatur animus, an in admirationem Tui, an in gratias ſummo Numini agendas, quòd tunc temporis maximè, cum res noſtras, neſcio quo fortunæ ludibrio, ſiniſter euentus dehoneſtauerat, Te vindicem gentis, Aſſertorem honoris deſtinauit, eis, quæ nos funeſtauêre fatis contraria fata rependens: Quaſi peſſimum inductum eſſet exemplum, vt optimum opponeretur.

Plin. paneg. ad Trai.

neretur. Quàcumque demum exordiar, aut finem dicendi faciam, nihil vltra me præſtitiſſe arbitrabor, quàm exorſum eſſe: & quodcumque ſit mihi initium, nuſquam illud erit iuxta eloquentiæ præcepta à minoribus ad maiora procedentis: ſic in te maxima omnia, ſic tu ipſe ſemper & vbique par, & ſimilis Tui; Niſi quòd maior, & clarior videbaris, quibus poſtea contigiſſes. Id nunc ego quam maximè cuperem, vt ſuus eſſet veritati ſermo; mendacio ſuus, quibus hoc & illa ſe proderent. Sed vtrumque miſcuit, atque confudit adulantium ambitioſa libido, quæ dum fucatis laudibus adornandis totam vim, & leges artis impendit, veritatis fidem traducit; ſuam non aſſerit. Verùm qui animi Tui moderationem nouerint, parcum me medius fidius quàm nimium in Tuis laudibus exiſtimabunt; niſi ſimul putent, eius mihi gratiam contemptui eſſe, quem perinde eſt probris, ac maledictis, an confictis laudibus laceſſere horum quodlibet ex æquo indignantem.

Regij Te panni naſcentem excepêre, Regia domus, Regia ſupellex: eximiámque adeò naſcendi conditionem Indoles illico ſuperauit auguſta;

—Mens ardua ſemper
A puero, teneriſque adhuc fulgebat in annis
Fortunæ maioris honos.

Claudian. paneg. 1. De laud. Stilic.

Natus eſt poſt Hæredem in Pimentelia familia inter plurimos fratres, clariſſima mundi Lumina; ſed ſecundus in ea domo, quæ ſecunda nulli. Cúmque alitus eſſes inter Palatij delitias, inter lautitias, & purpuram educatus, molliſſimam illam ætatem nulla clandimenta flexêre, quæ potius contemnens aut vincens animi magnitudine pueritiam ante annos exuiſti. Eminebat iam tum in exili corpore ingens ſpiritus, & in teneris membris viuida virtus ardebat. Artus pueriles adhuc virilis increpabat animus, quòd ad laborem tardè adoleſcerent. Sed minimè paſſus & annos, & corpus, & vires opperiri, nondum expleto quintodecimo ætatis, Te ad Italiam proripuiſti, ad exercitus, ad arma, ad pericula, vt robur ad labores immaturum, ipſis laboribus duraretur. Latus vix crepundiis exutum gladio cinxiſti, dexteram haſta onerauiſti gladio ægrè ſuffecturam, grauibúſque armis impares humeros fatigaſti. Quidni trepidarent hoſtes ad ſpecimen tantæ virtutis? Hæc Te à primis militiæ gradibus per omnes prouexit ad ſummos. Eadem Te prouincia vidit & peditem, & peditum Ducem, eadem tum leuis, tum grauis Armaturæ Præfectum equitibus, tum integræ legionis Tribunum, atque ita prius minus obibas, vt poſſes ad ſuperius illico promoueri; nihílque diſcendum haberes docendi tempore. Sequebaris ſcilicet, ac premebas veſtigia Excellentiſſimi Patrui Domini D. Alphonſi Pimentel, qui tunc vniuerſum ducebat Equitatum: idque egregiè preſtabas, quod infelix Andromache Nepoti optabat Aſcanio.

Ecquid in antiquam virtutem, animoſque viriles
Et Pater Æneas, & auunculus excitat Hector?

Virg. 3. Ænei.

Inde ad Hiſpaniam Tuam remeaſti triumphis plenus, & militari gloria. Nec dudum Te curia diſtinuit impatientem otij. Illico in Catalaunia apparuiſti tam opportunus Tui quàm terribilis hoſtibus. Exin infractæ rebellibus animi, ſecutáque diminutio virium, quibus demum exhauſtis poſtea concidere, ſeu recidere potiùs in Catholica iura. Non rediêre illico ad obſe-

Digitized by Google

quium, quòd ſtatim Ipſe diſceſſeris. Aliò ſcilicet Te neceſſitas temporum auocauit. Quia vbicumque res noſtræ maioribus auxiliis egebant, aut præſentiori remedio, a Tua virtute auxilium implorabant, ſiue inferenda vis hoſti, ſeu repellenda foret: validiúſque robur non habebat Hiſpania, quod potentiæ aduerſariorum, quod Fortunæ, quod Fatis obijceret. At quanta Tibi tunc gloria, cum ex proximo auditus ingenti terrore cohibueris inſolentiam, ferociámque rebellium? Suſcepiſti munus eo apparatu, iis belli ſubſidiis, quæ vix ſufficerent tuendis Caſtellæ finibus; nedum hoſtilibus inuadendis. At inuaſiſti nihilominus, atque vltro inferentibus intuliſti bellum, clades, funera, excidia: è ſuâ eos belli Arce, & armorum ſede pepuliſti; vique oppugnatus, & captus munitiſſimus locus miſero conflagrauit incendio: atque eadem paſſis compluribus aliis ditioni ſubiectis, extorſiſti ab inuitis ſeram commiſſi piaculi pœnitentiam.

Hinc Te ad maiora vocatum tanquam Dei ſingulare munus Regnum Africanum ſuſcepit: Merito prouinciæ crediderim potius, quàm Tuo. Quippe non illa Tibi, Tu illi in præmium obtigiſti. Et tanquam virtus Tua Europâ totâ capi non poſſet, in Africam redundauit. Neque Te retardauit, quominus dicto obtemperaret aut interpoſitum mare, aut quæ Te manebant arenoſæ Syrtes, aut gentium frænandarum ferocia, aut ardor Caniculæ nullibi vehementiùs vrentis. Quinimo incommoda, labores, pericula ſaluti Patriæ litaſti. Conſpectus es ergo Madauxæ & Faſces, & Tela gerens: at qualis, Deus bone! Tum primùm ingeſſiſti dubium, ad pacem eſſes, an ad bella natus? Sic ciuilia geſſiſti, ac moderatus es. Teſtantur hoc, & teſtabuntur æternùm merentes remunerati, ſontes puniti, venia data ſubiectis, audaces coerciti, oppreſſi contumaces. Noua Tuo aduentu videbatur lux rebus publicis affulſiſſe: Sol quidam nouus exortus, qui non parte aliqua, ſed ſtatim totus; nec vni, aut alteri; ſed omnibus in commune prodibat. Vigere leges, coli magiſtratus, ius, fas, piumque reſtitui, arceri Vrbe pernitioſa quæque, acciri ſalutaria. Militaria munia, vt expleueris, partéſq; Omnes Imperatoris ſummi, non opis eſt noſtræ referre, Heros Eximie: Narrabit nepotibus ſera poſteritas, dolebúntque illi ſuam naſcendi vicem, quòd ad vitam non feſtinauerint, & quòd ſe in eam ætatem fata diſtulerint, in qua non reſtet, niſi memoria Tui. Ea celeritate domuiſti gentem cunctis retrò ſæculis indomabilem, vt ſi Te conſpexiſſent Æmilij, Fabij, Scipiones, didiciſſent profectò, non tanti eſſe Africam cum Pœnis ſuis. Cæſi ſunt non ſemel validiſſimi Romanorum exercitus etiam à minoribus Afrorum copiis: atque hos ipſos Victores Principis, terrarum, populi, quoties exigua Tuorum manu fudiſti, ac profligaſti? Cum paucis peditibus, equitibúſque nonnullis ſemel egreſſus Vrbe, vt finitimos populos in Societatem, ac Tutelam Imperij noſtri receptos ab hoſtium inuaſione protegeres: ſiue dolo, ſiue errore Maurorum inopinatò in Turcam incidiſti infenſiſſimum pariter, ac fortiſſimum Ducem, qui ſuorum phalangibus campos oppleuerat. Quid faceres tam inops virium? An ignobili fugâ, æquè ac periculoſâ terga peditum dares equiti ſecuturo? An hoſtem expectares,

Plin. ſupra.

——Qui numero tantùm; non robore menſus
HISPANOS, rapidis ibat, ceu protinus Omnes
Calcaturus equis?

Claud. ſupra.

An inuaderes prior, quem ſuſtere non in poſſes inuadentem? Atrox conſilium

ſilium,ac temeritati proximum, ni meliore illud nomine honeſtauiſſet & ſpes Auxilij diuini, & neceſſitas temporis, & Tuæ conſcientia virtutis timere neſciæ, quæ caueri non poſſint. Inuaſiſti igitur hoſtem,& loco eminentem,& equis ferè cum pedeſtribus copiis,adeóque numero ſuperiorem, vt Tuorum ſingulis equites fere terni pugnarent. Obſtupuit Barbarus, vel expauit ad tam inſolitum virtutis ſpectaculum: & Chriſtiani Ducis probè gnarus peritiæ, vehementer timuit, ſe ſub ſpecie congreſſus, ſtratagemate illo trahi ad inſidias, vel ſibi moras innecti, quêis exercitui reliquo ſiſteretur. Reſciuit demum,nec locum eſſe vllum qui fraudem poſſet Aduerſarij iuuare, neq; copias alias reſtare auxilio venturas;tam verò inter admirationem, & indignationem, & iram, quòd exiguâ eâ manu peteretur, velut Getulus Leo venatoris haſta transfixus, prorumpit in Tuos, à quibus iam ſuorum latera tranſverberari proſpexerat. Excêpere illi impetum eâdem virtute quâ fecerant:Cominúſq; congreſſi quanta edidêre ſinguli præclaræ fortitudinis monuméta,quot Barbarorũ animas demisêre Orco numerẽt auctores ipſi, ſi queãt, maius forſan hoc opus quàm eadẽ ipſa patraſſe. Tua vnius facta nõ memoro,quippe omnia,& ſingula fuêre Tua. Sic grandis is Animus totos ſeſe per militũ arctus infuderat:ſic omniũ ſe corporibus immiſcuerat: ſic totam exercitûs molem ingens Spiritus agitabat,vt non plures illi;ſed vnus,& idem Ipſe cunctorũ telis, & manibus confligere viderêris. Actum deniq; de hoſtibus; occubueréq; in acie quotquot lucis huius amori non poſthabuere virtutem: ſuperfuere ſolùm, quibus fugâ ſaluti Conſultum aut Clementiâ Tuâ. Illud memorabile in paucis, ac miraculo par: adeò cruentam hoſti Victoriam non pluris, quàm vno, aut altero milite ſtetiſſe Tibi. At quis crederet, HEROS MAGNANIME, in eo pugnæ feruescentis ardore, in iis curarum, ac ſolicitudinum æſtibus, quidpiam Tui reſtare potuiſſe ad Religioſæ Pietatis Officia? Reſtitit tamen ad maxima, & ad quæ non ſufficeret, niſi integer animus, & nullâ ſui parte imminutus. Cecidit lethali vulnere ſaucius Turcarum Dux: & non aliter atque ad prædam auidus miles,in ipſum inuolaſti, vt animâ illa dæmonem exſpoliares, vt ad cœlum erigeres humi iacentem, vt Deo Opt. Max. ea victoriæ ſuæ opima ſpolia referres. Hortabaris Barbarum, vt vel tum demum Victricem Dei manum agnoſceret, damnatiſque Mahumetanæ Perfidiæ deliramentis, meliorem acciperet mentem, luſtralíque fonte Baptiſmatis immundiſſimum animum expiaret. Et quaſi virtuti Tuæ non ſatis eſſet viciſſe mortales,tunc inferis indixiſti bellum,pari,aut maiore cura ſubigendi animasDeo,quàm Principi corpora.Quis vnquam vidit Imperatorem acerrimum, æquato miniſterio, & Ducem,& Apoſtolum agere? eodémque conatu corporibus cladem, & ſalutem meritibus inferre cupientem? Reſpuit effera mens fælicitatis æternæ opportunitatem oblatam:atque inter reluctantis animi horrida ſigna, infelicem vita deſtituit,vt non ſine luctu victoria Tibi contingeret.

Sed quid hic Te moror,EXCELLENTISSIME PRINCEPS?Iam videre me arbitror diſceſſu Tuo reſpirare Turcas,ac Luſitanos iterum tremere;quos iuxtà vix pedem fixeras,cum cœpit Prouincia tota, quæ Durium, ac Minium interjacet,eo pondere concuſſa fatiſcere. Singula referre,quæ hîc geſſeris,ſicut neque vſpiam terrarum, & ab hoc inſtituto alienum eſt, & à Tuorum facinorum magnitudine, ac numero: ſumma vix auſim rerum ſequi faſtigia. Vicit Cæſar aduentu, & aſpectu ſuo; Tu vel ante

aduentum ſolâ famâ triumphaſti. Enimverò non tantum expectauerat hoſtem Luſitanus, cùm vndecim munitiſſimas Turres, quas plurimo labore conſtruxerat, cum arcem Principem ipſam, feſſis præſidium rebus, validiſſimúmque obicem Gonzagæ Caſtello oppoſitum illicò, Te aduenientе,deſerit,atque ſubuertit. Quid referam Lapelam victoris arbitrio deditam? Quid Monzonij non expugnabile robur, quod ſæculorum labor, florentis opes, ac integri regni, Regum ſolicitudo multorum, ars denique, & natura ſupra vim, & euentus belli poſuiſſe videbantur? Quid Saluaterram ſolo interfluentis Minij diſſitam alueo, quam ſumptus haud impar extulerat? Pulchrè, & appoſitè Tibi Claudianus caneret, quæ Stiliconi ſuo.

Claud.Paneg. 2. De laud.Stili.

Cedant, Druſe, Tui, cedant, Trajane, labores:
Veſtra manus dubio quidquid diſcrimine geſſit,
Tranſcurrens egit Stilico; totidémque diebus
Edomuit Rhenum, quot vos potuiſtis & annis.

Nec mirum, cum intra ſex menſium curriculum plura Tuo ductu perfecta ſint, quàm quæ virtus, & fortuna alteri poſſent collato ſtudio promittere. Nullus tantum ſperare auſus eſt,quantum aggreſſus ipſe,& aſſecutus. Nulla Tibi ſine terrore hoſtis,& cæde velitatio, nulla pugna ſine ſtrage,nullum ſine victoria contigit prælium. Vbique quæritare hoſtem, ſequi, laceſſere: oblatum aliquando certamen, etiam loco & numero impar, nuſquam refugere: ſiue intra munimenta,ſiue in aperto, ſiue terreſtri,ſiue nauali pugna adoriri, ſemper victor, ſemper indemnis. Quodnam amicum Numen auguſtiſſimum caput protegebat, HEROS ACERRIME, Téque nobis ſeruabat inter tot pericula incolumem, inter tot clades, & funera illibatum? Dies me deficeret percenſere conantem exhauſtos à Te labores, toleratas hyemes, atque omnes iniquiſſimi cœli, ſolíque iniurias. At facilitatem, atque humanitatem Tuam, monſtrum videri poſſet cum Maieſtate muneris conueniſſe, quam non ſemel, aut iterum vſque ad infima dejiciebas officia:

Plin.ſupr. Perinde ſummis, atque infimis charus; ſic Imperatorem, commilitonémque miſcueras, vt ſtudium omnium, laborémque, & tanquam exactor intenderes, & tanquam particeps relevares. Qualis demum, quantúſque fueris, in expeditione hac, & in reliquis, quas ab inauguratione militiæ, ad id vſque ætatis ſuſceperis, quando cætera ſileant, adeſt hæc Curia, locupletiſſima teſtis, nuſquam magis, quàm in reditu Tuo effuſa in acclamationem, & plauſus. Non defert Gens noſtra, nec ætas ſolenni ritu triumphales Victoribus pompas. Verùm Madritenſis populus vltroneo Tibi ductu triumphum indixit honeſtiorem proinde, ac glorioſiorem. Apud Romanos etenim quoties immerentibus, quoties conſuetudini, aut metui potius, quàm Triumphatoribus datus? At verò in ingreſſu Tuo non mos, non timor, non adulatio, aut neceſſitas; Sed animorum ardor, congratulatio communis, & Tuorum admiratio facinorum hanc exultantis populi exciuêre lætitiam. Ruebat vulgus in præceps, bacchantis in morem, cui Tui viſendi ergò adproperanti anguſtæ palatij fores, anguſtæ plateæ, anguſta fora, & compita videbantur. Non ætas quemque, non valetudo, non ſexus retardauit, quominus oculos inſolito ſpectaculo im-

Plin.ibid. pleret. Te parvuli noſcere, oſtentare iuuenes, mirari ſenes, ægri quoque, neglecto medentium imperio, ad conſpectum Tui, quaſi ad ſalutem, ſanitatémque prorepere.

Quanti

Digitized by Google

Quanti tum iuuenes, quantæ ſpreuere pudorem, Claud. De Bell. Getico.
Spectandi ſtudio Matres? pueriſque ſeueri
Certauere ſenes?

Quid feſtiuos ignes commemorem, quos obvia quæque diripiens hilaris ille furor accendit? Quid alacres multitudinis voces, felix, fauſtúmque Principi, ac Victori præmia, honoréſque apprecantis?

Minora ſunt hæc, Princeps Eximie, virtute Tua; verùm noua, & inſolita, & quæ non niſi inſolitis meritis deferantur. Eæ verò ſunt, quibus Te ſuperi exornauere dotes, vt plures illæ viros, plures immortalitati poſſent Heroas maximos conſecrare. Talis ipſe eſt, qualem non facilè multa ſæcula tulerint: ſiue priſcam claritudinem ſtirpis ignorantis Originem, ſiue partam à maioribus gloriam, ſiue propriis virtutibus comparatam: ſiue ad militaria peritiam, atque animi magnitudinem, ſiue ad ciuilia prudentiam, ſiue pietatem in ſuperos, ſiue facilitatem in homines ſpectare velimus. Quæ autem de Familia noſtra ſingulariter meritus es, vt eam colis, vt honoras, vt laudas, non id, Domine, vnius voce celebrandum eſt, non vni ea propter gratias agendum, quæ, nuſquam intermiſſa gratiarum actione, cunctorum linguis, & laudibus celebrantur. Suſcipe interim hoc exile munus, dum flagrans animi deſiderium maiora non ſuppetunt, quæ declarent. Paneg. ad Conſtant. Filium. Suſcipe, & Tu, Deus optime Maxime, aſſidua Tuæ Societatis vota, in hoc maximè intenta, vt toties Magnum in omnia ſæcula Principem ſerues: parum enim eſſet optare tantæ virtuti, tantæque pietati, quam longiſſimum habet vita progreſſum. Vel ſi demum grandis hic animus Cœlo debetur; At terras, quas, dum in eis degit, nobilitat, & illuſtrat, quàm diutiſſimè incolat: neque à nobis ad ſuperos auolet, donec tantus apud eos videri poſſit, quantus inter mortales apparuit. VALE.

CENSVRA

Digitized by Google

CENSVRA SAPIENTISSIMI AC REVERENDISSIMI *Patris Magiſtri F. Franciſci de Arcos, olim in Academia Toletana Primarij ſacræ Theologiæ Profeſſoris, ſupremæ Inquiſitionis Senatus Cenſoris, & ſacræ Religionis ſanctiſſimæ Trinitatis in Toletana Prouincia Prouincialis, Concionatoriſque Regij.*

DE mandato D. GARCIA DE BELASCO, Vicarij Generalis in Madritenſi Villa, vidi Commentarios in LIBRVM IVDICVM, à capite decimo quinto vſque ad vigeſimum primum ſcriptos à R. P. EMMANVELE DE NAXERA, è Societate IESV, in ſuo Collegio Complutenſi, olim ſacræ Scripturæ Interprete, & in Madritenſi in Scholiis Regiis Politicorum Magiſtro, Regióque Concionatore, eandémque de his, ac de aliis huius Sapientiſſimi Patris tuti, ſententiam fero. Hic Autor omnibus notus, & ab omnibus digniſſimè celebratus nil ſcribit litura, ſed elogiis dignum. Inuenies in hoc Autore dicendi culta facundia Caſſiodorum, frequentibus ſententiis Senecam, profunditate Auguſtinum, pietate Gregorium. Ergo cenſeo Commentarios hos, ſi in lucem dentur, ingens efformandis moribus, animíſque componendis emolumentum allaturos, ſic cenſeo. Madriti in noſtro Conventu ſanctiſſimæ Trinitatis die 30. Auguſti anni 1662.

FRANCISCVS DE ARCOS.

LICENTIA D. GARCIA DE BELASCO *Vicarij Generalis in Madritenſi Villa.*

NOS D. GARCIA DE BELASCO, Vicarius Generalis in hac Madritenſi Villa facultatem facimus R. P. EMMANVELI DE NAXERA, è Societate IESV, Regióque Concionatori, vt poſſit typis mandare tertium Tomum Commentariorum in Iudices à viris doctiſſimis per nos examinatum & approbatum, vtpote, qui inoffenſo pede poſſit legi, nullo erroris periculo, ſed magno fidei noſtræ, ac morum emolumento. Madriti die 20. Septembris, anno 1662.

D. GARCIA DE BELASCO.

De eius mandato IOANNES BAPTISTA SAREZ.

FACVLTAS

Digitized by Google

FACVLTAS R. P. FRANCISCI FRANCO Viſitatoris, & Vice-Prouincialis Societatis IESV, in Prouincia Toletana.

EGo FRANCISCVS FRANCO, Viſitator, & Vice-Prouincialis Societatis IESV in Prouincia Toletana, poteſtate ad id mihi facta à Reuerendiſſimo admodum Patre noſtro Goſſuino Nichel eiuſdem Societatis Præpoſito Generali, facultatem facio, vt Commentarij in LIBROS IVDICVM à PATRE EMMANVELE DE NAXERA conſcripti, & eiuſdem Societatis grauium, doctorúmque hominum iudicio approbati typis mandentur. In quorum fidem has litteras manu noſtra ſubſcriptas, & ſigillo noſtro munitas dedimus. Madriti die vigeſima Martij, anno Domini milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo.

FRANCISCVS FRANCO.

APPROBATIO DOCTORVM.

NIHIL obſtat quin Commentariorum Literalium & Moralium Tomi duo, Secundus nempè & Tertius R.P. EMMANVELIS DE NAXERA, è Societate IESV, in LIBRVM IVDICVM in Lucem prodeant. Sic ego infra ſcriptus Doctor Theologus Pariſienſis iudicaui. Lugduni die tertia Auguſti, anni Domini 1663.

FR. IOANNES ROBE', *Ord. Prædicatorum.*

Ego quoque idem Cenſeo FR. CYRILLVS MOREL, *eiuſdem Facultatis Doctor Theologus, necnon Carmeli Lugdunenſis Prior.*

CONSENSVS VICARII GENERALIS.

VISA Doctorum Approbatione editioni horum Literalium & Moralium, Tomi Secundi & Tertij, R. P. EMMANVELIS DE NAXERA, è Societate IESV, lubenter annuimus, Lugduni die tertia Septembris 1663.

DE NEVF-VILLE, *Vic. Gen.*

CONSENSVS

Digitized by Google

CONSENSVS PROCVRATORIS REGII.

VISA Approbatione Vicarij Generalis ſuperſcripta, Librum inſcriptum, Commentariorum Literalium & Moralium, Tomi duo, Secundus nempè & Tertius R.P. EMMANVELIS DE NAXERA, è Societate IESV, in LIBRVM IVDICVM, Typis mandari & in lucem edi ſumptibus HORATII BOISSAT & GEORGII REMEVS, Bibliopolarum Lugdunenſium, ego Regis conſiliarius, & Procurator in Lugdunenſi Præfectura non impedio, imò ne quis vltra conceſſam facultatem denuò excudat, concedo; Datum Lugduni die tertia menſis Septembris 1663.

VIDAVD.

FIAT ſecundum conſenſum Procuratoris Regij. Datum Lugduni die quarta menſis Septembris, anno milleſimo ſexconteſimo ſexageſimo tertio.

DE SEVE.

INDEX

Digitized by Google

INDEX PARAGRAPHORVM MORALIVM.

Littera N. cum adiuncto numero marginalem deſignat, littera P, paginam denotat.

CAPVT XV.

SVPERIOR magnitudini non detrahit, ſi cùm poſſit ſtomachari aggrediatur officiis ſubiectum deliniré, n.13. p.6

Deus amicitiæ oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, n.18 p.7

Obſequia rarius ab obligatione videas exorta, quam ab appetitu, aut propria vtilitate profecta, n.23. p. 9.

Nunquam quieſcit appetitus legem ſecutus; ſed circumuoluitur variis ſemper vorticibus agitatus n. 27. p.11

Si ratio conſuetudoque decertarint, vincet infeliciter conſuetudo; & deuicta lugebis non ſemel ratio, n.32. p.12

Præceps & exoculata libido per honoris contemptum contendit ad voluptatis illicium, n 37. p.13

Homo non ſemel homini grandius virtutis obſtaculum, quàm perpetratum delictum, n.41. p.14

Tempus eſt iracundiæ medicus, & rationis conſiliarius, n.45. p.16

Eiſdem, quibus homo à nobis lucratur amorem, Deus non allicit voluntatem, n.49. p.17

Amor obliuiſcitur facilè offenſam, imò offendentis ſolicitat gratiam, n.53. p.18

Sponſi abſentia vxoris pudori inimica, & honori ſæpiſſimè aduerſa, n.58. p.20

Quantumuis rationi aduerſa, vanitas defendit pertinax à ſe peracta, n.61. p.21

Infortunata eſſe ſolent matrimonia ob cupiditatē inita, felicia ob virtutem procurata, n.65. p.23

Peccatores non adlaborant timoris cauſas ſeponere: ſed adnituntur ſopirè, n.70. p 24

Eâ nonnulli peccant impudentiâ, ac ſi licerent delicta, n.75. p 25

Iracundia, dum immoderatè accenditur, crimini, & calamitati patrocinatur, n.80 p.57

Non ſemel parentes filiabus occaſiones concinnauerunt erroris, & impedierūt ſalutis, n.86. p.28

Ea eſt peccatoris amentia, vt nouas timoris cauſas adlaboret incrementare, dum timorem geſtit depellere, n.91. p.30

Grande beneficium eſt peccatorem calamitatibus premi; ſupplicium grande proſperitatibus fortunari, n.95. p.31

Nonnulli, dum violatâ fœdantur lege, ſibi blādiuntur aliquâ adhibitâ deuotione, n.99. p.32

Qui omnis gerit negotium, grande luci prudentiæque appoſuit impedimentum, n.104. p 33

Grauius eſt errorem excuſare, aut defendere, quàm committere. n.109 p.35

Suſpicio & temeritatis audacia homini quandomodo ſui cbana, n.113. p.36

Duriſſimum eſt, ſi ab eo coneris gratitudinem exigere, quem iniuriis conſtas vexare, num.117. p. 37

Impatientia maiora ſuſtinere cogitur, dum leuia non ſuſtinere molitur, n.121 p.38

Nitimur in vetitum, & quò voluptas periculoſior, à nonnullis habetur dulcior, n.124. p.40

Indubia habetur euidentia ſi nobis adulet. vel leuiſſima coniectura, n.128 p.41

Quiſque ad humanam affectionem inuenitur cautus & ſolertiſſimus, ad virtutem ineruditus ac tardus, n.133. p.42

In eas ſe conicit peccator anguſtias, vt ambiguus ab vtraque parte cogatur inextricabiles ſuſtinere miſerias, n.138. p.44

Nonnulli amicitiæ laruâ abſcondunt aduerſarium, & inhoneſtum exhambiunt lucrum, n.141. p. 45

Vitium falſis ineſcat ſpebus, diſcruciat veris doloribus, n.145. p.46

Rarus eſt, qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & deliciis patrocinantem, n.150. p. 48

Vtilem Dei memoriam affert calamitas, periculoſam obliuionem proſperitas, n.154. p.49

Nonnulli conſolatores, dum imprudenter leniunt anxietudinem, maturant calamitatem, numer. 159. p.50

Affectata videtur ignorantia, quando inceptū proſequitur errorem notitia. n.164 p.52

Magna vxori errandi occaſio præſtatur, ſi ſe deſpici à marito arbitretur, n.169. p.53

Maritus vxoris pudicitiæ conſulens, dum interuallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior, n.173. p.54

Qui ſponſam à præſtita Chriſti fide ſeparat, ſupplicium grauiſſimum timeat. n.177. p.56

Qui libidini addictus, ad imminens periculum probatur improuidus, n.181. p.57

Ea quærimus aliquando effugia, quæ maiora nobis

bis afferunt detrimenta, n.185. p.58

Prudenior aſtutus. ob cuius ſocietatem tulit aliquale detrimentum. ſtudebit declinare conſortium, n. 190. p.60

Eius detrectari debet conſortium, à quo videtur imminere periculum, n.194 p.61

Concionatores ſunt Eccleſiæ circumciſio, nati corripiendo ſæculo, n.198. p.62

Ni noxia ipſis in cunabulis reſecata, ineuitabile quodammodò diſcrimen attulerunt adulta, n. 201. p.64

Semper ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius, n.205. p.65

Rarum prodeſt ab aliquo loco fuga, ſi fugienti inhæſerit cauſa, n.208 p.66

Superior, qui priùs blandum adhibuit delinimentum, poſtea aſciſcet ſine querela cautery & pulueris mordentis auxilium, n.213. p.68

Vel recula grauiſſimum detrimentum afferent, ſi plurimæ ad nocendum conuenerint, n.217. p.69

Non ſemel quæ in aliis auerſamur, exequimur, n. 2 1. p.71

Induat concionator pro extirpandis vitiis, quam mundialis ſolertiam induit pro virtutibus deterrendis, n.225. p.72

Quod à cæca querimur accidiſſe fortuna, certum eſt promanare ab inoculatiſſima prouidentia, numer. 229. p.73

Quæ à nobis impudenter fota, iuſtè in nos conuertere ſolent arma, n.232. p.74

Culpæ deformitas ex iuſto ſupplicio tonitruur, & in pœna horrere videtur, n.236. p.76

Præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecuniam, n.241. p. 7

Nonnulli pluſquam interrogantur, reſpondent, vt alterum diuulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam, n.245. p.78

Nonnulli vel fictis offenſionibus irritantur ſed obſequiis veris non demerentur, n.248. p.80

Nonnulli Dei cauſam agunt, non legitimo zelo inflammati, ſed propria indignatione, aut vtilitate commoti, n.251. p.81

Vitio frequentia hominum munitiſſimum eſt præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum, n.256. p.82

Prudens aget ſpontaneus, quod velit nolit, exequetur impulſus, n.260 p.84

Plus doloris affert vexatio à propriis inducta, quàm ab exteris procurata, n.265. p.85

Ea eſt hominum amentia, vt quò iis firmioris metum excutiant, indignationi ſe potentioris exponant, n.269. p.86

Grauius homini aliquando à cognatis detrimentum, quàm ab ipſis dæmonibus eſt periculum, n. 271. p 87

Dæmon, vt imperet, obſecundat; peior homo turpiſſimè obſecundat, vt ſeruiat, n.275. p.89

Quo liberiùs appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur, n.280. p.90

Sic iudex omnem querelam ſubmoueat, vt nihil eius tribuatur odio, ſed cauſæ merito, n.283. p.91

Nonnulli, vt amico adulentur cupiditate deliro, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio, n.283. p.93

Si potentia ratioque alterantur, non ſemel iudex, vt aduletur magnatibus, infirmioris obſurdeſcit rationibus, n.290. p.94.

Bonus ſuperior eliget ſubire incomoda, ne ſubiectos miſera premat ruina, n.294. p 96

Nonnulli ad ea, qui ipſi ſuſpirant, duci violenter affectant, n.298. p 97

Charitas exultat, ſi propriis laboribus, alienis obuiam calamitatibus, n.303. p.98

Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor: illis ad ſpeciem conſulit, ſed ſibi reuera attendit, n.308. p. 100.

Nulla adeò inexorabilia ſunt vincula, vt gratiæ ope nequeant diſſolui; imò & faciliter rumpi, n.313. p.101

Is peccandi eſt furor, vt celeres anteuertamus occaſione, & maturemus nobis calamitates, n.316. p. 103

Occaſio Circes ad inſtar ingenia mutat: qui ante certamen ſibi promittebat victoriam, in campo oſtendit ignauiam, n.321. p.104

A Dei ſpiritu venit, quod vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophea, numer. 314. p.105

Qui aliquando tempus profudit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidius, n.328 p. 107

De inſtrumenti vilitate clarior reſplendet victoria, & de inhabilitate materiæ artificis cumulatior lucet peritia, n.332. p.108

Sapientis eſt non ſolùm attendere præſentia, ſed præcauere futura, n.336. p.109

Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes, n.339. p.111

Quam adduxerat calamitatem culpa ſolet cito depellere pœnitentia, n. 345. p. 112

Secundis rebus facilè turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi, n.347. p.124

Cupiditas naturæ non ſemel leges ignorat, & auxilium hoſtibus præſtat, n.352 p.115

A quo laudabiliter militia peragitur, nullatenus Princeps remunerare cunctetur, n.356. p.116

Peccatum vigorem expectorat, & ne properantem ſalutis rapiat occaſionem, peccatorem quodammodò alligat, n.360. p.118

Qui ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus, n.36 . p.119

Sibi inuidet, qui beneficio honeſtum gratitudinis tributum non pendit, n.367 p.121

Inſtar miraculi eſt, ſi iterum ſeruat poſt exantlatos labores reiectus, & impræmiatus, num.371. p.122

Nonnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant, n.375. p.123

Prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela contra inopinata diſcrimina, n. 380. p.125

Si deſit dependentia, aut neceſſitas, quod colebatur, proiicitur, obliuionique traditur, n. 384. p. 126

De ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & ambitus diuexat viuidior, n 388. p.128

Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & maculis ſordidari, n.393 p.129

Sine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius auxilio facilè aſciſcitur medicina, n.396. p.130

Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores leuandæ principis neceſſitati tributum pendant, & debiliores non ſoluant, n.401. p 132

Eo ipſo, quo vitia deſtruimus, nobis vitam & ſalutem comparamus, n.405 p.133

Capvt XVI.

Nonnulli ad delicias inhiant veteras & exteraneas, faſtidiunt proprias, n.22. p.143.

Sæpè

Paragraphorum Moralium.

Sæpè triumphum attulit inimicus, & cladem inimicorum deſpectus, n.26 p.144

Homines in obſcœni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe periculum, num.29 p.144

Fœminæ ſuperbiunt ſeque iactãt, ſi magnatibus proſtitutæ, & à potentibus adamatæ, n.33.p.145

Sic omnia luxuria infecit, vt omnes pudoris terminos tranſiluerit, n.38 p.146

Peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit, n.42.p.148

In ciuitatum ad eam captioſæ non ſemel prætenduntur inſidiæ, & exercetur violentia, n.47 p.149

Qui ſemel voluptati traditus, facilè æſtimat tẽpus præſcribere agnoſcitur delirare, n.51.p.150

Nihil amori inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, n.55 p.152

Bonus Reipublicæ Miniſter curabit muneris obligationem implere; ſed ad nocendum non ampliare, n.59.p.153

Ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi, n.64.p.154

Nonnulli ab ipſis culpis contra pœnam ſortiuntur auxilium, & immunitatis quodammodo priuilegium, n.69 p.156

Dum ignauia moras trahit ſtultè, confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, n.73.p.157

Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus, n.76.159

Voluptas fortitudinis eſt occaſus, & gloriæ naeuus n.81.p.160

Mira eſt peccatoris ſocordia periculis dormit cinctus, vt munitionibus quiret vallatus, num.85 p.162

Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia, n.89.p.164

Poſt tergum ſæculi diuitias & honores proiiciat, qui veram conſequi libertatem anhelat, n.94. p.164

Coniugium affert ſecum carnis tribulationem, & oneris grauitatem, n.98.p.165

Amor & timor amico fœdere inueniuntur vniti, & ad augendum peccatori pondus quodammodo fœderati, n.102.p.166

Parum intereſt loca mutare, ſi te tecum ſemper contingat deferre, n.106 p.168

Iuuenes oblectationis ſæpè cauſa peregrinantur; ſed peregrinati variis periculis irretiuntur, n.111. p.170

Pluribus abſtruſa naturæ indagare ſecreta ſuaſit non laudabilis honeſtas; ſed deteſtanda cupiditas, n.116 p.171

Sunt qui vitia velint aliquatenus expugnari; ſed penitus noluerint extingui, n.121 p.172

Vitium leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittit; ſed leui lucro damnum grauiſſimum affert, n.125 p.174

Laſciuis ferè ſemper familiaria commenta & amica ſemper mendacia, n.129. p.175

In detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas, non præferenda honeſtati vtilitas, n.133.p.176

Pecunia Principumque amicitia ſunt mulierecularum incantamenta, & ad eas corrumpendas validiſſima oſcilla, n.139.p.178

Nonnulli de cupiditatis errore, & erroris cæcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti, n.143.p.179

Plures acceptam à numine ſcientiam in ſui & numinis conuerterunt iniuriam, n.147.p.180

Principes dedecet fidem violare, & ſibi iniuriam violando promiſſa inferre, n.151.p.182

Luxuria ſic dementat homines, vt pericula & imminentem mortem contemnant non magnanimi; ſed deliri, n.158.p.183

Sordidarum mulierecularum domus ſunt inſidiarum emporia, & inopinarum cladium theatra, numer.162. p.185

Plures, vt captioſas prætendant inſidias, adulantium, iocantiumque aſſumere ſolent perſonas, n.166. p.186

Aliquando non ſolum captioſæ prætexuntur fallaciæ; ſed ad tegendam fraudem dantur querelæ, n.171. p.187

Non ſemel amor in eas te impellit anguſtias, vt nec diſſentiri poſſis tutâ eius gratiâ, nec ſaluâ aſſentiri conſcientiâ, n.175.p.188

Quæ nulla indagari poſſunt induſtria, per mulierculas produntur, & indagantur ſecreta, n:178. p.190

Peccator dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior calamitati ſæpè inuenitur proximior, n.181.p.191

Ob flagitium promiſſa rarò non videntur impleta, n.185.p.192

Plus tibi timendum ab eo, cuius cauſa delinquis, quàm ab eo, quem hoſtiliter offendis, n.188 p.193

Munia officiáve in fœminarum gratiam delargita illis afferunt lucrum; ſed delargientibus probrum, n.192.p.195

Quod magni intereſt, in experto non committendum; ſed experto commendandum, n.195 p.196

Ibi peccator inuenire ſolitus veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem, n.199 p.197

Ab vxorio ac libidini dedito, nihil ſperaueris forte, nihil magnum n.204.p.198

Vires diuiſæ facilè aduerſariis cedunt, & dolos ſubeunt, n.207 p.200

Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, n.211. p.201

Si Principi, Miniſtróve adhærentes citò, ac præter opinionem diteſcant, eius obſcurabunt famã & imminuent etiam fortunam, n.216. p.202

Vna mulier, ſi fraudulenta pro multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas, n.219. p.203

Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam, num.223. p.205

Qui eximiis excelluit dotibus, durit etiam excedet, ſi degenerarit cruciatibus, n.229.p.206

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam, ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam, num.232. p.207

Qui à Deo credit, cæcitatem, & calamitatem incurrit, n.237. p.209

Spes eſt recuperationis, ſi virtus prorſus non expuncta; ſed aliqua ſcintilla ſeruata, num.240. p.210

Nil iuſtis adeo graue, vt diuinam intueri offenſam, auribus percipere iniuriam, n.244.p.211

Populus Principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur, n.249.p.213

Maius affert detrimentum, quàm pati, aduerſarium nullum credere, n.253.p.214

Inepta gaudet ſecuritate, qui externam ſolùm malorum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit, n.257.p.215

Digitized by Google

Sibi grandæuus detrahit, ſi repueraſcens puerilia amplectatur placita, & imitetur veſtigia, n.262. p.217

Ibi peccator luctuoſiſſimam patitur calamitatẽ. vbi irriſione affectat dehoneſtare virtutem, n.267 p. 218.

Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari, n.270. p. 219

Adſpirante gratia facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, num. 274. p. 220

Nomen Ieſu humanæ ſalutis ſuſtentaculum & dæmonum ac vitiorum inuenitur excidium, n.277. p. 222.

Propriis viribus fidens fit hoſtium præda, diuinis fretus illuſtri coronatur victoriâ, num. 281. p. 223.

Periculoſum eſt templa profanare, & deuotionem oblectamentis miſcere, n.286 p.224

Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi, num. 290. p. 226

Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci, n.294. p.227

Spectacula ſunt virtutum faſcinum, honeſtatis ludibrium, & calamitatum emporium, num. 298. p. 228

Vir fortis ærumnoſam vitam non odit, mortem honeſtam non fugit, n.301. p.229

Glorioſius epitaphium hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus, n.304. p.231

Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur, peccatorum gaudia lamentis & in honoratione ſoluuntur, n 307. p.232

CAPVT XVII.

NVnquam deeſt vitiis exercendis pecunia, ad virtutes premit inopia, n.9. p.236

Ægrè ferunt homines à criminum deſiderio vel tantiſper retardari, tolerantius, à virtutum exercitio inhiberi, n.15. p. 237

Diuites magnatéſque in omnia vitia impunè aſpicies proruere, de diuitiarumque priuilegio illis peccata licere, n.19. p.239

Quidquid cupiditati & errori impenſum habetur lucrum, cùm non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimetur diſpendium, n.22. p.240

Vitiis tenaciſſimè adglutinamur, à virtute vel leuiſſimo timore diſiungimur, n.27. p.241

Filij quodammodo ſugunt peruerſos parentum mores, vt eximias etiam virtutes, n.31. p.242

Execratio eſt timenda vt calamitatis illicium: benedictio procuranda, vt fortunæ promptuarium, n.35. p.243

Prouida ſingularitate debet gaudere, quod Domino conſtiterit dedicari, n.39. p. 245

Filij execranda fouent parentum vota, & operas ſuas conferunt ad improba deſideria, n.42. p.246

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones, n.46. p.247

Nullis aliis rebus inſeruire debet expenſũ, quod fuiſſe conſtat ſacris altaribus conſecratum, n. 50. p.248

Raro in alios vſus videas conuerſum, quod profanis conſtiterit dedicatum, n.54. p.249

Eccleſiaſtici non ſemel ſacros percipientes reditus, in profanos, aut ſuperbos expendunt ſumptus, n. 59. p.251

Filij non ſemel à parentibus prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur, n.65. p.252

Obſequium Deo exhibendum non eſt ante executionem imprudenter publicandum, n.71. p.254

Sunt qui promittant non animo dandi, ſed deſiderio accipiendi, n.75. p.255

Nonnulli, ne reſilire valeant à vitiis, adaggeratis ſe adſtringunt impedimentis, n.79. p.256

Ineſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi, n.83. p.257

Qui alterius ope ad dignitatem euectus, ad eius etiam arbitrium elucebit conformatus, n.88. p.259

Sunt qui ſubiectorum diſſimulent prauitatem, quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem. n.91. p.260

Nonnulli rapinis inhiant, & huius, aut alterius Sancti feſtum ſumptuoſius concelebrant, numer.95. p.261

Rarò ſolitarium eſt vitium; ſecum trahit pernicioſas appendices, conſequentiáſque peſtilentes, n.100. p.262

Sæpè cæleſti dignatione cæteris antelati cenſuq; copioſi, & vitiis inueniuntur infecti, n.103. p.264

Diuites de architectandis vitiis cogitant, & noua delicta fabricant, n.106. p.265

Aurum enutrit inſolentiam, & inſania tranſit lineam, n.110. p.266

Profuſior libido impietatis amica, & religioni ſæpiſſimè aduerſa, n.117. p.267

Nequit ſuperior ſubiectorum corrigere errorem, ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem, n.119. p.268

Miſeri mortales ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro ingentium laborum mercede inuenire figmenta, n.125. p.270

Ad dignitatem, Eccleſiaſticam præcipuè cognatus ſæpè præficitur, & dignus cognationis titulo habetur, n.129. p.271

Vbi ſuperior non eſt, qui cohibeat, quiſque quod ſibi placet, impunè tentat, n.133. p.272

Munus ſordeſcit, vbi gerens ſine patrimonio ornatior, & comptior lucet, n.137. p.274

Nonnulli importunè, opportunéque ſuam nobilitatem oſtentant, & ſplendorem ſanguinis iactant, n.141. p.275

Ipſo remedio ſæpiſſimè laboratur, & optimis medicinis morbus, quia adulterata adaugetur, numer.146. p.276

Nonnulli deteſtandis emunt criminibus refulgere, ac indebitis ſibi dignitatibus emicare, numer.151 p.277

Munus ritè exequens premitur frequenter inopiâ: diteſcit qui adulterat, abundantiâ, numer.155 p.278

Is debet eſſe Sacerdos, qui magnatum domos non curſitet; ſed ad ſe magnates virtute traxerit, n.158. p.279

Sæpè ab alio ad dignitatem electus ſuperioris titulo fulget; ſed eligenti reuera paret, num. 163. p. 281

Munus, ſi venalitium, aut emptitium ſit, in æquitatem armatur, & impietatem tuetur, n.167. p. 282

Immerita dignitati exaugurationis imminet nota, & exauthorationis miſeria. n.170 p.283

Deſpicabilis habetur honeſtas, cui pro Helice habetur vtilitas, n.173. p.284

Malè in Rempublicam, æquitatémque auguratur poteſtas, ſi paupertate preſſa, aut vrgenti

aliqua

Digitized by Google

aliqua neceſſitate grauata, n.177.p.285

Magna dignitatis titulo debetur Sacerdotibus reuerentia, etſi contradicat vita, n.182 p.286

Miſerum eſt ipſo in virtutis portu cæco diſperire naufragio, n.185.p 288

Inſolitum eſt propriis extranea præferre, vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere, n.190 p. 289.

Humilitas eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, n.194 p.290

In Sacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligendus nec ſine ſapientiæ dotibus initiandus, num.200. p.291

Sæpè contingit munus peruerſi, & ſtipendio honoratum diligentius eſſe inimicum, num.205. p. 293

Homines ab aliqua natura vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur prorſus inerudití. n.210.p.294

Quidquid ad vitium pertinet, ſtudioſè perficitur; aliquid non rarò virtuti detrahitur, numer. 215.p.295

Si iuuenis cum iuuene commoretur, ad flagitia ſæpè inſtigatur, n.219.p.297

Deus vel exiguo etiam obſequio allicitur ad munificentiam, & magnis ſæpè offenſis prouocatus continet iram, n 223. p.298

Eximiis inter alios dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur commoda, n 227.p.299

Nonnulli inueniuntur circa leuiſſima ſcrupuloſi circa grauiſſima nullis ſcrupulis agitati, n.230 p. 301

Iuſtis ac pauperibus benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere, numero 234. p. 302

Inauſpicata eſt, ſi contingat peccatori fortuna, auſpicatior, ſi diuexat eum miſeria, numero 240. p 303

Nulli conſtabit, quia à virtute & religione defecit, n.244 p.305

Sacerdos preces hoſtiáſque offerens eſt temporalis vilitatis fœcunda vena, & ſalutis cuſtodia, n.249. p.306

Suſpirat ardentiſſimè diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi, n.254. p. 307

Ea eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam, n.259.p.308

Modeſti ſi qua fœlicitate fruantur, non propriis; ſed meritis adſcribunt alienis, num.263. p. 210

Gaudet diabolus excellentiores ſibi vendicare, & à nominis cultu eripere, numero 266. p. 311.

CAPVT XVIII.

Nihil tam commodum, quàm ſuperiorem virtutibus ornatum ſortiri. nihil tam incommodum, quàm ſine honeſta ſubiectione vagari, n.16 p.316.

Negligentia non ſolùm eſt egregiis facinoribus detergenda; ſed eximiis virtutibus compenſanda, n.21. p.318

Peccatores etiam calamitatibus diuexati, ne reſiliant ab erroribus, conſictis ſibi blandiuntur ſpebus, n.25.p.319

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas, n.29 p.320

Superioris præſentia mores informat, vitiáque exarmat, n.34.p.321

Grauis labor pro caducis videtur exiguus, exiguus pro æternis magnus, n.38.p.322.

Id Sacerdotis eſſe debet eloquium, vt dignitatem non confuderit; ſed oſtenderit, numer. 43. p. 324

Miniſtri à Republica electi non ſemel ſibi priùs conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt, n 49. p.325

Hoſpitalitas hominem auertit à ruina, & ab eius domo impetrat depelli peccata, numer. 53. p.326

Bonus Reipublicæ Miniſter nulli parcet labori, vt omnium prouideat vtilitati, numer. 57. p. 328

Parum eſt tibi ſplendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire, n.61.p.329

Malè ſibi ominatur, ſi crimen ſuum publicet iracundia: benè, ſi occuluerit pœnitentia, n.65. p. 330

Honeſtam erubeſcimus pauperiem, & iactamus diuitiarum ſordidam facultatem, num.70. p. 331

Graue conſtat eſſe delictum; ſi ſeruientibus denegetur, aut differatur ſalarium, numer. 73. p. 332

Sacerdos, vt viam laicorum poſſit dirigere, cæleſtibus ſtuduerit vacare, n.78.p.334

Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce reſplendeat, nulla ſpecie auaritiæ ſordeat, num. 83. p. 335

Sacerdos ſis & proximis conſecratus, & à proximis expeditus. n.87. p.336

Grauiſſimi criminis reus conuincitur, qui nouit greſſus alienos dirigere, & patitur propriis erroribus implicari, n.93. p.337

Ni Sacerdos efflorеat ſcientiâ interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa, n.98.p.339

Dæmon proferre affectat oracula, vt nocentiſſima inſerere valeat commenta, n.103. p.340

Nonnulli deuorauere delicta, quo alij aſſequerentur augmenta, n.106.p.341

Qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur: veridicus ſæpè ſpernitur, num. 110. p. 342

Nonnulli ipſa figmenta dicendi modo venditauerunt oracula, n.113. p.343

Falsò exiſtimata ſecuritas grauior peccatoris calamitas, n.117.p.345

Quo maior peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas, n.121. p.346

Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat calamitatem aſciſcat, n.125.p.347

Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio, n.130. p.349.

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia, n.133. p.350

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prudenti celeritate completa, numer. 137. p.351

Infelix augurium eſt læta ſemper vti fortuna, & nullâ diuexari miſeriâ, num.141 p. 352

Sæpè domeſticorum garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minùs prudenter denuntiat, n.146 p.354

Nonnulli ſecum reluctantia coniungunt, & ſibi oppoſita interpolare contendunt, num. 150. p. 355

Non ſuſtinent homines delicti occaſionem elabi; virtutis ferunt amitti, n. 154. p. 356

Miles non ſemel depredatur ciues, antequam inuaſerit hoſtes, n. 157. p. 357

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo rapiant aliena, & inuideant aliis peccata, numer. 161. p. 358

Nihil ambitoribus demiſſius, nihil ſi iam aſſecutio ſuperbius, n. 166. p. 360

Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerius, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare, n. 171. p. 361

Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam, diſcedet, ſi aſſequatur maiorem copiam, n. 176. p. 362

Non ſemel quem contra ius, faſque quis ad dignitatem euexit, ſibi peſtem infenſiſſimam tulit, n. 180 p. 364

Vltra fortunæ ditionem opus eſt degere, ſi volueris conſtanti fortuna vti, n. 184. p. 365

Deo priuatus etſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet & nudus, n. 18[illegible]. p. 366

Deus non eſt, qui violenter potuit auferri, nec valuit anxiis clamoribus reuocari, n. 192. p. 367

Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur, n. 197. p. 369

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas, n. 201. p. 370

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita; ſed contra ius reportata, n. 205. p. 371

Securior degit inter hoſtes ſolicitus, quàm ab hoſtibus diſtans ignauus, n. 209 p. 372

Si aſtitu ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautelâ, inopina premet ruina, num. 213. p. 374

Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari, ſed iniquus, dum moritur, premi, numer. 217. p. 375

Diſplicebit, ſi tota ſimul peccatoris fortuna; iuſti placebit niſi per partes fuerit inſpecta, n. 221. p. 376

Plus curant homines, quàm implere honeſtis factis, depradicari nominum linguis, numer. 226. q. 378

Qui à reliquorum conuictu remotus, ſapè ſordeſcit criminibus obſcuratus, n. 230. p. 379

Si culpam arceat, fauſtior eſt felicitate infelicitas, n. 234. p. 380

Fides ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur, quæ ob virtutem non rarò eluditur, num. 238. p. 381

Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur, virtus ſine pompa colitur, n. 243. p. 383

Delicta malè ſibi ominantur, ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant, numer. 247. p 384

Amant homines ſuperiorem, qui delicta non carpat; ſed ori manum imponat, numer. 256. p. 387

Ingens generi dedecus ſi filius ab honeſtis maiorum moribus denegarit, ſed grādius, ſi ad falſam religionem tranſierit, n. 250. p. 385

Vitium ſi ex eo temporale reſultet commodum, adhærebit quodammodò inuiſceratum, numer. 261. p. 388

Dei Miniſtri munus exercent ignauè; Miniſtri ſæculi ſtudioſiſſimè, n. 265. p. 389

Vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, & inaurat ſapè peccatum, n. 270. p 291

CAPVT XIX.

QVi ob ineundum coniugium deuorat culpam, in ipſo inuenire ſolitat pœnam, n. 17. p. 398

Si coniuges diſſideant ingenio, frequenti laborabunt & iurgio, n. 20. p. 400

Qui Deum ob creaturas relinquit, meritam in ipſis pœnam inueniet, n 24. p. 401

Exiguo tempore ad prauitatis apicem peruenitur, ad virtutis tardiùs acceditur, n. 29. p. 402

Leuis voluptas duriſſimas affert pœnas, & inextricabiles parit non ſemel anguſtias, num. 33. p. 404

Nihil fœminæ adeò curandum, vt iniquæ ſuſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam, n. 37. p. 405

Princeps ſapientiorque curet ab omnibus diligi, & ad muneris ſolùm vtilitatem beneuolentiam lucrari, n. 41 p. 406

Matrimonium patientiæ non ſemel præbet materiam, & ideò magnam exigit tolerantiam, numer 46. p. 408

Superior reſipiſcentem hilari vultu recipiat, & cum illo humaniſſimè ſe gerat, n. 49. p. 409

Bonus ſuperior curet plusquam peccatorem punire, peccatum tollere, n 51. p 411

Prudentis eſt non exaſperare, quem poſtea opus eſt, ſi exaſperetur allicere, n 58 p. 412

Sunt qui quærant maritare virtutis plauſum, & vitiorum commodum, n. 62. p. 413

Vera patientia alienos defectus portat, & dum portat, proximum amat, n. 67. p. 415

Inueniuntur plures laudabilis tolerantiæ expertes, & patientiæ indignæ conſortes, num. 71. p. 416

Nonnulli cum mundialibus renunciarint deliciis, ad eas redire ſolitant ardentiſſimis deſideriis, n. 76. p. 417

Facilè per ſe ipſum ſuperior obtinebit, quod difficiliùs, aut nunquam per adminiſtros perficiet, n. 82. p. 419

Diſcant parentes, propinquique concordiam inter coniuges fouere, & lites non ſeminare, n. 87. p. 420

Vitium, vt deueniat ad vlteriora, initio tentat exigua, n. 90. p. 422

Auguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus & delicioſus eneruat, n. 93. p. 423

Diabolus non ſuadet aliquando pœnitentiam omittere; ſed procraſtinare, & differre, n. 99 p. 424

Optimus Reipublicæ adminiſter otioſis gaudiis conuiuiiſque occupatus tempus non fraudabit; ſed publicis negotiis impendet, n. 103. p. 426

Pœnitentiam iam arripienti vanitatis dies in noctem vertitur, & color rerum mutatur, num. 107 p. 427

Ignominioſam ſapè ſuſtinuit infamiam, qui vocante gratiâ amplecti diſtulit pœnitentiam, numer. 111. p. 428

Domini nullâ ſeruorum cōmiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur, n. 114. p. 430

Ambitio cupiditáſque mentem obtenebrarant, & cæleſtem lucem fugant, n. 119. p. 431

Patria conterraneoque peculiaris debetur affectus, ſi vagetur peregrinus, n. 124 p. 433

A

A Deo quodammodò ob ipſum Deum oportet aliquando recedere, vt tibi commiſſos ad virtutem cures reducere, n.129.p.434

Ciborum oblectamentis ſæpè capimur, & à virtutis itinere auertimur, n.134.p.435

Deo ſacratis non ſolùm culpa fugienda; ſed culpa proximitas declinanda, n.138.p.437

Vbi viget auri cupiditas, exulare noſcitur charitas, n.142.p.438

Quàm longiſſimè diſtant à charitatis officiis, qui voluptatum ſe dedidere fallaciis, numer.148. p.439

Felix qui inter peruerſos probus, infelix, qui inter probos peruerſus, n.153.p.440

Eleemoſyna ſordeſcit faſtu elationis immenſa, nitet cum charitate, & hilaritate coniuncta, numer.157.p.442

Neſcias an plus debeat beneficus beneficiato an beneficiatus beneficio, n.162.p.443

Pauper ſubuenit ſæpeſæpius generoſius, diues manum comprimit auarus, n.168.p.444

Exhibitum indigenti ſubſidium eſt præbentis amplum commodum, ſecurumque propugnaculum, n.173.p.446

Virtus ſingularem aliquando patronum, voluptas copioſum ſortitur contra virtutem tutelarium exercitum, n.177.p.447

Populi eſt ſalus diligens circa pueros ſolertia, vt pernicies ignauia, n.181.p.448

Senem dedecet vitiis inſici, cùm in exemplum debeat virtutis poni, n.186.p.450

Honorabilis ac veneranda ſenectus eſt proprium iuuenum audaciam frænare, & vel aſpectu mores componere, n.191.p.451

Senectus eximium bonum, dum morti propinquior inuolet ad virtutes celerior, n.196.p.452

Libera fronte in vitia armatur inuictus, quiſquis ab illis non ſordeſcit inquinatus, num. 200. p.453

Stultum eſt, vt aliena vites incommoda, propria ſordidari culpa, n.204.p.455

Peccator, quo paſſu deterior, & infeliciter degit ſecurior, n.209.p.456

Nullus egentem videt, vt ſubueniat; ſed habentem nullus nõ videt, vt quid auferat, n. 14.p.458

Aliorum ingloria memoria permanent fixa, glorioſa facilius obliuione deleta, n.219.p.459.

Non eſt muneris labor excuſandus, etſi laboris fructus non expectetur metendus, num 223. p.460

Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſtea indecorè exibilatur, n.227.p.461

Fœminam, ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula, aut dehoneſtabit non bona nota, n.230.p.463

In grauiſſimas difficultates ſolet incidere, qui leues patientiæ occaſiones detrectauerit ſuſtinere, n.235.p.464

Voluptatis aſſecla à riualibus adurgetur, à vindicibus punitur, n.240.p.466

Venuſtas oriſque gratia eſt alienum oblectamentum, proprium periculum, n.243.p.467

Qui obſiſtit generalitatis vitio, multiplici ſubiacet detrimento, n.248.p.468

Horrẽdum eſt inopinè inter illecebras rapi, & inter delicias mori, n.251.p.470

Felix, qui acri ob culpam dolore corripitur, & honeſta confuſione percellitur, n.257.p.471

Vir fortis in acerbis caſibus dolorem glutit, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promouerit, n.261.p.472

Acri deſiderio ardet vindictæ, qui corde preſſit iniuriam, ne rogatus conceſſerit veniam, n.167. p.474

Vehemens dolor totum animum ad ſe rapit; nec lachrymas, aut verba permittit, n.273.p.475

Vbi Deus ſeueram decreuit vindictam ſumere, auſer, ſi quid poterat retardare, n.278.p.476

Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indulgere inſanis non refugit appetitibus, n.284.p.478

CAPVT XX.

IMpunita ſcandala armorum Reipublicæ eneruant vires, & felicitant hoſtes, n.17.p.484

Bellum à precationibus incipiendum, & placato prius numine eſt adornandum, n.20.p.485

Mirum eſt pudicitiam plures auxiliatores ſortiri, frequens aduerſarios plurimos pati, num.24. p.487

Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernãtium concordia, num.28. p.488

Peccator videt imminere ſibi periculum, & tamen deuorat, ne reliquerit peccatum, num. 32. p.485

Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit; deteſtanda, quam ſolus furor induxit, num. 36. p.490

Grauem mulctam debet præcedere rationabilis tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia, n.40.p.491

Auferre nititur vitam, qui ad Dei trahere molitur offenſam, n.45.p.493

Grauior pœna plectendus, qui legibus deliquerit informatus. n.50.p.494

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta, & victoriæ participes, & gloriæ inueniuntur conſortes, n.58.p.495

Iniquum eſt in aliena errata acriter excandeſcere, & propria, etſi grauiora, cæcis oculis præterire, n.62.p.497

Noſtra delicta cæcis oculis præterimus, in aliena peccata ardenter inuehimur, n.65.p.498

Peccator fit inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior, n.69.p.499

Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur, & timoribus abigitur, numer.73.p.500

Non eſt in omnes deriuanda pœna, quam vnius aut alterius promeruit culpa, n.77.p.502

Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus, numer.81.p.503

Dum ſuperbia vtiliter detrectat timere, ſtragem ſibi ſolitat maturare, n.85.p.504

Eo peccandi proceſſit libido, vt ſatis iam non ſit propriâ inquinari culpâ; ſed aliena etiam tutela, n.89.p.506

Contra duros muniatur adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus, n.93.p.507

Infelix eſt amicitia, quæ tacendo & defendendo delictum, Diabolo amicum tradit defenſum, n.98.p.508

Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, & vitium tueatur acumine, n.101.p.510

Immetata, indigeſtaque militum multitudo minus metuenda hoſti, & plus inuenitur extimeſcenda ducenti, n.105.p.511

Ad exercitus regimen duces non caſu deſignandi,ſed conſulto Domino deligendi, numer. 109. p. 512

Ad dignitates electio afferre ſolet diſſidium,& inteſtinum excire bellum, n. 114. p. 513

Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, non tamen vigilias ac labores ſubire, n. 118. p. 515

Dei debent dilaudari iudicia, quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa, n. 124. p. 517

In hac vita peccatorum pœnas ſoluere eſt ingens Dei beneficium, & ſæpè virtutis præmium, n. 128. p. 518

Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non diſceſſit triumphos ſibi perſeuerans aſciuit, num. 132. p. 520

Liuido dente prouidentiam ſolet abrodere, qui nouit præſentaneis ſolùm attendere, num. 136. p. 521

Felicior eſt, qui ruit in rationis obſequium, quã qui vincit ad criminis patrocinium, num. 140. p. 523

Eximia fortitudo non ſolùm pro virtute pugnat, ſed labores ob certamen etiam tolerat, n. 143. p. 524

Bonarum mentium eſt à culpis prorſus abſtinere, & ſe, ac ſi delinquant, punire, num. 148. p. 527

Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam, num. 152. p. 527

Humilitas & ieiunij auſteritas, dum medentur culpis, ſæpè de hoſtibus reportauere victorias, n. 157. p. 528

Si Mariæ ſacratiſſimæ adſit præſentia, iam hominis temperatur calamitas, imò & arridet felicitas. n. 163 p. 530

Magna felicitas ſortiri Sacerdotem virtutibus exornatum: in calamitate namque eſt ſolatium, & in labore remedium, n. 166. p. 531

Deo prorſus parere vera eſt libertas; imò & inconcuſſa felicitas, n. 13[illegible]. p. 533

Inferiores præfecti nequibunt, quæ ſunt ſui muneris, adimplere, ni auxilium excellentiores adlaborarint præſtare, n. 175. p. 534

Bonus prælatus proprium contemnit detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum, n. 179. p. 536

Superior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam, num. 183. p. 537

Peccator tunc cæcior ſibi promittit felicitatem, cum inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus, n. 188. p. 539

Iniquis illata pœna eſt ad Rempublicam ſuffulciendam firma columna, n. 193. p. 540

Felicior eſt inter acceptas plagas oratione protectus, quàm inter victorias precibus nudus, numer. 198. p. 541

Peccator, etſi inſtante morte ſuſpirarit ſalutis profugium, ſolet non inuenire remedium, n. 203. p. 544

Qui cupit perfectâ coronari victoriâ, contentus non ſit vitia extenuare; ſed conetur prorſus atterere, n. 207. p. 545

Rarò iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus n. 210. p. 547

Dei erga te beneficia exaggeratiùs commendat grandis pereuntium numerus, & infelix plurimorum ſucceſſus, n. 214. p. 548

Pro volatica ac caduca vita patienter amplectũtur homines dura, pro ſalute ſpirituali detrectauerunt exigua n. 218. p. 550

Ieiunium eſt ſalutis myrothecium, & contra ardorem ſpiritualium hoſtium armarium, n. 221 p. 551

Poteſtas contra imbecilles frequenter extenditur, & iniquis interpretationibus ampliatur, n. 225 p. 552

Iniqua conſilia ſunt præbenti certiſſima detrimenta, nu. 229. p. 554

Satis non eſt præſentia depuliſſe damna, niſi imminentia etiam anteuerteris detrimenta, n. 234 p. 555

Pertinacia ſibi multiplicat pœnas, dum tuetur audacter culpas, n. 238. p. 557

CAPVT XXI.

Conſanguinitatis, amicitiaque vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam. n. 9. p. 562

Solùm cum nobilibus ſunt expetenda connubia, cùm morum relucet gratia, n. 13 p. 564

Non ſemel, dum punitur peccatum, perpetratur in ipſa punitione delictum. n. 16 p. 565

Defunctorum expiationem religioſis actibus ac victimis procurare eſt pietatis teſtimonium, & vtilitatis illicium, n. 21. p. 567

Impium ac periculoſum eſt de aliena calamitate gaudere, vtile eſt honeſtum triſtari, n. 25. p. 569

Dei nominis inuocatio eſt calamitatis remedium, & felicitatis illicium, n. 29. p. 570

Cùm conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare, n. 35. p. 572

Bonus ſuperior inultam non patitur culpam, & inflictam ingemit pœnam, n. 39. p. 573

Bonus ſuperior minus dolet proprium diſpendium, quàm à ſuis perpetratum contra æquitatem delictum, n. 45. p. 575

Mirum eſt, ſi a cepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm ſpes exhibuerat officia, n. 49. p. 577

Qui ad ſacra altaria cupit accedere, ab omni curet ſcelerè inquinamento purgari, n. 52 p. 578

Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detrectat cum ſceleribus bellum gerere; n. 57. p. 579

Bonus ſuperior & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſolicitus prouidere, n. 61. p. 581

Nonnulli inuiolatiùs ſoluũt à ſe prolata, quàm legis obſeruarint præcepta, n. 65. p. 582

Periculoſum od oſumque eſt à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe, numer. 69. p. 584

Qui depræliari refugit contra vitia, obſcurauit nobilitatis ſtemmata, & obliterauit auita nomina, n. 73. p. 585

Ingenui ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modo gerere, numer. 77 p. 587

Iure ſuſtinet pœna tormentum, qui æquitatis Miniſtris præſtare renuit auxilium, numer. 81. p. 588

Plures ignauè fugiendo mortem incurrerunt, honeſtè contemnendo fugarunt, n. 85. p. 590

Nomina non tam clareſcunt de maiorum, poſteriorúmve nobilitate quam de poſſeſſionum, diuitiarúmque ſplendore, n. 89. p. 591

Non

Paragraphorum Moralium.

Non punientur ſceleſti, ſi Miniſtri tribunalium cupiditate corrupti, n.94.p.593

Nonnulli volunt ſibi opem in neceſſitatibus ferri, detrectant tamen præſtare, n.97.p.594

Quœuis Principum decreta à Miniſtris exactiſſimè adimplentur, diuina ſatis frequenter violantur, n.101.p.596

Caſtitas puritáſque eſt longioris vitæ officina, & commoditatum vena, n.105.p.597

Nihil adeò fæminæ acerbum, quod non ſoletur connubium, n.109 p.599

Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentium audaciam, & procacium inſolentiam. n.114. p.600

Integrum tunc reſplendet virginitatis elogium cum cæleſte ſortitur etiam ſuffragium, num.118. p.602

Solùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari, n.122. p.603

Optimus ſuperior culpa iam punitâ non ſatagit affligere, ſed ſolari, n.12‑.p.605

Renuntiare aliquando commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis, eſt non ſolùm virtutis lucrum, ſed felicitatis augmentum, n.1‹‹ p.606

Peccator ea ſtupiditate tenetur, vt cum non ignoret periculum, non curat ſolicitare remedium, n.135.p.608

Prudentis eſt calamitatem patienter ferre, & propriis culpis adſcribere, n.139.p.609

Facile impletur obedientia nobis iucunda, non adeò facile amara, n.143.p.611

A Deo pro ſalute proximorum delegati nullum laborem excuſant, vt prouiderent eorum ſaluti, n.148. p.613

Nonnulli inueniuntur de alienis generoſi, de propriis parci, n.152. p.614

Principes ſuperioreſque de omnium debent ſalute curaſſe, nec ſingularitatibus offendiſſe, n.156. p.616

Qui peccatis indulget, ſibi prouideat effugium: nam à tergo ſequitur detrimentum, n.160.p.617

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet, numer. 164 p.619

Grauius legibus aliquando periculum, quàm à violatore, à iudice, n.168 p.621

Reipublicæ vtilitati attenditur, dum coram Deo conſilium à Magnatibus capitur, n.172. p.622

Connubia, ſi degeneri affectu immunia, reſplendent felicitatibus fortunata, n.176.p. 24

Si iudex alicui parti inclinetur in eius commodum leges facillimè interpretatur, n.180.p.626

Sibi parentes imputent filiorum caſus, ſi laſciuire permittant, nec vtili auſteritate cuſtodiant, n.183 p.627

Mundialia connubia à lætitia ſolent incipere; ſed luctum non ſemel parere n 187. p.629

Honor nuptiarum fœcunditas, origo fœcunditatis eſt caſtitas, n. 191 p.630

Matronas dedecet puellarum luſibus ſe immiſcere, & propriis iuuentutis feſtiuitatibus ſe aſſociari n. 96 p.632

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum occaſiones, n.20.. p.634

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel perſuadere contigit prauitatem, n.206 p.636

Non ſemel in operando modus, aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram. n.211. p.637

Quæ exiguo ob crimen tempore dilapidata longo tempore & labore improbo indigebunt reſtitutu, n.215. p.639

CARMELITANI SCALZI
DI S. MARIA DELLA SCALA

INDEX

Digitized by Google

INDEX
AD SACRAS CONCIONES
de Tempore, & de Sanctis.

C. Caput denotat, eiuſque ordinem prior numerus, poſterior N. adiunctus, numerum marginalem. P. vero paginam deſignat.

Dominica Prima Aduentus.

Lucæ 21.

1. E*RVNT ſigna in ſole, &c.* Sol obſcuratur & tenebris contegitur, ſi poſſit hominem ad rationis lucem pertrahere; premere namque peccatorem calamitatibus, vt obſequatur legibus, eſt eximium beneficium; vt è contra durum ſupplicium proſperitatibus fortunare, cœcumque relinquere, c.15.n.95.p.31

2. *Sol obſcurabitur*, Solem Deus luce priuat, vt peccatori exprobrarit peccatum,& quamuis ad ſpeciem videatur iratus, re tamen inuenitur amicus; amicitiæ namque oſtendit affectum, qui vt debet, exprobat delinquenti peccatum, c.1 .n.18.pag. 7

3. *His autem fieri inſipientibus*, *&c.* Virtutibus exornatus, vel ruente mundi machina, inuenitur conſcientiæ ſoliditate ſecurus: è contra qui voluptatibus indulſit, vrgetur trepidus; peccator namque, neſcit quieſcere, ſi appetitus legem ſequutus; ſed cirumvoluitur variis vorticibus agitatus, c.15.n.27.p.11

4. *Et luna, & ſtellis.* Non ſolum in ſole, ſed in luna & ſtellis etiam ſigna timorem incutiunt; ne homo ad noctis patrocinium recurreret, & timoris cauſas ſopire tentarit: Adlaborant namque homines, timoris cauſas ſopire non adnituntur depellere, c.15.n.70.p.24

5. *Areſcentibus hominibus, &c.* Vndique Anguſtiis preſſus ingemiſcit peccator, timore angitur, appetitu allicitur: & quo ſe verterit, neſcit. In eas te coniicit peccator anguſtias, vt ambiguus ab vtraque parte cogatur inextricabiles ſuſtinere miſerias, c.15. n.138. p.44

6. *Areſcentibus hominibus*, *&c.* Modo duriſſimis diſcrutiantur laboribus, qui deluſoriis antea ineſcabantur ſpebus? & enim vitio proprium, Vanis allicere ſpebus, & veris diſcruciare doloribus, c.15. n. 145. pagina 46

7. *Reſpicite & leuate*, *&c.* Dum calamitas premit, oculi leuantur in cœlum, & à Domino procuratur auxilium; vtilem namque, Dei memoriam affert calamitas, periculoſam obliuionem proſperitas, c.15. n.154.p.49

8. *Reſpicite & leuate, &c.* Ad montium latebras,& ad cauernarum tenebras, alio Euangeliſta teſtante, peccatores confugient; cum debuiſſent oculos ad cœlum illacrimantes leuare;ea namque laboramus amentia, vt ibi quæramus effugia, vnde grauiora promanare ſolitant detrimenta, c.15. n.185 p.58

9. *Leuate capita veſtra, &c.* Superuacaneum. Videri poſſit conſilium; Quis enim in tantis periculis conſtitutus, caput non leuet ad ſuperna; vt vnde ſibi negotietur auxilia; id tamen eſt peccatoris ingenium, vt ad temporalia polleat viuacius, & ad virtutem inueniatur hebetuis, c.15.n.205.p.65

10. *Leuate capita veſtra*, *&c.* Monet opportunum remedium, ſcilicet abolere peccatum, & tundere gemitibus cœlum: fugient tunc plures ad montes, ſed dum viget cauſa, non proderit fuga; parum namque prodeſt, ab aliquo loco fuga,ſi fugienti inhæſerit cauſa, c.15.n.208. p 66

11. *Tunc videbunt filium hominis*, *&c.* ſigna quæ in ſole & luna præcedunt, iram Iudicis venientis, deprædicant iuſtam, & condemnant peccatorum ignauiam: ſua culpa periit, qui admonitus dereliquit, & ſine querela index infert ſupplicium, ſi prius blandum adhibuit admonitionis delinimentum. c.15.n 213.p 68

12 *Erunt ſigna in ſole, &c.* Sol, lunaque quos vti Deos, homines venerabantur, arma in ipſos adoratores conuertunt, & quidem iuſte; namquæ à nobis imprudenter pota, iure in nos conuertere ſolent arma, cap. 15. n.232.p.74.

13. *Erunt ſigna,&c.* Sol horreſcit tenebris deturpatus, vt in eo, culpæ clarius appareat deformitas, & timorem hominibus perpetrata incutiat iniquitas; Culpæ namque deformitas ex iuſto ſupplicio coniicitur & in

pœnæ

pœnæ horrore videtur, c.15.n.236.p.76

14. *Et in terris preſſuragentium, &c.* Grauiſſimus erit homini dolor, non ſolum à luminaribus deſtitui, ſed ab hominibus etiam premi; plus namque doloris affert vexatio à propriis inducta, quam ab exteris procurata, c.15.n.265.p.85

15. *Leuate, &c.* Monet colligere accuratiſſimè tempus, nec differre vel tantillum oculos in cœlum leuare; debet namque inſtaurare feruidus, qui tempus profudit, paſſionibus impeditus, c.15.n.328.p.107

Dominica ſecunda Aduentus.

Matthæi 11.

1. *CVm audiſſet Ioannes, &c.* Ioannes circa futurum extenditur, & per diſcipulos à Domino ſuſcitatur; & namque ſapientis, non ſolum attendere præſentia, ſed præcauere futura. c.15.n.336.p.109

2. *Ioannes in vinculis, &c.* Viſa eſt Ioannis, delegandi ad Chriſtum diſcipulos, opportunior occaſio; dum Magiſtrum vident, non iam plauſibus celebratum, ſed compedibus irretitum: ſecundis namque rebus, facile turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi, c.15.n.347.p.114

3. *Cœpit Ieſus dicere ad turbas de Ioanne, &c.* Non diſtulit Chriſtus laudis præmium, dum Ioannes implet accuratè præcurſoris officium, edocens ſuperiorem, ne remunerare cunctetur, ſi à ſubiecto, laudabiliter munus peragitur, c.15.n.356.p.116

4. *Ioannes in vinculis, &c.* Herodes ab Herodiade perſuaſus, Ioannem vinculis alligauit; & qui libenter veritatem audiebat, mulieri impudicæ ceſſit; peccatum namque vigorem expectorat, & ne properantem ſalutis occaſionem rapiat, peccatorem quodammodo illigat, c.15.n.360.p.118

5. *Mittens duos de diſcipulis ſuis, &c.* Mirares incarcerato non refugiunt aſſiſtere, aquo iam nil videbantur poſſe expectare: cum, frequens ſit, obliuioni, ſi dependentia deſit, tradere quem antea conſtabat colere. c.15.n.384.p.126

6. *Duos de Diſcipulis, &c.* Timet Ioannes ne eius diſcipuli, nimio erga eum affectu delinquant, & Chriſto Domino præferant, ergo illos mittit, vt veritatem ediſcant: abſolui vinculis non curauit; & Diſcipulis conſuluit, vt nos doceat præ ipſa morte timendum eſſe, vitiis ſubiici & maculis ſordidari, c.15 n.393.p.129

7. *Ioannes in vinculis, &c.* Herodes, fratris vxorem rapuit, & ne Ioannes impuratos affectus, voce puriſſima præcideret illigauit: ad illicita inhians ſibi licita faſtidiuit; plures namque ad delicias inhiant vetitas & extraneas, faſtidiunt ſibi licitas & proprias, c.16 n.11.p.143.

8. *Ioannes in vinculis, &c.* Herodias Ioannem vinciri vinculis procurauit, vt Principis appetitui ſecurior indulgeret: Quæ debuiſſet rubore ſuffundi, inuenta eſt de Principis erga ſe amore, impudenter gloriari, & quidem ſunt quæ ſe iactent, ſi magnatibus proſtitutæ & à potentibus adamatæ, c.16. n.33.p.145

9. *Ioannes in vinculis, &c.* Herodes fratris vxorem rapuit, & naturæ legem tranſiluit; & quia reſidebat Ioannes vinculis irretiuit; ſic namque luxuria omnia infecit, vt pudoris & naturæ terminos tranſiluerit, c.16.n.38. pag.146

10. *Et reſpondens ait illis,* non ſolum ad interrogata reſpondit, ſed plurima ad commendationem Baptiſtæ addidit, & quidem ſi alius eſſet, virtutes ſilentio premeret, & ſi quæ obſcura ſtudioſè proderet; nonnulli namque plus, quam interrogantur, reſpondent, vt aliorum eulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam, c.15.n.245.p.78

11. *Ecce ego mitto Angelum, &c.* Angelus prædicatur Ioannes, & merito, vt qui Principis appetitui reſtiterit, & rationi obſecundarit; cum frequens ſit apud homines ſi potentia, ratioque altercentur adulari magnatibus, obſurdeſcere que rationibus, c.15. n.290. p 94

12. *Ioannes in vinculis, &c.* Adhuc in carcere, non deſiſtebat à prædicatione Baptiſta, imo gaudebat vinciri, vt propriis laboribus, proximis quiuerit auxiliari; Exultat namque Charitas, ſi propriis laboribus alienis obierit calamitatibus, c.15.n.303.p.98

13. *Ecce ego mitto Angelum meum, &c* Puritate Angelo ad inſtar emicat Ioannes, vt qui præparare viam Domino venerat, & ad inferendum bellum libidini vixerat; nam qui ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus, c. 15. n 363.p.119

14. *Ioannes in vinculis.* Vincula & ipſam mortem impauidis oculis adſpexit Baptiſta, ne minus audax laudabilis inueniretur puritatis amor, quam libidinis furor. Et quidem homines in obſcæni amoris argumentum affectant vrgens deſpexiſſe periculum, c.16. n.29.p 144.

15. *Ioannes in vinculis* In vincula coniecit Herodes Baptiſtam, vt liberiùs indulgeret libidini, ſed imprudens ſuæ fauit calamitati; quandoquidem ob Ioannis cædem à Deo & vita priuatus eſt, & corona; nam peccator dum ſibi videtur tutior, inuenitur calamitati proximior, c.16.n.181.p 191

16. *Ioannes in vinculis.* Vincula patitur Ioannes quia Herodem à vitiis retrahere ſatagebat, non ſic pateretur, ſi à virtute conaretur auertere. Ægrè ferunt homines vel tantiſper à criminibus retardari, facile tolerant à virtutibus inhiberi, c.17.n.15.p.237

17. *Ioannes in vinculis.* In vinculis iacet Baptiſta caſtitatis elogium, Herodes vanis adulationibus extollitur, cum libidinis ſit portentum. Diuites, magnateſque in omnia vitia impunè adſpicies prorumpere, & auri priuilegio illorum peccata diſſimulari, cap. 17. n. 9. p.239

18. *Ioannes in vinculis.* Herodes libidinis vernula, ne Ioannis linguam temperantiæ fulgoribus coruſcantem audiret, vinculis preſſit ab vno ſcelere præcipitatus in aliud; nam raro ſolitarium eſt vitium, quia ſecum trahit pernicioſas appendices, conſequentiaſque peſtilentes, c. 7.n.100

Dominica

Index

Dominica Tertia Aduentus.

Ioannis 5.

1. *Miſerunt Iudæi, &c.*
Putares legatos miſſos ob virtutis, veritatiſque noſcendæ deſiderium, mittebantur tamen ob faſtus, & vanitatis ſtudium; obſequia namque rarius à virtute, & obligatione videas exorta, quam ab appetitu, aut propria vtilitate profecta, c.15.num.23. pag. 9

2. *Miſerunt Iudæi, &c.*
Iudæi aſpernabantur Chriſtum, vti fabri filium deſiderabant Ioannem radice illuſtri, ac Sacerdotali exortum: ergo vanitati ſuæ conſiſtentes legationem inſtituunt; neque enim poterant quieſcere, dum conſtabat appetitus & vanitatis legem ſectari: conſiſtere nequit appetitus, & vanitatis legem ſecutus; ſed circumvoluitur variis ſemper verticibus agitatus, c.15 .n.27.p.11

3. *Miſerunt Iudæi, &c.*
Ad Ioannem Sacerdotis filium tendunt Sacerdotes, & quamuis conſtaret Ioanni non conuenire, quæ à Prophetis de Maria fuerant prænunciata apertis oculis ſecutiebant, & Sacerdotalis generis gloriam anhelabant. Profectò qui carnis, appetituſque gerit negotium grande luci, prudentiæque oppoſuit impedimentum, c.15 n.104 p.33

4. *Tu quis es?*
Non ignorabant, ſed tumoris cauſam agebant: Ioannes pro veritate ſtetit, ſeque vocem clamantis eſſe apertè profeſſus eſt; Inſiſtebant tamen interrogare, ſe dum affectabant ſæpius interrogare, inueniebantur luci, & rationi reſiſtere. Profectò affectata probatur ignorantia, ſi inceptum errorem proſequatur notitia, c.15.n 164.p.52

5. *Tu quis es?*
Ioannes apud nonnullos habebatur Meſſias, pro Chriſto euidens veritas militabat, verùm ſcribæ, Sacerdoteſque reſpuebant veritatem, & ſequebantur opinionem; vanus namque eſt, qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & deliciis patrocinantem, c.15.n.150.p.48

6. *Tu qui es?*
In Meſſiam extollere promittebant, & eximij honoris ſpebus Ioannem pulſabant; ſtetit ille pro veritate, vt qui bene nouerat ſpes in dolores deſituras; nam vitium falſis ineſcat ſpebus diſcruciat veris doloribus, c.15. n.145.p.46

7. *Et Confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.*
Ad interrogata modeſtè reſpondit, nec Sacerdotum vanitatem, & ſuperbiam euulganit: Si alius eſſet aliter reſpondiſſet; quandoquidem plures pluſquam interrogantur, reſpondent, vt aliorum euulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam, c.15.n.245. pag. 78

8. *Tu quis es?*
Religionis cauſam videbantur agere, proprio tamen honori, & vtilitati conſulebant, dum congenerem adnitebantur extollere; Inuenias namque plures virtutis cauſam agentes, non legitimo zelo inflammatos; ſed propria indignatione, aut vtilitate commotos, c.15.n.252.p.81

9. *Tu quis es?*
Deitatis honorem offerunt, & Ioannis humilitatem obſcurare contendunt: & quando exiſtimas grauius Ioanni periculum imminere, dum ab Herode vinculis conſtringitur, aut dum à propriis falſiſſimis ſpebus pulſatur? Certè grauius homini aliquando à cognatis ſtruitur periculum, quam ab ipſis dæmonibus promanarit detrimentum, c.15. n.272 p.87

10. *Miſerunt Iudæi, &c.*
Sacerdotes, vtpote Baptiſtæ cognati erga eum amorem mentiebantur ad dignitatis faſtigium euehere contendentes; Odio tamen in Chriſtum adulabantur, & ipſi Ioanni pericula moliebantur; eſt namque ſæpe amor erga cognatos falſatus: illis videtur ad ſpeciem conſulere, ſed ſibi re vera probatur attendere, c.15 n.308.p.110

11. *Confeſſus eſt & non negauit*
Superuacaneum videatur illud, *& non negauit*, cum iam dixiſſet Euangeliſta: *Confeſſus eſt* Verùm cum oportuna Ioanni alliceret occaſio, ne quis de confeſſionis veritate imprudenter dubitaret, teſtimonium replicauit Euangeliſta, & quidem iure; Occaſio namque Circes ad inſtar ingenia mutat: qui ante certamen indubiam ſibi promittebat victoriam, in certamine indecoram oſtendit ignauiam, c.15.n.321 p.104

12. *Confeſſus eſt: Quia non ſum ego Chriſtus.*
Eximio, ſi vellet, honore frui poſſet Baptiſta, maluit tamen vti prudentiſſimus ſolide conſiſtere, quam ad tempus vanè ſurgere: Ad futura oculos extendit, ne præſentia luce priuarent; eſt enim ſapientis non ſolum attendiſſe præſentia, ſed præcauiſſe futura, c.15. n.336.p.109

13. *Non ſum*
Mira res: honore pulſatus non turgeſcet Baptiſta, & cum Meſſias habetur, nullatenus extollitur; è contra ſæpe ſæpius accidat; ſecundis namque rebus facile turgeſſimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi. c.15.n.347.p.114

14. *Ego vox clamantis in deſerto.*
Quam libera voce clamabat Ioannes, cum nullis vanitatis vinculis irretitus, nec ambitionis compedibus illigatus, vt nos doceat ad veram libertatem perueniri, ſi conſtet diuitias, & honores ſæculi proculcari. Ergo prudens poſt tergum ſæculi diuitias, & honores proiiciat, qui veram conſequi libertatem anhelat. c.16.n.94.p.164

15. *Miſerunt Iudæi ab Hyeroſolimis, &c.*
Medius degit Chriſtus, nec quæritur, ad Ioannem, iter non ſine ſumptu celerrime arripitur; ad exercendam virtutem laborarent inopia, ad mendacium ſectandum non defuit illis pecunia; ſæpe ſæpius nam que exercendis vitiis exundat pecunia, ad virtutes exercendas premit inopia, cap.17. n.9. p.236

16. *Tu quis es?*
Suas promittunt operas, ſi velit Ioannes diuinitatem ſubripere, ad idque laborem nullum excuſant; ineſt namque hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi,

Digitized by Google

& contra virtutem ſuas operas afferendi, c.17.n.83. p.257

17. *Tu quis es?*
Ad dignitatem ſatagebant extollere, vt oblata ope pecuniæ ad inſtar ſeruum ſibi poſſent adquirere; & quidem id eis conſuetudo perſuadebat, quandoquidem, qui alterius ope ad dignitatem euectus, ad eius etiam arbitrium inuenitur conformatus, c.17.n.88.p.259

18. *Sacerdos, & Leuitas.*
Qui Sacerdotali dignitate, & Leuitico ſplendore corruſcabant plus cæteris contra virtutem, & veritatem audebant; Sæpe namque cœleſti dignatione cæteris antelati, præ cæteris etiam ſceleribus inueniuntur infecti, c.17.n.103.p.264

19. *Ego vox, &c.*
Ioannes libera voce ſcribarum, Phariſæorumque vitia carpebat: Ergo dignitatem offerunt, vt elinguem reddant. & quidem ſi Ioannes deturparetur ambitionis vitio cogeretur ſigillare labia ſilentio: nequit ſuperior ſubiectorum corrigere errorem, ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem, cap.17.n.119. pag. 268

Dominica Quarta Aduentus.

Lucæ 3.

1. *FActum eſt Verbum Domini, &c.*
Verbum Domini factum non refertur ſuper Pilatum, & Herodem dignitatis culminibus eminentes, ſed ſuper Ioannem in deſerto. Quam quietè in deſerto degebat Ioannes, quam ambitionis vorticibus raptabatur Herodes, ſolum qui accedit ad Deum nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari, c. 21. n.122 p.663

2. *Et venit in omnem regionem Iordanis.*
Citiſſime paruit Ioannes diuinis iuſſis: Verbum fiebat, & vox ſine mora reſonabat, non retardabatur Ioannes Principum odio, mortiſue periculo; aliter nobis accidit, nam ea facilè impletur obedientia, quæ nobis inuenitur iucunda, non adeò facile amara, c.21.n.143.p.611

3. *Et venit in omnem regionem.*
Nullum laborem recuſat Ioannes, ſi homines poſſit ad virtutes adducere. & à voluptatum faſcino auellere; nam à Deo pro ſalute proximorum delegati, nullum laborem refugiunt, immo exambiunt, c. 21. n.148. p.613

4. *Procurante Pontio Pilato, &c.*
Quam miſera ſordeſcebat reſpublica talibus ſubiecta Præſulibus, & quam exulabat ius, & ſi iuſtis armatum legibus. Ab ipſis iudicibus lex ſubſtinebat violentiam, & patiebatur iniuriam; Grauius namque aliquando imminet legi periculum, quam à violatore à Iudice, cap.21.n.168. p.621

5. *Tetrarcha Galilææ Herode.*
Quam infelix Reſpublica dum Herodes pro defendenda æquitate ad faſtigium dignitatis euectus variis criminibus obſcurabatur polluتus; Patitur aliquando virtus grauius; quam ab inimico à patrono detrimentum; Nam qui debuiſſet promouere virtutem, perſuadere contigit prauitatem, cap. 21. n.206.p.636

4. *Erunt praua indirecta, &c.*
Non fuit contentus praua extenuare, ſed conatus eſt prorſus depellere, non montes ſolùm flexit, ſed eorum ſuperbiam prorſus attriuit, quod neceſſarium fuit ad Dei ſalutare videndum, vt nouerit qui perfecta cupit coronare victoria, expurgenda penitus vitia, c.20.n.207.p.545

7. *Super Ioannem Zachariæ filium, &c.*
Deus, vel iratus miſericordiæ non inuenitur oblitus: Ergo Ioannem eo tempore delegauit, quo Reſpublica iniquis Iudicibus gubernata, & luxit, & Sorduit: Egebat grandi ſolatio: ergo aduentauit Ioannes, qui poſſet eſſe ſubſidio; Magna namque felicitas eſt Sacerdotem ſortiri virtutibus exornatum, quia tunc calamitas delinitur remedio, & minuitur labor ſolatio, c. 20. n.166.p.531

8. *Procurante Pontio Pilato, &c.*
Pilatus, Herodeſque dignitatis luminibus reſplendebant; ſed in vitia, ſceleraque nullatenus militabant: Ergo opus fuit Ioannem aduentare, & vitiis bellum inferre Credes mihi: plures cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, recuſant tamen vigilias, & labores ſubire, c.20.n.118.p.515

9. *Et venit in omnem regionem. &c.*
Vitam contempſit, vt in vitia Ioannes pugnaret, & quæ alia prædicationis merces, niſi catena, & carceris ignominia? Diſcat à Ioanne, qui alienos corrigere molitur defectus, contra duros armari adſultus; eſt namque neceſſe frequentes ſuſtinere adſultus, qui in alienos militarit defectus, c.20 n.93. p.507.

10. *Tetrarcha autem Galilææ Herode.*
Herodes vti iudex aliena errata mulctabat, propria ſcelera cæcis oculis præteribat, vt correctio, & diſſimulatio eius iniquitatem augerent. Quandoquidem iniquum eſt in aliena errata acriter ſcandeſcere, & propria cæcis oculis præterire, cap.20. n. 62. p.497.& n.65. p.498

11. *Venit in omnem regionem Iordanis.*
A Deo delegatus Ioannes non recuſauit laborem, ſed licet ſub talibus principibus, nullum aut exiguum ſibi fructum prædicationis promitteret, aduentauit. Quo noueris laborem muneris non excuſare, & ſi exiguum laboris fructum ſperaueris, metere, c 19.n.223 p.460

12. *Venit in omnem regionem.*
Nullus ſibi vitij conſcius contra exundantia Reipublicæ ſcelera Baptiſta prædicauit intrepidus, aliter prædicaret, ni puritate niteret; neque auderet in vitia, ſi vitiorum admiſiſſet inquinamenta. Ille ſolus in vitia libera fronte procedit armatus, qui vitiis nullatenus ſordeſcit infectus, cap. 19. numero 200. pagina 451

13. *Parate viam Domini, &c.*
Dum rectas vias facere Baptiſta admonet, rectas non eſſe, & obiurgat, & manifeſtat, quam

quam iam properabat ſalus, & quam amor elucebat: Vt ſalutare Dei viderent peccatores Ioannes repræhendit, ſeque amicum ipſa repræhenſione probauit: Certè Deus amicitiæ oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, cap.15. n.18.p.23

14. *Sub Principibus Sacerdotum Anna & Caipha, &c.*
Sacerdotium vti venale iam ſordeſcebat, & è Domino rectè inſtitum nullo timore iam omnibus conſtabat violatum. Profectò eâ nonnulli peccant impudentia, ac ſi licerent delicta, c.15.n.75.p.25

15. *Procurante Pontio Pilato, &c*
Pilatus, Herodeſque dignitatum luminibus fulgurabant, & ſimul ſceleribus ſordeſcebant, grandius forte beneficium illis Deus conferret, ſi non dignitatibus lucerent conſpicui, ſed gemerent calamitatibus preſſi; calamitas namque peccandi occaſiones præcideret, & vexatio intellectum daret: Grande profectò beneficium eſt peccatorem aliquando calamitatibus premi; ſupplicium grande proſperitatibus fortunari, c.15.n.95 p.31

16. *Prædicans baptiſmum pœnitentiæ &c.*
Vitia reſecare aduentat Ioannes pœnitentiæ gladio, vt virtutum ſalus conſtet; concionatores namque ſunt vitiorum circumciſio nati corripiendo ſæculo, c.15. n. 98. pag. 62.

17. *Et venit in omnem regionem Iordanis &c*
Ne ſi quis peccatorum pœniteret, Baptiſmi pœnitentiæ differretur occaſio, Iordani approximauit Baptiſta, ne minus ſolers videretur pro vitiis extirpandis, quam mundialis grauitas pro virtutibus deterendis, c. 5. n.225.p.72

18. *Omnis mons, & collis humiliabitur, &c.*
In montis modum indurata intumeſcebat ſuperbia, verum & ſi videretur arduum montem humiliari, nihilominus promittit Ioannes cœleſtis gratiæ fauore in vias planas deducendum, vt noueris nulla cæca adeò peccatorum eſſe vincula, quæ gratiæ ope, aut diſſolui nequeant, aut rumpi. c.15.n.313.p. 01

19. *Et videbit omnis caro ſalutare Dei, &c.*
Dum mons humiliatur, dum vallis impletur ſalus aduentat, certè ſibi ipſis conſuluerunt, qui viam Domino præpararunt. Eo ipſo, quo vitia deſtruimus vitam nobis, & ſalutem comparamus, cap. 15. n 405. p.133

In Natiuitate Domini.

Ioannis 1.

1. *IN principio erat Verbum, &c.*
Verbum Diuinum, & ſi ſumma frueretur gloria ad amoris ſui in homines teſtimonium humana ſubiuit incommoda, ne minus puriſſimus auderet amor, quam obſcœni audet amoris furor; & quidem homines in amoris impurati elogium imprudenter affectat deſpexiſſe periculum, c.16 n.29.p.144

2. *Et Verbum caro factum eſt, &c.*
Eas vires peccator contra ſe Dæmoni addiderat, vt opus fuerit diuino Verbo, carne obarmatum in campum prodire, & cum hoſte congredi. O ſi tenebras excuterent peccatores, noſcerentque non tam proſtari miſerabiliter à virulentiſſimo hoſte, quam à perpetrato ſcelere. Certè peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit, c.16.n.42.p.148

3. *Et Verbum caro factum eſt, &c.*
Non reſpuit diuinum Verbum carnem induere, & inter homines habitare; ea amoris adurgebatur flamma, vt nulla retardaretur moleſtia, amori namque nil ponderoſum nil inuenitur moleſtum, c.16.n.55.p.152

4. *Et habitauit in nobis, &c.*
Certè in nobis habitauit Verbum diuitias ſpernens, & humilitatem colens vt amiſſam recuperaret hominibus libertatem, doceretque opus eſſe libertatem conſequi deſideranti diuitias ſpernere, & mundialia omnia generosè deſpicere; poſt tergum ſæculi diuitias, & honores proiiciat, qui veram conſequi libertatem anhelat, c.16.n 94.p.164

5. *Et ſui eum non receperunt, &c.*
Videbatur à ſuis puerulus pulchritudinis elogium, & venuſtatis exemplum hilariter excipiendus, & præſepi reclinatur, quia in diuerſorio locus non conceditur; vt hoc exemplo noueris quam parum fidendum ſit creaturis. Hoc pro comperto habe; quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, c.16. n. 11 p.201

6. *Et habitauit in nobis &c.*
In nobis habitauit, ſed pannis pauperrimis in volutus, & præſepio viliſſimo reclinatus; O quantis tunc egebat Chriſtus, cum exundaret plurimis mundus, verum nunquam ad virtutes ſupereſt pecunia, nec ad exercenda vitia premit inopia, c.17.n.9.p.:36

7. *Et habitauit in nobis &c.*
Certè inter nos deguit recenter natus, ſed ni Angelus paſtores moneret, & Magos ſtella duceret, nil ad vitæ ſubſidium pulcherrimo puero impenderetur. Neſcio quo errore tenentur homines, lucrum reputant quidquid voluptati impenſum, cum diſpendium exiſtiment quidquid virtutibus dilargitum, c.17.n.22.p.240

8. *Et Verbum caro factum eſt, &c.*
Pauper reclinatur præſepio Chriſtus, vt eius inopia nos ditemur, nam quod pauperi. Chriſto præbes, ingenti lucro recipies; Verum ea mortales obſcurantur amentia, vt reſpuant lucrum, emantque ingenti pretio mendatium; Itaque non ſemel grandi pretio mendacium emitur, & pro laborum mercede figmentum inuenitur, c.17.n.125. pag 270

9. *Et lux in tenebris lucet, &c.*
Vel præſepi hoſpitium luce candidiſſima perſoluit, & confuſas mundi tenebras depulit. Sic aduentauit, vt exiguo obſequio alliciatur ad munificentiam, & magnis prouocatus offenſis, vti paruulus neſciat iram, c.17.n.213.p.298

10. *Et lux in tenebris lucet, &c.*
Dum pauper quid à nobis accipit, lux perſoluit, & quidem lux greſſum dirigit, & periculum arcet: ergo quidquid pauperi.

Digitized by Google

Chriſto tribuis, tibi ipſi impendes ; Nam iuſtis, pauperibuſque benefacere eſt, ſibi lucrum acquirere, cap. 17. numer. 234. p. 303

11. *Et habitauit in nobis, &c.*
Paupertas, inopia, labor, & dolor nil Chriſto Domino videbantur, vt homines lucraretur ; nobis econtra accidit ; grauis labor pro caducis videtur exiguus, exiguus pro æternis recuſatur vti grauiſſimus, c.18 n.38. p.322

12. *Et verbum caro factum eſt, &c.*
Præſepi reclinatur, viliſſimis pannis contegitur, & tamen lux ſuo ſplendore ſe ſignat, nec paupertatem tenebris celat. Non admiſit ſordidam diuitiarum facultatem, nec honeſtam erubuit pauperiem. Nos laudabilem erubeſcimus pauperiem, & ſordidam diuitiarum exambimus facultatem, c.18.n.70.p.331

13. *Et lux in tenebris lucet, &c.*
Tenebræ recuſarunt lucis candidiſſimæ fulgoribus illuſtrari, ambiebant horroribus adaugeri, opportunam occaſionem, exercendæ virtutis, deſpexerunt fugitiuam voluptatis ſtudioſè reperent ; Neque enim ſuſtinent homines errandi occaſionem elabi, cum virtutis ferant patienter amitti. cap. 18. n.154.p.356

14. *Et habitauit in nobis, &c.*
Pauper degit, & humili loco decumbit, verum qui non inuenit locum in diuerſorio excelſo throno micat in cœlo ; econtra iniuſtis ſolet accidere : in morte arctantur, dum viuunt, proſpera fortuna vtuntur ; itaque iuſtus dum viuit, premitur : iniquus dum expirat, arctatur, cap. 18. num.217. p. 375

15. *Et ſui eum non receperunt, &c.*
Se fideliſſimos, obſequentiſſimoſque fore ſæpius ſpoponderant homines, ſi Meſſias aduentaret : modò non recipiunt quem certis clamoribus, vt veniret prouocabant ; quam frequens eſt fidem ob crimen oppigneratam inuiolatam ſeruari, & ob virtutem oppigneratam eludi, cap. 18, num.138. p. 381

16. *Et habitauit in nobis, &c.*
In nobis habitauit egens, & pauper : reculis paſtores puerum honorarunt, Magnificis muneribus non ditauerunt ; & quidem quod paſtoribus accidit facultatis defectu, plurimis contingit, etſi cenſu vtantur ampliſſimo. Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur ; virtus ſine pompa colitur, c. 18. n. 243. p.385

17 *Et ſui eum non receperunt, &c.*
Cum lux tenebras depelleret, & horrores propulſaret, in Principem, ſuperioremque recipere renuerunt ; Amant namque homines ſuperiorem, qui delicta non carpat, ſed ori manum imponat, c.18 n.256. p.387.

In Circumciſione Domini.

Lucæ 2.

1. POſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.
Sua Deus circumciſione hominum peccata depulit, & Ieſu nomen obtinuit, vt doceret ſuperiores, non in hominem, ſed in peccatum armari, & proprio dolore mederi ; Nam bonus ſuperior pluſquam delinquentem punire curabit, peccatum tollere, c.19 n.53. p.511

2. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.*
Breui temporis interuallo ad eximij nominis gloriam peruenit, exiguo namque tempore poteſt homo ad perfectionis apicem peruolare ; E contra vero contingit exiguo namque tempore ad prauitatis culmem peruenitur, ad virtutis tardius acceditur, c.19.n.29 p.402

3. *Poſtquam conſummati ſunt dies, &c.*
Puer circumciditur, & ſalus Reipublicæ procuratur ; Circumcidi voluit Dominus, & Ieſus (hoc eſt) ſalus, & populi Saluator appellatus eſt, vt nos doceat, quo ſtudio pueruli ſint extruendi. Certe populi eſt ſalus, diligens in pueris inſtruendis ſolertia, vt pernicies ignauia, c. 19. n.181. p. 448

4. *Poſtquam conſummati ſunt, &c.*
Circumciſus puer Saluatoris nomen ſibi adaptat, & quamuis nullis inquinaretur defectibus dignitatis nomen diſtulit, quoVſque legi paruit circumciſus, & honeſtæ conſuetudini conformatus ; & quidem vt libera fronte in vitia ſuperior pugnauerit, debet legibus obedire, vitiiſque circumciſis nitere, c.19.n.200.p.453

5. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Qui circumciſionem tacuit, nomen expreſſit ; Quod ſi rationem inquiras, ea mihi ſe offert. (Scilicet) circumciſionem ex ſe ignominiam afferre, & nomen gloriam futuris ſæculis prædicare : ergo in gloria, & ſi premantur ſilentio omnium memoria fixa permanebunt,glorioſa vero, ni exprimantur, auolabunt. Profecto aliorum in gloria animo permanent fixa, cum glorioſa auolare ſoleant obliuione deleta. c. 19. n.219. p.459

6. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Dolorem circumciſionis non reſpuit, & glorioſum nomen obtinuit : dignitatis reſplenduit luce ; ſed circumciſionis preſſus dolore ; Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis aſcendere, labores tamen dignitati annexos nolunt ſubire, cap.20 n.118. p. 515

7. *Poſtquam impleti ſunt dies octo, &c.*
Cum nulla Chriſtum Dominum obſcurare potuerit culpa, nulla erat circumciſionis cauſa ; Voluit tamen dolorem ſine cauſa ſubire, & ad noſtram eruditionem legibus obtemperare. Bonarum certè mentium eſt à culpis prorſus abſtinere, ſeque ac ſi deliquerint caſtigare, cap.20. n..48. p.525

Digitized by Google

8. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Cum legis obedientia nominis refertur gloria; Certè qui Deo obtemperauit, felicitatem ſibi ſtabiliuit; Deo namque parere vera eſt libertas, imo, & inconcuſſa felicitas, c.20.n.171.p.533
9. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Sanguinem fudit, vitam contempſit, vt glorioſum nomen acquireret, ſanguine emit nomen omnibus ſalutare; Et quidem ſi homo tantum eſſet parere legibus ſtudioſè adeò non curaret; Homines namque pro caduca vita, & volatica felicitate amplectuntur patienter dura, pro virtute ſubſtinere renuunt exigua, cap.20. n.118.p.550
10. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Nomen expreſſit Euangeliſta, vt ad eius inuocationem, vti ad ſalutis confugiamus aſylum; Huius namque nominis inuocatio præſentaneum eſt calamitatis remedium; Certe Dei nominis inuocatio eſt felicitatis illicium, & aduerſitatis naufragium, c.21.n.19.p.570
11 *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.*
Legi paruit, qui nulla tenebatur lege; Paſſus eſt quod cæteri puruli patiebantur, & licet eximia poſſet ſingularitate fulgere, maluit cæteris aſſimilari, vt nos doceat in rebus honeſtis periculoſum, odioſumque eſſe à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe, cap.21. n.69. p.584
12. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Illuſtri nomine decoratur, dum circumciſione legibus paret; & contra vitium inſurgit, vt nos erudiat glorioſa nomina de legum obſeruantia procudi, & de virtute exoriri. Certe qui deprælìari refugit contra vitia, obſcurauit nobilitatis ſtemmata, & obliterauit auita nomina, cap 21.n 73. p.585
13. *Vocatum eſt nomen eius Ieſus, &c.*
Nomen de virtute reſplenduit, & paupertate etiam premente luxit, quod apud ſæculum nullatenus vſitatum. Profectò nomina, non tam de virtute, aut maiorum nobilitate, quam de diuitiarum exoriuntur ſplendore, c.21.n 89.p.591
14 *Vocatum eſt nomen eius Ieſus &c.*
Propriis renuntiauit commodis, vt legis pareret iuſſis, ob idque cæleſti ac decantando ſæculis nomine decoratur; Nam renunciare aliquando commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis, eſt non ſolum virtutis lucrum, ſed honoris, & felicitatis augmentum, c.21. n.131.p.606
15. *Poſtquam conſummati ſunt, &c.*
Legem impleuerunt parentes, & ab exordio puerum circumciſione nobilitarunt: Ergo ad noſtram eruditionem parentum fuit gloria, à parentibus circumciſus, vt nouerint parentes ab incunabulis filios virtutibus informare, ſi velint ſuam, filiorumque felicitatem ſtabilire. Sibi parentes filiorum imputent caſus, ſi laſciuire permittant, nec vtili auſteritate cuſtodiant, cap.21 num.183. p.627.
16. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.*
Qui Magiſter aduentauit virtutis, propriæ carnis circumciſione culpam hominum circumcidit: infelicitatis aggreſſus eſt cauſas expungere, non ſopire; è contra ſic peccatores ſecutiunt, vt adnitantur infelicitatis cauſas ſopire, nec procurarint delere, c.15 n.70.p.24
17. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.*
Serpens diuinitatem homini promiſit, & omni dolore expuncto felicitandum ſuaſit, verum vel ipſe Chriſtus circumciſionis ſubit dolorem, quo virulentiſſimi ſerpentis nobis oſtenderit falcitatem. Certe vitium falſisineſcat ſpebus, diſcruciat veris doloribus, c.15.n 145.p 46
18. *Poſtquam conſummati ſunt dies octo, &c.*
Circumciſionem tulit, qui peccatum non fecit. Puerulus alienæ culpæ paſſus eſt pœnam, vt te edoceat propriam aduerſari culpam, ſi vis culpæ deformitatem agnoſcere, circumciſionis dolorem conſidera; culpæ namque deformitas ex iuſto ſupplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur, c.15 n.136. p.76

In Epiphania Domini.

Matthæi 2.

1. *Ecce Magi ab Oriente, &c.*
Mira res; ſtella ducuntur Magi, vt adorauerint Chriſtum, qui ſtellarum luce obcæcaſti adorauere figmentum; Mirum dixi ſtellæ luminibus duci ad debitum Chriſto impendendum obſequium, qui luminibus ſtellarum pendere ſuadebantur errori officium. Nam ſæpe ſæpius Deus noſtram non allicit voluntatem eis rebus, quibus creaturæ indebitum lucrantur honorem, c.15. n.49 p 17
2. *Vidimus ſtellam eius, &c.*
Stellas adorando Magi dereliquerant, & tamen Chriſtus ſtella vocat ad gratiam, & amicitiam; Amor namque non ſolum obliuiſcitur offenſam; ſed offendentis etiam ſolicitat gratiam, cap.15. num.53. pag 18
3. *Vidimus ſtellam eius, &c.*
Grandius miraculum putat Chryſologus Magum errorem ſuum agnouiſſe quam ſtellam ſplendoribus in ſolitis fulguraſſe; Mirum fuit non adhæſiſſe priſtinis erroribus, vel in formatis luminibus; Nam vanitas pertinax defendit à ſe commiſſum errorem, quamtumuis agnouerit veritatem, c.15.n.61.p.21
4. *Tunc Herodes Rex turbatus eſt, &c.*
Turbatur, quia timet Regem aduentantem, non timeret ſi puerum adorare vellet vagientem: ſic conturbatur vt Regem timeat, & tamen puerum vocat, timorem vt ſopiat. Certè peccatores non curant timoris cauſas auferre, ſed adlaborant ſopire, c.15. n.70. p.24
5. *Vt ego veniens, &c.*
Suſpirabat cædem, & fraudulentus promittebat adorationem, vt timorem depelleret, timoris cauſas nitebatur incrementare; eà namque eſt peccatoris amentia,

Digitized by Google

amentia, vt nouas timoris cauſas inueniatur incrementare, dum timoris cauſas geſtit depellere, c.15.n.91.p.30

6. *Vidimus, & venimus, &c.*
Errorem detrectarunt ſtatim, ac agnouerunt; Nonnulli, vel cum ſe ingerit veritatis notitia, malunt obcæcari affectata ignorantia; Neque enim poteſt non eſſe affectata ignorantia, quando inceptum errorem proſequitur erroris notitia, cap.15.num.164. pag.52

7. *Diligenter didicit ab eis, &c.*
Herodes, vt fraudem poſſit implere, ſtellæ tempus ſolicite aggreditur ſcrutari, Magos notaſſe tempus expreſſe non refertur; & quare? Forſitan, quia Herodes temporale ſibi ſtabilire exambiebat Regnum, & Mago ſtella Chriſto impendere perſuadebat officium. Profecto ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius, c 15 n.205.p.65

8. *Reſponſo accepto in ſomnis, &c.*
Dei monitu Herodis fraudes eluſerunt, & pericula declinarunt; & quo alio ſpiritu idololatriæ rupiſſent vincula, & Herodis conſilia eluderent fraudulenta? Certè à cœleſti ſpiritu venit vitiorum vincula rumpere, & victoriam de hoſtibus reportare, cap.15. n.324.p.105

9. *Vidimus, & venimus, &c.*
Statim ac depulerunt tenebras, velociter arripuerunt vias, vt inſtaurarent exprompti, quod paſſionibus tempus impenderant obſcurati. Qui aliquando tempus triuit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidus, cap.15. num.318. pag.107

10. *Vt & ego veniens, &c.*
Moras traxit ſtultè confiſus ſed poſtea ingemuit ſpebus iuſtè fruſtratus: non gemeret, ſi adorandi occaſionem raperet; Mihi crede; dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus ſolet dolere fruſtrata, cap.16. n.73. p.157

11. *Vidimus, & venimus, &c.*
Quam cæleſtis benignitas Magis lucem concedebat, eam Magus quærendo Chriſto adaptabat; vt vidit ſtellam, arripuit viam. Profecto plures acceptam à numine ſcientiam in ſui, & numinis conuerterunt iniuriam, c.16.n.247.p.180

12. *Et omnis Hyeroſolyma, &c.*
Turbato Herode etiam Populus turbabatur, eamdem induit faciem, quia eamdem forſitam induerat, & mentem. Populus namque Principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur, c. 16. n.249.p.213

13. *Vt & ego veniens, &c.*
Promittebat adorare, ſed conabatur occidere, ipſius ſanguine Redemptoris ſtabilire conabatur dignitatem, & adaugere ſplendorem, & vtinam ſolus fuiſſet Herodes, verum ſunt plures, qui deteſtandis emant criminibus refulgere, ſibique indebitis dignitatibus emicare, c.17. n.151. p.277

14. *Vidimus, & venimus, &c.*
Laborioſa itinera non detrectarunt, vt inſeruirent virtuti, longiſſimis diſtabant ſpatiis, non dubitabant defatigandos fore laboribus, ſed illis pro virtute dulcis fuit labor. Nobis grauis labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro æternis habetur Magnus, c.18.n.38.p.322

15. *Et Congregans omnes Principes Sacerdotis, &c.*
Eruditos Sacerdotes, ſcientia conſpicuos interrogauit, ſicque vbi Chriſtus naſceretur, (quod dubitabat) audiuit: & quidem ni Sacerdos efflorеat ſcientia, interrogantibus opportuna reddere, nequibit reſponſa, capite 18. numero 98. pag. 339

16. *Vt & ego veniens, &c.*
Adorandi occaſionem ſpreuit monitus Occidendi pueros occaſionem non prætermiſit illuſus; alij profecto videntur homines in criminibus ſectandis, & virtutibus excolendis: Criminis occaſionem non patiuntur elabi, virtutis occaſionem patienter ferunt amitti, cap.18. num.154. p. 356

17. *Et apertis theſauris ſuis, &c.*
Theſauros audis in Dei obſequium apertos, & indigenti Chriſto conſecratos, quod miraculi ad inſtar eſt, cum frequenter ad virtutes excercendas, eleemoſynaſque rogandas laboremus inopia, ad ſectandas vero voluptatis occaſiones diteſcamus auri abundantia. Nunquam deeſt vitiis excercendis pecunia ad ſubueniendum pauperi premit inopia, cap.17.n.9. p. 236

18. *Apertis theſauris. &c.*
Modo referuntur Magi theſauris diuites, quia modo theſauros Chriſto offerunt miſericordiæ. Parum eſt tibi ſplendere, niſi coneris indigentibus ſubenire, cap. 18. n.61. p. 319

Dominica infra octauam Epiphaniæ.

Lucæ 2.

1. *Remanſit Puer Ieſus, &c.*
Non caſu remanſit, ſed ſtudioſe à Parentum oculis ſe ſubduxit; O quoties adſcribimus cæcæ fortunæ quod adſcribendum eſſet inoculatiſſimæ prouidentiæ. Quod à cæca quærimur prouenire fortuna, promanare non dubites à cæleſti prouidentia. cap. 15. numero 229. pagina 75

2. *Dolentes quærebamus te, &c.*
Inuenit dolor amiſſum, neque enim diſtare poterat à numine ob numinis abſentiam luctus: Mihi crede: Citò recuperabit Lachrymis, ſi Deum expuliſti delictis, ſibi inuidet qui à Deo remotus non luget; Nam calamitas quam inuexit delictum, depellit, doloris eſt pœnitentiæ lamentum, cap.15. numero 343. pag. 112

3. *Quærebant eum inter cognatos &c.*
Nulli labori parcunt, vt amiſſum inueniant,

niant, vias iterant, Ieruſalem redeunt, adeunt notos, ſciſcitantur cognatos, nullum laborem recuſant, amori namque nil arduum, & pondus nullum moleſtum, c. 16. n.55. p 152

4. *Non inuenientes regreſſi ſunt,&c.*
Non ſpectarunt, vt Chriſtus adueniret, ſpectatione moras non traxerunt; ſed ſtatim, vt quærerent, inuolarunt: ergo diligens ſtudium inuenit, quod amor ſitienter deſiderauit. O ſi virginem, Ioſephumque imitareris, profectò Deum inuenires? Citò quærendus eſt Deus; Nam dum ignauia moras trahit ſtulte confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c.16.n.73.p.157

5. *Secundùm conſuetudinem diei feſti,&c.*
Ad feſtum concurrerant Religionis cauſa,& tamen à feſto materia promanauit doloris; quòd ſi iuſtis, ſanctiſſimiſque hoc accidit, quid putas peccatoribus continget ad ſpectacula vaniſſima, theatraque concurrentibus. Profectò Cithara eis in luctum vertetur: nam ibi innenire ſolitat peccator veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem, c.16.n.199.p.197

6. *Non inuenientes regreſſi ſunt in Hieruſalem, &c.*
Ad noſtram eruditionem Chriſtus Dominus ſe ſubduxit, & in templo manſit: Ergo modico interuallo. Maria, Ioſephque agnouerunt ſe tanto bono fraudatos, & nulla interpoſita mora ſtudioſiſſimè requiſiuerunt Infelicitas eſt, Deo carere, ſed felicitatis pars, vt requiras eius abſentiam agnoſcere. Miſerum profectò eſt, Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam, c.16.n.223.p.205

7. *Remanſit puer Ieſus.*
Parentes non receſſerunt à Ieſu, ſed Ieſus ſe ab illorum aſpectu ſubduxit: ideò citò inuenerunt, & ingenti gaudio lachrymas ob abſentiam compenſarunt. Si Deus à te recedat, ad virtutis exercitium anxietatem pro ſe ſuſtituet, & anxietas citiſſimè inueniet. At ſi tuo à Domino delinquendo diſceſſeris, cæcitatem incurres: Nam qui à Deo recedit, tenebras, & calamitatem incurrit, cap.16. n 237.p.209

8. *Dolentes quærebamus te,&c.*
Aberat Chriſtus, ſed remanſerat abſentiæ dolor: Aberat Chriſtus, ſed diſcruciabat præcordia eum recuperandi vrgentiſſimum deſiderium; ergo citò inuenerunt; vt noueris ſpem eſſe recuperationis,ſi virtus prorſus non expuncta, ſed aliqua ſcintilla ſeruata, c.16 n.240.p.210

9. *Cum factus eſſet Ieſus annorum duodecim, &c.*
Parentes Chriſtum tulerunt Hieroſolymam, dies namque tunc feſtus, & Religioſus vocabat. Non indigebat Chriſtus Dominus ad virtutem pædagogo, cùm eſſet diuinitatis theſaurus, & omnis perfectionis exemplum; voluit tamen à parentibus duci, vt ſic informarentur parentes, diſcerentque filios ſecum ducere ad Domini templa, & ad virtutum emporia; verum ô tempora, ô mores! Filij non ſemel à parentibus prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur, c.17.n.65.p.252.

10. *Audientem illos,& interrogantem, &c,*
Patris ſapientia ſapientiæ lux candidiſſima humilitatis nube contegitur, auditque, & interrogat, qui Magiſter hominum aduentarat. Quid tunc, dum ſplendet ſapientiſſimus, & humilitati ſtudet modeſtus, omnium in ſe animæ conuertit, gratiam que conciliauit. *Stupebant omnes,&c* Mihi crede humilitas eſt ars dignitatem adangendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, c.17. n 194 p.290

11. *Videntes admirati ſunt.*
Mirabantur, quia neſciebant Deum, & videbant eximiè de virtutibus diſſerentem puerum. Non eſſet admirationis materia, ſi puerum alium de vitiis, voluptatibuſque audiuiſſent tractantem. Certè homines ab incunabulis vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur inerudití, c.17.n.210. p.294

12. *Requirebant eum inter cognatos, & notos.*
Nulla Maria, Ioſephuſque denigrati ſunt negligentia; verum quia ad ſpeciem in Ieſum ſecum afferendo minus ſolertes extiterant, ſomnum non capiunt, quieſcere non poſſunt, ſed euntes, redeunteſque quærunt; ſicque laudabili compenſant diligentia quod amiſerant, non vera, ſed aliquali ad ſpeciem ignauia, vt noueris, negligentiam non ſolùm eſſe egregiis facinoribus deterendam,ſed eximiis virtutibus compenſandam, c.18.n.21.p.318

13. *Dolentes quærebamus te, &c.*
Quàm ſe parentes omnibus virtutibus oſtendebant ornatos dum fatentur ſtatim quæſiniſſe abſentem, dolore vrgentiſſimo ictas. Certè peccatores, ne Chriſtum quærant, vanis ſe ſpebus illudunt, & fore opportunas occaſiones quærendi confingunt. Non rarò videbis, peccatores calamitatibus diuexari, ſibique, ne ab errore reſiliant, vanis ſpebus blandiri, c.18.n.25.p.319

14. *Regreſſi ſunt in Hieruſalem, &c.*
Nulli labori parcunt, vt inuenerint Chriſtum. Non erat inſomnes noctes ponere laborioſum: Vias repetere non fuit arduum. Profectò nobis contrarium ſolet accidere: grauis labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro æternis videtur magnus, c.18. n.:8. p. 22.

15. *Neſciebatis quia in his quæ Patris,&c.*
A Patre delegatus pro hominum ſalute munus adimplere curabat, quin proprio retardaretur incommodo Ecce à parentibus diſiungitur, diuexatur ieiunio, aut viuit emendicatò, & tamen quæ vtilitatis communis erant, ſtudioſè peregit. Quam aliter nonnullis Reipublicæ miniſtris contingit, ſibi priùs conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt, c.18.n.49.p.325

16. *Remanſit, &c.*
Suis commodis cedit, & labori nulli parcit, quo omnium ſtuduerit ſaluti. Nam bonus Reipublicæ miniſter vt omnium prouideat vtilitati, nulli parcet labori, c.18. n.57. pag. 328

17. *In medio Doctorum, &c.*
Sacerdotes interrogabat, illoſque audiebat: ergo opus illis erat legis, ſcientiarumque luminibus emicare, vt poſſent interrogationibus ſatisfacere. Ni Sacerdos efflorcat ſcientia,

Digitized by Google

ſcientia interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa, c.18 n.98.p.339

18. *Remanſit puer Ieſus, &c.*
Ingentiſſimo dolore diſcruciabantur parentes, dum Chriſtus abeſt, nullamque quietem capiunt, ſed omnem inueniendi occaſionem arripiunt. Nos miſeri delicti occaſionem impatienter ſuſtinemus elabi, patienter ferimus virtutis occaſionem amitti, c. 18. n.154 p.356

19. *Dolentes quærebamus te, &c.*
Se miſeros reputabant parentes dum Chriſtus aberat, & ſi vterentur ſalute, nec indigerent ad alendam vitam facultate, vt noueris, ſi à Deo deſtituaris, parum intereſſe diuitiis exundare, ſalute frui, & faſtigio dignitatis lucere. Profectò Deo carens, quantumuis exundarit diuitiis, ſordet nudus, & comprobatur miſerrimus, c. 18. n.188. pag. 366

Dominica II poſt Epiphaniam.

Ioannis 2.

1. N*Uptiæ factæ ſunt.*
Felices nuptiæ, quas Chriſtus Dominus ſua nobilitauit præſentia, & fortunatus etiam præſens Maria. Certè infortunata eſſe ſolent matrimonia ob cupiditatem inita; felicia, ob virtutem procurata, c. 15. n.65. p 25

2. *Vocatus eſt autem Ieſus.*
Felix matrimonium, vbi Dominus inuenitur, & vbi ſponſi præſentia pudicitiæ vxoris patrocinatur, & vxor marito obſequitur. Non ſemel matrimonia, qua initio promiſerant gaudia, pepererunt lamenta; & ipſe ſponſus, dum diù abeſt, nec ſponſæ curam gerit, ſibi quæſiuit dolorem. Scito, ſponſi abſentiam fuiſſe ſæpè honori inimicam, & pudicitiæ vxoris aduerſam, c.15. n 5 p.20

3. *Nuptiæ factæ ſunt, &c.*
Felices nuptiæ, quas Chriſtus Dominus honorabat, & coniuges matrimonij leges edocebat, ne ſi vir parui æſtimarit, vxorem, errandi quodammodo videatur ei dediſſe facultatem. Si vxor, vt fas eſt, à marito diligatur, honoreturque, illæſam ſeruabit fidem: ſi deſpiciatur, aut ſuperciliosè tractetur, indignam vindictam ſumet, nec violare fidem timebit. Certè magna ei errandi occaſio præſtatur, ſi ſe deſpici vxor à marito arbitretur, c.15.n.169.p.53

4. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Vocatus Chriſtus, nuptias honorauit, & ad quæ coniuges tenerentur, edocuit. O ſi memoria retinerentur, quæ à coniugibus ſeruari oportet! Contingit aliquando virum iter agere, abſentemque degere, ſed tunc obſequiis curabit adeſſe ſicque vxoris pudicitiæ conſulet; nam vxoris pudicitiæ conſulit vir, ſi dum interuallo diſtantior, obſequiis, ac muneribus ſit præſentior, c.15. n.173.p.54

5. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Gaudet Chriſtus, & beneficiis honorat nuptias, dum coniuges à præſtita fide non recedunt. Adfuit his nuptiis Chriſtus, vt matrimonij patronus, & iniuriarum contra matrimonium vindex: Ergo ſibi caueat, qui ſponſam à præſtita fide ſeparat; nam grauiſſimum ſupplicium ſubibit, qui præſtitam viro fidem violare vxori ſuadet, c.15. n.177.p.56

6. *Vocatus eſt autem Ieſus.*
Aquam in vinum vertit humaniter inuitatus, & honorem ſibi acquiſiuit. *Et crediderunt, &c.* Illum tunc non lucraretur honorem, ni dignam oſtentaſſet gratitudinem. At dum inuitatus ingenti obſequium ſibi exhibitum compenſat beneficio, gratitudinem edocet, & quàm ſit lucroſum Chriſto Domino impendere officium oſtendit. Sibi inuidet, qui beneficio honeſtum gratitudinis tributum non pendit, cap. 15. n.367 p.121

7. *Vinum non habent.*
Horam nondum aduentaſſe reſpondit Chriſtus non Matrem deſpiciens, ſed oportere ab indigentibus rogari edocens, ita in Catena D. Thom. ergo rogari voluit, vt doceret, ſine orationis ſuffragio tardare calamitatis medelam, orationis verò auxilio obtineri medicinam, c.15. num.396. pag. 130

8. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Chriſtus ſua præſentia nuptias nobilitauit, & dum nobilitat, in auxilium caſtitatis factas oſtendit. Verum neſcio, an nonnulli matrimonium contraxerint, vt matrimonium faſtidierint, inueniuntur namque plures, qui delitias faſtidiant proprias, & licitas, inhiantes ſemper ad illicitas, & extraneas, c.16.n.21.p.143

9. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Cum ipſis nuptiis concurrit vini inopia, & ob inopiam anguſtia. Mariæ Virginis precibus vertit Chriſtus Dominus aquam in vinum, & depulit anxietatem miraculum, vt noueris, coniugium afferre ſecum tribulationes, & anxietates, c 16.n.98.p.166

10. *Vocatus eſt autem Ieſus.*
Ingenti inuitantium lucro Ieſus inuitatus eſt; nam ſi inuitatus non fuiſſet deficiente vino, coniuges afficerentur rubore, & conuiuæ priuarentur hilaritate. Aſt dum Chriſtus inuitatur, inopia pellitur: nam inſtis, ac pauperibus benefacere, eſt ingens ſibi lucrum acquirere, c 17.n.234 p.302

11. *Vocatus eſt autem Ieſus.*
Qui Deum ſecum habebant, & ſi vinum defecerit, felices fuerunt. Si Deo carerent, felices non eſſent, & ſi vinum exundaret. Mihi crede: qui Deum non habet, licet diuitiis exundet, miſerrimus eſt, & nudus, c.18 n. 88.p.365

12. *Vocatus eſt autem Ieſus*
Aberat à coniugio culpa, dum conſtabat Dominica nobilitari præſentia. Certè coniugia ob virtutem, honeſtatemque inita, eximiis honorantur Dei beneficiis: quæ verò culpa obſcurantur, ſolent abundare tormentis: & coniux tranſire ſolet in carnificem, & voluptas in anxietatem. Qui ob incundum coniugium deuorat culpam, in ipſo coniugio inuenire ſolitat pœnam, c. 19. n.17. p.398

13. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Vocatus refertur Chriſtus ; Ab vtraque crediderim coniuge. Neque enim nuptiæ adeò eſſent felices , ſi diſſiderent ingenio : nam Chriſtum expellerent frequenti iurgio. Curent qui ineunt matrimonium conformari ingenio, aliter namque frequenti laborabunt diſſidio, c.19.n.20.p.400

14. *Deficiente vino &c.*
Vbi auditur coniugium , & vinum defeciſſe refertur : Et quidem cum vinum ſit hilaritatis , & lætitiæ Symbolum , idem fuit, vinum deeſſe , & triſtitiæ cauſas exundare. Qui matrimonium contrahit , magna obarmetur tolerantia , quia magna patiendi pullulare ſolet materia, cap.19.num 46. pag.408

15. *Nuptiæ factæ ſunt.*
Concordia coniugum Chriſtum adeſſe meruit. Neque enim vbi viget diſcordia,Chriſti lucere poteſt præſentia ; ſed , proh ſcelus ! Non ſemel propinqui ſeminant lites, non ſemel cognati iurgiorum concinnant imprudenter occaſiones. Diſcant parentes, propinquique inter coniuges concordiam fouere, & vereantur lites diſſeminare, c. 9. n.87.p.420

16. *Vocatus eſt autem Ieſus.*
Pauper Dominus vocatur, & exhibitum indigenti ſubſidium peperit ad vocantis commodum vini miraculum ; vt noueris eleemoſynam cedere in largientis lucrum , & eſſe calamitatis ſubſidium, c.19.n.173.p.416

17. *Nondum venit hora mea.*
Chriſtus Dominus temporis legi non ſubdebatur , erat namque temporum Dominus ; ad noſtram tamen eruditionem hoc dixit , ne quis putaret , aquam in vinum conuerſam non eſſe miraculum , ſed commentum. Ita Chryſoſt. in Catena : Ergo expectauit rogari ab his , qui indigebant. Alienis incommodis ſuccurrendum eſt , eo tamen modo , vt nec temporum leges tranſilias , nec aliqua culpa ſordeas. Inueniuntur namque plures adeò imprudenter miſericordes , vt non vereantur proprio ſordidari delicto, vt alieno prouideant incommodo, c.19.n.204.p.455

18. *Vinum non habent.*
Inter tot conuiuas ſola Maria vidit , vt ſubueniret egentes vino , & ſolus Chriſtus Dominus ſubuenit miraculo : certè hoc non fuit de ſæculi more ; egentem namque nullus videt vt ſubueniat, cùm habentem nullus non videat, vt ad menſam inuolarit,aut quid abſtulerit, c.19.n.214.p.458

Dominica in Septuageſima.

Matthæi 20.

1. *EXiit primo mane conducere operarios, &c.*
Primo mane exiit ad conducendos operarios in vineam , & ſi vinea expectata vt faceret vuas,fecerit , teſtante Propheta, labruſcas: vinea non reſpondit, ſed munus Paterfamilias impleuit. Non eſt muneris labor excuſandus, & ſi laboris fructus non expectetur merendus, c.19.n.223.p.460

2. *Quid hic ſtatis tota die otioſi.*
Otium potuit carpere , qui antelucanus , vt laboraret, ſurrexit. Diligens correxit ignauos , fors libera fronte non poſſet armari in deſidiam , ſi ipſe etiam ſectaretur inertiam : ſolus namque libera fronte in vitia poteſt armari quiſquis poteſt illis non infici, c. 19. n. 200. p.453

3. *Circa vndecimam verò exiit.*
Quàm ad ſpeciem ſecuri indulgebant otio , cùm iam nox immineret , & ſol occaſum intraret. Ea peccatores cœcitas tenet, vt infeliciter otientur ſecuri , cùm inueniuntur peruerſi. c.19.n.209.p.456

4. *Vidit alios ſtantes.*
Stantes vidit , & egentes, vt ſubueniret , & ſub ſpecie excolendæ vineæ eis benefaceret, cùm nullus egentem videat , vt benefaciat, & habentem nullus non videat,c 19 n.214. pag. 458

5. *Quid hic ſtatis tota die otioſi.*
Iam mors propinquabat , iam vita cum ſole ad occaſum vergebat, & tamen deglutiebant periculum, ne relinquerent otium. O quoties peccator videns mortem propinquare diſſimulat, ne voluptatibus careat. Profectò plures non ignorant imminere ſibi periculum, & tamen deuolant, ne reliquerint peccatum, c.20.n.32 p.489

6. *Murmurabant aduerſus Patremfamilias.*
Falſa pientiſſimo Patrifamilias errata adſcribebant , in illumque inuehebantur ; cùm cæciſſimi , & nequitia pleni inuenirentur , teſtante Patrefamilias : *Oculus tuus nequam eſt.* Graui profectò ſupplicio erant digni , qui in aliena, & à ſe conficta errata acriter excandeſcebant,& propria cæcis oculis præteribant, c.20.n.62.& n.65.p.497 & 498

7. *Murmurabant,&c.*
Cum Patrifamilias æquali præmio remuneraſſet omnes operarios qui à primo mane culturæ laboribus ſtuduerant , & adusti ſolibus æſtuarant , iniuriam ſibi fieri arbitrati , in Patremfamilias linguas armarunt inuecti. Verum Patris laudabilis comprobata eſt diſtributio. *Tolle quod tuum eſt , & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare , ſicut & tibi.* Sine iniuria alterius dedit , qui debitum illi perſoluit. Hinc diſce diuinam non criminari prouidentiam ,ſed cœleſtia dilaudari iudicia. Dei namque debent diludari iudicia , quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa. c.20 n.124. p.517.

8. *Acceperunt ſingulos denarios.*
Qui circa vndecimam horam venerant , æqualem hic mercedem receperunt , ac illi qui à primo manè in excolenda vinea laborarunt. Verum etſi in hoc ſæculo æquali præmio inæquale meritum ſit muneratum, in futuro pro meritorum diuerſitate præmium erit etiam diuerſum : Ergo qui primo mane venerant , murmurarunt , quia oculos non extenderunt ad futura , ſed ſolùm conſiderauere præſentia. Liuido namque dente prouidentiam ſolet abrodere ; qui nouit præſentaneis ſolùm attendere, cap.20. n.136.p.521

9. *Amice non facio tibi iniuriam.*
Blandiſſimis verbis corripuit ob murmurantis audaciam, & inſolentiam , re ſi diſſimularit, muneri

Digitized by Google

muneri non ſatisfecerit, aut ſi acrius carpſerit, beneuolentiam, charitatemque læſerit, ſuo exemplo docuit ſuperiores armari in culpam, & conſeruare erga peccatores beneuolentiam, c.20.n.183.p.537

10. *Vidit alios ſtantes in foro otioſos.*
Plurimos vidit. ſed hos pientiſſimus ad excolendam vineam delegauit. Quas non referrent grates munerati præmio, cùm plurimos non ignorarent ob ignauiam, otioſitatemque graui puniendos ſupplicio. Profectò Dei erga te beneficia, & miſericordiam commendat grandis pereuntium copia, infœliciumque ſumma, c.20.num.214. pag. 548

11. *Exiit primo mane.*
A primo mane inſudarunt operarij ſolis æſtibus adducti, & ligore defatigati, ac puluere ſordidi, vt lucrarentur denarium, cùm minori promereri poſſimus labore cœlum. Verum ea eſt hominum cæcitas, vt pro recula, aut caduca vita amplectantur patienter dura, cùm pro animæ vita, cœloque detrectarint minus moleſta, cap. 20. n.228.p 550

12. *Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam, &c.*
Qui beneficium acceperunt, beneficum debitis laudibus nullatenus exornarunt; qui ſuſpicati ſunt ſibi fieri iniuriam, in Patrem familias armarunt linguam: *Murmurabant, &c.* Sæpè contingit accepto iam beneficio obſequia non pendi, nec gratias agi. Sunt qui ante beneficium exhibeant officia, ſed ſigillant, ſi receperint ora. Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio maior gratitudo penſdat obſequia, quàm ſpes accipiendi exhibuerat officia, c.21.n.49.p.577

13. *In foro otioſos.*
Dum acceſſerunt ad Deum, fori lites, & tumultus declinarunt: antea inerti indulgebant otio, ſed confuſaneo diuerberabantur ſtrepitu, ſolùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari, c.21.n.122.p.603

14. *Voca operarios.* &c. *Cum veniſſent ergo.*
Nondum Patris familias vox audiebatur, & iam à procuratore obedientia adimplebatur. O vtinam diuina adeò ex arte adimplerentur præcepta, vt implerentur Principum, ac Dominorum mandata. Quætis Principum decreta à Miniſtris exactiſſimè implentur: diuina frequenter ſatis violantur, c.21.n.101. pag. 596

15. *Accipientes murmurabant.*
Fortaſsè non murmuraſſent libera adeò voce, niſi accepiſſent. Pauperes, inopiaque preſſi delinquunt cautiùs: Opulenti, & qui plurima à Domino acceperunt, peccant audentius. Ea nonnulli peccant impudentia, ac ſi licerent delicta; c 15.n.75.p.25

16. *Amice, non facio tibi iniuriam.*
Cùm poſſet in linguacem, obmurmuratoremque ſtomachari maluit amicum vocando ira ſuccenſum delinire; maluit Patris oſtentare miſericordiam, quàm Domini armare in delinquentem potentiam. Superioreſque edocuit nil magnitudini detrahi, ſi cùm poſſint ſtomachari, aggrediantur blandis verbis, officiiſque ſubditum delinire, cap. 15. numero 13. pag. 6.

17. *Murmurabant.*
Cùm primi fuerint vocati, & ſequentibus propoſiti, gratias non egerunt, & ob quam ipſi architectabantur iniuriam, linguas armarunt: ſunt namque plures: qui vel confictis, aut vmbratilibus iniuriis irritantur, qui veris obſequiis, & beneficiis non demerentur. c 15.n.248.p.80

18. *Circa vndecimam verò exiit.*
Amantiſſimus Pater nulli labori pepercit, vt homines à miſeria liberaret. Exiguum tempus vineæ culturæ ab operariis poterat impendi, dum opus erat ſuperueniente nocte operandi tempus abſcindi. Impleuit tamen Paterfamilias ſuperioris officium; nam bonus ſuperior eliget ſubire incommoda, ne ſubiectos miſera premat ruina, c.15.n.294. pag. 96

Dominica in Sexageſima.

Lucæ 8.

1. *Exiit qui ſeminat ſeminare, &c.*
Sileginia commiſit telluri grana, vtque committeret, in campum exiit, cùm non ignoraret tellurem non reſponſuram, ſua tamen actione nos edocuit, ne muneris excuſaremus laborem, & ſi nullus, aut exiguus fructus reſpondeat. Non eſt muneris labor excuſandus, & ſi laboris fructus non expectetur metendus, c.19.n.223.p.460

2 *Et volucres cæli comederunt illud, &c.*
Exigua res videbatur volucris, vt grande detrimentum inferret: At dum plures volucres conueniunt, grauiſſimum nocumentum inferunt. Mihi crede: Vel reculæ grauiſſimum detrimentum afferent, ſi plures ad nocendum conuenerint, c.15n.217. pag. 69

3. *Semen eſt verbum Dei.*
Vt Concionatoris ſolerter ſe impleuiſſe munus oſtendat, ſeminantis induit perſonam. Et vtinam à nobis ea viuacitate agerentur ſpiritualia, qua geruntur caduca; Verum ad temporalia pollet viuax diligentiâ; ad virtutem, marcet ignauia, c.15.num.205. pag 65

4. *Et ſimul exortæ ſpinæ, &c.*
Per ſpinas ſignificari ait Dominus, diuitias, & voluptates. Certè voluptates vanis alliciebant ſpebus; ſed poſteà veris diſcruciarunt ſpinarum punctionibus: ergo voluptates ſpinas dixit, vt noueris vitium falſis allicere ſpebus, & veris diſtorquere doloribus, c.15.n.145.p.46

5. *Secus viam, &c.*
Si fundus à viæ conſortio ſeparatus, & fructibus micaret copioſus: Verum dum ſibi noxium non fugit conſortium, conculcationis tulit detrimentum, vt diſcas huius miſeræ telluris exemplo eius auerſari conſortium, à quo tibi imminere poteſt periculum, c.15.n.194.p.61

6 *Inter ſpinas &c.*
Dum exortæ ſpinæ non reſecantur, granum ſuffocant, & copioſum fructum impediunt: Vitia ſtatim ac exoriuntur, reſeca, aliter namque

Digitized by Google

namque impedirent virtutis fructum, & grauiſſimum afferent detrimentum, c.15. numer.201.p.64.

7. *Et conculcatum eſt ab hominibus.*
Tritam viam deſeruerunt viatores, vt granum terræ commendatum conculcarent. Volucres celeri volatu occurrerunt, vt vel conculcatum auferrent. Diſcant à deteſtandis volucribus Concionatores diligẽtem ſolertiam, eaque ſolicitudine inuigilent pro vitiis extirpandis, qua vitiorum aſſeclæ pro virtutibus inuigilant deterendis, c.15.n.225.p.72

8. *Et ſimul exorta ſpina &c.*
Quas fouit tellus, ſpinis ſorduit fœda, & luxit fructibus depauperata. O quàm iuſtè in tellurem ipſam ſentes conuerterunt arma, dum tellus nulla ad fouendas ſpinas intermiſit ſtudia. Quæ à nobis imprudenter fota, iuſtè contra nos conuertere ſolent arma, c.15 n.132. p 74

9. *Simul exorta ſpina.*
Maluit tellus ſpinas, hoc eſt, diuitias fouere, quàm virtutibus, ac copioſis fructibus cumulari. Præ ſe ipſis ſolent homines æſtimare diuitias, & præferre ipſi ſaluti pecunias, c.15. n.141. p.77

10. *Et conculcatum eſt ab hominibus, &c.*
Volucres nocturnæ, hoc eſt, Dæmones ſuſpirabant ſemen auferre, & homines auxilium eis tulerunt, dum aggrediuntur commiſſum terræ ſemen proculcare. O quàm munitiſſimum præſidium fuit contra virtutem hominum frequentia granum proculcans, fructumque depretians. Certè vitio frequentia hominum munitiſſimum eſt præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum, cap. 15. n.256. p.82

11. *Quia non habebat humorem, &c.*
Non habebat petra humorem, vt radices foueret, & fructum ageret: ſic namque peccatum vigorem expectorat, vt ne properantem ſalutis occaſionem rapiamus, quodammodo illigarit, animaſque præciderit, c.15.n.360. p. 118

12. *Aliud cecidit inter ſpinas, &c.*
Audis ſpinas telluris faciem occupare: vide etiam ſpinas nouiter exoriri; *Et ſimul*, inquit, *exorta ſpina*. Vnde exortæ? Certè ab ipſis ſpinis. Nam cùm per ſpinas voluptates, diuitiaſque conſtet adumbrari, non potuerunt ſpinas non reproducere. De ipſa felicitate noua felicitatis ſitis exoritur ardentior, & diuexat corda viuidior, c.15.n.388.p.128

13. *Simul exorta ſpina, &c.*
Spinæ volucrum deſiderio militarunt, & tellus productis à ſe ſpinis ſuæ calamitati auxiliata eſt: periit miſerabiliter ſpinis horrida, quæ fructibus poterat emicare conſpicua. Ea verò eſt peccatoris amentia, vt aduerſario vires miniſtrarit, ſéque calamitati imprudenter addixerit, c.16.n.42. p.148

14. *Simul exorta ſpina ſuffocauerunt, &c.*
Non leges terram ſpinis, hoc eſt, voluptatibus, & diuitiis vacantem, aliquo ſupplicio mulctatam, imò neque ſpinam leges flammis aduſtam. Et quare? quia non ſemel ab ipſis culpis contra pœnam promanat auxilium, & immunitatis quodammodo priuilegium, c.16. n.59. p.156

15. *Conculcatum eſt ab hominibus, &c.*
Cùm tellus accepta à Domino grana in alendis vulneribus expenderit, non leue ſuppliciũ ſubiit, nempè contemptui haberi, & ab hominibus proculcari. Ingenuis namque non adeò acerbum eſt mori, vt contemptui, ludibrióque haberi, c.16.n.64.p.154

16. *Suffocauerunt illud, &c.*
Fortitudinem tellus ſortita non eſt ad fouenda grana, quia ſpinis, hoc eſt, voluptatibus iacuit oppreſſa. Voluptas namque eſt fortitudinis occaſus, & gloriæ næuus, c.16.n.81. p 160

17. *Radices non habent, &c.*
Cum gaudio excipiunt Dei verbum; expungere tamen verentur vitium: vellent maritare cum voluptate virtutem; nolunt mundi gaudia prorſus extinguere, & cupiunt cœleſte granum fouere; itaque inuenies qui vitia velint aliquatenus expugnare, & penitus refugiant extinguere. c.16.n 121.p.172

18. *Simul exorta ſpina, &c.*
Voluptates conuerſæ ſunt in ſpinas, & tellus enutriuit ſibi duriſſimas pœnas; noluit exundare veris diuitiis. & horruit tribulis. Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem, c.16.n.199.p.197

Dominica in Quadrageſima in Feſto 40. Horarum.

Lucæ 18.

1. ASſumpſit Ieſus duodecim.
Duodecim aſſumpſit, & ab ſtrepitu, vt pace fruerentur, ſeparauit. Qui prætereunt, turba ſunt; qui Chriſto adhærent, Apoſtoli; qui prætereunt, nequeũt quieſcere; qui Chriſto adhærent, excuſant tumultibus agitari. In Iericò auditur tumultus quia Iericò mundum carnemque deſignat. Nunquam quieſcit appetitus legem ſequutus, ſed circumuoluitur variis paſſionum vorticibus agitatus, cap.15. n.27. p.11

2. *Increpabant eum, &c.*
Vt taceret increpabant, & cùm contracta cæcitas non ſigillaret ora, homines indigna imperabant ſilentia. Profectò non ſemel homini homo grandius ad virtutem obſtaculum, quàm perpetratum delictum, c.15.n.41. p. 14.

3. *Confeſtim vidit, & ſequebatur illum. &c.*
Maraculi ad inſtar fuit tanto beneficio allectari, & Chriſtum Dominum ſequi. Ecce his diebus menſam parat Chriſtus, panem cœleſti odore fragrantem offert, mundus etiam menſam parat fallacibus deliciis plenam; & tamen homines exambiunt mundialem, & volaticam voluptatem, & cœleſtem faſtidiũt dulcedinem. Eiſdem, quibus mundus à nobis negotiatur amorem, Deus non allicit voluntatem. c.15. n.49.p.17.

1. *Increpabant, &c.*
In Iericò oratio reprehenditur, & ſilentium ſine rubore imperatur: ea libertate contraibant virtutibus, qua obuiare deberent criminibus. Profectò his diebus eã nonnulli peccant

cant impudentia, ac ſi licerent delicta, c. 15. n.75 p. 5.

5. *Cæcus quidam ſedebat.*
Qui ſedebat in Ierico, refertur cæcus; & quidem cùm Ierichò interpretetur Luna, cupiditatem, varietatemque deſignans, cæcum hominem reddidit: nam qui carnis gerit negotium, grande luci, prudentiæque oppoſuit impedimentum, c. 15. n. 164. p. 3

6. *Cæcus quidam ſedebat, &c.*
Hic cæcus Adamum expreſſit, qui ambiens diuinitatem, cæcitatem incurrit. Ecce Ierico Regis fragrans, ſenſuſque odore demulcens, oculis hominem priuauit. Veram tulit cæcitatem, qui in Ierico falſam ſuſpirabat dulcedinem. Mihi crede: vitium falſis inescat ſpebus, diſcruciat veris doloribus, c. 5 n. 45. p. 46

7. *Cæcus quidam, &c.*
In Ierichò cæcus clamauit, orat, qui videbat continuit. Felicior fuit cæcus calamitate, quam extiterat ridenti fortuna. Grande beneficium eſt peccatorem calamitatibus premi: ſupplicium eſſe ſolet proſperitatibus fortunari, c. 15. n. 95. p. 31

8. *Sedebat cæcus viam. &c.*
Ad Ierichò confugerat cæcus, & quidem ni cæcus; Ierichò non peteret, nec ibi ſubſiſteret; vt cæcitatem ſolaretur, in ciuitate, cuius muri ad inſtar vorticum ruunt, elegit ſibi habitaculum, & profugium: ea namque quærimus aliquando effugia, quæ maiora nobis afferunt detrimenta, c. 15. n. 185. p. 58

9. *Iuſſit illum adduci ad ſe, &c.*
Apoſtolis iuſſit adducere cæcum, nam cæcos à Ierichò abducere, & ad Chriſtum trahere, eſt ſociorum Ieſu propriiſſimum miniſterium. Certè Concionatores, & Ieſu diſcipuli ſunt vitiorum circumciſio nati corripiendo ſæculo, c. 15. n. 198. p. 62

10. *Cæcus quidam, &c.*
Hic cæcus, vt teſtatur in Caten. D. Thom. Adamum refert, qui ob cibum cæcitatem contraxit, vt ex ſupplicio noſcas, quàm graue, & periculoſum ſit cibis ingurgitari, & deliciis indulgere; culpæ namque deformitas ex ipſo ſupplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur, c. 15. n. 136. p. 76

11. *Et qui præibant, increpabant eum, &c.*
Mira res; cùm tot homines ſilentio patrocinantes, & orationem impedientes audiret, à clamando non deſtitit. Profectò multitudo impedientium refertur, quò & Domini potentia magis reſplendeat, & cæci magis dilaudetur conſtantia; hominum namque frequentia vitio munitiſſimum eſt præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum, c. 15. n. 156. p. 82.

12. *Ecce aſcendimus Hieroſolymam.*
Vt cæcis refundat viſum, alacriter tendit Dominus durum ſubire cruciatum. Cæcus aperuit oculos, vt Ierichò relinquens, ſequeretur Dominum, quia nouit Ieſum tendere alacriter ad tormentum. Chriſtus Dominus ſuperiores ſuo exemplo edocuit ſubire incommoda, vt ſubiectos liberent à miſeria, c. 15. n. 194. p. 96.

13. *Ecce aſcendimus, &c.*
Non refugit crucem, vt à cæco depulerit cæcitatem. Arſit charitas, gauiſaque eſt alienæ calamitati adhibere medelam proprio dolore: Gaudet charitas, dum propriis laboribus alienis obuiauit calamitatibus, c. 15. n. 303. p. 98

14. *Quid tibi vis faciam, &c.*
Ob peccatum (vt placet in Caten. D. Thomæ Auguſtino) cæcitatem contraxerat, ſed orationis clamoribus depellere ſatagebat: Et quidem ſuperuacaneum videri poſſet, quærere cæcitati inueteratæ remedium; verum dum cæcus clamat, & oculos Chriſtus Dominus illuſtrat, nos apertè edocent nulla vincula peccatorum tam inexorabilia eſſe, vt nequeunt gratiæ fauore diſſolui, c. 15. n. 315. p. 101

15. *Tertia die reſurget.*
Retulit reſurrectionis gloriam, vt paſſionis, crucisque melliret pœnam. Si ſolùm attendas tormenta, animo fortè excides; ſi præmia æterna cogitans, reſumes: ergo coniunge labori præmium, & cogita etiam euanidum voluptatis gaudium à tergo ſequi graue ſupplicium. Sapiens namque non ſolum attendere debet præſentia, ſed præcauere futura, c. 15. n. 3 6. p. 09

16. *Multò magis clamabat, &c.*
Toto tempore, quo ora continuit, tulit cæcitatis miſeriam, & clamando adeptus eſt medicinam; vt noueris ſine orationis ſuffragio tardare medelam, ciuſque auxilio adeſſe citiſſimè medicinam, cap. 15. num. 396. p. 130

17. *Cæcus quidam, &c.*
Cæcus hic, vt iam diximus, Adami gerit perſonam: ergo recole hiſtoriam, & vtiliſſimam inuenies doctrinam. Serpens hominibus ſuaſit exiguo labore, ſcilicet ſi manum extenderint ad arborem, habere poſſe diuinitatis honorem; pomum guſtarunt, & ærumnas grauiſſimas ſuſtinuerunt. De more eſt voluptatibus promittere leui incommodo ingentiſſimum lucrum, & leui lucro inferre grauiſſimum detrimentum, c. 16. n. 125. p. 174

18. *Cæcus quidam ſedebat, &c.*
In Ierichò roſis exundante, & deliciis affluente quærebat hic homo voluptatem, & tulit cæcitatis afflictionem: cæcus & miſer emendicabat, qui ſe deliciis exundaturum credebat. Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem, cap. 16. num. 199. p. 197

19. *Dixerunt, ei quòd Ieſus, &c.*
Occaſio inuitabat: ergo noluit cæcus amittere, quòd nouum haberi poteſt miraculum, impatienter ferunt omnes à voluptate retardari, patientiſſimè à virtutibus auerti: ergo mirum fuit cæcum ora non premere, cùm tot homines ſatagerent ſilentium indicere: ægrè namque ferunt omnes à criminum occaſione retardari, tolerantius à virtutum exercitio inhiberi, cap. 17. numer. 15. p. 137

FERIA

Digitized by Google

FERIA IV. CINERVM.

Geneſ. 3. & Math. 6.

1. *Memento homo, &c.*
Citiſſimè homo ob vetiti guſtum pomi à felicitate illa excidit; & ſe in pulnerē conuertendum audiuit. Modò docetur eleemoſynam, & ieiunium, vt longa inedia inſtauret, quod breuiſſima voluptate amiſit. Exiguo ob crimen tempore dilapidata longo tempore, & labore improbo indigere ſolent, vt effloreant reſtituta, c.21.n.115.p.6 9

2. *Exterminant facies ſuas &c*
Exercendæ auſteritatis modo vitiis inſeruiebant; & qui habebantur virtutum Magiſtri, virtutibus inueniebantur aduerſi. Non ſemel docere contigit prauitatem, qui debuiſſet promouere virtutem. c.11.n.·06.p.636

3 *Exterminant facies ſuas, &c.*
Hypocritæ à reliquorum conſuetudine diuiſi ſibi infelicem ambiebant plauſum, ſed incurrebant odium. Frons noſtra cum populo conueniat, intus omnia diſſimilia ſint. Periculoſum, odioſumque eſt à generalitate ſe excipere, & ab aliis ſeparari, c.11.n.69.p.584

4. *Tu autem cùm ieiunas, &c.*
Cibus mortem intulit, & ob id ieiunium monet Chriſtus, vt ſtabiliat ſalutem. Innumera fercula, & delicatiſſima edulia, dum adulantur palato, inſeruiunt etiam & morbo. Plus homines ſalute vigerent, ſi ieiunium plus colerent; eſt namque ieiunium ſalutis myrothecium, & contra inſidias ſpiritualium hoſtium armarium, c.10.n.211.p.151

5. *Tu autem cùm ieiunas, &c.*
Ieiunium ſuadet pro tuenda ſpirituali ſalute; & tamen plures exiguum ieiunij ſubire detrectauerunt laborem: ad modicum tempus nolunt pro animæ ſalute eſurire, qui pro corporis ſalute non recuſaſſent inedia premi. Verum de more pro volatica, & caduca vita non recuſant homines dura, & detrectant pro ſalute ſpirituali pati non magna, c.20. n.218. p. 550

6. *Tum autem cum ieiunas, &c.*
Hypocriſim edocet fugere, & ieiunium alacriter exercere: & quidem dum ſuis monitis nos informat, errandi occaſionem omnem ablegat ergo non delinquas admonitus. Nam qui legibus, ac Dei monitis deliquerit informatus, grauiori pœna eſt plectendus, c.10. n.50 p.494

7. *Pater tuus, qui videt in abſcondito, &c.*
Hypocritæ facies exterminabant, & inter probos vanitati inſeruiebant: ergo vult Chriſtus Diſcipulos ſuos è contrà inter Hypocritas inſeruire virtuti; ſlius namque & felix probatur inter peruerſos probus; & è contrà infelix, qui inter probos, & virtutis cultores degenerauit peruerſus, c.19.n.153.p.440

8 *Cùm ieiunas, vnge caput tuum, &c.*
Non ſolùm hypocriſim docet fugiendam, ſed etiam ſimilitudinem cum Hypocritis vitandam. Illi, *inquit*, exterminant faciem; tu faciem tuam laua. Quàm ſalubre conſilium, & quàm vtile virtutis cultoribus documentum! Nouerint Dei ſerui, culpam non ſolùm fugiendam, ſed etiam proximitatem, & culpæ ſimilitudinem declinandam, n.19.n.138. p. 437

9. *Tu autem cùm ieiunas, &c.*
Opiparas te menſas docet vitare, & conditis, ſaporatiſque cibis non vti, ſi ieiunium vis colere, & Dei monitum adimplere; inſidiantur ieiunio ciborum oblectamenta, & fercula ſaporata: nam dum oblectamentis capimur, facile à virtute àuertimur, c.19.n.134 p. 435

10. *Exterminant facies ſuas, &c.*
Facies exterminant, vt ieiunare videantur hominibus: *Vt appareant hominibus ieiunantes*, ni euanidum quærerent ab hominibus plauſum, à numine acciperent præmium; verum ſic tetro ambitionis fumo obcæcantur, vt amittant honorem verum deſiderio conſequendi volaticum. Non dubites honoris ambitionem, cupiditatemque mentem obtenebrare, & cœleſti lumini contraire, c. 19. n.119.p. 431

11. *Tu autem cùm ieiunas, &c.*
De præſenti loquitur, *cùm ieiunas*, ne ieiunium procraſtinare ignauia conetur. Fraudulentus ſerpens, vt inſurgat contra pœnitentiam, aliquando non monet omittere, ſed differre, vt qui apprimè noſcit animum citò mutari, & virtutem procraſtinatam perire, c.19. n.99.p.424

12. *Tu autem cùm ieiunas,*
Ieiunium monet, non ſolùm vt vires colligamus contra virtutis inimicum, ſed etiam aduerſus infirmitatis detrimentum. Honeſtiùs, diutiúſque viuunt exiguo cibo vſi; vitiis inſeruiunt & morbis laborant deliciis ingurgitati: nam anguſtus cibus robur adminiſtrat; lauta, & delicioſa menſa vires eneruat, c. 19. n. ·.p.4·3

13. *Sicut Hypocritæ triſtes, &c.*
Exterius triſtitiam mentiuntur, luridum vultum oſtendunt, vt virtutis venentur plauſum; refugiunt virtutem ſequi; cupiunt virtutis honorem venerari. Plures videas, qui maritare ſatagunt virtutis plauſum, & vitiorum commodum, c.19..n62.p.413

14. *Exterminant enim facies ſuas, &c.*
Leuiſſima vanitas, & volatica vanitatis voluptas Hypocritas docuit vultum macie atterere, caput fœdare, ſordidas veſtes induere, duris laboribus volaticum emerunt plauſum, gaudiumque miſerrimum. Non ſolùm in hac materia, ſed in aliis etiam inuenies leuem ſæpè voluptatem afferre duriſſimas pœnas, inextricabileſque procreare homini anguſtias, c. 9.n.31. p.404

15. *Vt appareant hominibus ieiunantes, &c.*
Non curabant virtutem colere, ſed ob virtutis vmbram dilaudari: exambiebant plauſum, recuſabant meritum; homines namque plus curant deprædicari honeſti nominis lingua, quàm implere virtutibus nomina, cap. 18. n.216. p.378

16 *Vt appareant hominibus ieiunantes, &c.*
Studioſè quærebant apud homines magni haberi, & honore felicitari. E contra Dei diſcipulis curæ erat ſe filios Patris virtutibus comprobare, & humanos oculos fugere. Hypocritis

Digitized by Google

pocritis erat pro ſanctitate vana felicitas: Chriſti diſcipulis pro felicitate eſt ſanctitas, c.18. n.201. p.370

17. *Pulu.. es, &c.*
Non ait; Puluis eris, ſed etiam es puluis. Sic namque ſæpè cæcutiunt peccatores, vt ſe putent ſecuros, cùm morti accedere conſtet proximos. Vtinam peccatores ſe periculis cinctos aduerterent, nec ſe ſecuros exiſtimarent; falsò namque exiſtimata ſecuritas eſt grauior peccatoris calamitas, c.18.n.117 p.343

18. *Memento homo quia pul. is es, &c.*
Peccatorem monet caducæ felicitati non credere, ſed ſe puluerem, & morti proximum cogitare. Non defuerunt, qui florenti vſi fortuna, & dignitatum reſplendentes potentia, fragilitatem ſuam ignorarunt, & ſe numina crediderunt. Verum dum Nabucho plus floruit, citiùs arbor deiecta & miſerabiliùs exaruit. Nam quo maior peccatori arridet felicitas, proximior ſolet imminere calamitas, c.18. n.121. p.356

19. *Memento homo quia puluis es, &c.*
Quia homo cum morte congredi neceſſum eſt, monet non theſaurizare aurum, ſed expendere in proximorum remedium. Profectò cor grauiſſimo dolore vrgetur, cùm ex alia parte auro ſubiicitur, & ex alia vitam relinquere cogitur. *Vbi eſt theſaurus tuus*, &c. Non eſt hominum cor ad feliciter congrediendum cum morte, ſi irritus ſit facultate. Ergo qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi, c.16. n.190. p.226

Feria VI. poſt Cineres.

Matth. 5.

1. E*Go autem, &c.*
Si homines Chriſtum Dominum imitarentur, inimicos diligerent & vindictam non expeterent. Ecce cœleſtis Pater iniuriis hominum prouocatus non eiaculatur ardentē ignē, ſed floridam ſuper inimicos etiam ſpargit lucem. Amare diſce, & facilè remittes offenſam: amor namque non ſolùm obliuiſcitur offenſam, ſed offendentis etiam ſolicitat gratiam, c.15.n.53.p.18

2. *Ego autem dico vobis &c.*
Beneficiis monet iniuriam vindicare, & offenſam obliuiſci: verùm cùm homines vltionis rapiantur libidine. Deique monita non attendant, precaretur, vt ſaltim tempus vindictæ differrent, & prudētiùs cogitarent: tempus namque eſt rationis conſiliarius, & cæci furoris Medicus, c.15.n.45.p.16

3. *Dictum eſt, &c.*
Inoleuerat vindictam experiendi conſuetudo: modò cœleſtis lex, ratioque conſulit inimicis parcere, & collatis beneficiis nobiliter deuincire: & tamen homines à Dei meritis, & ratione reſiliunt, vt conſuetudini adhærent cæci, & ſtulti. Si ratio conſuetudoque decertarint, vincet infeliciter conſuetudo, & deuicta lugebit non ſemel ratio, c.15. n.32.p.12

4. *Ego autem dico vobis, &c.*
Vindictam prohibet Dominus, & tamen palam expetitur ab amico vindicta. Ea nonnulli peccant impudentia, ac ſi illis licerent omnia delicta, c.15.n.75.p.25

5. *Diligite inimicos veſtros, &c.*
Dilectio nobilis charitatis progenies, dum iracundiam arcet, hominis diligentis ſaluti conſulit; iracundia namque, dum vindictæ appetens, immoderatè accenditur, crimini, & calamitati patrocinatur, c.15.n.80.p.27

6. *Diligite inimicos veſtros, &c.*
Curant homines nōn ſemel inimicū de medio tollere, & cauſas timoris præcidere; hoc tamen non aſſequitur vindicta, & aſſequeretur non ſemel venia: ea eſt tamen peccatoris amentia, vt nouas timoris cauſas adlaboret incremētare dum timorem geſtit depellere, c.15.n.91.p.30

7. *Diligite inimicos veſtros, &c.*
Inimicorum dilectio patiendi cauſas abſcindit, & ingenuum animum prodit Verum quia plures, ſi aliquam iniuriam, aut moleſtiam acceperint, ardent furore vindictæ, & ſe, ſuoſque impiicare ſolent, non ſolùm reatibus, ſed laboribus oporteret expendere non ſemel cogi ad ſuſtinenda grauiſſima, qui noluit ſuſtinēre patienter leuia. Certè impatiētia maiora, grauioraque ſuſtinere cogitur, dum leuia non ſuſtinere, aut vindicare molitur, c.15.n.12..p.38

8. *Dictum eſt, &c.*
Antiqui conſulebant vindictam; Chriſtus præcipit veniam, & tamen ferè omnes adhærent antiquorum opinioni, & Chriſti aduerſantur legi. Rarus eſt qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & crimini patrocinantem, c.1 .n.1 .p.48

9. *Qui ſolem ſuum oriri facit ſup r bo os, &c.*
Ingentibus beneficiis non conſequitur Deus à nobis, vt abſtineamus à vindicta; lucis florem ſpargit ſuper bonos, & malos, pluuiæ frugiferas largitur vndas; nec tamen adeò beneficio numini morem gerimus, ſed ad vindictam proſilimus, & numinis indignationem incurrimus. Ea eſt hominum amentia, vt infirmioris metum à ſe vindicta geſtiant excutere, non attendentes ind gnationi ſe potentioris exponere, c.15.n.269.p.86

10. *Vt ſi is fily Patris veſtri, &c.*
Vindictā honōrem recuperamus humanum; veniā impertitā, diuinum: cenſemus namque cœleſtis Patris filij, & virtute reſplendemus coronati. Ergo licet impœnitenda ſit vltio, quæ de legibus venit, eſt prorſus dēteſtanda, & fugienda, quam ſolus furor inducit, c.20. n.36. p.490

11. *Vt ſitis fily Patris veſtri &c.*
Inimico benefacientes ſtemma cœleſtis dignitatis, & honoris oſtendimus, & filij cœleſtis Patris vocamur. Ergo Pater non ſolùm nobis lucem, & pluuias impertiet, ſed æternis præmiis munerabit. Vindictā conſulimus ad ſpeciem honori; veniā honori, & animæ, & tamen ſunt qui de cupiditatis errore, & de erroris cæcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti. cap. 16. num. 143. p. 179

12. *Benefacite his, &c.*
Qui inimico benefacit, dum ad amicitiam flectit, caret inimico. Qui inimicum occidit, vt inimico careret, plurium manus, ſcilicet cognatorum, & familiarium occiſi contra ſe

ſe armabit. Grauiori periculo leuiori occurritur, & iniuria vltor eſt calamitati proximior. Certè peccator, dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati inuenitur proximior, c .6. n.18 .p.191

13. *Ego autem dico vobis, &c.*
Dum ſe huius præcepti oſtendit auctorem, opem etiam obſequentibus promiſit. *Ego*, inquit, *dico vobis, diligite inimicos veſtros*, ac ſi dicat: Ego, qui non ignoro eſſe difficile inimico parcere, vires miniſtrare poſſum quibus præceptum valeas implere. Certè adſpirante gratia facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, c.16.n.174.p.210

14. *Diligite inimicos veſtros, &c*
Dum timemus honori volatico aliquid detrahendum, ni de inimicis vlciſcimur, ad vltionem ruimus: itaque timor obſcurandi honoris nos à Dei præceptis disiungit, cùm nec Dei timore à vitiis disiungamur, & separemur. A ſe ipſis videntur homines prorſus diuerſi reſpectu criminis, & virtutis: vitiis tenaciſſimè agglutinamur, à virtute leui etiam timore disiungimur, c.17.n.2 .p.241

15. *Dictum eſt. &c. Ego autem dico vobis, &c.*
Nullus vindictæ auctor, aut doctor refertur; Chriſtus inimicis benefaciendi auctor proditur. Inimicis parcere virtus eſt; vlciſci iniuriam, frequenter vitium. Ergo vitium ſine auctore diſcitur, virtus ſine Magiſtro non exercetur. Homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur prorſus inerudíti, c.17. n.110.p.294

16. *Benefacite his. &c.*
Qui vltionem de hoſte expetunt, vitium vltionis implent, nil vitiorum detrahentes, imò nouos vltionis modos excogitantes. Qui veniam inimico tribuit, rarò, aut nunquam beneficia etiam impertit: quidquid ad vitium pertinet, ſtudiosè perficitur; aliquid non rarò virtuti detrahitur, & ab ipſa circumciditur, c. 6.n.215.p. 0:

17. *Vt ſitis filij Patris veſtri. &c.*
Cœleſtem Patrem in exemplum nobis propoſuit. Ecce Deus lucem ſpargit indignis, pluuiam impertit iniurioſis: magnis offenſis prouocatus continet iram, cùm facillimè alliciatur ad munificentiam, & veniam, cap.16. n. 23. p.205

18. *Ego autem dico vobis, vt ſitis filij, &c.*
Durum eſt inimicis parcere; ſed deuorandus eſt labor, vt cœleſtis Patris reſplendeas filius. Ecce vt caducus honor reſtituatur, pericula deuorantur, & duriſſima digeruntur: is verò homines error poſſidet, vt grauiſſimus labor prò caducis videatur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18.n.;8 p.322

Dominica I. *Quadrageſimæ.*

Matth. 4.

1. D*Uctus eſt Ieſus. &c.*
Exambiebat Diabolus Chriſtum virtutibus ornatiſſimum tentare; ſi poſſet à virtute abducere, & quanto Chriſtus Dominus ſanctitate reſplendebat excellentior, tanto tentandi appetitus Dæmonem vrebat viuidior. Gaudet namque Diabolus excellentiores virtute, magnitudineque ſibi acquirere, & à virtutum ſtudio arcere, c.17.n.266.p.311

1. *Et cùm ieiunaſſet, &c.*
Vt vidit diabolus ieiuniorum aſperitatem facilè tolerantem, & deſertorum labores placidè ſuſtinentem, ſuſpicatus eſt Chriſtum Dominũ Dei eſſe Filium, ſecumque ita ratiocinabatur: ſi ſolùm eſſet homo, vel ad vnum diem obſeruaſſe ieiunium, illi videretur aſperrimum. Verè contrà pro caducis acquirendis grauis labor videretur exiguus, & quidem Dæmonis ratiocinatio conſuetudine videtur innixa; nam hominibus grauis labor pro caducis videtur exiguus, cùm pro æternis exiguus videatur magnus, c. 8.n.,8.p.322

3. *Hæc omnia tibi dabo, &c.*
Vt honorem ſibi lucraretur, omnem Rempublicam deſpiciebat, imò vendicabat, quam ſe diabolicum Miniſtrum prodidit, dum generalitati non conſuluit, ſibique attendit; nec deeſſe ſolent aliquando huius doctrinæ diſcipuli, & cùm adminiſtrent Rempublicam ſibi prius conſulunt; Reipublicæ verò aut non, aut poſteà attendunt, c. 8.n.4 .p.325

4. *Poſtea eſuriit, &c.*
Acceſſit tentator, vt honeſtam Chriſtus erubeſceret pauperiem, & amaret diuitiarum ſordidam facultatem. Verùm Chriſtus Dominus, vt qui Dei Filius, diuitias deſpexit, paupertatem non erubuit. Facillime nos Dæmon vincit, quia laudabilem erubeſcimus pauperiem, & turgemus, ſi ſordidam poſſimus oſtendere facultatem, c.18 num.70. p. 31

5. *Hæc omnia tibi dabo &c.*
Agnoſce Dæmonis ingenium; ab aliis eripere non recuſat, quod Chriſto tradat, vtque amplis ditetur alius facultatibus grauiſſimis tentator non veretur obſcurari criminibus; & quidem diabolus à Chriſto Domino ingemuit expulſus; ſed hanc dignam Dæmone artem alios edocuit miſerrimus. Sunt namque nonnulli, qui deglutiant propria delicta, vt alij diuitiarum, honoriſve aſſequantur augmenta, c 18. n. 06. p.341

6. *Hæc omnia tibi dabo, &c*
Felicitate promiſit, ſi cadens adoraret, quia nouerat peccatoris felicitatem prorſus eſſe euanidam, imò tunc proximiorem calamitatem imminere, cùm videtur ampliore felicitate micare, c.18.n.121.p.346

7. *Et cùm ieiunaſſet, &c.*
Cum hoſte congreſſurus ieiunij arma induit, non quia Chriſtus Dominus ad reportandos triũphos ieiunio egeret, ſed vt ſuis nos actionibus informaret. Pœnitentiæ arma prehenſa, nec falſa fidas ſecuritate; falsò namque exiſtimata ſecuritas eſt grauior peccatoris calamitas, c.18.n. 1 .p.345

8. *Si cadens adoraueris me, &c.*
Se adorandum ſuadebat, & Dei Filium reluctantia, & ſibi contraria coniungere procurabat, nempe Dei Filium haberi, & Dæmonem adorare: verum & ſi reſpectu Chriſti Domini fuerit delirium, reſpectu aliorum videas perſuaſum. Sunt qui ſecum reluctantia coniungant, & apertè oppoſita interpolare contendant, c.18. n.150.p.355

9. *Hæc omnia tibi dabo, &c.*

Putares

Digitized by Google

Putares deſideraſſe Dæmonem Chriſtum tot oblatis poſſeſſionibus & diuitiis felicitare,ſed deſiderabat ardenter veris calamitatibus premere; indignam adorationem ſuadebat. Ergo ſi potuiſſet Chriſtus adoratione delinquere, quantumuis omnia poſſideret,nequiret infelicitate vacare.Nam qui Deo priuatus,quantũuis mundiali honore, diuitiiſque reſplendeat opulentus,reuera miſerrimus ſordet, & nudus, c.18.n.188.p.1 6

10. *Hæc omnia tibi dabo &c.*
Hominem ſolum exiſtimabat, gubernandi experientia ornatum non viderat, & tamen omnia ab illo moderanda committit: *Hæc omnia tibi dabo*, tanquam Domino, rectorique O peruerſum Diaboli ingenium! Ad adorationis culpam allectat,vt enormi delicto adorantem inficiat, & dum inexperto committit gubernationem, nouas mundo calamitates inducat. Quod magni intereſt, non eſt inexperto committendum,c.16.n.195.p.196

11. *Mitte te de orſum, &c.*
Si verſus terram inuolarit promittit euanididum plauſus, & admirationis gaudium, cùm ruinoſum deſideret præcipitium; ſpecioſam vanitatem offert, & celat.quam ſuſpirat. ruinam. neque enim ignorabat inuenire veriſſimam afflictionem,vbi homines quærunt euanidam voluptatem, c.16.n.199.p.197

12 *Vt tentaretur a Diabolo, &c.*
Ad noſtram eruditionem cùm Deus eſſet Chriſtus Dominus,omniſque periculi expers, ad ieiunij auſteritatiſque armamentarium recurrit. Nihil aliud peccatori ſolet nocere, ac ſecurum ſe falsò credere. Maius affert detrimentum quàm hoſtem pati, nullum fore aduerſarium credere, c.16 n.253. p.214

13. *Hæc omnia tibi dabo, &c.*
Ecce diuitiis exundat Dæmon, vt emat deteſtandæ adorationis delictum. Nil habuit niſi lapides,vt ſubueniret famelico:dum humanam formam induit,hominum etiam mores, conſuetudinemque factis ſuis expreſſit. Hominibus namque nunquam ad exercendum vitiũ defuit pecunia, cùm ad virtutes exercendas ferè ſemper premat inopia, c.17.n.9.p.236

14 *Hæc omnia tibi dabo &c.*
Lucrum ſibi exiſtimabat Diabolus omnia expendere ad orationis vanitatem elucrandam, & euanidam gloriam emendam, eſurienti nil attulit niſi lapides, quia fortè de mundiali conſuetudine,& hominum cæcitate in famelici auxilium diſtributum exiſtimauit diſpendium, & errori, vanitatique impenſum lucrum. Profectò quidquid ad vanitatem, voluptatemque profundimus, lucrum exiſtimamus, expenſum in vſus debitos, & honeſtos diſpendium non ſemel credimus, cap. 17. n.22.p.240

15. *Hæc omnia tibi dabo, &c.*
Vt adorationis honorem acciperet, omnia promittebat; & quidem non promittebat animo dandi, ſed deſiderio accipiendi. Inuenias namque plures qui promittunt deſiderio accipiendi, non animo dandi,c.15. n.75.p.155

16 *Hæc omnia tibi dabo,ſi cadens,&c.*
Non dubitabat ſibi pendendum adorationis tributum, ſi eius ope inſcenderet Chriſtus thronum. Quid negaret homo ei,cuius ope acquirebat amplum adeò diuitiarum cenſum, & dominationis exercitium. Profectò qui alterius ope ad dignitatem eligitur,ad eius arbitrium ferè ſemper conformatur, cap. 17. n.88.p.259

17. *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens, &c.*
Criminibus ſuaſit emere euanidum dignitatis ſplendorem, & quidem ſi cum ſolo homine ageret, forſitan Diabolus quod optabat, perſuaſiſſet. Sunt namque qui deteſtandis emunt criminibus refulgere, ſibique indebitis dignitatibus emicare, c.17.n.151 p.277

18. *Si adoraueris me, &c.*
Ad dignitatem promittebat euehere,& diuitiis copioſiſſimis exornare; exigebat tamen adorationis tributum.Itaque ſuperioris offerebat titulum, ſed reuerà ſibi relinquebat ſubiectum. Et quidem ab alio ad dignitatẽ electus ſuperioris titulo fulget, ſed eligenti reuera paret, c.17.n.163.p.281

19. *Hæc omnia tibi dabo, &c.*
Se diuitem, & qui poſſit dona largiri, haberi deſiderat Diabolus,vt timeri etiam, vt qui poſſit calamitatem inducere, & laboribus diuexare.Ergo omniaChriſto offert,quaſi poſſet dilargiri Suſpirat namque ardentiſſime diabolus haberi bonorum largitor, & calamitatum timeri auctor, c.17.n.261.p.311

Feria IV. poſt Dominicam primam.

Matthæi 12.

1. *INtrantes habitant ib, &c*
Dum homo ſcopis quidquid erat virtutis à ſe abiicit,& verrit, dum vitiis vacat,dum ſe vanitatibus ornat,plures ſpiritus, & nequiſſimos quidem habitatores patitur, vt nouerint qui peccatis indulgent,ſibi ſolicitare tormentum,& pati graue periculum.Qui peccatis indulget, ſibi prouideat effugium, nam à tergo ſequitur detrimentum, c.21.n.160.p.617

2. *Ingreſſi habitant ibi, &c.*
Ibi hoc eſt, in peccatoris corde habitant, & tamen cum peruerſis adeò inquilinis placidè conuerſatur, & cùm iam initio fuerit ab vnico Dæmone diuexatus,nec ignoraret periculum,plures modò ſuſtinens non ſolicitabat remedium. Peccator namque ea ſtupiditate tenetur, vt non ſolicitarit remedium, expertus graue periculum. c.21.n.155.p.608

3. *Volumus à te ſignum videre, &c.*
Qui eam Rempublicam gubernabant, ſigna in eorum obſequium edere Chriſto ſuadebãt. *Volumus*, inquiunt; ac ſi dicant;cùm nos dignitatum luminibus exornati imperemus ſigna edi,non debes decretis noſtris refragari. Nouerant de ſæculi more magnatum decreta, votaque exactiſſimè impleri, cùm tamen diuina ſatis frequenter conſtet violari, c.21. n.101.p.596

4. *Niſi ſignum Ionæ, &c.*
Audaces carpit dicendo: *Generatio mala, & adultera*; & tamen ſignum Ionæ promittendo, eorum ſaluti conſuluit; Nam ſicut Ionas proprio labore nauigantes à periculo exemit; ſic Chriſtus Dominus crucem paſſus, ſepultuſq; peccatores liberauit. Ergo vti ſuperiorũ norma peccantes arguit, ſubiectis prouidit; nam

Digitized by Google

nam bonus ſuperior, & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſtudioſè ſolicitat prouidere, c.21. num.61. p. 81

5. *Volumus à te ſignum videre, &c.*
Cùm Chriſtus Dominus à miſero homine depuliſſet dæmonium, ab Scribis, Phariſæiſque iam ſuſtinet bellum. Tentare aggrediuntur, & vt patratum obſcurarit miraculum, nouum exambiunt prodigium. Hinc diſcet quiſquis armatur in vitia, prouidere ſibi munimenta: nam contra duros opus eſt muniatur adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus, c.20.n.93.p. 07

6. *Viri Niniuitæ, &c.*
Niniuitæ minis deterriti, ad pœnitentiæ auxilium confugerunt: Scribæ, Phariſæique audiunt imminere ſibi condemnationem, *& condemnabunt eam*, & tamen ſibi non præcauent, imò depoſcunt miracula, vt Chriſto ſubdiderint colla. Profectò peccator cùm non ignoret periculum, deuorat timorem, ne relinquerit prauitatem, c. 0.n.52.p.489

7. *Quidam de Scribis, & Phariſæis, &c.*
Quia contra Dæmonium pugnauerat Chriſtus, contra Chriſtum Scribarum, & Phariſæorum exurgit manus. Patronum vnicum, Chriſtum videlicet virtus ſortita eſt: vitium & Dæmon tutelares inuenit plurimos; nam de more eſt inueniri copioſum pro vitio tutelarium exercitum, cùm virtus ſingularem ſortiatur Patronum, c.19.n. 77.p.4.7

8. *Niſi ſignum Ionæ, &c.*
Mortem ſuam prædicit, & ad ſalubre recurrit ſignum, cùm ad oſtentationem exigeretur miraculum; & quidem ſi ſigna ederet, quæ poſtulabant, deprædicaretur magnus, ſepulchrum verò intrabit, ſi Ionam fuerit imitatus: maluit tamen culpam arcere morti damnatus, quàm acclamationibus celebrari Phariſæis, Scribiſque obſequutus. Eſt namque, ſi culpam arceat, fauſtior felicitate ad ſpeciem infelicitas. c.18.n.134.p.380

9. *Niſi ſignum Ionæ, &c.*
Phariſæi vt magni haberentur, ſignum poſtulabant, quaſi pro eorum arbitrio miracula deberent patrari: Chriſtus iniquis votis non paruit, ſed imitari Ionam moriendo elegit. Deſpexit Chriſtus Dominus plauſum & amplectendam docuit virtutem. Scribæ deſpexerunt virtutem, & euanidum ſitiebant plauſum. Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas, c.18.n.20. p.370

10. *Volumus à te, &c.*
Cùm Scribæ, Phariſæique eius Reipublicæ eſſent primores, & dignitatum fauerentur potentia, velle ſe in ſui obſequium patrari miracula declararunt. *Volumus*; & quidem ni tantus eſſet Chriſtus Dominus, illos non carpſiſſet. Videbis namque de more quidquid potentes volunt perfici, cùm diuina edicta videas temerari: diuina potentia imprudenter deſpicitur; potentia humana timetur, c.18 n.19. p.369

11. *Magiſter volumus, &c.*
Magiſtri honore nobilitant, vt ſigna edere pro eorum voluntate ſuadeant. Cruci tradent, quia Ionæ adinſtar deprædicat veritatem. Certè qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur: veridicus ſæpè ſpernitur, c.18. n.110. p.342

12. *Volumus à te ſignum videre, &c.*
Vt placet in Catena Diuo Thom. contra naturam temporis coruſcare fulgura poſtulabant. Quid tunc Chriſtus Dominus? Ionæ ſignum ſpopondit, quia hoc edito ſigno plurimis ſubueniebat, & fulguribus ſolum emicabat. Hinc diſces parum eſſe tibi ſplendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire, c. 18. n.61. p.329

13. *Volumus à te, &c.*
Quàm aliter ſe gerebat Chriſtus, & Phariſæus; Phariſæus ſuſpirat in ſui honorem, & ad vanitatis alendam pompam ſignum edi, Chriſtus voluit edito Ionæ ſigno generalitati auxiliari: Chriſtus erat optimus Reipublicæ Adminiſter; Phariſæus adminiſter non bonus erat. Sunt tamen plures huius quàm Chriſti Domini imitatores: à Republica electi ſibi priùs conſulunt, generalitati non attendunt, aut poſteà proſpiciunt, c.18 n.48. p.325

14. *Magiſter volumus, &c.*
Ad magiſterij honorem euehunt, ea tamen conditione vt morem gerat eorum arbitrio. Ecce contraria ſibi coniungunt; Magiſtrum nuncupare, & vti Magiſtrum non audire, ſed eorum voluntatem obſequentem habere, & quidem non ſemel qui ab alio electus ſuperior ad ſpeciem fulget, ſed eligenti reuerà paret, c..7. n.163.p.281

15. *Quidam de Scribis, &c.*
Cæleſti fauore, dignationeque Scribæ, & Phariſæi in Republica eminebant honore cōſpicui, & plurimis antelati. Ergo cùm deberent Chriſto obſequi, Chriſtum ſibi diſcupiebant obedire. Chriſtum tentant, & virtutem clariſſimè oppugnant, quia cœleſti dignatione cæteris antelati vitiis ſcatere ſolent infecti, c.17. n.103. p..64

16. *Volumus à te ſignum videre, &c.*
Miracula in honorem, reuerentiamque petentium pro eorumque arbitrio volunt patrari, & contra temporum legis agi; quod inſinuauere dicentes: *Volumus.* Quid tunc Dominus? illos acriter carpit dicens: *Generatio mala, & adultera ſignum quærit.* Ecce miraculum, magnates ſcilicet, & diuites reprehendi, & illorum placitis contradici; nam diuites, magnateſque in omnia vitia impunè aſpicies proruere, & diuitiarum priuilegio illis peccata licere, c.17.n.19.p.239

17. *Volumus à te ſignum videre, &c.*
Chriſto Domino inſidias doloſè prætendunt; & in illorum gratiam miracula patraturum confidunt; inferunt iniuriam, & exigunt ſibi fieri gratiam, quod prorſus ſtultum eſt; delinire debuiſſent officiis, obſequiiſque obligare, dum cupiunt miracula fieri. Horum error in plures deriuatum eſt, Deum offenſis, ſceleribuſque exaſperant, & ſibi ſalutem, gratiam, & miſericordiam quaſi debitam ſperant. Ea peccatores cæcitas tenet, vt diuinam exaſperando iram, copioſam ſibi promittant miſericordiam, c.17.n.259. p.308

18. *Generatio mala, & adultera.*
Putares Chriſtum in Scribas, Phariſæoſque, dum illorum audaciam carpit, indignatione acri inflammatum, cùm reuera illos carpſerit tenero amore incenſus: nam Deus amicitiæ oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, c.15.n. 8.p.7

FERIA

Digitized by Google

Feria VI. poſt Dominicam 1.

Ioan. 5.

1. *Hominem non habeo, &c.* Non habebat hominem, qui ei manum porrigeret, & beneficium impenderet: Non deerant fortaſsè plures cognationis vinculo adſtricti, & beneficiis olim obligati; à paupere tamen, & miſerrimo omnes fugiebant, ſeque ſtudioſè ſeparabant; obſequia namq; rariùs ab obligatione videas exorta, quàm ab appetitu, & propria vtilitate profecta, c. 5. n. 2. p. 9

2. *Hominem non habeo.* Fortaſſis eximia Dei miſericordia fuit carere homine, vt frui valeret ſalute; e dntracta criminibus ægritudo impediebat in vndam ab Angelo motam ſe mittere; ſed ſi haberet hominem, vel ſalutem deſiderare forſitam diſſuaderet: eſt enim homo non ſemel grandius homini ad virtutem, obſtaculum, quàm perpetratum delictum, c. 15. n. 41. p. 14

3. *Vis ſanus fieri, &c.* Ægrotum deſignare peccatorem, eiuſque perſonam gerere Paralyticum, nulli dubium eſt, & tamen Deus cùm offenſis exaſperatus poſſet ſupercilio percutere, ab omnibus derelictum, blandè accedit, & ſalutem offert, ſuperiores edocens officiis ſubditum delinire, & ſi in illum potuerint ſtomachari, c. 15. n. 13. p. 6

4. *Vis ſanus fieri? &c.* Salutem offert Chriſtus à peccatore offenſus, & gratiam ſolicitat paralytici culpis exaſperatus; amabat namque hominem, & amor facilè obliuiſcitur offenſam, & offendentis ſolicitat gratiam, c 15. n. 53. p. 8

5. *Triginta & octo annos &c.* Qui ante infirmitatem, paupertatemque variis ſe criminibus illigauerat, pauper, & ægrotus iacebat, ſalutem tantùm ſuſpirans, non inſanarum appetitionum cauſas iam pertractans: per infirmitatem peruenit ad ſalutem, qui per ſalutem animæ contraxit languorem. Eſt enim non ſemel ingens Dei beneficium peccatorem calamitatibus premi, & graue ſupplicium proſperitatibus fortunari, cap. 15. n 95. p. 31

6. *Triginta & octo annos habens, &c.* Diù dura tormenta vexarunt quem volatica gaudia citiſſimè fefellerunt; fortaſsè exiguo tempore oblectatus eſt, breuem tamen oblectationem prolixis doloribus, & infirmitatibus ſoluit. Mihi crede. Vitium volaticis ineſcat ſpebus, & diſcruciat veris, & prolixis doloribus, c. 5. n. 145. p. 46

7. *Hunc cùm vidiſſet Ieſus, &c.* Non ignorabat Chriſtus quot annis iſte infirmus laboraſſet; benè nouerat diù iacuiſſe, qui permiſit languorem, vt mirabilem refuderit ſanitatem: beneficium fuit ægritudo, vt ex ſupplicio deformitatem agnoſceret cauſæ, exincepſque horreret delictum, expertus graue tormentum; culpæ namque deformitas ex iuſto ſupplicio coniicitur, & in pœnæ horrore videtur, c. 15. n. 236. p. 76

8. *Vis ſanus fieri? &c.* Fons Paralyticus nullam, aut exiguam ſpem ſalutis habebat, nam cùm ſæpeſæpiùs tardus ad aquam veniſſet, deſiderioque lugeret priuatus, iam nec curabat repere, nec vndis ſaluberrimis propinquare. Ergo Dominus ſi velit ſalutem, offert, vt nos in hoc Paralytico edoceat nulla adeò inexorabilia eſſe criminum vincula, quæ gratiæ ope nequeant diſſolui, & faciliter rumpi, c. 15 n. 313. p. 101

9. *Cùm enim venio alios, &c.* Tardis greſſibus ad ſalutem veniebat, qui fortè celeri greſſu ad infirmitatem inuolarat: ſalutis occaſionem lentitudo prætermiſit, cùm fortaſſis furor infirmitatis occaſiones maturaſſet. Is peccandi eſt hominibus furor, vt anteuertamus vel celeres occaſiones, & maturemus nobis calamitates, c. 15. num. 316. p. 103

10. *Inuenit eum Ieſus in templo, &c.* Tempus iam templo, & orationi ſacrabat, quia longum tempus infirmitatis, hoc eſt criminis vinculis impeditus, profuderat, & amiſerat: Prudenter decreuit tempus oratione inſtaurare, & honeſtis factis colligere, vt qui tempus perdidit: qui ergo paſſionum vinculis compeditus, huius Paralytici exemplum ſequatur, & inſtauret tempus eximiè feruidus, c. 15. n. 328. p. 107

11. *Dum enim venio, &c.* Tardè veniebat ipsâ infirmitate impeditus, & & retardatus: ſalutis videbat occaſionem, vigore tamen carebat, vt raperet. Peccatum vigorem expectorat, & ne opportunam ſalutis occaſionem rapiat, peccatorem quodammodo illigat, c. 5. n. 360. p. 118

12. *Inuenit eum Ieſus in templo, &c.* Accepto beneficio ob beneficium gratiæ agebat, gratiaſque agens nouum adeptus eſt beneficium, ſcilicet, *Noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* Non audiſſet adeò ſalubre conſilium, ni acturus gratias peteret templum. Profectò ſibi inuidet, qui honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c. 15. n. 367. p. 121

13. *Noli peccare, &c.* Quàm deterius eſſet ipſa infirmitate culpis inſici & culpis infectū mori; ſi homines prudenter expenderent, quàm graues ob peccatū maneant peccatores pœnæ, peccatum animitùs auerſarentur, & fugerent. Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & miraculis ſordidari, c. 15. n. 393. p. 129

14. *Triginta & octo annos, &c.* Fortaſse contraxit infirmitatem perſuaſus citiſſimè depellendam, & antiquam ſalutem recuperandam; errauit tamen, cùm triginta & octo annis ſuſtinuerit languorem, & quidem niſi Chriſtus miſericorditer vires refunderet, nunquam fortaſſis adipiſceretur ſalutem. Frequenter hìc error ad culpam viam parat, tempus ſibi peccatores peccandi præſcribunt, ſed peccatis ipſis impediti excutere iugum nequeunt. Qui, vt voluptati ſe traderet, voluptati tempus præſcripſit, manifeſtè delirauit, c. 16 n. 51. p. 18

15. *In his iacebat multitudo. &c.* Graues dolores, & fœdiſſimæ infirmitates voluptatis exiguæ fuerunt præmia, & ſtipendia digniſſima. Iacebant miſerè doloribus preſſi, & periculis cincti, vt in iacentibus vti in ſpeculo aſpicias, fœdæ, ac breuiſſimæ voluptatis apendices, conſequentiaſque eſſe importa-

Digitized by Google

bilia onera, anxiaque pericula, c. 16. n. 89. p. 19

16. *Iacebat multitudo languentium, &c.*
Vt hos miſeros vitium allectaret, promittebat lucrum, nullumque, aut leue fore aſſerebat incommodum: è contrà tamen accidit, nam aridi, cæcique ingemiſcebant ſalutem expectantes, nec conſequentes; iure vocantur cæci, nam ſi vterentur oculis, agnoſcerent vitium leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittere, ſed leui lucro grauiſſimum detrimentum afferre, c.16 n.125.p.174

17. *Cæcorum arido um, &c.*
Vbi quærebant fallaces voluptatum delicias, amaras inuenerunt cæcitatis, & ariditatis pœnas: valida vterentur ſalute, ſi à noxia abſtinuiſſent voluptate. Ergo dum indulgent voluptati, ſe tradunt vrgentiſſimo infirmitatis dolori; ibi namque peccator veriſſimam inuenit afflictionem, vbi fallacem ſibi promiſerat voluptatem, c.16.n.199.p.197

18 *Hominem non habeo, &c.*
Non habuit hominem, qui fortaſsè plures homines auxilium impertituros ſibi crediderat; Deum ſortitus eſt auxiliatorem, & medicum à creaturis deſtitutus, prorſuſque abiectus. Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, c.16.n.21 .p.101

Dominica II. *Quadrageſimæ.*

Matthæi 17.

1. *Aſſumpſit Ieſus &c*
Ab omni mundiali ſtrepitu Diſcipulos ſeparat, & cum morte congreſſurus prius ad montem ducit, cum Elia, Moyſeque agit. Non ſolùm in monte gloriæ illis guſtum propinauit, ſed de morte triumphare edocuit. Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi, c.16 n. 9. p. 24

2. *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*
Petrus imprudenter obſequioſus Chriſtum à morte auertere conabatur; verum dum vitam cupit producere, dolorem eius inuenitur ingerere; moriens namque Chriſtus aboleret Dei offenſam; vitam producens, videret iniuriam. Ergo grauior pœna erat viuens, quia Dei filiis & diuini honoris zelotipis nil adeò graue eſt, vt intueri diuinam offenſam, & auribus percipere iniuriam, c.16.n.244.p.211

3. *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*
Exiſtimabat Petrus, ſi ibi maneret, ſe ab hoſtilibus adſultibus fore prorſus liberum, & exemptum, ſed fortaſſis, dum nullum timet inimicum, grauius ſuſtineret detrimentum; adfert namque grauius detrimentum quàm cum inimico congredi, nullum fore aduerſarium credere, c.16.n.253.p.214

4. *Ecce apparuerunt illis Moyſes, &c.*
En Moyſes ad mortem quæſitus, & ab Ægyptiis reiectus poſt mortem in montis culmine ſuperius fulget luminibus: ecce Elias tot, tantiſque laboribus diuexatus, miris etiam emicat ſplendoribus. Iuſtis, peccatoribuſque contraria videas accidere Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur; peccatorum gaudia lamentis, & inhonoratione ſoluuntur, c.16. p.307. p.231

5. *Moyſes, & Elias, &c.*
Moyſes ærumnoſam vitam non recuſauit, honeſtam mortem ſubiuit: Elias patienter tulit ærumnas, & audacter ardentes ingreſſus eſt etiam flammas. Illorum Dominus, Chriſtus, ſcilicet de ſubeunda etiam morte agit, & Petrum honeſtam mortem non auerſari edocet; nam vir fortis ærumnoſam non odit vitam, mortem non fugit honeſtam, cap.16. n.301, p.229

6. *Faciamus hic tria tabernacula, &c.*
Moyſi, Eliæque ſatagit extruere tabernacula, fortaſsè vt in ſententiam ſuam trahat, & ibi manere liceat. Errauit Petrus; ſuo tamen errore nos docuit, ope alicuius ad apicem dignitatis euectos eius deſiderium obſeruare ſtudioſos, & morigeros, c.17.n.88.p.259

7. *Petrum, & Iacobum, & Ioannem, &c.*
Hos præ cæteris ſecum tulit ad montem, gloriæque ſpeciē oſtendit, quia eximiis inter alios Apoſtolos virtutum dotibus prælucebant, & amore etiam micabant. Ergo optimam politiam Principes, & ſuperiores edocuit, nempe deberi honoris augmenta, & cōmoda eximiis præ aliis dotibus prælucentibus, & honeſtis operibus emicantibus, c.17 n.227. p.299

8. *Duxit in montem, &c*
Si alij eſſent Chriſti diſcipuli, iter recuſarent, & montis cliuoſitatem opponerent, & quamuis apicem adepti fruerentur gloria, ne incenderent apicem, detinerentur ignauia. Hominibus vt in plurimum grauis labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18.n.38.p.312

9 *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*
Laborabat Reſpublica criminibus Chriſti morte abluendis, & tamen Petrus mortem Domini tentat differre, & ad gloriam illam diu fouendam tabernacula molitur conſtruere O quoties Reipublicæ Miniſtri ad apicem dignitatis euecti ſibi priùs conſulunt, generalitatique, aut non attendunt, aut poſteà proſpiciunt! c 18.n.49.p.315

10. *Reſplenduit facies eius ſicut Sol, &c.*
Sol non ſolùm ſibi lucet, ſed creaturis omnibus proficit, plantis vitam, campis fœcunditatem inſpirat. Ergo Dominus adinſtar ſolis reſplenduit, parum namq; eſt, ſi tibi ſoli reſplendeas. & cæteris nō ſuccurras. c 18.n.61.p.319

11 *Faciamus hic tria tabernacula, &c.*
Non ait, faciam, ſed faciamus. Non ait, bonum eſt me hic eſſe, ſed nos hic eſſe. Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari aliorum conſortio, c.18 n.130.p.349

12. *Tria tabernacula, &c.*
Quàm exiguis ſumptibus Petrus voluit inſeruire virtuti, rudi ſcilicet tabernaculo, cùm turrim altiſſimam, ſumptuoſamque homines dicauerint vanitati; verum iam hoc de more hominibus eſt, vitio ſcilicet ſumptuoſis diſpendiis inſeruire, & virtutem exiguis ſumptibus colere, c.18.n.243. p.383

13. *In montem excelſum, &c.*
Chriſtum comitati citò ad apicem montis glorioſiſſimi peruenerunt. Voluit namq; Dominus, vt aliquando pro virtute contingeret, quod pro vitiis ſæpè accidit; exiguo tēpore ad prauitatis apicem inuolatur, ad virtutis perfectionem tardiùs acceditur, c.19 n.29.p.402

14. Cum

Digitized by Google

34. *Cum eo loquentes. &c.*
Loquebantur de hominum vtilitate, & ſalute, de expungendis vitiis, de animarum morbis medendis: Itaque Chriſtus Dominus cum diſcipulis ſe ad campum contulit, non vt ſtuderet deliciis, ſed vt opitularetur miſeriis, docens Reipublicæ Miniſtros, & ad apicem dignitatum euectos vel in ipſo ſeceſſu Reipublicæ negotia tractare, nec tempus deliciis tantum impendere, c. 19. n.101. p.426

35. *Faciamus hic tria tabernacula, &c.*
Sibi quærebat contra hoſtiles inſidias ſubſidium, & Chriſto, Moyſique, & Eliæ conſtruere diſcupit tabernaculum, quia non ignorabat exhibitum Chriſto officium, ſubſidium indigentibus iuſtis miniſtratum ſecurum eſſe præbentis commodum, & propugnaculum firmum. c.19.n.173.p.447

16. *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*
Fulgurans Chriſtus Dominus ſpectaculum edidit, & ad mentis faſtigium diſcipulos duxit, vt contuiti præmium non recuſarent Crucis, & paſſionis Martyrium, Verum Petrus ibi manere ſtuduit, vt frueretur gloria, nec certaminis ſubiret pericula: & quidem huius doctrinæ Petrus diſcipulos reliquit nonnullos. Sunt namque qui exambiant apicis glorias, & annexas recuſent curas, c.20. n.118.p.515.

17. *Petrum, & Iacobum, &c.*
Grandis fauor fuit hos tres ad intuendam gloriam eligere, cùm dubitare non poſſent plures alios inferiùs remanere. Ergo de relictorum numero exaggeratius fuit his tribus beneficium impenſum, quandoquidem poterat Chriſtus hos relinquere, & alios ſecum afferre. Profectò Dei erga te commendat beneficia relictorum numerus, & infelicium plurimus cenſus, c.20 n.214. p.548

18. *Bonum eſt nos hic eſſe, &c.*
Nulli labori parcit Petrus, vt Societate Chriſti fruatur; tabernacula conſtruere molitur, montis fragoſitatem vincere non veretur, nobis aliter accidit: pro volatica, ac caduca vita, gloriave ſtudioſè amplectimur dura, pro ſalute ſpirituali, & gloria ſolemus detrectare leuiſſima, c.20.n 218.p.550

Feria IV. poſt Dominicam ſecundam.

Matth. 20.

1. *Poſſumus, &c.*
Thronos arbitrati ſunt in hoc mundo futuros, vt placet Chryſoſtomo in Caten. D. Thomæ. Ergo calicem bibere non refugiunt. Neſcias an tantas vires oſtentarent, ſi cæleſtes thronos crederent; nam pro volatica gloria, & caduca vita deglutiunt homines dura, cùm pro cœleſti gloria, & ſalute animæ detrectent ſæpè leuiſſima, c.20.n.218.p.550

2. *Dic vt ſedeant hi duo filij mei, &c.*
Cupiebat dignitatis honoribus reſplendere, & ſeſſionis otio vacare. Non ambiebant calicem, ſed exambiebant honorem. Sunt namque qui cupiant faſtigium dignitatis inſcendere, labores tamen dignitati annexos nolunt ſubire, c.20.n.118.p.515

3. *Dic vt ſedeant, &c.*
Cognationis iure exambiebat filiis thronum, quaſi eis deberet Chriſtus vti cognatus honorem. De humana conſuetudine præferri cognato, mulier exigebat: nam conſanguinitatis amicitiæque vinculum impedire ſolet iuſtitiam, & iniquam docet protegere cauſam, c.21.n 9.p.562

4. *Indignati ſunt de duobus fratribus.*
Cæterorum indignationem ſubierunt, dum ſe à communi omnibus vitæ modo ſepararunt; eſt namque non ſolùm periculoſum, ſed odioſum etiam ſe à generalitate diſiungere, & à cæterorum laboribus excipere, cauſiſque communibus non adeſſe, c. 21. n.69.p.584

5. *Poteſtis bibere calicem, &c.*
Ea in campum producit, & contra vitia pugnare docet: Deſiderabant cæteris anteponi, thronisque excelſioribus eminere. Ergo Chriſtum imitentur, armaque prenſarint in vitia; aliter namque nec nomina ſibi facient, nec illuſtria poſſidebunt ſtemmata. Qui depræliari contra vitia refugit, nobilitatis honorem, & nominis lucem obſcurauit, c.21.n.73 p.585

6. *Poteſtis bibere calicem, &c.*
Vt videtur, fratres mortem ſubire fugiebant, & thronos deſiderabant: Verum Chriſtus Dominus teſtatur quid petant neſcire, docetque calicem non recuſare. Mortem vincent, ſi contemnant, & non vincent, ſi refugiant. Profectò plures ignauè fugiendo mortem incurrerunt, & honeſtè contemnendo fugarunt, c.21. numero 85. p. 590

7. *Tunc acceſſit ad eum, &c.*
Deſiderabat mulier filios placida quiete frui, & à mundiali tumultu eximi. Ergo Chriſto Domino cum filiis ſuis acceſſit. Solus namque qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſando mundi ſtrepitu liberari, c.21.n.122.p.603

8. *Dic vt ſedeant, &c.*
Vt vota feliciter conſequantur, iubet Dominus eius ſequutos exemplum calicem bibere, & commodis, vt conſequantur commoda, renuntiare: renuntiare namque commodis, vt numinis obedias mandatis eſt virtutis lucrum, & felicitatis etiam augmentum, c.21.n.131. p.606

9. *Sed quibus paratum eſt, &c.*
Omnium Chriſtus Dominus operaturus ſalutem celeri paſſu tendebat. Mulier ſingulares thronos filiis procurabat. Verum Chriſtus Dominus noluit cæteros ſingularitate exaſperare, ſed omnibus prouidere, ſuo nos exemplo docens, debere Principes, ſuperioreſque omnium ſaluti conſulere & ſingularitates vitare, c.21.n 156 p.616

10. *Vnus ad dexteram tuam, &c.*
Chryſoſtomus, aliique Patres exiſtimant in Caten D. Thom. ſerpentem antiquum hoc mulieri conſilium inſpiraſſe, filium ſcilicet ad ſiniſtram collocare. Profectò hæc

mater, dum à Chriſto non carpitur, deliquiſſe non videtur: Verum dum filio ſolicitat ſiniſtram, aliquorum parentum errores adumbrat. Sunt namque qui cum debeant promouere virtutem, filiis ſuadeant, & conſulant prauitatem, c.21.n.206.p.636

11. *Adorans & petens, &c.*
Solùm vbi legis petitionem, adorationis leges obſequium, eadem conſanguinitatis vinculo hæc mulier Chriſto Domino anteà coniuncta erat, & tamen impendiſſe non lego debitum adorationis tributum, quouſque eius pro filiis deſiderauit ſuffragium. Modo adorat, quia impetrare modo deſiderat, vt noueris obſequia ab obligatione rariùs exorta, quàm ab appetitu, aut propria vtilitate prognata, c.15.n.23.p.9

12. *Vnus ad dexteram, &c.*
Chriſtus Dominus non rogauit Diſcipulos per matrem, an poſſent calicem bibere, quia fors mater bibere calicem diſſuaderet; filij ſiniſtram deſiderantes, matris opera vſi ſunt. Itaque cùm ſolicitarit ſiniſtram, calicis forſitan diſſuaderet contumeliam: & quamuis in hac pientiſſima fœmina nullum fuerit in petitione delictum, ſuo tamen facto docuit non ſemel parentes filiis, filiabuſque erroris occaſiones concinnaſſe, & virtutis impediſſe, c.15.n.86 p.28

13. *Dic vt ſedeant, &c.*
Temporales thronos cogitabant, vtque ſibi acquirerent, citius aliis petere ſatagebant, & matris ſuffragium ad impetrandum facilius deſiderabant: non videbant calicem, & iam diſcupiebant ſedem. Semper ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius, c.5.n.205. pag. 65

14. *Dic vt ſedeant, &c.*
Cùm omnibus Chriſtus propinaret Calicem, promiſiſſetque ſedem, fratres diſcupiebant ſedem, obliuiſcebanturque calicem, quod accidere ſolet non ſemel; plures namque & ſi communem cum aliis vitam agant, velintque vtilitatis, & honoris eſſe participes, eſſe ſatagunt laboris communis expertes, c.5.n.339.p.111

15. *Tum acceſſit ad eum mater filiorum Zebedei.*
Sperauerant filij in gratiam matris Chriſtum Dominum ſedes conceſſurum; verum Chriſtus ſanctitatis norma, & æquitatis exemplar in fœminæ gratiam non conceſſit quod debebatur meritis, & glorioſis de hoſtibus triumphis. O ſi diſcerent à Chriſto Domino, qui Rempublicam adminiſtrant, nec ad elucrandam ſibi fœminarum gratiam indignis meritorum præmia concederent. Munia, officiaue in fœminarum gratiam conceſſa accipientibus afferunt lucrum, ſed dilargientibus probrum, cap.16.num.192. pag.195.

16. *Dic vt ſedeant, &c.*
Profectò ſi piſcatores, & homines antea è media plebe thronis, & dignitatis luminibus quia à Chriſto acceſſerant, reſplenderent, eius forſan gloriam, & famam innubilarent: Neque enim ſine Principis detrimento, & Reipublicæ incommodo poſſunt facultatibus, & commodis exundari, quos heri conſtabat inopia premi. Ergo Chriſtus Dominus vt virtutis, & optimæ politices Magiſter thronos non conceſſit, & indignationi cæterorum occurrit. Pro comperto habe; ſi Principi, Miniſtrove adhærentes citò, & præter opinionem commodis effulgeant, eorum obſcurabunt famam, & imminuent ſæpè fortunam, c.16.n.216.p.201

17. *Dic vt ſedeant, &c.*
Erant fratres Chriſti Domini conſanguinei. Ergo mater & ſi nullum tunc allegauerit meritum, ad cognationis inuolauit ſuffragium, arbitrata ſatis ad dignitatem dignos, quos eſſe conſtabat affinitate coniunctos. Verum Chriſtus Dominus edocuit dignitates elargiendas emeritis, non cognatis. Sed proh dolor! Cognatus ad dignitatem ſæpè præficitur & dignus cognationis titulo habetur, c.17.n.129.p.175

18. *Poteſtis bibere Calicem, &c.*
Ante calicem thronum inſcendere diſcupiebant. Ergo iure audierunt, *Neſcitis quid petatis*; quia dignitatem ſine meritis poſſidere, non tam eſſet commodum, quàm periculum: Ad dignitatem namque ſine meritis inuolanti exaugurationis imminet nota, & ex authorationis pœna, cap.17. num. 170. p 283

Feria. VI. poſt Dominicam ſecundam.

Matth. 21.

1. *VEnite occidamus, &c.*
Attendebant diuitiis frui, non virtutibus exornari: Ergo vt vineam valeant poſſidere, Dei filium aggrediuntur occidere; deſpicabilis namque habetur honeſtas, ſi tantum ſuſpiretur vtilitas, cap.17 n.173. p.182

2. *Venite occidamus eum, &c.*
Ecce inſurgunt, vti inimici qui vinea fuerant honorati, munus peruerterunt, & cum debuiſſent vineam colere, in vineæ dominum conſpirauerunt inſurgere; & quidem ſæpè contingit munus ad contrarios vſus detorqueri, & dignitate honoratum largitoris inimicum inueniri, cap. 17. numero 205. pag. 193

3. *Eiecerunt extra vineam, &c.*
Extra vineam eiecerunt, vt occiderent; Pilato tradiderunt ſibi quemquam occidere non licere dictitantes; itaque affectabant alienam iuriſdictionem non violare, cùm Chriſtum geſtirent occidere. Horum inuenias aliquando imitatores; ſunt namque circa leuiſſima ſcrupuloſi, circa grauiſſima nullis ſcrupulis impediti, cap. 17. numero 230. pag. 201

4. *Miſit ſeruos ſuos, &c.*
Pauperes miſit, quibus agricolæ ſoluerent redditus, largirenturque fructus: Agricolæ verò cupiditate obcæcati vineam ſibi acquirere cogitabant, & Domini ſeruos iniuriis afficiebant. Profectò ſibi vineam acquiſiſſent, ſi Domini ſeruis, & pauperibus ſubſidia miniſtraſſent: eſt namque ingentiſſimum

Digitized by Google

mum ſibi lucrum acquirere, iuſtis, ac pauperibus opportuna ſubſidia impendere, c. 17. n. 234 p. 302

5. *Et noſtra erit hæreditas, &c.*
Quàm graui cæcitate agricolarum oculi premebantur, vnigenitum Domini filium occidendo in ſe ſuccendebant iracundiam, & nihilominus ſibi promittebant vineam: *Et noſtra (inquiunt) erit hæreditas.* Tanta ſanè eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exulcerando iracundiam non vereantur pœnam, ſed ſperarint miſericordiam, c. 17. n. 259. p. 308

6. *Vt acciperent fructus eius, &c.*
Fructus reddere noluerunt, & qui ſi fructus ſoluerent, vinea vterentur copioſa, amiſerunt vineam, & grauiſſimam ſubierunt pœnam. Nam qui debitas Domino non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas, c. 18. n. 29. p. 310

7. *Eiecerunt extra vineam, &c.*
Dum publicè crimina perpetrare non erubeſcunt, lapide duriſſimo confringuntur; minori pœna mulctarentur, ſi intra vineæ ſepta oculos reueriti culpa fuiſſent denigrati; at dum crimen ſuum oſtentant extra vineam, duriſſimam ſibi conſiliant pœnam. Malè ſibi ominatur, qui crimen ſuum publicare non veretur, cap 18. num 65. pag. 330

8. *Et noſtra erit hæreditas, &c.*
Deliri errarunt; verum dum propriæ vtilitatis ducuntur ſtudio, aliqualem ad ſpeciem excuſationem quæſiuerunt errato: cæciores iſtis inueniuntur nonnulli; ſolitant namque deuorare delicta, non vt ipſi, ſed vt alij aſſequantur augmenta, cap 18. n. 106. pag. 341

9. *Et noſtra erit hæreditas. &c.*
Putabant iam occiſo hærede nullum ſibi imminere periculum, & ſine lite vineæ fore percepturos emolumentum: Verum tunc durior illos oppreſſit calamitas, *Conteret eum*, cùm falſa adulabatur ſecuritas; & quidem falsò exiſtimata ſecuritas eſt grauiter peccatoris calamitas, c 18. n 117. p. 345

10. *Et noſtra erit hæreditas. &c.*
Se felices putabant, quia copioſis exundabant fructibus, & vineæ vtebantur redditibus: Verum tunc duriſſimus lapis eos contriuit, cùm floridior felicitas eos feſellit: & quidem quo maior peccatori arridet felicitas, proximior imminere ſolet calamitas, cap. 18. n. 121. p. 346

11. *Venite occidamus eum, &c.*
Quam ſuſpicabantur opportunam occidendi filium occaſionem, ſtudioſè rapuerunt, & cùm reddendi fructus opportunum tempus illos adurgeret, fructus reddere non curarunt. Non ſuſtinent homines delicti occaſionem elabi, virtutis patienter ferunt amitti, c 18. n. 154. p. 356

12. *Venite occidamus eum &c.*
Diuitias ſibi promittebant, ſi Deum occiderent, verum ingenter errarunt, nam vineæ Dominus malos malè perdidit, & vineam aliis locauit. Profectò Deo priuatus & ſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet, & nudus, c. 18. n. 188. p. 366

14. *Et noſtra erit hæreditas, &c.*
Non ſuſpirabant ſanctitatem, ſed felicitatem ſitiebant; illis erat felicitas pro virtute, cùm virtus eſſe debeat pro felicitate. Qui virtuti ſeruit, eſt felix; qui auerſatur, infelix eſt. Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas; improbis pro ſanctitate felicitas, cap. 18. n 201. p. 370

14. *Malos malè perdet, &c.*
Qui vt obedirent Patrifamilias, ad percipiendos fructus tetenderant, ab agricolis contumeliis ſunt affecti, ſed à Patre æterno præmio donati: Agricolæ diù vineæ fructibus exundarunt, ſed ad extremum duro lapide perierunt. Ergo ſi totam peccatorum aſpicias fortunam, horrebis; ſi iuſtorum totam, ambibis, c. 18. n. 221. p. 376.

15. *Vt acciperent fructus eius. &c.*
Promiſerant agricolæ cùm vineam acceperunt, fructus reddere; poſtea tamen fidem violarunt, nec redditus Domini ſeruis ſoluerunt. Profectò ſi fidem ſuam ludo, aut mulierculis oppigneraſſent, diligenter ſoluiſſent: fides namque ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur, quæ ob virtutem non tarò eluditur, c. 18. n. 238. p. 381

16. *Eiecerunt eum, &c.*
Dum publicè peccant, dum ſcandalis alios peccare edocent, peſſimè ſibi ominantur quod & illis accidit; malè namque ſibi ominantur delicta, ſi in publicum audiant, & aliis pariant ſcandala, cap. 18. num. 147. p. 384

17. *Iterum miſit alios ſeruos &c.*
Non ſolùm primis, ſed cæteris aliis reſtiterunt, & oppigneratam fidem violarunt. Promanabat agricolis infelix emolumentum, ſi ſeruos, filiumque occiderent. *Noſtra* (inquiunt) *erit hæreditas.* Ergo adhæſerunt tenaciſſimè vitiis; nam vitium, ex quo temporale reſultat commodum, adhæret quodammodo concarnatum, c 18. n. 261. & 270. p. 388. & 391

18. *Iterum miſit alios, &c.*
Etſi agricolæ iniuriis ſeruos affecerint, alios miſit & hæredem delegauit, vt agricolas ab iniquitate reuocaret, rationique redderet: ad vltimum decreuit ſupplicia. Nam Princeps, bonuſque ſuperior magis curabit peccatum tollere, quàm peccatorem punire, c. 19. n. 53. p. 411

Dominica III. *Quadrageſimæ.*

Lucæ 11.

1. ERat *Ieſus eiiciens Dæmonium, &c.*
Dæmonium corde fouebat; mutus tamen fouere non publicabat; delinquebat, de delictis tamen non gloriabatur, & fortaſſis ad commiſerationem traxit, dum delicta non iactat. Malè namque ſibi ominantur, ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant, c. 18. n. 247. p. 384

2. *Et illud erat mutum, &c.*
Ob leuem fortè voluptatem duris adurgebatur tormentis, ſenſuum vſu priuatus, & à diabolo poſſeſſus; leuis namque voluptas duriſſimas affert pœnas, & inextricabiles parit non ſemel anguſtias, c. 19. n. 33. p. 404

3. *Et*

3. *Et cùm eieciſſet dæmonium, &c.*
Hominem Chriſtus non torſit, dæmonium eiecit; nam vti optimus Princeps, ſuperiorque non amabat infligere pœnas, ſed auferre culpas; vt hinc diſcant ſuperiores, & Principes optimam politiam; nam bonus ſuperior non tam debet curare peccantem affligere, quàm peccatum tollere, cap. 19. n.53. p. 411

4. *Et illud erat mutum, &c.*
Non exigua patiebatur, & tolerabat, ne à diaboli ſeiungeretur amicitia, & conſortio; reliquiſſet virtutem, ſi cogeretur ad ſuſtinendas ærumnas: diabolum non relinquebat, cùm graues pateretur miſerias. Inueniuntur namque plures laudabilis tolerantiæ expertes, & patientiæ indignè conſortes, c.19.n.7 .p.416

5. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium.*
Ieſus per ſe ipſum facilè dæmonium expulat: allatus ille lunaticus ad Diſcipulos, adeò citò expellere non valuerunt: vt hinc diſcas ſuperiorem, Principemque per ſe ipſum facilè obtinere, quod tardiùs, aut difficiliùs per miniſtros quiuit perficere, cap. 19. n.82. p.4 9

6. *Et illud erat mutum.*
Fortaſſis diabolus initio ſuaſit exigua: poſtquam verò præcordia poſſedit, ora ſilentio ſigillare ſuaſit. Nequebat homo iam graui illo tormento abſolui, & fortè putauit, vt admitteret expediri poſſe faciliimè: Vitium namque vt deueniat ad vlteriora, initio tentat exigua, c.19.n.90.p.422

7. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium, &c.*
Chriſtus Dominus congrediebatur cum dæmone, nec timebat depræliari, vt qui omnibus virtutibus exornatus, & ſanctitate conſpicuus. Plures ſuperiores non audent in vitia, quia inquinati ſordeſcunt culpa. Ergo culpam fuge, vt in culpam libera fronte prenſeris arma. Libera namque fronte in vitia armatur inuectus quiſquis non ſordeſcit vitiis etiam inquinatus, cap.19.n.200. p.453

8. *Et ingreſſi habitant ibi &c.*
Pluribus vitiis, & dæmonibus inſeruiens miſer hic homo degebat pacatè, & qui poſſeſſus ab vno quæſiuit fortè remedium, poſſeſſus à plurimis remedij à ſe ablegauit ſtudium: Peccator namque quo paſſu deterior, infeliciter degit ſecurior, cap. 19. n.309. p 456

9. *Et illud erat mutum.*
Videbat miſer hic homo periculum ſibi imminere, deuorabat tamen, ne diabolum relinqueret, & à ſe ablegaret. Huius imitatores inuenias; vident imminere ſibi periculum, diſſimulant tamen ne relinquerint peccatum, c 20.n.32.p 489

10. *Et illud erat mutum, &c.*
O quantis Anguſtiis miſer hic exagitabatur, trahebatur à voluptate, & periculi diſcruciabatur timore. Peccator duro diſſidio premitur, dum à voluptate trahitur, & timore etiam percellitur, c.20.n.73.p.500

11. *In Belzebub Principe dæmoniorum, &c.*
Poſtquam mutum dæmonium Chriſtus depulit ob murmuratorum audaciſſimas linguas eſt paſſus; nec poterat non ſuſtinere audaces linguas, qui conabatur depellere dæmonas. Profectò opus eſt contra duros muniatur adſultus, qui peccatorum corrigere molitur defectus, c.20.n.93.p.507

12. *In Beelzebub, &c.*
Parum erat Chriſtum pro virtute pugnare, ni ob ipſam pugnam linguas audaces ſubiret. Tulit ad noſtram eruditionem impudentium linguas, & depulit ab homine offenſas. Profectò eximia fortitudo pro virtute pugnat, & ob certamen labores patienter tolerat, c.20.n.143.p.524

13. *In Beelzebub, &c.*
Manifeſtè errabant qui Chriſto Domino culpam impingebant, cùm viderent ad dæmonem depellendum ſacram eius energiam. Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis admiſit offenſam, c.20. n.152.p.527

14. *In Beelzebub, &c.*
Non ignorabat Chriſtus armandas in ſe procaces linguas, ſi depelleret dæmonium, & ſanitati redderet mutum; contempſit tamen proprium detrimentum, vt perſequeretur dæmonium. Nam bonus Princeps, Prælatuſque vt puniat, & perſequatur delictum, proprium contemnit incommodum, c.20.n. 79. p. 536

15. *Et illud erat mutum.*
Voce priuatus eſt qui dæmoni indulſit: à tergo delinquentem ſequitur detrimentum, & ob id ſibi prouideat effugiũt, ſciatque pœnam, & calamitatem legitimam eſſe ſceleris prolem, & progeniem. Ergo neceſſum eſt peccatori ſibi prouidere effugium, nam à tergo ſequitur detrimentum, cap. 21. n. 60.p.617

16 *In Belzebub Principe dæmoniorum, &c.*
A Dæmone poſſeſſus tacebat, & homines liuore æſtuantes in Chriſtum linguas armabant, nullo prorſus innixi fundamento Magicæ artiſanitatem tribuebant, & fugiſſe dæmonem reueritum non Chriſti virtutem, ſed Beelzebub poteſtatem exertis vocibus publicabant. Plus apud illos valebat ſuſpicionis audacia, quàm miraculi euidentia; ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, c.15.n.113.p.36

17. *Erat Ieſus eiiciens dæmonium, &c.*
Miſer homo ab vtraque parte decertantium impetitus inextricabiles ſuſtinebat miſerias; à Chriſto cogebatur dæmonem depellere; à dæmone Chriſto ſuadebatur contraire. Ergo quò ſe verteret neſciebat: hoc namque materiali exemplo voluit Chriſtus Dominus Anguſtias peccatorum nobis depingere, & digito quaſi monſtrare; in eas ſe aliquando conicit peccator Anguſtias, vt ambiguus ab vtraque parte inextricabiles cogatur ſuſtinere miſerias, c.15 n.138.p.44

18. *Et illud erat mutum, &c.*
Quem miſer homo admiſerat, lingua, & voce dæmon priuarat; à ſe corde admiſſus arma in illum vertit peruerſus, & quidem quæ à nobis imprudenter fota iuſtè in nos conuertere ſolent arma, c.15.n.232.p 74

Feria IV.

Digitized by Google

Feria IV. poſt Dominicam tertiam.

Matth. 15.

1. *QVare & vos,&c.*
Calumniis impetitus Dominus ipſis calumniatoribus impertitur beneficium, dum exprobrat diuinum temeraſſe mandatum. Certè dum exprobrans vult corrigi delictum, amicitiæ oſtendit deſiderium. Crede Deum amicitiæ oſtendere deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, cap. 5. n. 8. pag. 7

2. *Accesserunt ad Ieſum, &c.*
Iter arripiunt, quia quieſcere neſciunt: deſpiciebant Dei legem, cupiditatis, & ambitionis ſequuti deliria. Ergo nequibant placida frui quiete, ſed eundo, & redeundo laxari: Nunquam quieſcit appetitus legem ſequutus, quia circumvoluitur variis vorticibus agitatus, c.15.n.17.p.11

3. *Quare Diſcipuli tui,&c.*
Ecce ſcribæ obſeruabant ſeniorum conſuetudines, cùm diuinas ſpernerent leges; à conſuetudine non recedebant, legem non curabant. Si ratio, conſuetudoque decertarint, vincet infeliciter conſuetudo, & amandata lugebit ratio, cap 15.num.32. pag. 12

4. *Quare & vos transgredimini mandatum Dei.*
Sine timore legem tranſgrediebantur, fortaſſis dignitate, authoritateque fiſi. Certè ea nonnulli peccant impudentia, ac ſi licerent delicta, c.15.n.75.p.25

5. *Quare & vos,&c.*
Sibi plaudebant ſeniorum traditiones ad vnguem obſeruantes, & legem clariſſimè deſpicientes; conſulebant templo offerre munia, etſi parentes laborarent inopia, & quod tunc illis, modo etiam aliquibus accidit. Nonnulli ſunt qui violata lege ſibi blandiantur de aliquali deuotione, cap.15. n.99. p.32.

6. *Quare Diſcipuli tui, &c.*
Abſentes diſtabant, an diſcipuli manus lauarent, aut non lauarent, videre non poterant: Satis tamen illis fuit ſuſpicari ad ingerendam calumniam, & armandam contra Apoſtolos linguam. Profectò ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt contra, c.15.n.113.p.36

7. *Vos dicitis, quicumque, &c.*
Vigebat apud ſcribas, & Phariſæos opinio, poſſe videlicet homines templo offerre, quæ debuiſſent parentibus miniſtrare. Ergo hanc opinionem modo tuebantur, quantumuis lex reclamaret, & parentum neceſſitas adurgeret: eſt namque rarus, qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & cupiditati patrocinantem, cap. 15. num. 150. pag. 48

8. *Quare Diſcipuli tui, &c.*
Mentiebantur agere virtutis cauſam, cùm monerentur inuidia. O quàm frequens hoc vitium eſt. Nonnulli Dei cauſam agunt, non legitimo zelo inflammati, ſed indignatione, aut vtilitate commoti, cap.15. n.252. p.81

9. *Quare & vos,&c.*
Pro Apoſtolis ſtabat ratio, contra Apoſtolos Scribarum, & Phariſæorum potentia. Ergo cauſa ad Chriſti tribunal delata protulit contra calumniatores ſententiam. Hoc Chriſtus docuit, verum non ſemel ſi potentia, ratioque decertent, iudices vt adulentur magnatibus,infirmiorum obſurdeſcere ſolent rationibus, c.15.n.290.p.94

10. *Nam Deus dixit: Honora Patrem,&c.*
Natura ſuadebat parentes alere; lex diuina patrocinabatur naturæ, & tamen Scribæ, Phariſæique vt quid ſibi acciperent, conſulebant, patribus ſubſidia non offerre, ſed templo conſecrare: Cupiditas naturæ leges ignorat, & contra naturam auxilium præſtat, c.15.n. 52. p.115

11. *Non lauant manus,&c*
Adhærebant Apoſtoli Chriſto. Ergo Scribæ, vt Chriſti obſcurarent famam, Apoſtolos publicabant manibus ſordere, & inſtis ſanctionibus contraire; & quidem ſcribarum calumnia nobis eſſe poteſt doctrina. Certè ſi Principi, miniſtroue adhærentes manibus ſordeant, diuitiiſque affluant, eius obſcurabunt famam, & imminuent etiam fortunam, c.16.n.216.p.202

12. *Non lauant manus,&c.*
Graui circa manus ablutionem adurgebantur ſcrupulo, cùm grauiſſimo contra legem inquinarentur peccato. Parentes interire ob inopiam nullum illis videbatur peccatum; manus non lauare grauiſſimum habebatur delictum. Nonnulli inueniuntur circa leuiſſima ſcrupuloſi, circa grauiſſima ſcrupulis nullis perculſi, c.17.n.230.p.301

13. *Vos autem dicitis &c.*
Scribæ cùm deberent indigentibus proſpicere, filios monebant patres non alere, ſed munera templo offerre, quia cùm de templo oblatis aliquid eis prouenirct, ſolicitabant ſibi lucrum, nec curabant vt indigentibus parentibus filij miniſtrauerint alimentum. Certè aliquando Miniſtri pro Reipublicæ ſalute electi ſibi conſulunt,& Reipublicæ non attendunt, c.18.n.49.p.325

14. *Munus quodcumque, &c.*
Peccabant qui parentes perire inopia ſinebant, & templi aras copioſis muneribus exornabant; & tamen templi miniſtri qui debuiſſent carpere, inueniebantur conſulere: vtilitas miniſtrorum conſcientiam ſopiebat, & miniſter offerentis culpam inaurabat. Sæpe namque vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, nec veretur inaurare peccatum, c.18. n.270. p.391

15. *Scribæ, & Phariſæi, &c.*
Se religioſiſſimos venditabant manus abluentes, vtque diteſcerent, diuina ſpernebant mandata; inſeruiebant cupiditati, & affectabant inſeruire virtuti. Sunt namque qui velint coniungere virtutis plauſum, & vitiorum commodum, cap. 19. numero 62. pag. 411

16. *Non lauant manus, &c.*
Nulla Apoſtolos inquinabat culpa, & tamen quia manus non lauabant, illos obſcurare

Digitized by Google

rare moliebatur querela, vt Deo ſacrati diſcant quanta opus ſit puritate nitere, & virtutum concinnitate exornari. Certe Deo ſacratis non ſolùm culpa fugienda, ſed culpæ vmbra, & proximitas declinanda, cap. 19. n. 138 p 437

17. *Nam Deus dixit: Honora patrem, &c.*
Lex diuina ſanxit filios parentibus ſubuenire, & ad vitam alendam ſubſidium miniſtrare; nec ſolùm parentibus, ſed filiis etiam conſuluit: exhibitum namque indigenti ſubſidium in amplum præbentis redundat commodum, & ſecurum eſt propugnaculum, c. 19. n. 173. p. 446

18. *Quare Diſcipuli tui, &c.*
In ab eis conficta errata, in Apoſtolis falsò adſcripta delicta acriter excandeſcebant, ſuaque grauiſſima crimina cæcis oculis præteribant; non attendebant à ſe legem infringi, & criminabantur manus non ablui. Ergo Chriſtus Dominus iuſtiſſimè carpſit, *Quare & vos, &c.* Eſt enim iniquum in aliena errata acriter excandeſcere, & propria, & ſi grauiſſima, cæcis oculis prætetire, c. 20. n. 62. & 65. p. 497. & 498

Feria. VI. poſt Dominicam tertiam.

Ioannis 4.

1. *Sedebat ſic, &c.*
Poterat Chriſtus in mulierculam tot criminibus denigratam acriter inuehi: maluit tamen aquam offerens allicere, & blandiſſimis verbis attrahere, ſuperiores edocens, contra dignitatem non eſſe, cùm poſſint ſtomachari, ſi aggrediantur officiis ſubditum elucrari, & delinire, c. 15. n. 13. p. 6

2. *Quinque viros habuiſti, &c.*
Exprobrat delictum, vt dum mulier fatetur, & agnoſcit erratum, ad diuinæ benignitatis confugiat aſylum. Certè Deus amicitiæ oſtendit deſiderium, dùm exprobrat delinquenti delictum, c. 15. n. 18. p. 7

3. *Quinque viros habuiſti, &c.*
Quieſcere non poterat, quæ appetitus legem ſequebatur; ab vnius viri deſiderio ad deſiderium alterius tranſibat nunquam ſatiata, & ſemper variis deſideriis inquieta; nunquam quieſcit appetitus, ſed circumvoluitur deſideriis variis agitatus, cap. 15. n. 27. pag. 11

4. *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, &c.*
Amaſio aquæ amphoram oblatura fontem candente ſole petiuerat, Chriſtus, pauper, & ſitibundus aquam poſtulabat: verum miniſtrare refugit Chriſto, & ambit copioſas vndas præbere Amaſio. Numquam deeſt vitiis exercendis copia; ad virtutes inopia premit, aut ignauia, cap. 17. numero 9. pag. 136

5. *Quomodo tu Iudæus. &c.*
Ratio Chriſto Domino ſitienti aquam exigebat miniſtrare, præcipuè cùm puteus ille Patris eius Iacob eſſet: Verum mulier geſtiebat obſequia præſtare appetitui, non rationi, quod accidere frequenter videas. Obſequia rariùs ſuaſit ratio, quàm vtilitas, aut appetitus, c. 15. n. 23. p. 9

6. *Quinque viros habuiſti, &c.*
Mulier candenti ſole fontem petebat, ab omnibus nota, & ob vitium digito fortè deſignata, illa tamen, vt indulgeret appetitui, non attendebat honori; præceps namque, & exoculata libido tendit ad voluptatis euanidum gaudium per honoris etiam contemptum, c. 15. n. 37. p. 13

7. *Venit mulier, &c.*
Omnibus ſatis erat mulier nota, quia cupiditati, voluptatique inuerecundè dicata. Profectò ea nonnullæ peccant impudentia, ac ſi licerent delicta, c. 15. n 75. p. 25

8. *Venit mulier haurire aquam, &c.*
Voluptati inſeruiens itinere defatigabatur ſolis ardore vrebatur, amphoræ onere prægrauabatur, & forſitan dum laboribus teritur, ad audiendum Chriſtum diſponitur: Forſitan minus benè, cum illa actum eſſet, ſi diuitiis exundaret. Eſt namque grande beneficium peccatorem calamitatibus premi, & ſupplicium grande proſperitatibus fortunari, c. 15. n 95. p. 31

9. *Patres noſtri in monte hoc, &c.*
Deuotionis muliercula, cùm legem infringeret, cauſam tractabat, & quo in loco adorandus eſſet Deus ſolicitè perquirebat. Sunt qui violata fædentur lege, & ſtudeant ſolicitè huius ſancti, aut alterius deuotioni, c. 15. n. 99 p. 32

10. *Hora autem erat quaſi ſexta, &c.*
Satis lucebat ſol, ſed mulieris oculi ad virtutem tenebreſcebant. Erat voluptati mancipata: Ergo cæcitate oppreſſa Nam qui carnis gerit negotium, grande luci, prudentiæque oppoſuit impedimentum, c. 15. n. 104 p. 33

11. *Propheta es tu &c.*
Non negauit mulier, ſe voluptatibus inſeruiſſe, & oblectamenta curaſſe, & fors dum non negat, ad miſericordiam trahit: grauius namque eſt aliquando errorem excuſare, aut defendere, quàm committere, c. 15. n. 709. p. 35

12. *Quinque viros habuiſti, &c.*
Fors mulier illicitis frueretur deliciis, aliarum maritos deſiderauit, aut ipſa fidem debitam matrimonio fregit. Neſcias quid voluptati ſuperaddatur, dum furtiuè, & periculosè exercetur. In vetitum nitimur, & voluptas habetur dulcior, ſi fuerit periculoſior. c. 15. n. 124 p. 40

13. *Venit mulier haurire aquam &c.*
Forſitam amaſij ditandam promiſerant, & omnibus commodis mulierem exundaturam fore aſſerebant, cum tamen vitiis inſeruiens onere prægrauaretur, & ad hauriendam aquam candente ſole venire cogeretur. Vitium namque allicit ſpebus, cùm diſcruciarit doloribus, c. 15. n. 145. p 46

14. *Hora autem erat quaſi ſexta, &c.*
Candente ſole tenera mulier aquam hauſtura aduentarat, nec poſſe æſtu infirmitatem incurrere præuidebat. Profectò qui libidini addictus, ad pericula probatur incautus, cap. 15. numero 181. pag. 57

15. *Hora*

Digitized by Google

15. *Hora autem erat quaſi ſexta,&c.*
Eadem hora ſedebat Christus ad inferendum bellum luxuriæ, ac mulier venit, vt inſeruiens luxuriæ, & amaſio aquam deferens, oppugnaret caſtitatem. Diſcat à Chriſto Domino eius miniſter, induatque pro extirpandis vitiis, quam ſolertiam induit mundus pro virtutibus deterendis, & vitiis incrementandis, cap. 15. n.225 p 72

16. *Venit mulier, &c.*
Quàm miſera erat mulier! vt inſeruiret amaſio, obſecundabat, & haurire aquam oblatura veniebat. Certè aliquando turpiùs homo vitiis inſeruit, quàm Dæmon inſeruiret: Dæmon namque, vt imperet, obſecundat, ſed homo obſecundat, vt ſeruiat, c.15.n.275.p.89

17. *Sedebat ſi. ſupra fontem, &c.*
Sic ſedebat, nempè itinere defatigatus, ſoliſque ardore, & viuida ſiti aduſtus: poſſet facilè vti Apoſtoli ad ciuitatem ſe contuliſſe; maluit tamen ſubire incommoda, vt mulier ſalubria exhiberet medicamenta. Bonus namque Superior eliget ſubire incommoda, ne ſubiectos miſera premat ruina, c.15.n.294. p.96

18. *Quinque viros habuiſti, &c.*
Quia mulier voluptati prolixum tempus impenderat, modò relicta hydria celeri volatu ciuitatem adiuit, & homines ad Chriſtum adduxit. Diſcant hinc qui tempus profuderunt voluptatibus dedicati, inſtaurare amiſſum eximiè feruidi, cap. 15. n. 318. p. 107

Dominica IV. *Quadrageſima.*

Ioann. 6.

1. *CVm ſubleuaſſet ergo, &c.*
Statim ac vidit ſequentes turbas, de remunerandis obſequiis, & honeſtis laboribus cogitauit, Principes docens benemeritos remunerare, & illorum preces anxias anteuertere. A quo laudabiliter militia, aut munus aliud peragitur, ſuperior nullatenus remunerare cunctetur, cap.15. n.356. p.116.

2. *Vt manducent hi, &c.*
Iterum Chriſtum Dominum ſequuti ſunt plures ex his, qui Chriſtum Dominum ſequebantur, & forſitan ſequi recuſarent, ni alimenta recepiſſent. Eſt enim miraculi adinſtar, ſi ſeruiat iterum impræmiatus, & poſt labores anxios reiectus, c. 15. n 371. p 122

3. *Et cùm gratias egiſſet, &c.*
Gratias egit, & Patri miraculum adſcripſit, ne ipſi qui accipiebant beneficium, illum poſteà criminarentur, & affectaſſe regnum, aut diuinitatem iactitarent. Docuit ergo optimam politiam: prudens namque ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela, & armatur contra diſcrimina, cap. 15. n.380. p 125

4. *Cùm gratias egiſſet, &c.*
Vt calamitati celere afferret remedium, orationis aſciuit ſuffragium. Non indigebat Chriſtus oratione ad miraculum patrandum; orauit tamen, vt homines doceret, quomodo ſit calamitatibus ſuccurrendum, nempè implorato cæleſti auxilio, & orationis ſuffragio. Tardat namque ſine oratione calamitatis medela, eiuſque ope facilè adſciſcitur medicina, cap. 15. n. 396. p. 130

5. *Eſt puer vnus hic, &c.*
Puer panes obtulit ad leuandam neceſſitatem. Et quidem ſi potentiores panes penderent, miraculi ad inſtar fuiſſet; haberi namque poteſt miraculum, ſi Principis leuandis neceſſitatibus magnates tributa ſoluant, & pauperiores non pendant, cap. 15. n 401. p. 132

6. *Sequebatur eum multitudo magna, &c.*
Plures ex his qui ſequebantur, mutabant locum, non animum. In deſerto etiam Chriſtum obſeruabat inimici, qui in ciuitate extiterant aduerſarij. Mihi crede: Parum intereſt peccatori loca mutare, ſi ſe contingat ſecum deferre, cap.16.n.106. pag.168

7. *Vt autem impleti ſunt, &c*
Aliquali itineris incommodo impleti ſunt alimento, ac recreati miraculo: aliter illis contingeret, ſi Chriſtum non ſequuti, ſed vitiis, & voluptatibus dediti: Vitium namque vti virtuti contrarium leui incommodo grande lucrum promittit; verum leui lucro affert grauiſſimum detrimentum, c.16. n 125. p.174

8. *Impleti ſunt, &c.*
Sequendo Chriſtum tantiſper laborarunt: Ad laborem tamen ad alendam vitam ſubſidia, & ad recuperandam ſalutem etiam ſunt adepti miracula: Aliter eis voluptatem ſequntis accideret; laborarent namque vera afflictione, & carerent voluptate. Vbi peccator quærit voluptatem, ſæpe ſæpiùs inuenit afflictionem, c. 16. n. 199. pag. 197

9. *Vnde ememus panes, &c.*
Non habebant Apoſtoli, & ſi diù Principi Chriſto adhæſerint, pecuniam ad emendam alimoniam, & fortaſſis interrogatione pauperes miniſtros ſe habere oſtendit; nam ſi exundarent diuitiis, contra ſe linguas armarent. Certè ſi Principi, Superiorique adhærentes, præter opinionem, citòque diteſcant, ſuam, & Principis obſcurabunt famam, & imminuent etiam fortunam, c.16.n.216.p.202

10. *Quia videbant ſigna quæ faciebat, &c.*
Experiebantur à Chriſto cæcitates depelli, ſalutes refundi. Ergo ſequuti ſunt Chriſtum, vt integra fouerentur ſalute. Certè qui à Deo recedit, calamitatem, & cæcitatem incurrit, c.16.n.237. p.209

11. *Vndè ememus panes, &c.*
Nummi deerant ad panes emendos, quibus depelleretur fames; miraculoque opus fuit, vt miſeri haberent ſubſidium, quia pro illis alendis non erat aurum. O vtinam vt aliquibus deeſt aurum ad leuandam miſerorum inopiam, ſic etiam deeſſet ad perpetrandam culpam:

Verum nunquam deeſt vitiis exercendis pecunia, ad virtutes premit inopia, cap. 17. n.9. p.236

12. *Collegerunt ergo &c.*
Impenſum in famelicorum ſubſidium impendentibus attulit grande augmentum. Duodecim cophinos ſibi collegerunt, qui quinque panes diuiſerant: Verum cùm hoc & ſacra doceat hiſtoria, & atteſtetur ſæpè experientia, ſic homines cæcutiunt, vt in debitos vſus diſtributum exiſtiment diſpendium; cupiditati verò, voluptatique impenſum exiſtimant, benè collocatum, & lucrum, c.17.n.22.p.240

13. *Collegerunt duodecim cophinos,&c.*
Chriſtum ſequentibus alimenta miniſtrarant. Ergo cophinos alimentis refertos tulerunt. Iuſtis namque, & pauperibus benefacere, eſt ſibi lucrum acquirere, c.17. n.234.p.302

14. *Colligite quæ ſuperauerunt fragmenta, &c.*
Dei Miniſtri, Apoſtolique priùs generalitati conſuluerunt, ciboſque ad depellendam famem miniſtrarunt; poſteà & iubente Domino tulerunt ſibi fragmenta. Aliter aliquibus Miniſtris ſolet accidere, ſibi priùs conſulunt, Reipublicæ verò aut non attendunt, aut poſteà proſpiciunt, c.18.n 49.p.325

15. *Vnde ememus panes, vt manducent hi, &c.*
Ecce ſequuntur Chriſtum, & fame premuntur; Opuſque fuit vt ad alendam vitam haberent ſubſidium, à Domino patrari miraculum forſitan ſi Chriſtum non ſequerentur, ſed ſectarentur vitia, exundarent abundantia. Verum iuſtus ſolùm dum viuit arctatur, ſed iniquus poſt mortem premitur, cap. 18. numero 217. pag 375

16. *Duodecim cophinos, &c.*
Beneficium grandius danti, quàm accipienti peperit commodum. Exhibuit Chriſti Diſcipulus famelico panis fruſtrum, & accepit panibus exundans caniſtrum. In dubium verti poteſt, an debeat plus beneficiato beneficus, an benefico beneficiatus, c 19.n.161. p.443

17. *Facite homines diſcumbere, &c.*
Apoſtoli cùm quinque tantum panes haberent, generoſa manu diuiſerunt famelicis. Cùm ſæpè diuites, opulentique manum comprimant, & voces indigentium non audiant, non ſemel contingit ſubuenire aliis pauperem generoſiùs, & diuitem manum comprimere auariùs, cap.19. n.168.p.444

18. *Cùm ſubleuaſſet oculos &c.*
Solus Chriſtus vt ſubueniret, inopia vidit laborantes; cæteri videri ſolent habentes. Aliena inopia oculis refundit tenebras, & exacuit vngues opulentia: Nullus egentem videt, vt ſubueniat, cùm diuitem, habentemque nullus non videat, vt quid accipiat, aut auferat, c.19.n.214.p.458

Feria V. poſt Dominicam quartam.

Ioann. 9.

1. *Vidit hominem cæcum, &c.*
Multis aſſociatus tendebat Dominus, & tamen ſolus refertur eum vidiſſe, & refuſa luce illuſtraſſe: Viderunt cæteri, vt de peccatis inquirerent, Chriſtus, vt inderet oculos, ſpectauit. Cùm nullus non videat felicem vt quid accipiat, egentem videt nullus vt ſubueniat, cap. 19. n.214. p.458

2. *Quis peccauit,&c.*
Quàm fixum memoriæ Adami illius hominis parentis commendarant erratum quàm ſine dubio culpa crediderunt, cùm ante natiuitatem delinquere non potuerit infectum. Profectò ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, cap. 15. n.113.p.36.

3. *Quis peccauit &c.*
Non erant profectò regimini apti, cùm laborare ſuſpicionibus ſunt comperti. Ante ortum cæcus peccare non potuit; nil ſuadebat ob parentum culpam contraxiſſe cæcitatis miſeriam, & tamen cæcitatem adſcribunt culpæ ergo. Chriſtus quæ ad regimen elegerat, repreſſit. Prudens namque ſuperior culpam notam, manifeſtámque non diſſimulauit ignarus, ignotam verò non præſumet ſuſpicioſus, c 20.n.81.p.501.

4. *Non eſt hic homo à Deo, &c*
Statim ac Chriſtus Dominus cæco lucem refudit, tulit plurimum inſidias, & maledicas paſſus eſt linguas; ob exiguum lutum condemnabant, ob inauditum retrò miraculum non credebant. Opus Chriſto fuit armari contra inimicos, vbi inſeruit nouos oculos; opus namque eſt, qui corrigere molitur defectus, armari contra peruerſorum adſultus, c.20.n 93.p.507.

5. *Me oportet operari, &c.*
Erat lux mundi: ergo depulit tenebras, & cæcitatis exterminauit iniurias, cum honore laborum coniunxit. Inuenias tamen plures, qui dignitatis faſtigium cupiant inſcendere, & tamen labores nolint ſubire, c.20. n. 118. p.515.

6. *Vade ad natatoriam, &c*
Cæcitatem depulit & quia depulit, linguaces, & blaterones ſuſtinuit, & hoc ipſo mirè virtutem ſuam commendauit. Eximia fortitudo pro virtute pugnat, & linguas, laboréſque ob certamen etiam tolerat, c. 20. n. 143. p. 514.

7. *Quomodo poteſt homo peccator, &c.*
Quia tenebras depulerat, aduerſarij Chriſti virtutem obſcurare tentabant; alij verò ab ipſis depulſis tenebris efficax argumentum ad virtutem Chriſti aſſerendam deſumebant. Et quidem qui proprij criminis contraxit offenſam,

Digitized by Google

offenſam, non habet ad corrigendam aliorum cæcitatem energiam, cap. 20. n. 151. pag. 527

8. *Vade ad natatoriam Siloe, &c.*
Expromptè obedientiam impleuit, vt viſum reciperet; & quidem cùm in hoc cæco adumbratum Patres agnoſcant Adamum, videbis legem de non comedendo de vetita arbore non obſeruaſſe. Profectò facilè impletur obedientia, ſi nobis vtilis, & iucunda; non adeò facilè, ſi moleſta ſit, & amara, c. 21. n. 14. p. 611

9. *Fecit lutum, &c*
Chriſtus quia erat lux mundi, ſaliuam emiſit, lutum fecit, & oculos liniuit; & hoc totum, vt cæcus reciperet viſum. Diſcant à Deo pro ſalute proximorum delegati nullum excuſare laborem, vt conſulant proximorum ſaluti, c. 20 n. 148. p. 525

10 *Non eſt hic homo à Deo, &c.*
Poſtquam Dominus miraculum patrauit, audaces linguas ſuſtinuit. Homo impenſo beneficio allicit hominis voluntatem, & Chriſtus nec ingenti miraculo hominum lucratur amorem. Eiſdem quibus homo à nobis negotiatur beneuolentiam, Deus non aſſequitur amicitiam, cap. 15. n. 49. pag 17

11. *Non eſt hic homo à Deo, &c.*
Induxerant animum, vt aduerſarentur Chriſto: Ergo licet alij ſigna patrata in ſanctitatis teſtimonium opponerent, licet cæcus Prophetam eſſe exertis vocibus proclamaret; nihilominus dictis inſiſtebant, & Chriſtum Dominum dehonorabant. Vanitas namque quantumuis rationi aduerſa, pertinaciter defendit à ſe peracta, c. 15. n. 64. p. 21

12. *Non eſt hic homo à Deo, &c.*
Leuiſſima coniectura, nulloque fundamento innixa ſuſpicabantur æmuli Chriſtum Sabbatha non obſeruare, ſcilicet quia lutum ſaliua fecerat. Ergo pro euidenti habebant Sabbatha violare, & legibus contraire: Nam ſi appetitui noſtro, aut affectui vel leuiſſima adulетur coniectura, pro indubia habetur & clariſſima euidentia, cap. 15. n 118 p. 41

13. *Neque hic peccauit, &c.*
Cæcus natus eſt, vt viſum recipiens Chriſtum agnoſceret, illique ſeruiret. Qui videbant cæcum, putarent caſu, aut cæca fortuna ſic natum; Chriſtus tamen cæcitatem teſtatur accidiſſe oculata Dei prouidentia, vt noueris à vigilantiſſima prouidentia promanare quod à cæca querimur fortuna, caſuque accidere, cap. 15. n. 229. p. 73

14. *Quis peccauit, &c.*
Interrogatus Chriſtus, in cæci fauorem reſpondit: *Neque hic peccauit*, &c. O quàm aliter accidere ſolet! Sunt qui pluſquam interrogentur, reſpondeant, ſed vt euulgarint aliorum ignominiam, & obſcurauerint famam, c. 15. n. 245. p 78

15. *Fecit lutum, &c.*
Quis crederet hominem à natiuitate cæcum poſſe oculis vti, & à tenebrarum vinculis ſolui? At Chriſtus voluit in cæco nos edocere, nulla adeò eſſe inexorabilia interna cæcitatis vincula, quæ ope gratiæ nequeant diſſolui, & faciliter rumpi, c. 15. n. 313. p. 101

16. *Quis peccauit, &c.*
Licet Diſcipuli imprudenter rogarint, an ante natiuitatem commiſerit cæcus peccatum cùm antequam naſceretur nequiret perpetrare delictum, ſua tamen interrogatione nos docuerunt, eum ſcilicet hominibus peccandi pruritum ineſſe, vt peccandi anteuertant occaſiones, & maturent ſibi calamitates. c. 15. n. 316. p 103

17 *Fecit lutum, &c.*
Proprio labore lutum miſcuit, deliniuit ſuper oculos, & tulit, vt ſalutem cæco impertiret, non modicos aduerſarios: Verum charitas exultat, ſi alienis obuiarit calamitatibus propriis laboribus, cap. 15. n. 303 p. 98

18. *Liniuit ſuper oculos &c.*
Luto vſus eſt, vt lucem refunderet oculis, inhabilis ad viſum inſtaurandum luti videbatur materia; verum artificis ſic reſplenduit magis peritia, nam de inſtrumenti vilitate clarior reſplendet victoria, & de materiæ inhabilitate cumulatior artificis elucet peritia, cap. 15. num. 332 pag 108

Feria VI. poſt Dominicam quartam.

Ioann. 11.

1. *Erat quidam languens Lazarus, &c.*
Lazarus peccatoris vmbra infirmus ægrotabat, & fortè vt vitiis indulgeret, mortis, & infirmitatis deſpexit periculum. Ergo Chriſtus etiam periculum deſpexit, *Quærebant te lapidare, &c.* Ne minus videretur inſeruiſſe virtuti, ac inſeruiunt homines prauitati. Certè homines amoris impurati argumentum affectant deſpexiſſe periculum, c. 6. n. 29. p. 144

2. *Erat quidam languens Lazarus, &c.*
Lazarus peccatoris vmbra cupiditatem ſuam in ſe ipſum armauit, & vires calamitati refudit. Profectò peccator ſuis voluptatibus, culpiſque vires aduerſario refundit, quibus ipſe miſerabiliter perit, c. 16. n. 42. p. 148

3. *Erat quidam languens Lazarus, &c.*
Fortè Lazarus cupiditatis ardori tempus præſcripſerat, ſed vel præſente morte cupiditatis ardoribus æſtuabat, occubuit ardore aduſtus, qui exiſtimabat ardorem depellere citiſſimè liberatus. Qui voluptati putat ſe tempus præſcribere poſſe, agnoſcitur delirare, c. 16. n. 51. p. 150

4. *Ecce quem amas infirmatur, &c.*
Lapidibus impetitus Chriſtus Dominus Iudæam reliquerat, & iterũ vt amatum languore liberet, redire parat: ob id ſorores affectum pulſarunt dicendo: *Quem amas infirmatur*; amori

Digitized by Google

namque nil eſt arduum, nullum eſt pondus moleſtum, c.16.n.55.p.152

5. *Ecce quem amas, &c.*
Non audies Lazarum quantumuis morti proximum, remedium ſibi procuraſſe, Chriſtumve clamoribus ad commiſerationem traxiſſe, periculis cinctus periculi immunis ſibi videbatur, ea namque eſt peccatoris ſocordia, vt periculis dormiat cinctus, vt munitionibus quiret vallatus. c.16. n.85. p.161

6. *Tollite lapidem, &c.*
Fœtebat, grandi lapide grauabatur, & ob volaticam deliciarum fallatiam obſcurarat honorem, & lapidis ſuſtinebat grauitatem. Vt hinc noſcas breuiſſimè voluptatis eſſe conſequentias importabilia onera, grauiaque pericula, c.16.n.89.p.163

7. *Erat quidam languens Lazarus, &c.*
Promiſerat voluptas peccatori gaudium, & attulit cunctæ familiæ lamentum. Promiſerat vitium voluptatem, intulit verò languorem. O quoties vitij aſſeclis hoc contingit! leui incommodo voluptas promittit gaudium, ſed breui gaudio prolixum affert lamentum, c.16.n.115.p.174

8. *Erat quidam languens Lazarus, &c.*
Æſtuebat flammis, qui putarat ſe oblectandum deliciis: tegit voluptas calamitatem, & peccator inuenit duras anguſtias, vbi quærebat voluptuoſas fallacias, c.16.num.199. p. 97

9. *Ecce quem amas, &c.*
Ad Chriſtum mittunt legatos, nec creaturarum aſciſcunt auxilia, quia nouerant creaturas vrgentiori tempore deeſſe, & calamitatibus oppreſſo deficere. Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, cap. 16. numer.211.p.201

10. *Miſerunt ad eum, &c.*
Dei abſentia occaſio languoris fuit; verum dum agnouerunt diſtantiam, ſolicitarunt præſentiam, & conſequutæ ſunt ſorores opportunam medicinam. Salutis initium eſt, ſi Dei agnoſcas diſtantiam, vt infirmitatis eſt incrementum, ni animaduertas abſentiam, cap. 16. num.223. p. 205

11. *Erat quidam languens lazarus, &c. Tollite lapidem.*
Diſtans à Deo incurrit mortem, & pergrandem tulit lapidem. Dum Chriſtus approximat, & lapis tollitur, & vinculum rumpitur. Profectò qui recedit à Deo, cæcitatem, & calamitatem incurrit, c.16.n.235. p. 208

12. *Ecce quem amas infirmatur, &c.*
Mors Lazarum poſſidebat: verum dum ea in domo adhuc Chriſti vigebat memoria, & pro remedio calamitatis oratio patroni fungebatur officio, ſpes erat, quòd mors fugeret, & vita iterum refloreret. Spes eſt recuperationis ſi virtus prorſus non expuncta, ſed aliqua ſcintilla ſeruata, c.16.n.140 p.210

13. *Eamus & nos, & moriamur, &c.*
Vbi Chriſtum Dominum redire decernentem audierunt, ſequi eius ſententiam etiam vſque ad mortem Apoſtoli ſtatuunt. Nam Principes, ſuperioreſque ad ſe ſubiectos facilè trahunt. Certè inferior ſuperiorem frequenter imitatur, eiuſque ſententiam amplectitur, c.16.n.149.p.213

14. *Soluite, &c.*
Videbantur vincula inſolubilia; fœtor ſpem omnem ad ſpeciem expunxerat; lapis ingens impedimentum erat: verum fauente Deo & vincula ſunt ſoluta, & vita refloruit inſtaurata. Quæ impoſſibilia ad ſpeciem videntur, adſpirante cœleſtis gratiæ fauore facillimè perficiuntur, cap. 16. numer.174. p. 220.

15. *Lazarus amicus noſter, &c.*
Lazarus dum virtutibus ſtudet, dum Chriſti amicitiam colit, non modicas fortaſsè tulit ærumnas: poſt mortem tamen reſurrexit Dei amicus dignum virtutibus conſecutus præmium, & vitæ gaudium. Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur; peccatorum gaudia lamentis ſoluuntur, c.16. n.107. p.231

16. *Maria autem erat quæ vnxit, &c.*
Vnguento Maria Chriſtum vnxit, non tamen vt Iudas putabat, perdidit, imò demortuo fratri vitam vnguento emit, & lachrymis gaudium attulit. O quàm errant homines, cùm pauperi, virtutique oblatum exiſtimauere diſpendium, & cupiditati, voluptatique impenſum exiſtimauere lucrum, c.17.n.21. p.240

17. *Soluite & ſinite, &c.*
Ferè inextricabilibus vinculis conſtringebatur, & ne à ſepulchro, Lazarus reſiliret, grandi lapide impediebatur, timor Apoſtolos retardabat, ne ſoluerent. Profectò vitiis tenaciſſime agglutinamur, à virtute quolibet timore diſiungimur, cap. 17. n. 17. p. 241

18. *Soluite, &c.*
Lazarus peccatoris perſonam gerens vinculis refertur conſtrictus, & oculos Sudario obſcuratus. Sic nonnulli ſuas miſerrimas delicias amant, vt multiplicatis ſe adſtringant impedimentis, ne reſilire poſſint à vitiis, c.17. n.74.p.256

Dominica in Paſſione.

Ioan. 8.

1. *Quis ex vobis, &c.*
Oſtendit ſe Chriſtus prorſus ab omni peccato liberum, vt peccatorum carpſerit prauitatem. Superior namque nequit ſubiectorum corrigere, qua fas eſt energia, delicta, ſi ipſe ſimilia admiſit peccata, cap.17. n.119. p. 268

2. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Lapides tulerunt, vt in Chriſtum iacerent, quia illis exprobrabat crimina, & redarguebat peccata: fors lapides non tollerent, ſi quis eos à virtutibus retardaret. Hoc inter virtutem, & prauitatem diſcrimen eſt. Ægrè ferunt homines à criminibus retardari, tolerantiùs à virtutibus inhiberi, cap. 17. numer. 15. p. 237

3. *Quis ex vobis arguet me, &c.*

Principes,

Principes, Phariſæique non poterant arguere ;.contra virtutem tamen potuerunt lapides tollere, & cùm ipſi lapides publicè tollerent, nullus inuentus eſt præter Chriſtum, qui illorum audaciam, inſolentiamque carperet. Diuites, magnateſque in omnia vitia impunè aſpicies prorûere, & ſe auri, potentiæque priuilegio defendere, c.17.n.19.p.239

4. *Tulerunt ergo lapides.*
Quiſque tulit lapides, vt contra virtutem, Chriſtumque ſuas operas afferret, & opem infeliciſſimam miniſtraret. In eſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi, c.17.n.83.p.257

5. *Quis ex vobis, &c.*
Chriſtus Dominus lucet omnis peccati immunis & peruerſorum carpit prauitatem. Satis non eſt vti poteſtate, niſi ſuperior reſplendeat etiam virtute. Aliquando ſuperiores inuenias, qui aliquorum diſſimulent prauitatem, quia eorum vtuntur miniſterio ad criminis occaſionem, cap.17. num.91. p.260

6. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Qui cæteris diuina dignatione prælati lapides tollunt, quibus Chriſtum impetant, quia non ſemel qui præ cæteris ſplendent, præ cæteris etiam obſcurantur vitiis, & denigrantur peccatis, cap. 17. num. 103. pag. 264

7. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Prius vocabant Samaritanum ; modò lapidibus conantur impetere ; à lingua tranſierunt ad manus : Nam rarò ſolitarium eſt vitium ; ſecum trahit pernitioſas appendices, conſequentiaſque peſtilentes, c. 17. n.100.p.262

8. *Abraham mortuus eſt, &c.*
In medium proferunt Abrahamum, cuius ſe iactitabant filios, & nobilitatis ſtemmatibus exornatos : Aliqualem occaſionem nacti, nobilitatem ſuam oſtentarunt : non ſemel inuenias qui opportunè, importunèque de nobilitate ſua agant, & ſplendorem ſanguinis lingua gerant, c. 17. n.141. p.275

9. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Ipſo in templo, ipſo in virtutis domicilio virtutem oppugnare aggrediuntur, & iam templum Chriſti caret præſentia : *Exiuit de templo.* Si alibi peccaſſent, ad templum poſſent recurrere ; verum vt miſerrimi eſſent, in templo delinquunt ; eſt enim miſerrimum in ipſo virtutis portu cæco perire naufragio, cap.17. num. 185. pag. 288

10. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Si ad placitum Chriſtus Dominus loqueretur, non impeteretur lapidibus, ſed fortè à Sacerdotum Principibus nobilitaretur honoribus. Tulit lapides verax ; adulator ferret honores : Nam qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur, veridicus ſæpè ſpernitur, cap, 18. n.110. pag. 342

11. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
In Chriſtum tulerunt lapides, quia illorum carpebat delicta ; non infamarent ſanguis, nec impeterent lapidibus, ſi delicta diſſimularet, & ori manum imponeret. Amant namque homines ſuperiorem, qui delicta non carpat, ſed ori manum imponat, c.18.n.256.p.387

12. *Qui ex Deo eſt, verba Dei audit, &c.*
Satagebat Chriſtus Dominus ad veritatis agnitionem allicere, & ad præceptis obtemperandum prolectare. Non tantauit verò, cùm poſſet, ſupplicia inducere, & furentes caſtigare. Bonus namque Superior non tam curat peccatorem punire, quàm culpas tollere, cap. 19. numero 53. pagina 411.

13. *Samaritanus es tu, &c.*
Initio Samaritanum vocarunt ; poſteà vt in eum iacerent, lapides tulerunt, & quidem veluti in ſpeculo perlucet quod vitio indulgentibus accidere ſolet. Vitium initio tentat exigua, ſed vt deueniat ad vlteriora, c.19.n.90.p.422

14. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Virtus Chriſtum Patronum ſortita eſt ; vitium turbas habuit tutelares. Plures armati ſunt contra Chriſtum ; Chriſtus ſolus veritatem defendit, & docuit. De more eſt virtutem ſingularem patronum ſortiri, & vitium exercitum tutelarium habere, c.19. n.173. p.446

15. *Propterea vos non auditis, &c.*
Alibi vnum, aut alterum peccatorem correxit ; modò turbis Dei verba non audire exprobrauit. Ergo modò, ni ſe furori ſubduceret, duriſſimos ictus ſuſtineret. Et quidem qui vniuerſali vitio refragratur, multiplici etiam detrimento ſubiicitur, c. 19. n.248 p.468

16. *Abſcondit ſe, & exiuit de templo, &c.*
Templum ſemper eſt peccatorum aſylum, ibi inueniunt paratam miſericordiam contra imminentem ſibi ruinam. Ergo dum Chriſtus relinquit templum, inferre peccantibus vult ſupplicium ; nam vbi decreuit vindictam ſumere, impedit quidquid poterat retardare, c.19.n.278.p.476

17. *Tulerunt ergo lapides, &c.*
Arbitrati ſunt blaſphemiam protuliſſe ; cùm dixit : *Ante quàm Abraham fieret, ego ſum.* Ergo qui Dei verba non audiebant, qui tot criminibus ſordeſcebant obſcurati contra culpam à ſe confictam ardenter deſæuiebant inuecti. Profectò noſtra delicta cæcis oculis prætterimus, contra aliena peccata ardenter inuehimur, c.20. n.65. p 498

18. *Nonnè benedicimus nos, &c.*
Anteà dehoneſtauerant Chriſtum dicendo : *Samaritanus es tu, &c.* Modò ſibi plaudunt, & de iniuria gratulantur ſibi. Nam peccator fit inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior, cap. 20. num.69. pag. 499

Digitized by Google

Feria IV. post Dominicam Paſsionis.

Ioann. 10.

1. *Facta ſunt Encania, &c.*
Dei templum ab hoſtibus poſſeſſum exiguo tempore ſorduit dirutum, aut ſaltem maiori ex parte collapſum. Modò celebrabant Hebræi ad antiquum nitorem fuiſſe reſtitutum: Verum quod breuiter dilapidatum, multò tempore indiguit, vt iterum extrueretur. Longo tempore, & labore improbo indiget, ſi reſtaurandum, quod exiguo tempore ſæpe conſtat fuiſſe deſtructum, c.21.n.2·5 p.639

2. *Circumdederunt ergo eum, &c.*
Chriſtum impetunt, cùm templi inſtaurationem concelebrant, concurrerant Religionis prætextu, & in ipſa feſtiuitate virtuti prætendebant inſidias, & captioſas in Chriſtum Dominum armabant techinas. Profectò ſanctorum feſtiuitates detorqueri ſolent ad criminis occaſiones, cap. 21. n. 201. p.6.4.

3. *In porticu Salomonis, &c.*
In porticu deambulabat, à templo quodammodò exterminatus, & quodammodo repulſus. Erant fortaſsè tunc in templo fœminæ nimio ornatu oculos ad ſe vocantes, & caſtitati inſidias extruentes. Sanè qui pompatico, nimioque luxu incedi ornata, alienæ caſtitati inſidiatur, aut propriæ inſidias ſuſtinere cogitur, cap.21. num. 164. pag. 6 9

4. *Deambulabat in porticu Salomonis.*
Omnes templi celebrabant reſtaurationem. Ergo celebritati Chriſtus Dominus deeſſe noluit, ne odium in ſe conflaret. Eſt namque periculoſum, odioſumque à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe. cap. 21. numero 69. pag. 584

5. *Et hyems erat, &c.*
Ardebant odio in Chriſtum, gelu celebrabant templum ab hoſtium manibus ereptum, & reſtitum. Quod, vt indicaret Euangeliſta tempus expreſſit: *Et hyems erat.* Certè quidquid ad vitium pertinet, ſtudioſè, & ardenter perficitur: aliquid virtuti detrahitur, & tepidius quod ad honeſtatem pertinet, adimpletur, cap.17. numero 215. p.295

6. *Circumdederunt ergo eum, &c.*
Tempus conſulebat orationi, & gratiarum actioni vacare: Verum virtutis æmuli Chriſtum circumdederunt, ne illum accuſandi amitterent occaſionem: Quàm aliter ſe gerebant reſpectu virtutis, & criminis. Circundandi Chriſtum noluerunt occaſionem prolabi; patienter tulerunt orandi opportunitatem amitti. Non ſuſtinent homines occaſionem criminis præterire, virtutis ſuſtinent auolare, cap. 18. num.154. pag. 356

7. *Suſtulerunt ergo lapides, &c.*
Chriſtus ab aduerſariis impetitur, crimen non punitur; verùm felicior eſt Chriſtus etiam dum audaciam patitur, quàm audacia dum indemnis vincit, & floret. Mihi crede. Felicius eſt lapides ſuſtinere, imò & mere in virtutis obſequium, quàm vincere, & criminis ſuſcipere patrocinium, c.20 n. 46.p.523

8 *Facta ſunt encænia, &c.*
Templum ab inimicis ſordebat olim captum, & modò antiquo ſplendori celebratur reſtitutum: nam dum Hebræi ab auita religione ob infortunia non diſceſſerunt, triumphos ſibi maturarunt. Certè qui ob infortunia ab honeſtè cæptis non reſilit, perſeuerans ſibi triumphos adſciſcit. c. 0. n.132.p.520

9. *Vſque animam noſtram tollis, &c.*
Chriſtus Dominus clarè ſatis, apertè que veritatem illis tradebat: Ipſi tamen vti induſtrij, ſagaceſque luci offundebant tenebras, & variis dolis veritatis eludebant euidentias. Ergo quò acutiores, & miſerabiliores erant Miſerandus namque eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, & vitium tueatur acumine, cap.20.n. 01. pag. 5 0

10. *Suſtulerunt ergo lapides &c.*
In Chriſtum lapides ſuſtulerunt, quia illorum carpebat delicta, & detegebat mendacia. Opus eſt contra duros muniri adſultus, ſi quis alienos carpere molitur defectus, cap. 20. numero 93. pagina 507

11. *Suſtulerunt ergo lapides &c.*
Initio mentiebantur veritatis deſiderium; poſteà blaſphemiæ impegerunt Chriſto delictum, ſuſtuleruntque lapides, vt graue inferrent tormentum. Fit namque peccator inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior, capite 20. numero 69. pagina 499

12. *Dic nobis palam, &c.*
In Chriſtum inuehebantur; quaſi veritatem occultaret, cùm ipſi nec credere vellent, nec audire. Verum de more eſt peccatoribus delicta propria cæcis oculis præterire, & in aliena ardenter ſtomachari, c.20.n.65.p.498

13. *Loquor vobis, & non creditis, &c.*
Si non credunt, ad quid eis loquitur veritatem? Profectò vt muneri ſuo ſatisfaciat. Erat lux, erat veritas. Ergo loquebatur lucem, & veritatem, docebatque munus adimplere, & ſi laboris fructus conſtet perire, c 19.n.221. p.460

14. *Dic nobis palam, &c.*
Dum ambitione, cupiditateque laborant, candidiſſimam lucem non vident, aſſerente Chriſto Domino: *Loquor vobis, & non creditis.* Vt noueris ambitione, cupiditateque mentem obtenebrari, & cœleſti luci reſiſtere, c.19.n.119. p.431

15. *Circumdederunt ergo eum &c.*
Scribæ, Phariſæique Chriſtum circumdederunt ardentiſſimè, cùm Sacerdotes frigeſcerent, & munus exercerent ignauè: Quod innuere videtur Ioannes illo verbo: *Et hyems erat.* Nec mirum: Dei namque miniſtri ſolent munus exercere ſatis

ſatis ignauè, cùm ſæculi miniſtri adimpleant ſtudioſiſſimè, c.18.n.265.p.473

16. *Quouſque animam noſtram tollis, &c.*
In Chriſtum armabantur linguis, quia illarum aduerſabantur erratis: *Loquor*, inquit, *vobis*, &c. Si taceret, non oppugnarent. Amant namque homines ſuperiorem, qui delicta non carpat, ſed ori manum imponat, c.18.n.156.p.387

17. *Dic nobis palam, &c.*
Audire veritatem ingens Dei beneficium erat. Ergo cùm debuiſſent obſequiis allicere, inſidiis aggrediuntur exaſperare. Lapides tollunt, vt feriant, & beneficia cupiunt accipere, & veritatem palam auſcultare. Mira eſt peccatoris cæcitas, diuinam exaſperat vitam, & fieri ſibi depoſcit gratiam, c.17. n.259.p.308

18. *Circumdederunt ergo eum, &c.*
In ipſa feſtiuitate, in ipſo Salomonis porticu Chriſto aduerſabantur, & grauiori fortè reatu delinquebant in templo, quàm deliquerant in foro, & quidem miſerrimi erant, dum ipſo in templo inſeruiebant odij, ac æmulationis vitio. Eſt enim luctuoſum in ipſo virtutis portu cæco perire naufragio, c.17.n.185.p.288

Feria V. poſt Dominicam Paſſionis.

Ioan. 11.

1. *QVid facimus, &c.*
Quieſcere nequibant duriſſimis curis percuſſi, & variis affectionum gurgitibus agitati. Placidè quieſcerent, ſi virtutibus inſeruirent: verum ambitionis, appetituſque legem ſequuti circumvoluuntur, & variis curis vrgentur, cap.15.numero 27. pag. 11

2. *Quia hic homo multa ſigna facit &c.*
Profectò dum ſigna facit, dum ſalutem impertit, fas erat amorem ſibi conciliare, & beneuolentiam augere; & tamen ob beneficia duriſſimo inſectabantur odio, & viuido de medio tollere conabantur ſtudio. Ecce quibus homo ab illis lucraretur amorem, Deus non allexit voluntatem, c.15 n.49. pag.17

3. *Venient Romani, &c.*
Perpetrata ſcelera Romanos ad vltionem vocabant, & tamen eiuſmodi conſiliarij non curabant ſcelera tollere, ſed timorem tantum ſopire. Peccatori curæ non eſt timoris cauſas præcidere, ſed à ſe timorem, ſi poſſit, aliquomodo, exterminare, c. 15. n.70.p.24

4. *Venient Romani, &c.*
Chriſtum tentant occidere, ne Romani veniant; ſed Romani venerunt, quia Chriſtum Dominum morti condemnarunt. Tanta eſt peccatoris amentia, vt nouas timoris cauſas inueniatur adiicere, dum timorem geſtit depellere, c.15.n 91.p.30

5. *Venient Romani, &c.*
Quàm ſolerter prouidebant, ne Romani aduentarent, & illorum dignitates auferrent: inoculatiſſimi erant ad vanitatem: cæcutiebant ad virtutem. Certè ad humanam affectionem quiſque inuenitur cautus, ad virtutem tardus, & cæcus, c. 15. n. 133.p.42

6. *Quid facimus, &c.*
Ex alia parte timebant Romanorum poteſtatem, & ex alia Chriſti agnoſcebant virtutem: *Multa* (inquiunt) *ſigna facit:* ſed addunt: *Si dimittimus* &c. Ergo conſilio deſtituti ingemunt. In eas equidem ſe conijcit peccator anguſtias, vt inextricabiles cogatur ſuſtinere miſerias, cap.15.num.138. pag. 44

7. *Si dimittimus eum ſic, &c.*
Ne incurrerent Romanorum indignationem Chriſti decreuerunt cædem, & grauiori damno minori occurrerunt detrimento. Non ſemel maiora nobis paramus detrimenta, dum quærimus imprudenter effugia, c.15.n.185 p.58

8. *Expedit vobis, &c.*
Non ignorabant Chriſti mortem grauiſſimam eſſe culpam; videbatur tamen illis expedire mortem ad dignitates conſeruandas, & diuitias poſſidendas. Ergo decreuerunt occidere. Amant namque nonnulli præ ipſa anima poſſidere diuitias, & antefe-runt ipſi ſaluti pecunias, cap. 15. n.241. pag. 77

9. *Venient Romani, &c.*
Vt Romanorum effugiant indignationem, Chriſti non refugiunt perpetrare cædem. Delicto grauiori indignationi ſe exponunt, cùm delicto Romanorum indignationis occurrere ſatis imprudenter geſtiunt. Verùm ea eſt peccatorum amentia, vt infirmioris metum excutiant, cùm Dei omnipotentis indignationi ſe exponant, cap. 15. n.269. p.86

10. *Multa ſigna facit, &c.*
Contra ſe ipſos decernebant, cùm inferre mortem beneficio non dubitabant: Se priuabant Chriſti miraculis, opuſque erat multiplicibus laborare incommodis. Ergo ſibi inuident, dum benefico honeſtum gratitudinis tributum non pendent, cap. 15. n.367 p.121

11. *Venient Romani. &c.*
Satius, vtiliùſque illis eſſet Romanos aduocitare, gentemque tollere; quàm ſceleribus inſeruire. Quandoquidem præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & criminum maculis ſordidari, c.15.n.393.p.129

12. *Ab illo ergo die, &c.*
O ſtultum concilium, omnique luce priuatum! Vt locum, gentemque poſſiderent, inſurgere debuiſſent in vitia, non in miracula: nam eo ipſo quo vitia deſtruimus, vitam nobis, & ſalutem comparamus, c.15. n.405. p.133

13. *Venient Romani, &c.*
Profectò Romani aduentarunt, locumque & gentem deſtruxerunt. Peccator namque ſuis culpis vires aduerſario refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit, c.16. n.42 p.148

14. *Ab illo ergo die cogitauerunt; &c.*
Vt ciuitatem à Romanorum viribus defenderent,

derent, peccatum perpetrarunt, & occiſus Chriſtus, patuit Romanis ad ciuitatem euertendam aditus; ad ciuitatem namque patebit hoſtibus aditus, ſi oppugnata diſcedat virtus, c.16.n.76.p.159

15. *Venient Romani, &c.*
Profectò & ſi Romani aduentarent, locumque perderent, animas criminibus non inficerent Si Hebræi Chriſtum occidant, ſe morti & animas addicent crimini. Ergo ſatius erat partem aliquam, quàm totum amittere: ſed peccatores de cupiditatis errore, & erroris cœcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti, c.16.n.143.p.79

16. *Ab illo ergo die cogitauerunt &c.*
Occiſo Chriſto videbantur ſibi tuti, ſed reuera calamitati erant proximi. Sic namque peccator cæcutit, vt dum calamitati inuenitur proximior, ſibi videatur tutior, & à calamitate diſtantior, c.16.n.101.p.191

17. *Ab illo ergo die, &c.*
De inflicta Chriſto morte ſibi parant tutelam, & ob mortem paſſi ſunt extremam ruinam Nouerit ob illatam afflictionem ſibi imminere ruinam, qui affligendo iuſtum ſibi procurat tutelam, c.16.n.132.p.207

18 *Expedit vobis, &c.*
Non ait, *licet*, ſed *expedit*. Erant Reipublicæ Magnates. Ergo de poteſtatis priuilegio omnia ſibi licere non dubitabant, ſolúmque vtilitatem attendebant Diuites, Magnateſque impunè videbis peccare, & ſi fas eſt dicere, illis peccata licere, c.17.n.19.p.239

19. *Ab illo ergo die cogitauerunt, &c.*
Firma adeò illorum fuit ſententia, vt nullatenus immutarint, ſed impleuerint: à virtute leuiſſima etiam occaſione diſcederent, & ſententiam retractarent. Vitiis tenaciſſimè agglutinamur, à virtute leui occaſione reſilimus, c.17.n.27.p.141

Dominica in Palmis.

Matthæi 21.

1. *INuenies aſinam, &c.*
Miraculi ad inſtar fuit non deeſſe ea, quibus Chriſtus opus habebat. Miraculi ad inſtar fuit pallio viam ſternere, ramoſque præcidere. Nam ad exercendas virtutes ferè ſemper nos premit inopia, cùm ad vitium exercendum nunquam deſit abundantia, c.17 n.9. p.136

2. *Quia Dominus his opus habet, &c.*
Non amiſit iumentorum Dominus officia exhibita. Non amiſit, quæ à iumentis illi promanabant commoda; imò cùm ad ipſum iumenta redierint, poſt Chriſti triumphum nullum eſt paſſus diſpendium, ſed adeptus grande virtutis lucrum. Nos cæci in vſus honeſtos diſtributum, putamus diſpendium, & cupiditati expenſum, habemus lucrum, c.17. n 12.p.240

3. *Soluite, &c.*
In iumentis peccatores deſignari compertum eſt: ergo vinculis alligabantur, & impedimentis aſtringebantur. Sic homines ſtultas delicias amant, vt ament reſiliendi impedimenta, & ne reſipiſcant, quærant obſtacula, c.17.n.79.p.256

4. *Plurima autem turba, &c.*
Mira res: virtuti plaudebant, ſuaſque afferebant operas, vt Chriſtus luceret, cùm frequentiùs ſoleat contrarium accidere. Neſcio quis pruritus inſit aliquibus criminibus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi, c.17.n.85.p.257

5. *Plurima autem turba, &c.*
Viam ſternebant, ramiſque iter exornabant: exiguo pretio ſibi magna præmia acquiſierunt, & Chriſto Domino obſecundarunt, Verum hoc paucis contingit; miſeri namque mortales ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro laboris mercede inuenire ſæpè figmenta, c.17.n.125 p.270

6. *Soluite, &c.*
Duris vinculis conſtringebantur animalia præſepio illigata, & fræno, hoc eſt, carnis deliciis addicta. Manus tamen Apoſtolica ſoluit; nulla namque adeò ſunt cæca vincula, vt gratiæ ope nequeant diſſolui, imò faciliter rumpi, c.15.n.313.p.101

7. *Et eum deſuper ſedere, &c.*
Animalia modo Chriſto deſeruiunt, & quod tempus præſepio, voluptatibuſque triuerunt addicta, modò colligunt, & inſtaurant cæleſti ſarcina feliciter prægrauata. Qui tempus profudit voluptatibus addictus, inſtaurare debet, eximiè feruidus, c 15.n.318 p.107

8. *Dicite quia Dominus his opus. &c*
Indigebat Dominus iumentis ad triumphum. Ergo ſine difficultate diues homo præbuit, quod miraculi adinſtar fuit. Eſt enim mirum, ſi potentiores leuandæ Principis neceſſitati, quod opus eſt pendant, & debiliores non ſoluant, c.15.n.401.p.132

9. *Soluite, &c.*
Præſepe pabulo abundanti allexerat, ſed vinculum durum ligarat. Non ſemper aderat pabulum, cùm ſemper vrgeret vinculum: vt noueris vitium incommoda tegere, lucrumque promittere; eſt tamen leuiſſimum lucrum, & grauiſſimum detrimentum, c. 16. n.115.p.174

10. *Alij cædebant ramos de arboribus, &c.*
Viam arboribus ſternere, erat aut impedire greſſum, aut mutare caſum. Profectò deuotionem ſuam teſtabantur qui ramos modò cædebant, honeſtis tamen factis demonſtrarunt plures, vt captioſas prætendant inſidias, induere adulantium, & obſequentium perſonas, c.16.n 166.p.186

11. *Soluite, &c.*
In præſepio quærebant ſolicitè delicias pabuli; inuenerunt tamen dolores vinculi Non reſpondebat ſpei euentus, imò ſpei erat euentus contrarius. Ibi namque peccator inuenireſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem, c.16. n.199 p. 197

12 *Sedens ſuper aſinam, &c.*
Alieno Chriſtus vehiculo vtitur ad gloriam triumphi & ad triumphum gloriæ. Pullus in libertatem aſſertus, & vinculis iam ſolutus erat ad mortem Chriſti epitaphium, in vita elogium. Eſt enim hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus ſumptuo ſius elogium, & glorioſius epitaphium, c.16.n.304.p.231

13. *Strauit*

Digitized by Google

13. *Strauerunt veſtimenta ſua, &c.*
Mundi faſtum, viriditatem, floriditatemque Chriſtus Dominus geneross calcat, cùm moriturus aduentat, noſque edocet ab omnibus nudari, expedirique, ſi cupimus victoriam de morte reportare & elogia nobis honeſta procudere. Qui de morte cupit triumphare, omnia temporalia proculcet, & cum ipſa ſola paratus ſit congredi, c.16.n.190.p.216

14. *Ramos cædebant, &c.*
Alienas arbores denudabant, vt Chriſti triũphum celebrarent, & deuotioni inſeruirent, & licet his actionibus pius reluceat affectus, veluti penicillo nobis depinxit Euangeliſta, quod non rarò ſolet accidere. Sunt qui aliena rapiant, & huius, alteriuſve ſancti celebritates concelebrant, c.17.n.95.p.261

15. *Quia Dominus his opus habet, &c.*
Indigebat vehiculo alieno, quia munus ritè fuerat exequutus, nec muneribus ſordidatus. Optimos Chriſtus in ſe Reipublicæ Miniſtros expreſſit, & optimos frequenter paupertate premi demonſtrauit. Qui munus adulterat, frequenter diteſcit abundantia: qui ritè exequitur, laborare ſolet inopia, cap.17. n.155. p.278

16. *Benedictus qui venit in nomine Domini, &c.*
A Deo electus ad omnium ſalutem venire conſtabat: *Venit tibi.* Si alius eſſet, emptitiumque munus ſortiretur, ſibi, non ciuibus aduentaret, venalitium namque, emptitiumque munus contra æquitatem ſolet armari, & iniuſtitiam tueri, c.17.n.167. p.282

17. *Ramos cædebant de arboribus, &c.*
Pauperi Chriſto de arboribus ramos offerebant ſalubri falce præciſos. Non erat arbores nudare, ſed ad ampliorem fructum excolere; nam in iis, pauperibuſque benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere, cap. 17. n. 34. p.208

18. *Venit tibi, &c.*
Hoc eſt, venit ad Reipublicæ felicitatem promouendam, ad dilargiendam ſalutem, ad impertiendam cœleſtis luminis claritatem triumpho reſplendet, & omnibus præfuit: eſt namque parum tibi ſplendere, ni ſtudeas plurimis ſubuenire, c.18.n.61.p.329

Feria V. in Cœna Domini.

Ioan. 13.

1. *Cœpit lauare, &c.*
A Deo pro omnium ſalute miſſus nullum laborem reſpuit, vt omnium prouideret ſaluti: veſtimenta ſua ponit, & pedes abluit; nam pro ſalute proximorum delegati nullum reſpuere debent laborem, vt prouideant omnium ſaluti, c.21.n.148.p.613

2. *Cœpit lauare, &c.*
Omnium lauit pedes, ne Iudas exaſperaretur, ſi à lotione excluderetur. Petrus ablui recuſabat; Chriſtus tamen exhibere pedes lauandos iuſſit, & Principes, ſuperioreſque docuit de omnium ſalute curare, nec ſingularitate offendere, c.21.n.156. p.616

3. *Cœpit lauare, &c.*
Iudæ pedes lauat, & execrabilem iniuriam beneficiis magnis compenſat. Ingenui namque, ac nobilis eſt, iniuriam beneficiis compenſare, contrario ſe modo gerere, cap.21. n.7. p.587

4. *Non habebis partem mecum, &c.*
Recuſabat Petrus communem ſubire lotionem, pedeſque lauandos exhibere. Ergo Chriſtus grauiſſimis minis deterruit, docuitque periculoſum, odioſumque eſſe à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe, c.21.n.6.p.584

5. *Lauit pedes Diſcipulorum, &c.*
Mundi erant Apoſtoli; quia tamen ſacro Euchariſtiæ pane erant cibandi, oportuit ab omni inquinamento purgari, & omnia puritate nitere. Ergo qui ad ſacra altaria cupit accedere, ab omni curet inquinamento purgari, c.2. n.52 p.578

6. *Cœpit lauare, &c.*
Iudæ quæſiuit remedium, & vt quæreret, proprium depoſuit ornatum: nudus, & ſolicitus Iudam abluit, nec refugit veſtes ponere, ſi poſſit culpam auferre. Nam bonus ſuperior minus dolet proprium diſpendium, quam à ſubiectis perpetratum contra æquitatem delictum, c.21.n.5.p.575

7. *Cœpit lauare, &c.*
Non ſolùm Iudæ accedit, pedis maculam depulſurus, ſed lauacro occurrere geſtit futuro delicto; à ſacrilega ſententia conatur euertere, eiuſque damnationem geſtit impedire: vt diſcat ſuperior non ſolùm præſenti damno conſulere, ſed futuro prouidere, cap.20. n.24. p.555

8. *Cœpit lauare, &c.*
Humilis ad Iudæ veſtigia aduoluitur, vtque culpam corde admiſſam abſtergat erga Iudam oſtendens beneuolentiam cordis ſatagit mollire duritiam abluens in culpam militat. Bonus namque ſuperior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam, c.20 n.183.p 537

9. *Exemplum enim dedi vobis, &c.*
Apoſtolos vti mundi Magiſtros docuit labores dignitatibus annexos non recuſare, ſed alacritate ſubire: hanc tamen doctrinam non omnes amplectuntur. Sunt namque qui dignitatis faſtigio ambiant lucere, ſed labores dignitati adnexos nolunt ſubire, cap. 20. n.118. p.515

10. *Non habebis partem mecum, &c.*
Deo Petrus obedire recuſabat, pedeſque ablui non ſinebat. Ergo à Dei conſortio excluditur, niſi Dominico præcepto obſequatur. Sine diuini præcepti obedientia nec vera libertas eſt, nec felicitas: Deo namque parere vera eſt felicitas, & libertas, c.20. n.171 p.533

11. *Non tantum pedes, &c.*
Non reſiſtebat Petrus perſonaliter induratus vt Iudas, ſed humilis, & deuotus. Ergo manus & caput obtulit, minaſque euaſit: at Iudas pœnas ſibi reſiſtens multiplicauit, nam dum proſequitur audacter culpas, pertinacia ſibi multiplicat pœnas, c.20 n,238.p.557

12. *Cœpit lauare, &c.*
Non dubites Chriſtum Dominum ad proditoris pedes deuolutum oculos leuaſſe beneuolos, ſi poſſet ab inceptis retrahere, & tacitis oculorum

oculorum linguis perſuadere. Mori Chriſtus deſiderabat, ſed perire Iudam dolebat. Bonus namque ſuperior non tam dolet proprium incommodum quàm ingemat à ſuis perpetratum delictum, c.21.n.45.p.575

13. *Pedes eorum, &c.*
Iudæ pedes lauit, vt obſequio delinitus ſequeretur virtutem, auerſareturque prauitatem. Ille verò, & peruerſus, & contumax non ſolùm prauitatem non exercuit, ſed cupidus etiam conſuluit. Non ſemel qui debuiſſent promouere virtutem, perſuadere contingit prauitatem, c.11.n.106.p.636

14. *Cœna facta eſt, &c.*
Menſam Deus Iudæ apparat, cœnam offert; Iudas verò cibatus pretioſo cibo delinquit; & cùm homines cibo ſoleant capi, Iudas non capitur cibo. Profectò eiſdem, quibus à nobis homo lucratur amicitiam, non aſſequitur Chriſtus beneuolentiam, c.15.n.49. pag.17

15. *Cùm dilexiſſet, &c.*
Non ignorabat proditoris animum, cupiditatis agnouerat deſiderium, & tamen ſolicitat pedes abluendo eius beneuolentiam, oblitus quodammodo iniuriam. Amor namque obliuiſcitur facilè acceptam iniuriam, & offendentis ſolicitat ſæpè gratiam, c.15. n 53. pag.18

16. *Vos mundi eſtis. ſed non omnes, &c.*
Omnes videbantur Diſcipuli, amicique; at Iudas amicitiæ laruа tegebat hoſtem: nonnulli namque familiaritatis laruа aduerſarium abſcondunt, & inhoneſtum lucrum exambiunt c.15.n.14·.p 45

17. *Sed non omnes, &c.*
Iudas ablutionis deſpexit beneficium, cœleſte contempſit prandium, vt exiguum haberet, lucrum, verum perpeſſus eſt durum ſuſpendij tormentum. Vitium namque falſisineſcat ſpebus, ſed diſcruciat poſteà veris doloribus, c.15.n.145.p.46

18. *Sciebat quiſnam eſſet, &c.*
Nouerat Chriſtus Iudam proditionem machinari; vtque ab execrabili commercio auerteret, pedes abluit, & quot illum calamitates manerent, non dubiè prædixit: verum Iudas maluit ſe ipſum perdere, quàm aurum amittere. Præ ſe ipſis æſtimare ſolent homines diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias, c.15. n.241.p.77

Feria II. in Reſurrectione.

Lucæ 24.

1. *DVo ex illis ibant, &c.*
Fugiebant Diſcipuli peruerſorum conſortium, quia viderant Chriſto Domino ſolicitaſſe patibulum Certè prudens ſtudebit declinare conſortium, ſi accepit ab aliquo detrimentum, aut imminere videat periculum, c.15.n 190.& n.194.p.59.& 61

2. *Ibant ipſa die, &c.*
Chriſtus ambulantibus ſe coniunxit, & de quibus agerent interrogauit: mirumque fuit egregia Chriſti facta retuliſſe, eiuſque virtutes commendaſſe. Frequenter namque nonnulli pluſquam interrogantur, reſpondent, ſed vt euulgarint aliorum ignominiam, & obſcurauerint famam, c.15.n.24,.p 78

3. *Ibant ipſa die &c.*
Deſperantes fugiebant aduerſariorum potentiam, nec attendebant diffidentes Dei promiſſis eius indignationem mereri. Tanta namque eſt hominum cæcitas, vt indignationi ſe potentioris exponant, vt inferioris metum excutiant, c.15.n.269.p.86.

4. *Ipſe Ieſus appropinquans, &c.*
Splendorem occuluit, Reſurrectionis gloriam tantiſper innubilauit, vt fugientes reduceret, & doceret. Nam bonus ſuperior non recuſabit incommoda, vt ſubiectos exemerit à ruina, c.15.n.294.p.96.

5. *Nos autem ſperabamus, &c.*
Sperabant Iſraëlem redimendum, ſeque laborum præmia accepturos. Ergo cùm viderent poſt labores ſe ad ſpeciem impræmiatos, & aduerſariorum furori abiectos, fugiebant, & ſententiam quodammodo retractabant. Eſt enim miraculi adinſtar, ſi iterum ſeruiat poſt exantlatos labores reiectus, & impræmiatus, c.15.n.371.p.122.

6. *Ibant ipſa die, &c.*
Dum ſperabant, iter non arripuerunt; Verùm cùm iam nulla illis, vt teſtantur, ſpes eſſet, ab inceptis reſiliebant, & celeri greſſu inuolabant. O quàm frequens eſt, ſi ſpes abſit, aut dependentia ceſſet, homines fugere, & antiqua à ſe præſtita obſequia negare, cap. 15. n.:84.p.·26.

7. *O ſtulti &c*
Cùm Chriſtus Dominus morte ſuâ peccatum deſtruxerit, non poterat ipſâ morte ſibi vitam & gloriam non comparare. Ergo ſtulti deſperabant: nam eo ipſo, quo vitia deſtruimus, gloriam nobis, & ſalutem comparamus, c.15.n.,05.p.133.

8. *Ibant ipſâ die, &c.*
Hieroſolymam fugiebant, aliò ſe conferentes; nam cùm vidiſſent Hieroſolymis virtutem oppugnari, non poterat calamitati non ſubiici: Ad ciuitatem namque vbi oppugnatur virtus, hoſti, & calamitati facilè patebit aditus, c.16.n.76.p.159.

9. *Ibant ipſâ die, &c.*
Loca mutabant, ſed timorem, & timoris cauſam ſecum ferebant. Ergo parum intererat mutatio ad animum ſedandum, & timorem expellendum. Parum enim intereſt loca mutare, ſi te tecum ſemper contingat deferre, c.16.n.106.p.168.

10. *Nos autem ſperabamus, &c.*
Promiſerat Chriſtus poſt tres dies ſurrecturum, ergo quia putabant fidem violatam, & promiſſionem eluſam, ipſâ die ſe illis coniunxit, & gloriam Reſurrectionis oſtendit. Principes namque dedecet fidem violare, & iniuriam ſibi promiſſa violando inferre, c. 16. n.151.p.182.

11. *Nos autem ſperabamus, &c.*
Deo fidebant. Ergo non ſunt ſpebus fraudati, ſed ipſâ quâ ſperauerant die promiſſionibus fruiti; aliter illis contingeret, ſi fiderent creaturis: nam quibus plus fidis, fallaciores creaturas

Digitized by Google

creaturas inuenies, c.16. n 21:.p.201.

12. *Euanuit ex oculis eorum*, *&c.*
Gloriæ ſplendoribus oculos ad ſe allexit, ſed ſtatim oculos fugit, & Apoſtoli regreſſi ſunt in Hieruſalem retractantes ſententiam, & contra illum ſequuti viam. Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam, c.16.n.213.p.205

13. *Oculi autem eorum tenebantur*, *&c.*
A cæterorum conſortio recedebant, ſpem, vt placet Diuo Gregorio, iam amiſerant. Ergo Chriſtum non agnoſcebant; nam qui à Deo recedit, cæcitatem. & calamitatem incurrit, c.16.n. 237. p.209.

14. *Loquebantur ad inuicem de his*, *&c.*
Timore perculſi,& ſpe iam deſtituti iter carpebant,& ſe à cæteris Apoſtolis elongabant. Loquebantur tamen de Chriſti paſſione, eiúſque miracula, & virtutes mente, & animo reuoluebant. Ergo Chriſtus adfuit, & ad cæteros redire edocuit: Spes namque eſt recuperationis. ſi virtus prorſus non expuncta, ſed aliqua ſcintilla ſeruata, c. 16. num. 240. pag. 210.

15. *Quomodo eum tradiderunt*, *&c.*
Non ſolùm Principes, Sacerdotéſque tradiderant,ſed populus ſemel, & iterum tumultuoſis clamoribus mortem poſtularat:Verum Diſcipuli in Principum, Sacerdotúmque actionibus populi actiones retulerunt; populus namque Principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur, c 16. n.249. p.212.

16. *Nonne oportuit Chriſtum pati*, *&c.*
Oportuit equidem Chriſtum pati, quandoquidem eius morte mors luxit deuicta, & hominum captiuitas effugata. Ergo glorioſius epitaphium de mortuo, & reſurgenti auguſtuis elogium fuit hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatum aſſertus, c.16. n. 304 p. 231.

17. *Nonne oportuit Chriſtum pati*, *&c.*
Poſt mortem in gloriam intrauit æternis luminum fulgoribus reſplenduit de inferno, mortéque triumphauit. Iuſtis, peccatoribúſque contrarium videas accidere, labores iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur; peccatorum gaudia lamentis, & abiectione ſoluuntur, c 16.n.307.p.232.

18. *Manè nobiſcum*, *&c.*
Peregrino, pauperique hoſpitium offerunt, menſámque ad ſolandam famem, & laborem apponunt; oculi & eleemoſynæ fructum perceperunt aperti & cœleſti luce perfuſi. Errat prorſus mundialis cæcitas, dum exiſtimat benè collocatum,quod cupiditati conſtat impenſum, diſpendiumque in vſus debitos diſtributum, c.17.n.21. p.240.

Dominica in Albis.

Ioan. 20.

1. *Stetit in medio*, *&c.*
Superiores docuit omnium ſalutem tractare, & ſingularitatis opinionem animitus fugere. Nam ſi Iudex, ſuperiorque partialis inclinetur, leges facillimè in ſuorum vtilitatem interpretatur, c.21. num. 180. & n.156. p.629.

2. *Venit Ieſus*, *& ſtetit*, *&c.*
Ipſe Dominus quæſiuit timidos, ipſe euexit animos, & quamuis ad ſpeciem clauſum oſtium aditum negaret,vicit vt edoceret Superiores, Principéſque nullo labori retardari, vt prouiderint ſuorum ſaluti, c. 21. n. 148. p.613.

3. *Oſtendit eis manus*, *&c.*
Iam culpam ſuam agnouerant, iam fugam arripuiſſe doluerant. Ergo illos Chriſtus ſolatur. Optimus namque ſuperior culpa iam punita, aut deleta non ſatagit affligere, ſed ſolari, c.21. n.127.p.605.

4. *Cùm fores eſſent clauſæ*, *&c.*
Fores clauſerunt ſæculo, vt orationi vacantes honeſto fruerentur otio, & eximerentur periculo; in quo ſatis prudenter ſe geſſerunt; nam qui ſolum qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari. c.21 .n.121.p.603.

5. *Oſtendit eis manus*, *& latus*, *&c.*
Apoſtoli fugerant, negarántque, & tamen Dominus impertitur eis beneficia, manus latúſque eis oſtendens, gloriæque ſplendori demulcens,& humaniſſimè alliciens; ingenui namque, ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modò gerere, c.21.n 77.p.587.

6. *Venit Ieſus*, *&c.*
Cum morte deprǽliatus, de eáque triumphos conſequutus ſe Apoſtolis oſtendit luce fulgentiſſima redimitus, & Ieſu nomine vt antea nobilitatis, docuitque deprǽliari contra vitia, ſi glorioſa cupis ſtemmata;Nam qui refugit certamen obſcurat nobilitatis ſtemmata, & glorioſa obliterat nomina, c. 21. n.73.p.585.

7. *Thomas non erat cum eis*, *&c.*
Thomas à reliquis ſeparatus, cœleſti viſione priuatus eſt, frueretur gloria, ſi cæteros imitatus, nec ab illorum ſocietate diſiunctus. Eſt namque periculoſum, odioſúmque à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe, c.21 n.69.p.584.

8. *Non eſſe incredulus*, *&c.*
Culpam, incredulitatémque carpſit, & latus obtulit. Superiores edocens ſic armari in culpam, vt conſeruent erga peccatorem beneuolentiam, c.20. n.183. p.537.

9. *Vidimus Dominum*, *&c.*
Condiſcipuli Thomæ retulerunt Chriſti Domini gloriam, non tamen conſequuti ſunt vt crederet: aduentauit Chriſtus, & iam Thomas & adorat, & credit. Ecce per ſeipſum ſuperior facilè obtinuit, quod per plures miniſtros Thomæ non ſuaſit: per miniſtros namque tardè perficitur quod per ſe ipſum ſuperior facilè aſſequitur, c. 19 n. 82 p. 419.

10. *Infer digitum tuum*, *&c.*
Eximium amorem oſtendit Chriſtus erga Thomam, dum patienter tulit, ſi fas eſt dicere, pertinaciam. Vera namque patientia alienos defectus portat, & dum portat, proximum amat, c.19. n.67.p.414.

11. *Infer digitum tuum*, *&c.*
Prius curæ fuit culpam amouere, omnémque incredulitati:

incredulitatis occaſionem tollere Poſtea peccatorem carpſit: *Noli eſſe incredulus*, *&c.* Bonus namque ſuperior prius curat peccatum tollere, quàm peccatorem punire, c.19. n.53.p.411.

12\. *Dominus meus, & Deus meus, &c.*
Reſipiſcentem Thomam affabili vultu recepit, & vt reliquos humaniſſimè tractauit. Superior namque reſipiſcentem hilari vultu debet recipere, & cum illo humaniſſimè ſe gerere, c. 9. n.49.p.409

13\. *Non erat cum eis*, *&c.*
Thomas diſceſſerat, & à reliquorum conuictu tunc degebat remotus. & ſeparatus. Ergo admiſit incredulitatis culpam, nec quando cæteri aſpexit gloriam: nam qui à reliquorum conuictu remotus, ſordeſcit non ſemel criminibus obſcuratus, c. 18. num. 230. p. 79.

14\. *Cùm fores eſſent clauſæ*, *&c.*
Aduerſus hoſtiles impetus ſolicita ſe præmuniuerant cautela, ne illos præmeret inopina ruina. Chriſtus aduentauit, quia clauſum mundo oſtium inuenit. Certè ſi aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela, inopina præmet ruina, c. 8.n.113.p.374

15\. *Et fores eſſent clauſæ*, *&c.*
Dum fores ſolicito ſtudio muniunt, impetus hoſtiles non ſuſtinent, imò pacatè degunt. Profectò ſecurior degit inter hoſtes ſolicitus quàm ab hoſtibus diſtans ignauus, cap. 18. n.109.p.372.

16\. *Propter metum Iudæorum*, *&c.*
Omni ſe cautela muniebant contra Iudæorum potentiam, qui ſemel, & iterum ſomno indulxerunt, cùm immineret tentatio, ſed iam de more humana potentia timetur; diuina verò ſi non deſpicitur, minus attenditur, c.18.n. 97.p.369.

17\. *Propter metum Iudæorum*, *&c.*
Non ignorabant ſe periculis circumdatos. Ergo nulli ſolicitudini parcebant, ſed hoſtia ſolicita cura obfirmabant. Periculi notitia militabat contra periculum; fortè perirent, ſi ſecuros ſe putaſſent, nam periculoſior calamitas fuit ſæpè falsò exiſtimata ſecuritas, c. 8.n. 17.p. 45.

18\. *Venit Ieſus*, *&c.*
Gloria Dominus fruebatur, miris ſplendoribus redimitus, & immortali felicitate coronatus. Venit tamen, vt ſolaretur mœſtos, & deliniret afflictos. Vt noueris Domini exemplo parum eſſe tibi ſoli reſplendere, ne adnitaris aliis etiam ſubuenire, c. 18. n. 61. pag. 329

In Litaniis maioribus.

Lucæ 11.

1\. QVis veſtrum habebit amicum, *&c.*
In amico iſto Chriſtum Patres agnoſcunt. Ergo ad illum tetendit, qui hoſpitem admiſit, & quidem qui admiſit hoſpitem, Dei comprobatur amicus; mirare obſequia pauperi exhibuit, & vianti menſam apponere procurauit, cùm obſequia officiáque rariùs charitas, & obligatio ſuadeat, quàm appetitus, aut propria vtilitas doceat, c. 15. n.21.p.9.

2\. *Non habeo quod ponam ante illum*, *&c.*
Inopia premebatur, ſed quia non habuit, ad amicum Deum ſe contulit: fortaſſe non tetendiſſet, ſi rerum abundantia exundaſſet. Non ſemel grande beneficium eſt calamitatibus premi, ſupplicium proſperitatibus exundare, c.15.n.95.p.31.

3\. *Si ille perſeuerauerit*, *&c.*
Dum patienter ſuſtinet repulſam, accipit quod deſiderabat, & expetebat. Si impatiens abiret nudus diuitiis, & rubore ſuffuſus coram hoſpite appareret. Ergo dum patienter ſuſtinuit repulſam. non paſſus eſt paupertatis verecundiam, & hoſpitis conſolatus inediam. Profectò impatientia dum leuia refugit ſuſtinere. duriora cogitur tolerare, c. 15.n. 121. pag. 38.

4\. *Et iuit ad illum media nocte*, *&c.*
Aduentante inopinè hoſpite, & premente paupertate homo iſte recordatus eſt amici ſatis prædiuitis, & ad illum tendens inuenit ſibi hoſpitíque neceſſaria. Vt noueris calamitatem, paupertatémque vtilem Dei memoriam afferre, & è contra proſperitatem periculoſam obliuionem inducere, c.15. n. 154. pag.49.

5\. *Dabit quotquot habet neceſſarios*, *&c.*
Inuenit prudens hic amicus neceſſitati ſolatium, quia nouit vbi quærendum erat auxilium. Cùm plures imprudentes adaugeant calamitatem dum neſciunt remedium quærere: Certè ea quærimus aliquando auxilia quæ maiora nobis afferunt detrimenta, cap. 15. n.185.p.58.

6\. *Iuit ad illum*, *&c.*
Vndique arctatus ſecum cogitauit de neceſſitatis remedio, & inuenit hoſpiti aduentanti ſubſidium. Semper namque ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem dormit habetius, c.15.n. 05.p.65.

7\. *Venit ad me de via*, *&c.*
Caſu putares hoſpitem aduentaſſe; verùm ille amicus diues prouidenter diſpoſuit alterius aduentum, vt alter accederet imploraturus ſubſidium. Vt noueris promanare à vigilantiſſima prouidentia, quod videtur à cæca proueniſſe fortuna, c.15.n.229.p.73.

8\. *Ibit ad illum*, *&c.*
Amicus vt opitularetur amici neceſſitati, noctis tenebris non eſt impeditus, ſed innolauit charitas alis feruidus. Fas erat, vt charitas honeſtum non refugeret miniſterium, quando ſæcularis amicitia inhoneſtum non recuſat officium. Sunt namque, qui vt adulentur amico viliſſimo ſe non verentur ſordidare miniſterio, c.15.n.286.p.83

9\. *Ibit ad illum media nocte*, *&c.*
Gaudens, & exultans iuit, vt amici cænam pararet: hoſpes quieſcebat, & amicus celeri greſſu innolabat, gaudet namque charitas, ſi proprio labore alienæ ſuccurrat neceſſitati. c.15.n.102.p 98.

10\. *Commoda mihi tres panes*, *&c.*
Inopia preſſus orationis ſe contulit ad ſuffragium, & orando citò inuenit neceſſitati ſubſidium: tardaret remedium, ni orationis fortitus fuiſſet patrocinium: nam ſine orationis ſuffragio

Digitized by Google

ſuffragio tardat calamitatis medella, oratione citò aſciſcitur medicina, c.15.n.396.p.131

11. *Ibit ad illum media nocte &c.*
Nec offuſis noctis tenebris amicus eſt retardatus nec rogandi rubore detentus: amori namque nihil inuenitur ponderoſum nullum eſt pondus moleſtum, c.16.n.55.p.152

12. *Ibit ad illum media nocte, &c.*
Non traxit ignauè moras, non colorauit petitionem differendi cauſas, ſed tetendit impigrè, impetrauitque fortunatè. Fors ſpebus doleret fruſtratus, ſi moras traxiſſet ſtultè confiſus; nam dum ignauus moras trahit ſtultè confiſus, ſpebus dolere ſolet fruſtratus, c.16.n.73.p.157

13. *Ibit ad illum media nocte, &c.*
Ad Deum tetendit, ad creaturas non recurrit, & quidem ſi ad creaturas recurreret, non inueniret ſubſidium, ad Deum inuolans eſt conſequutus remedium. Mihi crede experto: Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, c.16.n.211.p.201

14. *Ibit ad illum. &c.*
Ab amico diſtans inopiam paſſus eſt, imò & noctis tenebras ſuſtinuit; dum clamoribus accedit, dum Deum inuocat, neceſſariis fruitur, & amico opitulatur. Certè qui à Deo diſtat, patitur noctem, & incurrit calamitatem, c.16.n.137.p.209

15. *Non habeo quod ponam, &c.*
Non habebat quod hoſpiti apponeret; non habebat quo neceſſitati ſuccurreret; & licet iſte vera premeretur inopia, inuenies plures ad ſuccurrendum pauperibus inopes; voluptatibus verò ſectandis prædiuites. Nunquam vitio defuit pecunia, ad virtutes præmit inopia, c.17.n.9 p.236

16. *Media nocte, &c.*
Mira res! nocturnis timoribus non eſt impeditus, nec periculis retardatus: ſic adhæſit virtuti, vt alij adhærere ſolent prauitati Certè vitiis tenaciſſimè adglutinamur, à virtute leui timore diſiungimur, c.17.n.27.p.241

17. *Non habeo quod ponam ante illum &c.*
Nil habebat ſibi, nil hoſpiti: verum dum pauperi ſubuenire decreuit, ab amico accepit quotquot habebat panes neceſſarios vtrique. Iuſtis namque, ac pauperibus benefacere, eſt ſibi lucrum acquirere, c.17.n.234. pag.302

18. *Commoda mihi tres panes, &c.*
Exiguo tempore orans impetrauit fami ſubſidium: Cum hoſpes ille poſt longas vitiorum vias non fuerit ſupplicium paſſus, & ſi fame fuerit oppreſſus. Deus namque, cuius perſonam gerebat amicus, exiguis obſequiis allicitur ad munificentiam, cùm ſæpè prouocatus magnis offenſis contineat iram, c.17.n.223.p.298

In die *Aſcenſionis*.

Marc. 16.

1. R*Ecumbentibus, &c.*
Omni creaturæ iubet Euangelium prædicare, & de omnium ſalute curam gerere: quod impleuerunt Apoſtoli ſuo docentes exemplo pro ſalute proximorum delegatos laborem nullum excuſare quo poſſint proximis prouidere, c.21.n.148.p.613

2. *Illi autem profecti, &c.*
Exprompte impleuerunt mandatum, licet ad ſpeciem durum. A nobis facile impletur obedientia, ſi iucunda, non adeò faciiè, ſi fuerit amara, c.21.n.143.p.611

3. *Recumbentibus, &c.*
Chriſtus Dominus dum iubet commodis renunciare, & Apoſtolos duros labores ſubire, coram ipſis eleuatus eſt, vt in illo intuerentur quàm ſit vtile in Dei obſequium labores ſubire, & commoditatibus renunciare. Qui renunciat commodis, vt obſequatur honeſtè iuſſis, nouerit non ſolùm ſibi acquirere virtutis lucrum, ſed etiam felicitatis augmentum, c.21.n.131.p.606

4. *Recumbentibus, &c.*
Inter medios hoſtes recumbebant, quia ſecum habebant Deum, & fortè ni habuiſſent, inter delicias agitarentur timore. Solus qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari, c.21. n.12 .p.603

5. *Profecti prædicauerunt &c.*
Mira res: diuina præcepta ſtudioſè adimplentur, cùm ferè ſemper tepide ſatis homines exequantur. Hoc inter Dei, & magnatum præcepta ſolet diſcrimen reperiri: Quæuis Principum decreta à miniſtris exactiſſimè adimplentur; Dei iuſſa frequenter ſatis violantur, c.21.n.01.p.596

6. *Domino cooperante, &c.*
Qui iuſſit prædicationis officium, tulit opem laborantibus, cùm tamen ipſi laborante Chriſto fugiſſent. Inuenias qui velint ſibi opem in neceſſitatibus ferri, cùm detrectent ipſi præſtare, c.21.n.97.p.99

7. *In nomine meo dæmonia eijcient &c.*
Chriſtus cœlos aſcendens nomen ſuum inuocare docuit, quo homines & calamitatis haberent remedium, & gloriæ pignus Eſt namque Dei nominis inuocatio felicitatis illiciū & calamitatis remediū, c.21.n.27.p.569

8. *Prædicate Euangelium &c.*
Aſcenſionis gloriam oſtendit, vt prædicationis labores ambirent, nec vitam fundere recuſarent. O vtinam pro Chriſto, pro animæque ſalute homines vellent ſubire quæ pro caduca vita, aut volatica gloria ſolēt amplecti; verū pro his amplectūtur patienter dura, pro illis detrectauere leuiora, c.20.n.218.p.550

9. *Domino cooperante, &c.*
Miracula Apoſtoli operati ſunt, ignorantiæ depulerunt tenebras, abegerunt ab hominibus dæmonas, ſed cooperante Domino. Inferiores namque miniſtri nequibunt quæ ſunt ſui muneris adimplere, ni auxilium excellentiores adorarint præſtare, c.20.n.175. p.534

10. *Exprobrauit, &c.*
Exprobrauit, vt agnoſcentes culpam delerent offenſam, ſicque ad corrigendos peccatores ſortirentur efficaciſſimam energiam. Neque enim habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam, c.20.n.152.p.527

11. *Prædicate omni creaturæ &c.*
Opus fuit Aſcenſionis aſpectu illos armare, & contra adſultus duros munire: dum in vitia deprælianturr, & Prædicatorum officio

vtantur, muniri debent contra captioſas inſidias, quia criminum corrigere moliuntur offenſas, c.20.n.93.p.107

12. *Prædicate. &c.*
Dum vident Chriſti Domini triumphum, ingens corde gloriæ refouent deſiderium; verum opus erat imitari Chriſtum, ſi ſortiri cupiebant thronum. Inuenias tamen plures qui cupiant faſtigium dignitatis inſcendere, annexos tamen nolint labores ſubire, c.20.n.118.p.5.5

13. *Prædicate, &c.*
Ad prædicandum mittit ſine baculo, & pera; eis tamen oſtendit Aſcenſionis pompam, & triumphantis veram fortunam: vt in eo diſcerent opus eſſe ſæculi diuitias, & honores contemnere, ſi vera libertate, & gloria deſiderant redimiri, c.16.num.94. pag. 164

14. *Qui crediderit.&c.*
Exiguo ablutionis labore grande homines aſſequuntur emolumentum, ſcilicet, æternam eludere pœnam, adipiſcique gloriam. Vitij aſſeclis è contra accidit; leui incommodo promittunt ſibi ingentiſſimum lucrum, ſed leui lucro damnationis ſubeunt incommodum, c.16.n.125.p.174

15. *Prædicauerunt vbique,&c.*
Gratiæ auxilio, cooperanteque Domino vicerunt monſtra, & operati ſunt mirabilia. Adſpirante gratia facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, c.16. n.174.p.220

16. *Et Dominus quidem Ieſus,&c.*
Laboribus honeſtis, cruce, patientiaque emit ſibi Dominus Aſcenſionis auguſtiſſimum triumphum, & ab Angelis exhibitum repetitis acclamationibus plauſum. At ſic cæcutiunt homines, vt cùm poſſint non grandi pretio gloriam emere, anxiis laboribus emant non ſemel mendacia, & pro mercede inuenire ſoleant tormenta, c.17. n.115. p.270

17. *Aſſumptus eſt,&c.*
Plures exambiunt ad dignitatum aſſumi culmina, nec tamen Chriſti imitantur exempla. Chriſtus virtutibus reſplenduit ornatus, & ſuorum ſaluti inuigilauit ſolicitus, ergo aſcendit in cœlum luminibus coronatus. Inuenies qui deteſtandis criminibus emant refulgere, & ſibi indebitis dignitatibus emicare, c.17. n.151. p.277

18. *Domino cooperante,&c.*
Mira Apoſtoli patrauerunt; depulerunt Dæmones, ſeuerunt virtutes, Dei fauore innixi, & firmiſſimis ſpebus armati: ſi propriis viribus fiderent, non ſolùm non coronarentur victoria, ſed hoſtibus fuiſſent præda; nam viribus propriis fidens peperit hoſti trophæum; diuinis fretus acquiſiuit ſibi triumphum, c.16 n 281.p.223

In die Pentecoſtes.

Ioann. 3.

1. *Sic Deus dilexit mundum, &c.*
Cùm poſſet Deus homines tot vitiis inquinatos delere, filium ſuum, & ſpiritum miſit beneficiis illos procurans allicere, edocenſque ſuperiores, ac Principes, nil magnitudinis, ac ſplendoris detrahi, ſi cùm poſſint ſtomachari, aggrediantur officiis ſubditos ſubuenire, c.15. n.11. p.6

2. *Vt filium ſuum vnigenitum daret. &c.*
Cœleſtis amor Deo perſuaſit vnigenitum filium mittere, & hominum calamitates depellere. Cùmque amori amor debeatur, nec tanto beneficio, amore que amari ab hominibus aſſequitur: videas ob exigua beneficia amorem creaturis impendi, Deo ob maxima beneficia non ſolui, c. 5 n.49.p.17

3. *Sic Deus dilexit mundum.&c.*
Mundus diuinam indignationem merebat, repetitis offenſis iracundiam prouocabat, & tamen filium ſuum miſit, vt mundum ſaluaret. Amor namque obliuiſcitur facilè offenſam, imò offendentis ſolicitat gratiam, c.15.n.53. p. 18.

4. *Vt ſaluetur mundus,&c.*
Verus amor amici ſolicitat ſaluationem, falſatus aut ſuam, aut amici pernicioſam commoditatem: Solus Deus verus eſt amicus, nam homines amicitiæ larua cupiditatem abſcondunt, & inhoneſtum lucrum exambiunt, c.15. n. 41. p.45

5. *Lux venit in mundum, &c.*
Lux, amorque cœleſtis in mundum venerunt, vt homines edocerent, & ab appetitu frænarent. Dilexerunt tamen homines tenebras appetitui fauentes: Eſt namque rarus, qui non amplectatur quod appetitui fauet, & deliciis inſeruit, c.15.n. 50.p 48

6. *Lux venit in mundum,&c.*
Ne illuſtrarentur luce, oculos premebant, & tenebras confuſas amabant, affectabant ignorantiam, vt proſequerentur vel candente luce ſtultitiam: & quidèm non ſemel dum inceptum proſequitur errorem notitia, affectat tenebras culpabilis ignorantia, c.15.n 164.p.52

7. *Sic Deus dilexit mundum,&c.*
Filium miſit; cœleſtes hodiè flammas pluit, vt mundus depulſis calamitatibus ſaluaretur. Exultat nâque charitas, ſi proprio labore alienæ ſuccurrat calamitati, c.15 n.303.p.99

8. *Sic Deus dilexit mundum,&c.*
Verus amor amato conſulit, eius ſaluti prouidens, & ſaluationi proſpiciens. Profectò è cœlo verus, & cœleſtis amor aduentauit; amor namque humanus vt in plurimum eſt falſatus: Aliis videtur conſulere, ſed reuerà ſibi probatur attendere, c.15.n 308.p.110

9. *Lux venit in mundum &c.*
Venit vera lux tenebras peccatorum depellere, & cœleſtis amor venit corda aduerſus noxias delicias armare. Armarunt homines tenebras, cùmque diligerent vitam, maturabant ſibi tragediam; obſcurati namque non aduertebant, eo ipſo quo deſtruuntur vitia, acquiri ſalubria commoda, cap. 15. n.405. p 16

10. *Vt filium ſuum vnigenitum, &c.*
Cœleſtis Pater arbitratis, ſi fas eſt dicere, hauſit periculum, vt miſſo filio hominum culpas depelleret, & animarum ſaluti conſuleret; filius etiam tulit crucem, ignis cœleſtis verſus terram inuolauit; amori namque nil inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, c.16.n.55.p 152

11. *Dilexerunt homines magis tenebras,&c.*
Cùm ex alia parte lux tenebris bellum indiceret,

indiceret, & ex alia parte homo tenebras adamaret, anxiis diſcruciabatur anguſtiis, & multimodis afflictabatur miſeriis. Mundialis, & cæcus amor in eas ſolet coniicere anguſtias, vt diſſentiri nequeas tuta eius gratia, nec aſſentiri illæſa conſcientia, c.16. n.175. p.188

12. *Dilexerunt homines magis tenebras,&c.*
Dum cœleſtem lucem à ſe repellunt, tenebras miſerandas incurrunt; neque enim poterant non cæcutire, dum geſtiebant cœleſti luci aduerſari. Nam qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit, c. 6. n.237. p.209

13. *Dilexerunt homines magis tenebras, &c.*
Non ſolùm magis tenebras dilexerunt, ſed lucem, quia aduerſabatur tenebris, extinguere procurarunt. Amabant tenebras, ſuaſque miſerias diligebant. Ergo auerſabantur lucem, luciſque candorem. Ægrè namque ferunt homines à criminibus retardari, patienter ferunt à virtutibus inhiberi, c.17. n.15. p.237

14. *Dilexerunt tenebras, &c.*
Fœdiſſimas tenebras dilexerunt, quia peruerſis eorum operibus patrocinabantur; ſtomachabantur in lucem, quia depellebat caliginem, & delinquendi occaſionem. Sic improbi caligant, vt ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones, ſe reputarint felices, c.17. n.46. p.247

15. *Dilexerunt homines magis tenebras, &c.*
Lux iter demonſtrabat, & ſcandala oculis oſtendebat, tenebræ impediebant oculos, arctabant greſſus. Ergo ne à peruerſis operibus reſilirent, ſibi adaggerabant tenebras, & ad tenebroſas ſe conferebant vmbras. Sic namque cupiunt homines inhærere vitiis, vt ſe adſtringant reſiliendi impedimentis, c.17.n.79.p.256

16. *Vt filium ſuum vnigenitum, &c.*
Cœleſtis lux miris ſplendoribus apud Patrem emicabat; Venit tamen in mundum, vt illuſtraret oculos, vt cœleſti ardore inflammaret etiam affectus: Docens magnates, mundique felices ſibi ſolis non ſplendere, ſed miſeris ſubuenire, cap.18. n.61. pag.329

17. *Dilexerunt homines magis tenebras,&c.*
Tenebras dilexerunt vt exundarent diuitiis, vt fruerentur deliciis excogitatis: Verum dum fugiunt lucem, ſibi maturant calamitatem Deo namque priuatus, etſi læta ad ſpeciem vtatur fortuna, miſerrimus probatur, & cæciſſimus inuenitur, c.18. n.188. p.366

18. *Dilexerunt tenebras, &c.*
Lux contradictionem à tenebris ſuſtinuit: Verum poſt ipſam mortem nunquam obſcurandis radiis ſplenduit. Qui tenebras dilexerunt, euanidum adepti ſunt commodum, ſuſtinuerunt vero diuinum iudicium, dicente Domino: *Hoc eſt autem iudicium.* Mihi crede: Diſplicebit, ſi totam aſpicias ſimul peccatoris fortuna, iuſti placebit ſors,ni per partes ſolum fuerit inſpecta, c.18.n.221.p.376

In feſto ſanctiſsimæ Trinitatis.

Matth. 28.

1. *DAta eſt mihi omnis poteſtas,&c.*
Omnium ſaluti prouidit,cùm potentiam accepiſſe ſe retulit: *Docete omnes gentes.* Suo exemplo Principes, ſuperioreſque docens de omnium ſalute curare, nec ſingularitate offendere, c.21.n.156.p.616

2. *Docete, &c.*
Apoſtoli exactiſſimè omnia Dei mandata ſeruanda homines edocuerunt, & ipſi ſtudioſiſſimè etiam obſeruarunt; verùm non omnes Apoſtolicam amplectuntur doctrinam: inueniuntur namque qui Principum exactiſſimè obſeruarint decreta,cùm diuina ſpernant mandata, c.21.n.101.p.596

3. *Data eſt mihi,&c.*
Quam acceperat ab hominibus ignominioſam mortem Chriſtus Dominus, cœleſti lauacro,& ineffabili reſerato Trinitatis miſterio compenſat,& cùm oſtendat omnimodam poteſtatem,beneficiis iniuriam vlciſcitur,vt doceat eſſe ingenui, nobiliſque iniuriam beneficiis compenſare, & contrario modo ſe gerere, c.21.n.77.p.587

4. *In nomine Patris, & Filij &c.*
Dei nominis edocet inuocationem, cùm lauacrum regenerationis ſtatuit: vt noueris Trinitatis,Deique nominis inuocationem eſſe calamitatis remedium, & felicitatis illicium, c.21.n.29.p.570

5. *Baptizantes eos, &c.*
Baptiſmo docet culpas delere,& præceptorum obſeruantia criminibus obuiare: Vt noueris ſatis non eſſe præſentia depuliſſe damna, niſi imminentia etiam vitaueris detrimenta, c.10. n.234.p.555

6. *Data eſt mihi omnis poteſtas,&c,*
Quàm laudabilem,honeſtamque conſequentiam ex accepta poteſtate intulit:*Data eſt mihi* &c. *Euntes ergo*; ac ſi dicat. Cùm potens ſim, omnibus debeo benefacere, & miſeris ſubuenire.Oppoſitum non ſemel videbis accidere: Poteſtas contra imbecilles frequenter extenditur, & iniquis interpretationibus ampliatur, c.20.n.225.p.552

7. *Baptizantes eos, &c.*
Facillima iuſſit,nempè vndis intingi, veritus, ne ſi præciperet ardua, homines detrectauerint obedientiam. Adeò diuerſi à ſeipſis ſunt homines reſpectu caducæ gloriæ,& cœleſtis, vt pro volatica, & caduca vita amplectantur patienter dura, & detrectènt pro ſalute ſpirituali etiam leuia, c.20.n.218.p.550

8. *Baptizantes, &c.*
Omnes per Baptiſmi portam intrare oportet ad vitam æternam;verùm non omnes hoc fruuntur beneficio.Oculos extẽde ad latiſſimas Paganorũ regiones, videbiſque forè innumeros condemnari,vt gratias agas Deo,qui te in filiũ adoptauit Baptiſmo:creſcit namque Dei erga te beneficium de grandi pereuntium numero, relictorumque cenſu, c.20.n.214 p.548

9. *Docentes ſeruare, &c.*
Seruare docet diuina præcepta, vt homines

mines honeſta in hoc mundo vtantur libertate, & cœleſti Trinitatem confitentes donentur luce. Deo namque parere eſt vera libertas, & inconcuſſa felicitas, cap. 20. n. 71.p.533

10. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.*
Trinitatis myſterium ſupergreditur humanum intellectum, & quantumuis acutum ſupervadit diſcurſum. Ergo captiuandus eſt intellectus in obſequium fidei. Feliciores ſunt qui myſterium confitentur ſapienti ignorantia, quam qui inutili perſcrutantur argutia. Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur ingenij dexteritate, & mendacium ſibi elaborarit acumine, c.20.n.101.p.510

11. *Euntes ergo, &c.*
Ab eos delegante recedunt, ſed vt obediant deleganti, & prouideant humano generi. A Deo ob ipſum Deum oportet aliquando recedere, vt ibi commiſſos ad virtutem cures reducere, c.19.n.129.p.434

12. *Docentes eos, &c.*
Crimina Baptiſmo abluunt, & ad virtutem, veramque Trinitatis agnitionem ignorantes erudiunt. Sine magiſtris commiſerunt errata: magiſtris indigent, vt agnorint myſteria, & obſeruarint mandata. Profectò homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur prorſus ineruditi, c.17.n.110.p.294

13. *Data eſt mihi omnis poteſtas, &c.*
Qua fulgebat, poteſtatem, & gloriam duriſſimis cruciatibus emit, & patibulum ſuſtinens ſibi comparauit, & nihilominus datam ſibi confitetur; nam perfecti, ſi qua felicitate fruantur, non ſuis meritis, ſed adſcribere ſolent alienis, c.17.n.263.p.310

14. *Data eſt mihi omnis poteſtas Euntes ergo &c.*
Apoſtoli paſſionis tempore ſe ſubduxerant, nec munus abſoluerant. Ergo per varias mundi plagas diſcurrant, vt eximiis compenſarint virtutibus, quod ignauis tempus amiſerunt timoribus. Eſt enim negligentia non ſolùm egregiis facinoribus deterenda, ſed eximiis virtutibus compenſanda, c.18.n.21.p.318

15. *Et ecce ego vobiſcum ſum &c.*
Præſentiam ſuam promiſit in Euchariſtia, auxiliumque laborantibus ſpopondit, quod mirè Apoſtolos ad laborandum exacuit. Superioris certè præſentia refundit vires, & informat etiam mores, cap. 18. n 34. pag. 321

16 *Euntes ergo docete &c.*
Vt lucrarentur animas; vt ſibi acquirerent gloriam, nullam Apoſtoli recuſauere moleſtiam, imò nihil illis pro æterna vita erat arduum, nec pro ſaluandis animabus moleſtum. Nobis è contra grauis labor pro caducis rebus videtur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18.n.38.p.322

17. *Docete omnes gentes &c.*
Accepta poteſtate Chriſtus Dominus Trinitatis myſterium homines docuit, & omnium incolumitati prouidit, quod Apoſtoli vti Dei miniſtri etiam imitati ſunt: Fuderunt ſanguinem, vt veritatis, Trinitatiſque mundo impertirentur lucem. Alia via Reipublicæ miniſtri ſolent incedere: priùs ſuis commodis proſpiciunt, generalitati aut non conſulunt, aut poſteà attendunt, c 18. n.49.p.325

18. *Euntes ergo, &c.*
Apoſtolos mittit ad vincula, ſæuiſſimaque tormenta pro animabus elucrandis, & ignorantiæ tenebris depellendis: Propria voluit ſubirent incommoda, vt aliis acquirerent immortalia gaudia: ne minus audere videretur charitas, ac hominum aggredi ſolet temeritas. Sunt namque qui deuorent delicta, vt alij aſſequantur augmenta. Ergo Apoſtoli propria contemnant detrimenta, quo aliena exterminarint delicta, cap. 18. n.106. p.341

19. *Docete omnes gentes, &c.*
Delegabat Apoſtolos, vt Dei notitiam ingererent, & tenebras errorum abigerent. Ergo ad labores duros mittebat; nam qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis euehitur: Veridicus vero laboribus premitur, & abiicitur, c.18.n.110.p.342

In Feſto Corporis Chriſti.

Ioann. 6.

1. *Caro mea verè eſt cibus, &c.*
Proprium ſanguinem nobis propinat Chriſtus Dominus ad animarum ſalutem tuendam, & corporum etiam ſanitatem firmandam. Non inſtruxit menſam alienis, ſed propriis dapibus. Inuenias nonnullos de alienis generoſos, de propriis parcos, c.21. n 152.p.614

2. *In me manet, & ego in illo, &c.*
Qui Euchariſtiæ accedit Deum in ſe habet, & ipſe migrat quodammodo in Deum. Ergo placide quieſcit, & paſſionum ſtrepitu ſopito alacer viuit. Profectò ſolùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & conſulaneo mundi ſtrepitu liberari, c.21.n.121. p. 603

3. *Non ſicut manducauerunt patres veſtri, &c.*
Manna Euchariſtiæ vmbram comedebant, ſed ad fallaces Ægypti delicias inhiabant. Ergo illorum reuoluant mente ruinam, ne ſimilem perpetrarint offenſam. Illatum namque ob culpam ſupplicium frænat audaciam, & cohibet inſolentiam, c.21.n.114.p.600

4. *Sicut miſit me viuens Pater, &c.*
Dei filius omni virtutum prærogatiua reſplenduit ornatus, omnique puritate candicauit amictus. Ergo qui ad ſacram Euchariſtiam accedit eius imitetur veſtigia; ab omni namque ſolicitè debet inquinamento purgari, qui ad Euchariſtiam cupit accedere, c.21. n 52.p.578

5. *Sicut miſit me viuens Pater, &c.*
Non venit Dei filius peccatum extenuare, ſed penitus tollere, & abolere. Ergo qui Deum manducat, eius mores referat, ſciatque ſatis non eſſe, ſi vult perfecta coronari victoria, & cœleſti menſa frui, vitia extenuare, ſed prorſus & expungere, & atterere, c 20.n.107.p.545

6. *Non ſicut manducauerunt Patres, &c*
Patres manna veſcebantur, ſed dum appetierunt carnes, ab itinere ſunt retardati, &

Digitized by Google

& ſupplicijs iuſtè puniti. Ergo ſe cibum Chriſtus obtulit, & nobis carnem ſuam miniſtrauit, vt hoc oblectamento ad virtutem alliceremur, & carne vitiorum veneno ſaturaremur. Certè ciborum oblectamentis ſæpè capimur, & irretimur, c.19. n.154. p.435

7. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri, &c.*
Renunciarant fallacibus Ægypti delicijs agni illius typici carnibus alti, & cœleſti pane innutriti: Poſteà verò Ægyptum ſuſpirarunt, & cœleſtem iram incurrerunt. Ergo qui, vt accederet ad menſam, renuntiauit delicijs, eas iterum non ſuſpirent. Sunt namque qui redire ſuſpirent ardentiſſimis deſiderijs, cùm euanidis iam renuntiarent delicijs, cap. 19. num. 76. pag. 417

8. *Non ſicut manducauerunt, &c.*
Cœleſti pane alti ad delicias inhiabant Ægypti, & nitebantur maritare Ægypti commodum, & virtutis plauſum. Ergo non imitetur antiquos Patres, qui Euchariſtiæ accedit ad menſam. Sed proh dolor! Antiquorum Patrum inueniuntur imitatores, & maritare ſatagunt virtutis plauſum, & deliciarum commodum, c. 19. n 61. p.413

9. *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, &c.*
Non ſolùm vitam promittit æternam, ſed cœleſti alimento alit etiam temporalem, & hoc totum, vt Chriſto quodammodo inuiſceremur, à quo nobis adeò magnum promanat lucrum. Et quidèm vitium, ex quo nobis temporale reſultat commodum, nobis inhæret quodammodo concarnatum, c.18.n.261.p.188

10. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri, &c.*
Manna nullis ſumptibus celebrarunt, qui in celebrando execrando illo vitulo, argentum, & aurum prodegerunt. Ergo modo deuotio vindicet Euchariſtiam dignis ſumptibus eam celebrans, & religioſis plauſibus ſemper honorans. Profectò vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur, virtus ſine pompa colitur, c.18.n.243.p.383

11. *Sicut miſit me viuens Pater, &c.*
Dei filius Patrem non deſeruit, quia naturæ vinculo patri colligatus. Ergo qui manducat hunc panem, ſic Chriſto adhæreat, vt reſilire non valeat; Architectetur honeſta impedimenta, & feliciſſima vincula, imiteturque vitiorum aſſeclas, qui non ſemel de induſtria ſe adſtringunt impedimentis, ne reſilire valeant à vitijs, c.17. n.79. p.156

12. *Sicut miſit me viuens Pater, &c.*
Dei filius aduentauit ſæculi diuitias, & honores contemnens, vt nobis veram aſſequeretur libertatem. Ergo qui cœleſti huic epulo accedit, Dei filium imitari tenetur. vtque veram conſequatur libertatem, debet generosè deſpicere ſæculi diuitias, & ambitionis fallacias, c.16. n.94. p. 164

13. *Caro mea verè eſt cibus, &c.*
Cibo oblato ſerpens homines captiuauit. Ergo Deus nobis apponit menſam cœleſtibus delicijs refertam. Vt ad vitam æternam capiat Sed proh dolor! Menſæ non accedimus, cùm mulier ſerpenti acceſſerit, fidemque verbis præſtiterit. Quibus homo à nobis lucratur amorem, Deus ſæpe noſtram non allicit voluntatem, c.15.n 49.p. 7

14. *Viuet in æternum, &c.*
Menſa hæc Chriſti mortem oculis obijcit, ſed æternam vitam promittit. Voluptas, ſerpenſque menſam etiam appoſuerunt, ſed vt crearent dolorem, & exterminarent ſalutem. Quàm alia eſt menſa cœleſtis, & menſa mundialis: Euchariſtia ſalutem, vitamque æternam dolorum vmbris miniſtrat; mundialis menſa falſis inescat ſpebus, & diſcruciat veris doloribus. c.15.n.145.p 46

15. *Non ſicut manducauerunt Patres veſtri, &c.*
Fugerant Ægyptum, ſed Ægypti ſecum attulerunt deſiderium. Veſcebantur cœleſti pane, ſed denudabantur virtute. Ergo qui accedit ad hanc menſam, contrarios mores induat; & antiquos non imitetur, ſed nouerit ex iuſto ſupplicio, quàm periculoſum ſit cum hoc pane Ægypti coniungere deſiderium; nam illorum culpæ deformitas ex iuſto ſupplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur, c.15.n.246.p.76

16. *Qui manducat hunc panem, viuet, &c.*
Hanc menſam vitæ neceſſariam, ſalutemque ex ea promanare denuntiat, vt alacriùs inuolemus; quandoquidem vel corpori opportunam audimus. Imitetur deuotio appetitum; appetitus namque quo liberiùs, & alacriùs voluptatem ſectetur, corpori neceſſariam eſſe mentitur, c 15.n.280.p.90

17. *Caro mea verè eſt cibus, &c.*
Profectò in Euchariſtia diuinus erga homines Chriſti amor reſplenduit, propria carne eos paſcit, morteque innutrit. Vitam ſuam expoſuit, vt mihi pararet menſam cùm ſæpè vel cognatorum amor fucatus ſit, cùm quæ ad ſpeciem nobis conſulat, ſibi vtilitatem anhelat, c.15.n.308 p.100

18. *Non ſicut manducauerunt, &c.*
Cibis Ægypti ingurgitati cibos ſuſpirabant Ægypti. Ipſa copia coturnicum noua deſideria inflammabat carnium: Mannà verò & repudiabant, & faſtidiebant. Ergo qui vult mortem non ſubire, ſed æternam vitam lucrari, oppoſito modo accedat. Panem anhelet, carnes Ægypti faſtidiat, imitetur honeſtè mundialium ambitum, quos de ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & cupiditas ardet viuidior, c.15. n.388. p.128

PRO SANCTIS.

In feſto S. Andreæ Apoſtoli.

Matth. 4.

1. *Ambulans Ieſus, &c.*
Non quieſcebat amor, ſed vt piſcaretur homines ibat, redibatque. Subibat Chriſtus labores, vt Andreas vitaret naufragia, & anxia abijceret retia. Bonus nam

namque ſuperior non recuſabit incommoda, vt ſubiectus euadere poſſit naufragia, c. 15. n.294. p. 96

2. *Mittentes rete in mare, &c.*
Cupiditas mittebat retia, maris enauigabat ſpatia, variis fluctibus impetita, & vorticibus agitata. Nequit enim cupiditas quieſcere, ſed circumvoluitur vorticibus agitata, & naufragij periculo expoſita, c. 15. n.17. p.11

3. *Faciam vos fieri &c.*
Nobiliorem, copioſioremque piſcationem, ac in mari quærebant, promiſit. Ergo prudentiſſimus Andreas mare, retiaque reliquerit. Nos miſeri ab vndis detinemur ob exiguum lucrum, cùm maius nobis Chriſtus promittat commodum. Eiſdem quibus à nobis creaturæ expiſcantur amorem Deus noſtram aliquando non allicit voluntatem, c. 15. n.49. p. 7

4. *Mittentes rete in mare &c.*
Laboribus refertur Andreas defatigatus, non tamen piſcium copia opulentus; fortaſſis inſomnem poſuerat noctem, nec vnicum extraxerat reti piſcem. Mundus namque falſis ineſcat ſpebus, diſcruciat veris doloribus, c. 15. n. 45. p.46

5. *Mittentes rete in mare, &c.*
Amari ſolicitabant vitæ ſubſidium, cùm plures in mari faciant naufragium. Remedio laborabatur; nec ſemel nobis accidit ibi quærere neceſſitatis auxilia, vndè maiora nobis promanare ſolitant detrimenta, c. 15. n.185. p.58

6. *Relictis retibus. &c.*
Andreas retia reliquit, affectu, quæ aliquando relinquenda erant mortis occaſu, docuitque prudentem ſpontaneè agere quod nolit, velit, aliquando cogetur exequi, c. 15. n.260. p.84

7. *Relictis retibus &c.*
Non ſolum retia reliquit, ſed crucem etiam inſcendit, & indè hominibus veritatem deprædicauit, gaudebat produci crucis pœnas, vt expiſcaretur animas. Exultat namque, & gaudet charitas, ſi propriis laboribus alienis obuiarit calamitatibus, c. 15. n. 03. p.33

8. *Mittentes retia, &c.*
Vterque mittebat retia, quia communia vtrique etiam lucra. Aliquando in communitatibus plures cupiunt eſſe laboris expertes, vtilitatis verò participes, cap. 15. n.319. p.111

9. *Relictis retibus. &c.*
Ponderoſum non erat retia relinquere, cui erat gaudium Crucem aſcendere. Amabat Andreas tenerrimè Chriſtum. Ergo crucis dolores illi dulceſcebant. Amori namque nihil inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, c. 6 n.55. p.132

10. *Statim relictis retibus. &c.*
Non diſtulerunt Apoſtoli retia relinquere, nec expectarunt iterum à Chriſto vocari. O quot, dum moras trahunt, miſerias incurrunt! Sæpè ignauia, dum moras trahit ſtultè confiſa ſpebus dolet fruſtrata, c. 16. n.73. p.1 7

11. *Relictis retibus &c.*
Veram Andreas conſequutus eſt libertatem, dum retia reliquit; ipſis erat anteà retibus irretitus. Ergo cùm omnia ſpreuit, ad Apoſtolatus gloriam inuolauit, vt qui veram conſequi libertatem anhelat, eius ſequutus exemplum, quidquid humanum abiiciat, c.16. n.94 p.164

12. *Relictis retibus, &c.*
Vt ſe Andreas poſſideret, rete reliquit, & totum præpoſuit parti; ſi vocatus renueret, partem, hoc eſt, retia præponeret toti ſibi. Et quidem ſunt qui cupiditate obcæcati partem præferant toti, & totum poſtponant parti, c. 16. n. 43. p. 179

13. *Venite, & faciam vos fieri &c.*
Piſcatoribus expiſcandi homines minus commiſit. Cùmque animarum ſalus plurimi interſit, ad politices eruditionem inexpertis noluit committere, ſed expertis expiſcandi munus tradere. Quod magni intereſt, inexperto non eſt committendum, ſed experto commendandum, cap. 16. n. 195. pag 196

14. *Mittentes rete in mare, &c.*
Audis iactaſſe retia, ſed percepiſſe in hoc Euangelio non audis lucra: Retia mari commendabant, ſed mare ſemel, & iterum eos fallebat. Creaturis non fidas, nam quibus plus fidis, fallaciores inuenies, c. 15. n.211. p 67

15. *Piſcatores hominum, &c.*
Profectò Andreas optimus hominum expiſcator varias mundi plagas perambulauit; ipſa cruce pro calamo vſus eſt: Dulceſcebat illi tormentum, ſi ab hominibus expungeret patiens delictum. Perfectis namque nihil adeò graue, vt diuinam intueri offenſam, & auribus percipere iniuriam, c.16 n.144 p.211

16. *Piſcatores hominum &c.*
Adeò miris virtutibus reſplenduit Andreas, vt damnantis iudicis populus non amplecteretur ſententiam, ſed exertis vocibus Apoſtoli commendaret iuſtitiam, quod miraculum ad inſtar fuit, populus namque principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur, cap. 16. n.249. p.213

17. *Relictis retibus, &c.*
Rudes homines cæleſtis doctrinæ magiſtri fiunt, & quos videbas retibus, fluctibuſque detentos, citiſſimè vides ad culmen perfectionis tranſlatos; nam adſpirante gratia facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, c.16.n 174. pag. 220

18. *Faciam vos fieri. &c.*
Andreas fortis, & induſtrius hominum piſcator amplas idola colentium regiones petiit, vt idola euerteret, & homines ad veritatis littora extraheret. Ergo Andreas virtutem ſuam commendat, dum in propriam regionem vitium ſubiugat: Eſt enim ſtrenuæ virtutis vitium in propria regione aggredi, triumphumque adipiſci, cap. 16. n.294. p.227

In

Digitized by Google

In feſto Præſentationis B. Virginis.

Lucæ 11.

1. *BEatus venter, &c.*
Virtutes retulit matris ſapiens hæc fœmina, vt ſumptuoſius laudaret filium, & filium etiam laudauit, vt commendaret parentem. Ergo in filia hodiè templo dicata virtutes relucent parentum; filij namque quodammodo à parentibus ſugunt eximias virtutes, vt etiam peruerſos mores, c.17. n.31. p.242

2. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Matris reſonnuerunt elogia, nempè Chriſto alendo lac dulciſſimum miniſtraſſe. Ergo tota fuit Domino, quæ hodiè conſecrata fuit templo. Profectò virtutis ſingularitate debet ſplendere, quod Domino conſtat dicari, c.17.n.39.p.245

3. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Quæ hodiè dicatur templo, fouendo, alendoque Chriſto Domino ſtuduiſſe refertur; nam quod ſacris conſtat templis dicatum, nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum, c.17 n 50.p.248

4. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Trima à parentibus Domino conſecratur, & dum à parentibus ad omnem perfectionem eruditur, alendo Chriſto ſacrum lac propinaſſe refertur. Contrarium multis puellis videas accidere, à parentibus namque prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur, c.17 n.65.p.252

5. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Vt Chriſtum ventre portaret, miris ſe in templo exornauit virtutibus, vt que exornaretur virtutibus, trima ſe dicauit templo, vt aliquando haberet virtus aſſeclam vitiorum aſſeclis via contraria conſimilem, quandoquidem vitium ſectatores habet, qui de induſtria ſe adſtringant impedimentis, ne valeant reſilire ab erratis, cap.17.n.79. pag.256

6. *Beatus venter, &c.*
Quæ hodie ſe templo ſacrauit, ea virtutum omnium luce reſplenduit, vt Dei mater mereretur eſſe, & elogiis celebrari. Quàm hoc felix, & quàm miſerum eſt contrarium, ſcilicet, ſacratam Deo virginem vanis conuerſationibus ſordidari, & virtutibus non florere. Profectò miſerum eſt ipſo in virtutis portu cæco diſperire naufragio, c.17. n.185. p.288

7. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Ab initio venter hic puriſſimus, & beatus, ecce Templo dicatur trima, & ab ipſa natura virtutem quodammodo videtur edocta, perfectio neque exculpta. Contrarium videas freqnenter accidere. Plures namque ab ipſa natura vitium videntur edocti, ad virtutem prorſus inueniuntur inerudit, c.17. n.210. p.294

8. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Maria virtutum magiſtra ſic humilitatem coluit, vt quæ virginitate placuit, humilitate conceperit. Ecce ſe ab humanis oculis abſcondit, temploque inſeruit. Ergo Matris meruit dignitatem, & laudem. Certè humilitas eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, c.17. n.194. p.290

9. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Ac ſi dicat, tali matre exortus eſt, quæ benefaciendi hominibus occaſiones tibi obtulerit, & anteuerti tempora in vtilitatem hominum humilibus precibus exorarit, taleſque fuerunt eius parentes; vt trimam templo dicarint, & ad Dei matrem omni virtute excoluerint. O tempora, ô mores! non ſemel parentes filiabus occaſionem concinnauerunt erroris, & impedierunt ſalutis, c.16.n.86. p.28

10. *Beati qui audiunt verbum Dei, &c.*
Sic Dei verbum ſitientibus auribus auſcultauit, ſic corde retinuit, vt anteà Deo nata videatur quàm mundo. Trima templum petit, & mundo aures prorſus occludit. O quot fœminæ felices fuiſſent, ſi ad cognatorum conſilia ſurdæ: Verum dum cognatis parent, Deoque ſe dicare aut renuunt, aut diferunt, miſerè pereunt. Grauius certè aliquando homini reſultat à cognatis detrimentum, quàm ab ipſis dæmonibus ſit periculum, c.15 n.272.p.87

11. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Felix, beataque fuit Maria à parentibus templo dicata: Verò dilexerunt filiam amore, quæ non proprij oblectamenti ſecum aſſeruarunt, ſed Domino in templo alacri deuotione obtulerunt. Hic eſt verus amor, verùm amoris ſpecie cognatus ſæpe videtur cognato conſulere, cùm ſibi probetur reuerà attendere, cap.15.n.308. pag.100

12. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Exortus Chriſtus Dominus ad depellendum dæmonem, à tali matre debuit exoriri, & mater, quæ in Dæmonum perniciem nata, templo debuit trima dicari. Sæpè videas ſpeciali micare priuilegio, qui exortus eſt ad decertandum cum vitio. Ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus, cap.15. n.366. pag.120

13. *Beatus venter, &c.*
Dum Ioachimus, & Anna, quam à Deo acceperant filiam, templo conſecrarunt, vt in Dei matrem aſſumeretur religioſa gratitudine, & deuotione meruerunt. Si ingrati non redderent, felices adeò non exiſterent. Mihi crede ſibi inuidet, qui benefico honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c.15.n.367.p.121

14. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Beata deprædicatur, quia Dei verbum audiuit, & trima executioni mandauit. Sunt qui Dei verbum audiant, ſed in opportuniùs tempus differant; verum dum moras trahunt, ad deſiderata non perueniunt. Sæpè ignauia, dum moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, cap.16. n.73. pag.157

15. *Beatus venter qui te portauit, &c.*
Expulerat Chriſtus Dæmonem, & mulier

matrem laudauit, ac ſi diceret, materna viſcera tibi ſemper dicata, à vitæ exordio omnium virtutum perfectione reſplenduit exculpta. Profectò Maria, quæ Domino dicabatur, vel ſæculi proximitatem aufugit, & vel ab incunabulis templum habitauit: Vt nouerint Deo ſacratæ non ſolùm ſibi culpam effugiendam, ſed culpæ proximitatem vitandam, c. 9.n.138.p.437.

16. *Beatus venter,&c.*
Expulerat Chriſtus Dæmonem, homini reddiderat ſalutem. Ergo mulier parentis laudauit inſtitutionem, & licet Chriſtus Dominus materna inſtitutione non indigeret, dum à muliere laudatur, clariſſimè oſtenditur, quàm Rempublicam oporteat diligens erga pueros inſtitutio, quandoquidem ſalutem affert ſolertia, & detrimentum ignauia, c. 9.n.19 .p.448

17 *Beatus venter &c.*
Ioachimus, & Anna templo filiam dicarunt, & eximios dedicationis fructus collegerunt. Ecce quæ videbatur amiſſa, Dei mater deprædicatur effecta: Verum neſcio quis erga filios, & delicias homines error poſſideat cæciſſimus: Errori impenſum exiſtimant lucrum; Deo conſecratum non ſemel arbitrantur diſpendium, cap. 17.n.22. pag. 240

18. *Beatus venter &c.*
Depulit Chriſtus Dæmonem, homini ſenſus reſtituit. Ergo matrem mulier dilaudat, vt notum fuerit per Mariam non minus ſalutem recuperatam, quam per mulieres fraudulentas amiſſam. Maria mulierum honor Dæmonum euertit vires, & felicitauit homines. Si aliquando vnica mulier fraudibus vſa pro multis hoſtibus valuit ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas, c.16. n.219.p.203

In Feſto immaculatæ Conceptionis Deiparæ.

Matth. 1.

1. **D***E qua natus eſt Ieſus. &c.*
Chriſtus Mariæ filius refertur, vt ab omni macula præſeruata credatur. Humana affectio ad virtutem aliquando videtur tarda, ſed ad præuenienda mala ſolertiſſima. Ergo Chriſtus Dominus dum virtutis exemplar, & Mariæ filius nequiuit opem tardare, & ſolerter Matrem non præuenire. Quiſque namque ad humanam affectionem inuenitur cautus, & ſolertiſſimus, cap. 15. n.133 p 42

2. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Quis credat potentem filium matrem à culpa non exemiſſe, quamuis lex infelix Adami reclamaret, cùm videamus quotidiè ſi potentia, lexque altercentur, iudicem obſurdeſcere legibus, & auxiliari magnatibus. Ergo quod peruerſitas molitur, pietas in Matris tot dotibus reſplendentis obſequium non negaret; legi Adamiticæ honeſtè filius eſt refragatus, ne minus in virtutis obſequium ageret filius quàm in obſequium potentiæ exequi ſolet ambitioſus, cap 15. n.290. Pag 94

3. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Quis credat Chriſtum tot incommoda paſſum, ne ſubiectos miſera premeret ruina, matrem non exemiſſe à culpæ originalis miſeria. Certè erga Matrem operatus eſt filius, quod erga ſubiectos operari ſolet bonus ſuperior: eligit namque ſubire incommoda, ne ſuos miſera premat ruina, c.15. n.294. p.96

4. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Honeſtè leges naturæ tranſgreſſus eſt filius, vt matrem eximeret à peccato. Quis credat Chriſtum erga matrem piè non exercuiſſe, quod cupiditas temerariè & exercet, & audet. Profectò cupiditas naturæ leges affectatè non ſemel ignorat, & auxilium hoſtibus præſtat, cap. 15. n. 352. pag. 115

5. *De qua natus eſt Ieſus,&c.*
Mariam ad Dei matrem conceptam, & ad Dæmonum peſtem conſtat fuiſſet efformatam. Ergo non potuit ſingulari priuilegio non ſplendere. Nam qui ad delendum inimicum exortus, ſingulari priuilegio inuenitur ornatus, c. 5.n.36,.p.85

6. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Cur matrem non eximeret à culpa filius gratitudinis exemplari virtutiſque norma, quandoquidèm immunem ab originali ſplendere non ſolùm matri, ſed & filio erat glorioſum. Profectò videre ut honori ſuo inuidiſſe, ſi eximere matrem ab originali non curaſſet: Quandoquidem ſibi inuidet, qui beneficio honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c.15.n.367.p.121

7. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
A qua filius acceperat vitam, fas non eſſet grauiorem morte intuliſſe dolorem; Certè Maria citiùs eligeret mortem ſubire, quàm originali macula ſordidari. Iuſtis namque præ ipſa morte durius eſt vitiis ſubiici, & maculis ſordidari, c.15.n.393.p.129

8. *De qua natus eſt Ieſus &c.*
De Maria refertur Ieſus exortus, ne dubites præſtitiſſe matri quod extraneo præſtitit. Certè Ieſus ſemper extitit humanæ ſalutis ſuſtentaculum, & Dæmonum fuit excidium, c.16.n.277.p 222

9. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Conceptionis tempus Dæmonis erat quodammodo patria, ditioque: Verum Chriſtus in propria illum ditione adortus vicit, & Conceptionis Maternæ tempore omnem culpæ vmbram accedere non permiſit. Quandoquidèm ſtrenuæ virtutis eſt in propria regione hoſtem aggredi, & victoriam adipiſci, c. 6.n.294.p.227

10. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Chriſtus Dominus & magnus, & potentiſſimus. Ergo ne dubites feciſſe in obſequium matris honeſtè, quod ſæpè magnates, diuiteſque inhoneſtè conſtat egiſſe. Videas quotidiè magnates leges non attendere honeſtas. Ergo Chriſtus magnitudinis ſuæ titulo mirum non eſſet, ſi leges non attenderet ab Adamo, culpaque introductas. Profectò magnates videbis contra legem

Digitized by Google

legem ambire, diuitiarumque priuilegio cupiditati inſeruire, c.17.n.19.p.239

11. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Concepta eſt Maria, vt Dei mater eſſet. Ergo cùm dubium non ſit ab ipſa Conceptione maternitati dicari, in dubium reuocari non debet ſingulari etiam priuilegio gaudere; pronida namque debet ſingularitate gaudere, quod Domino conſtiterit dedicari, c. 7. n.19. p. 45

12. *De qua natus eſt Ieſus &c.*
Maria in Dei Matrem formabatur concipiebaturque. Ergo fas non erat culpa ſordidari, & Dæmonibus inſeruire. Quandoquidem nullis aliis rebus debet inſeruire, quod ſacris conſtat altaribus dedicari, cap. 17. n.50. p.248

13. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Vitam à Maria Chriſtus accepit. Ergo ne dubites Conceptionis tempore gratiæ candore enituiſſe. Quandoquidèm Deus vel exiguo etiam obſequio allicitur ad munificentiam, licet magnis prouocatus offenſis contineat iram, c.17.n.123.p.298

14. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Cùm inter mulieres omnes Maria clarioribus prærogatiuis eluceat, & nobiliorem nobis fructum, Dei videlicet filium, afferat, dubitari non debet Dei erga illam propenſiorem fuiſſe curam, inuigilaſſeque prouidentiam. Quandoquidem eximiis inter alios dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti & maior debetur gratia, & impenſior principis cura, c.17.n.227.p.299

15. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Quis non credat geſtaſſe Chriſtum in ventre, Mariæ non adquiſiiſſe ſingulariſſimum immunitatis ab originali priuilegium, quando hoſpitalitas auertit hominem à ruina, & ab eius domo depellit prouidenter peccata, c.18.n.53.p.326

16. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Chriſtus Dominus omnem culpæ aditum prouidenter præmuniuit, ne matrem ruina premeret. Quandoquidem prudens, ne inopina premat ruina, omnem hoſti aditum ſagaci impediuit cautela, cap. 8. n. 213. pag 374

17. *De qua natus eſt Ieſus &c.*
Iacob vbi in Patrem Chriſti adſcitus, à matre in diſtantem regionem fuit amandatus. Studuit prudentiſſima mater non ſolùm à morte liberare, ſed à mortis etiam periculo eximere, cùmque Eſau vitij fuerit vmbra, oſtendit mater Deo ſacra non ſolùm culpis non aſpergenda, ſed nec culpæ proximitate obſcuranda, c.19.n.138.p.437.

18. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Strictum conſanguinitatis vinculum ad matris honorem filium cogebat. Ergo filius pro matre laudabiliter ſtatutam pro cæteris legem non attenderet. Quandoquidèm conſanguinitatis, amicitiæque vinculum ſolet legem impedire, & reorum etiam cauſam protegere, c.21.n.9.p.562

In feſto Expectationis B. Mariæ.

Lucæ 1.

1. *Miſſus eſt Angelus, &c.*
Ardentis deſideriis alis Angelus inuolauit, vt felix nuntium afferret: Sed Mariæ deſiderium ardentius anhelauit nobis offerre natum iam Chriſtum; quod & feliciter aſſequuta eſt. Nos dum tepidè deſideramus Chriſtum corde non parimus, imò dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c 16.n.73 p.157

2. *Ad Virginem deſponſatam viro, &c.*
Quàm felix connubium, vbi integra Virginitas Deum habuit filium, & gaudium imperturbatum. Profectò connubia vt reſplendeant felicitatibus fortunata, non debent ſordere de generi affectu inita, cap. 21. n.176.p.6 4

3. *Ad Virginem deſponſatam, &c.*
Illæſus Virginitatis candor fœcundus fuit, & Chriſtum aſſequutus eſt filium, vt quantum fas eſt, hinc diſcamus, honorem nuptiarum eſſe fœcunditatem, caſtitatemque fœcunditatis originem, c.21.n.191.p.630

4. *Ad Virginem deſponſatam, &c.*
Deſponſata erat Virgo, & tamen in penetralibus degebat viris ignota, ſed ab Angelis viſitata: Integrum reſplendebat Virginitatis elogium, cœleſte dum Maria ſortitur ſuffragium, c.21.n.118.p.602

5. *Ad Virginem deſponſatam, &c.*
Remota ab hominum conſpectu degebat, & in penetralibus latitabat. Ergo reſplenduit puritatis candore. Nam fœmina pompatico luxu procedens, aut alienæ caſtitati inſidias prætendit, aut prætenſas propriè ſuſtinet, c.21 n.164. p.619

6. *Ad Virginem deſponſatam viro, &c.*
Puriſſima refertur, & maritata. Vt noueris caſtitatis gloria reſplendentes ab omnibus expeti in vxores. Profectò caſtitas, puritaſque eſt honoris officina, & commoditatum vena, c.21.n.105.p.597

7. *Et nomen Virginis Maria, &c.*
Reſplendebant tunc nomina de maiorum nobilitate: *De domo Dauid*, & de nomina poſſidentium virtute, verum modò non ſemel accidit, vt clareſcant nomina minus de maiorum virtute, quàm de euanido diuitiarum ſplendore, c.21.n.87.p.591

8. *Fiat mihi ſecundùm verbum tuum, &c.*
Ardentiſſimis deſideriis Mater efficitur; & dum felicior cœleſti fœtu, videre Chriſtum Dominum cupit ardentior. Profectò Virgo virtutem ſequuta appetitus ſolertiam inuenitur laudabiliter imitata. Quandoquidèm appetitus neſcit quieſcere, ſed variis deſideriis adurgeri, & agitari, cap. 15. n.27. p. 11

9. *Quomodo fiet iſtud, &c.*
Conſilio prudentiſſimo quomodo futura ſit mater diſquirit, & Virginitatis candori prouidet. Quàm aliter procedunt ſæpè fœminæ exoculatæ,

Digitized by Google

exoculatæ, & præcipites, per honoris etiam contemptum inuolant ad matrimonij, imò ad voluptatis illicium, c.15.n.37.p.13

10. *Ad Virginem deſponſatam viro,&c.*
Cum Ioſepho matrimonium celebratum eſt, non ad cupiditatis fomentum, ſed ad Virginitatis auxilium. Ergo Deo nobilitantur coniuges eximio fructu; vt noueris felicia eſſe matrimonia ob virtutem, honeſtatemque procurata; & è contra infeliciſſima eſſe non ſemel ob ſolam cupiditatem, voluptatemque inita, c.15.n.65 p.23

11. *Quomodo fiet iſtud,&c.*
Modum diſcutit de oraculo non dubia, ſed ad noſtram eruditionem prudenter cauta. O vtinam fœminæ Virginis imitarentur prudentiam; euaderent profectò indecoram ſibi fallaciam; verum dum falſis præbent aurem ſpebus, veris diſcruciantur doloribus, c.15.n.145.p.46

12. *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum,&c.*
Ardentiſſimis ſuſpiriis filium ſibi, & nobis maturauit, fas erat, vt non minus ardenter ſe amor gereret, ac ſe gerit aliquando furor. Profectò id eſſe ſolet cupiditatis delirium, vt celeres anteuertat occaſiones, & ſibi maturet calamitates, c. 15. n. 16.p 103

13. *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum,&c.*
Feliciſſimo fœtu nobilitabatur, ſed de ipſa felicitate viuidior ardebat flamma, & honeſto ambitu flammantiora deſideria: accidebat modò virtuti, quod humanæ ſolet contingere felicitati. De ipſa namque felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & ambitus dinexat viuidior, cap.15.n. 388. pag. 128

14. *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum,&c.*
Ad ardentem orationem, & viuidum deſiderium recurrit, vt ſalutem mundo acceleret, & quidèm ſine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius verò auxilio celerius aſciſcitur medicina, c.15.n.396. p. 130.

15. *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum, &c.*
Mater efficitur, dum fidem Deo præſtat, & quæ Deo fidit, fideliſſimum adinuenit: Aliter accidit creaturis fidenti. Quandoquidèm quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies, c.16.n.211.p.201

16. *Quomodo fiet iſtud &c.*
Difficillimum videbatur coniungere cum Virginitatis candore honorem maternitatis; verùm quæ Deo credidit, Virgo, & mater eluxit, vt diſcas ab Angelo, nullum Verbum apud Deum eſſe impoſſibile; noueriſque quæ ad ſpeciem impoſſibilia adſpirante gratia facillimè videri perfecta, c.16. n.274. p.220

17 *Vocabis nomen eius Ieſum,&c.*
Nomen prodit, vt omnem etiam timorem depulerit, nam Ieſu nomen humanæ ſalutis eſt ſuſtentaculum, & Dæmonis, ac fraudis excidium, c.16.n.277.p.222

18. *Fiat mihi ſecundùm Verbum tuum, &c.*
Cœleſtia innocauit auxilia cœleſti Verbo, ac numinis viribus freta. Ergo mater efficitur, & ſingulariſſima virginitatis gloria coronatur. Certè qui diuino auxilio fretus illuſtri coronatur victoria, vt è contra propriis viribus fidens fit hoſtium præda, c.16. num.282. p.223

In feſto ſancti Thomæ Apoſtoli.

Ioann. 20.

1. *INſer digitum tuum huc,&c.*
Poterat in Thomam ſtomachari; & nihilominus aggreditur delinire; edocens ſuperiores, non eſſe contra dignitatem, ſi aggrediantur ſubditum officiis delinere, quamuis iuſtè poſſint ſtomachari, c. 15. n.13. p.6

2. *Noli eſſe incredulus,&c.*
Beneuolum ſe oſtendit, cùm latus offert, & cùm incredulitatem carpit; oſtendit namque Deus amicitiæ deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, cap. 15. n.18. p.7

3. *Poſt dies octo,&c.*
Fidem non adhibuerat Thomas Apoſtolis, ſententiæ ſuæ tenaciter adhærens. Ergo paulatim Chriſtus medicinam compoſuit, docuitque tempus eſſe optimum medicum, & rationis conſiliarium, cap. 15. n.45. p.16

4. *Infer digitum tuum. &c.*
Latus offert, & Thomam ad credendum allicit. Amabat Diſcipulum ardentiſſimè. Ergo eius ſolicitat gratiam; nam amor obliuiſcitur facilè offenſam, & offenſus ſolicitat amicitiam, c.15.n.53.p.18

5. *Non credam,&c.*
Rationi aduerſabatur, ſuæ inhærebat ſententiæ. Ergo oportuit aduentare iterum Chriſtum, vt Thomas retractaret ſententiam. Profectò non ſemel vanitas, & præſumptio pertinaciter defendit à ſe dicta, & à ſe peracta, quantumuis rationi videantur aduerſa, c.15.n.61.p.21

6. *Dominus meus, & Deus meus,&c.*
Thomas deliquit, ſed errorem ſuum non defendit. Nonnulli peccatum aggrauant, dum excuſant; grauius namque eſt errorem excuſare, aut defendere, quàm committere, c.15.n.109.p.35

7. *Non credam,&c.*
Apoſtoli affirmabant Chriſtum ſurrexiſſe; Thomas non credidit, quia fortaſſis ſuſpicabatur ſpectrum illis apparuiſſe, nam ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, c.15.n.113.p.36

8. *Et mittam manum meam in latus, &c.*
Incredulitate Thomas Chriſtum exaſperabat, & ſibi latus offerri examinandum poſcebat, ad virtutem inueniebatur tardus, qui ad humanam affectionem inueniretur cautus, & ſolertiſſimus. Quiſque namque ad humanam affectionem inuenitur ſolers, & cautus, ad virtutem tardus, & ineruditus, c 15.n.131.p.42

9. *Non erat cum eis,&c.*
Vt timorem eluderet, à cæteris Thomas ſe ſeiunxit; ſed dum ſe ſeiunxit, & humana quæſiuit effugia, Chriſti aſpectu carens maiora

Digitized by Google

maiora perpeſſus eſt detrimenta. Et quidem non ſemel dum effugia quærimus, maiora nobis damna ſolicitamus, cap. 15. n. 185. p. 58

10. *Affer manum tuam, &c.*
Ecce Thomas lateris vulnus reſurcat, & ſi fas eſt dicere, Chriſtum vexat. Plus namque doloris affert vexatio à propriis procurata, quàm ab exteris inducta, c. 15. n. 265. pag. 85

11. *Non erat cum eis, &c.*
Fugerat Thomas, vt Phariſæorum indignationem eluderet, ſed dum diſſentit Chriſti indignationi ſe exponit. Non ſemel homines quo infirmioris metum excutiant, ſibi potentioris indignationem conciliant, c. 15. n. 269. p. 86

12. *Dominus meus, & Deus meus, &c.*
Alij dixerant: *Vidimus Dominum:* Thomas non ſolùm agnouit Dominum, ſed vocauit etiam Deum, variaſque mundi partes ad fidem diſſeminandam velociſſimus peragrauit, tempuſque, quod amiſerat incredulitate impeditus, recompenſauit eximiè feruidus, c. 15. n. 228. p. 73

13. *Et poſt dies octo, &c.*
Dum Apoſtoli orationi inſiſtunt, Chriſtum attrahunt, & Reſurrectionis lucem intuentur. Thomas tardiùs cœleſti luce fruitur, quia oraſſe cum cæteris non refertur. Sine orationis ſuffragio tardat calamitatis medella, eius auxilio maturatur nobis gloria, c. 15. n. 396. p. 130

14. *Affer manum tuam, &c.*
Non refugit Chriſtus latus offerre iterum reſurcandum, & à Diſcipulo diſcutiendum. Amori namque nihil inuenitur arduum, nihil moleſtum, c. 16. n. 55. p. 152

15. *Non credam &c.*
Ecce Chriſtus fidem non inuenit in Diſcipulo à ſe electo, & beneficiis magnis obſtricto, vt diſcas creaturis non fidere, nam quibus ſolus fidis, fallaciores inuenias, c. 16. n. 21. p. 201

16 *Venit Ieſus, &c.*
Vbi Ieſus abfuit, Thomas non credidit, & fidem præſtitit, cùm aduentauit. Nam ſuperioris præſentia mores informat, & vitia exarmat, c. 18. n. 34. p. 311

17. *Non erat cum eis &c.*
Dum cum eis fuit, cœleſti viſione eſt fruitus, dum cum eis non erat, infidelitatis culpa denigratus. Profectò qui à reliquorum conuictu remotus ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratus, cap. 18. numero 130. pag. 375

18. *Dominus meus, & Deus meus, &c.*
Facilè obtinuit Chriſtus per ſe ipſum, à Thoma cæteri condiſcipuli non impetrarant; cæteris aſſerentibus reſpondebat, *Non credam*; Chriſto præſente, & Dominum, & Deum confeſſus eſt. Nam ſuperior per ſe facilè obtinebit, quod per miniſtros tardè impetrabit, c. 19. n. 82. p. 419

In Feſto ſancti Ioannis Euangeliſtæ.

Ioann. 21.

1. *Conuerſus Petrus vidit, &c.*
Ioannes cœleſti erga Chriſtum amore flagrans illum ſequebatur, quod quodammodo admirationi fuit Petro. Quandoquidem obſequia rariùs ab obligatione videas exorta, quàm ab vtilitate profecta, c. 15. n. 23. p. 9

2. *Exiit ſermo iſte inter fratres, &c.*
Non dixerat Chriſtus quod Apoſtoli ſuſpicabantur; verùm ſuſpicio & aliquando temeritatis audacia homini quodammodò ſunt coæua, c. 15. n. 113. p. 36

3. *Exiit ſermo, &c.*
Neſcio qua Apoſtoli innitebantur coniectura, & iam veluti in dubium proferebant, Ioannem mortem non viſurum, ſed priuilegio ſingulariſſimo ornandum. Profectò aliquando pro indubia habetur euidentia, ſi nobis aduletur leuiſſima coniectura, c. 15. n. 118. p. 41

4. *Sequentem, &c.*
Amoris alis inuolabat Ioannes, vt Chriſti Domini ſequeretur veſtigia, quod eſt eximium eius virtutis elogium. Quandoquidèm ferè omnes ad humana currimus agiliſſimi, ad virtutem verò tardi, cap. 15. n. 133. p. 42

5. *Hic autem quid, &c.*
Reſpondit Chriſtus ad Petrum illud non pertinere: *Quid ad te!* Nonnulli interrogari gaudent, & vt aliorum euulgarint ignominiam, pluſquam interrogantur reſpondent, c. 15. n. 245. p. 78

6. *Sequentem, &c.*
Sequebatur Ioannes Chriſtum, amore flagrans Ergo opus non fuit vocari, aut duci. Nonnullos videas, qui duci ſe violenter affectant ad ea quæ ardenter ſibi ſuſpirant, c. 15. n. 198. p. 97

7. *Sequentem, &c.*
Sequebatur Ioannes Chriſtum ſibi cognatum, vitam pro ipſo profundere exambiens, & fundendi occaſionem perquirens. Paucis contigit ſic cognatos amare; falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor, illis ad ſpeciem conſulit, ſed ſibi reuera attendit, c. 15. n. 308. p. 100

8. *Sequentem, &c*
Vocationem, ſi fas eſt dicere, quam Petrus expectauit, dicente illi Chriſto: *Sequere me.* Ioannes anteuertit, vt aliquando efficeret verus amor ad gratiam promerendam, quòd furor ſæpè exequitur ad offenſam perpetrandam. Hic certè peccandi eſt furor, vt ante vertamus occaſiones, & maturemus nobis calamitates, cap. 15. n. 316. p. 103

9. *Sequentem, &c.*
Aliquod tempus poſuerat Ioannes in mari, piſcationi attendens, & modò illud & ſi

honeſtè

honeſtè poſitum recompenſare ſatagit aliis feruentior ; poſt Petrum anteà Chriſtum fuerat ſequutus. Ergo modo præcurrit citiùs Petro, vt diſcas inſtaurare aliis feruidior, ſi tempus amiſiſti aliis ignauior, c.15. n.318. p.107

10. *Accubuit in Cœna &c.*
Ioannes præ cæteris ſingulari priuilegio reſplendet ornatus, in Cœna ſupra pectus recumbens, & in locum filij à Maria ſuſcipi merens. Et quidèm cum Ioannes tonitrui filius ad delendum inimicum fuerit exortus, ſpeciali priuilegio micare debuit ornatus, c.15. n.363. p.119

11. *Qui recubuit in Cœna, &c.*
Ioannes in Cœna cæteris antelatus, aliiſque præpoſitus nobiliſſima ſiti exarſit, & in Chriſto ſequendo ante ire etiam cæteris exambiuit. Vt aliquando virtutis ſitis ambitionis ſitim imitaretur; & quidèm de ipſa felicitate ſitis exoritur ardentior, & ambitus etiam poſt culmen vrit ambitioſos viuidior, c.15. n.388. p.128

12. *Sequentem, &c.*
Sequebatur Ioannes Chriſtum, & ad amoris puriſſimi argumentum imminens deſpiciebat periculum. Profectò dignum fuit, vt cœleſtis amor ſortiretur Ioannem intrepidè audentem, quando mundialis amor hominibus perſuadet deſpexiſſe periculum, deglutireque incommodum, c.16. n.29. pag. 144

13. *Sequentem &c.*
Non retardabatur Ioannes imminenti periculo, quia ardebat mori pro Chriſto vehementiſſimo deſiderio. Ergo cæteros anteibat, & inuolabat. Amore namque nihil inuenitur ponderoſum, nihil moleſtum, c.16. n.55. p.152

14. *Sequentem, &c.*
Opportunam ſequendi Chriſtum occaſionem Ioannes arripuit, ne ſi differat, occaſionem adeò opportunam non habeat. Certè nonnulli dum in aliud tempus occaſionem diſtulerunt inuitantem, ſpebus fruſtrati ſunt, & meritò. Nam dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c.16. n.73. p.157

15. *Qui & recubuit in cœna, &c.*
Arcanam ſapientiam vel dormiens à Chriſti Domini pectore hauſit, quam poſteà nobis ad morum informationem, & errorum exilium ſcriptis digeſſit. Aliter quamplurimis accidit, in ſui namque, & numinis conuerterunt iniuriam, quam acceperant à numine ſcientiam, c.16.n.147.p.180

16. *Qui recubuit in cœna, &c.*
Ioannes Virginitatis prærogatiua ſplendebat, non ſolùm retia, nauimque, ſed patrem etiam reliquit. Ergo ſpeciali priuilegio in cœna honoratus eſt. Eximiis namque inter alios dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur commoda, c.17. n.227. p.299

17. *Sequentem, &c.*
Vt imitaretur Chriſtum, nec refugiebat mortem, nec tormenta refugiebat, imò alacriter Ioannes inuolabat: nobis vti cæcis grauis labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18. n.38. p.322

18. *Sequentem, &c.*
Paſſus non eſt Ioannes ſequendi Chriſtum occaſionem elabi, ſed alacriter arripuit. Cùm frequenter miſeri homines non patiamur delicti occaſionem elabi, & patienter feramus virtutis opportunitatem amitti, c.18. n.154. p.356

In Conuerſione ſancti Pauli Apoſtoli.

Matth. 91.

1. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.*
Dum blandè Chriſtus Dominus Eccleſiæ perſequutorem corripit, veritatis propugnatorem efficit. Omnia reliquit Paulus, vt eſſet Chriſti Diſcipulus, & Chriſtus habuit eximium Diſcipulum, dum blandè allexit, & officiis traxit. Diſcant hinc Superiores nihil magnitudini ſuæ detrahi, ſi aggrediantur ſubditum officiis allicere, quamuis poſſint ſeueritate adurgere, cap. 15. n.13. p. 6

2. *Sequuti ſumus te, &c.*
Sequutus eſt Paulus Chriſtum, dum amica voce illum corripit dicens: *Saule, Saule, quid me perſequeris?* Et quidèm Deus ardens amicitiæ oſtendit deſiderium, dum perſequutori exprobrauit erratum, cap. 15. n.18. p.7

3. *Sequuti ſumus te, &c.*
Et cur non ſequeretur Paulus Chriſtum ob eius ſalutem è cœlo deſcendentem, & amore flagrantem. Ecce offendentis ſollicitat gratiam, & obliuiſcitur, quia impensè amat, facillimè offenſam, cap.15. n.53. p. 8

4. *Sequuti ſumus te, &c.*
Sequutus eſt Paulus Chriſtum, quia Chriſtus viantem deiecit Paulum. O quàm mirum fuit non proſequi viam, & retractare ſententiam! Quandoquidem humana præſumptio pertinaciter defendit à ſe peracta, quantumuis rationi aduerſa, c.15. n.61. p.11

5. *Sequuti ſumus te, &c.*
Chriſtum ſequutus eſt, quia timore perculſus. *Tremens, ac ſtupens dixit: Domine, quid me vis facere?* Timoris cauſas præcidit, vt iterum non timeret. Nos peccatores non tam curamus timoris cauſas auferre, quàm procuremus ſopire, c.15.n.70.p.14

6. *Sequuti ſumus te, &c.*
Sequutus eſt vocantem Chriſtum deiectus, perſequebatur iracundia immoderatè inflammatus: *Spirans inquit, minarum & cædis in Diſcipulos.* Virtutem perſequebatur iracundia, quæ dum immoderatè accenditur, crimini, & calamitati patrocinatur, c.15.n.80.p.17

7. *Sequuti ſumus te, &c.*
Chriſtum ſequutus eſt deiectus, & ad tempus lumine oculorum priuatus, & perſequebatur Chriſtum poteſtate, & felicitate ſplendidus:

Digitized by Google

didus vt noſcas grande beneficium eſſe, peccatorem calamitatibus premi, & ſupplicium non ſemel proſperitatibus fortunari, cap.15. n.95. p.11

8. *Sequuti ſumus te, &c.*
Sequutus eſt vitia perſequendo, qui perſequutus fuerat virtutem exterminando: Concionatoreſque docuit non minus pro extirpandis vitiis laborare, quàm mundiales pro virtutibus deterendis, c.15.n.225.p.72

9. *Sequuti ſumus te, &c.*
Deiectus fuit, vt ſequeretur. Cúmque eius Comites non agnoſcerent myſterium, fortè putauerunt initio ad terram deuolui caſum. Verùm quod à cæca putamus accidiſſe fortuna, ſolet promanare à vigilantiſſima prouidentia, c.15.n.219.p.73

10. *Sequuti ſumus te, &c.*
Modò ſequitur, ſed anteà perſequebatur: Religionis videbatur agere cauſam, non tamen agebat legitimo zelo inflammatus, ſed minus prudenti indignatione commotus. Profectò nonnulli Dei cauſam ad ſpeciem agunt, ſed reuerà legitimo zelo non inflammantur, ſed indignatione, aut cupiditate mouentur, cap. 15. numer.251. pag. 81

11. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.*
Deiectus Paulus vel oculorum lumen amiſit, omnibus priuatus, & ad terram deuolutus. Ergo reliquit omnia, ne perderet. Sapiens namque agit ſpontaneus, quod velit nolit aget impulſus, cap. 15. n. 260. pag. 84

12. *Reliquimus omnia, &c.*
Impoſſibile videbatur Paulum tunc verè lupum mutari in agnum. Verum qui ardenter perſequebatur Chriſtum, quàm citiſſimè eius arbitrio ſe ſubdidit dicens: *Domine quid me vis facere?* Profectò nullæ adeò ſunt perplexæ difficultates, quæ gratiæ ope nequeant diſſolui, citóque vinci, cap.15. numer.313.p.101

13. *Sequuti ſumus te, &c.*
Non ſolùm Paulus ſequutus eſt, ſed alios plurimos traxit vt Chriſtum ſequerentur, ſuoque exemplo nos docuit poſſe, deberiq; tempus inſtaurari eximio feruore, ſi malè fuit fuit collocatum erroris, ac paſſionis cæcitate, c.15.n.318.p.107

14. *Reliquimus omnia, &c.*
Luce priuatus, & ab equo deiectus ad orationis confugit auxilium, dicente Domino: *Ecce enim orat.* Ergo ratione cæcitatem depulit, & cæleſtem ſibi lucem acquiſiuit Profectò ſine orationis ſuffragio tardat calamitatis medella, eius auxilio aſciſcitur facile medicina, c. 15. n.396 p.130

15. *Ecce nos reliquimus omnia, &c.*
Dum poſſidebat multa, ſe fortaſsè non poſſidebat, quia ambitioni, aut cupiditati inſeruiebat captiuus: ſe poſſedit, cùm cætera generosè reliquit. Vt diſcat ſæculi diuitias, & honores parui æſtimare, qui ſe deſiderat poſſidere. c.16.n.94.p.164

16. *Reliquimus omnia, &c.*
Tunc omnia reliquit ad terram deiectus, cùm carpebat iter comitibus ſtipatus: caſui inueniebatur proximus, cùm videbatur ſibi tutiſſimus. Peccator dum ad ſpeciem ſibi videtur tutior, ſæpè calamitati inuenitur proximior, c.16.n.181.p.191

17. *Et ſequuti ſumus te, &c.*
Quàm erga Paulum diuina miſericordia reſplenduit, cùm de perſecutore in diſcipulum tranſtulit, iuſtoſque affligere ardentem ad veritatis traxit agnitionem: ad terram deuolutus eſt, cùm perſequebatur iuſtos; vt qui de afflictione iuſtorum ſibi parant euanidam gloriam, nouerint ſolicitaſſe ſibi ruinam, c. 16. n.232. p.208

18. *Sequuti ſumus te, &c.*
Sic Paulus Chriſtum ſequutus eſt, vt nec laboribus, nec periculis, nec tempeſtatibus potuerit auelli, aut tantiſper ſeparari. Adhæſit virtuti, vt alij adhærere ſolent crimini. Profectò vitiis tenaciſſimè adglutinamur, à virtute leui timore diſiungimur, c.17.n.27. p.141

In feſto Purificationis.

Lucæ 2.

1. *Poſtquam impleti ſunt dies, &c.*
ACceperat Maria à Deo filium. Ergo templum petit, vt gratitudinis pendat obſequia, & religioſa exhibeat tributa. Certè homines, dum ſpes viget, conantur exhibere officia; verum accepto iam beneficio aut obliuiſcuntur, aut Minora pendunt obſequia, c.21. n.49.p.577

2. *Poſtquam impleti ſunt, &c.*
Non indigebat purificatione Maria nullis ſordibus inquinata; expectauit tamen tempus purificationi præſcriptum: Vt nouerit ab omni inquinamenti ſuſpicione purgari, qui diuinis oculis tentat accedere, cap. 21. num.51.p.578

3. *Poſtquam impleti ſunt, &c.*
Lex, quæ cæteras, non obligabat Mariam, ipſa tamen legi paruit. nec ſe à reliquis exemit; nos edecens, periculoſum, odioſumque eſſe à generalitate ſe excipere, & legibus communibus non parere, cap.21.n.69. pag.584

4. *Tulerunt puerum, &c.*
Poterat Maria, Ioſephque domi quieſcere, & labores itineris excuſare; tulerunt tamen puerum, vt obſequerentur legi. Ergo in templo pueri, Matriſque audiuntur elogia: *Lumen*, &c. Vt noueris renunciare aliquando commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis non ſolùm eſſe virtutis lucrum, ſed felicitatis augmentum, c.21.n.131.p.606

5. *Tulerunt, &c.*
Legis adimplerunt præceptum ſine mora, cùm tamen ea obedientia candorem virginitatis ad ſpeciem obſcuraret. Verum ſuo exemplo obedientes erudiunt filius, & Mater: nos ſolùm implere ſolemus obedientiam, quæ nobis vtilis, & iucunda; non adeò exptomptè, ſi eſt difficilis, & amara, cap.21. numer. 143 p.611

6. *Par turturum, &c.*
Vt putat in Caten. D. Thom. & turtures, & columbarum pullos etiam tulerunt, licet lex vnum, aut alterum offerri præciperet,

de ſuo obtulerunt generoſi, non de alieno magnanimi. Inueniuntur namque nonnulli de rebus propriis ſatis parci, de alienis generoſiſſimi, c.21.n.152.p.64

7. *Tulerunt puerum, &c.*
Chriſtus Dominus gratiæ perennis fons, & omnis ſanctitatis erat norma: voluit tamen ad mores informandos Domino à parentibus præſentari, & ad templum deferri. Ergo à parentibus templo oblatus lumen deprædicatur fulgentiſſimum. Si parentes filios ad templum deferrent, & virtutibus informarent, acerbos caſus non ſubirent. Ergo ſibi imputent ſuam,& filiorum calamitatem,dum laſciuire permittunt, nec vtili auſteritati cuſtodiunt, c.21.n.183.p.627

8. *Tulerunt puerum, &c.*
Puerum tulerunt omnis ſanctitatis fontem, ſuaque actione exemplum exhibuerunt parentibus, vt filios, filiaſque virtutibus informarint, ac deuotè Deo obtulerint. Sunt tamen pauci, qui adeò religioſum imitentur exemplum; imò è contrario inueniuntur qui filiis impediant occaſionem virtutis, & diſponant occaſionem ſceleris, cap.15.n.8.. pag.28

9. *Par turturum, &c*
Acceperant filium. Ergo proteſtati ſunt acceptum beneficium religioſo oblationis obſequio. Plures inuenias, qui ſpe, aut cupiditate ſuaſi exhibeant officia; pauciores,qui accepto iam beneficio gratitudinis pendant honoranda tributa. cap.15. n.23.p.9

10. *Par turturum, &c*
Ob acceptum filium gratias pendunt, & dum ſe gratos exhibent parentes, audiunt fore clariſſimum filium; *Lumen,* &c. Profectò gratitudo eſt ars adaugendi beneficia: ſibi inuidet, qui beneficia honeſtum gratitudinis tributum non pendit, cap. 15. num.367. pag.121

11. *Par turturum, &c.*
Profectò hoſtia ad ſpeciem Virginei candoris opinioni aduerſabatur: neque enim putabant Virginem, qui hoſtiam offerre intuebantur Matris; Maria tamen hoſtiam obtulit; amori namque nihil inuenitur ponderoſum. nullumque eſt pondus moleſtum, c.16. n.55 p.152

12. *Lumen ad reuelationem gentium,* &c.
Vbi Simeon micare Chriſtum miris ſplendoribus protulit, etiam duros labores ſubiturum oſtendit, & in ipſa mortis ditione mortem detriumphaturum, puerum illum proclamauit, & quidem ſtrenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci, c.16.n.194. p.217

13. *Par turturum,* &c.
Hæc hoſtia pauperum erat. Ergo non erubuit ſanctiſſima Virgo pauperem apparere. Vtinam plures non erubeſcerent paupertatem, verum ſunt qui honeſtam erubeſcant pauperiem, & diuitiarum oſtentent ſordidiſſimam facultatem, cap. 16. numer. 70. pag.131

14. *Par turturum,* &c.
Exiſtimant Patres in Cat. n. D. Thom. non ſolùm tuliſſe turturum par,ſed addidiſſe etiam pullos columbarum. Paupertas cum generoſa deuotione coniuncta fuit. Videbis non ſemel pauperes, erga Deum, & homines generoſos. & diuites tenaciſſimos, & auaros, c. 19. n.168.p.444

15. *Par turturum,* &c.
Hæc hoſtia pauperum erat:addidit religioſa Mariæ, & Ioſephi columbarum etiam pullos. O vtinam plures adeò religioſum imitarentur exemplum. Inuenies tamen homines ad virtutes premi frequenter inopia; ad vitia verò ſemper exundare pecunia, c.17. n.9. pag.2.6.

16. *Par turturum, &c.*
Exiguum erat obſequium, ſed religioſiſſimi animi teſtimonium. Quàm facilè nobis eſt diuinam lucrari beneuolentiam, imò & experiri largitatem magnificam. Deus namque exiguo etiam obſequio allicitur ad munificétiam, licet magnis ſæpè offenſis prouocatus contineat iram, c.17.n.123.p.298

Et ecce homo erat in Hieruſalem, &c.
Simeon expectabat conſolationem Iſraël, plebiſque ſalutem, nam vti Dei miniſter non ſibi ſolùm attendebat,ſed omnium ſalutem deſiderabat. Plures inſenias huiuſcemodi miniſtros. Sunt tamen nonnulli à Republica electi, qui prius ſibi conſulant; generalitati verò non attendant, aut poſteà proſpiciant, c.18. n.49. p.,25

18. *Lumen ad reuelationem gentium, &c*
Lumen erat Chriſtus. Ergo omniũ tenebras nitebatur depellere, & omnium oculos illuſtrare. Vt noueris parum eſſe tibi ſplendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire., c.18. n.6:. pag.329.

In die Sancti Matthiæ Apoſtoli.

Matth. 11.

1. *Confiteor tibi Pater, &c.*
PArulis reuelauit nil propriæ virtuti adſcribere, ſed beneficiis cœleſtibus applicare. Ecce Matthias omni virtuti exculptus, cœleſti ſorte ſibi videtur electus. Profectò humiles; modeſtique, ſi qua felicitate, aut prærogatiua fruantur, non propriæ virtuti adſcribunt, ſed aliorum dignationi, c.17. n.26:.p.310.

2. *Reuelaſti ea paruulis,* &c.
Matthiæ reuelauit, diuitias contemnendas eſſe, amplectendas virtutes. Ergo in Iudæ locum ſuffectus eſt, quem diabolus cupiditate obcæcauit gaudet namque excellentiores ſibi vendicare, & à numinis cultu eripere, c. 7 n. 66.p.311

3. *Reuelaſti ea paruulis,* &c.
Matthiæ reuelauit, glorioſum eſſe labores pro virtute ſubire, animâſque elucrari. Prudentes mundi pro caducis ſudant, pro æternis ſæpè ſæpiùs non laborant, Profectò grauis labor pro volatica gloria videtur exiguus, exiguus pro virtute putatur magnus, c. 18. n..8.p.312.

4. *Reuelaſti ea paruulis,* &c.
Reuelauit paruulis virtute nitere magni eſſe æſtimandum.

Digitized by Google

æſtimandum. Ergo Matthias munus Sacerdotale modeſtus, & humilis honorauit, ſi Iudas cupiditate confudit. Ea Sacerdotis vita eſſe debet, vt dignitatem illuſtrauerit, non confuderit, c.18.n.43 p.324

5. *Omnia mihi tradita ſunt*, & c.
Omnia ſibi tradita teſtatur, cùm Matthias ad Apoſtolicæ dignitatis culmen eligitur; Matthias namque optimus Dei Miniſter nulli pepercit labori, vt multorum prouideret vtilitati, & ſaluti, cap. 18. num. 57. p. 328

6. *Venite ad me*, & c.
Ad ſe iubet Apoſtolos venire, & cæleſti contemplatione vacare; nam vt Sacerdos viam laicorum poſſit dirigere, ſe debet cæleſtium contẽplationi dicare, c.18.n.78.p.334

7. *Venite ad me*, &c.
Vt Chriſti mereantur conſortium, vt intrarint diſcipulatum, iubet ad ſe venire rebus omnibus expeditos, & nulla, vt Iudas, cupiditate obcæcatos. Et quidem Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce poſſit micare, nulla auaritia debet ſordere, c.18.n.83.p.335

8. *Venite ad me, &c.*
Quos pro ſaluandis animabus in totum orbem delegabat, venire ad ſe præcipiebat; imò ob id ad ſe præcipiebat venire, vt poſſent proximis prouidere. Certè Matthias, dum ardenter Chriſtum ſequitur, plures animas expiſcatur. Profectò Dei Miniſtri & proximis debent conſecrari, & à proximis expediri, c.18.n.87.p.336

9. *Diſcite à me, &c.*
A Deo Sacerdos debet diſcere, & cœleſti micare ſcientia, vt ſalubria reddat reſponſa. Certè ſalubria reddere nequibit reſponſa, qui cæleſtium non effloreat Sacerdos ſcientia, c.18. n 98.p.339

10. *Abſcondiſti hæc à ſapientibus, &c.*
Quid à ſapientibus abſcondit? fortè eligere ad dignitatis faſtigia veridicos, & omni virtute ornatos: quandoquidem ſolet eligi qui adulatur, quique ad placitum loquitur, cùm veridicus, & virtutis ſtudioſus ſæpiſſimè repellatur, c.18.n.110.p.342

Reuelaſti ea paruulis, &c.
Id eſt, verè humilibus, & qui dignitate obtenta tam virtutum luminibus illuſtrabunt. Certè ſæculi ſapientes dum ambiunt, nil eis inflatius, & ſuperbius, cap.18 num.166. pag 160

12 *Reuelaſti ea paruulis, &c.*
Matthias, humilitate paruulus, & virtute eximius, non vt Iudas, Chriſti diſcipulatum intrauit, reliquit poſſeſſa, non poſſidenda cupiuit. Certè Iudas, qui vtilitatis cauſa Chriſti videbatur colere amicitiam, diſceſſit, dum ſperauit ampliorem copiam; & quidem ſi aſſequatur maiorem copiam, facilè diſcedet, qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam, cap.18.n.176.362

3. *Reuelaſti ea paruulis, &c.*
Reuelauit paruulis, id eſt, Apoſtolis Matthiam eligere, & eius electione, quam Iudas notam dignitati inuſerat abolere. O quàm oportet circa electiones inuigilare! nam quem contra ius, faſque quis ad dignitatem euexit, non ſemel peſtem ſibi infenſiſſimam tulit, c.18. n.180. p.364

14 *Abſcondiſti hæc, &c.*
Sapientes mundi non agnouerunt felicitatem veram eſſe virtutem; agnouit Matthias, & ſanguinem fundendo ſe felicem oſtendit. Quàm alia eſt iuſti, & reprobi ſententia; iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas; improbis pro ſanctitate felicitas, cap. 18. numer. 201. pag. 370

15. *Abſcondiſti hæc, &c.*
Quid abſcondit; à virtutibus vera oriri gaudia, & nunquam temporis dente deterendam gloriam; quod in Matthia clarè conſtat. Non hoc agnouit Iudas, quem vitium falſis ineſcauit ſpebus, & excruciauit veris doloribus, c.15. n 145. p.46

16. *Inuenietis requiem, &c.*
Et quomodo inuenient requiem ſi iugum humeris terant, & oneri terga ſubiiciant? Amoris profectò viribus; amori namque nihil inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, c.16. n.55. p.152

17. *Inuenietis requiem, &c.*
Accedere iubet, & requiem inueniendam promittit: nam ſolus qui accedit ad Deum nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari, cap.21. num 122. pag.603

18. *Iugum enim meum ſuaue, &c.*
Vitium, virtuſque contrario modo procedunt; virtus ad ſpeciem promittit iugum, ſed affert gaudium; è contra vitium, leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittit, ſed leui lucro damnum grauiſſimum affert, c.16. n. 25. p.174

In feſto ſancti Ioſephi.

Matth. 1.

1. *CVm eſſet deſponſata. &c.*
Ioſeph iuſti meretur elogium, dum oculis non credidit, & ſuſpicionis temeritatem cohibuit: & quidem ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, c.15. n.113.p.16

2. *Hæc autem eo cogitante, &c.*
Ioſephus vti prudentiſſimus citò oculis non credidit, ſed patienter expectauit conſilium temporis, eſt namque tempus perturbationis medicus, & rationis conſiliarius, c.15. num.45.p.36

3. *Voluit occultè, &c.*
Grauiſſima pœna Matri Virgini eſſet dilectiſſimi Ioſephi abſentia. Ergo impediuit Angelus, ne à coniuge diſcederet. Mariæ nullum erat periculum; verum mihi crede, non ſemel ſponſi abſentia vxoris pudori inuenitur inimica, & honori ſæpiſſimè aduerſa, c. 15. num.58. p 20

4. *Cum eſſet deſponſata, &c.*
Virtus, honeſtaſque hoc matrimonium ſuaſerat. Ergo mœror eſt Angelica viſione depulſus, & animus Ioſephi lætitia exultauit plenus. Matrimonia aliquando infortunata eſſe ſolent, ſi ob cupiditatem inita, felicia ob virtutem procurata, cap. 15. numer. 65. pag 23

5. *Hæc autem eo cogitante*, &c.
Cogitanti coram Deo qualiter ſe gereret Angelus apparuit, & timorem omnem excuſſit: ſibi: imò vniuerſo orbi attendit ſe non præcipitans, ſed conſilium coram Deo agitans; nam conſilium coram Deo capere, eſt ſibi,& omnibus prouidere, c.21.n.172.p.614

6. *Inuenta eſt in vtero habens*, &c.
Quæ diuini ſpiritus cæleſti operatione apparebat grauida, anxietatibus legitus etiam ſubiecta, & perſuadeant ſibi imprudentiſſimè quæ ſequuntur illicitas carnis delicias eluſuras ſed anxietates, & pœnas. Peccatis indulgens ſibi prouideat effugium; nam à tergo ſequitur detrimentum, c. 21. num. 170. pag. 617

7. *Ecce Angelus Domini*, &c.
Vbi acceſſit Angelus, diſceſſerunt ſuſpicionis nubila, & ſerenitatis ſucceſſerunt gaudia. Ioſeph dum accedit Deo, placidè quieſcit, docetque ad Deum accedere, ſi vis placide quieſcere, & confuſis difficultatibus liberari, c.21. n.121. p.603

8. *Voluit occultè*, &c.
Ioſephus pœnam infligere ingemiſcebat; ex alia parte, quæ ad ſpeciem videbatur, culpam inultam prorſus remanere non ſuſtinebat. Ergo decreuit ambiguus fugere, ſuo tamen exemplo ſuperiores edocuit inultam non pati culpam, & ingemiſcere pœnam, c.21. n.39. p.571

9. *Voluit occultè*, &c.
Ioſephus grauidam videns Mariam, hærebat dubius, nec ſciebat an eſſet myſterium, an peccatum. Ergo ne aut ſuſpicione, aut pœna inflicta delinqueret, abire decreuit. Optimus namque ſuperior nec culpam clarè notam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus, cap. 20. num. 1. pag. 503

10. *Hæc autem eo cogitante*, &c.
Grauiſſima Mariæ pœna non arat dulciſſimi ſponſi aſpectu priuari, dolor grauiſſimus derelinqui. Ergo prudentiſſimus Ioſeph diù conſilium capit, ne quid præcipitanter ageret, & quidem grauem mulctam debet præcedere rationabilis tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia, c.20. n.40. p.491

11. *Hæc autem eo cogitante*, &c.
Grauiſſimum tormentum ſuſtinuit Ioſephus, dum dolorem corde preſſit, nec prodire foras permiſit. Profectò dolor dum nec lachrymas, nec verba permitit; totum animum ad ſe rapit, c.19.n.273. p.475

12. *Hæc autem eo cogitante*, &c.
Prudentiſſimus, & fortiſſimus apparuit Ioſephus dolorem glutiens, ne obſcurarit honorem, & infamiæ cauſam egerit. Profectò vir fortis in acerbis caſibus glutit dolorem, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promonerit. c.19.n.261.p.472

13. *Ecce Angelus Domini*, &c.
Virginitas Angelum patronum adepta eſt, qui omnem propulſaret infamiam, arceretque pœnam. Grande inuenitur inter voluptatem, & caſtitatem diſcrimen virtus ſingularem ſortitur aliquando patronum, voluptas ne ſubeat pœnam, habet patrocinantium exercitum, cap. 19. numer. 177. pag. 447

14. *Voluit occultè dimittere*, &c.
Mariam puriſſimam Virginem nec leuis culpæ vmbra obſcurabat; Ioſephus tamen dulcius abire decreuerat, edocens. Deo ſacratos non ſolùm culpa non infici, ſed nec culpæ periculis proximari, cap. 19. num. 38. p. 437

15. *Cum eſſet deſponſata*, &c.
Feliciſſimum, ſanctiſſimumque erat Mariæ, & Ioſephi matrimonium, & tamen ad noſtram eruditionem refertur anxietatibus plenum, dum Ioſeph diſtorquetur ſuſpicione, & Maria ſponſi abſentia imminenti torquetur. Vt nouerint qui matrimonium contrahunt, opus ſibi eſſe patientia, & prudenti tolerantia, cap. 19. numero 46. pag. 408.

16. *Inuenta eſt in vtero*, &c.
Certè à Ioſepho inuenta eſt, non ab alio, & quamuis ſpiritus ſancti operatione fœcunda, omnis ſuſpicionis occaſionem vitabat cauta: fœminas edocens eis ſtudioſè curandum, vel iniquæ ſuſpicionis impedire audaciam,& maledicam occludere linguam, cap. 19. n. 37. pag. 405

17. *Voluit occultè*, &c.
Quis dubitat Mariam ſanctiſſimam graui vrgeri pœna, dum Ioſephi animum prodit vultus triſtitia. Quod ſi virtus, puritáſque has pœnas ſuffert, quas ſubibunt fœminæ voluptatibus indulgentes & matrimonij fidem violantes? Profectò leuis voluptas duriſſimas affert pœnas, & inextricabiles parit non ſemel anguſtias, c. 9.n 33.p.404

18. *Hæc autem eo cogitante*, &c.
Mirè reſplenduit Ioſephi virtus, dum oculis non credidit. Quandoquidem ſi nobis appareat vel leuiſſima coniectura, pro indubia habetur euidentia, c. 5.n. 28.p.41

In feſto Annuntiationis B. M. Virginis.

Lucæ 1.

Adi feſtum expectationis.

1. *Ad Virginem deſponſatam viro*, &c.
Felix matrimonium, quod ſine candoris virginalis præiudicio Deum mundo attulit,& gloriam ſibi acquiſiuit. Virtus fuit huius matrimonij paranimphus. Ergo matrimonium felicitauit. Sunt felicia matrimonia ob virtutem procurata; infortunata eſſe ſolent ob cupiditatem inita, c. 5.n.65.p.25

2. *Quomodo fiet iſtud*, &c.
Puriſſima Virgo rogat non dubia de oraculo, ſed prudenter cauta, quod paucis contingit, nam ad humanam affectionem quiſque inuenitur cautus, ad virtutem tardus, & rudus, c.15.n.133.p.42

3. *Quomodo fiet iſtud*, &c.
Rogat de modo, quæ non dubitat de myſterio: eſt namque ſapientis non ſolùm attendere præſentia, ſed futura, cap.15.n.336. p. 109

4. Ecce

Digitized by Google

4. *Ecce Ancilla Domini, &c.*
Se ancillam vocat, quæ Mater Dei, Angelorumque, & hominum Regina eligitur. Nos miſeri, ſi proſpera vtamur fortuna, turgeſcimus vani, & gloriamur arroganter ſuperbi, c.15.n.147.p 114

5. *Quomodo fiet iſtud, &c.*
Nouerat Euam prudentiam obſcuraſſe dum Angelo citò credidit Ergo prudenter de modo diſſerit, non fallaciam verita, ſed prudentiæ magiſtra: profectò prudens ſecuris etiam vtitur ſolerti cautela contra inopinata diſcrimina, c.15.n 380.p.125

6. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum, &c.*
Re prudenter diſcuſſa anhelat celeritate compleri, nec vel tantiſper tardari. Nam quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prouidenti celeritate completa, c.18.n.137.p.551

7. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum, &c.*
Deum in eius viſceribus incarnandum promittit Angelus. Ergo in poſterum Maria non diſtulit, ſed fieri ſtatim ardentiſſimis votis deſiderauit. Plures dum virtutis occaſionem moroſè trahunt, opportunitatem amittunt. Sæpè ignauia moras trahens ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c.16.n.78 p.157

8. *Ad Virginem, &c.*
Puriſſima Virgo deliciis omnibus, & carnis voluptatibus renunciauit; & ob id Deum ſibi, & nobis acquiſiuit; Dei Mater eligitur, quæ puritati dicatur; leui incommodo lucrum ingentiſſimum acquiſiuit. Carnis negotia tractantibus contrarium accidit: voluptas namque leui incommodo promittit ingẽtiſſimum lucrum, ſed leui lucro affert ingentiſſimum damnum, c.16.n.125.p.174

9. *Concipies & paries, &c.*
Non ſolùm ait, *concipies*, ſed addit *paries*. Sunt namque plures, quæ cùm Dominum conceperint auido deſiderio, non pariant, ſed excludant infeliciſſimo abortu. Sunt qui ipſo virtutis portu miſero diſpereant naufragio, c.17.n.189. p.289

10 *Ecce Ancilla Domini, &c.*
Vt dignitatem Matris exornaret, ad humilitatem recurrit: ſe vocat ancillam, dum non ignorat in Dei Matrem ſe fuiſſe electam: eſt namque humilitas ars dignitatem adangendi, & beneuolentiam ſibi conciliandi, c.17. n. 194. p.290

11. *Vocabis nomen eius Ieſum, &c.*
Filius promittitur, & Ieſus, hoc eſt, omnium ſalus, futurus aſſeritur; ſicque Mariæ eſt cumulatior fortuna, quando omnibus ſalutem pariebat, nec ſibi ſoli filium vendicabat. Vt noueris eſſe parum tibi ſplendere, ni ſatagas plurimis etiam ſubuenire, cap. 17. n.61. pag.329

12. *Ecce Ancilla Domini, &c.*
Verè humilis; dum Mater eligitur, non turgeſcit, ſed de ſe ſentit demiſsè. Ambitio colorat humilitatem; ſed ſi aſſequatur votum, ſuperbit. Nihil ambientibus demiſſius, nil poſt aſſequutionem ſuperbius, c.18. n 166 pag.360

13. *Dabit illi Dominus ſedem Dauid patris, &c.*
Ex regali ſanguine oriundum Chriſtum Angelus commemorat, & glorioſa Maiorum facta refert; & quidem Angelus comprobatur, quæ glorioſa non obliuiſcitur. Homines namque frequentiùs aliorum ingloria memoria conſeruant fixa, glorioſa affectata obliuione è memoria expungunt deleta, c.19 n.219.p.459

14. *Fiat mihi ſecundum verbum tuum, &c.*
Paruit Sanctiſſ. Virgo, & dum cœleſti voluntati paruit, & Mater, & Virgo reſplenduit. Deo namque parere eſt vera libertas, & inconcuſſa felicitas, c.20.n.171.p.533

15. *Et nomen Virginis Maria, &c.*
Nomen Virginis & puritatis candore micabat ſplendidum, & Angelis erat notum, ſed ô tempora! iam clareſcunt aliquando nomina non tam de propria virtute, & maiorum nobilitate, quàm de diuitiarum ſplendore, & fortunæ proſperitate, c. 21.n.89. p.591

16. *Ad Virginem, &c.*
Virginitate Maria placuit, & quia candoris puritate emicuit ornata, Mater Dei deprædicatur effecta. Nam caſtitas, puritáſque ſunt longioris vitæ officina, & honoris, commoditatiſque vena, c 21.n.105.p.597

17. *Ad Virginem, &c.*
Integro reſplendet Virginitatis elogio, cùm cæleſte ſortitur approbationis ſuffragium. Parum enim intereſſet Virginis apud homines nomen ſortiri, & Virginem apud Angelos nõ haberi. Profectò tunc ſolùm Virginitas reſplendet perfecta, cum cæleſti ſuffagio inuenitur etiam laudata, c.21.n.118 p.602

18. *Quomodo fiet iſtud, &c.*
Dum conſilium coram Deo capit, omnium ſaluti prouidit, quia frequenter vtilitati omnium attenditur, ſi conſilium coram Deo à Magnatibus capiatur, c.21.n.172.p.622

In Feſto Inuentionis S. Crucis.

Ioan. 3.

1. *Venit ad Ieſum nocte, &c.*
Nocte Nicodemus exercet virtutem, quaſi virtutem erubeſcat exercere. Chriſtus crucem ſuam notam omnibus fieri diſpoſuit, quia non erubuit virtutem. Videas nonnullos virtutem non ſine rubore exercere, cum dilecta ea impudenti publicitate perpetrentur, ac egregia poſſent facinora, c.15.n.75. pag. 25

2. *Venit ad Ieſum nocte, &c.*
Aduentus Nicodemi ad Chriſtum tempus præſcribitur, ſed cùm nox afflictionem, & calamitatem deſignet, aliquod nobis myſterium in noctis tenebris declaratur. Nox traxit ad crucis agnoſcendum myſterium; vt noueris beneficium ſæpè eſſe, vt deueniat ad Chriſtum, peccatorem tempore calamitoſo adungere, & aliquando ſupplicium proſperitatibus fortunari, c.14.n.n.95.p.31

3. *Venit ad Ieſum nocte, &c.*
Tardus venit ad Ieſum, qui fortaſſis diem ſæculi negotiis impenderat, & dicarat. Profectò vt in plurimum ad humana ſunt homines ſolertiſſimi; ad virtutem verè tardi. cap. 15. n.133.p.41.

4. *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, &c.*
Crucem tulit Chriſtus, vt nos exiguo labore, hoc eſt, Baptiſmo, cœlum conſequeretur. Ex aqua renatus Dei regnum intrat; Vt noueris quàm à vitio differat virtus. Ecce virtus exiguo dolore ſpes cœleſtes innutrit; at vitium falſis prolectat ſpebus, vt diſcruciet veris doloribus, c.15.n.145.p.46

5. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c.*
Qui ad ſerpentem olim oculos non dirigebant, ſerpentum morſibus diſperibant: qui aſpiciebant ſerpentem, recuperabát ſalutem. Ergo Chriſtus ſerpentis ſpeciem induit, vt oculos ad eum lauaremus, & ſalutem conſequeremur. Sed nos miſeri crucem fugimus, & mundi fallacias ſectamur, & dum quærimus effugia, nobis adaugemus detrimenta, c.15.n.185.p.58

6. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c.*
Legis Doctor crucis ignorabat Myſterium; pollebat ingenio ad humana, caligabat ad cæleſtia; & quidem ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius. c.15.n.205.p.65

7. *Ita exaltari oportet filium hominis, &c.*
Crucem occultare totis viribus Dæmonis procurauit aſtutia, ſed diſpoſuit inueniri cæleſtis numinis prouidentia: Dæmon abſcondebat quod Chriſtus tulit ob noſtram culpam ſupplicium. Chriſtus conſiderari voluit tormentum; nam culpæ deformitas ex iuſto ſupplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur, c.15.n.236.p.76

8. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c.*
Non dubitabat Dæmon lignum, in quo cæleſtis ſerpens pependit, fore hominibus ſalutare. Ergo illud abſcondit, idolumque ibi conſtitutum adorare hominibus perſuaſit. Copioſa hominum multitudo idolo erat pro munimento, & ad crucem inueniendam pro ingenti obſtaculo. Verum Helena cæleſti ſpiritu afflata crucem quæſiuit, & adimpleuit. Pro virtute fuit Helena, pro vitio hominum frequentia fuit. Eſt namque hominum frequentia vitio munitiſſimum præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum, c.15.n.256.p.82.

9. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c.*
Non recuſauit Chriſtus crucis ſubire tormẽta, vt miſeros homines eriperet à ruina; Principes, ac ſuperiores ſuo exemplo edocens ſubire incommoda, vt ſibi ſubiectos liberauerint à miſeria. c.15.n.294.p.96

10. *Sicut Moyſes exaltauit ſerpentem, &c.*
Lignum tulit Chriſtus hominibus tunc execrandum, & viliſſimo ligno Dæmonis vires attriuit, & vitam hominibus inſtaurauit: crucem elegit, vt de inſtrumenti vilitate clarior reſplenderet victoria, & de materiæ inhabilitate artificis cumulatior luceret peritia, c.15. n.221. p.74.

11. *Scimus quia è Deo veniſti, &c.*
Miraculis coruſcat Chriſtus, & Magiſtri honoratur elogio, dum peccata noſtra per crucem aduentauit expellere, & humani generis hoſtem vexare. Vt noueris eo ipſo, quo vitia deſtruimus, nobis ſalutem comparare, & honorem acquirere, c.5.n.405.p.133

12. *Oportet exaltari filium hominis &c.*
Cùm de cruce agit, exaltandum ſe prædicit, imò exaltari exambit. Amori namque nil inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, c.16.n.55.p.152

13. *Niſi quis renatus fuerit, &c.*
Regenerationis lauacrum omnem expellit culpam, & omnem abſtergit maculam; vt qui in Dei filios adoptari diſcupiunt, diſcant omnẽ maculam expungere, & offenſam omnem delere. Inuenies qui vitia velint extenuare, ſed penitus nolint expungere, c.16.n.131.p.172

14. *Nemo poteſt hæc ſigna facere, &c.*
Mira quæ Chriſtus operabatur, diuinitatem in eo inhabitantem promebant, & vel cæcis manifeſtabant: Chriſtus elogiis a Nicodemo prolatis addidit, crucem veluti anguſtius diuinitatis teſtimonium. Quandoquidem aliis miraculis vni, aut alteri impertiebatur ſanitatẽ, per crucem verò omnium eſt operatus ſalutem. Profectò glorioſius in vita elogium, & poſt mortem epitaphium eſt hoſtis prorſus deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus, c.16.n.204 p.231

15. *Ita exaltari oportet filium hominis, &c.*
Crux viuenti Chriſto attulit ignominiam inuenta poſt mortem gloriam; è contra peccatoribus accidit. Fauſtus in vita euanidam affert gloriam, veram poſt mortem ignominiam. Pro comperto habe iuſtorum ærumnas poſt mortem honoribus compenſari, peccatorum gaudia lamentis, & dehonoratione perſolui, c.16.n.307.p.232

16. *Oportet exaltari filium hominis, &c.*
Oportuit vt nos recuperaremus vitam, & Chriſtus per crucem acquireret ſibi gloriam. Tulit dolores, ſed doloribus hoſtem deuicit, & cæli aditum nobis reſerauit. O ſi hoc imitaremur commercium! Verùm ſic mortales cæcutiunt, vt ingenti pretio emant ſibi mendacia, & pro laborum mercede dura tormenta, c.17.n.125. p.270

17. *Tu es Magiſter in Iſrael, & hæc ignoras, &c.*
Crucis myſterium ignorabat Nicodemus, ignorabat etiam regenerationis lauacrum, fortaſsè doctus erat erga Vriam & ſæculum. Profectò homines ab ipſa natura vitia, & temporalia videntur edocti, ad virtutem inueniuntur eruditi. c.17.n.20.p.239

18. Niſi *quis renatus fuerit ex aqua, &c.*
Chriſtus pro noſtra ſalute crucem ſubiuit, & ſacris Baptiſmi aquis peccatores diſpoſuit: ſatis durum fuit quod tulit, ſuaue ſatis quod præcepit. Nouerat namque hominibus ardua pro caducis videri exigua, & exigua pro æternis refugi vt ardua. c.18.n.38.p.322

In feſto ſancti Ioannis Baptiſtæ.

Lucæ 1.

1. *Nemo eſt in cognatione tua, &c.*
NOmini Ioannis reſiſtebat conſuetudo maiorum: Eliſabeth cæleſti luce illuſtrata pugnabat contra conſuetudinem, vtque vinceret ratio, opus fuit Zachariæ ſilentium rumpi, & labia miraculo reſerari. Nam ſi ratio conſuetudoque decertarint

Digitized by Google

certarint, vincet conſuetudo, & lugebit deuicta ratio. c.15.n.32.p.12

2. *Dixerunt ad illam: quia nemo eſt in cognatione tua &c.*
Cognati videbantur puero conſulere, ſatagebant tamen maiorum nomina in puero mirabili conſeruari, & quamuis illorum damnabilis non eſſet affectio, vtilis nobis fuit eruditio, vt noſcamus falſatum aliquando eſſe erga cognatos affectum, nam cùm illis videatur conſulere, tenera ſibi probatur attendere, c.15.n.308.p.100

3. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Vbi nomen pater ſcripſit, labiorum vinculum diſſolutum eſt. Ioannes gratiam ſonat, & gratiæ vices quodammodo ſortitus eſt; nam cùm nulla adeò inexorabilia ſint vincula, quæ gratiæ ope nequeant diſſolui, patris vincula ſcriptus Ioannes valuit diſrumpere, c.15.n.313.p.101

4. *Prophetauit dicens: Benedictus. &c.*
Tacuerat reatibus impeditus. Ergo recuperauit tempus, dum laudat feruidus; docetque poſſe tempus colligi, ſi reſplendeat eximiè feruidus qui olim paſſionibus retardatus, c.15.n.328 p.107

5. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Ioannes non tam ſibi, quàm Chriſto naſcebatur, vel in matris ventre militarat contra naturam. Ergo nomen accepit præ maioribus ſuis auguſtius: Fas namque erat, vt à quo laudabiliter peragebatur militia, clari adeò nominis reciperet ſine dilatione præmia, c.15.n 356.p.116

6. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Speciali nomine, ſingularique prærogatiua micat vel ab incunabulis Ioannes, vt ad delendum errorem, & oppugnandum vitium agnoſceretur exortus. Speciali namque priuilegio lucere debet exculptus, qui ad pugnandum pro virtute, & delendum inimicum non dubitatur exortus, cap.15. n.363 p.119

7. *Appertum eſt illicò, &c.*
Vbi Zacharias filium ſortitus eſt, caſtitatis propugnatorem, vitiique venenum, labiorum diſſolutum eſt vinculum: vt ab hiſtoria, euentuque vtile capias documentum, videlicet eo ipſo quo deſtruimus vitia, nobis ſalutem comparare, vitamque fulcire, c.15. n.405.p.133

8. *Eliſabeth impletum eſt tempus pariendi, &c.*
Eliſabeth, Zachariamque cœleſti ſpiritu refert Euangeliſta exornatos, vt ex parentum virtute filius nobilitetur, & iam qualis futurus ſit, ſi fas eſt dicere, coniiciatur. Filij namque à parentibus exurgere ſolent eximias virtutes, vt etiam peruerſos mores, c.17.n.31.p.242

9. *Nequaquam, ſed vocabitur Ioannes, &c.*
Cognati auito nomine Ioannem inſigniebant; Mater verò ſingulare nominis elogium protulit cœleſti luce illuſtrata, & quidem fas erat Ioannem ſingularitate gaudere, quando vel ab exordio Domino didicerat dedicari, c.17.n.39.p.245

10. *Ioannes eſt nomen eius &c*
Nouum mirandumque nomen à Domino accepit Ioannes, vt ſingulari nobilitaretur elogio, qui ſingulari micabat merito. Eximiis namquè virtutibus prælucenti impenſior debetur cura, & honoris etiam prærogatiua, c.17 n.227.p.299

11. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Recens natum puerum mater Ioannem appellauit, gratiæque adſcripſit, Ioannes namque gratia interpretatur. Ergo confeſſa eſt mater puerum tot, tantiſque prærogatiuis micare non tam naturæ adſcribendum fore, quàm gratiæ. Simulque nos edocuit, ſi qua prærogatiua fruamur, non adſcribere propriis meritis, ſed Deo, aliorumque meritis aſſignare, c.17.n.263.p.310

12. *Zacharias Pater eius, &c.*
Deum laudans Zacharias, Sacerdotalem dignitatem nobilitauit, ſimulque oſtendit ea eſſe debere Sacerdotis verba, quæ dignitatem non confundant, ſed oſtendant, c.18. n 43.p.314

13. *Redemptionem plebis ſuæ. &c.*
Ioanne exorto, iam plebis, mundique relucere incipiebat redemptio, & Lucifer denuntiabat: Solem vicinum. Omnibus natus eſt Ioannes; parum namque illi eſſet ſibi oriri, ni conſtaret omnibus ſplendere, cap. 18. n.61. p.319

14. *Ioannes eſt nomen eius &c.*
Ioannes natus eſt, vt Domini Propheta viam pararet, vt Lucifer tenebras vitiorum depelleret. Ergo ad Martyrium exoritur & ab Herode iugulandus naſcitur. Qui ad placitum loquitur, ad dignitatem eligitur, veridicus diuexatur, & ſpernitur, c.18.n.110.p.342

15. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Mirabile ſortitur nomen, quod factis impleuit, & virtutis facinoribus illuſtrauit. Mortales deprædicare cupiunt nominum linguis, non tamen curant adimplere honeſtis factis, c 18.n.226.p.378

16. *Impletum eſt tempus pariendi. &c.*
Ioannes Zachariæ ob inſignes eius virtutes promiſſus, & inter altaris ſacrificia prænuntiatus cœleſtem promiſſionem, fidemque liberauit exortus, ſi Herodes execrandam fidem liberauit iugulatus. Ne minus obtineret ſacrificium, quàm conſequebatur tripudium. Videas tamen aliquando fidem ob crimen oppigneratam inuiolatè ſeruari, ob egregia facta non rarò eludi, c.18.n.238. pag.381

17. *Ioannes eſt nomen eius. Et mirati, &c.*
Ioannes parentum concordiæ extitit teſtimonium. Mirati ſunt, vt teſtatur Theophilactus, adſtantes, quia viderunt coniuges circa nomen concordare. Suo exortu docuit Ioannes inter coniuges fouendam eſſe concordiam, non alendam controuerſiam, c.19.n.87. p. 419

18. *Ioannes eſt nomen eius, &c.*
Natus eſt Ioannes; vt illuſtri coronatus reſplenderet triumpho. Natus eſt, vt luceret felix ortu, ſed felicior occaſu. Natus eſt, vt frueretur vita: Mortuus eſt, vt caſtitatis coronaretur tutela. Vixit Herodes ad criminis patrocinium, ſed Ioannes felicior occubuit in caſtitatis obſequium, c.20.n.140 p.513

In feſto Apoſtolorum Petri, & Pauli.

Matth. 16.

1. *QVia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, &c.*
Felix Petrus dum carnis vocem non andiuit, & cœleſtem lucem percepit. Profectò ſi audiret carnem non excuſſiſſet errorem; protulit tamen inter cæteros ſingulariſſimus veritatem. Ergo carnis fuge audire conſilia; nam luci, prudentiæque opponunt impedimenta, c.15.n.104.p.33

2. *Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, &c.*
Miris laudibus deprædicandus eſt Petrus, quandoquidem cœleſti luce illuſtrato, & præ cæteris viuaciore veritatem agnouit ingenio. Profectò ad temporalia ferè omnium ingenium pöllet viuaciſſimum, ad virtutem videtur ſæpè hebetatum, c.15. n.205.p.65

3. *Quem dicunt homines &c.*
Interrogatus Petrus Chriſti diuinitatem protulit, deprædicauitque: De filio hominis interrogatus, filij hominis eſt diuinitatem confeſſus certè nonnulli pluſquam interrogantur, reſpondent, ſed vt aliorum euulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam, c.15.n.245.p.78

4. *Tu es Petrus, &c.*
Petrus Chriſti protulit elogium. Ergo citiſſimè accepit præmium Campo decertauit contra opinionum errores, ergo audiuit à Domino laudes. Vt nouerint ſuperiores, Principeſque præmia non differre, ſed quàm citò merentibus dilargiri, cap.15. n.356.p.116

5. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.*
Totum Eccleſiæ pondus ſuper hanc petram recumbit, nec tamen quæritur. Amabat Petrus ardentiſſimè Dominum. Ergo labori ſuppoſuit humerum. Amori namque nil inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum, c.16.n.55.p.152

6. *Reuelauit tibi, &c.*
Accepit cælitus & notitiam, & ſcientiam, eaque vſus eſt ad veritatem proferendam, & Chriſti Domini gloriam promulgandam: Vtinam omnes Petrum imitarentur. Sunt tamen plures, qui acceptam à nomine ſcientiam in ſui & numinis conuerterunt iniuriam, c.16.n.147.p.180

7. *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram, &c.*
Ad ædificij ſuſtentaculum ſolida, firmaque requiritur Petra. Ergo Petro petræ firmiſſimæ Eccleſiæ commendatur ædificium, & piſcatore expiſcandi homines datur mandatum. Nam quod magni intereſt, non eſt inexperto committendum, ſed experto commendandum, c 16.n.195.p.196

8. *Quia caro, & ſanguis non reuelauit tibi, &c.*
Beatus deprædicatur Petrus, vt qui virtutibus meruit illuſtrari, & veritatem agnoſcere. E contra lugendi ſunt miſeri mortales, quandoquidem ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro laborum mercede inuenire figmenta, c. 7.n.125.p.170

9. *Tu es Petrus, &c.*
Ad Eccleſiam dignitatem promouit meritis exornatum, & cœleſti notitia exculptum. Nam Sacerdos micare debet ſcientia, & virtutum elegantia: Verum aliquando ad Eccleſiaſticam dignitatem eligitur cognatus, & ſolo cognationis titulo habetur dignus, c 17 n.129.p.271

10. *Tu es Petrus, &c.*
Ad dignitatem elegit tempore maturum, & ſapientiæ dotibus exornatum, vt normam electonis præſcriberet. Ad dignitatem namque Eccleſiaſticam non eſt quis ſine ſuffragio temporis eligendus, nec ſine ſapientiæ dotibus initiandus, cap. 17. n.200.p.291

11. *Tu es Petrus, &c.*
Prælucebat inter reliqua Petrus cœleſti ſapientia, & ſingularis confeſſionis prærogatiua. Ergo præ cæteris Chriſtus honorauit, Superioreſque edocuit, inter alios eximiis dotibus prælucenti maiora deberi commoda, & maior honoris etiam prærogatiua, c.17.n.227.p 299

12. *Super hanc Petram, &c.*
Petrus negauit, ſed confeſſione cæteros modo antecelluit, & erratum compenſauit. Vt diſcamus negligentiam, ignauiamque egregiis facinoribus delere, & eximiis virtutibus compenſare, cap. 18. n 21.p 318

13. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.*
Petrus ad dignitatem electus Eccleſiam ſuffulſit, & omnibus profuit; nil ſibi ſuxit ad inſtar bibulæ arenæ, ſed petra ædificium ſuſtentauit E contrà occidere videas aliquando: Miniſtris namque à Republica electi proſpiciunt ſibi, non conſulunt generalitati, c. 8.n.49.p.325

14. *Tu es Petrus &c.*
Veritas inuenit faſtigium, & confeſſio laudabilis præmium; hoc tamen fuit apud Chriſtum; aliter namque accidit apud ſæculum, non ſemel namque qui ad placitum loquitur, ad dignitatem eligitur, veridicus poſtponitur, & ſpernitur, cap.18. n.1 0 p.342

15. *Tu es Petrus. & ſuper han petram &c.*
Egregium ſortitur nomen, ſed quod factis impleuit, & virtute nobilitauit. Plures exambiunt deprædicari nominum linguis, non tamen curant honeſtis implere factis, c.18 n 126. p. 78

16. *Simon Bar-Iona, &c.*
Cœleſtibus columbæ alis inuolauit Petrus ad apicem virtutis, & perfectionis, vt aliquando non minus celer eſſet curſus ad virtutem, ac eſſe contingit ad prauitatem. Certè exiguo tempore ad prauitatis apicem peruenitur, ad virtutis tardiùs acceditur, c.19 n.29.p.402

17. *Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.*

Ad

Ad dignitatem euexit Chriſtus Petrum, & Petrus ſolicita cura dignitatem geſſit, & Eccleſiam ſuis laboribus, morteque ſuffulſit. Plures cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, vigilias tamen, ac labores nolunt ſubire, c.20.n.118.p.602

18. *Super hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam, &c.*
Magna Eccleſiæ felicitas ſortiri petram virtutibus exculptam. Profectò Petrus, eiuſque imitatores humeros ſupponunt, ſuntque contra tempeſtates ſuſtentaculum, & contra calamitates remedium, cap. 20. n. 166. p.531

In Viſitatione B. Mariæ Virginis.

Lucæ 1.

1. *ABiit cum feſtinatione, &c.*
Non ſolùm refertur beneficium, ſed modus, ſcilicet cum feſtinatione, quia non ſemel in operando modus aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad viam, cap.21. n.211.p.637

2. *Cum feſtinatione, &c.*
Feſtinauit puriſſima Virgo, vt oculos fugeret, & Ioanni ſolicitiſſimè prouideret. Mihi crede. Si fœmina pompatico luxu, & pedetentim in publicum procedat, aut alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ prætenſas ſuſtinet, c.21.n.164.p.619

3. *In montana &c.*
Vbi mater eligitur, nullum laborem fugitat, vt ſalutem operetur: eddocens à Deo pro ſalute proximorum delegatos laborem nullum excuſare, vt eorum ſalutem quiuerint prouidere, c.21.n.148.p.613

4. *Vnde hoc mihi &c.*
Statim ac Maria Eliſabeth domum intrauit, Ioannes ſaltat, mærorque aufugit; nam ſi Mariæ ſanctiſſimæ adſit præſentia, non ſolùm temperatur calamitas, ſed arridet etiam felicitas, c.20.n.163.p.530

5. *Et intrauit. &c.*
Montium arduitate arcebatur, itineris præpediebatur labore: Verum, quam ſemel pro virtute arripuerat viam, abſoluit, & domum intrans triumphum de Dæmone reportauit, dum Ioannem gratiæ reſtituit. Certè, qui ob labores, & infortunia ab honeſtè inceptis pedem non retraxit, ſibi, dum perſeuerat, triumphos aſciuit, cap. 20.

6. *Cum feſtinatione, &c.*
Vel ſecuriſſima oculos Virgo fugiebat humanos, & feſtinanter arripiebat viam. Plures fœminæ, ſi oculos refugiſſent cautæ acerbis caſibus non ſubiacerent miſerrimæ. Non ignorent fœminæ duris ſe exponere caſibus, ſi inſanis ſe non negarint aſpectibus, c.19.n.184.p.477

7. *Cum feſtinatione, &c*
Erat Virgo vt honeſtatis elogium, pulchritudinis etiam miraculum. Ergo celeriter fugit publicum, & ad montanorum innolauit receſſum. Profectò venuſtas, oriſque gratia eſt alienum oblectamentum, & proprium ſæpè periculum, cap. 19. n.243. p.467

8. *Et viſitauit, &c.*
Vnica refertur Mariæ Viſitatio, eamque conſuluit & cognationis vinculum, & Ioannis in vtero adhuc degentis remedium. Diſcant fœminæ alienas domos non curſitare, neque in publicum ſæpè prodire; fœminam namque, ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula, & ſuſpicio dehoneſtabit temeraria, c.19.n.230.p.463

9. *Abiit in montana, &c.*
Egebat Ioannes remedio, Eliſabeth indigebat ſolatio. Ergo Maria viſitauit, vt ſubueniret, & vidit vel à longè poſitum, vt calamitatem depelleret: Quàm aliter ſæpè contingit; nullus egentem videt, vt ſubueniat, felicem nullus non videt, vt quid accipiat, c.19.n.214.p.458

10. *Et ſalutauit, &c.*
Eliſabeth viſitauit ætate maturam, virtutibus exornatam: Vt diſcant hinc fœminæ cum quibus debeant agere, & quorum in domibus reſidere. Nil fœminæ adeò curandum eſt, vt iniquæ ſuſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam, c.19.n.37.p.405

11. *Intrauit in domum Zachariæ, &c.*
Ioannes Zachariæ erat filius, diuitiis, & nobilitate reſplendebat ornatus; inuolauit tamen Maria, vt tanquam miſero afferret remedium & exhiberet ſubſidium. Nam Deo ob originale priuatus, & ſi nobilitate, & diuitiis exundaret, miſerrimus ſordebat, & nudus, c.18.n.188.p.366

12. *Exultauit in gaudio, &c.*
Ioannes exultauit in gaudio non ob auorum nobilitatem, non ob diuitias parentum, ſed quia iam à peccati vinculis expeditus, & ab originalis ſordibus liberatus. Iuſtis namque pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas, cap.18.num.261. pag. 370

13. *Ecce enim vt facta eſt vox, &c.*
Eliſabeth credit, Ioannes exultat, dum Maria adeſt; cùm Angelus Patri Baptiſtam promiſit, tantam fidem negotiatus non eſt. Nam ſuperior per ſe ipſum facilè ſolet obtinere, quod per miniſtros tardius, aut difficilius ſolitus impetrare, cap.19.n.82. pag.419

14. *Et ſalutauit Eliſabeth, &c.*
Mutuis charitatis, amoriſque Maria, & Eliſabeth ſe honorauerunt officiis, & ora diuinis reſonuerunt elogiis. Certè dum modò fœminæ fœminas inuiſunt, longè diſtant à charitatis officiis, quia ſe totas tradiderunt ornatui, & vanitatis fallaciis, c.19. n.148. p.439

15. *Exultauit infans in vtero, &c.*
Inuolauit Maria, vt quàm citius Ioannes originalis diſrupto vinculo, ſanctitatis diues iam exultaret cenſu. Ergo dum diligens inuolauit ſolertia, mundo oritur ſaluberrima Prophetia. Eſt namque populi ſalus diligens circa pueros ſolertia, vt perniciés

etiam

etiam ignauia, c.19.n.181.p.448

16. *Salutauit Eliſabeth, &c.*
Montium confragoſa, aſpera montanorum vicit Maria, vt viſitaret cognatam, & impleret Ioanni ſubueniendo conſanguinitatis obligationem. Plures videas alios viſitare, officiiſque promereri, verum rariùs hæc obſequia ab obligatione videas exorta, quàm à vanitate, aut propria vtilitate ſuaſa, c. 15. n. 3. p.9

17. *Exultauit in gaudio &c.*
Iam geſtit gaudio, iam exultat tripudio, quia deletum originale peccatum. Homines nolunt cauſas timoris ſeponere, vndè nequeunt ſolida lætitia gaudere, c. 15. num. 70. pag. 24

18. *Exultauit infans in gaudio.&c.*
Gaudet Ioannes, quia iam culpa exemptus, quia gratia ornatus. Exultat vt Chriſtum deprædicet ſaltibus, quia nequibat tunc deprædicare ſermonibus. Singulariſſima prærogatiua reſplendet Ioannes, quando vel in ventre poſitus inuenitur ad perfectionem maturus; cùm de more ingenium ſolùm ad temporalia maturetur viuacius; ad virtutem inueniatur hebetius, cap.15. num.105. pag. 65

In feſto ſanctæ Mariæ Magdalenæ.

Luc. 7.

1. *MVlier quæ tangit eum &c.*
Maria nobilitatis ſuæ gloriam innubilarat, opinionemque non bonam apud Phariſæum habebat: modò luget, vnguentum affert, flammis amoris inardeſcit, & nihilominus audit, quia peccatrix eſt. Nam quæ ob crimen exiguo tempore amiſſa, longo tempore, & labore improbo indigebunt, vt efflor eant reſtituta, cap.21. num.215. pag. 639

2. *Intraui in domum tuam, &c.*
Ad conuiuium Phariſæus vocauerat, ſed in Chriſto honorando, paſcendoque minus ſtudioſè ſe geſſerat: Maria non ſolùm exhibuit obſequium, ſed in exhibendo obſequio curauit modum. Ergo iſta meruit laudari, & ille corripi, quia modus in operando aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram, c.21.n.211.p.637

3. *Attulit alabaſtrum, &c.*
Maria intrauit domum conuiuij, vt offerret lamentum, & in Chriſti obſequium conuerteret muliebrem cultum & frangeret alabaſtrum. Profectò Maria ſuis factis vindicauit virtutem, & confudit vanitatem. Quandoquidem conuertit conuiuium in occaſionem virtutis; cum malitia templorum feſtiuitates ad occaſiones detorqueat criminis, c.21.n.201.p.634

4. *Capillis capitis ſui tergebat.&c.*
Modo luxum exuit, modo capilli curam amiſit, quia militabat iam pœnitentiæ, & vtili ardebat dolore; peccatrix tamen vocatur, quia pompatico anteà luxu incedens, aut alienæ caſtitati inſidias prætendit, aut ſuæ prætenſas ſuſtinuit, c.21.n.164.p.619

5. *Vt cognouit, &c.*
Cognouit periculum, & inuolauit ad opportunum remedium, non diſtulit quærere medellam, quia non ignorabat plagam. Et vtinam qui Magdalenam imitati ſunt errantem, ſequerentur pœnitentem: Verum ea peccatoris ſtupiditate tenentur, vt agnoſcant periculum, nec inuolent ad remedium, c.21. n.135.p.608

6. *Conuerſus ad mulierem,&c*
Ad mulierem conuerſus eſt, vt afflictam ſolaretur, nam prudens ſuperior culpa iam punita, aut deleta non ſtudet affligere, ſed ſolari, c 21.n.127.p.605

7. *Vade in pace,&c.*
Iam pace fruitur, quæ anteà quàm accederet, variis cupiditatis fluctibus agitabatur. Solus namque qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, paceque frui, cap. 21. n.122.p 603

8. *Vt cognouit,&c.*
Felix mulier, quæ cognouit, & quæ veritatem cognoſcens ad Chriſtum celeri pede inuolauit; & quot exiſtimas tunc eiuſdem generis non vocatas, & derelictas: creuit de relictarum numero erga Magdalenam beneficium; commendat namque exageratius Dei beneficium grandis pereuntium numerus, infeliciumque cenſus, c.20. n. 214. p. 548

9. *Quia peccatrix eſt, &c.*
Phariſæus, quia intentis oculis aliena attendebat delicta, propria ignorabat errata; & quidem adeò ardenter Chriſtum, & mulierem non carperet, ſi ſe diſcuteret; verùm de more noſtra delicta cæcis oculis præterimus, & in aliena ardenter inuehimur, cap. 20. n.65. p.498

10. *Quia peccatrix eſt, &c.*
Innubilauit gloriam, obſcurauit famam, dum Magdalena ſæculi eſt ſecuta vanitatem. Et quidem voluptas fortitudinis eſt occaſus, & gloriæ næuus, cap.16. n.81. pag. 160

11. *Vt cognouit,&c.*
Non diſtulit, moras non traxit, ſed vt cognouit, dolore ſaucia ad Chriſtum Dominum inuolauit; fors doluiſſet ſpebus fruſtrata, ſi in aliud tempus diſtuliſſet ſtultè confiſa. Nam dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c.16. n.73. p.157

12. *Stans retrò, &c.*
Supercilioſi Phariſæi domum intrat, ad Chriſti veſtigia prouoluta lachrymis lauat, denudat comam, non refugit ſuſtinere calumniam, dilexit multum, & amori nil inuenitur acerbum, nil amarum, c.16. n. 55. p. 152.

13. *Quia peccatrix eſt,&c.*
Forſitam ſe Magdalena iactabat, ſi à magnatibus dilecta, & infelici planſit à plurimis celebrata. Nam fœminæ aliquando ſe iactant, ſi magnatibus proſtitutæ, & à plurimis adamatæ, cap. 16. numero 33. pag. 145

14. *Et*

Digitized by Google

14. *Et ecce mulier,&c.*
Cœleſti amore perculſa, & culparum dolore ardentiſſimè icta deſpexit Phariſæi ſupercilium aſtantium deſpectum, imò & repulſæ à domo periculum: fas namque erat vt purus amor amori impurato non cederet. Et quidem ſunt qui affectent deſpexiſſe periculum ad amoris euanidi teſtimonium, c.16. n.29. p.144

15. *Et ecce mulier, &c.*
Illud, *ecce*, attentionem vocat, dum aliquod myſterium indicat. Ecquod? peccatricem ſcilicet mulierem opportunam ſalutis occaſionem rapuiſſe, & ad Chriſtum properaſſe. Quandoquidem peccatum vigorem expectorat, & ne ſalutis rapiat occaſionem, peccatorem quodammodò illigat, c. 15. n.360. p.118

16. *Attulit alabaſtrum, &c.*
Inuolauit eximiè feruida, vt inſtauraret tempus quod triuerat, vanitati dicata: Suoque nos exemplo docuit inſtaurari poſſe ſolerti diligentia tempus, quod oſcitans triuit ignauia, c.15.n.328 p.75

17. *Vade in pace, &c.*
Quæ anteà cæcis cupiditatis vinculis implexa, quæ duris deliciarum compedibus illigata, exultat iam libera, & dum Chriſto accedit, pace, & tranquillitate donata. Vt noueris nulla adeò eſſe implexa vincula, quæ gratiæ ope nequeant diſſolui, imò & faciliter rumpi, c.15.n.313 p.101

18. *Quia peccatrix eſt,&c.*
Auerſabatur Phariſæus in muliere culpam, & incurioſus committebat offenſam. Sæpè namque quæ in aliis auerſamur, exequimur, c.15.n.221.p.71

19. *Quæ tangit eum &c.*
Mirabatur Phariſæus admittere Chriſtum mulieris tactum, à qua putabat imminere poſſe periculum. Errauit profectò ingenter Phariſæus, quando ad Chriſti acceſſus Domino non erat periculum, & mulieri erat remedium; ſuo tamen errore nos docuit eius detrectandum conſortium, à quo videtur imminere periculum, cap. 15. num. 194. pag. 61

In feſto ſancti Iacobi Apoſtoli.

Matth. 20.

1. P*Oteſtatis bibere Calicem,&c.*
Ex modo dicendi eos attrahit, & dum exprobrat ambitionem, erga ſibi cognatos, oſtendit ſingularem familiaritatem. Deus namque amicitiæ oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum, cap.15. n.18. p.7

2. *Poteſtatis bibere. &c. Poſſumus.*
Vt reſponderent *poſſumus*, antequam negaret petita, an Calicem poſſent bibere, interrogauit: Illique dum thronos exambiunt, Calicem ſitiunt, recuſarent fortaſſe calicem, quantumuis ſuaderet ratio. Obſequia namque, & officia frequentiùs pendit, vtilitas, aut ambitio quàm exhibeat obligatio, c.15. n.23.p.9

3. *Neſcitis quid petatis, &c.*
Monebantur tunc, vt placet ſanctis Patribus, ambitione, & thronis deſiderabant quieſcere. Ergo decrrabant: Nam appetitus legem ſequutus non quieſcit, ſed circumvoluitur deſideriis variis agitatus, c.15. n.27. p.11

4. *Acceſſit Mater, &c.*
Acceſſit modo vt peteret thronos, cùm ad Chriſtum ipſa non attulerit antea filios. Viget namque ad temporalia ingenium viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius, c.15. n.205. p.65

5. *Acceſſit mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, &c.*
Suſpirabant thronos, & à matre videri volebant duci. Sunt namque qui ad ea quæ ardenter ſuſpirant, duci ſe affectant, c.15. n.298. p. 97

6. *Neſcitis,&c.*
Thronos temporales putabant, & futura obliti exambiebant præſentia. Ergo iure *neſcitis* audiunt. Sapiens namque non ſolùm attendit præſentia, ſed attendit etiam futura, c.15.n.336. p.109

7. *Calicem quidem meum bibetis, &c.*
Honorem calicis ſui impertitur Chriſtus Iacobo; nam cùm ab eo laudabiliter pro virtute militia peragatur, fas non erat, vt illum remunerare Princeps cunctaretur. Diſcant ergo Principes milites remunerare, ſi nouerunt militiam laudabiliter exercere, c. 15. n.356 p.116

8. *Poſſumus, &c.*
Iacobus Calicem ſitit, ſanguinem fundere pro Chriſto ardet. & ferè immenſos labores hauſtum calicis eſſe cenſet. Amori namque nil inuenitur arduum, nil moleſtum, c.16. n.55. p.152

9. *Calicem quidem meum bibetis,&c.*
Iacobus calicem Domini hauſit, quia Chriſti inimicis bellum innexit: Dulcius illi fuit mori, quàm Chriſti offenſam videre. Nam eximiè iuſtis nil adeò durum eſt vt diuinam intueri offenſam, audireque iniuriam, c.16. n.244. p.211

10. *Poſſumus. &c.*
Iacobus fortitudinis norma nec bibere calicem recuſauit, nec ærumnoſam vitam faſtidiuit. Nam vir fortis ærumnoſam vitam non odit, honeſtam mortem non fugit, c.16.n.301.p.229

11. *Calicem quidem meum bibetis. &c.*
Hauſit Iacobus calicem, ſed poſt mortem mirè reſplendet nobilitatus. Vndique peregrini compoſtellam adeunt votorum cauſà. Profectò ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur, peccatorum gaudia lamentis, & dehonoratione ſoluuntur, c.16. n.307. p. 231

12. *Acceſſit mater cum filiis ſuis,&c.*
Vbi mater acceſſiſſe refertur, acceſſiſſe filios etiam proditur: filij namque actiones imitantur parentum, & eximias ſugunt virtutes, aut prauos mores, cap.17.num.31. pag. 242

13. *Non eſt meum dare vobis,&c.*

Noluit

Noluit thronos dare cognationis titulo, ſed virtutis merito. Dignus fuit Iacobus qui calicem biberet eximiis factis, & virtutibus egregiis. Primus conſecrauit vitam, & glorioſiſſimè oppetiit mortem. Docuit tamen Chriſtus electionis formam; dum meritorum requirit ſummam; verum ſæpè præficitur cognatus, & cognationis titulo habetur dignus, c.17 n.129.p.271

14. *Calicem quidem meum bibetis,&c.*
Emit Iacobus ſanguine thronum, & pro Religione belligerans meruit honoris faſtigium. Apud ſæculum verò aliquando emitur criminibus dignitas, auroque poteſtas, c.17. n.151. p 177

15. *Neſcitis quid petatis,&c.*
Meritis Iacobi debebatur thronus. Ergo conſanguinitatis neceſſarius non erat titulus. Dum tamen Chriſtus cognationi prætulit meritum ſæculi damnauit ſtilum Eſt enim frequens propria extraneis anteponere, & inſolitum propriis extranea præferre, c.17. n.190. p.289

16. *Poſſumus,&c.*
Mirè laudandus eſt Iacobus, qui tot pro throno labores hauſtum calicis reputauit. Nobis contrarium contingit: pro caducis durus labor videtur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18.n.38.p.322

17. *Poſſumus,&c.*
Iacobus dum prudenter audet, eximiam ſuam virtutem oſtendit; & quibus putas virtutibus reſplendere, quem Domini calicem audis bibere? Nam prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat, ſibi calamitatem aſciſcat. c.18.n.125.p.347

18. *Adorans, & petens,&c.*
Submiſsè adorabat quæ filiis thronos poſcebat, fortaſsè aſſequuta thronos, non adoraret adeò demiſsè. Nam apud ſæculum ambitoribus nihil demiſſius; ſed ſi aſſequuti fuerint, nil turgidius, & ſuperbius, c.18.n.166. p.360

In feſto S. P. N. Ignatij.

Lucæ 12.

1. *SInt lumbi veſtri præcincti,&c.*
Deus præcinxit Ignatium, & ſæcularis militiæ ducem contorta pila percuſſit, vt ad militiam nobiliorem transferret. Vt noueris grande Dei beneficium eſſe aliquando calamitatibus premi, & ſupplicium proſperitatibus fortunari, c.15 n.95.p.31

2. *Sint lumbi veſtri præcincti, &c,*
Inextricabiles Ignatius ſuſtinebat anguſtias, dum cupiebat Euangelico conſtringi cingulo, & detinebatur ſæculo. Profectò ni ſanctiſſima Virgo Maria candidiſſima luce illum direxiſſet, ad ſalutis portum non aduentaſſet. In eas ſe coniecerat Ignatius anguſtias, vt ambiguus ab vtraque parte inextricabiles pateretur catenas, cap. 15. n.138. p.44

3. *Sint lumbi veſtri præcincti, &c.*
Ignatius dum cœleſti militiæ nomen dat, eſt ſimilis ſeruo expectanti; dum ſæcularis militiæ ſequebatur vexilla, non habebat ſolùm ſeruitutis ſimilitudinem, ſed anxietatem. Dum pugnabat ineſcatus ſpebus, fracto crure duris diſcruciabatur doloribus. Ambitio namque diſcruciat veris doloribus, & euanidis prolectat ſpebus, cap. 15. n.145. p.46

4. *Expectantibus Dominum, &c.*
Dum doloribus præcinctus ingemuit, æterna cogitauit Ignatius; fortunata fuit illi calamitas, felixque procella, quæ ad ſecurum portum adduxit, & à ſæculi fluctibus confuſis exemit. Profectò vtilem Dei memoriam affert calamitas, periculoſam obliuionem proſperitas, c.15.n.154 P 49

5. *Et lucerna ardentes,&c.*
Nihil Ignatius omiſit, vt vitia penitus extirparet, & doctrinæ luce ignorantes imbueret. Profectò quando cœleſtis miniſter non minorem pro vitiis extirpandis ſolertiam induit, ac Dæmonis miniſtri inducere ſolent pro virtutibus deterendis, cap.15.n.215. pag. 72

6. *Sint lumbi veſtri præcincti,&c.*
Vt ardenti reſplenderet lucerna Deus Ignatium exploſa percuſſit pilâ. Videbatur Ignatius caſu deiectus, & erat prouidentiſſimè dolore vexatus. Nam quod à cæca putamus promanare fortuna, promanat à vigilantiſſima numinis prouidentia, cap. 15. n.229. p.73

7. *Vt cùm venerit, & pulſauerit,&c.*
Pulſat Dominus, cùm vicinam eſſe mortem denunciat. Ergo prudens ſe ad mortem accingit, agitque ſpontaneus, quod velit nolit exequetur compulſus, cap. 15. n.260. p.84

8. *Sint lumbi veſtri præcincti &c.*
Stricte ſe præcinxit Ignatius, vt inuolaret, & Euangelicæ lucernæ fulgoribus tenebras culparum depelleret. Ardentiſſimè eius charitas exultabat, ſi proprio labore alienæ ſubueniret calamitati, cap.15. num. 303. pag 98

9. *Et lucerna ardentes,&c.*
Ardebat Ignatius eximiè feruidus, vt inſtauraret tempus quod triuerat paſſionis obſcuratus: Suoque exemplo nos edocuit tempus poſſe redimi, & impenſum vitiis poſſe virtutibus inſtaurari, c.15.n. 328. pag.107

10. *Præcinget ſe, & faciet illos diſcumbere, &c.*
Quàm miris virtutibus reſplenduerit Ignatius, quàm ſtricto mortificationis cingulo ſe præcinxerit, quàm indefeſsè vigilias ſeruauerit, Ieſu nomen eius Religioni conceſſum clariſſimè oſtendit, & Chriſtus dum Ignatium remunerat, Principes inſtruit. Nam à quo laudabiliter militia peragitur, fas non eſt vt Princeps remunerare cunctetur, c.15.n.356.p.116

11. *Sint lumbi veſtri præcincti, &c.*
Ignatius mirum adeò caſtitatis donum à ſanctiſſima Virgine accepit, vt iam carnis nullos pateretur adſultus: Ipſe tamen dura inedia aſperrimis ciliciis, cruentis verberibus ſe

Digitized by Google

ſe præcingebat. Nam prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela contra inopinata diſcrimina, cap. 15. numero 380. pag. 125

12. *Et lucerna ardentes, &c.*
Ardebat Ignatius tanto diuini honoris zelo, vt gelidis aquis hyeme ſe committeret, vt iuuenem impuro amore æſtuantem à propoſito arceret. Sæpè mortis ſe expoſuit periculo, ſæpèque euaſit miraculo. Vt noueris, eo ipſo quo vitia deſtruimus, nobis vitam comparare, & famam ſtabilire, c.15.n.405.p.133

13. *Expectantibus Dominum, &c.*
Seruus haberi voluit, imò non ſolùm voluit ſeruus haberi, ſed contemptu, irriſioneque denigrari: Nam cùm iter ageret cum ſociis puerulus quidam illum irridebat, & Ignatius ſubſtituit puer eo non priuaretur gaudio, nec ipſe duro tormento, quando ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi, c.16.n.64.p.154

14. *Sint lumbi veſtri præcincti, &c.*
Iubet ſæculi diuitias proculcare, & honores deſpicere, vt veram libertatem conſequantur. Nam qui veram conſequi libertatem anhelat, opus eſt, vt à ſe omnem ſæculi vanitatem proiiciat, c.16.n.94.p.164

15. *Sint lumbi veſtri præcincti, &c.*
Ad itinera vult expeditos, & cingulo expromptos. Profectò Ignatius patriam reliquit, ſed quod potiùs eſt, ſe etiam reliquit in alium laudabili metamorphoſi mutatus Parùm intereſt loca mutare, ſi te ſemper tecum contingat deferre. cap.16.n.106. p.168

16. *Expectantibus Dominum ſuum &c.*
Dominum expectabat Ignatius, illumque ardenter adeò diligebat, vt aſſereret inferni flammas non adeò illi dolorem afferre, ac blaſphemias in Deum audire. Nam eximiè iuſtis nil adeò graue, vt diuinam intueri offenſam, & auribus percipere iniuriam, c.16.n.244.p.211.

17 *Vos ſimiles hominibus &c.*
Humilitatem vult colere, vt honorem ſibi adaugeant; eſt namque humilitas ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, cap.17. num. 194. p. 290

18. *Expectantibus Dominum ſuum, &c*
Expectauit Ignatius, cui omnis labor pro Chriſto dulceſcebat. Nobis exiguus pro Domino labor videtur magnus, & magnus pro caducis ſæculi rebus exiſtimatur exiguus, c.18.n.38.p.322

In feſto Aſſumptionis Beatæ Mariæ.

Lucæ 10.

1. *Intrauit Ieſus, &c.*
Felix domus, quæ hoſpitem Chriſtum recepit: Hoſpitalitatis namque merces fuit Lazaro vitam refundere, & Martham cœleſti doctrina illuſtrare. Profectò hoſpitalitas hominem auertit à ruina, & ab eius domo impetrat depelli peccata, c. 18. n.53. p.326

2. *Turbaris, &c.*
Dum Mariam ſecum habet, Marthæ turbationem reprehendit, & ob Mariam reprehendendo oſtendit beneuolentiam. Deus namque oſtendit beneuolentiam, dum nobis exprobrat culpam, c.15.n.18.p.7

3. *Et mulier quædam, &c.*
Ratio Deum excipere ſuadebat. Ergo Martha paruit rationi, & beneficiis obſtricta honeſta exhibuit obſequia; quod laudandum ſatis fuit: quandoquidem obſequia non tam à gratitudine, rationéue pendi videas, quàm à cupiditate, vtilitateque exhiberi cognoſcas, c.15.n.23.p.9

4. *Quæ etiam ſedens, &c.*
Quieſcebat placidiſſimè Maria cæteris creaturis Deo proximior, & cæteris honoratior. Quieſcere non poſſunt, qui Deo non accedunt; appetitus namque legem ſequutus circumvoluitur variis ſemper vorticibus agitatus, cap. 15. numero 27. pag. 11

5. *Non eſt tibi curæ, &c.*
Obturbata ſororem Martha accuſabat; tacuit tamen reprehenſa: Vt noueris grauius eſſe errata defendere, quàm committere, c.15. n.109. p.35

6. *Non eſt tibi curæ, &c.*
Suſpicabatur Martha Mariam otio ſtudere, & Chriſtum anxias eius curas non cogitare. Ergo querula prorupit: Suſpicio namque, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, cap.15.n.113. pag. 36

7. *Vnum eſt neceſſarium &c.*
Exiſtimabat Martha neceſſaria plura, cùm vnum eſſet tantummodo neceſſarium, huiuſque erroris plures diſcipulos habet; nam quò liberius appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur, c.15. n.280. p.90

8. *Quòd ſoror mea, &c.*
Non ſatagebat Martha propria ſolicitudine honeſtum Mariæ otium fouere, ſed à ſorore ſibi ſubſidium diſcupiebat miniſtrari; non attendebat ſorori, ſed ſororem amabat ſibi. Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor, videtur illis conſulere, ſed ſibi reuera probatur attendere, cap. 15. n.308. p.100

9. *Audiebat verbum illius, &c.*
Maria cogitabat futura, Martha præſentia. Ergo ſapientior inuenitur Maria; Eſt namque ſapientis non ſolùm attendere præſentia, ſed præcauere futura, cap. 15. n.336. p.109

10. *Relinquit me ſolam, &c.*
Non reliquit Maria ſolam Martham, imò cùm ad Deum aſſumitur, nobis opportuniſſima ſubſidia impetrat, & calamitatis remedia exorat: Verùm dum queritur Mariam otio frui, ſeque laboribus, & ſolicitudinibus diuexari, videas, quòd in

in communitatibus aliquando accidit, miris coloribus adumbraſſe Hoſpitis accepti honor in vtramque ſororem refundebatur, & Martha miniſtrabat ſola: plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, & honoris, aut vtilitatis participes, c. 15. n. 339. p. 111

11. *Quæ etiam ſedens, &c.*
Quæ Chriſtum Maria recepit, Deo proximior cæteris inuenitur: pendit Mariæ Dominus honeſta gratitudinis tributa, & eximiori præ cæteris ornauit gloria; filioſque edocuit erga Matres gratos ſe oſtendere. Profectò ſibi inuidet, qui benefico honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c. 15. n. 367. p. 121

12. *Sedens ſecus ſedes Domini, &c.*
Sanctiſſima Virgo Maria vni adhæſit Deo, rebus omnibus renuntians, & cœleſti otio ſtudioſè vacans. Ergo hodiè non ſolùm eximiam aſſequuta refertur gloriam, ſed victoriam etiam de morte refertur aſſequuta: Dum ſedet ad Chriſti veſtigia, edocet expeditum rebus omnibus cum morte congredi, qui victoriam de morte cupit adipiſci. c. 16. n. 290 p. 226

13. *Suſcepit illum in domum ſuam, &c.*
Martha in domum ſuſcepit Chriſtum, & differtam menſam parabat, nec calamitoſa tempora ne reciperet opponebat. Contrarium videas accidere; ad euanidos ſumptus exundat pecunia, ad ſumptus honeſtos premit inopia, cap. 17. numero 9. p. 236

14. *Quæ etiam ſedens ſecus pedes, &c.*
Mariæ profundiſſima refertur humilitas, vt dum audis cæteris demiſſiorem, cæteris etiam non dubites eminentiorem in cœlo, & præ omnibus Angelis ſublimiorem in imperio. Eſt namque humilitas ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, cap. 17. num. 194. Pag 290

15. *Maria optimam partem, &c.*
Maria dum optimam partem elegiſſe refertur, proximior Deo præ creaturis cæteris proditur. Impenſiorem Chriſtus erga Mariam manifeſtauit affectum, & celſiorem cæteris euexit ad thronum: eximiis namque inter reliquos dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur elogia, cap. 17. numero 217. pag. 299

16. *Excepit illum, &c.*
Excepit Chriſtum, & accepit Lazari reſurrectionis miraculum; nam iuſtis, pauperibuſque benefacere, eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere, cap. 17. num. 234. p. 302.

17. *Quæ etiam ſedens, &c.*
Proximior Deo lucet Maria; & cùm ad cœleſtem gloriam aſſumitur, Marthæ ſolicitudines temperat, & ſedens labores ſubleuat. Maria non ſibi ſoli reſplenduit, ſed luna ſemper pleniſſima mortalibus etiam profuit. Hinc diſces tibi ſoli non reſplendere, ſed ſi poſſis, cæteris ſubuenire, c. 18. n. 61. p. 319

18. *Non eſt tibi curæ, &c.*
Et quæ vtilior Marthæ cura, quam Mariæ nobilitari præſentia, illuſtrarique gloria. Quandoquidem de Mariæ fauore, præſentiaque hominum temperatur calamitas, imò & hominibus arridet felicitas, cap. 20. num. 163. pag. 530

In feſto ſancti Bartholomæi Apoſtoli.

Luc. 6.

1. *Exiit Ieſus in montem, &c.*
Vbi Chriſtus Dominus bellum per Apoſtolos Dæmonibus inferre decreuit, vt nos ſuis actionibus informaret, ad orationem recurrit, docuitque bellum à precationibus incipiendum, & placato numine fore adornandum, cap. 20. num. 20 p. 485

2. *Elegit Bartholomæum, &c.*
Bartholomæum elegit, vt dæmonem ligaret, vt vitia depelleret, vt homines erudiret. Paruit Bartholomæus, & egregiis factis munus adimpleuit, ſed pro Mercede excoriationem tulit. O quàm eſt opus contrà duros muniri aſſultus, ſi alienos corrigere moliaris defectus, c. 20. n. 93. p. 507

3. *Bartholomæum, &c.*
Bartholomæum elegit mirum pudicitiæ propugnatorem, patronumque; aduerſarios plures tulit pudicitia, ſed Bartholomæi ope vicit armata. Mirum eſt pudicitiam auxiliatorem ſortiri, frequens aduerſarios pati, cap. 20. numero 24. pagina 487

4. *Bartholomæum, &c.*
Bartholomæum delegit, qui Dæmonem vinculis illigaret: Videbant idololatræ Apoſtoli doctrina eruditi graue ſe perpetrare peccatum, & imminere ſibi periculum, & tamen deſpiciebant periculum, ne relinquerent peccatum. Ergo à contrario Apoſtolus non ignorabat imminere ſibi periculum, generoſè tamen deſpexit, & virtutem honorauit. Profectò peccator deuorat periculum, ne reliquerit erratum, cap. 20. numero 31. p. 489

5. *Bartholomæum, &c.*
Elegit ad inferendum peccatis bellum Bartholomæum omni ſanctitate exculptum; neque enim libera fronte in vitia armatur innectus, niſi qui ab illis non ſordeſcit inquinatus, cap. 19. num. 200. p. 451

6. *Bartholomæum, &c.*
Contentus non eſt ſacer Apoſtolus proprio caſtitatis candore micare, ſed alienæ etiam caſtitatis tutela voluit ſplendere; neque enim fas erat minus andere virtutem, quàm prauitatem. Profectò peccandi eo proceſſit deſiderium, vt

ſatis

Digitized by Google

ſatis iam non ſit propria inquinari culpa, ſed alienæ etiam tutela, cap. 10. num. 89. p. 506

7. *Bartholomæum &c.*
Plurimum intererat egregios duces, miniſtroſque ad inferenda vitiis, ac dæmoniis bella deſcribere ac deſignare. Ergo prolixæ orationi ſtuduit, vt mores noſtros informaret, doceretque Reipublicæ miniſtros, ac duces non ſine magno conſilio deſignandos, ſed conſulto Domino deligendos, c. 20. n. 109. p. 512

8. *Bartholomæum &c.*
Bartholomæus ad faſtigium dignitatis euectùs nulli pepercit labori dignitatem nobilitans, & exornans plures inuenies, qui exambiant faſtigium inſcendere; recuſant tamen vigilias, ac labores ſubire, c. 20. n. 118 p. 515

9. *Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus pelle exutus occubuit, & hoſtis caſtitatis pœnas ei infligendo triumphauit; verùm Bartholomæus æternis emicat laudibus, & Rex duris diſcruciatur doloribus: Eſt enim felicius in virtutis obſequium ruere, quàm ad criminis patrocinium triumphare, cap. 20. n. 140. pag. 523

10. *Et Bartholomæum, &c.*
Bartholomæo excoriationem, mortemque minitatur impius, niſi ora compreſſerit, & caſtitatem non perſuaſerit; Bartholomæus tamen ab inceptis non deſtitit, & triumphos ſibi dum perſeuerat aſciuit. Nam qui ob infortunia ab honeſtè inceptis pedem non retulit, triumphos ſibi perſeuerando acquiſiuit, cap. 20. num. 131. pag. 520

11. *Et Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus humilitatis, & ieiunij armis protectus contra vitia in campum prodiit, & vicit Dæmones: Humilitas namque, & ieiunij auſteritas ſæpè de hoſtibus reportauere victorias, cap. 20. n. 157. p. 528

12. *Et Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus virtutem vindicauit, duros labores pro animarum ſalute tulit, volaticam gloriam deſpexit. Contrarium frequentiùs aſpicias: pro volatica, caducaque vita, aut gloria patienter amplectuntur homines dura, pro ſalute ſpirituali detrectauerunt vel leuia, cap 20. num. 218. pag. 550

13. *Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus nomen miris facinoribus illuſtrauit, illigauit Dæmonem, tutatus eſt caſtitatem: vt diſcas, ſi deſideras glorioſa nomina, depræliari intrepidè contra vitia; nam qui depræliari refugit contra vitia, obſcurat nobilitatis ſtemmata, & auita obliterat nomina, cap. 21. num. 73. p. 585

14. *Et Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus à Chriſto pro animarum ſalute delegatus ignotas adiuit terras, & innumeras tulit anguſtias; ſuo exemplo edocens proximorum ſaluti adſcriptos nullum laborem excuſare, ſed ſitienter arripere, c. 21. n. 148. p. 613

14. *Bartholomæum, &c.*
Bartholomæus docuit Regis filiam virginitatem colere, & connubia detrectare, quia non ignorabat mundialia connubia lætitiam promittere, ſed luctum non ſemel parere, c. 21. n. 187. p. 619

16. *Bartholomæum, &c.*
Nomen ſortitus eſt, qui eius virtutem proderet; nomen tamen factis impleuit, cùm de more plus homines curent deprædicari ſumptuoſis nominum elogiis, quàm implere honeſtis factis, cap. 18. n. 226. p. 378

17. *Et erat pernoctans, &c.*
Quos ad dignitatem Apoſtolatus euexit, optimos miniſtros ſortitus eſt: Orauit non ſibi, ſed nobis, & electionis modum præſcripſit. Certè qui contra ius, faſque ad dignitatem euexit, non ſemel euectum ſibi peſtem infenſiſſimam tulit, cap. 18. n. 180. p. 364

18. *Bartholomæum, &c.*
Quàm fuit Dæmoni calamitoſa hæc electio, quandoquidem compulſus eſt iuſto ſilentio ora premere, & ardentibus vinculis illigari. Grauiſſimo diſcrimini Apoſtolus noſter ſubuenit, dum, ne oracula ederet, Dæmonem impediuit. Affectat namque Dæmon proferre oracula, vt nocentiſſima inſerere valeat commenta, cap. 18. n. 103. p. 340

In feſto ſancti Auguſtini.

Matth. 5.

1. *Vos eſtis ſal terræ, &c.*
Auguſtinus, dum virtutem ſequitur, ciuitas conſiſtit firma, anteà diſcruciabatur variis difficultatibus impeditus, & variis affectibus agitatus. Nunquam quieſcit appetitus legem ſequutus, ſed circumvoluitur variis ſemper vorticibus agitatus, c. 15. n 27. p. 11

2. *Neque accendunt lucernam, &c.*
Hanc lucernam totis viribus Diabolus nitebatur extinguere, & voluptatis conſuetudo illigare; eximium tamen triumphum tulit de conſuetudine gratia, cùm frequenter ſi ratio, conſuetudoque decertent, conſuetudo infeliciter vincat, & virtus, ratioque deuicta iaceat, cap. 15. numero 32. pag. 12

3. *Vos eſtis ſal terræ, &c.*
In ſalem gratia conuertit Auguſtinum, qui anteà carnis gerebat negotium, non attendebat honori, vt pareret voluptati profectò præceps, & exoculata libido per honoris, famæque contemptum inuolat ad voluptatis illicium, cap. 15. num. 37. pag. 13

4. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Lux fuit, carnis deliciis renuncians, pudicitiæque leges obſeruans: Non erat

lux dum carnis gerebat negotium , imò ingens luci , ac prudentiæ opponebat impedimentum , cap. 15. numero 104. pagina 33.

5. *Vos eſtis lux mundi , &c.*
Antequam ad veritatem tranſiret Auguſtinus , erat viuaciſſimo ingenio præditus , ſed ingenium erat eius martyrium , dum ex alia parte cognoſcebat veritatem , & ex alia amabat errorem. Profectò peccator cogitur inextricabiles ſuſtinere miſerias , parique anguſtias , cap. 15. n. 1, 8. p. 44

6. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Eximiis Auguſtinus fulgoribus ſcientiæ , & virtutis irradiauit, & quia tempus profuderat paſſionibus impeditus , inſtaurauit eximiè feruidus , cap. 15. num. 328. p. 107

7. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Contra lucem pro tenebris militarat Auguſtinus. Ergo contra tenebras militauit pro luce , induitque concionator pro erroribus effugandis , quam induerat ſolertiam pro virtutibus deterendis , cap. 15. n. 225. p. 72

8. *Vos eſtis lux mundi &c.*
Quis crederet Auguſtinum voluptatis catenis , & erroris compedibus illigatum poſſe in lucem candidiſſimam tranſire , & Eccleſiam omnem illuſtrare : Voluit tamen Deus in Auguſtino oſtendere nulla vincula adeò eſſe cæca , vt gratiæ ope nequeant diſſolui , imò & faciliter rumpi , c. 15. n. 313 p. 101

9. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Auguſtinus lux mundi efficitur , & cœleſti voce animatur : Sic iacebat illigatus deliciarum vinculis , vt vigorem ad reſurgendum non haberet. Peccatum namque vigorem expectorat , & ne peccator opportunam ſalutis rapiat occaſionem , quodammodo illigat, c. 15. n. 360. p. 118

10. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Auguſtinus mundi lux, eximia ab initio ſuæ conuerſionis caſtitatis laude reſplenduit ; non tamen permittebat fœminas domui ſuæ accedere ; nam prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela contra inopinata diſcrimina , c. 15. n. 380. p. 90

11. *Vos eſtis lux mundi. &c*
Auguſtinus clariſſima ſapientiæ lux errores abegit , & contra Manichæos ſtrenuiſſimè militauit ; ſed olim acceptam à numine ſcientiam in ſui , & numinis conuertebat iniuriam , cap. 16. numero 147. pag 180

12. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Auguſtinus eximiis excellebat dotibus , & ni conuerſus ſequeretur veritatem , durum præ aliis ſuſtineret etiam dolorem. Nam qui eximiis excelluit dotibus , duris etiam excedet , ſi degenerarit , cruciatibus , c. 16. n. 129. p. 206

13. *Vos eſtis ſal terræ. &c*
Lucis ſplendorem ſalis humilitate muniuit , vt humilitas , dum arcet elationem , augeat dignitatem Profectò Auguſtinus, vt ſapientia , ſic humilitate reſplenduit , docuitque ſuo exemplo humilitatem eſſe artem ſplendores adaugendi , & gratiam ſibi beneuolam conciliandi , c. 17. n. 194. p. 290

14. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Quos in Sacerdotes , & mundi Magiſtros eligebat , ſapientiæ luce voluit reſplendere, ne munus videantur obſcurare. In ſacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligendus, nec ſine ſapientiæ luminibus initiandus, c 17. n. 20. p. 239

15. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Vt lux depellit tenebras , vt affert ægris ſolatium , & oſtendit oculis offendiculum ; ſic ſacerdos ſapientia micans , preceſque , & hoſtias afferens , eſt temporalis vtilitatis fœcunda vena , & ſalutis etiam cuſtodia , c. 17. n. 149. p. 306

16. *Non poteſt ciuitas abſcondi, &c.*
Supra montium cacumina ſitam teſtatur hanc ciuitatem , vt ſibi caueat , & multimodis aduerſariorum adſultibus oppugnandam intelligat : gaudet namque Diabolus excellentiores ſibi vendicare , & à numinis cultu eripere, c. 17. n. 266. p. 311

17. *Vos eſtis lux mundi &c.*
Lux non ſibi ſolùm ſplendet , ſed omnibus lucet. Ergo Auguſtinus fulgentiſſima lux omnibus profuit ; docuitque parum eſſe ſi tibi ſoli reſplendeas , nec adnitaris plurimis ſubuenire , tenebraſque depellere , cap. 18. n. 61. p. 329

18. *Vos eſtis lux mundi &c.*
Lux cœlo habitat , & indè radios ad hominum ſalutem delegat. Ergo Chriſti diſcipulus lucis imitetur ingenium , vt quę viam laicorum poſſit dirigere , cœleſtibus ſtuduerit vacare, c. 18. n. 78. p. 334

In Natiuitate B. Virginis Mariæ.

Matth. 1.

1. *Liber generationis Ieſu Chriſti, &c.*
Maria illuſtriſſima proſapia genita , & ad Chriſti Domini Matrem proditur nata , quę à mundi exordio ad conterendum inimicum promiſſa, non poterat eximiis dotibus non oriri exornata. Nam qui ad delendum inimicum exortus , ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus , cap. 15. n. 365. p. 119

2. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Mater Ieſus proditur recens nata puella ; vt noueris plurimis dotibus à filio fuiſſe exornatam ; ſibi namque quodammodo filius inuideret , ſi matrem miris prærogatiuis non exornaret. Profectò ſibi inuidet , qui beneficio honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c 15. n. 367. p. 121

3. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Filium peperit culpæ venenum , & hominum ſalutis ſubſidium. Ergo vel in ipſo ortu gloriam ſibi comparat , & ab incunabulis

Digitized by Google

bulis Maria ſplendidiſſima micat. Profectò eo ipſo quo vitia deſtruimus, nobis gloriam, & ſalutem comparamus, cap. 15. n.405. p.133

4. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Maria naſcitur, vt ſalutem omnibus afferat; ſi vna Eua intulit vniuerſis miſeriam; fas erat vt vnica Virgo naſceretur ad Dæmonis vires euertendas, quando fraudulenta Eua pro multis hoſtibus valuit ad virtutes euertendas, & calamitates homini conciliandas. c.16.n.119.p.203

5. *Filij Dauid, &c.*
Dauid diuini honoris zelotipus proditur Mariæ pater; vt noueris filiam cœleſti zelo iam inardeſcere, & manus contra gigantem armare. Nam filij quodammodò ſugunt à parentibus aut peruerſos mores, aut eximias etiam virtutes, cap.17.n.31. p.241

6. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
A Natiuitatis exordio Dei Mater deprædicatur, & tenerrimi amoris vinculis illigata refertur. Plus Maria adhæſit vel ab exordio Chriſto, quàm nos peccato: Et quidem nos vitiis tenaciſſimè agglutinamur, à virtute verò facillimè diſiungimur, c.17.n.27.p.241

7. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Singulari priuilegio ab incunabulis lucet exornata, quia etiam præ cæteris creaturis numini refertur deuota. Prouida namque ſingularitate debet gaudere, quod Domino conſtiterit dedicare, cap. 17. n.39. p. 245

8. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Cùm Maria mundi ſalus exorta eſt, neque enim filius poteſt eius vota non fouere, & deſideria in noſtram vtilitatem perficere; & quomodo optimus filius parentis laudanda non foueret vota, quando filij operas ſuas conferunt, vt parentum improba perfecerint deſideria, cap 17.n.41. p. 246

9. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Oportebat ſanctiſſimam naſci puellam, cui ineſſet ſacer fomes hominibus auxiliandi; & contra Dæmonis inſidias honeſtus pruritus ſuas operas afferendi; quandoquidem vel ab exordio ineſt pluribus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi, c.17.n.83.p.257

10. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Chriſtus à Maria accepit vitam, & regalem etiam maiorum dignitatem. Ergo huic puellæ nihil negauit; quandoquidem qui alterius ope ad dignitatem euectus, ad eius etiam arbitrium obſequitur conformatus, c.17.n.88.p.259

11. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Maria Virginitatis candore Matris ſibi dignitatem acquiſiuit, & ingenti, ſi fas eſt dicere, cenſu meritorum emit. Apud ſæculum ſitiunt homines refulgere, ſed emunt aliquando criminibus emicare, c.17. n. 51. p.277

12. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Humillima Virgo dignitatem Matris ſibi acquiſiuit, & Dei erga nos beneuolentiam conciliauit. Humilitas namque eſt ars dignitatem adaugendi; & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, cap.17.n.194. pag. 290

13. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
O quàm glorioſum fuit naturæ humanæ Mariam naſci ab exordio Deo dicatam, & omni virtute exculptam! O quàm fuit ſingulare ad omnem ſanctitatem naſci eruditam! Homines namque ad virtutem naſcuntur ineruditi, cùm ab incunabulis vitia videantur edocti, cap. 17. n. 210.p.294

14. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Dum Maria naſcitur, Dei Mater refertur, ne ſibi anteà videatur viuere, quàm hominibus cunctis prodeſſe. Ergo diſce ſoli tibi non ſplendere, ſed plurimis ſubuenire, c.18.n.61.p.329

15. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Mater Ieſus deprædicatur, & regio ſanguine exorta refertur: Præclarum genus non obſcurauit factis, ſed illuſtrauit elogiis. Diſce à clara origine non degenerare, ſed virtutibus claritatem adaugere. Profectò ingens generi dedecus eſt, ſi filius ab honeſtis maiorum moribus degenerarit, & ad contraria caſtra tranſierit, c.18.n.250.p.385

16. *De qua natus, &c.*
Modò naſcitur, & Mater refertur, & à communi hominum ſtilo honeſtè ſeiungitur; Homines namque exiguo tempore ad prauitatis perueniunt apicem, ſed tardiſſimè ad virtutis profectionem, c. 19. n.29. p.402

17. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Non dubites Ioachimum, Annamque ſanctiſſimas coniuges filiam ad omnem perfectionem erudiiſſe, & ſanctitatem efformaſſe. Ergo de Maria Chriſtus naſcitur omnium ſalus, & vita. Profectò Maria nata eſt omni prærogatiua exornata; parentes tamen diligenter muneri ſuo ſatisfacientes docuerunt populo afferre ſalutem diligentem puerorum inſtitutionem, cap. 19. numero 181. pagina 448

18. *De qua natus eſt Ieſus, &c.*
Nata ſanctiſſima Virgo hominum ſpes alit, & timores ſopit: Quandoquidèm ad miſericordiam Deus procliuis oſtenditur, iracundiæ impedimentum, Mariam ſcilicet, fabricans, & auxiliatricem hominum formans. Nam vbi ſeueram decreuit vindictam ſumere, aufert quidquid poterat retardare, cap. 19. numerò 278. pag. 476

In feſto ſancti Matthæi Apoſtoli, & Euangeliſtæ.

Matth. 9.

1. *Sequere me, &c.*
A Chriſto diſtabat Matthæus cupiditatis vinculis illigatus; Chriſtus tamen oculos in eum direxit, & miſericorditer traxit: Amor namque obliuiſcitur facilè offenſam, imò offendentis ſolicitat gratiam, c.15.n.53.p.18

2. *Sedentem, &c.*
In telonio ſedebat lucri ſpebus ineſcatus; verum illud non erat quieſcere, ſed cupiditatis æſtubus agitari. Pro comperto habere vitium falſis prolectare ſpebus, & veris diſcruciare doloribus, cap.15.n.145. pag. 46

3. *Sedentem, &c.*
Matthæus totus erat oculus, non vt Chriſtum videret, ſed vt cupiditati, lucroque inſeruiret; illum vidit Chriſtus, ipſe Chriſtum priùs non vidit: Semper namque ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius, cap.15. num.205 p. 65

4. *Sequutus eſt eum, &c.*
Se ipſum dereliquit, non ſolùm loca mutauit; vt noueris parum intereſſe loca mutare, ſi te tecum ſemper contingat deferre, c.16.n.106.p.168

5. *Sedentem in telonio, &c.*
Animæ deſpiciebat periculum, ad diuitiarum inhiabat augmentum. Publicanus amplectebatur pericula, ne amitteret vectigalia. Profectò præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias, cap.15.numero 241. pag. 77

6. *Surgens ſequutus eſt eum, &c.*
Non ſolùm ſequutus eſt eum, ſed ſecum quam plurimos traxit Euangelij ſcriptor, & prædicator. Vitam profudit, & plurimas orbis plagas exultans luce illiuſtrauit: Exultat namque charitas, ſi proprio labore alienæ obuiarit calamitati, cap.15. n.303.p.98

7. *Sequere me, &c.*
Sequutus eſt Chriſtum Virginitatis iam Doctor, & propugnator, qui captionum vinculis anteà ſedebat oppreſſus. Profectò nulla vincula ſunt adeò cæca, vt diuino fauore diſſolui nequeant, & rumpi, c.15.n.313 p.101

8. *Sequutus eſt eum, &c.*
Sequutus eſt Chriſtum Matthæus, & quia tempus triuerat inſidens telonio, collegit ſcripto cunctis hominibus Euangelio. Vt noueris tempus poſſe colligi, & eximiis operibus inſtaurari, cap.15.n.328. p.107

9. *Sedentem, &c.*
Oculos leuare nequibat, ſurgere non poterat culpis oppreſſus, & cupiditate illigatus: Nam peccatum vigorem expectorat, & ne ſalutis occaſionem rapiat, peccatorem quodammodo illigat, cap. 15. n.360. p.118

10. *Sedentem, &c.*
Diues erat Matthæus, ſed diuitiarum copia ardentem diuitiarum ſitim pariebat, & hydropem flauellabat: de ipſa copia, felicitateque ſitis ardentior gignitur, & anxietas viuidior naſcitur, cap. 15. n.388. p. 128

11. *Surgens ſequutus eſt eum, &c.*
Dum ſtatim ſurgit, ad Apoſtolatus, & Euangeliſtæ culmen peruenit; fortè, ni ſtatim ſurgeret, nullatenus perueniret; nam dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, cap.16 num.73. pag. 157

12. *Sedentem, &c.*
Placidè ſedebat, & quamuis multis animæ periculis cinctus degebat ſtultè ſecurus, vt quiret munitionibus vallatus, c.16. n.85. p.162

13. *Sequutus eſt eum, &c.*
Omnia reliquit, vt ſequeretur Chriſtum, & ad veram perueniret libertatem. Eſt namque opus ſæculi diuitias, & honores contemnere, ſi veram libertatem volueris conſequi, cap. 16. numero 94. pag. 164

14. *Sequere me, &c.*
Scribendi peritia Matthæus fulgebat: Ergo illum Chriſtus vocauit, vt Euangelium ſcriberet, ſuoque facto politiam inſtruxit, docuitque quod magni intereſt, inexperto non committendum, ſed experto commendandum, cap.16.n.194. p. 195

15. *Multi Publicani, & peccatores, &c.*
Lautum Matthæus Chriſto conuiuium inſtruxit, & miraculi ad inſtar fuit ad Chriſtum paſcendum inopia non premi, etſi ad euanida conuiuia pecuniis notum eſſet exundare. Nunquam deeſt vanitati pecunia, ad exercendas virtutes ferè ſemper premit inopia, cap. 17. num. 9. pag. 236

16. *Sequutus eſt eum, &c.*
Mira res. Ægrè non tulit lucri occaſionem amittere, & à cupiditate inhiberi; cùm ægrè ferant homines à crimine vel tantiſper retardari, & tolerantiùs à virtutum vſu inhiberi, c.17.n.15.p.237

17. *Diſcumbebant cum Ieſu, &c.*
Lubens in Chriſti, ac Diſcipulorum eius obſequium expendit aurum, & ingens putauit lucrum. Nos miſeri exiſtimamus lucrum quidquid voluptati impenſum, & diſpendium quidquid in virtutis, & honeſtatis vſus diſtributum, c.17.n.22. p.240

18. *Sequutus eſt eum, &c.*
Ea facilitate reliquit criminis, aurique adaugendi occaſionem, qua nos relinquimus ſæpè virtutem. Inuenies, ſi perpendas, ferè omnes vitiis tenaciſſimè agglutinari, & à virtute facillimè reſilire, c.17. n.27. p.241

15. *Quare cum Publicanis, &c.*
Miſericordiam obmurmurabant, & Chriſti Domini benignitatem carpebant. Armabantur

Digitized by Google

Armabantur contra virtutem, qui anteà non oppugnauerant Matthæi deteſtandam cupiditatem. Neſcio quis pruritus hominibus inſit refragandi virtutibus, & ſuffragandi criminibus, c.17.n.83.p.257

10. *In telonio, &c.*
Telonio addictus inuigilabat, & laborem credebat quietem. Certe grauius labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro pro æternis magnus, cap. 18. numer. 38. pag.322

In Feſto S. Michaelis Archangeli.

Math. 18.

1. *QVis maior eſt, &c.*
Vbi Apoſtolos pulſauit ambitio, iam controuerſiæ exoriuntur, & lites exagitantur: in cœlo etiam vbi Lucifer ambitione pulſatus, ad terram Michaëlis humilitate refertur deiectus. Michaer placida quiete fruitur virtutem ſequutus, Lucifer non quieſcit, quia ambitioſus, ſed circumuoluitur variis curis agitatus, c.15.n.27.p.11

2. *Quis maior eſt, &c.*
Solertiſſimi erant ad ambitionem, cùm adeò inoculati non eſſent ad virtutem. Chriſtus paruulum, ſeipſum ſcilicet, vt Patres autumant in Caten. D. Thom. in medium protulit, & de ambitione triumphauit; & qui ſe oppoſuit ambitioni in mundo, Michaelem oppoſuit in cœlo. Profectò ſemper ad temporalia ingenium pollet viuacius, cùm ad virtutem caliget hebetius, cap.15.num.105, pag.65

3. *Statuit paruulum, &c.*
Vbi exorta eſt ambitioſa quæſtio, ſe ipſum ſtatuit humilitatis normam, vt in cœlo etiam ſerpentinæ ambitioni oppoſuit ſtatim Michaëlem; docuitque noxia ipſis in incunabulis reſecanda, ne grauius diſcrimen afferant, ſi longo tempore adulta, cap. 15. n.101. p.64

4. *Angeli eorum, &c.*
Michaël pro ſalute hominum inuigilauit, & ſerpentem è cœlo eiecit. Serpens valdè decertabat pro ſideribus obſcurandis, ſed pugnauit ſtrennè Michaël pro ſerpentinis erroribus deterendis, Deique miniſtros edocuit pro extirpandis vitiis non minori vti ſolertia, quàm peruerſitas pro virtutibus deterendis vtatur aſtutia, c.15.n.225.p.72

5. *Non intrabitis, &c.*
Vt ambitionis peſtem oſtenderet, cœli aditum impedire docuit: Michaël etiam ſerpentem ambitioſum de cœlo eiecit, vt in ſupplicio ambitionis appareat deformitas, & peruerſitas. Quandoquidem culpæ qualitas ex iuſto ſupplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur, c 15 n.236.p.76

6. *Angeli eorum, &c.*
Angeli inuigilant, & propriis, ſi fas eſt dicere, laboribus obuiant mortalium calamitatibus; charitas namque exultat, ſi alienæ obuiarit calamitati proprio labore, cap.15. num.303. p.98

8. *Angeli eorum, &c.*
Qui Dei faciem vident, nobis aſſiſtunt, vt vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophæa. Ergo ſummas Deo grates debemus, per cuius Angelos & liberamur, & vincimus, cap.15. num.324. pag. 105

8. *Niſi conuerſi fueritis, &c.*
Apoſtoli operabantur miracula, vincebant Dæmones. Ergo tantiſper inflabantur. Dominus verò ſe ipſum vti paruulum in medium protulit, & tot, tantiſque prærogatiuis exornatus humilitatem oſtendit. Michaël etiam imitatus Dominum coluit humilitatem, quod eximium elogium eſt; quandoquidem proſperitate, aut prærogatiuis facilè turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi, cap.15. num.347. pag. 114

9. *Semper vident faciem Patris, &c.*
Michaël vbi ſerpentem deiecit, maiori præ aliis gloria donatus eſt; vidit faciem ſtatim ac deiecit draconem. Vt diſcant Principes incunctanter remunerare quos nouerint militiam laudabiliter peregiſſe, cap 15.numer. 356.p.116

10. *Angeli eorum, &c.*
Angeli cuſtodiæ hominum deputantur, & vt Patribus placet, à Michaële eorum Duce mittuntur; Michael namque ſpeciali prærogatiua reſplenduit ornatus, vt qui ad depellendum ſerpentem fuerat exortus, c. 15. n.363.p.119

11. *Angeli eorum,* &c.
Angelorum erga nos commendat obſequia, vt debita illis gratitudinis pendamus tributa, & dum pendimus, nobis acquiramus augmenta. Profectò ſibi inuidet, qui beneficio honeſtum gratitudinis tributum non perdit, c.15.n.367.p.121

12. *Angeli eorum,* &c.
Vide Michaël faciem, quia de cœlo detrudit draconem; ſibi acquiſiuit felicitatem, cùm ſubdolam deſtruxit vafritiem. Vt noueris vitam tibi, & ſalutem comparare eo ipſo quo vitia adlaboras deſtruere, cap.15. numer.405. p.133

13. *Angeli eorum*, &c.
Angeli nos à periculis eximunt, & noſtræ ſaluti inuigilanter incumbunt, nec magnitudinis ſuæ reputant decens, paruulis inſeruire: amori namque nihil eſt moleſtum, nihil inuenitur amarum, cap.16. numer. 55. pag.152

14. *Angeli eorum,* &c.
Inuigilat Michael ad peccatorum cuſtodiam delegans Angelos, & cum Angelus inuigilet, peccator dormit. Mira eſt peccatoris ſocordia, periculis dormit cinctus, vt munitionibus poſſet vallatus, cap.16.num.85. pag. 162

15. *Angeli eorum,* &c.
Michaël æterna Dei viſione donatur; ſerpens deiectus immortali tormento premitur, breui tempore Lucifer reſplenduit fulgidus, ſed ſordet in æternum obſcuratus. Fœdæ namque ambitionis, & breuiſſimæ voluptatis eſſe ſolent appendices importabilia onera, duraque tormenta, c.16.n.89. p.163

Digitized by Google

16. *Angeli eorum ſemper vident, &c.*
Faciem videt Michaël, quia pro virtute ſtetit, & Lucifer duriſſimas ſuſtinet flammas: Nam qui eximiis reſplendet dotibus, duris etiam, ſi degenerat, punietur cruciatibus. c.16.n.229.p 206

17. *Angeli eorum, &c.*
Angeli profectò probantur, qui puſillos defendunt, qui virtutibus patrocinantur, qui laudabili fomite ſuas operas afferunt pro virtute. Hominibus contrarium videas accidere: Neſcio quis pruritus eis inhæret ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutes ſuas operas afferendi, cap. 17. n.83.p.257

18. *Sicut paruulus iſte, &c.*
Deſiderabas quiſque præ cæteris eminere. Ergo humilitatem eos docuit vti ad dignitatem iter. Humilitas namque eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, cap. 7. num. 194. pag 290.

In feſto ſancti Hieronymi.

Matth. 5.

Euangelium expenſum eſt in feſto ſancti Auguſtini, & ob id pauca hic adiicienda.

1. *Vos eſtis ſal terræ, &c.*
Hieronymus mirandam aſſequutus eſt ſapientiam, & vt aſſequeretur, indefeſſam cum carne, ac deliciis geſſit pugnam. Nouerat namque qui carnis negotium gerit, ingens luci cœleſti opponere impedimentum, & humanæ prudentiæ obſtaculum, c.15 n.104.p 33

2. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Lux quidem erat candidiſſima Hieronymus, & tamen ſuſpicionis paſſus eſt calumniam: Nam temeritas eius ſatagebat ſplendorem innubilare, & infamare virtutem: Nec mirum, quandoquidem ſuſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua, cap.15. num.113. pag. 36

3. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Hieronymus mundum totum illuſtrauit, errorum depulit tenebras; ſacras ad omnium vſum vertit Scripturas. Profectò Hieronymus vti egregius concionator, ſcriptorque natus eſt corripiendo ſæculo, & exterminando mendacio, cap.15. n. 198. pag 62

4. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Sol nil accipit vt luceat; Sal proprio diſpendio periculum corruptionis exterminat. Ergo Hieronymus ingenti ſumptu ſcientiam acquiſiuit, quam veluti ſol cæteris communicaret. Lucem præ diuitiis æſtimauit; cùm ferè omnes præ ſe ipſis videantur diuitias æſtimare, & ſaluti ipſi præferre, c.15. n.241. p.77

5. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Lux à cognata ſibi nocte bellum patitur, & Hieronymus, vt teſtatur ipſe, à cognatis grauiſſimum tulit bellum. Ne dubites grauius aliquando homini à cognatis eſſe detrimentum, quàm ab ipſis Dæmonibus ſit periculum, cap.15 num.272. pag. 87

6. *Ciuitas ſupra montem poſita, &c.*
Oppugnabat diabolus Hieronymum variis, vrgentiſſimiſque tentationibus; ipſe verò adorationem confugiens, eas repellebat, & ciuitatis firmiſſimæ adinſtar inconcuſſus perſeuerabat. Certè ſine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius auxilio facilè reportatur victoria, cap. 15. n.396. p.130

7. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Lux varias mundi plagas illuſtrat, ſed vt tenebras depellat. Ergo Hieronymus varias peragrauit Prouincias, acquirendæ ſapientiæ cauſa, & veritatem edocendi hydrope honeſta. Plures iuuenes aliquando peregrinantur, ſed quia ſolùm curioſitatis, oblectationiſque cauſa periculis irretiuntur, c.16. n.111. p.170

8. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Lux omnia indagat, & perueſtigat. Ergo Hieronymus ſcientiarum profunda inueſtigauit, ſacræ Scripturæ abſtruſa quæſiuit, & quod pluribus ſuaſit, ſcilicet difficillima ſcrutari, deteſtanda cupiditas, laudabilis Hieronymo perſuaſit honeſtas, cap. 16. n.116. p.171

9. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Hieronymus ad Eccleſiæ lucem editus, prophanis applicabatur ſcriptis. Ergo duris eſt caſtigatus flagellis: Nam qui eximiis excelluit dotibus, duris etiam punietur, ſi degenerarit, cruciatibus, cap.16.n.129. p. 206

10. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Accepit Hieronymus à Deo acutius præ aliis ingenium, & mundo lucebat veluti ſapientiæ miraculum, vtebaturque ſcientia non ad vanitatis oblectamentum, ſed ad fidei, & veritatis ſubſidium. Inuenias plures, qui acceptam à numine ſcientiam, ad ſui, & numinis detorqueant iniuriam, c.16. n.147. p.180

11. *Vos eſtis lux mundi, &c.*
Hieronymus ſapientiæ, ſcientiæque miris luminibus ſplendebat. Ergo illi commiſſum eſt ſcripturam latinitati donare, & quod oportebat expungere. Quod magni intereſt, non eſt inerudito, inexpertoque commendandum, ſed erudito, & experto committendum, c.16.n.195.p.196

12. *Non poteſt ciuitas, &c.*
Ciuitas monte fundata durat inconcuſſa. Ergo iuſtus veritate fundatus, & Deo innixus ſtat firmus, & perſeuerat aduerſus procellam omnem fundatus: Creaturis fidens, eas expeditur fallaces, vt Hieronymo contigit, & continget omnibus. Non dubites quibus plus fidis, inuenturum te creaturas fallaciores, c.16.n.211.p.201

13. *Vos eſtis ſal terræ, &c.*
Sal proprio diſpendio proficit, & Hieronymus diuitias expendit in acquirenda ſcientia, vt omnibus proficeret. Nos contrariam vim

Digitized by Google

viam ingredimur; ad voluptatem, & euanidam gloriam exundamus pecunia, ad virtutes exercendas ferè ſemper premit inopia, c.17.n. 9.p.236

14. *Qui fecerit, & docuerit, &c.*
Hieronymus, & fecit, & docuit: ea auiditate veritatem indagabat, vt nullis ſumptibus parceret, ad libros coëmendos, & veritatis Magiſtros adeundos; ingenti auri ſumma emit ſcientiam, non vt mortales miſeri, qui ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro ingenti labore inuenire figmenta, c. 17. n.125.p.270.

In feſto Sancti Franciſci.

Math. 11.

1. *Confiteor tibi Pater, &c.*
REuelauit Chriſtus Franciſco diuitias ſpernere, mundúmque fugere; eius tamen pater largas eleemoſynas impediebat, quia diuitias imminui non tolerabat. O quoties parentes filiis occaſiones concinnauerunt ſceleris, & impedierunt ſalutis, c. 15. n. 86. pag. 28

2. *Et reuelaſti &c.*
Reuelauit Franciſco parui æſtimare aurum, & expendere ad miſerorum ſubſidium. Pauci ſunt qui diuitias ſpernant, imò plures, qui præ ſe ipſis videantur amare diuitias, & ipſi ſaluti præferre pecunias, c. 15. num. 141. pag. 77

3. *Et reuelaſti ea paruulis*, &c.
Reuelauit Franciſco inter vepres volutari, & contra voluptatis inſidias. Sanguine cruentatum prodire. Fulget quia carnem ſubegit, gloria; obſcuraretur, ni ſubigeret, ignominia. Profectò voluptas eſt fortitudinis occaſus, & gloriæ næuus, c. 16. num. 81. & 89. p 160. & 163

4. *Inuenietis requiem*, &c.
Requiem inueniet Franciſcus rebus omnibus denudatus, & expeditus, vt qui veram libertatem anhelat imitatus Franciſcum, diuitias, & honores deſpiciat, c.16. n.94.p.164

5. *Tollite iugum meum*, &c.
Iugum Chriſti tulit, & caſtitatem coluit Noluit matrimonio irretiri, vt facilius poſſet ad perfectionem volare; imò cùm nuptias ei proponeret importuna cogitatio, è gelida niue vxorem, filióſque formauit, & dum niuis algoribus diſcruciatur, indicat coniugium non ſemel afferre carnis tribulationem, & oneris grauitatem, c.16.n. 98.p.166

6. *Inuenies requiem*, &c.
Franciſcus inuenit requiem, dum vixit, & de morte, dum occubuit, triumphauit; ſtans perſeuerat; veluti triumphos de morte agens: nec mirum; cum expeditus rebus omnibus cum illa congreſſus fuerit. Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique, & cum ipſa ſola paratus ſit congredi. c.16.n. 290.p.226

7. *Et inuenietis requiem animabus veſtris, &c.*
Dum iugum texit humeros, animæ placidam acquirit requiem, vt è contra ſi humerus iugum excutiat, anima laborioſam ſuſtinet anxietatem. Hoc inter iuſtos, iniuſtoſque inuenitur diſcrimen: iuſti iugum gaudiis, & honoribus poſt mortem compenſatur; peccatoris gaudium lamentis, & ignominia perſoluitur, c.16.n. 307.p.232

8. *Et ego reficiam vos, &c.*
Pro virtute laborantes reficit, & reficere docet. Nouerint qui virtutis affeclis exhibet alimenta, fore ſe victoriæ participes, & etiam gloriæ conſortes, c.20.n. 58.p.495

9. *Quia mitis ſum, &c.*
Humilitatem edocuit, vt beneuolentiam ſibi conciliarent, & cœleſtem gratiam augerent. Humilitas namque eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi, c.17.n.194.p.290

10. *Et ego reficiam vos, &c*
Docet ſuo exemplo Chriſtus pauperes fouere, iuſtis benefacere: & quidem ingentiſſimum ſi lucrum non dubitarit acquirere, qui iuſtis, ac pauperibus geſtit benefacere, c. 17. n. 134.p.302

11. *Quia mitis ſum, &c.*
Eos docet manſuetudinem, paupertatémque ipſe manſuetus, & pauper. Didicit hanc doctrinam Franciſcus; nos verò diuitias amamus, honeſtam erubeſcimus pauperiem, ſordidam diſcupimus facultatem, c. 18. n. 70. p.331.

12. *Diſcite à me*, *&c.*
Didicit Franciſcus ab omni cupiditate abſtinere, & auaritia nulla ſordidari, vt Deo ſacratus candidiori luce reſplendeat, ſpecie nulla auaritia ſordeat, c.18.n. 83.p. 337

13. *Venite ad me*, &c.
Qui laborant, & paupertate premuntur, ad Deum inuolant diuitibus fœliciores: Nam ſi Deo non accedat opulentus, ſordebit miſerandus, & nudus, c. 18.n.188.p.366

14. *Qui laboratis*, &c.
Expende laborantes refici à Deo, ne ſi iugum ſolùm attendas, humeros ſubiicere exhorreas. Totum ſimul intuendum eſt, labor, & refectio, & in peccatoribus etiam non ſolùm eſt attendendum gaudium, ſed etiam lamentum. Profectò diſplicebit, ſi totam expectes peccatoris fortunam; iuſti placebit, ſi non ſolùm labor, ſed refectio fuerit inſpecta, cap. 18. n.211. p.376

15. *Diſcite à me.*
Optimus Chriſti diſcipulus euaſit Franciſcus, & in ipſo exordio renuntiatis omnibus inuenitur perfectus. Nos exiguo tempore ad prauitatis apicem peruenimus, tardius ad perfectionem accedimus, cap.19. num. 29. pag. 402.

16. *Diſcite à me, &c.*
Didicit Franciſcus crucem portare, & ieiunium colere, imò anguſto cibo collegit vires. Nam ad Chriſti crucem portandam anguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus, & delicioſus eneruat, cap. 19. numer.93. pag. 423

17. *Et inuenietis requiem, &c.*
Non ſolùm Franciſcus omnia proiiciens placida fruitur requie, ſed eximia fulgurat charitate, imò vt niteret charitate, deſpexit aurum, & ſine faſtu ad pauperum expendebat remedium. Sordeſcit eleemoſyna faſtu, venitateve impenſa, nitet, ſi hilaritate,

Digitized by Google

tate, & charitate coniuncta, cap.19. n.157. pag.442

18. *Et ego reficiam vos,* &c.
Felices qui Franciſcum honorant, eiuſque filios reficiunt, & Chriſti imitatores euadunt. Neſcias, an plus debeat beneficus beneficiato Franciſco, an beneficiatus benefico, c.19.n.162. p.443

In Feſto Apoſtolorum Simonis & Iudæ.

Ioann. 15.

1. *Si mundus vos odit, &c.*
Simon, Iudaſque mundi odium tolerarunt, & nihilominus erga hominum ſalutem ardentiſſimum fouebant ſtudium; delegati namque à Deo ad animarum ſalutem nullum recuſare debent laborem, cap.21.num.148. pag.613

2. *Si mundus vos odit, &c.*
Peccatores ſic amabant culpas, vt auerſarentus animitùs medicinas; in animarum Medicos armabant odia, qui diligebant delicta. Peccator namque ea ſtupiditate tenetur, vt non ignorans periculum, auerſetur remedium, c.21.n.135.p.608

3. *Si mundus vos odit, &c.*
Mundus acerrimo odio perſequutus eſt Apoſtolos; ſuſtinuerunt tamen montes pro ſpirituali ſalute: Nobis accidit contrarium; pro volatica gloria, & caduca vita patienter amplectimur dura; pro ſalute ſpirituali fugimus etiam exigua, cap. 20. n.218 p.550

4. *Vt diligatis, &c.*
Apoſtoli charitatis, & virtutis cauſam tractabant, ſed mundiales odij, ac vitiorum cauſas fouebant; nam raro iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus, cap. 20. n.210. p.547.

5. *Si mundus vos odit, &c.*
Odio perſeqnebatur mundus Apoſtolos, cùm tamen ab illis promanaret corporibus ſalus, mentibus lux, ſibi mundus inuidebat: Quandoquidem magna felicitas eſt ſortiri Sacerdotem virtutibus exculptum; eſt enim ad calamitatem ſolatium, ad anxietatem remedium, c.20.n.166.p.531

6. *Si me perſequuti ſunt, &c.*
Prædicit perſequutiones quas noſtri Apoſtoli alacriter ſubierunt. Nam eximia fortitudo non ſolùm pro virtute pugnat, ſed labores ob certamen etiam tolerat, cap.20. num.143. pag.524

7. *Et vos perſequentur, &c.*
Sic perſequuti ſunt, vt vitam abſtulerint, infeliciterque triumphauerint; feliciores tamen extiterunt noſtri Apoſtoli, cùm ſit fortunacius ruere in rationis obſequium, quàm vincere ad criminis patrocinium, cap.20. n.140. p.523

8. *Et vos perſequentur,* &c.
Suſtinuerunt noſtri Apoſtoli perſequutiones, duriſſima paſſi ſunt tormenta, & ob id immarceſſibili iam coronantur victoria. Triumphos ſibi perſeuerantia acquirit, ſi ab honeſtè inceptis pedem ob infortunia non refert, c.20 num.132. p.520

9. *Et vos perſequentur, &c.*
Perſequutiones ſuſtinuerunt, vt Apoſtolatus mererentur dignitatē. Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, ſed annexos labores nolunt ſubire, cap. 20. numer. 118. pag. 515

10. *Et vos perſequentur, &c.*
Præſcientiæ clypeo eos munit, cùm ad inferendum bellum criminibus mittit. Opus namque habet contra duros muniri adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus, cap. 20. n.93. p.507

11. *Vt diligatis inuicem, &c.*
Geminum patronum ſortitur virtus, quòd frequens eſſe non ſolet. Voluptas copioſum ſortitur contra virtutem exercitum, ſed virtus ſingularem, & aliquando, patronum, cap.19. n.177. p.447

12. *Me priorem &c.*
Ad ſuſtinenda odia adhortatur, & ad pugnandum contra delicta, quod noſtri Apoſtoli ſtrenuè peregerunt: cùm de more ſit ſæculum Miniſtros ſentiri actuoſos, virtutem ignauos. c.18.n. 62.p.389

13. *Et vos perſequentur,* &c.
Perſequutiones tulerunt Apoſtoli, ſed poſt mortem immortali gloria donantur. Peccatores perſecutiones vitant, ſed poſt mortem durè premuntur. Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari; iniquus verè, dum moritur, premi; n.18. n.217. p.375

14. *Et vos perſequentur,* &c.
Humanam potentiam, imò & ſæuitiam ſacri Apoſtoli non timuerunt, quia diuinam potentiam timere nouerant. Nos quia diuinam potentiam temerariè deſpicimus humanam ſæpè timemus, c.18.n.197 p.369

15 *Et vos perſequentur,* &c.
Perſequebantur Apoſtolos qui veritatem nolebant audire, ſed placentia ſibi ab aliis diſcupiebant proferri. Profectò qui ad placitum loquitur, ad faſtigium eligitur, veridicus odio habetur, & ſæpè mulctatur, cap. 18. n.110. pag. 342

16. *Si opera non feciſſem in eis,* &c.
Mira patrauit Chriſtus ad hominum ſalutem, & Apoſtoli, dum Magiſtri imitantur veſtigia. Bonus namque Reipublicæ Miniſter nulli parcet labori, vt prouideat omnium ſaluti, c. 18. n 57.p.328

17. *Et vos perſequentur,* &c.
Perſequutiones, & labores tolerarunt, vt proximi expungerent delicta, vt acquirerent homines virtutum augmenta, ne haberet Chriſtus Diſcipulos minus dicatos veritati, quàm ſæculum conſecratos habet errori. Certè nonnulli deuorauerunt delicta, vt alij aſſequerentur augmenta. Ergo noſtri Apoſtoli ſuperauerunt tormenta, vt vitarent alij delicta, c.18.n.106. p.341

18. *Et vos perſequentur,* &c.
Perſequutiones, verbera, carceres, & mortes noſtri Apoſtoli pertulerunt, parumque illis videbatur, quia æterna cogitabant, & proximos diligebant. Nobis grauis labor pro caducis videtur exiguus, & exiguus pro æternis magnus, c.18.n.38.p.322

In

Digitized by Google

In festo omnium Sanctorum.

Matth. 5.

1. *Beati mites. &c.*
Iracundiam arcet,& manſuetudinem docet; nam iracundia,dum immoderatè accenditur,crimini & calamitati patrocinatur,c.15. n.80.p.27
2. *Beati mundo corde &c.*
Munditiei viſio proponitur præmium; nam caſtitas oculos reluminat, luxuria cæcat Qui carnis gerit negotium, luci, & prudentiæ ingens oppoſuit impedimentum, c.15.n.104. p.31
3. *Beati qui perſequutionem, &c.*
Pati conſulit,ne patiantur,& maiora admonet redimere tormenta, minorum tolerantia. & patientia:impatientia nãque dum leuia recuſat,grauiora ſæpiſſimè tolerat,c.15.n.121.p.38
4. *Beati qui perſequutionem, &c.*
Iuſtus,& peccator labores ſæpè patiuntur;iuſtus feliciter,quia propter iuſtitiam;infeliciter peccator,quia propter fallaciã.In eas ſe conijcit peccator anguſtias, vt inextricabiles vndique cogatur ſuſtinere miſerias, c 15.n.138. pag. 44
5. *Beati qui lugent. &c.*
Iuſti in hoc ſæculo lugent, in futuro gaudebunt:Peccatores hic gaudent,ſed poſteà dolebunt Certè vitium falſis prolectat ſpebus,cùm diſcruciet veris doloribus, c.15 n.145.p.46
6. *Beati qui perſequutionem,&c.*
Dum patiuntur, cor ad Deum dirigunt, æternitatemque cogitant.Ergo beata eſt,quæ vtilem Dei memoriam affert, calamitas, & infelix, quia periculoſam parit obliuionem proſperitas, c.15.n.154.p.49
7. *Beati qui lugent,&c.*
Conſolationem accipient in futuro qui lugent & felicitatis pars eſt,non bono hic conſolatore carere,quia nonnulli conſolatores leniendo imprudenter anxietudinem, maturant calamitatem, c.15.n.159 p.50
8. *Beati pauperes, &c.*
Eximiæ virtutis probantur pauperes ſpontè contemnentes diuitias: Quandoquidem homines præ ſe ipſis videntur æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias, c.15.n.241. p. 77
9. *Beati pauperes ſpiritu, &c.*
Prudenter ſpernunt, quod velint nolint morientes amittunt.Prudens namquẽ agit ſpontaneus,quod velit nolit exequetur compulſus, c.15.n.260.p.84
10 *Beati pauperes,&c.*
Pauperes diuitias ſpernunt,ſed ſibi gloriam acquirunt,tolerant hic paupertatis tormenta,ſed tormenta vitant futura: Et quidem ſapiens non ſolùm meditatur præſentia, ſed præcauet etiam futura, c.15.n,336.p.109
11. *Beati qui lugent. &c.*
Quam adduxerat calamitatem culpa lachrymis depellunt, & pœnitentes ipſam calamitatem in proſperitatem conuertunt: Nam ſcit, quam adduxerat calamitatem culpa, depellere pœnitentia, c.15.n.343.p.112
12. *Beati qui perſequutionem, &c.*
Beati ſunt, dum calamitate vanitatis pericula redimunt, & inanis gloriæ omnem occaſionem diffugiunt Quandoquidem ſecundis rebus facilè turgeſcimus vani & gloriam nobis arrogamus ſuperbi, c.15.n.347.p.114
13. *Beati qui eſuriunt, &c.*
Fas erat,vt quantò virtutibus excultiores iuſti ſitirent viuidius iuſtitiam,vt aliquando feliciſſima ſitis adureret, & ambitus cœleſtis corda inflammaret, cùm apud ſæculum felicitas pariat felicitatis ſitim,& dignitas dignitatis enutriat famem, c.15.n,388.p.128
14. *Beati mundo corde,&c.*
Qui corde mundo beatificantur, verùm non plures inuenies;luxuria namque ſic omnia infecit, vt pudoris etiam terminos tranſiluerit, c.16.n.38.p.146
15. *Beati pauperes, &c.*
Felices ſunt pauperes ſpiritu,quia nullis vinculis detinentur,ſed vera libertate fruuntur Ergo qui veram conſequi libertatẽ anhelat,aurum, & honores corde deſpiciat, c.16.n.94.p.164
16. *Beati qui perſequutionem, &c.*
Qui patiuntur ſunt beati, ſed qui perſequuntur, miſerrimi. Sunt qui de afflictione iuſtorum comparare velint ſibi tutelam, ſubeunt tamen ob illatam afflictionem ruinam, c.16. n.2,2 p.208
17. *Beati eſtis cum maledixerint &c.*
Hic iuſti ſuſtinẽt maledictionem,ſed pro maledictione ingentem accipient mercedẽ. Peccatores fruuntur gaudiis, ſed carebunt poſteà præmiis.Ærumnæ iuſtorum poſt mortẽ honoribus compenſantur;gandia peccatorum irremediabili lamento ſoluũtur,c 16.n.307.p.232
18. *Beati miſericordes,&c.*
Qui pauperibus benefaciunt, ſibi miſericordiam acquirunt. Eſt enim ingentiſſimum lucrum, vt pauperi benefacias diſpendium, c 17.n.2,4. p.302

Pro Commemoratione omnium fidelium Defunctorum.

Ioann. 5.

1. *Mortui audient, &c.*
Felices qui ſæculo moriuntur,vt vocem audiant,& timorem omnem expellant:Infelices peccatores non curant timoris cauſas auferre,ſed ſopire, c.15.n.70 p.24
2. *In reſurrectionem iudicij, &c.*
Non aduertunt homines in futura vita ſe iudicandos;& cùm ſæcularis prudentia ad humanam affectionem inueniatur cauta,ad futuram vitam, virtutemque non ſemel probatur improuida, c.15.n.133.p.42
3. *Qui audierint; viuent, &c.*
Non ait, qui viuunt,audient, ſed audiunt,viuunt.Virtutis namque ſtudioſus viuit gaudio, vitij aſſecla reſeruatur tormento.Profectò vitium falſis allectat ſpebus, & diſcruciat veris doloribus, c.15.n.145.p.46
4. *Qui audierint, viuent,&c.*
Qui audierint,viuent, & ardentes Purgatorij flammas excuſabunt; qui non audierint qua fas eſt, promptitudine,tormenta,& ſi ad tempus grauia ſubibunt.Culpæ quantumuis leues,

dum

dum plurimæ purgandæ conueniunt, tormentum grauiſſimum afferunt, c.15 n.217.p.69

5. *Qui audierunt, viuent, &c.*

Qui negligenter audiunt, qui quas commiſerunt culpas digna non deleuerint pœnitudine. Purgatorij perſoluent cruciati igne. Profectò quæ à nobis imprudenter fota, iuſtè in nos conuertere ſolent arma, c.15.n.232.p.74

9. *Procedent qui bona fecerunt, &c.*

Procedent qui bona fecerunt ad vitam, ſed ſolutis iam reatibus duriſſimis pœnis, vel leuis culpa vrgentiſſimis flammis ſoluitur. Ergo eius deformitas ex iuſto ſupplicio coniicitur, & in pœnæ horrore videtur. c.15.n.236.p.76

7. *Qui bona fecerunt, &c.*

Certè apud iuſtiſſimum iudicem nil potentia obtinet, nil nobilitas perſuadet. Qui virtutibus inſeruiêrunt, donantur præmiis, & qui digna pœnitentia omnem non deleuerunt reatum, Purgatorij aduruntur flammis. Apud ſæculum valet poteſtas, v poteſt nobilitas & iudex vt adulêtur magnatibus, & nobilibus, aduerſatur ſæpè legibus, c.15.n.290.p.94

8. *Qui audierint, viuent, &c.*

Sapiens audit, vt poſteà viuat, & Purgatorij pœnas euadat; nam ſapiens non ſolùm attendit præſentia, ſed præcauet etiam futura, c.15. n 3;6 p. 09

9. *Et qui audierint, viuent, &c.*

Viuent in æternum virtutem ſequuti, ſed non intrabunt gaudia poſſeſſuri, antequam vel minimum quadrantem exoluerint. Profectò in Purgatorio reatus, & in hoc mundo culpa, ne properantem ſalutis rapiat occaſionem, peccatorem quodammodo illigat, c.15.n.360.p.1 8

10. *Qui audierint viuent, &c.*

Viuent iuſti, quia vocem Domini audierunt; detinentur tamen reatibus vincti, quouſque eos purificet flamma, aut ſoluant fideles orationis, & ſacrificiorum pro illis offerentes ſubſidias, & quidem ſine orationis ſuffragio tardat medella, eius auxilio adſciſcitur medicina, c.15.n.396 p.130

11. *Qui bona egerunt. &c.*

Procedent iuſti, ſed flammis ab omni reatu purgati. Noſtris culpis ignem contra nos ſufflammamus, vireſque ei refundimus; vt in hoc mundo etiam peccator ſuis culpis ſolet vires aduerſario præbere, miſerabiliterque perire, c.16.n.42.p.148

12. *Qui bona egerunt, &c.*

Qui bona egerunt, tormenta ſibi excuſarunt, & qui iuſtis in Purgatorio detentis benefaciunt, lucrum ſibi ingentiſſimum acquirunt. Iuſtis namque, & pauperibus benefacere, eſt ingens ſibi lucrum acquirere, c.17.n.234. p 202

13. *Qui audierint, viuent, &c.*

Viuent iuſti ſed modò detenti noſtro indigent auxilio. Ergo exhibeamus, quia nos etiam eorum indigemus ope. Ioſeph incarcerato fauit, & poſtea in aula Regis hic Ioſepho vicem reddidit. Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio, c.18.n.1 0.p.349

14. *Qui audierint, viuent, &c.*

Viuent iuſti gloria redimiti, ſed modò flammis diſcruciantur oppreſſi. Ergo illis ſubueni; nam tibi erit amplum commodum, ſecurumque propugnaculum exhibitum iuſto indigenti ſubſidium, c.19.n.163 p.443

15. *Procedent qui bona fecerunt, &c.*

Viues, ſi animabus benefeceris: vtiliſſimum eſt eleemoſynis, & ſacrificiis earum flammas extinguere. Sed proh dolor! Cùm pauper ſubueniat ſæpeſæpius generoſus, diues comprimit manum auarus, c.19.n.168.p.444

16. *Qui bona fecerunt, &c.*

Vita fruuntur qui bona fecerunt ſi nullis impediantur reatibus. Ergo in hac vita peccatorum pœnas ſoluere eſt magnum Dei beneficium, & ſæpè virtutis præmium, c.20.n.118. p.5 8

17. *Viuent, &c.*

Animæ pœnis iam expeditæ ad æterna gaudia inuolant, beneficiorumque recordantur, & benefactoribus ſuis miſericordiam aſſequuntur. Ergo animabus ſubueni, ſi tibi ſubſidia diſcupis: Eſt enim imprudentia opem tibi in neceſſitatibus implorare, & exhibere refugere, c.21.n.97.p.594

18. *Mortui audient, &c.*

Mortui audient inuitantem ad præmium, poſtquàm ſoluerunt reatum. Ergo animæ cùm illis vtiliſſimum ſit quodlibet religioſum obſequium, amplum pendent gratitudinis tributum. Ergo defunctorum expiationem religioſis actibus, ſacrificiiſque procurare, eſt pietatis teſtimonium, & vtilitatis illicium, c.21.n.21.p.567

INDEX

Digitized by Google

INDEX
LOCORVM SACRÆ SCRIPTVRÆ.

Caput indicat, quod ſequens numerus determinat; poſt N. adiuncti numeri ſunt Marginales.

EX VETERI TESTAMENTO.

Ex Geneſi.

CAP. I. verſic. 2. *Terra autem erat inanis & vacua.cap.19.numero 214.p.458*

4 *Et diuiſit lucem à tenebris, cap.18.n.93.p.337*

14 *Fiant luminaria in firmamento cœli, & & diuidant diem ac noctem, cap.20.numero 119.pagina 515*

26 *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram, cap.21.num.157. pagina 616*

Cap.2.verſ.8.. Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, &c. c.18.n.269.p.391

15 *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit eum in paradiſo voluptatis. & c.18. num.60.p.328*

17 *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas in quocumque enim die comederis ex eo, &c. c.18.n.252.p.386.& cap.19.n.47. pag.409*

18 *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, c.21.n.157 & 187.p.616.& p.629*

22 *Tulit vnam de coſtis eius,& repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, &c .c.15.num.58.pag.20.& capite 21.n,14.& 194.p.564.& pag.631.*

23 *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea, &c. c.16. num.212. p. 201. cap.15. n.171.27.p.54*

Cap.3. v. 1. ſerpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus qui dixit,&c. cap.15.n.227. 246. 276.287.p.11.79. 89.& 93.

Cap.16. num.230. p.207. c.18.n.149.p.355. cap.19.n.139.437

De fructu ligni, quod eſt in medio ligni paradiſi, præcepit nobis Deus ne comederemus &c. c.15.n.119.& 246.p.38.79

4 *Dixit ſerpens ad mulierem, &c. c.18.numero 231.p.379.c.19.n.39.p.406.*

5 *In quocunque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij,&c.15.c.129.p.41.c.16.n.126.p.174.c.17 num.20.100. & 153.184. 200.p.239. 262.278.& 287 c.18.n.196.p.368.c.20 n.224.& 233.p.552.555*

6 *Vidit igitur mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis,&c. c.15.n.122.& 129.p.39.41. cap.17.n.213.p.195.c.16.n.212.p.201. cap.19.n.32.72.238.244.p.403. 416. 465.467.c.21.n.131.p.606*

7 *Cum cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata. c.15.n.206.p.65.c.18.n.71.& 153.p.332 356.cap.21.num.164.p.619*

8 *Abſcondit ſe Adam, & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.c.21. num.210.p.637*

9 *Vocauit Dominus Deus Adam, & dixit ei: vbi es? c.15.n.19.p.7.cap.21.n.40. pag.574*

10 *Vocem tuam audiui, & timui, eò quòd nudus eſſem, & abſcondi me.c.15.n.94. pag.30*

12 *Mulier, quam dediſti mihi ſociam,dedit mihi de ligno, & comedi,c.15.n.109. pagina 35.*

14 *Quia feciſti hoc maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ,&c. c.15. numero 287. & 179. p.93.56.c.18.n.189. pag.366*

15 *Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c. cap.15.n.5. p.3.c.18.n.109. p.342.*

20 *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eo quod mater eſſet cunctorum viuentium, cap.18.n.228.p.378*

22 *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt ſciens bonum & malum,cap.19.num.47. pag.409*

23 *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, &c. cap.15. n.97. p.31. capite 16. num.220. p.209.c.21.n.14.p.564*

24 *Eiecit Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubin,&c.c.15.n.111. pag.35.c.18.n.199.p.369*

Cap.4.v.1. Adam cognouit vxorem ſuam Euam quæ concepit, & peperit Cain, cap.18. num.252.p.386.c.21.n.164.p.619

3 *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Cain de fructibus terræ munera Domino*, c.17.n.211.p.294

4 *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius, ad Cain verò, & ad munera illius non reſpexit*, cap.20. num. 141. pagina 523

6 *Concidit vultus eius*, cap. 20. num. 71. pag. 500

7 *Nonne ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit*, c.18. n.200. p.370

9 *Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio; num cuſtos fratris mei ſum ego*, c.17. n.102. p.263

10 *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra*, c.20. n.37. p.491

12 *Vagus, & profugus eris ſuper terram*, c.21. num.126. p.604

14 *A facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra*, capite 16. n. 108. pag.169

15 *Omnis qui inuenerit me, occidet me*. c.18. num.200. p.370

16 *Egreſſus Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Edem*, cap. 15. num. 31. 97. & 253. pag.12. 31. & 81

17 *Ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch*, cap.21. num.161. p.618

23 *Dixit Lamech vxoribus ſuis Ada & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech*, &c. c.19. num.149. p.440. c.21. num.161. p.618

Cap.6.v.1. *Cùm cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent*, &c. c.21. n.192. p.631

1 *Videntes filij Dei filias hominum quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores*, &c c. 15. num.40.69.126. p.14.40. c.16. num.34. p.145. cap.19. n.246. p.468. cap.20. n,70. p.499

3 *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt*, c.15. num.40. & 184. p.14. & 58

6 *Pœnituit eum quod hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus*, &c. capite .15. numero 368. pagina 121

8 *Noe inuenit gratiam coram Domino*. c.21 num.14. p.564

Cap. 7. v.7. *Ingreſſus eſt Noe, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius*. &c. c.21. num.193. p.631

Cap. 9. v. 21. *Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo*, &c. capite 17. num.61. pag.154. c.18. n.154. pag. 386

24 *Euigilans Noe ex vino, cum didiciſſet, quod fecerat ei filius ſuus minor*, &c. cap.20. num.131. p. 520. c.16. n.269. pag. 219

Cap.11. verſ. 4. *Faciamus nobis ciuitatem, & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum*, &c. capite 21. numero 92. pagina 592

7 *Venite igitur deſcendamus, & confundamus linguam eorum*, &c. capite 15. numero 354. pag.116

26 *Thare genuit Abraham, & Nachor*, c.16. num.149. p.181.

Cap. 12. v.1. *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui*, &c. c.15. n.210. p.67

5 *Tulit Sarai vxorem ſuam, & Loth filium fratris ſui*, cap. 15. numero 212. pag. 67

11 *Cum prope eſſet, vt ingrederetur Ægyptum, dixit Sarai vxori ſuæ: Noui quod pulchra*, &c. cap.19. numero 247. pag. 468

Cap.13. verſ.8. *Ne quæſo ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos*, &c. capite 15. numero 212. pagina 67

Cap. 14. v.11. *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum, & Gomorrhæ, & vniuerſa*, &c. c.18. n.207. p.378

14 *Numerauit expeditos vernaculos ſuos trecentos decem & octo, & perſecutus eſt*, &c. capite 20. numero 111. pagina 513

Cap.15. v.1. *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis*, cap. 18. numero 179. pag.363

9 *Sume tibi vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium; turturem quoque*, &c. capite 16. numero 210. pagina 200. capite 17. numero 18, pagina 238. cap.20. n.75. pag.501

10 *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham*, cap.19. numero 179. pag.448

Cap.16. v.13. *Tu Deus, qui vidiſti me*, c.19. num.216. p.458

Bap.17. v.5. *Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram; ſed appellabit Abraham*, c.21. num.75. p.586

26 *Eadem die circumciſus eſt Abraham*, c.21. num.75 ibid.

Cap.18. verſiculo 2. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum, quos cùm vidiſſet*, &c. cap.20. num.61. pag.496. cap.21. num.134. p.607

4 *Lauate pedes veſtros*, cap. 17. num. 121. pag. 269

8 *Domine ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum*, cap.19. num.163. pag.443

10 *Habebit filium ſacra vxor tua. Quo audito Sara riſit poſt oſtium*: cap. 19. numero 197. pag.454. cap. 18. num. 54. pagina 327. capite 21. numero 36. pagina 572

23 *Appropinquans ait.: Numquid perdes iuſtum cum impio? Loquar ad Dominum meum*, &c. cap. 17. num. 197. pag.291

Cap.19. v.1. *Surrexit, & iuit obuiam eis* c. 21. num.134. p.607

3 *Compulit illos oppido, vt diuerterent ad eum, ingreſſiſque domum illius*, &c. c.21 num.214. p.638

4 *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem omnis populus ſimul*, cap.20. n.15. p.484

5 Cum

Digitized by Google

5 *Cùm eſſet mane, cogebant eum Angeli dicentes: ſurge tolle uxorem tuam, & duas filias, &c. c.15. n.183. p.57*

9 *At illi dixerunt: Recede illuc. Ingreſſus es, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudicet? Te ergo ipſum, &c. c.17. n.17. pagina 238*

17 *In monte ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas, c.15. n.186. p.58*

20 *Et ciuitas hac iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea, cap.15. num.186. ibid.*

26 *Verſa eſt in ſtatuam ſalis, cap.21. n.214. pag.638*

31 *Dixit maior ad minorem: pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, &c. c.15. n.130. & 168. pagina 42. & 53*

Cap.20. verſ.4. Abimelech non tetigerat eam, c.16. num.93. p.164.

Cap.21. v.9. Cum vidiſſet Sara filium Agar Ægyptia ludentem cum Iſaac filio ſuo &c. cap.16. n.167. p.186. c.21. n.41. & 48. p.574. & 576

10 *Eiice ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac, capite 16. n.222. p.204*

Cap.22. v.1. Tentauit Deus Abraham, cap.18. num.179. p.363

3 *Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac, &c. c.19. num.46. & 262. pagina 408. & 472*

3 *Die tertio eleuatis oculis vidit locum procul, c.19. n.30. p.403*

5 *Expectate hic cum aſino: ego, & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus; &c. capite 16. numero 156. pagina 183*

9 *Cumque alligaſſet Iſaac filium ſuum poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum, &c. c.21. n.213. p.638*

Cap.23. v.14. Reſpondit Ephron: Domine mi, audi me, terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet, &c. c.21. num.76. p.586

Cap.24. v.2. Dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ: qui præerat omnibus quæ habebat; &c. c.18. n.253. p.386

15 *Ecce Rebecca egrediebatur filia Batuel filij Melcha uxoris Nachor, fratris Abraham, &c. capite 21. numero 178. pagina 625*

55 *Maneat puella ſaltem decem dies apud nos & poſtea proficiſcetur, cap.21. n.111. pagina 600*

Cap.25. v.2. Collidebantur in vtero eius paruuli, c.15. n.191. p.60

9 *Sepelierunt eum Iſaac filij ſui in ſpelunca duplici quæſita eſt in agro Ephron, c.21. num.76. p.586*

25 *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcirco appellauit eum &c. capite 17. numero 214. pagina 295. capite 18. num.122. pag.347. cap.21. num.60. p.581*

27 *Factus eſt Eſau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis. &c. cap.16. numero 113. & 117. p.170. & 171. cap.17. numero 48. pagina 248*

31 *En morior, quid mihi proderunt primogenita c.17. n.180. p.286*

34 *Vendidit primogenita, & ſic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, &c. capite 16. numero 135. pagina 182*

Cap.26. verſ. 34. Eſau quadragenarius duxit vxorem Iudith filiam Beeri Hethæi, & Baſemath. &c. cap.21. num.145. pagina 612

Cap.27. v.1. ſenuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius, cap.19. num.221. pagina 460

4 *Fac mihi inde pulmentum, ſicut velle me noſti, & affer, vt comedam, & benedicam tibi, &c. capite 16. numero 237. pag.209*

5 *Quod cum audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret, &c. capite 21. numero 145. pag.612*

6 *Dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſau fratre tuo, & dicentem ei, &c. cap.19. numero 21. pagina 400*

11 *Noſti quod Eſau frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: ſi attrectauerit me, &c. cap.18. n.140. p.352. cap.15. num.207. p.66*

12 *Timeo. ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem, &c. c.15. n.93. p.30*

15 *Veſtibus Eſau valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum, &c. capite 15. numero 293. pagina 95. capite 20. n.235. p.556. capite 21. n.60. pag.581*

16 *Pelliculas hædorum circumdedit manibus & colli nuda protexit, capite 15. numero 207. pag.66*

27 *Statim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait, &c. c.15. num.293. p.95*

28 *Det tibi Deus de rore cœli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini, capite 16. n.146. p.180*

36 *Iuſtè vocatum eſt nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me, en altera vice, c.19. n.220. p.459*

41 *Occidam Iacob fratrem meum. cap.15. numero 46. p.16*

43 *Fuge ad Laban fratrem meum in Haram, habitabiſque cum eo dies paucos, & c.15 num.46. ibid.*

Cap. 28. v. 14. Dilataberis ad occidentem, & orientem, & ſeptentrionem & meridiem, capite 18. numero 32. pagina 321

15 *Pro cuſtos tuus quocumque perrexeris, & reducam te in terram hanc, capite 16. numero 157. pagina 183. & cap.17. num.265. p.310.*

Cap.29. v.9. Adhuc loquebatur, & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui, nam gregem, &c. c.21. n.106. p.598

10 *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur: & adaquato grege oſculatus eſt eam, &c. c.16. n.91. p.163*

18 *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore*

minore ſeptem annis, cap. 18. num. 240. pag. 382

22 *Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias, & veſpere Liam filiam ſuam, &c. cap. 21. n. 188. & 179. pagina 629. & 625*

Cap. 30. v. 26. Nato Ioſeph dixit Iacob ſocero ſuo: Dimitte me, vt reuertar in patriam, &c. c. 15. n. 312. p. 101

27 *Inueniam gratiam in conſpectu tuo, experimento didici, quia benedixerit mihi Deus, &c. capite 17. num. 264. pagina 310*

32 *Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas oues varias, & ſparſo vellere, &c. capite 15. n. 207. p. 66*

38 *Poſuit eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, &c. capite 15. numero 207. ibidem*

39 *Factum eſt vt in ipſo colore coïtus oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa & varia, c. 17. num. 33. p. 243*

Cap. 31. v. 1. Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatur, &c. c. 18. n. 75. p. 333.

19 *Rachel furata eſt Idola Patris ſui, cap. 18. n. 248. p. 385*

20 *Noluit Iacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret, c. 19. n. 16. p. 397*

28 *Stultè operatus es: cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te, &c. capite 15. num. 312. pagina 101*

34 *Cum intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtina abſcondit Idola ſubter ſtramenta cameli: &c. cap. 21. numero 126. pagina 604*

36 *Tumens Iacob cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum, &c. c. 20. n. 129. p. 519*

41 *Per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus, &c. c. 15. n. 250. p. 80. cap. 18. num. 75. p. 333*

42 *Niſi Deus patris mei Abraham, & timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modo, &c. c. 17. n. 265. p. 310*

Cap. 32. v. 24. Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane. c. 16. n. 196. p. 196. cap. 19. n. 101. p. 425. c. 20. n. 165. p. 531

25 *Tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit, c. 20. n. 129. p. 519*

26 *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora, c. 20. n. 165. p. 531*

28 *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël, c. 16. n. 157. p. 183. c. 19. n. 220. p. 459*

29 *Benedixit ei in eodem loco, cap. 20. n. 165. p. 531. c. 21. n. 10. p. 563*

30 *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea, c. 21. n. 60. p. 581. c. 20. n. 129 p. 519*

31 *Ipſe vero claudicabat pede, c. 19. n. 220. 221. p. 459. & 460*

Cap. 33. v. 3. Ipſe progrediens adorauit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret frater eius, &c. cap. 15. n. 16. pagina 6

12 *Gradiamur ſimul, eroque ſocius itineris tui c. 15. num. 191. p. 60*

Cap. 34. verſ. 1. Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius, &c. cap. 21. num. 15. 169. & 184. p. 565. 621. & 628

2 *Quam cum vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, &c. capite 17. num. 183. pagina 449. c. 21. num. 107. p. 598*

3 *Conglutinata eſt anima eius cum eo, triſtemque deliniuit blanditiis, cap. 16. num. 105. p. 168*

15 *In hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis, &c. capite 16. numero 272. pag. 220*

24 *Aſſenſique ſunt omnes circumciſis cunctis maribus, capite 21. numero 103. pagina 596*

Cap. 35. v. 1. Aſcende Bethel, & habita ibi, facque altare Deo, qui apparuit tibi, &c. c. 18. n. 32. p. 321.

2 *Iacob conuocata omni domo ſua ait: Abiicite Deos alienos, qui in medio veſtri ſunt, &c. cap. 16. num. 242. pag. 210. cap. 17. num. 40. p. 245*

4 *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum, cap. 18. num. 248. pagina 385*

9 *Apparuit iterum Deus Iacob, poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia, &c. capite 16. num. 157. pag. 183. c. 19. numero 220. p. 459*

Cap. 37. v. 4. Videntes fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, &c. c. 15. n. 20. p. 8

9 *Vidi per ſomnium quaſi Solem & lunam, & ſtellas vndecim adorare me, cap. 15. num. 174. p. 55*

10 *Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram? cap. 15. n. 20. pagina 8*

23 *Nudauerunt eum tunica talari, & polymita: & prætereuntibus Madianitis, &c. capite 17. n. 179. p. 286*

Cap. 38. verſiculo 15. ſuſpicatus eſt eſſe meretricem, c. 15. num. 114. p. 36. c. 19. n. 40. pag. 406

17 *Mittam tibi hœdum de gregibus ... Patiar quod vis ſi dederis mihi arrhabonem, &c. c. 15. num. 49. 172. p. 17. & 54. c. 16. num. 70. p. 158*

18 *Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes, c. 17. n. 25. p. 241*

21 *Interrogauit homines loci illius, vbi eſt mulier, quæ ſedebat in biuio, &c. cap. 19. num. 40. p. 406*

25 *Cum duceretur ad pœnam, miſit ad ſocerum ſuum dicens: De viro, &c. cap. 16. n. 41. & 70. p. 147. & 156*

27 *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero, & in ipſa effuſione, &c. cap. 17 n. 123. p. 267. c. 18. num. 225. & 229. p. 387. & 379*

Cap. 39. v. 6. Erat autem Ioſeph pulchra facie, & decorus aſpectu, cap. 19. num. 245. pag. 467

9 *Quomodo poſſum hoc malum facere, & peccare in Deum meum? cap. 18. n. 144. pagina 275*

10 *Recuſabat*

Digitized by Google

10 *Recuſabat ſtuprum*, cap.17. numero 246. pag.305

12 *Relicto in manu eius pallio fugit, & egreſſus eſt foras*, cap. 17. num.21. p. 239. cap.21. n.133. p.607

Cap. 40. v.6. *cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?* c.15. n.244. p.78

10 *Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, creſcere paulatim, &c.* c.19. n.172. p.445

11 *Calicemque Pharaonis in manu mea*, c.19. num.75. p.417

13 *Recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum*, capite 12. numero 242. pag. 304. cap. 21. num.23. p.568

16 *Et ego vidi ſomnium, quod tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, &c.* cap.19. numero 75. pag.417

Cap. 41. v. 10. *Iratus Rex ſeruis ſuis. me, & magiſtrum piſtorum iuſſit, &c.* c. 21. num.23. p.568

14 *Protinus ad Regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt*, c. 18. numero 135. p.350

Prouideat Rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat eum terræ Ægypti, c. 17. num. 57. p.250

38 *Num inuenire poterimus talem virum, qui ſpiritu Dei plenus ſit*, cap.18. num.51. pag.326

40 *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris Imperium cunctus populus obediet*, c.18. num.135. p.350

41 *Dixit rurſus Pharao ad Ioſeph, &c.* c.21. num.133. p.607

42 *Veſtiuit eum ſtola byſſina, & collo torquem auream circumpoſuit*, cap.17. num.165. pag.281

Cap.42. v. 17. *Tradidit illos cuſtodiæ tribus diebus*, cap.17. num.241. p.309. c.21. num.129. p.606

24 *Auertit ſe parumper & fleuit, & reuerſus locutus eſt ad eos. Tollenſque Simeon, & ligans, &c.* c.21. n.44. p.575

25 *Iuſſit miniſtris, vt implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias, &c.* c.21. num.153. p.615

37 *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi*, cap.17. numero 247. pagina 305

Cap.43. v. 9. *Ego ſuſcipio puerum, de manu mea require illum, niſi reduxero, & reddidero, &c.* c.17. n.247. ibid.

Cap.44. verſ.1. *Imple ſaccos eorum frumento quantum poſſunt capere, & pone pecuniam ſingulorum, &c.* c.21. num. 153. pag.615

13 *Sciſſis veſtibus, oneratiſque rurſum aſinis reuerſi ſunt in oppidum*, capite 21. numero 129. p.606

Cap.45. v.4. *Accedite, inquit, ad me, & cum acceſſiſſent propè: Ego ſum. ait, Ioſeph, &c.* c.21. n.120. ibid.

8 *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, &c.* capite 15. n. 56. pagina 19

Cap.46. v. 7. *Dan iudicabit populum ſuum ſicut & alia tribus in Iſraël: Fiat Dan coluber in via, &c.* cap.17. num.181. pag.286

Cap.47. v.3. *Paſtores enim ouium ſumus ſerui tui, & nos, & Patres noſtri*, cap. 17. num.161. p.280

Cap.48. v.4. *Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris, &c.* c.17. n.103. p.264

Cap.49. v.4. *Effuſus es ſicut aqua, non creſcat quia aſcendiſti cubile patris tui, &c.* c.17. n.247. p.305

5 *Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia: in conſilium eorum non veniat, &c.* c.20 n.80. p.503

8 *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum adorabunt te filij patris tui*, c.16. num.135. p.177

9 *Catulus Leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti; requieſcens accubuiſti, &c.* c.19. n.263. p.473

12 *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat, &c.* cap. 17. num.256. pag. 308. cap. 18. num.25. p.319.

14 *Iſſachar aſinus fortis, accubans inter terminos, vidit requiem, quod eſſet bona, &c.* cap.18. num.152. p.356. c.19. n.73. pag.416

22 *Nephthali ſeruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis*, c. 21. numero 151. pagina 614

27 *Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & veſpere diuidat ſpolia*; c. 20. num.89. p.506

Ex Exodo.

Cap.1. v.9. *Ecce populi filiorum Iſrael multus & fortior nobis eſt: venite ſapientes opprimamus eum, &c.* c.6. n.223. p.205. c.21. n.195. p.631

12 *Quomodo audiet Pharao, præſertim cum incircumciſus ſit labiis* c.17. num.123. pagin.269

22 *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite* c.16. n.207. 212. pagina 200. c.17. n.224. p.298. cap.20. n.216. p.549

Cap.2. v. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo* c.20. n.144. p.524

16 *Erant Sacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare, &c.* c.19. num.38. p.405

17 *Superuenere Paſtores, & eiecerunt eas*, cap.18. num.155. p.357. c.19. n.216. pag.458

Cap.3. v.7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui propter duritiam eorum, &c.* cap. 18. n. 133.

10 *Veni, & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſrael de Ægypto*, c.17. n.198. p.291

11 *Quis ſum ego, vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto.* c. 20. num.160. p.519

13 *Si dixerint mihi: Quod eſt nomen eius, quid dicam? Dixit Deus ad Moyſem, &c.* cap.17. n.193. p.290

22. *Spoliabitis Ægyptum.* cap. 19. n. 279. pag. 476
Cap. 4. v. 1. *Reſpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent,* &c. cap. 15. num. 196. pag. 62. cap. 18. n. 138. p. 551
2 *Quid eſt, quod tenes in manu tua? reſpondit: virga.* c. 15. n. 32. p. 12
10 *Obſecro Domine, non ſum eloquens,* &c. cap. 17. num. 198. p. 291. cap. 19. n. 213. pag. 457
14 *Aaron frater tuus leuites ſcio quod eloquens ſit: Ecce ipſe egredietur in occurſum tuum,* &c. c. 18. n. 136. p. 351
17 *Virgam quoque hanc ſume in manu tua, in qua facturus es ſigna,* cap. 15. num. 332. pagina 108
20 *Reuerſus eſt in Ægyptum portans virgam Dei in manu ſua.* c. 19. n. 147. pag. 439. cap. 30. n. 144. p. 524
22 *Filius meus primogenitus Iſrael.* cap. 18. num. 190. p. 367
24 *Cum eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum,* capite 15. n. 270. 274. 395. pag. 87. 88. & 130. c. 19. n. 184. pag. 449. c. 21. 103. pag. 596
Cap. 5. v. 2. *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum,* & c. 20. n. 56. p. 495
Cap. 7. v. 1. *Ecce conſtituite Deum Pharaonis & Aaron frater tuus erit propheta tuus,* &c. cap. 15. num. 289. p. 94. c. 17. n. 198. pag. 291. cap. 19. numero 174. p. 446. cap. 20. num. 160. p. 529
3 *Cum dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna: dices ad Aaron: tolle virgam,* &c. c. 18. n. 136. p. 351
12 *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſa ſunt in Dracones.* cap. 15. num. 219. p. 70. c. 19. n. 86. p. 420
20 *Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius,* &c. c. 15. num. 385. p. 127
22 *Induratum eſt cor Pharaonis,* c. 17. n. 28. p. 241. c. 19. n. 83. p. 419
Cap. 8. verſ. 6. *Extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque,* &c. cap. 16. num. 212. pag. 201
8 *Orate Deum, vt auferat ranas à me, & à populo meo,* &c. c. 16. n. 53. p. 151. c. 20. num. 56. p. 495
15 *Videns Pharao quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum,* &c. cap. 16. n. 53. pagina 151
17 *Extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſitque puluerem terræ,* &c. cap. 19. num 86. p. 420
Cap. 9. v. 4. *Grando & ignis mixta pariter ferebantur, tantaque fuit magnitudinis,* &c. c. 15. num. 220. p. 70
Cap. 10. v. 12. *Extende manum tuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam, vt aſcendat,* &c. c. 15. num. 220. ibid.
28 *Recede à me, & caue, ne vltra videas faciem meam,* &c. capite 19. numero 60. pag. 413
Cap. 11. verſic. 1. *Adhuc vna plaga tangam Pharaonem, & Ægyptum, & poſt hoc dimittet vos,* &c. capite 19. num. 83. pagina 419
Cap. 12. v. 31. *Vocatis Pharao Moyſe & Aaron nocte ait: Surgite, & egredimini,* &c. capite 19. num. 60. pag. 413
Cap. 13. v. 18. *Armati aſcenderunt filij Iſrael de terra Ægypti,* cap. 15. n. 221. pag. 71. c. 19. num. 279. p. 476
21 *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem,* &c. cap. 15. n. 52. p. 18. c. 17. numero 192. p. 289. c. 18. n. 19. p. 317. c. 10. n. 172. p. 533
Cap. 14. verſic. 5. *dixitque Dominus ad Moyſem: Quid clamas ad me? loquere filiis Iſrael,* &c. capite 15. numero 400. pagina 131
9 *Cum perſequerentur Ægyptij veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris,* &c. cap. 15. n. 139. p. 44
10 *Cum appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos,* &c. cap. 21. numero 104. pagina 597
15 *Quid clamas ad me? loquere filiis Iſraël, vt proficiſcantur,* &c. c. 20. n. 102. p. 543.
16 *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare,* &c. capite 16. n. 209. pag. 206
19 *Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël abiit poſt eos, & cum eo,* &c. c. 18. n. 19. p. 317. cap. 19. n. 120. p. 432. c. 20. n. 111. p. 513
25 *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Iſraelem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* &c. c. 20. n. 56. p. 495
27 *Cum extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo,* &c. cap. 20. n. 104. p. 544.
Cap. 15. v. 2. *Fortitudo mea, & laus mea Dominus* c. 16. n. 284. p. 224
9 *Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia,* c. 16. num. 281. 284. p. 223. & 224. cap. 19. num. 120. pagina 432
Cap. 16. v. 3. *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti,* &c. c. 15. num. 51. p. 18
16 *Colligat vnuſquiſque ex eo, quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita,* c. 19. n. 136. p. 436. c. 20. n. 158. p. 528. c. 21. n. 159. p. 617
Cap. 17. v. 5. *ſume tecum de ſenioribus Iſrael, & virgam, qua percuſſiſti fluuium,* &c. capite 15. n. 406. p. 134
6 *En ego ſtabo coram te ſupra petram Horeb, percutieſque petram,* &c. c. 18, num. 35. p. 322. c. 19. 166. p. 444
Cap. 18. v. 21. *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus,* &c. c. 17. n. 124. & 178. paginâ 269. & 286.
Cap. 20. v. 2. *Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, & de domo ſeruitutis,* &c. c. 15. n. 386. p. 127
14 *Non furtum facies,* cap. 15. n. 204. p. 64
16 *Non concupiſces domum proximi tui.* c. 15 num. 203. ibid.
Cap. 21. verſicul. 33. *ſi quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam* & c. 18. n. 247. p. 384

Digitized by Google

Cap.23.v.19. *non coques hœdum in lacte matris ſuæ.cap.* 17.*num.*186.*p.*288

Cap.24. v.14. *Habetis Aaron & Hur vobiſcum: ſi quid natum fuerit quæſtionis, &c.c.*16.*n.*72.*p.*157

Cap.28. v. 33. *Deorſum vero ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum, quaſi mala punica facies,&c.c.*21.*n.*56.*p.*579

Cap.32.v.1. *ſurge fac nobis Deos,qui nos præcedant,&c.c.*15.*n.*48.*p.*17.*c.*16.*n.*72.& 241.*p.*157.& 210.*c.*17.*n.*113.*pagina* 267.*c.*18.*n.*181.*p.*364

2 *Tollite inaures aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum veſtrarum,&c. cap.*15.*n.*402.& 289.*pag.*133.& 94. *c.*19.*n.*30.*p.*403

4 *Fecit ex eis vitulum conflatilem, & formauit opere fuſorio: dixeruntque.. Hi ſunt dies tui,&c. c.*15.*num.*48.*pagina* 17. *cap.*17.*num.*192.*p.*289.*cap.*19.*n.*30 *pagina* 403

5 *Ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit, dicens: cras ſolemnitas Domini eſt,&c. c.*19.*n.*30.*p.*403

6 *Surgentes mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas, ſeditque populus,&c. cap.*15.*n.*182.*p.*57.*cap.*16.*num.*201. 164. 298.*pag.*198.185.& 228.*c.*17. *num.*14.& 258.*p.*237.& 308.

24 *Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egreſſuſque eſt hic vitulus.c.*17.*n.*85.*p.*258

25 *Videns Moyſes populum quod eſſet nudatus. ſpoliauerat enim eum,& c.*20. *numero* 18.& 233.*p.*481.& 555.

26 *Si quis eſt Domini iungatur mihi.c.*20.*numero* 68.156.*p.*499.& 528.& *cap.*21. *num.*10.*p.*563

28 *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum, c.*18.*n.*248.*pag.*385. *c.*20.*n.*172.*p.*533

Cap.33.v.10. *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos,& deleam eos, faciamque te,&c. capite* 18. *numero* 52. *pagina* 326

Cap.35. v. 3. *Non aſcendam tecum; quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via.c.*17.*n.*136.*p.*273

Ex Leuitico.

Cap.3. v. 3. *Offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia,&c. cap.* 19. *numero* 200. *pagina* 453

Cap.4. v.24. *Cùm immolaueris eum in loco,vbi ſolet mactari holocauſtum coram Domino;quia pro peccato,&c.c.*19.*n.*260. *pagina* 472

Cap.10. v. 1. *Arreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis poſuerunt ignem,&c. cap.*17.*n.*216.*p.*296

6 *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere. capite* 21. *numero* 55. *pag.*579.

16 *Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato cum quæreret Moyſes,&c.c.*21. *num.*212.*p.*638

Cap. 11. v. 29. *Inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terra muſtella,& mus, & Crocodillus, &c. cap.* 16. *numero* 127.*p.*174

Cap. 13. v.16. *Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit, &c.c.*20.*n.*84.*p.*504

Cap.15. v. 12. *Spondete mihi, quod non occidatis me, c.*16.*n.*290.*p.*226

Cap.19.v.9. *Cum meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ, &c. capite* 17. *numero* 235. *pag.* 273

13 *Non morabitur opus mercenarij tui apud te vſque mane, capite* 18. *numero* 74. *pag.*333

23 *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera,&c.c.*20. *num.*100.*p.*509

25 *Non facies quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis, non conſideres perſonam pauperis, &c.c.*20.*n.*43.*p.*492

26 *Quarto anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino, &c. cap.*18 *num.*29. *p.*320

Cap.22.v.12. *Si filia ſacerdotis cuilibet è populo nupta fuerit, de his, quæ ſanctificata fuerint,&c. cap.* 21. *numero* 53. *pag.* 578

27 *Bos, ouis, & capra cùm genita fuerint. ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ,&c.c.*17.*n.*68.229.*p.*253.& 300. *c.*21.*n.*54.*p.*578

Cap. 27. v.6. *Ab vno menſe vſque ad annum quintum pro maſculo dabuntur quinque ſicli,&c. c.*18.*n.*244.*q.*383

Ex Numeris.

Cap.11. v.4. *Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio, &c.c.*15.*num.*211.*pag.*67.*cap.*20.*numera* 218.*p.*550

5 *Recordamur piſcium quos comedebamus in Ægypto gratis, in mentem nobis veniunt, &c.c.*19.*n.*80.*p.*418

12 *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, cap.*19. *num.* 70. *pag.*416

16 *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſrael; quos tu noſti; quod ſenes populi, &c. capite* 19. *numero* 199. *pag.*453

31 *Ventus egrediens à Domino ereptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra, &c. capite* 19. *numero* 242. *pag.*466

33 *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini, &c.cap.* 21. *num.* 117. *pag.*601

Cap. 12. verſ.1. *locuta eſt Maria, & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam,c.*19.*n.*89.*p.*421

Cap.13. v.18. *Aſcendite per meridianam plagam, cumque veneritis ad montes, conſiderate terram, &c. cap.*15.*num.*341. *pag.* 112

33 *Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos, populus, quem aſpeximus &c.c.*17.*n.*28.*p.*241

Cap.14. v.4. *Conſtituamus nobis Ducem, &*

reuertamur in Ægyptum, c. 17. n. 28. pagina 241. cap. 19. num. 80. 213. pagina 418. & 457. capite 20. numero 98. pag. 505

23 Non videbimus terram, pro qua iuraui patribus eorum, capite 20. numero 88. pag. 505

Cap. 16. verſ. 3. Cur eleuamini ſuper populum Domini, c. 20. n. 115. pag. 514

31 Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos, &c. c. 20. n. 115. ibid.

46 Tolle Thuribulum, & hauſto igne de altari, mitte incenſum deſuper, &c. c. 11. num. 174. p. 623

Cap. 17. v. 3. Nomen Aaron erit in tribu Leui, cap. 17. n. 130. p. 271

8 Inuenit germinaſſe virgam in domo Leui, & turgentibus gemmis, &c. cap. 19. num. 147. p. 439. c. 21. n. 24. & 63. pagina 568. & 582

Cap. 18. v. 21. Filiis Leui dedi omnes decimas Iſraelis in poſſeſſionem pro miniſterio, &c. c. 17. n. 205. p. 293

Cap. 20. verſ. 1. Cùm eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſa ſunt, &c. c. 20. n. 154. p. 527. cap. 21. num. 80. p. 588

7 Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini, &c. capite 18. numero 35. 97. pagina 322. & 338

10 Audite rebelles & increduli: num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? &c. c. 15. n. 222. p. 71

26 Cum nudauerit patrem veſte ſua, indues eâ Eleazarum filium eius. cap. 17. n. 61. pagina 252

Cap. 21. v. 6. Dereliquit Deum factorem ſuum & receſſit à Deo ſalutari ſuo, cap. 18. numero 20. p. 317

8 Orauit Moyſes pro populo, & locutus eſt Dominus ad eum: fac ſerpentem, &c. cap. 15. n. 286. p. 94

Cap. 22. v. 7. Perrexerunt ſeniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium, &c. cap. 18. num. 116. pag. 344

22 Comedit ſub pedibus ſedentis, qui iratus vehementius cædebat fuſte latera eius, cap. 17. n. 16. p. 238

23 Auertit ſe de itinere, & ibat per agrum, quam cùm verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam, &c. cap. 19. num. 150. pag. 469

24 Stetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vinea cingebantur, c. 19. num. 54. p. 411

25 Quem videns Aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem; at ille iterum, &c. c. 20. n. 96. p. 508

27 Cum vidiſſet Aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſedentis, &c. cap. 15 num. 83. p. 27.

31 Vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio, c. 18. n. 249. p. 385

32 Ego veni vt aduerſarer tibi, quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria, &c. cap. 15. num. 165. pagina 52. cap. 19. num. 54. p. 411

Cap. 23. v. 1. Dixit Balaam ad Balac. Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, &c. c. 18. n. 104. p. 340. c. 15. n. 165. p. 52

3 Sta pauliſper iuxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi fortè occurrat mihi Dominus, cap. 18. num. 111. pagin. 343. c. 15. n. 17. p. 7

11 Quid eſt hoc, quod agis, vt malediceres inimicis meis vocaui te, &c. cap. 15. num. 209. p. 67

13 Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſrael videas, & totum videre non poſſis, c. 17. n. 16. p. 238

Cap. 24. v. 1. Cum vidiſſet Balaam quod placeret Domino, vt benediceret Iſraeli, &c. cap. 15. n. 17. p. 7

8 Deus eduxit illum de Ægypto, cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis, c. 16. numero 83. p. 161

11 Reuertere ad locum tuum decreueram quidem magnificè honorare te, &c. cap. 18. num. 111. p. 343

14 Pergens ad populum meum dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat, &c. cap. 16. num. 70. p. 156. cap. 18. n. 249. p. 385

16 Qui cadens apertos habet oculos. cap. 15. num. 240. p. 77

Cap. 25. v. 1. Morabatur autem eo tempore Iſrael, &c. capite 21. numero 205. pagina 635

2 Fornicatus eſt cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua, &c. c. 17. b. 116. p. 268

3 Initiatus eſt Iſrael Beelphegor, & iratus Dominus ait ad Moyſem, &c. cap. 20. num. 196. p. 632

4 Iratus Dominus ait ad Moyſem: Tolle cunctos principes populi, & ſuſpende, &c. c. 16. n. 30. p. 144

5 Dixit Moyſes ad iudices Iſrael: Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, &c. cap. 20. num. 44. p. 493

8 Ceſſauit plaga à filiis Iſrael, cap. 20. n. 197 pagina 541

Cap. 27. v. 3. Cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? Date nobis, &c. c. 21. n. 90. p. 592

Cap. 31. v. 7. Cùm pugnaſſent contra Madianitas, atque viciſſent, omnes mares occiderunt, &c. c. 21. n. 110. p. 599

17 Cunctos interficite, quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis, & mulieres, &c. c. 21. n. 108. p. 598

Cap. 33. v. 4. Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos, &c. c. 19. n. 45. p. 408

Cap. 36. v. 7. Omnes viri ducent vxores de tribu & cognatione ſua, & cuncta fœminæ, &c. c. 21. num. 65. & 73. pagina 582. & 585

Ex Deuteronomio.

Cap. 1. v. 14. Mihi mandauit in illo tempore vt docerem vos ceremonias, & iudicia, &c. c. 17. n. 210. p. 294.

Cap. 5. v. 8. Non facies tibi ſculptile, cap. 17. num. 19. pag. 239

Cap. 8.

Digitized by Google

Cap.8.v.3. Pes tuus non eſt ſubtritus, en quadrageſimus annus eſt. c.19. num. 94. pag.423
Cap.12.v.2. Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, &c. cap.15. n.89.p.29
Cap. 20. verſ.19. Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, &c. cap. 15. num. 228. pag.300
Cap.23. verſ.7. Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Ægyptium; quia aduena fuiſti, &c. cap.17.n.224. pag.298
Cap.24. v.16. Non occidentur patres pro filiis, nec filij pro patribus, ſed vnuſquiſque &c. c.21. n.101. p.596
Cap. 13. v.4. Ioſue iſte tranſibit ante te, ſicut locutus eſt Dominus, cap. 17. n. 132. pag.272
Cap. 23. v. 11. ſicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, &c. c.17. n.157.& 192.p.279. & 289. c.18. n.20. p.317
15 Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit, incraſſatus, impinguatus, dilatatus, &c. c.17.n.107.p.265
37 Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam, de quorum victimis, &c. c.15. num.90.p.29
Cap.33.v.6. Viuat Ruben & non moriatur, & ſit paruus in numero: audi Domine vocem, &c. c.17. n.38.p.244

Ex Ioſue.

Cap.1. verſ. 14. Tranſite armati ante fratres veſtros omnes fortes manu, & pugnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus, &c. cap.18. numerò 16. pagina 316
Cap.2.v.6. operuit eos ſtipula lini, quæ ibi erat c.10. num.219. p.550
15 Dimiſit eos per funem de feneſtra: domus enim eius hærebat muro, cap. 16. n.31. pag.144
18 Innoxij erimus à iuramento hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram, &c. c.19.n. 281.p.477. cap. 18. num.94. p.348
Cap.3.v.16. ſteterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes, c.16.n.306.p.231
Cap.6.v. 1. Iericho clauſa erat atque munita, capite 16. numero 212. pag 201. c.20. num.21.p.468
20 Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis, &c. cap.16.n.207. p.200.
22 Ingredimini domum mulieris meretricis, & producite eam, & omnia, quæ illius ſunt, c.19.n.281 p.477
Cap.7. v.1. Tulit aliquid de anathemate. c. 19. n.112.p.429
4 Aſcenderunt tria millia pugnatorum, qui ſtatim terga vertentes, &c. cap.20. n.7. p.486. cap.18. num.118. p.345
19 Fili mi da gloriam Domino Deo Iſrael, & confitere, atque indica mihi, &c. c.20. num.186. p.538
21 Vidi inter ſpolia pallium coccineum valdè bonum, & ducentos ſiclos argenti, &c. cap.15.n.151. pag.48. cap.21. n. 133. pag.607
25 Lapidauit eum omnis Iſraël, & cuncta quæ illius erant, igne conſumta ſunt, &c. c.19 num.112. p.429
Cap. 8. v. 16. Ecce dedi in manu tua Iericho, & regem eius, omneſque fortes viros, &c. c.18.n.216.p.375
20 Viri ciuitatis, qui perſequebantur, &c. c.18. num.219.p.376
Cap. 9. v.14. Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt, c.15.n.167. p.52
15 Fecit Ioſue cum eis pacem, & inito fœdere pollicitus eſt, quod non, &c. capite 16.num.154. p.182. cap.17. n.248. p.305
Cap.10. v.13. ſteteruntque Sol, & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis, c.16. num.281.p.c.223. c.20. n.119. pag.515
Cap.11. v.6. Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures. c.17. num. 238. pagina 303
Cap.13. v. 21. Percuſſit eum cum Principibus Madian, & Balaam filium Beor, &c. c.18. n.249. p.385
24 30. Sepelierunt eum in finibus: &c. c.16. num.306. p.231

Ex libro Iudicum.

Ea tantùm loca, quæ locis non ſuis illuſtrantur.

Cap.1. v.6. Fugit Adonibezech. quem perſecuti comprehenderunt cæſis ſummitatibus, &c. c.15.n.200. p.63
19 Fuit Dominus cum Iuda, & montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis, &c. c.16.n.255.p.215
34 Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, &c. c.17. n. 181. pag.286. c.18. n.25.58.209.217.222. & 234.p. 319. 328. 372. 375. 377. & 380
Cap. 3. v.15. Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis Saluatorem, vocabulo Aod &c. c.16. n.214.p.202
18 Cum obtuliſſet ei munera proſecutus eſt ſocios, qui cum eo venerant, &c. cap. 16. num.245. p.212
21 Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextero femore ſuo, &c. c. 15. n.333. p.108
31 Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiis in ſexcentos viros, &c. c.15. n.218. & 408. p. 69. & 134
Cap.4. v.6. Vocauit Barac filium Abinoen de Cedes Nephthali, dixitque ad eum, &c. c.20.n.113. p.513
15 Tulit Iahel vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, c.16. num.222.p. 204
17 Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iael. c.15.n.187.p.59
18 Intra ad me Domine mi; intra ne timeas, qui

qui ingreſſus Tabernaculum, &c. c.16. num.141.p.179

19 Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere, & operuit illum, capite 15.numero 322. pagina 105

Cap. 5. v. 8. Noua bella elegit Dominus, & portat hoſtium ipſe ſubuertit. c. 20. numero 113.p.513

15 Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti, c.20. num. 31. pag.489

20 De cœlo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine, & curſu ſuo, &c. c.16. num.222.p.204

23 Maledicite terræ Meror, dixit Angelus Domini, maledicite habitatoribus eis, &c. c.21. n.82.p.589

Cap.6. v.15. Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſrael? Ecce familia mea, &c.20. n.161. p.529

Cap.7. v.7. In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua Madian. cap.20. numero 106. pagina 511

Cap.8. verſ.24. Quare mihi in aures de præda veſtra, c.15. n.404. p.133

Cap.9. verſ. 25. Exercebant latrocinia agentes prædas de prætereuntibus. cap. 18. numero 159. p.358

Cap.11. v.37. Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor, dimitte me, vt duobus menſibus circumeam, &c. cap.21. num.112. pag.600

Cap.12. v.1. vocaui vos vt præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis, cap. 21. num.84.p.589

Cap.14. v.5. Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo, & matre in Thamnata, cumque veniſſet, &c.capite 21.numero 70. pagina 584

11 Cum ciues loci illius, vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, vt eſſent cum eo, c.18. n.211.p.373

14 De comedendo exiuit cibus, & de forti exiuit dulcedo, capite 16. numero 116. pagina 171

15 Non potuerunt per tres dies propoſitionem ſoluere, c.16. n.118. p.172

17 Die ſeptimo cum ei eſſet moleſta, expoſuit quæ ſtatim indicauit ciuibus ſuis, c. 16° num.180. p.191.

20 Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui, c.15. n.121.p.38. capite 19. num.19. pagina 399

25 Cœpit ſpiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan, capite 15.numero 134. pagina 43

Cap.15.v.1. Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris: cumque, &c. cap. 19. num. 88. pagina 421

2 Putaui quod odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo, cap.16. num. 99. pagina 166

4 Perrexit, & cepit trecentas vulpes, c.15. num 134. p.43

12 Iuuate, ait, & ſpondete mihi quod non occidatis me, capite 16. numero 211. pagina 201

14 Ligauerunt eum duobus nouis funibus &c. capite 15. numero 195. p. 61.

15 Cum veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſtiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus, &c. cap.16. numero 204. pagina 198

20 Iudicauit Iſraël in diebus Philiſtiim viginti annis, c.20, n.122. p.516

Cap.16. v. 3. Dormiuit Samſon vſque ad medium noctis, & inde conſurgens apprehendit, &c. c.16. n.114.p.171

9 Rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine, &c. c.19. n.140.p.437

17 Aperiens veritatem rei, dixit ad eam ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, &c. c.19.n.26.p.401.c. 18. numero 242. p.383

19 Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, &c.c.17.n.55. pag. 250

25 Adductus de carcere ludebat ante eos.c.19. num.151. pagina 440. cap. 16. numero 65. pag.155

26 Dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me vt tangam columnas, &c. cap. 15. num.205. p.65

30 Cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, c.18.n.211.p.373

Cap. 17. verſ. 3. Dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? Quid hîc agis? Quam ob cauſam, &c. cap.18. num. 273. pagina 392

4 Benedictus filius meus à Domino: reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei, &c. capite 15.num.88. pag.29.cap.17.numero 37. p.244

5 Fecit Ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & Idola, &c. capite 17. num.69. pag.253. cap.18. num. 53. & 197. p.326. & 369

8 Egreſſus de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit, vbicumque ſibi commodum, &c. c.18.n.29.& 70.p.320.& 331

10 Mane apud me, & eſto mihi parens & ſacerdos, daboque tibi per annos ſingulos, &c.c.18. num.73. & 106. p. 333. & 341

12 Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum ſacerdotem apud ſe, c.16.n.180. p.191.c.17. num.77.p.256

Cap.18. v.15. Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, &c.20.n.220. p.551

17 Sacerdos ſtabat ante hoſtium ſexcentis viris fortiſſimis haud procul ſpectantibus, &c.c.20. n.181.p.537

18 Tulerunt, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & Idola, atque conflatile, cap.18. numero 238. p.381

20 Tulit Ephod, & Idola, & ſculptile, & profectus eſt cum eis, c.17. n.244.240. p.305.& 303

23 Poſt tergum clamare cœperunt. Qui cum reſpexiſſent, dixerunt ad Micham, &c. c.17.n.37.p.144

30 Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius, &c. cap.20. num.17. 61.65.pag.484. 497. & 498

Cap.19. v.1. *Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem, &c.* capite 15. num. 57. pagina 20

25 *Cum tota nocte abuſi eſſent dimiſerunt eam mane,* c.15. n.180. p.57

Cap.20. v.37. *Signum autem dederant filij Iſrael his, quos in inſidiis collocauerant, &c.* c.15. n.180. ibid.

Ex Ruth.

Cap.4. v.9. *Maioribus natu, vniuerſo populo: Teſtes vos, inquit, eſtis hodie quod poſſederim, &c.* cap. 21. numero 90. pag. 592

Ex primo Regum.

Cap.1. v.11. *Dabo eam Domino omnibus diebus vitæ eius* capite 15. numero 369. pagina 121

14 *Exiſtimauit ergo eam Heli temulentam,* cap. 19. num. 277. pag. 471. cap. 20. num. 42. p.492

16 *Pro puero iſto oraui, & dedit mihi Dominus petitionem meam, quam poſtulaui eam,* c.15. num.369. p.121

Cap. 2. v. 5. *ſterilis peperit plurimos, famelici ſaturati ſunt,* cap.15. n. 344. & 369. pag.113. & 121

12 *Filij Heli filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium ſacerdotum ad populum, &c.* c.17. n.183. 218. p. 287. & 296. c.18. num.107. & 265. p.341. & 389

13 *Veniebat puer ſacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam, &c.* c.17. num.220. p.297

14 *Omne, quod leuabat fuſcinula, tollebat ſacerdos ſibi,* c.17. n.63. p.330

17 *Detrahebant homines à ſacrificio Domini,* c.21. n.188. p.619

24 *Nolite filij mihi: non eſt enim bona fama, quam ego audio,* cap.17. numero 120. pag.269

28 *Elegi eum ex omnibus tribubus Iſrael mihi in ſacerdotem, vt aſcenderet, &* c. 16. n.271. pag.219

29 *Magis honoraſti filios tuos, quam me, vt comederetis primitias omnis ſacrificij populi mei,* c.17. n.131. p.272

Cap.4. v. 7. *Timuerunt Philiſthiim dicentes: venit Deus in caſtra, & ingemuerunt dicentes: væ nobis,* capite 18. num. 119. pag.345

8 *Non enim fuit tanta exultatio, heri, & nudius tertius, &c.* cap.16. numero 78. pag.160

10 *Ceciderunt de Iſrael triginta millia peditum. & Arca Dei capta eſt: duo quoque filij Heli, &c.* cap. 19. num.185. pag.449

Cap.5. v.1. *Philiſthiim tulerunt arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, &c.* c.18. n.223. p.377

2 *Tulerunt Philiſthiim arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, &c.* c.17. n.171. p.284

6 *Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos,* cap. 20. n. 86. pag.505

11 *Fiebat pauor mortis in ſingulis vrbibus, & grauiſſima valde manus Dei,* cap. 20. num.86. ibid.

Cap.6. v.7. *Duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro* c.17. num.202. p.292

10 *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, &c.* c.18. num.82. p.335

12 *Ibant autem in directum vaccæ, per viam quæ ducit Bethſames, &c.* c.20. n.173. pagina 533

3. 2. *Iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant,* c.17. n.120. p.269

13 *Prædixi ei quod iudicaturus eſſem domum eius in æternum propter iniquitatem, &c* c.19. num.185. p.449

7 10 *Cum Samuel offerret holocauſtum, Philiſthiim iniere prælium contra Iſrael, &* c.17. n.251. p.306

9. 2 *Cum abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepulchrum Rachel à finibus Benjamin, &c.* capite 19. num. 282. pag.477

18 *Acceſſit Saul ad Samuëlem in medio portæ & ait: Indica mihi, &c.* cap. 18. numero 235. p.380

10. 1 *Tulit Samuel lenticulam olei, & effudit, &c.* c.16. n.198. p.197

7 *Quando inuenerint ſigna hæc omnia tibi fac quodcumque inuenerit manus tua, &* c.20. n.29 p.488

27 *Filij Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? Et deſpexerunt eum, &c.* c.21. num.78. p.587

11. 3 *Dixerunt ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis ſeptem dies, vt mittamus nuntios, &c.* c.21. n.97. p.594

4 *Miſſis Dauid nuntiis tulit eam, quæ cum ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum ea,* cap.16. n.37. p.146

11 *Percuſſit Ammon vſque dum incaleſceret dies; reliqui autem diſperſi ſunt, &c.* c.20 n.29. p.488

14 *Venerunt nuntij in Gabaa Saulis,* cap.19. num.219. p.459

12. 3 *Loquimini de me coram Domino, & coram Chriſto eius, vtrùm bouem, &c.* c.17. n.122. p.269

13. 9 *Ait ergo Saul: Afferte mihi holocauſtum, & pacificam, & obtulit holocauſtum,* c.20. n.29. p.488

11 *Quia vidi quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies, &c.* c.20. num.22. p.486

15 *Surrexit Samuel, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Beniamin,* cap.19. n.219. pag.459

14. 1 *Veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum, &c.* c.18. num.39. p.233

9 *Confortamini, & eſtote viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis, &c.* cap. 16. num. 28. pagina 143

11 *Apparuit igitur vterque ſtationi Philiſthinorum, dixeruntque Philiſthiim: En Hebræi &c.* c.16. n.28. ibid.

14 *Facta*

Digitized by Google

14 *Facta eſt plaga prima, qua percuſſit Ionathas, & armiger eius, quaſi viginti virorum, &c.* c.17.n.280.p.222
16 *Reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce, &c.* c.20. num.108.p.512
14 *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis*, capite 20. numero 159. pagina 529
15. 2 *Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli quomodo reſtitit ei in via, cùm aſcenderet, &c.* cap.17. num.17.p.238. c.21. n.95.p.593
3 *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius, non parcas ei, &c.* c.17. num.97. pag. 262. cap. 21. num.102.p.596
5 *Cùm veniſſet Saul vſque ad ciuitatem Amalec, tetendit inſidias in torrente*, c.16. num.165.p.186
6 *Dixit Saul Cinæo: Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec, ne fortè inuoluam, &* c.16.n.165. ibid.
9 *Pepercit Saul & populus Agag &c.* c.19. n.206.p.455.c.20.n.150.p.526
17 *Conuerſus eſt Samuel, vt abiret: ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ, &c.* cap.17.n.217.p.296
19 *Quare non audiſti vocem Domini, ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum, &c.* cap.15. num.73. c.17. num. 122. pag. 269
16. 1 *Imple cornu tuum oleo, & veni, vt mittatis ad Iſai Bethlehemitem, &c.* cap. 16. num. 198.p.197 cap. 20. numero 117.p.515
6 *Cùm ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius*, c. 21. n.46. toto §. p.575
16 *Dixerunt ſerui Saul ad eum: Ecce ſpiritus Dei malus exagitat te, iubeat ergo Dominus, &c.* cap. 19. numero 263. pag. 389
17. 5 *Caſſis ærea ſuper caput eius, & lorica ſquamata induebatur, &c.* c.21. n.163. pag.619
10 *Ego exprobraui agminibus Iſrael hodie*, c.18 num.68. p.331
14 *Omnes Iſraëlitæ cum vidiſſent virùm fugerunt à facie eius timentes eum valde*, c.20. num.199. & 209. pagina 542. & 546
17 *Dixit Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis Ephi polentæ, & decem panes, &c.* cap.20. num.59. p.496
28 *Iratus eſt contra Dauid, & ait, &c.* c. 21. num.46. pag.575
32 *Non concidat cor cuiuſquam in eo, ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus &c.* c.18.n.68.p.331
33 *Non vales reſiſtere Philiſtæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es, hic autem, &c.* c.15.n. 350. p.114. c.19. num.222.p.460
34 *Veniebat Leo, vel Vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos &c.* c.19.n.256.p.471.c.20. num.147. pag.525
35 *Eruebam de ore eorum*, c.17.n.183.p.287
39 *Dixit Dauid ad Saul: Non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo, & depoſuit ea*, capite 15. numero 335. pagina 109
45 *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini*, c.16.n.283.p.223. cap.20. num.24. p.486
48 *Feſtinauit Dauid, & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi*, capite 15.n.135. pagina 43
49 *Miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit. &c.* c.19. n. 175. p.447. num.175. capite 16. num.280. pag.222
50 *Præualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide, &c.* cap.20. n. 209. pag. 546
55 *Eo tempore, quo viderat Saul Dauid egredientem contra Philiſthæum, ait ad Abner, &c.* capite 19. numero 222. pag. 460
18. 1 *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid*, capite 18. numero 176. pagina 362
10 *Dauid pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans, &c.* c.15.n.197.373. p.62.& 123.c.19.n.61.p.413
11 *Declinauit Dauid à facie eius ſecundò, &c.* c.15. num.394. p.130
19 *Cùm deberet dari Merob filia Saul Dauidi: data eſt Hadrieli Molathitæ vxor*, capite 15. numero 25. & 249. pagina 9. & 80
20 *Dilexit Dauid Michol filia Saul altera*, c.15.n.409. p.100
21 *Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem: tantummodo eſto vir fortis, &c.* cap.16. num. 186.p.193.
19. 1 *Locutus eſt Saul ad Ionatham, &c.* capite 17. n.66.p.253
9 *Dauid pſallebat manu*, cap.20.num.182. pag. 537
10 *Niſuſque eſt Saul configere Dauid lancea in pariete*, cap.15. num. 182.373. & 408. p. 57. 123. & 134. & cap. 16. num. 234. pag. 202. capite 19. n. 61. pag. 413
20. 4 *Dixit autem Dauid ad Ionatham: Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo, &c.* capite 16. num.175. pag. 189
22 *Cur non venit filius Iſai nec heri, nec hodie ad veſcendum*, capite 15. numero 249 pag.80
31 *Omnibus diebus, quibus filius Iſai vixerit ſuper terram, non ſtabileris tu, &c.* c. 18. num.263. p.389
21. 1 *Venit Dauid in Nobe ad Achimelech ſacerdotem, &c.* cap.20. n.169. p.532. c.18. n.236. p.381
6 *Dedit ei ſacerdos ſanctificatum panem*, c.15.n.406. p.134
22. 9 *Conuertimini, & interficite ſacerdotes Domini*, c.17. n.104. p.264
10 *Noluerunt autem ſerui regis extendere manus ſuas in ſacerdotes Domini*, c.17. num.104. ibid.

23. 4 Surge,

Digitized by Google

23. 4 Surge, & vade in Ceilam: ego enim tradam Philiſthæos in manu tua, c.20. num.177.p.535

3 Abiit Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos, & abegit, &c. cap.17. num. 248. pag. 305. c.20. n.236.p.556

9 Dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod; & ait Dauid: Domine Deus Iſrael, c.18. n 99.p.389

10 Audiuit famam ſeruus tuus; quòd diſponat Saul venire in Ceilam, vt euertat vrbem, &c.c.18.num.114.p.344.c.20. num.236.p.556

19 Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saulem in Gabaa dicentes: Nonne ecce Dauid latitat, &c. capite 20. numero 177. pagina 535

24. 4 Erat ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saul, vt purgaret ventrem: porro Dauid, & viri eius, &c. cap.16. n.138. p.177. c.18.n.118.p.375

5 Surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saul ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, &c. cap. 15. num.271. & 394. p.87. & 130. c.17. num.217. p.296. c.19. n.55. p.411

23 Abiit ergo Saul in domum ſuam, & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca, c.17. n.254. p.214

25. 25 Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi Domino meo, & da pueris, qui, &c. cap.15. num.261. pagina 84

28 Prælia Domini; Domine mi, tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te, &c. c.16. num.60. p.153

26. 9 Ne interficias eum, quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit, cap.15. numero 271. pagina 87

20 Egreſſus eſt Rex, vt quæreret pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus, c.19. n.128. p.434

27. 2 Surrexit Dauid, & abiit ipſe & ſexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch, &c. cap.16. num.115. p.171. c.18. n.212. p.373

28. 4 Saul abſtulit magos, & Ariolos de terra, c.15. n.307. p.99

8 Diuina mihi in pithone, & ſuſcita mihi quem dixero tibi, c. 17 num. 92. pagina 260

9 Ecce tu noſti quanta fecerit Saul, & quomodo eraſerit magos, & ariolos de terra, &c.c.17.n.92. ibid.

11 Samuelem mihi ſuſcita, c.16.n.179.p.190 c.17.num. 189

30. 13 Puer Ægyptius ego ſum ſeruus viri Amalecitæ: dereliquit autem me Dominus meus, &c. cap.15. numero 372. pag.122

31. 4 Dixit Saul ad Armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne forte, &c. cap. 16. n.67. 252. & 303. p.155. 214. & 230. capite 20. n.220. pag.551

32. 3 Quod cum vidiſſet armiger eius, videlicet quòd mortuus eſſet Saul, irruit etiam ipſe, &c. c.16 n.252. p.214

Ex ſecundo Regum.

1. 6 Incumbebat ſuper haſtam ſuam, cap. 15. num.408. p. 134

2. 13 Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & transfodit, & mortuus eſt, &c. c.15 n. 143. p. 46. cap. 16. num 253. p.214

14 Dixit Abner ad Ioab; ſurgant pueri, & ludant ante nos. Et reſpondit Ioab, ſurgant, &c. capite 16. numero 168. pag. 187

3. 27 Cùm rediſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, &c. cap. 15. num.243. p.46. c.16. num.253. p.214.

4. 5 Dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit, capite 18. numero 212. pagina 373

5. 6 Non ingredieris huc niſi abſtuleris cæcos, & claudos, cap. 19. num. 221. pag.460

24. Cùm audieris ſonitum gradientis in cacumine pirorrium, tunc inibis prælium, &c. c.15. num. 327 p.106

6. 7 Iratus eſt indignatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt, &c. cap.19. n.237. pag.465.

10. 3 Putas quod propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideo, &c. cap. 15. numero 132. pag.42

11. 2 Accidit, vt ſurgeret Dauid de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus, &c. c.18. numero 236. pag.381

14 Scripſit Dauid epiſtolam ad Ioab, miſitque per manum Vriæ ſcribens in epiſtola, &c. c.17. n.94. p.261

18 Egreſſi viri de ciuitate bellabant aduerſus Ioab, & ceciderunt de populo ſeruorum Dauid: c.20. n.142. p.523

12. 4 Cum peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, &c. cap.61. num. 37. pag.146

10 Non recedet gladius de domo tua in ſempiternum, eò quòd deſpexeris me, c.18. num.265. p.389

29 Profectus eſt aduerſus Rabath, cumque dimicaſſet, cepit eam, & tulit Diadema Regis eorum, &c. cap. 20. n. 142. pag.523

13. 4 Quare ſic attenuaris Marie fili regis per ſingulos dies, capite 18. num. 108. pag.342

5 Cuba ſuper lectum tuum, &c. cap. 19. num.205. p.455

17 Vocato puero, qui miniſtrabat ei, &c. cap.19. n.229. p.462

19 Aſpergens cinerem capiti ſuo ſciſſa talari tunica, impoſitiſque manibus ſuper caput ſuum, &c. capite 16. numero 105. pag.168

21 Noluit contriſtare ſpiritum Ammon filij ſui, quoniam diligebat eum, cap. 21. num.186. p.628

24 Venit ad regem, & ait: Ecce tondentur

Digitized by Google

tur oues ſerui tui : veniat oro Rex,&c. c.19. n.104. p.426

26 *Intrantes leuauerunt vocem ſuam & fleuerunt c.21. n.109. p.599*

15. 5 *Seruate mihi puerum Abſalom, c. 16. num.169. p.219*

12 *Acceſſiuit quoque Abſalom Achitophel Ghilonitem conſiliarium Dauid, &c. c.20. n.231. p.555*

14 *Ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem, ſurgite : fugiamus, &c. c.16. n.206. p.194*

31 *Infatua quæſo Domine conſilium Achitophel, c.21. num.86. p.590*

16. 4 *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Niphiboſeth. capite 21. numero 155. pagina 616*

9 *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo Regi, vadam, & amputabo caput eius, &c. cap. 21. num. 141. pag.610*

17. 23 *Achitophel videns quod non factum fuiſſet conſilium ſuum, ſtrauit aſinum, &c. c.20. num. 231. pag.555. cap.21. num.86. p. 590*

18. 2 *Dixit Rex ad populum : Egrediar & ego vobiſcum, &c. cap.19. num. 104. pag.426*

5 *Præcepit Rex Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens : ſeruate mihi puerum Abſalom, &c. c.17. n.105. p.264*

8 *Fuit ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multò plures erant, quos, &c. c.15. n.188. p.59*

18. 9 *Accidit, vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid ſedens mulo, cùmque ingreſſus fuiſſet &c. c.15. n.140. p.45. cap.16. num.206. p.199*

19. 18 *Semei filius Gera proſtratus coram rege, cum iam tranſiſſet Iordanem. dixit ad eum, &c. cap.21. n.141. p.610*

19 *Ingreſſus Ioab ad Regem in domum dixit : Confudiſti hodie vultus omnium ſeruorum, &c. capite 17. numero 94. p.261*

31 *Berzellai quoque Galaadites deſcendens de Rogelim traduxit Regem Iordanem, &c. cap.21. n.155. p.616*

21. 17 *Tunc iurauerunt viri Dauid : dicentes iam non egredieris nobiſcum, &c. c.19. n.104. pag.426*

23. 8 *Hæc nomina fortium Dauid ſedens in Cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres, &c. c. 15. n. 359. p.117*

13 *Surrexit Dauid, & viri eius, &c. c. 20. num 213. p.548*

15 *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam, cap.15. num. 125. pag.40. c.16. numero 145. p.179*

16 *Irruperunt tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam, &c. cap.15. n.394. p.130. c.16. n.104. & 297. pagina 168. & 228*

12 *Ithai filius Ribai de Gabaath filiorum Beniamin, c.19. n.219. p.459*

24. 17 *Ego ſum, qui peccaui.. vertatur obſecro, manus tua contra me, c.15. n.394. p.130 c.16. n.261. p.226*

Ex tertio Regum.

2. 8 *Noli pati eum eſſe innoxium, cap. 19. num.270. p.474*

36 *Ædifica tibi domum in Ieruſalem, & habita ibi, & non egredieris huc atque illuc, &c. capite 19. num. 232. pagina 463*

5. 11 *Salomon præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, &c. c.21. n.50. p.577*

9. 11 *Dedit Salomon Hiram Regi: &c. cap.21. num.50. ibid.*

11. 2 *Ædificauit Salomon fanum chamos Idolo Moab in monte, qui eſt contra Ieruſalem, &c. capite 18. num. 255. pag.387*

28 *Erat Ieroboam vir fortis, & potens, videnſque Salomon adoleſcentem bonæ indolis, &c. capite 15. numero 402. pagina 133*

12. 1 *Venit Roboam in Sichem, cap. 21. n.175. pag.623*

4 *Imminue paululum de imperio patris tui duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit nobis, cap. 15. numero 403. pag.133*

8 *Quod mihi datis conſilium, vt reſpondeam populo huic, capite 21. num. 175. pagina 623*

20 *Conſtituerunt eum Regem ſuper omnem Iſrael. Ædificauit autem Ieroboam. &c. c.15. n.337. p.110*

26 *Dixit Ieroboam in corde ſuo : Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit, &c. cap. 15. numero 92. pagina 30*

28 *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, c.15. n.404. p.133*

13. 4 *Extendit manum ſuam de altari dicens: Apprehende eum, & exaruit manus eius, c.19. n.137. p.436*

5 *Altare ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari iuxta ſignum quod prædixerat vir Dei, &c. cap.15. num. 215. p.68. cap.20. n.155. p.527*

9 *Non comedes panem, neque bibes aquam, c.21. n.115. p.701*

11 *Propheta autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij ſui, &c. capite 19. numero 188. pagina 450*

15 *Veni mecum domum, vt comedas panem. Qui ait : Non poſſum reuerti, neque venire, &c. capite 15. numero 153. pag.49*

18 *Ego Propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini, &c. capite 19. numero 66. pagina 404*

19 *Comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam : cumque ſederent ad menſam, &c. capite 19. numero 137. pagina 436*

24. 17 *Erat cadauer eius proiectum in itinere aſinus autem ſtabat iuxta illud, c. 21. num.115. p.601*

33 *Fecit de nouiſſimis populi ſacerdotes excelſorum : quicumque volebat, implebat*

Digitized by Google

bat manum, &c capite 17. num.154. pagina 278

34 *Propter hanc cauſam peccauit domus Ieroboam, & auerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ, cap.15.n.92.p.30*

14. 2 *Surge, & commuta habitum, ne cognoſcaris quòd ſis vxor Ieroboam, &c. cap.16.n.258.p.216*

17. 1 *Viuit Dominus Deus Iſrael, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros, &c. c.21.num.96. p 594*

9 *Surge, & vade in ſarepta Sidoniorum, & manebis ibi, præcepi enim ibi mulieri viduæ, &c.cap. 19. numero 170. pagina 445*

10 *Cùm veniſſet ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier, &c. Da mihi paululum aquæ, &c. capite 18.num.44.pag.246.c.18. num.245.p.383*

12 *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, &c.c.16. num.184.& 221.p.192.& 205*

14 *Hydria farinæ non deficiet, nec lecytus olei minuetur, capite 16. numero 227. pagina 205*

21 *Expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, c.16. n.296.p.228*

18. 1 *Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ, cap. 18. num.210.p.373*

9 *Accidit autem vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo; cumque ingreſſus fuiſſet, &c. capite 15.n 231.p.74*

13 *Numquid non eſt indicatum tibi Domino meo, quid fecerim, cum interficeret Iezabel Prophetas Domini, &c. cap. 19. num.176. p.447*

17 *Venit Achab in occurſum Eliæ, & cùm vidiſſet eum, ait: Tu ne es ille, qui conturbas Iſrael, cap. 16. numero 174. pagina 188*

25 *Eligite vobis bouem vnum, & facite primi, quia vos plures eſtis; bouem impoſuerunt aris, &c. cap.17. num. 218. toto §. pag.196*

26 *Inuocabant nomen Baal de mane vſque ad Meridiem dicentes: Baal exaudi nos, c.17.n.24.p.240*

29 *Poſtquam tranſiit meridies, & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificium, &c.capite 19. numero 212. pag. 457*

40 *Duxit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos ibi, c.15.n.251.p.81.*

19. 1 *Nuntiauit Achab Iezabel omnia, quæ fecerat Elias, capite 15. numero 251. ibidem*

2 *Miſit Iezabel nuntium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, &c. c.19.c.212.p.457*

3 *Timuit Elias, & ſurgens abiit quocumque eum ferebat voluntas, &c. capite 16. numero 263. pagina 217. capite 17. num.24. pagina 240*

5 *Proiecit ſe, & obdormiuit in vmbra iuniperi, & Ecce Angelus Domini tetigit eum, &c. cap.18.num.210.p.373.c.20. num 222.p.551*

6 *Ecce ad caput ſuum ſubcineritius panis, & vas aquæ, capite 19. numero 135. pagina 436*

7 *Reuerſus eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum, dixitque illi, ſurge, &c. cap.20.n.222.p.551*

27 *Cum audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, &c. cap. 19. n. 51. p. 410. cap.17.n.226. p.299*

29 *Quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius, cap. 17. numero 226. p.299*

22. 5 *Dixit Ioſaphat ad Regem Iſrael: ſicut & ego ſum, ita & tu populus meus, & populus tuus vnum ſunt, cap.20. n.30. pag.488*

17 *Vidi cunctum Iſrael diſperſum in montibus quaſi oues non habentes Paſtorem, c.17. numero 134. pagina 473. c.17.n.207. pag.293*

31 *Non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam, niſi contra Regem Iſrael ſolum, capite 16. num. 261. pagina 216*

32 *Cùm vidiſſent Principes curruum Ioſaphat, ſuſpicati ſunt, quod ipſe eſſet rex Iſrael, &c. capite 15. numero 230. pagina 74*

34 *Vir quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit Regem, &c.c.15. num.230.pag.74.c.16. num.261*

Ex tertio Regum.

1. 2 *Miſit nuncios dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm bibere queam, &c. c.17.num.70.257. p.254.& 308. capite 18. numero 105. pag. 341*

8 *Iterum miſit Principem quinquagenarium tertium, & quinquaginta, qui erant cum eo, &c. c.19.n.118.p.431*

9 *Aſcendit ad eum, ſedentique in vertice montis ait: Homo Dei, &c. cap. 21. 124. pag.604*

10 *Deſcendit ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo, cap.21. num.59.p.580*

2. 4 *Non vidit eum amplius; apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes, cap.15.n.160.p.51*

6 *Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe Domine perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, cap.15. numero 204. pagina 64*

9 *Obſecro vt fiat in me duplex ſpiritus tuus cap.15.num.173.pag.54.c.17.n.138. pag. 274*

11 *Ecce currus igneus, & equi ignei, diuiſerunt vtrumque & aſcendit Elias per turbinem in cælum, &c. cap.16.n.224. pag. 205*

12 *Videbat, & clamabat, cap.18. num.144. pagina 438*

24 *Egreſſi ſunt duo Vrſi de ſaltu, & lacerauerunt ex eis quadraginta duos pueros, capite 16. numero 268. pagina 218*

3. 22 *Deſcendit ad eum rex Iſrael, & Ioſaphat*

Rex Iuda, & Rex Edom, &c. cap.21. num.18.p.566

20 *Factum eſt mane, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aqua veniebat per viam Edom, cap. 17. num. 251. pagina 306*

22 *Primo mane ſurgentes, & orto iam ſole ex aduerſo aquarum viderunt Moabitæ è contra, &c. cap.15. numero 131. pagina 42*

27 *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum, capite 20.num.19. & 64.p.85.& 497*

4. 1 *Ecce creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi,cap.19. n.232. pag.463*

5 *Illi offerebant vaſa, & illa infundebat, cap.19. n.176. p.447*

16 *Creuit autem puer, vt cùm eſſet quadam dies. & egreſſus eſſet ad patrem ſuum, &c. c.21. num.38.p.573.c.21.n.217. pagina 639*

19 *Caput meum doleo,caput meum doleo,c.21. num.185.p.628*

34 *Poſuit os ſuum ſuper os eius, & oculos ſuos ſuper oculos eius, & manus ſuas ſuper manus eius, &c. cap.16. num.264. pagina 217*

35 *Incubuit ſuper eum, & oſcitauit puer ſepties,aperuitque oculos,&c. c.16.n.268. toto §. p.218.*

5. 10 *Miſit ad eum Eliſaus dicens: vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem, &c. c.19. n.202. 207. pag.454. & 456*

16 *Obſecro vt accipias benedictionem à ſeruo tuo,c.15.n.217. p.202*

22 *Modo venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis Prophetarum c.16. n.217.p.202*

6. 29 *Dixit ad eos Eliſaus: Non eſt hac via, neque iſta èſt ciuitas:ſequimini me, &c. c.16. n.136. p.177*

22 *Non percuties, nec enim cepiſti eos arcu, & gladio tuo; vt percutias; ſed pone panem, &c. cap.16. numero 136. ibidem.*

23 *Vltra non venerunt latrones Syriæ in terram Iſrael, cap.19. num.85.p.420.*

30 *Scidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum, viditque omnis populus cilicium, &c.c.16. n.260.p.216*

7. 16 *Egreſſus populus diripuit caſtra Syriæ, cap.16. n.260. ibid.*

12. 17 *Direxit faciem ſuam, vt aſcenderet in Hieruſalem: quamobrem tulit Ioas Rex Iuda, &c. capite 18. num. 148. pag. 354*

13. 15 *Affer arcum & ſagittas: cumque attuliſſet ad eum arcum & ſagittas dixit, &c. c.19.n.85.p.420*

17. 23 *In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium in ſummitate libani,& ſuccidi,&c.c.16.n.17.p.143.*

19. 23 *Per manum ſeruorum tuorum exprobraſti Domino, & duxiſti: In multitudine curruum, &c. c. 15. num. 348. pag. 114*

20. 1 *In diebus illis ægrotauit Ezechias vſque ad mortem, c.15. n. 350. p.114. c.21. num.218.p.640*

5 *Audiui orationem tuam, & vidi lacbrymas tuas, & ecce ſanaui te, &c. c.15. num.351.p.115*

21. 3 *Erexit aras Baal,& fecit lucos, cap.17. num.89.p.259*

Ex ſecundo Paralipomenon.

18. 3 *Veni mecum in Ramoth. Galaad. c. 16. n.191.p.194*

19. 2 *Dixit Rex Iſrael ad Ioſaphat: Sume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus,&c.c.16. n.191 ibid.*

Ex ſecundo Eſdræ.

5. 2 *Accipiamus pro pretio eorum frumentum & comedamus, & bibamus, c.17.n.30. pag.242*

13. 10 *Cognoui quod partes Leuitarum non fuiſſent datæ,& fugiſſet vnuſquiſque in regionem ſuam,c.17. n.31. ibid.*

Ex Tobia.

1. 2 *In captiuitate poſitus viam veritatis non deſeruit, ita vt omnia, quæ habere poterat, &c. c.19. n.126.p.433*

3. 16 *Tu ſcis Domine, quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam, c.21. n.177.p.624*

4. 18 *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue, &c. cap.17.n. 58. pag.251*

5. 4 *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua,c.21.n.51. pag.578*

6. 2 *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum, cap.20.n.208. p.546.c.15. num.34. p.112*

4 *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te. c.15. n.342. p.112*

8 *Cordis eius particulam, ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus Dæmoniorum, &c. cap. 20. num.208. pag.546*

13 *Pete eam à Patre eius, & dabo tibi eam in vxorem, c.15. n.67. p.23*

17 *Hi qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, &c. c.21. n.177. p.624*

8. 2 *Protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones, &c.c.15. num.381. p.125*

3 *Tunc Raphael Angelus apprehendit Dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris,&c.c.15. n.268. p.86. c.20. num.208. p.546*

4 *Tunc hortatus eſt Virginem Tobias, dixitque ei Sara: Exurge, & deprecemur Deum, &c.c.15.n.381.p.125*

12, 3 *Me duxit, & reduxit ſanum pecuniam à gabello ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, cap. 17. n.249. pag.306*

5 *Rogare cœperunt,vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, &c. cap.18. n.77.p.333*

6 Benedi

Digitized by Google

6 *Benedicite Deum cœli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei, quia fecit vobiſcum. &c. cap. 18. numero 85. pagina 335*

15 *Ego ſum Raphael Angelus vnus de ſeptem qui aſtamus ante Deum, cap. 18. n. 81. pag. 334*

Ex Iudith.

10. 3 *Vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram: &c. cap. 21. num. 165. p. 620.*

18. *Quis contemnat populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habet, vt non pro his, &c. cap. 16. numero 21. pagina 143*

12. 10 *Suade Hebræam illam, vt ſpontè conſentiat habitare mecum, cap. 16. n. 44. pagina 148*

12 *Tunc introiuit Vagao ad Iudith, & dixit: Non vereatur bona puella introïre ad Dominum, &c. capite 16. numero 36. pagina 146*

20 *Iucundus factus eſt Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, cap. 21. num. 165. p. 620*

13. 8 *Acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput lectuli eius, & pugionem eius, qui in ea, &c. capite 16. numero 44. pagina 148*

20 *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, &c. c. 21. n. 165. p. 620*

Ex Eſther.

1. 3 *Fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, & Medorum, &c. cap. 18. n. 246. pagina 384*

3. 4 *Nuntiauerunt Aman ſcire cupientes, vtrùm perſeueraret in ſententia, cap. 20. num. 79. p. 502*

8 *Dixit Aman Regi Aſſuero: Eſt populus per omnes Prouincias regni tui diſperſus, &c. capite 20. numero 42. pagina 492*

9 *Decerne vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ, c. 16. n. 218. p. 203. cap. 20. n. 232. pagina 555*

15 *Statim in Suſan pependit edictum Rege & Aman celebrante conuiuium, &c. capite 20. n. 201. p. 543*

5. 4 *Obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui, c. 20. n. 189. p. 539*

6. 3 *Quid pro hac fide honoris & præmii Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius, capite 19. numero 246. pagina 384*

7. 4 *Traditi ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus, cap. 21. num. 28. p. 569*

10 *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo, cap. 20. num. 232. pag. 555*

14. 1 *Eſther Regina confugit ad Dominum pauens periculum, quod imminebat, c. 20. num. 201. p. 543*

15 *Ingreſſa cuncta per ordinem oſtia ſtetit coram Rege, capite 19. numero 50. pagina 410*

13. *Non pro te; ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt, capite 21. numero 28. pagina 569*

16. 9 *Nec putare debetis, ſi diuerſa iubemus ex animi noſtri venire leuitate; ſed pro qualitate. &c. cap. 16. num. 218. pag. 203*

Ex Iob.

1. 5 *Cum in orbem tranſiſſent dies, &c. c. 21. num. 47. p. 576*

8 *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quod non ſit ei ſimilis in terra? cap. 18. num. 135. p. 350*

11 *Extende paululum manum tuam, & tange cuncta quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi, capite 19. num. 91. pag. 422*

19 *Filiis tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti, repentè ventus vehemens, &c. c. 20. n. 215. p. 549*

20 *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens, &c. cap. 16. p. 226. n. 291. c. 19. n. 266. p. 473. c. 20. n. 133. 145. p. 520. & 525. cap. 21. num. 30. 47. & 55. p. 570. 576. & 579*

2. 4 *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua, &c. c. 19. num. 91. p. 422*

6 *Ecce in manu tua eſt, verumtamen animam illius ſerua, cap. 18. num. 174. c. 21. n. 30. p. 570*

7 *Percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta, &c. c. 20. n. 133. p. 520. cap. 21. n. 136. pag. 608*

9 *Dixit illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo & morere, c. 16. num. 302. toto §. p. 230. cap. 15. num. 266. p. 85. c. 19. n. 233. pag. 264*

13 *Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo, &c. cap. 19. num. 275. p. 475*

3. 5 *Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine, c. 19. n. 108. p. 428*

8 *Maledicant dies, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan, c. 17. n. 48. p. 248*

9 *Obtenebrentur ſtellæ caligine eius, cap. 19. num. 64. p. 414*

13 *Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum Regibus, & Conſulibus, &c. c. 17. n. 49. pag. 248. cap. 19. num. 121. p. 432*

6. 26 *Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis, & ſubuertere nitemini amicum veſtrum, c. 21. n. 130. p. 606*

7. 20 *Peccaui quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? Quare poſuiſti me contrarium tibi, &c. c. 21. n. 128. p. 605*

10. 16 *Reuerſus mirabiliter me crucias: inſtaura*

Digitized by Google

ſtauras teſtes tuos contra me, &c.c.19. n.258.p.471

11. 12 *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat, cap.15. n.349. p.114*

12. 7 *Caligauit ab indignatione oculus meus, & membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt, &c. c.20. n.137. p.522*

13. 26 *Scribis contra me amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ, c.19. n.187. p.450*

14. 7 *Lignum habet ſpem, ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit, & rami eius pullulant, c.20.n.46.p.493*

10 *Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus, atque conſumptus, vbi quaſo eſt, c.20. n.46.ibid.*

15. 21 *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur, cap. 19. num.34. pagina 404*

17. 5 *Prædam pollicetur ſociis; & oculi filiorum eius deficient, cap. 15. num. 146. pagina 47*

9 *Tenebit iuſtus viam ſuam, & mundis manibus addet fortitudinem. Igitur omnes vos, &c. c.20. n.138. p.522*

14 *Putredini dixi Pater meus es tu; mater mea, & ſoror mea vermibus, cap. 15. num.353. p.115*

17. 6 *Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt extinguetur, &c. c.16. num.161. & 200. pagina 184. & 197*

7 *Arctabuntur greſſus virtutis eius, & præcipitabit eum conſilium ſuum, &c.c.17. num.82. p.257*

19. 3 *En decies confunditis me, & non erubeſcitis opprimentes me, nempe etſi ignoraui, &c. c.20.n.66. p.498*

5 *Vos contra me erigimini, & arguitis me opprobriis meis. Saltem nunc intelligite, &c. cap.20. num.126. pagina 517.*

15 *Inquilini domus meæ, & ancillæ ſicut alienum, &c. c.18. n.91. p.337*

20 *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & relicta ſunt tantummodò labia &c. c.18.n.174. p.362*

21 *Miſeremini mei, miſeremini mei, ſaltem vos amici mei, quia manus Domini, &c. c.15.266. p.85*

20. 11 *Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius, & cum eo in puluere dormient, c.15. n.35. p.12*

21. 7 *Subleuati ſunt, confortatique diuitiis. ſemen eorum permanet coram eis, &c, c.18. n.123 pag.347*

21. 9 *Domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos, &c.c.18. num.142. p.353*

10 *Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris, & cum reddiderit, tunc ſciet, &c.c. 15. num.239. p.77*

32. *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit: Dulcis fuit glareis, &c. c.25. n.302. p.98*

26. 5 *Ecce Gigantes gemunt ſub aquis, & qui habitant cum eis: nudus eſt infernus coram illo, &c.c.16.n.160. p.184*

29. 18 *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam, c.20. numero 145. p.525*

20. 2 *Vita ipſa putabantur indigni, egeſtate & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, &c. cap. 18. num. 169. pagina 361*

21. 18. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum, c.15. num. 110. p.35. cap.19. num.159. p.442*

32. 3. *Iratus indignatuſque eſt Elihu filius Barachel Buzites de cognatione Ram, &c. capite 18. n.95. p.338*

33. 8 *Dixiſti ergo in auribus meis, &c. c.21. n.17. p.566*

34. 17. *Qui dicit Regi, Apoſtata, qui vocat Duces impios, cap. 19. numero 105. pagina 427*

35. 2 *Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio, vt diceres: iuſtior ſum Deo? &c. c.20. n.185. p.538*

15 *Nunc enim non infert furorem ſuum, nec iraſcitur zelus valdè, c.20. n.130. pagina 519*

39. 5 *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? cui dedi in ſolitudine domum, &c. cap.16. num. 18. pag. 141*

13 *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris, quando derelinquit oua ſua, &c.c.15. n.87. p.29*

25 *Vbi audierit buccinam, dicit vah, &c. capite 18. num. 145. 203. pagina 353. & 370*

29 *Inde contemplatur eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt: pulli eius lambunt &c. c.18.231. p.379*

40. 9 *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fænum quaſi bos comedet. fortitudo eius in lumbis eius, c.20. n.91. p.506*

15 *Omnes beſtiæ agri ludent ibi ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, c.18. num.245. p.383*

16 *Sub vmbra dormit in ſecreto calami, & in locis humantibus: protegunt vmbræ vmbram eius, &c. c. 20. numero 92. pagina 507*

41. 6 *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia, c.20. num.91. p.506*

42. 3 *Inſipienter locutus ſum, & quæ vltra modum excedunt ſcientiam meam: idcirco &c. c.20.n.151. p.326*

6 *Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis locuti coram me rectum, c.20.n.161. p.529*

12 *Dominus benedixit nouiſſimis Iob magis quam principio eius, cap.20. num.133. pag. 520*

47. 7 *Poſtquam locutus eſt Deus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphar Themanitem, &c. c.21. num.17. p.566*

Ex Pſalmis.

4. 3 *Filij hominum vſque quo graui corde? vt quid diligitis vanitatem, &c. cap.17. num.125. p.270*

6. 8 *Turbatus eſt à furore oculus meus, inueteraui inter omnes inimicos meos. c.15. num.84. p.28*

8. 2 *Domine*

8. 2 Domine Dominus noſter, quam admirabile eſt nomen tuum, &c. cap. 16. num.277.p.222

9.14 Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor, c.19.n.217.p.458

13.3 Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem, &c. c.17.n.30.pag.242

5 Dominum non inuocauerunt illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor, c.20. num.87.p.505

22. 4 Virga tua, & baculus tuus, ipſa me conſolata ſunt: paraſti in conſpectu, & c.21.n.64.p.582

30. 4 Fortitudo mea, & refugium meum es tu, & propter nomen tuum educes me, &c. c.21.n.29.p.570

31. 4 Quoniam die ac nocte grauata eſt ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, &c. c.15.n.98.p.32

32. 22 Mors peccatorum peſſima, c.16.n.307. pag. 232

33. 10 Timete Dominum omnes Sancti eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum, &c. c.16.n.273.p.220

36. 14 Gladium euaginauerunt peccatores: intenderunt arcum ſuum, vt deijciant pauperem, &c. c.16. n.45.p.149

37. 8 Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea, c.16. num.126. & 84.pag.205. & 161

13 Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur, c.19. n.269.p.474

39. 13 Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui vt viderem, &c. cap.15. num.106.p.34

41. 4 Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte, c.15.n.345.p.113. cap. 16. num.247.p.212

44. 7 Sedes tua Deus in ſeculum ſeculi, virga regni tui, c.20.n.195.p.541

14 Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus cap.21. n.121.p.603

48. 12 Tabernacula eorum in progenie, & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis, c. 18. num. 227.p.378. cap.21. n.93.p.593

13 Comparatuseſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis, c.15. num. 94. capite 19. num.69.p.415

49. 15 Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me, cap.16. n.280. pag.222

61. 10 Verumtamen vani filij hominum, mendaces filij hominum in ſtateris, c. 15. num.350.p.114

72. 2 Mei autem pene moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei, cap.20. n.139. pagina 522

3 Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns, c.18.n.257.p.387

5 In labore hominum non ſunt, & cum hominibus non flagellabuntur, c. 18. n.40. 143.p.323. & 353

7 Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis, c.17.numero 108.p.265.cap.19.numero 249. pag.469

20 Velut ſomnium ſurgentium Domine, imaginem ipſorum ad nihilum rediges, c.20. num.192.p.540

73. 3 Factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, ibi confregit potentias arcuum, c.21.n.31.p.571

27 Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata, c.19. n.95. toto §.p.423

30 Non ſunt fraudati à deſiderio ſuo adhuc eſca eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, cap.19. n.255. pagina 470

45 Miſit in eos cænonimyiam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos, c.15. num.133. pag.75

57 Auerterunt ſe & non ſeruauerunt pactum, quemadmodum patres eorum conuerſi ſunt in arcum prauum, cap.16. n. 215. pag.202

58 In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis, &c. c.19.n.28. pag.402

60 Repulit tabernaculum ſilo, tabernaculum ſuum vbi habitauit in hominibus, c.18. num.243.p.383

80. 17 Cibauit eos ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos, capite 17. num.235.p.302

81. 1 Deus ſtetit in ſynagoga Deorum in medio autem Deos diiudicat, c.17. n.112. pag.266

4 Eripite pauperem & egenum de manu peccatoris liberate: neſcierunt, neque intellexerunt, c.19.n.146. p.439.

6 Ego dixi Dij eſtis, & filij excelſi omnes, c.18. n.98. p.339

91. 8. Cum exorti fuerint pecca tores ſicut fænum, c.18. n.220. p.376

13 Iuſtus vt palma florebit, capite 18. numero 220. ibid.

98. 6 Moyſes & Aaron in ſacerdotibus eius, cap.20. n.170. p.532

103. 20 Poſuiſti tenebras & facta eſt nox, in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ, &c. cap.18. num.34.p.321

26 Draco iſte quem formaſti ad illudendum ei c.16. n.68.p.156

104. 37 Eduxit eos cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus, capite 19. n.94. p.425

105. 14 Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo, & dedit eis petitionem, &c. c.15 n.51. p.18.

20 Fecerunt vitulum in Horeb, &c. c.15.n.52. toto §.p.18

37 Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis, c.20. n.64. p.497

38 Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, &c. c.15. n.90. p.29

109. 4 Iurauit Dominus, & non pœnitebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum ordinem Melchiſedech, c.17.n.61. pag. 252

112. 5 Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, capite 18. num. 131. pag.349

113. 8 Oculos habent, & non videbunt, aures

habent, & non audient, &c. capite 19. num. 209. p. 456
9 *Simulachra Gentium argentum & aurum. os habent, & non loquentur, &c.* cap. 21. num. 131. p. 606
115. 15. *Pretioſa in conſpectu Domini mors Sanctorum eius*, capite 16. num. 307. pag. 232
117. 18. *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me*, cap. 19. n. 254. pag. 470
118. 75 *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate humiliaſti me*, cap. 20. n. 125. p. 517
76 *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi*, c. 18. n. 22. p. 318
120. 4. *Ecce non dormitabit, neque dormiet*, c. 15. n. 330. p. 107
127. 3 *Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ*, capite 19. num. 230. pagina 463
128. 3 *Supra dorſum meum fabricauerunt peccatores, prolongauerunt iniquitatem ſuam, &c.* c. 19. n. 57. p. 412
136. 1 *Super flumina Babylonis illic ſedimus, & fleuimus, dum recordamur tui Sion, &c.* cap. 15. num. 156. p. 50. cap. 18. num. 175. p. 362
138. 11 *Et dixi: forſitan conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis, &c.* c. 19. n. 110. p. 428
148. 13 *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit; comparatus eſt iumentis inſipientibus, &c.* capite 17. numero 153. pag. 278

Ex Prouerbiis.

1. 17 *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum*, c. 15. n. 138. p. 44
20 *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat &c.* c. 21. n. 199. p. 633
2. 14 *Lætantur cum malefecerint, & exultant in rebus peſſimis*, capite 15. num. 79. pag. 26
3. 2 *Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas*, capite 20. num. 106. p. 511
9 *Honora Deum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum*, c. 17. num. 98. p. 262
25 *Ne paueas repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, &c.* cap. 19. n. 167. pag. 444
5. 2 *Ne attecdas fallaciæ mulieris; fauus enim diſtillans labia meretricis*, c. 16. num. 130. p. 175
7. 10 *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio præparata ad capiendas animas garrula & vaga, &c.* cap. 15. num. 59. pag. 20
13 *Apprehenſum oſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens: victimas pro ſalute voui, &c.* c. 15. num. 100. pag. 32
18 *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies non eſt enim vir, &c.* c. 15. n. 176. p. 55
21 *Irretiuit eum multis ſermonibus, ex blanditiis labiorum protraxit illum, &c.* c. 18. n. 156. p. 357
22 *Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam*, cap. 15. n. 300. p. 97
23 *Velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quod de periculo animæ illius agitur*, c. 15. n. 317. p. 103
8. 1 *Numquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque, &c.* cap. 18. num. 156. pagina 357
14 *Fuge dilecte mi, aſſimilare capreæ, hinnuloque ceruorum ſuper montes aromatum* c. 15. n. 175. p. 55
9. 1 *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit, &c.* c. 18. num. 158. p. 357
13 *Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris, & nihilominùs ſciens ſedit in foribus domus ſuæ, &c.* cap. 16. n. 163. pag. 185
17 *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior, & ignorauit quod ibi ſunt, &c.* cap. 15. numero 127. pagina 40
10. 23 *Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus; ſapientia autem eſt viro prudentia* c. 16. n. 170. p. 187
14. 17 *Impatiens operabitur ſtultitiam*, cap. 19 num. 265. p. 473
26. 3 *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium*: c. 15. num. 107. p. 34
18 *Sicut noxius, qui mittit ſagittas, & lanceas in mortem, ita vir qui fraudulenter nocet amico ſuo, &c.* cap. 16. n. 169. pag. 187
27. 6 *Meliora ſunt vulnera diligentis, quam fraudulenta oſcula odientis*, cap. 20. num. 98. p. 508
14. *Qui benedixit proximo ſuo voce grandi de nocte conſurgens maledicenti ſimilis erit* c. 20. n. 99. p. 510
23 *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuoſque greges conſidera: non enim habebis iugiter, &c.* capite 20. num. 82. pag. 503
30. 15 *Sanguiſugæ duæ ſunt filiæ dicentes: Affer, affer*, capite 15. numero 390. pagina 128
18 *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo, &c.* c. 19. n. 286. p. 480
27 *Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas* c. 17. num. 135. pag. 273

Ex Eccleſiaſte.

1. 7 *Ad locum, vnde exeunt flumina reuertuntur, vt iterum fluant*, cap. 15. num. 401. p. 132
10. 16 *Væ tibi terra, cuius rex puer eſt, & cuius Principes mane comedunt*, cap. 15. num. 319. p. 103

Ex

Ex Canticis Canticorum.

1. 1 *Oſculetur me oſculo oris ſui*, cap. 15. num. 374. p. 122

2 *Oleum effuſum nomen tuum; ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me, &c.* cap. 15. n. 73. p. 254. c. 16. num. 277. pag. 222

3 *Trahe me, poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum*, cap. 15. num. 330. pag. 107

4 *Nigra ſum, ſed formoſa*, cap. 21. num. 19. pag. 566

5 *Filij matris meæ pugnauerunt contra me poſuerunt me cuſtodem in vineis*, c. 21. num. 123. p. 604

6 *Indica mihi quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie* cap. 15. num. 376. p. 124. cap. 19. num. 106. & 132. p. 427. & 435. c. 20. num. 122. pag. 516

7 *Si ignoras te ô pulcherrima inter mulieres egredere, & abi poſt veſtigia gregum, &c.* cap. 15. num. 365. pagina 120. cap. 19. n. 132 195. pag. 435. & 452. cap. 20. n. 121. p. 516

12 *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur*, c. 17. n. 57. pag. 152

2. 3 *Sicut malus inter ligna ſyluarum, ſic dilectus meus inter filios ſub vmbra illius, &c.* c. 21. n. 132. p. 607

8 *Ecce iſte venit ſaliens in montibus tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ, hinnuloque ceruorum, &c* c. 16. num. 56. p. 152

14 *Columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ*, capite 19. num. 234. pag. 464

15 *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas*, cap. 15. num. 2. 201. & 226. pag. 2. & 64. & 72.

17 *Dilectus meus mihi, & ego illi, qui paſcitur inter lilia*, c. 16. n. 50. p. 150

3. 1 *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni, &c.* cap. 15. num. 36. 60. 155. pag. 13. 21. & 50. cap. 16. n. 228. p. 206. c. 18. n. 22. p. 318

2 *Surgam & circuibo Ciuitatem, per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea*, cap. 15. num. 71. & 223. 228. 225. 323. p. 24. 71. 82. & 105. c. 16. num. 75. p. 158

3 *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem, num quem diligit anima mea vidiſtis*, capite 16. num. 50. p. 150. c. 18. n. 36. p. 322

4 *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per aquas, ceruoſque camporum ne ſuſcitetis, &c.* c. 15. n. 29. 36. p. 12. & 13

6 *Quæ eſt iſta, quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex aromatibus myrrhe*, cap. 16. n. 307. p. 232

4. 1 *Quam pulchra es amica mea, quam pulchra es.* cap. 18. num. 177. pag. 363. c. 21. num. 120. p. 603

2 *Veni de libano ſponſa mea, veni de libano, veni coronaberis de capite Hamana, de vertice, &c.* c. 15. num. 273. pag. 88.

3 *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce*, cap. 18. num. 46. pag. 224. & 338. & 94. cap. 20. num. 95. & 153. pag. 508. & 527

5. 2 *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, quia caput meum plenum eſt rore, &c.* cap. 15. num. 330. & 71. pag. 107. & 24. cap. 16. num. 56. p. 152. c. 21. n. 154. p. 615

3 *Spoliaui me tunica mea, quomodo induar illa? laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* c. 18. n. 22. p. 318

4 *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen & venter meus intremuit ad tactum eius*, c. 20. n. 76. p. 501

7 *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: &c.* cap. 15. num. 323. p. 105. cap. 16. num. 50. 307. p. 150. & 232. cap. 17. num. 64. & 86. p. 252. & 258. cap. 18. n. 36. p. 322. cap. 19. num. 254. p. 470. cap. 21. numero 19. & 98. p. 566. & 595

8 *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo: quæſiui, & non inueni illum, &c.* cap. 16. num. 75. pag. 158. cap. 15. num. 374. p. 123. c. 16. n. 75. p. 158

6. 1 *Deſcendit in hortum ſuum ad areolam aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat*, capite 18. num. 36. pagina 322

3 *Pulchra es amica mea, ſuauis & decora ſicut Hieruſalem, terribilis, vt caſtrorum acies ordinata*, capite 18. n. 177. pagina 363

7. 4 *Oculi tui ſicut piſcinæ in Heſebon*, c. 15. num. 346. 113

5 *Coma capitis tui ſicut purpura Regis vincta canalibus*, capite 18. num. 265. pagina 389

7 *Statura tua aſſimilata eſt palmæ*, cap. 16. num. 309. p. 233

13 *In portis noſtris omnia poma noua & vetera dilecte mi, ſeruaui tibi*, cap. 21. num. 132. pag. 607

8. 2 *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ, ibi me docebis, & dabo tibi poculum, &c.* cap. 21. numero 154. pag. 615

9 *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea, ſi oſtium eſt, &c.* c. 18. num. 214. p. 374

11 *Vir affert pro fructu eius mille argenteos, vinea mea coram me eſt*, cap. 15. n. 200. pagina 63

Ex Sapientia.

4. 9 *Ætas ſenectutis vita immaculata*, c. 19. num. 186

7. 26 *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis, & imago bonitatis illius*, cap. 18. num. 43. pagina 324

10. 7 *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & in certo tempore fructus habentes arbores*, cap. 20. num. 73. p. 500

18. 25 *His*

18. 25 His ceſſit, qui exterminabat, & hæc extimuit, c. 17. num. 252. p. 306

Ex Eccleſiaſtico.

3. 20 Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam, c. 17. n. 194. p. 290

10. 10 Nihil eſt iniquius, quam amare pecuniam: hic enim & animam ſuam venalem habet, c. 15. n. 242. p. 77

18. 18 Stultus acriter improperabit: & datus indiſciplinati tabeſcere faciet oculos, c. 19. n. 160. p. 442

19. 2 Vinum & mulieres apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos, & qui ſe iungit, &c. capite 17. numero 118. pagina 268

24. 22 Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris & gratiæ, cap. 17. n. 41. p. 246

27. 2 Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur, ſic & inter medium venditionis, & emptionis, &c. cap. 20. numero 74. p. 501

11 Leo venationi inſidiatur ſemper, ſic peccata operantibus iniquitates, cap. 20. n. 48 pag. 494

12 Homo ſanctus in ſapientia manet ſicut Sol nam ſtultus ſicut Luna mutatur, numer. 117. c. 20. n. 47. p. 492

30. 8 Equus indomitus euadit durus filius remiſſus euadit præceps: lacta filium tuum &c. c. 17. n. 67. p. 253

31. 48 Ne comprimaris in conuiuio, cap. 19. num. 97. p. 424

49 Somnus ſuauitatis in homine parco: dormiet vſque mane, & anima illius cum ipſo delectabitur, c. 19. n. 98. ibid.

37. 33 In multis eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram &c. c. 19. n. 97. ibid.

46. 1 Fortis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in Prophetis, qui fuit magnus ſecundum nomen ſuum, &c. cap. 16. num. 306. p. 231

Ex Iſaia.

1. 3 Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus præſepe Domini ſui: Iſrael autem, &c. cap. 15. n. 361. p. 118

6 Omne caput languidum, & omne cor mœrens: à planta pedis vſque ad verticem &c. c. 15. num. 41. pag. 14. c. 20. n. 49. pag. 494

8 Et derelinquetur filia Sion, vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, &c. capite 16. num. 243. pag. 211

3. 1 Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum, & fortem, &c. cap. 16. num. 193. p. 195. c. 19. n. 194. p. 452

12 Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt, &c. c. 17. num. 140. p. 274, capite 15. n. 404. pag. 133

5. 3 Nunc ergo habitatores Ieruſalem & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam, &c. cap. 15. num. 284. pagina 92

18 Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum, capite 15. numero 316. pagina 103

6. 2 Ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum Seraphim ſtabant ſuper illud, &c. capite 16. num. 288. pag. 225. capite 20. num. 174. p. 534

3 Dicebant: Sanctus, ſanctus, ſanctus, Dominus Deus exercituum, cap. 18. numero 44. p. 324

5 Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum, capite 18. numero 46. ibidem.

6 Ecce tetigit hoc labia tua, capite 16. numero 248. p. 212

7. 18 Et erit in die illa ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti; &c. capite 15. numero 362. pag. 119

10. 1 Væ qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam ſcripſerunt, &c. c. 21. num. 209. p. 637

11. 6 Dabo pueros Principes eorum, & effœminati dominabuntur eis, & irruet populus vir ad virum, cap. 16. num. 265. pag. 217

7 Vitulus, & Leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus &c. capite 16. numero 266. pagina 218

10 Erit ſepulchrum eius glorioſum, cap. 16. num. 305. p. 231

13. 1 Onus Babylonis, quod vidit Iſaias filius Amos, ſuper montem caliginoſum &c. c. 17. n. 42. p. 324

14. 9 Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui ſuſcitabit tibi Gigantes, c. 16. num. 163. & 190. pagina 185. & 194

12 Quomodo cecidiſti de cœlo lucifer, qui mane oriebaris? Corruiſti, &c. c. 16. num. 231. 308. pag. 207. & 232. c. 18. num. 131. pag. 349. cap. 20. n. 174. & 191. p. 534. & 540

13 Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti, cap. 19. numero 105. p. 427

15 Dicebas in corde tuo: ſimilis ero Altiſſimo, c. 17. n. 184. p. 287

16. 6 Audiuimus ſuperbiam Moab: ſuperbus eſt valde: ſuperbia eius, & arrogantia eius, &c. capite 18. num. 126. pag. 348

7 In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad Sanctum Iſraël, &c. c. 19. n. 77. p. 418

19. 3 Diſrumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo c. 17. n. 127. p. 270

21. 5 Comedentes & bibentes ſurgite Principes, arripite clypeum, cap. 20. n. 121. pag. 516

22. 13 Ecce gaudium, & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum, cap. 19. n. 96. pag. 424

15 Hæc dicit Dominus Deus exercituum: vade,

Digitized by Google

vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, cap.17.num.62. n.171. pag.252. & 283

26. 16 *Domine in anguſtia requiſierunt te in tribulatione murmuris doctrina tua eis, cap. 15. n.158. p.50*

30. 9 *Populus ad iracundiam prouocans, & filij mendaces, filij nolentes audire, &c. cap.18. n.110. p.342*

33. 1 *Væ qui prædaris: Nonne & ipſe prædaberis, & qui ſpernis, nonne & ipſe ſperneris, capite 18. numero 206. pagina 371*

37. 3 *Venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi, cap.16. num.177. pag.189*

38. 14 *Meditabor vt columba, cap.18. n.79. pag.334*

40. 1 *Conſolamini, conſolamini popule meus, dicit Deus veſter, loquimini ad cor, &c. cap.15 n.162. p.51*

42. 13 *Dominus ſicut fortis egredietur, ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur, &c. cap. 19. numero 268. pagina 474*

16 *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, &c. c. 18. num.271. p.391*

47. 1 *Deſcende, ſede in puluere, virgo filia Babylon, ſede in terra, non eſt ſolium filiæ Chaldæorum, cap. 18. num. 36. pagina 327*

51. 2 *Attendite ad Abraham Patrem, &c capite 17. n.145. p.276*

20 *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx, &c. c.15. n.138. & 315. p.44. & 102.*

52. 2 *Solue vincula colli tui captiua filia Sion, c.15. num.314. p.102*

53. 7 *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, & tanquam agnus, &c. cap. 16. n. 101. pag.166*

56. 9 *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum, vniuerſæ beſtiæ ſaltus, &c. c.18. num.101. p.340*

57. 11 *Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo: quia ego tacens, &c. capite 19. num. 56. pag. 412*

20 *Impij quaſi mare feruens, c.15. n. 27. p.11. cap.20. n.73. p.25*

60. 8 *Qui ſunt hi, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas, c.18. num 79. p.334*

65. 20 *Non erit ibi amplius infans dierum, & ſenex qui non impleat dies ſuos, c.21. num.198. p.632*

66. 14 *Videbitis & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra, quaſi herba germinabunt, &c. c.19. n.281. p.477*

Ex Ieremia

2. 8 *Sacerdotes non dixerunt: vbi eſt Dominus? Et tenentes legem neſcierunt me, &c. c.21. n.182. p.627*

14 *Nunquid ſeruus eſt Iſraël, aut vernaculus? Quare ergo factus eſt, &c. cap.15. num.238. p.76*

19 *Arguet te malitia tua, & auerſio tua increpabit te: ſcito & vide, &c. cap. 19. num.236. p.464*

3. 4 *Frons mulieris meretricis facta eſt tibi, noluiſti erubeſcere, cap.20. numero 72. pag.500*

6. 13 *A Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum, & curabant contritionem, &c. c.15. n.152. p.48. cap.21. num. 58. p.580 c.15. 161. p.51*

14 *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes, &c. cap 15. n.161. pag.51. &c. c.18. n.110. p.342*

7. 8 *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis, c.15. num.378. p.124*

17 *Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem: & mulieres conſpergunt, &c. capite 1[illegible]. numero 87. & 44. pag.258. & 246*

12. 8 *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi Leo in ſylua, c.21. n.26. p.569*

15. 17 *Non ſedi in concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ, capite 15. num. 182. pag. 57. cap. 16. num.300 p.229*

16. 16 *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, &c. capite 21. numero 149. pag.613*

17. 5 *Maledictus homo, qui confidit in homine, c.17. n.144. p.305*

29. 21 *Prophetant vobis in nomine meo mendaciter, c.15. n.151 p.48*

31. 21 *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudinem, dirige cor tuum, &c. cap.21. num.162. p.618*

42. 5 *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei, ſi non iuxta omne verbum, in quo, &c. c.18. n.239. p.382*

44. 16 *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te, &c. c.15. num.387. p.127. c.18. n.239. p.380. c.21. n.144. p.611.*

20 *Dixit Ieremias ad omnem populum aduerſum mulieres, &c. capite 19. num.224. pag.461*

Ex Threnis.

1. 2 *Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam, &c. cap. 15. numero 162. pag.51*

4 *Viæ Sion lugent eo quod non ſit, qui veniat ad ſolemnitatem, cap. 21. n.203. pag.634*

12 *O vos omnes, qui tranſitis per viam attendite, & videte, ſi eſt dolor ſimilis &c. c.15. n.236. p.76*

Ex Ezechiele

1. 5 *In medio eius ſimilitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum, &c. c.16. num.287. p. 225*

9 *Iunctæ erant pennæ eorum alterius ad alterum non reuertebantur, cùm incederent, &c. cap. 18. num. 132. p. 349. c.19. n.80. p.418*

10 *Facies hominis, & facies leonis à dextris ipſorum*

Digitized by Google

*ipſorum quatuor : facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, c.*18. *n.*185. *&* 232. *p.*365. *&* 379
8. 11 *Ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa Idola, &c. cap.*17. *num.*208. *p.*294. *n.*15. *n.*378. *p.*124
10. 15 *Eleuata ſunt Cherubim ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar. c.*16. *n.*287. *p.*225
14. 14 *Et ſi fuerint tres viri iſti in medio eius, Noe, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, &c. c.* 16. *n.*100. *pag.*166
16. 4 *Quando nata es in die ortus tui non eſt præciſus vmbelicus tuus: ſed proiecta es, &c. c.*19. *n.*285. *p.*478
17 *Tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines, c.*17. *n.*60. *p.*251
38 *Dabo te in ſanguinem furoris & zeli, & dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuum, &c. c.*19. *n.*228. *p.*462.
17. 3 *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate, &c. c.*15. *n.*136. *&* 389. *p.*43. *&* 128. *c.*17. *num.*96. *&* 157. *p.*262. *&* 279
21. 9 *Vt ſplendeat, limatus eſt, vt cædat victimas, exacutus eſt, capite* 15. *n.*209. *pag.*63.
23. 46 *Adduc adeas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam, & lapidentur lapidibus populorum, &c. c.*19. *num.*36. *p.* 405
33. 12 *Impietas impij non nocebit ei, in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua, c.*20. *n.*205. *p* 545
34. 3 *Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis : quod confractum eſt, & c.*21. *num.*62. *p.*581
37. 1 *Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me : &c. cap.*15. *n.*326. *p.*106
2 *Erant multa valde ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer, cap.* 16. *num.* 275. *pag.*221
10 *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt : ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis, &c. c.* 16. *n.*275. *ibid.*

Ex Daniele.

1. 1 *Venit Nabuchodonoſor Rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, & tradidit Dominus in manus eius, &c. c.*16 *n.*46. *pag.*149
10 *Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum, & potum, capite* 18. *num.* 198. *pag.*369
2. 3 *Vidi ſomnium, & mente confuſus ignoro quid viderim, c.*16. *n.*88. *p.*162
34 *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus & percuſſit ſtatuam in pedibus, &c. c.*16. *num.*259. *p.*216
3. 1 *Nabuchodonoſor fecit ſtatuam auream, cap.*17. *num.*10. *pagina* 236. *cap.* 16. *num.*259. *p.*216
5 *Cadentes adorate ſtatuam auream, cap.*16. *num.*251. *p.*213
17 *Ecce Deus noſter, quem colimus, poteſt eripere nos de camino ignis ardentis, & de manibus tuis, &c. capite* 16. *n.*246. *pag.*212
29 *Peccauimus, & inique egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, &c. cap.* 20. *n.*149. *p.*526. *& cap.*21. *numero* 142. *pag.*610
46 *Non ceſſabant, qui miſerant eos miniſtri Regis, ſuccendere fornacem naphtha, & ſtuppa, & pice, & malleolis, cap.*10. *num.*25. *p.*487
49 *Angelus Domini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam, &c. cap.* 20. *numero* 25. *ibidem*
92 *Species quarti ſimilis filio Dei, capite* 17. *num.*195. *&* 221. *p.*290. *&* 297
95 *Benedictus Deus eorum Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum &c. c.*16. *n.*251. *p.*213
4. 1 *Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo : ſomnium : ſomnium vidi, quod perterruit me, cap.* 16. *num.* 88. *p.*162. *c.*17. *n.*243. *p.*304
8 *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens cælum, &c. capite* 15. *numero* 392. *pagina* 131. *cap.* 21. *numero* 216. *p.*639
9 *Subter eam habitabant animalia, & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cæli, &c. cap.*15. *num.*101. *p.*32. *capite* 17. *num.*10. *pagina* 236. *c.* 18. *num.*127. *p.*348
10 *Ecce vigil, & ſanctus de cælo deſcendit, &c. c.*18. *n.*144. *p.*353
12 *Alligetur vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt, capite* 15. *num.*268. *pag.*86
13 *Ex hominibus abiectus eſt, & fænum vt bos comedit, c.*15. *num.*22. *&* 136. *pagina* 8. *&* 43.
24 *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime, capite* 17. *n.*57. *pag.*250
27. *Nonne hæc eſt Babylon magna, quam ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, capite* 16. *num.* 238. *pag.* 209
33 *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, &c. cap.*19. *n.*271. *p.*474
5. 3 *Allata ſunt vaſa aurea, & argentea quæ aſportauerat de templo quod fuerat in Ieruſalem, &c. capite* 17. *num.* 52. *pagina* 249
4 *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, lignéoſque, &c. capite* 16. *num.*190. *pag.*194
12 *Interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum ac ſolutio ligatorum inuenta ſunt in eo, cap.*17. *num.* 88. *p.*259
17 *Munera tua ſint tibi, & dona domus tuæ alteri da: ſcripturam autem legam tibi, c.*16. *n.*96. *p.*165
23 *Aduerſum Dominatorem cæli eleuatus es, & Idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, &c. capite* 15. *num.* 22. *p.* 8. *cap.*20

cap.20.n.162.p.529.c.21.n.67.p.583.

27 *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens, c.18.n.144.p.353*

28 *Diuiſum eſt regnumtuum, & datum eſt Medis, & Perſis, c.17.n.52.p.249*

30 *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar Rex Chaldæus, c.18.n.144.p.353*

6. 3 *Viri ergo illi curioſius inquirentes inuenerunt Danielem orantem, & obſeruantem, &c.c.16. n.177. p.189*

7 *Conſilium inierunt omnes Principes regni tui, Magiſtratus, & Satrapæ, Senatores, &c.c.16. n.239.p.209*

22 *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora Leonum, & non nocuerunt mihi, &c.c.17.n.221.p.297*

24 *Adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt c.16.n.236.p.208*

7. 2 *Videbam in viſione mea nocte, &c. cap.15. num.28.p.11*

3 *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari diuerſæ inter ſe. Prima quaſi leæna, &c. c.17.num.109.p.265*

4 *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ, aſpiciebam donec auulſæ ſunt alæ eius, &c. c.15.n.30.& 137.& 157.p.11.43.& 50*

8. 23 *Conſurget Rex impudens facie, & intelligens propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius, c.20.n.102.p.510*

10. 12 *Exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos, c.20.n.176. p.535*

13 *Princeps regni Perſarum reſtitit mihi viginti & vno diebus. Et ecce Michael vnus de principibus, &c.c.11.n.83.p.589*

13. 6 *Frequentabant domum Ioachim, cap.15. num.142.p. 46*

14 *Venerunt in vnum, & ſciſcitantes, &c.c.19. num.74.p.417*

15 *Conſulti ſunt de populo duo ſenes iudices in illo anno, c.19.n.189.p.450*

17 *Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & ſmigmata, & oſtia pomarij claudite, vt lauer, c.19.n.241.p.466*

19 *Cùm egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Ecce oſtia, &c.c.15.n.35.p.12*

22 *Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero mors mihi eſt: ſi autem non egero, &c. c.21.n.87.p.591*

45 *Cùm duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dom. ſpiritũ S. pueri iunioris, cuius nomen Daniel, &c.c.19.n.180.& 287.p.448.& 478*

50 *Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis, c.19.n.193.p.452*

51 *Separate illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos. Cùm ergo diuiſi eſſent alter ab altero, &c.c.16. n.209.p.200*

56 *Semen Chanaam, & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum, &c.c.17.n.34.p.243*

57 *Sic faciebatis filiabus Iſrael, & illæ timentes loquebantur vobis, c.19.n.189. p.450*

62 *Interfecerunt eos, & ſaluatus eſt ſanguis innoxius in illa die, c.20.n.134.p.521*

14. 2 *Erat Idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimila, &c.c.16.n.198.p.369*

Ex Oſee.

1. 2 *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationũ, quia fornicãs fornicabitur, c.15.n.38.p.13.c.19.n.48.p.409*

2. 5 *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes mihi, c.15.n.96.p.31.c.16.n.159.p.184. cap.19.n.35.p.404*

6 *Sepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet.c.18. n.264.p.389*

13 *Viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incensũ, & ornabatur in aure ſua &c.c.21.n.202.p.634.c.15.n.55.p.19*

4. 2 *Maledictum, & mendacium, & homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt, c.16.n.40.p.147*

13 *Ipſi locuti ſunt contra me mendacia, & non clamauerunt ad me in corde ſuo, &c. c.15. n.377.p.124*

8. 9 *Onager ſolitarius ſibi, c.15.n.349.p.114.*

14 *Iudas multiplicauit vrbes munitu, & mittã ignem in ciuitates eius, c.10.n.240.p.558*

10. 1 *Vitis frondoſa Iſrael, fructus adæquatus eſt ei ſecundum multitudinem fructus ſui, &c. c.17.n.176.& 245.p.285.& 305.*

12. 5 *Et tu ad Deum tuum conuerteris, miſericordiam, & iudicium tuum cuſtodi, &c. c.21.n.12.p.565*

7 *Chanaam in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit: Et dixit Ephraim, &c. c.15.num.350.p.114*

12. 10 *Locutus ſum ſuper Prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu Prophetarum, &c. c.15.n.214. p.68*

13. 14 *Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne, c.16.n.292.p.226.*

Ex Ioele.

1. 4 *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ, &c.c.20. n.34.p.490*

Ex Amos.

4. 1 *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, c.20.n.33. p.490*

8. 4 *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes, &c. c.15.n.165.p.52.*

Ex Abdia.

2 *Ecce paruulum dedi te in gentibus: contemptibilis tu es valde: ſuperbia cordis tui extulit te. &c.c.15. n.77. p. 26*

Ex Iona.

1. 5 *Ionas deſcendit ad interiora nauis & dormiebat ſopore graui, c.15.n.72.p.25.c.18 num.24.p.318*

7 *Dixit vir ad collegam ſuum: venite, & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malũ ſit nobis, c.20. n.78.p.502*

8 *Quod eſt opus tuum, quæ terra tua, & quo vadis? &c. c.20. n.120.p.516*

12 *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis, ſcio enim ego, quoniam, &c. c.18. n.274. p.392*

2. 2 *Erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus, & orauit Ionas ad Dominum, &c. c.18. n.24. p.318*

6 *Circumdederunt me aquæ vſque ad animam abyſſus vallauit me, pelagus operuit, &c. c.16. n. 276. p.221*

7 *Subleuabis de corruptione vitam meam Do-*

mine Deus meus, c.16.n.176.p.ibid.
15 Dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam, c.16.n.220.p.204
3.4 Cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta, &c.c.15.n.184.c.18.n.24. pag.318
4.1 Afflictus eſt Ionas afflictione magna, c.20. num.241.p.558
2 Obſecro Domine, nunquid non eſt hoc verbum meum: cùm adhuc eſſem in terra mea &c. c.15.n.112.p.35
6 Præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra, &c. c.15.n.216.p.69
7 Percuſſit hederā, & exaruit, c.15.n.235.p.75
8 Percuſſit ſol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, cap.20. n.241.p.558

Ex Michæa.

5.2 Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator, &c.c.15.n.247.p.79

Ex Nahum.

2.3 Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis, ignea habenæ currus, & cap.20. num.190.p.540
7 Miles captiuus abductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes & columbæ, &c. c.18.n.173.p.362
8 Nonne quaſi piſcina aquarum aquæ eius, ipſi verò fugerunt, & c.c.18.n.202.p.370.
3.5 Vendidit gētes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis, c.15.n.355.p.116

Ex Habacuc.

1.3 Factum eſt iudicium, & contradictio potentior, propter hoc lacerata eſt lex, & non peruenit, &c.c.15.n.291.p.95
6 Ecce ego ſuſcitabo Chaldæos gentem amaram & velocem ambulantem, &c.c.17.n.265. pag.310
7 Horribilis & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredieris, c.15.n.90. pag.163
14 Facies hominis quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem, &c.cap.16. num.92.p.164
16 Super hoc lætabitur, & exultabit: propterea immolauit ſagenæ ſuæ, & ſacrificauit reti ſuo, quia in ipſis, &c.c.17.n.269.p.312.
2.4 Cornua in manibus eius: ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius, &c.c.16.n.43.p.148
10 Lapis de pariete clamabit, & lignum quod inter iuncturas ædificiorum eſt, &c.c.15. num.292.p.95
3.7. Pro iniquitate vidi tentoria Æthiopiæ turbabuntur pelles terræ Madian, cap.20 num.211.p.547

Ex Sophonia.

1.4 Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem, cap.18. n.120. & 151.p.346. & 355
9 Viſitabo ſuper omnem qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa, qui complent domum Domini, &c. c.18.n.168.p.360.
2.13 Ponet ſpecioſam in ſolitudinem, & in inuium, & quaſi deſertum, &c. c.18.n.69 pag.331
14 Accubabūt in medio eius greges omnes beſtiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus &c.c.18.n.27.& 164.p.319.& 359
3.3 Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpere non relinquebant, &c. c.11.n.170.p.622

Ex Aggæo.

1.4 Numquid tempus vobis eſt, vt habitetis in domibus laqueatis, & domus iſta deſerta, cap.18.n.50.p.325
2.13 Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate, &c c.18. n.100.p 342

Ex Zacharia.

5.7 Ecce talentum plumbi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ, &c. c.19.n.181.p.445.c.17.n.13.p.237
8 Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius, cap.19. num.72.p.416
9 Ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebāt alas quaſi alas milui, &c.c.15.n.354.p.116.& c.17.n.86. pag.258
11.16 Ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, &c.cap.17. n.187.& 206.p.288.& 293

Ex Malachia.

1.1 Onus verbi ad Iſrael in manu Malachiæ, c.18. n.25.p.319
2 Dilexi vos dicit Dominus, & dixiſtis: In quo dilexiſti nos, c.18.n.28. ibid.
3 Angelus Domini exercituum eſt, cap.17. num.299.p.306
4 Quod ſi dixerit Idumea: Deſtructi ſumus; ſed reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt, &c. c.18.n.26.p.319
6 O Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen tuum? c.17.n.209.pag.394. c.18.n.28.& 86. pag.319.& 336
7 Offertis ſuper altare meum panem pollutum & dicitis: In quo polluimus te? 118. n.59. p.328.c.17.n.39.p.245
8 Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? Et ſi offeratis claudum, &c. c.17.n.14.& 26.p.237.& 241
13 Intuliſtis de rapinis claudum, & languidum & intuliſtis munus: nūquid ſuſcipiam illud de manu, &c.c.17.n.98.p.262
2.2 Adiiciam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, &c.c.17.n.38.p 244
6 Lex veritatis fuit in ore eius, & iniquitas nō eſt inuētā in labiis eius, c.18.n.45.p.324
7 Labia ſacerdotis cuſtodierit ſcientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum eſt, c.17.n.162. p.280.c.18.n.44.81.& 85.p.324.& 335
17 Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris, c.18.n.191.p.367
3.5 Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris &c.c.18.n.76.p.333
9 In penuria vos maledicti eſtis, & me vos configitis gens tota. Inferre omnem decimam,

Digitized by Google

*mam,&c. cap.*18.*num.*32. *pag.*321.

Ex primo Machabæorum.

5. 56 *Audiuit Ioſephus Zacharia filius, & Azarias Princeps virtutis res benè geſtas, & prælia, &c.c.*21.*n.*128.*p.*605.

9 *Ecce tumultus,& apparatus multus, & ſponſus proceſſit,& amici eius obuiam illis,&c. c.*21.*n.*189.*p.*629

EX NOVO TESTAMENTO.
Ex Matthæo.

2. 2 *Vbi eſt, qui natus eſt Rex Iudæorum? vidimus enim ſtellam eius in oriente, &c. c.*15.*n.*247.301.*p.*79.& 98. *cap.*17. *n.*166.212.*p.*281.& 295.*cap.*18.*n.*63. *pag.*330.*c.*20.*n.*211.*p.*547.*c.*21.*n.*71. *pag.*585

3 *Audiens Herodes Rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo c.*17. *num.* 101. *p.*263.*c.*20.*num.*212.*p.*548

8 *Cum inueneritis,renunciate mihi, & vt ego veniens adorē eum,&c.c.*16.*n.*74.*p.*158

9 *Ecce ſtella quam viderant in oriente, antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret, &c. cap.*17.*n.*203.*p.*292

13 *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph,dicens: ſurge, & accipe puerum, & matrem eius, &c.c.*15.*n.*295. *p.*85. *c.*16.*n.*110. *p.*169

16 *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à Magis iratus eſt valde,c.*16.*n.*74.*p.*158

20 *Accipe puerum & matrem eius,& vade in terram Iſrael,&c.c.*15.*n.*382. *p.*126

3. 5 *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Regio circa Iordanem, vt baptizarentur ab eo,c.*17.*n.*159. *p.*280

7 *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis fugere à ventura ira? Iam enim ſecuris,&c.c.*19.*n.*182.*p.*449

9 *Ne velitis dicere intra vos... Patrem habemus Abraham,c.*17.*n.*145. *p.*276

4. 3 *Dic vt lapides iſti panes fiant,c.*15.*n.*118 *pag.* 37

8 *Aſſumpſit eum diabolus in montem excelſum valde,& oſtendit ei omnia regna mundi, &c.c.*17. *n.*164. *p.*281

9 *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me,c.*15.*n.*24.118.& 277.*p.*9.37.& 89. *c.*17. *n.*76.255.& 268. *pag.*255.215. & 311

18 *Vidit duos fratres Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete,&c.c.* 5.*n.*334.*p.*109

19 *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum,c.*19.*n.*133.*p.*455

5. 14 *Vos eſtis lux mundi,c.*17.*n.*249. *p.*306.

15 *Neque accendunt lucernam, & ponunt eam ſub modio, ſed ſuper candelabrum vt luceat omnibus, &c.c.*19.*n.*154.*p.*441

22 *Qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere,dimitte ei, & pallium c.*19.*n.*141.*p.*437

40 *Omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio,qui autem dixerit fratri ſuo racha, &c.c.*19.*n.*141.*ibid.*

45 *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos, & malos,& pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos, c.*15. *n.*14 *p.*6.*c.*16.*n.*220.*p.*204

6. 9 *Sic ergo vos orabitis: Pater noſter qui es in cælis ſanctificetur nomen tuum, cap.*20. *num.*163.*p.*530

31 *Quærite primum regnum Dei & iuſtitiam eius,& hæc omnia adiicientur vobis,c.*17 *num.*78.*p.*256

51 *Exemit gladium ſuum,& percutiens ſeruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius,&c.c.*16.*n.*221.*p.*204

7. 6 *Nolite dare ſanctū canibus,neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas,&c.c.*15.*n.*234.*p.*75.*c.*17 *n.*116.*p.*268.*c.*19.*n.*19.*p.*399

8. 6 *Domine puer meus iacet in domo paralyticus,& malè torquetur,c.*18.*n.*262.*p.*389

13 *Vade,& ſicut credidiſti,fiat tibi,& ſanatus eſt puer in illa hora,c.*15. *n.*43.*p.*15

19 *Accedens vnus Scriba ait illi: Magiſter ſequar te quocumque ieris,c.*17. *n.*148. & 168.*p.*276.& 282.*c.*21.*n.*36.*p.*572

20 *Vulpes foueas habent,& volucres cæli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput ſuum,&c.c.*15.*n.*330.*p*107.*c.*17.*n.*149. *pag.*277

28 *Cum veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorū occurrerūt ei duo habentes dæmonia &c.c.*21. *n.*74.*p.*585.*c.*15. *n.*264.*p.*85

29 *Ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis, & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos,c.*16. *n.*173.*p*188

10. 16 *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes,& ſimplices ſicut columbæ,c.*15.*n.*227.*p*89

35 *Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum,& filiam aduerſus matrem ſuam, &c.c.*19.*n.*16.*p.*398

11. 16 *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam ſimilis eſt pueris ludentibus in foro, qui clamant,&c.c.*21.*n.* 200.*p.*633

28 *Venite ad me qui laboratis,& onerati eſtis,& ego reficiam vos,&c.c.*21.*n.*128. *p.*605.

13. 3 *Ecce exiit,qui ſeminat,ſeminare, & dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, &c.c.*19.*n.*226.*p.*461

25 *Cum dormirent homines,venit inimicus homo, & ſuperſeminauit Zizania in medio tritici,& abiit,&c. c.*18.*n.*215.*p.*374

14. 1 *In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Ieſu,& ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes,&c.c.* 16.*n.*250.*p.*213

4 *Non licet tibi habere eam,c.*18.*n.*48.*p.*325

10 *Miſit,& decollauit Ioan.in carcere,& allatū eſt caput eius in diſco,c.*16.*n.*235.*p.*208

12 *Accedētes diſcipuli eius tulerunt corpus eius & ſepelierunt illud,c.*17. *n.*201.*p.*292

20 *Tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos,c.*19.*n.*164. *p.*44:

26 *Turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt, c.*15.*n.*116. *p.*37. *c.*16.*n.* 199. *p.*172

27 *Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere, c.*15. *n.*116.*p.*37

30 *Videns ventum validum timuit,& cùm cœpiſſet mergi clamauit,&c.cap.*21.*n.*88. & 99. *p.*591.& 595

5. 14. *Cæci ſunt,& duces cæcorum,c.*18.*n.*258. *pag.*387

22 *Miſerere mei Domine fili Dauid: filia mea malè à Dæmonio vexatur, c.*15.*n.*78. *p.*26.*c.*18.*n.*262.*p.*389

28 *Fiat tibi ſicut vis, & ſanata eſt filia eius ex illa hora,c.*15.*n.*43.*p.*15

16. 13 *Quem dicunt homines eſſe filium hominis?*

minis : At illi dixerunt : Alij Ioannem Baptiſtam : &c.c.16.n.250. p.213.
18 Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam, & portæ inferi, &c.c.20.n.194.p.541
20 Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent: quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus, c.17.n.232.p.301
23 Conuerſus dixit Petro: Vade poſt me Sathana ſcandalū es mihi, &c.c.15.n.21.p.8
17.2 Reſplenduit facies eius ſicut ſol, c.15. num.104.p.33
4 Domine bonum eſt nos hic eſſe, ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, &c.c.15.n.296.383.p.96.& 126.c.16 n.197.p.196. c.18.n.62.p.329
6 Ceciderunt in faciē ſuam, c.17.n.186.p.365
26 Mitte hamum, & eum piſcem qui primus aſcendit, tolle, & aperto ore eius, &c. c.17.n.12.p.237
18.1 In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes : Quis putas maior eſt in regno cælorum? cap.17.n.150. & 199. p.276. & 291
25 Oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta, c.17.n.13.p.237
19.27 Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te : quid ergo erit nobis? cap.18. n.41.p.323.c.19.n.79.p.418
29 Omnis qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, &c.c.19.n.125.p.433
20.14 Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros exeuntes foras de domo, vel ciuitate, &c.c.20. num.51.p.474
21 Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo, &c.c.14.n.310.p.100
23 Non eſt meum dare vobis, c.16.n.194.p.195
21.13 Vos feciſtis eam ſpeluncam latronum, c.17.n.139.p.274
18 Mane reuertens in ciuitatem eſuriit, & videns fici arborem vnam ſecus viam, &c. c.21.n.210.p.637
19 Venit ad eam, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantùm, c.19.n.172.p.445
33 Locauit eam agricolis, c.16.n.187.p.193.
34 Miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius, & agricolæ apprehenſis ſeruis eius, c.16.n.187.ibid.
35 Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt, c.15.n.285.p.92
43 Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius, c.15.n.285.ib.
22.11 Iurauit Rex vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem veſtitum veſte nuptiali, &c.c.19.num.274.p.475.c.18. num.215.p.374
23.4 Alligant enim onera grauia, & importabilia, & imponunt ea in humeros hominum, c.21.n.62.p.581
5 Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus : dilatant enim phylacteria ſua, &c.c.17.n.139.p.274.c.15.n.153.p.49
14 Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum, cap.15. n.103.p.33.c.16.n.61.p.154
23 Serpentes genimina viperarum, quomodo fugietis à iudicio gehēnæ? c.15.n.297.p.97
24.38 Sicut erant in diebus Noe ante diluuium comedentes, & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes, &c.c.16.n.39.p.147
48 Si dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo, moram facit Dominus meus venire, &c.c.21 num.42.p.574
25.5 Moram autem faciente ſponſo dormitauerunt omnes, & dormierūt, c.16.n.52.p.182
6 Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiā ei, &c.c.21.n.119.p.602
10 Dum irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, c.21.n.113.p.600
11 Clauſa eſt ianua: Nouiſſime vero veniunt & reliquæ virgines dicentes, c.20.num.106 pag.545
37 Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis Prophetas & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, &c. c.20.n.35.p.490
26.5 Amice ad quid veniſti? c.15.n.144.p.46
9 Potuit enim vnguētum iſtud venundari multo, & dari pauperibus, c.17.n.25.p.241
14 Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariothes, ad Principes Sacerdotum, &c.c.17.n.232.p.301
15 Conſtituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet, c.18.n.178.p.363
24 Væ homini illi per quem filius hominis tradetur. bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet, &c. c.17.n.29.p.242.c.19.n.113.p.429.
33 Si omnes ſcandalizati fuerint in te; ego nunquam ſcādalizabor, &c.c.18.n.129.p.348
35 Etiamſi oportuerit me mori tecum, non te negabo, c.15.n.380.p.125
29 Pater mi ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte : verumtamen non ſicut ego volo, &c. c.15.n.162.p.84
40 Sic non potuiſtis vna hora vigilare mecum, &c.c.18.n.37.p.322
50 Dicit illi Ieſus : Amice ad quid veniſti? Tunc acceſſerunt, &c. c.18.n.175.p.55. c.21.num.99.p.595
51 Ecce vnus ex eis, qui erant cum Ieſu extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum, &c.c.16.n.63.& 285. p.154. & 224
55 Tāquam ad latronem exiiſtis cum gladiis & fuſtibus comprehendere me, c.20.n.94. pag.507
61 Hic dixit: poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud, cap.19. num.251. pag.469
70 Acceſſit ad eum vna ancilla dicens : Et tu cum Ieſu Galilæo eras, at ille negauit coram omnibus, &c.c.16.n.285.pag.224. c.17.n.160.p.280.c.18.n.37.p.322
75 Egreſſus foras fleuit amare, c.19.n.52.p.410
27.3 Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus, capite 15. num.187.p.59
5 Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit, cap.17.n.51. pag.249
24 Accepta aqua lauit manus coram populo dicens Innocens ego ſum, à ſanguine iuſti huius, &c. c.18.n.162.p.359
26 Ieſum flagellatum tradidit eis, vt crucifigeretur, capite 15. n.267. p.86
27 Tunc milites Præſidis ſuſcipientes Ieſum in

in Pretorium congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, &c. cap. 18. numero 160. p.358

41 *Principes Sacerdotum illudentes cum ſcribis & ſenioribus dicebant: Alios ſaluos fecit, &c. capite 21. n.27.p.569*

48 *Continuò currens vnus ex eis acceptam ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini, &c. cap. 20. numero 239. pag.557*

49 *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt ſuper vniuerſam terram vſque ad horam nonam, c.20.n.239. ibid.*

63 *Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuen conuenerunt Principes Sacerdotum, & Phariſæi.&c.c.16. n.100.p.428*

65 *Tunc Princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua, dicens: Blaſphemauit, &c. c.21. n.181. p. 626*

28. 2 *Angelus Domini deſcendit de cœlo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum, &c. capite 16.numero 305. pagina 231*

4 *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui, c.20. num.239. p.557*

6 *Venite, & videte locum, vbi poſitus erat Dominus, & citò euntes dicite diſcipulis eius, &c. c.17. n.213. p.295. c.20. n.239. p.557*

12 *Pecuniam copioſam dederunt militibus, dicentes. Dicite, quia Diſcipuli eius nocte venerunt, &c.c.18.n.244. & 267. p.383. & 390. c.17. n.201. p.292*

Ex Marco.

5 *Venerunt trans fretum maris in regionem Geraſenorum, & exeunti ei de naui ſtatim occurrit, &c.c.15. n.44. p.15*

5. 5 *In montibus erat clamans, & concidens ſe lapidibus, c.15.n.257.p.83*

6 *Videns Ieſum a longè cucurrit, & adorauit & clamans voce magna dixit: Quid mihi & tibi, &c. c.15. n.24. & 258. pag.9. & 83*

7 *Adiuro te per Deum ne me torqueas, &c. c.15.n.306. p.99. c.16.n.103. & 122. p.107. & 173*

23 *Procidit ad pedes eius, & deprecabatur eum multum dicens: quoniam filia mea &c. cap.15.n.398. p.131*

6 19 *Dicebat Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui, cap.17. n.80. p.256*

23 *Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit ei, quia quidquid petieris, dabo tibi, capite 16. n.186. & 153. p.193. & 182.*

28 *Contriſtatus eſt Rex propter iusiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare, c.17.n. 84. p.258*

8. 22 *Veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret, c.17.n.258. p.308*

23 *Apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum, c.15. n.42. p.15*

24 *Video homines velut arbores, capite 19. num.107. p.427*

9. 16 *Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque, &c. c.15. n.378. p.124. c.17. n.261. pag.309*

24 *Comminatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi, ſurde & mute ſpiritus, ego præcipio tibi, &c. c.20.237. p.556*

14. 11 *Promiſerunt ei pecuniam ſe daturos, c.16. n.187. p.193*

16. 7 *Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam, c. 19. n. 52. pag.410*

15 *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ, c.21. n.147. p.525. c.19. n.131. p.435*

Ex Luca

1. 5 *Fuit in diebus Herodis Regis Iudææ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abiæ, c.20. n.168. p.532. c.15. n.66. pag.23*

6 *Erant iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela, &c. c.19. num. 22. pag.400*

18 *Vnde hoc ſciam, ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis, c.19. n.201. pag.454*

20 *Ecce eris tacens, & non poteris loqui, c.17. num. 32. p.243*

44 *Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo, &c. c.18. n.64. p.330*

2. 12 *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum in præſepio, c.17. n.308. p.322. c.18. n.92. p.337*

15 *Et factum eſt, vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum, paſtores loquebantur ad inuicem: tranſeamus, &c. c.17. n.203. p.292*

3. 3 *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem, &c. c.18. n.64. p.330.*

4. 22 *Omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ: quæ procedebant de ore ipſius, c.20. n.227. p.553*

23 *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: medice cura te ipſum: quanta audiuimus facta, &c. c.19. n.127. p.434.*

25 *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſrael, c.19. n.170. p.445*

28 *Repleti ſunt omnes in ſynagoga ira hæc audientes, & ſurrexerunt, & eiecerunt illum, &c. c.15. n.47. & 144. p.17. & 46*

30 *Surgens Ieſus de ſynagoga introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur, &c. c.17. n.237. p.303*

5. 5 *Per totam noctem laborantes nihil cepimus, c.17. n.237. p.303*

7 *Impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur, c.16. n.270. p.219*

18 *Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, &c. c.21. n.137. p.609*

22 *Beati eritis, cum vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & eiecerint nomen veſtrum, &c. c.19. n.264. p.473*

28 *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat, c.19. n.259. p.471*

8. 5 *Exiit qui ſeminat ſeminare, &c. cap.21. num.79. p.588*

24 *Accedentes autē ſuſcitauerunt eum dicentes*

Præceptor perimus, cap. 20. num. 135. pag.521

44 *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius, &c.* cap. 15. n. 259. pagina 83. cap.17.num.199.pag.291. cap.18. n.231. p.379

51. *Non permiſit intrare ſecum quemquam niſi Petrum & Iacobum, & Ioannem, &c.* c.15. n.259. p.83

9. 30 *Ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, &c.* cap.18. num.61. & 139. pagina 319. & 352

53 *Non receperunt eum, quia facies eius erat euntis in Ieruſalem*, capite 15. n.123. pag.39

54 *Domine vis dicimus vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos*, cap. 15. n.14. & 123. p.6. & 39

10. 30 *Incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt, &c.* capite 15. n.288. & c. 21. num.160. p.617

33 *Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum, miſericordia motus eſt: & appropians alligauit, &c.* cap.20. n.164. p. 530. capite 21. numero 136. pag.608

34 *Infundens oleum, & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum, &c.* cap. 19. n.69. p.415. c.21. n.32. p.571

35 *Duxit in ſtabulum, & curam eius egit*, cap.16. n.272. p. 220

36 *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi*, c.16. n.278. p.222

37 *Accidit, vt ſacerdos quidam deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriuit, ſimiliter & leuita, &c.* cap. 19. n.144. pag.438

40 *Stetit & ait Domine non eſt tibi curæ quod ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare*, c.17. n.225. p.299

11. 5 *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi, &c.* c.21. n.100. p.599

6 *Amice commoda mihi tres panes, quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, &c.* cap. 17. num.78. pagina 256. cap.18. num.241. pag.382. c.19. n.189. p.450

7 *Quis veſtrum habens ſeruum arantem, aut paſcentem qui regreſſo de agro dicat illi, &c.* capite 19. numero 115. pagina 430

8 *Si non dabit illi ſurgens eo quod amicus eius ſurget, & dabit illi, &c.* cap. 15. num. 282. p.91

14 *Erat eiiciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eieciſſet dæmonium locutus eſt mutus*, capite 20. numero 237. pag. 556

12. 18 *Illuc congregabo omnia quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ, &c.* capite 17. numero 11. pagina 236.

19 *Anima habet multa bona poſita in annos plurimos: requieſce, comede, bibe epulare. Dixit autem, &c.* cap. 16. numero 182. pag. 191. c.19. num.102. & 210. p.426. & 456

20 *Hac nocte animam tuam repetunt à te*, c.19. n.145. p.458

33 *Vendite quæ poſſidetis, & date eleemoſinam, facite ſacculos, qui non veteraſcunt*, c.20. n.58. p. 495

35 *Sint lumbi veſtri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus veſtris, &c.* cap.18. num.268. p.390

13. 6 *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inueniens, &c.* cap.21. num.207. p. 636

12 *Quam cum vidiſſet Ieſus, vocauit eam ad ſe, & ait illi: Mulier dimiſſa es, &c.* c.15. n.43. p.15

14 *Sex dies ſunt in quibus oportet operari: in his ergo venite & curamini, &c.* c. 15. num.224. p.71

15 *Erat docens in ſynagoga eorum ſabbathis, & ecce mulier quæ habebat ſpiritum infirmitatis*, cap.15. num. 257. & 151. pag.83. & 48

16 *Erecta eſt & glorificabat Deum*, cap. 15. num.224. p.71

14. 8 *Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne forte honoratior te ſit inuitatus, &c.* c.17. n.196. pag.290

32 *Adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt*, cap.17. n.238. pag.303

15 *Quis ex vobis homo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem, &c.* c.19. n.130. p.434

5 *Cùm inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens*, capite 15. numero 304. p.99. c.19. n.68 p.415

12 *Et diuiſit illis ſubſtantiam*, c. 21. n.158 pag.617

15 *Adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, &c.* cap. 15. num. 39. 278. p. 14. & 90. cap. 18. num. 41. 233. pag.323. & 380. c.19. num.116. p.430

16 *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis quas porci manducabant, & nemo illi dabat*, capite 16. numero 24. p. 144. cap.17. num.56. p.250

17 *In ſe reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, &c.* cap.16. num.225. pag.299. c.18. n.72. pag. 332

18 *Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei; Pater peccaui in cœlum, & &c.* cap.15. num.16. p.10. c.18. n.23 & 196. p.318. & 368

20 *Miſericordia motus eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum*, capite 15, num.15. pag. 6. c.20. num.184. p.538

28 *Indignatus eſt autem & nolebat introire* cap.15. num.311. pag.101. capite 19. num.143. p.438

22 *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius*, c.15. n.54. p.19. c.17. n.87. p.258

16. 1 *Diffamatus*

16. 1 *Diffamatus eſt apud illum, quaſi diſſipaſſet bona ipſius, & vocauit illum, & ait illi, &c. capite 15. numero 115. pagina 36*

5 *Dicebat primò: Quantum debes Domino meo: At ille dixit centum cados olei, cap. 18. num. 17. & 55. pag. 317 & 327 cap. 21. n. 171. p. 622*

19 *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, cap. 16. num. 310. pagina 233. c. 19. n. 150. p. 440*

20 *Erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, &c. capite 19. numero 215. pagina 458*

24 *Ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat, &c. cap. 18. num. 251. p. 386. capite 19. n. 91. & 208. p. 413. & 456. cap. 20. numero 187. & 230. p. 539. & 554*

17. 15 *Regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum, capite 15. numero 370. pag. 122*

27 *Edebant, & bibebant, vxores ducebant, & dabantur ad nuptias vſque in diem, qua intrauit, &c. capite 16. num. 183. pag. 192*

18. 11 *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat: Deus gratias ago tibi, quia non ſum ſicut ceteri hominum, &c. cap. 15. numero 22. & 120. pag. 8. & 38. & cap. 21. n. 72. p. 585*

12 *Ieiuno in ſabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo, capite 15. numero 103. pagina 33*

35 *Factum eſt autem cùm appropinquaſſet Ierícho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam &c. c. 19. n. 122. p. 432*

19. 2 *Ipſe diues, & quærebat videre Ieſum, c. 16. n. 236. p. 303*

4 *Præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum vt videret eum, quia inde erat tranſiturus, cap. 16. num. 123. pagina 173. cap. 17. num. 262. pag. 309. capite 18. num. 39. & 163. pagina 323. & 359.*

5 *Cum veniſſet ad locum ſufficiens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe, &c. capite 15. num. 193. pag. 60. c. 16. num. 95. pag. 165. cap. 18. n. 56. p. 327. cap. 19. num. 31. & 63. pagina 403. & 414*

7 *Nos legem habemus, & ſecundùm legem debet mori, quia filium Dei ſe fecit. c. 15. n. 77. p. 26*

8 *Ecce dimidium bonorum meorum Domine do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, &c. cap. 15. num. 102. p. 33. c. 20. n. 60. p. 496*

9 *Hodie ſalus domui huic facta eſt, cap. 18. num. 67. p. 331*

13 *Dedit eis decem mnas... Nolumus hunc regnare ſuper nos, cap. 18. num. 260. pag. 388*

38 *Reſpice: fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit, capite 15. numero 397. pag. 131*

41 *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes, & tu, & quidem in hac die tua, &c. capite 21. numero 26. pagina 569*

42 *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te, &c. cap. 18. n. 183. pag. 364*

26. 6 *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus Verbi Domini ſicut dixerat, capite 18. numero 37. & 233. p. 321. & 380*

38 *Ecce duo gladij hic, cap. 21. numero 99. pag. 595*

61 *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, c. 19. n. 156. p. 441*

23. 4 *Ait Pilatus ad Principes Sacerdotum, & turbas. Nihil inuenio cauſæ in hoc homine, capite 21. numero 11. pagina 363*

16 *Emendatum illum dimittam, cap. 16. numero 54. p. 151*

24. 13 *Ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta, &c. cap. 20. numero 219. pag. 550*

36 *Pax vobis, ego ſum, nolite timere, c. 18. num. 170. pag. 361*

Ex Ioanne.

1. 3 *Quod factum eſt in ipſo vita erat lux hominum, capite 16. numero 58. pagina 153*

23 *Ego vox clamantis in deſerto, capite 17. num. 30. p. 242*

2. 13 *Aſcendit Ieſus Ieroſolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, &c. cap. 21. num. 26. pag. 569*

15 *Cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo, cap. 19. n. 251. pag. 469*

4. 7 *Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere, cap. 17. num. 233. p. 301*

50 *Vade filius tuus viuit, c. 19. num. 133. pag. 435*

5. 2 *Eſt autem Ieroſolymis probatica, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, &c. c. 15. n. 346. pag. 113*

8 *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit, &c. cap. 20. numero 217. pagina 549. capite 21. numero 218. pag. 640*

6. 59 *Qui manducat hunc panem, viuet in æternum, capite 15. numero 345. pag. 113*

71 *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt, dicebat autem, &c. cap. 19. n. 156. p. 441*

6. 45 *Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos: & dixerunt eis illi: Quare non adduxiſtis, &c. cap. 20. num. 277. pag. 553*

8. 3 *Adducunt Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt eam, &c. capite 20. numero 67. pag. 498*

16 *Ego non iudico quemquam, & ſi iudico ego iudicium meum verum eſt, &c. cap. 20. num. 38. p. 491*

33 *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus vnquam, quomodo tu dicis, &c.* cap. 17. n.143. p.275

59 *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum: Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo,* capite 20. numero 180. pagina 536

9.1 *Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate, & interrogauerunt eum diſcipuli, &c.* capite 19. numero 218. pag.459

5 *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos, &c.* cap.21. n.33. p.571

7 *Dixit ei: vade & laua in natatoria Siloe.* cap.15. n.397. p.131

39 *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident, videant; & qui vident, cæci fiant, &c.* capite 19. numero 123. p.432

10.24 *Si tu es Chriſtus, dic nobis palam,* cap.15. n.166. p.52

26 *Loquor vobis, & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonia perhibent de me,* c.15. n.166. ibidem

11.4 *Infirmitas hæc non eſt ad mortem; ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam,* capite 21. num.150. pagina 613

10 *Si ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo,* cap. 15. num. 82. pag.27

21 *Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine ſi fuiſſes hic, frater meus non fuiſſet mortuus,* capite 16. numero 172. pag.188. cap.21. num.57. p.572

28 *Vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te, &c.* capite 15. numero 163. capite 17. numero 225. p.299

31 *Ecce quem amat, infirmatur,* cap.15. numero 398. p.131

39 *Tollite lapidem,* capite 15. numero 111. pag.35

43 *Lazare veni foras,* capite 18. num.66. pagina 330

44 *Statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata,* capite 15. num. 111. p.35

45 *Soluite eum, & ſinite abire,* cap.18. n.90. pag.337

47 *Quid facimus quia hic homo multa ſigna facit? Si dimittimus eum ſic, omnes credent in eum,* capite 21. num. 20. pagna 567

48 *Venient Romani, & tollent locum noſtrum & gentem,* capite 17. numero 167. pagina 282

50 *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo,* capite 17. numero 175. pagina 285

12.5 *Quare vnguentum hoc non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* cap.18. n.178. pag. 303

31 *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras & ego ſi exaltatus fuero à terra, &c.* c.18. num.259. p.368

13.2 *Cum diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariothes &c.* c.17. num.267. p.331

14.27 *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis,* capite 18. numero 170. p.361. c.19. n.87. p.410

18.1 *Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat ortus, in quem &c.* c.18. num.139. & 147. pag.352 & 354

20 *Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, &c.* cap. 20. n.227. p.553

22 *Hæc cùm dixiſſet vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens, &c.* c.21. num. 181. p.626

27 *Iterum negauit Petrus,* cap. 19. num.79. pag.418

37 *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati,* cap. 18. numero 112. pagina 343

19.1 *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit, &c.* capite 20. numero 228. pagina 553

2 *Et milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum,* cap.16. num.66. pag.155

5 *Nullam inuenio in eo cauſam,* cap. 21. num.181. p.626

6 *Accipite eum vos & crucifigite: ego enim nullam inuenio in eo cauſam,* cap. 20. n.178. pag.535

7 *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori,* cap.21. numero 181. pagina 626

10 *Tolle, tolle crucifige eum. Dicit ei Pilatus Regem veſtrum crucifigam, &c.* c.18. num.183. p.364

12 *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris. omnis qui ſe Regem facit, contradicit Cæſari,* capite 17. numero 174. pagina 285

16 *Tradidit ei illum, vt crucifigeretur,* c.15. num.64. p.22

19 *Impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum, &c.* c.15. num. 64. pag. 22. cap.16. num. 279. pag.222

21 *Noli ſcribere Rex Iudæorum,* cap. 18. num.259. p.388

25 *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius,* c.19. n.276. p.475

29 *Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt, &c.* cap. 21. num.200. p.595

31 *Iudæi ergo (quoniam paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora ſabbatho,* c.17. n.231. p.301

34 *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis, & aqua,* c.18. num.158. p.358

20.1 *Maria Magdalene venit mane, cùm adhuc tenebræ eſſent ad monumentum,* c.15. num.331. p.108

5 *Cùm ſe inclinaſſet, vidit poſita linteamina; non tamen introiuit: venit ergo Simon Petrus, &c.* cap. 19. num. 279. pag.476

11 *Dum ergo fleret, inclinauit ſe*, capite 19. num.275. pag.475

12 *Vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat, &c.* c.16.n.308.p.132

13 *Mulier quid ploras?* cap.18. numero 193. pag.368

21.3 *Vado piſcari*, cap.15. n.34. p. 12. c.19. num.79. pag.418

4 *Mane facto ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli, &c.* cap.15. num.243.p.78

8 *Miſit ſe in mare, alij autem diſcipuli nauigio venerunt*, c.15. n.364. p.120

10 *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc* c.15.n.340.p.111.c.17.n.270.p.219

15 *Cum ergo prandiſſent, dicit Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? &c.* c.19. num.42. p.407

16 *Paſce agnos meos*, cap.17 num.203.p.292. c.19.num.195.p.452

17 *Paſce oues meas*, c.19.n.52.p.410

De Actibus Apoſtolorum.

1.10 *Cum intuerentur in cælum euntem illum ecce duo viri in veſtibus albis, &c.* c.18. num.89.p.337

11 *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cælum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, &c.* c. 18.n.186. cap. 21. num.147.p.612

24 *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, &c.* c.20.n.116.p.514

3.1 *Petrus autem & Ioannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*, c.18 num.80.p.334

2 *Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie, &c.* c.20.n.164.p.530

3 *Cum vidiſſet Petrum & Ioannem incipientes introire in templum, rogabat, vt eleemoſynam acciperet*, c. 17.n.160.p. 280.

4 *Reſpice in nos*, c.15.n.399. p.131. cap.18. num.134.& 187.p.305 & 366

5 *At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis*, c.18.n.187. p.366.

6 *Argentum & aurum non eſt mihi, quod autem habeo, hoc tibi do. In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula, &c.* c.17.n.156.& 253.p.279.& 307.c.18. n.47.& 84.p.325.& 335

7 *Apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, &c.* c.16.n.278.pag.222. c.19.n.84.p.419.& c.21.n.32. p.571.

5.5 *Audiens Ananias hæc verba cecidit & expirauit*, c.17.n.253.p.307.c.20.n.194. pag.541

14 *Augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eiicerent infirmos, &c.* c.18.n.84. & 88. pag.335. & 336

6.1 *Factum eſt murmur Græcorū aduerſus Hebræos, eo quod deſpicerentur in miniſterio quotidiano, &c.* cap.21. num. 159. pag.617

7.30 *Apparuit illi in deſerto montis Sinai Angelus in igne flammæ rubi*, cap. 17. num.162.p.280

8.18 *Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, & cuicumque impoſuero manus, &c.* c.17. num. 156. & 169.p.279.283.& 302

20 *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri*, c.18.n.84.p.335

9.6 *Domine quid me vis facere*, cap.21.n.146. pag. 612

8 *Saule frater Dominus miſit Ieſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, &c.* c.21. num.33.p.571

36 *Hæc erat plena operibus bonis, & eleemoſynis, quas faciebat, &c.* cap.20.n.194. pag. 521

12.6 *Cum producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis, &c.* c.15. n.325. p.106. c.16. n.87. & 205. pagina 162. & 199

8 *Dixit Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit ſic, & dixit illi, &c.* c.15.n.329.p.107

16.19 *Videntes Domini eius, quia exiuit ſpes quæſtus eorum, &c.* c. 18. n. 262. pag. 389

20.24. *Non facio animam meam pretioſiorem quàm me*, c.16. n.144. p.179

24.14 *Confiteor hoc tibi quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio Patri & Deo meo, &c.* c.17.num.127. pag.270

Ex Epiſtola ad Romanos.

1.18 *Reuelatur ira Dei ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum qui veritatem Dei, &c.* c.15. n. 150. p. 48.

21 *Cum cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, &c.* c.20. n.103. p.510

23 *Mutauerunt gloriam incorruptibilis in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis*, c.19. n.168. p.444

2.3 *Exiſtimas hoc ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies iudicium Dei*, c.20.n.63.p.497.

12 *Quicumque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, &c.* c.20. n.57. p.495

5.3 *Gloriamur in tribulationibus ſcientes quod tribulatio patientiam operatur: patientia autem, &c.* c.21. n.140. p.610

6.19 *Sicut exhibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc, &c.* c.15. n.225. p.72.

20 *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ: Quem ergo fructum habuiſtis in illis, in quibus nunc erubeſcitis?* c. 19. num.109. p.426

7.23 *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati*, cap. 15. numero 33. & 149. p.12. & 47

Ex prima ad Corinthios.

4.9 *Spectaculum facti ſumus mundo & Angelis, & hominibus*, c.18.n.224.p.377.

7.23 *Pretio empti eſtis, nolite fieri ſerui hominum*, c.19.n.117.p.431

28 *Si acceperis uxorem, non peccaſti: & ſi nupſerit virgo, non peccauit, &c. cap. 21. num. 190. p. 610*
31 *Præterit figura huius mundi, c. 18. n. 204. pag. 371*
39 *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, &c. c. 15. n. 68. p. 23*
9. 13 *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant, c. 17. n. 59. p. 251*
24 *Neſcitis quod hi, qui in ſtadio currunt omnes quidem currunt, ſed vnus accipit brauium, &c. c. 15. n. 50. p. 17*
25 *Omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, c. 16. n. 82. p. 161*
10. 4 *Petra autem erat Chriſtus, c. 19. n. 147. p. 439. c. 21. n. 80. p. 588*
33 *Ego per omnia omnibus placeo, non quærens quod mihi vtile eſt, ſed quod multis, vt ſalui fiant, c. 19. n. 43. p. 407*
11. 10 *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput propter Angelos, c. 16. n. 23. p. 143*
20 *Conuenientibus vobis in vnum: iam non eſt Dominicam Cœnam manducare, &c. c. 16. num. 289. p. 225*
12. 2 *Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini, euntes c. 15. n. 299. p. 97*

Ex ſecunda ad Corinthios.

8. 9 *Scitis gratiam Domini noſtri: quoniam propter vos egenus factus eſt, cum eſſet diues, vt illius inopia, &c. cap. 19. n. 165. pag. 444*
11. 2 *Deſpondi enim vos vni viro virginem caſtam exhibere Chriſto: timeo autem, ne ſicut ſerpens, &c. c. 15. n. 178. p. 56*
12. 7 *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ, &c. c. 16. n. 256. p. 215*

Ad Galatas.

1. 10 *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem, c. 19. n. 43. p. 407*
2. 11 *Circumciſi eſtis circumciſione non manu facta in expoliatione carnis, &c. c. 15. num. 298. p. 62*
4. 24 *Tunc is, qui ſecundum carnem natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum ſpiritum, c. 16. n. 167. p. 186*
6. 2 *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti, c. 19. n. 23. p. 401.*

Ad Epheſios.

4. 26 *Sol non occidat ſuper iracundiam veſtram, nolite locum dare diabolo, c. 15. num. 82. p. 27*
31 *Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis: &c. c. 15. n. 54. p. 19*
5. 25 *Viri diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam, & ſeipſum tradidit, &c. c. 15. n. 170. p. 53*

Ad Philippenſes

2. 14 *Omnia facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus, &c. c. 19. n. 154. p. 441.*
21 *Neminem habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſolicitus ſit, &c. c. 15. n. 254. p. 82*
3. 7 *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta, c. 17. num. 23. p. 240*
13 *Vnum autem, quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens; ad ea vero quæ ſunt priora, extendens me ipſum, &c. c. 10. n. 78. p. 418*

Ex prima ad Timotheum.

13 *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit, c. 18. n. 195. p. 368. c. 16. n. 32. p. 145*
6. 9 *Qui volunt diuites fieri, incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, &c. cap. 17. n. 173. pag. 184*
10 *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide, c. 17. n. 152. p. 177*

Ex ſecunda ad Timotheum.

2. 3 *Labora ſicut bonus miles Chriſti Ieſu, c. 20 num. 146. p. 525*
23 *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites, cap. 16. n. 119 pag. 172*
4. 2 *Increpa in omni patientia, & doctrina, c. 20. n. 97. p. 508*
3 *Erit tempus cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coaceruabunt ſibi magiſtros, c. 19. num. 223 pag. 460*

Ad Hebræos.

10. 36 *Patientia vobis neceſſaria eſt, cap. 19. n. 235. p. 464*
24 *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis, &c. c. 15. n. 338. pag. 110*
25 *Hic eo quod maneat in æternum, ſempiternum habet ſacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt, cap. 20. n. 167. pag. 532*
11. 19 *Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus, capite 16. num. 156. pagina 183*
12. 3 *Recogitate eum qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem, capite 20. numero 94. pagina 507*
6 *Quem diligit Dominus, caſtigat, flagellat autem omnem filium, quem recipit, &c. c. 19. n. 270. p. 474*
11 *Omnis diſciplina in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij; ſed mœroris cap. 20. num. 93. p. 507*
16 *Ne quis fornicator, aut profanus, vt Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua, cap. 16. numero 146. pag. 180*
13. 12 *Propter hoc & Ieſus vt ſanctificaret per ſuum*

Digitized by Google

ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt, c.16.n.49. p.150

Ex Epiſtola D. Iacobi.

19 *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus ad iram, c.15.n.85.p.28*

Ex prima B. Petri.

2. 9 *Vos autem genus electum, regale ſacerdotium, c.18.n.93.p.337*

5. 8 *Sobrij eſtote, & vigilate, quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens &c. c.15.n.228.p.73*

Ex ſecunda B. Petri.

2. 5 *Noe iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens, c.15.n.183. pag.57*

15 *Maledictionis filij derelinquentes rectam viam errauerunt, ſecuti viam Balaam, &c. c.19.n.250.p.469*

16 *Correptionem habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit, &c. capite 20. numero 96. pagina 508*

Ex prima B. Ioannis.

2. 16 *Omne quod eſt in mundo, concupiſcentia carnis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ, cap.15. numero 391. pag. 128.*

19 *Ex nobis prodierunt, ſed non erant ex nobis, c.18.n.96.p.338*

3. 18 *Filioli mei non diligamus verbo, nec lingua, ſed opere, & veritate, capite 19. num. 161.p.443*

Ex Epiſtola B. Iudæ.

9 *Cùm Michael Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore non eſt auſus, &c. cap.16. num.196. p. 195. c.20. num.39. pag.491. cap.21. num.34. p.572*

12 *Nubes ſine aqua, quæ à vento circumferuntur, arbores autumnales infructuoſæ, &c. c.21.n.125.p.604*

Ex Apocalypſi.

1. 16 *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem, c.18. n.63.p.330*

2. 2 *Scio opera tua, & laborem, & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos, &c. cap.20. n.8.. p.504*

22 *Ecce mittam eam in lectum, & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt c.17. n.45.p.247*

6. 2 *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, &c. cap.15.n.358. p.117*

8 *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, cap.15.n.279. pag.90*

9. 3 *Aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt ſol, & aer, &c. c.15.n.107. & 181.p.34. & 57. cap.17.n.135. cap.20. num.17.p.488*

8 *Et habebant capillos ſicut capillos mulierum. Et habebant caudas ſimiles ſcorpiorum, & aculei erant, &c. cap. 16. num.202. p.198*

9 *Cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus Altare animas interfectorum propter verbum Dei, &c. cap.21.n.22. pag.567*

12. 1 *Signum magnum apparuit in cælo, mulier amicta ſole, & luna ſub pedibus eius, &c. capite 21. numero 126. & 167. pag. 604. & 620 cap.20. n.212. pag.548*

3 *Viſum eſt aliud ſignum in cælo. Ecce Draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, &c. capite 16. numero 41. pagina 178. capite 18. numero 182. 189. & 208. pagina 364. 366. & 372 capite 19. numero 155. pagina 441. capite 20. numero 212. pagina 548. capite 21. numero 126. pagina 604*

4 *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram: & Draco ſtetit ante mulierem, &c. capite 16. num. 107. & 231. pagina 169. & 207. capite 19. numero 65. pagina 414*

7 *Factum eſt prælium magnum in cælo: Michael, & Angeli eius præliabantur cum Dracone, &c. capite 16. num.189 pag. 194*

12 *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quod modicum tempus, &c. cap.19. n. 102. pag.426*

13 *Poſtquam vidit Draco, quòd proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, &c capite 16. numero 107. pagina 169*

14. 4 *Hi ſunt qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum, &c. capite 16. n. 131. pag. 175*

17 *Alius Angelus exiuit de templo, quod eſt in cælo habens & ipſe falcem acutam, & alius Angelus exiuit, &c. c.15.n.199. pag.63*

17. 1 *Sedet ſuper aquas multas, capite 15. numero 147. pagina 47. capite 18. numero 124.p.347*

3 *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam coccineam, capite 19. numero 152. pagina 440*

4 *Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius, capite 19. num. 134. pagina 435*

5 *Et in fronte eius nomen ſcriptum: Myſterium, capite 16. numero 132. pagina 176*

7 *Ego dicam tibi ſacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, &c. capite 19. numero 229. pag.462*

9 *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quod mulier ſedet cap. 17. num. 114. pag.267*

14 *Decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient*

Digitized by Google

cient illam, & nudam, &c. cap. 19. num. 25. pag. 401.

18.7 *In corde ſuo dicit: ſedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo, capite 18. num. 42. p. 324*

8 *In vna die venient plagæ eius mors, & luctus, & fames, & igne comburentur, cap. 18. num. 124. p. 347*

9 *Flebunt, & plangent ſe ſuper illam Reges terræ, qui cum illa fornicati ſunt, &c. c. 15. num. 147. p. 47*

19.7 *Venerunt nuptiæ agni, & vxor eius preparauit ſe, & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſino ſplendenti, &c. cap. 16. num. 101. pag. 166*

22.15 *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & Idolis ſeruientes, & omnis qui amat, &c. c. 17. n. 81. p. 257.*

LIBER

Digitized by Google

LIBER IVDICVM:
CAP. DECIMVM-QVINTVM.

VERS. I. POST aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ
meſſis inſtarent, venit Samſon, inuiſere volens vxo-
rem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cu-
biculum eius ſolito vellet intrare, prohibuit eum pa-
ter illius, dicens. 2. Putaui, quòd odiſſes eam, &
ideò tradidi illam amico tuo; ſed habet ſororem, quæ
iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor. 3. Cui
Samſon reſpondit: Ab hâc die non erit culpa in me
contrà Philiſthæos: Faciam enim vobis mala. 4. Perrexitque, & cepit trecentas
vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio. 5. Quas igne
ſuccendens, dimiſit, vt hûc, illûcque diſcurrerent: Quæ ſtatim perrexerunt in ſe-
getes Philiſtinorum. Quibus ſuccenſis, & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes
in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque, & oliueta flamma conſu-
meret. 6. Dixeruntque Philiſthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt:
Samſon gener Thamnathæi: quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit, hæc operatus
eſt. Aſcenderuntque Philiſthiim: & combuſſerunt tàm mulierem, quàm patrem
eius. 7. Quibus ait Samſon: licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vl-
tionem, & tunc quieſcam. 8. Percuſſitque eos ingenti plagâ, itavt ſtupentes ſuram
femori imponerent. Et deſcendens habitauit in ſpelunca Petræ Etam. 9. Igitur aſ-
cendentes Philiſthiim in terram Iuda, caſtrametati ſunt in loco, qui poſteà vocatus eſt
Lechi, id eſt, maxilla, vbi eorum effuſus eſt exercitus. 10. Dixeruntque ad eos de
Tribu Iuda: Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Qui reſponderunt: vt ligemus Sam-
ſonem venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt. 11. Deſcenderunt ergo
tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam, dixeruntque ad Samſonem: Neſ-
cis quòd Philiſthiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ait ille:
Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis. 12. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in
manus Philiſtinorum. Quibus Samſon, iurate, ait, & ſpondete mihi, quòd non oc-
cidatis me. 13. Dixerunt: Non te occidemus; ſed vinctum trademus, ligauerunt-
que eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. 14. Qui cùm ve-
niſſet ad locum Maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Do-
mini in eum: & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula, quibus ligatus
erat, diſſipata ſunt & ſoluta. 15. Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini
quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros. 16. & ait: In maxilla aſini, in
mandibula pulli aſinarum, deleui eos, & percuſſi mille viros. 17. Cúmque hęc
verba canens compleuiſſet, proiecit mandibulam de manu: & vocauit nomen loci
illius *Ramathlechi*, quod interpretatur eleuatio maxillæ. 18. Sitienſque valdè cla-
mauit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam,
atquè victoriam: en ſiti morior, incidamquè in manus circumciſorum. 19. Aperuit,
itáque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ. Qui-
bus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit. Idcircò appellatum eſt nomen loci
illius: *Fons inuocantis de maxilla*, vſque in præſentem diem 20. Iudicauítque Iſraël in
diebus Philiſthiim viginti annis.

Digitized by Google

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris, cumque cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens.

Verſ. 2. Putaui quod odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo; ſed habet ſororem, quæ iunior & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor.

Verſ. 3. Cui Samſon reſpondit: Ab hac die non erit culpa in me contrà Philiſthæos, faciam enim vobis mala.

1. CVm iam Samſonis indignatio deferbuiſſet, antiquarum deliciarum memor rediit ad vxorem, & quia munera mulierum præſertim facilè beneuolentiam accendunt, gratiamque conciliant, hœdum attulit ſelectum & opimum: illa namque particula *de capris* in ſcripturæ phraſi præ cæteris nitidum, teneremque deſignat. Non ſine graui causâ diſceſſerat; ſed vti prudens maluit, quàm indignationi, honori ſuo conſulere, ne ſi tardaret, ſponſa prolixis moris defatigata alterius adulationes audiret. Quanto tempore abſens fuerit, ſcriptura non exprimit; verùm dum ait: *Poſt aliquantulum*, exiguum interceſſiſſe ſpatium videtur Septuag. innuere. Septuaginta habent: *Et factum eſt poſt dies.* Ferè idem textus Hebræus, & Chaldæus; verùm licèt non longum interceſſerit ſpatium, puellæ pater neſcio quo colorato odij, & abſentiæ prætextu, illam tradidit pronubo, non ſine ſuſpicione alicuius fraudis ante Samſonis nuptias diſpoſitæ. Ergo Samſon domus penitiora petere tentabat; ſed ſocer progredi vetuit, & alij datam explicuit. Arias Montanus vrbanè vxoris adeundæ, Septuag. ſalutandæque à ſocero copiam periiſſe exiſtimat: quod Septuaginta non obſcurè innuunt, dum ſic reddunt: *Et dixit: Intrabo ad vxorem meam, & in cubiculum: & non dedit eum pater eius intrare.* Verùm quàm vrbanè petebat, copia adeundi vxorem inurbanè negata eſt: imò vt in ipſum Samſonem culpam ſocer retorqueret, odio filiam habitam conqueſtus eſt. Vbi noſter textus Septuag. habet: *Putaui quod odiſſet eam*; vertunt Septuaginta: *Dixi quia odio habens odiſti eam, & dedi eam vni ex amicis tuis.* In beneficiis haberi voluit vxorem alteri datam, vtpote quam iam Samſon odioſam ſibi deſpiceret, tædioque haberet. Adnexuit tamen ſocer ſe habere aliam filiam ætate iuniorem, formâque excellentem, quam facilè Abulenſ. erat in vxorem accipere, & pacatè omnia componi: *Pater vidit quòd errauerat*, inquit Abulenſ. *quæſt. 2. tradens eam alteri viro: ideò cœpit ſe excuſare.* Friuolis cauſis errorem ſuum tuebatur pater, & dum placare Samſonem diſcupit, retorta in ipſum culpa & duriùs exacerbauit, & viuidiùs indignationem accendit. Diſputat Abulenſ. q. 4. an poſſet Samſon ſororem accipere: ſtabat namque adhuc primum matrimonium, & inſuper arctum conſanguinitatis impedimentum. Reſponderque cùm apud Hebræos, præcipuè causâ adeò graui interueniente, licitum eſſet vxorem repudiare, aliámque ducere, ex hâc parte potuiſſe cum ſorore contrahere, niſi alia Hebræorum lex, ſororem ducere prohibuiſſet. Itaquè pater, vt aueiteret periculum, offerebat cum ſorore matrimonium. Verùm Samſon nihil his placatus; imò acriùs exulceratus, minatus eſt dignam ſe recepturum vltionem: *Ab hâc die non erit culpa in me contrà Philiſthæos*, id eſt, adeò grauiter honorem meum læſiſtis, vt nulla vltio culpam à vobis perpetratam excedere putanda ſit: fouebat corde anteà deſiderium Philiſtinos euertendi, & cùm modò anſam ei præbuerint, arripuit, & priuatam culpam generali ſupplicio punire decreuit. Priuatam culpam mulctâ generali caſtigandam non eſſe, aiebat Theodot. 2. var. 13. *Manifeſtum eſt non decere iuſtitiam, vt alterius deſpectus* Caſſiod. *alterum grauet, & reatus ſit innoxiis de contemptibus alienis.* Verùm cùm omnes Philiſtini diuinâ ſententiâ pœnis eſſent obnoxij, Samſon non puniebat alterius ſupplicio erratum alterius; ſed quam occaſio offerebat opportunitatem in omnes iuſtè deſæuiendi, noluit elabi.

Verſ. 4. Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio.

Verſ. 5. Quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illúcque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipulâ concrematæ ſunt, in tantum, vt vineas quoque, & oliueta flamma conſumeret.

Fraudem in ſe commiſſam fraudulentis beſtiis vindicauit, vulpibus ſcilicet, queis terra illa exun- 2.
dabat, vt patet ex illo Canticorum 2. *Capite nobis* Cant. 2.
vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas. Igitur v. 15.
aut aliâ arte, aut oppanſo reti ingentem earum numerum facilè comprehendit, iunctiſque earum caudis torrem ea arte inſeruit, vt accenſus nodum caudarum ſolueret, & ſolutis ipſo igne vinculis, quævis partem ſecum traheret, & dum aliam fugiens, in diuerſaſque partes tendens quærit profugium, multiplicaret incendium: quod & factum eſt: Nam vulpes ad comportatos frugum aceruos, & ad fruges nondum demeſſas confugientes citiſſimè omnia deuaſtarunt, & inopinato incendio conſumpſerunt: ſecum deferebat vulpes ignem: ergo dum ad frugum confugit latibula, ferè inſtantaneè omnia conſumpſerunt incendia: ſupplicium culpæ reſpondit, & Samſon fraudem fraudulentis vulpibus vindicauit, nec ſe eius incendij cauſam fuiſſe celauit; imò, ne Iſraëlitæ, quibus tunc Philiſthini dominabantur, quid paterentur, auctorem ſe protulit & iactauit.

Verſ. 6. Dixeruntque Philiſthiim: Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi: quia tulit vxorem eius, & alteri tradidit hæc

operatus

Digitized by Google

operatus eſt. Aſcenderuntque Philiſthiim,& combuſſerunt tam mulierem quàm patrem eius.

3. Vniuerſale adcò, inopinatúmque incendium attonitos quodammodò, & obſtupefactos reddiderat Philiſthinos; verùm vt tantiſper ſibi redditi ſunt auctorem eius rei inquieſcerunt. Publici, & communis damni gemitus ad Reipublicæ Iudices, Miniſtroſque perueniſſe innuit textus, qui ſtrage cognita, de auctore ſolicite inquiſierunt: *Quis fecit hanc rem?* Facilè apparuit Samſonem cauſam extitiſſe, quandoquidem ille factum non celabat; imò iuſtâ indignatione commotus grauioribus ſuppliciis ſe de Philiſthinis vindicaturum offerebat. Ergo primores ciuitatis non tam illatis damnis ſuccurrere, quàm cauſam ſatagebant auferre, Samſonis ſopire curabant flammam, & ne acriùs deſæuiret, ei illatam punire offenſam: quod iudicibus, ſuperioribuſque curandum aiebat Sillius Italicus lib. 1. de bello Punico.

Sillius. *Ocyus ite viri, & naſcentem extinguite flammã,*
Ne ſaua redeant poſt aucta pericula cura.

Malo ſuo edocti futura præcauere ſatagebant, & à vindictâ ſperabant: in eo tamen deliquiſſe videntur, quod non iuſtitiæ zelo commiſſam anteà in Samſonem culpam vindicarunt; ſed proprio commoti diſpendio modò pœnam intulerunt: Ambroſ. *Diſpendio commoti*, inquit Ambroſius lib. 3. epiſtol. epiſtol. 23. *Quod omnes ſibi locorum fructus interierant, factum principibus ſuis intimauerunt; & ibi miſerunt viros in Thamnatam; qui mulierem, quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum parentéſque igni inuoluerent, quod eâ cauſâ ſuæ vaſtitatis, & iniuriæ foret: nec oportuiſſe lædi virum pronuntiantes, qui poſſet malo ſe publico vleiſci.* Vt frequenter Iudices in debiliores inardeſcunt, ita hic factum eſt: Samſoni namque nulla decreta pœna, mulieris ardentibus flammis punitur tota familia. Satyricus Satyr. 1. hunc ſtylum ab exordio ſeruatum aiebat:

Dat veniam coruis, vexat cenſura columbas.

Horatius. Quia dum violat Thamnathææ thorum, Reipublicæ affert incendium; ei decreuerunt incendium vt violatum vindicauerint thorum. Voluerunt etiam ſupplicij grauitate (viuos namque flammis reos tradiderunt) fœminas deterrere, & ad fidem ſeruandam cogere: *Legum pondere preſſa*, aiebat ſuprà datus Theodericus, *Curatur audacia, & dum metus talibus imponitur, peccandi licentia,* Caſſiod. *non præbetur.* Pro extero ſtare videbatur iuſtitia: ergo illata eſt à Iudicibus conciui pœna: *Iudici præcipitur*, aiebat Philo lib. de Iudice, *Vt cauſas* Philo. *partium examinet ante iudicium ſemoto in totum reſpectu perſonarum, ſiue ſint Ciues, amici, domeſtici, ſiue è contra inimici; alieni, exteri, ne quid vel beneuolentia, vel odium cognitionem impediat.* Samſon inflicto vxori ſupplicio nõ deferbuit: nam cùm ipſe illatam ſibi iniuriam veluti anſam arriperet, vt repetitis Philiſthinos ſtragibus diuexaret, licèt in fœdi fragam ſatis videretur deſæuitum, adhûc perſeuerauit, adaugere omnibus nocumẽtum.

verſ. 7. Quibus ait Samſon: licèt hæc feceritis, tamen adhûc ex vobis expetam vltionem, & tunc quieſcam.

4. Iudices ſumpto de vxore ſupplicio Samſoni partes egerunt, ſed tardè: iniuriam ergo ducens tanto tempore diſſimulaſſe, & ipsâ diſſimulatione offenſum ad ſpeciem contempſiſſe, ſe de omnibus vindicandum ſtatuit, de vxore ob violatam fidem, de reliquis ob ignauam in puniendo ſcelere tarditatem: *Hoc dixit Samſon*, inquit Lyra, *tum* Lyra. *quia Philiſthæi non combuſſerant vxorem eius, & patrem zelo iuſtitiæ, ſed magis commoti paſſione iræ propter damnum eis illatum.* Comminationem à Samſone in Philiſthinos prolatam diuerſimodè tradunt variæ verſiones. Sic Septuaginta: Septuag. *Si feceritis hanc, quinimò vlciſcar in vobis, & tandem quieſcam.* Ex Hebræo Caietan. legit: *Si* Caiet. *facietis ſicut iſtam: quia ſi vindicaui in vos, & poſteà ceſſabo.* Noſter Mariana: *Si feciſſetis ſicut* Mariana. *hoc*; vultque ſubintelligi: ceſſarem ab vltione, ſi initio occidiſſetis mulierem, eiuſque parentem; verùm quam admiſiſtis, dilationis culpam dignâ adhûc vltione, vindicabo, tuncque quieſcam. Quàm noceat Reipublicæ culpa publica diſſimulanter à Iudicibus prætermiſſa, aut oſcitanter pœnâ dilatâ, probat Samſonis indignatio: nec enim placari voluit ſupplicio violenter quodammodo illato; & poſt longum tempus inflicto.

---

§. II.

Commentarius Litteræ.

verſ. 8. Percuſſit eos ingenti plaga, ita vt ſtupentes ſuram femori imponerent. Et deſcendens habitauit in ſpelunca petræ Etam.

verſ. 9. Igitur aſcendentes Philiſthiim in terram Iuda caſtra metati ſunt in loco, qui poſteà vocatus eſt *Lechi*, id eſt maxilla, vbi eorum effuſus eſt exercitus.

SAmſonem irruiſſe in Philiſthæos, totque ex eis deleuiſſe, vt plures ſuperſtitum viribus 5. quodammodò deſtituti obriguerint, & ſuram femori imponendo ardentiſſimum præcordia vrentem dolorem hoc corporis habitu declararint, ſatis textus edocet. Septuaginta habent: *Et per-* Septuag. *cuſſit eos tibiam ſuper femur plagam magnam.* Hebræus aliter. *Et percuſſit eos coxâ ſuper femur pla-* Hebræus. *ga magna, & deſcendit, & manſit in cacumine petræ Etam.* Chaldæus multò aliter: *Percuſſit eos* Chald. *Equites ſuper pedites percuſſione magna, & deſcendit, & habitauit in eminentia rupis Etam.* Verſionum varietas difficilem hunc locum reddidit. Caietanus putat in non magnum numerum irruiſſe Caiet. quos vt ad terram proſtrauit, pede contriuit: *Mirabilis percutiendi modus ſignificatur, videlicèt quòd pede percuſſerit femora eorum*: non ſolùm eos atterendo; ſed ſummo etiam deſpectu voluit pœnam incrementare, quandoquidem veſtigio premere eſt ſummæ abiectionis indicium, dicente Domino: *Ipſa conteret caput tuum, & tu* Geneſ. *inſidiaberis calcaneo eius*, Hebræi cruris nomine in- v. 15. telligunt pedes, equites femoris voce. Ita Abulenſ. Abulenſ. q. 13. *Hebræi dicunt quod Samſon percuſſit plagâ magnâ exercitum Philiſthinorum tàm equites, quàm pedites: nam equites nituntur femoribus ſuper equos; pedites innituntur pedibus vel tibiis. Samſon autem percuſſit equites Philiſthinorum, qui vocatur femur, & pedites eorum, qui vocantur crus vel tibia iſtum ſenſum tenet littera Chaldaica, & ferè omnes Hebræi.* A parte volunt totum ſignificari. Abulenſis ibi conuenientiorem noſtram litteram putat: & quidem videtur congruentiùs denotari grauem adeò

plagam tuliſſe Philiſthæos, vt mœſti, & quodammodò ſtupidi crus cruri eorum plures imponerent, & acerbitatem caſus cogitabundi penſitarent. Samſon cum non dubitaret Philiſthinos contrà ipſum collecturos delectum, ſe ad tutiora recepit, & ſpeluncâ abſconſus latuit, aut ex eius loci vertice editiſſimo quidem quid hoſtes molirentur,proſpectabat,& oculis ſollicitis attendebat.

6. Philiſthini eo tempore cùm illatam Samſoni iniuriam graui ſatis ſupplicio ſe crederent vindicaſſe, illumque nihilominus omnes rationis metas exceſſiſſe, communi edicto, & præconis voce illum proſcribunt, & occidendum decernunt: ad idque non modica militum manu delecta in campum prodeunt, ab inceptis non deſtituri, quin communem hoſtem capiant, aut occidant: ignominioſus namque ac ſibi turpiſſimum ducebant tot ab vno conterani, & ingentibus cladibus diuexari: ergo coacto exercitu locum Iudæ tribui proximum occupant, vnde vel Samſonem ad ſupplicium poſtulatum accipiant, vel genti ſuæ grauiter noceant: locus hic ab euentu infauſtum ſatis Philiſthæis nomen ſortitus eſt, & quidem cœleſti auxilio ſingularique prouidentiâ Iudæ tribum protectam nullus ignorabit, quandoquidem cùm Samſon ob vnius Thamnathæi culpam, tot ſtrauiſſet Philiſthinos, videbatur vltio exigere, vt ob vnius etiam Samſonis ſcelus Hebræos plurimos ipſi delerent. Certè Philiſthinorum cupiditas Hebræis auxiliata eſt: nam cùm tunc penderent non modicum tributum Hebræi, eis occiſis minuerentur vectigalia: ergo abſtinuerunt ab eorum cædibus vtili tūc Hebræis cupiditate perſuaſi.

Verſ. 10. Dixerúntque ad eos de tribu Iuda: Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Qui reſponderunt: vt ligemus Samſonem, venimus & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.

7. Vt vidit Iuda tribus Philiſthæos plures conueniſſe non tumultuariè, nec ſine ordine; ſed exercitu bellicâ diſciplinâ, ac militari ordine compoſito, non ignorantes cauſam, ſed vt interrogatione ipſa nullam ſe dediſſe belli occaſionem oſtenderent; cur armati acceſſerint, per nuntios interrogarunt: ergo exercitus Princeps quo animo adeſſent copiæ, declarauit, eiſque graue imminere detrimentum, ni Samſonem tradiderint, non ſine grandi ſtomacho aſſeruit. Ergo Hebræi, ſi exercitus vltra progrederetur, multa ac grauia incommoda veriti, Samſonem ſe quæſituros, ac traditutos promittunt, quâ promiſſione acceptatâ, exercitus ibi caſtrametatus ſubſtitit,expectauitque. Ergo à tribus primoribus decretum eſt quàm citò copioſum,delectum cogi, & Samſonem, ſciebant namque vbi latitaret, adire.

Verſ. 11. Deſcenderunt ergò tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam, dixerúntque ad Samſonem: Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: ſicut fecerunt mihi, ſic feci eis.

Verſ. 12. Ligare, inquiunt, te venimus,& tradere in manus Philiſthinorum. Quibus Samſon: Iurate, ait, & ſpondete mihi, quòd non occidatis me.

Verſ. 13. Dixerunt: Non te occidemus; ſed vinctum trademus. Ligauerúntque eum duobus nouis funibus,& tulerunt eum de petra Etam.

Caietanus ex Hebræo legit. *Ad ligandum te deſcendimus, vt demus in manus Philiſthinorum.* 8. Caiet.
Loco illius clauſulæ, *Quòd non occidatis me*, legit, *Quod non aduerſabimini mihi vos.* Vt communi bono prouiderent, decreuerunt Samſonem capere ratì ſatiùs illis eſſe, quàm Philiſthinorum ſuſtinere iram ſuam prodidiſſe tutelam: ſic Philiſthinos Samſonis ligarat terror, vt maluerint ſuorum manibus capere, quàm per ſe ipſos in terribilem adeò aduerſarium irruere: videbantur prudenter cauti: ſed ſubſtiterunt timidi: quod non ſemel accidit teſte Seneca epiſt. 45. *Pro cauto timidus accipitur.* Iam deterritos ſubſtitiſſe tradit diuus Ambroſ. *Paleſthini verò, vt qui eum non auderent laceſſere, nec munitionis prærupta, arduaque ſuperare, tribum Iuda denuntiato adorſi vrgere prælio.* Ergo contribules præfato quòd eſſent ſubditítij Philiſthinorum, quibus non ex arbitrio; ſed ex neceſſitate obedire opus erat, querebantur conciliatam ſibi ob Samſonis facta periculoſam inuidiam, imò grauiſſimam totius tribus euerſionis inſtare tragœdiam, ni ipſum hoſtibus tradiderint vinculis illigatum. Samſon auditis eorum querelis, cùm ſibi ſperaret facilè poſſe vincula dirumpere, & audaciùs ob vincula hoſtes irruentes euertere, ligari non renuit, emiſſo priùs à ſuis Sacramento, quòd ab eius occiſione abſtinerent. Caiet. ait Samſonem conſuluiſſe ſuis violentas in eum manus non iniicere, ne ſi eius indignationem exaſperauerint, grauiùs ſubierint damnum, dum imminens conantur propulſare periculum. *Nolebat Samſon contrà Iudæos præliari, & proptereà petiit; vt ipſi Iudæi non pugnarent contrà eum.* Plus ſuorum verebatur inſidias quàm aduerſariorum copias familiares namque & cognati, dum mentito affectionis titulo omnē ſuſpicionem abigunt, grauiùs non ſemel detrimentum attulerūt. Ergo ſancito & iurato pacto lubens vinculis inſeruit manus: illique partim miſerati eius vicem, gauiſi partim quòd à ſe auerterent imminentem ſtragem, illigatum vinctumque adduxerunt.

Senec.

Ambroſ.

Caiet.

Verſ. 14. Qui cùm veniſſent ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferātes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina cōſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta.

Verſ. 15. Inuentámque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiēs interfecit in ea mille viros.

Videntur, vbi acceſſerit ad Philiſthinorum exercitum vinctum trahentes ſolùm reliquiſſe, ſeque in tutū recepiſſe, nè dum aduerſariorū impetus Samſonē adoritur ipſi etiam à militibus frequenter procacibus, & nocere gaudentibus noxam aliquam ſubirent, paterenturque. Et quidem cùm militum manus cœco impetu irruit, obuios quoſque proterit: ergo vt qui iam muneri ſuo ac promiſſioni ſatisfeciſſent, ſolum & ligatum medio in campo reliquerunt, alioquin ipſe, ſi tot militibus ſeptus, iacentem mandibulam, nec aſpicere quiret, nec apprehendere, ergo dum proprij diſcedunt, & alienigenæ, ſibi iam gratulari de triumpho, velociori impetu 9.

impetu occurrunt, Dei Spiritu inflammatus vincula facillimè rupit, & apprehenſa aſini maxillà caſu ibi iacente ſic inaudentes præualuit, vt occiſis quàm plurimis in fugam cæteros verteret. Abbulenſ. Ex Hebræo legit Abulenſis quæſt. 26. *Maxillam teneram*; exponitque alicuius aſini parui, & teneri fuiſſe, vt de fragilitate inſtrumenti & illuſtrior triumphus, & maior roboris fuerit plauſus. Noſter Pineda. Pineda in cap. 6. Iob. verſ. 5. putat fuiſſe maxillam, non cuiuſvis aſini; ſed feri, qui onager appellatur. Serarius. Serarius quæſt. 11. communis, & domeſtici animalis fuiſſe putat, legitque ex Hebræo: *Maxillam aſini humidam*, id eſt, quæ nondum à canibus carne eſſet nudata; ſed recenter abiecta. Chaldæus. Chaldæus habet: *Iuuenit aſini maxillam tabentem*. Ergo leui armaturâ fere innumeram hoſtium proſtrauit multitudinem: fortes namque tunc virtutem ſuam mirè commendant, cùm triumphi gloriam cum Tertul. armis non diuidunt. Notauit Tertullian. lib. 3. contra Marcionem:

Pro populo ſolus, nullo mucrone, nec armis,
Os retinens aſini proſtrauit corpora mille.

10. Baſil. Baſilius Seleucus diuinâ ait diſpoſitione ferè inermem prodiiſſe Dauidem, ne quid ſibi victoriæ arma vendicarent; ſed omnia ſibi gratia cœleſtis adſcriberet: ipſum audi quæſt. 15. *Nihil tibi eiuſmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent. Communicetur inter nos, ô Dauid, belli decus, ne victoriæ gloriam ad ſe trahat armorum potentia.* Ergo gratia inter ſe & Samſonem victoriam voluit diuidi, nec arma quid ſibi arrogare. Viſa ſociorum ſtrage, ea celeritate timoris alas arripuerunt Philiſthini, vt nullus vel ad colligendum ſpiritum tantiſper ſubſiſtere auderet. Ergo cum iam nullus ex hoſtibus adeſſet, occiſa cadauera examinauit, manu adhuc maxilla retenta, vt ſi fortè adhuc viuentem Philiſthæum aliquem inueniret, eodem, quo percuſſerat, inſtrumento vitâ priuaret. Et quamvis ſuperflua videri poſſet cautela, & prudens Caſſiod. fuit, & laudabilis. *Quid enim gratius*, aiebat Caſſiodorus 3. var. 48. *quàm humanis rebus cautelam ſemper adhibere?* Quærit Abulenſis quæſt. 29. cur gentilitij ſui ipſum non adiuuerint: reſpondétque aut nullum adfuiſſe ſibi præcauentes, aut ſi adfuerunt, ſuperfluam ſuam operam deputaſſe, quandoquidem quin ipſi Philiſthinorum ſubirent inuidiam, ſolus Samſon obtinere quibat victoriam.

---

§. III.

Commentarius Litteralis.

Verſ. 16. Et ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.

verſ. 17. Cúmque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi, quòd interpretatur eleuatio maxillæ.

11. Caietan. CAietanus legit: *In maxilla aſini aſini aceruorum, in maxilla aſini percuſſi mille viros.* Verſus ceciniſſe putant Arias Montanus & alij. Addit Montanus nomen impoſuiſſe loco, maxillamque ibi veluti conſecraſſe, vti victoribus de more eſt: arma namque ex voto gratitudinéque in templis ſuſpendunt, Deóque vti tutori ac propitio dedicant: quod & Dauid fecit, arma, quibus gigantem iugulauerat, templo conſecrans, non tam ad triumphi à ſe reportati memoriam, quàm ad diuinæ opis argumentum, & teſtimonium. Hoc apud antiquos fuiſſe ſolemne conſtat ex illo carmine à Demoſthene adducto orat. in Neæran:

Græcorum ductor, Mædos qui perdidit hoſtes. Demoſth.
Pauſanias Phœbo dedicat hoc ſpolium.

Conſonat Strabo lib. 3. Geographiæ, de Aſclepiade loquens: *Is monumenta quædam de Vlyſſis errore in Mineruæ templo eſſe commemorat, ſuſpenſos clypeos, ſumma nauium roſtra.* Verùm vt omnia opinionibus ſubiecta ſunt, Ambroſius ſuprà datus exiſtimat Samſonem reportata victoria intumuiſſe, nec aram Deo dedicaſſe: *Negligens* Ambroſ. *ſacrificij, aſſumptor gloriæ, vt triumphum ſuum perpetuò conſecraret nomine, vocauit locum maxillæ interfectionem.*

Verſ. 18. Sitiénſque valdè clamauit ad Dominum, & ait: Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam, atque victoriam: en ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.

Verſ. 19. Aperuit itáque Dominus molarem dentem in maxillâ aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit: idcircò appellatum eſt nomen loci illius fons inuocantis de maxilla, vſque in præſentem diem.

verſ. 20. Iudicauitque Iſraël in diebus Philiſthiim viginti annis.

Certaminis labore defatigatus viuidâ adeò ſiti 12. inardeſcebat, vt parum abfuerit quin ſpiritum exhalarit; verùm qui victoria obcœcatus intumuerat, modò neceſſitate edoctus reſipuit, & numinis auxilium obnixis precibus inuocauit, allegans triumphum à numine ſibi conceſſum ſuâ morte obſcurandum: & ad hæc ſic in eius cadauer incircumciſos deſæuituros, vt acceptam cladem compenſaſſe viderentur: Deus precibus exoratus, miraculosè ſitis vehementiam ſopiuit, & copioſum fontem è maxillæ molari effluere fecit: Chaldæus habet: *Sitiuit nimis, &c.* Chaldæus. *rupit Deus rupem quæ in maxilla* Hebræus: *Rupit* Hebr. *Deus molarem dentem.* Septuaginta: *Rupit Deus* Septuag. *lacum in maxillâ.* Non quemlibet; ſed molarem dentem aperuit, capaciorem videlicet amplioris foraminis, vt largior vnda ſitientem reficeret. Ergo Samſon recreatus, & cautior experientia redditus Deo beneficium adſcripſit, & meliori commutato prius indito nomine gratitudinem oſtendit. Notauit acutè Ambroſ.: *Vocauit locum* inuo- Ambroſ. cationis fontem, *Eo quod victoriæ iactantiam inuocationis precibus emendaſſet: ita diuerſa iudicia maturè edita, quod & arrogantia cito offenſam incurreret, & humilitas ſine vlla offenſione ſeſe reconciliaret.* Abulenſis quæſt. 32. quærit, cur ſacra ſcriptura ſtylum hic inuerterit, & antè Samſonis mortem eius iudiciariæ poteſtatis tempus tradi-

derit, cum in aliis iudicibus poſt mortem annos R. Dauid. enumeret? Rabbi Dauid Kimhi putat annos enumeratos, quia exinceps nil memorabile egit; imò ſe vti vile mancipium libidini tradidit, nec factis dignitati reſpondit. Longam quæſtionem texit datus Abulenſis circà computationem annorum, exiſtimatque iudicaturæ Samſonis tempus debere computari ante ipſius natiuitatem, quandoquidem iam erat in iudicem electus, nec fuit pòſt Abulenſ. Abdon alius: audi quæſt. 33. *Dicendum quod totum tempus iudicaturæ Samſonis fuit viginti annorum ſolùm, & debet computari, ſicut computabatur in prima poſitione, ſcilicet quod incipiat poſt mortem Abdon ferè duobus annis ante natiuitatem Samſonis, & tunc tota vita Samſonis debet poni ad plus annorum 18. vel 19.* De hac re non parum difficili iterum agendum eſt capite ſequenti verſu 31. & ob id modò differimus.

---

§. IV.

Superior magnitudini non detrahit, ſi cùm poßit ſtomachari, aggrediatur officiis ſubditum delinire.

13. BEneficiis, aiebat Seneca lib. de ira cap. 5. *Humana vita conſiſtit, & concordia: nec terrore;* Seneca. *ſed mutuo amore in fœdus auxiliumque commune conſtringitur. Quid ergo? non aliquando caſtigatio neceſſaria eſt? Quid ni? ſed hæc ſyncera cum ratione: non enim nocet; ſed medetur ſpecie nocendi.* Superior Prælatuſque munus gerit medici; vtque medicus inſanientis iracundiâ pulſatus non iraſcitur; ſed medicaminis beneficio ad saniorem mentem reducere diligenter adnititur: ita ſuperior delirantis paſſione ſubiecti miſerebitur, & beneficiis, obſequiiſque demulcebit, & ad ſanitatem trahet, *Legum præſidem,* adnectit Seneca, *ciuitatiſque rectorem decet quamdiu poteſt, verbis, & his mollioribus ingenia curare, vt facienda ſuadeat, cupiditatemque honeſti & æqui conciliet animis, faciatque vitiorum odium, pretium virtutum.* Detrahentis ſuæ magnitudini ſpecie illam non ſolùm ornat; ſed incrementat: qui poteſtate vtitur in ſubiecti commodum, non in ſæuum magnitudinis argumentum. Qui ſuppliciis ſubiectum perdidit, dominationem ſuam vno iam dempto anguſtauit: Qui officiis lucratus eſt, conſeruauit, aut extendit. Samſon vxoris dolo exaſperatus ſuâ illam mulctauit præſentiâ, verùm in amoris, dilectioniſque argumentum depoſuit ſtomachum, & offendenti exhibuit officium, ratus prudenter ſuæ magnitudini non detrahere, ſed eam potius benignitate adaugere: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hædum de capris.* Offenſus, exacerbatus, dum Chriſti, vt iam vidimus, Abulenſ. figuram gerit, offendentem Officiis trahit. Quod notauit Abulenſis q. 2. *Ad eam lætificandum, & inuitandum ad priſtinum amorem, & iuuenilia gaudia hædum de capris ei in munus attulit.* Muneribus, blanditiis amorem ſibi nititur conciliare, & ad pœnitudinem, erroriſque detestationem fragilem, & pro ingenij leuitate delinquentem adducere.

14. Chriſtus Dominus Patris poteſtatem de benignitate commendans ſic aiebat: *Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos* Matth. 5. *& iniuſtos.* Diſcipuli, cùm nondum eius ſpiritum v. 45. plenius ebibiſſent, ignis ardentis facibus Samaritas adurere ſatagebant: *Domine, vis dicimus, vt* Lucæ 9. v. *ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Condu- 54. cibiliorem correctionis ſpeciem oſtendit lucis candore oculorum depuliſſe tenebras, quàm ardentes eiaculari cœlitus flammas, quandoquidem flamma grandem ſubiectorum partem auferret, & lux placida conſeruatit: poteſtatem de ſolis ortu, de pluuiarum illapſu oſtendit, ſed poteſtatem patriam, non ſeueram. Homines vt ſunt peruerſi actionum interpretes, ſuæ magnitudini Deum putant detrahere, quod flammis fulminibuſque offenſam non vindicarit: Chriſtus verò æquanimitatis ac prudentiæ forma de beneficiis Patris commendat auctoritatem, & miram exaggerat manſuetudinem. Notauit Tertullianus lib. de patient. cap. 2. *Deum ipſum oſtendens,* inquit, *patientiæ exemplum tam primum, qui florem lucis* Tertul. *huius ſuper iuſtos & iniuſtos æqualiter ſpargit, qui temporum officia, elementorum ſeruitia, totius geniture tributa dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurere: ſuſtinet ingratiſſimas nationes, ludibria artium, & opera manuum ſuarum adorantes, nomen cum familia ipſius perſequentes, luxuriam, auaritiam iniquitatem, malignitatem quotidie inſoleſcentem, vt ſua ſibi patientia detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Ni media in luce lippientibus oculis caligaſſent, vnde magnitudinem, imminuunt, dominationem ſuſpicerent, & laudarent, quandoquidem ipſa lux peccatoribus miniſtrata, dilucidè oſtendit beneficium non ab imbecillo exhibitum; ſed ab indulgenti profectum: ergo flore lucis, & honeſtis beneficiorum incantamentis peccatorem ad reſipiſcentiam blandus inuitat, & dignitatem de impenſo tributo ſumptuoſius exornat: *Totius geniture tributa dignis ſimul & indignis patitur ſimul occurrere.* Tributa pendit ſuæ magnitudini, dum beneficiis ſubiecti medetur errori.

Pater prodigo occurrent ſuper collum eius amplexibus dulciſſimis cecidit: *Miſericordiâ motus* Lucæ 15. *eſt, & accurrens cecidit ſuper collum eius.* Lauda- v. 20. bilis caſus, qui dum miſericordia cadit, ſuper collum ipſum peccatoris eleuatus ſubſiſtit: non cecidit infra collum; ſed ſupra collum cecidit, vt ipſa qua ſubiectum attrahebat, miſericordia de honeſto caſu celſitudinem promeret, & magnitudinem demonſtraret: cadere infra ſubiectum puſilli eſt; magni ſupra ſubiectum ipſo caſu exiſtere, & ipſa depreſſione dominari, & magnanimitatem cordis oſtendere: non cecidit corde pauidus; ſed miſericors: *Miſericordia,* inquit, *motus eſt,* non ignauiâ. Huc voco Diuum Cyprianum de bono patientiæ: *Inde patientia incipit,* Cyprian. *inde claritas eius, & dignitas caput ſumit.* Inde dignitas clatuit, inde caput extulit, vnde caput, vt errantem alliceret, inclinauit: de inclinatione reſpondit altior, & de caſu firmior.

Iacob patriam repetens, & ſi Eſau ſuperior & Dominus, illum irrationabiliter iratum officiis ac muneribus aggreditur delinire, ſibi quodammodò detrahens, ne detraxerit muneri; nec amori: nouerat namque ſe tunc ſuperioris officium laudabilius cumulaſſe, ſi ſubiectum affabilitate placaret, & lenitate corrigeret: *Ipſe progrediens adora-* Geneſ. 33. *uit pronus in terram ſepties, donec appropinquaret* v. 3. *frater eius. Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo*

amplexatur

amplexatus eſt eum. Eſaü anteà ad ſeruitutis nomen furebat, fratri ſubiici animitus detractabat; iam verò errore depoſito ruit in amplexum, & nullum detrectat officium: non amiſit Iacob, quia humanus, imperiji poteſtatem, non imminuit indecorè magnitudinem; imò adauxit cedens, & blandiens. Hûc voco quod aiebat Dionyſius Areopagita in Epiſtola ad Demophilum: nec incongruum erit deflectere ad imaginem, quæ ille ſcripſerit de prototypo:
Dionyſ. *Ipſe occurrit, ipſe obuiam procedit, totuſque totos oſculatur irruens in complexus.* Generis erat Princeps, fratrum dominus totius familiæ ſuperior; maluit tamen quid poteſtatis ſplendori detrahere, quàm fratri non ſubuenire: ſe Iacob prudenter deiicit, venienti vrbanus occurrit, blandè ſibi necem inferre cupidum prolecta, vt ſuperioris optimi formam impleat.

17. Balaamus præmonitus, minisque deterritus peruerſam nondum demutauerat mentem, imò aras idolis conſtruit. Dœmonum oracula falſa ſollicitat, & vt aduletur cupiditati, nihil non tentat: deſertorum petebat errores ipſe ſtudioſè deerrans, cum Dominus furenti occurrit, blandè alloquitur & quæ dicturus ſit, illum edocet: *Sta hic iuxta*
Numer. 23. v. 15. *holocauſtum tuum, donec ego obuius pergam. Cui cum Dominus occurriſſet, poſuiſſetque verbum in ore eius, ait: Reuertere ad Balac, & hæc loqueris ei.* Non deterret ſtricto gladio, vti cœleſtis anteà miniſter, non aſperis, & ſugillatiuis verbis ferit, non vultu exaſperat; ſed humanè alloquitur, & præcipitem detinet. Iam quod humaniſſima lenitas obtinuerit, audi: Balaam Domini laudes deprædicat, & quam tentabat maledictionem inferre, benedictionibus commutauit:
Numer. 24. v. 1. *Cùm vidiſſet Balaam quod placeret Domino, vt benediceret Iſraeli, nequaquam abiit, vt antè perrexerat, vt augurium quæreret; ſed dirigens contra deſertum vultum ſuum, & eleuans oculos vidit Iſraël in tentoriis commorantem per tribus ſuas, & irruente in ſe Spiritu Dei, aſſumpta parabola ait, &c. Quàm pulchra tabernacula tua Iacob, & tentoria tua Iſraël.* A mago in prophetam tranſiit, à cœco in videntem, à linguace in laudatorem: & totum hoc quia eius Superior, & Princeps non eſt dedignatus occurrere, & blanda verba conferere. Hûc voco, quod aiebat Areopa-
Areopagit. gita loco citato: *Amanter adhæret his, qui ſe deſerunt, contendit, rogatque, ne indignus habeatur ab his, quos amat.* Annuit Oleaſter hîc
Oleaſt. ad mores: *Admonet nos primùm locus iſte impios fræno Domini retineri, ne faciant piis mala, quæ illis facere cupiunt.* Benignitatis frœno præcipitem ſuperior benigniſſimus detinuit, & demutare verba ipsâ vrbanitate coëgit, ſuperiores edocens vtiliter aliquando poteſtati detrahere, vt ſubiectis conſulant, & furentes ipsâ humanitate deliniant.

§. V.

Deus amicitiæ oſtendit deſiderium, dùm exprobrat delinquenti peccatum.

VTi eſt amara miſericordia, ita & dulcis aliquando probatur ira: amanter læditur, iracundè non ſemel parcitur. *Quid* 18.
deſiderabilius, aiebat, Caſſiodorus in prologo libro de amicitiâ, *aut dulcius, vt duorum tanta ſit vnio amicorum, quòd alter corripiatur ab altero?* Prudentis correptio legitima amoris progenies eſt: qui laſciuientem, qui ſordidatum vitiis contemnit, eius erroribus non reſiſtit: vlceri medicamentum adhibere, præcipitio obſtaculum correptionis opponere eius eſt, qui beneuolè odit, & amanter affligit: vxor Samſonem prodito ſecreto exaſperat, ille iratus nimis diſceſſit; verùm cùm iam indignationis ſopitis tempore flammis amor iterùm reuiuiſceret, in amoris indubium ſignum ei attulit hœdum: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Stephanus in allegorio Tilman. in hœdo peccati obiurgationem agnoſcit. *Hœdus eſt exprobratio peccati.* Mira res: dùm ira efferbuit, ora Samſon ſilentio preſſit, dum amor incanduit, fœditatem culpæ in hœdo ſpeculi ad inſtar vxori adlaborabat oſtendere: amara erat illa patientia, hæc amica probatur ira; *Attulit ei hœdum de capris, vt per hoc pateret*, ſcribit Abulenſis quæſtione ſecunda, *quòd non ſolùm non oderat eam, ſed etiam diligebat nimis.* Hœdus eſt amoris teſtimonium, quia & correptionis eſt argumentum. Veri amoris ſignum fuit vtilis correptio, ardentiſſimæ extitit indignationis indicium diſſimulatio. Dum tacet, fugit, dùm obiurgat, redit, imò, vt redire valeat, obiurgat. 19

Caſſiod.

Stephan.

Ambulenſ.

Deliquit Adamus, & vxori nimis blandus ſibi extitit inimicus: adulter amor peruertit ordinem, confudit legem, læſit charitatem, quando cordatus, ac legitimus priùs ſibi attenderet, nec legis detrimento appetitibus inſeruiret: verùm magnificus ille parens erroris miſertus, vbi ſit, rogat, vt interrogatione referiat: *Vocauit Dominus Deus Adamum, & dixit ei: vbi es?* Serpentem indelebili maledictione damnandum non vocat, Adamum verò amicitiæ reſtituendum compellat: dum voce incuſſa & exprobratrice culpam ſeuerè carpit, & amoris flammas oſtendit. Ita Tertullianus libro ſecundo, aduerſùs Marcionem cap. vigeſimo ſecundo. *Oportebat conſcientia peccati deliteſcentem euocatum prodire in conſpectum Domini non ſolâ nominis inclamatione; ſed cum aliquâ iam tunc admiſſi ſugillatione: nec enim ſimplici modo, id eſt, interrogatorio ſono legendum eſt, vbi es Adam? Sed impreſſo, & incuſſo, & imputatiuo: Adam vbi es, id eſt, in perditione es, id eſt, iam hic non es: vt & increpandi,*

Geneſ. 3. v. 9.

Tertul.

Digitized by Google

crepandi, & dolendi exitus vox ſit. Adſtipulatur Seleucienſ. Baſilius oratione tertia. (Baſil.) *Ex immenſo amore compellatio lamento adſimilis: vbi es? vbi mutui congreſſus quidlibet interfandi libertas, vbi noſtra conſuetudinis confidentia? vbi tua dignitatis celſitudo? Pro amico fugitiuus?* Vox amoris luce ſcintillans peccati caliginem depulit, & iam Adam ad delicti confeſſionem, vti ad optimum vlceris pharmacum correptus accurrit, diu latitaſſet peccati defœdatus conſcientia, ni voce illâ reprimeretur increpatoria, & incuſſa: exprobrauit errorem, vt traheret è latibuli caligine ad lucem: miſericordiæ filia fuit exprobratio, eſſet taciturnitas rigoris fomentum, & calamitatis ſuffragium.

20. Ioſeph inter fratres tenetiùs inuenitur dilectus, & in amoris argumentum emicat præ cæteris expolitus. *Iſraël diligebat Joſeph ſuper omnes filios ſuos.* Hanc amoris teneritudinem obſequiis ſibi Ioſephum præ aliis demeruiſſe, teſtatur Seleucenſis Baſilius: hic ergo cùm ſomnium retuliſſet, quo à Sole, Lunâ, & Stellis diſertis luminum linguis videbatur allaudari, & radiorum obſequiis coli, à patre ſeuerè arguitur; & de tumoris ſpecie carpitur: (Geneſ. 37. v. 10.) *Num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te ſuper terram?* O qualis eſt puſillorum ſors. Cæteri fratres inuidiâ turgent, aſperis verbis, liuidis dentibus Ioſephum dilacerant: *Videntes fratres eius, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quidquam pacificè loqui:* Et tamen de maioritatis priuilegio nec arguuntur, nec increpantur. Ioſeph ſomnium refert, & de paruitatis peccato, vel à tenerè diligenti obiurgatur, & ſeuerè corripitur. Certè ſomniata adoratio, etſi indicaret ſuperbiam, eam teſtabatur ſomniatam: non erat dormientis culpa, licèt tumuiſſet phantaſia: cur ergo pater correptionem vſque ad ſomnium extendat, & à fratribus dente ferino Ioſephum deteri patienter ſuſtineat? Cauſam textus expoſuit, cæteris Ioſephus diligebatur tenerius: ergò amor ſic eum ad virtutem expoliuit, vt vel vmbras vitij correxerit. Ioſephus non deliquit; imò ſomnium erat futuri præſagium, virtutis præmium; at de arcanâ laudabilique ſeueritate plus amor enituit, dum vel ſuperbiæ ſpeciem carpſit. (Oleaſter.) *Tenentur patres*, inquit, Oleaſter *ad mores increpare in filiis ea, quæ ad eorum vanitatem pertinent*; Somnium ſapiebat ad ſpeciem vanitatem, ergo pater præ aliis illum corripuit, quia præ aliis etiam dilexit. (Baſil.) *Obſequio*, inquit, Seleucienſ. Baſilius oratione 8. *Ardentiorem meſſuit dilectionem.* Ioſeph dum obſequiis ardentiorem Patris dilectionem demetit, vel de ſomnio carpitur, vel ſomniato defectu gloriæ ſuæ inferat næuum; ſed abſquè leuiſſimæ culpæ vmbrâ reſplendeat ſemper ad plauſum.

21. Petrus quo in Chriſtum amore feruebat, minus ſapienter proſiluit, & diſſuadere mortem aggreſſus eſt: Dominus etſi errorem viderit, non de peruerſa; ſed de cæcâ voluntate deſcendere: illum corripuit, & faciem ad illum corripiendo conuertit: *Conuerſus dixit Petro: vade poſt me Sathana: ſcandalum es mihi, quia non ſapis ea, quæ Dei ſunt; ſed ea, quæ hominum.* (Matth. 16. v. 23.) Profectò verba ab actibus diſſidere videntur: ſi teneros in Petrum oculos dirigit, cur verba adeò aſpera iacit? Et ſi illum carpit iratus, cur aſpectum dirigere non recuſat conuerſus? Si Petri errorem diſſimulaſſet, nil mirum ad amoris oſtentationem vultu conuerſo reſpiceret, vt olim Magdalenam aſpexit; at conuertere vultum, & oſtendere ſtomachum, affectuum videtur diſſidium, & prudentiæ bellum. Imò, inquit Origenes apud Diuum Thomam, ipſa correptio conuerſionem ſollicitabat; & conuerſio ipſa de correptione prodibat: dum errorem piâ iracundiâ deterit, ne quid oculos offenderit, aufert. Audi Origenem: *Beatus ad quem conuertitur Chriſtus*, (Orig.) *etſi corripiendi cauſâ conuertitur.* Dum obiurgat, amat; imò quia tenerè amat, ſeuerè obiurgat.

22. Nabuchodonoſor, & eius filius, aut nepos Balthaſar variis piaculis irretiuntur: ſimilia delicta, diſſimili inueniuntur modò correpta: ſtatuam lapis deterit, & dum ſe arborem proceram Nabuco tumoris penicillo depingit, illigatur vinculis, ſordet: *Ex hominibus abiectus eſt; & fœnum vt bos comedit.* (Dan. 4. v. 29.) Variis correptionibus caſtigatur, & ferreis vinculis detinetur. Tranſit modò ad Balthaſarem, qui teſtante Daniele aduerſus cœli dominatorem eleuatus: *Aduerſum Dominatorem cœli eleuatus es*: (Dan. 5. v. 23. & 28.) cœleſtem vocem non audiuit, nec tulit vincula, donec ſententiam accepit illâ in miſerabili cœnâ: *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis & Perſis.* Vides Balthaſarem regno expungi, Nabuchodonoſorem ad tempus interdici: nec mirum cùm alter correptionis ſortitus fuerit beneficam gratiam, alter iratam diſſimulationis patientiam: ne Nabucho prorſus mulctetur throno, ferreo aliquando illigatus eſt vinculo; at Balthaſar, dum gliſcit, dum contra Deum eleuatur, & vinculorum ignorat frenum, furori adipatur victima, & duriori reſeruatur ſententiæ: *A filiis hominum abiectus eſt*, (verba ſunt Danielis) *ſed & cor eius cum beſtiis poſitum eſt, & cum onagris erat habitatio eius: fœnum quoque vt bos comedebat, & rore cœli corpus eius infectum eſt.* Attende huius mulctæ ſtudium: *Donec cognoſceret quod poteſtatem haberet Altiſſimus in regno hominum.* Vt brutum, ne obruteſceret, exulabat: illigabatur compedibus corpus, vt infelicioribus ignorantiæ, ac ſuperbiæ vinculis ſolueretur animus: per patientiam corporis ſui recuperauit regnum, ob Numinis patientiam Balthaſar ſibi æternauit exilium. Innuit Tertullianus de patientia cap. 13. (Tertul.) *Me rex Babylonius offenſo Domino cum ſqualore, & pædore ſeptennij ab humanâ formâ exulaſſet, immolata patientia corporis ſui & regnum recuperauit, & quod optabiliùs homini eſt, ſatis Deo fecit.* Infelix eſſet, ni exulaſſet, de malâ tractatione optima prodiit fortuna, & illi regnum reſtituit patientia. Qui diuitiis diſpoliantur, qui anguntur, vt ad omnem erudiantur

diantur

diantur patientiam, à Deo amari dubium non eſt : nam quod amore proſequitur, flagellis plectit : verendum eſt peccatori indulgentiùs tractari ; & liberiorem vitam viuere permitti.

---

§. VI.

Obſequia rariùs ab obligatione videas exorta, quàm ab appetitu, aut propriâ vtilitate profecta.

23. Tertull.

ARtificium promerendi obſequium eſt, aiebat Tertullianus libro de patientiâ cap. quarto, verum dixit: nam etſi obligatio ab obſequio conſilium poſtulet, niſi ſpes aliqua relucentem promerendi flammam emittat, non exhibetur, pro appetitu impenditur & profunditur : rariùs hoc artificio vtitur hominum mortale genus, niſi ad ambitionis gloriolam captandam, & ad cupiditatem ad vlteriorem gradum mouendam ; ardet deſiderio appetitibus adulandi, & de ingenio à malignitate procedente vtitur promerendi artificio, & obſequiorum incantamento : ad fœnus erogat non tam virtutis, quàm voluptatis : *Iſtud*, aiebat Seneca libro quarto de Beneficiis, cap. tertio. *Non eſt beneficium ; ſed fœnus : circumſpicere non vbi optimè ponas ; ſed vbi quæſtuoſiſſimè habeas, vnde facillimè tollas.* Itaque plures ponunt, vt tollant ; granum & ſemina terræ mandant, vt copioſâ fructuum abundantium meſſe horrea adimpleant, ſi quid ad virtutis obſequium ſit erogandum, inueniuntur prorſus manci, in voluptatis, ambitioniſvè gratiam erunt centimani : Recipiendi ſpe tribuitur ; obligationi parum impenditur. Hinc eſt quod rarò obſequium exhibetur in neceſſitate & paupertate poſito ; ſæpiſſimè ei, à quo ſperes quid appetitui : ad obligationem ſemper obſtruſas aures, & ad inſanias patentes habemus. Diſceſſerat Samſon ab vxore, & licèt obligatio neceſſaria ad alendam vitam ſubſidia præſtari ſuaderet, non inuenies quidquam miſiſſe, quovſque vt ſolitò inuiſeret, hœdum ei attulit : *Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Iratus diſceſſerat ; verùm ita non derogabat obligationi ſponſæ alendæ, & neceſſaria ad vitæ ſuſtentationem præſtandi : cur ergo Samſon poſtquam tam ſtrictam obligationem obliuioni dedit, modò affert hœdum, & ad vxoris eluctandam gratiam munuſculum ? Quia modò, inquit Abulenſis, præteritæ conſuetudinis memoria, & priſtinæ libidinis flamma conſuluerunt obſequium, vt promerendi artificium. Ita quæſtione ſecunda : *Nunc creſcente priſtina flamma Samſonis cæpit tenere diligere vxorem ſuam, cupiens denuò eius frui amplexibus, & ob hoc, ad eam rediit.* Ad eam rediit allatis munuſculis, non tam obligationis neceſſitati conſulens, quàm appetitus mollitiei inſeruiens : nihil vxori miſit, ſed hœdum attulit : quia allatus præſtabatur ad fœnus luxus, mitti lex depoſcebat ſtatus, & homines ferè ſemper appetitu ſuadente vtuntur obſequiorum artificio, cùm legis, obligationiſque obſurdeſcant ſæpiùs præcepto, & illud ſæpiſſimè contemnant.

Seneca.

Beneficium quod fulcrum non eſt beneficium ; ſed fœnus.

Abulenſ.

24. Chriſtum, cui Dæmon tanquam præpotenti rerum omnium domino & in diuinitatis auguſtiſſimæ proteſtationem humilem genua flectere debuiſſet eiúſque maieſtatem debito adorationis & reuerentiæ officio ſuſcipere, eſurientem intuitus in tantam inſaniæ deuenit extremitatem, vt ſe à Creatore deluſoriis promiſſionibus tentauerit adorari : *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me*, Matthæi quarto, verſ. 9. Fidei metas ſupergreſſa videtur temeritatis præſumptio : quis enim ni atteſtaretur Euangeliſta, crederet dæmonem, quantumvis malitiæ cenſu prædiuitem, & ſuperbiæ inſania delitantem in eam potuiſſe rapi exoculatam audaciam, vt adorationis tributum creatori non ſolùm non impenderet ; ſed & ambiret ? Hic idem cùm miſerrimum & triſte ſibi delegiſſet hoſpitium, & habitaculum, ne à Domino expelleretur, ad obſequiorum confugit patrocinium : *Videns Ieſum a longè cucurrit, & adorauit eum, & clamans voce magna dixit : Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei Altiſſimi ? Adiuro te per Deum, ne me torqueas. Dicebat enim illi : Exi ſpiritus immunde ab homine*, Marci ſexto, verſ. 7. Quàm eſt peruerſæ conſuetudinis metiri ex circumſtantibus hominem ! fame laborantem contemptui habuit, & potentem humillimis deiectionibus coluit. Quæramus cur dæmon anteà adorationem non exhibuerit, & modò ad deoſculanda veſtigia humi proreptans acceſſerit. Idem Dominus, & dæmon idem ; diuerſus tamen congreſſus, & diſſimillimus prorſus habitus. Ecqua huius diſcriminis notanda eſt cauſa ? Quia ibi, inquit Chryſologus, Creationis ius adorationis exigebat tributum, hic conſulebat imprudentiſſimum deſiderium, infame habitaculi ſpurciſſimi votum, & in appetitus fauorem inuenitur exhibitum, quod obligationi, iurique denegatum. Chryſologum audi. *Modò*, aiebat Sermone decimo ſeptimo. *Non vt deuotus, & obſequens hic adorat, euadere cupiens pœnam, prædam perdere pertimeſcens.* Ad promerendam longioris temporis interuallo ſepulchra inhabitandi licentiam, vſus eſt fallaci obſequiorum artificio, & ſubdolæ adorationis ſuffragio, & quidem ni adoratio propriæ cupiditati inſeruiret, Chriſtum verſutus & callidus dæmon nullatenùs adoraret ; imò ad omnes obligationis voces obſurdeſceret, & cæciſſimis oculis, quâ ſtrictiſſimè tenebatur, legem præteriret. Itaquè obſequium impenſum eſt vanitati, & denegatum obligationi : vt noueris rarò obſequia, munera, officia obligationi impendi, ſed frequenter vtilitati : in fœnus tranſit obſequium, & in promerendi artificium.

9. Matth 4. v. 9.

Marc. 6. v. 7.

Chryſol.

25. Grauiſſimo Saül adurgebatur diſcrimine, adſtabat gigas vt corpore prægrandi & inmetato

merato procerus, ita armorum potentia fiſus, vel ſolùm timenda vultus ferocia. Iſraëlitas de ſtatione deturbabat, & prompta in honeſtæ fugæ terga dare cogebat: cùmque hoc in ſtatu totus Iſraël verſaretur preſſus & afflictus, Saül publico edicto filiam ſuam in optatum victoriæ præmium proponit, & de præmij magnitudine diſcriminis imminentis difficultatem & mollit, & minuit: Dauid præſentis pugnæ prouocationem ad ſe rapit, & dextero ac felici fundæ iactu ſuperbientem aduerſarium humi proſternit; verùm etſi data fides, regiáque promiſſio publico edicto vulgata, Saülem cogeret ad filiam Dauidi in matrimonium locandam, alteri data eſt:

1. Reg 18. v.19. *Cùm deberet dari Merob filia Saül Dauid data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.* 1. Regum decimo octauo, verſu decimo nono. Dauidi iure debita, alteri contrà ius inuenitur tradita: quia Saül regiæ familiæ inſerere paſtorem erubuit: hic ipſe cùm implacabilis odio æſtuaret, ardore, & immodicarum inuidentiæ febrium inſaniret impetu, ſponte filiam ſuam Dauidi offert, & quamvis præ animi moderatione regias nuptias reſpuerit, iteratis promiſſionibus cogit: *Dixit Saül: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum, & ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* Vides Saülem ſolicitare Micholis nuptias, vides Dauidem colere, & colloquiis honorare; verùm ne cenſeres obligationis paruiſſe vocibus, obediſſéque legibus, teſtatur Scriptura Sacra recurriſſe ad honoris obſequium, vti ad ſatisfaciendum liuori validiſſimum artificium. Exhibitus Dauidi honor, placidus Saülis vultus non erat debitæ obligationis ſolutio; ſed affectionis impotentiſſimæ negotiatio: ni nuptias diſpoſuiſſet deſiderij prauitas, nunquam eas paraſſet promiſſionis fidelitas.

Eucher. Ita Eucherius apud gloſſam: *Saül diſſimulator callidus, vt ſine inſidiis ſuis Dauidem poſſet offerre diſcrimini, ſtatuit eum Michol filiæ ſuæ nuptiis alligari.* Iniurioſæ proditioni deſeruiebat honor, fraudis erant nuptiæ artificium, & ambitionis inuentum: quantumvis data fides, promiſſionis obligatio, Dauidis ſtrenuitas adurgerent, niſi appetitus ſui auiditati adularetur Saül, nuptias faciendas nec diſponeret, nec offerret: non ab oligatione ſuam originem habuerunt; ſed ab inuido appetitu productæ ſunt: Hinc manifeſtum eſt quàm ſibi imponat fœmineus & luxurians ſexus effrænato iuuenum appetitui inſeruiens, vt contracta iam obligatione ſit copioſius lucrum, aut facilius matrimonium, cùm fides promiſſi memoriam aſpernetur, & in promerendi artificium omne degenerauerit obſequium. Vtquè noueris, quàm ſit hoc verum, etiam dum oritur ipſa natura concarnata obligatio, ad prodigum tranſi, omnia quæ illi contigerunt diligenter examinaturus.

26. Prædiuite hæreditate patrimonióque debito donatus regionem ditiſſimam habitauit, quin patris recordaretur, prodiga ſalacitas, & in profundendis diuitiis fatuitas in extremam adeò calamitatem adduxerunt, vt tabidus & fame aridus diſperiret; in hoc ſtatu miſerrimo poſitus erat, cum reſtituit ærumna, quem abſtulerat intellectum copia: iam patris contempti memoriam primam ſubit, iam obſequium conſulit illud patri redditurus, & mandatis eius inſeruire decernit: Ego hîc fame pereo, ſurgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: *Pater peccaui in cælum, & coram* Lucæ 15. v.18.
te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis Lucæ 15. verſ. 18. Filius diſceſſit, famelicus inſeruiuit: nec frater ſenior aliam legem ſecutus eſt: domum intrare noluit, dum non famelicus, etſi filius: *Nolebat introire.* Strictiſſima naturæ lex à non egente non impetrauit officium, egenti fames conſuluit obſequium: maior filius domum non frequentat, naturalis legis oblitus, frequentat minor ſolandæ & ſatiandæ famis ſtudioſus; vt noueris obſequium à fame exordium habere & non à natura proficiſci: *Fames reuocat*, aiebat Chryſologus Sermone ſecundo. *Quem ſaturitas exularet: fames illi patrem dedit ſapere, cui copia tulerat ſentire genitorem.* Chryſol.
Ni fames & illa neceſſariorum omnium ad vitæ ſubſidium extrema neceſſitas in mendacium adurſiſſet ad debitum exhibendum patri obſequium, filius naturæ lege conſtrictus nullatenus aduentaſſet: *Ecce tot annis ſeruio tibi,* vociferatur maior; ſed in mendacium labitur, nec enim inſeruiebat parenti; ſed ambitioni: dum ſperat ſine cohærede, nullóque ſibi æmulo omnia ſibi à parente dilargienda, relinquendáque ſoli, eius geſtit beneuolentiam promereri, & gratiam obſequiis frequentiſſimis conciliare; at vbi ſpes defuit & aduentus fratris hæreditatis optatæ fruſtrationem teſtatus eſt, obſequio detrectauit: *Frater credidit damnum*, ait Chryſologus Sermone quinto, *Quia rediiſſe conſpicit cohæredem. Et quando inuidus non auarus?* Auaritiam conſuluiſſe obſequia, non perſuaſiſſe naturam fratris reditus clariſſimè demonſtrauit, quandoquidem iam parenti, rebellis inuenitur & aduerſus, qui nuper erat colendi ſtudioſus erat, & quotidiè illum multis excipiebat amplexibus. Itaque recens ad patrem fratris minoris reuerſio priſtinam in maiore mutauit & diminuit in eum beneuolentiam. Dum epulantur cogitabundus errat, aditúmque domus refugit; quia non eſt illi blandientis ambitionis prima quam in recedente fratre ſibi pollicitus erat occaſio, & denique totam ſuam ſpem penitus deletam inuitiſſimus intuetur.

***

§. VII.

Digitized by Google

§. VII.

Nunquam quieſcit appetitus legem ſecutus; ſed circumuoluitur variis ſemper verticibus agitatus.

27. MVltis ſeruit, qui corpori ſeruit: nubes excedit, qui rationis vixit Olympo. Ita nos erga corpus agere deberemus, vt ſine quo non poſſimus viuere, & ſolùm viuimus, vt illi non ſeruiamus. Nimius corporis amor, multiplices appetitiones, affectiones varias in ſatellitium ſibi aduocat, cúmque inter ſeſe diſſideant, ac rixentur, quies placida exterminatur. Quàm benè Seneca epiſt. 14.

Seneca.

Huius nos nimius amor timoribus inquietat, ſollicitudinibus onerat, contumeliis obiicit.

Amor corporis res inquieta.

Qui confuſis his fluctibus agitari non vult, in virtutis ac rationis portum appellat: nam ibi ſecuritas placida, & placiditas degit tranquilla. Qui aliquid diſcupit poſſidere, qui timet amittere intùs feras alit, quarum rugitibus perterrefiat; imò quarum morſibus diſcrutietur. *Diogenes*, inquit Hildebertus epiſtol. 1.

Hildebert.

Quia nullius ſperauit fauorem, nullius potentiam formidauit. Ille in dolio ſuo tam ſpe vacuus, quàm tumoris expers locupletam tranſegit paupertatem.

Qui non ſperat, nullum formidat.

Subſtricto, anguſtiſſimo nidulo requieſcebat quietus, quia affectionibus inſanis non agitatus, ſi cœcâ corriperetur irâ, ſi periculoſâ libidinis adureretur flammâ, nec in lecto florido, & pretioſis ſtragulis tecto quietem caperet: in dolio ſpatiabatur, quia iræ ignarus, quia ambitionis expers, quia à luxuriâ extorris: Samſon inter nuptialia gaudia vxoris fraude exaſperatus ſe in paternam domum recepit: *Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui.*

Iudic 14. v. 10.

Irâ correptus ab vxore diſceſſit; verùm pugnante cum indignatione libidine è paterna domo in Thamnatam rediit iterum: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam.* Vbique circumagitur, vndequaque tetunditur; ira non permittit otium, libido indecorum imperat reditum: dum paſſionibus ſeruit, requiem Samſon non capit: *Iratus Samſon receſſit de Thamnata*, inquit Abulenſis quæſtione 1. *relictâ vxore.*

Abulenſ.

Adnectit poſt pauca. *Libido eum vexabat, & habens memoriam conſuetudinis præteritæ cum vxore, voluit redire ad eam.* Dum ira abducit, dum reducit libido, nequit quieſcere ſed contrariis cogitur impulſibus agitari.

28. Iſaias impios mari aſſimilat, & quidem æſtuanti, & feruenti: *Impij quaſi mare feruens.*

Iſai. 57. v. 20.

Quas pugnas, & ventorum acriter aſpirantium altercationes hoc cordis mare ſuſtineat, refert Daniel teſtis ocularis: *Videbam in viſione mea nocte, & ecce quatuor venti Cœli pugnabant in mari magno.*

Daniel 7. v. 2.

Vnda vnius venti acri pulſatione proiecta in aliam partem confugiebat: ſed inde alterius fœtu repercuſſa in deſertam partem redibat, eratque ventorum ludus, quia vel tantilla concederetur quis, aut permitteretur requies. Hanc ventorum pugnam moribus adaptans Richardus in allegat. Tilmani ſic ſcribit:

Richard.

Diuerſitas ventorum cœli contrarij ſunt affectus animi: aliter enim ſpirat concupiſcentia, & aliter flat iracundia: aliter autem, & aliter confidentia, vel diffidentia. Inter confuſos æſtuantis concupiſcentiæ vortices, inter violentos exoculatæ iracundiæ fluctus, inter recurrentes anxietatum vndas, inter ſolicita ambitionis naufragia, neſcit humanum cor non arctari, & contrariis adſultibus circumuolui: quiſquis appetitui ſeruit inſaniæ, ignorat pacis otium, quietis ſerenum, tranquillitatis olympum. E contra qui rationis gubernaculo vitam aurigat, qui honeſtatis remigiis paſſionum adſultus declinat, vel in hoc turbulento mari vitam agit cœleſti adſimilem.

Sponſa dilectum ſuum quæſiuit, & inuenit: *Inueni quem diligit anima mea.* Omnem amoris cenſum dilecto impedit, cætera deſpiciens magnanima, & contemnens generoſa: ergo diligentem placidiſſimus ſomnus corripit, & dulciter correpta quieſcit: *Adiuro vos filiæ Ieruſalem per capreas cernoſque camporum, ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit*: beatitudinis iam fruebatur priuilegio, vitam degens omnis expertem tumultus. Huc voce datum Hildebrtum: 29.

Cant. 3

Hildebert.

Hinc denique eſt quod intra fines virtutis totum te colligit, quod de vita tua cum natura non deliberas minus attende nequid caro poſſit, quàm quod ſpiritus velit, hoc verè philoſophari eſt, ſic viuere magnum iam cum ſuperis eſt inire conſortium: nulla hinc ad ſuperos via compendioſior: eo facilè peruenies; ſi tamen exoneratus inceſſeris. Exonerata humanis auris, libera ab appetitus fallaciis quieſcit anima nullâ perturbata illuſione phantaſiæ, nulla interpellata inanium curarum ſollicitudine. Animæ ſarcina appetitus eſt: ergo qui appetitum non excuſſit, miſer ingemuit. *Porrò animus ipſe* (verba ſunt Hildeberti) *Sibi ſarcina eſt, donec & ſperare deſinat, & timere nondum enim beatè viuit; quem vel voti torquet dilatio, vel à voto decedendi motus excruciat.* Cupiditatis offendicula præpediunt, contrarij venti appetitionum exagitant, & homo varios inter affectus diuiſus nec poteſt quieſcere, nec valet ſibi conſtare.

Belluam videt Daniel lutoſis de fluctibus aſcendentem: leæna erat alas aquilæ mutuata: *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ: aſpiciebam, donec auulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terrâ, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit. & cor hominis datum eſt ei.* 30.

Dan. 7. v. 4.

Auulſis alis ſtetit, alis inſtructa aſcendere potuit; ſed ſtare non potuit. Richard. in alleg. Tilmani in leæna ſæuitiæ, itaque agnoſcit affectum, in aquilinis alis vanitatis tumorem, & cupiditatis anxietudinem. Cor hominis ei datum eſt, vt conſiſtat: ſolum enim delectabile, ac honeſtum otium ſortietur, ſi auulſis alis rationi reſtituatur: affectionum monſtrum, beſtiarum malè inter ſe concordantium collegium nec valebat pennis aërem ſecare, quia leonini corporis grauabat ſarcina: nec incedere valebat; quia aquilina leuabat penna. Audi Richard. *Vultis & hoc breuiter audire, quid ſentiam de huiuſmodi beſtia alis: videtur mihi vna eſſe præcipitationis, altera præſumptionis.*

Richard.

Addit poſt aliqua: *Suprà pedes quaſi homo ſtetit, & vtinam vel ſerò deſinat ſe Angelum credere, & tandem aliquando deſinat ſuprà hominem præſumere: iam non volat vt Angelus, nec ambulat vt homo; ſed ſtat.* Dum Deo aſſimilari Angelus diſcupit, & ſedere, ambitionis febri delirat: nec enim conueniunt placidum quietis otium, & ſollicitum ambitionis ſtudium. Dum homo præſumptionis pennis inuolare molitur, ſarcinâ miſerè prægrauatur, & dum ſibi aduerſantur ſarcina & penna, nec volare poteſt, nec quieſcere. Inte Propheta Luciferi carpit inſipientiam; quia in ſuperbiæ culmine promiſit ſibi ſeſſionem, cùm ambiret ſollicitiſſimam celſitudinem. Cordis prudentiam ſtatio ſequitur: *Suprà pedes quaſi homo ſtetit*: eſt enim virtutis conſequẽtia iucunda placiditas, & laudabilis otioſitas.

Cainus

31. Cainus, poſtquam inuidentiæ æſtibus flagrans, & ambitionis flammis exæſtuans fraternum ſanguinem fudit, ac morti ianuam aperuit, vagus exulat, & Naid inhabitat. : *Egreſſuſque Cain à facie Domini habitauit profugus in terrâ ad orientalem plagam Eden.* Hieron. in quæſtionibus Hebraicis ſic ex ſeptuaginta Interpretibus vertit : *Habitauit in terrâ Naid* : adnectitque ſignificare Naid fluctuationem, inſtabilitatem, & anxietudinem : nec enim poterat à facie Domini diſcedens, rationémque fugiens fluctuationem non pati, & inſtabilitate non premi : fluctuat ; imò violentis circumuoluitur procellis : quiſquis ſanguinem fundit iratus quiſquis ſplendere diſcupit ambitioſus. Accipe Hieronymus verba : *Septuaginta : Habitauit in terra Naid : in Hebræo Nod dicitur, id eſt, inſtabilis, & fluctuans & incerta ſedis* : Caini diſcipulis eadem ſors eſt : fluctuant inſtabilitate, certam nequeunt ſortiri ſedem : quia paſſionibus effrænatis iam hùc, iam illûc lugent abducti, & in modum vertiginis circumacti. Qui carnis ſtimulis agitatur, requiem ignorat : qui iræ eruptionibus æſtuat, à ſe ipſo egreſſus oberrat : qui elationis alis ſe ipſum inuolando fatigat, quietem non ſortitur ; ſed anxiis rotationibus circumuoluitur. Ad rationis habitaculum confugiendum eſt, ſi velis honeſto frui otio & turbulento non rapi fluctu.

Gen.4.v.16.

Hieronym.

§. VIII.

Si ratio, conſuetudóque decertarint, vincet infæliciter conſuetudo, & deuicta lugebit non ſemel ratio.

32. SOmnum ſomnus adeſcat aiebat Petrus Damian. lib.1. epiſtol. epiſt. ad Summos Pontif. *Et vigilia vigilias pariunt : nam corpus humanum, in quo paulatim prius enutritur, in hoc per incrementa poſtmodùm roboratur.* Ea vis conſuetudinis eſt, vt in naturam tranſeat, & intimè inuiſceretur naturę ad tempus aliquando hâc aut illâ causâ intermittetur, facillimè tamen ad conſuetas vias recurret, & ſaporem antiquum retinebit. Fluuius ingenti labore ab alueo diſtrahitur, ſine labore reuertitur : conſuetudo namque eſt pro naturâ, & natura acriter reluctatur violentiæ. Interrogatus Moyſes quid manu geſtaret, virgam reſpondit : *Quid eſt, quod tenes in manu tuâ ? Reſpondit : virga.* Proiecta, non ſine miraculo in colubrum verſa eſt : *Proiecit, & verſa eſt in colubrum.* Virga iam colubri naturam induerat, iam inſenſibilitatem exterminarat. Quid tunc ? vt ad Moyſis manum rediit, antiquam naturam induit : *Tenuit, verſaque eſt in virgam.* Quæ diu virga, non ſine miraculo coluber, & iam coluber leuiſſimo tactu virga : quo erudiamur, non inuerti facilè conſuetudinem : quæ manu geſta munus agoli diu ſubiuit vel animata ad agoli officium rediit : *Caudam Moyſes tenet*, inquit Bruno in alleg. Tilman. *Et in virgam ſerpens conuertitur.* Conſuetum munus repetiuit, & miraculoſam vitam depoſuit. En Samſon plurimis cauſis in vxorem ſtomachatus ad eam rediit, & hœdum attulit : *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Ne Samſon ad vxorem rediret, ſollicitabat fraudulentus dolus ab vxore concinnatus, & adulterium fallaci coloris titulo initum, & tamen rediit. Quod ſi quæras quid fuerit in causâ, reſpondebit Abulenſ. q.1. *Habens memoriam conſuetudinis præteritæ cum vxore voluit redire ad eam.* Decertabant veluti in arenâ, in Samſonis pectore ratio & conſuetudo ; cúmque triumphum agere debuiſſet ratio, conſuetudo deuicit, & reditum perſuaſit : tanta eſt conſuetudinis vis : vnde qui ſuadentur facilè conſuetudinem expungendam non ſolùm ſibi imponunt ; ſed imponere exoptant quandoquidem vel lippientibus notum eſt, rationem ſæpeſæpiùs à conſuetudine duci captiuam, & lugere detriumphatam.

Damian. Sõnus ſomni eſt parens.

Exod.4.v.2.

Brun.

Abulenſ.

33. Paulum audi ad Roman.7. *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuantem me in lege peccati.* Quæ fuerit hæc peccati lex, quæ mentis legem captiuat, & certamine duro diuexat, quærunt Patres : Ambroſ. ad hunc locum præualentem legem putat conſuetudinem, non quod aſſuetum peccatum in legem tranſeat ; ſed quia eâ vi, ac lex poſſet, hominem dirè conſtringat. Ambroſ. audi : *Hæc preſſa eſt violentia peccati, negligentia quidem ſua : quia dum diligit vitia, ſubiecit ſe peccato, vt ipſâ conſuetudine teneatur captiua. Dominatur enim homini conſuetudo.* Ecce lex mentis, & rationis à conſuetudine preſſa luget, & captiua mœret : certabat ratio, vt detruderet conſuetudinem ; verùm hoc difficili agone conſuetudo præualuit, & ratio ingemuit : reluctatur virtus, ne à vitio milite captiuetur ; ea tamen eſt conſuetudinis vis, vt reluctantem captiuam duxerit, & appetitui ſubiecerit. Vel Paulus ad tertium Cœlum raptus, & ipſi Domino conformatus hoc in certamine ad eruditionem noſtram laborabat, & gemitus altos edebat : *Quis me liberabit de corpore mortis huius ?* id eſt, exponit Anſelm. ad hunc locum : *De hoc corpore corruptibili, in quo mors eſt.* Adiicit. *Hæc eſt vox militis pugnantis, & gementis in labore certaminis.* Paulus Apoſtolorum apex ingemit cum conſuetudine decertans, & credet neſcio quis cæcitati adulatus ſuæ, facili negotio poſſe conſuetudinem vinci, & ab illâ triumphum, ſi ratio militet, reportari.

Ad Rom.7. v.23.

Ambroſ. Homini dominatur conſuetudo.

Anſelm.

34. Nec Chriſto Domino in crucem acto inimicorum furor deferbuit ; imò ipſo ineſcatus ſanguine feraliter in diſcipulos conflagrauit, cumque apertum adeo periculum Petro ad negationem prono prouidentet declinare ſuaderet, ad mare piſcaturus contendit : *Vado piſcari* : ante conuerſionem piſcationi aſſuefactus ad illam rediit, & aduerſùs diſcriminis conſilium conſuetudinis præualuit imperium : *Poſt conuerſionem ſuam*, inquit Gregor. apud D. Thom. *Ad piſcationem Petrus rediit.* Rediit vſu allectus, rediit piſcationi aſſuefactus ; aduerſus periculorum adſultus, aduerſus vigilantiſſimos aduerſariorum conatus conſuetudo præualuit, & qui in Principis domo interrogatus malè conſulente periculo à fide deſciuit, fumante adhûc periculo ad ſolitum piſcationis exercitium non ſine vitæ iacturâ rediit.

Ioan.21.v.3.

Gregor.

35. Iob oſſa peccatoris peccandi conſuetudine ſic atteſtatur infecta, vt licèt vita mortis falce demetatur, ab oſſibus nullatenus ſeparetur : conglutinata ; imò conuiſcerata malitia arctiſſimo conſuetudinis vinculo pro medullâ oſſibus eſt, & quæ diu adhæſit, diuturnitate in naturam quodammodò tranſit : mors omnes libidinis motus, titillantes phantaſias dolorum impetu, ærumnarum phalangibus expugnat armata ; verum conſuetudo diſcrimini obuiat & rationi, & in mortis præſentiâ

inuiſcerata

Digitized by Google

inuiſcerata inardeſcit cupiditas, & cupiditatis præualet actuoſitas. *Oſſa eius implebuntur vitiis* .10. v.11. *adoleſcentia eius, & cum eo in puluere dormient.* Oſſa mors carnibus denudauit; ſed vitia, ſi fiat eſt dicere, ab oſſibus non expunxit: non recipit rationem conſuetudo: non patet prudentiæ: ſui iuris eſt, & in medullas illapſa inſeparabili adhæret Greg. viſco. Adeſt Gregor. lib. 15. Moral. cap. 5. *Origo praua inchoationis cauſas culpæ etiam præſumendo multiplicat; dum enim mala agere quiſque cœperit, vſu iam deterius in hoc, quod incohauerat, excreſcit.* Adnectit. *Quam* (gloriæ aut carnis libidinem) *in eo dum adulantium blanda fomenta multiplicant, robuſtiorem reddunt, & quaſi in oſſa conuertunt: hoc enim quod malè cœpit, peius quotidie per conſuetudinem roborat. Dicatur itaque: Oſſa eius implebuntur vitiis adoleſcentiæ eius.* In puluere cum oſſibus dormit conſueta prauitas, & dum tempore augetur, oſſium ad inſtar duratur. Senectus renuntiare vitiis conſulit, mors ſuadet; ſic tamen vitiis aſſuefactum peruerſa tenet conſuetudo, vt aures ſepiat, & prudentiam ſopiat: *Tenent illum*, addit Gregor. *prauæ conſuetudines, quæ ſemel cœperunt, atque quotidiè duriores exiſtunt, & cum eo in puluere dormiunt: quia non niſi cum eius vita finiuntur.* Adde vltra vitam ipſam conſuetudinem viuere, & ipſius mortis vires ſuperare.

36. Huius veritatis non dubia ſponſa, cum tumulo ſponſum non inueniſſet iacentem, per vicos & plateas reſurgentem quærere propoſuit, ibique in- Cantic 3. v.1. uenit: *In lectulo meo per noctes quæſiui, quem diligit anima mea; quæſiui illum, & non inueni ſurgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea*: Addit: *Paululùm cum pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Bernard. ſerm. 76. in Cant. exiſtimat ſponſam, cùm Chriſtum dilectum ſuum reſurrexiſſe cognoſceret, inueniendi anxietate impulſam decreuiſſe, vicos curſitare, & plateas adire: quod ſi huius quæras determinationis conſilium, ſapientia, & eruditione reperies plenum: ſolitus erat Chriſtus Dominus in plateis morbis iacentes perſanare, & publicis, apertiſque locis ad virtutem populos erudire: ergo credidit ibi poſt mortem etiam inueniendum: quia ibi ægrotos ſanare, & populos edocere fuiſſe cognouerat aſſuefactum. Benard. audi: Bernard. *Puto arbitrata eſt egreſſum de tumulo publicum mox petiiſſe, vt ſolitò doceret populos, ac ſanaret infirmos.* Preme illud *ſolitò*: ac ſi dicat: Qui in vitâ laudabilem hanc docendi, curandíque conſuetudinem coluit, vel pòſt reſurrectionem ſeruabit: ergo vicos, & plateas laboris compendio adibo: ibi námque inueniam eadem operantem, & ſimilia exercentem: *Arbitrata eſt egreſſum de tumulo publicum mox petiiſſe, vt ſolitò doceret populoi, ac ſanaret infirmos.* Quid pro conſuetudine aut dici potuit exaggeratius, aut verius? Vltrà mortis limites arbitrata eſt ſponſa optimam conſuetudinem adhuc florere: nec labore fraudata eſt: ipſa námque teſtatur ſponſum adinueniſſe: *Inueni*: quem mors non potuerit tumulo detinere, conſuetudo potuit ſanitati impertiendæ, & cœleſti doctrinæ diſſeminandæ plateis & viculis illigare. Hinc noſces quanta ſit conſuetudinis ſiue vitij, ſiue virtutis efficacia, quanta eius potentia, vt virtuti aſſuefias, & à vitiis diligenter recedas.

§. IX.

Præceps & exoculata libido per honoris contemptum contendit ad voluptatis illicium.

QVi animum ſuum voluptatum fluctibus 37.
merſit ad honoris voces obſurduit, & prudentiam naufragio tradidit: eos obducit callos libido, vt fallacibus carnis delitiis deditus acres conſcientiæ morſus non ſentiat, aut illudat. Diſertè aiebat Tertullianus libro de ſpectacul. cap. primo, eam eſſe voluptatum magiam, vt memoriam iniuriarum expunxerint, aut ſaltem diſſimulationem ſuaſerint: *Tanta eſt enim vis voluptatum, vt ignoran-* Tertul. *tiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrumque.* Clamantem conſcientiam, & iniuriarum dolore ſauciam vehemens appetitus lenit, & ſopit: non ignorat carnis ſtimulis agitatus, quas tulerit ſæpè offenſas, verùm affectat ignorantiam, ne intulerit cupiditati violentiam: quæ ſe oculis ingerunt, cæcis de induſtriâ oculis pertranſit, elaboratáque obducit oculos cæcitate; ne deſpicabili priuetur dulcedine. *Amor*, aiebat Bernardus Sermon. 38. in Cantic. *vbi* Bernard. *venerit, omnes in ſe transfert, & captiuat affectus.* Quod non ſolùm de ingenuo, ſed Amor omnes captiuat affectus. de impuro amore putarim: ſi inardeſcat amor, qui ſui ſemper iuris eſt, & in affectibus principatur, conſcientiæ imponit ſilentium, obliuionem memoriæ iniungit honoris cauſam non audit. Huius veritatis teſtis eſt Samſon, qui fraudulentæ vxoris, & quidem tenerè dilectæ blanditiis falſus, & conuiuis proditus iuſtâ indignatione incanduit, & doloſam exaſperatus reliquit, verùm quàm citò ad illam rediit hœdum afferens, vt abſentiam munuſculis compenſaret, & vxorem deliniret: *Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Mirabili metamorphoſi qui ferociebat vt leo, manſuetum tranſiuit in agnum, indignationémque blandimentis commutauit. Iam ſi quæras, quæ circe aliud ei induerit ingenium, & mutarit animum, reſpondebit Abulenſis quæſtione primâ, id libidinis ſuaſionibus accidiſſe.: Certè Samſon, ſi memoriam ſubirent offenſæ renuntiaturus erat voluptati; eo tamen illecebrarum pruritu inardeſcebat, vt tetro luxuriæ fumo obſcuratus per iniuriæ contemptum contenderit ad voluptatum illicium. Audi Abulenſem: *Cùm iuuenis eſſet,* Abulenſ. *libido eum vexabat, & habens memoriam conſuetudinis præteritæ cum vxore, voluit redire ad eam.* Conſuetudinis memoria fraudis attulit obliuionem & ne honoris voces audiret, induxit prudentiæ auribus ſurditatem: dum cupiditatis occaſionem ambiuit, iniuriarum memoria caruit.

Vt populi idolorum cultui addicti inſaniam ac- 38.
curatè exprimat Deus, Oſeam, quo veluti ænigmate vſus eſt, iubet notam pudenda fornicatione mulierem in matrimonium ſibi co- Oſeæ 1.
aptare, filióſque ſuſcipere: *Vade, ſume,* v.2.

tibi uxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum; quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Acti adeò libidinis ardore, exoculata adeò inſania furebat populus, vt ne cupitis careret turpiter honorem prodigeret: ergo Oſeas populi figuram gerens fornicariam accepit, & honoris iniurias deglutiuit: ab omnibus digito contemptim non renuit denotari, ſi detur cupiditate potiri: famæ pretio emit voluptatem ſæpè libido, & dum cupiditatis flamma deliciarum nanciſcatur opportunitatem, parui pendet impudenter, & imprudenter honorem. Ecce Oſeas dum culpabilem populi inſaniam inculpatè repræſentat propudioſum meretricis ſtudioſè ſollicitauit amplexum, nec honoris renuit naufragium: *Quaſi dicat: Hoc facto*
Hugo. *ſignificabit*, inquit Hugo Card. *quòd decem tribus fornicatæ ſunt, non ſicut cum meretricibus elocati corporis, id eſt, quæ elocãt, id eſt conſtituunt, pro mercede corpus ſuum, ſed ſicut gentes cum idolis.* Idololatriæ deliriũ exoculatæ libidinis penicillo depingitur: quia magna inter vtrúmque vitium ſimilitudo verſatur: nam vti idololatra obbruteſcit; imò in lapidem, aut lignum tranſit; ita libidinoſus ab homine migrat in beſtiam, & rationalis obſcurat gloriam. En populus rigido libidinis præcepto fornicariæ ambiuit commercium, & honoris deſpexit probrum.

39. Prodigus ille filius, dum vilibus porcorum ſiliquis cupiditatis ſtomachum ſuſpirat implere,
Lucæ 15. v.15. porcorum gregi non recuſat inſeruire: *Adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis.* Dum acri adeò fame non vrebatur, ſubſtantiam prodegit; ſe tamen indecora ſeruitute non obſcurauit; at dum delitiis liberiùs indulget, inſaniùs ardet, dúmque auidiſſimè inhiat ſiliquis, ſeruire diſcupit porcis: grande erat ingenuo dedecus lutulenta paſcua percurrere, & maculis ignominioſiſſimis graue olentis cœni denigrari; maluit tamen ſubire infamias, quàm amittere ſiliquas: ea erat intemperantiſſimi ſtudij fames, vt in honorationem ambiret, & porcis ſeruiturus Domini latebris adhæreret: *Adhæſit vni ciuium regionis illius:* vt adhæreret ciui, diſceſſit longiſſimè ab honore: parui habuit ſepeliri famæ, ſi voluptuoſæ viuat
Chryſol. miſeriæ. Adeſt Chryſologus ſermon. 1. *Mortalis eſt iſta vita: quia moritur virtutibus, qui vitiis viuit, ſepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, creſcit infamia.* Siliquæ grandi famæ detrimento vendebantur, ingenti conſtabat pœnitenda voluptas honoris pretio; ſic tamen prodigus cæcutiebat, cœcitatémve affectabat, vt per honoris contemptum ad voluptatis contendat probrum. Luti deſpexit maculas, vt própudioſas nanciſceretur cupedias.

40. Sethi progenies ad eam gloriam virtutis ſuffragio peruenerat, vt Dei filiorũ honorabili appellatione luceret, nec ignorabat, ſi à virtute caderet, in hominum cenſum referendam: Deum audi:
Geneſ. 6. v.3. *Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Dei ſpiritu priuati, & appellationis honore inueniuntur nudi. Quod ſi quæras, vnde eis tanta gloriæ iactura contigerit, reſpondebit textus à libidinoſo ſtudio promanaſſe, ab intemperantique appetitu emerſiſſe: *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Dei filij in hominum filios tranſeunt, & carni immixti ſpiritu interdicuntur diſpuncti; ſic tamen dum oculos intemperanter ad pulchritudinem expandunt, tetro cupiditatis obcœcantur fumo, vt honoris iacturam libenter ferant, & inſanis appetibus ſtudioſiſſimè pareant. Ita Seleucienſis Baſilius oration. 6. *Sethi poſteri partem adepti* Baſil. *meliorem, & appellatione honorati, & paternæ benedictionis heredes filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſerváṁque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta, & execrabilium egreſſu fœdantur; fluxam, & caducam voluptatem æternarum rerum vetis anteferentes adulterant indolem ſuetam virtutis ire vias, ac iniquitatis naturæ mancipatur.* Ab honeſtâ appellatione deciſcentes Dei filiorum elogium tumulant inſani, vt ad libidinis infamiam tranſeant cupidiſſimi. Frænum erat ad cupiditatem reprimendam ſumptuoſior, ſplendidiórque appellationis nobilitas; verùm ad inſtar indomiti equi fræna rupit appetitus, & præceps honorem proculcauit affectus: libidinis inſania furentes malunt ſuſpiciendis originis elogiis mulctari, quàm carâ voluptate interdici: *Execrabilium egreſſu fœdantur.* Non ſemel videas iuuenes illuſtri progenie exortos propudioſas, imparéſque mulieres ducere affectata, ne honoris voces perceperint, ſorditate, & elaborata in delitij officina, ne gloriæ iacturam viderint, lipitudine: indecens erat Samſonem ex incircumciſis vxorem accipere, indecens ad fœdifragam, & immixtam alteri velociter inuolare: adductus tamen libidine adulterij corrupit conſcientiam, & in exoculatæ cupiditatis obſequium affectauit ignorantiam: *Libido eum vexabat, & habens memoriam conſuetudinis præteritæ cum vxore, voluit redire ad eam.*

---

§. X.

Homo non ſemel homini grandius virtutis obſtaculum, quàm perpetratum delictum.

PEccatum, errórque admiſſus omnis felicitatis eſt tinea, & ærumnarum omnium eſt 41.
cauſa: nihil relinquit intactum, culpâ, quidquid ad ſalutem, luget euerſum: *Omne caput languidum*, aiebat Iſaias, *& omne cor mœrens: à* Iſai.1. v.6.
planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas: vulnus, & liuor, & plaga tumens. Scatet peccatoris cor concupiſcentiæ vermibus, putridis fœtet erroribus: nil habet, quod ſuæ non aduerſetur ſaluti, & apertè opponatur proſperitati: *Caput languet*, aiebat Richardus in allegor. Til- Richard.
man. *quia liberum arbitrium ad omne bonum torpet: cor mœret, quia malum, quod patitur conſilium ſicut nec ignorare, ſic nec diſſimulare valet: pes, cùm in toto corpore, quia concupiſcentia malum vndique.* Totum peccatorem culpa tyrannica obſidet, & ſibi ipſi inutilem reddit; verùm etſi luci, ſalutique validum adeò culpa oppoſuerit obſtaculum infeliciùs aliquando peccatori eſt alterius hominis patrocinium. Si Dœmon hominem nanciſcatur criminis patronum, & erroris auxilium, ſecurus degit: quia Chriſto reſiſtendum protsùs agnouit. Opportunè Tertullia- Tertul.
nus de coronâ militis cap.7. *Ipſi ſcilicet ſibi procurauerunt Dæmones, per eos, in quibus eſurierant, antequam*

Tertul. *antequam procurauerant.* Execranda dæmones peccatorum fame, inexplebili culparum ſiti diſcruciabantur: ergo per homines ſuis indulgere deſideriis procurarunt: quaſi per ſe ipſos non ita ſua vota quirent explere, ac peruerſorem ope perficere: ipſa peccata, ipſi dæmones, qui Dei benignitatem retardant, non ſic aliquando probantur eius miſericordiam impedire, ac vitiis patrocinantium inuenitur prauitas retardare. Optimè Seneca epiſt. 103. *Ab homine homini quotidianum periculum: aduerſus hoc te expedi, hoc* Seneca. *intentis oculis intuere? nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius.* Deliquerat Samſonis vxor, & arcanum ſibi commiſſum proditoriè conciuibus reſerauit: huius doli Samſon nimis exaſperatus offensâ receſſit iratus: *Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui.* Verùm etſi muliebris fraus exaſperatum fugarit, etſi abire dolis coëgerit, tandem redit innata benignitate ſuaſus, & ſponſæ amore illectus; verùm cum muneribus, obſequiiſque offendentem delinire, & concordiam ſtabilire curaret, à ſocero eſt impeditus & retardatus: *Cùm cubiculum eius ſolito vellet intrare, prohibuit eum pater illius.* Quem debuiſſet obſequiis promereri, expulit, arcuit, prohibuit. Quid tunc? *Ab hac die*, inquit Samſon, *non erit culpa in me contra Philiſthæos.* Expende non ſic iram excanduiſſe ob violatam fidem, vt non rediuerit ad ſponſam; vbi verò error patronum ſortitus eſt, veluti ſpe correctionis amiſsâ iam ad debitum feſtinat ſupplicium, quaſi vinci nequeat obſtaculum: Itaque Samſon non fuit quodammodo tam prohibitus à crimine, quàm ab homine:
Abulenſ. *Prohibuit eum pater illius*, ſcribit Abulenſ. q. 2. *dicens ne accederet ad eam: quia iam non erat vxor eius; ſed alterius viri.* Cùm prodito arcano Samſonem offendit, adhuc vxor eius manſit; cùm infelix eſt ſortita patrocinium, ſic fuit alterius, vt iam nec Samſoni pateret aditus, nec indulgentiæ daretur locus: *Ab hac die*, inquit, quaſi iam deſperauerit correctionem, cùm mulier impudentiæ ſortita fuerit patrocinantem.

42. Quoties Deus deſperatis hominum paſſionibus ſuæ Deitatis pandens omnipotentiam medetur, ad idque ſuæ ordinem curationis immutat, ibi quid latere arcanum demonſtrat: ergo videamus quomodò oculos refinxerit cæco: Bethſaidam aduentarat, vbi miſer homo cæcitatis tenebris inuolutus
Marci 8. verſ. 23. iacebat, hunc Dominus extra vicum educit, vt ſanitati reſtituat; *Apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum.* In hoc cæco Iudæum obſtinationis, tenebris obcæcatum deſignari teſtatur
Chryſol. Chryſol. Serm. 176. *Cæcus iſte eſt Iudæus, qui in ſynagoga, hoc eſt, in perfidiæ domo, & in vico, hoc eſt, in conuentu malignantium ignorantia cæcitate tenebatur, & ſedebat oppreſſus.* Altera calamitas alterâ fulciebatur: ſuſtinebat oculorum carentiam, improborum redundantiam. Quid tunc Dominus, cuius nutu infirmitates pereunt, cuius iuſſu redeunt ſanitates, cuius verbo vita oritur, mors finitur? *Eduxit eum extra vicum.* In campum eduxit cum cæcitate pugnaturus à malignorum conſortio extraxit, quaſi non ſic laborarit in culpæ depellendo obſtaculo, quàm in appoſito ab hominibus refundendæ luci validiſſimo impedimento: tenebatur cæcus improborum ſocietate, & tenebrarum caligine, vtque nos erudiret Chriſtus grandius luci obſtaculum promanare, quàm ab ipſis ſceleribus, ab hominibus, ſe iunxit ab impiorum conſortio congreſſurus cum cæcitatis obſtaculo: *Quaſi enim curare non potuerit in loco* (verba ſunt Chryſol.) *aut beneficio loci indiguerit, vniuerſis qui contulit viſum. Hæc eſt Bethſaida, cuius perfidiam Dominus exprobrat... Ergo apprehenſá manu eius de domo infidelitatis educit, leuat eum de perfidiæ ſeſſione.* Potenti manu extraxit, oculos facili ſaliuâ refudit, quaſi plus laborauit in educendo, quàm in ſanando: quia grauius cæco erat homo impedimentum, quàm ipſius cæcitatis delictum. O quoties homo conſcientiæ angoribus vlceratus cupit abiurare morbi cauſam, ſceleris occaſionem effugere, & ſocius mœrorem leuat, blanditiis eneruat, ſtudium, in futurum differre ſuadet, melioris vitæ propoſitum, & qui vel ipſius culpæ catena ligatus, & cæcitatis tenebris oppreſſus tranſiret in libertatem, & lucem, de ſocij peſte & tabuit, & iterum deliquit & corruit:

Redeat iterum Chryſol. Incurua mulier tranſierat in imagine à gentilitatis inſania, in Iudaicam Synagogam, hic prolixo tempore deguit occulto ac veternoſo ſpiritu illigata, & affectionibus terrenis addicta; verum Dominus pro ſuâ miſericordiâ manus illi impoſuit, & ſpiritum infirmitatis abegit: *Quam cùm vidiſſet Ieſus, vocauit eam* Luc. 13. v. 12. *ad ſe, & ait illi: Mulier dimiſſa es ab infirmitate tuâ, & impoſuit illi manus, & confeſtim erecta eſt.* Cùm varius curationis ordo myſterium innuat, facit nos perſcrutari, & implorato diuino auxilio latens myſterij granum ruſpando pro modulo noſtro eruere. Ecce Chananææ filia intra ſidoniorum terminos manens Dei verbo recipit ſanitatem: Centurionis ſeruus vinculis gentilitatis oppreſſus, Dei iuſſu membrorum vigorem accipit: *Fiat tibi*, Matth. 15. v. 28. aiebat, *ſicut vis: & ſanata eſt filia eius ex illâ horâ:* Iterum: *vade, & ſicut credidiſti, fiat tibi, & ſanatus eſt puer in illâ horâ:* Matth. 8. v. 13. Si verbo ærumnoſis adeò morbis refudit ſalutem, cur incuruæ fœminæ verbo & manibus operetur ſanitatem? Iam reſpondet Chryſol. Serm. 105. *Quid eſt, quòd hæc,* Chryſol. *quæ Eccleſiæ typum portat, in ſynagogâ ſic reperitur incurua? Quid eſt, quia dum fugit gentium ſacrilegia, & declinat ſarcinas idolorum grauiora incurrit?* Si idolis inſeruiret, fors facilius reſtitueretur luci & rationi; at in ſynagoga degens medicinam exigit validiorem: *Grauiora incurrit:* & cur? Quia anteà ſanitati eius crimina refragabantur, modò archiſynagogus auctoritate venerabilis, potentiâ præditus, dignitate exornatus curationem impediebat: *Reſpondens archiſynagogus indignans, quia ſabbatho curaſſet Ieſus, dicebat turbæ: ſex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in die ſabbathi.* Vbi homo refragatur ſaluti, vbi ad tellurem curuitatem deponere diſſuadet, grandius Chriſto negotium faceſſit: ipſa crimina, dum conſcientiam exulcerant, occaſionem medicamina quærendi adminiſtrant; at ſi auctoritas refragetur deſiderio ſalutis, ſi falſatus amor ſalubres diſſipet cogitationes, ſi amicus noxius à virtutis auertat ſtudio, vitium præualet, & virtus luget: *Dum fugit gentium Sacrilegia, & declinat ſarcinas idolorum, grauiora incurrit.* Quæ grauiora? Auctoritatem infirmitati ſuffragantem, archiſynagogum ſanitati obſiſtentem: eſt namque homo aliquando præ ipſo delicto grandius virtuti obſtaculum, & fortius impedimentum.

Dæmon miſeri hominis cor intrauerat, hoſpitij 44.
merces grauiſſima ærumna fuit ipſis in ſepulchris viuû deliteſcere cogebat, vt reciproco hoſpitio recõpenſaret officium: homo cor ſepulchrû patẽs dæ-

moni exhibuit, & dæmon ſpurcitiis plenum homini pro habitaculo ſepulchrum præbuit; verùm Dominus vices hominis miſeratus nauim inſcendit, mare tranat, & ſalutem allaturus greſſum maturat: Marc 5. v.1. *Venerunt trans fretum maris in regionem Geraſcenorum, & exeunti ei de naui ſtatim occurrit de monumentis homo in ſpiritu immundo.* Regio dæmonum legionibus inuaſa Domini aduentum adepta eſt, quin dæmones aduentantem aut propellerent, aut tardarent: Chriſtus homini ſanitatem reſtituit; verùm regionis illius ciues immundi gregis diſpendio commoti auolare Dominum ſollicitant miſerabiliter cæci, & cæciſſimè auari: *Rogare cœperunt eum, vt diſcederet de finibus eorum.* Confer modò cum dæmonum legione inſaniam hominum, videbiſque maius detrimentum ſuſtinuiſſe regionem ob hominum phreneſim, quàm ob dæmonum tyrannidem: à dæmonibus peruaſa tellus ipſa calamitate commiſerationem commouit; at homines quem Diabolus non potuit impedire, probantur expellere: vt regio Chriſto frueretur, grandius fuit homo impedimentum, non adeo Theophyl. graue ipſe diabolus obſtaculum. *Contriſtati de porcorum perditione*, ſcribit Theophylactus apud D. Thom. *præſentiam renuunt ſaluatoris.* Tota dæmonum cohors in acie perſtitit, vt aduentanti reſiſteret, auara cupiditas in campum prodiit, & cùm legionem Dominus facili imperio profligauerit, illum cupiditas, auaritiaque terga vertere compulerunt, & à ſuis finibus amandarunt: vt videas plus virtuti homines contraire, & minus aliquando dæmones aduerſari.

---

§. XI.

Tempus eſt iracundiæ medicus, & rationis conſiliarius.

45. APoſtolicum conſilium eſt iræ locum dare: *Date locum iræ:* locus exhibendus eſt, non vt nouis acceſſionum reditibus incrementetur; ſed vt temporis interuallo ſopiatur: ignis de pabulo robuſtus ac validus tēpore languet, & in cineres innoxia tractandos dextera deſinit: *Cauſa iracundiæ opinio iniuria eſt*, inquit Senecà lib. 2. de ira cap. 22. Senec. *cui non facilè credendum eſt, nec apertis quidem, manifeſtiſque ſtatim accedendum: quædam enim falſa veri ſpeciem ferunt: dandum ſemper eſt tempus: veritatem dies aperit.* Dandum eſt tempus, non ſolùm vt veritas dilucidior appareat: ſed vt ardor ille præceps, & rationem ſecum rapiens deferueſcat: vt aqua irritatata calore ebulliens, & de alieno igne ſe paulatim ſibi reſtituit, & ad frigiditatem innatam redit: ita animus iracundiæ improuidis accenſus flammis temporis medela deponit exoculatum impetum, & ad manſuetudinis redit ingenium. Tertul. *Nihil ſine ætate eſt*, inquit Tertullian. lib. de veland. virgin. cap. 1. *& omnia tempus expectant.* Agreſtia in ſaporem tempore condiuntur, indigeſta ad concinnitatem ordinantur, inconcinna in ordinem rediguntur. Ergo temporis oportet expectare conſilium, nec anteuertiſſe ſuffragium: Nimis iratus incanduit furore contra vxorem Samſon; verùm ſe continuit iracundiam ſuſpectam, Iudic. 14. v. 19. & prudentiæ aduerſam habens: *Iratus nimis aſcendis in domum patris ſui.* Prudentiæ fuit nil tentare dum ratio denſis indignationis nebulis præpedita, & anima paſſionibus obturbata: poſt aliquantulum temporis ſe ſibi reſtituit, & ſponſam recens nuptam rationi non eſſe conſentaneum relinquere agnouit: ergo rediit iam ſopita irâ, & clariùs relucente prudentia: *Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Tempus vti optimus medicus iræ æſtum temperauit, & Samſonem vxori reſtituit. Ita Abulenſ. q. 1. *Aliquanto tempore intercedente ira deferbuit, & cœpit Samſon diligere vxorem ſuam ſicut priùs.* Abulenſ. Si Samſon iræ impetu abreptus tempus non expectaſſet, irreparabili ſors errore prudentiam obſcuraret, & ſera pœnitentiâ doleret; at dum prudenter temporis præſtolatur ſpatium, errandi fugit periculum.

Eſaii primatu diſpoliatus eo arſit iræ furore, vt 46. necem fratri intentarit: *Occidam Iacob fratrem* Gen. 27. v. 41. *meum.* Rebeccâ vt erat prudentiſſima, Iacobo opportunam conſuluit fugam ad deliniendum furentis animi ardorem temporis expectans medelam: *Fuge ad Laban fratrem meum in Haran, habitabiſque cum eo dies paucos, donec requieſcat furor fratris tui, & ceſſet indignatio eius, obliuiſcaturque eorum, quæ feciſti in eum.* Cæciſſimè irrationabiliterque Eſaü deſæuiebat in fratrem, cùm ipſe gulæ adulatus primogenita vendidiſſet, & venditionem Sacramento confirmaſſet; verùm rationem anteuertebat indignatio, & indignationem inflammabat dignitatis ambitio: ergo expectandum tantiſper conſulit mater, quo vires morbus remittat, & ratio præualeat. Si immanere ad rationis confugiſſet contrà indignationem præſidium, forſitan viuidiùs irritaretur incendium; temporis verò ope ira detumuit, & Eſaü in gratiam cum fratre rediit: O prudentem matrem! mouerat plura eſſe, quæ faciliùs cedant tempori, quàm rationi: ergo tempus oppoſuit, & filium vtrumque diſcrimini eripuit. Huc voco quod aiebat Hildebert. Cœnomanenſis epiſt. 31. *Tempore dediſcuntur vniuerſa, nihil humano pectori ſic inhæret, vt tempore non euaneſcat.* Hildeb. *Tempore mater mœroris obliuiſcitur, quæ in morte vnici filij ſui ſolatia non admiſit: tempore vulnus in cicatricem cohæret, & quartanis plerumque profuerunt tempora, quibus non profuit medicina.* Tempore vulneris ardor ſopitur, aduerſæ coëunt partes, & natura conſulente redit ſanitas, quàm doloris expungebat acerbitas: dandus eſt locus iræ, ne ſi immaturâ medicinâ feſtinaueris medicari, inueniaris imprudentiſſimè augere. Ergo Rebecca temporis prudenter aſciuit ſpatium, quo furentis filij medicaretur delirium. Nimis iratus diſceſſit Samſon; ſed tempore deferbuit ira, & qui receſſit offenſis exaſperatus, redibat muneribus placaturus. Si vxor præproperæ cupiditati non indulſiſſet, ſupplicium, & adulterium vitaſſet: ipſæ cupiditates, ſi differantur, elanguent, cæcus impetus prudentiam arietans mora frangitur & fractus minuitur. Certè ſi nonnulli moroſo veſtigio incederent, nec inſanis ſtatim appetitionibus paruiſſent, prudenti cunctatione turpes errores vitaſſent, nec cæca feſtinatione ſe inextricabilibus difficultatibus implicuiſſent. *Tu quoque*, addit Hildebertus, *te ipſam tempore deſueſces, & reſides concupiſcentiæ, quæ ſimul expugnari non poſſunt, ſigillatim meliùs eludentur.* Eluditur iracundiæ furor, indignationis euaneſcit ardor temporis morâ, & dilationis optimâ medicinâ. A tempore conſilium pete, ne dum vtilem temporis non expectas lentitudinem, indignationis fluctibus rapiaris, & calamitatum vorticibus abruptus iacterit.

47. Chriſtus Dominus ſanitates ægrotantibus conferebat, doctrina cœleſti mentes hominum illuſtrabat; verùm vnde Iudæi ſalutis accipiebant auxilium inde liuoris incurrebant ſcandalum: illum ducunt in montis ſupercilium non vt ad altiora eleuent; ſed vt eleuatum præcipitent. *Repleti ſunt irâ omnes in Synagoga hæc audientes, & ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis, ſuper quem ciuitas eorum erat ædificata, vt præcipitarent eum.* Lucæ 4. v. 29.
Beneficiorum merces erat iniuria, malebant namque æmuli amiſiſſe ſalutem, quàm videre dignis celebratum plauſibus ſalutarem; verùm Dominus è furentium manibus cœleſti virtute elabitur, nec tenetur: *Ipſe* autem *per medium illorum ibat.* Sic inquiras cur allatis rationibus ſe audaciæ non appoſuerit; ſed elapſu indignationem fruſtrauerit: reſpondebit Ambroſius ad hunc locum conceſſiſſe furori tempus, vt qui fortè allata ratione cæciùs inardeſcerent, temporis medicamine vtiliter reſipiſcerent: ſuis non factis educuit Dominus ardentem cæcumque iræ furorem meliùs curari temporis lentitudine, quam rationis medicamine: mens namque rationis lucem non videt iracundiæ tenebris obſcurata; imò etſi breui tempore, prorſus cæca: tempus dandum eſt, vt diſſipato indignationis fumo rationis clareat aſpectus, & detumeſcat inſaniæ fluctus: *Deſcendit: nondum enim hora venerat paſſionis, quin etiam malebat adhuc Iudæos ſanare, quàm perdere, vt inefficaci furoris exitu deſinerent velle quod implere non poſſent.* Se ſubduxit, vt rationi reſtituti deſinerent velle, quod iracundiæ ſtimulis incitati, & cæca indignatione commoti tunc probabantur tentare. Si eos tunc Dominus ex ratione aggrederetur corrigere, viuidiùs forſitan irritaret, irritatoſque perderet: ergo eorum ſaluti prouidens ſe opportuna fuga ſubduxit, & rationi tempus conceſſit.

48. Hinc ſolito acumine notabat Tertullianus ea delinquendi fame idola populum expetiiſſe, vt nihil magis timuerint, quàm tempus protrahi, & in poſterum inſaniam differri: *Surge fac nobis deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. v. 1. Ille in aures petiuit, & allatis idolum, quò celerius fieret, opere fuſorio efformauit. *Formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* O vtinam non conflatilem, ſed ſolidum effeciſſet. O vtinam prolixa mallei opera, non compendiaria conflationis extruxiſſet induſtria! Forſan ſi in futurum differret tempus, ſi conſiderantiæ induſiſſet ſpatium, cæcum adeò populus non adoraſſet delirium; at dæmon ſceleris artifex ſtudioſiſſimè cauit, ne temporis conſilio meliora ſaperent, & à conatibus adeò impiis deſiſterent. Audi Tertullianum aduerſus gnoſticos cap. 3. *Aberat apud Deum in monte Moyſes, cùm populus tam neceſſaria abſentia eius impatiens deos ſibi producere quærit, quos potiùs ipſe perdiderit: vrgetur Aaron.* Tertul. Feſtinanter vitulum conflari exoptant, ne tempore reſipiſcant: ſciebant namque de præcipitatione conſtare vitium, & vitij non ſemel de tempore oriri obſtaculum: ergo vrgetur Aaron, dum populus Deos ſibi producere ſitit, ne ſi lentè opus ſubeat, & furoris euaneſcat inſania, & pro inſania aduentarit prudentia. *Vrgetur Aaron,* vt cõflet idolum: nã ſi immoretur, vitabit erratum. Præcipites actiones vt rationi probantur aduerſæ, ſic agnoſcuntur inſaniæ filiæ: lentè feſtinandum eſt, & congrua expectanda mora, ne cæcos pariat filios canis feſtina.

§. XII.

Eiſdem, quibus homo noſtrum lucratur amorem, Deus non allicit voluntatem.

Etſi mira ſit eloquentia munerum, & quidquid deſiderat; perſuaſerit, etſi ratò ſubeat repulſam, quod ſitientis auaritiæ enutrite agnoſcitur flammam, etſi quod, per bella ſolet quæri, non ſit facile repudiari, vnde benè Poëta: 49.

Munera, crede mihi, placant homineſque, Deoſque:

Sua tamen muneribus eſt fortuna, ab homine oblata aſſequuntur, à Deo exhibita non ſemel ingratiſſimè depretiantur. En Samſon Chriſti figuram gerens, vt ſponſæ erga ſe viuidiùs inflãmaret affectum hœdum attulit, quin oblatis muneribus fuerit admiſſus; imò non ſine ignominia repulſus: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius ſolitò vellet intrare: prohibuit eum pater illius.* Ablato, oblatoque hœdo iuſtis Samſon fraudatur votis, cùm hœdo promiſſo Iudas non ſit fraudatus cupitis: *Mittam tibi hœdum de gregibus,* aiebat Thamarem allocutus. Geneſ. 38. v. 17. Oblato munere Iudas venatus eſt voluntatem; allato Samſon non eſt ſortitus amorem: quod acutè expendebat Stephanus in allegor. Tilmani: *Samſon,* inquit, *vxori ſuæ hœdum attulit, & Iudas hœdum Thamar. miſit.* Stephanus. Simile donum ſimilem non eſt ſortitum fortunam: quia alterum hominis, & munus alterum Numinis. Iam Samſonem Chriſti geſſiſſe figuram apertè tradit Hugo Charenſis ad 14. Iudicum: *Samſon, id eſt, Chriſtus.* Hugo. Ea mortales poſſedit amentia, ea occupauit inſania, vt cùm eadem poſſint vtilitate virtutem colere, ac vanitatem ſectari, ſectentur cæciſſimè vanitatem, & reſpuant periculosè virtutem. Hœdum offert Samſon, & Iudas promittit hœdum, & cùm Thamar Iudam admiſerit, ſponſa Samſonem repulit: *Prohibuit eum pater illius.*

Diuus Paulus 1. Cor. 9. ſic aiebat: *Neſcitis quòd hi, qui in ſtadio currunt, omnes quidem currunt; ſed vnus accipit brauium: ſic currite, vt comprehendatis.* 50. Adnectit: *Omnis autem, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, & illi quidem vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur ſic curro.* 1. Cor. 9. v. 24. Expectares irritatore opus non eſſe, vt omnes in virtutis ſtadio alacriter currerent, quandoquidem & brauium pretioſius & certius; & tamen Paulus non ſolùm prædicatione alios adhortatur; ſed curſu: *Caſtigo corpus meum, & in ſeruitutem redigo, ne fortè cum aliis prædicauerim, ipſe reprobus efficiar.* Accuratiùs videtur obarmari, dum errantibus prædicat, quam dum furiis ipſis depugnat: ea namque eſt improborum ſocietas, vt Paulus minus quodammodo à cum dæmonibus concertatione detrimentum vereatur quàm à malorum ſocietate, ſe caſtigat duris verberibus, ne dum improbis prædicat, & maculam ipſe contrahat. Benè; ſed theſi noſtræ inſiſtamus: ſi in ſtadio, vbi vnus tantum accipit brauium; omnes accelerant curſum, cur ſingularis Paulus referatur currere, & cur opus ſit alios ad curſum ſermonibus incitare? Si corona à mundo oblata, dum floret, marcet, & à Chriſto exhibita immarceſcibilis

ceſcibilis floret, omnes ſine Apoſtolicæ exhortationis ſua ſpontè inuolabunt, & inuolare alis ocyciſſimis ſtudebunt, ita ſanè ratio, & vtilitas conſulebat; ſed proh nos miſeros, & miſere cæcos, cum omnes currant in mundiali ſtudio anguſtis, & corruptibilibus allecti, pauciſſimi in virtutis circo cum ût præmiis auguſtiſſimis incitati: irritatore opus eſt ad virtutem, cum ferè omnes ſeſe adurgeant ad vanitatem. Confer illud: *Ego curro*, cum illo, *omnes quidem currunt*: vt noueris quã pauci pro cæleſti præmio, quam plures pro corruptibili, & euanido ſtudioſè inſudauerint, & indefeſſi contenderint. *Vide*, aiebat Chryſologus ſerm. 119. *Quibus non Apoſtolus exemplis ad coronam promiſſa immortalitatis inuitat: in agone iſto terreno qui vincere volunt, abſtinent ſe à cibis quibuſdam à potu nimio, abſtinent ab omni immunditiâ ſub tanta caſtitate, vt etiam propria coniugia non requirant, nec aliter ſe vincere poſſe ſperant, niſi corpus ſuum caſtum pudicúmque ſeruauerint, & poſt tantum laborem quid aliud quàm paruam, & corruptibilem, & vilem quidem coronam accipiunt.* Concludit Chryſologus, quo ſolet, ingenio: *Si ergo pro corruptibili corona tantus labor à quibuſdam ſuſcipitur, quantò magis nos omnem laborem ſuſtinere debemus, quibus præmium cæleſte, & æterna gloriæ corona promittitur?* Athletæ à licitis etiam abſtinent, in ſtrictiorem diſciplinam ſegregati, vt corona donentur euanida: nos ab illicitis non abſtinemus, vt donemur æternâ: ad ſæculi ſtadium copioſa Athletarum confluit multitudo; ad virtutis circum vnus, aut alter Pauli concionibus ducitur, & exemplis trahitur: vt eſt magna in coronis differentia, ſic in ambientium numero grandis inuenitur diſtantia. Ob mundialem currunt plurimi, ob cœleſtem coronam pauci.

Chryſol.

51. Deus in vaſtam ſolitudinem duxit Hebræos, ibique ſic eos innutriuit, vt eorum etiam deſideriis annuerit, aſſerente Propheta: *Et concupierunt concupiſcentiam in deſerto, & tentauerunt Deum in inaquoſo, & dedit eis petitionem ipſorum; & miſit ſaturitatem in animas eorum.* Saturati carnibus & quidem delicatis, cœleſti pane exundantes, & aquam mellis dulcedinem ſupergreſſam bibentes Ægyptum repetere anhelant, & idolis inſeruire ſtudioſè feſtinant: *Vtinam mortui eſſemus per manum Domini in terra Ægypti, quando ſedebamus ſuper ollas carnium, & comedamus panem in ſaturitate: cur eduxiſtis nos in deſertum iſtud?* Ecce Deus eorum obtemperat deſideriis, longè præſtantibus eduliis alit, & tamen reſiliunt deſertum auerſati, & ad Ægyptum redire percupidi: *Non tenuiter eos aluit*, inquit Euthymius ad Pſal. 105. *Sed ad ſatietatem alimentum exhibuit pro carnibus quidem coturnices, & pro panibus manna. Aquam præterea tum eam, quæ ex amara dulcis effecta eſt, tum eam quæ in Marathe petrâ defluxit.* Quidquid ab Ægypto duris poſſent laboribus obtinere, Domino obſequentes ſine labore compertum eſt impetrare, & tamen terram auerſantur lacte, & melle manantem, & Ægyptum ſuſpirant obſcuris tenebris ſcatentem. *Pro nihilo*, addit Pſaltes, *habuerunt terram deſiderabilem.* Deſiderabilem terram, copioſam commoditatum venam animitus ſpreuerunt. Ægyptum verò caris cibis, laborioſiſſimiſque ærumnis exundantem ardenter deſiderarunt, & ſtudioſiſſimè concupierunt: *Promiſſam regionem*, adnectitque Euthymius, *Spreuerunt, quamuis optima eſſet.* Proh cœcam humanæ mentis ſtupiditatem! Meliora ſine diſcrimine faſtidit, deteriora non ſine ingenti periculò exambit. Deum ſequi refugit meliora exhibentem: Ægyptum ſitit deteriora parantem.

Pſal. 105. v. 14.

Exod. 16. v. 3.

Euthym.

Hanc iterum Pſaltes veritatem confirmat: *Fecerunt*, inquit, *Vitulum in Horeb, & adorauerunt ſculptile. Et mutauerunt gloriam ſuam in ſimilitudinem vituli comedentis fœnum: obliti ſunt Deum, qui ſaluauit eos.* Tangit Propheta hiſtoriam Exod. 32. relatam: ibi namque vt haberent ducem, non ſine ingenti pretio vitulum votis inutilem fabricatunt: *Fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Ducem habendi deſiderio aurum pendunt, & ærumnas nuditatis deſpiciunt: cum Dominus pro Duce illis eſſet die æſtum temperans, & tenebras noctè illuſtrans: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt Dux eſſet itineris vtroque tempore.* Quem à vitulo ſollicitauerunt cæci, à Domino obtinebant ducatum fortunatiſſimi: nequibat vitulus brutalitate poſſeſſus ducere; ſed humeros grauiſſimo onere atterere, eos Deus ſine errore per inuia ducebat, & humeris elatos portabat, & tamen vitulo hoſtias offerunt, ingeminatis clamoribus plaudentes, & plauſibus adulantes: *Hi ſunt* aiebant, *Dij tui Iſrael, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Deum ſapienter ductorum faſtidiunt; vitulum directioni inutilem ambiunt, vt videas quàm præfixa theſis ſit vera, Deum videlicet eiſdem, aut melioribus, quibus ſæculum noſtrum prometeretur ſtudium, non allicere deſiderium. Redeat iterum ſuprà datus Euthymius. *Verum Deum deſerentes loco eius aſſumpſerant vituli ſimulacrum.* Si Deus eorum votis refragaretur, ſi deſideriis obſiſteret, nil mirum à vitulo ducatum expeterent, & nouum Ducem ſitirent; at Deo celeriùs, quia in modum nubis, & commodiùs, quia aquilæ ad inſtar ducente tardigradi ducatum vituli ambiſſe mirum.

52. Exod. 32. v. 1.

Exod. 13. v. 21.

---

§. XIII.

Amor obliuiſcitur facilè offenſam; imò offendentis ſollicitat gratiam.

AMor ſemper ſui iuris eſt, illi cæteræ paſſiones ſubduntur; imò vti Principi ambitioſâ ſtudioſitate adulantur, oculis cœcitatem imponit, præſtigiis rationem non ſemel fallit, & cùm putares offenſis extinguendum, flammeſcit viuidior, & materia reluctante ſcintillat ardentior: omnia amati opera diligenti quodammodo ſunt ænigmata: aliud ibi latere credit, ne credat quod videt: odij pabulo amor aliquando nutritur, & offenſam alleuat, aut colorat. *Quaſi per odium*, aiebat Gregorius hom. 37. in Euang. *diligitur.* Ingenioſè dixit: in dilectionis namque officina de auerſionis occaſione amoris cauſa procuditur, & affectata lippitudine intellectus obcœcatur: ad conſcientiæ clamores obſurdeſcit amantis auris. Qui iraſci debuit offenſus, offendenti patrocinatur, nec ſolùm obliuiſcitur offenſam; ſed officiis ſatagit ſollicitare concordiam. Ecce Samſon vxoris dolo exaſperatus hœdum ei attulit, quo doloſam placaret, & offendentem alliceret: *Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Grauatus iniuria non ſolùm diſſimulauit

53.

Greg.

Digitized by Google

ſim illauit offenſam; ſed blanditiis ſollicitat amicitiam: pœna merebatur conſumi ob proditæ fidei dolum, & à Samſone oblatum eſt lucrum. Quod ad rem ſatis expendebat Abulenſ. q. 2. Abulenſ. *Samſon amans non ſolum iniuria ſatisfactionem ab vxore nolebat; ſed potiùs è contrario timebat eam ſibi iratam inuenire, ideò ad eam lætificandam, & inuitandam ad priſtinum amorem, & iuuenilia gaudia hœdum de capris ei in munus attulit.* Se ipſum fortè carpebat Samſon quòd leui causâ ſponſam reliquiſſet, & contriſtaſſet: amoris namque vehementia odij cauſas immutabat, imò mirabili metamorphoſi in beneuolentiæ incitamenta vertebat: *Amans iniuriæ ſatisfactionem ab vxore nolebat; ſed potiùs è contrario timebat eam ſibi iratam.*

54. Prodigus iuuentuti parere maluit, quàm rationi: diuturnam patris vitam ſuſtinere non poterat, quia immaturâ ad cenſum cupiditate inhiabat: ergo à patre diſtans moritur famæ, & ſolum viuit offenſæ: porcos agens, vt illis viueret, ſibi deficiebat, & luridus, faméque vrgentiſſima tabibus diu noctuque montibus exertabat; verùm quem felicitas expulit, dura reduxit calamitas: patrem adiuit, à quo ſe amari tenerè nouit: nec falſus eſt: ſenex namque ſui præ gaudio impos ætatis impedimenta non ſenſit; ſed adfectionis alis, vt venientem reciperet, inuolauit: filium arctiſſimè amplexus primam afferri iuſſit ſtolam, Luc. 15. v. 22. & opiparam inſtrui menſam: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius.* Ecce pater delinquenti dat oſcula, non flagella, & qui duriſſimo ſupercilio potuit ferire, cœpit muneribus & officiis prolectare. Quod ſi huius cauſam inquiras, reſpondebit Chryſol. ſerm. 3. amorem oculis eſſe priuatum, & adfectionis caligine cœcum. Qui patiebatur iniuriam, ornatu, annulo, ac delicatiſſimis epulis iniurij ſollicitat gratiam, & exiguo pretio emiſſe putat concordiam. Chryſol. Chryſologum audi: *Non dixit: vnde venis? fuiſti vbi? vbi ſunt quæ tuliſti? Quare tantam gloriam tantâ turpitudine commutaſti? Sed: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum. Videtis quia delicta non videt vis amoris.* Amor offenſam non diſcuſſit, nec memoria iniuriam reuoluit; ſed quidquid exacerbat, æternâ obliuione ſepeliuit, & lethæis fluctibus tradidit. Saginati vituli delicatis epulis, qui offenderat, prolectatur, & pater gaudio delibutus filium charitatis brachiis amplectitur: *Delicta non videt vis amoris.* De induſtria obcœcabatur amor, ne filij erroribus refrigeſceret, aut langueret. Sibi pater de cœcitate blanditur, & de ignorantia adulatur: ea namque eſt viuidæ affectionis ſolertia, vt ignorantiam protelet in amoris obſequium, & conſcientiam ſopiat in diſſimulationis officium.

55. Cœleſtis ſponſi vxor cupiditatis tenebris obcœcata, & cœcitate ſibi aduerſa violauit fidem: Oſee 2. v. 13. *Stabat poſt amatores ſuos, & mei obliuiſcebatur, dicit Dominus.* Honorem poſtpoſuit voluptati delicatè ab ſponſo enutrita, pretioſè ornata, & à cunctis reuerenter ſuſpecta, de mentis arce deturbauit prudentiam, & ingenti pretio coëmit ſibi & ſponſo ignominiam. Quid tunc? Expectares repudiandam, & ſuppliciis duriſſimis afficiendam; ea tamen fuit adfectionis eloquentia, vt ſopiuerit iram, & ipſam indignationis occaſionem in viuidioris deſiderij verterit flammam. Audi Sponſum: *Propter hæc ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* In deſiderium auerſionis tranſiuit cauſa, & quæ debuit ignominiosè reiici, contigit ſtudioſiſſimè prolectari: expertus adulteram lacte nutrit vti innocentem: amor namque neſcio quibus præſtigiis oſtendit innocentem, quam voluptas obſcurarat adulterantem. Certè lac eſt innocentiæ alimentum, & ſimplicitatis ſubſidium: ergo adeò impensè amabat, vt reluctante experientia ſibi perſuaſerit ab omni macula quodammodò alienam, prorſuſque innocuam: non vidit delicta vis amoris, & inuerſis vicibus offenſus blanditiis offendentem allicit, & munuſculis lenit. Opportunè Hieronym. ad hunc locum: *Quia miſericors ſum, inquit, blandiar illi, vt ad me conuertatur.* Hieronym. Adſtipulatur Lyra. Lyra. *Propter hoc ecce ego lactabo eam conſolationibus Spiritus Sancti: vnde Actor. 10. legitur quòd prædicante Petro cecidit Spiritus Sanctus ſuper Cornelium, & alios gentiles, qui erant cum eo, & loquebantur linguis.* Amoris flamma, dum viuidiùs incandeſcit, obliuioni iniurias tradit: quidquid tepefaciebat affectum, vrit, & in alimentum flammæ conuertit. Quàm benè Plutarch. lib. quemad- Plutarch. modum adulatorem ab amico internoſcas: *Cæcutit in eo quod amat, amans.* Certè cœleſtis ignis aquam lambit, & qua putares materia extinguendum, validiùs aſpicis innutritum. Quid grauiùs ſponſo, quàm vxor fœdifraga, & iniurioſis voluptatibus conſtuprata? Et tamen quò amoris ſui vim luculentiùs explicauit, offenſus offendentem lactat, & vti offenſam prolectat. Nouit hanc metamorphoſim præ incantamentis amor, & quod fabuloſa finxit ad delirium antiquitas, perfecit, dum ardet charitas.

56. Ioſephi fratres inuidiâ turgent, vtque liuori adulentur, captiuitati fratrem à patre dilectum tradunt: ille enauigatis rabidæ inuidiæ, & inſani amoris fluctibus portum appulit, & Ægypti thronum inſcendit: inſcij aduentarunt fratres, & ni Ioſeph talis eſſet, quod ſibi procurarant effugium, inueniſſent detrimentum, verùm eas amoris pectore erga venditores fouebat flammas, vt venditus venditionem quodammodo fratribus fuerit gratulatus, nec illis crimen imputarit; ſed verbis blandiſſimis mœſtitiam, ac timorem depulerit: *Non veſtro conſilio, ſed Dei voluntate huc miſſus ſum, qui fecit me quaſi patrem Pharaonis, & Dominum vniuerſæ domus eius, ac Principem in omni terrâ Ægypti.* Gen. 45. v. 8. Non intentat minas, in ſe commiſſas non recordatur offenſas; imò Deo adſcribit exilium, ne aſcribat fratribus odium. Quod ingenioſè expendens Baſil. Seleucienſ. orat. 8. ſic aiebat. *Cùm in manibus haberet homines iniurios, & punire non fratres; ſed hoſtes potuiſſet, quid agit? vide inuſitatam vltionis formam, inuidiam, venditionem, belluinamque immanitatem humanitatis obſequiis vlciſcitur.* Baſilius. Attentiùs audi, quæ annectit: *Iniuriarum defenſionem, qui eas patiebatur, quærit, & affectum animi expromens ſyncerè fratres amplectitur, germaniſque labiis eos oſculatur, qui dentibus inclementer lacerauerant.* Affectus delinquentium ſuſcepit cauſam, & ſine mendacij crimine ab indignatione defendit culpam, Ioſeph ipſe venditoribus ſuis blanditur, & belluinis dentibus laceratus fratres charitatis brachiis complectitur. Non illis opus fuit commiſſam in Ioſephum culpam artificioſis excuſationibus minuere, aut de ignorantiæ erroribus alleuare, ipſe namque offenſus patroni munus arripuit, & iniuriarum defenſorem eloquentia charitatis peregit, cœleſti attri-

buens conſilio, quod ferali demanarat ab odio. *Iniuriarum defenſionem, qui eas patiebatur, quærit.* Extat hoc in libro huius veritatis exemplum.

57. Leuitæ vxor aut promiſſionibus falſa, aut cupiditatis tenebris cæca debitam marito fidem violauit: erratum fuga ſecuta eſt, conſcientiæ namque morſu percuſſa mariti domum reliquit, & ſe in paternam domum recepit, crimen ſecretò fortè commiſſum grauiori honoris detrimẽto fuga apud omnes fuit diuulgatum; verùm decertabat in mariti corde cum iniuria dilectionis teneræ flamma, iniuria grauatus iter carpſit, quo recedentem demulceret, & blanditiis delinitam attraheret:

Iudic. 19. v. 1.

Fuit quidam vir leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus. Secutuſque eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere. Mulierem maturam arripuiſſe fugam, vt adulterij euaderet pœnam, teſtatur Caietanus.

Caiet.

Et reliquit eum: Deficit ante hanc clauſulam vna clauſula, videlicet, & fornicata eſt ſuper eum concubina eius hæc eſt cauſa quare receſſit à marito, quia fornicata eſt. Addit: *Surrexit vir eius, & iuit poſt eam, vt loqueretur ad cor eius ad reducendum eam.* Derelictus ſollicitauit concordiam oblitus prorſus offenſam: amore namque obcæcatus offendentem deliniuit, ac lenociniis placauit: hoc eſt amoris ingenium reo patrocinari; imò ſtudioſè blandiri. Ergo Samſon ad ſponſam rediit munuſcula deferent, & reconciliari ſibi diſcupiens.

§. XIV.

Sponſi abſentia vxoris pudori inimica, & honori ſæpiſſimè aduerſa.

58. Ipſa mulieris efformatio viro pro doctrina fuit: nam Deus de latere coſtam mutuatus vxorem à viro, & ſollicitè fouendam, & prudenter cuſtodiendam edocuit:

Geneſ. 2. v. 22.

Tulit, inquit, *vnam de coſtis eius, & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.*

Baſil.

Baſil. Seleucienſis orat. 2. ingenioſè expendebat lateris coſtam brachio contegi, & aſſeruari: *De latere mulierem deſponſans iubet à viro mulierem foueri, ac tegi: fauetur enim ſimul ac tegitur à manu ſubiecta coſta.* Addit Baſil. Seleucienſis in Adami conſpectu mulierem effictam, quaſi viri oculi adornarint conſtantiam, & periculorum depulerint contingentiam.

Mariti aſpectus vxoris armat conſtantiam, & defendit pudicitiam.

In Adami conſpectu vult illam Deus fingere, & fictricis artis ſuæ ſpectatricem deſiderat propriam imaginem. Spectet Adamus vxorem, ne fictricis artis incaſſum laborarit ſolertia, dum amori aduerſatur diſtantia. Formationis ratio mulierem manu ſemper tenendam vocali ſilentio proclamabat, & ni regatur, imminere periculum edocebat: fortè Adamus os ex oſſibus appellauit, quò innueret nunquam ſeparandam; ſed prudentis ſollicitudinis vinculis iterum aduniendam. *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne meâ.* Ac ſi dicat vt coſta naturæ anteà vinculo cæteris oſſibus illigabatur vnita, ita modò agglutinari debet ſtudioſè illigata. Et quidem mulier, vt eſt placendi ſtudioſa, plauſuſque auidiſſima, ni timoris fræno arceatur, ac mariti præſentia refrænetur; patulas adulationibus aures præbet, & quo pereat honor, venenum ſurgit: *Eſt aliquod etiam apud Ethnicos metuendum*, aiebat Tertull. lib. de veland. virgin. cap. 15. *quod faſcinum vocant, infeliciorem laudis & gloriæ enormioris euentum.*

Tertul.

Adulatio muliebris pudicitiæ faſcinum eſt.

Si vir abſit, venaticus oculus pudori laqueos obtendit, laudiſque faſcino pudicitiam deprædatur, conſtantiam euigorat, & prudentiam eneruat. Certè vti ſerpens, quantumvis prudens, carminibus obrigeſcit & quibus tegi poſſet, artes faſcinatus dediſcit: ita mulier, etſi cordata adulationis ſibilo faſcinatur, & laudis faſcinatione irretitur. Occaſio oſtenſis illiciis fallit, & opportunitas ad voluptatem impellit. En ſeceſſit ad modicum tempus Samſon, cùmque domum repeteret, inuenit ſponſam alterius amore ineſcatam, & mariti prorſus oblitam: *Poſt aliquantulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hædum de capris. Cùmque cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Iam erat alterius, quia exiguo tempore derelicta, & abſentia malè conſulente ſuaſa. *Fuit modicum tempus*, inquit Abulenſ. q. 1. *Inter præcedentia & iſta, quæ habentur hic, ſcilicet ſtatus Samſon receſſit de Thamnatha relicta vxore, & iuit in domum patris ſui, manſitque ibi aliquot diebus, & poſt aliquantulum temporis venit rursùs ad vxorem, & facta ſunt, quæ habentur hic.*

Abulenſ.

Modica viri abſentia fuit ſatis, vt alius honori attulerit detrimentum, & abſentis violarit thorum. Quam circumferunt fœminæ, vtque mater, dum à viro tantiſper ſeiuncta cum ſerpente miſcuit colloquia, hauſitque venena ſic filiæ, ni mariti oculus pudori patrocinetur, ſerpentino aures præbebunt ſibilo, & honorem tradent naufragio. Quis crederet Samſonis ſponſam inter nuptiarum ſolemnia, & recentis amoris gaudia alterius non recuſaturam conſortium, & ſpreturam vitæ periculum? & tamen Samſon dum exiguo tempore abeſt, graui eius honor periculo ſubeſt.

Salomon mulieris coniugatæ impudicam leuitatem, & per vrbem diuagationem deſcribens ſic 59.
Prouerbiorum 7. aiebat: *Ecce occurrit illi mulier ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo conſiſtere pedibus ſuis, nunc foris, nunc in plateis, nunc iuxta angulos inſidians.*

Prouerb 7. v. 10.

Deſcripſit quas iuueni inſidias meretricio extruat ornatu: addit quos obtendat laqueos ſermone blandiſſimo: *Intexui funibus lectulum meum, ſtraui tapetibus pictis ex Ægypto: aſperſi cubile meum myrrha, & aloe & cinnamomo. Veni, inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus, donec illuceſcat dies: non eſt enim vir in domo ſua, abiit via longiſſima.* Si mulier pompaticis ornamentis nuda, & pretioſis ſupellectilibus vacua, mirum non eſſet ambiret, ne vicinis haberetur pauperior, varia corporis ornamenta, & copioſa, quibus amplificaret domum, ſupellectilia; verùm cum à marito ornamentis, odoramentiſque vſque ad delitias fuerit inſtructa mirandum eſt procaciter adeò laſciuire, vt omni expuncta verecundiâ ipſa iuuenem mellitis ſermonibus allexerit, & oblatis commoditatibus prolectarit: Ecqua huius infrunitæ audaciæ, & impudicæ procacitatis occaſio? Ipſa iam protulit: *Non eſt*, inquit, *vir in domo ſua, abiit via longiſſima.* Dum viri abſentia opportunitatem præbuit, mulier

Digitized by Google

liet titillante libidine malè ſuaſa, & innata ingenij leuitate acriter impulſa honoris oblita eſt: non expectauit rogari; ſed inardeſcens aggreſſa eſt quærere: tantum nocet mariti abſentia, & tantum inſanæ perſuadent cupiditatis conſilia: *Quia timor,* Lyra. inquit Lyra, *delectationem minuit, ideò remouetur cum dicitur: Non eſt enim vir, ſcilicet meus in domo ſuâ. quaſi dicat: Potes ibi eſſe ſecurus.* Dum vir aderat, licèt innata vxor leuitate pulſaretur, licèt libidinoſis adurgerentur flammis, timore coërcita domo non exibat; ſed licèt inuita incolebat, & coacta latitabat: mariti præſentia, etſi internum animi non compeſceret motum, honoris tamen auertebat periculum; at dum ad tempus abfuit, & vxor ſui quodammodo iuris fuit, plauſus deſiderio diuagatur, & illicio voluptatis abducitur. Dum metum abegit diſtantia, naufragatur pudicitia: nam fœmina, quæ ab exordio, etſi amenter diuinitatem ambiuit cupida ab omnibus adorari manet adhûc ſtudioſa. Ergo ſi maritus abſit, vel cum ſerpente colloquia miſcet, & gratas adulatorio ſibilo ſtuprandas aures præbebit.

60. Sponſa, vt flagrantiſſimi, caſtiſſimique amoris ſui indubium teſtimonium proferat, ſic aiebat: Cant. 3. v. 1. *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea, quæſiui illum, & non inueni.* Abſens erat ſponſus; aderat tamen tenerè diligentis præcordiis & arctiſſimis conſtringebatur affectus vinculis: quæſiuit in lectulo non amaſium; ſed ſponſum, & deliteſcens noctibus in cubiculo vſa non eſt tenebrarum patrocinio ad honoris iacturam; ſed ad inuiolatæ fidei conſtantiam. Quàm tenerè amabat, quàm ardenter diligebat, quæ opportunitate malè ſuadente à fidelitate non deſciuit; ſed inuiolatam fidem ſeruauit. Audi ingenioſè id expen- Gillibert. dentem Gillibertum ſerm. 1. in Cant. *Recedente ipſo illa recidit ad lectulum infirmitatis, & ignorantiæ noctem, iam verſatur ſuper ſtratum infirmitatis ſuæ, ſuper hunc tamen ſtratum memoratur dilecti, & iam non in matutinis; ſed in noctè meditatur in ipſo quærens quem diligit anima ſua.* Ad ſponſi receſſum iam ignorantiæ tenebræ mentem obſcurant, iam ingenij infirmitas obtendit laqueos verùm dilecti obarmatur memoria ne alium introducat ad penetralia cordis abſentia. Subnectit ſatis appoſitè Gillibertus: *Non pigrè agit in hoc lecto, ad quem relapſa eſt, non laſciuit, non delectatur in lecto concupiſcentiæ; ſed magis reluctatur memorata dilecti ſolius, non obnoxia infirmitati; ſed charitati.* Viuidiſſima reſplenduit amoris flamma, dum infirmitati relicta abſentiæ reſpuit conſilia, nec pudoris pertulit damna: impensè amabat, quæ vel corpore diſtans dilectum ſuum amplectabatur affectionis brachiis, & cordis illigabat mundiſſimis deſideriis. Certè ni talis eſſet, in lectulo laſciuiret, & abuteretur abſentia ad inſana cupidinis vota. Nil mirum, ſi præſentem dulciſſimum ſponſum cæteros longè pulchritudine ſupergreſſum tenerè diligeret, quandoquidem ipſa habitudinis elegantia, & pulcherrima vultus forma mentem amoris philtro illigabant, & alterius recordationem longè abigebant; at diu derelictam (ait namque: *Per noctes quæſiui.*) Et ſponſi aſpectu priuatam illæſam ſeruaſſe fidem eximium erat puriſſimæ dilectionis elogium, & conſtantiæ, ſi dicere liceat, miraculum: *Non laſciuit, non delectatur in lecto concupiſcentiæ; ſed magis reluctatur memorata dilecti ſolius.* Aliquod vel impensè amans ſubiuit luctamen, quod afferebat diſtantia, & depuliſſet præſentia: occurrebat fortè memoriæ deliciarum opportunitas, titillabat animum illecebrarum commoditas; ea tamen erat ſponſa, quæ inſidiantes phantaſias dilecti recordatione depelleret, & deluſorias fallacias manu diſcretionis abigeret; verùm dum ſponſam memoria adhæſiſſe abſenti, nec aures præbuiſſe cupiditati eſt ſumptuoſius fidelitatis elogium, exaggerari videas periculum. Certè Samſonis, licèt exiguo tempore abſentia recentem amoris reſtinxit flammam, ſuaſit iniuriam, & fidei attulit tragœdiam: *Iratus Samſon receſſit de Thamnata relictâ vxore, & poſt aliquantulum temporis venit rurſus ad vxorem, & facta ſunt, quæ habentur hîc.*

§. XV.

Quantumuis rationi aduerſa, vanitas defendit pertinax à ſe peracta.

ADeò cœca eſt hominum præſumptio, vt rationem litauerint vanitatis aris, & ſuperbiæ 61. obſequiis: ſi quid minùs ſapienter peregerint, non retractat, ſed quia ſemel egerunt, pertinaciter defenſant: quaſi conducibilior ſit in errore pertinacia quàm pœnitentia. Certè de ſuperbiâ ſcribere potuiſſet Seneca quod de irâ lib. 1. cap. 1. *In quod cæpit pertinax & intenta, rationis conſiliique præcluſa, vanis agitata cauſis, ad diſpectum æqui, verique inhabilis, ruinis ſimillima, quæ ſuper id, quod oppreſſere, franguntur.* Seneca. Vanitas ad veri diſpectum inhabilis eſt. Si impudentia in aliquod opus ſemel proruit, ruinæ ad inſtar totum ad ſe animum traxit, & rationem conſiliúmque oppreſſit. Pro ratione eſt aliquibus incepiſſe, vt proſequantur delirium, nec reuocatint, quantumvis reclamet æquitas, gradum. Thamnathææ puellæ pater filiam, quam Samſoni anteà in matrimonium tradiderat, alteri conceſſit, & ſecundas illi nuptias impudenter aſciuit: cúmque Samſon itâ iam temporis medicamine perſanata ad ſponſam rediiſſet, illum ſocer prohibuit, & alterius iam futuram aſſeruit. *Cum cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius.* Qui debuiſſet allicere, retardat, prohibétque, & ne in huius impedimenti quærenda cauſa elaboraret ingenium explicuit ipſe: *Tradidi illam amico tuo*, inquit. Marito denegabat quia iam alteri in matrimonium conceſſerat. Profectò cùm potior ſit iure, qui prior eſt tempore, è duobus ſponſis illum ratio præponi conſulebat, quem ſuffragium temporis adiuuabat. Ad hæc: primæ nuptiæ non ex errore profectæ; ſed legitimis contractibus confirmatæ; ſecundas verò patris non prudens ſuſpicio attexuit; imò notiſſimus error diſpoſuit: equidem ipſe ait. *Putaui quòd odiſſes eam.* Si ergo non veritate innixa odij coniectura ſecundas nuptias diſpoſuit, erroris euidentia primas præferat, & Samſoni vxorem reſtituat. Ita conſulebat æquitas, ſuadebat ratio; verùm pater quod imprudenter ſemel egerat, pertinaciter defenſabat, quaſi eius dedecori vertendum fuerit ſententiam demutare, & vxorem alteri marito traditam reſtituere. Tanta eſt exoculata aliquorum præſumptio, vt in factorum proſecutione non attendant, an quod egerunt, fuerit rationi congruum; ſed ſolùm à ſe peractum: pro

ratione

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE
Digitized by Google

Abulenſ. ratione eſt illis cœca vanitas, ambitioſaque auctoritas. Innuit Abulenſis q.2. *Prohibuit eum pater illius, dicens, ne accederet ad eam: quia iam non erat vxor eius, ſed alterius viri.* Addit: *Cum Samſon vellet intrare ad puellam, vt ad vxorem ſuam, pater vidit quòd errauerat tradens eam alteri viro.* Manifeſtus apparuit error, & tamen, ne auctoritati ſuæ vmbratilem irrogaret iniuriam, Samſonis protelauit offenſam. Plures Thamnathæus hic diſcipulos habet: inueniuntur namque, qui retractanda facta, qui demutandam ſententiam pertinaciter tueantur: quaſi inglorium ſit ſe reſtituere prudentiæ, & inglorium non ſit addici turpiſſimæ pertinaciæ.

62. Piſo vir, etſi ab aliis vitiis integer, præſumptionis vernula fuit: illi inſanus rigor erat pro conſtantia, & quod ſemel decreuerat, inflexibili adeò obſtinatione proſequebatur, vt nulla cauſa, nulla euidentia à ſententiâ dimoueret: ergo is militem, qui ex commeatu ſine commilitone redierat occidi iuſſit, leui coniecturâ credens intuliſſe commilitoni violentiam: tempus ad quærendum ſupplicitei depoſcebat reus: denegauit: cùmque iam ceruicem cultro porrigeret, apparuit inopinè commilito: qui ſupplicio præerat, ſanguine abſtinuit & ad Piſonem inuolauit, gratum ſe nuntium deferre putans verùm Piſo militem, qui cultrum ſuſpenderat, cum damnato ſimul occidi iuſſit: quaſi indecens eſſet reuocare ſententiam ſemel à
Seneca. ſe pronuntiatam. Audi Senecam lib. 1. de irâ cap. 16. *Sibi indulget, ex libidine iudicat, & audire non vult, & patrocinio non relinquit locum, & ea tenet, quæ inuaſit, & eripi ſibi iudicium ſuum, etiamſi prauum eſt, non ſinit.* Proh deteſtandam conſtantiam! proh execrandam prudentiam! Ratio vtrique parti locum & tempus concedit; imò prudentiæ vtilem lentitudinem in aduocatum ſibi aſciſcit, vt excutiendæ veritati commodiùs tribuatur ſpatium; at vanitas præſumptionis furore percita fixè decernit proſequi ſemel decretum, etſi nouerit clariſſimè erratum.

63. Saül inuidentiæ præſtigiis, & liuoris incantamentis à ſe alius factus Dauidem Reipublicæ ſalutem, hoſtium terrorem, calamitatis exilium, libertatis fulcimentum morti tradere decreuit: hac inſania ductus montes obit, ſaltus perluſtrat, campis oberrat, & viuere ſe non putat, ſi nomen Dauidis audiat; verùm vt nulla ſunt humana contrà diuina conſilia, prædator iniuſtus in prædam conuerſus eſt: nam cùm neſcio qua neceſſitate compulſus ſpelæum, vbi Dauid non exiguâ militum manu latitabat, fuerit ingreſſus, inopino ſe periculo obiecit; verùm eâ lenitate, qua prophetam decebat, vſus Dauid, hoſti virulentiſſimo pepercit, & inuidentis curam habuit; præcidit tamen chlamydis fruſtulum non tam ad captandam de beneficio gloriam, quàm ad docendum aduerſarium vigilantiorem cautelam: inſolitæ adeò beneficentiæ vis Saülem in fletum impulit, & ab arreptâ viâ deſiſtere perſuaſit: *Abiit* Saül in domum *ſuam.* Chryſoſtom. quo ſolet ingenij acumine hanc Dauidis de Saüle victoriam cum de gigante reportata componit, inquiritque, an fœlicitet hîc, quàm inibi reſplenduerit? Et quidem cui videatur quæſitum carere prorſus difficultate, quandoquidem longè arduum erat gigantem omni armorum genere præmunitum piâ audaciâ impetere, & laudabili ad ſpeciem temeritate trucidare, quàm innocentia indubiis teſtimoniis oſtenſâ Saülem deſiſtere, & ſe vita donatum ab aduerſario fateri. Ergo longè præſtantior erit de gigante victoria, quàm de reuocata Saülis ſententiâ. Imò, inquit Chryſoſt longè auguſtiùs, & ſumptuoſiùs hoc reſplendebat tropæum: ibi namque duro lapidis ictu mortalis ceſſit, hic præ ipſo lapide durior, & vanitati concarnatus viam ſemel arreptam reuocauit, & iudicium ſuum ſibi eripi non renuit: hoc ergo erat quodammodò difficilius, & ideò ad laudem exaggeratius: *Hæc illa*,
inqit hom. de Dauide & Saüle, *Magnificentior* Chryſoſt.
erat victoria, hæc magnificentiora ſpolia, hæc præda illuſtrior, hoc glorioſius trophæum. A ſententiâ reuocaſſe hominem auctoritati, præſumptionique addictum adeò erat arduum, vt Chryſoſtomo eximior videatur victoria Saülem à ſententiâ reuocaſſe, quàm gigantem deuiciſſe: adeò immobiliter, obſtinatè adeò ſemel à ſe decretis præſumptio adhæret cœca, & delirans vanitatis inſania.

Huius veritatis teſtis eſt Pilatus: illi Iudæorum 64.
furor Chriſtum Dominum cruci affigendum tradidit: diſcuſſâ ſemel & iterum confeſſus eſt innocentiam; verùm interpellantium auctoritas
mortis ſententiam extorſit, & contrà omnem le- Ioan 19.
gem damnari innocentem perſuaſit: *Tradidit* v.16.
eis illum, vt crucifigeretur. Auctoritas & accuſantium potentia pro lege Pilato fuit; imò vt adularetur potentibus, apertiſſimè legem violauit, iuſque corrupit. Hic ipſe titulum ad ſupplicij promulgandâ cauſam inſcripſit: *Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum*: regni proceres, Sacerdoteſque nec ironicè crucifixum ipſorum regem appellari ſuſtinentes, vel quia ad regis ſonum inſaniebat inuidia, vel quia indecens videbatur exiſtimatum Iudæorum regem adeò ignobili & turpi damnari pœnâ non minori auctoritate obarmati ad Pilatum accedunt, & corripiendum titulum aſſerunt: ille tamen ea ſemel inſcriptum titulum conſtantia defendit, vt prorſus deſtiterint, & ab inſtantiâ abſtinuerint: *Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.* Non reſpondit: Quod ſcripſi, eſt veritati conforme, æquitati conſonum; ſed à ſe ſemel ſcriptum nullatenùs demutandum: lex, innocentia, æquitas auctoritati ceſſerunt; & Pilatus omnia facilè timoris aut adulationis perſuaſione impulſus violauit; at ſententiam reſcindere, etſi ad ſpeciem videretur æquum, nec auctoritas ſuaſit, nec potentia extorſit: *Quod ſcripſi, ſcripſi.* Ac ſi dicat: ſi antequam ſcriberem, hoc aut illo modo efformari titulum voluiſſetis, lubenter parerem, & vt voluntati veſtræ tradidi crucifigendum; inſcribendum committerem etiam titulum; verùm ſemel à me decretum, publicéque exaratum nullatenùs patiar reſcindi; ſed aduerſus omnem poten-
tiam, & omnem allegationem conabor defendere. Chryſoſt.
Adeſt Chryſoſt. apud D. Thom. *Noli ſcribere, Rex Iudæorum; ſed quia dixit. Rex ſum Iudæorum: nam hæc quidem enuntiatio eſt, & communis ſententia, ſi verò adiiciatur, quoniam ipſe dixit, ipſius petulantiæ & extollentiæ oſtenderetur crimen eſſe. Sed Pilatus in priore ſtetit mente; vnde ſequitur: Reſpondit: Quod ſcripſi; ſcripſi.* Oſtendebant titulum illum crucifixo non conuenire; imò ipſius iudicis votis, & intentioni aduerſari, quandoquidem non publicabat inſolentiam, ambitioniſque culpam; ſed maieſtatem, at Pilatus, etſi ad ſpeciem erraret, ne aduerſaretur vanitati, addici maluit, vt putabant ipſi errori: vt noueris quàm omnem conſilij ac prudentiæ viam præcludat ſuperba vanitas, & vaniſſima auctoritas.

§.XVI.

Digitized by Google

§. XVI.

Infortunata eſſe ſolent matrimonia ob cupiditatem inita; felicia ob virtutem procurata.

65. Theodect. QVando maritus vxorem domum ducit, aiebat Theodectus apud Stobæum de nuptiis cap. 69. *Non ſolùm, vt videtur, vxorem accepit, ſed vna cum ipſa quoque introducit aut bonum ſibi Dæmonem, aut contrarium.* Vxor aut boni Angeli vices gerit homini prouidentis & adiuuantis, aut vices gerit Dæmonis exaſperantis, & diſtorquentis: vnde ſumma viro conſideratione opus eſt, ne dum ſibi vitam placidam ac iucundam de conſortio putat aſciſcere, inueniatur ſortem ſibi calamitoſiſſimam aduocare. Benè morata vxor Dei donum eſt; negari tamen non poteſt, non ſemel homines donum hoc aut abiicere, aut promereri: qui cupiditatis improbo conſilio nuptias ſibi diſpoſuit, naufragium non ſemel felicitatis aſciuit: vt è contrà qui virtutis ductum ſequitur, miris exundat fructibus, & vitam ducit honeſtis plenam oblectationibus. Samſon cum extera matrimoniū texuit non tam attenta lege quàm oculorū cupiditate: ipſe namque cùm eius parentes votis refragarentur, aiebat: *Hanc mihi accipe, quia placuit oculis meis.* Iudic. 14. v. 3. Oris elegantia, pulchritudinis excellentia, dum captiuauit oculos corporis, oculos excæcauit mentis: non attendit appetitus inſania, an accipienda in vxorem honeſtis moribus exculta, an virtutibus eluceret perpolita: ergo dum oculis placentem duxit, & paci aduerſantem imprudenter aſciuit: nam quæ fuit oculorum oblectamentum, extitit & erroris ſupplicium: arcanum ſibi commiſſum prodidit infida, cum pronubo ſecundas celebrauit nuptias inuerecunda: *Tradidi illam*, aiebat pater, *amico tuo.* Quis fuerit huius matrimonij fructus in aperto eſt, dolus ſcilicet marito ſuadens exilium, & procacia non recuſans adulterium: ſuis ipſe votis refragatus eſt Samſon, dum ſponſam duxit exteriùs venuſtate pulchram, interiùs fœdam, cùm præcipua mulieris dos ad commodam placidámque vitam ducendam ſit verus virtutis decor, non fucatus pulchritudinis fulgor. Ambroſ. *In alterius viri conceſſit nuptias* ſcribit Ambroſ. ſæpè datus hoc capite, *Quem tamen paranymphum ſibi Samſon quaſi fidum ſodalem, cùm duceret eam vxorem aſciuerat.* Quàm citò tulit Samſon dignam cæcæ cupidinis pœnam, & honoris luxit infamiam!

66. E contrà accidit Zachariæ: vxorem duxit de filiabus Aaron, cuius pulchritudo ſacris litteris arcano ſilentio tegitur; ſed ſanctitas diuulgatur: *Fuit in diebus Herodis Regis Iudeæ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia, & vxor illius de filiabus Aaron, & nomen eius Eliſabeth, erant autem iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela.* Luc. 1. v. 6. Aaronis filia refertur non tam ob nobilitatis ſtemma, quam ob virtutum inſignia. Ita Chryſol. Chryſol. ſerm. 89. *Propterea meritò prætermiſſis quibus eius filia dicitur, cuius in ſe memoria prætulit ſanctitatem, quam tanti generis pia cuſtos glorioſiſſimè transfudit in filium.* Ex hoc coniugio naſcitur Ioannes: quia apud coniuges erat in pretio virtus, non degener, & pollutus affectus. Audi Chryſolum Serm. 91. *Ambo iuſti: quia in ambobus erat vna iuſtitia: ambo iuſti, quia conſtabat inter eos non de diligentiâ; ſed de ſanctitate coniugium. Ambo iuſti: quia ſexu diſpares, pares meritis habebantur: ambo iuſti, quia vt erat in duobus vna caro, ſic erat in duobus vnus ſpiritus. Imitentur coniuges, vt quos coniungit affectio, iungat & virtus.* Coniugium, quod non volatica concinnauit affectio, ſed virtus ſanciuit, vt caret querulis criminationibus, ſic honeſtis exundat fructibus: nulla erat inter coniuges hos inuidioſa querela, nulla querelarum iurgia: ergo filium produxerunt dignum matrimonij fructum, quo & æternauerint gloriam, & indelebilem ſæculis tranſmiſerint famam.

Tobiæ ſuadet Angelus Saram ſibi propinquitatis iure debitam in vxorem accipere: *Pete eam à patre eius, & dabit tibi eam in vxorem.* 67. Tob. 6. v. 13. Tobias Angelo opponit ſeptem maritos à Dæmone occiſos, cui Angelus aſſignauit ſtragis cauſam ad cæterorum doctrinam: *Tunc Angelus Raphaël dixit ei: Audi me, & oſtendam tibi, qui ſunt, quibus præualere poteſt Dæmonium: hi namque qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem Dæmonium ſuper illos.* Ex coniugio ob formæ gratiam inito, & ob voluptatem ſolummodò procurato alius non potuit oriri effectus, niſi & lamentum & vitæ excidium? E contrà verò qui vt legi pareat, qui vt Angelo obediat, nuptias honeſtè init, dulces ſuſcipere ſolet fructus, & non ſemel diuitiarum etiam prouentus: matrimonio ob virtutem inito dæmon fugatur, patrato verò ob ignobiles alios fines non ſemel accitus: ergo coniugium, quod ſola conſuluit forma, fuit calamitatum ſcaturigo; at quod virtus diſpoſuit, Gloſſa. fuit felicitatis fulcimentum, dæmonis exilium, & caſtitatis ſuffragium: *Ipſe debet eam accipere*, inquit gloſſa moralis, *in timore Domini, & amore prolis ſpiritualis procreandæ, & ſic à Dæmone non læduntur.* Non læditur à Dæmone, qui init matrimonium ratione conſulente, non appetitu inſtigante; at qui nuptias ſibi diſponit, omni virtutis ratione expuncta, & ſolùm pulchritudinis, diuitiarúmve habita, demetere ſolet copioſam calamitatum meſſem; imò honaris luctuoſiſſimam pati ſtragem.

D. Paulus ad Corinthios ſcribens, poſtquam nuptias ſecum afferre edocuit amariſſimas voluptat. 1. Cor. 7. v. 39. filiorum ſarcinas, & non raras altercantium querelas, ne nouas addiderit anguſtias exoculata concupiſcentia, dum rationi, legique aduerſa carnis ſolum negotium gerit, & connubia ad voluptatem componit, ſic aiebat: *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit: quod ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult; nubat, tantùm in Domino.* Vetuit Paulus viduam tranſgredi legis præceptum, vt inierit cum infideli connubium. Sic interpretes verbum illud *tantùm in Domino* explicant; nil tamen prohibet, ſi ad cupiditatis caſtigationem amplificemus: quaſi dicat Apoſtolus: Nubat, quæ nubit, in Domino, hoc eſt, honeſtatis & virtutis ſtudio; non factus, & euanidi plauſus, aut nimiæ licentiæ deſiderio: ſic námque paci & ſaluti prouidebit; aſt ſi nuptias non conſulat honeſtas; ſed voluptas, vereatur amariſſimas lachrymas, & irrecuperabiles diuitiarum iacturas. *Cæterùm ſæcularis concupiſcentia*, inquit Tertull. lib. 1. ad vxor. cap. 4. *Cauſas habet gloriam* Tertull.

cupidita

Digitized by Google

cupiditatem ; ambitionem , inſufficientiam , per quas nubendi neceſſitatem ſubornat , videlicèt cæleſtia repromittē , dominari in alienam familiam, in alienis opibus incumbere, cultũ de alieno extorquere ſumptu, quem non ſentiat cedere in ſe. Illud *cedere in ſe,* idem eſt, ac ſi dicat Tertullianus, quæ his cauſis mouetur, non ſentiet concupiti viri diuitias in ſuum ornatum expendi; ſed è cõtra dolebit ſuas in alendis delicatiis & exornandis ſumptuoſius pellicibus inſumi, ac dilapidari. Quæ in Domino non nupſit, quidquid ſæculi promiſerat concupiſcentia, euolaſſe, ſibique illuſiſſe, ſera lugebit pœnitentia, & experientia dolebit tarda. Sibi imponunt plures viduæ, dum ſperant pretioſis ſe monilibus exornandas, & pompatici artificioſa ornatus admiratione veſtiendas, Gallicis ſeruis, & Germanicis baiulis ad nuptiarum cumulationem gloriam ſtipandas; verùm falluntur egregiè : nam etſi hæc omnia aliquo tempore fulgurarint, quam citò deſinent, tranſibuntque in ærumnoſam pauperiem, & contemptus acrem dolorem. : quos virtus non coniunxit, iurgia amariſſima ſæpiſſimè diuexerunt, & continuis domum clamoribus adimplerunt ; at quæ in Domino nupſit, & qui non vanitulam, omniaque faſtidientem ; ſed optimis excultam moribus accepit, florente pace, & concordia vſi, veluti in confinio beatitudinis degunt : quos Deus coniunxit, homo non ſeparat, quantumuis fœminam muneribus prouocet, adulationibus imperat, & contumaci ſolicitatione pellicere ſatagat.

69. Mitis hiſtoriæ coloribus ſacer depinxit textus monſtra fructum eſſe coniugij, apertinis conſiliis initi, & oculorum erroribus procurati : *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant, dixitque Deus : Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque dies illius centum viginti annorum ; Gigantes autem erant ſuper terram in diebus illis : poſtquam enim ingreſſi ſunt filij Dei ad filias hominum illæque genuerunt, iſti ſunt potentes à ſæculo viri famoſi.* Geneſ.6 v.4. Gigantes humanæ naturæ monſtra nati referuntur ex connubiis, quæ non diſpoſuit honeſtatis affectus ; ſed cæcus libidinis appetitus, & quid niſi monſtrum erat ab huiuſmodi nuptiis proditurum? Filiis impuris & libidinoſis cupiditatibus ſeminati originem ſapiunt & parentibus copioſiſſimam lachrymarum meſſem producunt : naſcuntur namque ad honoris iniuriam, ad cognatorum pœnam, ad maiorum infamiam : iurgiorum monſtra miſeriarum portenta oriri videas de nuptiis cupiditate ſolum initis, & appetitus erroribus procuratis. Adeſt Caietanus: Caiet. *Explicat Moyſes quod ex iſtis coniugiis nati ſunt gigantes, tum vt gigantes abuſi dono ſui roboris, etiam ex turpibus coniugiis orti deſcribantur tamquam hereditario iure turpes.* Adnectit ex Hebræo: *Iſti fortes, qui ab æterno viri nominis.* Subiicitque : *Lapſus qui & gigantes demonſtrat pronomen iſti, & deſcribuntur tum à robore corporali, tum à fama æterna, in quibus comprehenduntur fortia geſta, prælia, ſubactiones, violentiæ, & id genus reliqua.* Expende quos huiuſmodi coniugia fructus protulerunt, violentias ſcilicet, prælia, iurgia, filios, qui iam viri gloriam in ignominiam lapſus mutarint, eiuſque ſplendorem turpitudinis nebulis non ſolùm obſcurarint ; ſed expunxerint Iam non qui viri fortes rationeque exculti lucerent, naſcebantur, ſed qui gigantes à virtute exules, & ad vitia ſemper procliues.

§. XVII.

Peccatores non adlaborant timoris cauſas ſeponere ; ſed adnituntur ſopire.

INter magna Dei munera recẽſenda conſcientia eſt : quâ mens fræni ad inſtar vtitur, vt præcipitem appetitum reprimat, ne voluptatis calcaribus ad errorem viuidius ſtimulata prorumpat : implacabilis rixa eſt inter acrem conſcientiæ morſum, & deliciarum fallaciſſimum appetitum. Poteſt peccator euadere legis mulctam, nequit tamen pium carnificem non ſuſtinere conſcientiam. Quàm benè Epicurus : *Poteſt nocenti contingere, vt lateat, latendi fides non poteſt : ideò non poteſt latere peccantibus : quia latendi etiamſi felicitatem habent, fiduciam non habent.* 70. Epicur. Se tuentur aliquando peccatores : diuitiarum copia, aut dignitatis potentia; verum etſi ſupplicium contingat euadere, nequeunt moleſtum conſcientiæ ſtimulum fugere: ergo dum verentur voluptatem amittere, & conſcientiam renuunt pati, ſtulta ſolertia, & ſagaci ſtultitia Architectantur medicamenta, quibus cerberi ad inſtar oblata offa importuni ſopiantur latratus, nec deliciarum ſeponantur effectus : nolunt timoris auferre cauſam ; ſatagunt tamen ad deliniendum inuenire medelam : quod vxori Samſonis noueris contigiſſe : muliebribus emollitus blanditiis abſtruſam dilectæ ſuæ enodauit quæſtionem ; illa minis deterrita, precibus mota, & ſtulta ſuorum affectione irretita inſigne amoris arcanum ad iniurium detorſit dolum : Samſon abſentia caſtigauit perfidiam, cumque illa doli conſciâ timeret, non confugit ad pœnitentiæ lamentum ; ſed ad illegitimum matrimonium : quæſiuit aduerſus timoris ictus patronum, non detrectauit peccatum : *Cùm cubiculum eius ſolitò vellet intrare ; prohibuit eum pater illius dicens : Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Tradita eſt ad timorem deliniendum, nec curauit timoris cauſas ſeponere ; ſed fallaci ſecuritate ſopire. Ita Ambroſius lib 3.epiſtol.epiſt.23. *Turbata animi iuuencula, quæ indignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi, ſibi futuram iuſta formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptias.* Ambroſ. Adnectit : *Nec ſic tamen, prætento licèt coniugio, offenſionis periculum auertit.* Adulterino connubio non poterat auertiſſe periculum ; emollire tamen curabat metum ; ea namque eſt peccantis fatuitas, vt concordare velit lucem & tenebras, conſcientiæ placiditatem, & illecebrarum errorem.

Peccato ſi aliquando eſt felicitas, ſecuritas nunquam.

Elapſus erat dilectæ ſuæ ſponſus : illa neſcio quibus præſtigiis deluſa ſomnum aſciuit, quo ſollicitudinem eluderet cordis, & ſollicitæ curas fugeret anxietatis : *Ego dormio, & cor meum vigilat. Vox dilecti mei pulſantis.* 71. Cant.5.v.2. Ad cordis depellendum ſomnum pulſabat; ſed appetitus ad cor ſopiendum ſomnum profundiſſimum adducebat : illigabat lecto voluptas, & pugnabat cum ſomno anxietas : cùmque experta fuiſſet conuenire non poſſe conſcientiam tacere, & immerſos ſomno oculos obdormire, decreuit ſurgere, & abſenti appropinquare : *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit amica mea* Cant.3.v.2. Labor caſſus non fuit ; imò inuento iam dilecto proſecuta eſt placidiſſimum ſomnum : *Inueni quem diligit anima mea.* Quid tunc? *Adiuro vos, filiæ*

Digitized by Google

filiæ Ieruſalem, aiebat Sponſus, *per capras, ceruóſque camporum, ne ſuſcitetis, nec euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit.* Ablata ſolicitudinis cauſa, abſentia ſcilicet ſponſi, cordis vigiliæ ſomnum placidum nullatenus interpellarunt, nec curæ dormitantem aduerſerunt; at dum abſenti ſponſo indulgere quieti diſcupiebat; à prudentia quam maximè deerrabat. *Ipſe*, inquit Gillibertus ſerm. 1.
Gillibert. *Sponſæ ,ue ſalus, & illuminatio: ideò recedente ipſo illa recidit ad lectulum infirmitatis, & ignorantiæ noctem.* Ignorantiæ tenebras patiebatur, quæ confugerat ad ſomnum, ne cordis toleraret ſtimulum: ni enim abſtuliſſet ſolicitudinis cauſam, depellere nequiret ad vrgentem conſcientiæ curam; ſic tamen peccatores deſipiunt, vt ad cordis vitandam anxietatem nolint depellere cauſam, ſed ad fallacem ſoporis adlaborent confugere medicinam.

72. Ionas in Niniuem ciuitatem plus vitiis, quàm hominum copiis refertam miſſus, dum ſtultè caſſæ prædictionis ueretur notam, velocem arripuit fugam; verùm Dei mandato ad fugientis mancipij inquiſitionem horriſoni, armantur fluctus, & ingruens procella repetitis ictibus turbat nauigantes, vndæ in nauem inſilientes latétem prophetam perſcrutabantur, & naufragio depoſcebant, nauigantes naualem aduerſus tempeſtatem ſuſcipiunt pugnam, & gubernaculo fluctuum inſaniam declinantes periculum repellere ſatagebant: propheta fugæ conſcius, cùm nec tempeſtatis cauſam vellet vitare, nec quiret acres procellæ ictus ſuſtinere, ſomnum in patrocinium aſciuit, exiſtimans poſſe ſic officium detrectare, & tempeſtatis anxietatem
Ionæ 1. v. 5. ſopire: *Ionas deſcendit ad interiora nauis, & dormiebat ſopore graui.* Grauis erat dormienti ſopor; quia nequibat metum prorſus expellere, quantumuis adnixus ſit delinire: prætendebat tempeſtatis ignorantiam, vtque optatam proſequeretur fugam, ſtultiſſimè corrumpebat conſcientiam. Huc voco
Tertul. Septimium lib. de ſpectacul. cap. 1. *Tanta eſt vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem.* Ionas inani honoris irretitus deſiderio conſcientiam corrumpebat; ſed non placabat: nequibat cum ſomno placiditas concordare; quia de conſcientia ſomni conſtabat mœſtitiam, & angorem emergere: & vtinam vnus eſſet Ionas; reliquit tamen plures diſcipulos, qui, vt diutiùs à ratione proſequantur fugam, ſopire incaſſum adnituntur conſcientiam. Adde voluptatum captiuos varias hinc inde, coloratáſque rationes colligere, ſi poſſint aduerſus conſcientiam argumentan, & argumentis eludere. Ecce Thamnathæus ad exiſtimatum Samſonis odium recurrit, vt iuſtis rationis querelis, ſi non legitimè aduerſari, ad ſpeciem ſaltem poſſit opponi: *Putaui quod odiſſes eam: & ideò tradidi illam amico tuo.* Non indagauit, an verè odiſſet; arripuit tamen odij argumentum, vt adulterinum defenderet matrimonium, quandoquidem videbatur rationi conſonum filiam non tradere feraliter odienti; ſed tenerè amanti: itaque quia diſcupiebat alteri tradere, quæſiuit quibus poſſet conſcientiæ voces eludere.

73. Thamnathæi exemplum imitatus eſt Saül, ad Amalec delendum miſſus caras diuitias concupiuit, & reſeruato rege Agag ſumptuoſiorem fore triumphum ſuperbus excogitauit: ergo dum variis arctatur motibus, dum rationis timet iniuriam, & cupiditatis ſolicitat cauſam, ſibi ſtultè perſuaſit poſſe plurimam afferre prædam, ſi ex illa Numinis

aræ dicatit hoſtiam: ipſum audi obiurganti prophetæ reſpondentem: Samuël ſic delinquentem carpebat: *Quare non audiſti vocem Domini; ſed* 1. Reg 15.
verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Do- v. 19.
mini? Quid tunc? *Ait Saül ad Samuelem: Imò audiui vocem Domini, & ambulaui in via, per quam miſit me Dominus, & adduxi Agag regem Amalec, & Amalec interfeci. Tulit autem de præda populus oues & boues, primitias eorum, quæ cæſa ſunt, vt immolet Domino Deo ſuo in G lgalis.* Ecce inobedientiam honeſtare nititur victima, ne careat præda: opponebat illi conſcientia non licere Agag impia miſericordia parcere, nec oues, boueſque afferre; ille tamen, ne in totum conſcientiæ videretur reſiſtere, diuiſus inter Domini præceptum, & cupiditatis ſtudium, excogitauit de prædiis hoſtilibus ſacrificium, quò colorata pietate conſcientiæ ſatisfaceret argumentis, & æſtuantis adularetur cupiditatis ſtudiis. Aptè Tertullianus
lib. de ſpectac. cap. 2. *Quàm ſapiens argumentatrix* Tertullian.
ſibi videtur ignorantia humana, præſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſæculi metuit amittere. Sibi perſuadebat Saül oues illas à Deo in vitæ humanæ vtilitatem creatas, nec ligari piaculo, qui vteretur eiuſmodi commodo, præſertim ſi commodum ad Dei vergeret ſacrificium.

Spectaculorum amatores conſcientia circum- 74.
uenti non diſſimili ratione ſibi imponebant deluſi, nempe alienum non poſſe videri à Deo eis rebus vti quas ad hominis oblectamentum ipſe conſtruxerit, & creatit: quaſi à Deo omnia fuiſſe producta, omnibus vtendi ſit priuilegium. Audi ſupra datum Tertullianum: *Iam non eſt, qui non hoc quoque prætendat, omnia à Deo inſtituta, & homini attributa, ſicut prædicamus, & vtique bona omnia, vt boni auctoris: inter hæc deputari vniuerſa iſta, ex quibus*
ſpectacula inſtituuntur, circum verbi gratia, & Tertull.
leonem, & vires corporis, & vocis ſuauitates. Igitur neque alienum videri poſſe, neque inimicum Dei, quod de conditione conſtet ipſius: neque cultoribus Dei vitandum, quod Dei non ſit inimicum, quia neque alienum. Itaque ne carerent voluptate, ad rerum molitionem confugiebant, & coloratas rationes ipſi creabant, quibus delicias defenderent, & conſcientiam ſophiſticis argumentis obruerent. Nonne his fallaciis vtuntur plures? In edacitatis ſubſidium allegant à Deo ferculorum materiam creatam, hominique conceſſam, & huiuſmodi ſexcenta, quæ, excogitauit amentia, & concinnauit luxuria.

---

§. XVIII.

Eâ nonnulli peccant impudentiâ, ac ſi licerent delicta.

ERrat qui exiſtimat huic aut alteri ſæculo ad- 75.
ſcribendam eſſe virtutis negligentiam, & vitiorum inſaniam: non ſunt iſta temporum; ſed hominum: nulla ætas vacauit à culpa. Verùm negari non poteſt ea tẽpora præ aliis deprauatis moribus obſcuriora, & acriori vitiorum calamitate confuſa, in quibus ſic omni expuncta verecũdia peccatur, ac ſi obſequium legibus præſtaretur: cum homines

C delicta

delicta ſua variis excuſationibus non colorant; ſed effrontes, & inuerecundi publicant, ſciat diluuium criminum exundaſſe, & rationem naufragio miſerabili tradidiſſe. Verecundia dum honeſto rubore faciem pingit, dum confuſionis medelam affert, & rationi inſeruit: patet ſine verecundia ad omnia vitia aditus; imò audax in virtutem militat vitiorum adſultus. Audi Senecam lib. 2. de ira cap. 8. *Certatur ingenti quodam nequitia certamine: maior quotidie peccandi cupiditas, minor verecundia eſt, expulſo melioris, æquiorisque reſpectu, quocumque viſum eſt libido ſe impingit, nec furtiua iam ſcelera ſunt, prater oculos eunt: adeoque in publicum miſſa nequitia eſt; & in omnium pectoribus eualuit, vt innocentia non rara, ſed nulla ſit.* Vitia omnem legum excuſſere metum, in aperto prodire non refugiunt; imò ſunt quos vitæ peccata delectent, & quibus crimen ſuum non ſolùm ſit voluptati; ſed præſumptioni: inde gloriantur, vnde debuiſſent confundi, & laudabili confuſione rubere. Thamnathææ pater lenonis quodammodo exercuerat officium filiam Samſoni deſponſatam alteri concedens, cùmque debuiſſet verecundus detractare factum, aſſerere non erubuit delictum: *Tradidi illam amico tuo*, Qua libera fronte, quàm excuſſa ruboris gratia publicabat adulterium! ſe erroris artificem fateri non renuit, nec erubuit: quaſi rem peregiſſet legibus conformem, & virtutibus congruentem. Ita Abulenſis q. 3. *ſic fuit facta magna offenſa Samſoni: quia uxor ſua alteri copulata eſt, non ſolùm adulterando; ſed etiam accipiendo alium in virum, quaſi ei liceret*: vt quiret de filiæ matrimonio ritè peracto gloriari pater ſic oſtentabat ſecundas ei paraſſe nuptias, & caſtigaſſe Samſonis iras: & quidem iure filia, pater: domúſque tota anhelantibus flammis adducta eſt: hanc enim meritiſſimam ſibi pœnam conciliauit vaniſſima de peccati perpetratione arrogantia, & arrogans inſolentia.

Seneca.

Innocentia iam non rara; ſed nulla.

Abulenſ.

76. Phariſæus tumore inſaniens publicanum ſalubri confuſione deſpicientem ſe ipſum linguæ arroſit, & infamauit: de vmbratili legis obſeruatione veram nutriebat arrogantiam, & ſibi plaudens oſtentabat ingratiſſimam omnibus impudentiam: *Phariſæus ſtans hæc apud ſe orabat. Deus, gratias ago tibi, quia non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo. Et publicanus à longè ſtans nolebat nec occulos ad cœlum leuare.* Phariſæum deliquiſſe conſtat teſtante Domino: *Deſcendit hic iuſtificatus in domum ſuam ab illo: quia omnis, qui ſe exaltat, humiliabatur.* Non erat ſicut alteri, adulter aut raptor, quia forſitan adulterij fœditatibus alteros euincebat, & rapinis ſuperabat, ea tamen inſaniuit præſumptione, vt impudenter exerceret linguam; & inuerecundam oſtentaret audaciam. Innuit Ambroſius lib. 1. de officiis cap. 18. *In ipſa quoque oratione noſtra multum verecundia placet; multum conciliat gratiæ apud Deum noſtrum nonne hæc prætulit publicanum, & commendauit eum, qui nec oculos audebat ad cœlum leuare? ideò iuſtificatur magis Domini iudicio, quàm ille Phariſæus, quem deformauit præſumptio.* Conſonat Baſilius Seleucienſis orat. 35. *Deo approbaturus introiuit.* Opprobrium in Deum iacit; ea tamen fronte, vt exibere poſſet officium, & præſtare religioſum obſequium: non erubuit tumidiſſimum ſuperbiæ faſtum; imò de faſtu ſe reputat iuſtum: *Non ſum ſicut cæteri*: ea namque eſt peccatoris impudentia, vt quaſi legibus fuerint conformia, geſtiat proferre delicta.

Luc. 18. v. 11.

Ambroſ.

Seleucenſ.

Chriſti Domini æmuli Pilato tradunt, & varias cauſas fraudulenter opponunt: ille re accurato examine, & prudenti timore diſcuſſa innocentem ſemel & iterum pronuntiauit; verùm dum plus Chriſti innocentia elucebat, æmulationis inſania validius contra innocentem clamabat; imò clamor ſic audet, ac ſi de lege fuerit exortus, & æquitate ſuffultus: *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori: quia filium Dei ſe fecit.* Ea impudentia inſurgunt contra innocentiam, qua poſſent contra malitiam, ea fronte petebant abſolui Barabbam, quà potuiſſent innocentiam: legem pro crimine ſtare impudenter allegant, & iuris patrocinio iuſtitiam oppugnant. O quàm dura illi Reipublicæ imminebat calamitas, dum enorme delictum in aperto gliſcebat, ac ſi eſſet legibus conſentaneum, & rationi congruum! Non erubeſcebant apertis vocibus inclamare: non verecundabantur innocentiam opprimere; imò eâ libertate, ea audaciâ liuori, ambitioni, peruerſitati inſeruiebant, qua quirent militare virtuti. Prodeſt Chryſoſtomus apud D. Thomam: *Continuè enim ab accuſationibus eruit. Sed Iudæos canes nihil horum in verecundiam conuertit: nam ſequitur: Reſponderunt Iudæi: Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* Legi ipſo teſtante iudice clariſſimè debacchabantur aduerſi, & tamen omni rubore expuncto legis videntur ſibi patroni. Certè ſi omnis in delictorum perpetratione verecundia exulet, miraculo & quidem ingenti opus erit ad ſalutem inſtaurandam, aut ſuffulciendam. 77.

Ioan 19. v. 7.

Chryſoſt.

Chananæa Chriſto Domino occurrit, & profuſis lachrymis ad miſericordiam compellit: *Miſerere mei, Domine fili Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur.* Cùm Dæmon dirè duréque quoſcumque inhabitabit; diuexet; cur Chananæa illo verbo *malè* præ aliis ſuam calamitatem exaggeret? Medelam exoret luctu; filiæ tamen culpam non adaugeat, nec calamitatem cæteras ſupergreſſam vocibus prodat: *Malè*, inquit, *à dæmonio vexatur.* Et quæ ſpecialis huius vexationis malitia eſt: Omnem, inquit Baſilius Seleucienſis, verecũdiam expunxiſſe: liberis adeo oculis ciuitatem peruagari inſeruiendo Dæmoni ac ſi inſeruiret virtuti: *Domo exiliens vrbem peruagatur: Dæmonis receptaculum filiam peperi verecundiam omnem calamitas excutit, & ingenitum à natura pudorem mali vis captiuum ducit.* Dæmon vt ſecuriùs poſſederit prædam, omnem diſcutit verecundiam, & puella omni pudore exuta ſe oſtẽtabat Dæmonis receptaculum virtutum exilium. Ergo mater iure calamitatem deplorat, & malum vti irremediabile exaggerat: dum puella Dæmonis victima lucem non erubeſcit, dum oculis denegata non latet; ſed peruagatur vrbem Dæmonem actionibus prodens, & ignominioſum vanitatis plauſum peccato quærens miraculo indiget, vt recuperarit ſalutem: *Verecundiam omnem calamitas excutit.* Vbi exterminato omni rubore gliſcebat inſania, cœleſti opus erat medicina. 78.

Matth. 15. v. 22.

Baſil.

Adde non ſolùm nonnullos eâ impudentiâ delinquere, ac ſi delicta licuerint; ſed etiam ac ſi gloriam erranti adduxerint: *Lætantur*, aiebat Salomon, *cùm malefecerint, & exultant in rebus peſſimis.* Eiſdem vitiis, quibus deturpantur, gratioſi ſibi videntur. Quod pleroſque inemendabiles facit, eſt verecũdiæ loco plauſum ſucceſſiſſe, & inde ſugere inſanã gloriam, vnde prudentem confuſionis traherent pœnitentiam: ille laudem quærit adulterio, in quod ipſa 79.

Prouerb. 2. v. 14.

Digitized by Google

ipſa difficultate eſt impulſus, ille fraudulentam circumuentionem iactat prudentiam, ille de culpæ probro procudit ſibi fortunam. *Id praua conſuetudine euenit,* Senec. aiebat Seneca epiſt. 97. *alioqui, vt ſcias ſubeſſe animis etiam in peſſima abductis boni ſenſum, nec ignorari turpe; ſed negligi.* Non adeò exoculata eſt libido, vt ſe ignoret fœdam; verùm ea eſt deteſtanda conſuetudinis licentia, vt iam non afferat delinquenti vtilem verecundiam; ſed foueat imprudentiſſimam arrogantiam. Deteriora ſunt elapſis præſentia ſæcula, non ſubducuntur oculis, nec variis excuſationum artibus iam colorantur ſcelera; ſed effrons malitia exultat criminibus & gloriatur, vt poſſet virtutibus ſceleribus. Audi Ambroſium in Pſal. 50. Ambroſ. *Plerique in ſuis lapſibus gloriantur, & putant ea laudis eſſe, quæ criminis ſunt: ſi alienum coinquinauit torum, & pudica fœminæ expugnauit affectum, ſi vidua propoſitum aliqua fraude mutauit: alius necem hominis, latrocinij inſidias, & rapto viuere putat eſſe virtutis. Nonnulli circumuenire ac fallere arbitrantur eſſe ſapientiæ.* Non agnoſcunt plures delictum ſuum honeſta confuſione, non extenuant laudabili verecundia; ſed oſtentant impudentiſſimâ audacia. Samſonis ſocer derelictam filiam vindicaſſe, quantumvis interceſſerit adulterium, ſic impauidi ac conſtantis animi eſſe cenſuit, vt texuiſſe ſecundas nuptias fateri non erubuerit; ſed liberrima fronte vulgarit: *Tradidi illam amico tuo; vt ſcias non ignorari turpe, ſed negligi.*

---

§. XIX.

Iracundia dum immoderatè accenditur, crimini, & calamitati patrocinatur.

80. Non multum à vero aberrabit, qui iram breuem inſaniam dixerit: nam vt inſanus ſeipſum lædit, ratione de mentis arce præcipitata, ita vehementi ira correptus prudentiæ leges tranſgreditur, & in ſe ipſum præter opinionem armatur. Ira eſt rationis eclipſis, prudentiæ interſtitium, nubilum rationis: homo confuſis iracundiæ procellis impulſus nauis eſt ſine gubernaculo, quæ in ſyrtes impacta illiditur, & illiſa miſerabiliter frangitur. Benè Senec. Seneca lib. 1. de ira c. 1. *Cæteris* (affectibus) *aliquid quieti placidique ineſt; hic totus concitatus, & in impetu doloris eſt: armorum, ſanguinis, ſuppliciorum minimè humana ferens cupiditate, dum alteri noceat, ſui negligens, & in ipſa irruens tela, & vltionis ſecum multa tractura auidus.* Ira in ipſa irruit tela, ſibi maturãs pericula. Non attendit exoculata iracundia vltionis conſequentias, futuris non prouidet diſcriminibus, dum æſtuantibus adoletur furoribus. Samſon dolo ſponſæ exaſperatus ſic ira incanduit, vt eam reliquerit, & diſceſſerit: Iudic. 14. v. 20. *Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui.* Mulier viri ferociam verita; & deſpectu derelicta alterius nuptias iniuit: *Putaui,* aiebat Socer, *quod odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Abſentia ab iracundia exorta aditum aperuit iniuriæ, & Samſon, dum iracundiæ flammis inardeſcit, in quanta ſe tela coniecerit, non præuidit: Abulenſ. *Iratus Samſon,* inquit Abulenſis q. 1. *receſſit de Thamnatha relicta vxore, & iuit in domum patris ſui, manſitque ibi aliquot diebus, & poſt aliquantulum temporis venit rurſus ad vxorem, & facta ſunt, quæ habentur hic.* Vxor in alterius poteſtatem conceſſit, domus anhelantibus flammis abſit, in Samſonem vel cognati inſurgunt, Philiſthæi tradere compedibus geſtiunt; & hoc totum, quia nimis diſceſſit iratus: *Æquè impotens ſui eſt,* adnectit datus Seneca, *decoris oblita, neceſſitudinum immemor.* Sui ipſius diſceſſit immemor, qui dereliquit vxorem: quia vxore derelicta aſciuit calamitatem.

Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blaſphemia tollatur à vobis, inquit Paulus, 81. Ad Eph. 4. v. 31. *cum omni malitia:* iure iracundiæ atexuit amaritudinem, clamorem, blaſphemiam: reſultat namque ſæpè amaritudo non minùs irâ correpto, quàm vindictâ impetito. Certè à ſe ipſo deficit iratus, & propriæ ſaluti nocet imprudenti excandeſcentia correptus. Audi Ambroſ. lib. 3. epiſtolar. epiſt. 25. *vetus dictum eſt: Aſſueſce vnus eſſe, vt vita tua quandam picturam exprimat, eandem ſeruans ſemper imaginem, quam accepit. Quomodo poteſt vnus eſſe, qui nunc iracundia inflammatur, nunc indignatione graui exæſtuat, nunc vultu excandeſcit, nunc pallore immutatur, per momenta varius, & diſcolor?* Ambroſ. Saluti detrimentum grande affert irrationabilis indignationis ardor, elocantur oculi, ſpumant labia, ſanguis efferueſcit, cor exæſtuat: nec ſolùm ira eſt ſalutis aduerſatrix; ſed vitiorum etiam nutrix. Opportunè Caſſianus in allegor. Tilmani: Caſſian. *Cum dicit: Omnis ira tollatur à vobis, nullam penitus vult neceſſariam, & vtilem nobis excipi: delinquentem itaque fratrem, ſi neceſſe eſt, ita curare feſtina, vt dum medelam leuiori forſitan febricula laboranti procuras inferre, non temetipſum tetriori morbo cæcitatis inuoluas.* Corrigere oportet, quod tunc ſalubrius fit, cùm ita exulat, quia prudentia inuigilat: ſunt tamen qui à ſeipſis indignatione alieni non corrigunt; ſed cæcutientes impingunt: ſatius fuiſſet Samſoni prudentia vxorem corrigere, quàm indignatione incandeſcere: correctio namque erranti attuliſſet medelam; furor verò grandem peperit irato ignominiam.

Sol, aiebat Paulus ad Epheſios ſcribens, *non occidat ſuper iracundiam veſtram: nolite locum dare diabolo.* 82. Ad Eph. 4. v. 26. Non ſolùm vetat iracundiæ pertinaciam de temporis ſpatio; ſed etiam monet ſecum afferre tenebras de inſaniæ delirio: irato Sol occidit, quia prudentiæ lux, & rationis ſplendor denſis iræ nubibus tenebreſcit: & quidem teſtante Domino caligine præpeditus & offendit, & ruit: *Si ambulauerit in nocte, offendit: quia lux non eſt in eo.* Ioan. 11. v. 10. Ea ſit ira, quæ ſolem rationis non extinguat: nam qui exhalato ab indignationis ardore tetro fumo cæcutit, luce carens in præcipitia proruit. Prodeſt datus Caſſianus: Caſſian. *Ratio, quæ pro eo quod omnes cordis cogitationes, diſcretionéſque illuſtret, Sol meritò nuncupatur, ira vitio non extinguatur, ne eodem occidente perturbationum tenebræ cum auctore ſuo diabolo vniuerſum cordis noſtri occupent ſenſum, & tenebris iræ poſſeſſi velut in nocte cæca, quid nos oporteat agere, ignoremus.* Andabatarum more digladiantur irati, ſeipſos impetunt, ſe lædunt ſaluti, felicitatique oppoſiti, dum irâ amenti gliſcunt ſuccenſi: ergo ita iraſcendum eſt, vt lux non innubiletur; ſed ſereno animus rationis ſplendore fruatur.

83. Angelus Balaamo vianti obſiſtit: adeò ille pergebat cupiditate obcæcatus, vt Angelum, quem brutum vidit, ignorarit: aſina malens hominis indignationem incurrere, & dolorem repetitis ictibus ſuſtinere, quàm flammanti ab Angelo gladio feriri, ab itinere felici errore deuiat, & prudenti fugâ imminens periculum fruſtrat: *Cum vidiſſet aſina ſtantem Angelum, concidit ſub pedibus ſe-* Numer. 22. v. 27.

Digitized by Google

dentis: qui iratus vehementius cædebat fuſtè latera eius. Iratus cædebat, & quidem ſi aſina paruiſſet irato, miſero tradidiſſet excidio: *Niſi aſina declinaſſet de via*, (verba ſunt Angeli) *dans locum reſiſtenti, te occidiſſem, & illa viueret.* Pergens careret ſeſſore, frueretur ſalute; maluit tamen premi, quàm Dominum periculo tradere: ſi alia eſſet, libertatem præferret obligationi; at talis fuit, quæ nec libertatis emolumento, nec doloris conſilio à fidelitate deſciuerit; ſed Domino prouidenter attenderit; ille verò fuſte diuerberat vtiliter reſiſtentem; inſaniæ ſtudioſè cibaret adulantem. Itaque irâ correptus ſibi necem ſollicitabat, nec vicinum periculum præuidebat: occiſus ab Angelo iacuiſſet, ni furoris inſaniam etiam graui doloris ſenſu aſina refrænaſſet: ſuâ eum itâ obiiciebat inopinato diſcrimini, dum inſanæ adulabatur cupiditati. Huc voco Origenem homil. 13. *Videas homines quomodò à dæmonibus præcipitantur.* In mortem à dæmone præcipitabatur irâ flammeſcens, vt vno, eodémque actu & incurreret culpam, & amitteret vitam.

Origen.

84. Dauid iracundi perſonam gerens ſic aiebat: *Turbatus eſt à furore oculus meus inueteraui inter omnes inimicos meos.* Gregorius lib. 8. indiction. 3. epiſt. 51. legit: *Turbatus eſt præ ira oculus meus*: alluderéque prophetam ad primorum parentum viſus turbationem exiſtimat: Eua affectionibus impedita, & paſſionum vinculis illigata vidit arborem, cuius fallaci pulchritudine illecta culpam admiſit, & ob leuem pomi guſtum exilio, nuditati, ſpiniſque ſorduit condemnata. Igitur Dauid accidiſſe ſibi ait ob iram, quod homini ob cupiditatis inſaniam: inter inimicos inueterauit, id eſt ſimilem ignominiam ac parens tulit. Hanc eſſe huius hemiſtichus penitiorem ſententiam tradit Gregorius iam datus: *Dauid perſonam in ſe infirmorum ſumens ait: Turbatus eſt præ ira oculus meus: atque ex ipſa turbatione quid ſequatur, adiungit: Inueteraui inter omnes inimicos meos: ex ira quippè cùm turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos noſtros ad vetuſtatem deducimur: quia inter maligno ſpiritus ad vetuſti hominis ſimilitudinem reuocamur.* Malignus ſpiritus, vt primi hominis in nobis infelicitatem reſculpat, irâ cæciſſimâ inflammat, vt obturbatus mentis ac corporis ſimul obtutus cæcæ calamitati mancipetur, luctuique perpetuo addicatur. Occidit ille iracundiæ ſtimulò exagitatus exaſperantem, & iam ob homicidium opus eſt terram vertere, dulcem patriam, & charam domum relinquere, facultatibus denudari, ſeuera iudicis ſententiâ premi, & ſexcentis aliis difficultatibus circumuolui: & hoc totum, quia iracundiæ nebulis obtenebrata prudentia impendioſâ ſibi plauſit inſaniâ: Nimia ira Samſonem domo expulit, abſentia vxori malè conſuluit, ac tandem ob cædes perpetratas vinculis tradidit, quæ non facilè diſrumperet, ni ſpiritus Dei adeſſet.

Pſal. 6. v. 8.

Gregor.

85. Non inficiabor oportere aliquando piâ irâ excandeſcere, & audentem, ac procacem reprimere: debet tamen tunc ira rationem non antreuertere; ſed ſubſequi, & tarditate rationabili defectibus expurgari. Iacobum audi omnem iram non expungentem; ſed opportuno moderamine caſtigantem: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram: ira enim viri iuſtitiam Dei non operatur.* Vt iuſtitiam Dei operetur ira, vt non paſſioni; ſed correctioni deſeruiat, moroſe debet erumpere, non repentinis caloribus exardeſcere: ſit iracundia prudentiæ ſoboles, non rationis lues. Redeat datus Gregorius: *Differ tempus furoris, & cùm tranquilla mens fuerit, quod placet, vindica: ira enim in vindicta malorum ſequi debet rationem animi, non præire: vt quaſi ancilla iuſtitiæ poſt tergum veniat, & non laſciua ante faciem prorumpat: aliquando verò oſtendenda eſt, & non exhibenda: aliquando exhibenda eſt; ſed nunquam ſequenda.* Adnectit moraliſſimus Doctor ſatis opportunè: *Quando in executione iuſtitiæ placatâ mente iraſcimur, iracundiam & non ſequimur, & exhibemus: ira enim, quæ animum perturbat, quantâ conſideratione cauenda eſt; monſtratur: de qua ſcriptum eſt: ſit omnis homo velox ad audiendum; tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram.* Mentis tranquillitatem, ſerenitatem iudicij, prudentiæ conſiderantiam ſi turbet ira, iam non erit homo tardus; ſed improuida velocitate commotus. Ergò fuge iram malorum ſcaturiginem, luctus venam, rationis nubilum, & ſalutis certiſſimum detrimentum.

Iacobi v. 19.

Gregor.

Ira aliquando eſt oſtendenda, ſequenda nunquam.

---

§. XX.

Non ſemel parentes filiabus occaſiones concinnauerunt erroris, & impendierunt ſalutis.

86. Non eſt omnis amor ingenuus; ſub eodem colore latet aliquis ſubæratus: ſibi ſtudet, & callidè coniungere ſuſpirat vile cupiditatis lucrum, & nobilem honeſtæ affectionis plauſum. Quàm benè Seneca epiſt. 35. *Habere amicum volo, quod contingere mihi (niſi pergas excolere te, vt cœpiſti) non poteſt nunc enim amas me, amicus non es: quid ergo? Hæc inter ſe diuerſa ſunt? imò diſſimilia: qui amicus eſt, amat: qui amat, non vtique amicus eſt. Itaque amicitia ſemper prodeſt, amor etiam aliquando nocet.* Benè dixit: plures namque amare non nouerunt: inter hos numerare potes aliquos parentes, & fratres: amare exiſtimant, ſi inſanis filiorum appetitionibus materiam miniſtrauerint, & inſaniam fouerint. Adhæc vt indignum ſibi expiſcentur lucrum, aut damnandum percipiant gaudium, moretti vitiis gerunt occaſionum artifices, & contra virtutem hoſtes. Matrem inuenias comentem filias, ornantem, & expingentem ad incautæ iuuentutis aucupium, & voluptatis commercium. Foras producunt, quo oculos ſibi alliciant, & aſpicientes irretiant: vmbris protegunt vmbram occaſionem architectantes, & ſi quid in cupiditatem militet, impedientes. Acceperat Samſon in vxorem Thamnatheam, cuius pater alteri tradens adulterij artifex fuit, cumque Samſon vxori reconciliari diſcuperet; ingreſſum vetuit, & prohibuit: *Cum cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Pater ipſe pudicitiæ fuit traditor, & ne filia indignis careret amplexibus, reſtitit Samſonis conatibus: marito reconciliare vxorem conſulebat honeſtas, alteri permittere ſolùm prauitas; is tamen pater erat, vt patrocinaretur prauitati, & aduerſaretur virtuti: *Prohibuit eum pater illius*: Samſonem prohibuit, alteri filiam tradidit: ipſe equidem ait: *Tradidi illam amico tuo.* Cui amico? A quo fortè ſubornatus, & muneribus corruptus. Nec ſemel hanc exercuit artem; imò aliquod ſibi periculum à iuſtè irato Samſone imminere veritus alterius filiæ obtulit thalamum, vt ... imminens

Seneca.

Amicitia ſemper prodeſt, amor efficit aliquando.

Digitized by Google

imminens redimere quiret periculum: *Habet*, inquit, *Sororem, quæ iunior, & pulchrior illa eſt ſit tibi pro ea vxor.* Qui maritatam alteri tradidit, vxoris ſororem Samſoni promittere non erubuit. Adeſt

Abulenſ. Abulenſis quæſt. 3. *Videns pater vxoris Samſonis quòd offendiſſet nimis Samſonem, voluit eum placare, & quia Samſon dilexerat puellam illam, quia pulchra erat, putauit quòd pulchritudine alterius pulchrioris placaret eum, & dixit: Habet ſororem, quæ eſt iunior & pulchrior. Quaſi dicat: Non triſteris quòd iſta oblata ſit, quia dabo tibi ſororem eius.* De caſtitatis iniuria inhoneſtum alteri filiæ ſolicitauerat gaudium, & de alterius pudore redimere conabatur periculum: vt videas qualis ſit aliquorum parentum erga filias amor, & quàm ſit, quod Seneca aiebat, verum: *Amor etiam aliquando nocet.*

87. Iob Struthionis ſtultitiam depingens, caſo ſtudio penulis refert inuolare exambientem, ad idque oua conculcanda, ac puluere ſordida deſertantem:

Iob. 39. v. 13. *Penna Struthionis ſimilis eſt pennis herodij, & accipitris; quando derelinquit oua ſua in terra, tu forſitan in puluere calefacies ea? Obliuiſcitur quòd pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat... priuauit enim eam Deus ſapientia, nec dedit illi intelligentiam; cùm tempus fuerit, in altum alas erigit.* Si ouis incubaret, alas non poſſet erigere: ergò vt ſuperbiens in aëra libraret pennam, ignominiæ tradit naturam. Gregorius Magnus lib. 31. moral. cap. 7. locum aliquorum parentum deprauatis moribus

Gregor. aptans ſic ait: *Quos in conuerſatione filios generant, derelinquunt, & omnino non curant, ne aut exhortationis ſolicitudine, aut diſciplinæ cuſtodia deſtitutos prauorum operum exempla peruertant: ſi enim oua, quæ gignunt, diligerent, nimirum metuerent, ne quis ea peruerſa opera demonſtrando calcaret.* Struthio, dum plumarum varietate, & volatus altitudine accipitrem, & herodium referre ſuperbiendo contendit ouorum deſpicit detrimentum, & conculcationis non curat probrum; imò affectat ignorantiam, ſi de filiorum dedecore inanem nanciſcatur volatus gloriam. Redeat datus Gregorius: *Obliuiſcitur etiam quòd beſtia agri conterat, nimirum ſi diabolus in hoc mundo ſæuiens editos filios rapiat.* Sæuitiæ furorique libidinis conculcanda permittit oua, vt inani gaudeat volatu, & occaſionem præbet ignominioſæ conculcationi receſſu. Iam alias reperias matres filiorum inſaniam exhibita pecunia fouentes, & amorem adulterantes; vt ſtultiſſimo, degenerique amori adulentur, non ſolùm permittunt vitia; ſed etiam promouent deſideria.

88. Michæ mater, quo erga illum amorem ſuum teſtaretur, pecuniam ſtudioſè collegit, eaque filij nutriuit inſaniam, & idololatriæ fouit amentiam:

Iudic. 17. v. 3. ipſam audi: *Conſecraui, & voui,* ait, *hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile, & nunc trado illud tibi.* Copioſam filio pecuniam tradidit ad idolum conſtruendum, & vitium Architectandum. En mater, quæ debuit filium ad virtutem monitis, & honeſtis præceptionibus informare, inuenta eſt aurum miniſtrando perniciosam ad idololatriam acuiſſe, & iniectis pecuniæ ſtimulis protitaſſe, non ſolùm paſſa eſt à filio idolum confici; ſed geſtiuit pecuniam ſceleri miniſtrare: quaſi viuidior tunc ſcintillaret amor, ſi luculentius adhibito auri pabulo

Lyra. ſtudioſiùs filij nutriretur inſanus furor: *Explicat modum voti ſui,* inquit Lyra: *ſic enim vouerat, quod de manu ſua argentum traderet filio, vt inde faceret fieri idolum.* O bonam matrem occaſionem criminibus concinnantem, & materiam ſceleribus ſuggerentem! Et vtinam huius prauitatis exemplum deteſtarentur omnes; ſed proh dolor! Sequuntur plures: vt filiis ad luxuriæ commercium, ad inſaniæ ſuffragium præbeant pecuniam, à maritis ſæpè aufferunt, & induſtriè hinc inde colligunt: quaſi tunc viuidior amoris ſcintillet flamma. ſic in filiorum gratiam ad vitia præbeant materiam.

Deus præcepto cauit, & Iſraëlitas admonuit, ne commixti gentibus deteſtanda illarum imitarentur 89.

ſtudia: *Quando diſperdiderit Dominus Deus tuus ante faciem tuam gentes, ad quas ingredieris poſſidendas, & poſſederis eas, atque habitaueris in terra earum: caue ne imiteris eas, poſtquam te fuerint introeunte ſubuerſæ, & requiras ceremonias earum, dicens: ſicut coluerunt gentes iſtæ Deos ſuos, ita & ego colam.* Deuteron. 12. v. 2.

Et ne aut conſcientiam corrumperent, aut inſcitiam affectarent, iam explicatiùs gentium abominationes refert: *Omnes enim abominationes, quas auerſatur Dominus, fecerunt Diis ſuis, offerentes filios, & filias, & comburentes igni.* Matres, quas filias filioſue fas eſſet ab igne arcere, inuentæ ſunt conſecrare: ipſi parentes inſufflabant ignem, cuius tetro fumo filiarum deturparetur venuſtas, & vreretur honeſtas. *Hic oſtenditur*, ſcribit Incognitus ad Pſalm. 105. *eorum praua voluntas, quæ ſcilicet ad tantum ſcelus à nullo coacti; ſed ſola libidine mala voluntatis deuenerunt: quod notat, cùm dicit, quòd fornicati ſunt in adinuentionibus ſuis, ſcilicet ſtudioſè, & cum magna diligentia in malis ab ipſis adinuentis.* Occaſiones filiis filiabuſque, quibus vſtularentur, ſolerter concinnabant, ingenioſèque perquirebant, quaſi tunc filios filiaſve impenſiùs diligerent, ſi ardentioribus flammis traderent. Incognit.

Pſaltes Pſalmo 105. parentes filiarum ſanguinem vitiis Litaſſe, & in hoſtias obtuliſſe dolenter 90.

deplorat: *Effuderunt ſanguinem innocentem, ſanguinem filiorum ſuorum, & filiarum ſuarum, quas ſacrificauerunt ſculptilibus Chanaam.* Pſal. 105. v. 38.

Sacrificabant ſculptilibus victimas, vt ex eis non modica pars ſacrificantibus eueniret. Ecquis hoc ait? Moyſes certè Deuteronom. 32. *Vbi ſunt Dij eorum, in quibus habebant fiduciam de quorum victimis comedebant adipes, & bibebant vinum libaminum?* Deuteron. 32. v. 37.

Filias offerebant, vt de oblatis & biberent & comederent. Filiarum comedebant ſanguinem, dum Baal litabant, ad litandumque excolebant: *Idolum quoddam,* ſcribit datus Incognitus, *nomine Baal fuit iuxta Ieruſalem ad radicem montis Mora, vbi erat vallis aquoſa, & deliciis plena, vbi ante per gentiles colebatur idolum Baal; in tantam autem amentiam deuenerant filij Iſraël, quod ritu gentilium idololatrando hoſtias & ſacrificia immolabant illi Idolo.* Incognit.

Ex huiuſmodi ſacrificiis pars offerenti obueniebat: ergo offerebant hoſtias ad Baalis delicias obſcuro quidem loco, & deteſtabili lucro: propudioſæ vtilitatis, & noxiæ commoditatis ſtudium vitium conſulebat, & ſacrificium accelerabat. Proh nefas! de ignominioſa filiæ hoſtia pœnitenda mater captabat lucra, & ſibi inhoneſta rapiebat commoda: obſcuro loco flagrabat libido luci ſemper aduerſa, & rationis lumini appoſita. Thamathæus ergo filiam tradidit, & Samſonem, qui eorum Sol interpretatur, prohibuit.

Digitized by Google

§. XXI.

Ea eſt peccatoris amentia, vt nouas timoris cauſas adlaboret intrementare, dum timorem geſtit depellere.

91. IN eam amentiam peccator aliquando prolapſus eſt, vt dum periculis diſcupit ſubuenire, periculorum cauſas inueniatur præter opinionem augere: de peruerſo nititur auxiliari diſcrimini, & ipſo remedio vires addit infirmitati. Accuſatus de adulterio Clodius ad noua, quibus defenderetur, confugit adulteria, & in criminis defenſionem deteriora excogitauit delicta. *Credat hoc quiſquam*, aiebat Seneca epiſt.97. *qui damnabatur vno adulterio, abſolutus eſt multis.* Multiplicauit ſupplicij cauſas, vt euaderet ſupplicij pœnas. Certè vt præſtigiis eluduntur oculi corporis, ſic etiam mentis: ad extinguendum ignem ligna iniicimus, & nouis flammam pabulis adipamus. Vt exiguum alleuemus timorem, grauioris cauſas innectimus, & ſtudiis noſtris opponimur. Diſceſſerat Samſon vxoris dolo exaſperatus, cùmque puella, eiúſque pater timore exagitati impendenti diſcrimini deſiderarent medelam, grauiorem addiderunt iniuriam, & promouerunt timoris cauſam: pater namque alteri filiam tradidit, & puella adulterium non reſpuit: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. Cùmque cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Secundum matrimonium, ſeu adulterium ad ſecuritatis ſubſidium excogitaſſe tradit Ambroſius lib.3. epiſtolarum, epiſt.23. *Qua indignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi ſibi futuram iuſtâ formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptias.... nec ſic tamen, præſento licèt coniugio, offenſionis periculum auertit*; imò inſipienter adauxit: Samſon namque acriùs honoris iniuriâ exulceratus, & propriæ vxoris congreſſu prohibitus ſic irâ efferbuit, vt maturas Philiſthinorum fruges aduſſerit, illorúmque iram ſic exulcerarit, vt pro frugibus aduſtis in patrem, vxorem, domum armarit: vſtulantibus tradiderunt flammis Philiſthini familiam, vt aduſtionis frugum & ipſi adurerent cauſam: *Stimulo iniuriæ exulceratus*, addit Ambroſius, *publicam excogitauit vltionem capeſſere domeſtica contumeliæ indignatione.* Deſiderabant Samſonis indignationem declinare, & inuenti ſunt vrgentiſſimis iniuriis augere: ipsâ medelâ exarſit ardentior ira: ea namque eſt ſceleribus obcæcati peccatoris amentia, vt de ipſo remedio nouas infirmitatis addiderit cauſas, & ſibi incrementarit miſerias. Nonnullæ fœminæ, vt paupertatis, famiſve timori occurrant, ad delicta confugiunt, quibus & honor ſordet, & ſalus perit. Nonnulli dum illicitis artibus honori conſulunt, honorem deſtruunt: quo pompam nutriant, aurum ſuffurantur, & ob furtum ſupplicio ignobili interimuntur. Attentè conſideranda eſt, quæ adhibeatur morbo medicina: contrariâ namque bellum inferemus ſaluti, & ſuppetias infirmitati.

Senca. / Ambroſ.

92. Ieroboam accepto regno, ne ad legitima ſacrificia populus confluens ab eo deficeret veritus, vitulos conſtruxit aureos noua throni fundamenta, & depellendo timori opportuna, vt putabat ipſe, ſubſidia: *Dixit Ieroboam in corde ſuo: Nunc reuertetur regnum ad domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem: & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam regem Iuda, interficientque me, & reuertentur ad eum.* Rex à Domino conſtitutus ſe regem non credidit; ſed Roboamum Dominum appellauit: veſano namque ſuperbiæ tumore maluit ſuis artibus regnum adſcribere, quàm ſe à Domino conſtitutum regem fateri: ergo ad iniquas artes accingitur, & vitulos aureos architectatur: *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem: ecce Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Vides ſolicitata timori ſubſidia, vide modò de ipſo ſubſidio ingentiſſima detrimenta: *Propter hanc cauſam*, inquit textus; *peccauit domus Ieroboam, & euerſa eſt, & deleta de ſuperficie terræ.* Quàm opportunum timori adhibuit remedium, quàm firmum ſceptro architectatus eſt fulcrum! eis ipſis artibus, quibus contra timorem ſe imprudenter armauit, iuſtiſſimè periit. Notauit Theodoretus quæſt. 41. *Miſer, & ter infelix iſte accepta poteſtate aggreſſus eſt eam habere humanis, & impiis artibus: cùm enim apud ſe cogitaſſet, quòd lex ſacrificiorum cogit omnes ire ad ciuitatem: aſcendentes autem inter ſe coniunguntur, & aliquando tentarent ſubiici regno Dauidico: conſtruxit duas iuuencas aureas, & impoſuit in terminis regni.* Dum improbis artibus molitur depuliſſe periculum, auxit, & ne eſſet infelix, euaſit infeliciſſimus: fulcire deſiderans coronam, amiſit & vitam. Præſtaret quidem de leuiori ærumna mederi grauiori, non de grauiori opitulari non adeò graui: regnum ſibi traditum conſeruaret prouidentia aduerſus fortunæ vultus, & aduerſariorum conatus; at dum inhoneſtis fulcris molitur fortunam ſtabilire, architectatus eſt euerſionem, & nunquam reparandam induxit calamitatem.

3 Reg. 12. v. 26. / Theodoret.

Iacob, cùm à matre adurgeretur ſtatum ſeruitutis euadere, & dignitatem fratri præripere, iuſtus & cordatus reſpondit: *Timeo, ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* Non adiens dignitatem inueniretur ſecundus, fratri ſubiectus, ſed plurimis antelatus; at ſi maledictionem incurrat, omnibus lugebit poſtpoſitus, & calamitatibus plenus: ergo dum fideli prudentiæ lance penſat ad ſubiectionem depellendam remedium, refugit vt calamitatis auctarium: nec ſibi perſuaſit pium dolum texere, donec à matre ſecuritatis accepit teſſeram, & induſtriam: nouerat prudentiſſimus iuuenis plures adeò cæcutire, vt ſuſpirantes augere pompam ſibi architectentur miſeriam: ergo doloſis ad ſpeciem artibus primatum detrectabat ambire, ne illi contingeret, multis maledictione poſtponi. *Timeo*, ſcribit Abulenſis ad hunc locum, *ne maledicat mihi: dignum enim eſt, quod filius, qui patri ſuo illudere vult, ab eo maledicatur pro benedictione; id eſt, loco benedictionis, quam ego poſtulo, inuenire maledictionem, quam ipſe daret.* Maluit ſecundi habere ſolatium, quàm primatum appetendo periculum: de culpæ vmbra, de ad ſpeciem irreuerentia non credebat poſſe calamitatem expungi; ſed nouis reditibus adaugeri. 93.

Geneſ.27. v.12. / Abulenſ.

Certè hanc in medicinas adhibendo infelicem imperitiam poſteri à primis parentibus trahunt: mulier ſerpentino ſibilo aures corrupta, & vanis promiſſionibus inflata malum cum oculo communicauit: de fructu tulit, & impatientiæ ſuæ participem 93.

cipem maritum fecit: ſe nudos agnouerunt, & exilio dignos, cúmque Deus voci lamento adſimili eos compellaſſet, ad latebras confugerunt,
Geneſ. 3. v.10. adhûc obedire renuentes, & detrectantes: *Vocem tuam audiui*, inquit Adam, *& timui, eo quòd nudus eſſem, & abſcondi me.* Ob inobedientiam timorem incurrerant, & vt timori ſubueniant, iterant inobedientiam: de abſentiâ Dei nudus, de longiori diſtantiâ nuditati patrocinatur, & calamitatis adaggerat cauſas, vt depellat calamitatis ærumnas. Inuenies plures, qui ad Dei voces obſurdeſcentes auro & ſalute nudantur, & nouâ ſurditate geſtiunt calamitatem ſubmouere, cùm verum ſit auxiliari. Ob præcepti violationem Adamus è paradiſo verebatur exilium, & ne ſubiret exilium, iterùm violabat mandatum, vt vi-
Pſal.48. v.13. deas quàm verum ſit, quod aiebat Pſaltes: *Comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis*: terroris námque nouas addendo cauſas opus erat multiplicare miſerias. *Illi*, aiebat Baſi-
Baſil. lius Seleucienſis orat. 3. *terrore perculſi ſeipſos transgreſſionis accuſatores ac teſtes exhibentes exilio ſuo ſuffragantur.* Oportebat humanæ imbecillitatis gnato, ex immenſóque amore compellandi plagam nuditatis oſtendere, & tranſgreſſionis vlceri ſubiectionis medicamenta apponere; verùm de ſerpentis alitu ſic obtuteſcebat prudentia, vt addendo plagam procurauerint medicinam. O quàm plures fœminæ Euam circumferunt! ob decerptum pomum nudæ ad vetitæ arboris folia manum iterum extendunt, & nouas nuditatis cauſas adiiciunt. Exilio ſuo ipſi tranſgreſſores ſuffragabantur, à Domino recedendo, & vmbroſis arboribus latitando.

---

§. XXII.

Grande beneficium eſt peccatorem calamitatibus premi, ſupplicium grande proſperitatibus fortunari.

95. I*Nter bonos viros ac Deum*, aiebat Seneca lib. de prouident.cap.1. *amicitia eſt conciliante virtute: amicitiam dico; imò etiam neceſſitudo, & ſimilitudo: quoniam quidem bonus ipſe tempore tantùm à Deo differt, diſcipulus eius, æmulatórque & vera progenies, quem parens ille magnificus virtutum non lenis exactor ſicut ſeueri patres, duriùs educat.* Hominis cum Deo ſimilitudo in virtutis officina elaboratur procuditúrque: ergo vt artifex runcinis, & ſcobinis, quod Dei ſimulactum effingere ſollicitat, expolit, & concinnat, ita Deus laboribus ac ærumnis ſui ſimulacrum efformat, & efformando nobilitat. Quem in delitiis habet, quem otiari, & laſciuire permittit, vernulam credideris, non amicum. Felices ſunt pœnæ, quæ ſequuntur peccatorem, quæ reuocant, quæ rationi reſtituunt. *Secunda pœna premunt*, aiebat Se-
Seneca. neca epiſt.97. *ac ſequuntur, timere ſemper, & expaueſcere, & ſecuritati diffidere: quare ego hoc*
Deus iuſtos ſeuerius educat. *ſupplicio nequitiam liberem? Quare non ſemper, illam in ſuſpenſo relinquam?* Effrænem libidinem acer timor, & ſalubris vetat languor: beneficium eſt inſanientem ſibi non relinquere; ſed vtiliſſimis vinculis illigare: nimis efferbuit Dei ira, ſi abſceſſit, & peccantem gaudiis permiſit: Samſonis vxor aut minis territa, aut promiſſionibus falſa quod blanditiis ſecretum à marito extorſerat, ſtatim conciuibus reſerauit: Samſon exaſperatus receſſit, & vxor poſt dolum alteri nupſit, & delitiis gaudiiſque vacauit. *Putaui*, aiebat pater, *quòd odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo.* Et cur odio putauit habitam? Quia poſt iniuriam nulla pœna vidit affectam. Profectò pater dum permitti gaudiis, delitiiſque vidit, odio & quidem ardentiſſimo habitam non imprudens exiſtimauit: ſi enim eam diligeret, ad pœnitentiam reuocaſſet, & laſciuientem vitulam laboribus edomuiſſet. Opportunè Abulenſis q. 2. *Iſtud* Abulenſ.
motiuum fuerat, principale patris: nam Samſon nimis iratus receſſerat de domo ſoceri. Receſſerat, & quidem vehementer iratus, dum doloſam non arguit; ſed dereliquit: flammis vſtulanda relicta eſt, quæ poſt dolum permittitur intrepidè perpetrare adulterium: meliùs de illa Samſon iudicaſſet ſi loco patientiæ laſciuientem timor frænaret, & inflicta pœna gemitus edoceret.

Sponſa delicatè innutrita, tenerè dilecta, ele- 96.
ganter exornata pro ingenij leuitate virum reliquit & amaſios, quæ rogari debuit impudenter ſolicitauit: *Vadam poſt amatores meos, qui dant panes* Oſeæ 2.
mihi. Sponſus ſpinas ei decernit, quibus in via v.5.
cruententur pedes dilacerati, & acri tribulorum dilaceratione impediti: *Ecce ego*, aiebat ſponſus, *ſepiam viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria.* Supplicium decreuit miſericordia, non iracundia: ſi minas ſpectes, ſi ſpinas, nimis cenſebis iratum; verùm ſi rem intimiùs inſpicias, tenerrimo amore non dubitabis affectum: ni enim tenerè dilexiſſet quibus impediret laſciuientis greſſus, tribulos non ſpargeret; ſed caris voluptatis fallaciis illuſam, & appetitus inſania furentem paruipendiſſet; at dum ærumnis reuocat, dum piè diſcruciat, tenerè fugientem amat. Huc voco Baſilium Seleucienſem
orat.12. *In ſuppliciorum comminatione plena commiſerationis inſunt verba: punitionis promiſſio, &* Baſil.
affectionis demonſtratio: oſoris vox, & mens miſerentis. Sata via ſpinis commiſerationem teſtabatur: nam qui tot tribulis recedentem ſollicitabat frænare, ad ſe diſcupiebat allicere; de odij vmbrâ, viuidior amoris reſplenduit flamma, & tribulos ſpargebat pia ſeueritas, non feruens ira. Dum dolor corripit, dum infirmitas angit, ad virum ſuum reuertitur, nec poſt amatores vagatur: *Vadam & reuertar ad virum meum priorem*: Tribulis lacerata reuerſa eſt, nec reuerſam reſpuit furor; ſed lactauit delicatiſſimè amor: *Ecce ego lactabo eam, & ducam eam in ſolitudinem, & loquar ad cor eius.* De ſpinarum aſperitate venuſtiſſimæ pœnitudinis ac ruboris roſæ pullularunt, quarum fragantia libidinis effugauit fœtorem, & ornauit redeuntem. In viâ cruentas ſparſit amor ſpinas; ne in termino iuſtus furor eiacularetur ardentiſſimas flammas: lactare voluit, qui tribulis lacerauit minùs amaſſet, ſi recedentem dolore non repreſſiſſet: *Sepiam viam tuam ſpinis. Erat oſoris vox, & mens miſerentis.*

Deliquit Adamus, & Cain patris exemplum 97.
ſecutus eſt: alter ambitione inſaniuit, alter ira inſaniſſima efferbuit: feræ ad inſtar germanum Cainus ſanguinem fudit, & feritatem ſupergreſſus orco ianuam aperuit. Quid tunc? Adamum Deus de originis loco exterminat, & duris ingrati agri laboribus tradit: *Emiſit eum Dominus de pa-* Geneſ 3.
radiſo voluptatis, vt operaretur terram, de quâ v.23.
ſumptus eſt; Cainum verò Eden plagam delitiis plenam non vetat inhabitare: *Egreſſus Cain à*

Digitized by Google

Geneſ.4. v.16. *facie Domini habitauit profugus in terrâ ad orientalem plagam Eden.* A meritis ſententiam cenſeas diſcordare, quandoquidem homicida deliciis non interdicitur, & vxori obediens duris laboribus amandatur. Mitiùs certè videtur Deus ſe geſiſſe cum Caino, duriùs cum Adamo: Adamus namque de voluptatis loco exul luget pellitus & ærumnoſus; Cainus verò, quo liberiùs vita & deliciis fruatur, teſſera contra infortunium munitur. Ita ſanè; verùm ipſa ſententiæ diuerſitas Adamum meliori paradiſo reſtituendum, Cainum verò flammis damnandum clariſſimè teſtabatur: dum enim Cainus voluptatibus circumfuſus perpetrati ſceleris incautam ſubit obliuionem, ſalubrem non arripit pœnitudinem; at Adamus dum pellitus ſordet, dum diuexatus ærumnis luget, antiquæ felicitatis memoriam repetit, & exilij occaſionem odit: ſic factum eſt, vt alter Dei imaginem doloris penicillo reſculpſerit, & alter deliciarum fumo Iſidor. obſcurarit. Audi Iſidorum in Geneſ. cap. 6. *Qui diuerſis erroribus contumaces ſunt reſiſtendo veritati: exeunt à facie Dei, id eſt, à miſericordia dilectionis eius, vel à participatione lucis eius.* Subdit Eden interpretationem: *Eden interpretatur epulatio, vbi eſt plantatus paradiſus.* Iucundè Cainus epulabatur, liberè fruebatur deliciis; carebat tamen Dei beneuolentiâ, & gratiâ: Adamum flammeus deterret gladius; ſed dum animo incutiebat terrorem, & menti afferebat lucem.

98. Dauid ſub querelæ ſpecie Deo gratias agit, quòd illum laboribus expoliuerit, & ad ſaniorem mentem reduxerit: *Quoniam die ac nocte grauata eſt* Pſal.31.v.4 *ſuper me manus tua, conuerſus ſum in ærumna mea, dum configitur ſpina. Delictum meum cognitum tibi feci, & iniuſtitiam meam non abſcondi. Dixi: Confitebor aduerſum me iniuſtitiam meam Domino, & tu remiſiſti impietatem peccati mei.* Voluptas in ſpinam verſa eſt: ergo vt qui ſpinæ carni immixtæ acri morſu laceratus indagare, & eruere curat ſollicitus: ita Dauid dolore adustus ſpinam anxiâ indagauit ſollicitudine, & foràs eduxit flebili con-Euthym. feſſione. Opportunè Euthymius ad hunc locum: *Hæc eſt clamoris cauſa: manum hic ponit pro puniendi potentia: manu enim caſtigare ſolemus; quę grauata eſt, hoc eſt, grauiter delata: die verò ac nocte dixit pro perpetuo: peccatum ſpinam appellat.* Adiicit: *Ne obmurmurare propheta aduerſus Deum videatur, ſermonem mutat, & exponit, quomodo miſericordiam à Deo conſecutus ſit.* Spinis terebrare, manu potenti ferire, candens erat ad ſpeciem iræ; ſed reuera indulgens miſericordia: ſi enim Dauid nullo dolore afficeretur, animum fortè duraſſet, & noua ſcelera commiſiſſet; at dum dulcedo in amaritudinem, dum roſa illi in ſpinam conuerſa eſt, dolori quæſiuit medicamentum, & confeſſionis inuenit pharmacum. Quàm erat ſalubris ſpina, quæ delicti ingenerabat horrorem, & afferebat vtilem anxietatem. O miſeros, quibus peccati ſpina venuſta videtur roſa: nam dum fallaci, euanidáque pulchritudine allicit viſum, & aufert ſenſum: *Exponit quomodo miſericordiam à Deo conſecutus ſit*, manu ſcilicet graui punitus, & punitione detentus.

§. XXIII.

Nonnulli dum violata fœdantur lege, ſibi blandiuntur aliqua adhibita deuotione.

Legum obſeruantia omnis querela compeſcitur, & optandæ tranquillitatis aditus aperitur: qui legibus irreuerentiam intulit, ſe ærumnis plurimis dedicauit; verùm nonnulli repugnantes carnis mentiſque leges ſatagunt in concordiam reducere, & artificio fallaciſſimo concordare: affectant deuotionem, vt conſcientiam ſopiant; adulterant leges, vt appetitibus ſatisfaciant. Itaque vt delinquentes pecunia, aliiſque officiis ſubornant Iudices, ne delicta reprehendant; ſed oculis cæcis tranſeant, ſic iſti ad deuotionem confugiunt, qua ſubornatur conſcientiam, ne nimis vrgeat, & delicta acriter reprehendat. *In ſpe viuentibus*, aiebat Seneca epiſtol. 101. *proximum quoque tempus elabitur, ſubitque auiditas.* Spem nonnulli ſibi à deuotione nanciſcuntur, quo tempus minori conſcientiæ morſu auiditati impendatur: nolunt equitatis ſuſtinere querelas, nec relinquere legis iniurias: ergo huius implacabilis litis ſic controuerſiam componunt: adulterant Salomonis iudicium, & iniquo cultro ſic animum diuidunt, vt aliquid tribuerint deuotioni, & aliquid prauitati, ſicque ſibi promittunt omnem declinaturos querelam, & aduerſantes ſibi partes reducturos in aliqualem concordiam. Thamnathæus filiam, quæ Samſoni nupſerat, amico tribuerat, vtque alterius tãeteret cauſam, & alterius iuſtam ſopiret indignationem, ſororem obtulit Samſoni nec debitam, nec promiſſam: *Cùm cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quod odiſſes eam; & ideo tradidi illam amico tuo; ſed habet ſororem, quæ iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor.* Reddere vxorem renuit; ſed ne nimis Samſon indignaretur, ſororem promiſit volens de vltro oblata emollire querelam; & de iniuſtè tradita proſequi iniuriam: violabat legem; ſed demulcebat officiis indignationem. Opportunè Abulenſ. q. 3. *Samſon conqueſtus fuit valdè de hoc, vt patet infrà: videns pater vxoris Samſonis quòd offendiſſet nimis Samſonem, voluit eum placare, & quia Samſon dilexerat puellam illam, quia pulchra erat, putauit quòd pulchritudine alterius pulchrioris placaret eum.* Nolebat iniuſtum reſcindere adulterij contractum, & Samſonis verebatur ſupercilium: ergo votiua pulchritudine illum placare aggreditur, dum implere legem renititur. O quàm miris hiſtoriæ coloribus, quòd noſtro animo accidit, adumbratur! legem corrumpimus, voluptatem ſequimur, & ne conſcientia rigidis nos querelis adurgeat, de erogatâ eleemoſyna, de ieiunio hac aut illa die culto, de horario recitato iurgium imprudenter placare aggredimur. 99.

Senec. De ſpei fallacia tempus deſpicitur, & elabitur.

Abulenſ.

100. Procacem impudicámque adulteram deſcribit Salomon eodem tempore victimas votáque offerentem, & matrimonium violantem: *Apprehenſum deoſculatur iuuenem, & procaci vultu blanditur dicens: victimas pro ſalute voui, hodiè reddidi vota mea.* Vides coniungentem legis offenſam, & pietatis victimam: conſcientiam molitur victimis placare

Prou 7. v.14.

placare, quo liberiùs poſſit voluptati indulgere: ne impediatur voluptatis vſus, votiuis ſacrificiis lenitur conſcientiæ metus. Itaque ipſa deuotio deſeruiebat libidini, dum aliquomodo medebatur timori. Ianſen. *Mira arte*, inquit Ianſen. ad hunc locum, *& religionis ſtudium, & ſummum amorem ſimulat, & ad dulcia grataque natura inuitat, & maximam ſecuritatem promittit.* De victimis ſecuritatem ſibi promittit, angores ſopiens conſcientiæ, vt ardores viuidiùs inſufflaret luxuriæ. Meretrices fœdæ voluptatis victimæ Sabbathis ſolent ieiunare, alicuius Sancti celebrare feſtum, in obſequium virginis eleemoſynam dilargiri; non tamen viuntur deuotione ad expungendam culpam; ſed pietatem adulterant ad illudendam conſcientiam.

101. Nabuchodonoſor, dum proceram ſe arborem intuetur, vmbra animalibus beſtiiſque patrocinatur copioſa miniſtrans alimenta, & ſimul cœleſtibus volucribus præbebat cibos, & habitacula: Daniel.4. v.9. *Subter eam habitabant animalia & beſtiæ.* Primum huius arboris ſtudium erat animalia ſaporatis fructibus innutrire, opiparè beſtias alere; verùm ne totum prodigere videretur, volucribus nidulos ramis offerebat, & pabula miniſtrabat. *In ramis eius conuerſabantur volucres Cæli, & ex ea veſcebatur omnis caro.* Ad mores viſionem adaptans Richard. in alleg. Tilman. in volucribus homines ſpirituales intelligit, in animalibus voluptati prorsùs deditos Richard & carnales: ipſum audi: *Per volucres accipe ſpirituales ſtudiorum bonorum, & ſanctorum deſideriorum alis ad cœleſtia volantes, per animalia intelligimus mentes voluptati deditas.* Oppoſita in hac arbore videas conuenire, auium conuerſationem, & beſtialem voluptatem: præbet auibus nidulos, quibus viuant; ſed vt ſic de eleemoſinæ confidentiâ exundantium fructuum copiam pendat brutalitati, & dilargiatur libidini: Et quidem quod in Nabuchodonoſore fuit ſomnium, à pluribus animaduertes exercitum: cum viris religioſis amicitiam contrahunt, cum eis conuerſantur, eleemoſynas elargiuntur; ſed hoc totum eſt, vt quietè dormiant, & extenuato conſcientiæ morſu alimenta brutis impendant. Itaque ipſis eleemoſinis negotium gerunt luxuriæ, & deuotione ipſa cauſam agunt incontinentiæ.

102. Zachæus ante Chriſti hoſpitium à ſe, vt placet Luc.19.v.8. aliquibus piè exercita ſic retulit: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus, & ſi quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum.* En defraudans eleemoſynas impendebat: ſatius eſſet nil pauperibus impertire, & à poſſeſſoribus nihil rapere; verum cupiditate obcæcatus de eleemoſynis ſanctificare moliebatur rapinam, & ſopire ſatagebat conſcientiam: quaſi liceret rapere, dum eleemoſynam conſtaret pauperibus exhiberi: aliî pauperes erāt illi refugij ciuitas, ſeque tuebatur miſericordię patrocinio, ne conſciētiæ adurgeretur tormento: non erat adeò proiectæ audaciæ, vitæque ex legis, vt conſcientiæ monita prorſus ſperneret, nec erat adeò auaritiæ expers, vt aliena non cuperet: ergo de malignitatis ingenio hāc ſibi eſt architectatus concordiam, videlicet eleemoſynam dilargiri, & rapinis inhiare: pietatis colore voces ſopiebat conſcientiæ, & ſimul ſtudebat rapinæ. Huc voco quod aiebat Chryſologus ſerm. 54. Chryſol. *Vt dando diripit.* Vt plus diripiat, dat: quaſi eleemoſyna furandi emerit priuilegium, & compeſcuerit legis ſupplicium. Addit: *De fraude Deo offert, cumulat crimina, non emundat.* Vides ad criminum commulum ſpectaſſe eleemoſynæ erogationem, & detorqueri virtutis opus cupiditatis ad ſeruitutem. Nec ſolùm has excogitauit artes gentilis; ſed imitatus eſt Phariſæus.

Legis peritus Deo opprobraturus templum inſcendit, cúmque Phariſæos viduarū conſtet domos diſpoliaſſe, teſtante Domino: *Væ vobis ſcribæ & Phariſæi hypocritæ: quia comeditis domos viduarū*: quis dubitet illorum ex grege iſtum fuiſſe? Iam 103. Matth.23. v.14. Deo loco proximus & animo alienus quid dixerit, audi: *Ieiuno bis in Sabbato, decimas do omnium quæ poſſideo*: cum decimis & ieiuniis rapacitatem coniungebat; imò vt occaſionem rapiendi haberet, ieiunabat: ni ieiuniis ſanctitatem mentiretur, ad viduarum domos aditus non pateret: ergo pro hamo vtebatur ieiunio, ſibi perſuadens virtutibus effulgere: quia etſi raperet, ieiunarit. Prodeſt Baſilius Seleucienſis orat. 35. Luc.18. v.12. *Ieiunij cum ſuperbia copulati emolumentum nullum: ſuperuacanea virginitas ſuperbiæ ſorde inquinata: iuſtitiam Deus aueſatur faſtui ſeruientem.* Baſil. Ingenioſè dixit: *Faſtui ſeruientem*: Phariſæus namque ſtultè ſibi plaudebat, dum virtutem ſolùm inſeruientem faſtui oſtentabat. Itaque ieiunium erat ſuperbiæ fomentum, auaritiæ auxilium, & cupiditatis ſuffragium. Vt videas quàm ſit vera noſtra theſis, nonnullos videlicet, vt legem violat, à deuotione ſuppetias ferre, & conſcientiam fucata deuotione ſopire. Concludat Seneca theſim: *Non pudet*, inquit lib. 1. de ira cap. 10. *virtutes in clientelam vitiorum demittere.* Quid certius?

---

§. XXIV.

Qui carnis gerit negotium, grande luci, prudentiaque appoſuit impedimentum.

PHilo lib. quod Deus ſit immutabilis, diſertè aiebat: *Non ſunt in rebus duo tam contraria quàm voluptas carnalis & ſcientia.* 104. Philo. Vt tetro fumo impetitus oculorum tenebratur obtutus, nec de coloribus ſententiam fert legitimam obſcuratus; ita mentis oculus exhalatis à libidine caliginibus ſic impeditur, vt veritatem deprauet, & prudentiam adulteret. Tritum fuit apud antiquos Prouerbium: *Amare, & ſapere vix Deo conceditur*: quo ſignificabant, quanta ſit affectionis, ſi cum ſapientia pugnet, violentia. Et quidem toto ſolis iubare Chriſti Domini facies reluxit teſtante Matthæo: *Reſplenduit facies eius ſicut ſol*, & viuido Matth.17. v.2. adeò opus fuit ſplendore ad luxuriæ tenebras depellendas, & confuſas prodigi filij noctes illuſtrandas: terris adeò luxuriæ tenebris obſcurabatur, vt accurrentem patrem non viderit, quouſque pater ipſe tenebras venientis fugarit: *Vidit illum pater ipſius*; non ille patrem, ſed pater illum. Quod ſic expendit Chryſol. ſerm. 3. Chryſol. *Pater vidit illum, vt & ille patrem poſſit attendere: patris viſus illuſtrauit filij venientis aſpectum, vt tota fugaretur obſcuritas, quæ circumfuſa fuerat de reatu: non ſunt tales tenebræ noctis, quales illæ ſunt, quæ de confuſione veniunt peccatorum*: vitiorum vernula carebat oculis, & ni pater radiis ſolaribus in tenebras militaſſet, filius patrem non vidiſſet: Eſt namque luxuria luminis obſtaculum, prudentiæ exilium, vitium corporis animique naufragium. Audi Galenum lib. 2. de ſanitate tuenda: *Si vo-* Galenus.

luptate

Digitized by Google

luptate eſt à malorum ad congreſſum non ductu naturæ impellamur, futurum profectò eſt, vt non corporis modo, ſed animi vires frangantur. Vt ſine eſca ſuſtentari nequit vita, vtque ingeſto pabulo fouetur, & innutritur; ita vitia ſine voluptate, quæ illorum eſt eſca, pereunt & deficiunt; ſi tamen noxio hoc alimento ſanguinentur, eorum ſangina debilitas eſt prudentiæ. Samſonis vxor alij traditur, cúmque ille repeteret, ab ipſo puellæ patre prohibetur: ſic è mentis, arce prudentia deturbabatur, vt cenſuerit marito non reddendam; ſed mœcho filiam impudenter aſſeruandam. *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hædum de capris. Cúmque cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quod odiſſes eam, & ideo tradidi illam amico tuo.* Quid ſtultius, quàm Samſonem impedire, & calamitatem ſibi impediendo procreare? Ea tamen erat vitij cæcitas, vt vxor auerſaretur Samſonem, & pater filiæ tueretur delirium, & foueret adulterium. Iam ſi quid Samſon præferat nomine, inquiras: reſpondebit Hugo Cardinalis Hugo. ad Iudic. 14. interpretari ſolem: *Samſon ſol eorum interpretatur.* Ecce in Thamnatha, vbi carnis gerebantur negotia, ea luci apponebantur obſtacula vt nec ipſe ſol depulerit cæcas tenebras, & tenebroſas luxuriæ inſanias: *Vbi res prodita*, inquit Ambroſ. Ambroſ. lib. 3. epiſtol. epiſt. 23. *volenti ad coniugem redire interclusa copia, quod pater eam alij viro nupſiſſe diceret.* Luci copia intercluſa eſt: nec enim frui poterat luce, quæ inſanæ indulgebat libidini.

105. Pſal. 57. v. 9 *Superceeidit ignis*, aiebat Pſaltes, *& non viderunt ſolem.* Magna cum cæcitate huic igni cognatio eſt, ipſo quo animum noxiè inflammat, rationis mentem obcæcat: Non ſolùm die iam aduesperaſcente dubiam non intuetur luxuria lucem ſed nec meridianum candidiſſimum ſplendorem. Galen. O quàm benè aiebat datus Galen. *Frequens Venus corporis habitum ſoluit, ſenectutem accelerat, canos maturat, ſenſuum hebetudinem, mentis torporem facit.* Mentem hebetat, rationem eneruat, prudentiam eneruat, & omnes vires ſuppurat. Huc voco quod ad illa verba Pſalmi 105. Factum Incognit. eſt illis in ſcandalum, aiebat Incognitus: *illa ſeruitus inducit mentis fœditatem, culpæ pronitatem, mentis cæcitatem, pœnæ calamitatem: primum patet, quoniam feruens immunditiis carnalibus, etſi maculat corpus, multò fortius mentem.* Mentis penè extinguunt lucem, conſcientiæ eripiunt vocem, cordi ingerunt hebetudinem commercia carnis, & delitia exoculatæ libidinis.

106. Dauid Thecuitis ſermonem, quantumvis velatum, ingenij perſpicientiâ percalluit: Nathanis Pſal. 39. v. 13. ænigma non nouit: cuius rationem ipſe Pſalmo 39. reddidit: *Comprehenderunt me*, inquit, *iniquitates meæ, & non potui, vt viderem. Multiplicatæ ſunt ſuper capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Huius verſiculi penitiorem hunc eſſe Chryſol. ſenſum tradit datus ſuprà Chryſolog. *Audi prophetam dicentem: Comprehenderunt me iniquitates meæ, & non potui videre. Et alibi: Iniquitates meæ grauatæ ſunt ſuper me. Et pòſt: Et lumen oculorum meorum non eſt mecum. Nox ſepelit heſternum lumen, peccata ſenſum, animum, membra confundunt.* Vt nox oppanſis tenebris, etſi oculorum lumen non euacuet, perſpicientiæ exercitio mulctat: ita libido terra mentis nox ſic lucem exterminat, ſic rationis extinguit diem, vt nil videre permittat. Vidit Dauid, à quo ille Thecuitis arcanus ſermo emanarit; non tamen calluit, quid prophetæ innueret parabola, aut ænigmatica indicaret querela; nec mirum: nam dum propheta propoſuit ænigma, addicebatur intemperantiæ; cùm Thecuitis, expurgatus animus luce illuſtrabatur prudentiæ. Obbruteſcit Veneris vernula, & à ſe migrat expuncta, aut ſaltem interſtincta oculorum perſpicientia. Ex Plinio refert Heruet. in comment. lib. 2. pædagog. damnatam Venerem à Democrito, vtpotè cuius faſcino hominis ratio langueſceret; imò penè interſtincta periret. Heruetum audi: *Venerem, inquit Plinius, damnauit* Heruet. *Democritus, vt in qua homo exiliret ex homine.* Tranſit ſalax ab homine in brutum; imò interſtitio rationis indicto ipſa bruta imprudentiâ videtur excellere, & amentibus actionibus anteire.

Salomon equo indomito comparauit libidinoſum: *Flagellum equo, & camus aſino, & virga in dorſo imprudentium.* Clemens Alexandr. lib. 2. pædagog cap. 10. ſic vertit: *Parantur intemperantibus flagella, & ſupplicia humeris inſipientium.* In- Prouerb. 26. v. 3. ſipientes vocauit intemperantes, vt quorum pars cum brutis ſit ponenda, & quorum mens extra prudentiæ, ac rationis regnum exterminanda. *Tyrannidem* (verba ſunt Clementis) *obtinet cupiditas.* Adnectitque: *Dicit autem ſcriptura: Pa-* Clem. Alex. *rantur intemperantibus flagella, & ſupplicia humeris inſipientium, vim intemperantiæ, conſtantemquè & intenſam tolerantiam inſipientium vocans humeros.* O quàm indigent validiſſimis humeris huiuſcemodi inſipientes! Solùm namque nouerunt ſibi turbulentas calamitatum procellas aſciſcere, cùm rationis gubernaculo carentes neſciant euadere. 107.

D. Ioannes abyſſi intuetur puteum, ex quo teter 108. adeò fumus exhalabatur, vt ſolis lux intempeſtiua noctè decumberet, & aër fœdis caliginibus exundaret: *Aſcendit fumus putei ſicut fumus fornacis* Apoc. 9. v. 3. *magnæ, & obſcuratus eſt. Sol & aër de fumo putei.* Fumus viam locuſtis fecit; imò locuſtarum præludium fuit: *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram... & habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes earum ſicut dentes leonum erant.* Cum muliebri mollitie ferina coniungebatur ſæuitia, & quas capillus irruſatus & comptus aſſerebat humanas, leonini dentes teſtabantur carniuoras feras. Perſcrutari placet, quid locuſtis cum ſolari eclipſi? Quid cum caligine? Proſiliant locuſtæ in terram; ſed oculi non mulctentur lumine, nec viduetur Sol ſplendore. O profundam nobis eruditionem! In locuſtis leoninos dentes abſcondentibus, & croceis capillis homines prolectantibus libidinem deſignari non dubium: ergo adeò luci aduerſatur luxuria, vt locuſtæ terrum ſecum attulerint fumum quo Solis lux deturpetur, & oculus impeditus claudatur: *Ad alta ſaliunt*, aiebat Richard. Reihard. apud gloſſ. de his locuſtis, *per elationem, & ad terram recidunt per cupiditatem.* Opportuniùs ibi Rupertus: *Sicut fumus non niſi ex ſubiacente* Rupert. *igne fit, ſic non niſi ex præcedente causâ cupiditatis ſiue concupiſcentiæ naſcitur cæcitas mentis, ſiue obſcuratio cordis inſipientis.* Fumo armata inuolat locuſta, quæ niſi lucem deturparit, cara blandimenta, & impendioſa gaudia nullatenùs perſuadebit. Certè fumus, dum oculos pungens, lachrymas elicit, & claudit: ergo locuſta fumum exhalat, quo eliciat gemitum, & claudat oculum: nunquam intercedit diuortium inter tenebras, & locuſtas: nam de libidinis fornace eodem tempore

teter

Digitized by Google

teter fumus exhalatur, & locuſta peſtifera egreditur: *Ex præcedente cauſâ concupiſcentiæ naſcitur cæcitas mentis.* Quid verius, & vſitatius?

§. XXV.

Grauius eſt errorem excuſare, aut defendere, quàm committere.

109. ERror aliquando ignorantiæ proles eſt, erroris tamen tutela culpam aggrauat, & patientiam acriùs irritat: qui deliquit, poteſt ad ignorantiæ confugere patrocinium: nullum habet, qui defendit culpam effugium. Hunc de protoparente errorem hauſerunt homines: (Geneſ. 3. v. 12.) *Mulier*, aiebat ille, *quam dediſti mihi ſociam, dedit mihi de ligno, & comedi.* (Chryſoſt.) Ad quæ Chryſoſtom. ibi: *Videntur hæc quidem defenſionem quamdam præ ſe ferre; ſed prorſus veniâ carent.* Ad defenſionem accurrimus; vt errores alleuemus; verùm ipſâ defenſione aggrauamus: non extenuatur mala defenſione culpa, ſed procax innoteſcit ſuperbia, & contumax offendit procacia. Reliquerat Samſon iuſtâ indignatione exaſperatus fraudulentam ſponſam: cúmque pater immaturè, inconſulteque alteri tradidiſſet, deferuente iam irâ cùm vxore Samſon redire vellet in gratiam, ad vxoris cubiculum intrare prohibuit, & commiſſum errorem proſecutus defendit: *Cùm cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quod odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Fatetur ſe errore deceptum filiam alteri tradidiſſe, cúmque oporteret Samſoni vxorem reddere, & ſententiam retractare, ſecundum matrimonium; imò adulterium tutatus eſt. Quid tunc? *Ab hac die*, inquit Samſon, *non erit culpa in me contrà Philiſthæos: faciam enim vobis mala.* Non ait, à traditionis die non erit in me culpa; ſed, ab hac die, eà videlicet, qua pater errorem ad pœnitudinem non agnouit; ſed culpam ingrauando obſtinatione defendit: viuidiùs Samſonis exacuit iram criminis defenſio, quàm perpetratio. Si pater vxorem amico traditam redderet, Samſon iniuriam diſſimulaſſet, & in gratiam rediiſſet; pater ſecundi matrimonij nymphagogus grauiſſima, quæ poſteà incurrit, ſupplicia vitaſſet, ſi agnitione culpæ iræ occurriſſet; at dum prohibet; dum ſcelus defendit, indignationis flammas, quibus exuratur, accendit: grauiùs illi infortunium peperit culpam tueri, quàm perpetrare: *Cùm Samſon vellet intrare ad puellam, vt ad vxorem ſuam*, (Abulenſ.) inquit Abulenſis q. 2. *pater vidit quod errauerat tradens eam alteri viro: ideò cœpit ſe excuſare dicens: Putaui quod odiſſes eam.* Excuſatio acrem prouocauit vindictam: culpa, ni excuſata, euaderet fortè pœnam.

110. Iob, quem de peccatis commiſſis dolorem grauiſſimum ſuſtinebat, de non excuſatis quadamtenus alleuabat: (Iob. 31. v. 33.) *Si abſcondi quaſi homo peccatum meum; & celaui in ſinu meo iniquitatem meam.* Vt homo deliquit; ſed vt prudens non abſcondit, nec variis excuſationibus colorauit: nouerat vir ſanctiſſimus culpam de excuſatione adaugeri, & offenſi acriùs indignationem excuſatione ſæuire: ergo de humili confeſſione quæſiuit medicamentum, ne de quæſito colore incrementaret ſupplicium. (Gregor.) Quod ingenioſè expendebat Gregor. lib. 4. Moral. cap. 9. *Hæc ſunt vera humilitatis teſtimonia & iniquitatem ſuam quemque cognoſcere, & cognitam voce confeſſionis aperire; at contra vſitatum humani generis vitium eſt, & latendo peccatum committere, & commiſſum negando abſcondere, & conuictum defendendo multiplicare.* Defenſio culpam non alleuat; ſed multiplicat: nam quod præſumpta imminuebat ignorantia, adauget defenſionis inſolentia.

111. Dominus ſororum precibus prouocatus, & gemitibus allectus demortuo Lazaro vitam refuſurus aduenit: cúmque ipſo in tumulo latentem à mortis vinculis quiuerit expedire iuſſit elocari lapidem, & veluti ſepulchri partum faſciis ſepulchralibus illigatum prodire: (Luc. 11. v. 39.) *Tollite lapidem.* Non oberat ſaxum aduolutum; ſed reuolutum erat myſterium: quaſi mors plus vitæ reſiſteret tecta, quàm vermibus obarmata: *Statim prodiit, qui fuerat mortuus, ligatus pedes, & manus inſtitis, & facies illius ſudario erat ligata.* Prodeuntis vincula abſoluit, & abire abſolutum conceſſit: *Soluite eum, & ſinite abire.* Componamus, ſi placet, hanc cum protoparentis ſtrage: deliteſcebat ille condenſæ arboris latebris; ſed Dominus in lucem imperio traxit; non tamen illæſum abire permiſit; imò pellitum duris agri laboribus condemnauit: (Geneſ. 3. v. 24.) *Eiecit Adam.* Vides Adamum eiectum, & Lazarum libertate donatum: cúmque iſte peccatorem gerat, & quidem peccatis grauiſſimis illigatum, iuuat inquirere, cur alteri Dominus laborem non iniunxerit, & alteri iniunxerit anxietatem? Iuuat inter alios datus ſuprà Gregorius, eam ait inter Adamum, Lazarúmque interceſſiſſe differentiam, vt Lazarus non recuſauerit ignominiam ſuam oſtendere, cùm Adamus niſus fuerit variis excuſationibus colorare: (Gregor.) *Sibimet ipſi iam parcere renuit, qui malum non erubeſcit confiteri, quod fecit, & qui defendendo accuſari potuit accuſando ſe celerrime defendit: vnde & mortuo Lazaro, qui mole magna premebatur, nequaquam dicitur, reuiuiſce; ſed, veni foras; ex qua ſcilicet reſurrectione, quæ geſta in illius eſt corpore, ſignatur qualiter nos reſuſcitemur in corde.* Vt peccatoris reſurrectionem in demortui Lazari reſurrectione Dominus edoceret, non dixit, reuiuiſce; ſed, veni foras: nam dum foras prodeundo vincula non occultat, ad miſericordiam prolectat, dúmque mortis excuſationem non prætendit, vincula faciliùs diſrumpit; at protolapſus ad excuſationis recurrens patrocinium, adauxit ſibi tormentum. Attentiùs audi Gregor. *Mortuo, veni foras, dicitur, vt ab excuſatione, atque occultatione peccati ad accuſationem ſuam ore proprio exire prouocetur.* Dum alter elegit confeſſionis humilis patrocinium, & alter ſuperbæ defenſionis ſolatium, nobis oſtenderunt quam noceat ad excuſationis opaca recurrere quámque iuuet ad aperta confeſſionis inuolare. Ecce Adamus pellitus orbi, vt metallo addicitur, cùm Lazarus abſolutus vinculis ingenuâ libertate donetur.

112. Ionas non bonus pietatis adminiſter, dum imprudenter honori conſulit, fugámque arripit, ne mendacij denigretur ſuſpicione, aduerſatur honori criminis veritate: maluit quàm retractare ſententiam, belluinam ſuſtinere ſentinam; ea tamen fuit Numinis pietas, vt illæſum prorſus è belluæ faucibus educeret, lucique reſtitueret: ad eius voces Niniuitarum ſurditas euanuit, & armati pœnitudine intentatum eluſerunt ſupplicium. Quid tunc? Propheta arreptam fugam quodammodò defendit

Digitized by Google

Ionæ 4. v. 2. defendit, & errori ſi fas eſt dicere, plauſit: *Dixit Obſecro Domine, nunquid non eſt hoc verbum meum cùm adhuc eſſem in terra mea? Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharſis.* Dum arreptam approbat fugam, duriorem ſubit ſententiam, & qui anteà fluctibus merſus, nunc æſtuat candentiſſimis ſolis ardoribus vſtulatus. En qui in mari euaſerat periculum, in terra vſque ad mortem ſuſtinuit æſtum: *Percuſſit Sol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur, & dixit: Melius eſt mihi mori, quàm viuere.* Solaribus repercuſſus flammis parum abfuit, quin animam ageret ſolo, qui animum non deſponderat ſalo. Perſcrutemur, ſi placet, cur poſt euaſum naufragium, durius ad ſpeciem in terra ſubeat ſupplicium? Certè anteà inconſulta fuga mandatum extrahere nitebatur, modò præceptis, etſi reluctanter, obſequitur: cur ergo grauior adurgeat pœna, quem non arguit pertinacia? Quia modò Ionas, inquit Hugo, quam arripuerat fugam approbat, non condemnat: *Propter hoc præoccupaui, vt fugerem in Tharſis.* Ergo ob tutelam ardentiorem pertulit flammam: quaſi leuius fuerit honori attendiſſe fugiendo, quàm fugam excuſationibus colorando. Audi Hugonem Charenſem ad hunc locum: Hugo. *Obſecro Domine. Pro hoc in Hebræo habetur Anna, quæ eſt interiectio blandientis: blandiendo igitur incipit: quia ſe iuſtè fugiſſe, & Dominum quodammodò iniuſtitiæ videtur velle arguere.* Ardentiſſimas ſibi flammas accendit fugam defendendo, qui culpam non tulerat perpetrando: vt hinc noſcas, quàm iram moueat imprudens erroris tutela, & quam de patrocinio ingraueſcat culpa. A die, qua vxoris pater errorem defendit, vehementer exacerbatus Samſon flammis terram adurere cogitauit: quod & perfecit.

§. XXVI.

Suſpicio & temeritatis audacia homini quodammodò ſunt cocua.

113 EX leui, & fallaciſſima coniectura abſtruſiora venamur, & quaſi manifeſtè paterent oculis, fixè ſuſpicionibus adhæremus: Seneca. *ſuſpicio, & coniectura*, aiebat Seneca lib. 2. de ira cap. 24. *Fallaciſſima irritamenta.* Perbellè irritamenta vocauit, quicquid eſſe potuit, creditur, ſi peruerſitati ſeruiat; imò quæ eſſe non poſſunt, de malignitatis potentia ſuſpicioſi procreant, & de officina peruerſitatis procudunt. *Nihil*, aiebat datus Seneca, *niſi quod in oculos incurret, manifeſtumque erit, credamus, & quoties ſuſpicio noſtra vana apparuerit, obiurgemus credulitatem.* Optimè conſuluit, ſed abuſus contrarium docuit: ſi ſemel animum imbuerit fallax, & nullo innixa ſuſpicio, veritatem arguimus, & pro ſuſpicione acerrimè militamus. *Non deerit ſuſpicioni argumētaria*, ait, idem Seneca, & iure: nam euidentiæ coniecturam opponit, nec facilè in contrariam partem exiliet. Tertullianus de cultu fœminarum omnem ſuſpicioni occaſionem præcidendam monet: nam ſi ſemel itruſatus puellæ capillus, oculi ſtibio amplificati, forma artificioſo medicamine expicta ſuſpicionem ingeſſerit, etſi erubeſcat concupiſcentiæ vota, etſi reſpuat adoleſcentium deliria, temeritatis audacia denigrabitur, & ſemel ſuſpicionibus denigrata nullis argumentis prouidebit honori: quia omnia argumenta deſeruite faciet temeritas priuati: *Proh temeritatem! Erubeſcit ætas exoptata votis, furtum confitetur adoleſcentia, in qua delinquimus, ſuſpicatur.* Tertullian. Si adoleſcentes quid ex externo habitu coniiciant, pudoris furtum euulgabunt, & quamvis virgo erubeſcat, & procacibus verbis aures denegauerit, & ſpiſſamentis oppilatas ſepiuerit, non benè audiet: quia ſuſpicioni cedet experientia, & pro temeritate ſtabit ſemper malitia: Samſonis Socer odio vxorem ſuam habuiſſe ſuſpicatus eſt: *Putaui quòd odiſſes eam*: iniquam Soceri ſuſpicionem manifeſtè euincebat hœdus allatus, & pacificus reditus: *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Manifeſta amoris argumenta vanam illam ſuſpicionem exterminabant, ſuadebantque, vt vxorem ei Socer redderet; verùm adhuc ſuſpicax aduerſùs argumenta prohibuit: *Prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quod odiſſes eam.* Adeò tenaciter ſuſpicio adhæſit; imò adeò concarnata, & inuiſcerata animum illigauit, vt nullis teſtimoniis crediderit; ſed ſuſpicax ſemper manſerit. *Quod reſpondere volebat pater puellæ* Abulenſ. ſcribit Abulenſ. quæſt. 1. *quia fecerat hoc, quia Samſon oderat eam, & iam nolebat eam in vxorem, inclinauit Samſon ad ducendum hœdum de capris vxori ſuæ, vt per hoc pateret quòd non ſolùm non oderat eam, ſed etiam diligebat nimis, cum afferret ei munera.* Allata munera teſtabantur dilucidè amorem; quæ tamen ſuſpicio ſemel animum ſoceri inſtauerat, ne vxorem redderet, perſuaſit, & efficaciam argumentorum deuicit. argumentabatur fortaſſe munus doloſè allatum, animum fumare adhuc indignationis flammis aduſtum, & inanibus argumentis dum ſuſpicio fulcitur, amor aduerſùs manifeſta teſtimonia non creditur. Non deerit ſuſpicioni argumentatio, qua euidentiam eludat, & ſe luci clariſſimæ opponat.

Iudas Thamarem intuitus in biuio ſedentem ex- 114
pictam, & elegantem ſuſpicatus eſt eſſe meretricem: illa, quæ ſuſpicionis efficaciam non ignorabat, aduerſùs coniecturam plura prouidit argumenta, & quidem notiſſima, *Suſpicatus eſt eſſe* Geneſ. 38. v. 15. *meretricem*: conuenta, & apud ſocerum accuſata teſtimonia iuſtitiæ protulit, qui argumentis ceſſit, & ſuſpicionem mutauit: *Agnitis muneribus ait. Iuſtior me eſt.* Hugo Cardinalis rem ethicæ adaptans Iudam ait hic Chriſti geſſiſſe figuram: Hugo. *Hic Iudas ſignificat Chriſtum, qui fornicatores iudicabit Hebræorum 13. Fornicatores & adulteros iudicabit Deus.* Profunda Hugonis ſententia. Quid hoc in iudicio ſapiat diuinitatem, & maiorem homine virtutem? ſi Iudas ea munera pro arrhabone obtulerat, ſi à ſe exhibita dubitare non poterat quid mirum pro veritate ſteterit, & nurum à criminationibus liberauerit? Habes iniqua ſuſpicione fuiſſe aliquando infectum: *Suſpicatus eſt eſſe meretricem*: ergo licèt iudicio adſint certiſſima pro veritate argumenta, & pro crimine audax coniectura, ni in iudicando Chriſti figuram gereret, argumentorum euidentiam ſuſpicioni poſtponeret. Malignitatis præſtigiis lux veritatis tenebreſcit teſtimonium claudicat, quantumvis notorium; non probat argumentum, quantumvis efficaciſſimum: tanta eſt temeritatis audacia, ſic imbuit animum coniectura.

Villicus quidam, cuius ante diffamationem 115
ſcelus nullum refertur à Domino, ob neſcio quam ſuſpicionem, munere villicationis mulctatur: *Diffamatus eſt apud illum quaſi diſſipaſſet* Lucæ 16. v. 2. *bona ipſius, & vocauit illum & ait illi, Quid hoc*

audio

audio de te? Redde rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Miraberis ante rationem redditam administratione priuatum, ac munere excluſum: non poſſe iam villicare, inquit: *Iam non poteris villicare.* Et cur ſi optimam rationem reddiderit, ſi ſe fideliter geſſerit, ſi fidelitatem ſuam clariſſimè comprobauerit? Certè hic villicus ſubſtantiam non diſſipaſſe; ſed incrementaſſe videtur, quando ad reddendam rationem interpellatus non exiguam partem debitoribus potuit remittere, nec ſe ære alieno prægrauandum timere: ergo ratio adminiſtrationis diſcutiatur, vt ſi infidelis, mulctetur, & ſi fidelis, acceptis præmiis munus proſequatur. O ſuſpicionis vim! O efficaciam coniecturæ! Quantumvis villicus fidelitate luceat commendatus, quantumvis omni calumnia exemptus, villicare nequibit: quia con-
Chryſoſt. tra illum pertinax ſuſpicio ſemper inſtabit: *Opinio quædam erronea*, aiebat Chryſoſtomus apud D. Thomam, *aggrauata mortalibus auget crimina, minuit bona.* Iam nihil bonum à villico ſperaretur, nihil non timeretur malum: ergo de alienæ ſuſpicionis reatu excluditur, & de coniectura iam reus habetur.

116. Diſcipulis cum procella depræliantibus Chriſtus fert opem: labiles vndæ gradientis veſtigio ſolidabantur, miraculi magnitudo non creauit fiduciam; ſed conſuluit diffidentiam: phantaſma aquis innatare ſuſpicabantur, & turbatus aſpectus vires procellæ addebat, & terrorem ingeminabat:
Matth. 14. v. 26. *Turbati ſunt dicentes, quia phantaſma eſt.* Nota vox Dominum prodit, & timoris anxietatem depellit: *Habete fiduciam, ego ſum, nolite timere.* Vox nondum ſuſpicioni medebatur, & Petrus ad miraculum recurrit & obtinet: *Si tu es, iube me ad te venire ſuper aquas.* Fidem Petrus fide confundit, dum facultatem exorat gradiendi, oſtentat fidem; illo tamen, *Si tu es.* fidei ingerit dubietatem: de naui deſcendens fertur non naufragus, ſed viator, & dum non trepidat, veretur pelagus intercipere non timentem: ſatis fuit vox, vt Petro ſubſterneretur vnda, manum extendit, ne naufragium faceret diffidentia: ergo vterque nauim aſcendit, & imperio ventus cogitur, & ipſa de tempeſtate ſerenitas procreatur: nauigantes vt Deum adorant, & Dei Filium confitentur: *Qui*
Chryſoſt. *in nauicula erant, venerunt, & adorauerunt eum dicentes: verè Filius Dei es.* Chryſoſtomus apud D. Thomam ſic habet: *vide qualiter paulatim ad id, quod eſt excelſius, vniuerſos ducebat: ſupra enim increpauit mare; nunc autem magis virtutem ſuam demonſtrat.* Profundam, & plenam acumine Chryſoſtomi ſententiam rei ethicæ pro modulo noſtro adaptemus. Nonne mirabilius erat ventis indicere ſilentium, maris frænare adſultum, durare lapſum, Petri ſolidare veſtigium, quàm tot miris permotos excitóſque nauigantes adorationis tributum pendere, & virtutem tot ſtabilitam miris agnoſcere: cur ergo Chryſoſtomus præ miraculis impenſa adoratione reſplenduiſſe teſtatur omnipotentiam: *Supra increpauit mare; nunc autem magis virtutem ſuam demonſtrat?* Adeò cordis humani ſuperbia, & cæca inuidia alienas prærogatiuas ignorat, vt plus fuerit. quàm horriſonam compeſcuiſſe tempeſtatem, debitam elicere confeſſionem. Benè; ſed abſtruſior Chryſoſtomi ſenſus eſt: inuaſerat nauigantium animum iniqua ſuſpicio, & phantaſma ſemel crediderant obturbati: *Quia phantaſma eſt*, adeóque fixè mortalium cordi inhæreſcit quæuis etſi non fundata ſu-

ſpicio, vt miraculorum etiam copia in contrarium propellente ſumptuoſior virtus reluxerit ſemel conceptam ſuſpicionem depellendo, quàm procellis & fluctibus imperando: *Nunc magis virtutem ſuam demonſtrat.* Quid pro ſuſpicionis tenacitate, & coniecturæ obſtinatione exaggeratius, & verius.

---

§. XXVII.

Duriſſimum eſt, ſi ab eo coneris gratitudinem exigere, quem iniuriis conſtat vexare.

Damnatus gratias agit, aiebat alioſum 117.
Tertulianus in Apologet. cap. . . Addi poteſt, & agere exigitur. Tertull.
Durum eſt acceptis iniuriis labia ſilentio premere, duriſſimum ad exhibendas gratias aperire Sunt qui non ſolùm conentur lædere perſonam; ſed infamare prudentiam: iniuriam beneficij colore nituntur oblinire, & iniuriis affectum ad gratias agendas fallere: Ecce Samſonis ſocer filiam à marito diſtractam alteri tradiderat, & amico tradidiſſe exaggerat, ac ſi hoc grande fuerit Samſoni commodum, & ad gratiarum teneatur tributum: *Tradidi illam amico tuo.* Opportunè Abulenſis q. 2 *Quaſi dicat, quod* Abulenſ.
in hoc fecerat ei gratiam. In beneficiorum cenſu ponebat in amici nuptias conceſſiſſe: & quidem ni honor obſiſteret, non erat mediocre commodum fraudulenta carere, & vxore infideliſſima liberari, verùm ſocer de audaciæ impudentia, & noua prudentiæ iniuria exigebat gratias, quando inferebat adeò graues honori offenſas. Irridet Seneca populi delirium, vt qui gladiatores cuperet non grauanter; ſed libenter mortem arripere, quaſi iniuria populi eſſet vel in perferenda morte ſe non confiteri beneficiatum, & gratitudine, quia de-
cumbebat, obſtrictum. *Quid gladiatoribus*, ſcri- Seneca.
bit lib. 1. de ira cap. 2. *Quare populus iraſcitur, & tam iniquè: vt iniuriam putet, quòd non libenter pereunt? Contemni ſe iudicat, & vultu, geſtu, ardore de ſpectatore in aduerſarium vertitur.* In aduerſarium vertebatur populus, ſi homo gladio obiectus, & trucidatus mortem non exceperit grato vultu, & pacatiſſimo animo. Et quidem quod olim in arena tranſiuit ad curiam: ſunt qui hominem obiiciant iniuriæ, calamitati, & ni obſequium ob offenſam præſtiterit, aduerſarium in ſe deteriorem armabit.

Cùm Dominus ab hominum conſpectu ſe mo- 118.
tus ieiunio orationique deditus ad tempus ſeceſſiſſet, & in deſertorum ſolitudine degeret, Diabolus inter ignorantiam, inuidiamque diuiſus experimentum capere aggreditur, malens ingratæ ſibi notitiæ dolore vexari, quàm anxiâ ſemper dubitatione ſuſpendi, ergo curatorem ſimulans accedit, & ieiunio adeò rigido abſtinere ſuadet:
Dic vt lapides iſti panes fiant. Amantis erat vox; Matth. 4. v. 3.
ſed oſoris animus; verùm Dominus pro ſua manſuetudine reſpondit, & veternoſas fraudes eluſit: expectatione fraudatus non deſtitit; ſed præcipitium ſuaſit: *Mitte te deorſum.* Adhuc Dominus tulit patienter, & adhuc dæmon ipſa patientia inſolentior inſurgit: offert fallaces diuitias, volaticam mundi gloriam, & quia offert, adorationis tributum exigit: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Hic iã Dominus fraudulento ſucce-

D ſet,

ſet, & in tartareas cauernas trudit: *Vade Sathana.* Inquiramus, cur aliis tentationibus imperitus oſtentarit patientiam; hic verò etſi digniſſimam, proſiluerit in iram: cur ſcripturam ſine voce incuſſa, & ſugillatiua non allegauit, ſed ſtomachum oſtendit? Quia dæmon, inquit Chryſologus Serm. 12. & ſubdolus, & ſuperbus: aggreſſus eſt anteà fallere; non tamen tributum adorationis exigere; hic verò pro dolo exigebat gratias, pro fraude adorationis obſequium, pro fallacia venerationis officium. Ergo exterminari meruit, qui de fraudibus prætendebat lucrum, & ob iniuriam adorationis exigebat obſequium. *O auſus diaboli! Deo dicit: Adora me; ſed ſenſit mox virtutibus Deum, pœnis iudicem, ſupplicem præmiis quem quærebat.* Vbi fraudis quæſiuit præmium, exaſperauit patientiam, & digniſſimam tulit mulctam.. Amariſſimum profectò eſt à doloſitatem experto, & iniuriam paſſo exigere gratias; imò aliquando diuitias. Magnus patientiæ cenſus neceſſarius eſt ad obſequendum inimico, ad inſeruiendum doloſo, ad officiis famulandum fraudulento. Non miror Samſonem ardentiſſimis iracundiæ flammis incanduiſſe, quando eius ſocer adeò impudens erat, vt ſummam iniuriam loco beneficij poneret, & obſequium diceret.

(Chryſol.)

119. Callidiſſimus ſerpens, quo Euæ animum in Deum grauiùs exulcerauerit, quoque impatientiæ vires adiecerit, contentus non fuit ad vetitæ inſulſæque arboris pomum allicere, ſed Deum de ipſo dolo gratias expetiuiſſe molitus eſt perſuadere: *De fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi,* reſpondit Eua, *præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne forte moriamur* Mulier impenſum erga ſe Numinis exaggerabat amorem, vt qui ab eſu arboris arcuerit, ne acerbam ſubiret mortem venenato cibo, & peſtifero pomo. Iniſit ſerpens prouidentiam, Deumque adeò cum illis doloſè egiſſe aſſeruit, vt non ſolùm eſu, cuius ope euaderent Dij, priuarit; ſed etiam ob ipſam priuationem officium gratitudinis exegerit: *Dixit ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini: ſcit enim Deus quod in quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Quo validiùs ad impatientiam impellat, iniuriam beneficij nomine tectam ſuadet, cúmque à diuinitatis communione excluſerit, voluiſſe Deum de impedita prouidenter morte mentiri obſequium, gratitudiniſque ob dolum pendi tributum. Ergo mulier dum ſeducta credit, in omnem impatientiam prorumpit: *Conuenta ſtatim illi mulier*, expendit Tertullianus de patient. cap. 5. *non temere dixerim, per colloquium ipſum eius afflata eſt ſpiritu impatientia infecto.* Conſonat Baſilius Seleucienſis orat. 3. *Non per amorem*, inquit, *ſed per inuidiam arbore interdixit: priuauit eſu, vt diuinitatis aditu prohibeat.* Præmiſerat: *His vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animi fluctuet, facit.* Si aliud obieciſſet, non ſic ſtricta obſidione animum cingeret, ad impatientiámque impelleret; quantumvis namque inflammaret cupiditatem, quantumvis proritaret dexteram, quantumvis cibum extolleret ſapidiſſimum, mulier amorem erga ſe Numinis experta manum retraheret, & leuem guſtum timore corrigeret; at vbi deluſa credidit inuidiam pro beneficio venditaſſe, & pro dolo gratitudinem exigiſſe, ſpiritu impatientiæ afflata armauit dexteram contra præcipientem, & molita eſt auferre diuinitatem: doloſa ſerpentis verſutia, quàm ſit durum ad gratias cogi ob acceptam iniuriam noſcens, Deum beneficij colore fraudem texiſſe mentita eſt, adeóque mulieris inflammauit impatientiam, vt impotenter prorupcrit in audaciam.

(Geneſ. 3. v. 2. — Tertul. — Baſil.)

Phariſæum bellum diuinæ intuliſſe ſapientiæ dum templum ingreſſus virtutes ſuas refert, & à Deo vti debitore præmium depoſcit, exiſtimat Seleucienſis Baſilius, *Non ſum ſicut cæteri hominum, raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic publicanus: ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium quæ poſſideo.* Cùm publicanus, Phariſæuſque aſcenderint criminibus non vacui, cur Phariſæus ſolùm videatur bellum inferre? *Deo*, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 35. *opprobraturus introiuit.* Certè publicanus peccatorum ſarcina, ſcelerum copia Dei videbatur opprobrium, vti ſanctitatis dehoneſtamentum; at Phariſæus ieiunio luridus, decimarum ſolutione religioſus, non virtutis videtur probrum, ſed magiſterium: cur ergo Baſilius Deo opprobraturum inſcendiſſe teſtetur? Quia tumidiſſimus virtuti inferebat iniuriam, & pro ipſa iniuria præmium exigens Numinis obſcurabat ſapientiam: non ſolùm erat euanida virtutum exaggeratio veritatis offenſa; ſed prudentiæ etiam fallacia, & de fallacia grauis iniuria: Deo opprobrabat, dum pro arrogantia præmium depoſcebat: *Decimas do omnium, quæ poſſideo.* Ad quæ Baſilius: *Tamquam debitori Deo debiti memoriam refricat.* En grande Deo opprobrium, lingua ſocium percutere, ſe omnium loco ſtatuere, ditionem Numinis decurtare, & ob id præmium exigere, ac Deum veluti debitorem tenere. Publicanus offenderat; non tamen ad ſoluendum pro offenſis gratitudinis compellebat tributum; at Phariſæus, dum ob ſuperbiam ſibi allegabat deberi præmium, grande Deo inferebat opprobrium. Itaque Dei refricabat memoriam, vt ſolueret; cùm tamen iniuria debitorem afficeret. Si inquiras, cur fuerit merces reddenda, ſolùm inuenies) tumorem inſolentem, ſuperbiæ faſtum, & ferè immenſum arrogantiæ cenſum. Ergo dum ob ipſa crimina ſibi ſolui periclitat præmia, non ſolùm irrogat iniuriam iuſtitiæ; ſed offenſam etiam prudentiæ; vt exclamet Baſilius: *O linguam tyrannicam!* Non erat ferenda tyrannis iniuriis afficere, ferire offenſis, & ad gratias reddendas cogere, & ad exhibenda præmia compellere: quid enim durius, quæve tyrannis ſæuior, quàm velle debitorem tenere, quem conſtat iniuriis audaciſſimis denigrare. 120.

(Luc. 18. v. 11. — Baſil.)

§. XXVIII.

Impatientia maiora ſuſtinere cogitur, dum leuia non ſuſtinere molitur.

OMnia vitia magno diſpendio coluntur, in virtutis contubernio hoſpitium non ſolùm eſt lætius; ſed facilius: fœnus eſt minora pati, ne grauiora ſuſtineas. Vt patientiæ conuenit, quod Tertull. Martyres allocutus aiebat, ſic contrarium adaptatur impatientiæ: *Etſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia*, aiebat ad Martyras c. 2. *negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucreris: nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres inuitat.* Adhuc præmio ſuppliciove non attento negotiatio eſt aliqua ſuſtinere, ne maiora ſuſtineas; verùm exoculatus 121.

(Tertul.)

ad[...]

Digitized by Google

adeò eſt impatientia, vt grauiori dolore leuiori occurrat, nec quibus ſe committat periculis: ſi furori ſatisfaciat, atiédat: de venæ ſciſſione dolor ſapienter redimitur; non bene prouidetur leui anxietati grauiſſimo vulnere: procellam paſſus mercium, etſi inuitus ſubit detrimentum, ſi de iactura redimiſſe poſſit naufragium, non auget periculoſa ſarcina detrimentum; verùm, vt dicebam, iracundiæ inſania, præceps furor, impatientiæ ſtimulus ſic nonnullos à ſe ipſis abſtrahit, vt dum conantur expediri, grauioribus conſtet compedibus illigari. Optimè Seneca lib. 2. de irâ cap. 14. *Ira perturbat artem, & qua noceat tantum, non qua caueat, aſpicit: ſæpè itaque ratio patientiam ſuadet, ira vindictam, & qui primis defungi malis potuimus, in maiora deuoluimur.* Impatientia arx ægritudinum eſt, & dum præſenti adulamur furori, occaſionem grauiori exhibemus ſæpè calamitati. Samſon irâ correptus vxorem recens nuptam nondum amore confirmatam, nec diuturnis officiis allectam relinquit, & in paternam ſe domum recipit: *Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui.* Mulier ægrè ferens vel recentibus nuptiarum gaudiis deſpici, & nulla eius ratione habita derelinqui, vindictam ſponſoque indecoram, excogitauit, & ſecundas nuptias impudenter iniuit: *Putaui*, aiebat vxoris pater, *quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* vtriuſque; videlicet mariti vxoriſque impatientia luctuoſiſſimam ſortem adduxit: ille dum patienter proditum non ſuſtinuit ſecretum, grauius pertulit opprobrium: illa dum abſentiæ ægrè ſuffert deſpectum, ardentiſſimum ſibi ſuiſque præter opinionem præparat rogum: ait enim textus: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Vbi Philiſthini frugum diſpendium paſſi occaſionem competerunt ſecundas extitiſſe nuptias, ardentes nuptis decreuerunt & flammas. Optimè Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. *Diſpendio commoti quòd omnes ſibi locorum fructus interierant, factum Principibus ſuis intimauerunt, & illi miſerunt viros in Thamnatham, qui mulierem, quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum, parenteſque igni inuoluerent.* Si vxor ſuſtinuiſſet mariti iram, excuſaſſet ardentem flammam; verùm dum deteſtabili impatientiæ conſilio blanditur dolori, grauiſſimam adducit calamitatem. Plures videas huius erroris diſcipulos: ne compreſſerint leui cauſâ commotam iram, ſe ærumnarum vorticibus inuoluunt, & adulta iam vtrinque indignationis amentia & ſæuit & gliſcit: infantia indignationis reſecanda eſt: nam ſi adoleſcat facilè non reprimitur; ſed confuſis miſeriarum fluctibus naufragatur.

112. Adamus Euaque copiario deliciarum pleniſſimo verſabantur: Deus, ne quid felicitati deeſſet, noxia arbore eos interdixit, vt inſulſi fructus abſtinentia tot diuitiarum largitori debitum præſtarent obſequium, & amoris promerent teſtimonium. Eua ſerpentino afflatu obturbata vnicam ſibi arborem ereptam doluit, & ne eius fructu priuaretur, audaci manu protipuit: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Si vnius arboris obſeruaſſet ieiunium, calamitatis expers deliciaretur; at dum abſtinentiam, & priuationem recuſat, ferè immenſam calamitatem copiam ſibi maturat: è paradiſo eiiciuntur: pelliti orbi vt metallo primi parentes dantur, & omnium fructuum patiuntur inediam, ne vnius arboris prohibitionem ſuſtinuerint vtiliſſimam: leui commodo; imò cæco delirio ſibi pepererunt luctuoſiſſimum detrimentum, & per impatientiam ad patiendi neceſſitatem peruenerunt, & tribulis acutiſſimis lacerati continuis gemitibus laborarunt. Quod expendens Tertullianus lib. de Patient. cap. 5. ſic ait: *Conuenta ſtatim illi mulier, non temerè dixerim, per colloquium ipſius, eius afflata eſt ſpiritu impatientiâ infeſto. Vſque adeò nunquam omnino peccaſſet, ſi diuino interdicto patientiam perſeruaſſet. Quid quod non ſuſtinuit ſola conuenta; ſed apud Adam nondum maritum, nondum aures ſibi debentem impatiens etiam tacendi eſt, ac traducem illum eius, quod à malo hauſerat, fecit. Perit igitur & alius homo per impatientiam alterius: perit mox & ipſe per impatientiam ſuam vtrobique commiſſam, & circa Dei præmonitionem, & circa diaboli circumſcriptionem, illam ſeruare, hanc refutare non ſuſtinens.* Si diaboli ſuggeſtionem ipſis in incunabulis mulier reſecaſſet, ſi fructu aliquo carere non renuiſſet, & læta, & diuitiis exundaret circumfuſa; at miſerum paſſa eſt exilium, vt lethale præripeţ ret pomum. Et quidem parentis error veluti hæreditario iure ad filias tranſmiſſus eſt, ne hac aut illa re leuis etiam momenti ad guſtum ornatumve careant, ſerpentinum admittunt colloquium, & miſerum non ſemel patiuntur vitæ naufragium: patientiâ infelicitati obuiaſſent, impatientia promouerunt, & promotam tolerarunt. Iam quàm noceat aliquibus nil diſſimulare; ſed in vindictam prodire teſtatur lucas.

Cum Chriſtus Dominus ad ſamariam deueniſſet, inciuiles Samaritani eum officiis debitis non honorarunt, cauſis friuolis inciuilitatem colorantes, & occaſionem texentes: *Non receperunt eum quia facies eius erat euntis in Ieruſalem.* Nunquam nolenti deeſt color: ergo diſcipuli Samaritanorum inurbanitate exaſperati flammas adducere ſatagunt non prouidentes ſuum periculum emere alieno: nam ſi flammis anhelantibus ſtatim exuratur ciuitas, ipſi intra eius mœnia contenti ignem patientur aut fumum: *Domine*, inquiunt, *vis dicimus, vt ignis deſcendat de cœlo, & conſumat illos?* Prudentius ad ſpeciem dixiſſent: vis vt ciuitatem egreſſi flammas in ciues eiaculemur? Quandoquidem in tuto iam poſiti vindictam exercuiſſent illæſi; at dum nulla morâ interpoſita effundere ſatagunt flammas, ſibi etiam ipſis videntur procurare miſerias: inuoluti namque ciuibus idem ſuſtinebunt incendium, aut ſaltem in ſe conflagrantium furentem armabunt gladium. Ergo Dominus docuit patientiam, vt nobis vtilem præberet doctrinam, & ab eis auerteret etiam noxam: *Neſcitis cuius ſpiritus eſtis.* Errabant Dei arbitrari obſequium hominum perditionem: errabant ſibi non conſulentes, nec præuidentes poſſe incendio ipſo perire, & flammam contra ſe ipſos, vt ſe vindicauerint, excitare. Innuit Nazianzenus in epiſtola ad Theodorum Thyanenſem Epiſcopum: *Quid benignitate celerius? Sodomiticum ignem aduerſus eos, qui Ieſum adducunt, diſcipuli poſtulant; at ille vltionem recuſat.* Docuit vltionem recuſare, ne deſæuiens ira, dum inciuilitatem non ſuſtinet, grauiorem ſuſtineat indignationem: delatus namque flammarum imber omnes circumuolueret, aut qui patiebantur ignem, in diſcipulos arma verterent: penſandum eſt, & iuſtiſſima prudentiæ trutinâ examinandum, an dum malum vindicas, duplices, & dum leuis volaticique verbi aſperitatem

Seneca.
Iudic. 14. v. 20.
Ambroſ.
Geneſ. 3. v. 6.
Tertul.
113.
Luc. 9. v. 53.
Nazianz.

Digitized by Google

tem non ſuſtines, dutiora ac grauiora verba ſuſtinere cogaris. Diſertiſſimè datus Seneca: *Quoſdam vnius verbi contumelia non æque animo lata in exilium proiecit, & qui leuem iniuriam ſilentio ferre noluerant, grauiſſimis malis obruti ſunt, indignatique aliquid ex pleniſſima libertate diminui ſeruile in ſeſe attraxerunt iugum.* Si huius veritatis Cainus meminiſſet, exilium, & lachrymas nullatenus tolèraſſet; at dum minus grato aſpectu deſpici ſe dolens inſanam recurrit ad vindictam, ſibi calamitatem æternat: patientiâ, prudentiáque ſibi conſuluiſſet; at dum gliſcit irrationabiliter iratus, rationabiliter luget miſerrimus: impatientia non expulit; ſed nutriuit dolorem, & dolori adiunxit calamitatem: ergo negotiatio eſt aliquid ſuſtinere, ne maiora ſuſtineas: eſt namque ira fœcunda dolorum vena, miſeriarum copia, & ſeges calamitatum abundantiſſima.

Seneca.

§. XXIX.

Nitimur in vetitum, & quo voluptas periculoſior, à nonnullis habetur dulcior.

124. NEſcio quod pericula prohibitióque voluptati addiderint condimentum: vetitus ſapor efficaciùs ad delitias ſollicitandas irritat palátum, & viuidiùs inardeſcere ſolet deſiderium: piſces medicamine faciliter capiuntur; ſed vti inſipidi de facilitate depretiantur: de hamo, de periculo, de eſcæ ſumptu plus dulceſcunt, & ſapiunt: *Piſcatio*, inquit Plutarch. in præcept. connub. *quæ fit medicamentis, citò comprehendit, & capit facilè piſcem; cæterùm inguſtabilem, & prauum reddit.* Ipſa capiendi facilitas facit tædium, arduitas inflammaret ſtudium. In Boëotia, refert idem Plutarch. ducendam ſponſam aſparagonia coronari: prodit hic fructus ex aculeata ſpinoſáque arbore: ergo vt magni habeantur ſponſæ, fructu ex duriſſimis ſpinis orto redimitæ ducuntur, vt ſic oſtendant de difficultate amorem inflammari, & de periculo deſiderium augeri. Accipe Plutarch. iam datum: *In Boëotia obuelatam ſponſam aſparagonia coronant vt enim fructum illum edit aſperrima ex ſpina ſuauiſſimum, ſic ſponſa ei, qui primam ſuam non refugit, neque auerſatur aſperitatem, & acerbitatem, contubernium lene præbebit & dulce.* Contubernium dulceſcit, ſi ingens difficultas victa, & acerbitas deuorata: ergo cùm huius philoſophiæ plures inueniantur diſcipuli, id auidiùs conſequi pertentant in deliciarum auctarum, quod grauius ſecum afferat detrimentum. Pater vxoris Samſoni conceſſæ filiam habuit alteram elegantiorem forma, ætate iuniorem; huius tamen Samſonis amicus matrimonium non ſuſpirauit; ſed congreſſum cum Samſoni data diſcupiuit: ipſe teſtatus eſt pater: *Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo; ſed habet ſororem, quæ iunior & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor.* Si geminæ erant ſorores, cur amicus non ambiuit innuptam; ſed maritatam? Elegantior corporis habitus, pulchrior oris ſpecies innuptam maritatæ præferebat, & tamen petentis votis inuenitur poſtpoſita; imò deſpecta: cuius nullam aliam cauſam reperio, niſi alterius amplexum omni carere periculo, & alterius vtpote maritatæ conſtare ingentiſſimo detrimento eſt enim celebris hominum inſipientia in prohibitum ardentiùs conari, & de ipſis periculis maiorem voluptatem ſibi promittere: *Samſon viuebat*, inquit Abulenſis q. 3. *& non repudiauerat vxorem ideò ipſa manebat ligata lege eius.* Adnectit: *Et ſic fuit facta magna offenſa Samſoni: quia vxor ſua alteri copulata eſt.* Quæ non licebat, cupiuit, quæ licebat accipere, reſpuit: quaſi prohibitio ipſa fuerit pro illicio, & periculum ceſſerit in voluptatis augmentum.

Plutarch. Quod facilè acquiritur, depretiatur.

Abulenſ.

125. Huius rei exemplum extat apud 2. Reg. 23. Cum Dauid eſſet in præſidio, & Bethlehem ciſterna plurimo hoſte cincta, in eius aquæ cupiditatem exarſit, & cupiditatem oſtendit: *O ſi quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam!* Ad manum in præſidio habebat aquam: nec enim eâ carens fuiſſet præſidium; verum parabilem noluit, ægrè parandam ſuſpirauit: dulcior illi & ſuauior viſa eſt, quæ erat alterius poteſtatis, & quæ acquiri non poterat ſine ingenti pretio diſcriminis. Innuit Ioſephus lib. 7. antiq. cap. 12. *Caſtra inimicorum erant in valle fixa vſque Bethlehem, quæ procul eſt ab Ieruſalem ſtadiis viginti: Dauid ergo ait: Bonam aquam habemus in regione mea, & præcipuè laudabat eam, quæ erat iuxta puteum in portâ.* Conſonat Theodoret. q. 35. *Frigidam quidem aquam appetiit: recordatus eſt autem eius, quæ erat in Bethlehem.* Aliam non ſitiebat; ſed prohibitam ſed tunc ſibi vetitam: quia de difficultate gratior & de periculo dulcior. Voluptas neſcio quas fingit in deliciis arduis ſingulares cupedias, & ſuauitates reconditas. Igitur quò plus ambitioni, & vanitati homines obſequantur, in vetitum adnituntur.

2. Reg. 23. v. 15.

Ioſeph.

Theodoret.

126. Cùm pulchellarum copia non deeſſet, Dei filij eas elegerunt, quæ iam in aliorum poteſtatem ceſſerant, & matrimonia contraxerant: *Videntes filij Dei filias hominum, quod eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Filiis Dei ex hominum filiabus illæ pulchriores ſunt viſæ, quas iam homines in vxores ſibi delegerant, & matrimonio coniunxerant: *Ex omnibus*, inquit, *quas elegerant ſibi vxores.* Huius loci ſententiam ſic explicant Interpretes, vt hæ mulieres præ aliis viſæ fuerint Magnatibus venuſtate conſpicuæ, & oris elegantia perpulchræ quas inferioris notæ homines in vxores ſibi delegerant, & cum quibus nuptias contraxerant. Quod ſi huius præcellentis pulchritudinis rationem quæras, nullam aliam inuenies, niſi ceſſiſſe in aliorum poteſtatem, & cum illis iura prohibuiſſe congreſſum: has ergo ſibi rapuerunt potentiores diuina calcantes edicta, & ambientes adulteria: *Filij Dei*, ſcribit Abulenſis hîc quæſt. 9. *id eſt, filij iudicum, vel potentum videntes filias ſubditorum tunc pulchrè ornatas, quando viris ſuis in nuptiis tradebantur, antequam cognoſcerent eas carnaliter, viri ſui, ipſi cognoſcebant eas.* Eædem erant filiæ hominum; dum matrimonio ſolutæ, & matrimonij vinculis illigatæ; & tamen nuptæ videbantur pulchriores ſolùm quia vetitæ. Quas potentes ante nuptias non amarunt, ab ipſis nuptiis rapuerunt: quaſi creuerit venuſtas de prohibitione; & pulchritudo gratiùs effloruerit difficultate.

Geneſ. 6. v. 2.

Abulenſ.

127. Salomon ſtultis abſconditū panem, & furtiuas aquas ſaporatiores tradit præcipuè ſi cum periculo hauriantur: tunc enim & vanitas ſibi plaudit de infelici victoriâ, & palatum de voluptuoſa rapinâ: *Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſcon-*

dit*us*

Prouerb. 9. v. 12. *ditus ſuauior, & ignorauit quod ibi ſint gigantes, & in profundis inferni conuiuæ eius.* In velleris aurei cuſtodia, tutelàque draco ardentiſſimo veneno armatus perſtat; verùm Iaſon, vt aſtutiæ, audaciæque ſuæ artes ſæculis commendarit, pericula deſpexit, & rapuit: ipſa deſiderij inſanientis vehementia, dulcedinem aquis furtiuis imponit, & abſconditus panis, quo maiori periculo acquiritur, delicatior acquirenti videtur: *Propria vileſcunt*, ſcribit Ianſenius ad hunc locum, *& magis aliena deſiderantur, & iam obtenta audiùs ſumuntur, tanquam rara, & quæ non ſemper in promptu ſunt.* Pergit doctus Interpres theſi noſtræ ſatis opportunus: *Hoc ergo vulgari prouerbio ſignificari vult congreſſum cum non ſua maiorem afferre animo voluptatem, magis inſtar cibi & potus reficere, quàm cum propriâ vxore, vt quæ habetur in promptu. Et benè congreſſus cum non ſuâ aquis comparatur furtiuis, & pani abſcondito: quia contrà Dei legem, & coniugale fœdus vſurpatur.* Obtinendi difficultas adauget voluptatis pretium, & de grandiori pretio inflammatur auidiùs votum. Facilè erat Ioui, vt fabulantur poëtæ pulchellas habere ad voluptatis vſum; inhiauit tamen bruti formam ſubiens ad Europam, quam rapuit: Nanciſcendi arduitas pulchriorem effinxit, & ſuauius cum illa commercium mendaciter commendauit. Iam Hercules Mœchus & adulter periculoſiſſima certamina amplexus intemperantiæ inſeruiuit, & de intemperantia ſibi cum maritatis plus plauſit. Audi Clementem Alexandrinum in adhortatoria ad Græcos. Clem. Alex. *Iouis Hercules verè, inquam, Iouis filius, qui ex longa nocte gignitur, qui duodecim quidem certamina longo tempore fortiter ſuſtinuit, quinquaginta autem filias Teſtbia vna nocte vitiauit, vt qui ſimul & adulter, & ſponſus fuerit tot virginum.* Sibi fingebat Hercules raram adeò dulcedinem in adulterio, vt nec detrectaret certamina, nec attenderet ad pericula. Certè fallaciæ incantamentis deſipiunt homines, & delitias taxant non tam de pulchritudine, quàm de acquirendi difficultate. Qui Samſonis vxorem inſanè diſcupiuit, iuniorem, pulchrioremque ſororem reſpuit, & quem Samſonis valentia debuiſſet perterrefacere, ad audaciæ & vanitatis ſumptuoſius elogium conſtat allexiſſe.

§. XXX.

Indubia habetur euidentia, ſi nobis aduletur vel leuiſſima coniectura.

128. PRo affectus varietate varios res ſortiri vultus, experientia compertum eſt: veritas ſe oculis ingerens, ſi votis refragetur, calumniis artificioſiſſimis eneruatur: coniectura nullo fundamento innixa, ſi noſtræ affectioni, votiſvè ſuppetias ferat, pro euidentia habetur indubia. Vel exiſtimata Deitas ſua etiam ſortiebatur fortunam, & Deus non erat, quem homo conſultus noluiſſet. Itaque Venus libidinoſis ſumma erat Dea modeſtis figmentum, & exoculatum delirium. Optimè Sidonius lib. 3. epiſtolar. (Sidon.) *Tales, cùm aliquid volunt, laudant*: ſi non vellent; vituperaſſent. Itaque cuiuis rei pro fato eſt humanus affectus & cum fato ſortevè ingenium demutat. Quàm benè Tertullianus in Apolog. cap. 6. (Tertull.) *Etiam circa ipſos Deos veſtros, quæ proſpectè decreuerant patres veſtri, iidem vos obſequentiſſimi reſcidiſtis. Liberum Patrem cum myſteriis Conſules Senatus auctoritate non modò vrbe; ſed vniuerſa Italia eliminauerunt.* Pro affectionis diuerſitate liber ſuſtinebat exilium, aut ſortiebatur obſequium. Citò accedimus opinioni, ſi placet, non illam coarguimus, non diſcutimus; imò vti certiſſimam amplectimur, & peccandi ius nobis facimus. Benè Seneca. Seneca etſi aliorſum epiſtol. 3. *Ius peccandi ſuſpicando fecerunt.* Suſpicio ius peccandi quodammodo facit. Quia ipſa ſuſpicione vtuntur pro iure. Cùm Samſon vxoris dolo exacerbatus receſſiſſet, pater alij tradidit, coniiciens Samſonem vxorem iam repudiaſſe, & odio habitam deſpexiſſe: *Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Ipſe ſocer iam odio habebat eius ingenium auerſatus, aut fortitudinem veritus: ergo vt filiam alteri daret, coniectura vſus eſt pro euidentia: *Putaui*, inquit, *& ideò tradidi.* Non indagauit veritatem, non diſcuſſit opinionem; imò illi firmiſſimè adhæſit. Repudiare deſiderabat iuuencula Samſonis nuptias, ſatiſque fuit ſuſpicio malè fundata; imò nullo fundamento innixa leuiſſima coniectura. Prodeſt Ambroſius ſæpè in hoc capite datus: Ambroſ. *Quæ indignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi ſibi futuram iuſta formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptiàs.* Si vxorem Samſon repudiaſſet; fas eſſet eius vxori, alteri nubere: ergò ſatis fuit abſentia, vt certiſſima haberetur repulſa.

129. Cùm Eua in paradiſo deliciaretur, ad inuidiam excitatus eſt Dæmon: ſerpentis facie perſonatus ſubdolè accedit, & variis adulationibus inflatam ambire diuinitatem ſuadet: Geneſ. 3. v. 5. *Aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut Dij ſcientes bonum, & malum.* De ipſa arboris prohibitione prohibitionis auctorem obſcurabat, & inuidum aſſerebat. Mulier expanſis oculis arborem intuetur, & ibi non mortem ſed diuinitatem abſcondi credens manum extendit & pomum carpſit: *Vidit igitur mulier, quod bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectùque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Deum ſerpens criminabatur inuidum, & arboris prohibitionem aſſerebat in argumentum, & licèt adeò imprudens foret coniectura, mulieri, dum ambit diuinitatem, videtur euidentiſſima: *Vidit igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum.* Eua in arbore clariſſimè apparere diuinitatem adſpexit, & apertis oculis vidit: manifeſta fallacia, & leuiſſima coniectura, dum ambitioni adulatur, pro indubia habetur. Opportunè Rupert. Rupert. lib. 3. in Gen. c. 9. *Audierat quod dixiſſet Deus: In quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini: audierat ſerpentem è contrario dicentem: Nequaquam moriemini. Inter hæc anceps naturâ ligni propriis ſenſibus diiudicare voluit, vt ſciret quid potiſſimum; Deo videlicet, vel ſerpenti palmam concederet veritatis.* Dubia ob ſerpentis fallaciam, & Dei ſententiam rem aggreditur oculis explorare cùmque iam ambitione pulſaretur, falſam ſuſpicionem cenſuit eſſe certiſſimam veritatem. *Qui de hoc iudicare debuerant*, addit Rupert. *interiores oculi exteriorum iam erant oculorum concupiſcentia præpediti. Itaque ſolis exterioribus oculis naturam ligni conſiderauit, & deprehendit malè capta, quod in fructu ligni non eſſet venenum mortis.* Ex prohibitione quid diuinum in arbore latere coniecit, & oculus ſtetit pro coniectura, vt potuiſſet pro euidentia: tam facilè creditur, quod amatur. *Vidit mulier quod bonum eſſet lignum ad veſcendum.*

Digitized by Google

130. Degebat Lot cum gemina filia in monte, vetitus ne etiam ſegor ſulphureus inundaret imber & cæterarum ciuitatum ruina vicinam ſecum etiam traheret ciuitatem: Loti filiæ intemperantia vel in monte adultæ ſibi perſuaſerunt nullum in terrâ hominem remanſiſſe, ob idque oportere in naturæ ſubſidium cum ipſo patre habere congreſſum: Geneſ. 19. v. 31. *Dixit maior ad minorem: Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terrâ, qui poſſit ingredi ad nos iuxta morem vniuerſæ terræ: veni inebriemus eum vino, &c.* Maiorem filiam inuerecundam fuiſſe teſtatur Caietanus: *Quod meminerint ſenectutis paternæ, in promptu ratio eſt, videlicèt vt accelerarent concubitum cum patre; quod autem crediderint omnes viros mortuos eſſe, muliebris temeritatis fuit. Quod magis vrget ciuitatem ſegor inuenerant habitatam; verùm quod pater timuit futurum, leuiſſima mulierum mens iudicauit eueniſſe incendium ſegor.* Eo in monte nullum præter patrem inhabitare videbant: ergo coniecerunt ſatis leuiter nullum præter patrem hominem incendio exemptum, vt expleuerint appetitum: ſatis fuit ea leuis coniectura intemperantiæ fauens, vt certiſſima haberetur euidentia, & honeſta congreſſus cauſa: *Leuiſſima mulierum mens iudicauit eueniſſe incendium.* Sic iudicat mens paſſionibus obturbata, ſic videt appetitus tenebris impedita.

131. Moabitæ prædis inhiantes, aquaſque ad ſpeciem rubras adſpicientes, pugnaſſe contra ſe reges colore ſolùm à longè inſpecto, & oculis ſomno nondum diductis crediderunt: *Primo mane ſurgentes, & orto iam ſole ex aduerſo aquarum viderunt Moabitæ è contrà aquas rubras quaſi* 4. Reg. 3. v. 22. *ſanguinem, dixeruntque: Sanguis gladij eſt: pugnauerunt reges contrà ſe, & cæſi ſunt, mutuò: nunc perge, ad prædam Moab.* Satis fuit prædarum auidiſſimis qualiſcumque color, vt fixè firmiterque crediderint, reges contrà ſe pugnaſſe, ſeque occidiſſe: non ſemel viderant crocea ſolis luce aquas rubeſcere; verùm color ille cædem non perſuaſit, dum affectionibus liberi, & cupiditate non cæci; modò verò quia iam anima paſſionibus obturbata, idem color ſatis fuit ad cædes teſtandas, & ſtrages teſtimoniis clariſſimis oſtendendas: *Hoc non poterat mouere Moabitas*, inquit Abulenſis hic quæſt. 21. Abulenſ. *quia ſæpè Moabitæ viderant reflexionem ſolis in aquis, & ruborem aquæ ex illa cauſa, cùm iſtud quotidiè accidat: quomodo ergo moti ſunt, vt putarent eſſe ſanguinem belli propter ruborem illum? Reſpondendum, quòd nihil aliud rubricauit aquas niſi quod dictum eſt: & ille rubor mouit Moabitas ad putandum quòd eſſet ſanguis, & tamen non erat cauſa ſufficiens.* Idem color pro diuerſitate affectuum eloquens aut mutus fuit: nihil perſuaſit, dum hoſtis non aderat, dum cupiditas non vrgebat; at de inimicitiæ energia, & cupiditatis rhetorica quiſque color adeò fuit eloquens, vt ſuaſerit inimicos ſe delirio trucidaſſe, & cupiditati prædam ingentiſſimam obtuliſſe. Leuis coniectura affectionum adminiculis tranſiuit in euidentiam, & iam clariſſimè adſpiciebat oculus, quod eueniſſe cupidus deſiderabat affectus. Nouam cæcitatis ſpeciem incutit adſpectus dum non videt quæ ſunt, & videre exiſtimat, quæ non ſunt affectionum præſtigiis, & voluptatis incantamentis.

132. Addiderim aliquando inani prorſus ſuſpicione, ſi putent ſua intereſſe, plures moueri, & argumentis euidentibus refragari. Dauid beneficiorum non immemor Hanon filio Naas honoris cauſa legatos mittit de mortuo patre; verùm Principi collaterales Dauidi fortè aduerſi, aut ſi bellum ingruat, fore ſibi commodum arbitrati, honorabilem legationem peſſimè interpretantur, & ad explorationis fraudem iniqua ſuſpicione deflectunt: *Putas quòd propter honorem patris tui miſerit Dauid ad te conſolatores, & non ideò, vt inueſtigaret, & exploraret ciuitatem, & euerteret eam.* 2. Reg. 10. v. 3. Explorationis delictum ſuggillatur gratum, & honeſtum obſequium: nil externum ſuſpicioni præbebat anſam, internum tamen erat, quod legationi allineret colorem doloſitatis, & verſutiam adſcriberet fraudis: *Regum conſiliarij*, ſcribit noſter Sanctius hîc, *cùm ex ſuo ſenſu alios fingant, & iudicent, neque tam quid rei expediat publicæ ſpectent; quàm quid ad priuata faciat commoda, ex quo rerum honeſtatem, & vtilitatem mentiuntur, fit, vt dum ſuam captant vtilitatem publicam prodant, atque contemnant.* Sanctius. Expende illud: *Ex ſuo ſenſu alios fingant*: id eſt, cùm ipſi non candido erga Dauidem animo eſſent, inſidioſum illud dixerunt officium, non beneuoli amici obſequium. Legatio acceptum beneficium fatebatur, Dauidis lenitas, & humanitas pro veritate ſtabant; at regi adſtantes dum Dauidem non amant, iniquam ſuſpicionem leui adhuc colore non innixam proditionis aſſerunt euidentiam. Sic ſapit affectus, ſic valet, ſi adulerur appetitui imprudentiſſima coniectura, ſic in euidentiam tranſit, ſi ſuffragetur votis vel leuiſſima ſuſpicionis iniquæ cauſa.

§. XXXI.

Quiſque ad humanam affectionem inuenitur cautus & ſolertiſſimus, ad virtutem ineruditus, ac tardus.

133. TOtum hominem, aiebat Tertull. ad Martyras, *animus circumfert, & quò vult, transfert.* Tertul. Affectus pro gubernaculo eſt, hominem totum ſic aurigans, vt quo vult, transferat, verùm vt nautis notior vna præ alia plaga eſt, & cautiores inueniuntur ad has ſyrtes vitandas, quàm ad illas effugiendas: ſic animus ad temporalia inuenitur ſolertior, ad cœleſtia tardior: neſcio quæ innata pro humanis affectibus illi ineſt cautela, & pernicitas velociſſima: ad virtutem nec adeò perſpicax nec ſolers adeò, inuolat ad vindictam, immoratur ad veniam: ineruditus deſipit ad honeſtatis exercitium, inoculatiſſimus eſt carnis aut cupiditatis ad commodum: opus eſt ad virtutem calcaribus, ad vitia fræno: cum ipſa natura induimus ad cupiditatem ſolertiam, ad vindictam audaciam pernicitatem ad euanidam gloriam. Torpemus ad virtutis ſtudium, ad muneris, & obligationis miniſterium. Aptè Seneca epiſt. 97. Seneca. *Ad deteriora faciles ſumus: quia nec dux poteſt nec comes deeſſe, & res ipſa ſine duce, ſine comite procedit: non pronum eſt tantùm ad vitia, ſed præceps.* Vt duxerit Samſon Chriſti ænigma Thamnathæam pronubo vſus eſt, qui difficultates vinceret, qui ſponſæ nuptias ſuaderet: Samſone abſente vxor eius in alterius nuptias conceſſit, nec audies neceſſariam pronubi induſtriam ad difficultates emolliendas, aut nuptias illegitimas præparandas.

Ipſe

Digitized by Google

Ipſe pater ſe tradidiſſe fatetur filiam, & quidem non rogatus, nec precibus iteratis commotus: *Tradidi illam amico tuo.* Samſonis nuptiæ procuratæ ſunt per eius parentes, per pronubæ ſolertiam, per repetitam inſtantiam; at quæ tantis allecta eſt honeſtum ad matrimonium, quam
Ambroſ. citò prolapſa eſt deteſtandum in adulterium. *In alterius viri*, inquit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. *ceſſit nuptias, quem tamē paranymphum ſibi Samſon quaſi fidum ſodalem, cùm duceret eam vxorem, aſciuerat.* Sine ſolicitatore annuit adultero, ad cum Samſone nuptias opus fuit pronubo.

134. Iam Samſonem ſi Chriſti imagine exuat, non diſſimili modo ſe geſſiſſe reperiet: natus eſt ad populi libertatem, ſalutemque; ſed antequam cùm hoſtibus pugnam iniret, in caſtris Dan. poſuit tyrocinium; imò ibi agitatus, & à Domino pulſatus refertur, vt aggrederetur audacter bellum. *Cœpit*
Iudic. 14. v. 25. *Spiritus Domini eſſe cum eo in caſtris Dan.* Caietanus dictionem Hebræam loco illius *eſſe* poſitam, ſignificare ait pulſationem, agitationem: ipſum
Caietan. audi: *Dicto interpretata agitare ſignificat agitare, ſeu aliquid ſimile, puta concutere.* Adnectit moraliſſimus: *ſed quia bonum ſignificatur, rectiùs exprimitur per agitare.* Itaque ad bonum irritatore opus fuit. Tranſi modò ad ipſum iracundiâ inflammatum, & exigendi pœnas ob vxorem alteri traditam ſtudioſum, videbiſque, vt ſe doluit ingreſſu ad vxorem prohibitum, vulpes ſtatim cepiſſe, & earum caudis ingenioſè illigatis maturas ſegetes vſtulaſſe, & labores agricolarum non ſine ingenti
Iudic. 15. v. 4. anxietate perdidiſſe: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes.* In vulpe deſignari aſtutiam compertum eſt: ergo, vt ſe vindicaret, omnem actum ſupergreſſus eſt, & aſtutia vicit aſtutiam. Quomodò tot vulpes potuerit capere, quærunt Interpretes. Abulenſis quæſt. 5. exiſtimat ſummâ, qua pollebat, velocitate cepiſſe, aut ſaltem obtenſis ingenioſa induſtria la-
Abulenſ. queis congregaſſe. *Aliquis reſpondebit, quod Samſon ſicut erat fortiſſimus, ita erat velociſſimus, & poterat velocitate feras conſequi & capere.* Adnectit: *Aliter dici poteſt, & melius, quod Samſon cepit iſtas vulpes retibus, vel per alia artificia, & non fuit ipſe ſolus; ſed alij adiuuerint eum, licèt ipſe fuerit ingeniator.* Ecce ad vindictam valuit ingenij ſolertia, & velocitatis prærogatiua, cùm ad Dei bellum, ad obligationem ipſius ortus comitem adimplendam neceſſum fuerit, eum agitaſſe, & veluti adactis ſtimulis impuliſſe. In virtutis caſtris fuit tyro, ad captandas vulpes ingeniator & magiſter, tantum aſtutiæ cenſum ad vindictam deuicit aſtutior, tantam velocitatem cepit velocior; ad opera virtutis fuit lentior, ad exequendam obligationem fuit tardior. Nonne cupiditas perſpicaciſſimis oculis vtitur? Nonne rapacitas alis perniciſſimis obarmatur? Nonne ambitio vltra aſtutiæ limites proſilit? Ad vitia inuenimur ſolertiſſimi, peritiſſimi, intrepidi, ad virtutem rudes & deſides.

135. Dauid Chriſti Domini geſſiſſe figuram in certamine cum gigante tradit Hugo Cardinalis ad 1.
Hugo. Reg. 17. *In funda & lapide proſtrauit Dauid Goliam, id eſt, Chriſtus.* Referamus hiſtoriam, vt melius eruamus doctrinam. Adſtabat Goliat carnea turris ad duellum prouocans, cumque nullus è toto exercitu probaretur ſatis, Dauid pugnæ prouocationē ad ſe rapuit, & in campum honeſta audaciâ proſiluit: cúmque iam congreſſus inſtaret, non
1. Reg. 17. v. 48. lentis greſſibus; ſed veloci hoſtem aggreditur curſu: *Feſtinauit Dauid & cucurrit ad pugnam ex aduerſo Philiſthæi.* Alacri ſtudio pro religione & fide pugnam ſuſcepit, verùm qui cucurrit velociter, vt vinceret aduerſarium, lentè inceſſit, vt certaminis acceperit præmium: ea conditione ad regias nuptias admittitur, ſi videlicet pro ſponſalibus centum attulerit Philiſthinorum præputia: *ſic loquimini ad Dauid* (verba ſunt Saülis) *non habet rex* 1. Reg. 18. v. 25. *ſponſalia neceſſe, niſi tantùm centum præputia Philiſthinorum, vt fiat vltro de inimicis regis.* Quid tunc? *Placuit ſermo in oculis Dauid, vt fieret gener regis, & poſt paucos dies ſurgens Dauid abiit cum viris, qui ſub eo erant, & percuſſit ex Philiſthinis ducentos viros.* Vides ad vlciſcendum regem, ad regis ducendam filiam contra Philiſthæos non concurriſſe, imò poſt aliquos dies bellum adornaſſe; cùm tamen vbi vocabat virtus, vbi intererat fidei, moratus non fuerit gradum; ſed maturauerit curſum. Alibi ait: *Feſtinauit, & cucurrit:* alibi. *Abiit cum viris, qui ſub eo erant:* ergo iure teſtatur Hugo Cardinalis hic non humanam; ſed diuinam perſonam geſſiſſe: ni enim Chriſtum repræſentaſſet, contrarium modum teneret, inuolaſſet namque auidiſſimè ad præmium, maturaſſet matrimonium, & regis acceleraſſet obſequium virtutis verò ac fidei cauſam lentiùs tractaret, & oſcitantiùs diſponeret. Repetat ergo Hugo: *In funda, & lapide proſtrauit Dauid Goliam, id eſt, Chriſtus.*

Pro hac veritate ſtat Nabuchodonoſor. diuerſis arcaniſque ænigmatibus deſcriptus: apud Eze- 136.
chielem aquilæ pernicitatem induit. *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu,* Ezech. 17. v. 3. *plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri:* apud Danielem bouem induit tardigradum, & inſuper illigatum: *Ex hominibus abiectus eſt, & fœnum vt bos comedit.* Daniel. 4. v. 30. Iam curioſitas indagare diſcupit, cur alibi bouis imitetur tarditatem, pernicitatem alibi aquilæ, ſi aquila ocyor adeò tranat aëra, vt intentiſſimum fallat obtutum, quomodo bos potiùs ſignat, quàm exprimat greſſum? aut ſi bos tardus, quomodo aquila velociſſima? O amabo te, expende quo peruenerit bos, quo tetenderit aquila: & moraliſſimam diſcriminis cauſam reperies, vbi tendebat ad rapinam, vbi ſuſpirabat medullam omnem bouis tarditatem ignorauit, & perniciſſimas ſupergreſſus aquilas vicit: *Venit*, inquit, *ad Libanum, & tulit medullam cedri;* at vbi ducebatur ad pœnitentiam, quidquid aquilæ, depoſuit, & quidquid bouis, aſciuit. Innuit Tertull. lib. de pœnitentiâ cap. 13. *Cum ſqualore, & pæ-* Tertul. *dore ſeptennij ab humana forma exulaſſet, immolata patientia corporis ſui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Vbi ſatisfaciendum fuit Deo per pœnitentiam, vbi leuandi ad Cœlos oculi, ſeptennium poſitum eſt: quia vti tardigradus bos incedebat lentiſſimè, quantumvis duris calamitatum ſtimulis pulſatus, & calcaribus adactis preſſus; at vbi cupiditas rapinæ occaſionem oſtendit, præ ipſis aquilis inuolauit.

Danieli obiicitur leæna aquilæ alis inſtructa, 137.
quibus auulſis cor hominis recepit, & humanis pedibus ſubſtitit; *Prima quaſi leæna, & alas ha-* Daniel. 7. v. 4. *bebat aquilæ: adſpiciebam, donec auulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Dum leænæ aſſumit faciem, non ſtetit; ſed aſcendit; imò inuolauit: *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari:* pernicies alæ greſſus in volatum

Digitized by Google

demutabant, & conuertebant; at cùm iam depoſita leonina facie, auulſiſque alis rationalem tranſiuit in hominem, gradum fixit non ſolùm iam non inuoluans, ſed nec gradiens: *ſuper pedes quaſi homo ſtetit.* Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Quià alibi, inquit Richardus in allegor. Tilmani, ſtudebat vanitati, alibi reddebatur rationi: homo ad virtutem natus gradum ſiſtet ad virtutis exercitium, non inuolabit ad honeſtatis elogium; at ad ferinis brutiſque parendum affectibus greſſui adiunget volatum, & volatibus addet greſ- Richard. ſum. *Vultis & hoc breuiter audire, quid ſentiam de huiuſmodi beſtia alis: videtur mihi vna eſſe præcipitationis, & altera præſumptionis.* Aquilinis ad præcipitem iram, ad vaniſſimam arrogantiam alis vtitur; ad cordis verò prudentiam, ad virtus culturam pedes ſiſtitur, & neſcio quibus impedimentis ligatur.

§. XXXII.

In eas ſe conijcit peccator anguſtias, vt ambiguis ab vtraque parte cogatur inextricabiles ſuſtinere miſerias.

138. VT iuſtitiæ Sanctitatiſque ingenium eſt, vias alioquin erroribus plenas complanare, & volumina difficultatum eludere, ita ſceleris eſt proprium inextricabilibus laqueis hominem irretire, & labyrinthæis anfractibus illigare: in eas aliquando ſe peccator conijcit anguſtias, vt quocumque ſe verterit, irruentes inueniat difficultates!
Iſai.51. v.10. *Filij tui*, aiebat propheta, *proiecti ſunt dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx illaqueatus.* Venatores omnes vias ſepiunt, vt illaqueent orygem, qui in capite viarum aliquando poſitus hæret anguſtiis anteà, quam retibus implicatus: nam quacumque elegerit fugam, viam laqueis præcognoſcit obſeſſam. Nec aliter peccatoribus accidiſſe reperias: quo ſe verterint, ſæpè neſciunt: quia vbique prætenſos laqueos ſciunt. *Iuſtitiæ ratio eſt*,
Caſſiodor. aiebat Caſſiodorus 2. var. 33. *vt laudabile deſiderium ſequatur proſperitas actionum.* Iuſtitia actionibus proſperatur, & quia pennata, quia perſpicientia rationabili prædita, fruſtra ante eius oculos iacit doloſitas fraudum retia, & periculorum vincula, Salomone teſtante: *Fruſtra iacitur rete ante oculos pennatorum.* Vt ergo contraria eſt contrariorum proprietas; peruerſitatis reprehenſibile deſiderium actionum non ſequitur læta proſperitas; ſed inextricabilis difficultas.

Landabile deſiderium actionis proſperitas comitatur. Prouerb. 1. v.17.

Vxorem duxerat Samſon Thamnathæam, quæ inter ipſa nuptiarum gaudia maritum exaſperauit commiſſa ſibi ſecreta prodens: diſceſſit Samſon iratus; ſed temporis medicamine ira deferbuit, & placidus ſponſam remiſit; illa verò hominis ferociam verita ad alterius confugerat patrocinium, & ſecundum iniuerat matrimonium: *Cùm cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Inter duos diuiſam opus erat cæciſſimis curis angi: nam ſi ad primum tranſeat ſponſum, acriter exacerbabit ſecundum: ſi ſecundò decreuerit adhærere, nequibit ardentem Samſonis iram vitare: doli fraudéſque fructum tulit inextricabilem anxietatem. Profectò hiſtoria miris coloribus quod accidere ſæpà ſolet, expreſſit: gordianis non ſemel nodis illigatur animus, & luget inexorabilibus difficultatibus præpeditus. Innuit datùs ſæpè Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt 23. *Quæ in-* Ambroſ. *dignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi ſibi futuram iuſtâ formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptias ... nec ſic tamen prætento coniugio offenſionis periculum auertit*: Non auertit; ſed de remedio periculum duplicauit: in eas culpa iuuenculam coniecit anguſtias, vt quocumque ſe verterit, offenſionem alterius excuſare non poſſet. Mulierculæ de ignominoſo vanæ gloriæ faſtu tunc ſe gloriantur cæteris fœminis anteire, ſi plures ſibi amaſios contigerit conciliare: ſoluunt tamen non ſemel vitæ pretio indignum plauſum, & arrogantiæ propudioſæ delirium: alter namque zeli veſtro agitatus iuſtam vltionem exigit, & in tragœdiam vanitas ſtulta tranſit. Dubium non eſt iuſtos aliquando inexplicabilibus ad ſpeciem difficultatibus premi; ſed vt noueris quàm actionis proſperitas ſequatur ſic compeditos, quamque diuerſa ſit ſors, quæ aliter ſequitur illigatos, tranſi mente ad Iſraëlitarum & Ægyptiorum euentum.

Moyſes comprehenſa virgâ populum depoſcebat exolui: diu reſtitit peruicacia bellum duriſſimum inferens non tam Iſraëli, quam ſibi denique quam poterat concedere facultatem illæſus, fecit poſt calamitatum diluuium imprudentiſſimus, ſicque nec paruit rationi, nec conſuluit cupiditati: tendebat populus; verùm hinc mare confuſis fluctuum voluminibus viam denegabat, illinc Ægyptiorum phalanx audacibus mucronibus adurgebat. *Cùm perſequerentur Ægyptij veſtigia præcedentium, repererunt eos in caſtris ſuper mare.* Iſraëlitæ implexis, arduiſque hinc inde laboribus cincti arctantur: humanus non apparebat exitus, quando nec mare concedebat viam, nec ſuam hoſtis reprimebat audaciam; verùm quæ illos Dei eduxerat virga; mare diuidit, & vnda cedit: *Cùm extendiſſet Moyſes manum ſuper mare, abſtulit illud Dominus flante vento vehementi & vrente tota nocte.* Quod humana prudentia cenſeret ineluctabile, expeditum reddidit virga, complanauitque iter ſine difficultate obedientia. Audi Zenonem Veronenſem Serm. 3. de Exod. *Qui vt inter duo elementa peruenit, ibidem præſentaria exitum mortis expauit: hinc enim perſequentium Ægyptiorum infeſtis mucronibus premebatur, inde maris vndis magno clauſis obice premebatur: etenim illi nullæ inerant naues, nulla transfretandi præſidia, cùm ſubitò diuina prouidentia ſcinditur mare.* Tot difficultatum noctibus, tot nunquam illuſtrandis ad ſpeciem caliginibus candidam attulit lucem prouidentia diuina, & iam populus inuio itinere, marino alueo incedit pulueruléntus, & triumphat ipſis verticibus præmunitis. Vides facilem iuſtorum inter tot difficultatum volumina exitium; vide modò in quas ſe coniecerint impij anguſtias: Pharao cupiditate inſaniens, incautis greſſibus, curſu improuido profundum maris ingreditur, ibi nubem ardentiſſima fulmina ſuſtinet eiaculantem, & dum terga vertit ſerâ pœnitentiâ, quo euaſerit flammas, præcipites incurrit vndas: *Fugientibus Ægyptiis occurrerunt aquæ.* Pharao in profundum delatus ſtupet: nam ſi viam proſequitur, ſulphuream experitur flammam, ſi terga vertit, rapidiſſimam pariter vndam. O cæcum, ô improuidum! Quo te detulit inſana cupiditas! Iam cùm nullum extet remedium, miſerum ſuſtinebit

Margin: 139. — Exod. 14. v.9. — Zenon.

nebit naufragium: *Inuoluit eos Dominus in medijs fluctibus.* Cùm non haberet Pharao prouidentiam extricantem; ſed ſeueritatem punientem, periit fluctibus inuolutus, & confuſis vorticum voluminibus morſus: *Aquæ* (verba ſunt dati Zenonis) *dextera læuaque gelido ſtupore frænatæ vitreos diriguntur in muros præſtolantes tranſitum Dei populi, vt perſequentibus mare ſint.* Longè alia impiorum fuit cauſa. Iſraëlita Moyſi Deóque obſequendo in eas difficultatum deuenerat anxietudines, Ægyptius Deo reſiſtendo eas ſibi attexuit & comparauit: ergo hic miſero tumulatur naufragio, & exultat ille mirando triumpho: eò cupiditas, ambitióque Pharaonem detulit, vt nec potuerit iter proſequi, nec tergum vertere.

140. Abſalon humanæ naturæ probrum; & venuſtatis miraculum, vt immaturam rapiat coronam, infelicem prodiit in pugnam, comptulus & cincinnatus, ac de capſula totus nouit cupere; ſed ignorauit pugnare: terga citò ingloriè vertit horridis, & ferocientibus, nec ſolùm in bellum aggrediendo probatur ſtolidus; ſed in fugiendo etiam inuenitur incautus: *Accidit vt occurreret Abſalon ſeruis Dauid ſedens mulo, cùmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum, & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* Quærunt Interpretes, cur Abſalon comam ſibi non præciderit, vt audentes Ioabi lanceas fruſtrarit, quandoquidem ſatius erat infeſtum mucronem fugere, quàm comptam capillaturam ſeruare? O quàm difficulter conſulente etiam periculo depellitur diu concarnatus appetitus, & inuiſceratus affectus! Qui dum viueret, nutriendi variis pigmentis comam fuerat ſtudioſus, in morte præcidere non eſt auſus. R. Salomon in eas anguſtias putat deueniſſe, vt ſi præcidat comam, decidere opus fuerit in voraginem altiſſimam, & anhelantibus flammis plenam, aut ſi ligno perſiſtat illigatus, mortalem accipiat plagam. Ipſum audi apud Abulenſem q. 12. *Abſalom pendens voluit ſibi amputare capillos, vt cadens fugeret; ſed vidit ſub ſe apertam gehennam, & ne caderet in abyſſos, voluit potius pendere in arbore.* Expende vbi illum conſtituerit amens ambitio: ſi ſtat ſuſpenſus, infixas corde lanceas ſuſtinebit; ſi fugiat arborem, horriſonum cadet in ignem: omni ex parte angitur, & curis inſolubilibus adurgetur. Nec minor fortuna eius affeclis fuit: milites namque intemperantiam, & ambitionem ſecuti, vt hoſtiles tergis inſiſtentes vitarint mucrones, ad obſcuras ſaltus latebras ſe recipiunt; ſed ibi à feris dilacerati, & conſumpti pereunt: *Factum eſt prælium in ſaltu Ephraim, & cæſus eſt ibi populus Iſraël ab exercitu Dauid.* Addit textus: *Fuit autem ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multò plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo.* Ad ſaltus receſſus confugientes mortem ſibi maturabant, & aperto campo inuolantes gladios non effugiebant, ſicque vndequaque acerba morte obſeſſi miſerabiliter deperibant. Ita Hugo Cardinalis: *Multò plures erant, quos ſaltus conſumpſerat, beſtiæ ſcilicet, quæ in ſaltu erant.* Dum fugiunt gladij aciem, in leonis incurrunt vnguem, & dum effugiunt vnguem, incurrunt aciem.

2. Reg. 18. v. 9.

R. Salom.

Hugo.

§. XXXIII.

Nonnulli amicitiæ laruâ abſcondunt aduerſarium, & inhoneſtum exambiunt lucrum.

VT aëre paneque indigemus ad alendam vitam, ita amico nobis opus eſt ad leuandam humanæ vitæ miſeriam. Amicus fidelis exterior anima eſt, cuius ope contra infortunia munimur, cuius alloquio aduerſus moleſtiarum incurſus, & calamitates armamur. Audi Caſſiodorum in prologo de Amicit. *Homo ſine amico non habet, cui vota & affectus ſuos communicet, cui conſcientiæ ſuæ ſinum, cui ſolatium ſuum aut aliquid de moleſtiis irruentibus euaporet ſolus eſt, qui ſine amico eſt; verè autem ſolus, quia ſi ceciderit, non habet ſubleuationem. E diuerſo quanta eſt iucunditas, quanta ſecuritas habere cum quo loquaris vt tecum, cui arcanum committere, quem in tuis ſecretioribus habeas vt te ipſum;* verùm omnibus attentionis neruis incumbendum eſt in ſeligendis amicis, ne ipſo grauius adlaboremus remedio: cui patuit aditus; cui pectoris commiſſum ſecretum, fide abuti ſolet, & amotis cauſas ad fraudis occaſiones conuertit: *Apud nos primi omnium*, aiebat Seneca lib. 6. de Benef. cap. 34. *Caius Gracchus, & mox Liuius Druſius inſtituerunt ſegregare turbam ſuam, & alios in ſecretum recipere, alios cum pluribus, alios cum vniuerſis. Habuerunt itaque iſti amicos primos, habuerunt & ſecundos, nunquam veros.* Plures illabebantur cæteros præuenientes, vt ſalutationem maturarent: perſtabant atriis, admittebantur in ſecretiora; illi tamen nec Gracchum, nec Druſum introduxerunt in pectora. Non eſt amicus, qui de amicitia ſibi negotiatur lucrum, qui familiaritatis hamo piſcari nititur commodum. Disertè aiebat Clemens Alexandrinus 6. ſtromat: *Inimicum facilius eſt cauere, quàm amicum.* Sophocli viſum eſt nullum grauius altiuſque vlcus homini poſſe contingere, quàm amicus infidus; hic namque penitiora inuadit, abſtruſiora rimatur amantis ſpecie, & oſoris malignitate. *Quod maius vlcus*, inquit Sophocles, *quàm amicus ſciet malus?* Profectò Samſon cum bellua decertans elicuit fauum; malo attamen amico fidens tulit honoris probrum: diſceſſerat aliquando ab vxore iracundia exaſperatus, hanc occaſionem nactus ipſe, qui nuptiarum fuerat paranymphus, quique fortaſſis dum Samſonis apud Thamnathæam cauſam ageret, eam ſibi promiſſis allexerat, modo ſtudioſius procurauit, & infelicius obtinuit: teſtatur vxoris pater: *Tradidi eam amico tuo.* Laruatus erat amicus, qui laqueos honori prætendit, & vxorem ſibi rapuit: plus Samſoni cauendum fuit ab amico perfido, quàm à leone ſæuitia rabido: de hoc namque accepit victoriam, & ab illo tulit iniuriam: *In alterius viri*, inquit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. *conceſſit nuptias, quem tamen paranymphum ſibi Samſon quaſi fidum ſodalem, cùm duceret eam vxorem, aſciuerat.* Vt fideliſſimo ſodali paranymphi munus commiſſum eſt; ille verò legationem detorſit, & puellam lenociniis, promiſſionibuſque corrupit, ſecretum prodere ſuaſit, & abſentiæ occaſionem præſtruxit, vt pulchellam ſibi conciliaret: ni amici aſſumpſiſſet laruam non ageret paranymphum,

141. Caſſiod. Seneca. Clem. Alex. Sophocl. Amicus infidus vlcus eſt peſtilentiſſimum. Ambroſ.

Digitized by Google

ranymphum, & ni paranymphum ageret alloquendi fœminam opportunitatem nullatenus inueniret, nec amici honorem violaret. Non paucos inuenias eiuſmodi paranymphos: ſe ingerunt, operas ſuas lubenter offerunt, officiis promerentur amicitiam, non tamen vt ſint amici; ſed vt commodius, tectiúſque aduerſentur honori.

142. Electi ſunt duo ſenes in populi iudices canitie venerandi, & ad ſpeciem grauitate maturi, hi ſpecie honoris Ioachimi domum in Tribunal delegerunt: *Frequentabant domum Ioachim.* Honorem præ aliis Ioachimo ad ſpeciem deferentes eius domum curſitabant; verùm ſub ea honoris ſpecie latuit infidus animus, & inſanus appetitus: videbantur ſtudere mariti honori; ſed inſidiabantur vxoris formoſiſſimæ caſtitati: *Surrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam.* In abſtruſiora vti amici fideliſſimi admiſſi apparuerunt infeſtiſſimi aduerſarij: & quidem ni cœleſti ſapientia Diaboli commenta fuerint denudata, Suſanna vitâ mulctaretur & fama, & mariti ſorderet gloria: *In hoc peruerſo ſæculo*, inquit Zeno Veronenſis ſerm. 9. de Suſannâ, *contra laudabiles viros multiformes tenduntur inſidiæ.* Inſidiæ ab amicis, à domum frequentantibus Ioachimo perſtruebantur, dúmque doloſis officiis Ioachimi amicitiam ſenes demerentur, periculoſiùs eius honori inſidiantur.

Daniel. 13. v. 6.

Zeno.

143. Acies ex parte Iſboſeth cum Dauidis aciebus confligunt: ceſſit in Dauidis partem victoria, & Abner fugam arripuit: Aſaël fugientem inſequitur pertinaciter, & adurget obſtinatiſſimè: ergo cùm Abner non poſſet vrbanis, & humillimis inſectantem frænare verbis, aggreſſus eſt inflictis cohibere plagis: *Percuſſit ergo eum Abner auerſa haſta in inguine, & tranſfodit, & mortuus eſt in eodem loco.* Abner de Aſaële tulit victoriam; ſed ab eius fratre Ioabo lethalem, dum amicitiam ſimulat, accepit plagam: *Seorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo & percuſſit illum ibi in inguine, & mortuus eſt in vltionem ſanguinis Aſaël fratris eius.* Difficiliùs fuit Abner à laruato amico præcauere, quàm legitimum hoſtem occidere Aſaël manifeſtè aduerſabatur; at eius frater Ioab mentitus eſt amicitiam, vt inferret ſecuriùs plagam. Is erat Abner, qui ſtrenua bellandi peritia, & prudenti audacia cum Ioabo non recuſaret certamen; at miſerè occumbit, dum Ioab foris ſe oſtendit amicum, & intus virulentiſſimum aduerſarium. Audi Ioſephum lib. 7. antiq. cap. 1. & apud gloſſam: *Deteriorem ruinam aggreſſus eum occidit, & Abner quidem hoc modo ab Ioab dolo peremptus eſt, pro morte, ſicut dicebat fratris ſui Aſaël; vt tamen veritas habuit pro metu proprij principatus, & honoris, quem habere poterat apud Regem.* Conſonat Theodoret. q. 13. inquiens: *Non in acie es ſuperatus, & tanquam bello captus es ligatus; ſed ſimulatio amicitiæ tibi vulnus intulit.* Amicitiæ aſſumpſit laruam, vt commodiùs auferret vitam: nefariis artibus fratris ſanguinem vindicauit, & ambitioni conſuluit: non metuit Abner laruatum, & expertus eſt fraudulentum: decertans cum Aſaële aperto hoſte detriumphauit à Ioabo occiſus occubuit, adeò grauiſſima peſtis eſt amicus doloſus obſequiis demulcens, & officiis cautelam dedocens.

2. Reg. 2. v. 23.

2. Reg. 3. v. 27.

Ioſeph.

Theodoret.

144. Multoties ab inimicis obſeſſus Chriſtus eluſit illorum artes; & fuga puniuit duriùs furores: *Repleti ſunt omnes in ſynagoga irâ hæc audientes, & ſurrexerunt, & eiecerunt illum extra ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſupercilium montis ſuper quem ciuitas illorum erat ædificata, vt præcipitarent eum; ipſe autem tranſiens per medium illorum ibat.* Aduerſùs iræ inſaniam, aduerſùs inimicorum cateruam præualuit, & vicit; aſt dum Iudas amicitiæ larua ſubdolus accedit, capitur, & vincitur. *Amice*, aiebat Chriſtus, *ad quid veniſti?* Non interrogat ignorans; ſed nos docens qualis ſit laruata, & fraudulenta amicitia: Iudas accedit, amorem oſculo profitetur, amicitiam ſalutatione teſtatur; verùm ad amicitiæ ſimulationem confugit, vt deteſtabili auro hydropicam fouerit auaritiam: mentiebatur obſequium, ſed vt conſequeretur deteſtabile lucrum. Itáque de amicitiæ Sacramento celauit dolum, vt acquireret aurum: amicitiæ ſpecie texit aduerſarium, & miſerum inhiauit ad commodum. Itáque aduerſariorum, quos ipſe Iudas ducebat, verbo Dominus repreſſit iras; doloſi verò amici ad noſtram eruditionem non fugit technas, quaſi grauius malum ſit inſidus amicus, quàm copioſiſſimus aduerſarius: *Dicit: Amice* (verba ſunt Origenis apud D. Thomam) *improperans ſimulationem.* Adſtipulatur ibi Auguſtin. *Tanquam ſi diceret: Oſcularis, & inſidiaris: noui quare veneris: amicum fingis, cùm proditor ſis.* Vti amicus, quo Chriſtum caperet, agnouit horti ſecretum; vti auarus cupiuit aurum Iudæ amicitia cupidiſſatis fuit negotiatio, ſolúmque ne amitteret lucrum, oſculi exhibuit obſequium: inſidiabatur, & blandiebatur; imò de blanditiarum artificio occaſionem procudebat fœdiſſimo dolo. Nec aliter Samſonis paranymphus ſe geſſit: vti amicus ſuſcepit legationem, quo tutiùs diſponeret fraudem. Ergo nullum hac in re examen ſuperfluum eſt, nulla imprudens probatur eſſe cautela: quia hominum animis inſidet periculoſa verſutia.

Lucæ 4. v. 28.

Matth. 26. v. 5.

Origen.

Auguſt.

§. XXXIV.

Vitium falſis inescat ſpebus, diſcruciat veris doloribus.

145. PRæſtigiatrix voluptas imponit oculis, fallit mentem, & fabulis oblectatos veris poſteà adurget doloribus: quo vitiis tempus non taxetur longum promittit, & ne vti homines viuamus, quòd victuri ſimus perſuadet: quicquid voluptas promittit, apertis & propitiis auribus recipitur, ima in præcordia deſcendit, & ipſo, quo nobis illudit nocentior, videtur gratior. Præſtigiatorum acetabula, & calculi, in quibus ipſa fallacia delectat, ſine detrimento decipiunt; voluptas verò mutuatur à præſtigiatoribus delectabilem fallaciam; ſed addit noxam. Quàm benè Seneca epiſt. 45. *Ecce tota mihi vita mentitur, hanc coargue, ad verum ſi acutus es, redige.* Nobis illecebræ imponunt, & mentiuntur, nec illas coarguimus: quia ipſo mendacio oblectamur: cúmque ille ſolum ſolidè ſit beatus, cui virtus in animo eſt, qui nobis miranda calcat, ſic cæcutimus, vt arbitremur beatum gaudiis fallaciſſimis irretitum: nil intereſt omni die gaudeas, ſi vltimo pereas: vitæ clauſula extrema pretium imponit: transcurre tempora, & tecum cogita miſeram eſſe felicitatem, eámque fortunam per placidum pelagus, & tranquillum mare in ſyrtes impingere:

Seneca. Tota vita nobis mentitur.

Digitized by Google

gere : nauigationis felicitas infamatur luctuoſo naufragio, vt è contrà procelloſum iter felici ad portum honoratur appulſſu. Cassiod. *Sirenas in miraculum cantaſſe* (verba ſunt Caſſiodori 2. var. 40.) *curioſa prodit antiquitas, & quamuis nauigantes fluctus abduceret, carbaſa ventus inſtaret, eligebant ſuauiter decepti ſcopulos incurrere ne tantam paterentur dulcedinem præterire.* Suauitate ineſcati, & quodammodo à ſe ipſis alieni non cogitabant ſcopulos, nec præuidebant, voluptatis pretium miſerandum fore naufragium. Quod fabuloſa de Sirenibus finxit antiquitas, de illecebris quotidiè experta comprobat veritas: dulcedine ſirenes ineſcant, prolectant ſuauitate, & ne prudens ſtylum vertere metus ſuadeat, ſenſum ſtupiditate corrumpunt, & euanidis ſponſionibus fallunt. Diſceſſerat iratus Samſon, cúmque eius vxor prudenter iram perhorreſceret, non defuit mœchus blanditiis metum extenuans, & inuictas ad tutelam vires iactans : *Putaui quòd odiſſes eam,* aiebat pater, *& ideò tradidi illam amico tuo.* Vt alliceret, vtilem triſtitiam iucundauit, attenuauit metum, cruentæ ſeueritati promiſit faciliter obuiandum, & fœmina inani ſpe innixa ſibi perſuaſit poſſe periculum declinare, ſi virum ſibi futurum tutelarem aſciuerit ; verùm cùm ignis à Philiſthæis diſpendio commotis domui ac familiæ pararetur, nullam inuenies viri mentionem : fortè abfuit flammis deſertans ardentibus vſtulandam, quam, vt in adulterium traheret, acceperat defendendam : *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Et vbi tunc vir ? Aberat non tam caſu, quàm conſilio & quæ illuſa falſis promiſſis, veris eſt diſcruciata tormentis. Ambroſ. Innuit Ambroſ. lib. 3. epiſtol. epiſt. 23. *Quæ indignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi ſibi futuram iuſta formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptias ; nec ſic tamen, prætento licèt coniugio, offenſionis periculum auertit.* Quæſiuit contrà ferociam virum, ille vt alterius torum fœdaret, reprimendam Samſonis facilè iram, & illæſam fore fœminam iactitabat ; verùm cùm ignis exarſit, flammis exurendam reliquit.

146. Iob. 17. v. 5. Iob verſipelle vitij ingenium mirè deſcribens ſic ait : *Prædam pollicetur ſociis, & oculi filiorum eius deficient.* Filios lactat pollicitationibus, nutrit promiſſis ; ſed vt oculi ad ſpes falſiſſimas oppanſi infructuoſis gemitibus deſœdentur illuſi : *Oculi deficient.* Pollicitatio fouebat ſpem, non quam ſolaretur felicitas ; ſed quam puniret ſeueritas : defecerunt oculi cupiditatis tenebris obcæcati vt irremediabiliter lugerent puniti. Graphicè Gregor. Gregor. lib. 13. Moral. cap. 12. *Deceptoriis promiſſionibus illuſi augendæ prauitati nutriuntur quos promiſſionibus lactat, vt ad peiora proficiant ; ſed oculi filiorum eius deficient : quia prauorum intentiones cadunt, cùm omne, quod hîc appetunt, deſerunt, & illic quod doleant, ſine fine patiuntur.* Quàm dulci promiſſionum lacte, quàm ſuaui fallaciarum errore ènutrit ſuos aſſeclas vitium, ne timoris ſtimulis, & prouida triſtitudine futurâ cogitent, & reſipiant, deceptoria promiſſione ludificat, præſcribit pœnitentiæ tempus, gemitibus ſpondet ſpatium, periculum exarmat, vitæ curſum finiendum clauſula felici aſſeuerat ; verùm miſeri ſpebus deceptoriis lactari creſcunt crimini, illuſi addicuntur etiam calamitati : *Quaſi filios promiſſionibus lactat, vt ad peiora proficiant ; ſed oculi filiorum eius deficient.* Infelici profectu augentur, illuſoriis ſpebus innutriti incrementantur ; ſed dum robuſtiores fiunt vitio, & creſcunt etiam tormento : *Promiſſionibus lactat, vt ad peiora proficiant ; ſed oculi filiorum eius deficient.*

Mulier Ioanni obiicitur copioſas inſidens ſuper 147.
vndas : *Sedet ſuper aquas multas.* Delitiis innu- Apoc. 17. v. 1.
trita flammam deſpiciebat ; quia eius amatores vndas contrà flammam fore putabat : *Aquæ, quas vidiſti*, inquit Angelus, *vbi meretrix ſedet, populi ſunt.* Ne meretrix ſe voluptati ſubduceret, flammas præcauens, & manere ſibi ignem prudenter ſuſpicans, copioſiſſimi gurgitis amatores oſtentabant ingenium, quaſi nullo negotio ignem valerent extinguere, & periculum propulſare ; ſed vide qualiter ſe geſſerint hi aquarum torrentes: *Flebunt, & plangent ſe ſuper illam reges terræ,* Apoc. 18. v. 9. *qui cum illa fornicati ſunt, & in delitiis, cùm viderint fumum incendij eius longè ſtantes propter timorem tormentorum eius.* Vndæ, quæ ad ſopiendum flammarum timorem vndique mulierem circumcingebant longiſſimè deſtiterunt, cùm flamma vorax aduſſit, & ſordidus fumus arſit : *Longè ſtantes, cùm viderint fumum incendij eius.* Et vbi modò copioſi vndarum torrentes, vbi thronus cryſtallinis de vorticibus elaboratus, & in medio mari ad ſpeciem firmiſſimè conſtitutus ? Aquæ receſſerunt labiles, flammæ adurunt perenniter permanentes. Luctum nunquam ſe viſuram promiſerat ob incendium labili diteſcens ſubſidio : *Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* Falſatis ſe ſpebus munit cõtrà ob incendium luctum: irridet luctum, quia de exundãti vndarum copia obruendum arbitratur incendium; ſed dum faſtu tumet ſuperba, flammis decinereſcit punita : *Reginam ſe Babylon vocat quodammodò*, eleganti ſtylo ſcribit ad hunc locum Ambroſius, Ambroſ. *cùm ſe in proſperis huius mundi extollit. Viduam non ſe eſſe dicit : quia à bonis temporalibus ; quibus coniuncta eſt, & ex quibus luxuriam ſuam enutrit, non ſe poſſe diſiungi confidit.* Adnectit Sanctiſſimus Doctor : *Luctum non ſe eſſe viſuram dicit : quia impij quamuis ſciant ſe pro ſceleribus ſuis eſſe puniendos, fingunt ſe non videre, quod vident, memoriámque mortis à mente reiiciunt, ne triſtis cogitatio lætitiam cordis eorum perturbet.* Videt labiles vndas : ſed cæcutit ad lapſum, & extinguendum fidit impudenter incendium, nec ob incendium futurum luctum ; exarſit tamen aquis deſtituta, & anhelantibus flammarum vorticibus cincta.

Fera eſt (verba ſunt Stobæi ſerm. 6.) *ſibi man-* 148. Stobæus.
cipans homines voluptas ; ſed mitis : nam ſi apertè pugnaret, citò caperetur : nunc autem ideò etiam inuiſa magis, quòd celat inimicitiam induta habitum beneuolum. Subſultat vt mitis fera, & vt illudat, ludit : defucata beneuolentia oblectat incautos, vt inopinè recrudeſcente feritate, erumpente ſæuitia diſcruciet, ac dilaniet ſtultos.

Video aliam legem, aiebat Paul. *in membris* 149.
meis repugnantem legi mentis meæ, & captiuan- Ad Rom. 7. v. 23.
tem me in lege peccati, quæ eſt in membris meis. Voluptas adulatur lenociniis, induit ancillæ habitum, non vt ſeruiat ; ſed vt dura premat captiuitate : itáque habitus eſt famulantis ; ſed res prementis : nam vt qui equum aſcendit indomitum aliis eminet, & equitans tumet, quouſque miſerè expulſus proculcatur, & ad terram illiditur ; ſic voluptate equitans raptatur, & ipſe aſcenſus

ſeruit

Ambroſ.

ſeruit ruinæ, & fructificat miſeriæ. Perbellè Ambroſius lib.3. de virgin. *Raptatur, voluitur, obteritur, laniatur, affligitur.* Plauſu allicit, rotatu nocet: *Paſſiones peccatorum,* præmiſerat Paulus, *Quæ per legem erant, operabantur in membris noſtris, vt fructificarent morti.* Criminis fructus eſt gemitus, dolor, mors, foliis tamen pulcherrimis oculos detinet, & dum detinet, fallit.

§. XXXV.

Rarus eſt, qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & deliciis patrocinantem.

156. CItò accedimus opinioni, illam non coarguimus, nec diſcurere laboramus; ſi tamen deliciis inſeruiat, & temporales commoditates promoueat: legibus deliniendis arte elaboratam quærimus gloſſam, ſi ad arctam compellant viam Affectus aduocati munus gerit, & fucatis rationibus; imò coloratis fallaciis nobis fidem facit: quia facilè credimus, quòd vehementer eſſe diſcupimus. Expendebat Tertull. lib. de Patient. cap. 7. lucelli cupiditate non deeſſe patronum cauſis prorſus perditis, & damnatis, & quamvis rei apertè noſſent fucatis ſolùm rationibus; imò clariſſimis fallaciis eorum cauſam colorari, nihilominus deſiderij eloquentia perſuaſi, & adfectus Rhetorica illecti exiſtimabant legibus non refragari; imò poſſe iuris auxilio defendi, quod quàm longè ab æquitate non dubitabant diſtare:

Tertull.

Pecuniæ cauſa etiam in foro nil damnationi timendum aggredi dubitant: id eſt, aduocati vt lucellum comparent, nihil dubitant aggredi; imò omne vitium opinionibus excogitatis tentant defendere. Horum exemplum noſter imitatur affectus: manifeſtè errata colorat, & virtutis colore inaurat: ſi vel tenuis rationis vmbra cupiditatem protegat, habetur validiſſima, & ſuſcipitur, quia grata. Hinc demirandus eſt Samſon, qui vxoris ſororem reſpuit in matrimonium admittere, cùm lex aliqualis non deeſſet, & eximia puellæ venuſtas alliceret: *Habet ſororem,* aiebat pater; *quæ iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor.* Dum in matrimonium offertur, legibus Philiſthinorum matrimonium non aduerſari indicatur. Ita Abulenſis q. 4. *Secundum legem Philiſthinorum poterat accipere in vxorem ſororem vxoris ſuæ. Sic patet ex verbis patris, ſcilicet: Habet ſororem, quæ iunior, & pulchrior illa eſt, ſit tibi pro ea vxor; ſi tamen inter Philiſthinos eſſet omninò vetita iſta copula, non diceret pater puellæ: ſit tibi pro ea vxor. Dicendum tamen quòd ſecundùm legem Hebræorum non poterat Samſon illam accipere.* Itaque lex vetabat; Philiſthinorum tamen opinio voluptati fouebat: dum ergo Samſon opinionem commodis fauentem non amplectitur; ſed rigorem legis ſectatur, Chriſtum refert, nec ſolùm hominem agit: ſi enim Chriſti non eſſet ænigma, opinionem fortè amplecteretur ad commoda, & quantumvis Hebræi contradicerent, Philiſthinis accederet, ſi affirmarent. Samſonem Chriſti geſſiſſe figuram, vidimus iam ex Hugone ad præteritum caput:

Hugo.

Samſon Sol eorum interpretatur, & Chriſtus eſt Sol Iuſtitiæ. Chriſtum refert, ſequiturque; qui opinionem pro appetitu, & humanis commodis non admiſit; ſed legi adhæſit.

151. Ieremias Achab filium Choliæ, & Sedechiam filium Maaſiæ Prophetas habitos fuiſſe oſtendit, eorúmque ſententiam fœminas plures amplexas, & aduerſùs legem illuſas: *Prophetant vobis in nomine meo mendaciter.* Hieronym. ad hunc locum ſic habet: *Illud ſignificari putant, quòd miſeras mulierculas, quæ circumferuntur omni vento doctrinæ, ſic deceperint, quo dicerent eis, quia de tribu erant Iuda, Chriſtum de ſuo ſemine eſſe generandum: quæ illecta cupidine præbebant corpora ſua, quaſi matres futuræ Chriſti.* Lex à Deo data adulteria verbis clariſſimis refutabat, verùm dum ſenes duo in appetitus fauorem opinabantur, illectæ cupidine fœminæ eis adhibebant fidem, & proſtituebant caſtitatem: *Illecta cupidine præbebant corpora ſua, quaſi matres futuræ Chriſti.* Docebant ſenes non aduerſari virtuti; imò Meſſiæ poſſeſſioni inſeruire cum viris è tribu Iuda commiſceri: cúmque mulierculæ arbitrarentur poſſe coniungere cum Chriſto appetitum, & cum appetitu Chriſtum concordare, eam lubenter amplectabantur ſententiam, lege reclamante, & ipſa rationis luce contradicente. Lex ablatum reſtituere cogit; ſed ſi neſcio quis vmbratili hac aut illa ratione obligatione exoneret, & retentionem licere affirmet, ſententiam ſuam facilè perſuadebit: quia ſuffragium feret auaritia, & luci tenebras effundet amentia.

Ierem. 29. v. 21. Hieron.

152. *A propheta vſque ad Sacerdotem,* deplorabat Ieremias, *cuncti faciunt dolum, & curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes: Pax, pax, & non erat pax.* Studebant auaritiæ, dicabantur cupiditati, & quamvis reclamaret conſcientia, pro conſcientia amplectabantur fallaciam clariſſima, cæcutiebant ad lucem, ſonoram obſurdeſcebant ad vocem, & cum vitiis non deeſſet patronus, qui errorem eſſe diceret virtutem, aut alleuaret ſaltem grauitatem, facilè præſtabant fidem conſcientiam adulterantes, & rationi vim inferentes. Prodeſt Hieronym. ad hunc locum:

Ierem. 8. v. 11.

Hieron.

A propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum: alij in prophetando mendacium, alij peruerſè interpretando legem Dei: dicit enim, & in alio loco propheta: Quærite legem à Sacerdotibus; & cum, inquit, tanta facerent, proſpera quæque meo populo nuntiabant, & quaſi curare cupiebant vulnus, & ignominiam filiæ meæ dicentes: Pax, pax, cùm pax omninò non eſſet. Delicti vulnus, ſceleris ignominiam experiebantur; ſed cùm ingenioſè argumentatrix cupiditas ſit, à Sacerdotibus legem quærendam, vt principium inconcuſſum ſibi ſtatuens, nonnullóſque Sacerdotes legem ſuis deliciis detortam adaptare conſpiciens eorum accedebat opinioni, & contrà experientiam ipſam ſe putabat refragari nullatenus legi. Sacerdotes faciebant dolum, Peruerſè interpretando legem Dei, & tamen facilè proprio cupiditas denudabatur iudicio, vt adhæreret alieno: plaga internam afferebat anxietatem, cupidus & auarus medicus delinientem afferebat extrinſecùs opinionem, & æger mente ac vitiorum libidinibus æſtuans fidem non præſtabat interno vulneri, vt fallaci præſtitiſſet medelæ: *Hoc propriè de Sacerdotibus & Doctoribus intelligendum eſt,* addit Hieronymus, *qui diuitibus, & eis, quos vident in honore maximo conſtitutos, repromittunt proſpera, & dementem prædicant Deum.* Variis vtrinque cogitationibus agitati, dum hinc conſcientia

Digitized by Google

ſcientia vrget, & illinc opinio adulatrix lenit, reſpuunt conſcientiam, & blandientem ſibi amplectuntur ſtudioſè doctrinam. Profectò illis adaptare poſſes, quod de eximiæ virtutis cultore Paulus aiebat: In ſpem contra ſpem credit peccatoris fatuitas, & licet quod experitur, deluſoriis ſpebus manifeſtè reluctetur, credit promiſſæ paci & cum legibus fraudulentæ concordiæ.

153. Dei propheta duram pſeudoprophetis, regique idololatræ indicturus ſententiam delegatur, & ne muneribus, doniſque acceptis munus iudicis auarè obſcurauerit, aut ſeuerè adeò non exercuerit, in præceptis habuit nil accipere; ſed ieiunum prorsùs ad ſua redire: aduentauit, contrà ſacrificulorum antiſtitem, regémque fulminauit ſententiam, & miraculis ſuffulſit ingentibus pronuntiatam: altare ſcinditur, cinis diſſipatur, manus contractis ſtupet neruis: ſaluti reſtituitur orationis ſubſidio, cúmque iam peracta ritè legatione ad ſuos rediret propheta; ſenex qui apud regem tunc in honore habebatur, redeuntem inſequitur, illique ſe ab Angelo accepiſſe eius curam agere, & menſa opipara recreare teſtatur: *Veni mecum domum, vt comedas panem. Qui ait: Non poſſum reuerti, neque venire tecum: nec comedam panem, neque bibam aquam in loco iſto: quia locutus eſt Dominus ad me in ſermone Domini dicens: Non comedes panem, & non bibes aquam ibi, nec reuerteris per viam, qua ieris.* Clara erat Domini ſententia nullis ambagibus impedita, dubietate nullâ perplexa, & tamen veternoſus ſenex itineris laboribus defatigato, & ieiuniis famelico ab Angelo ſe aſſeruit præmonitum, vt illum paſceret, & reduceret: *Et ego propheta ſum ſimilis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Domini dicens: Reduc eum tecum in domum tuam, vt comedat panem, & bibat aquã.* Quid tunc? *Fefellit eum, & reduxit ſecum.* Plura ſunt hoc in caſu, quę rei morali deſeruiant. Inquiramus priùs quomodò Dei propheta, qui ab ipſo Domino fuerat prohibitus, fidem homini præſtitit nimis credulus: pſeudopropheta Angeli mentiebatur conſiliũ, propheta verus à Domino ipſo audierat mãdatum: cur ergo non perplexus dubitauit, ſed falſus credidit? Quia fames pro dolo ferebat ſuffragiũ quod pſeudopropheta teſtabatur, erat cõforme appetitui quod à Domino acceperat, veritati: ergo amplexus eſt prophetæ ſententiam deſiderio fauentem, & appetitionibus adulantem. Opportunè Lyra: *Non debuit propheta Domini tam leuiter ſibi credere: quia probandi ſunt ſpiritus, vtrùm ex Deo ſint ſecundùm quod dicitur 1. Ioannis 4. Fuit etiam ad credendum inductus ex concupiſcentia cibi, quia erat ieiunio fatigatus.* Fames energiam addidit pſeudoprophetæ mendacio, & appetitus fidem præſtitit captioſo dolo: ſibi ipſi propheta impoſuit, & contrà fidem fidei ſe debere aſſentiri credidit. Iam quale fuerit doloſi ſenis ſtudium, ingenioſa ſedulitate ſcrutantur Interpretes, putántque doloſas ſenem texuiſſe inſidias, vt rex à viro Dei ſententiam fulminatam veram non crederet; ſed fidem ſibi præſtaret. Ita Hugo Cardinalis: *Iſte pſeudo propheta Princeps erat Sacerdotum, & valdè à rege colebatur tanquam diuinus: timens autem, ne per ſermonem viri Dei rex à cultura Idolorum recederet, & ſe tanquam maleficum interficeret, excogitauit, vt virum Dei deciperet, ſatis argutè agens, vt dum tranſgrederetur præceptum Dei, illius iram incurreret, ſicut poſteà fecit dum magis homini, quàm Deo credidit, ac per hoc monſtrarentur eſſe falſa, quæ prædixit, ſicque regi perſuadere poſſet, ſicut fecit.* Adnectit noſtræ theſi ſatis idoneè Hugo: *Audiens enim rex euentum putauit irrita, quæ vir Dei dixerat, & non declinauit à via ſua mala.* En quæ Dei propheta promulgarat, fuerant mitis euidentibus confirmata: ipſe manu palparat miraculum, oculis ipſe miraculoſum vidit euentum; & tamen dum veternoſus concinnatis dolis, doloſis verbis omnia teſtatur irrita euanidáque aduersùs miracula credit: quia veternoſi opinio cultui idolorum fauet: adeò facilè nobis perſuademus, quæ ambitio ſuſpirat, & quæ appetitus anhelat.

3 Reg. 13. 15.

Lyra.

Hugo.

§. XXXVI.

Vtilem Dei memoriam affert calamitas, periculoſam obliuionem proſperitas.

DEi memoria ſalutis eſt teſſera: nam qui Deò dicauit mentem, à vitiis repurgauit, & virtutibus addixit: Dei obliuio fœcunda calamitatis ſcaturgo eſt: nam quem Dei memoria ad virtutem non expolit, & exacuit, vitiorum lues pernicioſiſſima inficit: peccatores Dei memoria nititur priuare aduerſarius: nam Dei oblitos omni nouit crimini obnoxios. Econtra Deus vt à ſceleribus abſtrahat, etiam calamitatum ærumnis refricat memoriam, & de memoria procudit gratiam. Tertullian. in Apologet. cap. 41. ſic ait: *ſequitur vt omnes ſæculi plagæ nobis ſi fortè in admonitionem, vobis in caſtigationem à Deo obueniant.* Deus ſuos plagis admonet, non ſuos & caſtigat & frænat: vnde ipſa ſeueritas internè lenitas eſt: nam voluptatibus permiſſi, infelices ſunt, vt qui à Dei recordatione frequenter comprobentur expuncti. *Copia*, aiebat Chryſolog. de prodigo ſerm. 2. *tulerat ſentire genitorem.* Dum genitoris caruit memoria, in omnem ſe voluptatem profudit, & porcorũ gregibus dedicauit. A Dei memoria exulauit Cainus, vt cumulatè infelix probaretur oblitus, qui & flammis inueniebatur dicatus. En Samſon ſponſam iuſta cauſa exaſperatus reliquit, illa adeò ſponſi oblita eſt, vt alias ambierit nuptias, & nuptiarum illecebras: *Putaui*, aiebat pater, *quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Gaudiis & deliciis ineſcata Samſonem prorſus è memoria deleuit, & ab animo excuſſit, verùm etſi aliquo tempore illuſoria felicitate, & fortunâ fallaciſſimâ efflorueri, acri incẽdio præparabatur: Philiſthini námque ob violatã fidem flammis anhelantibus tradiderunt, & Samſonem vindicarunt: *Combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* En quæ non ſenſit abſentiam, ardentiſſimam tulit flammam: ſatius illi eſſet doloris ſtimulis adurgeri, quàm nuptiarũ delinimentis abduci: memoria namque Samſonis excitaſſet amorẽ obliuio, nutriuit ignem, & felicitas obliuionem. *Cùm Dei reminiſcor*, aiebat Bernard. lib. de anima c. 1. *in memoria mea eum inuenio.* Memoria quodammodò iam inuenit, quem obliuio prorsùs amiſit: ergo cùm copia, vt aiebat Chryſol. memoriam tollat, ſuſpecta nobis debuiſſet eſſe: probatur namque plures inde miſeri, vnde deprædicantur beati. Si Samſonis, hoc eſt, Chriſti ſponſa gaudiis ſuperuenientibus illecta abſentem prorsùs obliuioni non tradidiſſet, & rogum fortè vitaſſet; at dum abſentiæ tempus euanidis deliciis terit, dum fraudulentis gaudiis inſumit Samſon, aduentat, & ſeuerè iniuriam caſtigat. 154.

Tertull.

Chryſol.

Bernard.

155. Diſceſſerat ſponſus; ſed infirmitatem, noctémque ad ſui memoriam excitandam reliquit: nec enim erat abſentia indignationis filia; ſed proba-
Cantic. 3. v. 1. tionis cognata: *In lectulo meo per noctes quæſiui quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni.* Sponſo ſe fraudatam dolens verſatur in lectulo, & dum lectulus ingerit memoriam, de ipſa memoria ſolicitat medicinam: ipſam audi ſibi gratulantem: *Inueni quem diligit anima mea, tenui eum, nec dimittam*: Infirmitas ſponſum dedit ſapere, & memoria perſuaſit inquirere. Ita Gilli-
Gillibert. bertus Serm. 1. *Recedente ipſo illa recidit ad lectulum infirmitatis, & ignorantiæ noctem. Iam verſatur ſuper ſtratum infirmitatis ſuæ, ſuper hunc tamen ſtratum memoratur dilecti, & iam non in matutinis; ſed in nocte meditatur in ipſo quærens quem diligit anima ſua: non pigrè agit in hoc lecto, ad quem relapſa eſt, non laſciuit, non delectatur in lecto concupiſcentiæ; ſed magis reluctatur memorata dilecti ſolius*: Infirmitas lectulúſque obliuionem depulit, & abſentis memoriam refricuit: ergo feliciùs decubuit infirma, quàm diuagaretur ſana: nam inter delicias, & mundi illecebras dilecti memoria extincta periculorum pateret incurſui; morbis prægrauata eſt reſtituta felicitati: *Inueni quem diligit anima mea.* Vt cæcutimus, iniquam de rebus ſententiam ferimus: demiramur vti felicem delicioſis proſperitatibus circumfuſum, cùm præparetur ignibus à Dei prorſus memoria, & cognitione amandatus: ergo amorem ſuum prodidit ſponſus, dum ſui vicariam, infirmitatem reliquit: nimis iratus diſceſſit Samſon, dum voluptas omnem memoriam expunxit.

156. Hebræi è propriis ædibus abducti Babylonem incolebant, ibi durâ captiuitate oppreſſi, & antiquæ felicitatis memoria non minùs exulcerati pro-
Pſal. 136. v. 1. fuſis lachrymis Syonis recordabantur: *Super flumina Babylonis ille ſedimus & fleuimus, dum recordaremur tui ſion.* Duriſſimi tyranni repreſſis lachrymis inuitabant ad gaudia, & depellere nitebantur lamenta: *Illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cautionum.* Mœrentes ſolabantur, vtque ſecuriùs captiuitate premerent, ad cautiones inuitabant, & variis perſuaſionibus adurgebant: nouerant namque inimici mundialibus gaudiis memoriam Sionis extingui, lamẽtis ali: ergo vt omnem prorsùs memoriam virtutis auxilium deterant, ad gaudia prouocare adlabo-
Euthym. rant: *Attulerant ea inſtrumenta*, inquit Euthym. hîc *ad continendas diuinas laudes; verum cum ea in ſalicibus ſuſpendiſſent, attoniti rursùs ac mœſti ea ſpectabant, atque occaſionem illinc lamentationum, magnam ſumebant repetentes memoria diuinum cultum, & conuerſationem illam laude dignam, quam habuerant in Sion.* Adnectit: *Juſſerunt nos canere, cupientes nimirùm cantu noſtro delectari.* Babylonij Dæmonum imagines afflictabantur ſingultibus, & oblectarentur cantibus: ergo iniqua compaſſione ad gaudia proritabant, & memoriam vtiliſſimam auferebant, veriti Sion recordationem fore captiuitatis excidium, & cupiditatum naufragium.

157. Danieli obiicitur ingens bellua, quæ leoninum ſortita ingenium aquilinis etiam aliis fulgebat:
Daniel. 7. v. 4. *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ*: Contenta non fuit ſuperbia animalium primatu; ſed auium etiam fulgere conata eſt regno: verùm dum omnium diſcupit ambitioſè primatum, auulſis alis de terra ſublata mœret, & mœrore quæ modò brutum, iam homo: *Aſpiciebam donec auulſæ ſunt alæ eius, & ſublata eſt de terra, & ſuper pedes quaſi homo ſtetit, & cor hominis datum eſt ei.* Ad mentem redit, quæ à ratione diſceſſerat: dum aquilinis inuolabat alis dum animalium principatu fulgebat, ab homine tranſierat in beſtiam auulſis tamen alis de doloris artificio, de bruto tranſtuit in hominem, & labor laudandis præſtigiis de ipſa brutalitate efformauit prudentiã: & in ægritudinis officina rationabilem reſculpſit naturam: *Cùm cœperit corpus tabeſcere*, inquit Ri-
chardus in allegor. Tilmani, *caput dolere, velis nolis, oportet alas deponere.* Adnectit: *Aſſiduè ergo ſtat,* Richard.
quia ſine intermiſſione laborat: ſupra pedes ſtetit vt homo. Labor cor reſtituit, abſtulerat proſperitas, & felicitas: exulabat volatu ſublimis à rationis dignitate, auulſis alis plus recepit, quàm amiſit, & qui felicitate obbruteſcebat, dolore reſipiuit, & doloroſe alarum auulſione rationem recuperauit.

Hinc Iſaias clamabat: *Domine in anguſtia re-* 158.
quiſierunt te, in tribulatione murmuris doctrina tua Iſai 26.
eis. Quem fortuna lætior amiſerat, anguſtia inuenit, v. 16.
& dolor dũ incutit ſenſum & reluminat etiam oculum. *In anguſtia requiſierunt te. Quaſi dicat,* expo-
nit Interlinearis, *Percute eos Domine, quia niſi in an-* Interlin.
guſtia, non requirent te. Conſonat Gregorius apud Gregor.
Lyram: *Mala, quæ nos hîc comprimunt, ad Deum ire compellunt.* Niſi mala compellant, homines Deum prorſus obliuiſcuntur, & irretiti voluptatibus detinentur: Ergo Deus labore vice irritatoris vtitur, vt homines ad mentem redeant, & ingratam obliuionem effugiant. Percuſſi ſanantur, fortunati percutiuntur. *Mala, quæ nos hîc comprimunt, ad Deum ire compellunt.* O felix compreſſio! ô fortunata compulſio! Ni doloris, calamitatiſque calcaribus vrgeremur, illuſoriis prolectati deliciis, falſis ineſcati voluptatibus deerraremus cæci, & nobis ipſis contrarij; at dum calamitate manuducimur virtutis iter ingredimur & cæleſtibus propinquamus: *Mala, quæ nos hîc comprimunt, ad Deum ire compellunt.*

---

§. XXXVII.

Nonnulli conſolatores, dum imprudenter leniunt anxietudinem, maturant calamitatem.

MAlè de nobis actum erat, aiebat Senec. epiſt. 159.
97. *quod multa ſcelera legem, & iudicem* Seneca.
effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia &
grauia de præſentibus ſoluerent, & in locum patien- Conſcientiæ timor pius carnifex eſt.
tiæ timor cederet. Salubris timor docet cautelam, opportunam conſulit medicinam, admonet pœnitentiam; ea tamen eſt aliquorum infelicitas, vt cognatos, amicoſve ſortiantur, qui hunc à natura piè conceſſum timorem deluſoriis artibus aut expunxerint, aut minuerint: coloratis rationibus, caſſis ſpebus ſolantur mœrentem, & dum mœrori optimo conſiliatio vocem interdicunt, planiorem viam miſeriæ aperiunt: adulatores triſtitiæ alleuant cauſam, ſtultam erigunt, confidentiam, & dũ exiguum creditur damnum, non procuratur remedium. Samſonis vxor, vt complaceret ciuibus, nõ attendit connubij legibus, arcanum ſibi commiſſum reſerauit, & confidentiam offendit; verùm pater, quo anxiam ſolaretur, mœroris cauſam imminuit, & procuratis nouarum nuptiarum gaudiis mœrentem exhilarauit. Equidem ipſe ait: *Tradidi illam amico tuo.*

Ad

Ad mœroris ſolatium, ad timoris delinimentum, ad anxietudinis exilium procuraſſe filiæ ſecundas nuptias parentem teſtatur Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 13.
Ambroſ.
Quæ indignationem læſi, ferociam fortiſſimi fraudi ſibi futuram iuſta formidine perhorreſceret, in alterius viri conceſſit nuptias. Pater peſſimus conſolator parui pendendam docuit offenſam, nec profundam adeò ſubeundam triſtitiam: ergo dum pater mœroris cauſas imminuit, filia timorem deponit, & dum ſepoſito motu Samſonis non placat ira, ardentiſſimas tulit flammas: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Quàm felix fuiſſet, ſi adeo imprudenti improuidéque conſolatore careret: timor namque conſuluiſſet Samſonis iam placare, & obſequiis delinire; at dum imprudens conſolator ſopit timorem, præter opinionem incendit ignem.

160. Diſceſſit Elias quadriga illa ignea, & expanſos diſcipuli oculos abſens fruſtrauit: ille dolore abſentiæ ictus veſtimenta ſcidit, & propriis ſciſſis
4. Reg. 2. v. 12.
Eliæ pallium, quo operiretur, leuauit: *Non vidit eum amplius: apprehenditque veſtimenta ſua, & ſcidit illa in duas partes, & leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Dolore ictus proprium abiecit ornatum, & dum nuditate ſordes, cum pallio ſpiritum Eliæ accepit. Chryſoſtomus Eliſæi felicitatem in dura adeo abſentia expendebat: quia videlicet non habuerit dolorem vanis ſpebus ſolantem, & doloris æſtum delinientem: felix fuit, dum nullum habuit, qui de Eliæ reditu mederetur dolori, & mœroris anxietati: nam ſi adeſſet imprudens conſolator, doloris vehementiam ſopiret, & quam citò Eliam rediturum aſſereret, quo fieri poſſet, vt Eliſæus nec clamoribus cœlum pulſaret, nec veſtes ſcinderet; verùm dum nullus vanis eum deliniuit ſpebus, dum nullus coloratis eſt adulatus rationibus, vtiliſſimo dolore exarſit, & pallium meruit. Opportunè
Chryſoſt.
Chryſoſtomus Serm. 9. de Aſcenſ. *Eliſæus aſpiciens magiſtrum ſuum aſſumi, diſcidit veſtimenta ſua: non enim habebat aliquem aſtantem ſibi, atque dicentem quòd iterum venturus eſſet Elias.* Expende illuc: *Non enim habebat aliquem aſtantem ſibi*: quaſi ea in abſentia felicitas fuerit non exigua conſolatore carere, qui dolorem vanis allatis cauſis eluderet, anxiúmque diuerteret: dolor námque erat ad amiſſum recuperandum aptiſſimus, & ad ipſius cauſas exterminandas quodammodò neceſſarius; ergo dum Eliſæus imprudenti caret conſolatore, dum ictus dolore nudatur, veſte, Eliæ meretur ſpiritum, & induit pallium: *Aſpiciens magiſtrum ſuum aſſumi, diſcidit veſtimenta ſua, non enim habebat aliquem aſtantem ſibi, & dicentem quòd iterum venturus eſſet.* O verum!

161.
Ierem. 6. v. 14.
Ieremias infelicitatem Iſraëlitæ Reipublicæ ſic deſcribit: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia, dicentes: Pax; pax, & non erat, pax.* Populi filia amaros in gemitus ſe effundebat, vt impendentem auerteret calamitatem; verùm infelicior quàm de anxietatibus, de conſolatoribus, à lachrymis abſtinuit: quia ſibi pacem deluſa credidit: non erat pax: ſed interitus, & inundantes calamitatum fluctus; verùm dum ſemel, & iterum pacem promittunt, vtilem dolorem ſopiunt, dúmque dolore depulſo deſtitit adhibere cautelam, miſeram ſubiuit ruinam.
Theodoret.
Adeſt Theodoretus hic: *Conueniebat*, inquit, *curare dolores aſperioribus medicamentis, ſed pollicitatione pacis attriuerunt eos: vbinam ergo ſermonum executio? vident enim loco pacis vniuerſorum interitum.* Si nacta fuiſſet populi filia, qui doloris cauſas exaggerarent, & ad lachrymas mouerent, de ipſa pœnitudine dolorem euacuaſſet calamitate impedita, & pace eiulatibus empta; at dum pacis pollicitatione vtiles dolores deterunt, & calamitates afferunt: *Conueniebat curare dolores aſperioribus medicamentis; ſed pollicitatione pacis attriuerunt eos.*

Idem propheta inter calamitatum fluctus, quibus domina illa gentium oppreſſa eſt, conſolatore gratulatur caruiſſe. 162.
Threnor. 1. v. 2.
Plorans plorauit in nocte, & lachrymæ eius in maxillis eius: non eſt qui conſoletur eam ex omnibus charis eius: & quidem felicitatis fuit fallaces conſolatores non ſortiri; ſed lachrymis exundare: ipſæ námque, quibus exundabat lachrymæ, Deum ad commiſerationem mouerunt, & calamitatis cauſas exterminarunt. O felix dum non habuit, qui lachrymas erumpentes compeſceret, & deluſam amarioribus lachrymis præter opinionem addiceret! De conſolatoris abſentia vberior lachrymarum prorupit copia; ſed de lachrymarum copia perfecta eſt ſolidæ conſolationis medela:
Iſai. 40. v. 1.
Conſolamini, conſolamini popule meus, clamat Iſaias, *dicit Deus veſter: loquimini ad cor Ieruſalem, & aduocate eam: quoniam completa eſt malitia eius, dimiſſa eſt iniquitas illius. Suſcepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis ſuis.* Lugens veram conſolationem promeruit, & dum fucato caruit ſolatio, lachrymis obuiauit ſupplicio: dum pacem ſperabat, corruit, dum luxit, conſolationem aſciuit:
Hier.
Cauſa conſolationis, inquit Hieronymus apud gloſſam, *remiſſio peccatorum.* Adnectit: *Propterea ſoluuntur, quia purgata ſunt, & ſoluta per pœnas.* Si fallaci ſolatio à lachrymis abſtinuiſſet deluſa, grauiori premeretur aduerſitati ſubiecta; carens verò huiuſcemodi ſolatiis, genas pulchris defœdauit ſingultibus, quibus deleuit culpam, & calamitatis expunxit cauſam: benigni noſtrorum actuum interpretes fidem adulatoribus adhibemus, & mendacio renuente conſcientia fidimus. Hinc dum mala noſtra leuia arbitrantes non plangimus, confuſis calamitatum voluminibus inuoluimur, & procellis dolorum ſæuis atterimur. Ni Samſonis vxor fallacem habuiſſet conſolatorem, ſors ardentem vitaſſet ignem; at dum adulator leuigat culpam, exufflat ardentem flammam.

De mortuo Lazaro Chriſtus aduentat, Maria ad 163.
Dominum vocata recurrit, & conſolatores deſerit:
Ioan. 11. v. 28.
Vocauit (Martha) *Mariam ſororem ſuam ſilentio dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. Illa, vt audiuit, ſurgit citò & venit ad eum.* Nulli dubium eleganti hiſtoriæ penicillo quid peccatori accidere ſoleat, depingi, & in hac domo, veluti in ſpeculo quod animæ accidat, præſentari: ergo arcanum in hac Mariæ vocatione myſterium inquiramus: quid obeſt, aut intereſt Mariam domi ſtipatam Iudæis conſolatoribus inſidere, aut aduentanti Domino occurrere, vt Chriſtus ad fœtidam è domo mortem expungendam iubeat euocari, & relictis conſolatoribus proſilire? O vtiliſſimam nobis eruditionem! Aderant conſolatores qui mortem deplorantem delinirent, & ſepulchri negotium gererent: *Erant cum ea in domo, & conſolabantur eam*: cúmque ad mortem depellendam lachrymis vberibus opus eſſet, illi fallacibus delinimentis dolorem mitigabant, & plorantem à

mortis conſideratione auertebant: ergo Maria eiuſmodi conſolatores effugiat, vt dolorem augeat, & mortem ploratu vincat. Hûc voco Chryſologum
Chryſol. Serm. 64. *Deſtitutione ſolatij præſentis, mora abſentia tam longa, triſtitiâ diuinæ ſeparationis non potuit non deflere.* Vt vtiliter defleret, à præſenti conſolatione euocauit, ne, dum delinita triſtitudine cohibet ſalubrem fletum, miſerum mortis protelarit reatum. Ergo quando inani voluit conſolatione carere, quàm doloris promoueat cauſam imprudens conſolator, nos ſatagit erudire: *Deſtitutione ſolatij præſentis, triſtitia diuinæ ſeparationis non potuit non deflere:* dum noxia conſolatione caruit, & mortem fletu diſſoluit.

§. XXXVIII.

Affectata videtur ignorantia; quando inceptum proſequitur errorem notitia.

164. AD ignorantiæ, quò ſe tueantur, aſylum, frequens eſt peccatoribus confugere, & quidem ipſa humana natura, quæ à primo parente culpæ tenebras traxit, caliginem menti offundit: ignorantia culpam extenuat, ni fuerit malitiæ artificium, verſutiæ inuentum: verum non errant plures quia ignorant; ſed ignorant, vt errent.
Seneca. Benè Seneca lib. 2. de ira cap. 9. *Inter cætera mortalitatis incommoda & hæc eſt, caligo mentium, nec tantum neceſſitas errandi; ſed errorum amor.* Error eſt naturæ humanæ ſupplicium; aliquando tamen peruerſitatis inuenitur ingenium: affectat prauitas ignorantiam, vt eluſerit pœnam, non vt vitauerit culpam. Quod facilè inde conicies ſi quis deterſa ignorantiæ caligne errorem cœptum impudenter proſequatur, non ignorabat; ſed conſcientiam corrumpebat. Ecce Thamnathææ patet in piaculi ſubſidium ignorantiam allegar; ſed ab acta ignorantia ſententiam non demutat: Samſonis vxorem alteri tradidiſſe confeſſus eſt; ſed quià exiſtimarit à Samſone deſpectam, & repudiatam: *Cùm cubiculum eius ſolitò vellet intrare, prohibuit eum pater illius dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Facta à verbis deſſident: ſi enim error fuiſſet ab ignorantia profectus, depulſo iam ſocer Samſonem non prohiberet; ſed filiam alteri impudenter traditam reuocaret; aſt Samſonis prohibitio eſt doli teſtificatio: mentitur ſocer ignorantiam, quam notitiâ non depellit; ſec proſecutione ſuffulcit, non eſt paſſus ignorantiæ probrum; ſed ignorantiæ affectatæ aſciuit ad liberius delinquendum auxilium. Occaſio doloſitatis denudauit artificium, & Samſonis repulſa oſtendit excuſationis mendacium: errare amabat; qui notitiâ idem proſequebatur ac ignorantiâ.
Abulenſ. *Prohibuit eum pater illius,* ſcribit Abulenſis q. 2. *dicens, ne accederet ad eam: quia iam non erat vxor eius; ſed alterius viri, dicens: Putaui quòd odiſſes eam: ideò tradidi illam amico tuo.* Ignorantiam allegat; ſed prohibitione, quam allegat impugnat: ſi enim ignorantiæ errore eam tradidiſſet, iam depulſo reuocaſſet: ergo dum maritum prohibet, ſtudioſè adultero fauet. Illegitimo connubio ſolemus maritare animam vitio obtendentes ignorantiam, & obuelantes malitiam: non erramus; ſed oculis de induſtria clauſis nobis imponimus.

Tendebat Balaam maledictionis faſcino Dei populi vires eneruaturus: brutum, cui inſidebat, ferreis calcaribus, fuſteque percuſſum citiùs cohibuit cœleſtis miniſtri præſentia, quàm Balaamum agitatum pro ſtimulis cupiditatis audaciâ. Tandem vexatione viſum recepit, & peruerſam viam ſe aggredi nouit: *Ego veni, vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria.* Perterrefactus ad ignorantiam confugit: *Peccaui neſciens quòd tu ſtares contra me.* Præmonitus tetendit; ſed quam viam inceperat ignorantia, proſecutus eſt malitia: *Dixit Balaam ad Balac: Edifica mihi hîc ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdemque numeri arietes; &c. cùmque abiiſſet velociter, occurrit ei Deus.* Execrandis holocauſtis, peruerſis auguriis, ad maledictionem ſe comparat, & totis viribus regi complacere ſuſpirat. Hic eſt propheta ille, qui nuper ad ignorantiæ confugerat patrocinium, qui minaci gladio inſcitiæ obiecerat clypeum: iam nouit, iam aduerſus omnem affectationem ſe veritas ingeſſit; ſed Balaamus animum nôn mutauit. Prodeſt Lyra: *Cùm abiiſſet velociter ad quærendum dæmonis reſponſum, qualiter poſſet maledicere populum Iſraël, occurrit ei Deus.* Poſt notitiam arripuiſſe viam, dilucidè oſtendit, qua mente arripuerit, quando apponebat gladio ignorantiam. 165. Num. 22. v. 32. Num. 23. v. 1. Lyra.

166. Phariſæi, ſcribæque volatici plauſus ſtudioſiſſimi, ardentiſſimiſque odij flammis in Chriſtum armati illum veluti obſidione cingunt, & in malitiæ ſubſidium ignorantiam prætendentes, quod palàm, quis ſit, non aperiat illis, queruntur: *Si tu es Chriſtus, dic nobis palàm.* Chriſtus in Deitatis teſtimonium opera allegauit, quorum luce tenebras ignorantiæ depelleret: *Loquor vobis; & non creditis: opera quæ ego facio in nomine Patris mei, hæc teſtimonia perhibent de me.* Teſtimonio producta; perſpicuaque operum luce in medium allata ab inceptis non deſiſtunt; imò repercuſſi tanto lumine plus cæcutiunt, & furioſiùs inardeſcunt: *Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum.* Certè huius proiectiſſimæ audaciæ delirium manifeſtè prodit ignorantiam fuiſſe commentum. Exhalatis ignorantiæ tenebris de odij fornace obtegebatur malitia, & obſcuritatem allegabat fallax prudentia: eis Chriſti opera ſplendoribus effulſerunt, vt omnem caliginem offugarent, nec tamen errorem minuerint, ſed depulſa etiam caligine furunt, & ignorantiæ qualitatem oſtendunt. Ioan. 10. v. 24.
August. *Tanta duritia*, inquit Auguſtinus apud D. Thomam, *quo curreret, niſi ad ſimiles, ſcilicet lapides? Quia verò, poſtquam cuncta, quæ ad eum ſpectabant, docendo perſeuerat, hi lapides iniiciunt.* Tequebantur ignorantiâ, & inſaniunt euidentiâ: vt notum fierit prodiiſſe errorem de duritia, non de ignorantia, etſi obtenderint calliditate ignorantiam ad colorandam duritiam. Adde detrectare plures ad interrogationis recurriſſe ſubſidium, ne ignorantiâ ſuffultum amittant commodum. Facile erat Thamnathæo filiam à Samſone odio habitam exiſtimanti ante ſecundas nuptias mittere qui rogarent, an in antiquo propoſito permaneret, an repudiatam reſpiceret; verùm adeò facili vti noluit perſcrutatione, veritus; ne ſi negarit Samſon repudium, de ignorantiæ technis nequeat ſecundum colorare matrimonium.

167. Gabaonitæ calamitati imminenti induſtria occurrunt, & prudentia eludere ſatagunt, duriſſimos oſtentant panes, detritas veſtes in longiſſimæ habitationis

habitationis argumentum. Quid tunc? Iſraëlitæ cibaria accipiunt, nec ſuper hanc rem Dominum conſulunt: *Suſceperunt igitur de cibariis eorum, & os Domini non interrogauerunt.* (Ioſuē 9. v.14.) Promptum erat Domini de hac re indagare ſententiam, frequens ſatis de leuioris momenti rebus conſulere oraculum: cur ergo modò non conſulunt; ſed periculum erroris contemnunt? Textus explicuit. *Suſceperunt, ait, de cibariis eorum.* Fortè egebant: ſi ergo interrogantes deprehendiſſent errorem, acceptare nequirent panem: ergo interrogare omittunt, quia fami conſulunt: *Dicendum quòd acceperunt ad comedendum,* inquit Lyra. (Lyra.) Addit poſteà: *Et os Domini non interrogauerunt, & in hoc defecerunt.* Defecerunt accipientes: obſtructa namque muneribus lingua interrogationis renuntiauit commodo, ne temporaneo careret lucro.

168. Loti filiæ cum patre in monte degentes ſibi perſuaſerunt, nullum hominem remanſiſſe: audierant Segor ciuitatulam aſſeruandam; præualuit tamen affectus, & ignorantiam attulit appetitus: *Dixit maior ad minorem: Pater noſter ſenex eſt, & nullus virorum remanſit in terra, qui poſſit ingredi ad nos iuxta morem vniuerſæ terræ: veni, inebriemus eum vino.* (Geneſ. 19. v.31.) Pater inebriatur vino à filiabus ebriis antea deſiderio: plura erant, quæ eis dubitationem ingererent, ſed ad manum pater, quem cum Angelis conuerſatum quibant interrogare; verùm timuerunt errorem interrogando deponere, & voluptate carere. Notauit acutè Caietanus. (Caietan.) *Quod meminerint ſenectutis paternæ in promptu ratio eſt, videlicet vt accelerarent concubitum cum patre: quod autem crediderint omnes viros mortuos eſſe, muliebris temeritatis fuit: nam videbant montem, in quo morabantur exemptum ab incendio, & ex illo monte videre poterant alios montes diſtantes ſimiliter non ardentes, & patrem ſuum poterant interrogare, ſi incendium hoc commune erat toti mundo.* Quia nolebant ſcire, detrectarunt interrogare; & in voluptatis ſubſidium exambierunt ignorationis ſolatium.

§. XXXIX.

Magna vxori errandi occaſio præſtatur, ſi ſe deſpici à marito arbitretur.

169. AMor non ſolùm innaſcitur, ſed eruditur, & beneficiis quodammodò cogitur: officiis manſueſcunt belluæ, & ferociam ſæpè deponunt: nulla feritas adeò eſt rigida, vt obſequia non ſentiat, & beneficiis reſpondeat. E contra nulla eſt humanitas, quæ ſtimulata non ſæuiat, & irritata iniuriis in ferociam non tranſeat. Prouerbium eſt, *ſi vis amari, ama*: nam amatus redamat, & amori vinculo illigatus nequit reſilire; ſed vrbanè cogitur ingenij aſperitatem deponere. Quod etſi in aliis ſit verum, inter coniuges eſt experientia notiſſimum: vt enim duo coniugij virtute in vna carne adunantur, ita obſequiorum beneficio fit in duplici corpore mens vna. Velle non diſcitur; aliquando tamen vrbanè cogitur. E contra ſi exgrex ſit animus, corporis ſocietas facilè diſſipabitur, & erit adfectionum diuortium in matrimonij collegio: eadem velle, & nolle eadem felicitas nuptiarum eſt: vir cordatus hanc ſibi felicitatem procudet, & parendo vxori imperabit. Quæ ſe nouit haberi deſpectui, deſpici odio, amare vxorem nequibit: quia coniugem reputat non ſponſum; ſed aduerſarium: *Debent matrimonio coniuncti*, aiebat Plutarchus (Plutarch.) in præcept. connubial. in principio, *potiſſimùm concertationes & offenſiones deflectere, quando compacta vaſa cernunt à leuiſſima occaſione initio diuelli facillimè, poſtquàm verò conſtricta diu compago eſt, ægrè ab igne & ferro reſolui.* Suſtinebit vxor blanditiis amorem edocta, & diuturnis officiis confirmata aliquando viri ſupercilium, & diſſimulabit ſtomachum verùm ſi ſeruæ loco ſe haberi experiatur, faſtidiaque videat, inſaniet, & inſana pudoris ac modeſtiæ tranſiliet limites: *Qui ex imbecillitate & mollitia,* addit Plutarchus *in equos inſilire non valent, hi illos ſubmittere genua docent, & procumbere: haud aliter nonnulli, qui generoſas vel opulentas vxores duxere, non ſe reddunt meliores; verùm illas deprimunt, quaſi magis iis imperaturi abiectis. Atqui oportet ſicut equi magnitudinem ſeruantem, ſic dignitatem vxoris, vti fræno.* Frænum, quo mulier, quocumque velis, ducitur, obſequium eſt: ergo blandimentis, & lenociniis trahitur, aſperitate malè ſuadetur. Diſceſſit Samſon vxorem ſupercilio feriens, & imprudenter relinquens; illa alterius amore capta violauit fidem, vtque eius pater errorem excuſarit, derelictam ac odio à Samſone queſtus eſt habitam: *Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Adulterij vigentem occaſionem attulit. fuiſſe videlicet à viro deſpectam, & derelictam: quid enim ageret fœmina deſpectum paſſa, cùm ob formæ elegantiam, & elegantem corporis habitudinem fuerit lenociniis ad amorem mutuum trahenda, & blanditiarum incantamento illiganda; niſi gratas aures adulationi præbere; & ſe de marito honorem lædendo vlciſci. Certè dum ſe doluit Samſonis vxor deſpectam, indignum quæſiuit ſolatium, & ambiuit indecens patrocinium: vtque noueris quàm errorem excuſet deſpectui haberi, & ſupercilio feriri, voluit Deus Samſonem hœdum afferre in amoris argumentum, & conceptæ ſuſpicionis exilium: *Attulit ei hœdum de capris.* Quod opportunè ſatis expendebat Abulenſis q.2. (Abulenſ.) *Quod reſpondere volebat pater puellæ, quia fecerat hoc, quia Samſon oderat eam, & iam nolebat eam in vxorem, inclinauit Samſonem ad ducendum hœdum de capris vxori ſuæ, vt per hoc pateret, quod non ſolùm non oderat eam; ſed etiam diligebat nimis, cùm afferret ei munera.* Ne quod mulier fecerat, excuſabile videretur, opus fuit odij deſpectuſque præconceptam opinionem claro teſtimonio depellere, & amorem allatis muneribus defenſare: cunctis namque videretur munus iuſta Samſonis querela, ſi deſpectus, odiiue argumentis ſe tueretur ſponſa: ergo qui honoris recuſare cupit naufragium, nullum erga ſponſam odij deſpectuſve prodiderit argumentum: vxor namque deſpecta, vt aduleiur furori, ad honoris recurret notam, & inſanam ſuſpirabit vindictam.

170. Diuus Paulus ad Epheſios ſcribens felicium nuptiarum formam edocuit: *Viri, inquit, diligite vxores veſtras, ſicut & Chriſtus dilexit Eccleſiam: & ſe ipſum tradidit pro ea, vt illam ſanctificaret, mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ, vt exhiberet ipſe ſibi glorioſam Eccleſiam non habentem maculam aut rugam, aut aliquid huiuſmodi; ſed vt ſit ſancta & immaculata.* (Ad Eph. 5. v.25.) In amoris officina Chriſtus ſponſæ ſuæ puritatem elaborauit; ſic eam ſibi aduniuit obſequiis, ſic illigauit officiis,

ciis, vt ſe rotam ſponſo tradiderit, nec vnquam vel leuis maculæ næuum contraxerit. Ergo qui ſponſam ſine macula, aut ruga inhoneſta cupit, Chriſtum imitatus carminibus eam officiorum incantet: non reſiliet, non in alterum dirigere audebit aſpectum, quæ ab ſponſo tenerè dilecta, & opiparè ſaginata. Opportunè Anſelmus: *Illa bonitate illas amate, qua Chriſtus Eccleſiam, vt peccatum non ametis in eis; ſed omne bonum, & iuſtè gubernetis eas, atque foueatis.* Obſequiorum fomentis nutritur amor, aſperitatibus error: mundè caſtéque vxor ſponſum diligit, ſicut Eccleſiá Chriſtum amauit, ſi erga eam Chriſti ſponſus imitetur ſtylum, & dilectionis placido vultu, decenti ornatu, dulci ſermone præſtiterit argumentum. Certè in vxoribus amare videntur peccatum, qui durum eis oſtendunt ſemper ſupercilium, & oſtentant deſpectum: *Illa bonitate illas amate, qua Chriſtus Eccleſiam, vt peccatum non ametis in eis.* Peccatum in vxore amat, aut peccato ſaltem occaſionem miniſtrat, qui continuis iurgiis exaſperat, qui mariti obligationem dediſcit, qui exornare deſpexit.

Anſelm.

171. Deus optimus nymphagogus, quo primas nuptias inter Adamum Euamque nuptiarum normam effecerit, è latere membrum mutuatur affectione quidem reſtitutum, è latere partem tulit, vt vnam quodammodo mentem duobus in corporibus adaptarit: *Tulit vnam de coſtis eius; & repleuit carnem pro ea. Et ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem.* Hanc molitionem concordiæ fuiſſe magiſtram teſtatur Seleucienſis Baſilius orat. 2. *Ex latere membrum mutuatur, partitur corpus, vt mentem coaptet, & natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtituatur ad imitationem naturæ.* Sentiat Eua erga ſe viri affectum, cordis latus ei materiam non ſine lucro miniſtret, vt illa Adami quodammodo arbitrio viuat, & eadem voluntate ad ſpeciem ſuas omnes operationes componat: vna artificio amoris erat in coniugibus anima, & quos ſeparauerat numerus, non ſolum coniungebat; ſed etiam adunabat affectus: *Natura vna diſſipatur arte formantis, vt vna mens conſtruatur ad imitationem naturæ.* Hanc Philoſophiam ſatis calluit Adamus, dum ſeparatum membrum intuitus, os adhuc remanſiſſe proclamauit: *Hoc nunc os ex oſſibus meis*, ac ſi dicat: Hoc mumbrum cæteris membris anteà vinculo illigabatur naturæ; verùm etſi loco ſit modò diſiunctum, dilectionis arte adhuc manet illigatum: *A membro adiunctus philtro vincior: loco ſeiunctum eſt, & deſiderio coniunctum: qui diſtulit corpora, animas noſtras in vnum contulit.* Vxor os ex oſſibus manet, dum philtro dilectionis vincitur, & ſine diſtantiæ diſpendio amoris incantamentis ligatur. Certè ſi mulier coſtæ ad inſtar adhæreat cordi, ſi foueatur manu, ſi honoretur affectu, oſſis induit naturam, vt marito adhæreat, & adſultibus inſanarum appetitionum reſiſtat. At ſi ab affectu vt à corpore ſeparata, ſi imprudenter deſpecta, honoris iacturâ indigna quæret ſolatia, & inhoneſta exambiet officia: alium amat Samſonis vxor, dum ſe neglectam exiſtimat, & habitam odio reputat; *Putaui quod odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Expende illud: *Et ideò*: quaſi dicat: in odij vindictam, hanc excuſante auerſione inſaniam: eſt enim coloratus error, qui ab vxore committitur, ſi deſpectionis, inhonorationiſque calcaribus adigatur. Profectò qui omne fidelitatis periculum diſcupit propulſare, amaſij ad inſtar ſe cum vxore debuiſſet gerere: honoris lucro adimplebit maritum, qui ſolicitudinis ſtudio & blanditiarum fomento repræſentarit amaſium.

Geneſ. 2. v. 27.

Baſil.

Samſon ipſe ſopita indignatione ſibi iam redditus vxorem allicere, dilectioniſque vinculis conſtringere cogitauit: ad idque hœdum de capris tulit: *Attulit ei hœdum de capris.* Cùm nullum in ſcriptura verbum Sacramentis careat, inquirere iuuat, cur potiùs quàm animal aliud, hœdum attulerit ad vxorem deliniendam, & eius gratiam captandam. Stephanus ingenioſus miſteriorum indagator apud Tilmanum in allegoriis hoëdum tuliſſe ait: quia Iudas Patriarcha ille celeberrimus, dum Thamaris geſſit amaſium, opimum remiſit hœdum. Tendebat ad ouium tonſuram, cúmque Thamar expicta, & meretricio vultu exornata vianti occurriſſet, & habitu, ſitúque ad illecebras prolectaſſet, ad amoris commercium illi blanditus eſt, muneribus ſubornauit, hœdumque miſit: *Mittam tibi hoëdum de gregibus.* Itáque Iudas hœdo vti hamo mulierem ineſcauit, eiúſque amplexus coëmit: ergo Samſon ſe geſſit cum vxore, vt Iudas cùm ad ſpeciem meretrice. Stephanum audi: *Samſon vxori ſuæ hœdum attulit, & Iudas hœdum Thamar miſit.* Amaſium retulit Samſon: & quidem, ni ſerus exhibuiſſet obſequium, impenſum vxoris promeruiſſet ſtudium: dum ſibi redditus hœdum tulit ad gratiam ſtabiliendam, ſuis edocuit factis vxoris erga maritum beneuolentiam firmiùs ſtabiliri cum vir amaſij ſolicitudinem contigerit imitari. 172.

Geneſ. 38. v. 17.

Stephan.

§. XL.

Maritus vxoris pudicitiæ conſulens, dum interuallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior.

MAriti abſentia non bonus pudicitiæ vxoris conſiliarius eſt; caret fræno quæ à mariti diſtat vultu: cúmque non ſemel pulchellæ procaciter ambientium, & pudicitiæ inſidiantium inflammentur obſequiis, & calcarium ad inſtar adigantur munuſculis, opus eſt prudenti viro, dum abeſt, munerum vti artificio, & blanditiarum obſequio, vt ſic vel in abſentia adſit, & præſentem munus exhibeat. Profectò Elias, quo in diſcipuli corde viueret, eiuſque ſpiritus eliſæo præſens ſemper maneret, pallium emiſit: petierat diſcipulus ſpiritum: *Obſecro, vt fiat in me duplex ſpiritus tuus.* Ardua res erat: abſentia namque præſentiæ refragabatur: nec enim ſpiritus auolare quibat, & remanere; verùm Elias de ſapientiæ induſtria munus miſit, & præſentiam quodammodò miſſo munere protelauit: affuit officiis, qui diſtitit interuallis: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei*: quod opportunè noſtræ theſi Lyra ſic interpretatur: *Non à caſu cecidit; ſed diuinâ ordinatione, vt Eliſæus ipſo operiretur in ſignum quod ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum.* Obſequium pro præſentiâ fuit, & Eliſæus præſentem habet Eliæ ſpiritum, dum ab Elia miſſum induit ornatum, ergo qui in relicta ad tempus vxore ſuum vult ſpiritum conſeruari, adſit munerum præſentiâ, & ad ſe conuertat ſponſæ animum obſequiorum efficaciâ. Profectò ſi hac Samſon vſus fuiſſet 173.

4. Reg. 2. v. 9.

Lyra.

induſtriâ

induſtriâ, illata non adureretur offenſâ. Reliquit ſponſam ſe in paternam domum recipiens, cúmque ibi aliquo tempore moraretur, ſponſæ omnimodam obliuionem ſubiuit, nec amoris flammam amatoriis epiſtolis, aut miſſis muneribus reaccendit: ergo ſponſa aliorſum vertit ſtudium, & alteri dicauit affectum: *Cum cubiculum eius ſoluto vellet intrare, prohibuit eum pater illius, dicens: Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* Deficiente in marito memoria, amoris etiam in vxore elanguit flamma: eſt enim opus ad conſeruandum affectum ignis ad inſtar pabulum ingerere, & obſequiorum flatibus enutrire. Huc voco, quod aiebat Plutarch. in præceptis connub. *Sicut in paleis, papyro, & pilis leporinis promptè ignis accenditur; extinguitur autem, ſi materiam aliam nullam, quæ conſeruare, & alere queat eum, amplectatur: ſi is, qui ex corpore & forma eſt accenſus, repentè flagrans coniugum amor nouorum haud ducendus eſt diuturnus vel ſtabilis, niſi ſit moribus ſancitus, atque animum allexerit.* Opus eſt animum continuò allicere, ne contingat flammam langueſcere: exarſit nuptialis inter Samſonem vxorémque honeſta flamma; verùm dum abſentia inſufflandi artificium emiſit, fidem extinctam inuenit. Plutarch.

174. Solem Lunamque adumbrare coniugium notum eſt ex illo Ioſephi ſomnio: retulit ſe à Sole, Luna, & Stellis ſuper terram adorari: *Vidi per ſomnium quaſi Solem, & Lunam, & Stellas vndecim adorare me.* (Geneſ. 37. v. 9.) Quod interpretatus pater: *Num ego, & mater tua, & fratres tui,* aiebat, *adorabimus te ſuper terram?* Itáque cùm conſtet Solem mariti eſſe ænigma, Lunámque vxoris emblema, aliquid ex eorum ſtylo mutuandum eſt ad morum eruditionem. Profectò Sol à Luna coniuge ſæpè diſcedit; verùm quò plus remota, impertitis abundantiùs ſolaribus ſplendoribus plus relucet illuſtrata. Audi Apuleium lib. de Deo Socratis: *Variâ ignium face quantò longiùs abeſt à Sole, tantò largiùs illuminata pari incremento itineris & luminis.* (Apuleius.) Adſtipulatur Plutarch. in præceptis connub. *Lunam, vbi abſcedit a Sole, illuſtrem conſpicamur & lucidam.* (Plutarch.) Itáque Sol lunaris ingenij gnarus, quo plus diſtat, plus miſſis Lunam luminibus ornat, ne ſi ab ipſo non acceperit, quo fulgeat exculté ornata, & eleganter exculta, innata varietate ſuadente fidem violet, & honorem Solis commaculet: *Pari incremento itineris & luminis.* Sol plus adeſt lumine, dum diſtat plus corpore. Ergo viri Solis æmuli abſentiam officiis eludant, & miſſis munuſculis animos vxorum irretiant.

175. Muliebris conditionis ſatis gnara ſponſa, etſi fideliſſima recedentem ſponſum obnixè precata eſt, vt quàm teneré eam dilexerit, cordéque impreſſam formam ſemper ſeruarit, muneribus & officiis aduerſùs ſollicitam abſentiæ ſuſpicionem teſtetur: *Fuge dilecte mi aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum ſuper montes aromatum.* (Cant. 8. v. 14.) Paraphraſtes Poëta ſic locum interpretatur, vt ſponſa videlicet, dum aſſimilari hinnulo petierit, ſibi hinnulum mitti popoſcerit: *Introducit ſponſam* (verba ſunt noſtri Delrij in littera) *hoc loco petentem à ſponſo, vt cùm diſceſſerit, promiſſum ſibi capreolum, vel ceruum mittere ne omittat.* (Delrius.) Tendebat fortè ſponſus in montium ſaltibus venaturus, promiſerátque ſponſæ venationis primitias: ergo illa perit ad abſentiæ deliniendum dolorem, ne obliuiſcatur promiſſi; ſed damulam ceruumvè mittat, non quod auaritiæ ſtudeat, ſed quod ſui memoriam apud ſponſum viuere exambiat: fideliſſima ſponſa abſentiæ quodammodò fraudes veretur, & vt occurrat inſidiis, prolectari diſcupit donis. Audi Guillelmum apud ipſum Delrium in mixta de Deipara interpretatione: *Fuge dilecte mi, & fugiendo aſſimilare capreæ, hinnulóque ceruorum, hoc eſt, non tantùm celeri; ſed & hilari fuga: paracletum citò miſſurus, qui doceat tuos omnem veritatem.* (Guillelm.) Monet, ne in gradiendo lentetur, ne ſi moras traxerit, domúmque cœleſte mittere diſtulerit: aliquo mens errore capiatur, & interſtinctâ quodammodò luce obſcuretur: opus fuit ſponſa ſuperno munere ad dilectionis conſtantiam, & ad laborum patientiam: ſi enim abſente Chriſto miſſo cœlitus ſpiritu non inardeſceret, cederet tentationum fraudibus, & malè ſuadentibus tentationibus: ergo quàm citiùs, inquit ſponſa, mihi donum ſupernum emitte: ſic namque mea excitabitur affectionis flamma, & in tui deſiderium viuidiùs inardeſcet memoria. Iam ſi opus eſt abſentis alere induſtriè gratiam & officioſis lenociniis fidem obſtringere, cæciſſimè errant, qui incommodis, & ærumnis diuexatam vxorem relinquunt, nec obnoxiam periculo credunt: Certè ſi paupertate prematur, ſe omni lege exiſtimabit exemptam, & quodammodò errare permiſſam.

Maritata mulier ſic pudorem exuit, vt vaga & garrula iuuenibus occurrerit, & nullis ambagibus vſa ad amplexus vetitos prolectauerit: *Veni inebriemur vberibus, & fruamur cupitis amplexibus,* 176. (Prouerb. 7. v. 18.)
donec illuceſcat dies: non eſt enim vir in domo ſua: abiit viâ longiſſimâ: ſacculum pecuniæ ſecum tulit. Fœminam ſexu mollem, libidinis ſtimulis titillatam mirum non eſt marito abſenti carnis negotia gerere, & cupidinis cauſam agere; mirandum tamen eſt maritatam nulla cautela vſam, nullo ſecreti patrocinio velatam; ſed perfricta fronte omníque excuſſo metu impudicitiæ ſeruientem, & mariti honori aduerſantem. Ecqua huius proiectæ adeò audaciæ cauſa eſt? Iam ipſa ad procacitatis protulit defenſionem: *Non eſt vir,* inquit, *in domo ſua, abiit via longiſſimâ, ſacculum pecuniæ ſecum tulit.* Etſi pecunia deficeret, ſi vir adeſſet, ſolertiâ aut labore mulieris neceſſitatibus ſubueniſſet; imò ſi quàm citò rediret, forſ honorabilis vxoris conſtantia paupertatis & laboris moleſtias patienter toleraret; at dum longè diſtat, & omnem pecuniam ſecum defert, facultatem quodammodò peccandi vxori relictæ fecit, etſi fas dicere, lege abſoluit. Luculenter Ambroſ. lib. 1. de Abel, & Cain cap. 4. (Ambros.) *Opprobrioſa fraudis velamine operit corporis ſui ſtratum ad ſollicitandos iuuenum animos: abſentiam viri, hoc eſt incuriam legis obtexens: lex enim abſens peccantibus eſt: nam ſi adeſſet, non delinqueretur. Et ideò ait: Non enim adeſt vir meus in domo; abiit autem viam longiſſimam, inuolucro pecuniæ accepto in manu.* Ecce dum vir ſine pecuniæ ſubſidio reliquit vxorem, ſe credit ex legem, nec legem minùs quàm maritum diſtantem: qua enim lege teneri ſe crederet, dum maleſuada tabeſceret fame & anxio vndique adurgeretur labore: omnem certè verecundiam exuit, & timoris ſollicitudinem ignorauit: quia cum marito & legem abiiſſe credidit. Nobilis & pudica vxor citiùs morti cedet, quàm pudori: deficiet lubentiùs ſibi, quàm legi, nec vlla ærumnarum; aut laborum ad perpetrandum flagitium eloquentiâ ſuadebitur; negati

gari tamen non poteſt magnam fœminis aliquando errandi adminiſtrari occaſionem, ſi abſentis ſponſi deſint ſolatia, & pecuniarum ſubſidia. Satis fuit Samſonem diu defuiſſe vxoris prorsùs oblitum, vt illa, etſi facultate diues, animum ad alium verteret; & honorem proculcaret.

§. XLI.

Qui ſponſam à præſtitâ Chriſto fide ſeparat, ſupplicium grauiſſimum timeat.

177. OMnia æquitati aduerſantur facinora; ea tamen videntur enormia, quæ regiam maieſtatem lædunt, & præſtitam fidem corrumpunt: in alienam pulchritudinem oculos iniicere periculoſum; in regium tamen audere honorem deteſtandi conſilij audacia, aut exoculata appetitus impudentia, vt communis reatus terminos ſupergreditur, ita enormibus obnoxium pœnis ſentitur. Caſſiodor. Diſertè Caſſiod. 3. var. 14. *Quamuis iudicio veſtro credamus omnia facinora diſplicere, maximè vobis confidimus execrandum, quod matrimonij genialis impugnat affectum. Quod enim animis à continentibus accipitur, quod etiam laicorum deteſtatione damnatur. Iulianus itaque nobis lachrymabili aditione conqueſtus eſt vxorem ſuam, vel res à veſtris hominibus iniuſtâ vſurpatione peruaſas: vnde ſi veram petitionem ſupplicantis agnoſcitis, nec ſe rationabiliter pulſatus abſoluit, auctorem facti ſine tarditate aliqua reſecate. Malum enim cum perſeuerat, augetur, & remediabile bonum eſt peccatis accelerata correctio.* Peccatis prudens accelerãda eſt correctio. Vel plebeiæ vxoris fas fuit raptorem dura diſtrictione falce reſecari, & audaciam generalitati oppoſitam pia crudelitate reſtinguiquod ſi cuiuſuis inuadere vxorem duriſſimis pœnis mulctandum, quibus putas iniuriam irrogaſſe Chriſto puniendum? Samſon Chriſti ænigma cum ſæuiſſimo leonis catulo congreditur, & ad celebrandas cum Thamnathæa nuptias grandi ſumptu opiparum inſtruit conuiuium: non defuit tamen, qui vxorem peruerteret, vt præſtitam Samſoni fidem violaret: eam amicus, qui nuptiarum paranymphus extiterat, blanditiis corrupit, eam pater alterum amare edocuit: ipſum audi: *Tradidi illam amico tuo.* Quid tunc? Furore Samſon incanduit, & flammis terram adurendam promiſit: *Ab hac die non erit culpa in me contrà Philiſthæos: faciam enim vobis mala.* Quæ mala? Ardentibus flammis maturos fructus adurere, & vſtulandi patrem & vxorem occaſionem Philiſthinorum indignationi præbere: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Anhelantibus debuit flammis conſumi, qui datam Samſoni fidem violare edocuit, & quæ violare contempſit: Ambroſ. *Vbi res prodita*, inquit Ambroſ. lib. 3. epiſtol. epiſt. 23. *volentique ad coniugem redire interclusa copia, quòd pater eam alij viro nupſiſſe diceret; ſtimulo iniuria exulceratus publicam excogitauit vltionem capeſſere, domeſtica contumelia indignatione.* Etſi vxor commiſſum ſibi arcanum ciuibus ſuis prodiderit; & animum Samſonis offenderit; licèt ad tempus abſentia fraudem caſtigauerit; tandem rediit, & allatis muneribus flammã dilectionis emicuit. *Attulit ei hœdum de capris*; at vbi honorem læſum agnouit, vbi alterius amore ſponſam irretitam inuenit, irâ rationabili vltra modum excanduit, & duriſſimas pœnas ſumpſit. Profectò quæuis mulier magnis ſe diſcriminibus obiecit, dum à præſtita marito fide deſciuit; at quæ Deo virginitatem ſuam vouit, quæ Chriſto nupſit, grauioribus ſe reatibus illigauit: aliis offenſis indulgentiſſimus parcit, honoris tamen iniuriæ pœnas ſeueriſſimus repetit: ergo timeant Chriſti ſponſæ fidem corrumpere, & promiſſionem violare.

D. Paulus cùm Eccleſiam virginem Chriſto 178.
Domino deſpondiſſet, vehementer horruit, & diligentiſſimè cauit, ne ſerpentino alloquio deprauata ſorderet: *Deſpondi vos vni viro virginem* 2.Cor.11. v.2. *caſtam exhibere Chriſto; timeo autem, ne ſicut ſerpens Euam ſeduxit aſtutia ſua, ita corrumpantur ſenſus veſtri, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu.* Acri timore agitabatur Apoſtolus ne poſt datam Chriſto fidem ſponſa alicuius ſerpentis curatorem ſimulantis doloſis blanditiis ſeduceretur, & ſeducta de paradiſo exularet innocentiæ candore nudata, & ſæculo addicta. Opportunè Anſelm. *Timeo, ne ſicut Diabolus in* Anſelm. *ſerpente latens, & per os eius loquens Euam ſeduxit, ita corrumpantur ſenſus veſtri ab eodem fallaci deceptore in falſis Apoſtolis latente, & per os eorum loquente, & excidant à ſimplicitate, quæ eſt in Chriſto Ieſu, id eſt, corruant à paradiſo ſimplicis fidei Chriſtianæ, quæ nihil alienum recipit; ſed ſimplicem veritatem ſine admixtione falſitatis retinet.* Quæ à ſimplicitate datæ fidei, incontaminatique candoris recidunt, exterminantur à paradiſo: nec iuuat corpore non pollui, ſi virgo non vereatur mente corrumpi: ſunt Pſeudoapoſtoli qui doctrinæ occaſione blandis alloquiis monialis conſcientiam lædant, & conſtupratas aures vaniloquiis corrumpant: ergo Paulus præſtitam Chriſto fidem reuocat in memoriam, ne ſuſtinere cogatur miſeram virgo ruinam: & quia Paulus ſerpentis meminit, iuuat hanc noſtram theſim Geneſis 3. mitis vmbris delineatam expendere.

Verſutus ſerpens contentus non eſt cordis ſui 179.
habitaculum Dæmoni conceſſiſſe; ſed Euam fallere aggreſſus commiſerationis & pietatis obtentu cum Domino commiſit: curatoris vmbrâ aſtutam texit malitiam: inuolabat ad cædem, & ſimulabat vaferrimè humanitatem: blandis vocibus autem percuſſit, auditum ſubuertit, vtque mens fluctuaueris, perſuaſit: Eua mente corrupta eſt, & ne Adamo ſubiiceretur, ambiuit diuinitatem. Quid tunc? Serpens pedibus mulctatur, & turpi adreptationi inter reliqua animantia execrandus, & maledictus addicitur: *Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Gen.3.v.14. Non ait, quia Dæmonem recepiſti hoſpitio; ſed quia feciſti hoc: Quale hoc? Fœminam videlicet à latere ſponſi abduxiſſe, eius aures ſepentinis ſibilis conſpurcaſſe: adeò innexa ſunt alterius admiſiſſe colloquia, & Dei proculcauiſſe præcepta, vt ſerpens aurem colloquio lædat, vt fidem frangere perſuadeat. Ergo dum ſerpens in Deum Adamúmque armatur alloquendo ſponſam, & eius peruertendo conſtantiam, mulctam ſubit ſeueriſſimam. Iam in Adamo Euáque Chriſti cum virginibus adumbratum matrimonium expreſſit Paulus: *Sacramentum hoc magnum eſt; ego autem dico in Chriſto & in Eccleſia.* Ad Eph.5. v.32.

Ergo

Ergo licèt ſerpens Euæ non polluerit corpus, dum conſtuprat mentem, dum fallaciis corrumpit aurem, proreptationi pedibus orbus damnatur, & execrationi meritiſſimè addicitur. Huc voco datum Anſelmum: *Non carnis, ſed cordis virginitatem ſerpens ille, id eſt Diabolus, corrumpere quærit, & ſicut adulter homo lætatur nequitia ſua, cùm carnem corrumpit, ſic Diabolus lætatur, quando mentem corrumpit*. Ridebat Diabolus, dum ſerpens ſponſæ Chriſti mentem blanditiis irretiebat, & animi virginitatem vocibus conſtuprabat: ergo digniſſimus fuit ſerpens Diaboli vagina fraudiſque ianua, qui haberetur ab omnibus maledictus, & maledictionibus execrandus.

Anſelm.

180. Leuitæ vxorem procax, & impudens rapuit Gabaa incolarum inſania: *Cum tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.* Quali ſupplicio hoc ab omni populo punitum fuerit, ſcriptura non tacuit: *Ingreſſi ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij. Signum autem dederant filij Iſrael his, quos in inſidiis collocauerant, vt poſtquam vrbem cepiſſent, ignem accenderent, vt aſcendente in altum fumo captam vrbem demonſtrarent.* Vrbs anhelantibus flammis decinereſcit, gladius cruore ebibito rubet, vtque in ipſo fumo aliquod latere myſterium aduerteremus, in modum columnæ aſcendiſſe tradidit ſcriptura: *Quaſi columnam fumi*: & quidem vt columnis ædificia ſuffulciuntur, ſic Reſpublica adulterorum pœnis fulcitur & ſuſtentatur: ergo dum iniuriam matrimonij ſeuerè puniunt, ipſo ſupplicio veluti ſtabili fulcro Reipublicæ ſtabiliunt ſalutem & fundant pacem. Verùm ne à theſi noſtrâ diſcedamus animaduerte leuiticæ vxoris raptores & amiſiſſe vitam, & poſt mortem tuliſſe flammam: hoc enim digni ſupplicio erant, qui leuitæ reuerendo procaciter intulerunt iniuriam, & rapuerunt audacter ſponſam: *Spiritus dicitur leuites*, (ſcribit Hugo Charenſis) *nihil habens in terra erectus ad cæleſtia per amorem.* Qui ſpiritus ſponſam conſtuprarunt, extremam calamitatem ſibi aſciuerunt: gladio iacuerunt iugulati, & poſt mortem acribus flammarum globis adusti. O timeant, qui Chriſti, Spiritus Sanctique ſponſas ab ſponſi amore abducunt, miſeram in præſenti ſtragem, & ardentem in futuro ſæculo ignem.

Iudic. 19. v. 25.

Iudic. 20. v. 37.

Hugo.

§. XLII.

Qui libidini addictus, ad imminens periculum probatur improuidus.

181. QVi carnis negotia gerunt mirè ſtoliditatem, & calliditatem coniungunt: acutiſſima cupiditatis perſpicientia quidquid ad corporis illecebras ſpectat, norunt; cæciſſima ignoratione, quidquid ad rationem, dediſcunt: ſic libidinis fallaciæ dicantur, vt quo ſtudioſius ei indulgeant imminentia ſibi pericula non præcaueant: non ignorant diſcrimen; ſed illigati, ipſaque cupiditate impediti nec diſcedere ſatagunt, nec volunt: *Omnia perdita*, inquit Seneca 2. lib. de irâ cap. 8. *ob leuem voluptatem prædámque cupiunt.* Mirabetis homines alioquin induſtrios hac ſtoliditate adeò ſtupefactos, vt videntes non videant, & audientes non intelligant. De fornace fumum exhalari Ioannes aſpexit, quo ſolatis lux obſcurata eſt: *Aſcendit fumus putei, ſicut fumus fornacis magnæ, & obſcuratus eſt Sol.* Non prorſus extinctus; ſed obſcuratus: & quidem obſcuritas aliqualem lucem cum vmbris aſſociat: ergo qui libidinis obſcurantur fumo, & ſapiunt, & deſipiunt: ad concinnandas ſibi delicias inueniuntur ſagaciſſimi, ad pericula auertenda probantur improuidi. Notauit Hugo Cardinalis ad Apoc. 9. *Dicitur obſcuratus, & non excæcatus: quia lumen dextri oculi ſubtrahet, id eſt, veram ſapientiam Dei; ſed lumen ſiniſtri, id eſt calliditatem, & aſtutiam mundi relinquit eis.* Ad inſanientis appetitus occaſiones concinnandas, ad aliorum aſtutias eludendas, ad nouas excogitandas ſolertias inoculatiſſimi ſunt ſceleſti; ad virtutes verò prorſus ſunt cæci. Cùm Samſon vxorem inuiſurus aduentaſſet, alterique traditam inueniſſet, indignatione ingentiſſimâ excanduit, dignas tanta iniuria ab eis pœnas repoſcere minatus: *Ab hac die non erit culpa in me contrà Philiſthæos: faciam enim vobis mala.* Putares puellam, amaſium, patrem omni ſollicitudine obarmandos, & contrà graue adeò periculum præmuniendos; non tamen inuenies vlla fuiſſe cautela vſos, aut prouidentia munitos: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Imperatos inuenit flamma: quia prorsùs ſibi deditos illigabat luxuria: vel perſtrepentibus flammis fugam arripere detrectarunt, ne tempus illud blanditiis ſubducerent, & lenociniis ſubtraherent: *Succenſus fuit*, inquit Abulenſis q. 4. *ad vltionem huius offenſæ.* Samſonis intuebatur ardere iram, nullam tamen periculo adhibuiſſe referuntur cautelam, vt hoc ſcripturæ arcano ſilentio erudiamur, quàm ſalaces inueniantur improuidi extremis etiam periculis cincti.

Seneca.

Apoc. 9. v. 2.

Hugo.

Abulenſ.

Ieremias ſibi gratulatur ludentibus non interfuiſſe; ſed imminens à Domino prouidenti metu periculum declinaſſe: *Non ſedi in concilio ludentium, & gloriatus ſum à facie manus tuæ.* Hieronym. legit: *Metuebam à facie manus tuæ.* Expendamus quid ludentibus adeſſe ad timorem ſopiendum conduceret: nonne poſſet in ludentium concilio adeſſe, & timore prouidentiſſimo aduerſus pericula armari? In ludis deſignari luxuriam compertum eſt ex illo Exod. 32. *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere*: Si ergo adfuiſſet ludentium concilio, improuidè dicaretur etiam tormento: non metueret fulminatas à Domino pœnas interitus voluptatis fallaciis: *Non ſederit*, inquit Hieronym. *in concilio ſine ſecreto ludentium, quod timuerit impendentem ſibi manum Dei.* Ludentes ſcortantéſve Dei ſibi manum impendere non ignorabant; ſed ſalubrem timorem excuſſerant, quia cupiditatis præſtigiis ſtupefacti arbitrabantur differendum aut euacuandum: ſic eos detinebat ludus, luxus ſic abſorbebat, vt prudenti ſe negarint cautelæ, ne quid temporis denegarint luxuriæ. Addit Hieronymus: *Vtinam Dominus præſtet & nobis non ſedere in concilio ludentium, & eorum, qui futura non cogitant.* Præſentibus immerſi futura deſpiciunt, nec illorum mentem ſubit periculum ad cautelam, cùm non lateat ad notitiam. 182.

Ierem. 15. v. 17.

Hieron.

Exod. 32. v. 6.

Hieron.

Quanta huius criminis ſit ſtolida improuidentia mirè probat Lot vitio non fœdatus, & tamen de affinitate quodammodò improuidus. Inter Sodomitas inoffenſè degebat, quin vel oculos conſtuprarent exempla, aut animum inflammarent deliria; verùm cùm iam ardentes ruerent è Cœlo 183.

flammæ

Digitized by Google

flammæ, & Angeli perurgerent, adhuc detinebatur moroſus, & diſſimulatione ligatus: Geneſ.19. v.15. *Cum eſſet mane, cogebant eum Angeli dicentes: ſurge, tolle vxorem tuam, & duas filias, quas habes, ne & tu pariter pereas in ſcelere ciuitatis.* Honeſta vis, quæ ſaluti conſulebat, & incolumitatem curabat; verùm nec tantis perſuaſionis ſtimulis Lotus arripiebat fugam; ſed quodam inextricabili viſco detinebatur improuidus, etſi periculi non ignarus: *Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi: eduxeruntque eum, & poſuerunt extra ciuitatem.* Quærunt Patres, cur Lotus tot virtutum dotibus exornatus nexuerit moras, properantes intuitus pœnas. Rupertus lib.6.in Geneſ.cap.10.ſentit de Sodomorum conſortio nonnullam ſtupiditatem fuiſſe prouidentiámque de fumo vicinorum obſcuraſſe: ipſum Ruper. audi: *Quaſi non ſatis intelligeret, quod dicebatur, cùm percelleretur nuntio inſtantis periculi, dormitantes oculos auertebat à lumine præſenti.* Imminens adurgebat periculum, & tamen aduerſùs periculi voces obſurdeſcebat, & aduerſùs ignis lucem caligabat. Quòd ſi de ſalacium ſocietate hanc improuidam ſecuritatem ebibit iuſtus, quam putas ſuget huiuſmodi ſceleribus maculatus? Experientia compertum eſt pluribus, qui alterius honori præſtruebant inſidias, & ob voluptatem procreabant offenſas, imminere vigentiſſima pericula denuntiatum, & tamen ſtolida animoſitate, improuidáque audacia pericula deſpexerunt, & alienas domos frequentarunt, culpam violenta ſoluentes morte, & dolorem plurimis afferentes ſtrage. *Sic perſæpè is* (proſequitur Rupert.) *qui iam cæleſtia nouit, cui per Euangelium Chriſti reuelata eſt ira Dei, iamque de ſpiritualibus inſtrui meruit; adhuc tamen pernicioſo irretitur amore mundi, & à concupiſcentia ſua illectus diſſimulat auditas, & benè ſibi cognitas futuri iudicij minas, & æterni ignis pœnas ſulphureas, eò intentus, vt concupiſcentia ſua effectu quoquomodo perfruatur.* Ne vel per breue tempus concupiſcentiæ ſuæ euanido fraudentur gaudio, grauiſſimo plures ſcienter exponuntur detrimento; & cùm non ignorent, ſi hanc aut illam domum ingrediantur, gladium eis, aut tormentum bellicum inſidiari, nondum didicerunt ſalubriter metuere; ſed culpæ inſania cæciſſimè audere.

184. Noë ardentem Dei imminere iram hominibus deprædicaſſe conſtat ex ſecundâ Petri epiſtolâ: 2.Petr.2. v.5. *Noë iuſtitiæ præconem cuſtodiuit, diluuium mundo impiorum inducens.* Expendere iuuat, cur è tot hominum millibus nullus, familia excepta ſuâ ad Noë prædicationem reſipuerit, cùm ad Ionæ Prophetæ voces ferè nullus è tanta hominum copia aures ſurditate obſeruauerit: Ionæ 3. v 4. *Cœpit Ionas introire in ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit, & dixit: Adhuc quadraginta dies, & Niniue ſubuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Deum, & prædicauerunt ieiunium, & veſtiti ſunt ſaccis à maiore vſque ad minorem.* Ecce vel diuina prædicatio ſic Niniuitas perculit, vt ad ieiunij confugerint patrocinium, ſi imminens eludere poſſint naufragium; cùm tamen Noë raucè clamando fauces nulli ſuaſerint arripere pœnitentiam, & irati Domini præcauere vindictam. Ecquæ huius diſcriminis cauſa eſt? Retulit, niſi fallor, textus: Geneſ. 6. v.3. *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt.* Sic prouidentiam libidini ſeruam tradiderant, vt imminentis non ignari diluuij, ne voluptatis carerent effectu, prudentiæ caruerint conſilio. Opportunè Seleucienſis Baſilius orat. 6. Baſil. *Filias ex Caini poſteritate formoſas conſpicati, ſplendidas, & ornatu florentes, ſeruámque libidini rationem tradentes diuina calcant edicta, & execrabilium egreſſu fœdantur, fluxam & caducam voluptatem æternarum rerum votis anteferentes.* Diluuium appetebat, periculum creabatur, & tamen cùm viderent arcam conſtructam, cùm imbres eiaculari Cœlum inciperet, nondum prudenti muniebantur cautione; ſed deſpiciebant periculum ſtulta ſecuritate. Tam eſt ſalacitatis vitium improuidum & exoculatum. Aliis criminibus infecti faciliùs reſipiunt minis perculſi, & terroribus perſuaſi; at luxuria ſic illigat prouidentiam, vt præſenti etiam periculo debacchetur inſania, nec vlla adhibeatur cautela.

§. XLIII.

Ea quærimus aliquando effugia, quæ maiora nobis afferunt detrimenta.

NOn ſemel cum variis calamitatum fluctibus 185. luctamur; maximum negotium nobis ingerit paupertas, patientiam oppugnat iugis infelicitas, cùmque effugium aduerſùs fortunam quærendum nobis ſtatuamus, noſtris votis opponimur & dum conamur inuenire tutelam, nouam angoris addimus cauſam. Nobis accidit, quod febricitantibus, vt ſitim extinguant, frigidam immodicè appetunt, & vbi adiecerunt aquam, ardori etiam ſuggeſſerunt materiam. Itáque remedium deſiderant; ſed ſitis calorem præter opinionem augmentant. Nos etiam cùm tuta ad ſpeciem quæramus, periculoſiora adimus. Samſon illigatis facibus vulpes dimiſit: *Cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc, illucque diſcurrerent.* Vulpes à tergo infeſtantem ignem extimeſcentes, effugiúmque deſiderantes imprudenti cautela in Philiſthinorum fruges ſe receperunt; verùm maturi iam ſiccique culmi, quàm facilè exarſerunt, ibique vulpes ineuitabile inuenit incendium, vbi aduerſùs ignem perquirebat effugium: *Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis, & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt.* Vt leuiori flammæ ſubuenirent, ampliſſimum imprudenter ſibi ſollicitauerunt incendium, & quodammodò flammis cinctæ tardè agnouerunt, quàm ſibi periculoſa adiuiſſent effugia, & quàm ignem fugiendo ſibi incrementaſſent incendia: quæ ad aquas debuiſſent recurrere, ad ſegetes confugerunt, & dum quærunt imprudenter ſopire flammam, inueniuntur multiplicare miſeriam: *Deſiderabant,* Abulenſ. inquit Abulenſis q.7. *fugere ad loca occulta, in quibus ignis non poſſet conſequi illas, ideò introibant in ſegetes, & inter olineta, & vineas putantes ibi poſſe latere, & quod ignis non conſequeretur illas, & ſic ſuccendebant ſegetes, vineas, & olineta.* Contrà exiguam facem ſollicitabant ſibi tutelam, obruteſcentes tamen ibi quærebant tutelam, vbi ardentiorem opus erat ſubire flammam.

Cum Pentapoli fœdis libidinibus exhalatum; 186. pluſquam ſulphureis vaporibus innutritum miniſtaretur

Digitized by Google

taretur incendium, adurgetur ab Angelis Lotus montem adire, & periculum declinare: *In monte*
Geneſ. 19. v. 7. *ſaluum te fac, ne & tu ſimul pereas.* Lotus Segor ſibi delegit, ratus ibi ſecuriùs degere, igneóſque vortices declinare: *Eſt ciuitas hac iuxta, ad quam poſſum fugere, parua, & ſaluabor in ea*: Segor elegit, quæ teſte Hieronymo in quæſtionibus Hebræis, priùs Bale dicta fuerat, quia frequentibus terræ concuſſionibus ſubruta, & ſtupendis motibus conquaſſata: *Frequenter terræ motu ſubruta Bale primum appellata ſit.* Ecce quod effugium Lotus ſibi quæſiuit, Segor videlicet non ſolùm cœleſtibus imbribus obnoxiam; ſed terrenis etiam concuſſionibus ſæpè auulſam. Hominum hoc eſt ingenium, ibi ſalutem quærere, vbi conſtat morbis grauioribus laborare, vt leuem declinarint febriculam, ad regionem inuolant, peſtilentia graſſante infectam. Agnouit Lotus electionis errorem & ad montem ab Angelis ſibi conſtitutum aufugit: *Aſcendit Lot de ſegor, & manſit in monte.* Expertus fuerat quàm cæcis oculis delegiſſet: ergo ſententiam retractauit, & ad tutiora ſe contulit. Audi Hieronymum datum: *Quæritur quare*
Hieron. *cùm primum fuga montis ſegor prætulerit, & eam in habitaculum ſuum voluerit liberari, nunc de ſegor rurſum ad montem migret.* Audiſti quæſtionem, ſolutionem attende: *Reſpondebimus veram eſſe illam Hebræorum coniecturam de ſegor quòd frequenter terræ motu ſubruta Bale primum appellata ſit: timuitque Lot dicens: ſi cùm cætera adhuc vrbes ſtarent, iſta ſæpè ſubuerſa eſt, quantò magis nunc in communi ruinâ non poterit liberari?* Plura ſunt extrinſecus ſpecioſa; ſed interiùs fœda: dum Lot à longè ſegor inſpexit, tutiſſimum profugium appellauit; at illam ingreſſus expertus eſt quàm frequentibus motibus quateretur, & quàm cæteris ciuitatibus, ni diuina promiſſio adeſſet periculoſior: ergo ad montem fugit, fugâ nos erudiens ſic homines deerrare, vt grauiori periculo leuiori conſulant, ibique ſibi præparatint effugium, vbi certius, & grauius eſt detrimentum.

187. Militauerat contrà Siſaram æther, ſequebatur celeri pede Barachus, vtque declinaret periculum,
Iudic. 4. v. 17. Iaëlis ingreditur tabernaculum: *Siſara fugiens peruenit ad tentorium Iaël*: ibi depulſo timore ſe latere credidit, & mulierem ſibi blandientem in tutelarem delegit. Iam quæ ibi pertulerit, audi: *Ingreſſa abſcondite, & cum ſilentio poſuit ſuprà tempus capitis eius clauum, percuſſúmque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt*: ibi ſibi maturauit excidium, vbi ſecuriùs putauerat tutamentum: tutelæ manu iacuit occiſus, qui aſtris conglobatè belligerantibus fugam arripuerat periculo exemptus: plus illi timendum fuit de quæſito profugio, quàm de aduerſariorum bello. *Promiſerat & ſecuritatem*, inquit Lyra, *vt patet in*
Lyra. *textu, & poſteà latenter interfecit eum.* Periculoſiſſimam ſibi ſecuritatem quæſiuit, & ſibi pro antidoto efficax delegit venenum. O quoties laboramus ipſo remedio, & dum imprudenter improuidéque calamitatis ſuſpiramus medelam, valentiorem nectimus cauſam.

188. Abſalonis militares copiæ à Dauidis aciebus profligatæ terga verterunt: inſiſtebant tergis hoſtiles mucrones, vtque ſibi plures prouiderent ad ſaltus latebras confugerunt: ibi verò mors illos manſit acerbior, & durior; non tot iacuiſſent gladio trucidati, ac ferarum vnguibus iacuerunt diſcerpti: effugium turbulentiſſimum fuit ſalutis naufragium, & dum inconſideratè ferarum ſibi delegerunt latibula, fuerunt & ferarum pabula: *Fuit ibi prælium diſperſum ſuper faciem omnis terræ, & multò plures erant, quos ſaltus conſumpſerat de populo, quàm hi, quos vorauerat gladius in die illa.* 2. Reg. 18. v. 8. In ſaltu perierunt miſerabiliùs, & ad ſaltum confugiebant vti ad ſalutis auxilium, ac periculi tutamentum: ſaltus conſumpſerat, *beſtiæ ſcilicet*, inquit Interlinearis, *quæ in ſaltu erant.* Conſonat Lyra: *Ibi erant foueæ magnæ, vt patet* Interlin. *ex hoc, quod infrà dicitur, quòd Abſalon fuit proiectus in foueam magnam, & in foueis illis fugientes de exercitu Abſalon ceciderunt, & mortui ſunt. Dicunt etiam Hebræi quòd in illo ſaltu erant feræ terribiles, quæ multos de illo exercitu fugientes, & intrantes ſaltum occiderunt.* Ad præcipitia inuolabant, feris ſe præter opinionem obiiciebant aſyla ſuſpirantes, & propugnacula ambientes. Lyra. Peccatores videas adeò cæcutire, & amenti conſilio errare, vt ad tuendam ſalutem voluptatum ſibi maturauerint peſtem, ad effugiendam inopiam iruerint in infamiam, ad ſopiendum iniuriæ dolorem vindictam ardeant calamitatum ſcaturiginem, & ignominioſæ mortis occaſionem non quodvis cruſtatum effugium eſt ſine examine ambiendum; ſed attentione prouidâ examinandum, ne leuius fugiens periculum, deterius ſubeat detrimentum, & falſa ſecuritate deluſus feralis ſit truculentiæ cibus: vulpes exiguam facem fugientes ſe inter ſpiſſas ſegetes receperunt, quæ dum facilè concipiunt ignem, in amplum exceſcunt rogum, & omne vulpibus præcludunt effugium: ibi voracibus circumcinctæ flammis perierunt, vbi ſe flammam fruſtraturas putarunt.

Aponus fons in formam dolij concauis hiatibus æſtuabat, & fornaces anhelantium aquarum fundebat: veniebant aquæ per algentes meatus tali feruore ſuccenſæ, vt poſt recurua ſpatia arte prolata ſic ad vtilitatem humani corporis æſtum temperarent, vt deſeruirent delectationi & ſaluti: ibi videas ardorem vndis amico fœdere copulari, & inde creſcere, vbi ſemper conſtat extingui. Ergo ne thermis tempore iam vetuſtis ægri paterentur periculum, vbi non ſine ingenti labore ſuſpirauere remedium, curæ fuit prouidæ ſic reſtituere, vt omne incommodum conſtaret arceri. Ita 189.
Theodoricus 2. var. 39. *Virgulta noxiâ importunitate naſcentia euulſis caſpitibus auferantur, ne radicum quidam capilli paulatim turgentes fabricarum viſceribus inſerantur, & more vipereo prolem ſibi fœcunditate contraria nutriat; vnde ſe compago caſura diſrumpat.* Caſſiod. Curandum fuit, ne ægri inuenirent mortem ruina ſepulti, vbi ſalutem procurauerant mitis vaporibus recreati: quid enim miſerabilius, quàm pro ſalute feſtinanter accurrere, & ibi grauius morbo periculum ſuſtinere?

§. XLIV.

Digitized by Google

§. XLIV.

Prudenter aſtutus, ob cuius ſocietatem tulit aliquale detrimentum, ſtudebit declinare conſortium.

190. TVita cogita, aiebat Seneca epiſt. 103. *quod ex homine periculum ſit, vt cogites quod ſit hominis officium: alterum intuere, ne lædaris; alterum, ne lædas: commodis omnium læteris, moueaeris incommodis: ſic viuendo quid conſequeris? non vt ne noceant; ſed ne fallant.* Adiicit Philoſophus: *Non arietant inter ſe niſi in eodem ambulantes.* Ab omni homine recedere ſine inuidia, & ſine aliorum nota ſapientis eſt, in ſacrarium prudentis cautelæ recedit, quò viuat tutior, & ne arietandi ſit occaſio, ab omnibus ſine iactantiâ declinabit prudentior. Quòd ſi ſapientis eſt præcauere ante experientiam periculum, imprudentis erit poſt experientiam ſubire ſemel & iterum damnum. Non moueri acceptis incommodis ingens ſtupiditas eſt, quando vel animalia, ſi de alterius conſortio aliquod damnum perſenſerint reſultare animitus refugiunt iterum conuenire. Nouit hoc belluarum ingenium apprimè Samſon, qui cùm de Philiſthinis publicam exigere mediis vulpibus decreuiſſet vltionem, ne ſi ardentibus facibus in eundem locum conuenirent, exiguum Philiſthinis damnum inferrent, caudas caudis ligauit, faceſque nodis inſeruit, vt ardentibus iam facibus diſſolutæ in contrarias prorsùs partes tenderent, & incendium amplificarent: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illùcque diſcurrerent.* Caudas caudis innectere primâ ſpecie non videbatur intentioni deſeruire; ſed ridiculariæ rei militare; verùm Samſon ingenij vulpium gnarus ea in vnione aliquid detrimenti experiri voluit, vt ſe fugerent, & fugâ rei ethicæ deſeruirent: dum fax nodo inſerta exuritur, aliquid nocumenti cuivis vulpi ex illâ vnione reſultabat, quandoquidem ignis vnitas aut flamma aliquantulum aduſſit, aut calore ſaltem vexauit. Ergo dum ab vnione percipiunt detrimentum, iam animitus detrectabunt conſortium. Innuit Abulenſis q.7. *Quæretur, cùm Samſon vellet miſſis vulpibus cremare terram Philiſthinorum, ad quid ligabat eas ſimul? Quia ſufficiebat quod qualibet vulpes ligata face ad caudam, ſi mitteretur, diſcurreret per ſegetes & vineas, & cremaret, ſicut ſi omnes ſimul ligarentur, & poſteà mitterentur.* Propoſitæ quæſtioni reſpondet doctus Interpres: *Reſpondendum, quòd intentio Samſonis fuit, vt crematetur terra Philiſthinorum ad omnem partem, &, ſi mitteretur qualibet vulpes per ſe, non fieret ſic, quia contingeret omnes vulpes, aut plures earum concurrere in eandem partem.* Adnectit: *Nunc autem ligando omnes ſimul, neceſſe erat, quod diſcurrerent ad partes contrarias.* Ni noxia præceſſiſſet vnio, ſi vulpes non fugerent; ſed potiùs in partem aliquam conuenirent; at vnionem ſibi nociuam expertæ quævis aliam diffugiebat, vtque fugeret, ad contrariam partem inuolabat. *Neceſſe erat quod diſcurrerent ad partes contrarias.* Quàm excurſus contrarius doctrinalis hominibus eſt! Ecce aſtuta vulpes ſemel experta aliquod ſibi damnum attuliſſe conſortium, contrariam tenet viam, vt propulſarit periculum, & inuenies homines, quibus ob alterius conſortium magna reſultarint incommoda nec tamen diſſoluere nouerunt amicitiæ ſocietatiſque vincula.

Seneca. — Abulenſ.

191. Iacob Eſaüque vterini fratres matris aluo pro arena vſi inter ſe validè certabant, ſeque illidebant: *Collidebantur in vtero eius paruuli.* Iacob abſentiæ auxilio obuiauit fraterno odio; verùm cùm poſt longa tempora regredienti Eſaü occurreret, ſe itineris comitem præbuit: *Gradiamur ſimul, eróque ſocius itineris tui.* Iacob conſortium prudenter declinauit, antiquum recordatus diſſidium, & de conſortio colliſionis damnum: *Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum, & ego ſequar paulatim veſtigia eius.* Præcedentis prudenti moroſitate ſequebatur veſtigia, vt vitaret ſocietatis prouidè incommoda. Vtriúſque mirè hîc eluxit ingenium: Eſaü vti benedictione mulctatus, etſi ob Iacobi conſortium ſubierit luctam, nullam periculo adhibebat modò cautelam, Iacob benedictus & mitis virtutibus exornatus, ne contingeret iterum altercari, prudenter procurauit diuelli: *Non arietant inter ſe*, aiebat datus Seneca, *niſi in eodem ambulantes.* Ergo Iacob expertus periculum concertationis ſe ſocium recuſat præbere itineris: *Pro parte electorum* (verba ſunt Ruperti lib. 8. in Geneſ.cap.8.) *verbi gratia, quales Apoſtoli fuerunt, ne ſaltem ad modicum ſimul cum illo gradi patitur.* Et poſt pauca addit: *Benè igitur pater Iacob eiuſmodi viatores, vel curſores improuidos deuitans, paruulos, inquit, habeo teneros.* Deuitauit prouidè conſortium, cuius ſibi incommodum expertus fuerat ingenium, virtutis aſſeclas, alumnóſque edocens de infelicitate procudere ſibi cautelam, & de morbo medicinam. Non erat Eſaü Apoſtolorum emblema, dum paſſus damnum iterum latus exambiebat fraternum.

Geneſ. 25. v. 1. — Geneſ. 33. v. 12.

192. Tertull. lib. de Anima cap. 19. truncos non ſemel hac in re homines edocet antecedere: *Video & hederas, quantum velis, premas, ſtatim ad ſuperna conari, & nullo præeunte ſuſpendi; quod malint parietibus inuehi textili ſylua, quàm humi teri voluntariâ iniurâ.* Adiicit ingenioſus Doctor: *Contrà, quibus de ædificio malè eſt, vt creſcendo recedunt, vt refugium ſentias ramos alior ſum deſtinatos, & animationem arboris de diuortio parietis intelligas, contenta ſua paruitate, quam ex primordio prouidentiſſimi fruticis edidicit timentis etiam ruinam.* Sapiens hedera, vbi extenſis brachiis parietem amplexa ſenſit ſibi non proficere, imò nocere, ramos alior ſum dirigit, & diuortium parietis exambit: *Quibus de ædificio malè eſt, creſcendo recedunt.* Itáque quantumvis premas, non inhærebit hedera parieti, de cuius ſocietate ſenſit detrimentum; ſed aduerſùs vim, & aduerſùs induſtriam prouidenter ſolicitabit ſibi deuortium, malens humi repere deiecta, quàm ad modicum florere textili ſyluâ eleuata.

Tertull.

193. Chriſtus Dominus Zachæum celeri greſſu de ſycomoro iubet deſcendere, ne ſi voluntarium diſtulerit deſcenſum, miſerum ſuſtineat caſum: *Cùm veniſſet ad locum ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende.* Chryſologus qua ſolet ingenij viuacitate, rogat, cur qui benè aſcenderat, arborem præcipiatur deſerere. Certè laudabili greſſu altiſſimæ arboris iſte

Lucæ 19. v. 5.

iſte peruenit ad ramos: non aſcendit ambitionis ſtudio; ſed ſalutis deſiderio: calcauit terram, ſupergreſſus eſt aurum, contempſit auaritiam, & de calcata diuitiarum mole gradum ſibi fecit, vt in veniæ arborem proſiliret, & indulgentiæ cerneret
Chryſol. largitorem. Chryſologum audi ſerm 54. *Si benè aſcenderat, quam ei dicitur: Deſcende?* Vt difficultatem enodemus, recole primos parentes ficus vicinitate periiſſe: ficus dum ingeſſit inutile deſiderium, attulit grauiſſimum damnum. Ergo Zachæus, ſi ſapit, eam fugiat arborem, à qua iam in primo parente mortis, accepit venenum, & innocentiæ naufragium: quantumvis namque virtutis ſtudio procurarit aſcenſum, prudentiæ ei arbori approximare erat nubilum, quando debuiſſet ipſâ experientia edoceri, & ſublato inde incommodo retardari. Audi Chryſologum: *Si ſapis, feſtinans deſcende, deſcende ante Dominum de Adamatica arbore.* Quæ graue adeò damnum homini intulit, non erat inſcendenda, ſed declinanda. Ergo ne ſapientiam Zachæus obſcurauerit, non arbori inſideat; ſed quam citò deſcendat: eſſet namque obſcurarè ſapientiam arbori, de cuius proximitate grauiſſimum tulerat detrimentum, ſtudioſè approximare, & tamis ſe quodammodò inſerere: *Si ſapis, deſcende, deſcende de Adamatica arbore.* Si inſcendiſſet oliuam, ſi vti ſponſa aſcenderet palmam, non ei celer præciperetur deſcenſus; iubetur verò de fatua ficu deſcendere, ne in fatuata videatur etiam prudentia, dum eidem adhæreſcit poſt damna. *Si ſapis feſtinans deſcende, deſcende ante Dominum de Adamatica arbore.* Ficus, vt plurimis interpretibus placet, fuit circa quam primi parentes peccarunt, & à qua folia, quibus tegerentur, rapuerunt. Ergo, ſi ſapit Zachæus, huius arboris celeriter fugere tenetur proximitatem, vt qui nouerit reſultaſſe inde hominibus inextricabilem anxietudinem.

---

§. XLV.

Eius detrectari debet conſortium, à quo videtur imminere periculum.

194. Loco prouidentiæ exoculata aliquando ſucceſſit audacia: ſibi aduertatur temeritas gloriæ æmula, & dum periculum timere deſpicit, miſerè incurrit. Nonnullos cautos eſſe pœnitet, quaſi inerti adſcribatur ignauiæ rationabilis, & periculum auertens cautela: imminere non ſemel ob alicuius conſortium præuidemus pericula, & malumus imprudentes incurrere, quàm vitare. Bruta hominibus pro magiſtro ſunt, à ſimilibus impigrè diſcedunt, ſi de conſortio periculi ſuſpicio ſit: nobis brutalitas quodammodò irrepſit, ad bruta cautela prudens tranſiuit. Grauiſſimum homini ab homine, in quo præcipuè periculum procreati, quotidianum experimentum oſtendit; nec tamen cara experientia obbruteſcentes homines
Seneca. erudiuit: *Ab homine homini*, aiebat Seneca epiſt. 103. *quotidianum periculum, aduerſus hoc te expedi, hoc intentis oculis intuere: nullum enim malum frequentius, nullum pertinacius, nullum blandius.* Tempeſtas; antequam deſæuiat minatur: crepant anteà ædificia, poſteà ruitura: teter prænunciat fumus incendium aſt ſubita eſt ab homine, & inopina pernicies,

Nullum homini peſtilentius quã homo malũ.

quò propiùs accedit, eo doloſiùs fallit. Prudens à quo inopinè ſcit poſſe ſibi periculum emergere, fugit; imprudens, ne nociuum detrectarit conſortium, apertis oculis adit periculum. Turpiter erras, ſi prauorum ſocietatem peſtilentem non noſcis; ſed turpiùs erras, ſi agnoſcendo non fugis. Improbus externa effigie homo, intus fera eſt, & quidem truculentiſſima! occurſu nocet, halitu inficit, conſuetudine interficit; & tamen ægrè adeò ab eius latere aliquos videas diſcedere, vt prudenter cenſeas velle perire. Hac in parte ſapientiores videntur belluæ, manifeſtum hoc capite apparebit exemplum: nam cùm Samſon domeſtica iniuriâ exaſperatus publicam excogitaſſet vltionem, plurimis captis vulpibus earum caudis ad caudas illigatis ardentes faces inſeruit, & manu miſit: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio; quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent.* Cur caudas caudis ligauerit, & ardentibus iam facibus ſolueiit, quærunt Interpretes. Placet inter alios Abulenſis q.7. qui exiſtimat hac induſtria Samſonem vſum, ne plures vulpes in eandem partem conuenirent; ſed à ſe inuicem fugiendo ignem pluribus in locis diſſeminarent, & ampliori incendio terram Philiſthinorum adurerent. Itaque vulpes quæuis alterius flammam intuita eius auerſabatur conſortium; imò ad locum confugiebat contrarium. Toſtatum audi: *Cùm vna vulpes videret aliam ardentem, fugiebat ab ea, & alia ab alia, in tantum quod neceſſe erat eas in partes contrarias fugere; & hoc modo totam terram in circuitu perambularent.* Vulpem cum vulpe congregabat natura; ſed diſiungebat exurens flamma: & quod ſuadebat ſimilitudo conſortium, imminens diſſuadebat periculum: efficacior fuit, vt procurarent diſiungi, flamma, quam vt aſſociarentur, natura: prudenti ſe aſtutia fugiebant, ne alieno perirent incendio, & vſtularentur conſortio. Abulenſ.

Hanc ipſe Samſon à vulpibus mutuatus videtur ſagacitatem: poſt illatam Philiſthinis cladem in cõtribulium ſe ditionem recepit, ibi petra Etam degebat munitus, & receſſu ipſo obarmatus: verùm contribules hoſtibus tulere ſuppetias, & qui debuiſſent cognato prouidere, hoſtibus inuenti ſunt auxiliari: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Ligatus adducebatur; verùm ſpiritu afflante vincula diſrupit, & hoſtilia caſtra aut detriuit; aut profligauit: triumpho iam coronatus ſuos reliquit, & ſe Gazam contulit: *Abiit quoque in Gazam.* Si quæras cur contribules deſeruerit poſt triumphum, ad quos confugerat ante prælium, reſpondebit Ambroſius ſæpè datus eorum declinaſſe & ignauum ingenium, & ſibi periculoſum conſortium: *Vbi decurſa ſerie*, inquit, *bellum Paleſthinorum compoſuit, & ſuorum declinans ignauiam, & hoſtilem deſpiciens manum Gazam ſeſe contulit.* Contribules hoſtibus reſiſtere non auſi contribulem illigare tetenderunt aggreſſi: ergo illorum ignauiam ſibi periculoſam declinauit malens inter hoſtes degere, quam inter cognatos aduerſantes ſibi habitare: eorum ſocietas illum duris irretiuerat vinculis, quæ, niſi cæleſtis affuiſſet ſpiritus, nullatenus diruipiſſet; imò hoſtilis ferociæ iniurias toleraſſet: ergo ſemel expertus vinculum, fugit prudenter conſortium, ne de iterato cõſortio & repetitum ſubiret vinculũ, & prudentiæ incurreret nævum: eſſet namque prudenti homine indignum à vulpibus non didiciſſe cautelam,

195. Iudic 15. v.14. Iudic 16. v.1. Ambroſ.

lam; ſed infelicem nutrire audaciam: itaque ruptis vinculis, & triumphis partis ſeceſſit & fugit, te edocens illorum vitare conſortium, à quibus reſultare poteſt periculum.

196. Moyſi oues in ſolitudine agenti Deus obiicitur: erat Numini pro regio ſolio rubus inter medios flammarum vortices illæſè vireſcens, & ignibus pro vndis florens, vox prodibat, quæ Moyſem in Ægyptios refractarios obarmaret, & ad certamen contra Pharaonem ſuſcipiendum impelleret; verùm Moyſes, vt qui nouerat non omni ſpiritui inconſultè credendum; ſed an ex Deo fuerit, prudenti examine comprobandum, ſigna exambiuit, & aliorum nomine depoſcens inuidiam quodammodo declinauit: Exod.4. v.1. *Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus*: Iuſſus eſt virgam proiicere, quæ vt ſolum attigit, colubri faciem ſtatim induit, & Moyſem in fugam vertit: *Verſa eſt in colubrum ita vt fugeret Moyſes.* Iam ſi inquiras, cur Moyſes, qui paulò antè rubo ignique approximare non extimuit, virgam ſerpentem adeò celeriter declinarit, reſpondebit Iſidorus lib. in Exod. cap. 8. prudenter fugiſſe, vt qui nouerat homini à ſerpente mortem promanaſſe: ergo noluit proximare imprudenter colubro; ſed cautè prouidere periculo. Iſidorum Iſidor. audi: *Quid hoc ſignificat? Serpens quippe perſuaſit homini mortem: ergo mors à ſerpente.* Subiit Moyſis memoriam, quod olim homini ob ſerpentis conſortium acciderat: recordatus eſt Adamum ob doloſam eius verſutiam miſerum tuliſſe exilium, & refertum innoxiis voluptatibus amiſiſſe copiarium: acceſſiſſe nouerat Euæ blandientis facie, & lædentis intentione: ſubſultaſſe fœminæ plaudendo, & vt morti aperiret viam, omnem mortis exterminaſſe mendaciter contingentiam: ergo ſapienter fugit, ne alieno diſcrimine præmonitus diſperiret: eſſet enim ſapientiæ nubilum lætiora ſibi à ſerpente promiſiſſe, & Adami euentum non ignoraſſe: ergo imitatus Moyſem ſerpentem declina, nec tibi imponas, dum à quo non ignoras ingentiſſimum reſultaſſe hominibus detrimentum, tibi nullum arbitraris afferendum fore periculum.

197. Baſilius Seleucienſis, vt exaggeret cœleſtis gratiæ efficaciam, & in eruendis à diſcrimine hominibus inuictam potentiam, Dauidem in exemplum adducit. Repetamus hiſtoriam. Saülis animum à gratia derelictum dæmon inuaſit, & proprium ſibi effecit domicilium, nec fraudulenta diſſimulatione inuaſionem tegebat; imò aduentum ſuum notis certiſſimis publicabat: prudentia namque de mentis vertice deturbebatur, oculorum pupillæ, vt iniquam de rebus ſententiam gererent, agebantur tranſuerſim, dæmoniacis motibus Saül agebatur, & pro dæmonis voluntate quolibet rapiebatur. Quàm miſeranda erat illa Reſpublica, vbi ſuperior obſecundabat dæmoni, & miniſtri ſuperiori. Ergo non ſolùm Saülis vices; ſed ſuas etiam miſerati aulici de remedio ſedulè cogitarunt, & Dauidem ſtrenuum lyricinem attulerunt. Lyræ cantus erat pro medicamine; verùm in Saülis conſortio graue paſſus eſt periculum, dum opportunum præbet infirmitati medicamentum: 1 Reg.18. v.11. *Tenebat Saül lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete. Et declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* Improuiſum inopinúmque periculum Dauid eluſit; verùm cùm iterum Saül dæmoniacis motibus obturbaretur, Dauid lyram iterum pulſat; & contrà inuiſum dæmonem pſalmum armat. Quid tunc? Saül iterum haſtam contorſit, & iterum Dauid periculum illæſus euaſit: *Lancea autem caſſo vulnere perlata eſt in parietem, & Dauid fugit, & ſaluatus eſt noctè illa.* 1.Reg.19. v.10. Hic inuictas gratiæ vires agnoſcit reſplenduiſſe Baſilius orat.15. *Dauidem Saülis motibus obluctari permittit Deus, vt athleta ope diuina inuidentiæ victor euadat.* Baſil. Addit orat.16. *Ille ſanatus haſtam in medicum iactabat.* Ni Dauid, inquit Baſilius, priùs expertus fuiſſet periculum, non ſic diuina eluceret gratia, illum eximens à virulenta malitia; aſt poſtquam iterum ambiuit conſortium eius, à quo expertus fuerat imminere ſibi periculum, plagam non tuliſſe diuinæ omnipotentiæ oſtendebat valentiam, & exaggerabat gratiæ efficaciam: nec enim aliter periculum repetitum fruſtraſſet, ſed dignas audaciæ pœnas dediſſet.

---

§. XLVI.

Concionatores ſunt Eccleſiæ circumciſio, nati corripiendo ſæculo.

198. NObilior & fructuoſior circumciſio non tam carnem reſecat, quàm vitium cultro virtutis præcidit: non iam nocet corporis integritas, ſi paſſiones demetantur, & appetitus diſcretionis ferro ſecentur: nullum emolumentum afferet corporis adflictatio, ſi inſanus præualeat cupiditatis ardor, & ſordidæ libidinis furor: *Circumciſi eſtis,* Ad Galat.2. v.11. alloquitur Paulus Galatas, *circumciſione non manufacta in expoliatione corporis carnis; ſed in circumciſione Chriſti.* Chriſti circumciſio rationabili cultro ſuperflua demetit, vitia præcidit, quo virtutem redintegret, & animum Dei ſimulacrum efformet. Opportunè Anſelmus: Anſelm. *Reſurrectio Chriſti, quæ facta eſt tertio quidem à die paſſionis; ſed octauo in diebus hebdomadis, ipſa vos circumcidit. Huius circumciſionis fructus enumerat: reſurrexit enim Chriſtus: abſtulit vobis deſideria carnalia, abſtulit concupiſcentias malas, abſtulit ſuperfluum, cum quo nati eratis, & multò peius, quod malè viuendo addideratis.* Pro natura inoleuerat vitium, quod Chriſtus moriendo abſtulit; verùm quia repullulat in hominibus inſanæ cupiditatis copioſa meſſis, quia germinat venenatus appetitionum fructus, concionatores neceſſariæ circumciſionis cultros Eccleſiæ delegauit, vt cœleſti doctrina vſi animas expolirent, & nobili teſſera militiæ fidei aſſignarent. Graphicè Tertullianus de cultu fœminarum cap.9. *Nos ità ſalutarium diſciplinarum nos ſumus,* Tertull. *in quos decurrerunt fines ſæculorum, nos deſtinati à Deo ante mundum in æſtimationem temporum, tanquam caſtigando, & caſtrando (vt ita dixerim) ſæculo erudimur à Domino. Nos ſumus circumciſio omnium & ſpiritalis, & carnalis: nam ſpiritu & carne ſæcularia circumcidimus.* A Deo deſtinati in Apoſtolorũ ſucceſſores vicariòſque vitiorum ſunt circumciſio, & errorum demeſſio. Notanter dixit Tertullianus: *Nos ſumus circumciſio, quia caſtigando, & caſtrando ſæculo erudimur à Domino.* Et quidem aliud eſt circumcidens, circumciſio aliud: nam qui alium circũcidit, noxiis poterit ſuperfluitatibus redundare; at circumciſio ipſa in ſe nil habet nocenter exuberans; ſed omnia ad virtutum concinnitatem, & animorum elegantiã adaptans: ergo concionator non ſit circũcidens; ſed circũciſio, ne dura aliorum ſuperfluitates ſeuerè amputans, indulgenter

Digitized by Google

genter ſibi permittat. Circumciſio actus eſt: ergo cõcionator ſi Chriſti ſit actuoſa falx nõ de munere ſibi honorem aut plauſum demetens; ſed de ſolertia populi vanitates reſecans, & virtutum copioſiùs protrudendis fructibus parans. Samſon Chriſti figuram gerens vulpes ligatas igneque inſtructas in Philiſthinorum fructus deſtinauit, quo in cineres redigerent, & caſſo inſudaſſe labore oſtenderent: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc, illucque diſcurrerent. Quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipulâ concrematæ ſunt.* Humili & ſagaci animalculo Dei miniſtros deſignari tradit gloſſa moralis: *Sicut Samſon per combinationem vulpium incendit ſegetes Philiſthinorum, ſic Chriſtus per prædicatores charitate combinatos ſuccendit fide charitate formata gentilium corda in tantum quòd in multis erant ad martyrium promptiſſima. De hoc igne dicit Saluator Lucæ 12. Ignem veni mittere in terram, & quid volo niſi vt ardeat? Quod autem per vulpes poſſunt intelligi prædicatores, oſtenditur: pinguedo namque vulpium medicinale eſt contra contractionem, & ſtupefactionem neruorum; ſpiritualiter autem contractos per pigritiam & acediam quotidie erigunt prædicatores Eccleſiæ, & in via morum faciunt ambulare.* Concionator cæleſti ſucceſſus igne noxium virorem, & fallacem peccatorum adorit fructum: perdit meſſem, vt ſeruet hominem: iam pro Samſone militant Philiſthini Thamnathæum punientes, etſi antea vitiis cæcutiuerint adulantes: de igne ab Euangelicis miniſtris ſparſo lux emicuit, quæ cæcorum oculos illuſtraret, & aduerſus vitium inflammatos erigeret, dum rationabilis circumciſio euanidum fallacium fructuum virorem facit marceſcere, in vitium conſtat homines prouocare.

Gloſſa.

199. Angelum intuetur Ioannes acutâ falce obarmatum, cui in præceptis fuit botros præcidere, cùm iam flauæ vuæ matureſcebant: *Alius Angelus exiuit de templo quod eſt in cœlo, habens & ipſe falcem acutam, & alius Angelus exiuit de altari, qui habebat poteſtatem ſupra ignem, & exclamauit voce magna ad eum, qui habebat falcem acutam dicens: Mitte falcem tuam acutam, & vindemia botros vineæ terræ: quoniam maturæ ſunt vuæ eius.* Si maturæ vuæ, quomodo botri acerbi? & cur botri agreſtes præcidendi; & vuæ maturitate perfecta turgentes non vindemiandæ? Quia Angelus, reſpondet Ambroſius, eſt non maturi circumciſio; ſed indigeſti, vt vitis lætiùs turgeſcat, & vberiori fructuum copia teneſcat: immaturos botros ſterilitatis infamiam, inutile pondus amputauit, & de falce iucundior vinea refloruit: *Vindemia botros, ex quibus vinum oritur*, inquit Ambroſius, *quod mentes hominum alienat.* Acuta ſuperni miniſtri falx, ne mens à ratione alienetur, botros præcidit cupiditatis, maturitatem ſeruat virtutis: ipſe Angelus rationalem tranſiuit in falcem, vtque vineam ſtudioſiùs excoleret; acidos botros maturandos nunquam præcidit: non demeſſuit cœleſtis miniſter ſibi vuarum dulcedinem, à vinea ſolùm botrorum amputauit acerbitatem: Sacros miniſtros erudiens falce Euãgelica ſolum ad vineæ vtilitatem commodum, non ad excolentis lucrum. Qui Angeli munus exercet, totus ſit falx noxiè pullulantia reſecans, & vbertatem de circumciſione procurans.

Apoc. 14. v. 17.

Ambroſ.

200. Adonibezech ab Iſraëlitarum exercitu comprehenſus pedũ ac manuum ſummitatibus vtiliter caret mutilus. *Fugit Adonibezech, quem perſecuti comprehenderunt, cæſis ſummitatibus manuum eius ac pedum.* Integrum morte non damnant; ſed circumciſum aſſeruant: ſummitates prudenti cultrò amputarunt, vt virtuti viueret mutilatus, qui pro vitiis militabat de integritate; imò de ſuperfluitate ſuperbus. Stephanus in allegor. Tilmani Dei milites fuiſſe ait Adonibezech luctuoſam circumciſionem, & integram de circumciſione ſalutem. Integer manſit amputatis ſummitatibus æquitati, qui incircumciſus integer non erat rationi. *Hoc facit prædicator*, inquit Stephanus, *quando ſuperbo oſtendit ad quem finem deueniet de cogitationibus, & malis operibus ſuis, vel cum infirmitatem ſuam replicat ei dicens: Quid ſuperbis terra & cinis?* In pace occubuit ſalubri ferro circumciſus, aliter periiſſet ſuperbus. *Adduxerunt eum*, addit textus, *in Ieruſalem, & ibi mortuus eſt.* In Ieruſalem, hoc eſt cæleſtium viſione occubuit crimini, non ſaluti: *Tunc ſuperbus in Ieruſalem adducitur*, proſequitur Stephanus, *quando bona cæleſtia ante oculos eius ponuntur, & tunc ibi moritur, cùm propter hæc deſinit eſſe ſuperbus.* Superbia occubuit, humilitas floruit: vt concionator ciuẽ Ieruſalem Adonibezech cõſtitueret, operũ greſſuumque ſuperfluitatem vtiliter amputauit. O felix captiuitas, quæ hominem tradidit concionatori vitiorum circumciſioni, veritatis indici! Iam quàm Reipublicæ periclitetur ſalus, ſi concionator cæleſtis culter ad reſecanda vitia fabricatus non rubeat circumciſionis ſanguine; ſed ſterili ingenij niteat acumine, ſic Ezechiel de gladio diuinæ vindictæ loquens deplorabat: *Vt ſplendeat, limatus eſt.* Non erat Dominicus, ſed Babylonicus gladius, qui limatus ſplendebat: *Vt cædat victimas, exacutus eſt.* Non aris Dominicis parabat hoſtias; ſed Babylonis regi cædebat victimas, qui muneris oblitus non à cote quærebat ad feriendum aciem; ſed ad fulgendum nitorem: *vt ſplendeat, limatus eſt.* Limatus ſermo comptum prædicatoris eloquium culter eſt non prauitatem feriens; ſed virtutem. Huc voco Tertullianum lib. de Anima cap. 2. de ethnica philoſophia loquens: & vtinam philoſophiæ non appareret Chriſtianæ: *Hunc (Senſum) nacta philoſophia ad gloriam propriæ artis inflauit præ ſtudio (non mirum, ſi iſtud ita dixerim) eloquij quiduis ſtruere, atque deſtruere eruditi, magiſque dicendo perſuadentis, quàm docendo.* Dicunt, vt pollere ſe ingenij acumine perſuadeant, non vt mores inſtruant: ſapientiam buccinant, ingenium dictione exaggerant, ſtylum implexa tortuoſitate magnificant, verborum adulterio nitidi: de fictu vocum ſplendidi, de vtroque vani. Si quæ vera & propheticis conſona dicunt, cincinnis fucisque adulterant, & deformant: denique adeo grauem ab aliquibus concionatoribus calamitatem Eccleſia ſuſtinet, vt dubitare poſſis, an duriùs à filiis prematur, quàm à perſecutoribus diuexetur? nam veritatis aduerſarij ſæuiendo Eccleſiam exornabant martyribus; qui verò cum maxima veritatis iniuria ſuggeſtum pro veritate dicturi aſcendunt, defœdatunt vanitatibus. Ergo ſumma populo calamitas à propheta denuntiabatur, quando Dei gladius ſic adulterauit officium, vt ſolùm limetur ad ſplendendum, de ſplendoreque plauſum euanidum elucrandum. Ergò Euangelicus concionator de interna virtutum pinguedine ad inſtar rationabilis vulpis neruorum torpedinem ab audientibus pellat, ſibi de concinnato, infucatoque ſtylo laudem inutilem non parturiat.

Iudic. 1. v. 6.

Stephan.

Ezech. 21. v. 9.

Tertull.

Digitized by Google

§. XLVII.

Ni noxia ipſis in cunabulis reſecata, ineuitabile quodammodo diſcrimen attulerunt adulta.

201. VTili compendio, & lucroſo labore quæ perniciem afferre poſſunt adaucta, recens præciduntur exorta: dulcis eſt labor, qui nullis difficultatibus impeditur, & quo magnis difficultatibus prouidetur. Optimè Theodoricus l. var. 15. *Difficultatem nobis querela ſubmouemus, dum in ipſis cunabulis ſcelera commiſſa reſecantur.* Ingenti lucro inuigilat prouidentia, dum ipſis in cunabulis extinguere adlaborat peſtifera: & quidem dum imprudens differt ignauia exiguis reculis obuiare, ingemit, nec valet, ſi excreuerint, impedire. Quæ exordio facilè marcerent auulſa, reſiſtent ſecuri, ſi dura excreſcant in robora. Philiſthinorum effloruit vinea, & ſponſi etiam vinea refloruit: hæc dulces germinauit in fructus: *Vir affert pro fructu eius mille argenteos: vinea mea coram me eſt*: illa incendio conſumpta amaros produxit planctus: nam cùm Samſon illigatis vulpium caudis faces inſeruiſſet, maturam horreis ſegetem, & prædiuitem dulcibus racemis vitem incendio miſerabili tradiderunt, & ſpei labores fruſtrarunt: *Perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque, & olineta flamma conſumeret.* Inquires cur vinea ſponſi damna non ſenſerit; ſed copioſior exundarit in fructus, & Philiſthinorum miſeros pertulerit caſus. Quia ſponſus, reſpondebit Salomon Cantic. 2. vulpes ipſa in infantia capi prouidenter ſtuduit; at Philiſthinus adoleſcere nõ vetuit: *Capite nobis vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit.* Vulpes, inquit ſponſus, peſtifero dente, prolixa cauda ingentia vineis afferunt detrimenta: ergo dum paruæ, inuigilandum eſt ad capturam: nam ſi excreuerint, laboris ſolertiam fruſtrabunt, & vineis doloſitate nocebunt. En cur ſponſi vinea effloruerit, & illæſa germinarit, quia videlicet vulpes paruulas cepit, nec excreſcere permiſit; at Philiſthinorum vineæ, dum creſcere ignauè ſinunt, dum exiguam peſtem paruipendunt, flammis ſorduerunt conſumptæ, & à vulpibus concrematæ. Ni tellus exitiali vulpium copia exundaſſet, allata vineas flamma nullatenus conſumpſiſſet: *Vulpes paruulas, quæ demoliuntur vineas, capite nobis,* inquit, *id eſt, recidantur citò*, (verba ſunt Ruperti lib. 2. in Cant.) *moriantur, & diſpereant.* Addit; *Obſeruetur, & tamdiu vinea noſtra defendatur à vulpibus, donec flos eius botrus fiat præmaturus ex ſuo ſapore cognoſcendus, & terra viuentium experimentum mundo præbiturus.* Ipſa telluris fœcunditas in mœroris cauſam verteretur, ni vulpecula dum exigua perdatur: ergo qui vulpes non permiſit creſcere, ſaporatos à vinea fructus collegit; ſed qui ſpreuit paruulas, vineam aduſtam, & fruges horreis iam maturas concrematas ſerâ pœnitentiâ doluit.

Caſſiod.

Cantic. 8. v. 11.

Cantic. 2. v. 15.

Rupert.

202. *Nullum vitium*, aiebat Seneca epiſt. 116. *eſt ſine patrocinio, nulli non initium eſt verecundum & exorabile; ſed ob hoc latius funditur: non obtinebis, vt deſinat, ſi incipere permiſeris: imbecillis eſt primo omnis affectus, deinde ipſe ſe concitat, & vires, dum procedit, parat: excluditur facilius, quàm expellitur.* De proceſſu vires acquirit vitium, & cùm initio omnis affectio ſit imbellis, tempore duratur, & pertinacia fulcitur. Vt equus medio in præcipiti curſu ægrè frænatur, qui, antequam viam arripiat, facillimè detinetur, ita cupiditas initio nullo negotio ſopitur; ſed ſi ſe iam cõcitauit, viréſque collegit difficulter reprimitur, & domatur.

Seneca. Vitium facilius excluditur, quam expellitur.

Summus parens, dum animos ad omnem virtutem latis niſus eſt legibus efformare, & piaculum omne, ac detrimentum auertere ſic aiebat; 203.
Non concupiſces domum proximi tui. In ipſis cordis incunabulis concupiſcentiam voluit extingui, ne ſi excreuerit in incendium, ſolicitudinis ſuperarit ſtudium. Opportunè Philo Hebræus lib. de Decalogo: *More ſerpiginoſi vlceris, quod, ni ſectionibus, cauteriiſve reprimatur, totum circumquaque corpus occupat, nec vllam partem incontactam præterit; ac eundem modum, niſi ratio philoſophica ceu bonus medicus cohibeat diffundentem ſe concupiſcentiam, totam vitam perturbabit neceſſario: cuncta enim ſine exceptione ſubiiciuntur huic vitio; ſed nunquam magis inſanit, quàm cùm nacta eſt licentiam, quando in omnibus facit omnia.* Si concupiſcentia corde nata per incuriam excreſcat, & pernicioſam licentiam nanciſcatur, innumera parturiet incommoda, & operoſa eludet remedia: non eſt opus adultæ concupiſcentiæ graſſantem peſtilentiam plurimis exaggerare, cùm liqueat omnes ferè calamitates aut pecuniarum inuectas deſiderio, aut voluptatis partas ſtudio: hæc amicitias prorſus dirimit, è beneuolis infenſiſſimos ſibi obarmat aduerſarios, populoſas regiones inteſtinis ſeditionibus inquietat, reddit incolis vacuas; & cladibus ac infortuniis repletas: ergo vt vlcus ſerpiginoſam opportunis initio cauteriis cohibitum non ſerpit, nec vltra progreditur, quia eius vis nondum roborata præciditur, ſic cupiditas initio facilè reſecatur. E contra vt lues in dies aucta, & virium prouentu pernicioſè robuſta totam depaſcitur carnem, & immaturam affert mortem, ita concupiſcentia, ni ipſis cunabulis refrænetur, ingenti detrimento diffunditur.

Exod. 20. v. 16.

Philo.

Redeat iterum Philo ab omni furto abſtinẽdum animaduertens monuiſſe oraculum: *Non furtum facies.* Omnem comprehendere voluit quantitatẽ, ne dum exiguum contemnitur, ad grauiora, nocentioráque procedatur: vnde parentes ob leue etiam furium pueros debent caſtigare, & innoxias habere manus docere: aliter irremediabilibus lachrymis plangent deſidiam, & ſubibunt ſeram, & amariſſimam pœnitentiam. Audi vbi ſupra Philonem. *Diſcant ſtatim pueri manus à furtiuis lucris abſtinere, minimis etiam: quia diuturna conſuetudo potentior quàm natura ſit, & ni malum naſcens inhibeas, creſcit in immenſam magnitudinem.* Malum, ſi naſcens inhibeatur, vtiliſſimè occumbit; at ſi licenter creſcat, & audet, & furit, & gliſcit. Facilè eſt defectum ipſa in ſcaturigine perſanare; at proceſſu adultum reſpuet remedium, imò requiret miraculum. Hinc noſces cur Eliſæus rogatus aquas ſanare, ad ipſum fontem contenderit ſanitatem relaturus: Dixerunt viri ciuitatis ad Eliſæum: *Ecce habitatio ciuitatis huius optima eſt, ſicut tu ipſe, Domine, perſpicis; ſed aquæ peſſimæ ſunt, & terra ſterilis.* Quàm erat miſeranda tellus, quæ ipſa irrigatione marcebat, quæque inde traxerat ſterilitatis damnum, vnde accipere debuiſſet germinationis augmentũ: quæ fœcundo humore promendis fructibus terram debuiſſet vnda fœcũdare, adulterato ingenio inueniebatur exurere. Quid tunc; Salem 204.

Exod. 20. v. 14.

Philo.

4. Reg. 2. v. 19.

Propheta

Propheta expoſtulat, nec illum elapſos mittit in fluctus; ſed ad ipſam ſcaturiginem tendens aquas reddidit ſanitati: *Egreſſus ad fontem aquarum miſit in illum ſal, & ait: Hæc dicit Dominus: ſanaui aquas has, & non erit vltra eis mors, neque ſterilitas.* Profectò dùm ad aquarum originem rendit, & beneficij tempus producit: ſi non naturali vi; ſed miraculoſa efficacia aquæ dulcorandæ ſunt, quid intereſt ſalem miſerit in iam elapſas, aut in ab ipſo fontis gremio contentas? Miraculorum ad ſpeciem infamat certè potentiam, dum indigere loco videtur ad medicinam. O profundam nobis eruditionem! Propheta in ipſa aquarum curatione morum deſeruiebat concinnitati: ergo ad ſcaturiginem tendit, non ob potentiæ inefficaciam; ſed ob vtilem nobis doctrinam: oſtendere voluit in ipſis incunabulis reſecanda vitia, quaſi veritus ſit aliter nec pro futura miracula vnda proceſſu adulta amaritudinem diu inuiſceratam difficillimè dediſceret; recens nata facillimè dulcedine commutaret. Notauit D. Ambroſius
Ambroſ. Serm. 2. de Eliſæo propheta: *Dum fontem benedixit vndarum, fontem quemdam indulſit animarum.* Adnectit opportunè: *Non enim ſola tantùm fluenta benedixit Eliſæus, quæ fontium iam gremio tenebantur; ſed & illa, quæ humido terræ ſolo adhuc indiſcreta paulatim erant in poſterum defluxura. Vnde ait ſcriptura ad exitus aquarum benedixiſſe Eliſæum, vt ſtillantem aquam priùs ſanctificatio ſuſciperet, quàm ſinus fontis includeret.* Dei virtus, vt exiguas aquæ ſtillas, ſic copioſas fœcundare poterat vndas; verùm quia prophetæ factum non ſolùm erat virtutis encomium; ſed morum etiam magiſterium, non torrentibus iam proceſſu auctis; ſed exiguis ſtillis ſanitatem impertiri molitus eſt, vt non doceret noxiam prauitatem facile in ipſo ortu extingui; difficillimè verò, ſi proceſſerit, debellari: Eliſæus origini impertitus eſt ſanitatem, ne vnda vitiata origine effluens miraculosè ſanam corrumperet, aut cōtactu attaminaret. Ergo ipſis incunabulis reſecuit vitia, & componendis moribus præſtitit nobis exempla.

---

§. XLVIII.

Semper ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius.

205. PRo diuerſitate materiarum hominis diuerſum videtur ingenium: in cupiditatis, amoris, itaque ſcholis non ſemel reluminatur peruersè, ſcintillat callidè; ad virtutem verò nec perſpicaciâ pollet, nec viuacitate viget. Caſſiodorus 12. var. 14. Athenienſium induſtria montuoſam terram, & multis lapillis impeditam in delicias refert tranſiſſe, & palladias Syluas ſuperaſſe: *Cultura*
Caſſiod. *eius omnis in ſarculis eſt: quia ſuperficies ipſius ſicca nutrire non valet supernè naſcentia: tergore illic ager nudus, induſtriâ potiùs quàm natura veſtitur: nam palladia ſylua viriditate contegitur, quæ in ſolo aridiſſimus approbatur.* Agrum reluctante natura gratâ florum varietate reſtituit induſtria, & floſculenta varietate adornauit ſapiens cultura. O quàm edocuit homines voluptas, aut vtilitas vim naturis rerum inferre, & ad demutandum ingenium cogere. Samſon rationabili indignatione ſuccenſus de Philiſthæis ſumere vltionem molitur: opus erat, vt putabat ille trecentis vulpibus, & licet res videretur difficilis, ingenij acumine, quæ illas caperet, artem excogitauit, & caudis illigatis maturas fruges adusſit: *Cepit trecentas vulpes, caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent.* Mirabili induſtriâ caudas attexuit caudis, vt aſtutiæ vnio Philiſthinorum militaueritt pœnis: *Cepit iſtas vulpes in retibus, vel per alia artificia*, inquit Abulenſis q. 5. Addit: *Ipſe fuerit ingeniator.* Inuiſo retto artificio vulpes cepit, & ligauit: nec mirum, quia ad humanæ ſingularem perſpicientiam ſortitur ingenium: ad vindictam Numinis Samſon exoculatus indiguit à puero regi, ad columnaſque duci; ad propriam verò vindictam opus non fuit, vbi vulpes latitauerint, edoceri: *Dixit puero regenti greſſus ſuos:* Iudic. 16. v. 26.
Dimitte me vt tangam columnas. Hic honoris diuini zelo tentaſſe vltionem, eiuſdem Abulenſis ſententia eſt *Iſta vindicta*, ait q. 50. *cedebat in honorem Dei, eo quòd Samſon videbat laudare Deos Philiſthinorum.* En ad vindicandum Dei honorem exoculatus regitur, & lentè ducitur, ad ſuum verò vlciſcendum vulpes capit ingenioſus, & velociſſimus: *Ipſe fuit ingeniator.*

206. Eua Adamuſque, dum plus iuſto ambiunt, & quod habebant, amittunt: nudi inueniebantur poſt culpam, vtque nuditati occurrerent, à ficu folia mutuantur & artificioſa nuditate veſtiuntur: *Cum cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia* Geneſ. 3. v. 7.
ficus, & fecerunt ſibi perizomata. Folia foliis attexunt, & induſtriè farciunt: non multò poſt eorum errorē miſeratus accurrit Dominus, & poſt delicti confeſſionem aſpera veſte ſordeſcunt tecti, vt de aſperitate iam æternitatis fuerint candidati *Fecit Dominus Deus Adæ, & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos.* Superuacaneus videtur labor tunicas texere, & Adamum, Euamque induere. Eſto Dominus pro ſua benignitate concedat pelles, ſed nec aſſuere, nec aptare corpori opus erit, quandoquidem qui nulla experientia edocti de foliis confecta perizomata induerant, iam poſt experientiam de aptiori materia faciliùs veſtes attexent, ſeque illis induent. Ergo Dominus pelles dilargiatur, nec ſuperfluo ad ſpeciem labore vexetur. O vtilem nobis eruditionem! A labore non abſtinuit, quia labor non ſuperfluus; ſed neceſſarius: pellicea veſtis erat opportunum ad pœnitentiam cilicium: ergo ad pœnitentiam nec cilicium ſcient texere, nec intextum ſibi adaptare: diffidet namque à ſeipſo ingenium, dum humanis ſtudet commodis, & dum ſtudet virtutis emolumentis: nō pollet induſtria ad virtutes adaugendas; ſolertia viget ad commoditates corpori procurandas. Tunicas pœnitētiæ fuiſſe veſtes teſtatur Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 17.
Numquid Dominus Deus ſutor, aut pelliſer erat, & impenſa artis opera tunicas fecit pelliceas? Fecit vtique tunicas pelliceas, quia ſic præſens teſtatur ſcriptura; non tamen & cogit nos confiteri, quod eo modo, quem rideant; ſed eo modo, quem flere debeant omnes tunicati, fecerit illas. Adnectit. *Et notandum quòd non qualeſcumque tunicas; ſed tunicas fecit illis pelliceas.* Certè Eua floridam & ſplendentem tunicam architectari ſibi non ignoraret, cilicinam tamen neſciret: ergo dum eis tunicis ad pœnitentiam erudiuntur, opus eſt à Deo edoceri, & edoctos veſtiri: quia homines ad virtutis opera conſtat hebeſcere, ad vanitatis negotia ſapere. Neceſſum eſt inſtruere fœminas, vt propriam nouerint explorare conſcientiam, vt vacauerint orationi, magiſtræ ſunt, & artifices ad ornatus elegantiam,

Digitized by Google

elegantiam, ad pulchritudinis culturam, ad capillamenti fallaciam.

107. Adurgebat Rebecca Iacobum tenerè dilectum, vt benedictionem fratri præriperet, qua Chriſti pater futurus erat: oppoſuit matris conſiliis ſe lenem eſſe, & piloſum fratrem: *Noſti quod Eſau* (Geneſ. 27. v.11.) *frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis.* Non erat arduum pelliculas manibus collóque adaptare, & tamen Iacobus, qua huic periculo poſſit occurrere, artificioſam induſtriam neſcit: mater è pelliculis chirothecas conſtruxit, quibus Iacobi lenitatem pia fraude diſſimulauit: *Pelliculas hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Rebeccam hic munus ſubiiſſe gratiæ: teſtantur Patres, & iure: aliter namque ad promerenda cæleſtia non ita luxerit induſtrioſa: *Rebecca,* (Hugo.) inquit Hugo hic, *id eſt, gratia.* A cæleſti gratia promanauit induſtria: quia Iacobus huiuſmodi non pollebat ſolertia: Benè; ſed relicta matre, tranſeamus ad filium: hic apud Labanum operas ſuas in alendis gregibus locauit ea conditione, vt quicquid varium naſceretur, in ſuam cederet partem: *Gyra omnes greges tuos, & ſepara cunctas* (Geneſ.30. v.32.) *oues varias, & ſparſo vellere, & quodcumque fuluum, & maculoſum, variumque fuerit tam in ouibus, quàm in capris, erit merces mea.* Arduum erat varios fœtus ex non variis parentibus naſci, & ob id Labanus gratanter accepit conditionem: itaque vnius coloris oues agebat Iacobus; verùm retro incognitam artem excogitauit, qua vel reluctante natura agnorum ſortiretur copiam, & ſoceri eluderet auaritiam: *Tollens Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas, detractiſque corticibus in his, quæ ſpoliata fuerant, candor apparuit; illa verò, quæ integra fuerant, viridia permanſerunt: atque in hunc modum color effectus eſt varius.* Virgas arte variegatas eo tempore, quo conceptio fiebat in canalibus poſuit, vt hauſta per ouium oculos varietas tranſiret ad fœtus, naſcereturque varius: *Poſuit eas in canalibus, vbi effundebatur aqua, vt cùm veniſſent greges ad bibendum, dum ante oculos haberent virgas, & in conſpectu earum conciperent.* Operoſius erat aduerſus naturam militare, quàm manuum lenitatem contegere, & tamen Iacob, qui ad tam facilem hæſit induſtriam, tatam adeò adinuenit, etſi iuſtæ fraudis, ſtropham. Ipſa certè materierum diuerſitas diuerſum ingenium ſortita eſt: vbi procuranda fuit benedictio, hæſit dubius, vbi acquirendus grex, inuentus eſt ingenioſus: natura incrementis Iacobi opponebatur; ceſſit tamen induſtriæ, vt diſcamus poſſe naturam ſapienter flecti, & coloribus aliis indui. Arcana varietatis inuentio, inſpecto ſolum hiſtoriæ cortice, nos edocet, quàm ſint homines ad diuitiarum incrementa ingenioſi, quàm ad cœleſtia augmenta ſint tardi: arduum non erat conficere chirothecas, difficillimum innouare naturas; & tamen Iacob ignorat quo poſſit lenitatem diſſimulare, & callet, quo poſſit varios ſibi greges acquirere. Opportunè Hieronymus apud gloſ- (Hieron.) ſam: *Iacob nouam ſtropham commentus eſt, & contra naturam albi & nigri coloris naturali arte pugnauit.* Pugnare cum natura; imò & naturam vincere viuaci eſt aſſecutus ingenio ignorabat tamen manus pio & facili obtegere dolo, vt noſtra theſis ſit vera, videlicet homines ad temporalia ſingulari ingenij viuacitate pollere; ad ſpiritualia verò induſtrios non inueniri. Ecce latitabant labyrinthæis ſpecubus cautæ vulpes, foueis abſtruſis deliteſcebant, quin illis naturalis profuerit aſtutia, quia Samſonis ſupergreſſa eſt aſtutiam omnem ſolertia: lynceis oculis obſcuras latebras inueſtigabat, curſu oculos eludente celerem vulpium agilitatem euincebat, vtque de hoſtibus dignam capeſſeret vindictam, ingenioſis artibus omnem ſuperauit vulpium aſtutiam. Nil iratum indignationi tutum, audaci cupiditati nil aſſeruatum, furori libidinis nil munitum: omnia namque peruadit ingenij viuacitas, & artes omnes eludit inoculata peruerſitas.

---

§. XLIX.

Parum prodeſt ab aliquo loco fuga, ſi fugienti inhæſerit cauſa.

Homines ſecum ipſi decertant, noxios auerſantur effectus, ſed effectuum diligunt 108.
cauſas: ſatagunt de locorum mutatione ſibi adulari, & conſcientiæ morſum ſopire, in ipſa verò peregrinatione quod fugiunt, ferunt: amant ſtultiſſimo labore ſibi aduerſantia in concordiam reducere, & in amicitiam trahere: deſiderant occupationibus adæquè ſpecioſis maliſque nudari, bellum cupiditatibus deſiderant ciere; quod malè implicarunt, geſtiunt ad ſpeciem non ſolùm diſſoluere; ſed abrumpere; verùm cùm legitima ſoluendi ratio ſit mores componere, cupiditates frænare, contrarium curſum tenere, loci ſolùm ſubſidio vtuntur, & putant de locorum mutatione alios mores futuros. Non inficiabor loca aliqua vitiis commodiora, alia opportuniora virtutibus; verùm mihi crede, vitia ſunt hominum, non temporum, aut locorum. Philoſophus ille, cui cætera perdita, virilem emittebat vocem, & Philoſopho dignam: *Omnia bona mea mecum porto.* Demutabat regionem; ſed deferebat ſecum virtutem: iſti è contrà ſecum deferunt malitiam contenti mutaſſe plagam. *Stilponis auditor,* ſcribit Seneca epiſt.10. *cuius mentionem priori epi-* (Seneca.) *ſtola feci, cùm videret adoleſcentulum ſecretò ambulantem, interrogauit, quid illic ſolus faceret? Mecum, inquit, loquor. Cui Crates: Caue, inquit, rogo, & diligenter attende, ne cum homine malo loquaris.* Malè plures ſolitudine, fugáque vtuntur, ſecum ferunt mala conſilia, improbas cupiditates, vnde cùm ſecum ipſi non eſſe deberent, ſe ſibi committunt, & loca vertunt: *Si verum* (Nonnulli quæ cupiere, deplorant.) *affectum eorum inſpicias,* ſcribit Seneca epiſt. 22. *non oderunt; ſed litigant. Excute iſtos, qui quæ cupiere, deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non poſſunt.* Ligauerat Samſon ardentes faces vulpium caudis: illæ igne perterritæ celeri fuga locum demutarunt; faces autem ardentes ſecum illigatas tulerunt: *Caudas earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent.* Fugiebant ignẽ ipſum, quem aſportabãt: mutabant loca; ſed ſecum deferentes incendia: quod moribus mirè adaptari cõſpicias: ſunt plures qui ſarcinas ſuas ſecum ferunt, & ſe ipſos fugiunt de locorum mutatione quærunt medelam, cùm perturbationum non abiecerint cauſam: Accipe Toſtatum q. 7. *Vulpes videntes ignem poſt cau-* (Abulenſis.) *dam ſuam timebant illum, & fugiebant, velut poſſent recedere ab eo, & quia ſemper illum ſecum portabant, ſemper timebant, & ſemper fugiebant.*

Arbitra

Digitized by Google

Arbitrabantur vulpes de locorum mutatione flammas eludere; verùm cùm ſecum deportarent faces, nil illis proderant mutationes: ſatiùs illis eſſet faces excutere, & à quibus fugiebant, ſpecus inhabitare.

209. Balac ſacrificulum Balaamum non ſine mercede conduxit, & quia nequibat aduerſarium inito vincere prælio, aggreſſus eſt magico eneruare faſcino. Balaamus à Deo impeditus, & retardatus maledicere diſcupiebat; ſed proferre maledicta nequibat: erat inter linguam, & cor ſolicita rixa: cor execrationes efformabat; ſed lingua benedictiones fundebat: Balac ſpebus fruſtratus, & populi benedictione perculſus in alterum locum Balaamum ducit, ſperans ab ipſo loco ſubſidium, & mutatione telluris proceſſurum incantamentum. Num. 23. v. 11. *Dixitque Balac ad Balaam: Quid eſt hoc, quod agis? Vt malediceres inimicis meis vocaui te, & tu è contrario benedicis eis. Cui ille reſpondit: Nunquid poſſum loqui niſi quod iuſſerit Dominus? Dixit ergo Balac ad Balaam: Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſraëlis videas, & totum videre non poſſis, & inde maledicito ei.* Quàm cæcus & exoculatus Balac delirabat! Erat non maledicendi occaſio ſupernæ virtutis inhibitio: cumque eamdem ſecum Balaamus deferret cauſam, linguæ videlicet impedimentum, ſatagebat caſſo labore mutari locum, ſibi promittens de Lyra. loco, quod obtinere nequibat de obſtaculo: *Veni mecum in alterum locum*, ſcribit Lyra: *quia magi, & augures in talibus obſeruabant loca & tempora.* Origen. Conſonat Origenes apud gloſſ. *Putat perterritum Iſraëlis multitudine, & ideò non auſum maledicere & mutationem loci ſibi prodeſſe.* Magus & deluſus locum vertit, cauſam non aufert ergo quantumvis Balaamus diuerſis locis maledictionem concinnare fuerit aggreſſus nullibi potuit, quià in omnibus ſimili modo impeditus.

210. Deus cum Abrahamo diſſerens de terrâ cognationéque egredi quantocyùs, & in terram à Deo Geneſ. 12. v. 1. commonſtratam properare ſic iubet: *Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quam monſtrauero tibi, faciámque te in gentem magnam, & benedicam tibi, & magnificabo nomen tuum, eriſque benedictus.* Cùm Deus loci non egeat beneficio, nec retardetur impedimento, hanc Abrahami tranſmigrationem à gemina tellure exiſtimant Interpretes fuiſſe imperatam, fugámque feliciter arreptam, ab ipſo ſcilicet materiali loco, vbi deuoti animum idololatrarum retardabant exempla, & virtuti, religioníque veluti manu facta plurium aduerſabantur deliria; verùm quia parum iuuaret terram vertere, & ſtudium non mutare, antiquos mores reliquiſſe & de ſe ipſo egreſſum Abrahamum putat Philo Iudæus de migratione Abrahami: ipſum audi: Philo. *Egredere, ô bone, è terreno tuo contaminato, & fuge carcerem corporis ſimúlque voluptates, & concupiſcentias cuſtodes eius carceris, quantum potes, eas profligans, & nimis omnibus abſterritans: egredere cognationem quoque ſenſuum: nunc enim ſingulis familiariter vteris ipſis deditus, de te parum ſolicitus.* Oportebat improborum conſortium fugere: nemo enim eſt, qui malitiam ſuam non affricet, qui virtuti torporem non adducat, & veluti faſcino eneruatam quodammodo reddat; erat tamen opus cum terra ſe ipſum relinquere, & à ſe vetuſto in recens virtutum domicilium migrare: quid enim ad elucrandam cœleſtem benedictionem intereſſet antiquos lares deſerere, & ſenſuum fallacias ſemper diligere. Ab idololatrarum regione conducebat plurimum fuga, ita tamen vt nullatenus deferrentur idola: quid enim Racheli prodeſſet cognationem deſertaſſe, dum conſtabat idola ſecum tuliſſe. Ergo Abrahamum iubet oraculum terram impietate æſtuantem vertere, & à propriis ſenſibus, & voluptatum erroribus, opportunam fugam arripere.

Hebræi, qui ad Ægyptias Sedes veluti inquilini 211. deſcenderant, diu incolæ tenebrarum regionem inhabitarunt, noxiæ telluris abundantia illecti, & implexis voluptatibus ineſcati: ferè omnes, ſi in vitiorum plagam deſcendant, fore ſe ad exiguum tempus inquilinos exiſtimant, ciues tamen adſcribuntur, vtque incolæ telluris legibus illigantur. Ergo filij Iſraël ſibi redditi egreſſum de Ægypto non ſine diuino auxilio parant, & gemitibus pro armis vſi aduerſariorum caſtra facilè euertunt: *Armati aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti.* Exod. 13. v. 18. His lucida nubes ignis temperabat ardores, his rutilans flamma tetras noctium depellebat caligines, cúmque iam commodiori virtutibus regione vterentur, carnium Ægyptiarum inſanis cupiditabus inflammati euulgare deſideria non erubuerunt imò effrontes, inuerecundíque declararunt: coturnix in modum imbrium inuolat, & ſuperfluus eſus ſtragem peperit, & perniciem plurimis attulit: Num. 11. v. 4. *Vulgus quippe promiſcuum, quod aſcenderat cum eis, flagrauit deſiderio ſedens & flens, iunctis ſibi pariter filiis Iſrael, & ait: Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres & pepones, porrique, & cepe, & allia.* Fatuum deſiderium carnium copia exundauit, ſed & mortem acerbiſſimam tulit: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum, nec defecerat huiuſcemodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plagâ magnâ nimis.* En qui vt fugerent plagas, inuolauerant ad deſertum, in deſerto non leuiores tulerunt plagas: nec mirum quandóquidem Ægypti relinquentes regna Ægyptia detulerant ſecum vota. Secum detulerunt Ægyptios mores Ægyptum deſerentes, & deſertum inhabitantes. Quòd mirè expendit Zeno Zeno. Veronenſis ſerm. 11. de Exodo: *Exultat quòd in Ægypto creuerit; at in originali decreuit ſolo, quòd captiuitatis ſit nexibus exolutus; ſed eſt nunc vſque barbarici furoris moribus alligatus.* In deſerto vapulat, qui & vapulabat in Ægypto: nam licèt loca demutarit, barbaricos ſecum mores adduxit. Quid Iſraëlitæ profuit Ægyptiam deſerere terram, ſi Ægyptiam conſtat detuliſſe ſecum inſaniam? Eis proficit ſoli varietas, quos & morum etiam vtilis ornat diſparitas.

Abrahamus Dei præceptis obſequens patriam 212. reliquit, Lot tamen ſecum tulit: Geneſ. 12. v. 5. *Tulit Sarai vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui.* Diuerſam iam Abrahamus regionem incolens adhuc iurgiis premitur, & variis concertationibus diuexatur: nec rixis quies, donec Lot auulſus, & ſeparatus: Geneſ. 13. v. 8. *Ne, quæſo, ſit iurgium inter me & te, & inter paſtores meos, & paſtores tuos: fratres enim ſumus ecce vniuerſa terra coram te eſt, recede à me, obſecro.* Philo Hebræus iam datus in Lot patrem ad ſenſibilia procliuem agnouit, à qua niſi receſſerit ſapiens, continuis adurgeretur diſſidiis, placida pacis quiete priuatus, & contentionibus periculoſis addictus: *Quamprimum igitur intellectus* (verba ſunt Philonis) *incipis ſe ipſum noſſe*

Digitized by Google

Philo.

& in contemplationibus intelligibilibus verſari, totam illam partem ad ſenſibilia procliuem ablegabit, quæ Hebraicè Lot vocatur: quamobrem ille ſapiens inducitur dicere apertè: Diſcede à me: non eſt enim poſſibile, vt incorporearum incorruptibiliúmque rerum amator cohabitet cum prono ad iſta ſenſibilia. Relicta patria adhuc Abrahamum premebat rixa, dum ſecum habuit Lotum concupiſcentiæ imaginem: ergo ad benedictionem cœleſtem promerendam, ad perfruendam pacem opus fuit impietatis emporium prouida fugâ deſerere, & cupiditatem etiam prudenti exilio ablegare: nam quantumvis à patriâ diſtiterit Abrahamus, dum Lotum ſecum habet, inducitur variis appetitionibus perturbatus, & litium altercatione impetitus. Ergo vulpibus parùm profuit mutaſſe loca, dum non reliquerunt incendia.

---

§. L.

Superior, qui priùs blandum adhibuit delinimentum, poſteà aſciſcet ſine querelâ cauterij, & pulueris mordentis auxilium.

213. QVemadmodum detorta adactis cuneis explicare, & ad regulam componere adlaboramus nec vt frangamus, elidimus, ſic ingenia vitio deprauata, & appetitus pondere diſtorta docet corrigere, & ad rationis regulam conformare; eâ tamen ſuperior ſolertiâ vtatur, vt leuioribus priùs medicamentis procurauerit ſanitatem, & ſolùm, vbi omnis ſpes abſceſſerit, ad auſteriora procedat & cauterij, ſciſſioniſque opem inuitus aſciſcat. Optimè Seneca lib. 1. de irâ cap. 5. *Tranſeat ad triſtiorem orationem, quâ moueat adhuc & exprobret, nouiſſimè ad pœnas; & has adhuc leues, & reuocabiles decurrat: vltima ſupplicia ſceleribus vltimis ponat; & nemo pereat, niſi quem perire etiam pereuntis interſit.* Piam indignationem ſuperior aſſumet, humanam promet iram, leuem adhibebit pœnam, ſi poſſit huiuſmodi corrigere culpam; at ſi delictum obduruerit, ſi contumacia perſeuerauerit, ad dura ferri, & ſinapis inuolabit auxilia: vt ſeuerè duréque punitus cæterorum proſit ſanitati, dum ſuæ nolit prouidere ſaluti. *Hic*, addit Seneca de optimo ſuperiore cap. 6. *damnatum cum dedecore, & traductione vitâ exigit, non quia delectetur vllius pœna (procul eſt enim à ſapiente tam inhumana feritas) ſed vt documentum omnium ſint, & qui viui noluerunt prodeſſe, morte certè eorum Reſpublica vtatur.* Inſolentia impudens, & procacia audax vt ſunt æquitatis peſtes, dum gliſcunt; ſic æquitati ſunt auxilia, dum pereunt: ergo ſi leuia non procedant, auſterioribus, rigidioribúſque vti humana eſt ſæuitia, pia crudelitas. Samſon, vt qui Chriſti imaginem repræſentet, quo vxorem fraudulenter ſibi blandientem punjuerit, ab eius colloquio abſtinuit; & ſe in paternam domum recepit, vt ſic pœna cautiorem redderet, vtque errorem deieraret; verùm vxor crimina criminibus addidit, & ſecundas nuptias attexuit; ſed impunè non tulit: nam Samſon qui priùs vſus fuerat abſentia, ardentiſſima poſteà delictum puniuit flammâ: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas; & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illúcque diſcurrerent.* Igne vſus eſt, cùm vidit leuiores pœnas non prodeſſe: vltor námque ignis lucem emittebat, qua cæteri viderent ſupplicium, & auerſarentur exemplum: *Vbi res prodita*, inquit Ambroſ. *volentique ad coniugem redire interclusa copia, quod pater eam alij viro nupſiſſe diceret, ſororem ſanè eius ſi vellet, ducere liceret, ſtimulo iniuriæ exulceratus publicam excogitauit vltionem capeſſere.* Publicam vltionem capeſſiuit, poſtquam lenitate errantis non correxit ingenium, ſicque mirè commendauit prudentiam, & vtiliter conſummauit iuſtitiam. Philiſthini diſpendio frugum commoti fœminam patrémque flammis anhelantibus vſtularunt: *Combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius*, vt pari diſperirent ſupplicio, qui pari deliquiſſent errato, & in omnium vtilitatem probarentur ardere, qui leuioribus noluerant pœnis reſipere.

A ſapiente procul eſt feritas. — Seneca. — Ambroſ.

214. Ne Ephraim duriſſimam calamitatem perpeſſus Deum querelis infamaret, nimiſque ſeuerum diceret, eius per Oſeam anteuertit querimoniam; & dilucidè oſtendit quàm iuſtè duram ſuſtinuerit mulctam: *Locutus ſum ſuper prophetas, & ego viſionem multiplicaui, & in manu prophetarum aſſimilatus ſum.* Erga populum etiam ſuorum mandatorum ac beneficiorum immemorem paterno vſus animo, iam per hunc, iam per alium prophetam minis perculit, & terribilium oſtenſione ab impietatis ſtudio auertere diligentiſſimè procurauit. Non incurrit Ephraim calamitatem, quam non prænouerit; ſed quam ſpreuerit: ergo ſymbolis ſuppliciorúmque ſimilitudinibus anteà præmonuiſſe, vt Numinis pietatem promebat, ſic commendabat ſeueritatem, & patientis exaggerabat duritiem. Certè ni anteà præmonuiſſet, ni deterruiſſet minis, videri poſſent dignæ afflictorum querelæ; at cùm de ipſa patientia impietas latiùs ſerperet, & vti graſſantiſſima peſtis omnia deuoraret, laudabile fuit irâ pietatis adiutrice in eas deſæuire, & vtili calamitatum ferro ſerpentem morbum frænare. Adeſt opportunè Theodoret. *Iure hanc pœnam ſuffers, quia hanc non extimueris, cum à prophetis prædictionem accepiſſes, neque ſententiam animi tui mutare volueris: potiſſimum prædictionibus non verbis modò, ſed etiam rebus ſignificatis.* Leuiori priùs pharmaco vſus ſine inuidiâ ad auſteriora proceſſit remedia, opus fuit ad pulueris mordacitatem recurrere, dum conſtabat leuiorem medicinam ſperni: ſine inuidia adhibuit cauterium, quibus minatum non profuit pharmacum: præmiſſa lenitas manifeſtè declarabat ſeueritatem à medici ingenio non oriri; ſed ab ipſa morbi malignitate procurari. Inuenies nõnullos ſuperiorum lenitate abutentes, & inuidioſiſſimas de ſeueritate querelas dantes; cùm tamen Iudex, ſuperiórque laudabiliter diſſecante vtatur ferro, ſi manſuetudo & humanitas morbi militârint auxilio. Tentanda eſt priùs correctio humanis, & charitate diffluentibus verbis: paulatim medicina eſt componenda ſuſtentato feruore delicti: at ſi morbus de patientiâ gliſcat, ſi de manſuetudine ſubditus inſoleſcat: ad inciſionem, cauteriúmque deueniendum eſt, nec inter eius manus vlulans & gemens afferre medico poteſt inuidiam, ſi adhibitis priùs blandis anteuertit prouidenter querelam.

Oſee 11. v. 10. — Theodor.

215. Deus vel in peccatores paternum oſtendit animum, & ne dignas repoſcat pœnas, opportunas intentat minas. Probat hoc Ieroboam, ad quem,

cùm

Digitized by Google

cùm à Deo ad regalem thronum eleuátus idolis ſacrificaret, miſit prophetam, vt ardentiſſimis idololatras flammis vſtulandos prædiceret, & altaris ſciſſione veram prædictionem oſtenderet: 3. Reg. 13. v. 5. *Altare ſciſſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari iuxta ſignum quod prædixerat vir Dei in ſermone Domini.* Rex impius cùm reſipiſcere debuiſſet, iræ ardoribus efferueſcens contrà prophetam audacem extendit manum; ſed aruit iniuſtè extenta, viguiſſet iuſtè retracta: quò noueris potentiam iniquis ampliationibus non augeri; ſed eneruari. Iam ſi quæras, cur initio manum non areſecerit; ſed altare præciderit reſpondebit Lyra factum ad ſeueritatis commendationem: dignus erat rex impiiſſimus, qui torqueretur; at Deus pro ſua benignitate in altare tulit ſententiam, vt aliena ipſe euerſione ſtaret; at vbi manſuetudinem in audaciæ auxilium detorſit, ariditatis ſupplicium meritiſſimè tulit: Lyra. *Primò pœna futura prædicitur: ſecundò rex rebellans percutitur.* Conſonat Theodoret. q. 42. *Ne ſic quidem errantem eum deſpexit benignus, & clemens Dominus; miſit enim prophetam, cui iuſſit, vt nihil ei diceret; ſed alteri inanimo proferret ſententiam.* Theodoret. Subdit Theodoret. *Ille ſceleratiſſimus, cùm oporteret eum admirari miraculum, & timere eum, qui miſerat, extenſa manu iuſſit apprehendi prophetam; ſed manus manſit muſculis, & neruis extenſis.* Illatum ſupplicium non ſolùm inferentis iuſtitiam, ſed benignitatem clariſſimè publicabat, quandoquidem ab exordio eam, cùm poſſet, non intulit pœnam; ſed diſtulit, quovſque impius temeritatis auxit audaciam. Adhiberi debuit graue ſupplicium, quia patientiæ nihil profuerat miraculum. Queri de inflicta pœna non potuit, qui patienter latus culpam adauxit, & contrà medicum procaciter inſaniuit.

216. Ionas intentata Niniuitis euerſione ſe foràs proripuit, & ſibi vmbraculum non ſine artificio fecit: mirum eſſet miniſtrum commoditate carere, vel cùm ciues conſtabat gemitibus Cœlum pulſare, ſaccíſque ſordeſcere. Ergo Ionas illinc ciuitatis euerſionem ſpectabat, vtque euanidè ſtuderet honori, tot innocentium ad ſpeciem inhiabat caſui: Deus pœnitentium patrocinium ſuſcipiens, prophetæ animum inflectere aggreditur, & expanſis florentis hederæ ramis commodæ vmbræ indignanti præſtat obſequium, ſi obſequio ad commiſerationem traxerit delinitum; Ionæ 4. v. 6. *Præparauit Dominus Deus hederam, & aſcendit ſuper caput Ionæ, vt eſſet vmbra ſuper caput eius, & protegeret eum (laborauerat enim) & lætatus eſt Ionas ſuper hedera lætitiâ magnâ.* Elatum ſuprà caput pratum conſpicatus, ingenti gaudio Ionas perfuſus eſt; non tamen vrbanis officiis animum demutauit; imò in antiqua ſententia perſtitit. Quid tunc? Eum Dominus viridanti denudat tecto, & candentis Solis adurit radio: *Parauit Deus vermem aſcenſu diluculi in craſtinum, & percuſſit hederam, & exaruit. Et cùm ortus eſſet, Sol, præcepit Dominus vento calido, & vrenti, & percuſſit Sol ſuper caput Ionæ; & æſtuabat.* Hederæ obumbrantis refrigerium præmiſſum æſtus ab omni inuidiâ liberabat incendium, nullus ardentem ſugillare poterat flammam, ſi adhibitam prænoſceret vmbram quandoquidem corripere pertinacem obſequiis non delinitum erat prudentiæ & benignitatis elogium: quiſquis prophetam æſtu laborantem viderit, eius pertinaciæ verterit, non ſeueritati adſcripſerit. Opportunè Baſilius Seleucienſis orat. 12. Baſil. *Etiam num aduerſus peccatores immiſericors es? quos ſui pœnitet, eorum te non miſeret? ſententiam non demutas? Nunquid te malè pertinacem arguet colocyntha?* Colocyntha opportunam exhibens vmbram æſtu laborantis condemnabat pertinaciam, & ſupplicium infligentis miſericordiam, vt qui opportuno ad deliniendum vſus obſequio, digno tentarit obuiare ſupplicio. Ergo irrationabiliter Ionas quereretur exæſtuans ardenti flammâ, cùm exhibitâ noluerit demutare ſententiam vmbrâ.

---

§. LI.

Vel recula grauiſſimum detrimentum afferent, ſi plurima ad nocendum conuenerint.

Res quævis ad nocendum habilis eſt, nihil tam tenue & exile eſt, quod aliquale nocumentum nequeat inferre, & dolorem aliquem parturire: vtque leuis flamma, ſi alteri adiungatur in incendium exurgit adulta, & de conſortio adipata vita quæ ex ſe tenuia, & de numero inualeſcunt, & de vitium collatione robur accipiunt. 217. Ciniphi exiguus aculeus, pulici leuis morſus; at ſi in modum imbris ciniphum locuſtarúmque in hominem multitudo irruat, durè diuexabunt, & dirè. Teſtis eſt Pharao, miraculis reſtiterat, & virgæ in ſerpentem verſæ obſtinationem obiecerat, multitudini tamen pertinacia ceſſit defatigata & defatigatione deuicta. Nouerat ſatis Samſon multitudinis vires, dum iniuria domeſtica exaſperatus in Philiſthinos non leones; ſed vulpeculas armauit: nam licèt quævis grauiter nocere nequiret, copia iuſtæ indignationi ſatisfecit; dum ingentiſſimum ſupplicium intulit: *Perrexit, & cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illúcque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum.* Ingentem Philiſthinis adduxerunt calamiiatem vulpeculæ, dum colligatæ, & vnitæ. Audi Ambroſium lib. 3. epiſtol. epiſt. 23. Ambroſ. *Stimulo iracundiæ exulceratus publicam cogitauit vltionem capeſſere, domeſticæ contumeliæ indignatione, correptiſque trecentis vulpibus adulta æſtate, cùm iam matura eſſent in agris frumenta binas ſibi inuicem cauda ad caudam ligauit, atque in medium earum ardentem inſeruit facem; nodóque adſtrinxit inexolubili, & vltor iniuriæ ſuper manipulos meſſis dimiſit frumentariæ.* Iniuriam vultus eſt plures vulpes ex ſe debiles vniendo, & contra Philiſthinos armando: nihil eſt adeò exiguum, quod debeat deſpici, & quod numero multiplicato graue nocumentum non poſſit adducere. En inardeſcunt olіueta, exuruntur florentes vineæ, demeſſi iam frugum manipuli de copia dum conſumuntur, dolorem germinant, & anxietatem multiplicant: Philiſthinotum vaſtatur regio à vulpeculis timidis & exiguis, quia vires, quas non poterant ab ingenio, acceperunt à numero.

218. Samgar fortis belliciosúſque Iſraëlitarum Princeps bouis ſtimulos inimicos adorſus non ſolùm fudit; ſed ingenti percuſſos clade proſtrauit. Iudic. 3. v. 31. *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël.* Ex Hebræo legit Adamanitus: Origen. *In ſtatiua, vel in pede aratri.* Conſonat Lyra: *In*

Digitized by Google

Lyra. *In Hebræo habêtur, ſtimulo bouis.* Cùm difficile videatur bouis ſtimulo in hoſtium phalangas irruiſſe, eáſque feliciter detriumphaſſe, Lyra ſingulari numero ſtimulos plures exiſtimat deſignari reportata eſt victoria ſtimulorum copia, quamvis ad nocendum vis ſtimulo ſit exigua: *Iſte videtur* Lyra. *fuiſſe homo ruſticanus, & fortis, & forſitan de ligno, in quo erat aculeus ad pungendum boues, fecit lanceam, vel haſtam ad pungendum, & aliquos alios induxit ad ſimile faciendum: quia non eſt veriſimile quòd ipſe ſolus ſexcentos viros interfecerit, & ſic hic accipitur ſingulare pro plurali, ſcilicet ſtimulo pro ſtimulis.* Vnicus boum ſtimulus poſſet cutem leuiter rumpere, altum verò nequibat vulnus infligere; at dum grandis ſtimulorum contrà aduerſarios confluxit copia, ceſſit vulneribus vita, & mors, quæ inferri nequibat exigua cuſpide, illata eſt numero ingenti: nil adeò leue, adeò nil exiguum eſt, quod de multiplicitate ingentes vires non capiat, vt cladem hoſtibus inferat. Numeroſa Philiſthinorum manus ſtimulis deuicta iacuit: nam licèt exiguam quilibet intulerit plagam, adunati plurimi inſperatam de aduerſariis obtinuerunt victoriam.

219. Inuictas, ſi grandis recularum armetur copia, vires manifeſtè nobis in Pharaonis ſuppliciis oſtêdit ſcriptura: Moyſes tyranni Deus in ſerpentem virgam mutarat, non vt mortifero noceret veneno; ſed vt ſæculis tetro inuiſo erudiret miraculo; verùm Magi ſe earum etiam artium peritos iactantes non detrectauere pugnam; imò inſana ſerpentes Exod. 7. v. 12. oppoſuerunt audacia: *Proiecerunt ſinguli virgas ſuas, quæ verſæ ſunt in dracones.* Gloſſa interlinearis Interlin. virgas magicas exiſtimat in minutiſſimos verſas ſerpentes: *Verſæ ſunt in dracones minores ſerpentes, ſpeciem ſcilicet pro ſpecie poſuit.* Itáque Magi non dracones magnitudine ingentes, & aſpectu in campum produxerunt horribiles; ſed exiguos plures ſerpentes. O quàm ſtulteſcit ſapientia humana! Vident Moyſis virgam validiſſimi colubri ingenium inducere, & opponunt minutiſſimos ſerpentes, dum moliuntur detriumphare. Nonne ſatiùs æqualis magnitudinis in campum produxiſſe colubrum, & æquis viribus tentare bellum? Proh mundialem aſtutiam! vt colubrum diuexarint, vt Moyſem deuicerint, plures obarmarunt lacertas, quo Moyſis coluber ingenti impetitus numero earum ſolùm militarit trophæo. Deus erat Pharaonis Moyſes, virga deprælíabatur omnipotentiæ vicaria; ſæculi tamen ſapientes Dæmonum conſilio ſerpenticulos plurimos obiecerunt, vt qui noſſent, quanta ſit, ſi in modum turbinis confluxerint, rebus exiguis ad nocendum efficacia, & ad defatigandas aduerſariorum vires valentia. Philo Hebræus lib. 1. de vita Moyſis hoc non ſine diuina prouidentia exiſtimat accidiſſe, vt accepta de numero ingenti victoria non humanis artibus ad ludibrium excogitatis quiret adſcribi; ſed diuinæ omnipotentiæ adſignari. Philonem Philo. audi: *Multi dracones circa primum illum voluebantur ſinuoſis orbibus; ille verò arrecta ceruice immani hiatu non aliter quàm obiectos piſces circumquaque petitos abſorbuit.* Adnectit: *Id tam magnificum ſpectaculum etiam iniquis animis omnem ſuſpicionem exemit, ne putarint hæc agi humanis vaframentis, aut artibus excogitatis ad ludibrium; ſed diuina potentia, quæ nihil non facilè perficitur.* Omnipotentiæ fuit de plurimis ſerpenticulis reportaſſe victoriam: æmulantur námque dum plures quodammodò omnipotentiam.

Cœlum refractarios in Ægyptios armatur: 220. grando & ignis conferta ruebant, & ab ingenio diſſidentia contrà inimicos præter naturam amico fœdere concordabant: *Grando & ignis mixta pa-* Exod. 9. v. 24. *riter ferebantur, tantaque fuit magnitudinis, quanta antè nunquam apparuit in vniuerſa terra Ægypti, ex quo gens illa condita eſt.* Verùm etſi eluctantibus flammis, & proceræ magnitudinis grandinibus æther contrà pertinaces depugnarit, ſic eorum ceruix laboribus attrita callum obduxerat, ſic ipſa patiendi conſuetudo iniquam eos patientiam docuerat, vt Deus nouis machinis eorum duritiem emollire aggrediatur: inuolantem locuſtarum immittit nubem, ranarum producit examina, Exod. 10. v. 12. ſciniphum opponit ſpicula: *Extende manum tuam ſuper terram Ægypti ad locuſtam, vt aſcendat ſuper eam, & deuoret omnem herbam, quæ reſidua fuerit grandini.* Certè exigua cohors videbatur locuſta poſt ingentis magnitudinis grandinem & poſt ardentiſſimum ignem: ſi grando è Cœlis contorta, ſi flamma immiſſa pepercit herbæ, dente non arrodetur locuſtæ, quandoquidem viror inter ignium vortices illæſus, & à grandinis irruptionibus intactus locuſtam etiam eludet quantitate paruam, & viribus imbecillam. Imò locuſtæ cedet, inquit Baſil. Seleucienſ. etiam duriſſima pertinacia, dum immenſo agmine inuolat, dum in hoſtes confœderatas vires obarmat: nil relinquit intactum; ſed omninò conſumptum perdidit, & euerſum. *Aſcenderunt ſuper vniuerſam terram Ægypti, & ſederunt in cunctis finibus Ægyptiorum innumerabiles, quales ante illud tempus non fuerant, nec poſteà futuræ ſunt, operueruntque vniuerſam ſuperficiem terræ vaſtantes omnia: deuorata eſt igitur herba terræ, & quidquid pomorum in arboribus fuit, quæ grando dimiſerat.* Expende, amabo te, quàm ſint peſtilentiores aliquorum dentes, quàm ipſi cœleſtes ignes: grando igniſque, etſi collatis viribus depugnarint, poma in arboribus, & in campis herbam dimiſerunt; at peſtilens lingua omnia præ ipſis flammis conſumpſit, & peſtifero dente arroſit: locuſtæ in modum imbrium ruentes ſupplicium adauxerunt, & tormentum ingrauarunt. *E Cœlo locuſtæ,* Baſil. inquit orat. 9. *in morem modúmque nubium volabant*: nubes efformant locuſtæ, quæ Cœli lucem impediant, dentes armant, qui reſiduum ab igne & grandine inuadant, & iam Pharaonis pertinacia, & Ægyptiorum duritia cedunt, ſi non prorſus deuictæ, dolenter defatigatæ: *Feſtinus Pharao vocauit Moyſem & Aaron, & dixit eis: Peccaui in Dominum Deum veſtrum, & in vos, ſed nunc dimitte peccatum mihi etiam hac vice, & rogate Dominum Deum veſtrum, vt auferat à me mortem iſtam.* Quævis per ſe locuſta exiguum detrimentum attuliſſet; at dum conueniunt plures, dum virium collatione obarmantur, præ ipſa cœleſti grandine, & præ ipſo ardenti igne hoſtes oppugnant, & oppugnatos diuexant: locuſta de quantitate exigua de numero inuictas induerat vires, & ingenter premebat hoſtes: locuſta à locuſta adiuta in modum ſe muri tuebantur, & hoſtis tot vorticibus circumactus ſolùm valebat confundi, quia nil proderat depræliari. Mortem vocat locuſtarum cateruam Pharao, quia vt nullus morti non ceſſit, ſic nullus contrà recularum multitudinem valuit: *Vocat illam plagam mortem*, ſcribit Lyra, Lyra. *quia ad eam diſponit*: addit: *vocatur mors, quæ nihil amarius dicitur.* Nil amarius aduerſa recularum copia, quia prolixæ ad diſtorquendum mor-

Digitized by Google

tis imitatur ingenium, & producit ad exaggerandum ſupplicium. Ergo vel minutas culpas time, quia diſponunt ad mortem, & aduocant ſæpè ſtragem.

---

§. LII.

Non ſemel quæ in aliis auerſamur, exequimur.

221. PYthagoricus error fuit hominum animas à corporibus in corpora transmigrare: fortè Philoſophus ille in obſequium morum deerrauit: expertus námque homines erga ſua etſi externa cæcutire: aliena verò, quantumvis intima, inoculatos rimari, vt quæ cæcis oculis in ſe pertranſierant, & in aliis deprehenderant, animabus iterùm reſtitutis corrigerent transmigrationem excogitauit. Et quidem Philoſophi delirium aliquo modo ceſſit in documentum. Solerti perſpicientia in aliis quæ deprimenda, quæ vitanda deploramus, cúmque ſimilia prorsùs aut deteriora exerceamus, de affectionis præſtigiis cæci coràm poſita non videmus. *Non eſt prudentis*, aiebat Seneca lib. 1. de irâ cap. 14. *errantes odiſſe: alioquin ipſe ſibi odio erit. Cogitet quàm multa contra bonum morem faciat, quàm multa ex iis, quæ egit, veniam deſiderent: iam iraſcetur etiam ſibi: neque enim æquus Iudex aliam de ſua, aliam de aliena cauſa ſententiam fert; nemo, inquàm, inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere, & innocentem quiſque ſe dicit.* Quiſque acerrimus alienæ culpæ inueſtigator tempus odioſæ periculoſæque impendit curioſitati; ſe verò & ſua imprudenti tradit obliuioni. Quàm in aliis nequitiam deteſtantur, plures ſitienter ebibunt: ſed ipſo lethæo hauſtu hauſtus ignorationem accipiunt. Samſon illigatis vulpium caudis ardentes faces inſeruit, vt ruptis vinculis quævis in contrariam partem deferret, & ab alia fugiens omnes Philiſthinorum ſegetes vſtularet. A tergo quævis trahebat facem; ſed propriam, quia à tergo, ignorans, alterius adſpiciebat, fugáque damnabat: *Igne ſuccendens dimiſit, vt huc illúcque diſcurrerent.* Quævis vulpes ſociæ facem ardentem metuebat, quàm à tergo deferebat ſimilem, ignorabat. Innuit Abulenſ. q. 7. *Cùm vna vulpes videret aliam ardentem, fugiebat ab ea, & alia ab alia.* Eadem cunctis fugiendi cauſa; ſed à tergo flammam propriam habentes ante oculos aliarum habebant flammam: in aliis cognoſcebant quid effugiendum, in ſe verò nullatenus aſpiciebant, quod in cæteris condemnabant.

Quiſque ſe innocentem dicit, cum ſe nullus poſſit abſoluere.

Abulenſ.

222. Populus ſiti diuexatus in Moyſem, Deúmque liuido exarſit dente, ac iniquo ore: iubetur Moyſes arrepta virga aquam à rupice poſtulare: ille populi murmure obturbatus Iſraëlitas rebelles & incredulos ſugillans petram ſemel & iterum verberauit: *Audite rebelles & increduli, nùm de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cúmque eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ.* Moyſes & Aaron dulcem aquarum copiam aliis elicientes ſibi mortem maturarunt, & ne ſiti perirent alij, ipſi vndis perierunt: Dominus eis incredulitatem exprobrat; & mortis ſententiam fulminat: *Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* Moyſes populi incredulitatem conſpexit, & arguit: ſuam verò, ni Dominus exprobraſſet nullatenus agnouiſſet: repetita ſilicis percuſſio arguebat percutientis diffidentiam; verùm ille nec viderat, nec agnouerat: opus fuit diuina admonitione, correptionéque: nam etſi eadem incredulitatis culpa Moyſem populúmque ligaret, ſe putabat incorrupta fidelitate fulgere; cæteros verò dedecus incredulitatis ſubire: incredulos carpit, dum ipſe erga fidem etiam delinquit: culpam ſuam præ oculis obuerſantem cæcis oculis pertranſiuit; alienam non diſſimilem deprehendit, & arguit: *Primo ictu non exiuerunt aquæ*, ſcribit Lyra, *propter dubitationem Moyſi.* Accinit Iſidor. apud gloſſam: *Dubitanter petram virga percuſſit, quaſi non poſſet Deus aquam de petra educeret, quod fecerat antè.* Ob dubitationem Moyſis dilatum eſt aquarum ſubſidium; ipſe tamen populi incredulitati retardatum adſcribebat remedium.

Num. 20. v. 10.

Lyra.

Iſidor.

Sponſa imperfectorum aliquando perſonam gerens ſic aiebat: *Circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni.* Certè aliqui ſpecie quærendi fugiunt, affectant inquiſitionem; ſed gerunt linguacitatem: in plateis accuſant luxum, in vicis diſciplinæ indiſcretionem, continuis circuitionibus deerrantes, Chriſti oſtentant dilectionem: *Quem diligit anima mea*: quid in aliis fugiendum norant inoculari, circuitus verò ſuos prætereunt cæci. Perbellè Gillibert. ſerm. 4. in Cant. *Quid dicimus de his, qui nuſquam ſalutis occaſiones quærunt, vbique cauſantes remiſſionem in plateis, & in vicis indiſcretionem? Denique tales multi ſunt, qui omnes perſcrutantur profeſſiones, & ordines; ſi à in eis nulla inueniunt, quæ illos trahant; ſed cuncta, quibus ipſi detrahant, calumniantes quòd diſtrictio in aliis ſit nimia, in aliis nulla: iſtorum dicere eſt, & quidem quàm miſerè, tam vere: Non inueni illum.* In aliis nullam, quàm dilaudent: virtutem inueniunt, ſed quid amarulenta lingua & carpant, & diſcerpant, cùm vagus & otioſus circuitus illos oſtendat errones, & a charitate exules, reliquos carpunt linguaces: in vicis impio ſemper circuitu rotati alios reprehendunt & virtute prorsùs nudi cæteros arguunt. Itáque circuitus ſuos virtuti adſcribunt; aliorum verò ad virtutem reprehendunt. *Prauus certè ſenſus*; adiicit Gillibert. *vt dicas: Ecce Chriſtus hic; imò ecce illic: peſſimus verò ſi dicat nec hîc, nec illic.* Nonnulli, vt fallaciis liberiùs inſeruiant, vbique Chriſtum ſibi inueniendum ſpondent; alij nullibi inueniendum deteriori ſenſu præſumunt: à charitatis benignitate exules omnia dente peſtifero abrodunt, cúmque in aliis fugienda lynceis oculis inueniant, quid in ſe fas ſit corrigere, ignorant.

223. Cantic. 3. v. 2.

Gillibert.

Illigata diabolicis vinculis miſera tenebatur muliercula: patebant vincula; ſed vinculorum auctor non patebat: corpus aſpiciebatur incuruum; ſed prementis manum ſtudium occultabat doloſum: corporis videbatur defectus, qui erat hoſtis veternoſiſſimi dolus: ergo Chriſtus Dominus mulieris vices miſeratus, vt catenam rumperet, manum admouit: à vinculis mulier ſoluta liberis oculis Cœlum aſpexit, & à tellure retraxit: *Erecta eſt, & glorificabat Deum.* Archiſynagogus plus laudis æmulatione, quàm violatione Sabbathi exaſperatus opus illud Phariſaico ſupercilio damnauit, & pietatis fuco æmulationis venenum contexit: Indignans quia Sabbatho curaſſet Ieſus dicebat turbæ: *Sex dies ſunt, in quibus oportet operari: in his ergo venite, & curamini, & non in*

224.

Lucæ 13. v. 13.

Digitized by Google

die Sabbathi. Qui de vinculorum ſolutione indignabatur, qui auerſabatur Chriſti Domini operationem, quaſi indecens fuerit die Sabbathi ad diſſoluenda diabolicâ vincula manum admouere, cùm diei religio ab omni opere perſuaderet ceſſare; quò bruti ſiti ſubueniret, bouem diſſoluens adaquatum ferebat, & aſinum vinculis liberabat: itáque ipſemet, qui ſoluebat ob exiguam vtilitatem brutorum vincula, linguax mordebat remouiſſe Chriſtum mulieris obſtacula: *Vnuſquiſque veſtrùm Sabbatho non ſoluit bouem ſuum, aut aſinum à præſepio, & ducit adaquare? Hanc autem filiam Abrahæ, quàm alligauit Sathanas ecce decem & octo annis, non oportuit ſolui à vinculo iſto die Sabbathi?* Quam à Chriſto vinculorum ſolutionem deteſtabantur Scribæ in Sabbatho, ipſi exercebant, niſi quòd ipſi ſordidis brutorum commodis inhiabant; Chriſtus verò humanæ ac rationali neceſſitati inſeruiebat: ſic inuidiæ, & cupiditatis geminatâ caligine obcæcabantur, vt exercerent, quod in Domino condemnabant, & condemnarint, quod exercebant. Chriſtus ſemel die Sabbathi à vinculis mulierem diſſoluit; Phariſæus verò Sabbathis omnibus bouis vincula diſſoluebat, & tamen actionem à ſe toties repetitam ignorabat, ſemel & ritè à Chriſto peractam dentibus caninis carpebat. Ad rem Chryſol. ſerm.
Chryſol. 105. *Putat Sabbathum iumentis, non hominibus conſecratum, qui periclitanti boui vel aſino Sabbatho feſtinus occurrit homini morienti Sabbatho pietatis quicquam, miſerationis quicquam non indulget: & hoc facit excors, vt in pectore violet Sabbathum, & in homine ipſam violet ſanctitatem, ac ſic Deo Dei lege præſcribit.* Si Archiſynagogus continuiſſet manum, ſi ob cultum Sabbathi bouem maluiſſet perdere, quàm diſſoluere, nil mirum opponeret Chriſto manum ad diſſipandum vinculum extendiſſe; verùm in Chriſto damnabat, quod quotidie ipſe exercebat. Et vtinam vnicus Archiſynagogus cæco deſiperet zelo, & cæcè inoculato inardeſceret odio; ſunt tamen plures ſic effrontes, vt in aliis audacter carpant, & exhortent, quod ipſos conſtat deterius exequi, & maligniùs fabricari.

§. LIII.

Induat concionator pro extirpandis vitiis, quam mundialis ſolertiam induit pro virtutibus deterendis.

125. OMne vitium non ſolùm innaſcitur; ſed eruditur, & cogitur: mirum eſt quanta ſolertia, & deteſtabili induſtria cauſa vitiorum tractetur: huic penduntur ſollicitè ſtudia, huic concinnantur ingenia, huic deſudauere artificia: vndè Paulus homines admonebat, vt ad virtutem tranſlati ſe ipſos in re olim vitiorum imitarentur:
Rom.6. v.19. *Sicut exibuiſtis membra veſtra ſeruire immunditiæ, & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem.* Meliori cauſæ æqualem exoptabat ſolicitudinem, vt qui apprimè nouerat quanta vitiorum cauſæ ſtudioſitate tractentur, quámque ignauè virtutes ab hominibus excolantur: vigilantiùs incumbendum foret virtuti; æqualitatem tamen Apoſtolus ambiuit: quia neruis omnibus indulgeri vitiis cognouit: Peridoneè Anſelm.
Anſelm. *Tales eſtote in fructu bonorum, quales fuiſtis dudum in actione vitiorum, ne debiliores vos habeat ſancta libertas, quos in carne validos habuit vſus terrenæ voluptatis: ita ſcilicet vnuſquiſque veſtrum, virtutibus ſeruiat, ſicut vitiis ſeruiebat.* Non ſolùm homines in vitia adigit ardor; ſed furor, nec in voluptates ſolum eſt planum; ſed præceps: ergo induat virtutis cultor, quam ſagacitatem ad vitia induit interpolator. Quod licèt omnibus ſit ſtudioſè curandum, potiori iure Euangelicis congruit miniſtris: de peruerſitatis exemplo debent erudiri & in bono ſtudioſitatem malitiæ laudabiliter imitari. Ob id fortè Samſon Chriſti Domini figuram gerens prædicatores in Philiſthino obarmans vulpium imagine delegauit: *Cepit trecentas vulpes, caudáſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illúcque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportata iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt.* In vulpibus adumbrari prædicatores tradit gloſſa moralis: *Quod per vulpes poſſunt intelligi prædicatores oſtenditur.* Glossa.
Conſonat Hugo Cardinalis: Hugo.
Philiſthiim ſunt dæmones, qui videntes factum Samſonis & vulpium, id eſt fructum prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum aſcenderunt in terram Iuda. Vulpium ingenium imitati ſunt Apoſtoli laudabili calliditate, ſolerti aſtutiâ Philiſthinorum fructus perdentes, & labores fruſtrantes: vulpes retulerunt, quia virtutis hoſtes vulpium induerant doloſitatem.

Capite nobis vulpes paruulas, aiebat ſponſus, 126.
quæ demoliuntur vineas: nam vinea noſtra floruit. Cantic.2. v.15.
In vulpibus hæreticos deſignari teſtatur Gregor. ad hunc locum, qui humilitatis ſpecie ſuperbiam tegunt: accedunt curatorem ſimulantes, quò faciliùs bellum veritati intulerint, & fructiferas vites fidei viriditate viduarint: *Vulpes vineas demoliuntur*, Gregor.
inquit Gregor. *quia per hæreticos Eccleſiæ à rectæ fidei viriditate exciccantur, quæ benè paruulæ dicuntur, quia quamvis contrà veritatem intùs ſuperbiant, exteriùs tamen in verbis humilitatem per ſimulationem ſectantur.* Amœnis virtutum floribus fideíque virori inſidiantes reptant, ſuperbiam tegentes accedunt, quaſi ſcire cupiant, ſciſcitantes: modis omnibus ſibi aditum faciunt fraudulenta demiſſione, ficta humilitate: ergo veritatis magiſtri ſine errore erroris mirentur ingenium, vt honeſtâ aſtutia in cineres redegerint prauitatis ſegetes, ſi peruerſi vulpina ſimulatione frugiferæ vineæ arrodunt dente peſtifero flores; nec enim fas eſſet impios aſtutè virtutibus inſidiari & pios honeſtâ ſagacitate ruinam ſceleribus non moliri.

Chriſtus Dominus ſuos inſtruens cum columbina ſimplicitate ſerpentinam iunxit aſtutiam: 127.
Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ. Matth.10. v.16.
Alludit ad ſerpentem illum tortuoſum Diaboli vaginam, peruerſitatis linguam hæreticorum ideam. Euæ in paradiſo verſanti ſerpens non vocatus accedit voce miſerentis, inſidiantis animo, timorem virtutis neruum paulatim deprædatur, arboris commendat fructus, promittit diuinitatem, per aures animum obſidet, & captiuum ducit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem, &c.* Geneſ. 3. v.1.
Calliditas viam peruerſitati fecit & quod nequiret conſequi aperta pugnâ conſecutus eſt ſerpens tecta & colorata fallacia. Ergo Apoſtoli pro virtute ſerpentes ſint, non quibus

inſit

inſit fraudulentus dolus; ſed prudens zelus: columbina ſimplicitas innocentiaque omnem excluſerit doloſam ſimulationem; honeſta verò aſtutia ſerpentinam imitetur caliditatem: habebat virtus ſerpentes ſuos. Chriſti Domini ſententiæ hunc eſſe penitiorem ſenſum tradit Hieronymus apud D. Thomam: *Eſtote prudentes ſicut ſerpentes, & ſimplices ſicut columbæ, vt per prudentiam deuitent inſidias, per ſimplicitatem non faciant malum, & ſerpentis aſtutia ponitur in exemplum.* Vt aſtutus ſerpens blandis ac mellitis verbis conſtuprauit aures, vt falſis promiſſionibus cupiditatem accendit, vt timorem de corde expunxit: ita ſapiens concinator aures deuinciat, vanos timores depellat, cæleſtium cupiditatem promoueat, ne plus extorſerit aſtutia fraudulenta, quam Euangelica aſtutia.

Hieron.

228. Diabolus nocendi rabiè, & virtutes dilacerandi furore indefeſſa circuitione circumuoluitur, & rotatur: *Sobrij eſtote, & vigilate*, admonet Petrus, *quia aduerſarius veſter diabolus tanquam leo rugiens circuit quærens quem deuoret.* Indefeſſis vigiliis, laborioſis circuitionibus bellum infert virtuti verſutiſſimus aduerſarius; verùm ne minor quàm malignitati, ſolertia fuerit virtuti, ſponſa delectabili anxietate, anxio deſiderio, irrequieto circuitu non vagatur; ſed ciuitatem circuit, quærens quem deuoret, ſed quem virtuti reformet: *Circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Iam ſibi tenebat, quæ impensè à ſe dilectum honeſta inuerecundia affirmabat: *Quem diligit anima mea*; & tamen circuit quærens quem è vitiis rapiat, quem ad virtutem traducat. Non eſt iſte circuitus illi diſſimilis, diuerſiſſima tamen vtriuſque circuitionis eſt cauſa: diabolus ſic obbruteſcit, vt à leone mutuatus fuerit & brutalitatem & vnguem: & quidem ni obbruteſceret, virtutem pulchritudine amabilem nec voraci dente diſcerpeter, nec audenti vngue laniaret: id tamen eius eſt odium, vt quieſcere nequeat; ſed continuo circuitu deuoraturus incedat: *Circuit quærens quem deuoret.* Ergo circuitui circuitum ſponſa opponit, & virili auſu leoni geſtit occurrere, vt eius exuuiis luceat coronata, & copioſis virtutum fructibus redimita: *Accedit ad te ſponſa*, inquit Gillibertus ſerm. 5. in Cantic. *folia vertit ficulneæ meæ: quærit in te fructum, quærit dilectum: hic eſt enim fructus dulcis gutturi eius. Felix es, cùm hoc abundaueris fructu, cum Domini tui ſponſam iſto ſatiaueris cibo: eſca eius eſca electa, deliciæ eius ſunt tecum eſſe dilectum ſuum: omnium vult eſſe dilectum ſuum: non inuidet, non zelatur: dilectum ſuum omnium vult eſſe dilectum: ideò apud omnes quærit, vt illum apud omnes aut inueniat, aut inuitet: quærit enim apud illos Ieſum, quorum quærit profectum in ipſo: quærit per vicos & plateas.* Non deterretur offuſis noctium tenebris, continuis non defatigatur laboribus, non indulget otioſè quieti: quieti: quia dicatur tota viuidiſſimæ charitati: & quidem indecens eſſet, ſi quos infatigabiles circuitus conſuluit bruto virtutis odium, non ſuaderet ſapienti perfectionis ſtudium. Solertiam imitatur ſponſa malignitatis; imò diabolicam ſupergreditur malitiam, quando circuit ciuitatem ſexus fragilitatem ignorans, delicati corporis laſſitudinem deprecians; imò à ciuitatis cuſtodibus diſpoliari, feririque exoptans: illud enim: *vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum*, non eſt infelicitatem gementis; ſed ſibi de ſpolio & vulnere gratulantis: ergo mirum non eſt ſi diabolus natura infatigabilis, inuulnerabiliſque vti leo animalium fortiſſimus ad nullius paueſcat occurſum; eſt tamen mirandum tenellam, delicatamque virginem ſic amoris igne flammeſcere, vt tranſiliat metum, vt ſalutis deſpiciat periculum, vt indefeſſo ſtudio iteratit ſemper rotatum circuit aliorum quærens profectum, ſi leo circuit, vt intulerit damnum.

I. Petr 5. v. 8.

Cantic 3. v. 2.

Gillibert.

§. LIV.

Quod à cæca querimur accidiſſe fortuna, certum eſt promanare ab inoculatiſſima prouidentia.

FOrtuna vox eſt ſignificatione vacua, vt impietate exoculatiſſima plena, res humanæ cæleſti nutu reguntur, rotatu caſuali non gubernantur; ea tamen fuit hominum amentia, vt fortunam in deorum cenſum referrent, & ad eius promerendam gratiam ſacrificia litarent, ipſis hoſtiis ſuam cæcitatem promentes, & ſibimet aduerſantes: nam ſi fortunæ obſequiis promerebatur beneuolentia, iam ad æquitatem migrabat, innataque cæcitate carebat: quod ſi cæcitas, & volubilis rota eius erat ſupellex, hoſtia otioſa, & victima vacua: *Romani*, inquit Clemens Alexandrinus in adhortat. ad Grec. *qui res maximas, & præclarè geſtas fortunæ attribuunt, & eam eſſe deam, maximam exiſtimant, poſuerunt eam in ſterquilinio dignum dea templum tribuentes cloacam; verum enim verò ſenſu carenti lapidi, & ligno, & diuiti auro nihil penitus cura eſt, nec nidor, nec ſanguis, nec fumus, quo dum honorantur, & dum ſuffumigantur, nigreſcunt.* Quam fortunæ adſcribebant, ipſi ſine dubio cæcitatem patiebantur: ni enim caligaſſent, nil videntem demereri obſequiis non exambiſſent. Verùm etſi Chriſtianæ religionis cultores ea non infamet amentia, vt qui Numen vnicum colant, cuius inoculatiſſimam prouidentiam nec minutiſſimæ reculæ effugiunt, ſed omnia nutu rationabili gubernantur: nihilominus nonnullos audies ſe infortunatiſſimos quæritantes, & ingrata aduerſo fato adſcribentes; cùm tamen nec fatum nec fortuna ſit: ſed diuina mens nihil non complectens, & pro beneplacito ſuæ voluntatis diſponens. Qui nobis videtur caſus, eſt prouidentiſſimæ ſine dubio diſpoſitionis effectus: non vertit ſuſque deque humana, vt Pindaro placebat, dea oculis orba; ſed omnia temperat, & concinnat oculis plena ſapientia. Ecce Samſon trecentis captis vulpibus illarum alligat caudas, faceſque nodis inſertas ſuccendit: vulpes dum flammam extimeſcentes latibula maturis in frugibus quæſierunt, igne vſtularunt: *Dimiſit vt huc illucque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum, quibus ſuccenſis & comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt.* Quod hæ præ aliis fruges decinereſcerent, videbatur caſui adſcribendum, cùm vulpes ad hanc præ alia meſſem confugere non elegerint; 229.

Clem. Alex.

Pindar.

rint ; ſed indiſcriminatim ſibi tutamina quæſita-rint ; verùm quod videbatur improuidum, cæleſti conſilio non dubites præordinatum : vulpes ad effugium ſine diſcretione inuolabat ; ſed Deus ad hanc præ alia meſſem pulſu certiſſimo dirigebat. Abulenſ. Ita Abulenſis qu. 10. *Ipſe Deus direxit vulpes, vt tráſirent ad ſuccendendũ prædia illorum & fructus ; quibus Deus nocere volebat, & ſic Samſon in vniuerſali ſciebat quòd Deus moueret eum ad nocendum Philiſthinis, & ſciebat quòd bonum eſſet nocere illis, & tamen quòd nocere iſtis, vel illis neſciebat niſi in quantum ſe moueri contra ipſos, & non contra alios videbat.* Curſus hanc vel illam partem verſus erat vulpibus indiſtinctus; ſed reſpectu Numinis ordinatus. Ergo errarent, qui prædiorum ſuorum caſui adſcripſiſſent infortunia, cùm nec pampinus exuſtus ſit ſine prouidentia.

Impius Achab virtutum non ambitioſus; ſed ditionis extẽdendæ percupidus Ioſaphat in auxilium ſibi aſſumpto manum cogit ; & Ramoth Galaad. reſtauraturus procedit ; hoſpiti auxiliari honoris ſpecie captioſas prætendebat inſidias, & dum ſumptuoſiori ornatu micare voluit, grandius periculum calidiſſimè concinnauit: Syriæ milites cùm in mãdatis haberent ſolum Iſraëlis regem oppugnare, Ioſaphat regio cultu fulgentem facto impetu premebant, deſtiterunt verò illum ex clamore agnoſcentes : 3. Reg 22. v. 32. *Cùm vidiſſent Principes currum Ioſaphat, ſuſpicati ſunt quòd ipſe eſſet rex Iſraël, & impetu facto pugnabant contra eum: & exclamauit Ioſaphat, intellexeruntque Principes curruum, quòd non eſſet rex Iſrael, & ceſſauerũt ab eo.* Hoc in ſtatu gregarius miles ſagittam in incertum contorſit, & Achabum altiſſima plaga percuſſit : *Vir quidam tetendit arcum in incertum ſagittam dirigens, & caſu percuſſit regem Iſrael inter pulmonem & ſtomachum* Sagitta ſine cõſilio à milite eſt iacta; ſed cæleſti pulſu directa: neſcientis Deus manum rexit, & qua corporis parte illatura foret vulnus, ſcopum præſcripſit : impetus in Ioſaphat conſilio factus caruit effectu, caſualis eiaculatio ab ſcopo nõ deerrauit: vt noueris humana infortunia cæleſti ordinatione diſpoſita, vt humana etiam conſilia prouidentiâ cæleſti euanida : Lyra. *Iſta percuſſio*, ſcribit Lyra, *licèt fuerit caſualis ex parte ſagittantis, qui non dirigebat ſagittam ex intentione ad regem Iſrael ; non tamen fuit caſualis ex parte Dei, qui hoc præordinauerat.* Inſpectis rebus humanis ſagitta fuerat improuidenter emiſſa ; verùm incerta ſagittarij eiaculatio diuino fuerat nutu ordinata, & & certiſſimo ictu directa: vt noueris, etſi aliquando reſpectu hominis caſuali multa fuerint euentui adſcribenda, reſpectu Dei omnia ſiue magna, ſiue exigua prudenti fore ordinationi applicanda.

231. Abſalom humanæ naturæ probrum, & immaturæ ambitionis deteſtandum exemplum, vt impotenti, cæcoque deſiderio blandiatur, ipſi patri arripere coronam aggreditur : confuſis variiſque tota ciuitas tumultibus æſtuabat, dum alij audaciam, alij tuerentur iuſtitiam: ex eadem gente iam acies oppoſitæ ſibique aduerſæ, commiſſum eſt vtrinque certamen; ſed cùm Abſalõn ctenitus, & comptus aduerſariis occurreret, acriorque aura prolixam cæſariem flabellaret, denſæ irretita quercui parricidam ſuſpendit, & à ſeruis illudendum detinuit : 2. Reg. 18. v. 9. *Accidit autem vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid ſedens mulo, cúmque ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui, & illo ſuſpenſo inter cælum & terram, mulus, cui inſederat, pertranſiuit.* Si ſolum corticem textus attendas, comam caſu adſpirante aere illigatam cenſebis; ſi tamen rem intimiùs inſpicias, cæleſti conſilio arbori, vt carnifici traditum non dubitabis: *Accidit*, inquit textus, non quòd ſine conſilio contigerit ; ſed vt ea, quæ fortuita, & cæco allata caſu videntur, prouidâ Numinis æquitate gubernari credantur: erat ſpecie caſus ; ſed re prouidentiſſimæ gubernationis effectus: vt hinc noueris nec capilli per aera volitationem effugere oculatiſſimam prouidentiam. Quam benè Chryſoſt. hom de Abſalom patrem perſequente, quæ habetur tom. 1. *Commiſſo bello proſternuntur hoſtes, aduerſarij cadunt, inimici vincuntur, nudatur hoſtis, deſeritur parricida, iam ſuam in ſuis conſpicit pœnam, iam ſupplicium debitum ſibi ſuorum interitu recognoſcit, iam timet, iam formidat, iam proprium meditatur interitum : denique animal petit, mulum conſcendit, dat ſe in fugam præcipitem.* Chryſoſt. Nota quæ adiicit : *Paratam properè feſtinat ad arborem, cui eſt traditus, & ictu violento immiſſus : animali ſubducto, & ſuper in campos elapſo inſeritur ramis, obligatur lignis.* Compone illud : *Paratam properè feſtinat ad arborem, cui eſt traditus*, cum illo : *Accidit, vt occurreret Abſalom ſeruis Dauid* : & manifeſtè cognoſces plura, quæ noſtris oculis caſu prouenire cenſentur, nutibus prouidentiſſimis regi, & ſupernis diſpoſitionibus gubernari: arbor illa ſine conſilio apparebat ſata, & telluris fœcunditate præcelſa, erat tamen ab exordio præparata, vt honorabilis carnifex parricidam ſuſpenderet, & infeſtis irretitum mucronibus obiectaret. Acrior aëris flatus Deo obſequens comam ventilauit, non caſu irretiuit : *Accidit* humanis oculis ; ſed ſuſpenſus eſt æquitatis decretis: auræ motus, ſolis æſtus, inopinus occurſus à cæleſti decreto pendent, non voluuntur fortunæ arbitrio, nec cæco contigere fatatu. Obiicies rerum ſeriem, elementorum vices hos ſecum afferre caſus; negare tamen non potes hanc ipſam cauſarum ſeriem, hac elementorum vices æterna ſapientia diſpoſitas, & in hunc modum redactas : ergo quæ aliter ab exordio potuerunt diſponi, diuina præeunte ſapientia hac conſtitutione, & concatenatione liquet conſtitui, nec adſcribenda fore improuido caſui ; ſed Numinis prouidentiſſimo nutui : ſtellarum motiones, elementorum diſſidia, temporum varietates ſapientiâ conſtant, non fortuito perſeuerant : ergo etſi plurima ad ſpeciem videantur fortuita, reuera à Numine ſunt decreta.

---

§. LV.

Quæ à nobis imprudenter fota, iuſtè in nos conuertere ſolent arma.

STudioſè calamitatem nobis imprudentes procudimus, & ſumptuoſis aliquando expenſis perniciem noſtram adipamus : vt noxius humor internis vſcerum præcordiis innutritus virentia peſtilenti exceſſu membra cogit areſcere, & quæ natura ſalubriter laxauerat, in obſtinatum ſolet rigorem deteſtanda ſoliditate conſtringere ; ita erga externa etiam idem contingere indubium eſt : viperinam nutrimus prolem, & dum copioſius alimentum impendimus 232.

mus valentiores in noſmetipſos vires præter opinionem armamus: *Subtrahuntur ſuperſtiti* (aiebat Caſſiod. Theodahadus 10. var. 29. de interno morbo) *miniſteria membrorum, corpus viuum eſt, nec mouetur, & intra inſenſibilia redactum iam non proprio voto; ſed motu fertur alieno.* Viuam mortem nobis aſciſcimus, dum vitia ſtudioſiùs refouemus: profuſior luxuria ſaluti obnititur: ira prudentiæ opponitur, auaritia ſolicitudinibus oneratur. Paleſthinorum tellus fertilibus vineis florida, opimis, exteriſque vſque ad mōtium iuga oliuis coronata, flauis meſſibus abundè copioſa, quam citò anhelantibus flammis ſtuporem affert adducta, & quæ modò floſculenta viriditate vſque ad delicias oblectarat, & detinuerat aſpectum, ſtrage amarum diſtorquet animum: *Comportatæ iam fruges & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque, & oliueta flamma conſumeret.* Si luctuoſæ adeò originem calamitatis inquiras, à vulpibus, quas ipſa tellus ſinuoſis fouebat latebris, & copioſo adipabat paſtu, promanaſſe reperies: *Perrexit* (Samſon) *& cepit trecentas vulpes caudaſque earum iunxit ad caudas, & faces ligauit in medio, quas igne ſuccendens dimiſit, vt huc illucque diſcurrerent, quæ ſtatim perrexerunt in ſegetes Philiſthinorum.* Non longè aberant Iſraëlitarum ſegetes, ditio à Iudæ tribu inhabitata vicina; vulpes tamen exitialia alienis ſegetibus non intulerunt incendia; ſed in proprios verterunt arma? Regio Paleſthinorum floribus, & fructibus lugebat miſerè viduata, quia ardentes flammarum globos ibi innutrita aſportauit vulpecula. Huc voco quod aliorſum aiebat Caſſiodorus 2. var. 39. *More vipereo prolem ſibi fœcunditate contraria nutrit.* Prolem vulpium fœcunditate ſibi peſtifera tellus illa innutriuit, & ab ipſo fœtu dignas imprudentiæ pœnas accepit: vulpibus vſus eſt Samſon, vt arcano nos edoceret ſupplicio, grande imminere periculum ab ipſis rebus imprudenter procreatis & enutritis: Abulenſ. *Potuit faciliter capere tot*, ſcribit Abulenſis qu. 5. *quia in terra illa ſunt multæ vulpes.* Ex ipſa tellure, quibus eam deuaſtauerit, vulpeculas cepit, vt qui nouerat brutalitatem imprudenter innutritam hac frequenter gratitudine compenſauiſſe nutrimenta, reddidiſſeque beneficia: Quid ſperandum à vipereo appetitu niſi diſrumpi, quid à libidinis flamma niſi cremari? O nos miſeri, qui non ſolùm aliena malignitate perimus; ſed propriis etiam impenſis calamitatem nobis cæciſſimè procreamus! Certè Paleſthina tellus, ni opiparè vulpes enutriſſet, deuaſtata vulpibus non lugeret; at dum alit bruta, ſuſtinere cogitur graſſantiſſima incendia.

233. Pſal. 77. v. 45. Pſaltes calamitatem Ægyptiorum deſcribens ſic aiebat: *Miſit in eos cœnomyiam, & comedit eos, & ranam, & diſperdidit eos.* Hugo Cardinalis varia ranarum adducit genera: aliquas ait aſſimilari lacertis, quæ in frugum calamis innutritæ, paſtæque peſtifero dente & arrodunt, & perdunt: Ægyptus ergo ranarum ſiue lacertarum illuuiem nutriens, ab ipſis nō ſolùm animum perpetiebatur tormentum; ſed etiam frugum excidium: *Diuerſis generibus ranarum*, inquit Hugo, *perduntur: eſt enim* Hugo. *rana multiplex, fluuialis, quæ naſcitur & manet in fluuiis, quæ naſcitur in cannis vel calamis, quæ dicitur rubeta, quia in dumis vel rubetis naſcitur.* Virides frugum calami ebullientes lacertas nutriunt, & innutritis diſpereunt: in ſe ipſos interna alebant venena, vt peſtiferi dentis ſuſtinuerint miſerabiliter arma, dum fota in modum nubis inuolabat lacerta: *Miſit in eos ranam, & diſperdidit eos, dedit ærugini fructus eorum, & labores eorum locuſtæ.* Locuſta de foris adueniēs fructuum deuaſtauit diuitias; lacerta verò è calamis pullulans, interiuſque fota diuitias perdidit & perſonas: vt videas quàm verum ſit fotam brutalitatem, & brutalem appetitionem ipſis aduerſari nutrientibus, & inſidiari auxiliantibus.

Chriſtus Dominus myſteriorum arcana perfidis, & hominibus impuratis manifeſtare prohibuit, 234.
quandoquidem non audiunt vt recondant animis, ſed vt peruerſis dehoneſtauerint ſuſpicionibus, & lucidis dilacerauerint dentibus: quia tamen Domini verba ad mores etiam poſſunt adaptari, incongruum non erit propoſitæ theſis ex illis veritatem eruere: *Nolite dare ſanctum canibus*, aiebat, *neque* Matth. 7. v. 6. *mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Porci, amaſij, libidinoſi homines non tardò fœminarum margaritis diuitiiſque alti in eas ipſas audaces conuertunt dentes, eas diuexant, eas lacerant, pedibus conculcantes, & malis tractationibus percutientes: nutriunt illæ impendioſis ſumptibus ſibi venenum, & dum opulentius, impendioſiuſque refouent, in ſe ardentiores flammas accendunt: *Porci*, Theophyl. inquit Theophylactus, *fideles quidem ſunt; ſed porcinam vitam agentes*: lenones lutulentiſſimi porci porcinam ſordidiſſimāque vitam agunt, cùmque à fœminis de pudicitiæ iniuria, de honeſtatis offenſa opiparè alantur, eas depretiant, & variis moleſtiis onerant: mulierculæ ipſæ ſuas fouent lachrymas, ſolicitant ſibi anguſtias, & aſciſcunt ſibi plagas, vt ab illis criminis patiantur ſupplicium, in quorum gratiam perpetrauere peccatum. Optime Seneca de Seneca. vita beata c. 14. *Mala pro bonis petenti periculoſum eſt aſſequi. Vt feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque illarum ſolicita poſſeſſio eſt: ſæpè enim laniant dominos, ita habentes magnas voluptates: in magnum malum euaſere, captæque cepere.* Qui feram aluit, impendioſè dentium, vnguiumque in ſe armauit truculentiam, & dum periculoſis fomentis caram ſibi creat ad delicias, ineptæ voluptatis delirium non ſemel grauiſſimo compenſat detrimento, & ſera prudentia agnoſcit in malum ſuum addaggeraſſe diuitias, & in perniciem pœnitendas ſolicitaſſe cupedias. Quiſquis non virtutis; ſed appetitus ſecutus eſt anxiam legem, duxit ſuſpicioſam & trepidam vitam: ſolius virtutis fundamentum immobile & firmum eſt, varium fortunæ ingeniū, quiſquis ab illa deuiat, iugi rotatu vacillat.

Ionas viteſcenti hedera in faciem tecti explicata 235.
circumtegebatur: erat ſupra eius caput pratum floribus ac frondibus vſque ad delicias ſuſpenſum & vice muri ſolis depellens ardentiſſimum radium: verùm hedera vermem admiſit, & dum floribus, frondiumque mollitie enutrit, peſtiferos, quibus arroſa omnis marceſcat floriditas, dētes exacuit: *Percuſſit hederam, & exaruit.* Sol ardentiſſimi radio- Ionæ 4. v. 7. rum ſpiculis hederæ virorem floriditatemque expugnabat; verùm dum interno veneno libera externis adſultibus reſiſtebat; at vermem fouens viriditati ſuæ inuidit, & dente peſtifero arroſa corruit: eis ipſis dentibus, quibus vermis delicioſum capiebat cibum, mortiferum hederæ diffundebat venenum: vt marceret propriis impendiis, quæ ſolaribus impetita floruerat radiis: queri non poterat de fato, quandoquidē caſuum ſuorū ipſa erat artifex, & ariditatis opifex lætas cōſeruaſſet frondes, ni obſcœnos aluiſſet vermes; vt dum vermi præbet habitaculum, dum exhibet cibum, ſibi innutriuit venenum: *Miſit vermem, & è veſtigio ſiccatur planta*, Baſil. inquit Baſilius Seleucienſis orat. 11. *citius perit, quàm germinauerat.* Torridæ ætatis iaculis inuaſa, radiis ardentibus impetita & viguit, & valuit, & floruit,

Digitized by Google

floruit; ab altis verò beſtiolis viriditate denudatur, floribus exuitur; & quæ vſque ad oculorum florebat delicias, iam ſordeſcit, & ignis expectat flammas: *Hedera*, inquit Tilmanus in allegor. *quæ non ſine adminiculo ſurgit in altum, etſi caret adminiculo, ſerpit in terram; eſt viror temporalium, cuius adminiculum eſt virtus, qua ſubtracta viror temporalium ſerpit in terram.* Dum hedera virtute fundabatur, aſſurgebat in cœlum, ſibi floridè nitida, & prophetæ indigenti commoda, vbi verò illuuiem vermiculorum admiſit, vbi putredinis prole hoſpitium præbuit, non ſolùm qua prophetæ ſubueniret, non habuit vmbram; ſed nec ſibi ſortita eſt vitam: olim diues depauperatur, pompaticè olim veſtita, iam nuda ſordeſcit, & quæ firmis fundata radicibus aſſurgebat, eroſis iam, & debilitatis non tantùm abiecta ſerpit; ſed cadit: & hoc totum quia vermes enutriuit, & quia proprium detrimentum imprudentiſſimè fouit.

Tilman.

---

§. LVI.

Culpæ deformitas ex iuſto ſupplicio conijcitur, & in pœna horrore videtur.

136. CVlpæ fœditas in dilucido pennarum ſpeculo claruit videtur, & de iuſta pœnæ acerbitate intimiùs error agnoſcitur: *O vos omnes qui tranſitis per viam, attendite & videte ſi eſt dolor, ſicut dolor meus.* Vult attentiùs in Chriſto culpæ conſiderent pœnam, qui in ſe non videbant culpā: lippientibus oculis veritas obiecti abſconditur; ſed inſpiciliis videtur: ergo per pœnæ inſpicilia culpæ inſpicienda ſunt merita, vt pœnæ acerbitas meritum exaggeret culpæ. Graphicè Drogo Oſtenſis de Sacram. Domin. Paſſion. *Attendite dolorem meum, vt in dolore meo videatis dolorem veſtrum: dolor meus imago veſtri doloris eſt. Quod attēditis in corpore meo, attendite & vos, ſi ſimilis dolor non eſt in corde veſtro. Tranſitis à vobis ad me, tranſite à me in vos.* Adnectit: *Feciſti ergo mihi de corpore tuo ſpeculum animæ meæ. Neſciebam contumelias & terrores, & colaphizantem me inceſſanter Sathanam, niſi viderem artem medicinæ tuæ ſimilia ſimilibus curantem, & appenderem in ſtatera hinc calamitatem tuam, illinc iniquitatem meam.* Pœna aliquale culpæ ſpeculum eſt, & quæ in anima non percipiebantur abſtruſa, in ſupplicio videntur clariora. Pœna culpæ pulſus & interpres eſt: in pulſu latens ardor deprehenditur, per interpretem quod ignorabatur, agnoſcitur: ergo ne ignoraueris fœditatem culpæ, horrorem attende pœnæ: Samſon domeſtica iniuria exaſperatus (variato namque eius vxor fidem violarat coniugio) dignam capeſſere vltionem aggreditur: ardentibus facibus Philiſthinorum fruges, vineas, & oliueta conſumit: *Comportatæ iam fruges & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque & oliueta flamma conſumeret.* Philiſthini diſpendio generali commoti, & iuſtam Samſonis iracundiam veriti properant grauioribus detrimentis occurrere, & punito ſcelere iram exaſperati frænari: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Culpa terræ intulit vaſtitatem, culpæ cauſis omnia deuorantem ardorem, & nihilominus Samſonis ira adhuc exarſit, & in culpæ vindictam grauiſſima Philiſthæos clade percuſſit: *Quibus ait Samſon: licet hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tunc quieſcam. Percuſſitque eos ingenti plaga ita vt ſtupentes ſuram femori imponerent.* Socer, vxor perpetratam culpam paruifaciebant, & voluptatis obcæcati tetra caligine videre nequibant culpæ magnitudinem ergo docuit pœna, quàm deformis eſſet culpa. Satis non fuit ſegetes conſumi, vineas cineſcere, oliueta aduri: Satis non fuit delinquentes perſtrepentibus flammarum globulis tradi: adhuc iuſta deſæuit ira, & adhuc Philiſthæos duriſſima demetit pœna, ſicque quod latebat in delicto, digno apparuit in tormento. Notauit ad rem S. Ambroſius lib. 3. epiſtol. 23. *Miſerunt viros in Thamnatham, qui mulierem, quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum, parenteſque igni inuoluerent.* Adnectit: *Nec tamen Samſon populis Paleſtinorum delicti gratiam fecit, atque eo vindicta fine contentus fuit, ſed concidit eos ſtrage maxima, plurimique eorum ferro interiere.* Samſon, vt qui Chriſti imaginem præferat, iuſtæ vltionis metas non eſt tranſgreſſus: ergo vt noueris quam graue damnum ſit culpa, pro pulſu vtere inflicta pœna. Aſpice campos paulò antè viridantes, meſſibus prædiuites, vuis onuſtos, oliuarum baccis plenos, nigrore iam horridos, & igne graſſante nigros. Pœna notam fecit ſceleris grauitatem, & ne affectatè culpæ prætenderent ignorantiam, grauem adeò experti ſunt mulctam. Et quidem ſi quibus ſuppliciis digna ſit culpa imperturbatis oculis videremus nobis eſſet ingentiſſimo terrori, quod modo ſeruit fallaciſſimæ voluptati, at dum non expendimus pœnæ tormentum, ſed ſolum fraudulentum voluptatis illicium, venenum amenter haurimus, & amaras nobis lachrymas ambitioſiſſimè procuramus.

Thren. 1. v. 12.

Drogo.

Ambroſ.

Hinc diabolus totus eſt in culpæ tegendo pœnā, 137.
dum variis adſcribit cauſis ne homines reſiluerint à culpis: nam cùm malitiæ ſit auctor, ſolerter curat, ne pœna ſceleris conſequentia vexatione pariat intellectum, & auerſari perſuadeat delictum: mulier, quæ hoſpitium iniquo Spiritui præbuit, decem & octo annis infirmitatis pondus ſuſtinuit: *Ecce mulier quæ habebat Spiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omnino poterat ſurſum reſpicere.* Verſutia dæmonis curuitatem corporis adſcribebat ægritudini, vt corporalis putaretur eſſe neceſſitatis, quod ponderoſi erat criminis. Satagebat affligere, & ipſa in afflictione latere, veritus, ne ſi homines culpæ attentè expenderint detrimenta, animitus auerſentur & crimina. Perbellè Chryſologus ſerm. 105. *Habebat Spiritum infirmitatis, & erat inclinata: patebat vulnus: ſed auctor vulneris non patebat: languorem videbant cuncti; ſed languoris materiam non videbant: erat in aperto pœna; ſed in ipſa pœna carnifex latebat incluſus.* De mulieris afflictatione hoſtis gaudebat inuiſus; ſed verebatur, ne de pœnæ horrore cunctis redderetur odioſus: ergo duplici fraude ad terram fœminam incuruabat, & curuitatis cauſam abſcondebat: de latebris fugiens periculum, & de aperto adaugens tormentum.

Lucæ 13. v. 11.

Chryſol.

Ieremias, vt ad mentem vitiorum libidinibus in- 138.
ſanientes reduceret, quas ob delictum pœnas tulerint, referendo conſiderare compellit, vt ipſa pœna pro medicamine fuerit culpæ, & deteſtarentur cauſam, quæ acerbum adeò producebat effectum, & amarum pepererat luctum: *Numquid ſeruus eſt Iſrael, aut vernaculus? Quare ergo factus eſt in prædam? Super eum rugierunt leones, & dederunt vocem ſuam: poſuerunt terram eius in ſolitudinem, ciuitates eius exuſtæ ſunt, & non eſt qui habitet*

Ierem. 2. v. 14.

in

in eis. Ne illuſoriis argumentis, & ſophiſticis ratiocinationibus caſui calamitatem adſcriberent, & veram cauſam ſtudioſa affectatione ignorarent, vnde luctuoſa adeò calamitas emerſerit, prodit: *Numquid non iſtud factum eſt tibi, quia dereliquiſti Dominum Deum tuum eo tempore, quo ducebat te per viam?* Immodicus carnium appetitus mortem aſciuit: idolum ingenti pretio elaboratum armorum aciem limauit, cum Moabitis exoculata voluptas acerbam pœnam inuexit: ergo externas calamitates pro ſpeculo ſceleſtis apponit, vt fructus editus qualitatem radicis prodat, & culpæ deformitatem vel lippiens oculus videat. Huc voco Gregorium lib. 15. moral. cap. 31. *Iniquus poſt caſum oculos aperit, quoniam poſt culpam iam in pœna ſua conſpicit, quia malum debuit vitare, quod fecit.* Idolis impendioſo cultu inſeruiebant, quia voluptatem calamitatis matrem non putabant. Ergo videant in ſupplicio, quod videbant nullatenus in idolo: euulget iuſta pœna, quàm peſtifera fuerit cauſa, vt reſipiant de dolore, qui obcæcabantur de crimine.

239. Iob. 21. v. 19. Iob de dolore Deum culpæ languori occurrere ſic teſtatur: *Deus ſeruabit filiis illius dolorem patris, & cùm reddiderit, tunc ſciet.* Quid ſciet? Culpæ meritum pœnâ magiſtro, & doctore tormento: deprehendet productis in fructibus, quod amaris non viderat in radicibus, vt oculis ſit pro collyrio dolor, quibus pro caligine fuit libido. Tempeſtiuè idem Gregorius iam datus: *Omnis peccator prudens erit in pœna, qui ſtultus fuit in culpa: quia ibi iam dolore conſtrictus ad rationem oculos aperit, quos hic voluptati deditus clauſit, & pœna torquente exigitur, vt ſapiat, qui hìc excæcante ſe ſuperbia deſipiebat.* Voluptas cæcitatis arx doloris ictibus expugnatur, & ingratas facit delicias, quas comitatur duriſſima pœna: de vexationis magiſterio ſapiunt homines, de ærumnarum luce depellitur illecebrarum fallacia, & mentis reluminatur prudentia; id tamen eſt inter ſapientem & peccatorem diſcrimen, vt peccator expertus pœnam aliquando auerſetur culpam; prudens verò, ne perpetrauerit culpam, ante experientiam expendit pœnam.

240. Num. 24. v. 16. Balaam filius Beor caſus puluere vſus eſt pro collyrio: *Qui cadens apertos habet oculos.* Aperuit caſus, quos oculos clauſerat appetitus: felicitatis pars eſt eruditi infortunio, glorioſius tamen præuidere conſultè infortunium, nec notitiam emendicare à ruina; ſed à cautela. Ita datus ſuprà Gregorius: *Conſilium quippe contrà Iſraelitas præbuit; ſed poſt in pœna vidit quid prius ex culpa
Greg. commiſerit: electi autem, quia nec peccare debeant præuident, eis videlicet oculi antè caſum patent: iniquus verò poſt caſum oculos aperit.* Te exime ab iniquorum numero, ne caſu ſapias, ſed futura conſilio præuide, & prouida cautione diſpone.

---

§. LVII.

Præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias.

241. Theogen. O*Mnibus hominibus vna hæc virtus eſt* (inquit Theogenes apud Stobæum de laude diuitiarum cap. 91.) *poſſidere diuitias; aliorum verò nullus eſt vſus.* Parui habetur aliquando ſalutis vſus pecuniarum diſpendio, & inuentus eſt, qui malit vitam periculo obiicere, quàm pecuniis denudari. Profectò aurum eſt mentis inſania, animi amentia: vtque amentes furore acti vitæ non conſulunt nec ſaluti vana imaginatione deluſi, & vera illuſione falſi, ita diuitiarum cultores pro Deo habent, vtque poſſent in religionis obſequium vitam profundere, ita ſolent in auaritiæ oblationem prodigere. *Quam peruigiles habet oculos auaritia* (inquit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion.) *quomodo circuit orbem terræ! non ceſſat manus eius,* Drogo.
non ceſſat pes. Anxia facultas ſolicitudine procuratur, & ſalutis vitæque diſpendio volaticum ambitur lucrum, & ſuſpiratur auidiſſimè aurum. Greg. Nyſſen. ſerm. 4. in orat. Dominicam, ita habet: *Tu ad Indos negotiandi cauſâ proficiſceris, & in bar-* Nyſſen.
barico mari periclitaris. Periculum inaurat aurum & teſte Seneca epiſt. 87. non defuerunt, qui vt paupertatis vitarent ærumnam, arenæ ad gladiatorios Seneca.
ludos locarint vitã: *Dubitat virum ſe ad gladium locet, an ad cultrum.* De mortis dubitatur genere, non de morte. Hinc diſces, cur Samſon ſumma exaſperatus iniuria vxori necem non intulerit; ſed fruges omnes iam maturas horreis cremauerit: *Comportatæ iam fruges, & adhuc ſtantes in ſtipula concrematæ ſunt, in tantum vt vineas quoque & olueta flamma conſumeret.* Philiſthini diſpendio commoti Samſonis vxorem, eius patrem ac domum nigros in cineres redegerunt, & horriſonis flammarum globulis vſtularunt: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quam patrem eius.* Plura locus hic nobis obiicit expendenda. Si Samſon indignationis exæſtuat flammis, ſi audacibus adeò exulceratur iniuriis, quomodo leuiori vtitur ſupplicio, cùm Philiſthæi grauiori vtantur tormento? Adhæc cur Philiſthini diuitiarum iacturam vlciſcuntur morte, cùm Samſon honoris iacturam vſtulatâ vindicauerit meſſe? Hominum auaritia quæſtioni reſpondet: Samſon, vt qui noſſet, quanti apud eos haberentur diuitiæ, delictum vt ſæuiùs puniret, non vitâ, ſed meſſium priuauit copiâ. Iam ſi ad Philiſthinos tranſeas, ſuis factis prælatas honori declararunt diuitias, quandoquidem Samſon ob honoris iacturam aduſſit meſſem, & Philiſthæus ob iacturam meſſis duriſſimam intulit mortem: *Stimulo iniuriæ exulceratus* (verba ſunt Ambroſij lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23.) *publicam excogitauit vltionem* Ambroſ.
capeſſere domeſtica contumelia indignatione correptuſque trecentis vulpibus adultâ æſtate, cùm iam matura eſſent in agris frumenta, binas ſibi inuicem cauda ad caudam ligauit, atque in medium earum ardentem inſeruit facem, nodóque adſtrinxit inexolubili, & vltor iniuriæ ſuper manipulos meſſis dimiſit frumentariæ. Expende illud, *Vltor iniuriæ*: vt ſeueriùs iniuriam vindicarit, ſaluti non intulit mulctam; ſed frugum aduſſit copiam. Adnectit Ambroſius de Philiſthinorum vltione: *Miſerunt viros in Thamnatham, qui mulierem, quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum; parentéſque igni inuoluerent, quod ea cauſa ſuæ vaſtitatis, & iniuriæ foret.* Vaſtitas fructuum diſpoliatio, latum facultatis diſpendium ſitiuit ſanguinem, & ardentem immiſit ignem.

Eccleſiaſticus pecuniæ amorem tyrannicè vitæ 242.
ac ſaluti imperantem oſtendit: *Nihil eſt iniquius,*
quàm amare pecuniam: hic enim & animam ſuam Eccli. 10. v. 10.
venalem habet: quoniam in vita ſua proiecit intima ſua. Ipſa vita venditur, honor ipſe captiuus abducitur

abducitur, apertum periculum deuoratur: & quidem auidè. Audi Tertullianum de patient. Tertull. cap. 7. *Rem pecuniariam fortaſſe animæ anteponant: nam & faciunt, cùm lucri cupiditatibus quæſtuoſa pericula mercimoniorum in mari exercēt, cùm pecuniæ cauſâ etiam in foro nil damnationi timendum aggredi dubitant, cùm denique ludo & caſtris ſeſe locant.* Ludo gladiatorio, vbi meræ mortes, & frequentia pericula emergunt, pecunia homines ſubiecit; & vt poſſet delictum, feris obiecit pecuniarum deſiderium. *Nos verò*, addit Tertull. *ſecundùm diuerſitatem, qua cum illis ſumus, non animam pro pecunia; ſed pecuniam pro anima deponere conuenit, ſeu ſponte in largiendo, ſeu patienter in amittendo.* Sumptuoſa prudentium laus animam pecuniæ præferre, non pecuniam animæ anteponere; cùm tamen de more ſit hominibus hoc inſanire delirio, pecuniæ videlicet deſiderio, cuius cauſa ſe vendiant, & authorant.

243. Fumante adhuc in Chriſtum eiúſque diſcipulos aduerſariorum odio, furore ſæuiente Petrus aliis aſſociatus piſcaturus nauem inſcendit: nihil nocte prændiderant, & tamen autorâ iam illos Ioan. 21. v. 4. prodente, fluctibus perſeuerabant: *Manè facto ſtetit Ieſus in littore, non tamen cognouerunt diſcipuli, quia Ieſus eſt. Dixit ergo eis Ieſus: Pueri, nunquid pulmentarium habetis?* Obſerate fores, ad latebras tenebrarum confugere cogebat æmulationis ardor, & Phariſaicæ inuidentiæ furor, & tamen detinetur Petrus mari periculis circumſeptus, & diſcriminibus impetitus. Quòd ſi quæras quomodò rationabilis fuerit timor abactus, & prudens metus excluſus? Reſpondeo piſcationis præſtigiis, lucrique fallaciis: vt exundent piſcibus, deſpiciunt ventorum procellam, maris inconſtantiam, & aduerſariorum iram. Huc voco Anonymum auctorem, qui inter Hieronymi opera circumfertur: Anonym. *Negotiator auidus maria contemnit, ſpectare auſus fluctuum ſpumas, rabiémque ventorum, dúmque in omni labore, ac periculo lucrum cogitat, & laſſitudinem ſimul obliuiſcitur, & timorem.* Auaritia, lucrique cupiditas immeritata eas menti offundit tenebras, vt cùm homo ſuſpiret diuitias ſibi, ſeipſum poſtponere non reluctetur diuitiis. Et quidem non vacat myſterio Chriſtum Dominum eiuſmodi piſcatores vocaſſe pueros. Notauit Chryſol. ſerm. 78. *Arguit tales pueros nuncupando, cùm dicit: Pueri nunquid* Chryſol. *ſulmentarium habetis? ibi enim erat Petrus, qui negauerat, Thomas, qui dubitauerat, Ioannes qui fugerat: non ergo vt fortiſſimos milites; ſed pueros compellat, vt timidos.* Petrus, vt periculum vitæ euaderet, infidam recurrit ad negationem, celerem Ioannes arripuit fugam, ne ſuſtineret aduerſariorum ferociam; verùm hos ipſos, quos fidelitatis ius, gratitudinis lex inuenerat trepidantes, oſtendit lucrum contrà maris fluctus, & aduerſariorum rabiem audentes. Itáque qui ſe ipſos denegarant virtuti, & ſubtraxerant rationi, non ſine vitæ diſcrimine, ſe poſtponebant cupiditati.

244. Piſtor ſomnium videt futurorum præſagium deliciis videlicet diſpoliari, eáque cor triſtitia Geneſ. 40. v. 6. poſſedit, vt oſtenderit facies: *Cur triſtior eſt hodie ſolito facies veſtra?* Sciſcitatur Ioſephus non de curioſitatis pruritu; ſed de compaſſionis ſenſu relato ſomnio interpretationem piſtor audiuit, videlicet eius carnes acri auium morſu diripiendas: *Auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas.* Quis non crederet grauiori triſtitudine perurgendum audito infami ſupplicio, quàm diuitiarum ſomniato raptu? & tamen dum nulla à Ioſepho reliquis diebus adhibita conſolatio refertur, non laboraſſe adeò graui triſtitudine piſtorem innuitur. Sæpè nos admonet Baſil. Seleucienſ. orat. 1. ſcripturam ſacram tacendo homines edocere, & loquendo erudire: quæramus ergo in hoc arcano ſcripturæ ſilentio, cur qui ob ſomnium adeò emarcuit mœſtus, poſt interpretationem triſtis non fuerit relatus? cur Ioſeph, qui ſolatus fuerat ſomniantem, ſolatus non referatur morientem? An quia eâ diuitias ſuſpirabat auaritiâ, vt grauiùs anxerit ſomniatum earum diſpendium, quàm durum vitæ ſupplicium? *Diſcamus* (verba ſunt Baſilij.) *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur erudiri.* Baſil. Silentium pro doctrina eſt: ergo dum ob diuitiarum iacturam triſtatur, dúmque ob interpretationem triſtis non refertur, datur intelligi amore diuitiarum in eam phreneſim deueniſſe, vt minùs doleat perire, quam diuitiis denudari. Ergo Samſon huius amentiæ non ignarus, vt grauiorem vltionem exigeret, non incuſſit ſaluti plagam; ſed meſſium abſtulit copiam.

§. LVIII.

Nonnulli pluſquam interrogantur, reſpondent, vt aliorum euulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam.

245. Natura vt quæ eius ingenij non ignara, linguam vallauit dentibus, firmauit labiis, & ne prorumperet, clauſtra iniecit: vnde Homer. dentes vocauit clauſtrum: *Clauſtrum dentium*; Homer. verùm aduersùs dentium clauſtra, aduersùs labiorum ſigilla prorumpit lingua, vt aliorum gloriam veneno infecerit, famámque corruperit. Tertull. aduersùs linguæ amaritudinem ad Dominum confugere edocuit lib. de patient. cap. 8. *Si linguæ amaritudo maledicto, ſiue conditio eruperit, reſpice* Tertull. *dictum: Cùm vos maledixerint, gaudete.* Aduersùs linguæ eruptiones nos Dominus obarmauit, vt qui nouerat erupturas, ſi occaſio adſit amaritudinem effundendi, & honorem dilacerandi. *Nihil habet natura humana* (verba ſunt Nicetæ Choniatæ in vita Manuelis lib. 3. cap. 2.) *calumniatrice lingua deterius, quàm Pſalmographus haud* Nicetas. *immeritò multis in locis deteſtatur, ab eáque ſe liberari optat.* Linguaces toxicum gerunt lingua, viquè gloriam aliorum obnubilarint, pluſquam interrogantur, reſpondent: malignitatis pruritu non ſolùm interroganti ſatisfaciunt; ſed in propriæ inuidiæ ac peruerſitatis obſequium amplificant, & extendunt reſponſum. Samſon ob variatam ſecundo coniugio fidem Philiſthinorum meſſes aduſſit: illi diſpendio commoti, & inopino caſu ſtupefacti ſtragis cauſam interrogant: Dixerunt Philiſthiim: *Quis fecit hanc rem? Quibus dictum eſt: Samſon gener Thamnathæi, quia tulit vxorem eius & alteri tradidit, hæc operatus eſt.* Satis erat, ſi interrogantibus Samſonem maturas iam fruges ardentiſſimis facibus aduſſiſſe reſponderent, & tamen non ſolùm prodiderunt incendij auctorem; ſed addiderunt cauſam, videlicet Thamnatæum filiam non ſine Samſonis iniuria alteri

Digitized by Google

alteri tradidiſſe, & coniugij fidem violaſſe. Filiam ſecundas texuiſſe nuptias Samſonis erat iniuria, patris nota, nuptæ periculoſiſſima intemperantia: ergo vbi venenata lingua nacta eſt occaſionem omnes vnica reſponſione infamandi, ad interrogata reſpondit, & de ſuo, quod non interrogabatur adiecit. Notauit Abulenſis quæſt. 12. *Expreſſerunt etiam quare hoc feciſſet: quia ablata erat ei vxor, & ob hoc faciebat.* Si glorioſior eſſet occaſio, ſi cauſa honeſtior reſponſioni ſatisfacerent, occaſionemque & cauſam ſilentio premerent; at vbi in hominum dedecus vergebat, reſponſionem ſtudioſè amplificarunt, & reſponſo Samſonem, Thamnathæum, puellam, & mœchum notis ignominioſiſſimis aſperſerunt.

Abulenſ.

246. Hanc à primis parentibus hauſiſſe homines peruerſitatem Scriptura non tacuit: deliciabatur in amœniſſimo voluptatum topiario Eua: erat innoxia voluptas ſerpentino prorſus carens veneno, verùm diabolus inuidentiæ flammis aduſtus ſerpentem efferatus induit, & mulieri blandiens acceſſit: curatorem ſimulans hoſtem gerebat, & cùm eſſet animus dirè odientis, videbatur vox miſerantis: ignorantiam affectauit, vt dum mulier vti ſapientior ſuperbit, de ipſa ſuperbia ſcientiam corrumpat, & ad legis tranſgreſſionem accedat: *Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Quid tunc mulier? *De fructu ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud.* Pluſquam interrogabatur, reſpondit: aſtutus ſerpens ieiunij ſolum cauſam interrogabat, mulier verò de ſuo addidit non ſolum interdictum ligni ſcientiæ boni & mali eſum; ſed prohibitum etiam attactum. Quòd ſi huius inopportuni additamenti rationem inquiras, inuenies adiectum fuiſſe ad præcipientis rigorem exaggerandum, & ad ſerpenti obſequendum. Serpens venenata interrogatione Deum inuidum denotabat, & auaritia aſpergebat: teſtabatur arborem inuido metu prohibitam, vt non ſolum carerent diuinitatis priuilegio; ſed gratitudinis ſubiicerentur officio: quaſi nihil iniquius potuerit excogitari, quàm ſummam iniuriam ſpecie beneficij obtegere, & ob dolum copioſas gratias exigere. Hoc fuiſſe ſerpentinæ interrogationis venenum teſtantur Patres: ergo Eua, vt quid ad inhonorationem adiiceret, denegatum tactum attexuit. Ita Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap 5. *Præcepit nobis Deus, ne veſceremur, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur. Hæc verba iam vitiata mentis indicia ſunt: nam quantum in ſe erat, deprauauit mulier verba præceptoris Domini tribus modis, quibus vſque hodie deprauare dicitur Sanctam Scripturam omnis, qui eſt ex parte diaboli, ſcilicet appoſitione, diminutione, mutatione: appoſuit namque dicendo: Nec tangeremus illud.* Profectò ſi mulieris linguam cum ſerpentina confeſeras, inuenies mulieris fuiſſe teteriorem: fraudulenta ſerpentis interrogatio ſolum infamauit Deum de cibo prohibito, mulier de attactu etiam niſa eſt obſcurare verito. Itaque dum reſponſum adſcriptam Deo exaggerabat inuidiam, & doloſam arguebat maleuolentiam: mulier pluſquam interrogabatur, reſpondit, & poſteris hanc miſeram hæreditatem reliquit. Plures videas curioſè, non malignè de re aliqua interrogatos, qui reſpondendi occaſionem nacti non ſolum curioſè interroganti ſatisfaciunt; ſed honorem lædunt, & prorſus ignota maligniſſimè produnt. Iam euenire contrarium, ſi quis erga alterius dignitatem & honorem interrogetur, politici illi adulatores, qui

Geneſ. 3. v. 1.

Rupert.

de recens nato Hebræorum rege ab Herode conſulti, reſponſis improbè decurtatis oſtenderunt.

Natus eſt Chriſtus Dominus, non vt hominibus conferret dominatum; ſed vt ab detritis illorum ceruicibus tyrannicum depelleret iugum: ea fuit naſcentis humilitas, vt præſepi deliteſceret contentus brutorum halitu ad iniurias frigoris depellendas; verùm etſi eum celarit humilitas, eloquentiſſimis ſplendoribus euulgabat eximia ſydeus cæleſtis claritas. Magi ſyderum ſcrutatores de ipſa ſuperſtitione ſalutis occaſionem rapuerunt: nam dum antea inuiſam deprehendunt ſtellam, inuolant nouo ſydere ducti, & Hebræorum felicitatem demirantur curiam ingreſſi: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum? Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Herodes morum corruptor, regni inuaſor, doloſitatis artifex, ambitionis miraculum acti timore obturbatur, & congregatis Sacerdotibus ac ſcribis populi, vbi rex natus fuerit, anxiùs, & doloſus inquirit: *Congregans omnes Principes Sacerdotum, & ſcribas populi ſciſcitabatur ab eis, vbi Chriſtus naſceretur:* illi, vt qui Michææ Prophetæ prædictionem non ignorabant, de Michæa teſtimonium protulerunt: *At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iuda: ſic enim ſcriptum eſt per prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda: ex te enim exiet Dux, qui regat populum meum Iſraël.* Confer ſcribarum reſponſum cum Michææ prophetia, vt videas, pluſquam interrogati fuerant reſpondiſſe, in his, quæ ad interrogantis vergebant obſequium, decurtaſſeque, & immutaſſe in iis, quæ ad recens nati gloriam pertinebant, reſponſum: Michæam audi: *Et tu Bethlehem Ephrata paruulus es in millibus Iuda: ex te mihi egredietur, qui ſit dominator in Iſrael, & egreſſus eius ab initio à diebus æternitatis.* Audis à Michæa denuntiatum æternum dominatorem: vide quid Scribæ dixerint: pro dominatore poſuerunt ducem æternitate ſilentio tumulata, & dierum antiquitate depreſſa. Quàm euoluerent præterita ſæcula, ſi occaſio eſſet promendi infamiam, & manifeſtandi notam; at vbi interrogati non potuerunt quid addere ad ignominiam, improba taciturnitate celarunt gloriam, & falſata reſponſione adulterauere ſcripturam Notauit Hieronymus apud D. Thomam: *Eſt ſenſus prophetiæ talis: Tu Bethlehem terra Iuda, vel Ephrata, (quod ideò dicitur, quia eſt alia Bethlehem in Gulgalis ſita:) quamuis paruus vicus ſis inter millia ciuitatum Iuda; tamen ex te naſcetur Chriſtus, qui erit dominator Iſrael, qui ſecundum carnem de Dauid eſt; de me tamen natus eſt ante ſæcula, & ideo dicitur: Egreſſus eius ab initio, à diebus æternitatis: quia in principio Verbum erat apud Deum.* Attentiùs audi quæ Hieronymus adiecit: *ſed hoc vltimum, vt dictum eſt, Iudæi tacuerunt, alia verò mutauerunt.* Itaque interrogati non adiecerunt quæ ad gloriã; addiderunt tamen litteram corrumpendo quæ dominationem inducatus anguſtiam redigerent, poteſtatemque decurtarent: eſt namque celebris apud homines mos, ſi quid interrogentur, ſuperaddere quæ ad ignominiam, premere ſilentio quæ ad gloriam.

247.

Matth. 2. v. 2.

Michææ 5. v. 2.

Hieron.

Digitized by Google

§. LIX.

Nonnulli vel fictis offenſionibus irritantur; ſed obſequiis veris non demerentur.

248. EXoculatus vindictæ ardor, ſi ſemel animum tyrannide oppreſſerit, eiſdem furoris vorticibus ſibi iniurios & obſequioſos inuoluit: non attendit perſonarum differentiam: quia ſolùm curat ardentem furoris implere inſaniam. Adhæc, inuenies quorum beneuolentiam nullum nanciſcatur obſequium, cùm illorum vel ſeminata iniuria exaſperauerit ſupercilium: tutius eſt aliquos, quàm demerere, offendiſſe: vt quirent iniuriis, ipſis exulcerantur obſequiis: quiſquis eorum refragatus eſt placito, ſiue opinioni conſulat, ſiue vtilitati ſtudeat, obnoxius viuit ſupplicio: ſtupebis inter eiuſmodi ingenia, hærebiſque: nam offenſis exulceras, & obſequiis etiam exaſperas. Piſo, cui innatus rigor, militem iuſſit interfici canibus ſuſpicionibus ductus; quod videlicet commilitonem interfeciſſet, petiuit damnatus temporis inducias pro veritate aperienda, renuit: iam cultro innoxiam porrigebat ceruicem, cùm apparuit ille, de cuius nece ſuſpicabatur commilito, tunc centurio ſupplicio præpoſitus exiſtimans magnum fore Piſoni obſequium, ſi innocentia non periret, nec pronuntiata ſententia aperta iniquitate ſordeſceret, apparuiſſe denuntiauit, & à capite reuocauit cultrum, quod ægrè adeò tulit Piſo, vt eius famæ conſulentem, & de nece ſuſpectum eodem loco, eodemque tempore cultro eodem iuſſerit interfici: irrationabili, cæcaque iræ inſania eodem modo peccantem puniuit, & inſeruientem. Audi Senecam lib. 1. de ira cap. 16. *Centurio ſupplicio præpoſitus condere gladium ſpiculatorem iubet, damnatum ad Piſonem reducit redditurus Piſoni innocentiam: nam militem fortuna reddiderat.* Quid tunc? *Conſcēdit tribunal furens Piſo, ac iubet duci vtrumque, & eum militem, qui non occiderat, & eum, qui non perierat. Piſo adiecit & tertium: nam & ipſum Centurionem, qui damnatum reduxerat, duci iuſſit.* Officiis incurrit Centurio Piſonis indignationem, & quia eius militauerat innocentiæ, ſubiacuit mulctæ. Nec aliter Philiſthinis contigiſſe videtur: Samſonis ſponſa variato coniugio deliquerat fidemque violarat: Samſonis cauſam Philiſthini ſuſceperunt, offenſamque adulteræ domum ac familiam nigris ignium vorticibus inuoluentes acerrimè vindicarunt: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Putares Samſonis gratiam ſibi conciliaturos, quandoquidem artificium prometendi obſequium eſt; verùm Samſon, vt in offendentes in delicti exarſit vindices: *Licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem, & tunc quieſcam.* Ab illis vltionem expetit, qui pro ipſo exegerat, eiſdémque indignationis inuoluti perierunt flammis, qui commiſerant piaculum, & qui exhibuerant obſequium. Notauit Abulenſis q. 13. *Poſtquam Philiſthini combuſſerunt vxorem Samſonis, & patrem eius, in quo videbantur expetiuiſſe vltionem loco Samſonis, dixit eis Samſon iſta quæ ſequuntur: Licèt hæc feceritis adhuc ex vobis expetam vltionem, id eſt, licèt occideritis ſocerum meum & vxorem vindicando iniuriam meam, non ceſſabo à malo quod cœpi agere contra vos.* Et quæ profectionis cauſa? Incepiſſe, quaſi conducibilior fuerit pertinacia, quam pœnitentia: iniuriis & officiis offenſus eſt, ſic eum poſſederat ira, vt eodem modo in obſequioſos deſæuiret ac in iniurios. Itaque ferocia exaſperabatur iniuriis; ſed non deliniebatur obſequiis. Inuenias aliquos ad indignationis pompam exortos, leuiſſimis exaſperantur cauſis, nullis obſtringuntur officiis: perierunt Philiſthini ingenti plaga percuſſi, diſperierunt adulteri flammarum vorticibus vſtulati: licèt alij intulerint honori offenſam, & alij ad honoris ſolatium dignam exegerint mulctam.

Seneca.

Piſonis inhumana ſeueritas.

Abulenſ.

149. Fugit Dauid aulam, opiparam ſpreuit menſam, vt æmulationis declinaret audaciam; inſidioſæ calendarum feſtiuitati defuit, ne dum fallaciter fucato honore extollitur, vero vulnere confodiatur: Saül factam ſibi confixit iniuriam, vt contra innocuum duram mortis pronuntiaret ſententiam: *Cur non venit filius Iſai nec heri, nec hodie ad veſcendum?* Honeſtis Ionathas excuſationibus, vt patris medicaretur inſaniam, excuſauit abſentiam vtrique conſuluit; patri dum reuocat à furore, amico, dum à diſcrimine, verùm Saül contra Ionatham haſtam arripuit, ac ſublatus ſit, niſi maturâ fuga ſe ſubtraxiſſet: *Arripuit Saül lanceam vt percuteret eum.* Dauid Ionathaſque etſi diuerſa cauſa ſimilem ſuſtinet iram Dauid morti addicitur, quia defuit; Ionathas, quia irato conſuluit; ſed in Dauidis cauſa immoremur: allatis à Ionatha pro Dauide honeſtis excuſationibus Saül non annuit; ſed morte digniſſimum cenſuit: *Filius mortis eſt.* Vmbratili offenſione exaſperatus gliſcebat; ſed ingentibus etiam ac rariſſimis obſequiis obſtrictus inſania ſimili delirabat: Dauid cantu abegit dæmonem, fundâ proſtrauit hoſtem, à contribulium ceruicibus, antequam ſubirent, infamem depulit ſeruitutem, quin tot officiis promiſſum aſſecutus ſit præmium: *Cùm deberet dari Merob, filia Saül Dauid, data eſt Hadrieli Molathita vxor.* Non alia erat meritorum, & demeritorum fortuna, Dauid officiis non promerebat beneuolentiam, factitiis cauſis incurrebat in gratiam. Huc voco Hildebertum Cœnomanenſem epiſt. 35. *Fortunæ gratia opus eſt, vt vel benè promeriti præmia conſequantur. Plerique mortales ingrati ſunt obſequiis, & ne cultores ſuos remunerent, offenſos conqueruntur.* Non ſolùm fortunæ fauore opus eſt, vt benè promeriti conſequantur præmium; ſed etiam ne ſubierint ſupplicium, cùm plures eodem modo furant indignabundi ſiue obſtringantur officiis, ſiue exaſperentur offenſis: ne cultoribus ſuis gratificentur beneuoli, de induſtria indignantur ad ſpeciem exulcerati: Saül veris officiis non delinitur, mentis offenſionibus irritatur.

1. Reg. 20. v. 27.

1. Reg. 18. v. 19.

Hildebert.

150. Iacob nec æſtu aductus, nec niuium glacie diuexatus, à curandis ſolerter ſoceri ouibus deſtitit; ſed niuium cana candidioriſque ſolis deſpexit incendia; verùm ſedulæ ſeruitutis pro mercede fuit fallacia, & auara ouium rapina: *Per viginti annos in domo tua ſeruiui tibi quatuordecim pro filiabus, & ſex pro gregibus tuis: immutaſti quoque mercedem meam decem vicibus.* Diuturna obſequia, ſolertiſſima officia non ſunt aſſecuta præmium, imò immutationis experta dolum. Hic ergo Laban cùm Iacob eum inſalutatum fugiſſet, manum cogit, & in campum fugientem debellaturus procedit: *Cur ignorante me fugere voluiſti, nec indicare mihi, vt proſequerer te cum gaudio & canticis, & tympanis, & citharis? Non es paſſus,*

Gen. 31. v. 41.

Digitized by Google

paſſus, vt oſcularer filios meos, & filias: ſtultè operatus es, & nunc quidem valet manus mea reddere tibi malum: ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi: Caue ne loquaris contrà Iacob quicquam durius: ni cœleſte Iacobo auxilium affuiſſet, ad propria nudus ſine dubio remeaſſet: *Niſi Deus patris mei Abraham* (expoſtulabatur) *& timor Iſaac affuiſſet* [illegible]*hi forſitan modò nudum me dimiſiſſes.* Occulta fuga armatur offenſus, diuturnis officiis præmium non reddit obſtrictus. Profectò ni Deus inuolantis repreſſiſſet audaciam, immeritam tuliſſet Iacobus pœnam, vt etiam ni inuigilaſſet Angelus, ouium nullis meritis acquireret copiam ex illorum grege qui magnis officiis nullam reddunt gratiam, & leuiſſimis iniuriis grauiſſimam tentant pœnam, erat Labanus: *Nota ex his*, ſcribit D. Thomas ad hunc locum, D.Thom. *quàm fideliter, quamque ſimpliciter ſeruierit ei, & è contra quàm iniuſtè & impiè ille ſemper ſe habuerit ad eum.* Certabat Labani ingratitudo cum Iacobi ſolertia, & quo cumulatiùs alterius meritum, durius, & alterius ſupercilium: nullis demeritus officiis, fictitiis exaſperabatur offenſis.

251. Elias ille magnus clauſtra nubibus iniecit, & terram cœleſtibus pluuiis ira religionis adiutrice viduauit: hic poſtquam populus etſi inuito ieiunio ad recipiendam veritatem inſtructus, & diuturnis laboribus fuerat præparatus, Baalis prophetas occidit: 3.Reg.18. v.40. *Duxit eos Elias ad torrentem Ciſſon, & interfecit eos ibi*: impij ſanguinis pluuia tellus fœcundata & viguit, & refloruit: qui prophetas occiderat zeli gladio imbres adduxit orationis merito: *Ecce Cœli contenebrati ſunt & nubes & ventus, & facta eſt pluuia grandis.* Achab omnia, quæ Elias fecerat, vxori retulit attuliſſe videlicet oratione cœleſtem pluuiam; & contrà idololatras mortis protuliſſe ſententiam. I.Reg.19. v.1. *Nuntiauit Achab Iezabel omnia quæ fecerat Elias.* Quid tunc? Eliæ ſitit ſanguinem, ac occiſus ſit, niſi matura ſibi fuga conſuluerit, & montium latebras habitauerit: *Hæc mihi faciant Dij, & hæc addant, niſi hac horâ cras poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.* En ob illatam prophetis necem reginæ ardentem incurrit indignationem, cum ob pluuiam cælitus allatam nec regis nec reginæ expertus ſit gratitudinem: generale ac ingens commodum nullam promeruit gratiam; iuſtiſſima occiſio, quia putabatur offenſa, impiæ reginæ inflammauit iram. Diuturna telluris ſitis imbrium torrentibus eſt ſopita: Iezabel tamen execranda prophetici cruoris ſitis acriùs exarſerit inflammata: *Ex hoc patet*, inquit Lyra, Lyra. *eius malitia obſtinata, poſtquam viderat tot ſigna mirabilia.* Mirabilia viderat ſigna, flammas videlicet cælitus allatas, pluuias repentè emiſſas; verùm non attendit mirabilia, vt redderet gratiam, & attendit necem, vt mortis contrà Eliam fulminarit ſententiam.

---

§. LX.

Nonnulli Dei cauſam agunt, non legitimo Zelo inflammati; ſed propria indignatione, aut vtilitate commoti.

252. SAtis non eſt exequi honeſta, ſi intentione vitientur, & fine non legitimo corrumpantur: gladium bonum non dices, cui deauratus eſt balthæus, & cuius vagina pretioſis gemmis diſtinguitur, ſi careat acie ad diſſecandum ſubtili. Plura ſunt extrinſecus ſpecioſa, intrinſecus non adeò pulchra. Cauſam virtutis agere honeſtum eſt, opus eſt tamen ad propria commoda non deflectere, nec indignationem propriam ſpecioſo colore veſtire. Nõnulli de vindicta quærunt plauſum, & vectigalem faciunt ſuæ indignationi virtutem: *Vnum illi bonũ erit*, aiebat Seneca epiſt.76. *quod honeſtum: in hoc enim poſitum eſt & parere diis, nec excandeſcere ad ſubita, nec deplorare ſortem ſuam. Solum ergo bonum eſt, honeſtum, cui modus eſt.* Seneca. Solum bonũ quod honeſtum. Honeſtum eſt Deo parere: Dei iniurias vindicare, ſi tamen modo fiat debito: ſolet námque ſubeſſe aut propria vtilitas, aut temporalis commoditas, quæ actionem honeſtam ſi prorsùs non defœdent, næuis tamen & commaculent, & aſpergant. En Philiſthini, quorum exuſtæ fruges, Samſonem vindicant, & vxorẽ datæ fidei ream flammis adurunt & nihilominus Samſonis iram non ſopiunt: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem quam patrem eius.* Putares Samſonem gratias acturum, quandoquidem pro ipſo videbantur decertaſſe, eiúſque iniuriam flammis vltricibus depuliſſe; & tamen Samſon Chriſti imaginem gerens ab illorum percuſſione non abſtinuit; ſed vltionem ſatis grauem exegit: *Licèt hæc feceritis, tamen adhuc ex vobis expetam vltionem.* Et cur expetenda ſit vltio ab iis, quibus curæ fuit Samſonis agere cauſam, vindicaréque iniuriam? Si adulteram flammis tradunt, ſi vltore igne domum ac familiam conſumunt, cur dederint pœnas, & Samſonis ſuſtineant iras? Quia etſi Samſonis egerint cauſam, inquit Ambroſ. lib.3. epiſtol. epiſt.25. non tam mouebantur eius honoris zelo, quam frugum damno: propriam exercebant indignationem honeſto ad ſpeciem titulo, & cùm proprium dolerent detrimentum, agere affectabant Samſonis negotium: ergo ea actione non Samſonem placarunt; ſed acrius offenderunt: *Diſpendio commoti* (verba ſunt Ambroſij) *quod omnes ſibi locorum fructus interierant, factum* Ambroſ. *Principibus ſuis intimauerunt, & illi miſerunt viros in Thamnatham, qui mulierem, quæ variato fidem coniugio mutauerat, ac totam eius domum, parentéſque igni inuoluerent, quod ea cauſa ſuæ vaſtitatis, & iniuria foret, nec tamen Samſon populis Paleſthinorum delicti gratiam fecit, atque eo vindicta fine contentus fuit.* Si exercita vindicta alium fuiſſet ſortita finem, abſque dubio ardentem euaſiſſent indignationem, dum verò Samſonem vindicant non eius zelo inflammati; ſed diſpendio proprio commoti, ſpecioſo propriam iram inaurauerunt colore; non tamen vera adornauerunt virtute: Samſonis agebant cauſam, ſed vt meſſium exuſtam vindicauerint copiam; ſeruiebant cupiditati, etſi Samſonis inſeruire viderentur honori.

Phariſæi, & Scribæ virtutis agebant cauſam, 253. ſed non virtutis ſtudio; ſed plauſus, & vanitatis commercio: *Omnia opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus: dilatant enim phylacteria ſua, &* Matth.23. v.5. *magnificant fimbrias: amant autem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in ſynagogis, & ſalutationes in foro.* In foro doctrinam diſſeminabant, præcepta in ſynagogis tradebant; ſed vt per virtutem faciliùs peruenirent ad voluptatem: lautioribus cœnis fruebantur, primas cathedras, & glorioſa nomina ſuſpirabant, & virtutis cauſam

ad

Gillib. ad vanitatis fœnus detorquebant. Notauit Gillibert.ſerm.5.in Cant. *Exi in plateas, & vicos ciuitatis, otia diſcute, ſcrutare negotia eorum, qui iudiciis vacant, qui tenent cathedram, qui ſedent in tribunalibus. Contemplare quid agant in publico, quid in cubiculo. Numquid apud illos pura, & vera, & cæleſtis eminet ſapientia?* Præmiſerat: *Cernas in illis lætam, & vberem, & exaltatam ſæculi ſapientiam, & fructificantem huius mundi ſenſum.* In negotiationem aliquorum tranſiuit virtus: æquitatis agunt cauſas in tribunalibus; ſed vt tribunalia in copioſam meſſem conuertant: rigidam in noxios fulminare ſolent ſententiam, non vt malitiam deterant digno ſupplicio; ſed vt rei copioſo ſententiam redimant auro. Itáque virtutis cauſa in propriæ vindictæ aut cupiditatis occaſionem flectitur, & ad fructificandum huius mundi ſenſum, degeneri inſitione corrumpitur.

254 Hoc virtutis fœdum commercium gentium Apoſtolus deplorabat: *Neminem habeo tam vnanimem, qui ſyncera affectione pro vobis ſolicitus ſit: omnes enim quæ ſua ſunt, quærunt, non quæ Ieſu Chriſti.* (Ad Philipp. 2.v.21.) Timotheum ſyncera mente virtutis negotium gerere de ſingularitate laudat: nam plures alij etſi ſimilem cauſam agerent, intentionem ſortiebantur non ſimilem. Opportunè datus Gillibert. *Multos ſic quærentes reperies aliud præter ipſum; ſed tamen per ipſum. Tractatur in conſiliis,* (Gillibert.) *diſceptatur in iudiciis, in ſcholis diſputatur, cantatur in Eccleſiis; religioſa ſunt hæc negotia; ſed vade ad exitus aquarum, & penſa quis generalior iſtorum finis eſt operum: vide ſi non per hæc omnia quædam exerceantur mercimonia de Chriſto. Quæſtuoſa res nomen eſt Chriſti, nil penſius, nil optatius.* Cupiditas vſque ad virtutis ditionem ſe extendit, & de ſanctitatis meritò copioſiùs ſolicitat ſibi lucrum. Et quidem apud Chriſtianos accidere videas, quod Tertull. irridebat apud Ethnicos, nempè Deos ſuos ſub haſta venumdari, & præconis voce licere. Ipſum audi in Apolog. cap.13. *Publicos æquè publico iure fœdatis, quo in haſtario vectigales habetis: ſi capitolium, ſi olitorium* (Tertull.) *forum petitur ſub eadem voce præconis, ſub eadem haſta, ſub eadem annotatione quæſtoris diuinitas addicta conducitur.* Deos fœdaſſe exprobrat auaritia venditantes, & ad lucrum detorquentes. Itáque præco publicabat diuinitatem, venditabat quæſtor, haſtarium throno inſidentes oſtendebat; hoc tamen totum erat commercium, & veluti mercimoniorum negotium: *Circuit cauponas*, addit, *religio mendicans, exigitis mercedem pro ſolo templi, pro aditu ſacri, non licet Deos eſſe gratis, venales ſunt.* Per cauponas circumferebant Deos tympanis pulſatis, non vt cauponæ virtutem inſererent; ſed vt pecuniam acciperent. Audi Apuleium lib.8. *Vnum de triuiali popularium fæce* (Apulei.) *qui per plateas & opera cymbalis & crotalis perſonantes Deam Syriam circumferentes mendicare compellunt.* Deæ Syriæ celebritatem detorquebant ad lucrum, & religionem ad proprium commodum. Itáque Deæ cauſam agentes cupiditatis etiam tractabant cauſam; imò per ipſam Deam aliquid quærebant præter ipſam. Non ſic ſponſa quæ nobiliſſimi amoris flammis exæſtuans vicos, & plateas adit, non vt fœdum percipiat lucrum, ſed vt dilecti ſui omnibus ingeſſerit deſiderium.

255 Cantic.3. v.2. *Surgam & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea.* Apud illos quærit Ieſum, quorum ſitit profectum, & quibus idem ardet inſerere perfectionis ſtudium. Iam ſi finem huius indefeſſæ circuitionis examines, nullum alium inuenies præter ipſum Chriſtum. Aduertit datus Gillibert. *Deliciæ eius ſunt tecum eſſe dilectum ſuum: non inuidet, non zelatur, dilectum* (Gillibert.) *ſuum omnium vult eſſe dilectum: ideò apud omnes quærit, vt illum apud omnes aut inueniat, aut inuitet: quærit enim apud illos Ieſum, quorum quærit profectum in ipſo.* In foro etiam adeſt ſponſa; non tamen quæritat euanidam ſalutationis gloriolam; ſed depellere ſatagit inſipientiam: inſcendit cathedram non ad vanum plauſum; ſed ad verum auditorum profectum. Itáque quæ verè ſponſa eſt, ſiue in vicis, ſiue in plateis inueniatur nihil aliud præter Ieſum à ſe dilectum ſuſpirare reperitur: quiſquis vera charitate exæſtuat, ſequitur ſponſæ veſtigia: qui deuiat, non quærit Chriſtum ſed per Chriſtum quærit lucrum.

§. LXI.

Vitio frequentia hominum munitiſſimum eſt præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum.

PLeráque ciuitates, inquit Philo de Decalog. 256
vix dici poteſt quam referta ſint vitiis, ſiue ſpectes impietatem erga Numen cæleſte nefariam, Philo.
ſiue mutuas iniurias hominum: nihil enim in his non deprauatur, vbi adulterina res pluris fiunt, quàm legitimæ. Vulgus mendacij aſſecla veriſimilitudinem ſequitur, veritatem auerſatur: falſæ imagines, vt illudant vulgo credulo, naturam ſuam obtegunt mendaci artificio, & artificioſo mendacio: apud homines faſtus de aliorum præda innutritus, & aliis inſidioſus adoratur, & vanitas arrogantiæ, contemptus, impietatíſque opifex magni habetur. Hinc ſi ratio virtúſque apud homines degat, ſupplicio afficitur, & quaſi aliena inuaſerit, veluti data ſententia exulare compellitur. Samſon digno ſupplicio iniuriam ſibi ſecundis nuptiis factam de Philiſthinis expetiuerat vtque ſecurus viueret, in ſolitudinem ſeceſſit: *Deſcendens habitauit in ſpelunca petræ Etam.* Vt timori mederetur, ſatius ad ſpeciem erat ad contribules ſuos fugere, quàm deſertorum erroribus habitare, & tamen Samſon fugit hominum frequentiam, latebroſam incolens ſpeluncam. Certè ipſi pro armis eſſent contribules, nec aggredi auderent hoſtes hominum copia munitum, & milite copioſo defenſum: cur ergo ciuitates fugit, & vaſtam deſertorum ſolitudinem renuit? Quia vt ſæpè vidimus, Samſon Chriſti gerebat imaginem, & virtus in hominum frequentia euigorata langueſcit, diſtans ab hominibus viget: vt ſe tueatur hominum fugit conſortium: vt qui nouerat ciuitates, hominúmque frequentiam eſſe vitiorum præſidium: ergo ſi turbas peteret, caſtra aduerſariorum adiret. Nec eum ſua opinio fefellit: acceſſerunt námque contribules, & inter eos iam fortitudo illigata, quæ in ſolitudine, & ſpelunca expedita: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Ecce in hominum frequentia inuenitur Samſon ligatus, & impeditus, qui ab hominibus diſtans vinculis prorſùs exemptus: de Samſone triumphare nititur Philiſthinus, non dum in ſpeluncis latet; ſed dum inter homines viuit: homines namque virtutis ſunt

Digitized by Google

ſunt vincula, & minutiſſima vitiorum caſtra. Prodeſt Ambroſ. hoc capite ſæpè datus: *Conceſſit in* Ambroſ. *Etam ad torrentem in deſerto: petra illic erat munitio tribus Iuda; Paleſthini verò, vt qui eum non auderent laceſſere, neque munitionis prærupta arduáque ſuperare, tribum Iuda denuntiato adorſi vrgere prælio tradi ſibi deſignatorem tanti flagitij poſtulauerunt.* Prærupta ſolitudinis Philiſthinorum vires fruſtrabant: ergo hominum frequentia pro armis contrà Samſonem vtuntur, & per homines nituntur obtinere, quod propriis viribus videbantur deſperare. Et quidem cùm Philiſthiim vitiorum, Dæmonúmque figuram geſſerint, dum ad hominum frequentiam contrà Samſonem confugiunt, hominum frequentiam eſſe ſceleris præſidium oſtendunt.

257. Diabolus mulierem inuaſerat, grauique pondere deprimebat ad terram: decem & octo annis infelici poſſeſſione fruitus eſt, quovſque Chriſtus Dominus imperio depulit, & fœminam curuitate liberauit: *Erat docens in ſynagoga eorum Sabbatis,* Lucæ 13. v.10. *& ecce mulier, quæ habebat ſpiritum infirmitatis annis decem & octo, & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere.* De energumeno deſertorum erroribus habitante ſpatium adeò longum Marci 5. v. 5. poſſeſſionis non proditur: *In montibus erat clamans, & concidens ſe lapidibus.* Arcanè alterius longa poſſeſſionis producuntur ſpatia, & breuiora alterius ſignantur tempora: & cur Dæmon deſertorum inhabitator prædam tanto tempore non poſſideat, & mulierem longiori annorum tractu peruadat? Quia mulier, ne priuaretur Dæmone, & Dæmon, ne depelleretur infelici poſſeſſione, inter homines viuere decreuerunt, vt illic de eorum conſortio & culpa tutior, & fraus munitior: aliquando Dæmon deſertis inhabitantem poſſedit humana cedit fragilitas fraudi; citiùs tamen expellitur, & fugatur; at in mediis turbis fortiſſimo præſidio defenditur, & aduerſantibus obluctatur. Floridè Chryſol. ſerm. 105. *In medio ciuium por-* Chryſol. *tabat mulier hoſtem ſuum; ſed hoſtem ciues, vt propellerent, non videbant.* Ciues, vt Dæmonem abigerent, ignorabant, vt defenderent, aſpiciebant: ergo mulier, quò diutiùs Dæmonis vteretur familiaritate inter ciues illum portabat, & ad homines, vti ad vitiorum propugnacula confugiebat: *In medio ciuium portabat mulier hoſtem ſuum*: quia ni in medio ciuium, hoſtem exulare timebat. O quoties fœmina ciuitatis ſcandalum defenditur! O quoties improbus cæcis oculis præteritur! Pro tutela vtuntur vitia frequentia: norunt námque ad debitum exilium non videri, ad effugiendum pœnam impiâ commiſeratione iuuari: ergo mulier iniquè prouida, & prouidenter aſtuta ibi portabat Dæmonem ſuum, vbi tutior degeret, & diuturnior viueret.

258. Mentè ſe modo offert verſutiſſima Dæmonis calliditas: miſerandi hominis pectus intrarat, & duriorem morte ſepulchris amandando ſuſtinere vitam compellebat: nam quos mors inuaſerit, ægrimoniæ ſenſu priuat; quos vita poſſidet, ſepulchro exonerat; hic verò cætera mortuus ſolùm viuebat, quo ægrimoniæ ſuæ ſenſu torqueretur: ergo cùm Chriſtus Dominus aduentaret, & iam Dæmon imminere ſibi periculũ præuideret ſepulchra deſeruit, & ciuitatem verſus cucurrit: *Videns Ieſum* Marci 5. v. 6. *à longè cucurrit, & adorauit, & clamans voce magnâ dixit: Quid mihi, & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi.* O quàm prudentiam faſcinat timor! Quàm excæcat oculos angor! Si adhuc longè ſtat Chriſtus cur curſu celeri ſuo ſuffragatur periculo? & cur quaſi debitâ ſibi præda diſpolietur, factioſas inter homines dat querelas? Currat; ſed deſertum verſus, vt quò plus diſtiterit, & diutiùs venientem tardauerit: nam verſus ciuitatem currere, impudenter eſt ſibi periculum maturare. Proh Dæmonis verſutiam! Hoſtis contemplatus valentiam, validiſſimam ſibi præparat munitionem, putátque ſi inter homines degat, Chriſti vires quodammodò eneruare, aut magnam difficultatem faceſſere: vt coloratas opponere valeret querelas, recurrit ad homines, quaſi ibi in propria degat ditione nec depelli poſſet, niſi inferatur violentia, etſi fas eſt dicere, iniutia: *Parauerat ſe cætus Dæmonum,* inquit Greg. Nyſſen. apud D. Thom. *ad reſiſtendum diuinæ poteſtati.* Conſonat ibi Cyrill. *Quaſi quæ-* Nyſſen. *ſtionem aliquam intentans vult ſcire quid ſibi & Ieſu commune. Quaſi dicat: Qua de cauſa eiicis me ab hominibus, cum ſint mei?* Ad homines recurrit, vt vitaret exilium, quaſi ad fortiſſimum caſtrum: in deſerto diuinæ ſe poteſtati non poſſe reſiſtere cognoſcebat: ergo ſic de hominum auxilio præſumpſit, vt doctrinali nobis temeritate ad diuinæ reſiſtendum poteſtati ſe præparauerit auxiliatibus hominum copiis, & ciuitatum frequentiis. Inter homines dat querelas quaſi inter homines viuens ſuſtineat, ſi depellatur, iniuriam: *Quaſi dicat: Qua de cauſa eiicis me ab hominibus cùm ſint mei?*

259. Lucas duplex miraculum arcanis circumſtantiis deſcribit, eiecta turba Chriſtus puellæ refudit vitam: *Non permiſit intrare ſecum quemquam, niſi* Lucæ 8. v. 51. *Petrum, & Iacobum & Ioannem, & patrem & matrem puellæ.* Miraculum ſomni nomine tegit: *Non eſt mortua puella; ſed dormit*; ſed qui reſurrectionem vocat ſomnum accedentis inter turbas mulieris prodit attactum. *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* Gillibert. ſerm. 1. in Cant. tactum prodidiſſe ait: quaſi felix fuerit furtum, & beneficium indebitum: *Mulier illa Euangelica felici furto atti-* Gillibert. *git fimbriam Ieſu, & ſtatim ſtetit in illa fluxus ſanguinis, fluxus carnalis illecebra; carnalis delectationis, & cura, & reſtricta, & deſiccata ſunt, quæ prius in illa fluida erant, & totum hoc contigit ex contactu fimbriæ.* Si refuſa vita, ſi cœleſtis dexteræ attactus non fuit furtum, ſed quodammodò ſalutis tributum debitum, cur mulier retro accedens non debitam ad ſpeciem ſibi ſuffurari audiat ſalutem? *Felici*, inquit, *furto attigit fimbriam Ieſu.* Felix fuit de euentu, furtum de attactu: & quare? Quia ſtipata turbis acceſſit, quia in publico illecebris vim quodammodò intulit: *In turba,* addit Gillibert. *in publico vix tangitur Ieſus.* Puella receſſibus deliteſcens pleno dexteræ attactu fruitur, nec vti alienam ſanitatem ſuffuratur; at in turba vix Ieſus tangitur, & illecebris quodammodò violentia infertur, quando turba erat pro delectationis fallacia, & ſanitatis repulſa: puellam à mundiali ſtrepitu ſecluſam luci reſtituere eſt quodammodò excitare dormientem; in publico tamen delectationibus mederi non eſt ſomnium; ſed ſtupendum miraculum; imò in comparatione huius reſurrectionis miraculum; appellari potuit ſomnium. Hominum copia, turbáque ſic eſt vitiorum præſidium, vt miraculoſa ſalus de attactu Domini promanans extranea poſſit videri & licet felix, furtum vocari. Ergo Samſon in receſſibus fortitudine viuit integer, inter homines illigatus, & compeditus, & Philiſthæi vitiorum imagines ſuis de viribus diffidentes contrà

trà fortitudinem obarmant homines; quaſi minùs valeat in virtutem Dæmonis malitia, quàm ciuitatum frequentia.

§. LXII.

Prudens aget ſpontaneus, quod velit nolit, exequetur compulſus.

260. OBſequium coactum exhibenti accipientíque ſit indecorum; vt caret libertatis pretio, ſic & promerendi artificio: prudens vltroneum anticipat exhibere officium, ne coactionis ſuſtineat probrum: quod velit, nolit, efficiet, præmaturo conſilio exercet, vt ſeruitium nobiliter degeneret in obſequium. Quicquid neceſſitas extundit, valore euacuat; quod voluntas ſpontaneè exequitur habet decoris gratiam, & promeretur beneuolentiam. *Quod neceſſitas præſtat*, inquit Tertull. lib. 1. ad vxor. cap. 3. *depretiat ipſa.* [Tertullian.] Quippe adimit obſequij nitorem, dum violentam arguit originem. Philiſthini ingenti accepta à Samſone clade copioſum cogunt delectum, & Samſonem ligaturi Iudææ tribus ditionem attingunt: *Aſcendentes Philiſthiim in terram Iuda caſtrametati ſunt in loco, qui poſteà vocatus eſt Lechi.* Viri Iuda cauſam non ſine obturbatione perquirunt, cúmque nec Philiſthinis valerent reſiſtere, nec Samſonem poſſent defendere, decreuerunt vitare concertationis prælium, & ſpontaneè quodammodò efficere, quod aduerſarij valebant viribus obtinere: ligatum Samſonem offerunt: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam*, vt ſic offerre viderentur deuoti, quod aliter efficere cogerentur compulſi. Notauit Abulenſis q. 24. [Abulenſ.] *Quod Philiſthini bello acturi erant, volebant potiùs ipſi agere in pace.* Si Hebræi quirent aduerſarios vincere, & eorum aſultibus obuiare, nullatenus affectarent ipſis obedire; at dum agnoſcunt ſe non poſſe bellorum pericula, detrimentáque effugere, & aduerſariorum conatus fore ſortituros effectum, maluerunt de ipſa neceſſitate procudere quodammodò obſequium, & pacis ſtabilire prudenter commodum: *Quod Philiſthini bello acturi erant, volebant potiùs ipſi agere in pace.* [Seneca.] Optimè Seneca epiſt. 107. *Imperetur æquitas animo, & ſine querela mortalitatis tributa pendamus.* [Mortalitatis tributa ſine querela pendenda.] *Hyems frigora adducit, algendum eſt: æſtas calores refert, æſtuandum eſt: intemperies cæli valetudinem tentat, ægrotandum eſt, & fera nobis loco occurret, & homo pernicioſior feris omnibus.* [Homo feris pernicioſior.] *Aliud aqua, aliud ignis eripiet. Hanc rerum conditionem mutare non poſſumus, id poſſumus, magnum ſumere animum, & viro bono dignum; quo fortiter fortuita patiamur, & naturæ conſentiamus.* Addidiſſe potuiſſet Seneca: Hoc non ſolùm viro dignum bono, ſed prudenti: eſt enim ſapientis conſentire naturæ, &lubenter ea pendere tributa, quæ velimus nolimus, ipſa natura exiget, & ad pendendum compellet. Aliquid ex ſe adiicit, qui voluntatem aſſociauit naturæ, qui prudentiæ artificio de ipſa neceſſitate voluntatem elaborauit, tempus maturando, aut reluctantiam omnem effugiendo. Vis, dum extorquet officium, exulcerat etiam animum: qui gratè obtulit, hanc iniuriæ ſpeciem vitauit.

261. Nabal ſtultus audit, & iure: nam cùm Dauid inopiâ diuexatus alendæ vitæ aliqua exoraſſet ſubſidia non ſolùm denegauit ingratus; ſed ſupplicem iniuriis obſcurauit maledicus: digna Dauid indignatione excandeſcens tendebat vindicaturus iniuriam, & quam vrbanè petiuerat, vi ablaturus ciborum copiam: Abigail verò eximiè pulchra & cordata munera offert, & de ipſa viri ſtultitia veniam ſtultitiæ ſolicitat: virum retulit ſtultum, nō vt denigraret; ſed vt defenderet; quo deliquerat, in ipſius defectus excuſationem, defectum confeſſa eſt, & quod Dauid inuolabat violenter auferre, lubenter obtulit: *Suſcipe benedictionem hanc, quam attulit ancilla tua tibi domino meo, & da pueris qui ſequuntur te dominum meum.* [1. Reg. 25. v. 25.] Præmiſerat: *Ne ponat, oro, dominus meus rex cor ſuum ſuper virum iſtum iniquum Nabal: quoniam ſecundùm nomen ſtultus eſt, & ſtultitia eſt cum eo.* Et cur audiat ſtultus, qui ſolùm denegarat auarus? An quia auaritia eſt ſapientiæ nubilum, & prudentiæ interſtitium? Iure ſtultus audiuit, qui maluit diſpoliari, quàm auferendis gratiam promereri: vellet nollet, Dauid copioſa militum manu cinctus quod poſtularat, ſubſidium ſumeret, & inſuper pro iniuria ſupplicium adderet: *Hæc faciat Deus inimicis Dauid*, aiebat, *& hæc addat, ſi reliquero de omnibus, quæ ad ipſum pertinent, vſque mane mingentem ad parietem.* Opus erat aut diſpoliari, aut offerre: ergo ſic obbrutuit, vt noluerit offerre; ſed diſpoliari; at Abigail vti prudentiſſima auferendis alioquin victualibus ardentem deliniuit iram, promeruit gratiam: vt enim ſtulti eſt à tempore trahi, ſic ſapientis tempori occurrere: ſuæ voluit Abigail eſſe voluntatis, quod neceſſitatis fore non dubitabat; ſed præuidebat: *Occurrit Abigail vxor Nabal*, ſcribit Auguſtin. ſerm. 11. de Sanctis, *& tulit Dauid, quæ popoſcerat: ſuppliciter eum rogauit, flexit, & à martii ſanguine reuocauit.* [Auguſt.] Adiicit Chryſoſtom. apud gloſſam: *Nabal ex deſperatione veſanus factus timore demum conſumptus eſt ſimul enim ac quiſpiam ſapientia modo exciderit, formidoloſus ſimul & audax animo ipſo debilitato efficitur.* [Chryſoſt.] Dum negauit obſequium, à ſapientia excidit, & timore exagitatus occubuit. Quàm ſtultus erat, qui ſortem declinare non valens, in ſe exacuebat vindictam, & militum exulcerabat audaciam. Si poſſet impedire, non audiret ſtultus, etſi denegaret auarus; at dum nequit non diſpoliari, prorsùs deſipit detrectans offerre. Plura ſunt, quæ vitare non poſſumus: ergo prudentis eſt ipſam neceſſitatem conuertiſſe in virtutem, & ad gratiam promerendam attuliſſe voluntatem.

262. Chriſtus Dominus Patrem exorans ſic aiebat: *Pater mi, ſi poſſibile eſt, tranſeat à me calix iſte; verumtamen non ſicut ego volo; ſed ſicut tu.* [Matth. 26. v. 39.] Adnectit: *Pater mi, ſi non poteſt hic calix tranſire, niſi bibam illum, fiat voluntas tua.* Dei ſapientia, vt homines erudiret, calicem, ſi non poſſet tranſire, conformi voluntate acceptauit: dum voluntatem flexit, & lubenter ſuſcepit calicem, nos edocuit voluntatis arte poſſe dolorem leniri, & meritum adaugeri. Huc voco Chryſol. ſerm. 167. *Qui de voluntate meritum non quæſiuimus, acquiramus vel de neceſſitate virtutem.* [Chryſol.] Voluit Chriſtus, quicquid voluit Pater.; ſed vt noſtras informaret actiones, illud præmiſit: *Si non poteſt hic calix tranſire*, vt ſic in ipſo, & per ipſum erudiremur de ipſa neceſſitate elaborare meritum, & de merito honeſtum captare lucrum: qui propria voluntate ſibi non elaborat virtutem, qui patientiæ occaſiones non exambit, indignationis fumo, quod velit

Digitized by Google

velit nolit ferendum eſt, non denigret, nec inutili exaſperatione deſœdet; imò ipſam neceſſitatem conuertat in virtutem, & quod vocant ſtulti fatum prudenter detorqueat ad meritum.

263. Cleanth. Cleanthes apud Senecam ſuprà datum, cuius gubernaculo molem iſtam dirigi credebat falſus, ſic Iouem moraliſſimis verſibus alloquebatur deuotus: *Duc me parens, celſique dominator poli, quocúmque placuit: nulla parendi mora eſt, aſſum impiger. Fac nolle, comitabor gemens: ducunt volentem fata, nolentem trahunt, malúſque patiar, quod pati licuit bono.* Vt qui trahitur renitens addit contrà ſe tractionis violentiam, quam vitaret, ſi pergeret, non tractus, ſed ductus; ita qui reſiſtit, reluctatúrque futuris, diſplicentiæ addit exaſperationem, quam, ſi prudens, in faciliorem commutauerit voluntatem. Diſertè Seneca: *Hic eſt magnus animus, qui ſe Deo tradidit; at cōtrà ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & emēdare mauult Deos, quàm ſe.* Arduum eſt diuinam ad tuam trahere voluntatem, faciliùs tuam accommodare, diuinæ ergo noli Deum emendare; ſed te adlabora componere: eſto prudens, ſi non es potens, & ſi iugo collum opus eſt ſubdere, non expectes duriſſimo adigi ſtimulo, aliter multiplicato ingemiſces tormento.

Seneca. Nonnulli malunt Deum emendare, quàm ſe.

264. Chryſologus miro acumine expendit dæmoniacos ad Chriſtum omnium vitam ſalutémque inuolaſſe, nec tamen pœnas duriſſimas euaſiſſe: *Occurrerūt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeūtes ſæui nimis, ita vt nemo poſſet tranſire per viam illam, & ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos.* Si leproſus ad Chriſtum accedens celerem nanciſcitur medicinam, cur energumenus experiatur, cùm vociferatur, pœnam? Cur de acceſſu ſupplicium non mitiget, qui ſupplicium meruerat de receſſu? O quàm miſeri probantur à dæmonibus obſeſſi! O quàm, ſi fas eſt dicere, delirio inſani! Nequeunt poteſtati reſiſtere, & voluntario acceſſu neſciunt indignationem potentis flectere: accurrunt non ſpontanei; ſed inuiti, cúmque nequeant impedire acceſſum, nequeunt de ipſa neceſſitate honeſta induſtria captare lucrum. Audi Chryſol. ſerm. 16. *Occurrerunt ei duo dæmonia habentes exhibiti, non volentes, venerunt imperantis iuſſu, non ſuo auſu, attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte currentes.* Si ſpontè accederent, ſi obſequentes Chriſtum Dei filium deprædicarent, euaderent pœnas, aut mitigaſſent anguſtias; verùm deploranda infelicitate & currunt, & à dæmonibus deſtorquentur, vt nec voluptatis habeant lenocinium currentes, nec pœnas euaſerint dæmonibus adulantes. Si ſaperent, quod futurum erat, vellēt nollent, exprompta voluntate inauraſſent, nec reſiſtentiā perdidiſſent; at dum inuiti accurrunt, nec promerentur gratiā, nec fugiunt pœnā: *Attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte currentes.* Ergo ne oleum, & operam amiſeris, quod faciendū eſt velis nolis, meritis applica, & virtutibus cōfecta.

Matth. 8. v. 28.

Chryſol.

§. LXIII.

Plus doloris affert vexatio à propriis inducta, quàm ab exteris procurata.

265. QVæ ſalubri naturæ vinculo iunguntur membra, ſi naturalem legitimè ſeruarint vnionem, fouere non dubitatur ſalutem: quicquid externum; lædit, leuiorem affert læſionem: ſi interna inter ſe exitiali altercentur diſſidio, infirmitas vrit grauior, & dolor diuexat vehementior: ſe protegunt membra, dum quodlibet vires alteri miniſtrat lucroſo diſpendio, ſecuto commodo; at ſi rixa ſemper mortalis naturalem diſrumpat compagem, incrementabit & anxietudinem. Cognati propinqúque naturæ vinculo ſtrictiùs adhærent, & amicitiæ glutino inter ſe compaginantur, & coniunctur. Hinc eſt, quòd à propriis doloſè tractari aut violenter impeti, grandius affert incommodum & viuidius infert tormentum. Cùm Samſon ingenti plaga Philiſthinos affeciſſet, commoti diſpēdio manum adlegunt, & tribum Iuda Samſonem illigare compellunt: *Dixerunt ad eos de tribu Iuda: Cur aſcendiſtis aduerſum nos?* Illi irruptionis cauſam aperuerunt: *Vt ligemus Samſonem venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.* Iuda tribus, vt aduletur hoſtibus, in ſeipſam manus vertit, & in Samſonem armata fuit: *Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam.* Statim ſe offert difficultas: cur videlicet Philiſthini in Samſonem non irruerint; ſed contribules armarint quandoquidem eos accepta acriùs exulcerabat plaga, & proritabat iniuria ſi vindictam ardent, cur aciem detinent? Certè non immorantur ignaui ſed grauioris mulctæ ſtudioſi. Samſon non ſic dolere à Philiſthinis offenſis inimiciſque impeti, & illigari, at à contribulibus, pro quibus & ſubierat periculum, & iniuerat cum hoſtibus prælium, duriſſimum erat aperto Marte impeti, & omni affectione ſepoſita diuexari: ergo Philiſthini de peruerſitatis ingenio, odijque artificio contribules armarunt, & vt Samſonem caperent delegerunt: *Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Quàm grauis dolor Samſoni fuerit à ſuis aduerſariorum cauſam agentibus vincula ſuſtinere, & armatis copiis inuadi, ipſe nō tacuit ſæpè dati D. Ambroſij ore: *Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obſequium, vt executores vos aliena præbeatis inſolentiæ, atque in vos metipſos vertatis manus? Si pereundum eſt, quia dolorem habui liberum, iuuat perire manibus Paleſtinorū.* Al quale infortunij delinimentum eſſet ab aduerſariis impeti & illatæ ſtragis pœnas ei dare, à propinquis verò vinculis illigari, & ab eis pro quibus decertauerat, duriſſimè affligi, vt erat iniuria grauior, ſic & ſenſus erat acerbior. Amb: oſ.

Diabolus poſtquam aduerſariorum armis, diuitiarum iacturis, filiorum ſtragibus Iobi patientiam tentarat, nec illi ſucceſſerat, tandem mulierem, & amicos armauit: *Dixit illi vox ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua?* Validiorem manum contra patientiam inſtruxit, nempe ab ipſa, quæ pro ſolatio remanſerat, opprobriis exaſperari, & inſani ad inſtar deſpectu contumelioſo feriri: qui perſtans & inuulneratus aduerſus hoſtis tela & aduerſus tot conglobata calamitatum iacula triumpharat, amicis eum affligentibus quaſi de impatientiæ confinio prorumpens conqueſtus eſt: *Miſeremini mei, miſeremini mei ſaltem vos amici mei: quia manus Domini tetigit me. Quare perſequemini me ſicut Deus?* Virulentiſſimus hoſtis elementa obarmabat, hoſtium cupiditatem acuebat; verùm dolor ille à creatura illatus videbatur, nec dæmon creaturæ limites in nocendo trāſiliebat; at dum amici exaſperant, dum vanis coniecturis honorem obſcurant, dum lingua venenata dilacerant, grauiorem Iobus dolorem ſenſit, & diſcrimen affligentium explicuit. Vos, inquit, dum amicitiæ legem tranſgredimini, ad affligentium omnipotentiam quodammodò mutuamini: dæmon diuexabat vt creatura, vos inſtar Dei 266. Iob. 2. v. 9. Iob. 19. v. 21.

Dei vritis, & de ipſa amicitia doloris acerbitatem
augetis. Mirùm non eſt, ſi diſcruciet aduerſarius;
ſolamine prorſus caret, ſi aduerſarium agat ami-
cus: quia de manu altiùs ferit ſagitta, & interior
deſæuit plaga: *Quare perſequimini me ſicut Deus?*
Ac ſi apertè diceretur, ſcribit Gregor. lib. 14. Mo-
Greg. ral. cap. 24: *ita me ex infirmitatibus meis affligitis,*
ac ſi ipſi more Dei de infirmitate nihil habeatis. Nil
habebant infirmum, vt nocerent: quia dum ami-
citiam in liuoris cauſam deflectunt, omnipoten-
tiam quodammodo ad affligendum Iobum aſciſ-
cunt: ab amicis impetita titubauit, ſi fas eſt dicere,
tolerantia; à dæmonibus aduerſariiſque inuaſa ex-
titit inconcuſſa patientia: ægrius namque eſt à pro-
priis affligi, quàm ab hoſtibus diſtorqueri.

167. Chriſtus Dominus quo cumulatiùs ſuam nobi-
litaret patientiam, ſuorum voluntati crucifigendus
traditur: ſucclamabant Iudæi legem diſſimulantes
corrupiſſe; in Cæſarem pietatis obtentu proditio-
nem paraſſe, omnia tumultibus repleuiſſe: & licèt
Iudex innocentiam cauſâ accuratè diſcuſſâ co-
gnoſceret; & inuidiam, nihilominus ambitioni
maluit obedire, quàm legi: eius contribulibus
Chriſtum tradidit, & licèt præter opinionem, non
Matth. 27. v. 26: parum dolori crucifixionis adiecit: *Ieſum flagella-*
tum tradidit eis, vt crucifigeretur. Iudæis tradidit, vt
dum à propriis cruci addicitur, duriùs ac diriùs
torqueatur. Huc voco Tertullianum de patientia
Tertull. cap. 3. *Saginari voluptate patientia diſceſſurus vo-*
lebat. Si aduerſarij captioſas illi inſidias ſtruerent,
ſi ad crucem Romani, quorum dominationi, vt
Iudæi criminabantur, imminebat periculum, ad
mortem efflagitarent, de inſidiantium ingenio non
ſic recrudeſceret pœna; at ab illis, de quibus ipſe
benemeritus, quibuſque conſanguinitate coniun-
ctus, ad crucem expoſtulari, erat patientiæ ſagina,
vt quæ pinguior eſſet patiendi materia; ſuis tradi
permiſit, vt de affligentium conditione patientia
diteſceret cumulatior; quia calamitas acerbior:
Tradidit eis, vt crucifigeretur: quia ſaginari volupta-
te patientia diſceſſurus volebat.

168. Nabuchodonoſor proceram ſe arborem intue-
tur fructibus redundantem, quibus omnium vi-
tam alebat, & delicias miniſtrabat; verùm eſt vt
mundi gloria euanida, dum paſcit delicatiùs &
vberiùs, vt brutum agitur, & expellitur: *Alligetur*
Daniel. 4. v. 12. *vinculo ferreo, & æreo in herbis, quæ foris ſunt.* Si
humanus eſſet, non miraret extimuiſſe potentiam,
diſtuliſſeque mulctam; at ſi cæleſtis eſt miniſter, ſi
dæmonem in Saræ viros audentem nouit religare,
cur Nabuchodonoſorem aliis vinciendum com-
Tobiæ 8. v. 3. mittit: *Raphaël Angelus apprehendit dæmonium, &*
religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti. Fuitne
commiſeratio hominibus illigandum tradere, nec
Angelica manu conſtringere? *Alligetur*, inquit, *vin-*
culo ferreo & æreo. Vinculum audio, manum non
aſpicio: à quo illigandus & expellendus? À ſuis
ſanè, ab illis ipſis, quibus diues arbor copioſa ex-
hibuerat pabula, & dulcia præſtiterat alimenta:
cum Deo inimicitias gerebat: à miniſtris ergo Dei
afflictationibus diuexari, rationi erat conſenta-
neum; à ſuis verò depelli, arcteque vinciri prorſus
à conſuetudine videbatur alienum: ergo vt diriùs
affligetur, à ſuis, de quibus benemeritus fuerat, ex-
pellatur; ſic namque conſtringet corpus duriùs affli-
get animum diſſonantia. Quàm opus fuit corde
hominis carere; vt Nabucho poſſet viuere? *Cor*
eius ab humano commutetur, & cor feræ detur ei, &
ſeptem tempora mutentur ſuper eum. Certè in hu-
manum cor quadam tenus exularet, Nabucho ſep-
tennij tempora non impleret, ſed grauiſſimo ictus
dolore occumberet; dum expenderet cum dilargi-
ta copia catenam cum beneficiis vincula, cum offi-
ciis opprobria. Ab hominibus eiici durius erat,
quàm à cæleſtibus depelli: ergo ſententiæ executio
committatur hominibus, quò miſeriis ſubiaceat cu-
mulatioribus: *A quo eiectus fuerit* (verba ſunt no-
ſtri Sanctij) *& ab hominum conuictu ſeparatus Na-*
buchodonoſor, non ſignificat propheta. Theodoretus ab Sanctius.
hominibus dicit eiectum. Vt grauioribus ærumnis
adurgeretur, non Angelicis; ſed ſuorum manibus
illigatur: illum ſui expulere, quò de proximitate
durior afflictaret ærumna, & de dilargita fructuum
copia crudelior euaderet pœna: ergo non mirum
Samſon querelas dederit, dum ſui aduerſariorum
agunt cauſam, & de ſe benemerito duram inii-
ciunt catenam.

§. LXIV.

Ea eſt hominum amentia, vt quò infirmio- ris metum excutiant, indignationi ſe potentioris exponant.

Miranda hominis ſtupiditas, quo infirmioris 169.
declinet metum, in potentiorem inſoleſ-
cit, & audet: exoculatus timor periculoſam adigit
in audaciam, & ſcintillam fugientes ardentiſſimam
ſibi homines ſuccendunt flammam: grauiùs labo-
rant remedio, quàm damno. Apicius ſcientiam
popinæ profeſſus, & diſciplina ſua ſæculum infi-
ciens paupertatis timore audacter mortem ſubiuit:
in vtroque amens & infelix, dum paupertatem ex-
horruit, & dum mortē non extimuit: *Superfuturum*
ſibi (Senecam audis de conſolat. ad Heluiam cap.
10. & 11.) *ſeſtertium centies computauit, & velut in* Seneca.
vltima fame victurus, ſi ſeſtertio centies vixiſſet, ve-
neno vitam finiuit. Addit Stoicus: *Seſtertium cen-* Suam aliqui
ties aliquis extimuit, & quod alij voto petunt, ve- timent feli-
neno fugit. Eas tunc poſſidebat diuitias, quæ ſatis citatem.
eſſent non ſolùm ad commodum; ſed ad luxum;
verùm homo immenſis epulis delectatus, & ſu-
perbo faſtu glorioſus, dum timuit minùs pompa-
ticam vitam, non timuit extremam oppetere auda-
cter miſeriam: extremo damno leuiſſimo occurrit,
& de leui timore timorem acerrimum, & ratio-
nabilem expulit. Nec aliter Samſonis contribulibus
diuerſa in materia accidiſſe videas: Philiſthini fru-
gum diſpendio commoti delectum cogunt, & ad
tribus Iuda tellurem accedunt: Iſraëlitæ conterriti,
& obturbati cauſam expeditionis inquirunt: *Cur*
aſcendiſtis aduerſum nos? Cùmque noſcerent, ni liga-
retur Samſon, certamen ſibi imminere, manum ad-
legunt, & Samſonem ligaturi conſcendunt. *Liga-*
re, inquiunt, te venimus, & tradere in manus
Philiſthinorum. Samſon Philiſthinis valentior, po-
tentiórque erat, vt modico pôſt cōprobauit euentus
reportatúſque de Philiſthinis aciebus triumphus; &
tamen ſic Iſraëlitæ Philiſthinorum metu obturbati
deſipiunt, vt quò illorum deuitent metum, in Sam-
ſonem moliantur auſum: non verentur Samſonem
ligare; quia imbecilliorem Philiſthæum didicerunt
timere: vnus Samſon grauiorem Iſraëlitis in-
ferre poterat cladem, & tamen de maiori periculo
leuiori medebantur, vtque excuſarent aliquantu-
lam à Philiſthinis afflictionem, extremam ſibi ſoli-
citabant impudentiſſimè ſtragem. Opportunè
Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. *Tradi ſibi de-*
ſignatorem tanti flagitij poſtulauerunt, atque ita illis,
quod

quod ab eo commiſſum eſſet, futurum ſine noxa, qua præſcripta ſibi cõditione viri de tribu Iuda tria millia ex ſuis congregantes aſcenderunt ad eum. Non timent Samſonis iracundiam prouocare, dum timent indignationem Philiſthinorum incurrere: peſſimi periculi æſtimatores illud adeũt, quod nullo delectu quantumvis copioſo poſſent effugere, illud expauent, quod paucis poſſent militibus euitare. O quoties hominum timor in Deum procreauit audaciam de imprudentiæ conſilio, imò de temeritatis phreneſi: extimæ plagæ altiſſimo ſuccurrimus vulnere, & leuem accerrimo propulſamus timore. Certè ſi expenderemus quàm ſit diuina non ferenda indignatio, humani timoris terriculamenta deſpiceremus intrepidi, & proculcaremus magnanimi.

270. Moyſi oues in deſerto agenti igneſcẽte & illæſo rubo Deus conſpicimus obiicitur: videre erat vilem plantam ignis furoribus obſiſtẽtem, & flammarum vortices detriumphantem: miſſa è rubo vox pro imperatoria teſſera erat, qua obarmatus paſtor regis immodicè non extimeret potentiam; ſed virtutis ageret cauſam: Moyſes Pharaonis truculentiam metuens imperium extrahere conabatur: de populi incredulitate propriam timiditatem colorabat, & vanis ſuſpicionibus proprium timorem tegebat: miris confirmatus, præceptis legationem adire iuſſus tandem paruit, viamque, licèt moroſo veſtigio, arripuit: in diuerſorio tempus terebat, vt adularetur, dum moras nectit, timiditati, & pareret tendendo iuſſioni; verùm Deus euaginato gladio mortem intentat, & acriori metu metum euacuat: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat* Exod. 4. v. 24.
occidere eum. Metuebat Moyſes Pharaonis inſidias, verebatur periculum, ſi Domini non exequeretur imperium, & quodammodo diuiſus non audebat iuſſioni reſiſtere, nec alacriter feſtinabat implere: ergo Deus mortem duram ſatis intentat, vt vtriuſque partis vires expendens timorem inferioris excutiat, & ſuperioris præceptis pareat. Hinc intentatas ſpectaſſe minas aduertit Theodoretus q. 4. *Moyſes alioqui magnus metuebat Pharaonem, quod ſæpiùs manifeſtauit, modò dicens: Quis ſum ego, vt vadam* Theodoret.
ad Pharaonem regem Ægypti? Modo inquiẽs: Præpara tibi alium idoneum, quem mittes. Et rurſus: Exilis vocis & tardæ linguæ ſum. Attentiùs audienda, quæ annectit: *Minabatur ergo illi pœnas Angelus metum metu repellens, maiore videlicet minorem: perinde ac ſi per hunc enſem nudatum dixiſſet: Si Pharaonẽ timuiſti, ne multò magis timebis, qui modo inuiſibilis poſſum te vulnerare.* Moyſes tyranni potentiam extimeſcens Dei potentiam quodammodò non timebat; ſed populi liberationem tardabat: ergo, ne timor oculi pupillam, & prudentiæ aciem obtundat, Dei potentiam prudentiori examine expẽdat, ne de timoris caligine periculoſiùs offendat, & dum declinare ſtudet acrem ventorum adſultũ, ineluctabile ſubeat naufragium. Seruilis cæcuſque timor legitimum timorem ac prudentẽ expugnat: quia alter ſtatim vrget, & in præſentiarum alter non premit. Ergo expanſis oculis videat Moyſes quàm ſit graue in Dei irati manus incidere, quo aduerſus Pharaonis metum, aduerſus mortis dolorem, aduerſus filiorum ſtragem præceptum Numinis maturauerit adimplere. O ſi imperturbato rationis oculo quæ maneat ſupplicia diuinæ iuſſionis violatorẽ expenderes! Profectò omnem timorem legi aduerſãtem excluderes, corpus doloribus exponeres, inediæ famiſque tormentũ euinceres, & quidquid acri metu virtutem oppugnat, honeſta audacia calcares.

271. Saül dæmonis furore plus correptus mente, quàm corpore Dauidem ea obſtinatione perſequitur, vt nec montium difficultatibus tardaretur, nec ſaltus impediretur anfractibus, nec camporum defatigaretur excurſibus: de inſanis inuidentiæ viribus labores alioquin duriſſimos ſuperabat, & rex, qui plumeo lecto, qui pretioſis tapetibus exornato cubiculo ſomnum nimis faſtidioſus non capiebat, ſub diuo, vt liuoris cauſam ageret, obnoctabat: verùm qui iniuſtè quærebat, quæſiti ſpoliũ fuit: nam cum neſcio qua neceſſitate compulſus ſpelæum, in quo Dauid cum militibus latitabat, intraſſet, ni Dauid talis eſſet, mortem tuliſſet: eodem in ſpelæo Dauid latitat manſuetudine protectus, & Saül odio iacet illigatus: Dauidis milites illum perurgebant, vt acri adeò timore immunis viueret aliquando: *Dixerunt* 1. Reg. 24. v. 5.
ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te. Hoſtẽ nactus defendit, & militum audaciam frænauit: *Propitius ſit mihi Dominus, ne faciam hanc rem Domino meo Chriſto Domini, vt mittam manum meam in eum, quia Chriſtus Domini eſt.* Nec ſemel inuidenti pepercit: ſed cum in tentorio indulgeret ſomno, & Abner arma iam præſtaret, vt alta plaga confoderet, Dauid cohibuit auſum, & Domini oppoſuit metum: *Ne interficias* 1. Reg. 26. v. 9.
eum. quis enim extendet manum ſuam in Chriſtum Domini, & innocens erit? Paupertatis ærumna, odij terror, exertationis anxietas manum exacuebant, & ad cædem prouocabant; apparuit tamen quàm Dauid alius a militibus eſſet: illi vt terrorem metumque humanum excuterent, in potentioris nempe Dei manus ſe incidere non attendebant; imò Dei timorem timore humano calcabant; verùm Dauid virtutibus eximiè ornatus, & copioſa prudẽtia præditus infirmioris metui de ſuperioris noluit mederi contemptu, nec preſſurarum anguſtias exoculato periculoſiorique auſu depellere, aut diſcrimine grauiori ſopire. Ita Baſilius Seleucienſis orat. 16.
Amici nefariè proritabant, quæ paſſus erat, ad arma Baſilius.
vocabant, futuri terror manum exacuebat; ſed animus Dauidis haud ſuperari potuit Hominis interemptio Dei donum non eſt, neque oculus diuinus arridet. Milites erroneſque Dauidis ſocij ſuſpirabant ſanguinem, vt acri adeò liberarentur terrore: nec enim expendebant grauiorem ſibi inimicum debiliore interempto procreare, & vno perempto capite hydræ ad inſtar multa capita de vulnere ſcaturire; nec eſſe facinus terroris extinctionem: ſed meſſem; at Dauid grauiori metu metum noluit redimere; imò allatis his rationibus vel irruentes incõſiderata audacia milites detinuit, & fregit: *Futuri terror manum exacuebat*, non Dauidis profectò, ſed militum: illi enim terrorem hominis cõtempta Dei indignatione pellebant, & durioribus ſe timoris cauſis illigabant; at Dauid, dum prudenter expendit in potentioris iram incidere, ſi infirmioris metum velit expellere, de metu metui ſuccurrit, & ne potentiorem pateretur aduerſarium, commodã patientiã infirmiorem tulit inimicum.

---

§. LXV.

Grauius homini aliquando à cognatis detrimentum, quàm ab ipſis dæmonibus eſt periculum.

Corpus animi eſt vinculum, & quidquid ad corpus pertinet, eamdem naturam ſapit; 272.
neceſſarij cognatique, dum blandiùs ſæpè adu-

lantur, grauiùs nocent: maior illis habetur fides, & maior rependitur amor: ergo de amore non ſemel ſubærato, falſatóque emergit præter opinionem periculum: vt enim deſiderium non ex inopiâ; ſed ex æſtu ardentium viſcerum ortum ſitis videtur, & morbus eſt, ita conſilium, deſideriúmque à cognatis & neceſſariis profectum videtur beneuolentia; ſed eſt non ſemel fallacia: cupiditati ſuæ, ambitionique inſeruiunt amoris laruâ & degeneri amicitia. Luctatus fuerat Caſſiodorus ſalubri perſuaſione prouinciam: proprio cenſu neglecto querelas excluſit, & vel inuidiæ doloſam malignitatem vitauit: nihilominus vt ad cumulum eius virtutem perueniſſe Theodericus teſtimonio indubitabili comprobaret, à cognatis ait nullatenus fuiſſe ad iniquam gratiam deflexum, aut contrà legem detortum. *Egiſti te per cuncta* Caſſiod. *Iudicem*, ſcribit I. variar. 3. *totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratiâ blandiente ſublimans: quod cùm vbique ſit arduum, tamen fit in patria glorioſum, vbi neceſſe eſt aut gratiam parentela prouocet, aut odium longè contentiones exaſperent.* Incorruptis moribus efflorere vbiquè glorioſum, inter cognatos verò de difficultate ſumptuoſiùs accreſcit elogium; quia parentela affectionis præſtigiis prudentiam faſcinat, & falſati amoris incantamentis ingenium circes ad inſtar adulterat. Samſon eximia fortitudine præditus de Philiſthinis dignam expetiuit vltionem, cúmque ferociam aduerſarij extimeſcerent, & vinculis irretire diſcuperent, ad eius contribules detulerunt querelam ſperantes per conſanguineos promouendum faciliùs cauſam: *Vt ligemus Samſonem, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.* Quid tunc? Eius contribules ligatum illudendúmque hoſtibus attulerunt: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Cui hoſtes non audebant accedere, auſi ſunt affines ligare, & quidem ni Dei ſpiritus validè in illum irruiſſet, à ſuis traditus Philiſthinorum gaudia cumulaſſet: *Cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta.* Arctis adeò vinculis cognati ligarant, vt ni ſpeciali fauore cœleſtis adeſſet ſpiritus, ab hoſtibus ludibrio haberetur captus. In Philiſthinis vitia aut dæmones deſignari expreſsè tradit Hugo. Hugo Cardinalis: *Philiſthiim ſunt dæmones, qui videntes factum Samſonis, & vulpium, id eſt, fructum prædicationis Chriſti, & Apoſtolorum aſcenderunt in terram Iuda, vt ligarent Samſonem.* Adnectit: *Vnde ſequitur quod viri Iuda ad petitione Philiſthinor Samſonem ligauerunt.* Dæmones vt qui ſua malignitate & verſutia non adeò fiderent, ab affinibus auxiliares vires emendicarunt, & cognati quod dæmones non efficerent, effecerunt. Iam Samſonem ruptis vinculis Chriſtum mortis ruptis compedibus, infernóque detriumphato reſurgentem expreſſiſſe, idem tradit Hugo: *Samſon vincula rupit, & Chriſtus & mortis, & ſepulturæ vincula in reſurrectione diſſoluit.* Mortem vincere & ab inferno ad ſuperos regredi Chriſti Domini virtutis fuit indubium teſtimonium, & inuiſum ſæculis retro trophæum. Ergo vincula à cognatis iniecta, concinnatáque ad eneruandam virtutem rumpere adeò eſt arduum, vt reſurrectioni Chriſti fuerit ſimillimum; tantùm poſſunt, in virtutem cognati; ſic eneruat fortitudinem conſanguinitas, ſic animum euigorat mundialis fraternitas.

273. Sponſus qui tenerrimo erga ſponſam tenebatur affectu, ſecum habere exoptabat ardenter, vtque greſſum maturaret, propoſita corona alliciebat: Cant. 4. v. 8. *Veni de Libano ſponſa mea, veni de Libano, veni; coronaberis de capite Amana, de vertice Sanir, & Hermon, de cubilibus leonum, de mon-*ret, ſatis videbatur, vt velociter inuolaret, fugere *tibus pardorum.* Certè etſi corona non allice-pardorum caueam: leonum ferociam, & tamen ingeminat ſponſus vocem, coronam multiplicat, ne pigritaret dilecta: & quādo tenerrima virgo vel leonem pictum intuita non exhorruit? quando ad pardorum nomen non fugit? Quomodo ergo inter pardos immoratur, & inter leones impauida detinetur? Quia leones hi, inquit S. Bruno ad hunc locum, quo humano vultu blandiores, ſponſæque ſubſultantes, eo in virtutem audaciores, terribilioréſque. Leones pardóſque cognatos vocauit, non quia leonum, pardorúmvè ſortirentur naturam; ſed quia ad impediendam viam imitabantur ferociam: vocata ſponſa iter alacriter arripiebat; ſed ferox leo vianti obuians impediebat greſſum, & retardabat conatum: pardus doloſa varietate iam blandiebatur ſubſultans, iam incutiebat timorem territans. Erant hi leones, pardique parentes, fratres affines ergo opus fuit vt ſponſa ad coronā perueniret, ter vocationem ingeminare, & ingeminatam repetere: *Neque ei*, inquit Bruno, *facilè fuit patriam* Bruno. *parentéſque relinquere, priſtinos mores: antiquam conuerſationē, & eos quos coluerat deos, parenteſque deſerere.* Sponſa vocata moliebatur pergere; verùm parens leoninam ferocia ſupergreſſus deſæuiebat: reſpondere deſiderabat vocanti florulentæ coronæ fragranti odore oblectata; ſed frater, propinquuſque pardi varietatem indutus iam blanditiis tardabat, iam minis, iam patronibus coloratis ab inceptis auertebat: ergo ſuperflua non fuit vocationis repetito: quia obuiabat magnarum difficultatū adglomeratio. Vocat cœleſtis ſponſus ad virginitatis coronam, ad cœleſtem religionis vitam; ſed pater leonis ad inſtar rugit, frater pardi mutuatus ingenium variis dolis ac promiſſionibus fallit.

Moyſes ille magnus in Ægypto viuens mores 274. Ægyptios ignorauit, æquitatis incorruptus patronus belluam hominis facie deſæuientem occidit, altercantium iurgia compoſuit, & quamvis Pharao omnes aulæ doloſitates armarit, ad mortémque anhelo deſiderio expetiuerit, prouidè fugit, & omnes fraudulentiæ technas fruſtrauit: ouium paſtor inter bruta cœleſtem agebat vitam, omnia terrena magnanimitate depretians, & cœleſtia dulci contemplatione perluſtrans: hic viſione illa rubi donatus pergere in Ægyptum iubetur, ſed imperium extrahere ſemel & iterum eſt molitus; paruit tamen, impoſitiſque iumento filiis, & vxore tendebat, cum in diuerſorio ingens incurrit periculum: *Cùm eſſet in* Exod. 4. *itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat* v. 24. *occidere eum.* Cœleſtis indignationis cauſam pia ſedulitate ſcrutātur Interpretes. Placet Theod. qui q. 4. ſic ſcribit: *Quidam aiunt id in cauſa fuiſſe quòd* Theodor. *Moyſes miſſus ad liberandos gentiles ſuos coniugem itineris ſociam habere voluit:* Alienæ ſententiæ ſuam addidit. *Vxor Moyſis arbitrabatur ob id factum eſſe quia puerorum alter non eſſet circumciſus ſecundùm legem Hebræorum, vnde protinus eum circumdidit.* En iuxta aliorum ſententiam Moyſes, ne ab vxore diſcederet, lentis veſtigiis tēdebat, & greſſibus moroſis populi ſalutem tardabat: en iuxta Theodoret. placitum, vt tenelli filij acri pateretur circumciſionis doloti,

Digitized by Google

dolori, obedire cunctatur legi,& cui nec delicioſa Ægyptus, nec regia aula, nec ſuperbiæ faſtus perſuadere valuit legis violationem, filius perſuaſit ſaltem impletionis tarditatem.Non potuit Pharao dolis armatus Moyſi ſtruere periculum, & filius cœleſtem in illum armauit gladium. Inuictum illud pectus nec illecebroſæ curiæ fallaciæ potuerunt emollire, nec deſertorum aſperitates conſtantiam inuincibilem edomare, & tamen tener filius gratiarum manibus factus, & ad patris amorem ſauciandum editus perſuaſit legis præceptum differre, & ad Dei iuſſa cunctari. Tanta eſt ad profectum in virtutis itinere retardandum propinquorum efficacia, & affinium beneuolentia.

§. LXVI.

Dæmon, vt imperet, obſecundat; peior homo turpiſſimè obſecundat, vt ſeruiat.

Tertullian.

Ambitio contumelioſa ſibi.

275. Ambitio, & amens euanidæ gloriæ appetitus ſic de mentis arce deturbant prudentiam, ſic infatuant cordis conſilium, vt ſi alicuius gloriolæ ſpes affulgeat, ſordeſcere non refugiant; imò ipſam ignominiam exambiant. Aduertit ingenioſè Tertull. lib. de Pœnit. cap. 11. *Illos qui ambitu obeunt capeſſendi Magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis: neque incommodis tantum; verùm & contumeliis omnibus eniti cauſa votorum ſuorum.* Vt nota aſſequantur euanida, incommoda patiuntur vera; imò & probra ignominioſa; verùm non adeò deſipiunt, vt deſiderio ſeruiendi ſeruiant; ſed obſecundant, vt luceant: nullis conuiuiis aſſiſtunt celebres, nullis comeſſationibus congreges, à libertatis, & lætitiæ felicitate propter breue, ac volaticum gaudium exulant, ſed vt Conſulatus, etſi volatico & breui honore cæteros antecedant. Itaque etſi ambitione inſaniant, non adeò delirant, vt ſeruitutem non arbitrentur dominatu redimendam & compenſandam; inuenias tamen aliquos ambitionis phreneſi inſanientibus deteriores: imitantur vile ambitionis ſeruitium, nec ſuperbum dominandi gerunt pectore deſiderium; imò indecora ſeruitus illis ſeruiendi finis eſt, miſerâ vitiorum captiuitate preſſi crudelium dominorum prauis voluptatibus obſecundant, & hoc non vt in fame excuſſerint aliquando iugum; ſed vt ſeruitutis protelauerint probrum. Hac in re ipſis Dæmonibus nonnulli miſerabiliores videntur: nam Dæmones ſe deiiciunt, non ſine ignominiâ inſeruiunt; verùm imperium ſuſpirantes, & dominium exambientes; homines verò omnes ambitionis ſuſtinentes contumelias, ad euanidas adhuc aſpirare non tentant glorias. Cùm Samſon plures de Philiſthinis vltore ferro præcidiſſet, & igne adustis meſſibus vehementer exaſperaſſet, delectum non exiguum adlegerunt, vt hoſtem ſibi infenſiſſimum caperent, vicémque redderent; at tribus Iuda, vt perſtrepentia vidit arma, terrore perculſa cauſam ſolicitè ſciſcitatur: *Cur aſcendiſtis aduersùs nos? Qui reſponderunt: Vt ligemus Samſon, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.* Philiſthinorum agnoſcentes ſtudium, geſtiunt eorum voluntatibus obſecundare, & duris Samſonem vinculis compeditum afferre: nec mora, copioſa manus vſque ad deſertorum errores tetendit, & ſeruitute, quam patiebantur, allegatâ contribulem vinciunt, & Philiſthinis puniendum offerunt: *Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam, dixerúntque ad Samſon. Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti?* Cui copioſas debuiſſent referre gratias, factioſiſſimas dant querelas, vtque Philiſthinis adulentur, Samſonem ligant, & ſuis ipſorum calamitatibus ſuffragantur: ſeruitutis diſrumpere non curant vinculum; ſed Samſone tradito indignum exhibere Philiſthinis obſequium, & deteſtandum protelare ſeruitium: *Viri de tribu Iuda* (verba ſunt Ambroſij) *tria millia ex ſuis congregantes aſcenderunt ad eum, præfato quòd eſſent ſubdititij Philiſthinorum, quibus ſibi neceſſitas obediendi.* Ambroſ. Ex promptè Philiſthinorum inſanis votis obſecundant, vt iterum miſerè obediant: ad extremam adeò prolapſi erant calamitatem, vt non ſeruirent ad ſeruitutem redimendam; ſed ad libertatem duriori captiuitate obſcurandam: quod illis nomine Samſonis ſic Ambroſius exprobrat: *Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obſequium, vt executores vos alienæ præbeatis inſolentiæ, atque in vos metipſos veritatis manus?* Ecce vernulatum ambiunt ſeruitutem, & vt ſeruiant, obſecundant.

276. Diabolus ad inuidiam excitatus ſerpentem induit, & turpi facinori turpiter adrepens in ſubiectorum cenſum ſe retulit, & mulieri ſubſultans venenato aures ſibilo infecit, arboris pulchritudine illectæ obſecundauit fructum exaggerans, & fictitiam diuinitatem commentans: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* (Geneſ. 3. v. 1.) Vt mulierculam ſibi ſubdat, vt captiuam premat, nec ſubiectionem, nec deiectionem recuſat: obſecundat vanitati, votis ſe accommodat; ſed vt de ambitionis artificio in dominum, poſteà euadat. Notauit ingenioſè ſatis Chryſologus ſerm. 105. *Ille voluntates hominum ſemper explorat, & bonas quidem voluntates refugit; malis autem voluntatibus obſecundat, vt ſit miniſter ſcelerum, criminum leno, paraſitus ipſe vitiorum, & quia poteſtate non poteſt, dominatur turpiſſimis mentibus turpiſſima ſeruitute.* (Chryſol.) Turpiter inſeruiuit ſed de ambitione dominij viliter obſecundat, de dominandi deſiderio, non de abiectiùs famulandi delirio; homines verò Diabolo deteriores, vt ſeruiant, ſeruiunt voluptatibus turpiſſimis, vitiorum lenones & paraſiti obſecundant: & hoc totum ſine dominandi ſpe; ſed delira obſequendi voluntate.

277. Fameſcenti Chriſto deſertorum receſſibus veternoſus ſerpens pietatem ſimulans, & odium gerens panem obtulit, plauſibus ineſcauit, ac tandem mundi dominatum promiſit; eâ tamen conditione, vt humillima largitorem deiectione adoraret: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me:* (Matth. 4.) ſeruiebat, panem miniſtrabat; hoc tamen vt honore fulgeret: quod Ambroſius lib. 4. in Lucam ſic expendit: *Hoc ipſo pernicioſior ambitio, quòd blanda quædam eſt conciliatricula dignitatum & ſæpè quos vitia nulla deflectunt, quos nulla potuit mouere luxuria, nulla auaritia ſubruere, facit ambitio criminoſos: habet enim forenſem gratiam, domeſticum periculum, &, vt dominetur aliis, prius ſeruit: curuatur obſequio, vt honore donetur,*

Ambroſ.

Ambitio aliis vitiis intactos ſæpè reddit criminoſos.

donetur. & dum vult eſſe ſublimior, fit demiſſior. De ſubmiſſione diabolus ſublimitatem ſibi ſuſpirat, & dominari ſeruiendo tentat: nonnullum habet colorem excuſationis indecora deiectio, quæ per ſe non expetitur; ſed tanquam gradus ad dignitatem affectatur; at homines ipſi quodammodò dæmonibus deteriores ſic indignè deiiciuntur, vt peruerſis aliquorum voluptatibus adulentur, non de dominandi ambitu; ſed de indigniùs ſeruiendi vili pruritur.

178. Opulentus ciuis paſtorem curandis porcis deſiderabat, cùm adoleſcens alioquin ingenuus, & opulenta domo innutritus eius voluntati obſecundat, & ignobile munus ſubire nobilis non detrectat: *Adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos.* Ecce non acceſſit ad dominandum, vt diabolus; ſed ad ſeruiendum: tentator ſuſpirabat adorationem; prodigus ignominioſiſſimam ſeruitutem: ſuperbire adhuc neſciebat; ſed depreſſit, & abiectiſſimis cogitationibus lutulentum gregem curans, conſpurcatus & luridus montium receſſibus deerrabat: *Porcos paſcere*, inquit Beda apud D. Thomam, *eſt ea, quibus immundi Spiritus gaudent, operari.* Itaque amens iuuenis non expectauit ab infeliciſſimæ illius regionis incola aſciſci; ſed eius deſiderio adulatus eſt importunè adhæreſcens, & ſuas operas ſine vllo ſalario offerens, & hoc non vt poſteà adoraretur dignitatibus exornatus; ſed vt inſeruiret porcis ſordidus, & deſpectus: vnde dæmon prodigo comparatus quodammodò excuſatior, & prodigus animo & cogitatione inuenitur abiectior.

Lucæ 15. v. 15.

Beda.

179. Dauid quàm ſe deprecient homines, deſcribens equis comparauit, *Sicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus*: Ioannes diabolum equiti: *Ecce equus pallidus, & qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors.* In equo deſignari peccatores, in equite dæmonem, tradit Hugo Cardinalis: *Congregatio hypocritarum, qui hodie multum abundant in Eccleſia Dei, rectè per equum pallidum deſignantur: ieiuniis & afflictionibus multis ſeipſos opprimunt coram hominibus, vt viribus ſubtractis, & ſanguine minorato quaſi iam moribundi palleſcant: Qui ſedebat ſuper eum, nomen illi mors, id eſt diabolus, à quo mors.* Inter equitem equumque id eſt diſcriminis: eques miniſtrat pabula, curat equum, blanditiis oblectat; ſed vt equitet ad pompam vanitatis ſuperbus, vt opino & ſplendenti equo incedat elatus, at brutum fræno patet, inſidentis voluntati obedit, cuius fructus eſt iterum inſeruire, & onus ſupra ſe iterum ferre. Itaque ſi malitiam diaboli cum hominis malitia componas, homo ſicut equus & mulus à ratione deſciſcens, vt ſeruiat, ſeruit; diabolus tamen præſtat aliquando obſequium; ſed vt eius artificio perueniret ad dominium. Aptè datus ſuprà Chryſolog. *Hoc ſuſtinens propheta beatiſſimus ſic canebat: Iniquitates meæ ſuperpoſuerunt caput meum, & ſicut onus graue grauata ſunt ſuper me: & vt ſui operis aperiret auctorē, alibi ſic profatur: verticem capilli perambulantium in delictis ſuis: quia qui non reſiſtunt delictis; ſed perambulant in eis, eorū diabolus & equitat, & percurrit in verticem.* Diaboli ſuperbia tumens ſemper aſcendit, deſiderat equitare; & ſibi peccatorem ſubiicere; at peccator vſque ad equi ſe indignitatem deiecit, nec ſuperbire adhuc didicit: Spiritus pectore non fouit ſuperbos; ſed deteriùs humiles, & degeneres: equus eſt, alienæ voluntati patens ad ſeruiendum; cùm diabolus ſeruiat ad dominandum.

Pſal. 31. v. 9.
Apocal. 6. v. 8.

Chryſol.

§. LXVII.

Quò liberiùs appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur.

Corporis honeſtam curam agere non ſolum eſt prudentiæ conſilium; ſed rationis etiam præceptum: vitanda ſunt prouidenter detrimenta, & aſciſcenda rationabiliter commoda. Optimè Seneca epiſt. 14. *Fateor inſitam eſſe nobis corporis noſtri charitatem, fateor non huius gerere tutelam, nec nego indulgendum illi, ſeruiendum nego.* Optimè dixit: ita namque inter indulgentiam & ſeruitutem prudentiæ veſtigio incedendum eſt, vt in neutram partem inclinemus; verùm quàm frequenter exorbitamus, & obtentu neceſſitatis voluptatis agimus cauſam, & ipſi corpori ingerimus bellum eius prætendentes tutelam: neceſſitatis eſſe volumus, quæ voluptatis eſſe non ignoramus, & corporis fragilitas ſeruit non rationi; ſed appetui: plura nos agere neceſſitate coactos fingimus, quia de appetitu neceſſitatem procreamus, & fallaci artificio excudimus: plura adſcribimus inopiæ, plura potentioris metui, quæ in appetitionis patrocinium aſciſcimus, & mentitis fucis coloramus. Sæpè rixa eſt inter ſalutem & voluptatem, & nihilominus, & obſequamur voluptati, conſulere affectamus ſaluti: quantumuis delicatus & conditus cibus, ſi immodicus, cruditates generat, vires oppugnat, & in ſubſidium infirmitatis procuramus, & ſolicitè ambimus: de corporis tutela in corpus prænſamus arma, & neceſſitatis prætextu inuolamus ad vitia. Hebræi Philiſthini inſeruiebant indignum tributum pendentes, & indecorū iugum patientia tolerantes. Samſon domeſtica iniuria exaſperatus fructus Philiſthinorum flammis aduſſit, & eorum plures ingenti clade proſtrauit: illi diſpendio commoti delectum cogunt, & in Samſonem inſurgunt: acceſſerant armis inſtructi ad eam partem, quam Iudæ tribus incolebat, quæ neceſſarium duxit in Samſonem inſurgere, ne aliter contingeret Philiſthinos exaſperare: ingenti manu Samſonem adeunt contribules, nec erubeſcunt fateri ſtudium, imò ſe id aggredi oſtentant neceſſitate compulſos, & ſalutis publicæ prouidos: *Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam, dixeruntque ad Samſon: Neſcis quod Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti?* Honeſtam ille excuſationem attulit; ſed addiderunt contribules: *Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Ratio Samſonis agere partes ſuadebat, tempus ſuadebat, tempus excutiendi infame iugum opportunam occaſionem adminiſtrabat, Iſraelitæ verò cùm ex alia parte Philiſthinis vitiorum imaginibus vellent obſequi, ex aliaque in contribulem fortiſſimum audere iniquum non dubitarent, neceſſitatis prætextu vincula iniiciunt, ſe coactos, inuitoſque exteriùs lamentantes, & interiùs vitiis animitus inſeruientes: Notauit ad rem ſatis Ambroſius: *viri de tribu Iuda tria millia ex ſuis congregantes aſcenderunt ad eum, & præfato quòd eſſent ſubditi Paleſthinorum, quibus ſibi neceſſitas obediendi, non ex arbitrio; ſed ex periculi formidine maneret, facti ſui* [illegible] *retorquebant in eos, qui ius cogendi habebant.* Si Samſoni adhærerent, indubiè triumphos reportarent; verùm

ne

180.

Seneca: Corpori indulgendum aliquando, ſeruiendum nunquam.

Ambroſ.

Digitized by Google

ne à voluptuoſa ſibi ſeruitute diſcederent, neceſſitatem opponebant, & ingens imminere incolumitatis, ſalutiſque periculum allegabant: hæ namque ſunt peccatorum technæ, ſibi ipſis imponunt, & neceſſitatem effingunt, quia voluptatem exambiunt.

281. Diabolus mulierem inuadens ad terram depreſſerat: illa incurua terrenis oculos depaſcebat, nec ad cœleſtia leuabat: *Ecce mulier, quæ habebat ſpiritũ infirmitatis annis decẽ & octo, & erat inclinata, nec omninò poterat ſurſum reſpicere*: quia nouerat veternoſus ſpiritus ab aliis corporibus citò depelli artem excogitauit, qua diutiùs in mulieris pectore viueret: infirmitatem credi fecit, quod erat nequitiæ, & mulier ad terrena incuruabatur, vt quæ corporis infirmitate grauaretur, nec eſſet Cœlum non reſpicere detrectantis; ſed infirmitatum pondere non potentis: longa ſpatia mulieris pectus fraudulentus inimicus poſſedit, dum putabatur corporis infirmitas, quod erat appetitionis peruerſitas: vt ſemper inhiaret terrenis, corporis allegabat languorem, & vitium mentiebatur debilitatem, ſicque protrahebatur inſania, dum rationalis corporis putabatur tutela. Hanc Dæmonis peruerſitatem miro ingenij acumine deprehendit Chryſol. ſerm. 105. *Ars nequiſſimi ſpiritus corporis neceſſitas credebatur, vt prædo callidus teneret captiuam dolo, quam tenere viribus non valebat*. Ni ad ſpeciem infirmitas Dæmoni patrocinaretur, mulier tot ſpatiis non incubaret terrenis: nam nota cupiditas ſtimulis depelleretur conſcientiæ; at dum corpori decenter videtur inſeruire, inuenitur plurimis ac ſuperfluis ſolicitudinibus onerari. Pœnitentiæ renuntiabat de corporis curtitate, ignorabat aſperum victum, ne corpori attuliſſet detrimentum: ergo dum eſſe creditur ægritudinis, quod erat doloſæ artis, diu eius pectus veternoſus inhabitauit ſpiritus, & contectus durauit dolus. Has imperfectorum fallacias ad virtutem mirè detorquent perfecti, & quod eſt auſteritatis, ſalutis ſtudio adſcribunt, de corporis tutela ſtudioſiùs inſeruiunt virtuti, & quod eſt virtutis, eſſe volunt neceſſitatis pio dolo & laudabili artificio.

Lucæ 13. v. 11.

Chryſol.

282. Amicus inopinè hoſpiti domum ingreſſo ſolicitat cœnam: non quæſiuit ab inopiâ excuſationem; ſed ad amicum tendens implere ſatagit charitatem: amicus tempus obiicit, familiam iam quieſcere allegat, clauſum opponit oſtium; verùm charitas omnia ſuſtinuit, & patienter deuorauit: inſtitit pulſans, & pulſatione cubantem inquietans; amicus panes exhibuit, vt ſomno poſſet indulgere, & pulſantis clamoribus liberari: *Si non dabit illi ſurgens, eò quòd amicus eius ſit propter improbitatem tamen eius ſurget, & dabit illi quotquot habet neceſſarios*. Chryſologus inquietari ſe voluiſſe teſtatur, lectulum iuxta ianuam collocaſſe, pulſanti geſtiuiſſe reſpondere, & qualiter neganti ſibi panes extorqueri poſſent, monſtraſſe. Chryſologum accipe ſerm. 39. *O quàm pulſanti iſte geſtiuit occurrere, qui ſic ſecreti ſui cubile ipſum collocauit ad ianuam! O quàm negare noluit, qui ſibi etiam neganti, qualiter extorqueretur, oſtendit*. Benè; ſed ſi dilargiri diſcupit, cur ad improbitatem petentis confugit, & ad quietem ſomni recurrit? Nonne ſatius lubenter dare, citò amici anxietatem depellere in liberalitatis elogium, & charitatis obſequium. Ita equidem virtutem oſtendere deſideranti; at non ita celare cupienti: dare voluit; ſed liberalis videri refugit: virtutis charitatiſque ardenter exercere cupiebat opera; ſed fugiebat humanos oculos de ſomni corporiſque tutela: ita dedit, vt videretur largitione conſuluiſſe ſomno, non amico; imò dediſſe, quò importunitatis clamoribus liber liberius poſſet otium curare, & placido ſomno indulgere. Audi Chryſologum: *Neceſſitatis eſſe ſua, quod ſua poteſtatis eſt, vult videri, parum eſt quòd facienti miſericordiam nox velabatur, quod largitatem dantis petentis obtegebat improbitas, niſi ad cumulum pietatis velandæ adſcriberetur & ſomnus: indicit in hac humanitate geminam neceſſitatis ſpeciem, petentis, & dormientis, vt illum petere hoſpes, dare compellat hunc ſomnus, vtpotè qui propterea ſe daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico; ſed recurrere videatur ad ſomnum, & vt ei magis dormire liceat, quàm dare libeat ſic petenti*. Ad ianuam collocauit cubile, vt ſurgens intermitteret quietem: dormientes pueros non exciuit deſiderans vigilare, & tamen piâ fraude de ſomni cura interrumpere curabat ſomnum, & commoditatis ſpecie cauſam agebat virtutis, ne minùs procuratum corporis commodum quàm voluptati, inſeruire videretur virtuti. Ergo vt corporis cura ad ſpeciem honeſta fert non ſemel ſuffragium palati deliciis ſuperfluo ſomno, & nimio commoditatis ſtudio, ita hic ſomnus extitit ſuffragator virtutis, & de commoditatis ſoliciudine officia texit charitatis. *Recurrere videtur ad ſomnum, vt ei magis dormire liceat, quàm dare libeat ſic petenti*. Cauſam virtutis ſolicitè agens ſomni tegebat ſtudio, & commodi deſiderio, vt ſit commoditatis, neceſſitatiſque colore flagrans tegeretur charitas, ſi neceſſitatis, infirmitatiſque mendacio operitur improbitas.

Lucæ 11. v. 8.

Chryſol.

§. LXVIII.

Sic Iudex omnem querelam ſubmoueat, vt nihil eius tribuatur odio; ſed cauſæ merito.

QVi perpetrare auſus eſt culpam, non ſemel queritur grauiorem ſibi impoſitam fuiſſe pœnam: quiſquis propriæ actionis eſt benignus interpres, & dum dolorem exaggerat impatientia, in Iudicem audax ſæpeſæpiùs deſæuit lingua: iniquis nititur reus ſuſpicionibus obſcurare, quem nequit tecruciatione ferire: Iudex iure legibúſque ſic munitus incedat, vt omnem iniquitati criminationem eripiat, omnibus conſtet reum delicto cauſæ adurgeri, non degeneribus affectibus affligi. *Periclitamur, fateor*, aiebat Caſſiod. 12. var. 1. *in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis: quod nulli accidit veſtrum, alienum vitium noſtrum celebratur opprobrium: ſuſtinemus tales caſus, quales nos in alios vindicare non poſſumus, & lex qua fruuntur cuncti, in nobis non poteſt cuſtodiri*. Alienum vitium in Iudicis verti ſolet opprobrium, dum qui lege conſtringitur aut illatam pœnam exaggerat, aut amaram intentionem pronuntiat: ipſi rei, contra quos profertur ſententia, latam ſententiam diiudicant, & quod illorum eſt ſceleribus applicandum, malignitati Iudicis adnituntur audaci lingua adſcribendum, ſicque aliquando alienum delictum ad iuſtè punientis immeritò tranſiuit opprobrium; audax procacia Iudicem ardet ſugillare, vt dum 283.

Caſſiod.

Alienum vitium in Iudicis verti ſolet opprobrium.

Digitized by Google

creditur tranſgreſſus intra leuior delicti habeatur offenſa. Ob id ſummo ſtudio ſuperioribus ac iudicibus curandum eſt, ſic obuiare querelis, vt reorum maledicis impatientiáque inflammatis nec colorate feriri quiuerit linguis. Tribus Iuda Samſonem ligare contendit, pronuntiat tamen priùs eius ad ſpeciem culpam, vt inuidioſam à ſe repellat querelam: *Dixerunt ad Samſon: Neſcis quod Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti?* Ne minùs legitimo affectu putarentur inſurgere, ipſi Samſoni audacter facta obiecerunt omnem declinantes inuidiam, & vel ligati anteuertentes querelam: *Præmiſerunt,* inquit Abulenſ. q. 22. *culpam eius, vt ipſe intelligeret quod iuſtè tradendus erat in manibus Philiſthinorum, & vt cognoſceret quod Iuda iuſtè mouebantur contra eum.* Omnibus notum eſſe voluerunt nullâ ſe paſſione adulterata moueri; ſed legitimâ ipſum causâ ligare. Ad hæc antequam ligaminibus premerent, ratione allata eius audaciam ipſi notam facere procurarunt: quia, vt benè datus Caſſiodor. *plus agit inculcator rationis, quàm poſſet exercitus terribilis.* Ratione priùs vincire, & poſteà vinculis conati ſunt illigare, vt conſtaret omnibus vinculum conſulente lege iniectum non indignis affectionibus procuratum.

Abulenſ.

284. Cœleſtis æquitas, Numinis incorrupta iuſtitia nec deprauari poteſt affectione degeneri, nec corrumpi eloquenti munerum arte; nihilominus tamen, vt humana ſubſellia inſtruat, vt ſuperiores edoceat, ſententiam dicturus iudicium ipſe quodammodò ſubit, & antequam in reos dignè deſæuiat, cauſæ meritum nulla affectione exaggeratum; ſed ex ſe punitione inferenda dignum demonſtrat: *Nunc ergo habitatores Ieruſalem, & viri Iuda iudicate inter me, & vineam meam: Quid eſt, quod debui vltra facere vineæ meæ, & non feci ei? An quod expectaui vt faceret vuas, & fecit labruſcas?* Vt omnem malignitatis iniquam ſuſpicionem depellat, vt linguam iniquitati prouidenter occludat indultum patientiæ ſpatium, & culturæ oſtendit adhibitum beneficium: ergo iam omni næuo malignæ ſuſpicionis exemptus, omni linguacitatis temeritate prouida cautione extractus ſententiam dicit: *Et nunc oſtendam vobis quid ego faciam vineæ meæ: auferam ſepem eius, & erit in direptionem, diruam maceriam eius, & erit in conculcationem. Et ponam eam deſertam: non putabitur, & non fodietur, & aſcendent vepres & ſpinæ, & nubibus mandabo, ne pluant ſuper eam imbrem: vinea enim Domini exercituum domus Iſraël eſt.* Examinata ſtudioſè cauſa, explorata accuratè merita ferendum commendauere iudicium, & iudex ipſe ne quid affectioni tribueretur, ab ipſis reis ſolicitauit reſponſum: *Quaſi dicat,* ſcribit gloſſa moralis: *Nihil omiſi de pertinentibus ad eius fructificationem; ſed ipſa defecit ſibi:* Conſonat eodem modo Lyra: *Hoc dicit inducendo populum ad conſiderationem prædictorum beneficiorum: quaſi dicat Nihil defuit ex parte mea, quin deberet facere optima opera & fecit peſſima: hic conſequenter deſcribitur rectitudo diuini iudicij.* Qui duris flagellis vapulat, qui graui ſententia mulctatus luget, mutuari ſolet ſolatium à iudicis dehoneſtatione, allegat maleuolentiam, contrariæ parti factam querulus infamat gratiam: ergo æquiſſimus iudex, vt quidquid reus ſubierit, cauſæ meritis adſcribatur, ipſius ſententiæ iudicium vel ante ſententiam nullatenus ſubire renititur. Adde tunc præcipuè oportere iudicem omni ſuſpicione purgari, cùm ad

Iſai. 5. v. 3.

Gloſſa.

Lyra.

ipſum perpetrata ſpectarit iniuria, aut pertinere poſſit offenſa: tunc námque, etſi omni paſſione immunis feratur ſententia, ſuſpicax improborum malignitas de vindictæ ardore æquum abrodit iudicium, & quid acerbitatis addidiſſe putat affectum: ergo tunc iudex, ſuperiorque ſtudioſiùs ac ſoliciriùs omnem ſubmouebit querelam, & vel audaciſſimam frænabit linguam: nequit iudex præcipitem temeritatis frænare auſum; ſic tamen in ſententiæ dictione procedet, vt colorare lingua nequiuerit probrum.

Chriſtus Dominus vineæ parabolam inducens 285.
eam oſtendit accuratè plantatam, forti vallo præmunitam, torculari ornatam, & excelſa turri ad inſidias præuidendas & propulſandas inſtructam: hæc locata eſt agricolis & auaris & ingratiſſimis, qui, non contenti vites nimia cupiditate perdere, fructus profundere, in eam audaciam prolapſi ſunt, vt delegatis à Domino ſeruis pro accipiendis fructibus iniuriarum ſolùm copiam obtulerint, & exhibendos reditus denegarint: *Alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt.* Grauibus adeo offenſis patientia exulcerata non eſt; imò miſit alios ſeruos nulla de acceptis iniuriis mentione facta, malens quid ſuæ auctoritati detrahere, quàm agricolas iam de perpetratis facinoribus ad omnem temeritatem obarmatos acuere. *Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter.* Cum tolerantia altercabatur iniuria; verùm patientia miſericordiæ mater reſipiſcendi tempus homicidis impetrauit, & beneficiis nouis adurſit: filium miſit hæredem; verùm qui debuiſſent vereri primogenitum, cupiditate inſanierunt ad homicidium: *Eiecerunt extra vineam & occiderunt:* His patratis ipſos reos, quid faciendum rogat, & ipſi ſententiam dictant: *Aiunt illi: malos malè perdet, & vineam ſuam locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum temporibus ſuis.* Subſcripſit iudex reorum placito, delinquentium annuit iudicio; imò ipſam ab eis fulminatam ſententiam anguſtauit, & dementer imminuit: *Ideo dico vobis quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius.* Duo expendenda occurrunt: primum, cur ſine reorum conſultatione non proferatur ſententia, quando ſic iudicem exulcerauit iniuria: ſecundum ſi cenſent ipſi agricolas malè perdendos, aliiſque tradendam vineam, cur iudex ſolum ait: *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus eius,* illud omittens: *Malos malè perdet?* O ſapientiam immortalem! vineæ Dominus erat etiam iudex: ergo cum illatæ iniuriæ non alios tangerent; ſed ad ipſum pertinerent, ab ipſis reis fulminari voluit ſententiam; imò illam anguſtauit, ne eorum quis dum pœnas luit cauſari poſſit iudicis indignationem iniuriamque ſuffragium ſeueritati attuliſſe, & reos vltra cauſæ merita condemnaſſe. Opportunè Hieronymus apud D. Thomam: *Interrogat quidem eos Dominus, non quod ignoret quid reſponſuri ſunt; ſed vt propria reſponſione damnentur.* Annuit ibi Chryſoſtomus: *Quod verum reſponderunt, non eſt illorum, qui iuſtè iudicauerunt; ſed ipſius cauſæ; veritas enim ipſis violentiam fecit.* Ea erat cauſa, vt ipſis reis committi potuerit ſententia: ſibi indulgere diſcupiebant; ſed ipſa veritate, cauſæque enormitate compulſi æquiſſimam ſententiam dictabant: ergo Dominus eorum ſubſcripſit iudicio; imò quid ad ſpeciem detraxit, & quia ad iudicem pertinebat of-

Matth. 21. v. 35.

Hieron.

Chryſoſt.

fenſa

Digitized by Google

fenſa, omnem malignitati obmurmurandi occaſionem prouidenter præcluſit: licèt Dominus eandem protuliſſet ſententiam, fors temeritas malignitatis comes iniquis ſuſpicionibus infamaſſet, & iudici vti parti linguas detraxiſſet. Ergo rei ſententiam proferant, & pœnam ipſe iudex imminuat, vt ſic ab omnis ſuſpicionis, labe libera eius eluceat iuſtitia, & illatum ſupplicium ipſa defenderit cauſa.

---

§. LXIX.

Nonnulli, vt amico adulentur cupiditate deliro, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio.

186. HVmanum eſt variis cupiditatum fluctibus abduci, & violentis affectionum vorticibus rapi: voluptas, dum rationem circumſcribit, aliquem excuſationis colorem errori affert: inexcuſatè peccat, qui vt alter voluptatibus fruatur, vſque ad vile miniſterium degenerat, & veluti vitiorum proxeneta ſcelerum occaſiones concinnat; *Non eſt committendum*, aiebat Panæcius apud Stoicum epiſt. 116. *vt incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi.* Seneca. Viliſſimum eſt alteri emancipari ad improbi deſiderij effectum procurandum, & ſtudium iniquiſſimum promouendum. Qui ſibi voluptatis occaſionem parat, eſt improbus, qui procurat alteri, ſordidus & viliſſimus. Paleſthini delectum cogunt, vt Samſonem premant vinculis, mulctent ſuppliciis: vt nouerunt Paleſthinorum ſtudium de nobiliſſima Iuda tribu exorti, ſe obtulerunt huius deſiderij miniſtros: *Deſcenderunt ergo tria millia virorum de Iuda ad ſpecum ſilicis Etam, dixeruntque ad Samſon: Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti Quibus ille ait: Sicut fecerunt mihi, ſic feci eis. Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Præ ipſa morte acerbius Samſoni fuit contribulos ſuos à regia ſic nobilitate deſciſcere, vt non detractarint vile circitorum miniſterium, vt Philiſthinorum expleuerint votum. Philiſthinos diſpendio commotos in Samſonem armari indignatio perſuadebat; at homines alioqui ingenuos ſe ſpontè offerre, & alienis cupiditatibus viliſſimo miniſterio inſeruire erat indigniſſima deiectio, ſordidiſſimáque adulatio. Quod ore eleganti Ambroſij iam dati ſic ſuis Samſon exprobrauit: *Tantumne inclinatis animos ad turpe vernularum obſequium, vt executores vos alienæ præbeatis inſolentiæ?* Ambroſ. Addit: *Si non licuit mihi viuere ſine eorum fraude, ſaltem liceat mori ſine meorum ſcelere.* Non adeò grauem mors illi dolorem attuliſſet, ac pepererunt ſui miniſterio indigniſſimo mancipati, & indigna adulatione aliorum ſtudiis concinnandis addicti. *Videte*, addit Ambroſ. *quo vos miniſterio dignos putant.* Ac ſi dicat: Meliorem de me, quàm de vobis opinionem habuerunt, vel cùm mihi tentant necem: me enim vti fortem verentur virum; vos tamen ad viliſſimum vernularum deiecerunt miniſterium: illi ſibi indulgent, vos illis: illi, etſi cæci propriam agunt cauſam; vos vti abiectiſſimi, & indignam & alienam.

187. Dæmon inuidentiæ flammis exæſtuans hominem de paradiſo tentat deiicere, & fœminam venenato alloquio peruertere, vtque inſanam ſuam cupiditatem promoueat, ſerpente vti inſtrumento vſus eſt: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus, qui dixit ad mulierem.* Geneſ. 3. v. 1. Dominus facinus vindicaturus aduentat, & ſerpentem viliſſimum, & inter omnia animantia execrandum pronuntiat: *Ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* Inquires, cur in facti auctorem Iudex æquiſſimus ſententiam non pronuntiet, & ſerpentem execrationibus oneret? Deliquit ſerpens; ſed dæmon etiam deliquit: ergo grauior mulcta auctorem preſſerit, quàm miniſtrum. Certè tam artifex doli, quàm ſerpens in virtutem militarunt; eo tamen diſcrimine, vt ſerpens turpiſſimâ dæmoni obſecundarit ſeruiture, dæmon verò ardentiſſima furat æmulatione. Huc voco Chryſol. ſerm. 105. *Malis voluntatibus obſecundat, vt ſit miniſter ſcelerum, criminum leno, paraſitus ipſe vitiorum.* Chryſol. Adnectit: *Sic mendacio decepit Euam.* Peruerſitatis eſt vitiis inhiare, alienis verò cupiditatibus, vilitatis eſt inſeruire: non poterat non turpiter adrepere ſerpens turpi facinori inſeruiens, & alterius cupiditatibus obſecundans. Homines videas ſuæ auctoritati timidè conſulentes, & ingenuitatem opportunè, & importunè iactantes, & tamen vt amici obſecundarint delirio, non recuſabunt indigniſſimo ſordeſcere miniſterio: vitiorum erunt lenones, occaſionum artifices, & quicquid honori, grauitatique notam infert, cæcis pertranſibunt oculis, vt inſanis materiam ſuggerant deſideriis. Iam ſi ad virtutem, ad alterius depellendam cæcitatem oporteat tantillum auctoritati, aut grauitati ad ſpeciem detrahere, detrectabunt tumidi, & dedignantur ſuperbi.

Viator incautus impias prædonum manus incurrit: latitabant illi à Ieruſalem deſcendentem expectantes, vt copioſo diſpoliarent auro, & audaci percuterent ferro: *Incidit in latrones, qui etiam diſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt ſemiuiuo relicto.* 188. Lucæ 10. v. 30. Non ait, qui diſpoliauerunt eum, & plagis etiam impoſitis abierunt; ſed è contrà, qui etiam diſpoliauerunt eum: & quidem dum illa particula *etiam* infelicitati vim addit, hominem plus doluiſſe de auri amiſſione, quàm de ſalutis videtur intueri: iacebat animam agens miſerè abiectus, & altiſſimis plagis confoſſus, & quamuis Sacerdos illac iter ageret, & miſeram ſtragem vidiſſet, dedignatus eſt equo deſilire, & Chirurgi munus exercere: *Accidit autem vt Sacerdos quidam deſcenderet eadem viâ, & viſo illo præteriuit.* Sacerdotis exemplum & Leuita ſecutus eſt: maluit ſuperioris inhærere veſtigio, quàm miſeri ſubuenire lamento: & fortaſſis Leuita, dum Sacerdote probatur inferior, miſerum pertranſiuit tumidior: *Similiter & Leuita, cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.* Commiſerationem humana conſulebat natura; tumens verò conſilium deſpexit ſuperbia, & ne munus Sacerdos Leuitáque à maieſtate & ſplendore dignitatis ad ſpeciem exercerent alienum, impietatis deuorare maluerunt probrum. Samaritanus miſericordiâ motus vulnera ligauit, ægrum iumento impoſitum ad ſtabulum pedes duxit: *Samaritanus autem quidam iter faciens venit ſecus eum; & videns eum miſericordia motus eſt, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam eius egit.* Auguſt. D. Auguſt. in catena D. Thomæ Samaritanum retuliſſe Chriſtum exiſtimat;

ſtimat: *In Samaritano ſe voluit intelligi Dominus noſter Ieſus Chriſtus.* Patrata miracula Chriſti diuinitatem euulgabant, eximiámque virtutem clariſſimè depromebant; verùm cæca reſiſtebat aduerſariorum æmulatio, & malitiæ tenebris clariſſimam miraculorum lucem obſcurare ſolicitabat ambitio: ergo vt iniquitati Dominus linguam occluderet, ſuámque virtutem dilucidè oſtenderet, Samaritanum egit, & alligare vulnera, peditem incedere, ægro obſecundare, nullatenus detrectauit Chirurgi munus egit, vt miſero ſubueniret; at Leuita & Sacerdos dedignati ſunt de ſuperbiæ tumore eo miniſterio maieſtatem ſuam depretiare; quaſi de humili ſeruitio ſordeſceret dignitas, & denegaretur auctoritas. Redeat iterum Auguſtin.
Auguſt. *Tranſiens Sacerdos, vtique genere proximus preteriit iacentem: tranſiit Leuita, & hic genere proximus, iacentem & ipſe contempſit*: inſeruire iacenti, miniſtrare confeſſo vile Leuita reputauit miniſterium, qui fortè ſolicitum, vt potentis adularetur cupiditatibus, affectaret ſtudium. Non dedignantur ingenui lenonum deteſtabile miniſterium, humile ad pietatem auerſabuntur officium.

189. Populus idololatriæ libidine furens vitulum ſibi conflari exambit, & ad Aaronem accurrit; ille non recuſauit potentium obſecundare deliriis.
Exod. 32. v. 2. *Dixit ad eos Aaron: Tollite inaures aureas de vxorum filiorúmque, & filiarum veſtrarum auribus & afferte ad me.* Quàm expromptè paruerunt, & Aaron Summus Sacerdos dignitate conſpicuus, auctoritate præcelſus opificis munus exercet; ad conflatorium non detrectat accedere, nec ſordido fumo infici: *Quas cùm ille accepiſſet, formauit opere fuſorio, & fecit ex eis vitulum conflatilem.* Mira res, nec obſcurum fornacis detrectat halitum, nec tanta maieſtate indignum refugit miniſterium; imò vt potentium cupiditati obſecundet, ſe deiicit vſque ad artificis opera, & argentariorum officia. Tranſi modo cogitatione ad illam populi calamitatem, cùm ſerpentinis linguis dilaceratus peribat: opus fuit æneum ſerpentem conſtruere, & de conſtructione populo laboranti auxiliari. Quid tunc? Moyſi opus iniungitur. Aaroni non demandatur:
Num. 21. v. 8. *Orauit Moyſes pro populo: & locutus eſt Dominus ad eum: Fac ſerpentem æneum & pone eum pro ſigno. Qui percuſſus aſpexerit eum, viuet.* Plura nobis locus hic expendenda miniſtrat: nonne ſatius opus Aaroni iniungere, vt operas in conflando vitulo malè poſitas, in conſtruendo ſerpente benè collocatis operis compenſaret? Si Moyſes
Exod. 7. v. 1. Dei titulo fulget: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis*, ad humile adeò miniſterium non deprimatur: Aaron etſi ſacerdotalibus reſplendeat infulis limites non excedit humani: ergo opifex fit ſerpentis, ſi vituli extiterat artifex. O profundam nobis eruditionem! Serpens erat infirmorum medela, vitulus potentiorum inſania: ergo vt obſecundaris potentibus vſque ad conflationis miniſterium ſe deiiciet; at in ſalutis miſerorum auxilium munus ſubire artificis detrectabit: Moyſes, vt qui Dei figuram gerat, ſerpentem conſtruet, Aaron vitulum ſolummodò fabricabit: *Si notaueris verbum fecit*, ſcribit Caiet. ad Exod. 32. *per-*
Caiet. *pendes quòd ex induſtriâ Aaron fecit figuram vituli* Qui fabricandi vitulum artem non didicerat, placendi deſiderio inuenitur induſtrius, ad efformandum verò ſerpentem inueniretur ineptus: pollent namque homines ad vitium ingenij viuacitate, ad virtutem obbruteſcunt hebetudine. Itaque Aaron ad vitulum non reſpuit opus exercere à dignitate prorſus alienum, ad ſerpentem dignitatis allegaret faſtigium.

§. LXX.

Si potentia, ratióque altercentur, non ſemel Iudex, vt aduletur magnatibus, infirmioris obſurdeſcit rationibus.

APud homines faſtus & potentia ſui iuris 190.
ſunt: in magnatibus manifeſta crimina dilaudantur; in abiectis virtutes etiam puniuntur. *Manifeſta*, de magnate aiebat Theodor. I. var. 9. *proinde crimina talibus vix capiunt fidem.* A pro- Caſſiod.
ceribus perpetrari delictum oculis hauritur, nec creditur; iuri conſentanea ſunt illorum non ſolùm vota; ſed delicia: quia ius ad illorum placitum diſtorquetur, & violentis gloſſis corrumpitur. Quidquid pauperes inferioréſque opponunt, auditu habetur indignum, ſi potentiæ exiſtimetur aduerſum. Tanta eſt potentiæ vis, vt aliquando ei obſequens affectet iudex ignorantiam in occaſionem, aut conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrúmque. Loco legis imperat potentia, & gemit delicti rea ſemper inopia: potentis aduerſarium aliquando iudex interrogat; non expectat tamen rationem audire, aut ſi audit contemnit: exequendum eſt quidquid magnus voluerit, quantumvis ratio reclamauerit, & pro interpellato ius fuerit. Cùm ob acceptam à Samſone cladem armati Philiſthini ad Iudæ ditionem acceſſiſſent; timore perculſi inopini aduentus cauſam ſuſcitantur: *Cur aſcendiſtis aduerſum nos? Vt ligemus Samſon, venimus*, reſponderunt, *& reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.* Cauſâ cognitâ, vt Philiſthinorum votis adularentur: eam ſibi aſſumpſerunt prouinciam, & Philiſthinorum egerunt cauſam: Samſonem adeunt, eique exprobrant, quod Philiſthinis adeò potentibus cladem intulerit: *Dixerunt ad Samſon: Neſcis quod Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti? Quibus ille ait: ſicut fecerunt mihi, ſic feci eis*: Quid tunc? *Ligare*, inquiunt, *te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Si rogatus illati diſpendij cauſam, pro ſe attulit Samſon acceptam immeritò iniuriam, ablatam dolo vxorem cur non demutant ſententiam; ſed vinculis premunt iuſtitiam? ſi cauſam ſciſcitantur, cur pro ſe à Samſone attendunt allata, ſed iniiciunt ſurdi vincula? Quia Philiſthini dominio ſplendeſcebant quia diuitiarum copia, & poteſtate micabant. Ergo rogarunt iudicium vmbratile exercentes & rationis deſpectu Philiſthinis adulantes: *Neſcis*, inquiunt, *quòd Philiſthiim imperent nobis?* Illatæ cladis iuſtiſſimam occaſionem nouerunt; non tamen propoſitum demutarunt: nil Samſonis leuauit cauſam, quia Iſraëlitæ Philiſthinorum metuebant potentiam, verebantúrque inflammare, ſi Samſonem non ligauerint, iram. Samſonis nomine ſic Ambroſ. *Tentata domus, ſolicita vxor:* Ambroſ.
ſi non licuit mihi viuere ſine eorum fraude, ſaltem liceat mori ſine meorum ſcelere: retuli ego acceptam iniuriam, non intuli: vos æſtimate, an digna viciſſitudo fuerit: illi de damno fructuum queruntur ego de coniugis amiſſione. Conferte manipulos meſſis & ſociam tori. Dolorem meum ipſi probauerunt, cuius iniurias vindicauerunt. Videte quo vos miniſterio

ſterio

Digitized by Google

niſterio dignos putant. A vobis eum morte affici volunt, quem ipſi vltione dignum de iis, qui me laſerant, [illegible]licauerunt, & qui vindictæ prabuere miniſterium. Sed ſi adeò ſubdita ſuperbis colla geritis, tradite me hoſtium manibus. Euidentes allegabat rationes, quibus defenderet factum; verùm poſt omnes allegationes manus præbuit, & vinculorum nexus ſuſtinuit: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etham.* De aliena potentia reus duris vinciebatur catenis, qui de proprio facto æternis merebatur celebrari præconiis. Rogatus cur Philiſthinos mulctaſſet, iniuriam non attuliſſe; ſed acceptam retuliſſe reſpondit; ſed quamvis iniuria prouocatur honorem defenderit, illum tamen vinculis premunt, & potentibus tradendum aduerſariis adducunt, non rogabant, vt rationem pro ſe allatam expenderent; ſed vt Philiſthinis adulantes honeſtè factum exprobratione damnarent. Si potens cum plebeio altercetur, in potentioris gratiam inualidi occluditur lingua, & deterior ſemper eſt cauſa. Quidquid pro ſe allegauerit, vertitur crimini, & militat damnationi.

191. Habacuc laceratas leges, adulteratum iudicium, & pauperem lamentatur oppreſſum: *Factum eſt iudicium, & contradictio potentior: propter hoc lacerata eſt lex; & non peruenit vſque ad finem iudicium: quia impius praualet aduerſus iuſtum propterea egreditur iudicium peruerſum.* De Chaldæis prophetam loqui nulli dubium; ad mores autẽ adaptans Hieronymus exiſtimat iudicium ad finem non peruenire: quia Iudex vt potenti faueat debilioris cauſam in auditis aut contemptis eius allegationibus ſententia acerba, & immatura condemnat: diues de potentiæ diuitiarúmque peculiari iure patronas ſortitur leges, quibus iuſtitia gemit opppreſſa, & ſententia pro diuite tempus anticipat abortiua: iuſtitia, æquitáſque imbecillis potentioris calumniæ cedit, & aurum infelici victoria vincit. Audi ad hunc locum Hieron. *Communis ad Deum querela Sanctorum eſt, quare contra eos iniuſtum iudicium fiat, & innoxium in perſecutionibus ſanguinem fundant; at ſi quando ante tribunal ſteterint iudicum ſæcularium, iudex acceptis muneribus condemnet inſontem, & reum liberet: quod quidem non ſolùm de iudicibus ſæculi; ſed interdum de Eccleſiarum quoque Principibus dici poteſt, quod propter munera lacerent legem, & non perducant vſque ad finem iudicium.* Digna notatu ſubiicit: *Et impius praualet aduerſus iuſtum, & magis in iudicio peccatum diuitis, quàm pauperis veritas defendatur.* Lex iudiciúmque æquitatis tutelares æquitatem expugnant adulatione corrupta, aut metu diſtorta: ipſo laboratur remedio: quia quantumvis pauperis reclamet æquitas contemnitur, & potentioris doloſitas exauditur.

Habac. 1. v. 3.

Hieron.

191. Redeat iterum idem Habacus eleganti metaphora quas pauperes ſuſtineat iniuſtitias, declarans: *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter iuncturas ædificiorum eſt, reſpondebit.* Introducit propheta lapides de pauperis domo renitentes auulſos, & ad ſuperbas potentiorum fabricas, & inſanas ſubſtructiones tranſlatos exertis clamoribus iudicum aures verberare, nec tamen obturatis induſtriè auribus exaudiri. Clamat lapis ſudore, & ſtudio artificis perueniſſe ad cælaturæ nitorem, lignum expolitum ſe diuturnis fabri vigiliis conteſtatur; ſed ſurdis clamant auribus, & ſurdioribus affectibus. Itaque ad potentium extruendas ſiue exornandas domus aliqua adducuntur, in quibus artificis manus inremunerata queritur, & clariſſimũ alieni iuris teſtimonium conſpicitur; verùm etſi conſtet de rapina, & iniuſtitia ſit nota, nullus audet in diuitẽ; ſed obſurdeſcit ad æquitatis clamorem. *Hoc verbũ mihi perſuadet*, ſcribit noſter Sanctius inter noſtri æui ſcripturæ interpretes nulli ſecũdus, *non tam hoc eſſe lapidum lignorúmque teſtimonium, quàm accuſationem: clamabit enim lapis, ac dicet: Ego fui olim in illa vel in illa domo alieno labore, atque impendiis excultus; nunc verò huc tranſlatus ſum, & raptoris hominis oculis, atque vſibus inſeruio. Reſpondebit huic lignum, & accuſatione conſentiente dicet: Et ego in alia domo quondam poſitum fui, & huc à violento prædatore tranſportatus ſum.* Lapis lignúmque iudices conteſtantur, concordíque teſtimonio de iniuſtitia diuites appellant, deſtructæ pauperis domus violentam manifeſtè vociferantur ruinam, nullo tamen præter raucedinem fructu. Si applicares aures ad ligna lapidéſque aliquarum ſubſtructionum inſanè aſſurgentium, & admirationem ſibi ſplendore conciliantium, audires de rapinis conqueri, de violentiis ingemiſcere, quin lex vnicum pauperum præſidium opem illis ferat, aut in diuites audeat. Adſpice quantis in foro moris cum diuitibus contendentes vexentur, quantis dolis circumueniantur, quàm occupatas iudicum inueniant aures, quàm lentos miniſtrorum pedes: omnia profugia occluſit potentia, & auri vel publicam fidem aliquando peruertit copia. *Lapis de pariete clamabit*, redeat iterùm vbi ſuprà Hieron. *Querimonia eſt iudicium exire peruerſum.* Peruerſum exit iudicium, dum lapidum clamores deſpicit, & ſententiam pro diuitibus profert.

Habac. 2. v. 10.

Sanctius.

De primatu Iacob & Eſau contendebant! Rebecca vt impleret oraculum, Iacob veſtibus maioris exornauit; & pio dolo præripere benedictionem aduerſit: *Veſtibus Eſau valdè bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum.* A ſe ipſa diſſidere videtur, dum in Iacobo ornando immoratur: ſi opus eſt anteuertere fratris reditum, pium acceleret dolum, ne mora faciat periculum: imò vt auertat periculum, ſplendidum in auxilium aſciſcit ornatum. Iacobo iure benedictio debetur: ſed contendit cum maiore ergo ni eius perſonam induat, ſeque diuitem ornatu oſtendat, benedictionem non aſſequetur; ſed fors maledictione mulctabitur. Et quidem patrem non tam attendiſſe ad cauſam, quàm ad veſtimentorum fragrantiam, diuitiarumque copiam, ſcripturã non tacuit: *Statim vt ſenſit veſtimentorum illius fragrantiam, benedicens illi ait: Ecce odor filij mei, ſicut odor agri pleni.* Opem tulerunt meritis veſtimenta, agrique abundantia: non dixit: Ecce odor filij mei, quaſi benemeriti, & digni; ſed quaſi pleni vicit iuſtitia; ſed induta diuitis perſonam, aliter iniquam forſan ſubitura ſententiam: *Quis eſt in iſta benedictione percipienda dolus hominis ſine dolo?* inquit Auguſt. apud gloſſam: *Quis eſt dolus ſimplicis quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis?* Myſterium latuit in benedictione percipienda: quia dum dignus diuitem referens vicit, innotuit non rarò, ſi maior minórque iudicio contenderint, non attendi meritum; ſed ornatum, non cauſam, ſed copiam. 193.

Geneſ. 27. v. 15.

Auguſt.

§. LXXI.

§. LXXI.

Bonus ſuperior eliget ſubire incommoda, ne ſubiectos miſera premat ruina.

294. Tertullian. *PReſident probati*, aiebat Tertull. in Apolog. cap. 39. *quique ſe mores honorem iſtum non pretio, ſed teſtimonio adepti.* Cum pretio nulla res Dei conſtet, qui pecunia pretióvè munus emerunt, ſubiectorum diſpendio erogatum inſtaurarunt: teſtimonio virtutis, vitæ ſuffragio aliis præſidens ſibi quodammodò deficit, vt à ſuis arceat culpas, & amoueat miſerias: qui nimiùm ſuo honori conſulit, qui ſplendorem dignitatis in ſubiecti ſubſidium innubilare renuit, veri paſtoris formam non ſequitur; ſed ſuperbiam ſæculi munus adulterans imitatur: nouit Deus ſuæ aliquando dominationis ſplendori detrahere, quo ſubiectos vitet perire. Expendebat ingenioſè Tertull. lib. de patient cap. 2. *Suſtinet ingratiſſimas nationes; vt ſit ſibi patientiâ detrahat: plures enim Dominum idcirco non credunt: quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Si frequentiùs ſæculo iraſceretur, ſi diluuij vorticibus omnem genituram deleret, nulla hominibus eſſet de maieſtate quæſtio; maluit tamen dominationi patientia ſua detrahere, quàm nationes erroribus cæcas, libidine vitiorum delitas prorſus atterere, & penitùs demoliri: elegit Dominus apud inſanos non credi quàm ſuorum detrimento titulum honoris fulcire: *Dominum non credunt, quia ſæculo iratum tamdiu neſciunt.* Samſon fortitudinis non ſolùm elogium; ſed & miraculum in Etam degebat, eius ſubditi hoſtium ferociam formidantes, & ſibi improuidè prouidentes aggrediuntur vinculis illigare: *Dixerunt ad Samſon: Neſcis quòd Philiſthiim imperent nobis? Quare hoc facere voluiſti? Ligare inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Si manus vinculis inſerat, inuictæ fortitudini ad ſpeciem derogat: ſi catenarum recuſet probrum, in ſuorum cedet diſpendium: quid ergo? Qui Chriſti imaginem præferebat, maluit ad tempus ſibi deeſſe, quàm ſuos miſeras ærumnas ſubire: libenter obtulit manus, de tolerantia ſumptuoſiùs fortitudinem ſuam commendans, & ſe ſuorum vtilitatibus dicans: *Si formidine ceditis inſolentibus*, ſcribit eius nomine datus Ambroſius, *alligate vinculis manus, inermes licèt inuenient ſibi arma, vobis ſoluta.* Ambroſ. Vel dum à ſuis accipit iniuriam, ſolicitat eis victoriam,& quas ipſi in hoſtium obſequium duris manus illigauere catenis, ipſe ligantes eximiis coronare niſus eſt triumphis: non reſpuit robori ſuo ad ſpeciem detrahere, vt illis poſſet conſulere.

295. Chriſtus naſcitur ſæculorum origo, rex regum, & dominus dominantium; verùm Herodes morum corruptor, & regni inuaſor, vt accepit à Magis Hebræorum Principem recens natum, & inſanit, & gliſcit, & furit: Dominus in Ægyptum inuolat ſpecie timens, reuera tyranno conſulens: *Accipe puerum & matrem eius*, monet Ioſephum Angelus, *& fuge in Ægyptum.* Matth. 2. v. 13. Chryſologus quo ſolet acumine Deum fugiſſe demiratur ſerm. 151. *Si refugium fugit, ſi timet virtus, ſi præſidium migrat, quæ vita, quæ ſpes, quæ ſecuritas, quod munimen?* Chryſol. Certè cum Dominus refugium factus ſit nobis, cùm Deus noſter & virtus ſit & profugium, dum fugit, linguacibus materiam obmurmurandi miniſtrat, virtutémque ſuam, ſi fas eſt, dicere, infamat. Ergo in acie perſtet, de gerulæ dorſo hoſtem deſignaturus, nec terga vertat audaci linguarum temeritate carpendus. Imò fugâ principatum exornat, & charitatem commendat: ni infans fugeret, plura nobis commoda diſperirent: ergo maluit ſuorum vtilitati prouidere fugiendo, quàm vires ſuas oſtentare militando: hoſtem ſubigere eſſet eximium fortitudinis argumentum, erat fugere ingens ſubditorum commodum: ergo ſe quodammodò neſciuit fortem, vt luculentiùs impleuerit Principem. Chryſologum accipe: *Venerat introducere ad fidem gentes, venerat eligere Apoſtolos Doctores orbis, eóſque cæleſtibus implere doctrinis, munire virtutibus, armare ſignis, vt ſignis edomarent feros; ſanarent virtutibus infirmos, doctrinis dociles edocerent; & ad ſummum venerat mortem perdere moriendo penetrando inferna diſſoluere, reſurgendo ſepulchra reſerare, aſcendendo ad Cœlos cæleſtibus donare terrenos.* Chryſol. Perpende quæ adiicit: *Omnia hæc vtique periiſſent nobis, ſi Chriſtus cùm eſſet in cunabulis non fugiſſet.* Deuitata fugâ fortitudo triumphis coronata ſplendere;ſed ſalus hominis diſperiret: ergo maluit Summus Princeps, ſuperiorum idea politiæ cœleſtis norma tantiſper fugæ iniuriam tolerare,quàm ſuorum detrimento fulgere.

296. Chriſtus Dominus in Thaboris vertice mirum ſpectaculum edidit: è Chriſti facie radij promicabant, qui ſolares longè vincerent: Petrus mirâ viſione oblectatus ibi ſtationem figere peroptabat: *Domine, bonum eſt nos hic eſſe: ſi vis faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Matth. 17. v. 4. Reſplendens cœleſtis accentus è nube partus Petri verba impediuit, & Chriſti Domini verba ſitientibus percipere auribus adſtantes edocuit: *Adhuc eo loquente ecce nubes lucida obumbrauit eos, & ecce vox de nube dicens: Hic eſt filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui, ipſum audite:* Sermo Petrum oſtendebat humanum, Chriſtum Dei Filium: ſtudioſè attendit Petrus quid ſibi bonum: *Bonum eſt nos hîc eſſe*, quin curaret an eius celſitudo ſubiectorum fulciretur detrimento: ſuſpirans dignitatum cacumina hominum oblitus eſt damna: Chriſtus verò è contrà altitudinis diſpendio, lucis ad tempus diuortio ſuis conſulebat, malens ab eis calamitatem auertere, quàm luminibus vertice ſcintillare: ergo ſi vultis, inquit cœleſtis vox internoſcere humani diuinique ſuperioris ingenium, Chriſti ſermonem cum ſermone Petri conferte, videbitiſque Petrum ambire verticem, ſitire ſplendorem, inferiùs degentium oblitum vtilitatem; at Chriſtus verticem deſerendo, faciem ſplendore viduando ſuorum ſaluti conſulit, nec recuſat, quò ab eis mortem poſſit auertere, crucis iniuriam ſubire. Ergo hunc cœleſtem prodit eloquium: illum depromit ſolum hominem deſiderium: *Quia imprudenter interrogauerat Petrus*, inquit Hieronymus apud D.Thomam, *proptereà Domini reſponſionem non meretur* Hieron. *ſed Pater reſpondet pro filio.* Accinit Damaſcenus Damaſcen. ibidem ad Lucæ 9. *Decebat non ſolùm perſtringere fructum Incarnationis ad opus exiſtentium in monte; ſed diffundi ad omnes credentes, quòd per crucem, & paſſionem erat conſummandum.* Sibi amabat Petrus fructum ſubiectorum obliuioni tradens detrimentum: Chriſtus intermiſſi luminis detrimento ſolicitabat ſubiectis commodum: ergo

Petrus

Digitized by Google

Petrus de humanæ conditionis ingenio errauit, Chriſtus non minùs de verborum lumine, quàm de vultus reſplenduit claritate. A Deo electus ſuperior non debuit ſuos prætertire, & ſuis vtilitatibus prouidere; ſed Chriſti exemplum ſecutus altitudinis iacturâ à ſuis calamitatem depellere fortunámque lætiorem aſciſcere. Proh dolor! Plures dignitatibus inhiantes, & earum culminibus refulgentes ſubiectorum incommodis ſibi attendunt, & calamitati impendenti occurrunt.

297. Chriſtus Dominus, vt Hebreæ Reipublicæ calamitatem oſtenderet, ſuperiores ac principes

Matth. 23. v.33. ſerpentibus comparauit: *Serpentes genimina viperarum quomodò fugietis à iudicio gehennæ?* Viduas diſpoliabant, parentibus vicem reddere impediebant, homines à Dei auertebant cultu; confundebant morum ordinem, & miſera premebant ſubiectos calamitate: ergo vt hanc extremam illius Reipublicæ miſeriam oſtenderet Dominus ſerpentes ei imperare & doluit & clamauit. Iam cur eos præ aliis animalibus ſerpentibus comparatit, videndum. De ſerpente aſſerunt caput tegere caudâ, vt ſi quid periculi immineat cauda, non caput ſuſtineat. Ita Bernardus ſerm. de quadru-

Bernard. plici debito: *Per ſinuoſa volumina caput caudâ tegere conſueuit.* Quid ſubiectis expectandum à ſerpentibus, quorum ſtudium erat ſe tegere, & proprium periculum diſcrimine ſubiectorum redimere? Cultris caudam obiicit, eâque pro ſcuto vtitur, & quia corporis pars extrema, periculo obiicitur, & contrà diſcrimen opponitur: egebat cauda vti humilior corporis pars capitis tutelâ, egebat munimine ac defenſione; ſed quia humilior, periculis eſt obnoxior: quicquid laboris imminet, caudæ diuexatione redimitur, & à capite repellitur. Adde ſerpentem aliquando capite caudam fouere, & blandimentis quodammodò delinire; ſed verſutè ſatis parti extremæ accedit, magnitudinem quodammodò deponens, tutamen promittens; hoc tamen de peruerſæ aſtutiæ ingenio, de ingenij dolo: quò ſe tegat caudâ, eam aliquando tegit, & demulcet. Notauit diuus Bernardus: *Per ſinuoſa volumina nunc caput caudâ, nunc caudam capite tegere conſueuit.* Caudæ blanditur caput, illam acceſſu honorans, & blanditiis fraudulentiſſimis ad occaſionem irretiens: eam tegit, vt tegatur ipsâ, ei blanditur, vt pro ſe periculis opponat, & calamitati obiiciat. O miſeram caudam tuam de blanditiis, quàm dolis, tam de capitis acceſſu, quàm de acceſſu ad caput. Videbatur cauda ſublimari, & erat inſidiis obiici: aſſurgebat elata; ſed vt periret diſcrimini expoſita: ſatius illi eſſet repere, quàm leuari. Ergo Hebraicæ tunc Reipublicæ præſides ſerpentum referebant ingenium, quò luctuoſum Reſpublica pateretur naufragium. Viperas etiam vocauit: quia vipera alieno innutritur ſanguine, & viuit morte: *Ortus* (inquit Chryſologus ſerm. 137.) *eſt genitoris exitium, vita eſt mors parentis.*

§. LXXII.

Nonnulli ad ea, quæ ipſi ſuſpirant, duci violenter affectant.

298. Miris nos ipſos artibus eludimus, & imponimus: nobis ipſis, non ſolùm aliis mentimur: plura, quæ à libera pullulant voluntate adſcribi malumus coactioni, & dum ardentiùs aliqua cupimus, videri inuiti adlaboramus. Samſonem illigare, vt Philiſthinis traderent contribules contendunt: *Ligare, inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Samſon cùm facilè poſſet, quibus tenebatur, vincula rumpere trahi videbatur inuitus, cùm tamen ipſe tenderet ſpontaneus: eam ardebat occaſionem nanciſci, vt poſſet Philiſthinos repetitis cladibus terere; verùm dum incedit ligatus, dum trahitur vinctus diſſimulat voluntatem, & oſtentat coactionem. *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Qui paulò pòſt fili ad inſtar vincula diſrupit, ſe expedire, & dum ducebatur, valuit; maluit tamen funibus inſerere manus, vt ſic videretur non ire; ſed trahi. Notauit Abulenſis quæſt. 26. *Sciendum quòd licet Samſon iret ligatus, tamen ſpontè ibat ad Philiſthinos: quia aliàs potuiſſet rumpere vincula, & fugere de manu virorum Iuda, ſicut rupit vincula coram Philiſthinis & percuſſit eos; ſed ipſe gaudebat, quòd ſic duceretur, quia eſſent ſecuri viri Iuda circa Philiſthinos, quia faciebant quantum in ipſis erat etiam ipſe Samſon habebat occaſionem occidendi Philiſthinos, quod antè facere non poterat.* Suſpirabat nouam Philiſthinis inferre cladem: ergo gauiſus eſt opportunam nanciſci occaſionem: ſic namque externa violentia interna diſſimulabatur ferocia, & videbatur, trahi coactus ad id quod ipſe ſuſpirabat anhelus. Abul.

Has voluntatis technas, & doloſitatis fallacias animaduertens Apoſtolus, ſic aiebat: *Scitis quoniam cùm gentes eſſetis, ad ſimulacra muta, prout ducebamini, euntes.* Sibi videtur contradicere Apoſtolus: nam ſi ſpontè ibant, non ducebantur, etſi inuitè ducebantur, non vltrò ibant: quomodò ergo terminis ſecum rixantibus impediuit ſententiam, & obſcurauit doctrinam? Imò mirè aliquorum prodidit fallaciam. Non dicit ducebamini, *ſed prout ducebamini, euntes.* Deſiderabant muta ſimulacra adire, cæciſſimè obſequi: ne ergo exoculatus error adſcriberetur cupidini, gaudebant quodammodò cogi, vt non tam viderentur adire proprio conſilio quàm impulſu adigi alieno. Ducebantur euntes: obducebant neſcio quem coactionis colorem, cùm tamen ſpontaneam adimplerent voluntatem. Opportunè Angelicus Doctor lect. 1. *Eratis euntes, inquit, quaſi promptâ mente & aſſiduâ.* Addit: *Prout ducebamini ex imperio alicuius Principis: ibant ergo ad idola colenda, prout ducebantur, id eſt, ſine aliqua reſiſtentia.* Externam amabant coactionem, vt excuſatiùs ad ſpeciem expleuerint obcæcatam cupidinem: mentiebantur cogi, cùm reuera ſtudioſè diſcuperent ire. 299. 1.Cor. 12. v.2. D.Thom.

Miris coloribus hanc veritatem deſcripſit Salomon Prouerbiorum 7. Mulier laſciuè ornata, pudore nuda, quietis inimica, vagationis ambitioſa, in plateis iuueni occurrens procaciter deoſculatur, & inuerecundè blanditur: inuitat ad lectulum pictis tapetibus ornatum, ad cubile odorum ſuauitatibus plenum; cúmque ipſe libidinibus titillatus inuolet improba deſideria expleturus, affectat duci coactus: *Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam.* Si bos ad victimam reluctanter ducitur, vinctúſque trahitur, & qui ſequitur procacem, nec vincitur, nec trahitur; imò ſequitur lubenter, & ſpontaneè, quomodò tracto boui comparat, & ipſam comparationẽ de celeri greſſu euacuat? Si ſtatim ipſe ſequitur diſcupiens volu- 300. Prouerb. 7. v.22.

Digitized by Google

ptatem, quomodo reluctanter trahetur ad mortem? Aut ſi ducitur reluctans, quomodò ſequitur voluptatem exoptans? Quia huiuſmodi fallaciis plures ſibi & aliis imponunt: fingunt neſcio quam vrbanam coactionem, & coactam vrbanitatem, quaſi nequiuerint reſilire; ſed opus fuerit vocanti, & allicienti parere, cùm tamen ipſi reuera exambiuerint occaſionem, vt expleuerint voluptatem: internè exæſtuant ardentiſſimo deſiderio; quia tamen exteriùs verecundantur fœdo deuoueri delicto, à fucata violentia, & vmbratili coactione mutuantur colorem, quo voluntariam inaurauerint prauitatem: quaſi in huius, aut illius fœminæ domum tendere non ſit cupidi; ſed vrbani, nec aliter fieri potuerit; cùm ipſe, ne aliter potuerit fieri, deſiderarit: *Velut ſi auis feſtinet ad laqueum*, ſcribit Hugo hîc, *trahente eum voluptate.* Inuolat, & trahitur: inuolat cupiditatis agens negotium; trahitur excuſationis, & coactionis quærens auxilium. Sponte ſequitur, vult tamen videri ductus, & quaſi mortem abhorrere, quod anxiis deſideriis conſtat diſcupere: *Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam.* Hugo.

301. Inolitum hunc humani cordis errorem Chriſtus Dominus recens natus clariſſimo ſui ortus iubare depulit, & hominum mentes veritati reſtituit, cupiditatum negotia peragentes, vitiorum cauſas ſolicitè pertractantes, vt vitiorum fruerentur deliciis, nec præpedirentur opprobriis: neceſſitatem fingebant, ſeque aſtrorum vi impelli, ſi non credebant, ſaltem affirmabant: *Vidimus ſtellam eius*, proclamant iam Magi, *& venimus.* Non inquiunt trahimur; ſed venimus, vt conſtet aduentum non coactione peractum; ſed libero arbitrio exortum: *Vidimus Stellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Adorare veniunt, non trahuntur, qui vt liberiùs adorarent idola, ſe putabant impulſu duci, & fatorum violentia trahi. *Chaldæos ſyderum ſcrutatores* (verba ſunt Chryſologi ſerm. 156.) *errantes per aſtra Magos, cœli negotia in tenebris noctium perquirentes, naſcendi, moriendi cauſas Stellarum curſibus adſcribentes, bona maláve hominum de arbitrio luminarium firmantes Euangeliſta hodie ortum Chriſti abſconditum ſæculis ſtella duce docuit inueniſſe.* Luminarium arbitrio proprium arbitrium adſcribebant, & quod inſaniebant ipſi, ſyderibus applicabant: vtque liberius abuterentur libertate, fatorum ſe premi mentiebantur coactione; effrænatè famularentur appetitibus, & ipſum famulatum imputabant ſyderibus. Matth. 2. v. 2. Chryſol.

302. Iob coloratas has humani cordis technas euulgans ſic aiebat: *Ipſe ad ſepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit: dulcis fuit glareis cocyti, & poſt ſe omnem trahet, & ante ſe innumerabiles.* Mira res, vti mortuus ducitur ad ſepulchra, & ibi ad explenda inuigilat deſideria rara metamorphoſi mors tranſit in vitam, & vita ingenium ſortitur mortis: ad ſepulchrum ducitur mortuus, inter fœtores inuigilat viuus: *In congerie mortuorum vigilabit*: non impediuit mors deteſtandas vigilias, vita ad ſepulchrales duci non reſtitit faſcias: quia de malignitatis ingenio, prauitatiſque artificio improbus ad id, quod inuigilanter expetit, trahi ſe violenter quodammodò fingit: ne ducentibus reſiſtat, videtur mortuus; vt ſepulchrorum fœtoribus maculetur, inuigilat viuus: inter mortuos morti inuenitur viuus, inter viuos ad ſepulchra ducitur mortuus, & dum ſtudioſius cupit prauis inuigilare appetitibus, duci ſe fingit illigatus compedibus: *In congerie mortuorum vigilabit*, inquit Gregorius lib. 15. moral. cap. 37. *quia nunc in congregatione peccantium aſtutia ſua inſidias exerit.* Fraudulenta aſtutiâ ad prauitatem, quam diſcupit, videtur ductus: *Ad ſepulchra ducetur*; fallaciter tamen ductus ibi vitiis inuigilat ſtudioſiùs: quod in glareis cocyti etiam Gregorius ſequenti capite deprehendit. fluminum leues lapilli, quos præterfluens vnda trahit, glaream dicimus: ergo peccatores cùm ſponte ſua frequentes in lapſus proruant, ſe vndarum trahi violentia doloſè ſimulant. Accipe Gregorium: *Glareas lapillos fluminum appellare conſueuimus, quos aqua defluens trahit: qui ergo per glareas cocyti niſi reprobi deſignantur, qui ſuis voluptatibus dediti, quaſi ſemper à flumine ad ima detrahuntur: qui enim contrà voluptates huius ſæculi ſtare fortiter nolunt, glareæ cocyti fiunt: quia ſuis quotidie lapſibus ad luctum tendunt.* Ipſi tendunt, ſtare nolunt; ſed rapi mentiuntur, vt de violentiâ excuſationem prætexant, & de lapſibus culpam augeant. Si Samſon vincula vellet diſrumpere, nullatenùs traheretur compeditus, at cùm ad Philiſthinos inuolaret vltroneus, videri noluit duci illigatus. Iob. 21. v. 32. Greg. Greg.

§. LXXIII.

Charitas exultat, ſi propriis laboribus, alienis obuiarit calamitatibus.

303. Dilectio ſummum fidei Sacramentum, Chriſtiani nominis theſaurus, qua Apoſtolus totis viribus Sancti Spiritus commendat, cuius niſi patientiæ diſciplinis eruditur? rogat Tertullianus lib. de Patient. cap. 12. Charitas de patientiæ inſtituitur ſchola, & tunc viuidiùs ſcintillat, cùm patientiam ſuam honeſtis proximi vtilitatibus conſecrat: vt dilectio eſt magnanima, & dolorem contemnit: aduerſùs afflictationum inſultus, aduerſùs incommoditatis ictus patientiæ clypeum aſſumit: non æmulatur, quia benefica; proteruum non ſapit, quia facilitate ornata. *Nec ſua requirit*, addit Tertullianus; *ſed offert ſua, dum alteri proſit.* Vti venerabile Euchariſtiæ Sacramentum de morte edulium præparauit, quo mortem à ſuis excluderet: ita charitas fidei Sacramentum de proprio labore alienam procudit requiem, de propria eſurie aliis miniſtrat ſaturitatem, & cùm viliter ſibi deficiat, omnibus abundat, & omnium vtilitatibus adlaborat. Grauiter Cyprianus lib. de bono patient. *Tolle charitati patientiam, & deſolata non durat, tolle ſuſtinendi, tolerandique ſubſtantiam, & nullis radicibus ac viribus perſeuerat.* Luget charitas deſolata, ni in aliorum commodum anguſtias ſuſtineat: tolle charitati dolorem, & gaudium abſtuliſti. Vt planta extenſis radicibus aſſurgit firmior, & firmatur lætior, ita charitas, cui pro radicibus patientia eſt de ſuſtinentiâ viret, & de tolerantia floret. Samſonis contribules à Philiſthinis ſe premendos expoſtulant, ni ipſe vinctus tradatur hoſtibus: *Ligare inquiunt, te venimus, & tradere in manus Philiſthinorum.* Poterat ille, ſi vellet, exercitium contribulium fundere, & illorum copias facillimè profligare; inſeruit tamen libenter catenatum nexibus collum, ne duriùs contribules premeret iugum; Tertull. Cyprian.

iugum : *Ligauerunt eum duobus funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Non tam illum aliena ligauit violentia, quàm propriæ charitatis induſtria : gaudebat vinciri, lætabatur premi, ſi contribulium poſſet anxietatibus ſubuenire. Ita Abulenſis quæſt. 26. *Licèt Samſon iret ligatus, tamen*
Abulenſ. *ſpontè ibat ad Philiſthinos, quia aliàs potuiſſet rumpere vincula, & fugere de manu virorum Iuda, ſicut rupit vincula coram Philiſthinis, & percuſſit eos; ſed ipſe gaudebat quòd ſic duceretur : quia eſſent ſecuri viri Iuda circa Philiſthinos; quia faciebant quantum in ipſis erat.* De vinculorum ignominia gaudebat, ligatus trahi nullatenus recuſabat, vt à ſuis exterminaret periculum, & Philiſthinæ indignationis auerteret detrimentum. Vt olim à doloſa Dalila decapillatus, ſic modò integris viribus à charitate deuictus : Sacramento charitatis erat eneruis, & fortis : eneruis ad reſiſtentiam, & fortis ad tolerantiam.

304. Paſtor erroneam quærit ouem, & poſt montium circuitus, poſt anxiam campis oberrationem inuentam imponit humeris lætabundus, & ipſo onere,
Lucæ 15. v. 5. recreatus : *Imponit in humeros ſuos gaudens :* quia ouis multum errando laborauerat, humeris conuehit, & de ipſa humeri moleſtia gaudet : ni ſcapulas onere tereret, anxiè laboraret : charitas namque alienis ægreſcit infirmitatibus, & propriis inualeſcit laboribus : ibi patitur, vbi transfunditur, & quia non Epicurea fabuloſa tranſmigratione; ſed vera Euangelica pietate in proximis degit de eorum languoribus languet, & de eorum ſalute viget. Opportunè Baſilius Seleucienſis
Baſilius. orat. 26. *Subiiciens humeros proprio labore ouiculam curat laborantem, gaudet ipſa fatigatione.* Ne defatigetur ouicula, ipſa fatigatione lætatur, qui onere liber aliena defatigatione duriùs premeretur. Miraberis hoc, charitatis ingenium : de aliena ſalute viuit, de aliena anxietate dolet : *gaudet ipſa fatigatione* : quia propria defatigatio ouiculæ eſt laboris redemptio.

305. Iacob Labano inſeruiens ea oues ſedulitate paſcebat, vt eſſet familiaris vigiliis, ignotus ſomnis : *Die noctúque æſtu vrebar & gelu, fugiebátque ſomnus ab oculis meis.* Iacobi erat quies ouium ſecuritas, vt ſine periculo quieſcerent, noctu vigilabat; vt vberiori paſtu fruerentur, ſolis deſpiciebat ardores : aliena namque vtilitas & commoditas erat charitati requies, & merces laboris : *Iacobum Labani paſcentem oues*, ait Baſilius Seleucienſis orat. 26. *admiratur ſcriptura, vtpotè*
Baſilius. *qui ſudatos pro grege labores recenſens, die, inquit, noctúque æſtu vrebar & gelu. Notus ſum, inquit, nocturni rigoris, & æſtus, ardoriſque diurni patientia. Et quaſi ſtaret in acie depugnans, ouibus ſecuritatem præſtabat.* Depugnabat Iacobus cum ſomni adſultibus, cum luporum irruptionibus, cum ardoribus ſolis, cum hyemis niuibus vt vel animalibus præſtaret ſecuritatem, & vigiliarum nummis emeret illis ſalutem. Charitatis miles perſtabat in campo non tam ſibi exambiens mercedem, quàm procurans ouium ſalutem. Adde charitatem iniuriarum ſæpè niuibus inflammari, viuidiúſque ardere. Vt olim apud Ægyptios grando cum igne conferta ruebat, & quæ ab ingenio inimica, præter opinionem concordabant, ſic charitatis ignis ipſa ſolet vndâ innutriri; & inde capit augmentum, vnde vereretis excidium.

306. Homo dæmonum habitaculum Chriſtum Dominum, qui medelam allaturus aduenerat, ipſa ſupplicatione denigrat : *Quid mihi & tibi Ieſu fili Dei altiſſimi? Adiuro te per Deum, ne me torqueas : dicebat enim illi : Exi ſpiritus immundè ab* Marci 5. v. 7.
homine. Dum Deum per Deum adiurat, de ipſa adiuratione, ne Deus intelligatur; contendit hominis lingua callido hoſti opitulabatur, & patrona voce hominis Dæmon Chriſtum impetit, & infamat. Notauit Chryſologus ſermon. 17. *Ecce diabolus patrona voce hominis hominem petiturus inclamat, & tota membra hominis hoſti ſuo ſuam militant in ruinam.* Adnectit ingenioſiſſimus Doctor : *Fatetur filium; ſed ne Deus intelligatur, ſolita arte contendit, adiurat Deum per Deum, vt alterum videri ipſum faciat, vt adſtantium decipiat, & fallat auditum.* Homo hoſti ſuo auxiliatris, ne Deus habeatur, contendit, & ipſa humili adiuratione fallacias inſtruit; verùm Chriſtus vices hominis miſeratus mare transfretat, & medelam ad rigorem prouocanti eximia charitate concinnat. *Huic morbo*, inquit Chryſologus,
cupiens Dominus ſubuenire transfretat mare. Naulum offert, incerta littoris ſubit, eius diſcupiens Chryſol.
morbo ſubuenire, qui eius diuinitatem linguaci, temeritate nitebatur apud homines obſcurare : homo dæmonis cauſam agens cauſabatur Chriſtum temporis legem tranſgreſſum, etſi Deum facit, qui rogat, hic de peruerſitatis ingenio diuinitatem rogando obſcurat; verùm Chriſtus ardentiſſimæ charitatis theſaurus nec exaſperatur delitiis, nec detinetur fluctibus, nec retardatur impenſis; imò miſeram hominis vicem miſeratus omnia deuorat, vt ſubiugato ſuccurrat : neſciebat virulentus dæmon, cùm ad callidas iniuriarum verſutias accurrit, veram charitatem ingratitudinis vndis floridiùs virere, & fœcundiùs irrigari : cùm non attendat quæ ſua ſunt; ſed quæ alterius, iniuriáque prodat grauiorem infirmitatem, ſtudioſiùs inardeſcit ad medicinam, & ſatagit ſolicitius inuenire medelam. Verùm etſi charitas vitæ ſalutis honeſtè depretiet commoda, vt aliena depulerit detrimenta de ipſius charitatis armamentario ſuam oppugnat mortem, & de amoris mytothecio repellit aduerſitatem.

Saül legem tulerat, qua morti damnabat ven- 307.
triloquos : *Saül abſtulit magos, & ariolos de* 1 Reg. 28.
terra. Etſi ſolicita falx inuolarit ad ariolos deme- v. 4.
tendos, mulier quædam non ſine Dei prouidentiâ ſententiam ad noſtram eruditionem euaſit : *Eſt mulier*, renuntiant ſerui Saüli, *Pythonem habens in Endor.* Non ignorat modò ventriloquam, & tamen latam adimpleri non adlaborat ſententiam : quòd ſi quæras, cur hæc mulier generali fuerit ſtragi ſeducta, & cur poſteà ſententiali edicto non fuerit preſſa : reſpondeo eâ charitate fulſiſſe, vt interfectiori, ariolorúmque cladi opiparè menſam inſtruxerit, & cibo mortem arcuerit : *Mulier illa habebat vitulum paſcualem in domo, & feſtinauit, & occidit eum, tollenſque farinam miſcuit eam, & coxit azyma & poſuit ante Saül.* Vrbanè allexit, vt comederet, vitulum liberalis occidit : *Audi & tu vocem ancillæ tuæ, & ponam coram te bucellam panis, vt comedens conualeſcas, & poſſis iter agere.* Dum citiùs Saül occumberet, citiùs mulier generali eximeretur edicto, nec premeretur iudiciali mandato, eâ tamen nunc charitate refloruit, vt inimicum cibarit, & aduersùs imminens vitæ periculum animos hoſti, vitámque refuderit : ergo digna fuit, quæ ſpeciali priuilegio eriperetur morti, & de charitatis armis obuiarit diſcrimini. *Hæc prudens, & ingenua mulier*, fatur Damianus epiſtol. 34. *rhetoricatur*; Damian.

vt ita loquar, & oratorum orationibus vtitur, vt inimicus eius, dum reſpuit, ad edulium prouocetur. Fetentem contra ipſam mortis ſententiam cibauit, nolentem ad cibum coëgit, exanimi vires refudit: ergo de charitatis merito texit crimina, & vrgentia mortis ignorauit mandata: nam etſi charitas ſe quodammodò obliuiſcatur, alieno ſemper commodo intenta, ſibi tamen ſemper inuenitur proficua.

---

§. LXXIV.

Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor, illis ad ſpeciem conſulit; ſed ſibi reuera attendit.

308. AFfinitatis iura inuiolata aſſeruantur, ſi nullis vtilitatis propriæ arietationibus impetuntur: ſanguinis proximitate adhæreſcunt ſibi cognati, & dulcibus, aſſociantur affectibus, dum nullo obice per naturæ alueos concordia transfunditur, & amicitia adaugetur, verùm vt proprius amor charitati ſemper inuenitur aduerſus, aurum cognationis ſtanno cupiditatis adulterat, & charitatis ſpecie ipſam charitatem fraudulentus non ſemel deprauat: officium cognatis impendere adlaborat extrinſecus; ſed fœda cupiditate defœdatur interiùs. Mirabantur ethinici Chriſtianos fratres vocari, nec ſolùm vniri euanida voce; ſed vera diligi charitate: ipſi namque vtpote virtute non eruditi, nec ratione caſtigati conſanguinitatis nomine vtebantur, prout exigebat vanitas, aut conſulebat commoditas: *Quòd fratres nos vocamus*, inquit Tertullianus in apolog. cap. 39. *non aliàs opinor, infamant, quàm quod apud ipſos omne ſanguinis nomen de affectatione ſimulatum eſt.* Ethnicis cognatior, qui vtilior, in tantum cognationem colebant, in quantum emolumenta ſibi captabant. Itaque conſanguinitas erat apud illos negotiatio plus ab vtilitate pendens, quàm ab origine fluens, & vtinam degener hic affectus, vt tunc, nunc etiam ſolos ethnicos inficeret, nec cæteros obſcuraret, verùm quotidie inſoleſcit prauitas, & in conſanguineos audet cupiditas. Seneca de conſolat. ad Heluiam cap. 14. ſic amorem eius generoſum extollit: *Noui animum tuum nihil in ſuis præter ipſos amantem. Viderint illæ matres, quæ potentiam liberorum muliebri impotentia exercent, quæ quia fœminis honores non licet gerere, per illos ambitioſæ ſunt, quæ patrimonia filiorum & exhauriunt, & captant, quæ eloquentiam, commodando aliis fatigant. In liberorum tuorum bonis plurimum gauiſa es, minimùm vſa.* Adnectit: *Tu patrimonia noſtra ſic adminiſtraſti, vt tanquam in tuis laborares, tanquam alienis abſtineres: tu gratia noſtra tanquam alienis rebus vtereris, pepercisti, & ex honoribus noſtris nihil ad te niſi voluptas, & impenſa pertinuit: nunquam indulgentia ad vtilitatem reſpexit.* Phœnicis ad inſtar, Heluia de ſingularitate pretioſa luxit, & de raritate reſplenduit: cæteræ namque vt teſtatur Seneca, matres ad fœnus filios diligebant, de vtilitate amorem taxantes, & de cupiditate mentientes. En Samſonis cognati aduerſus illum armantur, opuſque illi fuit precibus exorare, ne mortem aggrederentur inferre: *Spondete mihi, quod non occidatis me. Dixerunt: Non te occidemus; ſed vinctum trademus.* Cenſeres vitam donaſſe conſanguinitatis conſilio, aſſeruandique cognati deſiderio; verùm vt placet Abulenſi q. 24. in aſſeruanda, perdendaue eius ſalute non attendebant quid Samſoni vtilius; ſed quid ſibi foret commodius: ne ipſi dinexarentur, geſtiebant tradere. & quia ſperabant ab eo, ſi viueret, libertatem, maluerunt, tradere, quàm occidere, in contrarium ſine dubio tranſituri, ſi plus occiſio promiſerit, & ablata violenter vita ſpoponderit. Iniuſtè occiderent Samſonem, cùm ſcirent eum à Deo in liberatorem Iſraël datum; ſed minus legi, plus attendebant vtilitati: *Quia ipſi putabant quòd poſſet eis amplius proficere, ideò nefas putabant eum occidere.* Ecce abſtinuerunt cæde, non quia cognatus; ſed quia proficuus: & quidem ni putaſſent fore ſibi vtiliorem vitâ donatum, violentas ei attuliſſent manus, perpetraſſentque parricidium, vt deteſtandum acquirerent ſibi lucrum. Abul.

309. Saül cùm Dauidi necem nequiuiſſet retorta infligere lancea, data in ſponſam obtinere ſatagit filia; cùm Michol tenero erga Dauidem deuinciretur affectu: *Dilexit Dauid Michol filia Saül altera*, nec lateret parentem, contra ipſam texuit inſidias, ſpecie nuptialem apparans thalamum; ſed reuera procurans filiæ viduitatis lamentum: *Renunciatum eſt Saül, & placuit ei. Dixitque Saül: Dabo eam illi, vt fiat ei in ſcandalum.* Filiæ prætexens nuptias marito diſponebat inſidias: placuit filiam in matrimonium locare; ſed vt fucato obſequio ardenti inſeruiret odio. Cenſeres parentem Michol cauſam agere eius amore ſtimulatum, illam tamen deſponſaſſe vides degeneri affectu motum. Repetere poſſet de Saüle quod Serm. 1. aiebat Chryſologus: *Sic mercator ad talem contractum peruenit.* Conſonat Seleucienſis Baſilius orat. 16. *O miſerrimas cogitationes! vt inuidiæ motibus obſequatur, tam immaturè filiam viduitati adiudicat, inuidiàque oppreſſus contra naturam furorem concipit, cognatio non ſoluit inimicitiàs, neque naturæ vinculum diſſipauit inuidentiam.* Non procurabat nuptias filiæ amor; ſed in Dauidem liuor: immaturam filiæ viduitatem non recuſabat imponere, ſi poſſet odio adulari: ita ſe erga filiam gerebat, vt eius ſe placito attemperaret, dum propriæ vtilitati inſeruiret: Scintillabat erga filiam amor; ſed falſatus, & in propriam vtilitatem conuerſus: Sub ærato amore niſus eſt obtinere, quod ab haſta non poterat impetrare. Filiæ non attendit commodis, quouſque credidit vtilitatem ſibi obuenturam de filiæ nuptiis. 1. Reg. 18. v. 20. Chryſol. Baſilius.

310. Filiorum Zebedæi mater filiis precatur thronos, & aſſidere Chriſto deſiderat laterales: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* Chriſtus Dominus de errore petitionem deſcendiſſe teſtatur mentis, non de falſata dilectione voluntatis: *Neſcitis quid petatis.* Filiis, dum putant temporale Chriſti regnum, error irrepſit; at dum mater propria vtilitate poſtpoſita non ſibi; ſed filiis exambit thronos, viuidiſſima amoris flamma reluxit. Expendebat acutè Ambroſius libro 5. de fide ad Gratian. cap. 5. *Mater ætate longæua, ſtudio religioſa, ſolatio deſtituta tum temporis, quando vel iuuanda, vel alenda foret validæ prolis auxilio, abeſſe ſibi liberos patiebatur, & voluntati ſuæ mercedem ſequentium Chriſtum prætulerat filiorum.* Adnectit: *Etſi error, pietatis tamen error eſt: neſciunt enim viſcera materna* Matth. 20. v. 21. Ambroſ.

Tertull. Seneca.

terna patientiam : etſi voti auara , tamen veniabilis
cupiditas , qua non pecunia eſt auila ; ſed gratia.
Nec inuerecunda petitio, qua non ſibi ; ſed liberis
conſulebat. Maternam pietatem nobilitauit, & ge-
neroſi amoris nobilitatem oſtendit , dum non fal-
ſato filiis conſulebat amore ; ſed propriæ illorum
præferebat vtilitatem. *Non ſibi ; ſed liberis conſule-*
bat. Verecunda eſſet petitio , ſi de amore captaret
lucrum , & ſibi ſuſpiraret augmentum ; at dum ſic
purè filios diligit , vt in acquirendis illorum com-
modis laborarit , & veluti ab alienis abſtinuerit,
nòn ſolùm veniabilis fuit petitio ; ſed nobilis filio-
rum dilectio. Amant parres filios ; ſed ſæpè ſibi,
amoris colore propria exambitur vtilitas, & ſpe-
cioſo titulo ſuſpiratur commoditas.

311. Prodigi frater tenerum erga patrem mentieba-
tur affectum , fratre recedente ſolicitior inſeruie-
bat , & agriculturæ promptior laboribus inſuda-
bat ; verùm cùm germanus anteactæ vitæ errori-
bus abiuratis in paternam domum ſe recepiſſet, in-
dignè tulit , & patri inſeruire noluit : *Indignatus*
Lucæ 15. v.28. *eſt autem, & nolebat introire.* Modò apparuit quàm
ſubærata fuerat dilectio: ſi tot annis patri inſeruiſſe
querulus iactitauit , cur renuat modo protrahere
morigeræ ſubiectionis obſequium , & impendere
venerationis tributum ? Quia modò , inquit Chry-
ſologus Serm. 4. non eadem ſpes lucri , & ideò
cauſa variabatur obſequij inſeruiebat anteà patri ;
ſed vt amplior illi obueniret hæreditas, & præ fra-
tribus maior dignitas : ergo vt vidit primâ ſtola
germanum ornari , vbi patrimonium ſuſpicatus
eſt diuidi , ſeruire renuit , & amorem degenerem
declarauit. *Frater credidit damnum , qui rediiſſe*
Chryſol. *conſpicit cohæredem , & quando inuidus , non aua-*
rus ? Quando quidquid habet alter , ſe computat
perdidiſſe : Seruiebat non amoris ſtudio ; ſed cupi-
ditatis deſiderio : inſudabat agri laboribus , non
patri ſeruitutem exhibens , ſed cupidini : exam-
biebat à parente lucrum , & amoris mentiebatur
obſequium : ſi ob patrem culturæ ſtuduiſſet, patre
ſuperſtite inſeruire non detractaſſet ; at dum va-
riata rerum conditione patri reſiſtit rogatus , ma-
nifeſtè agnoſcitur ambitioſus. O quàm nobis ſæ-
piſſimè illudit amor ! Scintillat ad ſpeciem af-
fectionis flammis ; ſed reuera interius adulteratur
degeneribus deſideriis.

312. Iacob ſollicitè inſeruientem , & eius greges bo-
na fide curantē auunculus apud ſe ſtuduit retinere,
& officiis delinire : *Nato Ioſeph dixit Iacob ſocero*
Geneſ. 30. v.26. *ſuo ? Dimitte me , vt reuertar in patriam , & ad*
terram meam. Da mihi vxorem , & liberos meos,
pro quibus ſeruiui tibi , vt abeam. Tu noſti ſeruitu-
tem, qua ſeruiui tibi. Ait illi Laban : Inueniam gra-
tiam in conſpectu tuo : experimento didici , quia be-
nedixerit mihi Deus propter te. Non allegat ne po-
tum amore ſauciari, filiorum dilectione teneri ; ſed
eius curà & ſolicitudine gregem auctum , & co-
pioſum ſibi obueniſſe prouentum. Verùm cùm
Iacob ab Angelo edoctus artem inueniſſet , qua
ſibi conſuleret , & proprium gregem augeret, iam
ſocer , leuirique de Iacobi ſeruitute lucrum non
adeò copioſum capeſſentes ſuperciliis feriebant, &
liuidis dentibus lacerabant. Iacob in patriam inſcio
ſocero regredientem ſtultitiæ Labanus arguit , vt
qui clam maluerit fugere , quàm viam omni fa-
milia plaudente carpere : *Stultè operatus es. Cur*
Geneſ. 31. v.28. *ignorante me fugere voluiſti , nec indicare mihi , vt*
proſequerer te cum gaudio , & canticis , & tympa-
nis , & citharis. Ingenti modò lætitia ſe Iacobi ce-
lebraturum teſtatur regreſſum, qui anteà regreſſus
auerſabatur propoſitum. Si tunc ægrè adeò ferebat
diſceſſum , cur modò adeò hilariter ad patriam ce-
lebrarit volatum ? Quia modò copioſum non ſen-
tiebat lucrum, & anteà grande gregis experiebatur
augmentum. Non apud ſe detinebat Iacobum
cognationis affectu ; ſed vtilitatis ſuaſu. Ergo va-
riata cauſa & affectio mutata eſt : gaudebit , ſi
modò diſcedat cognatus , cognatum anteà deti-
nebat , quia ſibi commodus. Opportunè Lyra :
Laban videns moram ipſius Iacob ſibi vtilem , eo
quod propter bonitatem Iacob Dominus multiplica-
uerat bona ipſius Laban , nitebatur adhuc eum
retinere. Non nitebatur retinere Iacobum ; ſed lu-
crum, quandoquidem lucri cauſa manere apud ſe
deſiderabat Iacobum : idem erat Iacobus ; at vbi
ob eius ſocietatem experitur diſpendium , cum
gaudio geſtit dimittere ; cùm capiebat lucrum, im-
portunis precibus conatus eſt detinere non ſolùm
nepotem ; ſed filias etiam læto vultu abire per-
miſit , vbi vtilitatis ſpes emarcuit ; retinuiſſet, ſi ef-
floreret , tam dicatus eſt vel parentum amor cupi-
ditati , tam affectus à vero diſtat amore : rari ſunt
qui ingenua liberalique conſanguineos proſequan-
tur affectione , plures qui amoris obtento fuco
ſtudeant vtilitati.

---

§. LXXV.

Nulla adeò inexorabilia ſunt vincula , vt gratiæ ope nequeant diſſolui , imò & faciliter rumpi.

NOſtri nos affectus ligant, & cupiditates irre- 313.
tiunt : vt voluptatibus fruamur , eis ſubiici-
mur , cùm nihil adeò plenum deliciis ſit , ac cu-
piditatum catena non illigari , nec inſanis affectio-
nibus inſeruire. *Nullum vitium* , aiebat Seneca Seneca.
epiſt. 116. *eſt ſine patrocinio , nulli non initium*
eſt verecundum , & exorabile ; ſed ob hoc latiùs
funditur : non obtinebis , vt deſinat , ſi incipere per-
miſeris imbecillis eſt primò omnis affectus , deinde
ipſe ſe concitat , & vires dum procedit , parat :
excluditur faciliùs, quàm expellitur. Verum dixit :
ægrè namque recedunt , ſi ſemel acceſſerint : lon-
go inextricabilique vinculo nos premunt , & quæ
promittebant inſeruire , inueniuntur imperare , &
quidem tyrannicè. Verùm adhuc aduerſus fortia
hæc vincula animi reſumendi ſunt, nec quia vincti
ſubiacebimus ; ſed ob id ipſum nos expedire , &
ad libertatem euadere conabimur , ni à nobis ipſis
vinculorum nodi preſſiùs adſtringantur , facillimè
diſſoluentur ; verùm nos ipſi & premi querimur,
& non diſſolui diſcupimus : à nobis vitia obtinent
patrocinium , & cum ad ſpeciem conetnur inuo-
lare , arctius inuenimur irretiri. Non deerit nobis
Spiritus Sancti auxilium , cuius ope , ni nos ipſi
tricemus , pennatæ ad inſtar volucris euolabimus,
nec ſolùm inextricabiles ad ſpeciem diſrumpemus
laqueos; ſed de aduerſariis glorioſos reportabimus
triumphos : ſi parabilem te gratiæ præbeas , vin-
ces : vinculorum namque difficultas , quantum-
vis exaggeretur , tua ignauia fulcitur ; imò tu ipſe
tibi vincula adſtringis , & quia rumpere non vis
inſolubilia cauſaris. Gordianus nodus valuit , ſi
non diſſolui, præcidi : te exime , & mihi crede , ſi
ſpiritui conſenſeris, prouidebis tibi : cæcior nodus,
difficilius vinculum, quo teneris, eſt cæca cupidi-
tas , qua nexibus manus lubenter inſeris , etiam

Digitized by Google

dum teneri cauſaris. Samſonis contribules nouit eum funibus illigarunt, & copiis circumuallatum tradendum hoſtibus adduxerunt : *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Ligatum & copioſo milite obſeſſum cenſeres violenter cogi, ſed reuera vincula non premebant de aliena violentia, ſed de Samſonis tolerantia : nam dum ſe facilem Spiritui præbuit, vincula facillimè rupit : *Irruit Spiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi ; ita vincula quibus ligatus erat, diſſipata ſunt, & ſoluta* : de facilitate rumpendi apparuit ſuſtinuiſſe anteà, quia voluit, non quia diſſipare non valuit : non tam inerat vinculis vis de materia, quàm de ſuſtinentis ignauia : quamdiu preſſus eſt, ſuæ auxiliabatur captiuitati: vbi ſe voluit eximere, aduerſus funium groſſitiem ; & aduerſus pondus & viguit, & valuit : *Sciendum*, inquit Abulenſis qu. 26. *quòd licèt Samſon iret ligatus, tamen ſponte ibat ad Philiſthinos : quia aliàs potuiſſet rumpere vincula, & fugere de manu virorum Iuda, ſicut rupit vincula coràm Philiſthinis, & percuſſit eos; ſed ipſe gaudebat, quòd ſic duceretur* : expeditionis facilitas clarè arguit catenæ amorem non difficultatem : propria magis voluntate tendebat irretitus, quàm catenarum tractibus preſſus : *Ipſe gaudebat quòd ſic duceretur.* Quiſquis in extricabilibus ſe difficultatibus teneri queritur : quiſquis veluti ferreis neruis illigari criminatur, imponit ſibi, mentitur nobis. Vti lina ad ignis odorem diſſipantur, quæ inſolubilia apparebant vincula, & quæ repelli non poſſe videbantur obſtacula : ni tu ipſe velis Spiritui reſiſtere, & ipſis auxilium difficultatibus ferre, & catenam, qua animus tenetur, excuties, & ad libertatem emerges.

Abulenſ.

314. Iſaïas Sion captiuitatis vinculum, quo premebatur, monet diſrumpere, & ad libertatem tranſire : *Solue vincla colli tui captiua filia Sion.* Hæc prophetæ verba videtur potiùs exprobratio, quàm admonitio : nam ſi captiua vincitur, quomodo ſe pro arbitrio ſuo vinculis eximet, & captiuitatem euadet? Aut ſi pro arbitrio poteſt diſrumpere vincula, quomodò captiuitatis ſordeſcit infamia? Quia hæc animorum captiuitas, ferreæ, quibus tenetur, compedes, ſolùm ſortiuntur vim contra ignauiam, cùm ſint enerues prorſus contra ſolicitam. Captiuitas, inquit propheta, non tam venit de ferri duritie, quàm de vinctæ voluntate : illigatur catenis, compedibus præpeditur : quia ipſa ſe tyranni arbitrio vult ſubdere, non quia iugum nequeat repellere. Optimè Procopius apud Gloſ. *Ideò induere fortitudine tua dixit : quod maximas quaſdam facultates anima habeat : primum quidem vt ſe lapſu excitet : nam vbi ipſa eſt pœnarum acerbitas, ibi eſt & frequens conſolatio : deinde vt vires ſuas inſtauret ac reſumat.* Hæc captiuitas non tam venit de coactione, quàm de captiuæ cupiditate : ni ipſa ferro inſerat collum deluſa, ingenua poterit fulgere libertate exornata : captiua degit ; ſed quia mauult ipſe uire, quàm dominari : ergo ne, dum captiuitatem protelat, vinculorum rigori adſcribat, ei propheta oſtendit ſi velit, poſſe facilè captiuitatem euadere, iugumque excutere. Conſonat Oleaſter : *Erat ſuis vitiis oppreſſa, vt ſuperiori capite dictum eſt, ideo illi dicitur, vt ſuſcites ſe : erat debilis, & iubetur induere fortitudinem ſuam : erat conſpurcata, & iubetur induere veſtimenta gloriæ ſuæ.* Vtqui nudus eſt, & ad manum veſtem habet, pro libito ſe poteſt veſtire, ita anima etſi debilitatem ſuam exaggeret, qua ſe poteſt nudus facilitatè veſtire, ſe quibit fortitudine ornare: non oritur hæc debilitas, à membris; ſed à votis : non ſunt hæc vincula, quæ tyrannicus nobis impoſuit furor ; ſed quæ noſter cæcus, & delirans ſibi fabricauit amor : ergo captiuæ arbitrium admonitione excitarit : quia de ſocordia obueniebat illa miſeria.

Iſai 52. v. 2.

Gloſſa.

Oleaſt.

Idem propheta vinculum coniunxit & ſomnum: *Filij tui proiecti ſunt, dormierunt in capite omnium viarum, ſicut oryx illaqueatus.* Quibus premebantur, vincula ſomnus excudebat, & in vecordiæ officina cupiditas in ſe ipſam elaborabat : nolebant ſomnum excutere, vt ſe vinculis expedirent imò ſtudioſè inſerebant catenarum tractibus manus, vt deludenti phantaſiis valerent ſomno indulgere : vt oryx ratione carens illaqueabantur : quia ipſi, ne quid fallacitèr ſpecioſæ quietis amitterent, ſocorditer ſe illaqueãdos tradebãt, & noxiæ quietis mercede ineſcati vinculis premi nullatenus detrectabant : laqueus oriebatur à ſomno: ergo vt ignauum caperent ſomnum, adſtringentem amplectebantur & laqueum : vtque noueris ſopore abacto in libertatem reſtitui, & vincula faciliter ſolui, audi quid Dominus dicat : *Ecce tuli de manu tua calicem ſoporis, fundum calicis indignationis meæ non adiicies vt bibas illum vltrà. Et ponam, illum in manu eorum, qui te humiliauerunt.* Vbi receſſit ſopor, & vinculorum elanguit vigor : quia labyrinthæus ille laqueus cupiditatis, ſocordiæque induſtriâ fuerat intextus, & fallaciarum artibus fabricatus : ergo licèt orygis ad inſtar mille retium nodis fuerint implicati, ſi ſoporem depellant, inuenientur retium doloſitatibus liberi. Adeſt opportunè Gloſſa : *Moraliter anima, dum peccat, diabolo ſubditur captiua : dum pœnitentiam agit, eleuatur, & conſurgit, diabolus humiliatus ruit.* Anima vires tribuit aduerſario, quæ deliræ cupiditati indulgens non vult laqueos ſoluere; ſed adſtringere. Nec caret myſterio collatio cum oryge : eſt enim oryx immundum animal : ergo dum immundum referunt, & laqueum ſubeunt : *Oryx*, inquit Lyra, *animal eſt immundum, vt habetur Deuteronom.* 14. Carnis negotia gerentes, cupiditatis commercia tractantes nequibant orygem illaqueatum non referre, & ipſis in retibus non dormire : qua facilitate ſomnus excutitur, & catena, ni ſtet per ipſos, rumpetur : at dum agnoſcunt obſcœnis cupiditatibus renunciandum, ſordis lucris carendum, ſi cum ſomno excutiant laqueum, affectant oculos tradere ſomno, etſi nouerint manus illigandas vinculo. Ergo quicumque importunas occupationes, obligationum catenas, negotiorum pedicas ſibi opponit, nouerit quicquid inextricabile fingit, poſſe facillimè expediri, & ni ipſe obſtiterit, diſſipari. En noui funes Samſonem illgant, en copioſa contribulium circunſtat manus, en audax occurrit Philiſthinorum exercitus, & nihilominus dum ſe parabilem præbet gratiæ, laude coronatur victoriæ. Suſtinere vincula fuiſſe non neceſſitatis; ſed voluntatis, ipſa ſolutione dum voluit, oſtendit, & ſpontaneam tolerantiam coarguit.

315.

Iſai. 51. v. 20.

Gloſſa.

Lyra.

§. LXXVI.

Digitized by Google

§. LXXVI.

Is peccandi eſt furor, vt celeres anteuertamus occaſiones, & maturemus nobis calamitates.

316. Seneca. ODiſſe, & laceſſere virtutem bonæ ſpei eiuratio eſt, inquit Seneca de vita beata cap. 26. Addere potuiſſet vitiorum occaſionem laceſſere, tardámque criminari, improbæ voluntatis eſt argumentum: qui occaſione illectus deliquit, aliqualem excuſationē crimini attulit: qui impatiens immaturam voluptatem ſitit, deuorátque, de innata peruerſitate integrè peccat, plenéque delirat. Nos aliquando vitia tenent; ſæpiùs nos trahimus; imò & reluctantibus violentiam inferimus, clamante propheta: *Væ qui trahitis iniquitatem in funiculis vanitatis, & quaſi vinculum plauſtri peccatum.* Iſai. 5. v. 18. Vel renitentem occaſionem trahunt, vel pondere grauitantem impellunt,& vt cupiditatum delira expleuerint vota, immatura accelerant tempora: non expectant peccandi opportunitatibus incitari; ſed ſtudent præcurrere, & anteuertere. Adeſt Baſilius ad hunc locum: Baſilius. *Sit vnus aliquis propenſus & alacer ad peccatum explendæ ſuæ lubricitatis: obſerua quæſo per quot, quantáve aſciſcit ſibi, & trahit peccatum luxuriæ: primum quidem ſuum ipſius corpus ad eundem modum ſimulat, & componit. Et crines quidem hoc modo & circumtondentur; taliter verò veſte amicitur, & hæc quidem non qualicúmque; ſed quæ ſtudio quæſita ſit, & faciat ad elegantiam.* Addit: *Denique, vt ſemel dicam, malitia omnis, quæ in proximum, non fortuitò quidem, & obuio caſu perficitur; ſed conſulto, & inſidioſè præcogitatis molitionibus è longinquo conſummatur: funiculus iſte eſt in longum exporrectus; per quem homines ſibi ipſis attrahunt peccata, longiſſimè licet diſſita.* Diſtat cupiditatis opportunitas ſalacitati tempus opponitur, fugit vltionis commoditas; nos verò funiculis trahimus & reluctantes occaſiones violenter adducimus. Diſceſſerat Samſon; latuerátque in ſpelunca petræ Etam, Philiſthini mediis contribulibus de longè funibus trahunt illigatum, & adhuc non expectant accedere; ſed venienti geſtiunt occurrere: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam. Qui cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum.* Illigatus trahebatur; verùm vindictæ ardore ſic Philiſthini inſaniebant, vt non expectarint acceſſum; ſed ipſi maturarint volatum. Interempti iacuerunt de Philiſthinis quam plures milites, & quidem iure, vt qui impatienter non expectarunt vltionis commoditatem, ſtragis ſuæ maturauerint occaſionem: Abulenſ. *Cùm eſſet ligatus*, inquit Abulenſis q. 26. *magis videbatur trahi; quàm venire.* Compulſus ad ſpeciem veniebat, ſpontaneus fugerat; ea tamen gliſcebant vindictæ inſania, vt ſibi occaſionem procuderint, & reluctantem adegerint. O quoties nos ipſi ſumus noſtræ calamitatis opifices, dum fugiens infortunium prehendimus, & ne diſceſſerit catenis nobis infelicibus illigamus. Samſon Philiſthinorum excidium fugerat, eorum calamitas aberat, & tamen ipſi ligatum vinculis traxerunt, & veluti adactus igniculis inflammarunt.

Salomon, vt quæ in vitia alacritate properemus deſcribat, ſalacem iuuenem inuolanti ad laqueum volucri aſſimilauit: 317. *Velut ſi auis feſtinet ad laqueum, & neſcit quòd de periculo animæ illius agitur.* Prouerb. 7. v. 23. Nonnullæ aues, dum ouis incumbunt, dum nidis deliteſcunt, induſtria aucupis doloſitate capiuntur; ipſæ tamen pericula ſibi non maturarunt; ſed ſuſtinuerunt. Aliæ ſunt, inquit Salomon, ſic cupiditate deluſæ, & venenata eſca illectæ, vt non expectarint nidis capi, ſed celeri volatu retia experierint, & captioſos ad laqueos inuolarint: ergo iuuenes, inquit Salomon, occaſionem non expectant; ſed præmaturant: non aſſimilantur auibus infortunio captis; ſed ſtudioſè irretitis: Ingenioſè Hugo Cardin. ad hunc locum. *Velut ſi auis feſtinet ad laqueum trahente eum voluptate, ita etiam quòd præueniant tentationes; quod grauiſſimum peccatum eſt.* Hugo. Non expectamus aliquando laqueos: ſed maturamus, & teximus, & ſtudioſa ſedulitate quomodo occaſiones peccandi nobis faciamus, diſcurrimus. Excuſatiùs peccat, qui opportunitate inuaſus, & commoditate illectus excuſationem nullam errori ſuo quibit prætendere, quem ad laqueum, inſipientis ad inſtar volucris conſtiterit inuolare.

318. *In viis ſedebas*, exprobrat Ieremias mulierculæ ænigmate Iudæorum plebi, *expectans eos quaſi latro in ſolitudine, & polluiſti terram in fornicationibus tuis; & in malitiis tuis.* Latro obuiam viatoribus tendit, & inſidias aliud prorſus agenti diſponit: ipſe expectat, vt diſpoliet incautos, nec caſu inſidiatur; ſed ſtudio: ergo hæc mulier non peccabat ab aliis illecta, & muneribus inuitata; ſed latronis ad inſtar inſequebatur fugiētes, & premebat reluctātes: illam non quærebat occaſio; ſed occaſionē illa. Innuit Gloſſa: Gloſſa. *Sicut ſolent latrones ad veſperam in deſertis locis viatoribus inſidiari, ſic tu vt concubitu tuo animas interficeres fornicantium.* Graſſator præſtolatur, vt rapiat, inſidiatur nequiſſimus, vt diripiat. Ergo iſta anteuertebat tempus vitiorum cupidine, & maturabat occaſiones ſalacitate. Expende, & videbis quanti de iniquarum affectionum prurigine annos matureut, tempora accelerent: mali eſſe volunt, cùm ætas non patitur cùm infirmitas obnititur.

319. *Væ tibi terra*, aiebat Eccleſiaſtes, *cuius rex puer eſt, & cuius Principes manè comedunt.* Eccleſ. 10. v. 16. In hoc matutino eſu temporis anticipationem deſignari, & nimiam vitiorum eſuriem teſtantur Lyra, & Interlinearis: Interlin. *Manè comedunt, ante tempus*, inquit Interlinearis; non expectant opportunitatem temporis; ſed tempus faciunt: in ipſo manè iam eſt pruritus meridies, iam candet libidinis ardor, iam totam ſuam explicuit inſaniam furor: qui opportunè tempore veſcitur, etſi tantiſper inclinarit ad luxum, naturæ eſt imbecillitati adſcribendum, at retrotrahere tempus appetitus inſaniæ ſemper eſt applicandum: ni enim importuna adurgeret eſuries, non ſic manicaret coquus, nec vitiorum cibos diſponeret concinnator. Miſera eſt terra, vbi ſic tempora inuertuntur, vt vitiorum luxus, & ambitionis cura improba anticipentur: *Manè comedunt*, inquit Lyra, *id eſt inordinatè, & per hoc deſignantur alia vitia.* Quiſquis appetitui indulſit, ordinem rationis inuertit: modum ignorant vitia; verùm in ipſa deordinatione talis qualis ordo eſt, proritante occaſione labi, æſtuante iuuentute laſciuire, ſtatis vitio temporibus corpori indulgere eſt in ipſa deuiatione aliqualem modum tenere, non erroris lineas tranſgredi; aſt per omnia deerrare,

Digitized by Google

decertare, temporis metas tranſilire, occaſiones architectari, violentiam ætati inferre, ſummæ eſt peruerſitatis delirium, & diabolici furoris compendium. Non ſic homines virtutem accelerant, non ſic annos ad probitatem anticipant, ægrè prudentes animum inducunt, vt credant aliquos ſic virtutum amore rapi, vt metas tranſiluerint temporis & ætatis. Teſtis eſt Dauid.

320. Imperfectus per ætatem iam erat maturus ad perfectionem: nam cùm Goliath Dei populum probris laceſſeret, & linguaci temeritate infamaret, de repente Dauid puerulus, impubéſque ad ſe pugnam rapit, & decertare cum bellua humana facie contendit: Saül ætatis excuſationem prætendebat, vt qui puer aptior eſſet lapſibus quàm congreſſibus: ab adoleſcentia fatebatur gigantem bellicam contrà virtutem artem didiciſſe, & certaminibus inſudaſſe, non tamen poſſe Dauidem præ ætate tenellum in vitia audere, & cum hoſte 1 Reg. 17. v. 33. audaciſſimo decertare: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduersùs eum, quia puer es; hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.* Quàm obturbat rationem timor, quàm ligat prudentiam! Si Philiſthæus ipſa in adoleſcentia iam præliator maturus, & miles certaminibus aptus, cur Dauid in iuuentute non ſolùm nequeat pugnare; ſed & reſiſtere? Quia materia erat diſſimilis, & diuerſiſſima cauſa. Philiſthæus oppugnabat virtutem, Dauid vitium expugnabat, adeóque eſt frequens ad vitiorum exercitium tempus anteuertere, anticipare ætatem, præmaturare occaſionem, vt mirum non fuerit gigantem ipſa in adoleſcentia ſe virum præbuiſſe, & certaminibus inſudaſſe; ad virtutem verò immaturas vires exerere, ætatem valentiorem aſciſcere, pueritiam deponere, & virilitatem induere, ſic videbatur inſolitum, vt in Dauide poſſit cenſeri miraculum: *Cùm ægrè duceretur in ſpem*, ſcribit Baſil. Seleuſ. orat. 15. Baſil. *credere renuiſſet, niſi ad id neceſſitate compulſus fuiſſet: terrore victus ætatis excuſationem prætexebat: Non vales reſiſtere Philiſthæo illi, neque repugnare aduersùs eum, quia puer es, hic autem vir bellator eſt ab adoleſcentia ſua.* Expende illud: *Credere renuiſſet.* Videbat certamina ardentem, nec credebat, vt ſic de ſingularitate Dauidem extulerit, eiúſque magnanimitatem de raritate dubitando ſumptuoſiùs exaggerarit: nec aliter viſum eſt aduerſario: *Cùm inſpexiſſet Philiſthæus, & vidiſſet Dauid, deſpexit eum.* Baſilium audi: *Videns puerum pugnæ incenſum amore, oculorum elegantiam, genarum florem, & alienum à belli ſtudiis ſchema, in riſum effuſus eſt.* Res videbatur ludicra, puerum ad prælia virum, adoleſcentem militem pro virtute perfectum. Vtque videas quàm noſtra ſit theſis vera, expende Goliath hoſtem prouocaſſe: *Stans clamabat aduersùs phalangas Iſraël:* & ipſo in certamine priùs ipſum, quàm Dauid arma mouiſſe, ſuæque ruinæ, & calamitati ſtudioſè ſatis appropinquaſſe: *Cùm ſurrexiſſet Philiſthæus, & veniret, & appropinquaret contrà Dauid, feſtinauit Dauid.* En Dauid feſtinauit iam laceſſitus & prouocatus, cùm tamen Philiſthæus Dauide adhuc in ſtatione perſiſtenti ſurrexerit, feſtinè venerit & imprudentiſſimè appropinquauerit. Equidem ni ipſe appropinquaret, Dauid non curreret; verùm qui ab adoleſcentiâ maturauit tempus ad pugnam, & greſſum accelerauit ad plagam.

§. LXXVII.

Occaſio Circes ad inſtar ingenia mutat: qui ante certamen ſibi promittebat victoriam, in campo oſtendit ignauiam.

Homines non ſolùm aſſentantur aliis, ſed 321. ſibi, vt quâ fruuntur, vitam profundant, ſe victuros laudabiliter ſperant, & cùm imbelli hoſti ſæpè ceſſerint, ſibi promittunt de fortiori victoriam, & ſperant deluſi palmam; nolunt deuitare pericula, & amore lapſus ſpondent ſibi trophæa: voluptates nolunt reſpuere, vt quæ de ipſa occaſione aliquid delibent, occaſionem exambiunt, & ſe fortitudine ac virtute quicquid aduerſum acciderit, tēperaturos ſibi ipſis illudentes promittunt. Optimè expendebat Seneca de vita beata cap. 10. *Ab hac* Seneca. (voluptate) *occupatus quomodò reſiſtet labori, ac periculo, egeſtati, & tot humanam vitam, circumſtrepentibus minis? Quomodò conſpectum mortis, quomodo doloris feret? Quomodò mundi fragores, & tantum acerrimorum hoſtium tam molli aduerſario victus?* Adnectit moraliſſimè: *Quidquid voluptas ſuaſerit, faciet. Age non vides quàm multa ſuaſura ſit? Nihil, inquis, poterit ſuadere turpiter, quia adiuncta virtuti eſt: non tu vides vtilicem quale ſit ſummum bonum, cui cuſtodia opus eſt, vt bonum ſit? Virtus autem quomodò voluptatem reget, quam ſequitur, cùm ſequi parentis ſit, regere imperantis? A tergo ponitis, quod imperat; egregium autem virtutis apud vos officium voluptates prægustare.* Diuiſus animus inter virtutis pretium, & voluptatis ſtudium ſibi ſpondet egregia virtutis opera, vt dura voluptatis ſuſtineat vincula: anhelat quid deliciarum prægustare, & ne charum breuémque guſtum amiſerit, ipſo in deliciarum conſpectu, in ipſis hoſtium oculis virtutem exerendam exiſtimat, & palmam de aduerſario reportandam ſtultè ſperat. Philiſthini delectum cogunt, & Samſonem illigandum ſibi promittunt: *Vt ligemus Samſonem, venimus, & reddamus ei, quæ in nos operatus eſt.* Iuda tribus eâ Philiſthinorum formidine tenebatur, vt eorum conatibus inſeruierit, & Samſonem illigatum tradendum illis adduxit: Philiſthini vt hoſtem à longè vident, de victoria ſibi plaudentes vociferantur, & occurrere imprudentiſſimè geſtiunt: *Cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum . . . inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Quàm alij fuerunt diſtantes à ſe ipſis, dum præſentes! Quàm alius fuit viſus & congreſſus? Dum congrediuntur, enerues cadunt: dum à longè certaminis locum aſpiciunt, inanibus plauſibus ſibi imponunt. Notauit Ambroſius iam datus: *Qui cominus auſi fuerant congredi, facili negotio, nullo labore obtruncati, aliis fuga* Ambroſ. *exitium dempſit.* Auſus plurimum ab opere diſtitit! non erat idem vires oſtentare, victoriam ſibi ante congreſſum promittere, iactantioſa verba effutire, ac cum Samſone congredi: promittebant ſibi de armorum copia, de munitionum prouidentia obtinendam ſine difficultate victoriam, verùm ceſſerunt arma, vertit exercitus terga, & iacuerunt miſerè occiſi, qui ſe iactabant

modò

modò glorioſi: Milites verbis exundantes inueniri ſolent fortitudine nudi, de lingua ſupplent manus valentiam; verùm oſtendit ignaua manus verborum inſolentiam, & vanitatis arguit audaciam. Samſon glorioſum verbum non iactauit, inimicos occidit: Philiſthini immaturè ſibi gratulabantur de palma, & miſerâ ceciderunt ruinâ. Itaque alios oſtendit occaſio, ac promittebat præſumptio. Offert iam præſens voluptas blanda oblectamenta, quibus molleſcit animus anteà ad ſpeciem inexorabilis, hoſtium truculentiam fortitudinem expectorantem, & in fugam ſæpè cogentem exaggerat metus, vnde qui à congreſſu diſtans ſibi videbatur fortis in arena inuenitur eneruis. Ecce qui putabant Samſonem illigatum, inuenerunt vinculis abſolutum, & qui credebant inermem, experti ſunt in eorum perniciem fortem. Tutius eſt occaſionem fugere, quàm prouocare: occurrere namque ſolent plurima, quæ humana prouidentia non proſpexit, quæ ſagax ignorabat cautela, quæ præcauere non didicit ignorantia.

322. Inſtruxerat Siſara aciem contra Barachum, in illum militauerat æther, cuius fragore perterritus pedes fugit, & tabernaculum Iaëlis intrauit: illa lac ſaporatum obtulit, & ille ſiti diuexatus bibit: (Iudic. 4. v. 19.) *Aperuit vtrem lactis, & dedit ei bibere; & operuit illum.* Lac ſomnum conciliare non dubium: quomodò ergo Siſara, qui Iaëlis tentorium fuerat ingreſſus, vt fugaret periculum, ibi periculoſum aſciuit ſomnum? Cœli fragoribus territus, grandine pro ſagittis percuſſus dormit, cùm inuigilare, & ſolicito ſtudio hoſtium furorem declinare debuiſſet. Ita ſanè; verùm vrgebat ſitis, lac verbis propinabatur blandiſſimis, & quamuis propoſuerit fugere, occaſio perſuaſit dormire: non erat facile præuidere in lacte ſomnum, abſtinentiâ præcauiſſe periculum ſiti adurgente, & fœminâ verbis blandiſſimis inuitante: (Lyra.) *Petenti aquam,* inquit, Lyra, *dedit lac ad bibendum, quia potus lactis aggrauat corpus hominis, & inducit ſomnum.* O quàm perículoſæ ſunt mulierum blanditiæ! quàm ſomnum aduocant! quàm vires eneruant! Deliciis periit, qui cæleſtia iacula eluſit; & qui ſtuduerat fugere, prolectante occaſione inuentus eſt dormitare. Adde nonnullos, quia ſemel occaſionem aliquam deuicerunt, ſtultam confidentiam aſſumere, & de ipſa ſecuritate miſerabiliter diſperire.

323. (Cantic. 3. v. 3.) Sponſa non timet publicum propoſito fidens, & ſponſum quærere exambiens: *Surgam, & circuibo ciuitatem, per vicos & plateas quæram quem diligit anima mea: quæſiui illum, & non inueni: inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* In circitorum manus incidens indemnis euaſit, nec quid ornamentorum amiſit. Hæc ipſa iterum adit publicum, vt quærat ſponſum laudabili deſiderio munita, & honeſto ſtudio defenſa: iterum incidit in circitores; non tamen exiuit ex eorum manibus illæſa; ſed exuta, & vulnerata: (Cantic. 5. v. 7.) *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem: percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Promittebat ſibi priùs experta ſecuritatem, non timebat adire publicum, vt quæ in publico nullum acceperit detrimentum; ſed illæſum virtutis cuſtodierit ornatum; at dum fortè nimis fidit, & plateas iterum adit, diſpoliata eſt ornamentis, & inflictis ingemuit plagis. (Delrius.) *Videas*, ſcribit Noſter Delrius hic in tropologia, *omni conatu à bono propoſito auertere conari, modò per blanditias, modò per calumnias.* Quæ priùs nullis fuerat blanditiis illecta, nullis probris exagitata, dum iterum publicum repetit, dum oculos venaticos & audentes manus non timet, plagam tulit, ornamentiſque caruit: ſatius eſſet illi, ſi quam priùs experta fuerat ſecuritatem, cautela prouidentiori honoraſſet, nec iterum periculum adiiſſet; at inde nata eſt audacior confidentia, vbi oriri debuit cautela ſolicitior. Optimè Tertullianus libro de Pœnitentia cap. 7. *Plerique naufragio liberati exinde repudium & naui & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet, memoriâ periculi honorant.* (Tertullian.) Prudentes, vt Dei æſtimauerint beneficium, non euaſionis; ſed periculi recordantur: imprudentes Dei beneficium dehoneſtant, dum periculi memoria occaſionem non repudiant; ſed euaſionis confidentiâ ſibi occaſiones adaggerant. Si ſponſa ſemel à vanitulis & audacibus inuenta publicum iterum repudiaret, Dei honoraſſet beneficium, & intactum ſeruaſſet pallium; at dum ſemel indemnis forum adit, dum ſe iterum oculis obiicit; blanditiis, etſi non conſenſerit, titillatur, procacibus verbis feritur, & iam lamentatur pallio nuda, percuſſionibus plena. Animus ad primum ictum conſtans debilitatur ſecundo; vtque infirmitas per gradus procedens ad mortem ducit, & leuis febricula, dum ſanguinem aliquantulum inficit, ad febrim deteriorem diſponit; ita occaſio, etſi vigorem primo impetu non deiecerit, extenuat aliquantulum, & ſam qui priùs perſtitit inuulnetabilis, plagis poſteà locum præbuit, & virtutis ornamentum amiſit.

§. LXXVIII.

A Dei Spiritu venit, quod vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophæa.

DEi Spiritus à Tertulliano vocatur Xyſtarches, vt qui præſideat certaminibus, vt qui vigorem inſtillet, ædificet robur, & offerat præmium. 324. *Proinde vos benedicti* (alloquitur martyras, lib. ad martyr. cap. 3.) (Tertull.) *quodcumque hoc durum eſt, ad exercitationem virtutum, animi, & corporis deputate. Bonum agonem ſubituri eſtis, in quo agonothetes Deus viuus eſt, Xyſtarchus Spiritus ſanctus, corona æternitatis.* Quod poſt bonam militiam corona fruamur, & Angelicæ politiæ in cœlis deputemur, Spiritui ſancto adſcribendum eſt: quomodo enim ſine eius ope luteus homo ſe terribiliorem ſibi hoſtem deuinceret, inſidioſas appetitionum fallacias eluderat, dæmonem aduerſarium virulentiſſimum ſterneret: *Omnia de carnalibus in ſpiritualia renouauit noua Dei gratia* (verba ſunt Septimij de orat. c. 1.) *ſuperducto Euangelio expunctore totius retroveſtutatis, in quo & Dei ſpiritus & Dei ſermo, & Dei ratio approbatus eſt Dominus noſter Ieſus Chriſtus: Spiritus, quo valuit; ſermo, quo docuit; ratio, qua venit.* Spiritus noſtrarum virium eſt valentia, roboris efficacia, & aduerſariorum ſemper ruina: vnde quicumque de vitiis, de dæmonibus, de appetitionũ fraudibus triumphum tulit, Spiritui ſancto, cæleſtique gratiæ adſcribat: ni enim cæleſtis hic ſpiritus vires miniſtraret, & in aduerſarium acueret, non ſolùm indecorè

verteremus

vetteremus terga; ſed infami iugo ſubderemus miſerè colla. En Samſon illigatus, & neruoſis funibus compeditus hoſtium victima trahitur, & illudendus offertur: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Iam hoſtes fauſtis, vt rebantur, iteratiſque acclamationibus ſibi plaudebant, nec Samſonem durè ſubiugandum dubitabant; verùm de ſpiritus fortitudine, de cœleſti igne, de ſuperno afflatu & vincula fregit, & inimicos proſtrauit: *Cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit Spiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi, ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta.* Spiritu non afflatus catenarum nexibus manus inſeruit, afflatus facillimè rupit: vt noueris ſine Spiritus ſancti ope Samſones etiam fortiſſimos ab hoſtibus illigari, eius verò auxilio victos & illigatos etiam vires reſumere, & audaces hoſtium phalangas proſternere: *Vbi appropinquare accitos ad ſuſcipiendum Paleſthinorum validos*
Ambroſ. *videt* (graphicè ſcribit Ambroſius lib. 5. epiſtolar. epiſt. 25.) *infremuit ſpiritu, & vniuerſa dirupit vincula, atque arripiens maxillam aſini iacentem percuſſit mille viros, fugauit alios grandi virtutis ſpectaculo, cùm inermo & vni cederent armatorum agmina.* Ceſſerunt armatorum agmina vni externis armis nudo; ſed interno Spiritus ſancti robore armato: valuit aduerſus hoſtium numeroſas copias ſpiritu; vt inde diſceret, quàm eſſet obnoxius vinculis cæleſti pulſu non munitus, quàm eſſet fortis eis ſuppetiis inſtructus, & eis auxiliis defenſus.

325. Hiſtoriæ penicillo, quòd animabus contingat, delineatum putat Richardus: iacebat Petrus vinctus catenis duabus, cùm Dei aduentat miniſter, & lumen cæleſte fœdas carceris depellit tenebras,
Actor 12. v. 6. & ardore conſumit tricas: *Erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem, & ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo, percuſſoque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter; & ceciderunt catenæ de manibus eius.* In Petro dormiente catenis cincto, ad mortemque producendo adumbrari peccatorem arbitratur Ri-
Richard. chardus in allegor. Tilmani: *Vultis ſcire quæ ſint huiuſmodi vincula, quæ ſoleant mentes etiam meritis ſublimes quandoque grauiter irretire? Modò ſordida titillatione caro inflatur, modò fœda cogitatione animus ſordidatur: quaſi ergo carnales tenebras incurrimus, quando his concupiſcentiæ nexibus irretiti confuſionis noſtræ caliginem declinare volumus, nec valemus.* En petra duriſſima titillatione molleſcit, ponderibus prægrauatur, ſomni phantaſiis illuditur; verùm, qui antequam cæleſte lumen micaret carcere noctis ſomnique premebatur catenis, de luminis ſplendore tenebrarum fugauit maculas, de ardore vinculorum ſoluit catenas: *Eiuſmodi ſancta anima,* proſequitur Richardus, *ad diuinæ legationis aduentum eripitur, quando ex diuinæ inſpirationis gratia, & reuelationis luce ab oppreſſionis ſuæ pondere releuatur.* Sine cæleſti lumine nulla eſt, quantumvis eximia, rupeaque hominis fortitudo; de cæleſti tamen ardore vinculum rumpitur, & hoſtium vigilans doloſitas detriumphatur.

336. Ezechiel per lati campi planitiem ducitur, ibi oſſa adeò vehementer ſicca intuetur, vt ſolùm ia-
Ezech. 37. v. 1. cere, non aſſurgere fuerint apta: *Dimiſit me in medio campi, qui erat plenus oſſibus, & circumduxit me per ea in gyro: erant autem multa valdè ſuper faciem campi, ſiccaque vehementer.* Hoc rerum ſtatus ſpiritu irruit, & iam ipſo in campo, vbi iacuerant ſicca, in hoſtem militant bellicis ſtationibus ſapienter diſpoſita: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valdè.* Ne mens noſtra obſcuro laboraret ænigmate, explicuit ipſe propheta: *Oſſa hæc vniuerſa domus Iſraël eſt, ipſi dicunt: Aruerunt oſſa noſtra.* Si loquebantur, quomodo compage disiuncta, & exucca prorſus ac ſicca? Quia in ordine ad pugnandum quouſque ſacer vires refudit ſpiritus, domus Iſraël iacebat quodammodò emortua ac viribus deſtituta; at vbi cæleſtis ardor demortua refouit membra, iam in virtutis hoſtes prænſarunt arma: vt noueris à Dei ſpiritu venire quod viuant, & in aduerſarios audeant. *Quod re-* Galfrid.
cepto ſpiritu, inquit Galfredus in allegor. Tilmani: *Super pedes ſuos oſſa rediuiua ſteterunt, id ſignificare videtur, quòd viri ſancti recepta ſpiritali viuaci quadam hilaritate ad laudes conditoris exiliunt.* Iam in Dei laudes exilit, qui antea ſine ſpiritu os exuccum, & putrefactum: iam ignauia tranſit in fortitudinem, iam terram calcat, qui tellure iacebat, iam prænſat arma, qui rationis anteà carebat vità.

Philiſthiim poſt acceptam à Dauide ingentem 327.
plagam, adhuc inſtaurare nituntur pugnam, & recolligere militum copiam: Dauid oraculum conſulit, & in reſponſis accepit poſt aduerſariorum terga gyrandum, expectandúmque gradientis in cacumine pirorum ſonitum, quo velut dato ſigno inimicorum elanguebit audacia, & Dauidem coronabit victoria: *Cùm audieris ſonitum gra-* 1. Reg. 5. v. 24.
dientis in cacumine pirorum, tunc inibis prælium: quia tunc egredietur Dominus ante faciem tuam, vt percutiat caſtra Philiſthiim. Hoc ſonitu Spiritus ſancti aduentum deſignari, tradit Rabanus apud gloſſam: *Flante Spiritu ſancto intonuit prædicatio-* Raban.
nis ſonus. Conſonat Theodoretus q. 19. *Sapientiſſimus pædotriba Dauidem in virtute exercet, &* Theodor.
ſuadet, ne ſuis fidas viribus; ſed eius expectet auxilium; vnde etiam dat ei ſigna ſui aduentus: nam quando, inquit, videris ſyluas ſua ſponte moueri abſque vento, tunc deſcende ad bellum. Opportunus belli ſucceſſus de Spiritus ſancti oriebatur auxilio, ſine quo Dauid, quantumvis manu fortis, in acie inueniretur eneruis: ni ſacri Pneumatis ope fulciretur, non ſolùm non vinceret; ſed ſtationem ignominioſè deſereret: de huius namque pugnaciſſimi pædotribæ ſubſidio venit, quod aduerſus hoſtes ambiamus prælium, & aſſequamur certamine legitimo triumphum. Si Dauid ſuæ valentiæ fideret, ipſa præſumptione caderet; at dum ſacri ſpiritus flatu erigitur, opimis de hoſte ſpoliis coronatur: nulla eſt hominis valentia, nulla Dauidis, aut Samſonis fortitudo, ni hic ſupernus vigor adſit, & inſit; at de eius viribus ſic vel imbelles roborantur, vt diſruptis vinculis, fractis catenis, compedibus comminutis terrori ſint aduerſariis, nec ſolùm profligauerint; ſed attriuerint. Vnde Dauid grato ore canebat: *Dirupiſti vincula mea,* vt qui nouerat à Sancto Spiritu prouenire vinculorum diſſipationem, & libertatem.

§. LXXIX.

Digitized by Google

§. LXXIX.

Qui aliquando tempus profudit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidus.

328. QVerebatur Ariſtoteles de natura, quod cum animalibus quina aut dena ſæcula liberali manu concederet, homini in tam multa ac magna genito interiorem multò terminum anguſtarit, verùm iuſtius de ipſo homine queri debuiſſet. Satis longa vita eſt, & in maximarum rerum conſummationem non auara manu conceſſa, ſi prudentia totam benè collocaret, nec amentia profunderet, per luxum ac negligentiam plurimis tota vita effluit, & in fine ſentiunt euolaſſe, cùm anteà ignorarent tranſire: non recepimus anguſtam vitam; ſed facimus: non ſumus temporis inopes; ſed prodigi: non eſt cur de rerum natura queramur: ſatis longa vita eſt, quæ benè collocata eſt. Opportunè Seneca de breuit. vitæ cap.2. *Omne ſpatium non vita; ſed tempus eſt: vrgentia circumſtant vitia vndique, nec reſurgere, aut in diſpectum veri attollere oculos ſinunt; ſed merſos, & in cupiditatibus infixos premunt.* Itaque de vitiorum arte vita degenerauit in tempus, & homo lapidis ad inſtar non vixit; ſed durauit. Verùm ſi de peruerſa vitiorum induſtria vita conuerſa eſt in otioſum ſpatium, de virtutis arte ſpatium reſculpi poteſt in vitam: licèt tempus colligere, & aduerſus eius fugam tenere. Samſon ligatus, & funium vinculis præpeditus fortitudinis opera aliquantulum intermiſit: *Ligauerunt eum duobus nouis funibus, & tulerunt eum de petra Etam.* Verùm ſe ipſum erubeſcens vincula diſrupit & iners dexteræ otium celebri inſtaurauit triumpho, vt vinculorum ignominiam laudabilis inauraret audacia, & expungeret decantanda victoria: *Irruit Spiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi; ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta, inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Indignatus quòd catenarum nexibus manus tradidiſſet, tempus inertiâ amiſſum inſtaurare decreuit, & in hoſtes ardentiùs irruit: *Spelæo egreſſus*, ſcribit darus Ambroſius, *deſeruit petra munitionem, ac duobus innexus funibus, vbi appropinquare accitos ad ſuſpiciendum Paleſthinorum validos videt, infremuit ſpiritu, & vniuerſa dirupit vincula, atque arripiens maxillam aſini iacentem percuſſit mille viros.* Eadem, quæ ligata fuerat, manu hoſtes attriuit, & qui ante vincula contentus fuerat ſegetes ſolum adurere, poſteà aggreſſus eſt aduerſarios extrema clade conterere, vt de exceſſu facinoris iniuriam vinculorum detereret, & amiſſum tempus compendioſis actionibus inſtauraret: ſuis nos factis Samſon edocuit poſſe quod amiſimus vincti aduerſariorum compedibus, tempus recolligere illatis ſtrenuè aduerſario cladibus.

Seneca. Pluribus tempus non vita, ſed ſpatium eſt.

Ambroſ.

329. Petrus hoſtium præda duris catenis vinctus, & incarceratus dormiebat: mors inſtabat, nec tamen immenſos ſomno oculos diducebat, nec anxietudine inuigilabat. Quod ſi hiſtoriam ſolùm ſpectes, mirè commendat Petri magnanimitatem, & eximiam prodit virtutem. Mirabatur Seneca Socratem, qua nocte interimendus erat, dormiiſſe: quia nondum viderat Petrum placidum ſomnum capraſſe. Dei Angelus ruptis catenis amiciri ornatu, & præeuntem ſequi iubet. *Dixit Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas, & fecit ſic. Et dixit illi: Circunda tibi veſtimentum tuum, & ſequere me. Et exiens ſequebatur eum.* Richardus in allegor. Tilmani in Petri vinculis affectionum catenas exiſtimat adumbrati, Petrumque imaginem hominis ab aëriis poteſtatibus irretiti gerere: ipſum audi: *Vultis ſcire quæ ſint huiuſmodi vincula, quæ ſoleant mentes etiam meritis ſublimes quandoque grauiter irretire? Modò ſordida titillatione caro inflammatur, modò ſæda cogitatione animus ſordidatur: quaſi ergo carcerales tenebras incurrimus, quando his concupiſcentiæ nexibus irretiti confuſionis noſtræ caliginem declinare volumus, nec valemus.* Benè: adumbret Petrus peccatorem culpæ carcere incluſum, duris appetituum vinculis illigatum, verùm ob id ipſum non debuit Angelus ad ſe ſequendum cogere; ſed veſtigiis de catenarum preſſura torpentibus compati: ſequatur Angelus Petrum, aut ſaltem comitetur, non Petrus Angelum: quis enim alatum ſpirituum æquis poterit paſſibus imitari? Adhæc, ſi pedes vinculis non aſſuefacti, expeditius quidem incederet; at vinculis recens diſruptis adhuc impeditos ponet greſſus: ergo catenis nuper ſolutum vrgeat ad gradiendum, non ad inuolandum. Imò ob id ipſum, inquit Richardus, iubet gradum feſtinantiùs accelerare, & Angelico veſtigio inhærere, vt de celeritate gradiendi tempus recuperet inerti ſomno elapſum, & vinculorum nexibus impeditum. *Felix Petrus, qui non ſolùm meruit ab Angelo eripi; verùm ereptus etiam Angelum ſequi. Puto quod non omnes, qui ab Angelo eripiuntur, Angelica etiam veſtigia comitantur.* Vt Petrus felicitatem ſuam cumulet, non ſolum ruptis vinculis fugiat carcerem; ſed imitetur Angelicum comitem, vt qui ab homine tranſierat in orygem illaqueatum, à carcere tranſierit in Angelum ſic namque quod de homine eraſerat ſomnus, Angelicus reſculpet inceſſus: ni ligatus iacuiſſet, ſatis erat greſſibus incedere humanis; & ad deterendam vinculorum iniuriam, pennis inuolare oportet Angelicis. En artem inſtaurandi temporis fugam, en quomodo reproduci poſſit amiſſum: ſi iacuiſti vitiis oppreſſus, inuola eximiâ virtute alatus.

Actor.12. v.8.

Richard.

Sponſa ab ſponſo, vt oſtium aperiret, blandiſſimis verbis compellata ſomno maluit indulgere, quàm ſurgere: *Ego dormio, & cor meum vigilat.* Cor eius, ſponſus videlicet, vitæ ac ſalutis principium inuigilabat, cùm ipſa ſtragulis fota dormiebat; verùm inertiæ ſuæ pœnitens trahi ſe poſtulat, quia currere anhelat: *Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Mira res: cum non ignoret exultare ſponſum gigantis ad inſtar ad currendam viam, ſequi exoptat non de præſumptionis auſu; ſed de laudabili virtutis ſtudio; fatetur ſe aliquando dormitaſſe, nec pulſanti reſpondiſſe: ergo modò de volatus celeritate ſupplere exambit, quod ob inertiam amiſit. Innuit Bernardus ſerm. 21. in Cant. *Trahe quodammodò inuitam, vt facias voluntariam, trahe torpentem, vt reddas currentem.* Non valet ex æquo currere, nequit cum illo de celeritate contendere; verùm ipſa inertia ſtimulata, ipſa pro ſtimulis vſa, iam contenta non eſt gradi; ſed geſtit currere: nec ſequi ſolùm diſcupit Angelum; ſed ſponſum: laudabili indignatione inardeſcens celeri geſtit otium 330.

Cantic.5. v.2.

Cantic.1. v.3.

Bernard.

otium depellere curſu, & quia plus iuſto indulſit
lectulo & ſomno, eum imitari contendit, de quo
Pſal.120. v.4. propheta? *Ecce non dormitabit neque dormiet*; &
de quo ipſe: *Vulpes foueas habent, & volucres*
cæli nidos; filius autem hominis non habet vbi ca-
Matth.8. v.20. *put ſuum reclinet.* Vigilias iam colit indefeſſa, iam
renuntiat ſomni dulcedini: quia otio ſtuduit, &
vocata ſurgere recuſauit: mollitiem lectuli dura
humicubatione caſtigat, & quia roſcido & itine-
ribus feſſo diſtulit aperire, roſcida, & laboribus
trita deſiderat comitari: *Trahe me*, inquit, *olim*
torpentem, vt reddas currentem: ſic namque cor-
poris detrimenta curſus velocitate inſtaurabo, &
lectuli abiurabo mollitiem obnoctando, & capiti
lapidem ſupponendo.

331. Poſt acerbam illam paſſionis tempeſtatem Ma-
gdalena adhuc amore flagrabat, & ne à cadauere
Ioan.20. v.1. diſcederet, ſepulchro approximare ſtudebat: *Ma-*
ria Magdalena venit mane, cum adhuc tenebræ
eſſent ad monumentum. Cùm tenebræ adhuc in diſ-
cipulorum cordibus eſſent, Magdalenæ lux ma-
nicabat: vt vidit ſublatum lapidem, Petro denun-
tiauit, ille Ioanne aſſociatus depoſito metu cur-
ſum arripuit, & denuntiata exploraturus oculis
inuolauit: *Currebant duo ſimul.* Si Maria candi-
diſſimo amore exæſtuans die iam illuceſcente non
cucurrit; ſed venit: cur Petrus non lento greſſu
venit, ſed celerrimo cucurrit? Solutio facilis: Ma-
ria nec fugerat, nec negauerat, negauerat Petrus,
& Ioannes fugerat: ergo optimo conſilio currunt,
vt curſus ſit pro fuga, & negatione legitima com-
penſatio, & recuperent celeriter proximantes,
quod amiſerant recedentes. Huc voco Gregorium
Gregor. cap.1. in Cantic. *Sancta mens, cùm præterita*
vitæ turpitudines conſpicit, cùm peccata ſua enu-
merat, quæ fecit, mox ſecum in conſcientia eru-
beſcit, & quæcumque in mundo dilexerat, ad odium
ſibi transferens fletibus ſe punit, & ipſa pœnitentia
facta robuſtior ab omni inquinatione etiam cogita-
tionis exilit, & ab omni torpore negligentiæ ſe ex-
cutit, vt iam in infimis cogitationibus non iaceat;
ſed ad appetenda inuiſibilia per ſancta deſideria ſe
extendat. Adnectit moraliſſimus Doctor: *Hæc*
itaque mens ſurgit, & venit: quia & à torporis
infirmitate per compunctionem ſe erigit, & in
ſanctis ſtudiis ſe exercens ad æterna pedibus amoris
currit. Petrus negationis veſtigiis diſceſſerat: ergo
gradum amoris ſtimulis præmaturat: currit Ioan-
nes, quia fugerat: venit Maria, quia veſtigiis Do-
minicis ſemper adhæſerat. Quod ſi ipſam Magda-
lenam cum ſanctis aliis mulieribus velis conferre,
inuenies cur præ cæteris ad quærendum Dominum
inuolarit, cur pertinacia laudabili inſtiterit, cur
copioſis ſe fletibus caſtigarit: inſeruierat vanitati:
ergo anteuertit cæteras, vt inſeruiret amori, &
quia ad virtutem aliquando peruenit tardior, ad
ſepulchrum modò currebat prior.

§. LXXX.

De inſtrumenti vilitate clarior reſplendet victoria, & de inhabilitate materiæ artificis cumulatior lucet peritia.

332. QVantò habiliora ad aliquam exercendam
artem ſunt inſtrumenta, tantò artificis de-
creſcit gloria: quia nonnullam ſibi partem ſoler-
tiæ arrogant, & laudis vendicant: de vili inſulſiſ-
ſimæ beſtiæ dente Deum fingere Phidiæ elogium:
non ſolum ineptis inſtrumentis; ſed reſiſtentibus,
& arti reluctantibus perfectum ſimulacrum procu-
dere ſingularis artificis gloria eſt. Moyſes pro enſe
vſus eſt agolo, ne bellica, & accuratè elaborata
armatura quid victoriæ ſibi arrogaret, vtque de
inſtrumenti ineptitudine cumulatior gratia luce-
ret: *Virgam quoque hanc ſume in manu tua in* Exod.4.
qua facturus es ſigna. Baſilius Seleucienſis eiuſ- v.17.
modi armaturam à gratia arbitratur diſpoſi-
tam, ne ſi validis armis inceſſiſſet obarmatus,
non tam dexteræ, quàm armis adſcriberetur
triumphus. Ipſum audi gratiæ nomine allo-
quentem orat. 15. *Nihil tibi eiuſmodi opus ar-* Baſilius.
mis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent:
Quo gratia cumulatiori reſplenduerit triumpho,
inhabili prorſus ad pugnam in campum proceſſit
baculo: creſcebat de inſtrumenti ineptitudine
triumphi gratia, minueretur de habitudine gloria.
Hinc reportatus de Philiſthinis à Samſone trium-
phus ſæculis de impedimento mirandus, de inſtru-
menti vilitate celeberrimus: hoſtibus tradendus à
ſuis ducebatur funibus & quidem validis illigatus,
cúmque Philiſthinorum fortiores, audacioreſque
iam ſibi de victoria plauderent, & ad prædam ac-
currerent, diſruptis vinculis, apprehenſaque ma-
xilla, quæ tunc campo iacebat, tanta inimicos
cæde vaſtauit, vt præter paucos, quos matura fuga
periculo eripuit, cæteri iacuerint occiſi, & vulne-
ribus altis confoſſi: *Inuentam maxillam, id eſt,*
mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfe-
cit in ea mille viros. In Hebræo habetur: *Maxil-*
lam teneram. Dum fragili inſtrumento, & prorſus
ad pugnandum cum confertiſſimo hoſtium exer-
citu inhabili obtinuit victoriam, mirè cæleſtem
commendauit gratiam, & in hoſtibus deterendis
ſolertiam: exacuto limatoque enſe proſtraſſe Phi-
liſthinos non ſic brahij fortitudinem promulgaret,
quia aliqualem gloriæ partem gladius præriperet;
aſt tenera maxilla copioſum fudiſſe aduerſarium
ſumptuoſius fortitudinis fuit elogium: *In Hebræo* Abulenſ.
habetur, inquit Abulenſis q.26. *maxillam teneram,*
& exponunt aliqui, quòd erat tenera, id eſt alicuius
aſini parui, & teneri, & ex hoc erat magis mira-
bile, quia eſſet maxilla minor & fragilior. Maxillæ
paruitas, fragilitaſque nil gloriæ arrogare ſibi po-
terat, quandoquidem plus videbatur obſtaculum,
quàm auxilium: ergo Samſon illuſtriori radiauit
triumpho, dum proſtrauit aduerſarios inhabiliori
inſtrumento.

Aod artificioſè conſtructo gladio Eglonem in- 333.
terfecit: *Extendit Aod ſiniſtram manum & tulit*
ſicam de dextero femore ſuo, infixitque eam in ventre Iudic.3.
eius tam validè, vt capulus ſequeretur ferrum in v.21.
vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur. Poſt
Aod Samgar Principatum accepit, eaque valen-
tia effloruit, vt vomere inimicorum plures occide-
rit, & proſtrauerit: *Poſt hunc fuit Samgar filius*
Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros
vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël. Origenes
Adamantius vertit, *in ſtatiua*, vel *boum ſtimulo*,
quod & lectio Hebræa approbat, expenditque
clarius, quàm in Aod cæleſtem reſplenduiſſe gra-
tiam, celebrioremque de inſtrumenti inhabilitate
fuiſſe victoriam: nam limatus & exacutus gladius
infligendo vulneri probatur aptiſſimus; at boum
ſtimulus ad inferendam hoſtibus mortem videba-
tur ineptus: ergo dum Samgar inutili ad ſpeciem
inſtrumento proſternit allophylos, & cumulatiùs
adornat

Digitized by Google

adornat triumphos : *Aliud genus laudis in Samgar video*, inquit Origenes homil. 4. in Iudices, *iſte in aratro pugnat, Aod*, *inquit*, *in gladio : vincit tamen & hic, & proſternit allophylos.* Singulare laudis genus erat non ſolùm hoſtilem deuiciſſe audaciam ; ſed inepto prorsùs ad ſpeciem inſtrumento obtinuiſſe victoriam : claret namque præ aliis trophæum de inhabili cauſa exortum, & de inſtrumento aduerſanti triumphis reportatum. Vomer cum terra decertando retuſus dexteritatem manus commendat, dum inimicos deuaſtat. Origen.

334. Cùm Chriſtus Dominus portus, fluuios, & littora obiret, inde doctrinæ adminiſtros decretum habens expiſcari, incidit in Petrum, & Andream fratrem eius : *Vidit duos fratres, Simonem, qui vocatur Petrus, & Andream fratrem eius mittentes rete in mare : erant enim piſcatores, & ait illis : Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum.* Idololatriæ quidem mare fuſum erat, multiplicium Deorum nube tellus tegebatur, omnia impietatis abyſſus inundarat : egebat ergo religio vera piſcatoribus, qui rudes inſtar piſcium homines dæmoniacis fluctibus immerſos peritè ac ſolerter extraherent : cúmque Dominus ad expiſcandos homines idoneos piſcatores debuerit eligere, videtur non ſine ſtudio ineptiſſimos muneri deſignaſſe. Certè pro piſcium captura Petrus & Andreas exiſterent opportuni ; ad homines verò de errorum mari extrahendos prorsùs videbantur inepti. Ergo cùm fas illi eſſet diſertas Rhetorum linguas adlegere, cùm liceret Angelos deſignare, cur rudes homines, & argutiarum imperitos adlegit ? Certè vt de inſtrumentorum ineptitudine, inquit Baſilius Seleucienſis oratione 30. nitidiùs ſplendeſceret gratia, & auguſtior appareret ſemper victoria : peritiam peritia detriumphari nil mirum : potentiam potentia deuiciſſe non fuerit inſolitum ; at rudi lingua, impolito ſermone ſapientes confundere, & potentes veluti hamo comprehenſos trahere ſumptuoſiùs erat elogium, & excellentiùs trophæum. Ergo Dominus ad gratiæ victoriæque commendationem rudes delegit piſcatores, non Rhetores. Baſilium accipe Chriſti nomine alloquentem : *Fas mihi fuit Rhetorum linguas doctrinæ adminiſtras trahere : potui Angelorum ordinibus prædicandi munus credere ; ſed tum famulantium ſplendor gloriam famámque meam ad ſe rapiat. De eius enim exiſtimatione ? qui rem gerit famulorum potentia occultum quiddam detrahit. Recuſo diuitiarum obſequium, ne ſi operam conferant, rem tam mirandam extenuent.* Adnectit Baſilius : *Vos ego comperio fidos miraculorum meorum cuſtodes. Quibus enim nullum humanum præſidium præſens eſt, apud hos Dei poteſtas retinetur integrior.* Inſtrumentorum inhabilitas opus commendabat, & res perfectiſſimè peracta imperfectis inſtrumentis artificis virtutem dilucidus extrahebat. Certè ſi alij fuiſſent Apoſtoli, calumniæ pateret locus, & qui oppidatim, vltróque homines ad Euangelij veritatem ſpectaret confugere, prædicatorum ſapientiæ niteretur adſignare, diceréque : quid mirum Chriſtus hominibus perſuaſerit, ſi præcones per quam ingenioſos præmiſit ? Quid mirum ſibi adiunxerit animas vſus pecuniarum incantamento, aut terroris auxilio ? Ergo ne hominum adſenſio potentiæ tribueretur, aut arti [illegible] cos delegit Apoſtolos ; qui nullam ſibi ob peritiam gloriæ partem vendicarent ; imò qui ob ruditatem victoriæ gloriam extollerent.

Matth.4. v.18.

Cùm Dauid affabrè elaboratis, & ſplendentibus armis aduersùs Philiſthæum inſtrueretur, non ſuſtinuit ſic congredi gratia ; ſed armis nudatum, & funda ſolùm munitum in campum protulit prouidentia : *Dixit Dauid ad Saul : Non poſſum ſic incedere : quia non vſum habeo, & depoſuit ea : & tulit baculum ſuum, quem ſemper habebat in manibus, & elegit ſibi quinque limpidiſſimos lapides de torrente, & miſit eos in peram paſtoralem, quam habebat ſecum, & fundam manu tulit.* Ne armorum potentia quid ad ſe traheret, & victoriæ laudem minueret, voluit Deus funda, rudique lapide Dauidem obtinere victoriam, ſic namque manus fortitudo dexteritáſque clarior elucebat, & triumphus plauſibilior radiabat. Redeat iterùm Baſilius oratione 15. *Armaturam victoriæ impedimenta Dauid exuit, recuſat thoracem, galeam abiicit, ſcutum deponit, manum haſta liberat, bellicam ſtolam excutit, ſtola paſtoritia, & virga, ac pera obarmatur. Quibus eum rebus ad regnum promouit gratia, quaſi hæc ad eum loqueretur : Nihil tibi eiuſmodi opus armis, quæ partem gloriæ bellicæ ſibi arrogent. Communicetur inter nos ô Dauid, belli decus, ne victoriæ gloriam ad ſe trahat armorum potentia. Videant te paſtoris habitu deprælianten.* Vt aliena prorſus videbatur à propoſito armatura, ſic erat mirabilior victoria : & congreſſui ineptus baculus integrum gratiæ & Dauid reliquit triumphum : quandoquidem de inſtrumenti vtilitate clarior reſplendet victoria, & copioſior elucet gratia. 335. 1 Reg.17. v.39. Baſil.

§. LXXXI.

Sapientis eſt non ſolùm attendere præſentia ; ſed præcauere futura.

NIl tam fortunatum, & à fortunæ varietate vixit exemptum, vt nullas patiatur vices, & diuerſas non induat facies : vti in hoſtili regione expanſis oculis viuitur, & indefeſſis ſolicitudinibus ſtudetur, ſic ſapienti viuendum eſt. Temporalia etiam quæ videntur ſolida, ac duratura, inopinè euaneſcunt, & poſſeſſores relinquunt. Stultum eſt inuolantium ocyſſimè diſcupere permanentiam, præterfluentium deſiderare conſtantiam : nullus proſperitatem diu tenuit, quia fortuna figmentum illud ab antiquis cultum varietatibus conſtans ludos facit, & in contrariam partem rotatu continuo vergit : *Si fugaciſſimis bonis credidit*, aiebat Seneca epiſt. 75. de homine non prouidentiæ alumno, *cito deſeritur, & vt non deſeratur, affligitur.* Fugax, ocyſſimáque fortuna à prænſantibus elabitur, per ipſos, dum illam prænſant, digitos effluit, & quæ modò exultetant fallantia bona poſſeſſa, quàm citò diſcruciauerunt amiſſa : ideò adhibenda prudentia eſt, quæ futuris prouideat, nec præſentibus inſoleſcat. Miſeranda copioſarum vrbium ruina, & inopinus florentium regnorum caſus omnia fluxa eſſe docuerunt, & ſtragibus atteſtantibus demonſtrarunt : *Aduersùs hos caſus*, addit Stoicus, *muniendi ſumus ; nullus autem contrà fortunam inexpugnabilis* 336.

Seneca. Cito deſeritur, qui volubilibus nititur.

Nullus extrinſecus à fortuna inexpugnabilis murus eſt.

Digitized by Google

bilis murus eſt : intus inſtruamur. Inſtruendus eſt animus, vt ridentem fortunam infortunij conſiderantia moderetur ; aliter dum caducis ſecuriùs nititur, grauiorem caſum ob ipſam ſecuritatem patietur. In Samſonem vinculis illigatum irruunt Philiſthini immaturè de victoria ſibi gratulantes, & repetita acclamatione plaudentes ; ipſe verò ruptis vinculis incautam puniuit lætitiam, & ſtultam ſtrage oſtendit omnibus confidentiam : *Cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum.* Ruptis vinculis maxilla pro armis vſus inimicos proſtrauit, & ingenti clade percuſſit : *Inuentam maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* Mira res ! ipſis triumphi acclamationibus inopinæ cladis immiſcebantur lamenta, & incautos Philiſthinos improuiſa oppreſſit ruina, ſi cautiùs egiſſent, non ita largiter deploraſſent ; aſt dum immaturè ſibi plaudunt, ab hoſte impetiti runnt. Prudentiores extiterunt Hebræi, dum arridenti proſperitati ſe non committunt ; ſed futuris prouidenter attendunt. Quærit Abulenſis quæſtione 29. cur Iſraëlitæ Samſonis partem non fouerint, nec arridenti fortuna arma in aduerſarios animosè prehenderint, ſed vnicum Samſonem exercitum fundere, aduerſariòſque profligare reliquerint : reſpondétque præcauiſſe, ne demortuo, aut deficiente Samſone duriùs exaſperati, & grauiori indignatione ſuccenſi arma in ipſos conuerterent Philiſthini, & grauiori iugo premerent, ob idque bello abſtinuiſſe, & aſperioris futuræ metu allicienti tunc fortunæ prouidenter renuntiaſſe :

Abulenſ.

Quæretur quare viri Iudæ videntes Samſonem pugnantem contrà Philiſthinos non adiuuerunt eum ? Reſpondendum quòd Iſraëlitæ erant ſubiecti Philiſthinis illo tempore ſoluentes tributa, vt colligitur hic, & præcedenti capite, & non audebant inſurgere contrà illos credentes quòd ſi nunc contrà eos pugnarent, poſteà congregarentur omnes Philiſthini, & delerent Iſraëlitas. Videbant poſſe modò feliciori fortuna vti ; ſed credebant etiam poſſe, poſteà duriori premi : ergo futuri metu præſentibus non ſunt ſiſi ; ſed bello abſtinuerunt cauti : quid enim intereſſet ad modicum tempus lætari triumpho poſteà compenſando grauiſſimo detrimento ? Ergo maluerunt
337. runt prouidere futuris, quàm fidere præſentaneis.

In hac parte longè præſtat maligna aſtutia : ſe ſitáque tuetur, & ne repentina opprimatur calamitate præoccupat fortunam ante bellum compoſita, & ad incurſus omnes præparata. Ieroboam ad regalem thronum euectus ſichem validis montis tergoribus inſiſtentem ædificat, & ſibi arcem contrà hoſtiles incurſus parat : *Conſtituerunt eum regem ſuper omnem Iſraël : Ædificauit autem Ieroboam ſichem in monte Ephraim, & habitauit ibi.* Communi populi plauſu electus & paratis pro illo ceruicem dare militibus ſtipatus in futurum cogitationem extendit, nec ſolùm munitionibus ; ſed iniquis etiam artibus, vt ipſi videbatur, periculum cauit. *Dixit Ieroboam in corde ſuo : Nunc reuertetur regnum in domum Dauid, ſi aſcenderit populus iſte, vt faciat ſacrificia in domo Domini in Ieruſalem, & conuertetur cor populi huius ad Dominum ſuum Roboam regem Iuda, interficiéntque me, & reuertentur ad eum. Et excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos, & dixit eis : Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem.* Quàm nulla eſt ſceleri ſecuritas, etſi arriſerit proſperitas ! Externam poteſt fugere pœnam ; ſed internam vitare nequit conſcientiæ ſolicitudinem, & timoris anxietatem. Verùm in peruerſorum caſtra excurramus non transfugæ ; ſed exploratores, videamúſque quàm ſe aduersùs omnes fortunæ vultus præmuniant, & quàm aſtutè pericula futura anteuertant. Regno & quidem tranquillo fruetur Ieroboamus, & tamen omnia volubili temporis ingenio conuolui, & contrariam non ſemel faciem non ignorans aſſumere cautelæ armis, ſagacitatis munimentis fortunam nititur anteuertere & omne periculum ante periculum propulſare : *Ædificauit autem ſichem*, inquit, Lyra : *vt enim meliùs poſſet reſiſtere regi Iuda & ipſum infeſtare, ædificauit fortalitia.* Non ſolùm aduersùs hoſtiles incurſus ſe tuetur ; ſed quia à propriis poſſe diſcrimen emergere Roboami caſus oſtenderat, aduersùs proprios cautelæ aſciuit auxilium, ne ſubiuerit inopinè detrimentum. *Accepta poteſtate*, inquit Theodoretus quæſtione 41. *aggreſſus eſt eam habere humanis, & impiis artibus.* Adſtipulatur Lyra : *Excogitato conſilio iniquo ad cauendum prædicta.* Auri diſpendio ſtabilire ſibi regnum molitus eſt, nec præſentibus, quantumvis lætis & pacatis fidit ignauus, ſed ne aduerſa ſorte impeteretur attendit peruersè prouidus. O diſcamus ab impietate, ambitionéque futurum nobis regnum ſtabilire, & impenſis omnibus procurare ! Ecce Ieroboam, ne aliquando priuetur temporali regno, copioſo redimit periculum auro, nos ſtudio ambitioſo confundens, & quid pro cœleſtis regni aſſecutione faciendum, edocens. Sed proh dolor ! Inuenies plures, qui vt à poſteris prodigendum adaggerent aurum, ſibi amittunt cœleſte regnum. En Ionas ſtertebat ſecurus, dormiebat incautus, dum horriſona tempeſtate impetitus, & à bellua deuorandus. Diſertè Seneca ad Heluiam cap. 5. *Nunc quòd ſatis eſt ad omnes miſerias leniendas, ſapientibus viris me dedi, & nondum in auxilium mei validus, in aliena caſtra confugi, eorum ſcilicet, qui facilè ſe & ſua tuentur : Illi me iuſſerunt ſtare aſſiduè velut in præſidio poſitum, & omnes conatus fortunæ, & omnes impetus proſpicere multò antequam incurrant. Illis grauis eſt, quibus eſt repentina : facilè eam ſuſtinet, qui ſemper expectat.* Vt hoſtium aduentus, quos inopinè occupauit, ſine difficultate deuicit, & quos futurus caſus improuidos inuenit, proſtrauit ; ſic qui futuro ſe bello ante bellum præpararunt, primus qui tumultuoſiſſimus eſt ſtationibus compoſiti facilè exceperunt adſultum, & fruſtrarunt aduerſarium. Non eſt anguſtandus animus, nec intra præſentium limites continendus : in futura oportet extendere, & ſe aduersùs omnes fortunæ vultus armare. 338.

D. Paulus de Moyſe loquens ſic ait : *Fide Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem, maiores diuitias æſtimans theſauro Ægyptiorum improprium Chriſti*

3. Reg. 12. v. 20.

Lyra.

Theodoret.

Seneca.

Facilè fortunã ſuſtinet, qui ſemper expectat.

Ad Heb. 11. v. 24.

Digitized by Google

Chriſti : aſpiciebat enim in remunerationem. Ipſum Moyſem cum eo ipſo conferre videtur Apoſtolus, aitque dum paruulus erat, magni habuiſſe inſidioſum virtuti Ægyptiorum faſtum, & prædiues illud imperium ; at cùm iam prudentior, grandiorque eſſet, penſaſſe rationis lance quæ maioris eſſent diuitiæ, inueniſſeque improperium Chriſti longè eſſe optabilius, quando quidem virtutis difficultas de futuro minuebatur, vt etiam vitiorum voluptas minuebatur de futuro. Contemplatus fidei veritatiſque oculis finem deprehendit, ſi paſtorem ageret, torridæque æſtatis ardores, & horridæ hyemis niues deſpiceret, ſceptrum clementis imperans ſortiturum, & in Dei populi Principem inaugurandum ; è contrà verò ſi euanida ſequeretur Ægypti gaudia, & voluptuoſa vanitatis deliria, duris ſupplicis mulctandum : ergo futura præſentibus prætulit, & ſibi in futurum cauit : *Aſpiciebat enim in remunerationem*, quia grandis fide & prudentia. Opportunè Anſelmus ad hunc locum : *Hoc improperium magis elegit ipſe, & minus credidit operibus Ægyptiorum, quia per id æternis diuitiis ſe locupletari credebat.* Puer gauiſus eſt, quia filiæ Pharaonis adoptatus erat in filium ; at iam grandis prudentiæ cenſuit iniuriam aduentitiis & volaticis rebus fidere magnarum diſpendio, & fortunæ melioris periculo : ſatius duxit Pharaonis Deum eſſe, quàm filium : glorioſiùs cenſuit non ſolùm hominibus ; ſed clementis imperare, & Ægyptiorum theſauris deſpectu iam defræctis vti. Nos quia ipſa in ſenectute conſeruamus pueritiam, puerorum inſtar virtutem perhorreſcimus, quia cerberum, & pellem nudis oſſibus adhærentem eſſe putamus, vt fucatis & mentitis etiam gaudemus, quia ſuperficiem ſolùm inſpicimus : detrahenda eſt à diuitiis, voluptatibuſque perſona, & deſpicienda quæ attulerit damna. Exue horroris laruà virtutem, videbiſque ſub horrido vultu quam pacatum animum gerat, quam exiguo labore alumnos ſuos ad magna præparet, & ſtabilem illis fortunam conciliet. Ergo Iſraelitæ aliquale contempſerunt libertatis gaudium duriſſimum ſibi præcauentes futurum iugum.

Anſelmus

§. LXXXII.

Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes.

339\. Tertull. INter fratres atque conſeruos, inquit Tertullianus lib. de pœnitent. cap. 10. *vbi communis ſpecies, metus, gaudium, dolor, paſſio (quia communis ſpiritus de communi Domino ex patre.) Quid tuos aliud, quàm te opinaris ?* Qui eodem inſtituto inſeruiunt, qui eiſdem legibus viuunt ; idem corpus morale ad concinnitatem componunt : ergo vti corporis membra alteriùs gaudium, & dolorem participant, ſic moralis corporis membris vtilitatis & doloris ab aliis commoda aut detrimenta promanant. *Non poteſt corpus*, addit Septimius, *de vnius membri vexatione lætum agere : quod doleat vniuerſum, & ad remedium conlaboret, neceſſum eſt.* Vt ad vnius membri leuamem cuncta adlaborant, quia ſibi conſulunt, ſi labore defatigatum deliniunt, vtque labor delinitur, ſi ab altero membro aliud iuua-

Fratrum morbi vt proprij ſentiendi & medicandi.

men affertur ; ita nos qui membra concordiæ ac pacis vinculo vnita vnum corpus compingimus, cogimur dolentibus auxiliari, & laborantibus condolere : vnum corpus componimus, vnà lætari, aut laborare debemus ; inuenies tamen nonnullos neſcio quo priuilegio omnis laboris expertes, & vtilitatis ſemper conſortes. Ab apibus depellitur, quæ ab aliis depaſcit elaboratam dulcedinem, cùm recuſatit fabricationis laborem : in religioſorum verò politia inuenitur non ſemel, qui ad laborem prorſus marceat, & commoditatem ſitiat : ſi quid aſperum, ſi quid occurrerit laborioſum, inueniuntur infirmi : ſi quid lætum & delicioſum, præualidi. Itaque inuolabant primi ad delicias, nec vel poſtremi inueniebantur ad moleſtias. Samſon pro populi libertate depugnans in campum contra Philiſthinos prodiit, & maxillâ plures occidit : *Interfecit in ea mille viros.* Solus aggreſſus eſt aduerſarios, ſolus illorum ſuſtinuit adſultus, quin Hebræorum aliquis certaminis partem arripuerit, aut aliquam laboranti opem attulerit. Libertatis, & commoditatis omnes extiterunt participes, Samſonem ſolum diuexauere labores. Notauit Abulenſis quæſt. 19. *Quando Samſon pugnabat nunc contra Philiſthæos, nullus de Iſraelitis erat præſens.* Quis dubitet poſt ſtragem inuolaſſe ad ſpolia, quis libertatis ſitiſſe gaudia ? *Ipſi videbant*, præmiſerat Abulenſis, *quod Samſon ſolus pugnare ſufficiebat contra Philiſthinos, ideò credebant inutile eſſe quod ipſi pugnarent.* Ad inutilitatem ſuam recurrebant, dum certamen inſtabat, certaminis difficultatem Samſoni vti valido & robuſto committebant, ſe vti inutiles extrahentes, & laborem detrectantes : & quidem citiùs faciliùſque profligarentur hoſtes, in Samſoni contribules aſſiſterent auxiliares : nullus afficit fucatæ inutilitatis prætextu, & laborioſo Samſonis plauſu Si quis inter alios aut induſtrior aut fortior, quidquid laborioſum ſubibit ; non tamen ſi quid commodum obtinebit. Illi de valentia, aut induſtria plaudetur ; ſed vt quidquid moleſtum, & aſperum iniungatur : ſe plures ſubtrahunt mentito titulo, & vero otio : Si quid alteriùs ſudore partum, ſi quid de laborioſis operis commodi fuerit exorſum, vti fratres ad communionem accurent, nulla cauſa præpediti, & obſtaculo nullo illigati.

Abulenſ.

340\. Dum piſcationi incumberent Apoſtoli omni nondum virtute exculti perfectioneque conſummati, Chriſtus adfuit, & ad nauigis dexteram retia iactari præcepit : citò obtinuit obedientia, quod caſſis laboribus defatigata ſollicitauit induſtria, ergo Dominus, vt piſcatores comedant, de piſcibus prehenſis aliquos iubet afferri : *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc :* Ioan. 21. v. 10. paruit expromptè Petrus, & traxit rete : *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* Educto reti omnes inuitantur ad prandium : *Venite, prandete :* nec renuit aliquis : *Nemo audebat diſcumbentium interrogare eum.* Inquires cur manus non commodarint, Petroque opem tulerint, qui citiſſimè paruerunt, vt prandérent. Iuſſionem impleuerunt, vt de extractis à Petro piſcibus manducarent ; non tamen attulerunt operas, vt cum Petro piſces educerent : nec mirum, erat enim obedientia altera laborioſa, & altera ſaporata : ibi aiebat : *Afferte de piſcibus*, quod defatigari exigebat, *hîc venite & prandete*, quod vtilitati

 ac

ac commodis militabat: ergo vbi inuitantur ad prandium citiùs audies diſcubuiſſe, quàm aduentaſſe; at immorantur, vt eduxerint piſces, quia laborioſum erat præceptum, & moleſtum Petri conſortium: Omnes geſtiunt de alieno labore edere; ſed laboranti renuunt ſuccurrere: *Aſcendit in nauim*, inquit Euthymius hic, *tanquam artis peritior.* Ceſſerunt Petri peritiæ; ſed fortè vt ſic cederent extractionis etiam moleſtiæ: piſces ad omnium refectionem fuiſſe paratos non dubium; imò ipſo Euthymio teſte compertum: *Veriſimile eſt autem quoſdam ex comprehenſis piſcibus aſſa os fuiſſe ad omnium refectionem diſcipulorum.* Pro omnibus fuit menſa; ſed ſoli Petro extractionis remanſit cura. Vides hiſtoriæ penicillo, quod cuique communitati contigit delineatum; imò textus coloribus mirè expreſſum: ſi quid moleſtum ac laborioſum occurrat, vt moleſtias fugiant, aliorum plures exaggerabunt peritiam, & opportunam ad negotia illa perficienda ſolertiam; aſt ad commoda, vtilitatemve nulli cedent, nec ſe inferiores cuiquam agnoſcent. Petro vt peritiori extrahendum rete committunt, in menſa, vt præſtantiori non cedunt: *Aſcendit in nauim tanquam artis peritior.*

Euthym.

341\. Moyſes exploratores non ſine periculo mittit hoſtium ditionem attentis oculis inſpecturos cumque imperium illis daret, ſic ait: *Aſcendite per meridianam plagam, cumque veneritis ad montes, conſiderate terram qualis ſit, & populum qui habitator eſt eius, vtrùm fortis ſit, an infirmus; ſi pauci numero; an plures: ipſa terra bona, an mala: vrbes quales; muratæ, an abſque muris: humus pinguis, an ſterilis: nemoroſa, an abſque arboribus: confortamini, & afferte nobis de fructibus terræ.* Hanc à Deo Moyſéque legationem inſtitutam, quia filij Iſraël incolarum ingenia, regioniſque qualitatem prænoſcere deſiderarint, tradit Abulenſis; & quidem prudentia rem tanti momenti cæcè inexploratéque conſulebat non aggredi, ſed ſolertiam diligentiámque vti optimos fortunæ tutelares aſciſcere; verùm ſi ad mores hiſtoriam adaptaueris, noſces theſim noſtram expreſſam: cupiunt ſæpè è communitate aliqui alios negotia tentare ardua, anxias adoriri difficultates, occurrentia proculcare pericula; at laborum pro omnibus eſſe deſiderant commoda: *Confortamini*, inquit Moyſes communitatis nomine, *& afferte nobis de fructibus terræ.* Fructuum eſſe omnes anhelauere participes, explorationis verò adeo periculoſæ eſſe voluerunt expertes: fructum voluerunt eſſe communem; ſed laborem peculiarem: *Hebræi volebant informari*, inquit Abulenſis quæſtione 14. *de veritate eorum, quæ erant in terra Chanaan, per exploratores.* Aliorum ſtudiis, vigiliis, & lucubrationibus ad ſe redundare fructum exambiunt; ſed moleſtias prorſus effugiunt. Alter labores ſubeat, & quidquid moleſtum adeat; at præmium commune ſit, vt laboris expers fueris, dulcedinis particeps.

Num. 13. v. 18.

Abulenſ.

342\. Vitium hoc ſine vitio Raphaël cæleſtis medicus, vt noſtras ægritudines palam faceret, ſuis factis oſtendit. Tendebat Tobiam comitatus, cùmque iuuenis delicatè enutritus in exordio etiam itineris pedes iam defatigatos ad fluminis ripam conſidens vellet abluere immanis piſcis delicatum adoritur, & deglutire molitur. *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Tobias anxio timore perterritus à ſocio poſtulauit auxilium; piſcem branchiis apprehenſum conſuluit extrahere; non tamen extendiſſe refertur brachium: *Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te.* Fecit iuuenis, & experientia cognouit monſtrum illud non tam armari viribus, quàm terroribus. Raphaël tunc exenterare piſcem admonuit: *Exentera hunc piſcem*, & ſalitas ad comedendum aſſeruari carnes conſuluit: *Cætera ſalierunt, quæ ſufficerent eis, quouſque peruenirent in Reges ciuitatem Medorum.* Ecce ſocius omnia laborioſa ſocio committit, nempè belluam extrahere, extractam diuidere; at ſaporatas carnes vtrique aſſeruari voluit: arcanis factis expreſſit Angelus aliquorum ingenia, omnia laborioſa aliis volunt committi, & ab aliis peragi, fructum verò laboris diuidi: *Cætera ſalierunt, quæ ſufficerent eis.* Non extraxerunt quem ſalirent, non exenterarunt extractum; ſed cùm Tobias periculum ſubiiſſet, & exenteratione ſordeſceret, ſalitis carnibus veſcebatur ad ſpeciem vterque: fructus ad vtrumque redundabat, labor ad Tobiam iuuenem pertinebat: *Cætera ſalierunt*, inquit Lyra, *pro reſiduo itineris.* Pro itineris reſiduo ſalitæ carnes ſapidum vtrique miniſtrarunt pabulum, ſolus Tobias anxium ſubiuit periculum.

Tob. 7. v. 2.

Lyra.

---

§. LXXXIII.

Quam adduxerat calamitatem culpa, ſolet citò depellere pœnitentia?

343\. POenitentia cæleſte virtutum ſemen, prauitatis venenum, myrothecium ægritudinum reſculpendi diuini ſimulacri artificium à Deo hominum cordibus inſita miros producit fructus, & dum amaris oculos corrumpit fletibus, ipſa amaritudine conſtat mederi anxietatibus. Qui pœnitentiam corde fouit, deleuit culpam, & diuinam promeruit gratiam. *Non tacet Ioannes*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. cap. 2. *pœnitentiam initote dicens: iam enim ſalus nationibus appropinquauit, Dominus ſcilicet afferens ſecundum Dei promiſſum. Cui præminiſtrans pœnitentiam deſtinabat purgandis mentibus præpoſitam.* Adnectit Septimius. *Vtique quidquid error vetus inquinaſſet, quicquid in corde hominis ignorantia contaminaſſet, id pœnitentia verrens, & radens & foras abiiciens mundam pectoris domum ſuperuenturo Spiritui Sancto parat, quo ſe ille cum cæleſtibus bonis libens inferat.* Sine pœnitentia hominis cor ſpurcitiis horridum, culparum nidoribus fœtidum, vitiorum libidinibus probatur ſpurcum; at vbi ſalubris dolor quicquid noxium abrodit, & abradit, Spiritus Sanctus lubens ſe infert, & cæleſtes ſecum virtutes affert. Pœnitentia dum cordibus ſeritur, & copioſis fletibus irrigatur, ſe in floridam arborem digerit, veſtitur ſpei frondibus, certis ſalutis inoculatur ſpebus, & ſaporatis Deo diteſcit fructibus. Quam cæca hominis ignorantia, aut ſtulta malitia calamitatem inuexerat, cæleſtis ſpiritus prorſus exufflat, & cordis agrum amœnat. Bleſenſis lib. de peregrinat. Ieroſolymit. hæc pœnitentiæ elogia litteris commendauit: *Cælorum ſcala, reconciliatio pacis, acquiſitio vitæ, vitiorum abolitio.* Delet, abolétque, quidquid error intruſerat, & ad homines calamitatem promouerat. Percuſſit Samſon

Tertull.

Pœnitentia eſt cœlorum ſcala.

Samſon inermis Philiſthinorum copioſam manum, cúmque cæleſti ſpiritui debuiſſet triumphum adſcribere, imprudenter maluit ſibi arrogare. *Inuentam maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat arripiens, interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.* Ortam ex triumpho elationem ſitis ardentiſſima ſecuta eſt, diſperibat calore interno, qui externo tumebat triumpho; verùm quàm citò culpam ſuam agnoſcens omnem Deo victoriam adſcripſit, arrogantiamque retractauit: *Sitiens valdè clamauit ad Dominum, & ait. Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam atque victoriam. En ſiti morior incidamque in manus incircumciſorum.* Quid tunc? *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, vt vires recepit.* En de arrogantia & ſpiritus marcuit, & corporis robur defecit: iam imminebat vitæ periculum, iam Philiſthæus promittere poſſet ſibi trophæum; verùm de pœnitentiæ medicamine ſpiritus reuixit, & vigor valuit. Prodeſt Ambroſius
Ambroſ. ſæpè in hoc capite datus: *Quod facilè vſu venit, inſolens rerum ſecundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori, & præſidio deferre, ſibi arrogauit dicens, In maxilla aſini deleui mille viros: nec aram ſtatuit Deo, nec hoſtiam immolauit; ſed negligens ſacrificij, aſſumptor gloriæ, vt triumphum ſuum perpetuo conſecraret nomine. vocauit locum maxillæ interfectionem, & mox ſiti grauiter cœpit inardeſcere, & potus deerat, nec iam ferre ac tolerare poterat.* En de ipſa felicitate calamitatem prognatam, en miſeriam victoriæ filiam, vbi arrogantia infecit animum, & ſalutis procreauit periculum. Quid, tunc? Samſon qui gloriæ ambitu deliquerat cæcus, ſiti oculos aperuit vexatus, & ad pœnitentiæ confugiens patrocinium, & inſtaurauit ſpiritum, & fugauit detrimentum: *Vnde intelligens*, addit Ambroſius, *quod nihil tam facile eſſet humanæ opi, quod ſine diuino adiumento non difficile foret, exclamauit, atque obſecrauit, ne ſibi Deus om .ipotẽs in offenſam verteret, quod imprudenter incauto ſermone ſibi aliquid aſſignauiſſet; quin etiam iam victoriam Deo deputabat dicens. Tu dediſti in manu ſerui tui ſalutẽ magnam hanc: & nunc ſubueni, quia ecce morior ſiti, & in* [illegible] *de quibus tantum donaſti triumphum, ſitis neceſſitate* [illegible] Maxilla aquâ exhibuit, vires refouit, auertit periculum, [illegible] ſic adnectat Ambroſius: *Eo quod victoria iactantiam inuocationis precibus emendaſſet: ita diuerſa iudicia maturè edita, quod & arrogantia citò offenſam incurreret, & humilitas ſine vlla offenſione ſeſe reconciliaret:* Reconciliatus humili pœnitudine vixit, periculoſa ſuperbiens arrogantia elanguit.

344. Anna illa Samuëlis mater ſe fletu filium conſ
1 Reg. 2. v. 5. cepiſſe, & honeſtam illam famem felici ſaturitate ſaginaſſe grato animo deprædicans ſic aiebat. *Famelici ſaturati ſunt.* Fleuit & amaris lachrymis calamitatem medicata obtinuit à pœnitentia, quod nequibat à natura, quod motibus adaptans Gre-
Greg. gorius ad hunc locum ſic ſcribit: *Qui quotidie delinquimus, quotidie ad pœnitentiæ lamenta curramus: quia ipſa ſola virtus eſt, quæ euacuat quod in ventre animæ culpa codamnat. & tunc verè famelici ſaturantur: quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eò vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus in ſpiritali refectione.* Pœnitentiæ arte Anna ſubuenit naturæ, & quam negabat ſterilitas, allata eſt pœnitudine vbertas Antea famelica marcebat, fructibus viduata plorabat; verùm dum ſterilitatem ſuam deteſtata fructuoſis lamentis, prophetiam parit, & iam donis cæleſtibus exundat copioſa, quæ ante fletum marcebat famelica & lurida. *Verè famelici ſaturantur: quia quo ſtudioſius mundamur lamento pœnitentiæ, eo vberiorem diuinæ gratiæ fructum recipimus.* Vber de fletu fructus producitur, & fames copiâ depellitur.

Adde vitam ſalutemque lachrymis irrigari, & 345.
pœnitudinem quodam modo Sacramenti vices ſubire: nam vt panis cæleſtis cor hominis confirmat, vt vitam alit, vt ſalutem refouet, ita pœnitentia ſalutis eſt myrothecium, vitæ patrocinium, & humani cordis firmamentum. Ecquis hoc ait? Regius profectò Pſaltes pœnitendi artem ſatis callens, & homines ad pœnitentiam erudiens. *Fuerunt mihi lachrymæ meæ*, aiebat, *panes die ac nocte.* Psalm. [illegible] Qui panes? Cæleſtes ſanè: Euchariſticus cibus indefeſſa eſt ſcaturigo ſalutis, aſſeren[illegible] Chriſto: *Qui manducat hunc pa[illegible] viuet in æternum.* Ioan. 6. v. 59. Ergo lachrymæ pro [illegible] pane ſunt Sacramenti quodammodo vicariæ ad reparandam ſalutem, & numeran[illegible] felicitatem. Innuit Euthymius ad hunc locum: *Lachrymæ meæ fuerunt mihi panes, non quod eis paſcerer, ſed quia inſtar panis deſiderabam, & quia non ſecus mihi erant opportunæ, quàm eſurientibus eſſe panes ſolent.* [Pœ]nitudo Euchariſtiæ vicaria eſt. Euthym. Aptiùs Incognitus hîc: Incognit. *Nota quod per tales lachrymas habitas radio vitæ præſentis diuinâ ſapientiâ eruditur homo ad Deum magis cognoſcendum & ſeipſum: talis autem eruditio, & ſapientia panis in ſcriptura dicitur: Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & ideò hoc notans has lachrymas panes vocat dicens: Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes.* Lachrymæ intellectum reluminarunt, & ſpiritum fouerunt: pro pane eſt aliquando ſingultus, & vt primæuæ matris aſpectus falſa cibi diuinitate obſcuratus caligauit, ſic pœnitentis aſpectus fletu repurgatus imperturbatè lucem aſpexit, & veritatem agnouit: panis cæleſtis vitæ intellectuſque inuenitur ſubſidium, & lachrymæ, dum panis gerunt vices, inueniuntur etiam vitæ ſuſtentaculum, & ſapientiæ magiſterium: *Talis eruditio & ſapientia panis in ſcriptura dicitur. Cibauit illum pane vitæ & intellectus, & ideò hoc notans has lachrymas panes vocat.* Ad depellendam calamitatem, ad fulciendam ſalutem, ad proſperitatem innutriendam, ad fortunam confirmandam nil cæleſti pane validius: eſt namque Euchariſtia calamitatis tinea, fatale dæmonum infortunium, culpæ exilium, cæcitatis obſtaculum: ergo lachrymas, quæ vices Sacramenti gerunt, has ſortiri etiam proprietates non dubium.

Fortè hoc figurabat piſcina illa ab Angelo mo- 346.
ta, & omnis ſalutis vena: *Eſt Ieroſolymis probatica piſcina, quæ cognominatur Hebraicè Bethſaida, quinque porticus habens.* Ioan. 5. v. 2. Ad aquam concurrebant variis languoribus diuexati, & infirmitatibus impediti: Angelus ſalutem non refundebat; ſed aqua ægritudines quaſque curabat: erat ille motor & exercitator, fluctus verò vitæ ac ſalutis reſtitutor, & inſtaurator: nullam ægritudinem reſpuebat aqua; ſed generale curandis omnibus myrothecium ægrotantibus cunctis exhibebat auxilium: *Qui prior deſcendiſſet in piſcinam*, inquit Ioannes; *poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacumque detinebatur infirmitate.* Refloreſcebat ſanitas

Digitized by Google

nitas vndis irrigata, & peribat infirmitas felici naufragio immerſa. *Hoc fiebat*, inquit Chryſoſtomus apud D. Thomam, *vt qui didicerant, quoniam in aqua ægritudines corporis ſanabantur, in hoc per multum tempus exercitati facilè crederent, quod & ægritudines animæ aqua ſanare poteſt.* (Chryſoſt.) Aqua ſanat, quod culpa vulnerat, & fortaſſis ob id columbinos ſponſæ oculos piſcinis ſponſus comparauit: *Oculi tui ſicut Piſcinæ in Heſebon.* (Cantic. 7. v. 4.) In oculis ſortiebatur ſponſa piſcinam vt noſſet poſſe experere ab amaris fletibus quod ægri olim à turbatis quærebant fluctibus: nil eſt quod lachryma non reformet, nil quod non reſculpat fletus, nil quod pœnitentiæ non redintegrauerit planctus.

§. LXXXIV.

Secundis rebus facilè turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi.

347. INter proſpera [illegible] non labi paucorum elogium eſt: animus nam[illegible] extra ſe proſperitate agitur; vt prorſus de [illegible] culmine prudentia deturbetur. Nouum eſt ridente fortuna cuſtodire modeſtiam, vt ſolitum ructare iactantiam. (Caſſiod. Gaudia inquietant animos.) *Gaudia*, aiebat Caſſiodorus 3. Var. 4: *ſemper animos inquietant: modus enim rarò lætis rebus imponitur, qui magis in triſtibus inuenitur.* Dat intellectum vexationis ærumna, aufert felicioris fortunæ gloria: nobilis in deorum ſe cenſum refert, diues inſolenter audet: qui inimicum proſtrauit, ſuperbè turget; & quæ cæleſti rerum auctori homines debuiſſent adſcribere, videas tumidiſſimè ſibi arrogare. Huius veritatis teſtis eſt Samſon: illigatus funibus de ſpiritus vigore diſrumpit vincula, & conferta hoſtium manu circumdatus miranda luxit victoriâ: cùmque debuiſſet deprædicare miraculum, triumphi ſibi vſurpauit elogium. *Inuentam maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.* Non egit debitas Numini gratias tanto periculo liberatus, nec triumpho tanto glorioſus; imò fortitudini ſuæ plaudens exaggerauit victoriam, nec aſſectare nouit modeſtiam. Expendebat ingenioſè datus ſæpè Ambroſius: (Ambroſ.) *Vtinam quàm fortis in hoſtem, tam moderatus in victoriâ fuiſſet; verùm quod facilè vſu venit, inſolens rerum ſecundarum animus, qui debuit euentum pugnæ diuino fauori, & præſidiò deferre, ſibi arrogauit dicens: In maxilla aſini deleui mille viros.* Fortis diuino præſidio conſummauit victoriam; ſed felici euentu elatus neſciuit cuſtodire modeſtiam; imò oſtentauit iactantiam. Recordatus non eſt eam ſibi fortitudinem cælitus datam; ſed omnem ſibi vendicare aggreſſus eſt gloriam: ſecundis namque rebus innutritur arrogantia, & proles eſt felicitatis ſuperbiâ.

348. Sennacherib triumphorum multitudine, & proſperæ fortunæ inſolentia ſic inſaniuit vt Deum ipſum contemptui habuerit: plaudebat fortitudini ſuæ, blandiebatur amentiæ, infelicior de proſperis, quàm de aduerſis: (1. Reg. 19. v. 23.) *Per manum ſeruorum tuorum*, illum alloquitur Dominus, *exprobraſti Domino, & dixiſti: In multitudine curruum meorum aſcendi excelſa montium in ſummitate Libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius, & ingreſſus ſum vſque ad terminos eius, & ſaltum carmeli eius ego ſuccidi, & vidi aquas alienas, & ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas.* Inſanum fortuna reddidit, calamitas caſtigaret: & quidem ſibi inuidet, dum turget glorioſus, & dum blaterat turgidus: triumphis periit, qui ab hoſte profligatus forſitan viueret: quæ aliquando fortunæ putamus munera, inſidiæ ſunt, in manu furentis tam illi, quam cæteris nocet gladius: aduerſus proſpera inſtruendus eſt animus, & forſitan non minori ſolicitudine, quàm aduerſus triſtia & acerba. Quid tunc Dominus Sennacherib? *Ponam itaque circulum in naribus tuis, & chamum in labiis tuis, reducam te in viam, per quam veniſti.* In brutorum cenſum redactus eſt ſuperbiâ inſaniens, & proſperitate abutens: (Lyra.) *Ponam circulum*, inquit Lyra, *ſicut fit bubalis: & eſt ſenſus: Te indomitum ego domabo malis grandibus tuis.* Ipſo laborauit triumpho, dum arrogantiæ, inſolentiæque trangreſſus eſt terminos: in vanitatis officina labiis durum procudit chamum, & inhoneſtum naribus circulum: armis obtinuit victoriam; ſed victoria aſciuit ſibi miſeriam. Non ſolùm quæ ſibi arrogauit amiſit; ſed ſe etiam perdidit.

349. Oſeas, vt Ephraim ſuperbiam promeret, onagro ſolitario comparauit: (Oſee 8. v. 9.) *Onager ſolitarius ſibi.* Theodoretus legit: *Germinabit apud ſeipſum Ephraim.* Ita & iam Septuaginta: (Septuag.) *Germinabit apud ſeipſum Ephram.* Interpretes cur onagro contulerit germinantem ac floridum quærunt: plura alij, ego à Iobi vndecimo lucem accipio: (Iob. 11. v. 12.) *Vir vanus in ſuperbiam erigitur, & tanquam pullum onagri ſe liberum natum putat.* Itaque onager ex Iobi ſententia iugi impatiens ſuperbit tumidus, & intumeſcit ſuperbus: ergo Ephraim dum probatæ frondoſæque plantæ ad inſtar niteſcit, & tumidè inſanit ſibi omnia arrogans, & cæciſſime vendicans: (Theodor.) *Per me cùm excreuiſſet*, exponit Theodoretus, *moreque plantæ germinaſſet, à mei obſeruantia ſeiunxit ſe.* Accretionis & proſperitatis fructus fuit, in omnes onagri ad inſtar ferocire, aliorum conſuetudinem ſuperbiſſimè deuitare, & in ipſum Deum bella ciere. Certè planta illa luxurians, quæ à vigili præciſa eſt, ſalubrem protulit fructum; at Ephraim dum germinat, dum floret, dum niteſcit, no[illegible] dominum connutriuit factum; ea na[illegible] conſuetudo [illegible] proſperis euentibus turgeſcant vaniſſimi, & cæteros deſpiciant ſuperbi: ergo dum germinat, onagri refert ingenium alios inſectatus ferociâ, & dedignatus ſuperbiâ.

350. Eandem veritatem idem propheta opportunâ ſimilitudine nos edocuit: nam cùm Ephraim prædiuitem aſſeruiſſet, Chanaan appellauit doloſâ ſtatera vrentem; nec fideli fortunam rationi lance trutinantem: (Oſee 12. v. 7.) *Chanaan in manu eius ſtatera doloſa, calumniam dilexit. Et dixit Ephraim: verumtamen diues effectus ſum, inueni idolum mihi.* Septuaginta vertunt: (Septuag.) *Chanaan in manu eius ſtatera iniquitatis opprimere per potentiam dilexit. Et dixit Eprhem: verumtamen diues effectus ſum, inueni requiem mihi.* Iam ſi qualis fuerit ſtateræ dolus, inquiras, reſpondebit Theodoretus, iniquè ſibi potentiam à Domino conceſſam arrogaſſe, & diuitiis intumuiſſe. Ipſum accipe: (Theodoret.) *Et tu Ephraim inuitans malitiam Chanaan iniquam mentis ſtateram habes, iuſtitiam ſemper vilipendis, iniquam potentiam exoptas, in diuitiis elato ſpiritu es, ac plurimum tibi arrogas in earum rationibus praſcribendis,*

Digitized by Google

dis, ac conficiendis. In ſtatera iuſta iniecto à Do-
mino auro potentiaque lanx deorſum humilis
vergeret, in doloſa verò vtiliter non deprimitur;
ſed tumet et eleuatur: ergo Ephraim doloſæ ſtateræ
ad inſtar ſibi arrogabat, quod acceperat, florenti
fortuna à Domino conceſſa abutens ad elationis
faſtum, ingratitudiniſque delirium. Et vtinam
ſolus Ephraim proſperitate intumuiſſet; at ferè
omnes benefactorem Deum obliuiſcuntur ſibi
blandientes, & vanitati adulantes. Eandem me-
taphoram ſecutus hanc fortunatorum inſaniam
Psal 61. Pſaltes etiam expreſſit: *Verumtamen vani filij ho-*
v.10. *minum, mendaces filij hominum in ſtateris, vt*
decipiant ipſi de vanitate in idipſum. Qui proſpe-
ra fortuna vſi, inquit, ſe in cælitum cenſum refe-
runt, & certis aliis ſuprà reliquos inuolare præſu-
Euthym. munt. *Mendaces ſunt*, exponit Euthymius ad
hunc locum, *in eorum iudiciis: per ſtateras enim*
iudicia ipſa intelligit: Corrupta eſt in eis, inquit,
iudicij ſedes. Numini adſcribenda ſibi arrogant,
& vnde ad religioſius gratitudinis tenebantur ob-
ſequium, inde odioſiorem nutriunt tumoris fa-
ſtum, & ſuperbiæ ſupercilium.

351. Adeò peſtifera hæc lues gliſcit, vt opus ali-
quandò fuerit, ne iuſtos ac modeſtos inficiat, ca-
lamitatis adhibere remedium, & anteuertiſſe peri-
culum. Huius rei teſtis eſt Ezechias: vix accepe-
rat de Aſſyriis Angelo deuaſtante inauditam ſæcu-
lis retro victoriam, cùm in morbum incidit, &
4.Reg.20. ad limina mortis acceſſit: *In diebus illis ægrotauit*
v.1. *Ezechias vſque ad mortem.* Quibus in diebus?
Triumphorum videlicet, victoriæ, ac plauſus. O
quàm deeſt nunquam angoris materia, & ſolici-
tudinis cauſa! Ezechias ante triumphum exerci-
tum aduerſariorum extimeſcebat omni armorum
genere inſtructum, hoſte proſtrato mortis arcum
intuetur prætenſum. Sed quæ infirmitatis occa-
ſio? Nonnulla, vt Cyrillus cenſet, elatione in-
tumuiſſe, nec acceptam victoriam debita gratitu-
dine compenſaſſe. Iam quem infirmitas attulerit
fructum, ſcriptura non tacuit: *Audiui orationem*
tuam, & vidi lachrymas tuas, & ecce ſanaui te.
Die tertiò aſcendes templum Domini, & addam
diebus tuis quindecim annos. En infirmitate viguit
qui proſperitate emarcuit: aduerſa fortuna, dum
humilitatem edocuit, vitæ ſpatia protelauit: ſors
proſpera tantiſper animum extulit & aliqualem
ſuperbiam innutriuit. Ita Cyrillus Alexandrinus
Cyrillus. lib. 3. in Iſaiam cap. 38. *Ezechias abductus eſt*
breui (vt Hebræorum filij aiunt) & animo magno
elatóque fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit. Au-
guſtinus lib 2. de mirab. Sacræ Scripturæ cap. 28.
putat Ezechiam infirmitate præuentum, ne ela-
tus delinqueret, & ſibi aliquid arrogaret. Au-
Auguſt. guſtinum audi: *Ezechias, ne de tanta victo-*
ria eſſet eleuatus, & forſitan etiam gratiarum
actione exiguus, in grauiſſimi languoris morbum
incidit. Ecce iuxta Cyrilli ſententiam vel Eze-
chias miris virtutibus decoratus proſpero ſucceſſu
in ſuperbiæ laqueos incidit aut iuxta Auguſtini
placitum, ne ſuperbiæ tabe inficeretur, graui
morbo præuentus eſt: adeò eſt difficile læſa
fortuna non inflari, & ex voto ſucceſſibus non
efferri.

§. LXXXV.

Cupiditas natura non ſemel leges ignorat,
& auxilium hoſtibus præſtat.

EXoculata cupiditas in rationem bellum mo- 352.
uet, & omnes naturæ leges dediſcit: mordet
rationis frænum, mouetúrque amenti ac præcipiti
ardoris impulſu, non æquitatis affectu: *Cogentio*
iugo, inquit Plutarchus in quæſtionib. Platonic.
& aurigæ æquiparat animæ ſpeciem Plato, ratio- Plutarc.
nem, vt omnibus liquet, eſſe declarauit aurigam,
equorum alterum cupiditatem contumacem & re-
bellem ſemel, calcitroſum, ſurdum, qui vix flagro
cum ſtimulis cedat. Vt equus contumax, & fræno
parere neſcius aurigam raptat, & ſæpè ſæpiùs con-
culcat, ſic cupiditas rationem à ſe concuſſam
proiicit, & ipſam naturam ignominioſè raptatam
trahit. Cupidus exlex eſt, ab omni rationis luce
remotus, & ab omni naturæ iure pertinaciter de-
errat exemptus. Si effulgeat lucrum, placebit ad-
uerſarius, diſplicebit proprius: illuc ducetur, vbi
maior ſpes, etſi improba affulſerit, & acquirendi
occaſio vocauit. En Samſon mille Philiſthinorum
percuſſit: *In maxilla aſini*, canebat, *in mandi-*
bula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille
viros. Cùm Nazaræorum lex mortuos tangere ve-
tuerit, & Samſon Nazaræus eſſet, quærunt Inter-
pretes, an cadauerum contactu, teſtiumque diſpo-
liatione ſorduerit, & legalem munditiem conta-
minarit. Rabbi Dauid Kimhi apud Abulenſem
quæſt. 28 cenſet. Philiſthæum quemdam adhæſiſſe
Samſoni, cuius ope Philiſthinos diſpoliabat, ex-
cuſato attactu, & contaminationis periculo: *Di-* R.Dauid.
cit quòd Samſon occidebat Philiſthinos; ſed non
tangebat eos, poſtquàm mortui erant; ſed iubebat
cuidam Philiſthino, quem ſecum habebat, quòd
ſpoliaret eos, & ſic ipſe non contaminabatur. Ecce,
ſi Rabbino credis, Philiſthinus acerrimo Philiſthi-
norum hoſti inſeruiebat, Philiſthinóſque denu-
dabat. Quod ſi inquiras, cur ipſam abiurarit na-
turam, cur in partem tranſierit contrariam? Reſ-
pondeo diſpoliationis feciſſe lucro, & cupiditatis
conſilio: vbi agnouit ablatis poſſe diteſcere ſpo-
liis, ſi adhæſiſſet aduerſariis, non renuit operas
ſuas contra Philiſthinos afferre, & hoſtibus in-
ſeruire. Itaque ſecutus eſt cupiditatis conſilium,
& naturæ ignorauit præceptum, factis edocens,
cupidis pro lege lucrum, & pro natura eſſe com-
modum. Vbi ſpes maior inuolabunt audaces, &
rationem abiurabunt naturæ prorſus exortes. Certè
cupiditas eſt prudentiæ præcipitium, rationis nau-
fragium, naturæ nubilum, aduerſariorum ſæpè-
ſæpiùs auxilium, & conſanguinitatis venenum:
non refugiebat Philiſthæus ſuos diſpoliare, & ho-
ſtibus inſeruire ſpoliorum ſiti inflammatus, &
cupiditate impulſus. *Iubebat cuidam Philiſthino,*
quem ſecum habebat, quòd ſpoliaret eos. Secum
habuit Philiſthinum, dum copioſa ſpoliorum al-
lexit meſſis, habuiſſe non audies, dum ligatus in-
gemuit vinculis.

Iob totus ad patientiam editus, & ad mores 353.
componendos formatus vermes, quibus inceſſan-
ter abrodebatur, ſororibus comparauit: *Putredini* Iob 17.
dixi. Pater meus es tu; mater mea, & ſoror mea v.14.
vermibus. Vermes conſanguinitate abuſi vlcera-
tum ſaniéque redundátem acri dente mordebant,
& ſugendo ſaniem diuexabant, ſanies occaſio-

Digitized by Google

nem præbebat ſaginæ, fraternitas compaſſionem perſuadebat miſeriæ; vermes tamen obbruteſcentes, & cupidi in fratrem inſurgebant, &, vt ſaginarentur, morſibus dilacerabant. Si naturæ conſulant, ſaporato ſibi cibo carebunt; ſi inſurgant in fratrem, alimentis exundabunt: ergo fratrem mordent vlcera exaſperantes, & ſaniem auidiſſimo ore ſugentes. Huc voco quod aiebat Chryſologus Serm. 1. (Chryſol.) *Ecce quid facit cupiditas ad cenſum præceps.* Dum vermes poſſunt ſtudere saginæ, etſi fratrum, ſororumque legibus teneantur, iniquo cupiditatis priuilegio abſoluuntur, & quem attentâ naturæ lege tenebantur fouere, habendi ſiti inueniuntur dilacerare. Profectò miris coloribus ſub vermium emblemate depinxit Iobus cupiditatis ingenium, aut, vt melius dicam, delirium. Auiditas ſui iuris eſt, degit exlex, effrons audet, & præcipiti audaciâ in legem ac naturam inſurgit; vtque vermes Iobi erant ſorores, ſic nonnullæ, ſorores, fratreſque conuertuntur in vermes, vlceroſo morientique aſſiſtent, non vt opem ferant, ſed vt iniquis artibus ſugant, non habent vermes manus, quibus ſubueniant; ſed armantur dentibus, quibus rodent: ergo lugebit lex & natura dilacerata, ni cupiditas de corde exterminetur expuncta.

354. Zacharias propheta duas aſpexit mulieres miluinis alis inſtructas, luteam amphoram in terram Sennaar deferentes, vt ibi habitationem ſibi conſtruxerint (Zachar. 5. v. 9.) *Habebant alas quaſi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram & cœlum, & dixi ad Angelum, qui loquebatur in me: Quò iſtæ deferunt amphoram? Et dixit ad me: vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Mulieres ad Sennaar inuolaſſe, quia cupiditati, auaritiæque ſtudebant, teſtatur Gregorius Magnus lib. 14. in Iob cap. 26. (Gregor.) *Radix eſt omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum eſt, vt domus auaritiæ in fœtore conſtruatur. Sciendum quoque eſt, quòd Sennaar latiſſima vallis eſt, in qua turris à ſuperbientibus ædificari cœperat, quæ linguarum facta diuerſitate deſtructa eſt.* Cupiditatis domus in Sennaar conſtruitur, vt cupiditatem ad omnem conſanguinitatis vocem obſurdeſcere cognoſcatur. Repetamus hiſtoriam, vt clariùs eruamus doctrinam. Fratres, cognatique cùm poſt diluuij ſtragem latiſſimum in terra Sennaar campum inueniſſent, habitare ibi turrimque conſtruere attingentem ſydera decreuerunt, verùm elationis ſupplicium confuſio fuit; & quando ſuperbi non ſunt confuſi? Ergo deſcendens Dominus ſic eorum linguam confudit, vt nullus proximi vocem calleret: (Geneſ. 11. v. 7.) *Venite igitur, deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.* Itaque in Sennaar ad conſanguinei vocem obturatus obſurduit auditus, & quiſque diſceſſit ab altero ſeparatus: ergo hîc cupiditati domus inſtruitur vt noueris cupidos auaritiâque infectos conſanguinitatis voces non audire, & diuiſionem ſemper architectari: *Vt non audiat vnuſquiſque vocem proximi ſui.* Cupidus ad miſerorum voces obſurdeſcit, & conſanguinitatis linguam non callet, ab omnibus ſtudioſum affectat exilium, nec confuſionis veretur probrum. Alas habuiſſe, inquit (Gregor.) Gregorius, *vt quaſlibet proximos deſpicientes quaſi ima deſerant, & alta gloriantes petant.* A proximis diuiduntur vanituli, ſine patre, ſine matre, & ſine genealogia inueniuntur auari: ergo in Sennaar degunt: quia ibi proximorum vocem non audiunt, quia ibi, quantumvis reclamet conſanguineus, quantumvis ingemuerit cognatus, non inuenient aures, quæ percipiant; ſed quæ affectatè obſurdeſcant: quando turris cõſtructores pro ædificio petebant ab aliis lateres, importunè exhibebant aquam, & quando efflagitabant aquã, miniſtrabant ineptè terram: vnde votis fraudati, & caſſis clamoribus feſſi ab opere deſtiterunt, & ſe ab inuicem ſeparatunt: ergo hîc degit cupiditas clamantium voces defatigans, ludificans vota, & ſuadens feſſis exilia: *Radix eſt omnium malorum cupiditas, & quia quodlibet malum per auaritiam gignitur, dignum eſt, vt domus auaritiæ in fœtore conſtruatur.*

Nahum ſpecioſæ ac fraudulentæ meretricis dolos deſcribens, maleficiis ait homines illigaſſe, & 355. familiam hoſtibus tradidiſſe: *Vendidit gentes in fornicationibus ſuis, & familias in maleficiis ſuis.* (Nahum 3. v. 5. & 13.) Propriam familiam vendidit maleficiis irretiens, & veneficiis infatuatam hoſtibus tradens. Iam quæ hæc meretrix fuerit familiam prodens, aduerſariiſque fauens, explicat Ambroſius lib. 3. epiſtolar, epiſtola in ordine 19. & libri prima: (Ambroſ.) *Meretrix iſta non ſpecialis; ſed publica eſt: non vna mulier; ſed vaga omnis cupiditas meretrix eſt.* Cupiditas, vti Samſonem Dalila, ſuos demulcet, & veneficiis irretit: nec fraudulentum recuſat dolum, ſi fœdum acquirere poſſit lucrum: familiam tradit venditam; vt infamem congregarit pecuniam: *Vendidit familias.* Clariùs iterum propheta hanc veritatem confirmat: *Ecce populus tuus mulieres in medio tui: inimicis tuis adapertione pandentur portæ terræ tuæ: deuorabit ignis vectes tuos.* Quæ mulieres? Meretricum ſanè ingenium gerentes viri: nam vt meretrix omnes admittit, eique, qui copioſiorem turpitudinis mercedem promittit, ianuam lubentiùs aperit, nec apud eam eſt perſonarum electio; ſed pecuniarum ambitio, ita apud plures indiſcriminatim proprij aduerſariique non de lege, aut naturæ iure æſtimantur; ſed de auri copiâ cæteris præferuntur; ſi ſpes arrideat, inimicis pandetur porta, vt miſera ciues premat catena quia cupiditas vt auri ſitibunda, ſic omnis legis ac rationis inuenitur ignaua, propinquos tradet, & aduerſarios fouebit: *Inimicis adapertione pandentur portæ.*

§. LXXXVI.

A quo laudabiliter militia peragitur, nullatenus Princeps remunerare cunctetur.

Non ſine roboris militaris iniuria; imò nec ſine proprij regiminis offenſa differtur præmium, quod clamoſo ſilentio conſtat exegiſſe decertandi laborioſum ſtudium. Artes alias oblatis præmiis nutrire, & militiam ignaua dilatione torquere, non ſolùm eſt Rempublicam adminiſtranti indecorum; ſed diſcriminibus etiam plenum: nam miles ſine præmio dum linguam armat, ad ignauiam cæteros prouocat. Optimè Caſſiodorus 11. var. 35. (Caſſiod.) *Si olympiaci currus agitator rapit præmia poſt labores, ſi ferarum certamen inhoneſtum velociter ſolet coronare victores, quàm celeritatem remunerationis merebitur, à quo laudabiliter militia Sacramenta peraguntur? Cur enim agentium in rebus miles officij poſt tot laboris* 356.

incerta

incerta aliquid patiatur ambiguum, qui crebris actionibus excubando ideò Principis nomen habere promeruit, quia militiæ Sacramentis cæteros antecellit? Pericula adiiſſe, reportaſſe trophæa, & plus deſudare in ſolicitando præmio, quàm in deterendo aduerſario, militaris artis pernicies eſt, præcipuè ſi ob labores non adeò honeſtos niteant plures in curia remunerati, dum ſordeſcunt milites nudi: Plures conſtat præmiũ accipere, quàm meruiſſe... *Tales ergo tardare*, addit Caſſiodor. *piaculum eſt: quia poſt palmam nemo dilatus eſt: votiuum non poteſt dici, quod triſtis ſuſcipit. Grauamina nulla metuant abſoluti, ne portus hoc ingerat liberis, quod facere potuit procella vexatis.* Irremuneratus militum labor Reipublicæ tardat commodum, quandoquidem eorum ſtrenuitate completur, quidquid ad pacem deſideratur: miſerum eſt procella dilationis periiſſe, quem in acie conſtat pericula deuoraſſe. Deuictis hoſtibus triumphum Samſon cecinit: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros*; verùm cùm certaminis labor ſitim ingeſſiſſet, ad Deum clamauit, & quàm citò clamor deſideratum obtinuit: *Sitiens valdè clamauit ad Dominum. Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* Ab ipſo inſtrumento, quo obtinuit triumphum, accepit præmium: vt vnde laboris emanarat anguſtia, & aquarum efflueret copia:
Abulenſ. *Hic ponit quoddam miraculum*, ſcribit Abulenſis q.29. *quod accidit poſt occiſionem Philiſthinorum, ſcilicet quia Deus dedit aquam ſupernaturaliter Samſoni de maxilla aſini, & dicitur quòd ſitiuit valdè: quia laborauerat nimis Samſon pugnando contra Philiſthinos.* Laborauit; ſed & neceſſaria ad alendam vitam recepit: indignum enim videretur, ſi ardenti periret ſiti, qui inuicto aduerſarios detriumphauerat robore. Miraculum accidiſſe teſtatur Abulenſis. *Hic ponit quoddam miraculum*: adeò rarum eſt militi exhiberi citò præmia, & ad alendam vitam ſubſidia. O quàm cæleſtis fuit politia, in qua coniunctum fuit cum labore præmium, & cum deſiderio ſubſidium!

357. Ad Regem Gallorum, vt videtur, Andegauenſis Epiſcopus fratrem nomen militiæ daturum miſerat, vt qui nouerat in eius caſtris nec militarem induſtriam præmiis fraudati, nec virtutem li-
Hildeb. bellis ſupplcibus indigere: *Miſſus eſt*, inquit Hildebert. Cœnomanenſ. epiſt. 32. *ad columen morum, miſſus eſt ad militum gloriam, miſſus eſt ad Sereniſſimum Regem, cuius in caſtris nec obſequium præmio, nec virtus reuerentia defraudatur.* Non erat opus regi ſubiectos ad militiam ſubeundam compellere, non erat opus renitentes trahere, quia expromptè confluebant; imò gratiam ſibi factam exiſtimant, ſi admiſſi, quia in regis caſtris quàm citò præmium adepti.

358. Apocal. 6. v. 2. Apocalypſis 6. intuetur Ioannes militem equo albo inſidentem, cui & arcus, & corona: *Ecce equus albus, & qui ſedebat ſuper illum, habebat arcum, & data eſt ei corona, & exiuit vincens, vt vinceret.* Arcus inimicos eminus ferit, & manus indefeſſa aduerſarios ferit, quia caput corona honoratum lucet: non depoſuit cœleſtis miles arcum, vt ad coronam exigendam ſupplicem offerret libellum; imò dextera arcu adhuc non libera radiabant coronis tempora. O quàm vtrinque imitanda effloruit politia! Princeps, antequam deponeret, quo vicerat, arcum, militanti contulit præmium, & miles accepto præmio non depoſuit; ſed tenaciſſimè prehendit arcum. *Accipit*, in-

quit Tertullianus lib. de corona militis cap 15. *& Angelus victoriæ coronam procedens in candido* Tertull. *equo, vt vinceret, & alius Iris ambitu ornatus cœleſti.* Angelus præmiatus non abſtinuit à certamine, quia Princeps coronat in Iride: tempus, quod in ambiendo præmio teritur, profuturo Reipublicæ certamini eripitur, & qui terrorem hoſtibus incutiens diſcurreret in arena, indignas trahit moras, vt accipiat præmium in curia: nec ſtat hic calamitas; ſed Reipublicæ luctuoſa creſcit miſeria, dum reddenda militibus præmia inertibus conferuntur, dumque vt alij ſumptuoſiùs luceant, alij miſerè ſordeſcunt, & ſoluunt. Miles qui expoſuit periculis vitam, qui omni imbonitate diuexatus perſtitit obnoctans in campo; cuius ampla domus ſubſtrictus papilio, cuius lauta ſupellex, quibus fundatur, funis & clauus, aliquando lauream accipit; ſed foliis citò exiccandis contextam, & euanido nitore fucatam; cùm non ſemel belli inexpertus coronam accipiat auream, & ob pondus imponendam non homini; ſed imagini.

Agens Tettullianus de coronis militibus, & 359.
conſulibus penſis militùm lauream foliis teſtatur inſtructam, non auro copioſam: illum accipe lib. de corona milit. cap. 12. *Triumphi laurea foliis ſtruitur.* En corona militi poſt vulnera exhibita de lauri foliis texitur, aut de lemniſcis conſtruitur, cùm aliquorum Conſulum corona ingenti auri copia conſtaret, & margaritis fulgurantibus eluceret. Audi Septimium cap. 13. *Coronant, & pu-* Tertull. *blicos ordines laureis publica cauſa; magiſtratus verò inſuper aureis, vt Athenis, vt Romæ. Præferuntur etiam illis Hetruſcæ: vocabulum eſt coronarum, quas gemmis & foliis ex auro quercinis ob Iouem inſignes ad deducendas tenſas cum palmatis togis ſumunt. Sunt & prouinciales aureæ imaginum iam non virorum, capita maiora quærentes.* Militibus laurea texebatur anguſtior, & quæ fors tempora premeret, dum ambiret: ne grande viridantium foliorum eſſet diſpendium; cùm tamen quæ aliquibus magiſtratibus, aut Prouinciæ præſidibus præferebantur, non ſolùm micarent auro, fulgurarent gemmis; ſed eo pondere, eáque magnitudine excederent, vt maiora capita requirerent. Huiuſmodi coronarum vena miſera erat plebs poſtulaiitatibus diuexata, & ad exhibendum preſſa: *Hæc enim erant*, adnectit Tettull. *pompa dia-* Pamel. *boli, & Angelorum eius, officia ſæculi, honores, ſolemnitates; poſtularitates, falſa vota, humana ſeruitia, laudes vanæ, gloriæ turpes.* In Pamellij libris legitur: *Solemnitates poſtulatrices*, id eſt, poſtulabant à populo pro euanidis ſolemnitatibus aurum, & cogebant plebem ad pendendum graue tributum, vt ex auro penſo, & pendentium gemitibus irrorato ſibi ſuperbiſſimas fabricarent coronas, & pretioſas conſtruerent laureas. *Coro-* Cerda. *nas illas*, inquit noſter Cerda in huius loci commentariis, *poſtulabant ad triumphum, vt tributum à prouinciis, id coactè, & vexantes, ni darent.* Pro grandioribus ipſo capite coronis conſtruendis coacti populi pendebant aurum, & vt Magiſtratus ſuperflua eiúſque vires excedente corona micaret, plebs amare lugebat, & nitorem execrationibus onerabat. O infortunata ſæcula, quibus de ereptis à populo tributis militi marcidum præſtabatur folium, magiſtratui copioſum aurum. Lætiora Dauidis tempora, vbi militibus digni impendebantur honores & facultates. Etſi priùs referantur præmia & digniſſima otia, quàm ardua bella,

Digitized by Google

bella, ne exiſtimes perueniſſe ante certamen ad
honorabilem ſedem; ſed agnoſce exprompte adeò
præſtita vtiliter decertantibus præmia, vt longa
2.Reg.23. v.8. expectatione non faſtidita; ſed vel ante deſiderium
videantur oblata: *Hæc nomina fortium Dauid: ſedens in cathedra ſapientiſſimus Princeps inter tres: ipſe eſt quaſi tenerrimus ligni vermiculus, qui octingentos interfecit impetu vno.* Splendido
throno accendebat ad militiam, qui ob fortiter,
viriliérque peractam peruenit ad thronum. Lo-
cum hunc plures apud Abulenſem q.7. de Dauide
Abulenſ. interpretantur; ſed alij de Ioab, alij de Ieſbaam.
Abulenſem accipe: *Exponunt hoc de Ioab dicentes, quòd ipſe erat Princeps inter fortiſſimos, & erat dux belli.* Iure ſedebat honorabili otio fruens poſt-
quam inimicos attriuerat; & ciuium tranquillita-
tem defenderat. Dauidis regimen allaudatur, dum
Ioab præmiatus refertur: Illud otium erat ad ſtre-
nuè pugnandum magnum reliquis incentiuum
quandoquidem illos honor adurgebat impenſus,
& ſplendor citabat exhibitus. Luculenter Caſſio-
Caſſiod. dorus 6. variat.13. de conferendis militi præmiis:
Si honor frequenter defertur otioſis; ſi interdum aut nobilitas eligitur, aut ad promerendum aliquid perſona tantum gratia ſuffragatur, quo ſtudio remunerandi ſunt, qui ad agonis ſui præmia peruenerunt? Conſiderandum quali labore ſeruitum eſt, & ſic de remuneratione cogitandum. Harum quippè rerum menſura de contrario venit, dum tale obedientibus dari debet donum, quale indeuotis potuit eſſe periculum. Ab indignatione diſtante in-
obedienti ſupplicia præmiorum decernantis ſumi
debuiſſet menſura, quando æquum eſt ſtre-
nuum non minore remunerare militem præmio,
ac punire indeuotum, aut refractarium ſupplicio.
Tendit vlteriùs Caſſiodorus: *Grandia, ſunt quæ ſuſtinent excubantes: perſonas contumaces ad parendum cogunt; latentes in cubiculis ſuis prudenti ſagacitate veſtigant, ſuperbis modeſtiam æqualitatis imponunt: ita quod à iudicibus breuiter dicitur, ab ipſis efficacia famulante completur: notum eſt quæ pericula ſuſtineant. Breuiter iubetur ciuitatem expugnari; ſed laborioſè perficitur.* Miles
excubiis atteritur, vigiliis defatigatur, in mor-
tis limine degit, & iam ſibi mortuus viuit.
Ergo Princeps anxios adeò labores præmiis exte-
nuet, & quem militiam ritè peregiſſe cognoſcit,
liberali manu remuneret.

---

§. LXXXVII.

Peccatum vigorem expectorat, & ne properantem ſalutis rapiat occaſionem, peccatorem quodammodò illigat.

360. ESi peccare omnibus hominibus innatum &
commune, aiebat Clemens Alexandrinus
lib.3. pædag. cap. 12. *poſt peccatum autem reſi-*
Clem. Alex. *piſcere non eſt cuiuſvis hominis, ſed eius, qui iure eſt magnifaciendus.* Peccatum timiditatis parens,
imbecillitatis nutrix, roboris exilium, & omnis
prudentiæ faſcinum eſt: nam vti paralyticus ille,
qui tot annos iuxta piſcinam poſuit, ipſa paralyſi
illigabatur, nè inuitantem ſalutis occaſionem elu-
ctaretur, ita culpis ſic fortitudo euigoratur, ſic
vigor marceſcit, ſic obtenebreſcit prudentia; vt
peccator, quantumvis opportunis occaſionibus
illectus & prouocatus, eas elabi ſinat ſtupidus, &
ignauus. Magnificandus eſt, qui peccatum expu-
gnauit, & vicit; nam cùm omnium ſit peccare,
non contingit omnibus reſipiſcere: *Reſipiſcere non eſt cuiuſvis hominis; ſed eius, qui iure eſt magnificandus.* Ecce Samſon deſæuientem belluam
hœdi ad inſtar animoſus diſcerpſit; poſt culpam
verò illigatus hoſtibus iacuit: nec vigor inerat,
nec robur manebat; imò totus eneruit eluſus eua-
nida præſumptione verò inſeruiuit dedecori. *In* Tertull.
quantum ignorantia ſegregaris, ſcribit graphice
Tertullianus lib. de pœnit. cap. 5. *in tantum contumacia adglutinaris.* Adglutinatur contumaciæ ini-
quus, & vt quæ ſunt viſcoſo glutino quodam-
modo concatnata citius quam auellatur, rumpun-
tur; ſic peccatoris voluntas contumaciæ viſco ad-
hæreſcit, vt videatur inuiſceratus delicto, &
Ionæ ad inſtar incluſus ipſo peccato. Samſon for-
tiſſimus robore, quibus à ſuis fuerat præpeditus,
vt pro ipſis contra Philiſthinos acriter depugna-
ret, diſrupit vincula, de aduerſariis tulit trophæa;
cúmque Hebræi ſub tanto duce iugum nobilibus
excutere à ceruicibus quirent, nec arma prænſaſſe
audies, nec opportunam adeò occaſionem arri-
puiſſe reperies: ſolus Samſon inimicos attriuit, &
profligauit, populus certamina detrectauit inertia
præpeditus, & timore ignauo illigatus: *In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum*, canebat,
deleui eos, & percuſſi mille viros. Abulenſis
quæſt. 29. quærit, cur Iſraëlitæ Samſonem non
adiuuerint, nec in Philiſthinos pugnauerint:
Quæretur quare viri Iuda videntes Samſonem pugnantem contra Philiſthinos non adiuuerunt eum? Abulenſ.
Iam reſpondet: *Non dabat Deus cor Iſraëlitis contra Philiſthinos propter peccata ſua: ideò licet haberent ducem optimum, non audebant pugnare.*
Ecce opportuna compellebat occaſio, arridebat
victoria, erat ſub ſtrenuo duce facillima pugna;
verùm tanta Hebræi legitima peccati prole inertia
marcebant, tanta illigabantur ignauia, vt occa-
ſionem triumphi contemplarint, & aduerſarios
abigere detrectauerint: *Propter peccata ſua licet haberent ducem optimum, non audebant pugnare.*
Suæ felicitati reſiſtebant, & infame ſeruitutis iu-
gum de attritis ceruicibus excutere recuſabant: vt
verum ſit quod datus aiebat Tertullianus: *Deſpi-* Tertull.
cit porrò, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus, quod intelligit fugiendum, quodque iam fugit, reſumens, intellectus ſuo, id eſt, Dei dono contumeliam facit. Peccator ſibi contumelio-
ſus eſt, dum inerti detinetur ignauia, & culpæ
faſcinationibus ignaua illigatur inertia: reſipiſcen-
di occaſionem videt ad culpæ incrementum; ſed
nobilem ignorat ad triumphum, vt vera ſit noſtra
theſis, culpam ſcilicet eſſe fortitudinis tineam,
roboris incantamentum, prudentiæ faſcinum in-
tellectus veneficium.

Iſaias Chriſti Domini aduentum deſcribens 361.
bouem ait poſſeſſorem ſuum agniturum, & aſi-
num domini ſui recens nati adoraturum præſe-
pium, Iſraëlem verò ignorantia obbrutuiſſe, &
felicitatis occaſionem non ſine adfectatione igno-
raſſe: *Cognouit bos poſſeſſorem ſuum, & aſinus* Iſai 1. v. 3.
præſapè Domini ſui; Iſraël autem me non cognouit, & populus meus non intellexit. Huius erroris cau-
ſam iam adſignat: *Omne caput languidum, & omne cor mœrens.* Ac ſi dicat: Omnis prudentia
infelici culpæ faſcino elanguebat, mœrebat cor
omni fortitudine nudum, & cum vires haberet,
vt

vt oppugnaret virtutem, carebat felici audacia, vt inuitantem ad veniam arriperet occaſionem. *Foris vagi & profugi*, inquit Galfridus in allegor. Tilman. *ſeſe fugiunt: quia intus in ſemetipſis cor mœrens inueniunt.* Addit: *Vnde etiam in eodem propheta: ſcio, inquit, quod durus ſis, neruus ferreus ceruix tua, & frons tua ænea eſt: flexibilis enim debuit eſſe neruus; ſed ſuperbiæ vitio neruus ferreus & æneus inflexibilis fit mens humana: quod ſi peccatorum ſuorum funibus quiſque conſtringitur: væ ei, qui ligatus fuerit neruo tali: non enim facilè poterit neruus ferreus ſolui.* Natum Dominum ac præſepi incluſum fauſtis, iteratiſque acclamationibus Angeli denuntiabant, ſplendidiſſimis ſydus radiis pro vocibus aſſerebat, vel tenebris immerſi Magi celeri volatu indagabant; nec tamen Ieroſolymitæ ſalutis occaſionem rapuerunt, imò ſic de arridente felicitate obturbabantur, ac ſi calamitate duriſſima premerentur: Herodi deſipiebant adulati, & furebant puero gratiarum manibus facto aduerſis. *Nam ſuperbiæ vitio neruus ferreus & æneus inflexibilis fit mens humana.* Inflexibilia erant corda, vt tuerentur culpam, ignauè mœrebant, vt arriperent gratiam. Adnectit ibi Richardus: *Eſt mœror lachrymarum effuſio, viſuſque hebetatio: vnde & omne cor mœret, quia ad omne conſilium rationis acumen hebet.* De infelici mœrore infauſtæ producuntur lachrymæ, quæ ſolùm deturpent viſum, & hebetauerint intellectum. Ergo vt noueris peccatorem brutalitatis terminos ſupergreſſum, vbi bos poſſeſſorem plauſit, vbi aſinus pulcherrimi pueri præſepe cognouit, Iſraël non intellexit de culpæ tenebris cæcus, de criminis enormi faſcino illigatus, de errorum vinculis præpeditus. Adde culpæ incantamentis ſic homines lapideſcere, vt audientes non audiant, vt videntes non videant, vt brutalitatis terminos ſuperuadant: rapiunt bruta occaſionem felicitatis, vocantis percipiunt vocem; homo verò de ſceleris veneficio torpet illigatus, vocemque ſtudioſè contemnit ſurdus.

362. *Et erit in die illa*, inquit Iſaias, *ſibilabit Dominus muſcæ, quæ eſt in extremo fluminum Ægypti, & api, quæ eſt in terra Aſſur, & venient.* Ecce apis inuolat vocata ſibilo, appellata reſpondet muſca: & quidem ſibilus non eſt vox efformata, quæ voluntatem dilucidè explicet; ſed tantummodo voluntatis ſignum, vocationiſque argumentum: ergo cùm bruta videas ſigno parere, videbis homines expreſſæ vocationi contraire, & oblatam felicitatis occaſionem ſtudioſi contemnere. Ecquis hoc ait? Ipſe profectò Iſaias? nam Achaz, cuius arbitrio ſuperna, infernaue miracula eligenda commiſit, & accipere renuit, & petere detrectauit: *Pete tibi ſignum à Domino Deo tuo in profundum inferni, ſiue in excelſum ſuprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum.* De fidei fuco fidem impugnabat, & colorata deuotione deuotionem ipſam deſtruebat. Iam ſi quæras, cur inuitantem ſalutem reſpuerit, cur miracula detrectarit; reſpondebit Rupertus lib. 1. in Iſaiam cap. 33. miracula noluiſſe accipere, vt idolis liberiùs quiuerit famulari: *Non humilitatis eſt; ſed ſuperbiæ, quòd non vult à Domino Deo ſignum poſtulare: quamquam enim ſcriptum ſit in Deuteronomio: Non tentabis Dominum Deum tuum, & hoc contrà diabolum Saluator vſus ſit teſtimonio; tamen iuſſus, vt peteret, obedientiæ debuit explere mandatum, præſertim cum & Gedeon, & Manue ſignum petierint, & acceperint: ſciebat enim rex impius, quod ſi ſignum peteret, accepturus eſſet, & glorificaretur Deus.* Inuitantem reſpuit ſanitatem, pulſantem oculos excuſſit lucem, idolorum faſcinationibus deſipiens, & idololatriæ ebrietatibus amens. Redeat iterùm Rupertus: *Ergo quaſi idolorum cultor, quia in omnibus angulis platearum, & in montibus locíſque nemoroſis aras conſtituerat, & pro Leuitis habebat phanaticos, non vult ſignum petere.* Signorum nouitas & miraculorum raritas vel deſidem incurioſúmque ad petendum impellebant; at Achaz nec impulſus voluit parere, quia idolis elegerat inſeruire: immundiſſimæ muſcæ paruerunt vocanti infructuoſę tunc apes obtemperarunt ſibilo Achaz verò idololatriæ furore correptus reſpuit miraculum & abiurauit prodigium: Iſaias recurrit ad mira ſperans mitis feliciter ceſſuram ſuperbiam; ſed nec mitis ſe præbuit facilem elationis procacia & procacitatis duritia: vt cui ſemel adhæſerat, tueretur ſententiam, vt partialibus ſuis faueret, amplexus eſt ſtultiſſimam pertinaciam: totis neruis niſus eſt Achaz obuiare miraculis, vt patrocinaretur idolis: manifeſtæque reſtitit veritati, vt mancipatetur errori: pro idolis, quibus ſemel fauit, ſtetit, & miraculis obuiauit: inuitantem ſalutis occaſionem deſpexit, illigatus idololatriæ vinculis dæmonibus inſeruiuit.

Galfrid. Richard. Iſai. 7. v. 18. Rupert.

§. LXXXVIII.

Qui ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus.

QVi ad aliorum ſalutem natus, à communi 363.
lege non ſemel inuenitur exemptus: fas eſt ſpeciali fulgeat dignitatis priuilegio, qui cunctorum viuit ſubſidio: *Conuenit iuſtitiæ noſtræ*, aiebat Theodahadus rex 3. var. 5. Importunum Patritium alloquutus, *vt cum tu copioſa bona protuleris, vberrimè te repleat munificentia principalis. Non enim creſcendi vobis hic ordo, qui multis eſt: paulatim prouehi mediocris probatur eſſe virtutis, dum moroſius agnoſcitur, quod ſub lenitate paratur. Saltu quodam ſe tendit veſtra proſperitas, ſoláque perfectio à vobis quæritur, cum vobiſcum multa naſcantur.* Plurium origo bonorum creſcendi lege non tenetur; ſed ſaltu quodam laudabiliter honoratur. En Samſon, quia in populi ſalutem libertatémque natus, Nazaræorum reſplenduit luminibus, generalibus tamen non conſtringebatur legibus: Nazaræi mortuorum polluebantur attactu; ipſe verò mortuos ſine pollutione tangebat, & ſine crimine diſpoliabat: *In maxilla aſini*; canebat, *in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros.* Samſonem ſine crimine mortuos attigiſſe, ſine legali macula cadauera diſpoliaſſe tradit Abulenſis q. 28. Itaque etſi non ſolùm ex tactu; ſed ex mortuorum etiam aſpectu, vt patet Numer. 6. polluerentur cæteri Nazaræi, Samſon ſpeciali priuilegio inde non trahebat maculam, vnde cæteri puritatis contrahebant iniuriam: & hoc totum, quia in Philiſthinorum perniciem natus, & ad ſalutem populi genitus. Abulenſem audi: *Deus non reputabat iſtud in eo tanquam pollutionem, eo quod Samſon ad hoc fuerat à Deo conſecratus, vt occideret Philiſthinos, ſicut ſignificauit Angelus dicens quod ipſe inciperet liberare Iſrael de manu Philiſthinorum*

Caſſiod. Paulatim prouehi eſt mediocris virtutis. Abulenſ.

rum; liberatio tamen iſta non fiebat ſine bello, & occiſione, & ideò oportebat ipſum vacare occiſionibus, & tamen Angelus, qui iſta dixit, denunciauit; quòd Samſon eſſet ſemper Nazaræus, ſcilicet ab vtero matris vſque ad mortem. Reliqui Nazaræi, qui ad generalitatis commodum non exorti, cadaueris etiam viſu ſordeſcebant attaminati; Samſon verò in populi auxilium, & ad Philiſthinorum natus naufragium ibi reſplendebat mundus vbi alius obſcuraretur attaminatus: debuit namque omnium vindex, & libertatis aſſertor ſpeciali priuilegio exornari, nec communi lege teneri: *Deus non reputabat iſtud in eo tanquam pollutionem.* Quod ſi Samſon, quia populi inchoauit liberationem, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus, & à lege communi exemptus quis inficietur Mariam Sanctiſſimam in matris vtero effotmatam non ad imperfectam populi liberationem, ſed ad conſummatam totius generis humani ſalutem, ſpeciali priuilegio fuiſſe exemptam, nec lege communi obſtrictam? Si Samſon ibi ignorauit maculam, vbi cæteri contraxerunt attaminationis offenſam, ſi ſaltu quodam eius ſe extendit felicitas quin illum obſcurarit, legalis immunditiæ calamitas, cur Maria ſaltu quodam non tranſiluerit legem, vt quæ ſalutis editura erat auctorem?

364. Cùm nonnulli diſcipuli caſſo labore totam noctem in piſcatione poſuiſſent, illuceſcente iam aurora Chriſtus Dominus littore ſubſiſtens vno iactu ingentem piſcium defatigatis copiam conceſſit: Petrus à Ioanne Chriſtum adeſſe audit, & ardenti accedendi ſtudio labiles fluctuum vndas

Ioan. 21. v. 8. firmo veſtigio tranſcurrit: *Miſit ſe in mare; alij autem diſcipuli nauigio venerunt.* Lyra exiſtimat hîc, vt olim, æquoris terga calcaſſe ſpeciali priuilegio, & nullo lapſus periculo:

Lyra. *Videtur quòd Petrus Domini memor, quem feruenter diligebat, & priſtinæ ambulationis ſuper aquas, quando ad Chriſtum venerat, quod ſimile hîc fecerit.* Cæteri venerunt nauigio: aliter namque corporis lege miſero perirent naufragio; at Petrus ac ſi corporea mole non preſſus aquarum ſolidauit naturam, & inuio mari ſecuram ad Chriſtum inuenit ſemitam. Quod ſi huius priuilegij cauſam inquiras, inuenies è lutoſis vndis ingentes piſces traxiſſe, & Dominicos greges curaſſe: *Aſcendit Simon Petrus, & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus centum quinquaginta tribus.* Piſces educenti agnelli ouéſque committuntur, dicente Domino: *Paſce agnos meos, paſce oues meas.* In piſcibus ad littora extractis deſignari fideles teſtatur Gregorius

Greg. apud D. Thomam: *Petro Sancta Eccleſia eſt commiſſa; ipſi ſpecialiter dicitur: Paſce oues meas. Quod ergo poſtmodum aperitur in voce, nunc ſignificatur in opere: ipſe enim piſces ad ſoliditatem littoris pertrahit: quia ſtabilitatem æternæ patriæ fidelibus oſtendit.* Conſonat Alcuinus ibi:

Alcuinus. *Paſcere oues eſt credentes in Chriſto, ne à fide deficiant, confortare terrena ſubſidia, ſi neceſſe eſt, ſubditis prouidere, & exempla virtutum cum verbo prædicationis impendere, aduerſariis obſiſtere, errantes ſubditos corrigere.* Vbi Petrus præ aliis ad homines peccatorum fluctibus immerſos extrahendos eligitur, vbi Dominici gregis cura illi ſpecialiter demandatur, ſingulari fulget prærogatiuâ, & aduersùs communem corporis legem æquoris confuſos graditur per vortices inoffenſà ac leuiſſimâ plantâ: congruum namque erat, vt à lege inueniretur exemptus, qui omnium ſaluti laborabat deſtinatus: corporis grauitas in profundum reliquos traheret; ſed aduersùs communem grauitatis legem gratia Petrum ſubleuabat, & fluctus calcabat illæſus ingentes piſces è fluctibus extracturus: quia in aliorum ſalutem electus ibi mirabili radiabat triumpho, vbi cæteri piſcium emblemate deſignati luto attaminabantur ſordido: ſubiacebant reliqui fluctibus; ſed fluctus Petro, & ibi ſingulari emicabat victoriâ, vbi cæteri captiuante includebantur ſagenâ. Quòd ſi petro piſces extracturo, Dominicúmque acturo gregem ſingulare adeò conceſſum eſt priuilegium, ſi ad illæsè ſuper fluctus gradiendi eſt aſſumptus conſortium, cur neges Mariam Sanctiſſimam Dei Matrem, cui Dominici commendati greges, dicente Sponſo: *Si ignoras te, ô pulcherrima, inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum*: Cantic. 1. v. 7. hanc cum Filio, & à Filio ſpecialem ſortitam fuiſſe prærogatiuam, vt ibi primo ſcilicet inſtanti firmiſſimos poſuerit greſſus, vbi lutoſus cæteros culpæ ſordidauerit fluctus. Primum vitæ inſtans omnes Adami filios iuxta illud Iob: *Pereat dies, in qua natus ſum, & nox, in qua dictum eſt: Conceptus eſt homo*: Iob. 3. v. 3. traxit ad culpæ miſeriam, at Mariæ tempus omne inſeruiuit ad gloriam. Ecquis hoc ait? Ioannes certè Euangeliſta Mariam typo ſigni illius magni nobis deſcribens, & omne illi inſeruire tempus aſſerens, ipſum audi.

Signum magnum apparuit in cælo mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona Stellarum duodecim. 365. Apoc. 12. v. 1. Nullum aliud eſt tempus, niſi quod Solis, Lunæ, & ſyderum iugis producit rotatio: ergo Maria dum Sole, Luna, ſyderibuſque amicta depingitur, omne illi tempus inſeruiſſe clariſſimè demonſtratur: nam vt veſtis à geſtante ducitur, nec amictus à veſte trahitur, ſic Maria, quæ tempore amicta deſcribitur ad ornatum, à tempore trahi nequiuit ad culpæ probrum. Veſtis ad inſtar omne tempus Mariæ inſeruiuit, nullum inſtans vt alios preſſit. Quam Mariæ congruit, quod de Patritio ſcribebat ſupradatus Caſſiodorus: *Meritorum laude ætatis præiudicia ſuperaſti: eligitur quippe in te naſcendi laus,* Caſſiod. *viuendi gloria, & cùm multa trahas ab antiquis, meruiſti placere de propriis. Ab ipſo quippe vitæ principio, quod inter adulantium greges rarum ſolet eſſe nobilibus, ſtuduiſti fidem virtutibus exhibere.* A vitæ principio inuiolatam exhibuit Maria fidem, ſi Eua ferè à vitæ exordio prolapſa eſt in infidelitatem. Iam in ſigno magno adumbrari Mariam, lippis & tonſoribus notum: *Beatus Bernardus.* Scribit Richardus de Sancto Laurentio lib. 3. de laud. Mariæ, *Stellas iſtas in corona Mariæ, quæ per iſtam mulierem deſignatur interpretatur duodecim prærogatiuas in Virgine.* Richard. Itaque ſigno magno, id eſt, Mariæ Virgini omne tempus inſeruiuit clariſſimum adornatum, nullum inſtans obſcurauit ad probrum.

Adde generalem ſtudioſiſſimámque omnium erga huius priuilegij propenſionem celebritatémque non exiguum eſſe argumentum, quandoquidem communis plauſus ſanctitatis habetur firmiſſimum teſtimonium. 366. Vt probaret datus Caſſiod. Importuni Patritij familiam miris ſemper virtutibus reſplenduiſſe, omnium adducit celebratam fuiſſe præconiis, & cultam dignis obſequiis: Caſſiodor. *Pendebant circa eos anxia vota ciuitatis, creſcens ſuprà priuatos publicus amor eorum. Senatus animum eorum ſequebatur, turba propoſitum: eo neceſſe erat*

Romam

Romam velle, quod cuncti videbantur optare, miróque proſperitatis euentu firmum circa eos cuſtodiebat arbitrium voluntas vaga populorum, quod inter cæteras dignitates munus indicamus eſſe præcipuum. Adnectit ſapientiſſimus Conſul. *Nam ſi paucorum amor iuſtè iam gloria eſt, tanta ciuitatis affectus quod poteſt habere præconium? Proinde ſicut omnia ingrata videntur obſcura, ſic generaliter dilecta præclara ſunt.* Quis ambigat Mariam eximiè fuiſſe præclaram, quã adſpicit ab omnibus ſtudioſè dilectã? Circa Cõceptionis plauſum vaga populorum voluntas firma conſiſtit. O vtinam iam Roma decernat, quod populus totus ſuſpirat: *Fò neceſſe erat Romam velle, quod cuncti videntur optare.*

§. LXXXIX.

Sibi inuidet, qui benefico honeſtum gratitudinis tributum non pendit.

367. VT nõnulli proſpero infortunio, & cæca felicitate ducuntur in portum, quia illis tẽpeſtas ſubſidio eſt, ita aliis ſecundus ventus, & pacatum mare naufragij extiterũt occaſio: plura nauigia, vbi paulò antè luſerũt, abſorpta ſunt: acet timor oculos in cœlum dirigere cõpellit, & gubernaculo ſolicitam admouere manum ſuadet. Plures detinuit malatia, aut illuſit fortuna: nec contingit in ſolo aliter ac ſalo: qui actiùs adſpirantibus calamitatum vẽtis agitatur, modeſtiæ gubernaculo vſi opportunũ ſibi aſciuerunt auxilium; ſecundis verò lenocinantibus miſerum ſubiere naufragium: vix dici poteſt, quàm proſperitas mortales inflet: vnde magis obſtricti, inde inſolentiùs tumẽt ingrati, & pereunt beneficiis, qui beneficia promeruerant miſeriis. Nil tutum eſt ſi grata deſit modeſtia, & pro modeſtia ſucceſſerit arrogantia: inde namque æternari ſolet probrum, vnde luculentius laudis ſperabat ſuperbia lucrum: ingrati ſibi ipſi ſunt inimici: quia præterquam ignominioſam gloriæ ſuæ inferunt notam, aſciſcunt etiã præter opinionẽ ruinam: *Moderatè nouit iniuncta ſibi complere prudentia,* (inquit Caſſiod. 5. var. 8.) *& ſine ingratitudinis næuo delegata explicabili procurare conſilio.* Prudentia ingratitudinis næuum recuſat, non ſolùm vt explicabili decorata fulgeat conſilio; ſed ne inhoneſto depauperetur diſpẽdio quiſquis ingratè ſuperbit, illud ipſum vnde ſuperbit, amittit. Samſon cæleſti ſpiritu afflatus exercitũ inimicorum attriuit, certaminis locum non, vt fas erat, triumphi auctori; ſed ſibi ambitioſus aſcripſit: *Vocauit nomẽ loci illius Ramathlechi quod interpretatur eleuatio maxillæ.* Arrogantiam roboris comitata eſt vrgentiſſima ſitis, & inde ortum eſt verum triũphatori periculũ vnde euanidũ quæſiuerunt plauſum: *En ſiti morior, incidámque in manus incircũciſorum* Iure timuit miſerum caſum, quia ſibi totum arrogauerat triumphũ: eſt namque ingrata ſuperbia gloriæ tinea, ærugo virtutis, & fomes calamitatis. Adeſt ſæpè iam datus Ambr. *Nec aram ſtatuit Deo nec hoſtiam immolauit; ſed negligens ſacrificij, aſſumptor gloriæ, vt triumphum ſuũ perpetuò conſecraret nomine, vocauit locum maxillæ interfectionem. Et mox ſiti grauiter cœpit inardeſcere.* Externo triumpho decoratus interna ſiti deperibat aduſtus, & qui triumphum reddere contẽpſit auctori, ſe & triumingenti obiecit diſcrimini: ſine penſo gratitudinis lucroſo tributo nec diu floret felicitas, nec longè exulabit aduerſitas: ſibi inuidit Samſon benefactoris oblitus, hoſtium copias fudit maxilla; ſed tradebat hoſtium manibus arrogantia: *Incidam in manus incircumciſorũ*: & quare? Quia *hoſti[illegible] Deo non im-*

Caſſiod.

Ambroſ.

molauit: ſi aram Iacobi ad inſtar erexiſſet, ſi locum certaminis grato nomine cõſecraſſet, non experiretur periculum, & ſumptuoſiùs acquireret ſibi elogiũ; at ſacrificij neglector, & gloriæ aſſumptor dũ æternare triumphi diſcupit ardenter famã ignominioſam ſibi ingratitudinis trãſmittit ſæculis notam.

Homo dum tot à conditore ſuo acceptis beneficiis iniurioſa obliuione reſpondet benignitatis quodammodo exciccat fontem, & ad collati beneficij adigit pœnitudinem: *Pœnituit eum quòd hominem feciſſet in terra, & tactus dolore cordis intrinſecus: Delebo, inquit, hominem, quem creaui à facie terræ.* Deo ingratus ſibi extitit inimicus, in ſe torrentium volumina armauit, dum vtiliſſimũ gratitudinis tributum nõ pependit. Huc voco Tertull. lib. de pœnit. c. 2. *Viderit ergo ingratia hominum, ſi etiam bonis factis pœnitentiam cogit: viderit & gratia, ſi captio eius ad benefaciendum incitamento eſt Terrena mortalis vtráque, quantum enim compendij ſi grato benefeceris, vel diſpendij, ſi ingrato.* Pœnituit quodãmodo Deum diſpẽdio obſcuraſſe beneficia quaſi dediſſe ingrato non ſolùm fuerit rei familiaris iactura; ſed prudentiæ malè collocantis nota. Honorabilis ingenuáque gratitudo beneficiorum eſt magnes, dum beneficus, beneficiatúſque honeſtas reciprocant actiones, & alter beneficiorũ ſortitur compẽdium, liberalitati adhibet alter igniculum, qui de collatis gratiis nobile accepit gratitudinis tributum, honeſtum luctum iterat, & tributarium honorat: *Viderit & gratia, ſi captio eius ad benefaciendum incitamento eſt.* Pœnitentiam enutriuit hominis ingratitudo, & beneficentiæ fons diſtulit beneficiis effluere, ne contingeret iterum pœnitere: *Pœnitet,* inquit, *me feciſſe eos.* Dolor diluuio perſuaſit munificentiæ malè ad ſpeciem collocatæ delere memoriam, ne liberalitas ſubierit erubeſcentiam: dum homo actionum coloribus artificem non expreſſit, lituram ſuperinduxit: *Viderit ingratia hominum, ſi etiam bonis factis pœnitentiam cogit.*

Decantanda illa ſæculis Anna, quæ ardentia oratione viſcera fœcundauit, fructum antequã gigneret, Deo promiſit, ne prius viueret naturæ, quam gratiæ: *Dabo eum Domino omnibus diebus vitæ eius:* ablactatum reddidit, & benè collocatum beneficiũ ad auctorem prouenie adauctum, verùm adulteraſſe videtur votum, dum non reddere teſtatur, ſed commodare: *Pro puero iſto oraui,* alloquitur Sacerdotem, *& dedit mihi Dominus petitionem meam, quàm poſtulaui eum: idcirco & ego commodaui eum Domino.* Propria commodantur, aliena redduntur: ſi ergo reddit acceptum, cur tanquam proprium adſerit commodatum? O diſertam fœminam! qua beneficium reddit, propriſſimum gratitudine facit: Samuël, dum acceptus completè nõ erat proprius; aſt dum mater ſoluit, debitorem, cui ſoluit, tenet: debebat mulier quod acceperat, & debuit Deus, quod retulerat: gratitudo honeſtum accepit lucrũ, quia redditum mutauit in commodatum: *Sterilis peperit plurimos*: Vt fenebris pecunia ad Dominum reddit prouentibus aucta, ita Samuël honeſtũ fœnus extitit matri, vt pluriũ exultet genitrix, quæ vel vnico lugeret orbata, ſi ingratitudine ſorderet obſcura. Opportunè Bernard. in alleg. Tilman. ad Luc. 17. *Felix qui ad ſingula dona gratiæ redit ad eum, in quo eſt plenitudo gratiarũ, cui dum pro acceptis non ingratos nos exhibemus; locum in nobis facimus gratiæ: omnino enim nos ſola à profectu cõuerſationis impedit ingratitudo noſtra, dum quodammodo perditũ reputans, qui dedit, quod ingratus accepit, cauet ſibi de cætero, ne tanto plura amittat, quanto plura cõferat ingrato.* Quę beneficus veretur perde-

368.

Geneſ. 6. v. 6.

Tertull.

369.

1 Reg. 1. v. 11.

Bernard.

re, deſinit ingratus accipere; mulctatur commodis, qui penſis adaugeretur tributis: anxiè rogitans Anna accepit vnicum; at lucroſum perſoluens reditum, incrementauit filiorum numerum: *Sterilis peperit plurimos. Viderit gratia, ſi captio eius ad benefaciendum incitamento eſt.*

370. Decem homines leprâ infecti ſalutem à Chriſto Domino conſequuntur: vnus tantùm vocem habuit, vt referret gratiam; cùm omnes clamore exerto aures verberarint, vt acceperint medicinam: *Regreſſus eſt cum magna voce magnificans Deum.* (Lucæ 17. v. 15.) De nouem rogat, qui impertiuerat ſanitatem, & interrogando diſtare indicat à ſalute: *Nonne decem mundati ſunt? Et nouem vbi ſunt?* Longè à vera ſalute diſtabant expunctò cutis etiam horrore, qui grauiorem ſubierant ingratitudinis morbum: dum gratum non firmabat ſalutem, obſequium, ſalus aſciſcebat periculum. Prodeſt iam datus Bernardus: (Bernard.) *Multos videmus vſque hodie ſatis importunè petentes, quod ſibi deeſſe cognouerunt; ſed paucos nouimus, qui dignas ſuper acceptis beneficiis gratias agere videantur. Nec eſt reprehenſibile quòd inſtanter petimus; ſed petitioni negat effectum, quòd ingrati inuenimur.* (Ingratitudo petitioni negat effectum.) Neceſſitas clamat, reſiſtit ingratitudo, & ipſi vota noſtra eludimus, & deſideria fruſtramus: ingratus, ne acceperit, impedimento ſibi eſt: nam quod ſolicitat anxio clamore impedit deteſtabili ingratitudine. Addit Bernardus: *Benè Saluator in Euangelio nouem illos, vbi ſunt, quærit: quia longè à peccatoribus ſalus.* Adnectit: *Felix autem Samaritanus ille, qui cognouit ſe nil habere, quod non accepiſſet, & idcircò ſeruauit depoſitum, & cum gratiarum actione ad Dominum eſt reuerſus.* Cùm Chriſtus vera ſit hominum ſalus, à ſalute tam diſtitit ingratus, quantum approximauit deuotus, à felicitatis gaudiò longiùs exulabant ingrati, quàm leproſi: leproſi namque obtinuerunt ſalutem; ſed obliti grauiorem ac fœdiorem contraxerunt infirmitatem: alienigena dum gratis veſtigiis Domino accedit, ipſo ad vitæ fontem acceſſu ſalutem non ſolùm ſuffulcit, ſed auget: *Et nouem vbi ſunt?* Longè à voto, longiſſimè à voti lucro: *Bene Saluator in Euangelio nouem illos, vbi ſunt, quærit: quia longe à peccatoribus ſalus.* Ergo fuge ingratitudinis luem ingrato mortiferam, cunctis odioſam, & vtilitati aduerſam.

§. XC.

Inſtar miraculi eſt, ſi iterùm ſeruiat poſt exantlatos labores reiectus, & impræmiatus.

371. PRæmium alit artes, inſpirat vires, omnes mollit difficultates, nihil arduum eſt, quod firma præmij ſpes non extenuet, & honeſti lucri ſitis non ſuperet: *Spes effectus*, inquit Caſſiodorus (Caſſiod.) 5. var. 17. *tædium laboris excludit, & magnum genus incitamenti credere deſiderata compleri.* Qui deſiderata non dubitauit complenda, alacriter incumbit labori, nec affert tædium, ſi labor peperit fructum; aſt ſi poſt anxias laborum difficultates, ſi poſt ſolicitas excubias, poſt periculoſas vigilias loco præmij deſpicabilis ſuccedat repulſa, & ingratæ repulſionis ignominioſa moleſtia, exulceratus animus non iterabit obſequium, nec proſequetur ſine miraculo officium. Gaudent milites inſudare certaminibus, dum certis ſtimulantur ſpebus, ſi verò deſinit, vigor elanguet, & torpor irrepit. Quod ſi ſeruire detrectat animatus impræmiatus, quid faciat non ſine nota repulſus? Certè miraculo opus erit, vt iterum ſeruiat prætermiſſus, & reiectus. Ab inanimatis ad animata mutuari liceat exemplum, quando omnia in morum ſcripta conſtat ſubſidium. En Samſon mandibulæ ope hoſtes profligauit, & ingenti clade percuſſit; ſed finito bello abiecit: *In mandibula pulli aſinarum*, aiebat *deleui eos, & percuſſi mille viros: cumque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu.* Certaminis labor ſic ardentem exciuit ſitim, vt qui ingenti hoſtium copia circumdatus ſæculis decantandum reportauerat triumphum, præſentaneum iam expauerit mortis periculum: *En ſiti morior, incidamque in manus incircumciſorum.* Quid tunc? Cùm facilè fuerit, vt olim Agar præbere Angelum ſitienti aquarum ſcaturiginem ad omnipotentiæ commendationem, ipſe Deus è molari maxillæ dente ingenti miraculo, qua expleret ſitim, frigidam iuſſit oriri: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ.* Et cur modo aperiat molarem Dominus, ſi olim fontem oſtenderat Angelus? Nonne ſatis ad educendos latices Angelica diligentia, & prudens induſtria? Cur ergo Domino ſpecialiter adſcribatur aquæ ſubſidium, & opportunum ad ſitim placandam poculum? Quia adeò erat arduum poſt præſtitã opem ad triumphos reportandos, abiectam iterum inſeruire, & maxillam neceſſitatibus miniſtrare, & ipſe Deus grandi miraculo dentẽ aperuerit, & vndas præbere fecerit. *Sciendũ*, ait Abul. q. 30. (Abulenſ.) *quòd Samſon iam proiecerat iſtam maxillam in terram, vt ſuprà dictum eſt.* Maxilla reportando inſeruierat triumpho, eius ne Samſon inimicos attriuit, & profligauit, cùmque videretur honoranda, iacuit ſine honore; imò & contumelioſè deiecta: ergo quod poſt repulſam iterum ſeruiat omni potentiæ applicandum, non Angelis adſcribendum. Sine ingenti miraculo maxilla poſt præſtitam opem non ſolum impræmiata; ſed abiecta, nec ſuccurreret laboranti, nec latices præberet ſitienti. Quod ſi miraculo opus fuit, vt iterum inſeruierit maxilla non ſine deſpectu reiecta; diſcant qui aliorum ope indigent labores dignis compenſare præmiis: aliter ſine miraculo non exhibebunt officium; ſed ingratæ excuſabunt repulſæ ſenſum. Inuenies obtentis votis, & re, quam deſiderabant, perfecta, vt non ſuſpicentur aliquã poſſe iterum neceſſitate adurgeri, opem ferentium oblitos, & ingrata obliuione iniurios: & quidem eiuſmodi non ſolùm probantur ingrati; ſed mali politici, quandoquidem æquitas gratitudinem edocet exhibere, & prudentia amicos reciproco officio prouidenter ad futura præparare.

Dauid inimicos perſequens Ægyptium in agro inuenit iacentem & derelictum, ferè agebat animam; cibo tamen recreatus vires reſumpſit, & 371.
conditione requiſitus reſpondit: *Puer Ægyptius ego ſum ſeruus viri Amalecitæ; dereliquit autem me Dominus meus, quia ægrotare cœpi nudius tertius:* (1. Reg. 30. v. 13.) *ſiquidem nos erupimus ad auſtralem plagam Zerethi, & contra Iudam, & ad meridiem Caleb, & Siceleg ſuccendimus igni.* Dauid eius deſiderat operas, vt ad hoſtilia compendioſiùs perueniat caſtra, quas duplici cõditione promittit, altera quod poſt præſtitũ ducatum, vitã non mulctetur, altera quod antiquo Domino non tradatur: *Iura mihi per Deũ quòd non occidat me, & non tradat me in manus*

Domini

Domini mei, & ego ducam te ad cuneum iſtum. Vt mortem iterum obſequi antiquo Domino horrebat eique non tradi egregium laborioſi ducatus præmium reputabat, & quidem ſatis prudenter: nam poſt tritos ſarcinis humeros, poſt anxios irruptionis labores pro mercede ingratam expertus repulſam præſtare iterum animitus refugit operam: Greg. *Amalecitam ſequi non voluit*, inquit Gregorius lib. 5. moral. cap. 19. viderat deſtructa iam Suceleg, quod Amalecitæ fuerat votum, ſe iacere non ſolùm impræmiatum; ſed derelictum, & ignominiosè deſpectum: ergo loco mortis poſuit iterum ſeruire ingrato, & laborum non ſine deſpectu oblito: *Amalecitam ſequi non voluit*, ſic iterum antiquo Domino inſeruire detrectabat, ſic animitus refugiebat, vt ſub hac conditione Dauidi ſuas promiſerit operas, ratus ingens præmium non iterare ſeruitium.

373. Expendebat Seleucienſis Baſilius mirâ Dauidem comitate & benignitate luxiſſe, Deique gratiam, dum qua Saüli medeatur, lyram iterum prænſat, condecoraſſe: deſertam à virtute Saülis animam nactus poſſedit dæmon: aduentum ſuum callidis artibus ſatagebat occulere; verum actionum notis non potuit non promulgare: apparebat in facie, quod latitabat in corde: oculorum namque pupillæ agebantur tranſuerſim, dæmoniacis motibus obturbabatur, poſſidens Principem omnem infeſtabat plebem. Adeſt Dauid, cuius erant arma ſpiritus, lyra & Pſalmus: nouum trophæum cantibus excitauit, & voce teli ad inſtar percuſſum hoſtem abegit: medicinæ pretium telum fuit per inſidias iactum, 1. Reg. 18. v. 10. & contra medici ſalutem contortum: *Tenebat Saül lanceam, & miſit eam putans quòd configere poſſet Dauid cum pariete, & declinauit Dauid a facie eius ſecundò.* Dum per inuidiam iacit telum, iterum aſciſcit dæmonium; ea tamen fuit Dauidis benignitas, vt lyram prænſarit, & iterum inſeruierit: 1. Reg. 19. v. 10. *Dauid pſallebat manu ſua. Niſúſque eſt Saül configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saül.* Non demiror Dauidem allectum præmij ſpebus cum gigante congreſſum, non eius virtutem cum dæmone colluctantem, dum cantus ignorabat mercedem, ingenti verò mihi ſtupori eſt, dum impræmiatus, & ſumma ingratitudine pulſus iterum pro armis cum dæmone cantu confligit, & ingrato medelam adhibet. Baſilius. *O propheticam clementiam*, (verba ſunt Baſilij orat. 15.) *non ſuccenſet inuidenti, non odia in memoriam reuocat, non punitus malè punitionem molitur: quid hoc loquor? ne quidem ſegniter lyram prahendit; ſed tanquam benemerentem curaturus properabat.* Adnectit poſt pauca: *Vides vt ſapienter gratia delectum habeat: vides eum quàm iuſtè præ fratribus elegerit, quando fratres corpore ſpectabiles auerſata ſit, in vilem ſpecie ipſa de vnctione ſuffragium tulit: his gaudet Deus, his lætatur gratia, tales cœlum è terris excipit.* Dauid poſt miranda obſequia inſidiis impetitus, & iterum pro Saüle contra dæmonem depræliatus homo cæleſtis apparuit gratiæ ſuffragium dignis actionibus commendans, & comprobans: miraculi ad inſtar fuit lyram iterum prænſare & iterum inſeruire: Tolle ſpem, & cuncta ceſſabunt: quod ſi ſpei loco prudens ſucceſſerit timor, quis tam ſit amens, vt deſpiciat periculum, & in ſugillationem prudentiæ exhibere adlaborarit obſequium: ni talis ac tantus eſſet Dauid, lyram iterum non prænſaret; ſed ſtudioſiſſimè fugeret. O eximium virum, quem de virtutis ſtatione ingratitudo non deiecit, nec peruerſitatis ſupercilium, ne iterum ſeruiret, conſuluit! Mirandus eſt Dauid de cantus peritia, de gigantis victoria; ſed mirabilior de iterato ſeruitio & de præſtito poſt malam tractationem obſequio: *His gaudet Deus, his lætatur gratia, tales cœlum è terris excipit.*

Vix vocatur & adeſt præſens dilectus: *Oſculetur me oſculo oris ſui*, aiebat elegans fœmina, & votum comitatur effectus, dum quem abſentem vocarat, alloquitur iam præſentem: *Meliora ſunt vbera tua vino*: hic ipſe, qui tam expromptè votis annuit, poſteà non inuenitur anxiè quæſitus, nec reſpondet exertis clamoribus compellatus: *Quæſiui, & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi*, & cur aures inuenerit modò ſurdas, quæ paulò antè inuenerat patulas? Textus expreſſit: aduentarat dilectus horridæ hyemis niues deſpiciens, & capillamenti paruipendens iniurias, vt ſolitariæ ſorori blandiretur, vt lenociniis prolectaret, & cæleſtibus beneficiis augeret: *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Illa friuolas excuſationes prætendens repulit: *Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Ergo ingratitudinem poſt obſequia expertus aures obturauit, & qui votis adfuerat deſideratus, defuit modò exertis vocibus, & laborioſis circuitionibus requiſitus: ſi in eius obſequium niues deſpicientem honoraſſet ſoror digno recipiens hoſpitio, ſi grato reſpondiſſet obſequio, haberet neceſſitatibus auxiliarem; at dum beneficiis obſtricta benefactorem repellit, etſi poſtea quærat, non inuenit. *Cœpit vocem inſtar tubæ exaltare*, inquit Noſter Delrius in littera; *ſed ſurdis canebat auribus.* Obſurduit ad vocantis clamores, qui exantlatis ob illam laboribus, ſi non ſurdam, inuenit ſaltem ingratam. 374. Cantic. 1. v. 1. Cantic. 5. v. 6. Delrius.

---

§. XCI.

Nonnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant.

PLures inter ingratitudinem, gratitudinemque diuiſi ſic incedunt, vt verbis geſtiuerint vitare notam, cùm factis non recompenſauerint gratiam, vultu voceque honorantium mentiuntur animum; ſed factis mentitum oſtendunt vultum: iniuriis factis humanitate ac beneuolentia diffluentia coniungunt verba, & adulteratis nominibus ipſam abiectionem ſplendenti voce nobilitant, quo de ſono euanido gratitudini ſatisfaciant. Samſon maxilla pro armis vſus copioſas hoſtium detriuit phalangas, conſertas fugauit copias, finito iam bello reportatóque triumpho maxillam proiecit, & abiectionem ſplendenti eleuationis nomine nuncupauit: *Cùm hæc verba canens compleſſet proiecit mandibulam de manu, & vocauit nomen loci illius Ramatlechi, quod interpretatur eleuatio maxillæ.* Quàm facta à vocibus diſſidebant! Penes verbum maxilla eleuabatur; ſed re vera proiecta, & de manu prorſus iacebat excuſſa 375.

excuſſa. Iam ſi inquiras; cur deiiciat vtile adeò ſibi inſtrumentum, aut cur ſpecioſum indat proiectioni vocabulum; reſpondebo hoc facto veluti eleganti penicillo quod plurimis accidat, delineaſſe; imò & propriis coloribus expreſſiſſe. Inuenies plures; qui cùm nec accepta officia poſſint negare; nec debitam gratitudinem velint rependere; factis ingratitudini adulantur & gratitudini vocibus obſequuntur: verbo tenus magnificant, honorant, exaggerant; factis verò depretiant, contemnunt, abiiciunt. Maxilla triumphorum vena voce magnificatur; ſed reprobiicitur; & cùm ſuſtineat proiectionis ignominiam, mentitam eleuationis patitur gloriam. *Finito Cantico*, inquit Abulenſis quæſt. 29. *proiecit maxillam in terram, & vocauit nomen loci illius Ramathlechi.* Adnectit: *Rama; vel Ramath interpretatur eleuatio vel excelſum, Lehi, vel Lechi corrupta voce ſignificat maxillam.* Itaque ipſam proiectionem appellabat celſitudinem, & cùm maxilla ſorderet abiecta; publicabatur mendaciter eleuata: vt ſpecioſum nomen mentiebatur elogium; ſed abiectio oſtendebat dehoneſtamentum.

Abulenſ.

376. Si litteræ corticem ſolum inſpicias; veritatem hanc in ſponſæ commendatione adumbratam inuenies: deſiderabat illa vbi dilectus ſuus meridianum candentis ſolis æſtum declinaret, agnoſcere: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie.* Dilectus mitis elogiis eius venuſtatem buccinat, & cæteras pulchritudinis laude quàm longè excelluiſſe deprædicat; verùm cum elogio munus iniungit, nec pulchritudini congruum, nec teneritudine ad ſpeciem dignum: *Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres, egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Non detinet in vmbra; ſed onerat hœdos paſcendi moleſtia pulchritudinem exaggerans, & elegantiam oris commendans: præſtantiam elogiis ſumptuoſiſſimis extollit: *O pulcherrima inter mulieres*; ſed ad paſcendos non agnos; ſed hœdos mittit: abiecto laborioſoque miniſterio addicitur, quæ pulchrior cæteris dilaudatur. Et quidem; ſi, vt dicebam, verborum non arcanam inſpicias medullam; ſed corticem; videbis vili ſimul mancipatam miniſterio, & ſumptuoſo celebratam elogio. Vti cæteris præſtantem extollit: *Pulcherrima inter mulieres*; ſed ſimul laborioſo, & humili miniſterio depreſſit: *Paſce hœdos tuos.* Certè à factis ſic verba diſſidere videntur, vt ambiguus hæreas, dubiteſque, an parui ſit habita, an omnes cæteras ſupergreſſa. Addit iterum: *Equitatui meo in curribus Pharaonis aſſimilaui te, amica mea: pulchra ſunt genæ tuæ ſicut turturis.* Equæ ad inſtar curtus iugo collum ſubdere, & vinculis videtur premi, eo ipſo tempore, quo laudibus auditus extolli: *Equæ meæ in curribus Pharaonis aſſimilaui te proxima mea*, legit Ambroſius: additque: *Equi iuncti concorditer trahunt currum, & patienter ſuſcipiunt iugum.* Et poſt pauca: *Huius equæ ſimilis æſtimatur hæc anima.* Deputatur iugo, addicitur ſeruitio, dum celebratur præconio: & quidem etſi arcanis myſteriis ſtylus reſplendeat plenus noſtræ; theſis veritati confirmandæ non videtur inopportunus. Sunt qui lingua magnificant, ſed actionibus dehoneſtant: inuenies qui alios ſumptuoſis extollant laudibus, cum duris premant actionibus, ab elogio quærunt fucum, quo fœdum colorauerint factum. Alioſum

Cantic. 1. v. 6.

Ambroſ.

ſponſi directa ſunt verba; ſed ad deprauatos mores declarandos non ſunt incongrua.

377. Oſeas Iſraëlitis hoc crimen obiecit: *Ipſi locuti ſunt contra me mendacia, & non clamauerunt ad me in corde ſuo, ſed vlulabant in cubilibus ſuis: ſuper triticum & vinum ruminabant, receſſerunt à me.* Clamabant labia; ſed à labiis diſtabant quàm longiſſimè corda: manus dicabatur idolo, dum mendax lingua effunderet laudes Deo. Ita Theodoretus ad hunc locum: *Non clamauerunt ad me corda eorum: eadem per Eſaiam exclamat dicens: Populus hic labiis me honorat; corde autem longè abeſt à me. Deinde reprehendit; quæ idolorum cauſa perficiebant.* Adnectit: *Gentilia ſacra confecerunt; & meorum bonorum deliciis diffluentes in idolorum templis appellatas inciſuras ſuis corporibus admouerunt.* Factis extollebant idolum, verbis honorabant Deum: ſi inſpexeris opera, Deus nihili habetur; magni, ſi verba attenderis, æſtimatur: & quidem vt erga Deum huiuſcemodi homines ſe gerebant, ita etiam erga alios, qui politici appellantur, ſe gerunt: gratum oſtendunt vultum, verba proferunt honoribus diffluentia; ſed actionibus, factiſque ſibi aduerſantur, & verbo tenus honoraſſe noſcuntur. Mirum eſt quàm verba à factis diſſideant: mirum eſt quàm à ſe nonnulli diſcrepent: in vno homines duos latitare cenſebis, à quorum altero honorem ſuſcipis, & contemptum ab altero pateris.

Oſee 7. v. 13.

Theodor.

378. Hanc plurium doloſitatem argutè carpit Ieremias: *Ecce vos confiditis vobis in ſermonibus mendacij, qui non proderunt vobis.* Et quæ ſunt huiuſcemodi verba? Iam retulerat propheta: *Nolite confidere in verbis mendacij dicentes, Templum Domini: templum Domini templum Domini eſt.* Eximiam ſe de templo habere opinionem iactitabant, vtque inhabitatum à vero Numine verbis extollebant; ſed eo ipſo tempore indignis actionibus depretiabant: Ezechielem audi: *Ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium, abominatio, & vniuerſa idola domus Iſrael depicta erant in pariete in circuitu per totum. Et ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſrael, & Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas, & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebulæ de thure conſurgebat.* Ipſum quod magnificis verbis templum extollebant, reptilibus, & abominationibus conſpurcabant: ſi perſpexeris horum opera, non dubitabis nihil habere: Si verba auſcultes, magni crediderſis æſtimare. Verbis magnam de templo opinionem promebant; ſed factis quàm à labiis diſtarent corda, manifeſtiſſimè declarabant: *Non ſolum*, inquit Hieronymus libro 3. comment. ad Ezechiel 8. *Idolum Zeli erat in introitu portæ, ſed omnes templi parietes diuerſis idolorum imaginibus pingebantur; vt nulla eſſet beſtia, quam non parietis pictura monſtraret. Hoc eſt in fanis gentilium vſque hodie cernimus, vbi omnia beſtiarum genera adorat ſtulta religio.* Adorationem, thuriſque nebulam reptilibus offerebant, & templum verbis mendacibus vt magnificis honorabant. Sacer Dei locus in illorum cordibus ſordeſcebat deſpicabilis; ſed labiis reſplendebat plauſibilis. Aulici, politicique; quorum numero nonnulli etiam adiungi poſſunt miniſtri, gratis verbis, fucata æſtimatione, hilari vultu fallunt; ſed factis lædunt

Ierem. 7. v. 8.

Ezech. 8. v. 10.

Hieron.

Hæ

Digitized by Google

379. Has humani cordis technas Sanctus Marcus mitè depinxit, dum pueri dæmoniaci ad Christum vti ad magiſtrum acceſſiſſe parentem retulit: *Magiſter attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit illum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit. Et dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Chriſtus Dominus detexit, quod fraudulentia occultabat, acceſſiſſéque non tam remedia quæſiturum, quàm opprobraturum dilucidè oſtendit: *O generatio incredula quamdiu apud vos ero, quamdiu vos patiar.* A verbis cor diſſidere non dubium, appellabat magiſtrum; ſed ad depellendum dæmonem ſugillabat etiam ignauum. Ecquis hoc ait? Certè Chryſologus Serm. 51. de hac re ſolito acumine diſſerens: ipſum audi: *Dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent eum, & non potuerunt, hoc eſt dicere eſſe diabolum, qui Chriſto non cederet, eſſe dæmonem, qui parui poſſit Chriſti nominis habere virtutem. Diſcipuli non ſuo; ſed Chriſti nomine dæmones de obſeſſis corporibus effugabant. Quod ergo dæmon diſcipulis imperantibus non cedebat, iſte ad infirmitatem Chriſti nominis, non diſcipulorum trahebat ad culpam.* Filium attulit, non tam vt Chriſti virtutem requireret, quàm vt nullam eſſe monſtraret. Appellitabat magiſtrum; ſed carpebat vti virtute nudatum: *Iſte*, præmiſerat Chriſologus, *non ad Deum venerat; ſed ad magiſtrum venerat, curam non à virtute exigens, ſed ab arte, tarditatem curæ hoc cauſæ deputans; ſed curanti, impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitiæ aſſignans.* Diſſimillimum ſibi hominem iſtum reperies, ſi verba attendas, & cor inſpicias. Cor Chriſti virtutibus detrahebat, lingua magiſtrum appellitabat: exhibebat honorem; ſed vt tegeret fraudem: appellabat magiſtrum, ne quid adſcriberetur inuidiæ: ſed vt omnia redundarent ad exaggerationem inertiæ: imperitiam arguebat, & magiſtri vocabulo peritiam exaggerabat: *impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitiæ aſſignans.* Proh humanam verſutiam! proh verſutiæ fraudulentiam!

Marc. 9. v. 16.

Chryſol.

§. XCII.

Prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautelâ contra inopinata diſcrimina.

380. NVnquam, ſi rationabilis, erit cautela ſuperflua: plures ipſo in portu ſubierunt naufragium, qui fruſtrarant deſæuiente procella periculum: leuis ſcintilla grande ſolet flabellari in incendium, & inde irreparabilis emergit ruina, vbi timorem omnem incauta deſpexerat confidentia, ſecuritatis fuco tegitur non ſemel periculum, & quia non præcauetur, incurritur. Omnes timoris cauſas dum ſtudet anteuertere, prudens eludit cautela, nec tamen vel in ipſa ſecuritate ſtertit ignaua, quia nouit tradidiſſe plures grandi diſcrimini inertem confidentiam, & nimis confidentem incuriam. En Petrus dum ventum timet, clamat, & dum clamat, naufragium, & ventum fruſtrat; at vbi periculum deſpexit, & abnegationem nec tormentis extorqueri poſſe præſumpſit, ſemel & iterum abnegauit: *Etiam ſi oportuerit me mori tecum*, aiebat, *non te negabo*: de ipſa ſecuritate

Matth. 26. v. 35.

procudit ſibi periculum, qui mediis vorticibus cauto timore conſtruxerat ſibi portum. Huc voco quod aiebat Seleucienſis Baſilius orat. 22. *O timentem naturæ magiſtrum, ô periculum, quo docetur, vbi ſalutis ſit anchora.* Timor fuit pro anchora, nimia naufragium attulit confidentia. Prouidam nos edocuit Samſon cautelam: deleuerat in maxilla Philiſthinorum plurimos, qui iacebant, penitus videbantur extincti; nihilominus tamen arma non proiecit, quouſque an aliquis frueretur vitâ, diligentiſſima examinauit ſolertia: *Deleui eos, & percuſſi mille viros, cúmque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu.* Quærit Abulenſis quæſtione 29. cur ante mortuorum ſupputationem mandibulam non abiecerit, quandoquidem ad ſupputationem videbatur impedimentum, nec Samſoni iam mandibulæ neceſſarium auxilium. Reſpondétque noluiſſe exarmari maxilla, quouſque an omnes demortui eſſent, diligentiſſima indagaret ſolertia: timuit namque cautus triumphator, ne ſi depoſuerit, vti iam ſecurus arma improuiſa hoſtis alicuius irruptione indecorè verterit terga. Audi Abulenſem: *Forte finito bello ſemper: tenuit eam, dum inueſtigabat eos, qui corruerant in campo, vt ſi quis fortè illorum non erat mortuus, occideret eum, nunc autem numeratis eis, & finito cantico proiecit maxillam in terram.* Ne dum aliquis mortem ſimulat, vt exarmatum ac ſecurum inuadat triumphum in luctum conuertat, non depoſuit arma; ſed prudentiſſima eſt vſus etiam poſt ſecuritatem cautela, ſuis nos factis erudiens vel poſt triumphum, ſecuritatémque armis ſtudendum, & ſolertiæ inuigilandum, ne dum immatura gloriamur victoriâ, improuiſa ſuſtineamus pericula.

Baſilius.

Abulenſ.

Sara virtutibus exculta, & pudicitia exornata ſeptem amiſit viros dæmonis malignitate peremptos, verùm patientia, quæ contra diabolicos adſultus ars eſt fortiſſima, eum proſtrauit, & cæleſte auxilium aſciuit. Tobias à Raphaële edoctus ad extricandum dæmonem iecoris extracti illius piſcis fumo vſus eſt: *Protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos.* Fugatum fumo dæmonem, ne rediret, Angelus arctiſſimus vinculis religauit: *Raphael Angelus apprehendit dæmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti*, accepto de dæmone triumpho, depulſo omni relegatione periculo adhuc Tobias ad orationis recurrit arma, & in ſtatione perſtat vigilanti cautela: *Tunc hortatus eſt virginem Tobias, dixitque ei Sara: Exurge, & deprecemur Deum hodie, & cras, & ſecundum cras: quia his tribus noctibus Deo iungimur.* Profectò vt impendente hoſte ſunt vigiliæ fructuoſæ, ita prorſus abacto attritóque videntur ſuperfluæ: cur ergo Tobias dæmone non ſolum depulſo; ſed ne redierit, arctiſſimè religato, perſtat in acie excubiis ſemper intentus, & orationibus obarmatus? Ad hæc: cur iecoris ſeruat particulam, ſi de hoſte plenam iam accepit victoriam? Quia vti prudens nullam agnouit ſuperfluam eſſe cautelam cupienti imperturbatam potiri gloriam: ſolent namque ſæpeſæpiùs de ipſa ſecuritate diſcrimina emergere, & de ipſa confidentia pericula procreari: ergo partem iecoris reſeruauit, & orationibus inſtitit, vt triumpho etiam

Iob 8. v. 3.

etiam ornatus armis inueniretur munitus: nequit redire dæmon; non tamen incommodat iecoris ſeruare partem, & conſecrare vigiliis noctem. Huc voco quod aiebat Caſſiodorus 3. var. 49.
Caſſiod. *Quid eſt enim gratius, quàm humanis rebus cautelam ſemper adhibere, quæ aut ſit neceſſaria, aut non grauat eſſe ſuperfluam?* Non grauat Tobiam ſuperflua ad ſpeciem cautela; imò eximiè lucet, dum iecoris partem ſeruat, & orationibus inſtat: contra inopina obarmatur etiam ſecurus, ne lugeat incautus.

382. Defunctis iam qui Chriſto recens nato captioſas moliebantur inſidias, Angelus Ioſepho apparet, & regredi iubet: Matth. 2. v. 20. *Accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſrael; defuncti ſunt enim, qui quærebant animam pueri.* Ioſephus exptomptè cæleſti paruit edicto, & in terram Iſraël maturauit regreſſum: *Conſurgens accepit puerum, & matrem eius, & venit in terram Iſrael*; verùm cùm Archelaum pro Herode regnaſſe audiret, prouido timore concutitur, & in partes Galilææ ſecedere ab Angelo præmonetur: *Audiens autem quòd Archelaus regnaret in Iudæa pro Herode patre ſuo; timuit illo ire, & admonitus in ſomnis ſeceſſit in partes Galilææ*: Timor Ioſephi Angelo ad ſpeciem videtur iniurius: nam ſi impendente periculo præmaturam admonuit fugam, modò, ni omne periculum abeſſet, repetere non præciperet patriam: ergo Ioſephus timore aut ſolicitam obſcurat Angeli vigilantiam, aut prouidam infamat cautelam. Cur timeat illò ire, vbi Angelus reportatam de hoſtibus atteſtatur victoriam, & eſſe nullam timoris cauſam? O vtilem nobis eruditionem! Deletis iam perſecutoribus redierat tranquillitas; verùm Ioſeph adhùc præcauet non diffidens Angelo; ſed eius ſolicitudini ſoletti adulatus ſtudio: poſt triumphum cordatè timuit, & ad tutiora ſeceſſit:
Auguſt. *Fortè & hoc monet*, inquit Auguſtin. apud D. Thomam, *quomodò dicat Matthæus propterea cum puero Ieſu parentes eius iiſſe in Galilæam: quia metu Archelai in Ieruſalem ire noluerint?* Reſpondet: *Intelligendum eſt, quia vbi Angelus in ſomnis in Ægypto dixit ad Ioſeph: Vade in terram Iſraël, ſic intellectum primò eſſe à Ioſeph, vt putaret rectius eſſe pergere in Iudæam: ipſa enim primitus intelligi potuit in Iſraël, poſtquā verò comperit ibi regnare Archelaum, noluit obiicere ſe periculo, cùm poſſet terra Iſraël etiam & Galilæa intelligi: quia & ipſam populus Iſrael incolebat.* Damnabilis eſſet cautela, ſi Angelicis reluctaretur mandatis; at ſecurior perquirere, quo meliùs iuſſis quiuerit obtemperare, & eximiæ fuit prudentiæ, & vtiliſſimæ inſeruiuit doctrinæ. Poſt triumphum, poſt deletos iam hoſtes timuit non de inerti ignauia; ſed de prudenti cautelà. Ergo ſoletti ſtudio impleuit obedientiam, & honorauit Angelicam vigilantiam: Galilæam petere omnem ſolicitudinem depellebat, quia omnem ſpeciem periculi propulſabat: ergo Ioſephus Angelo non reſtitit; ſed adiuuit, & de ſuo poſt ſecuritatem aliquid addidit: *Poſtquam comperit ibi regnare Archelaum, noluit obiicere ſe periculo, cùm poſſet terra Iſrael, etiam & Galilæa intelligi.* Obediuit exptomptus, & inuigilauit poſt triumphum cautus, quo ſuis nos edoceret factis poſt ſecuritatem etiam inuigilandum, & poſt triumphos præcauendum.

383. In montis vertice fulgurans Chriſtus ſpectaculum edidit: à diuina facie radij promicabant omnem admirationem ſupergreſſi, & ſolaribus nullâ ratione exæquandi: facies Solem nobiliter occuluit, niuem candores veſtis edocuit, tunc Petrus anxiis votis ibi diſcupit permanere, & tabernacula ad permanendum conſtruere: *Domine bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis faciamus hîc tria tabernacula* Matth. 17. v. 4. *tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum.* Incognitum ad Pſal. 18 tabernaculum ait eſſe militantium: *Taberna enim dicitur militantium.* Incognit. Profectò Petri verba ab ipſius animo diſſidere, cui videantur: nam ſi altiſſimi montis elegit verticem vti omnis periculi immunem, quid militaria conſtruat tabernacula contrà irruentes aduerſariorum adſultus & hoſtium impetus? Si militari opus eſt tabernaculo; locus omni non eſt exemptus periculo, aut ſi longè diſtat periculum otioſum eſt tabernaculum. Iam exiſtimaſſe Petrum nullum aduerſariis ad cacumen montis acceſſum fore, tradit Origenes apud D. Thomam: Origen. *Cogitabat quòd Elias aderat, qui in monte ignem deſcendere fecit, & Moyſes, qui intrauit nebulam, & Deo locutus eſt vnde occultari poterant, vt nullus perſecutorum ſciret vbi eſſent.* Locum exiſtimabat inſidiis alienum, & prorſus hoſtibus occultandum; nihilominus tamen militare tabernaculum adnitebatur conſtruere, quo ſecuriùs ibi quiuerit cum Domino permanere: ſuperfluam etiam cautelam ſecuritatis eſſe voluit munimentum, aut ſaltem ſolicitæ anxietatis exilium, ne vel malè fundatus timor ſolicitauerit animum, armorum addere adlaborat auxilium, & tabernaculi munimentum: poſt ſecuritatem ſtudebat cautelæ aduerſus hoſtium audaciam, & aduerſus inanis metus moleſtiam. Ergo Samſon reportato de hoſtibus triumpho arma non abiiciat; ſed ſecuritatem ſecuritati prudenter armatus addat.

---

§. XCIII.

Si deſit, dependentia, aut neceſſitas, quod colebatur, proiicitur, obliuionique traditur.

Dependentia, neceſſitáſque obſequioſiſſima eſt: dum quid exambit, nullum detrectabit officium, nullum refugiet obſequium: qui alterius operis eget, non ſolùm ſtudet obſequi; ſed adulari, at ſi iam euanuit dependentia, ſi neceſſitas auolauit, pro cultu ſuperciliosa ſuccedet deſpectio, aut ingrata ſaltem obliuio. Dei eſt ſine dependentia auxiliari, & hominibus ſubuenire, vt hominis animum aliorſum vertere, & ignorantiam officiorum affectare: *Dij omnium rerum optimi auctores*, aiebat Seneca lib. 7. de Benefic. cap. 31. *beneficia ignorantibus dare incipiunt, ingratis perſeuerant: alius illis obiicit negligentiam noſtri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum ſuum proiicit, & ignauos, hebetéſque ſine luce, ſine vllo opere deſtituit.* Mitè depinxit Seneca humanum, & diuinum ingenium. Homo ignorantiæ tenebris obcæcatus, ſi Deum inactuoſum ac ſibi nullum arbitretur extra mundum ponet, nec obſequium exhibebit; è contra verò aquam, ignémve, quorum ad vitam indiget, in Numinum cenſum referet: apud homines namque regula exhibendi cultus non eſt dignitas; ſed neceſſitas: qui non eget, exlex viuet. Deus dum more parentum maledicta dicteriáque à paruulis in ſe iacta ſpernentium non ceſſat beneficia congerere, diuinitatem ſuam comprobatur

384. Seneca. Deus initiis laceſſitus beneficere perſeuerat.

probatur commendare. Itaque Deus hanc ſe dignam prodeſſe ſcilicet oſtentare non ceſſat potentiam. Solus Deus Solem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, ex ſe beneficus, & ſine vlla dependentia proficuus; at homo, ni neceſſitate compulſus, aut ambitus conſiliis perſuaſus, deſpiciet cæteros obliuioſus. Huius veritatis teſtimonium adeſt Samſon, hoſtes periturus mandibulâ eguit, & dum eguit, eleuauit: *Vocauit nomen loci illius Ramathlechi; quod interpretatur eleuatio maxillæ.* Vbi mandibula contrà hoſtes eguit, eleuauit. Ecce maxilla eleuatur, dum Samſonis inſeruit commodo, & militat triumpho, tranſi modò ad id tempus quo iam hoſtibus profligatis, & occiſis mandibula opus non habuit, videbiſque non eleuatam; ſed proiectam: *Interfecit in ea mille viros, & ait: In maxilla aſini, in mandibula pulli aſinarum deleui eos, & percuſſi mille viros: cumque hæc verba canens compleſſet, proiecit mandibulam de manu.* Eadem, quæ nuper eleuabatur, iam non ſine contemptu proiicitur nulla alia cauſa, niſi quia deletis hoſtibus eius Samſon ope nullatenus indigebat: quam honorare debuit gratitudo, Abulenſ. de manu abiecit deſpectio. *Proiecit mandibulam de manu*, inquit Abulenſis q.19: *quia iam non erat neceſſaria: fortè enim finito bello ſemper tenuit eam, dum inueſtigabat eos, qui corruerant in campo, vt ſi quis fortè illorum non erat mortuus, occideret eum; nunc autem numeratis eis, & finito cantico proiecit maxillam in terram.* Adeptus triumphum triumphi abiecit inſtrumentum, & vbi eius opus non erat auxilio, pro eleuatione tulit maxilla deſpectum, vt noueris homines ſe ſolum colere, & ſibi ſolum, etiam dum inſeruiunt aliis, attendere.

385. Deus ipſa in indignatione miſericordiæ recordatus ſic Ægyptiorum ſupplicia diſpoſuit, vt non tam inſeruiret ad pœnam, quam ad doctrinam, non eos flagris cædebat, vt diuexaret; ſed vt diuexatione erudiret: ergo virga Nilus percutitur: & iam vnda purpuraſcens in ſanguinem commutatur: (Exod. 7. v.10.) *Eleuans virgam percuſſit aquam fluminis coram Pharaone, & ſeruis eius, quæ verſa eſt in ſanguinem, & piſces, qui erant in flumine, mortui ſunt, computruitque fluuius, & non poterant Ægyptij bibere aquam fluminis; & fuit ſanguis in tota terra Ægypti.* Theodoretus q.19. in Exod. rogat, cur hanc primam aquæ plagam intulerit Deus, reſpondetque voluiſſe exciſſimum Ægyptiorum errorem depellere, & purpuraſcentium vndarum horroribus erudire: Ægyptij namque, quam à Nilo percipiebant, vbertate deluſi pro Deo colebant; latè per agros diffuſus ſtagnanſque ſic fœcundabat tellurem, vt vberrimos fructus pareret, ac colonis penderet: ergo vtilitas erat amentiæ fomentum, & frugum copia fœcundabat etiam Theodor. delirium. Theodoretum audi: *Valdè gloriabantur Ægyptij de flumine ſuo, & hunc pro Deo habebant vt qui parem vſum illis praberet, quàm nubes.* Temporalibus deluſi lucris Nilum extollebant, & adorabant; at ſi computreſcens nec vndas ſiti nec campis meſſium attulerit copias, obliuioni tradent, & oblitum prorſus deſpicient: nec enim exhibebant cultum venerabundi; ſed ambitioſi: non adorabatur fluuius ob innatam originis excellentiam; ſed ob frugum acceptam copiam: ergo ſi deſit vtilitas, deſinet etiam & cultus cæcitas: ergo interdicta eſt commoditas, vt exterminetur impietas. O profundam nobis eruditionem! Si vtilitas deſit, ſi dependentia abſit, cultum excipiet contemptus, reuerentiam obliuio, venerationem deſpectio. Si fluuius nec alendis fructibus aptus, nec extinguendæ ſiti copioſus, æſtimatione carebit, & à memoria exulabit.

Deus legem laturus Iſraëlitas Ægyptiis erroribus aſſuefactos, & idololatria innutritos, vt vnicum Deum amplecterentur, & colerent, in ſolitudinem duxit, ibique cultus ſemina iaci voluit: 386.
Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſeruitutis, non habebis (Exod. 20. v.2.) *Deos alienos coram me.* Satius videbatur ad extinguendum adorationis errorem, & idolis penſum cæciſſimè obſequium, diuinæ naturæ deprædicare excellentiam, & ſupra omnem exaggerationem vnius veri Numinis illos edocere præſtantiam; & tamen de ſeruitutis ergaſtulo eduxiſſe meminit: *Eduxi te de terra Ægypti*, & legem in deſerto mitium omnium frugum ſterili, non in campis vberrimis promulgari voluit. Philo Iudæus lib. de decalogo huius rationem & cauſam affert: *Vt conſtituti in ſumma cibi potuſque inopia*, (inquit) Philo. *& ſalutis periculo repentè inuenirent ſpontè oblatam rerum copiam in panis vicem depluente mana cælitus, accedentibuſque in obſonium coturnicibus, aquis autem nunc edulcatis depoſita ſalſugine, nunc à rupe largo fonte promanantibus, ne poſthac Nilum mirarentur, aut Deum eſſe nouarum legum auctorem ambigerent ſumpto bonitatis eius experimento manifeſtiſſimo in tam inſperato egeſtatis remedio.* Potior Deum colendi ratio ab eius deſumeda foret nobiliſſima, excellentiſſimaque natura; verùm vt homines ſunt oculis lippientes, & brutis ob culpam approximantes, oportuit dependentiæ neceſſitatiſque fræno ad veritatem adducere, & Deum omnium auctorem rerum oſtendere. Dum eſcatili egent pluuia, dum opus eſt vndam depoſita ſalſugine obdulcorari, Deum beneficiorum largitorem colet; ni eius ope deſertis indigerent, abiicerent, quandoquidem impendendi cultum hominibus pro ratione eſt indigentia, & dependentia pro norma. Nilo non egeant vt depretiarint; à Numine pendeant, vt coluerint: *Ne poſthac Nilum mirarentur, aut Deum eſſe legum nouarum auctorem ambigerent.*

Certè ſi erroribus imbutus animus ſibi perſua- 387.
deat plus à creatura variationibus, defectibuſque obſcurata, quàm ab ipſo Numine pendere, & bonorum copiam accipere, Deum extremo contemptu abiiciet, & creaturæ ſtudioſiſſimè cultus præſtabit obſequia, & indigna pendet adorationis tributa: eſt enim cæcis hominibus pro Deo commodum, & pro Numine emolumentum. Ecquis hoc ait? Ieremias certè propheta: nam cùm diuinam potentiam miris elogiis deprædicaſſet, & præconiis dignis maieſtatem Numinis extuliſſet, hæc à populo teſtatur accepiſſe reſponſa: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine* (Ierem. 44. v.17.) *Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cæli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, reges noſtri, & Principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem: & ſaturati ſumus panibus, & bene nobis erat, malumque non vidimus:* Adiiciunt: *Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cæli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio & fame conſumpti ſumus.* Immenſis excellentiæ interuallis à Luna Lunæ auctor diſtabat at dum amentia poſſeſſi, dum cæcitate [illegible]

…iectantur ſe à Luna diuitiarum obtenturos copiam, dum ſibi perſuadent grandem intereſſe ab hoc ſydere dependentiam hoſtiis eius onerabunt aram, & cultus impiam exhibebunt reuerentiam: vt è contra, ſi dementes crediderint à Deo, quem Ieremias deprædicat, ea bona non poſſe accipere, nec eius ope indigere, à cultu geſtient reſilire, & obliuioni nitentur tradere. Ita Theodoretus hîc: Theodoret. *Et quod iſto acerbius eſt? Hos Deos eſſe exiſtimantes apertè contradicebant.* Adnectit: *Hæc autem agentes, ait, fruemur bonis ad ſatietatem. Quod ſi deſeruerimus cultum eius, bello & fami trademur.* En pro regula colendi & adorandi erat quam ſibi confinxerant, dependentia, & quam ab hoc ſydere frugum expectabant deluſi, copia: vt conſtet ſic homines obbruteſcere, vt illis pro Helice ſit vtilitas, aut neceſſitas.

---

§. XCIV.

De ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & ambitus diuexat viuidior.

388. NVnquam animus beatior eſt, quàm cùm ſibi tranquillitatem excudit nihil amando, & nihil humanum maximi habendo; verùm vt febricitant homines immodicis ambitionis caloribus, & ſibi ipſis perniciosis affectibus: nihil eſt quo ſitim ſuam non viuidiùs incendant, & in dolorem ſuum nutriant. Creſcit pecuniæ amor, quantum ipſa pecunia creſcit, & cùm cenſeres poſt feræ ſitis ardorem ſedandum, inuenies potu ipſo adauctum, & remedio ipſo innutritum: *Animum ego*, aiebat Seneca epiſt. 87. *fauſtum & felicem* Seneca. *reddo bonis cogitationibus, & animi magnitudine, qui nunquam maior eſt, quàm vbi aliena ſepoſuit, & fecit ſibi pacem nihil timendo, fecit ſibi diuitias nihil concupiſcendo.* Magnæ diuitiæ ſunt non ſitire diuitias. In Olympi vertice pacatè viuitur, quia ventorum rixas, & nubium altercationes excedit: infrà pugna eſt non de loci ingenio; ſed de ſuperuenientium diſſidio. Si acres ambitionis cogeremus flatus, ſi ſolicitos, anxióſque cupiditatis propelleremus adſultus, in beatitudinis degeremus confinio: externa nos aggrauant, & internæ appetitiones inquietant. Samſonis factis pro coloribus vſus ſacer textus animorum depingit euentus. En à contribulibus illigatus, & compedibus adducitur, omne eius tunc votum erat compedibus expediri, & aduerſarios euadere: rupta ſunt vincula, & iam cuneos aduerſariorum adoritur, & copioſis acceptis trophæis ornatur. Quid tunc? Siti aduritur, & ardenti viſcera calore vexatur: *Tu dediſti.* Deum alloquitur, *in manu ſerui tui ſalutem hanc maximam atque victoriam: en ſiti morior.* Sitim ex ipſa victoria ortam teſtatur Abulenſis q. 29. *Dicitur quòd ſitiuit valdè, quia laborauerat nimis Samſon pugnando* Abulenſ. *contra Philiſthinos, cum occidiſſet mille ex eis: labor autem cauſat calorem, & deſiccationem, & conſequenter ſitim grandem.* Sitis erat triumphi conſequentia, victoriæ appendix, & inde traxit deſiderium, vnde ore lites ſumpſit ſpolium, quo veluti in ſpeculo inſpiciamus nil humanum cordis noſtri flammam extinguere; imò quò maior eſt felicitas, ambitioſis calorem acceſſionibus adaugere: nunquam deerit ſitis felicitas, coæua, & proſperitatis germana. Adde hîc non ſine miraculo ſitim ſopitam, vt conſtet cœleſti ſolùm beneficio noxium ardorem extingui, & ardentem grandi miraculo ſitim expelli: *Hic ponit quoddam miraculum*, addit datus Abulenſis, *quod accidit poſt occiſionem Philiſthinorum, ſcilicet, quia Deus dedit aquam ſupernaturaliter Samſoni de maxilla aſini.* Grande fuit miraculum extinxiſſe deſiderium; non adeò mirum fuit accepiſſe de hoſtibus triumphum: ſic omnia, quæ ad cordis pacem deluſi deſideramus, inquietant, ſic quæ ad ſedandam ſitim concupiſcimus, inflammant.

Aquilam magnam vidit Ezechiel plumis & varietate plenam, magnitudinéque grauatam: hæc 389. ocyſſimè tranat aëra, & medullam tulerit cedri, vt frondium ſummitatibus & paſcatur & ſaginetur: *Aquila grandis magnarum alarum, longo* Ezech. 17. v. 3. *membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri; ſummitatem frondium eius auulſit, & tranſportauit eam in terram Chanaan, in vrbe negotiatorum poſuit illam.* Galfridus in allegor. Tilmani in longo membrorum ductu copioſum facultatum cenſum agnoſcit: ergo de ipſis facultatibus fames innutritur, & noua acquirendi ſitis augetur: vel frondes diſcupit, vt famem augeat medullam rapit, non vt exatiet; ſed vt immetatam cupiditatem irritet: *Longo membrorum ductu deſcribitur*, inquit Galfridus, *dum terrenis facultatibus dilatatur.* Galfrid. Adiicit: *Ad Libanum accedit aquila, vt tollat medullam cedri, & ſummitatem eius euellat.* Adſpice quemadmodùm immenſæ hominum cupiditates hient ſemper, & poſcant: videbatur aquila pacatè nido immoratura, dum facultatibus, & deliciis plena, & adhuc inhiat, & laborat ad folia: nec rapta medulla, foliíſque quieſcit; ſed in vrbe negotiatorum exponit, vt noua acceperit incrementa, & immenſa negotiando adauxerit lucra. Quàm benè Seneca lib. 7. de Benef. cap. Seneca. 26. *Alius lucri totus eſt, cuius ſummam non vinces.* Ad vlteriora ſemper extendimur, præcipitique auiditate mille, quibus voluimur, in errores incidimus, vel quæ conſequi non poſſe nouimus, ſperamus, & dum infinitis mancipamur deſideriis, ardentiſſimis vrimur flammis: nunquam quieſcimus, quia deſiderare nunquam deſinimus. Siti Samſon vritur, vel cùm ſæculis retro inaudito triumpho decoratur.

Hoc hominum inſatiabile deſiderium ſangui- 390. ſugarum emblemate mirè depingit Salomon, dùm nulla acquiſitione refert expletas, ſed ſemper quantum adieceris, ſitibundas: *Sanguiſugæ* Prouerb. 30. v. 15. *duæ ſunt filiæ dicentes: Affer, affer.* Sanguiſuga ebibito ſanguine filias adipat, & dum creſcunt viribus, accreſcunt etiam clamoribus: ipſum alimentum non tam deſeruit fami, quàm clamori? inde maiores vires accipiunt deſideria, vnde lautiora acceperint pabula. Opportunè Lyra ad hunc locum: *Auaritia ex acquiſitis non ſatiatur, ſed* Lyra. *ſemper ad acquirendum plus anhelat: nec luxuria ex deliciis; quia etſi ad horam ſatiatur, poſt modicum tamen ad appetendum arctiùs inflammatur.* Flammas nutrit ſanguiſuga, & dum filiarum indefeſſis clamoribus verberatur ad ſugendum viuidiùs accenditur: non eſt hæc ſitis quæ potionibus, quantumuis copioſis, ſopiatur: ſed quæ de ipſa copia inflammatior irritetur. Hinc Ioannes quicquid in mundo eſt, moraliſſimè vocauit concupiſcentiam.

391. *Omne, quod eſt in mundo, concupiſcentia car-* 1. Ioan. 2. v. 16. *nis eſt, & concupiſcentia oculorum, & ſuperbia vitæ.*

vitæ. Id eſt diſcriminis inter concupiſcentem, & concupiſcentiam: concupiſcens poteſt impleri, concupiſcentia verò nequit ſatiari: deſinet namque eſſe concupiſcentia, ſi eius prorſus ſopiatur flamma. Itaque vt eſſentia hominis eſt rationalitas, ita eſſentia concupiſcentiæ eſt auiditas: ab homine nullis artibus ratiocinandi auelles ingenium: ergo nullis artibus à concupiſcentia auferes inſatiabile votum: à concupiſcente auelli poteſt concupiſcentia, à concupiſcentia verò ſeparari nequit hæc flamma: ergo Ioannes, vt denotaret, quàm nunquam homines exatientur; non dixit eſſe in mundo concupiſcentes; ſed in ipſum tranſiſſe concupiſcentiam immedicabili morbo, & hydropico deſiderio. Aptè
Gregor. Gregorius homil. 19. in Ezechiel. *Ideò habere aliquid homines, & vltra quàm neceſſe eſt, concupiſcunt, vt habendo ſuperbiant, & quia hoc alius non habet; ſe in cogitationibus extollant.* Adnectit: *ſæpè autem quod auaritia ex appetitu ſuggerit neceſſitatem putat, & cùm minora ſufficiant, dolet maiora deeſſe, atque incautus animus quamdam quaſi neceſſitatem patitur, quàm parit.* Ipſe animus neceſſitatem ſibi parit, quàm partam procreat & dum plus creſcit exhibitis alimentis, plus mardeſcit & votis: de ipſa copia neceſſitas roboratur, & de ipſa abundantia innutritur: tranſierunt iam homines in concupiſcentiam, degenerarunt in ſitim, & dum immetatis deſideriis aguntur immerſis etiam neceſſitatibus adurgentur.

392. Nabucho arborem intuetur vſque ad vniuerſæ terræ terminos prolatam; & nimiè extenſam:
Daniel. 4. v. 7. *Ecce arbor in medio terræ, & altitudo eius nimia: magna arbor & fortis, & proceritas eius contingens Cœlum: aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ.* Arbor hæc, id eſt, Nabucho in brutum ad ſpeciem tranſit, & dura vincula ſuſtinet terræ herbulas manducans, & terram graminis veſte diſpolians: *Fœnum vt bos comedit.* Nonne vides immetatis fructibus exundantem, & adhuc herbulas terræ ſitientem? Humilem exuccámque tellurem denudat, vt feris, & garrulis volucribus differtam menſam apponat. Iam ſi huius mulctæ cauſam inquiras, reſpondebit Theodoretus orat. 4. appetiiſſe dementer aliquid extra ipſum mundum, & aliquid poſt omnia concupiuiſſe, ſatis illi non fuit aëris ſpatium vſque ad Cœlum occupaſſe: ſatis non fuit vniuerſos terræ terminos ramorum extenſione repleuiſſe; imò de ipſa copia ardens nutriebatur inſania, qua Cœlum ipſum rapere ambiret; imò adhuc Cœlo rapto
Theodoret. aliquid aliud deſideraret. *Non ſatis ei fuere*, inquit Theodoretus, *ædes regiæ in terris deorſum; ſed ſimul etiam ſuperiores dementer appetiit.* Pro ædibus vniuerſus erat illi orbis, & nihilominus ſe querebatur anguſtum, & ſubſtrictis limitibus coarctatum: nihil erat, quod cupiditatis immetata non adureret flamma: ſupremum Cœlum ambiuit rapere, & telluris herbulas deglutire. Igitur ſi hoc hydrope deſideras liberari, deſideria ipſis in cunabulis preme: nam ſi ſemel pullularint, in infinitum excreſcent.

§. XCV.

Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & maculis ſordidari.

NVlla vis calamitatis acerbior, nulla eſt con- 393.
ditio hominis infelicior, quàm cupiditatibus inſeruire, & ſceleribus inquinari: de frumentarij grani morte læta pullula ſpica labores vbertate compenſans: de ſinapis incendio cauterioque oritur ſalus, & remedij ſæuitiam fructus decorat: nihil eſt (ſi excipias culpam) quod artis induſtria nequeat meliorem faciem aſſumere; & ingenium vtiliter refutare: ſola culpa eſt melioris conditionis incapax, horrendum naturæ monſtrum præ ipſo dæmone, præ megera ipſa expauendum, & malum præ diris omnibus deteſtandum: halitu inficit, attaminat viſu, vicinitate corrumpit. Hinc Tertullianus incarceratos alloquens ſic aiebat libro
ad Martyr. cap. 2. *Si recogitemus ipſum magis* Tertull.
mundum carcerem eſſe, exiſſe vos è carcere, quam in carcerem introiſſe intelligemus: maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant: grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt. Adnectit: *Nihil intereſt, vbi ſitis in ſæculo, qui extra ſæculum eſtis: etſi aliqua amiſiſtis vitæ gaudia, negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucretis. Nihil adhuc dico de præmio, ad quod Deus martyres inuitat.* Sepoſito adhuc cæleſti præmio incarceratos, & catenis duris conſtrictos cenſendos fortunatiſſimos, ait Septimius, vt qui extra ſæculum degant conſtituti, & vitiorum peſte quodammodò exempti. *Non vides alienos Deos*, adnectit, *non imaginibus eorum incurris; non ſolemnes nationum dies ipſa commixtione participas; non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitate, vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis.* Adeò vitiis attaminari miſerum eſt, vt de Tertulliani ſententia negotiatio ſit, & quidem lucroſa carceris anguſtia deliteſcere, ſi vitiorum ſic poſſit periculum eludere, & aſpectum declinare: nil hæc peſtifera lues, & graſſantiſſima peſtis relinquit intactum; ſed reguli ad inſtar per oculos inuiſcerat animis ardentiſſimum venenum, quo prudentia languet, ratio corruit, vigor diſcedit, & ſolùm appetitus inſaniam gliſcit: *Negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucreris.* Hinc diſces, cur Samſon ſiti aductus, antiquoque quodammodò robore viduatus non tam ſit veritus animam agere, quàm in Philiſthinorum vitij ænigmatum manus incidere: *En ſiti morior, incidámque in manus incircumciſorum*, id eſt, en præ ſitis ardore vires deficiunt quibus eneruatis incidam in Philiſthinorum poteſtatem, & miſeram præ ipſa morte compellar ad ſeruitutem. Non ait: En incidam in manus incircumciſorum, qui ardore vindictæ me ignominia afficient, & duriſſimis pœnis plectent; ſed è contra: En deficientibus ſiti viribus langueo, & niſi opem tuleris, hoſtibus ſubiiciar, & Philiſthinis inſeruiam: nouerat namque vtilius eſſe horrenda pati ſupplicia, quam indigna præſtitiſſe vitiis obſequia. Innuit Abulenſis quæſtione 29. *Scilicet ego laſſabor ſiti, & deficiam paulisper; & antequam moriar; venient Philiſthini, qui incircumciſi ſunt, & tenebunt me, & in manibus eorum moriar.* Formidabat in Philiſthinorum poteſtate vitam finire; quia nouerat minus horribile inſepultum

pultum manere, & à feris dilacerati, quàm vitiis, & cupiditatibus morem gerere: nil adeò eſt extimeſcendum, etſi gehennales adaggerentur pœnæ, quàm in vitiorum poteſtatem venire, & fallacibus, & cariſſimis voluptatibus illigari.

394. Dauidem miraberis pauitantem, & audentem: Cùm Saül impurato ſpiritu adurgeretur, in Dauidem, quem præſentem nouerat, haſtam eiaculatus medicinæ pretium cædem obtulit; ille verò, qua prophetam decebat, manſuetudine iterum Lyram præſtat, & cum ipſis furiis prælium inire nō 1.Reg.18. v.11. recuſat: *Declinauit Dauid à facie eius ſecundò, & timuit Saül Dauid, eò quòd Dominus eſſet cum eo, & à ſe receſſiſſet.* Vides Dauidem non ſemel audentem: vides dæmoniacum dæmone confœderatum pauitantem: tranſi modò cogitatione ad cap.24. vbi cùm ſilenter chlamydis oram præcidiſſet, totum adſpicies obturbatum, & ingenti 1.Reg.24. v.6. dolore cordis perculſum. *Percuſſit cor ſuum Dauid, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.* Nec ſolùm exhorruit præciſam oram; ſed allatam ab 2.Reg.23. v.16. ſtrenuis militibus vndam: *Noluit bibere; ſed libauit eam Domino.* Inquires quid modò expaueat, qui cùm Angelus flammanti indignationis enſe obarmatus in populum irrueret, ſe intrepidè peri- 2.Reg.24. v.17. culo obiecit, obuiúſque inuolauit: *Dixit Dauid ad Dominum, cùm vidiſſet Angelum cædentem populum: Ego ſum qui peccaui, ego iniquè egi: iſti qui oues ſunt, quid fecerunt? Vertatur, obſecro, manus tua contrà me, & contrà domum patris mei.* Si gigantis prouocationem ad ſe rapuit, & prodire in campum inermis geſtiuit; quid modò trepidet? Per ipſos enſes inuolat, mortes deſpicit, oculis imperturbatis intuitus obarmato Angelo ſtudioſè procedit obuius, & modò chlamydis fruſtulo procellitur, & aquæ adſpectu obturbatur? *Noluit bibere; ſed libauit eam Domino.* Adſpectum aquæ exhorruiſſe tradit Gregorius Magnus apud gloſſam de cupiditatis diſcrimine, quandoquidem cupiditas eſt erroris mater, & vitij nutrix: Gregor. *Quia aquam concupiſſet, expauit.* Mira res! leonem vrſúmque contempſit in dæmonem prænſauit Lyram, aduerſùs Angelicum enſem laudabilem oſtentauit audaciam, & tamen exhorruit prudentiſſimè concupiſcentiam vti culpæ confinium, & virtutis enorme faſcinum. O quàm nouerat cœleſti luce reluminatus ſolam culpam veram eſſe calamitatem, quando ſic vel ſceleris vmbram perterrefactus extimuit, & perturbatus exhorruit!

395. Vxore filiiſque aſſociatus tendebat Moyſes Dei populum miſero de ergaſtulo in libertatem aſſerturus; ſed dum in diuerſorio immoratur, ſtricto gladio illi occurrit Deus mortem intentans, & ipſo Exod.4. v.24. terribili aſpectu robur debilitans: *Cúmque eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Sephora fœminei quodammodò ingenij oblita non tragœdias excitauit, non terga vertit, vt fugeret; ſed filium illico teneriſſimum circumcidit: *Tulit illicò Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui.* Quàm opportuna ad componendos mores hinc exoritur eruditio. En Moyſes, qui ad ſerpentis aſpectum fugit deterritus, modò inuolantem enſem adſpicit imperturbatus: *Verſa eſt in colubrum, ita vt fugeret Moyſes.* Virgam colubri mutuatam ingenium fugit, Dominicam ſtricto minantem gladio indignationem non expauet; cùm tamen Dominico gladio ad nocendum plures vires ſuppetant, quàm ſerpenti, & exacutæ ſint acies. Refertne Moyſes peccatorum inſaniam? Ibi timent, vbi nulla timoris cauſa; ibi audent, vbi ingentiſſima perturbationis materia. En Moyſes Deum non fugit iras ardentiſſimas euomentem, qui fugerat colubrum inſidiantem. Adhæc: cur Sephora immoretur in circumcidendo puero, cùm ſatiùs videretur ocyſſimis metus alis inuolare, & poſteà timore abacto filium circumcidere. O vtiliſſimam nobis doctrinam! Deus enſe obarmatus minabatur pœnam; ſerpens verò introduxerat culpam. Ergo Moyſes non animo obturbato; ſed cœleſti ſapientiâ erudito, dum armato Numini terga non vertit, & dum à ſerpente fugit, nos clariſſimè edocuit culpæ etiam vmbram, & ſceleris contingentiam præ ipſa morte declinandam, & effugiendam: nec enim adeò Deus ipſe totâ omnipotentia obarmatus homini poteſt nocere, vt poteſt culpa labefactare: ergo ob id Moyſes alibi aufugit velociter, & alibi enſem adſpexit impauidè: Sephora etiam veritatis huius non ignara, dum expendit circumciſione dilata ſe culpam incurrere, legique aduerſari; ſi verò immoretur in circumcidendo puero, enſe Dominico deterreri; elegit potiùs vulneri ſubiacere, quàm crimine ſordidari: ſi aufugiſſet filium ſecum deferens, à ſe inobedientiæ non abiiceret culpam, etſi eluderet ferri ad ſpeciem audaciam: ſi immoretur, non declinabit gladij minas: ſed exterminabit delicti maculas; ergo cæleſti illuſtrata luce grauiori occurrit periculo, vrgentiorique detrimento: leuius ducens ardenti enſe minutatim trucidari, quam culpæ maculis infici: *Vxor Moyſis*, inquit Theodo- Theodor. retus quæſt.4. in Exod. *arbitrabatur ob id factum non eſſe, quia puerorum alter non eſſet circumciſus ſecundum legem Hebræorum, vnde protinus eum circumcidit.* Auidiùs ſtuduit crimine liberari, quàm morte: & iure, quandoquidem maior vis ineſt ad perdendos homines culpæ; quàm enſi. Fugiſſe Moyſem à facie ſerpentis tradit Iſidorus in Exod. cap. 8. quia per ſerpentem culpa, & per culpam mors introducta: *Quid hoc ſignificat? Serpens* Iſidor. *quippè perſuaſit homini mortem: ergo mors à ſerpente.* Vt ſerpentem doli culpæque vidit artificem, de Adami eruditus diſcrimine aufugit, non adeò inuolantem gladium exhorruit: vt noueris nil ſic horridum vt delictum.

§. XCVI.

Sine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius auxilio facilè aſciſcitur medicina.

PLura ſunt, quæ hominum ſaluti aduerſentur, plura, quæ fælicitati opponantur; ve- 396. rùm miſericors Deus parabile remedium prouidit, orationem videlicet, cuius mira efficacia calamitatem citò exterminat, & ſalutem mitè redintegrat: vbi orationis deſideratur ſuffragium, felicitas arridet tardius, & fugit aduerſitas difficiliùs. Samſon, cuius valida manus hoſtium ingentem nubem proſtrauerat, ardentiſſima ſiti peribat; verùm qui manu obtinuit triumphum, accelerauit ore calamitatis remedium: *Sitiens valdè clamauit ad Dominum.* Oratio gratam Deo vim intulit, & poſtulata conceſſit: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aqua*: Sine oratione non erat victoria plena, effloruit

Digitized by Google

efflorùit precibus conſummata: *Videns Samſon*, ſcribit Abulenſis q.29. *quod non haberet aquam,* Abulenſ.
nec erat ad propinquum aliqua aqua, recurrit ad Dominum. Ad orationem confugit, vt infortunio obuiaret: nec eum fefellit fiducia: oratio namque perennem inuenit fontem,& dulciſſimos latices ad extinguendam ardentem ſitim.

397. Cæcus iuxta viam ſedens humiles ad Chriſtum, vt viſum reciperet, preces fudit: *Clamauit dicens: Ieſu fili Dauid miſerere mei.* Dominus ex ſe humaniſſimus, & prece inuitatus oculos indidit, & tenebrarum caliginem depulit: *Reſpice:* Lucæ 19. v.38.
fides tua te ſaluum fecit.Et confeſtim vidit. Tranſi mente ad cæcum alium, cuius miſertus Dominus luto oculos vnxit, & ipſo viſum obſtaculo reformauit: *Dixit ei: Vade, & laua in natatoria Siloe.* Ioan. 9. v.7.
Chryſol.ingenioſus myſteriorum indagator in eadem infirmitate diuerſam curationem animaduertens, ad perſcrutandas cauſas nos edocet ipſa diuerſitate pulſari: *In vna eademque infirmitate*, inquit ſerm.176.*quãdo ordinem ſuæ curationis immutat, cauſas propter quas hoc faciat, facit nos altiùs perſcrutari.* Chryſol.
Si ergo diuerſitas curioſitatem ſolicitat, quæramus, cur alter citiùs receperit viſum, & alter & tardiùs, & operoſiùs? Si alibi ipſa iuſſio reformauit naturam, cur alibi collyrij vice luto oculos vtiliter clauſit, & luci priùs obſeratos reſtituit? Verùm ipſe textus, ne laboraremus, cauſam explicuit: cæcus iuxta viam ſedens adorationis confugit auxilium: *Clamauit dicens: Ieſu fili Dauid, miſerere mei*: alter importunum tenuit ſilentium: ergo hic ægriùs viſui ac ſaluti reſtituitur, citiùs ille luminibus adornatur: *Iuxta viam ſedenti cæco* (verba ſunt Chryſologi) *viſum ſola reſtituit iuſſione: alij à natiuitate cæco nato non luminis, ſed tenebris, & cui natura viſum inuiderat, atque ipſa, quæ parat, & aperit oculos, oculos clauſerat, & negarat: Chriſtus imponit lutum, & collyrio materiali fingit, facit, procurat oculos.* Vbi oratio ſolicitauit aſpectum, fugit caligo, vbi ora taciturnitate ſignata, & lumina diutiùs clauduntur cæca: eſt enim lux orationis partus & fructus. Ergo Samſon opportunè recurrit ad orationem, vt citò depelleret anxietatem.

398. Iairus filiæ ferè animam agentis acri dolore perculſus ad Chriſtum Dominum inuolat, & vt greſſum maturari, exorat: *Procidit ad pedes eius,* Marc. 5. v.23.
& deprecabatur eum multum dicens: Quoniam filia mea in extremis eſt: veni impone manum tuam ſuper eam, vt ſalua ſit, & viuat. Orantem Chriſtus ſequitur;imò,vt meliùs dixerim,comitatur. *Et abiit cum illo, & ſequebatur eum turba multa.* Turba ſequitur, Iairus comitatur, nec mirùm cùm preces fuderit, & de ipſa oratione proximiùs meruerit incedere, & præ non orantibus proximare. Chryſologus ſerm.23. Archiſynagogum non tam ſupplicem cenſuit, quàm imperantem: *Ægrotus* Chryſol.
non quemadmodum curetur, imperat; ſed tantùm vt curetur, implorat. Sed cum eſſet Archiſynagogus, legis notitiam hic habebat: & cum verbo cætera, hominem manu Dei legerat eſſe figuratum. Credidit ergo Deo, quia eadem manu, qua creatam ſenſerat filiam, recreari, & reduci poſſet ad vitam. Adnectit: *Cognouimus quid ſit veni, & impone manum tuam ſuper eam, vt qui ſponte poſuit ad creandum, ad reparandum iterum exoratus imponat.* De orationis ſuadela maturatur gradus, & qui Lazaro vitam refuſurus traxit ſpatia; Ioan. 11. v.3.
hic exoratus iam inuolat ſine mora: retulerant ibi ſorores: *Ecce quem amat, infirmatur*; non tamen addiderunt: veni impone manum tuam ſuper eum, vt viuat; Archiſynagogus verò & morbum prodit, & ad medelam orando adurget. Imò, vt noueris quas vires ſortiatur oratio, hic ſupplex potiùs videtur imperare, quam petere: nam ſi ægrotus medico non præſcribit modum; ſed præſtat obſequium, hic ipſe medicus oranti præſtat obſequium, & oratio ad noſtram eruditionem præſcribit modum, quaſi in orationis arbitrio ſit curationis forma, & celer infirmitatis medela. Vbi multa deprecatio deſcribitur: *Deprecabatur eum multum*; & curandi modus præſcribitur ab oratione obſeruatur: vt noueris imperioſo quodammodò obſequio, & imperio ſupplici ſalutem producere, & temporum ſpatia breuiare. Manum impoſuit exoratus, precibus quodammodò parens ac vitam puellæ refundens.

Tendebat Petrus Ioanne aſſociatus ad templum oraturus: id enim cognitu opus eſt, Apo- 399.
ſtolos videlicet ad tantam dignitatis celſitudinem euectos orationis exambiſſe ſubſidium, & ad templum celeriter arripuiſſe volatum. Quod ſi Petrus Ioanneſque Apoſtolorum vertices precationis patrocinium exambiunt, quam ſit nobis neceſſarium, clariſſimè oſtendunt. O quantum crimen incurrimus, dum per incuriam tam ſalutare negligimus viaticum iter ingreſſi diſcriminibus, & calamitatibus plenum? Certè oratio ſalutis eſt teſſera, & fortis contra adſultus dæmonum armatura: ergo Petrus Ioanneſque in deſidioſum claudum inciderunt, cuius pedum vitium natiuitatem non expectauit; ſed nixum anteuertit, & naturæ oſcitantiam anteuertendo redarguit. Manus alienas de more claudus mutuabatur, & neſcias an grauior fuerit calamitas proprio carere greſſu, an aliena indigere manu. Petrus mendicum iubet lucelli curam intermittere, & ſanitatem precari: *Reſpice in nos.* Monuiſſe ad oratio- Actor. 3. v.5.
nis confugere præſidium, docet Baſilius Seleu- Baſilius.
cienſis orat.21. *Roga malis exolui, cuius rei gratia mecum communicata eſt.* Verùm ſibi videtur Apoſtolus aduerſari: nam ſi cum illo reformandi naturam gratia communicata eſt, ad reformandos pedes opus non erit anxiis vocibus, nec ſolicitis claudi precibus: cur ergo, vt pro obolo pedes ferat, & pro temporario pane naturæ ſupplementum accipiat, conſulit orationem. Certè Petri dextera à vinculis valebat claudum exoluere; verùm vt citiùs acceperit ſanitatem, recurrere oportuit ad deprecationem: in eius lingua erat medicaminum myrothecium, ſi in Petri dextera ſanitatis erat ſubſidium. Oret claudus, ne deſideratis fruſtretur Petrus: nam etſi pro ſe habeat ægritudo benignam Apoſtoli compaſſionem, citiùs ac celeriùs oratio afferet ſalutem. *Apoſtoli* (verba ſunt Baſil.
Baſilij) *precationis opem non excutiunt; ſed perpetuis rerum vſibus neceſſariam ſupplicationem oſtendunt.* Vel Petrus cœleſti virtute inſtructus, & quodammodo omnipotentiæ vicarius, vt depulerit ægritudinem, à precibus quæſiuit opem: *Ora malis exolui.* Sine oratione tardè conſtat ſalus,& difficulter efflorest virtus.

Virgam prænſabat Moyſes, miraculorum ſca- 400.
turiginem: illa fluminis vndas in ſanguinem commutauit, magicos dracones deuicit, viduauit aërem luce, & repleuit animalculorum examine: verùm cùm mare fugientis populi greſſum retardaret, & minacibus Ægyptius mu- Exod. 14. v.15.
cronibus adurgeret, ad orationem recurrit: Di-
xitque Dominus ad Moyſem: Quid clamas

ad me? Loquere filijs Iſrael, vt proficiſcantur: tu autem eleua virgam tuam, & extende manum ſuper mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Iſrael in medio mari per ſiccum. Multa nobis expendenda occurrunt: ſi Moyſes præmiſerat: *Nolite timere, ſtate, & videte magnalia Domini, quæ facturus eſt hodie: Ægyptios enim, quos nunc videtis: nequaquam vltra videbitis vſque in ſempiternum: Dominus pugnat pro vobis:* cur anxiis clamoribus fidem ad ſpeciem obſcurat, & ſecuritatem extenuat? Si virga percuſſum mare olim purpuraſcebat, cur marinos eadem vortices non frænarit, & in murorum faciem redegerit; Iure, vt videtur, à Domino carpitur verbis illis. *Quid clamas ad me?* quandoquidem protrahere videbatur remedium, dum quærere affectabat auxilium. Imò, inquit Rupertus lib. 2. in Exod. cap. 33. illud. *Quid clamas ad me?* non eſt carpentis; ſed gratificantis: virgâ munitus recurrit ad precem, vt populus celeriùs ſortiatur opem: non diffidit in precem effuſus de ſecuritate oblata; ſed precibus fecit, vt effectum celeriùs fuerit ſortita: *Hoc planè magna gratiæ* (verba ſunt Ruperti) *hoc digna & gratioſa acceptionis eſt, dixiſſe Dominum ad vnum Moyſem in tali tempore: Quid clamas ad me?* Optimi Ducis, ſolertiſſimique patroni Dominus allaudat ſtudium, dum ad orationis videt confugiſſe armamentarium: non dubitabat Moyſes de virga, exambiebat tamen neſcio quam celeritatem de orationis efficacia, vt qui nouerat orationem Ægyptiorum vitij ænigmatum eſſe naufragium, & ad cœlum gradientibus opportunum auxilium: manus virga obarmata, dum cordis orationi coniungitur, ſic aduerſarios oppugnat, vt ineluctabili naufragio tradat. Ergo diſce ad orationem recurrere: eſt namque virtutis munimentum, ſalutis auxilium, opportunum ad promiſſam terram viaticum, dæmonis faſcinum, culpatum excidium.

Rupert.

§. XCVII.

Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores leuandæ Principis neceſſitati tributum pendant, & debiliores non ſoluant.

401. PRincipum indigentiæ ipſa ratio conſulit ſubuenire; imò & ne indigeant ſtudioſiſſimè prouidere; nam Princeps vt natus eſt ad vtilitatem cunctorum, ita cuncti Principis procurare debent ſalutem: *Seruire vos conuenit*, aiebat Attalaricus rex ſubiectos alloquens 9. var. 9 *vtilitatibus noſtris, quando ea, quæ magnis ſperare precibus potuiſtis, vltro contulit munificentia principalis: ſic enim tradente clementiſſimo nobis auctore didicimus, vt à ſubiectorum beneficiis non vacemus.* Princeps quidquid à ſubiectis accipit, in ſubiectorum commoda debet conuertere, & quidquid ſubiectus poſſidet, pro communi ſalute vtilitateque Principi miniſtrare: vnde è materialibus rebus politicæ normam deſcribens Eccleſiaſtes ſic aiebat: *Ad locum, vnde exeunt, flumina reuertuntur, vt iterum fluant.* Pendunt flumina mari eorum Principi gratum tributum, & mare quidquid à fluminibus accipit, iterum in telluris commodum pendit: mira res, non ait fontes, exiguáſve aquarum ſcaturigines vndas pelago miniſtrare, ſed flumina oblatis redditibus inſeruire. Opportunè Hugo Cardinalis: *Eccleſiaſtes noſter dicit eas (aquas) per occultas terræ venas ad capita fontium regredi, & de matrice abyſſi in ſua ſemper ebullire principia.* Adnectit: *Eſt autem hæc aquarum circularis mutatio non à caleſtibus corporibus; ſed à natura maris magni, & mare non redundat, id eſt, non creſcit inde, quia quantum ex parte vna deorſum fluit in mare, tantum ex altera parte per occultos meatus reuocatur ad ortum.* Et laudabilis magni maris politicæ, à fluminibus accipit, non vt ſuperbis redditibus apud ſe retentis intumeſcat; ſed vt per occultos meatus tellurem ad venuſtatem grata florum varietate, & fructuum ſaporata copia fœcundet. A mari fluminum rege Principibus norma præſcribitur: ab omnibus fluminibus copioſa aquarum illi penduntur tributa; eis tamen non redundat ad factum; ſed ad pendentium diteſcit commodum. Iam ſi demiraris, quomodo mare non diteſcat auctum, cùm ferè immenſum aquarum pendatur ſemper tributum, reſpondebit Hugo per abſtruſos meatus, & occultos terræ ſinus iterum ſugi, quod publicè videbatur præſtari, vnde nec flumina ceſſant exhibere tributum, nec mare ſentit augmentum. Verùm nos theſi noſtræ reſtituamus: à magnis fluminibus penditur, exigua ſcaturigo non exhauritur, cùm pauperiores debilioreſque non ſine Principum iniuria exactorum ſint præda: vt potentiores releuent, cogunt infirmiores, & cùm ſe debiles nequeant defendere, coguntur ſoluere. Huc voco quod aiebat alioſum Tertullianus in Apolog. cap. 13. *Agri tributo onuſti viliores, hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nam hæ ſunt notæ captiuitatis.* Vberiores campi maiori onerandi erant tributo; ſed onerantur viliores: nobilium, & potentium capita ſtipendio debuiſſent cenſeri; ſed inualidos, & ignobilis videbis cogi 1 ſi captiuos ac miſeros vis dignoſcere, tributa cenſe: nam quo depreſſior eſt pendentis conditio, ſtipendij copia exigitur maior: *Hominum capita ſtipendio cenſa ignobiliora: nam hæ ſunt notæ captiuitatis:* Etſi à pauperculis omnis auolarit poſſeſſio, non ceſſauit capitatio: quod lib. 5. de prouidentia notauit Saluianus: *Cum poſſeſſio ab his abſceſſerit, capitatio non diſcedit;* imò grauior aliquos adurget capitatio, dum nulla aut minor poſſeſſio. Cùm ardenti ſitis flammâ Samſon adurgeretur, molaris maxillæ dens miraculosè vndas exhibuit, & indigenti Iſraëlitarum Principi ſubuenit: *Aperuit itaque Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſæ ſunt ex eo aquæ: quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit.* Deo hæc actio adſcribitur non miniſtro, *Aperuit*, inquit, *Dominus molarem dentem*: molarem dentem conſtat cæteris maiorem: ergo à debilioribus aquam non exigi; ſed à potentiori educi Deo adſcribendum fuit: forſitan ſi humano miniſtro ad Principis leuandam neceſſitatem eliciendi aquas è dentibus concederetur facultas, non à molari magno potentiorique conaretur educere: ſed debiliores aggreſſus fit adurgere. *Hic ponitur quoddam miraculum* inquit Abulenſ. qu. 29. *quod accidit poſt occiſionem Philiſthinorum, ſcilicet quia Deus dedit aquam ſupernaturaliter Samſoni è maxilla aſini.* Miraculoſa fuit aqua; ſed & miraculoſa fuit vena: nam ni miraculum intercederet, aquam molaris non miniſtraret. De molari vndam elici voluit eſſe miraculum, vt conſtaret omnibus maiores Principum neceſſitati tributum pendere debilioribus non pendentibus peregrinum.

Caſſiod. Princeps à beneficiendo non vacet.

Eccleſ. 1. v. 7.

Hugo.

Tertull.

Saluian.

Abulenſ.

Degebat

Digitized by Google

401. Degebat Moyſes apud Sinæum, cum popu-
lus tam neceſſariæ abſentiæ impatiens deos ſibi
producere quærit: vrgetur Aaron, quem religio
dicandis rite hoſtiis conſecrarat, impietas idolola-
triæ miniſtrum fecit, contenta non eſt execrandas
idoli aras impiis ſacrificiis onerare, ni aggreſſa ſit
miniſtrum etiam religionis peruertere: idolorum
voluit efficere ſacrificulum veri Numinis Sacer-
dotem, vt inde religioni crearetur venenum, vn-
de ſperare potuit antidotum: verita eſt aſtuta cæ-
citas idololatriam non fulciendam, ni Dei pol-
lueretur Sacerdos & delinqueret morum cuſtos:
Aaron timore deterritus, & ambitione ſimul ſti-
mulatus iuſſit inaures pendi non de maiorum au-
ribus ablatas; ſed de mulierum paruulorumque
Exod. 32. v. 2. auribus non ſine violentia auulſas: *Tollite inaures*
aureas de vxorum, filiorumque, & filiarum ve-
ſtrarum auribus, & afferte ad me. Imbellem ſe-
xum, ætatem infirmam tributo addixit, robuſtio-
res exemit: nec ait petite; ſed quocumque modo
tollite: ergo dum violentia innuitur, violentiæ
Caiet. debilitas mancipatur. *Tollite* ad quæ Caietanus:
Reluctantibus mulieribus, & pueris: Reluctaba-
tur puerulus, refragabatur fœmina, allegabant ad
tributum illud omnes teneri, quandoquidem in
omnium vtilitatem videbatur præſtari; verùm ce-
debat exigentium violentiæ ratio, & debilis ſolue-
bat conditio. Certè hiſtoria nobis eſt pro doctrina:
etſi pro ducibus aut militibus in generale commo-
dum ſint pendenda tributa, inualidorum ſolum
cenſentur capita, magnos diuitiarum ac potentiæ
eximunt priuilegia ab his nil petitur; ab illis tolli-
tur: ipſo in errore prudenti Aaron vſus videtur
cautela, dum maritos, patréſque exigendi auri de-
ſignauit miniſtros, vt iniquis obuiarit rapinis, &
ab exactorum eximeret tributarios duris violentiis;
verùm ſatis non fuit ipſis parentibus maritiſque
tributi colligendi demandaſſe curam, vt populus
nuditatis non pateretur offenſam: *Videns*, ait,
Moyſes populum quòd eſſet nudatus: non ſolùm
vxores filiique erant nudati; ſed omnis populus:
nam etſi penſuri fuerint clariſſimè deſignati, *de*
vxorum filiorumque, & filiarum auribus: fors de-
cretum fuit, iniquis artibus ampliatum, & fraude
cupiditatis extenſum. Quod ſi nudatus populus
vel à propriis, quid putas fore, ſi committeretur
extraneis?

403. Cum Roboam Sichem aduentaſſet à populo
inaugurandus, ac cumulatiorem inaugurationis
3. Reg. 12. v. 4. lætitiam quid ſibi de tributis imminui populus
flagitauit: *Imminue paululum de imperio patris tui*
duriſſimo, & de iugo grauiſſimo, quod impoſuit no-
bis, & ſeruiemus tibi. Roboam indulgentiæ pe-
titores abire vſque ad præſcriptum tempus præce-
pit: *Ite vſque ad tertium diem & reuertimini ad*
me. Diſcedente populo regni optimates, & pri-
mores conſuluit: *Iniit conſilium Rex Roboam cum*
ſenioribus, qui aſſiſtebant coram Salomone patre
eius, cùm adhuc viueret. Dum magnates in conſi-
lium aduocat, popularis iugi expertes prorſus de-
monſtrat; alioquin nugatoria eſſet conſultatio:
ergo eo grauamine non obſtringebantur primo-
res; ſed prægrauati cogebantur gemere popula-
res: quod ſi quæras, cur regni primores plebeios
diuitiis longè vincentes, & copioſis facultatibus
exundantes, grauaminis fuerint immunes? Ipſa
dubitatio eſt ſolutio: eo grauamine non adſtrin-
gebantur, vt qui ſua ſe potentia tuti, & aucto-
ritate defenſi: ecquis enim miniſtrorum auderet à
magnatibus quid expoſcere, aut ad tributa pen-
denda vrgere? In conſilium potuerunt acciri, quia
à grauamine conſtabat abſolui.: ſolemne eſt apud
omnes ferè Reſpublicas diuites nobiléſque magni-
tudinis priuilegio generalia non pati incommoda,
nec ad exhibenda cogi tributa: *Hiſtoria ſcholaſti-* Abulenſ.
ca dicit (verba ſunt Abulenſis q. 4.) *quod iſti erant*
Sadoc & Banaias, & cæteri Principes, qui aſſiſte-
bant Salomoni. Principes, magnatéſque, vt qui ge-
nerali non premerentur iugo, opportuni fuerunt
conſilio, vt verum ſit, quod noſtra teſtatur theſis.
potentiores videlicet tributis eximi, & niſi mira-
culum intercedat, debiliores ſemper grauari. Ad-
de non tam grauare populum, quod Principi pen-
ditur, quam quòd à miniſtris diripitur. Neſcias
quomodo quiſquis colligendis tributis deligitur
diuitiarum exundet copia, & copioſa ſplendeat
familia. 404.

Se ſe ad huius veritatis probationem offert Ie-
roboam. Hunc vtpote induſtrium iuuenem Salo-
mon colligendis tributis præfecit, vixque audias 3. Reg. 11.
præfectum, cùm videas diuitiis onuſtum: *Erat* v. 28.
Ieroboam vir fortis & potens, vidénſque Salomon
adoleſcentem bonæ indolis, & induſtrium conſti-
tuerat eum præfectum ſuper tributa vniuerſæ domus
Ioſeph. Hic à populo in principem electus in ipſo
regni exordio ea auri copia diteſcebat, vt duos vi-
tulos aureos conſtruxerit, & adorari imperarit. 3. Reg. 12.
Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos. Aa- v. 28.
ron pro conſtruendo vnico vitulo petiuit inaures, Iudic. 8.
Gedeon pro fabricando Ephod inaures etiam po- v. 24.
ſtulauit: *Date mihi inaures ex præda veſtra.* Iero-
boam verò duos vitulos nihil à populo exigens
fabricauit. Sacerdos magnus ſufficienti auri copiâ
ad ædificium vituli non exundat, Gedeon hoſtium
domitor pro conſtruendo Ephod auro indiget, at
Ieroboam ſic opulentus diteſcit, vt nil à popula-
ribus exigat, vt geminatum vitulum conſtruat: nec
mirum: nam ſuper tributa vniuerſæ domus Ioſeph
à Principe conſtitutus grandi potentia reſplendeſ-
cebat ornatus: *Erat Ieroboam vir fortis & potens.*
Quam citò excreuit in magnum. Quàm celeriter
ad potentiæ inuolauit augmentum! Qui tributis
colligendis eſt deſignatus & celatus eſt opulentus:
duos vitulos vel poſt exilij expenſas valuit con-
ſtruere, cùm Aaron vnicum nequiuerit fabricare.
Huc voco, quod aiebat noſter Sanctius ad illa
verba. *Exactores ſui*, Iſaiæ 3. *Exactores ſunt qui* Sanctius. Iſai. 3.
pecunias exigunt auctoritate plerumque publica,
qui vtpote vi armati regiâ, cui reſiſtere impunè ne-
mo poteſt, quidlibet extorquent à timida atque im-
belli plebecula. Exactores plebeculam deglubunt,
& quidquid libet, regij fiſci titulo rapiunt. Ergo
Ieroboam, vt qui fuerit exactor eâ pecuniarum
ſumma, eâ auri copiâ opulentus reſplenduit, vt
duos vitulos nihil mutuatus extruxerit, & extru-
ctos conſecrarit.

§. XCVIII.

Eo ipſo, quo vitia deſtruimus, nobis vitam
& ſalutem comparamus.

Voluptatem vitiumque vitæ inſidiari, & cor- 405.
poris ſaluti nocere compertū eſt: vnde Sto- Stobæus.
bæus ſerm. 6. voluptatem feram vocauit. *Fera eſt* Voluptas
ſibi mancipans homines voluptas; ſed mitis: nam etſi mitis,
ſi apertè pugnaret, citò caperetur: nunc autem ideò eſt fera.
etiam immiſſa magis, quod celat inimicitiam induta
habitum beneuolum. Vitium voluptate fucatum

M

oſoris gerit animum; ſed curatoris oſtentat vultum, voluptatem offert ad vitæ commodum, cùm ab ipſa voluptate vitæ ſæpè ſæpiùs promanauerit detrimētum. Hinc quiſquis oppugnat vitia, à ſe ſalutis depulit detrimenta: nā vt ipſa criminis adulatio inſidiatur ſaluti, ita depulſio ſuffragatur ſanitati: eo ipſo, quo in virtutis hoſtes depugnaueris, tibi ſalutem procudes, felicitatique prouidebis. Depugnauerat ſtrenuè Samſon in Philiſthinos vitiorum vmbras maxillæ obarmatus, & præmunitus; certaminis labor ſitim vrgentiſſimam procreauit, & ſitis acriter viſcera arroſit; verùm Deus opportunè laboranti ſuccurrit eductis de ipſa maxilla cryſtallinis vndis, quibus & ſitis depulſa, & vita ſaluſque reparata eſt: *Aperuit Dominus molarem dentem in maxilla aſini, & egreſſa ſunt ex eo aquæ, quibus hauſtis refocillauit ſpiritum, & vires recepit.* Inquires, cur non ex aliquo ſaxo, vt olim Hebræis; ſed ex maxilla aquas voluerit educi? cur maxilla docta hoſtibus inferre necem à Samſone imminentem depulerit mortem? Certè ob id ipſum: nam cùm omnia illis in figura contigerint, docuit Deus, cui perfacile fuerit ſitim extinguere, aut è ſaxo vndas præbere, ad noſtram eruditionem maxillam fontis ingenium imitari, vt inde Samſoni promanauerit vita, vnde vitiis prouenerat plaga: inde accepit Samſon ſalutis ſubſidium, vnde ingens viris promanauerat detrimentum, vt compertum omnibus fuerit, vitam, ſalutem, commoditatémque inde nobis exoriri, vnde venenatam voluptatem, & culpam conſtat exterminari: *Fons erupit ex ea,* inquit Ambroſius ſæpè datus, *& bibit Samſon, & reſumpſit ſpiritum.* Conſonat Abulenſis quæſt. 29. *De maxilla illa, qua occiderat Philiſthinos, fecit prodire aquam copioſam.* Copioſa vita Samſoni effluxit ab ipſo inſtrumento, quo virtutis hoſtes detriuit. O ſi hanc veritatem homines percallerent! Putamus vires ædificare, vitam nobis exiſtimamus producere, felicitatem fulcire, ſi cupiditatibus indulgeamus, & fallacibus concupiſcentiis obtemperemus, cùm reuera ſit voluptas ſalutis venenum, virtus antidotum: rerum copia eſt contra vitia certaminis dignum brauium, & vti qui in ſtadio currunt, de victoria accipiunt, qua & vita gratior & plauſibilior, coronam, ita qui in virtutis laborat circo, coronam accipit, qua & honoratior reſplendeat, & iucundior viuat. Ambroſ. Abulenſ.

406. Sitiuit populus in Raphidim, nec ad manum erat aquarum copia, & licèt tot miris à Domino fuerit donatus, ob aquæ penuriam ad linguacitatem eſt verſus: non obtinuerant tot mira debitas gratias, & aquæ penuria armauit iniquas linguas; verùm Dominus nec malignitate exaſperatus nec ingratitudine commotus limpidiſſimas decreuit vndas præbere, & Moyſem eadem virga, qua Ægypti fluuium percuſſerat, latices è rupe iubet elicere: *Sume tecum de ſenioribus Iſraël, & virgam qua percuſſiſti fluuium, tolle in manu tua, & vade: en ego ſtabo ibi coram te ſupra petram Horeb, percutieſque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus.* Qui ſine percuſſione potuit copioſas vndas præbere, dubium non eſt documentum nobis virgæ verberatione præſtare. Quid ergo peculiare in hac virga inuenitur, quando Moyſes latices ea ſolicitare iubetur? O vtilem nobis eruditionem! Virga percuſſum mare purpuraſcebat, Ægyptiis attulit vnda diuiſa naufragium, & ſiccum patuit Iſraëlitis veſtigium: ergo vt conſtet eo ipſo inſtrumento, quo Ægyptiis illa eſt mors, promanare Hebræis temporalium rerum copiam, & expeditam ad tellurem deſiderabilem viam, ſignanter ea ipſa virga voluit Deus neceſſitatibus ſubuenire, & ad extinguendam ſitim populum vndis limpidiſſimis exundare. Huc voco Interlinearem hoc ipſo in capite ad illa verba: *Habens virgam Dei*: ipſam audi: *Virgam, quam dedit tibi Deus, vt verberarentur hoſtes.* Interlin. Conſonat Origenes apud gloſſam: *Deus eruditor infantium, magiſter inſipientium corrigit culpas, & emendat errores, dicens ad Moyſem, vt ſumat virgam, & percutiat petram, & educat aquas.* Origen. Quæ Ægyptiorum deſeruierat naufragio, ſitis inſeruiuit ſubſidio: vt nouerit populus ea ipſa re, qua expunxerit prauitatem, ſtabiliendam ſibi ſalutem, & temporali abundantia pellendam ſitim: non eſt ars acquirendi diuitias delinquere; ſed mandatis obtemperare: Eua dum præceptis obuiat, ſibi confuſionem, & nuditatem æternat. Exod. 17. v. 5.

Exarmatus aufugit Dauid: nec enim ardens liuor, præcepſque æmulatio ſumendi arma tempus concedebant; imò ne tempus haberet, ocyſſimè properabant: & quidem niſi diuina eum eriperet gratia, inuidentiæ Dauid fuerit præda: ergo vt qui noueuat ſpiritui in primis prouidendum, & de ſalute corporis poſteà curandum, priùs ab Abimelech Sacerdote ſanctificatum obtinuit panem: *Dedit ei Sacerdos ſanctificatum panem,* & poſteà petiuit enſem: priùs cor cæleſti epulo confortauit, & propulſandis periculis poſteà attendit; Sacerdos ſolùm ibi gladium, quo Goliat caput diuiſerat, aſſeruatum reſpondit: *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle Therebinti.* Ad quod Dauid. *Non eſt huic alter ſimilis, da mihi eum.* Et quare alter inueniri nequeat ſimilis? Numquid ſingularis adeò artificis erat peritia, vt omnium ſupergreſſa fuerit induſtriam? Exhauſtane fuit chalybis vena, vnde cladius hic aciem eſt mutuatus? Cur huic nullus ſimilis? Quia etſi alter huic inueniretur arte aut aciebus æqualis, nullus in ordine ad Dauidis vitam tuendam ſimilis: hoc gladio Dei ini[illegible]cos deuicerat, gigantem vitiorum emblema trucidauerat: ergo nullus alius Dauidi ita eſſe poterit opportunus, quandoquidem nullo alio hoſtis fuerit detriumphatus: non erat huic gladio ad tuendam vitam præſtantia de artificis peritia; ſed de reportata victoria: erat enim validiſſimum vitæ ſubſidium, quia vitiorum fuerat tormentum: *Golia,* inquit Rabbanus apud gloſſam, *id eſt, diaboli arma ſuſtulit: ipſe enim fortior ſpolia fortis diripuit.* Accinit Lyra: *Non eſt huic ſimilis, id eſt, æqualis ei.* Præ cæteris ad tuendam ſalutem excellebat, quæ in vitia gladius præ cæteris militarat. 407. 1. Reg. 21. v. 6. Rabban. Lyra.

Non ſine myſterio decantandus ille populi Princeps Samgar Philiſthinos vomere percuſſit, & profligauit: *Poſt hunc fuit Samgar filius Anath, qui percuſſit de Philiſthiim ſexcentos viros vomere, & ipſe quoque defendit Iſraël.* Vomer, dum telluris culturæ inſeruit, fructificationi conducit, ſulcos aperit, terram pro ſeminibus ſuſcipiendis diſponit, quo vberrimus promanarit fructus, & ſuſtentandæ vitæ, ſaluti nutriendæ, egeſtatique propulſandæ fructuoſus prouētus: ergo vt noueris eodem inſtrumento viriis aduerſo felicitatem procreari, & vbertatem oriri, Samgat vomere refertur hoſtes diuexaſſe, & tellurem excoluiſſe: *Eſt autem vomer,* 408. Iudic. 3. v. 31.

mer, inquit gloſſa moralis, *inſtrumentum ad aperiendam terram pro ſeminatione, & fructificatione*, Adnectit: *Ergo vomere Philiſthæi percutiuntur, quando per veram confeſſionem vitia abiiciuntur: quod autem per Philiſthæos vitia ſignificentur, patet: quia Philiſthæi interpretantur cadentes, vitia verò vel peccata cadere faciunt hominem de vno in aliud.* Inſtrumentum pro extirpandis vitiis, pro deterendis virtutis hoſtibus arreptum terram excoluit, & copioſis reportandis fructibus inſeruiuit: nec enim poterant inde non oriri vitæ pabula ac ſalutis auxilia, vnde exorta fuerant vitiis ingentiſſima detrimenta. E contra eo ipſo inſtrumento, quo vitiis inſeruimus, vitam ac ſalutem imprudentes oppugnamus. Saül quam non ſemel in Dauidem vibrarat, haſta interfectus eſt: *Incumbebat ſuper haſtam ſuam*: præcordia rumpit, quæ in Dauidem audet: *Niſus eſt Saül configere Dauid lancea in pariete.* Opportunè Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. *Sua eum haſta interfecit.* Ea haſta ſtabilire ſibi cupiebat regnum; ſed imprudens vitæ ſibi elaborabat excidium: vt omnibus conſtet ipſo, quo vitij ſatagimus inſeruire, inſidias ſaluti noſtræ parare: vt è contra eo ipſo felicitati prouidere, quo bellum criminibus licuerit indicere.

Gloſſ. — 2. Reg. 1. v. 6. — 1 Reg. 19. v. 10. — Drogo.

CAPVT XVI.

Vers. 1. ABIIT quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem ingreſſuſque eſt ad eam. 2. Quod cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos, intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantibus, vt facto manè exeuntem occiderēt. 3. Dormiuit autē Samſon vſque ad medium noctis: & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebrōn. 4. Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila. 5. Veneruntque ad eam principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos. 6. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas? 7. Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem neruiceis funibus necdum ſiccis, & adhuc humentibus, ligatus fuero, infirmus ero vt cæteri homines. 8. Attuleruntque ad eam Satrapæ Philiſthinorum ſeptem funes, vt dixerat: quibus vinxit eum. 9. Latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus, clamauitque ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui rupit vincula, quomodo ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit: & non eſt cognitum, in quo eſſet fortitudo eius. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: Saltem nunc indica mihi, quo ligari debeas. 11. Cui ille reſpondit: Si ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerint in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis. 12. Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamauit: Philiſthiim ſuper te Samſon, in cubiculo inſidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum. 13. Dixitque Dalila rurſum ad eum: vſque quo decipis me, & falſum loqueris? oſtende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero. 14. Quod cùm feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus & licio. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodo dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua. 16. Cúmque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt. 17. Tunc aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum, quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo, ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines. 18. Videnſque illa quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthinorum, ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt aſſumpta pecunia, quam promiſerant. 19. At illa dormire eum fecit ſuper

genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput. Vocauítque tonſorem, & raſit ſeptem
crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo
diſceſſit. 20. dixítque: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens dixit
in animo ſuo: Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab
eo Dominus. 21. Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos
eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.
22. Iamque capilli eius renaſci cœperant, 23. & principes Philiſthinorum conuene-
runt in vnum, vt immolarent hoſtias Dagon Deo ſuo, & epularentur, dicentes: Tra-
didit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras. 24. Quod etiam po-
pulus videns, laudabat Deum ſuum, eademque dicebat: Tradidit Deus noſter aduer-
ſarium noſtrum in manus noſtras, qui deleuit terram noſtram, & occidit plurimos.
25. Lætantéſque per conuiuia, ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Sam-
ſon, & ante eos luderet. Qui adductus de carcere ludebat ante eos, fecerúntque eum
ſtare inter duas columnas. 26. Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt
tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & recliner ſuper eas, & paululùm
requieſcam. 27. Domus autem erat plena virorum, ac mulierum, & erant ibi omnes
principes Philiſthinorum, ac de tecto & ſolario circiter tria millia vtriúſque ſexus
ſpectantes ludentem Samſon. 28. At ille inuocato Domino ait: Domine Deus, me-
mento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vlciſcar me de
hoſtibus meis, & pro amiſſione, duorum luminum vnam vltionem recipiam. 29. Et
apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dex-
terâ, & alteram læuâ tenens, 30. ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim, con-
cuſſiſque fortiter columnis, cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram mul-
titudinem, quæ ibi erat: multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occi-
derat. 31. Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio tulerunt corpus
eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: iudicauít-
que Iſraël viginti annis.

§. I.

Commentarius Litteræ.

*Verſ.*1. Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem ingreſſuſque eſt ad eam.

*Verſ.*2. Quod cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos, intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum, poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto manè exeuntem occiderent.

1. SAMSON paulò poſt reportatum de Philiſthinis triumphũ Gazam vnam è metropolibus Philiſthinorum ciuitatibus adiit: qua causâ, occaſionéve, interpretibus dubium putat
Montan. Arias Montanus rem à Deo fuiſſe diſpoſitam, vt occaſionem quæreret contra Philiſtæos. Ambroſius ſuorum ignauiam auerſatum, & ob iniecta vincula offenſum apud eos commorari noluiſſe, elegiſſeque diuagari potius per hoſtium prouinciam, quàm per ſuorum ditionem: quandoquidem inter hoſtes cautior, inter ſuos periculis obnoxior.
Ambroſ. Ita datus Ambroſius: *Vbi decurſa ſerie bellum Paleſthinorum compoſuit, & ſuorum declinans ignauiã, & hoſtilem deſpiciens manum Gazam ſeſe contulit: ea ciuitas erat in locis Paleſthinorum, & habitabat illic in diuerſorio: quod cognitum Gazæi haud quaquam diſſimulatione prætererunt; ſed feſtinantes circumdederũt diuerſorium eius, & obſederunt vniuerſos aditus domus, ne fugam in noctem componeret.* Iuxta Ambroſij mentem diuerſorium intrauit non libidinis deſiderio; ſed vires recolligendi, vt viam proſequeretur, ſtudio. Septuaginta interpretes reddunt: *Et iuit Samſon in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, & intrauit ad illã.* Chaldæus vertit: *Et venit Samſon in Gazath, & vidit ibi mulierem tabernariã, & intrauit ad illam.* Arias Montanus putat vocabulum magis ad munus, quàm ad vitium referri: ait namque *Zanab* quærere victum propriè ſignificare; vnde nomen *Zonab* propriè adaptari exiſtimat exiguas vſui omnium merces vendentibus cauponis, meritoriiſque tabernis. Addit cùm non rarò in huiuſmodi officinis inueniantur meretriculæ, lupæ, & ſcorta, quæ hoſpitibus ob quæſtum ſui corporis copiam faciant, nomen cõmuniter accipi pro meretrice. Ergo ſimul atque Samſon ſub veſperum ciuitatẽ ingreſſus eſt, hoſpitium nõ longè à ciuitatis porta animaduertit, quod cautè ingreſſus, & primo mane iter proſequi decernens quieuit tantiſper; verùm cùm Samſon Philiſthinis notus & ſummo odio eſſet habitus, quàm citò rumor ad primores ciuitatis deuenit, qui omni cautela ſolicitudineque muniendas portas decreuerunt, illum capiendi ardentiſſimo deſiderio. Septuaginta reddunt: *Et nuntiatum eſt Gazeis dicentes:* Septuag.
venit Samſon huc, & circumdederunt, & inſidiati ſunt in eum tota nocte in porta ciuitatis, & mutinerunt tota nocte dicentes: Donec illuxerit mane, & interficiemus eum. Non ſolùm ſentiunt interpretes ciuitatis portam munitam cuſtodibus; ſed mulieris domum cinctam etiam militibus; varias tamen, quæ occurrunt difficultates facilè compones, ſi fas ſit coniicere Gazeos animaduertiſſe Samſonem ciuitatem intraſſe, non verò obſeruaſſe, ad quod diuertiſſet hoſpitium, ob idque, ne ipſo forſan ſtrepitu, & inquiſitione prædam abegerint decreuiſſe

uiſſe ciuitatis aditus ſolicitè præmuniendos, vt cùm exire, viamque arripere tentaret, facilè caperent, & tenerent. Interpretes, cùm exiſtiment diuerſorium agnitum, & militibus ſeptum, ſtatimque ſeſe obiiciat, cur hoſpitium non irrtarint, ceperintque dormientem Gazæi, cùm faciliùs fuerit, quàm tota præſtolari nocte: reſpondent apud gentes huiuſmodi diuerſaria, hoſpitiaque omni ſecuritate donata, ne hoſpites peregrinique à tranſitu abſtinerent, ſi periculum aliquod in diuerſoriis imminere ſibi putarent. Lyra. *Propter hoc non inuaſerunt eum ibi Philiſthæi*, inquit Lyra, *quia ſecundum legem terræ ſecuritatem debebat habere, ſed poſuerunt inſidias in porta ciuitatis, vt eum exeuntem occiderent.* Cùm Philiſthæis videretur inuiolato hoſpitio poſſe exeuntem capere, maluerunt expectare, quàm in domum irruere, & forſitan non ſolùm ad id conſilio ducti, ſed metu: nam cum ſciuerint Samſonem nuper aperto in campo in exercitum irruiſſe, fugaſſeque, timuerunt anguſtiores modò aditus, nempe domus portam occupantem faciliùs audentes proſtraturum occiſurumque. Ergo maluerunt expectare, vt planiori loco circumdatum, & clauſis ciuitatis portis obſeſſum caperent faciliùs deſideria explerent, & quas plagas acceperant, compenſarent. Abulenſis quæſt. 3. putat eam Philiſtinos legem non attendiſſe: nam cùm Samſon acerrimus eſſet eorum hoſtis immunitate nulla gauderet, imò totis viribus conarentur, vbicumque poſſent occidere. Adnectit variis illum diuexare tormentis deſideraſſe, & ne ſi intra domus anguſtias impetiuerint, dum ſe defendit, illata morte proſtrauerint, maluiſſe tota nocte præſtolari, quàm in hoſpitium irruere. Ego equidem in priori mente ſtabo, nempe præcauiſſe ſibi Philiſthæos, putaſſeque intra domum exiguum, aut nullum Samſoni eſſe detrimentum, & magnum ſibi, ſi impeteretur, periculum: ergo milites cùm ſtrepitum vitare, & moræ faſtidium leuare cuperent, ad ſpes confugerunt, & muſſitantes promittebant ſibi facilè capiendum, & iam queis pœnis puniendus eſſet, tractabant, & diſcurrebant.

verſ 3. Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis: & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.

2. Abulenſis quæſt. 3. exiſtimat media nocte ſurrexiſſe inſidiarum inſcium, vt tectè poſſet aufugere. Ioſephus 5. antiquit. cap. 10. conſilia Philiſthinorum putat nouiſſe; ſed quo modo, non tradit: Ioſeph. *Samſon inſidias maturè ſenſerat circa mediam noctem ſurgens portas cum ipſis clauſtris ac vectibus cæteroque apparatu reuulſas & humeris impoſitas in montem, qui eſt ſupra Hebronem, perlatas depoſuit.* Sunt qui putent imminentis notitiam periculi accepiſſe diuinitus; alij ab ipſa hoſpitalaria, aut ab aliquo hoſpitij ſeruulo, ſi iam ipſe militum ſtrepitus (nec enim quantumuis ſe cautè gererent, facile erat prorſus vitare) non præmonuit, palpitantibus, vt dicitur, præcordiis inter aduerſarios degentem. Igitur hoſpitium egreſſus medio noctis concinnio, vt cautiùs viam arriperet, vt ad ciuitatis portas peruenit, clauſaſque vidit, reuulſit, & veluti hoſtile trophæum ad montis faſtigium. Interpretes,

etſi communiter porta pro foribus accipiatur, notant aliud portæ nomine, aliud forium vocabulo deſignari: *Porta*, inquit Abulenſis qu. 3. *non eſt ianua aliqua; ſed ipſa apertio muri, in qua ponuntur valuæ, & claudant, & aperiant; fores autem vocantur ipſa ianua, vel valuæ.* Abulenſ. Eruditus interpres fores vocari ait, quæ extrà aperiantur; valuas, quæ reuoluantur intus. Eo tempore cuſtodes, qui mane exiturum putauerant, ſopori indulſiſſe, nonnulli putant interpretes: alij ſtatim ac exeuntem viderunt, ſolo aſpectu deterritos vertiſſe terga, viamque liberam reliquiſſe. Igitur cùm Samſon, vt dicebam, ad ciuitatis portam nemine impediente deueniſſet, opus aggreſſus eſt mirum, videlicet fores prorſus elocare, & cum omni paratu ad eas pertinente validæ ceruici imponere, & in montis cacumen ducere, quod & perfecit. Quomodò fores apprehenderit, dubium. Abulenſis putat calce eas priùs deieciſſe, & humeris poſteà impoſitas aſportaſſe. Validas adeò fores poſtibus obfirmatas, & veluti concarnatas parietibus euertiſſe, tuliſſeque non humano robori; ſed diuinæ virtuti, qua nil non facile fit, adſcribendum eſt.

---

§. II.

Commentarius Littera.

Verſ 4. Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.

Verſ. 5. Veneruntque ad eum principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.

PRæteritis periculis cautior non factus; imò reportatis audacior triumphis appetitui indulgere incepit: inde totius eius ſtragis exordium. Ita ſuprà datus Ioſephus. 3. *Paulò verò poſt à patriis inſtitutis deſciſcere, & in peregrinos mores degenerare incepit, quod ei omnium malorum fuit principium: cùm enim meretricem quamdam Paleſthinam adamaſſet nomine Dalalen, conſuetudine eius delectabatur.* Dalilam Philiſthinam fuiſſe tradit Ioſephus, Caietanus Hebræam autumat: Ioſeph. *Neſcitur an mulier iſta fuerit Hebræa, an Peleſthina; ex eo tamen quòd non deſcribitur Peliſthina, innuitur quòd non erat alienigena; ſed Hebræa.* Caiet. In Hebræo pro valle eſt in Torrente: ita Pagninus: *Fuit poſt hæc dilexit mulierem in torrente Sorec*: ſed idem ſignificat: Pagnin. nam cùm pluuiæ ad vallem decurrant, domus Dalilæ à torrente non diſtabat. Abulenſis qu. 5. notauit eſſe apud Septuaginta circa nomen loci varietatem, vt circa mulieris etiam appellationem: Abulenſ. Septuag. nam vertunt: *Amauit mulierem in Alſorec, & nomen ei Dalida.* Diſputant interpretes, an Samſon Dalila vt ſcorto, an vt vxore vſus fuerit. Plures ſunt qui autument eam in vxorem duxiſſe. Ita Anaſtaſius Antiochenus quæſt. 63. Anaſtaſ. ex homilia de Herodiade. S. Ephræm ſerm. aduerſ. improb. mulier. Ephræm. Caſſian. Caſſianus collat. 17. cap. 2. Chryſoſt. homil. 17. ex variis in Matth. Chryſoſt. Sulpitius. Seuerus Sulpit. lib. 2. Sacræ hiſtor. cuius hæc ſunt verba:

Vxorem eius, quam ille poſteà acceperat, pecunia corrumpunt. Adſtipulatur S. Proſper lib. de Promiſſion. part. 2. cap. 12: Auguſt. ſer. 117. ait meretricem in vxorem duxiſſe. Noſter Pereira in cap. 31. Geneſ. diſput. 1. quæſt. 3. num. 11. & ex Rabbinis Iſaac Benarama porta 63. Contrariam ſententiam tuetur Serarius quæſt. 5. num. 2. & alij. Abulenſis quæſt. 6. inquirit, cur ex Philiſthinorum terra non fugerit, cùm ſummo odio haberi, & inſidias ſibi multiplices obtendi non dubitarit; variaſque adducit cauſas: primâ ſcilicet quia erat erga Philiſthæas impotens amor, qui mentem eius obſcurabat & infatuabat prudentiam. *In amore*, inquit Abulenſis, *tenere modum aut ſeruare prudentiam nihil aliud eſt, quàm ſiquis cum ratione inſaniat.* Amor, ſi animum inuaſit, nil aliud attendit; vt de Didone Virgil. 4. Æneid.

Proſper. Auguſt. Pereira. Serar. Abulenſ.

Vigil.

Sauit inops animi, totamque incenſa per vrbem
Bacchatur; qualis commotis excita ſacris
Thyas.

4. Plato in carminibus inducit Socratem ebrium amore. De hac amoris inſania plura apud ethnicos. Ouidius 1. de Arte, ſic de Paſiphae.

Ouid.

In nemus & ſaltus thalamo regina relicto
Fertur vt Aonio concita Baccha Deo.

Furatur amor mentem, pericula deuorat, famam contemnit, & dum aſſequatur votum, patentem adibit infernum. Ita Ouidius lib 2. de Arte:

In ferrum, flammaſque ruit, poſitoque decore,
Fertur, vt Aonij cornibus icta Dei.

Seneca.

Adſtipulatur etiam Seneca epiſt. 9. *Ipſe per ſe amor omnium aliarum rerum negligens animos in cupiditatem formæ non ſine ſpe mutuæ charitatis accendit.* Itaque Samſon, cùm toroſus eſſet iuuenis, & ſanguis florentis ætatis calore ferueret; impotenter in fœminas ferebatur; præcipuè in Philiſthinas, quæ pulchriores illi præ ſuis videbantur. Hanc Samſonis in Philiſthinas inclinationem cœli influxui attribuit Abulenſis quæſt. 7. additque: *Corpora cæleſtia magnam virtutem habent ſuper phantaſiam, licèt non ſuper intellectum & voluntatem, in tantum quòd naturaliter cauſatur concordia inter aliquos in operibus, vel diſcordia ex conditione natiuitatis, licèt ſit poſteà homini facultas ad euitandum iſtos actus, ad quos inclinatur.* Ptolomæus adſtipulatur in centiloq. propoſ. 32. Conſonat ali Abenrazer. Itaque phantaſia rem ita cupiditati gratam proponit, vt nil aliud putetur ita pulchrum, aut gratioſum: vnde promanauit illud.

Abulenſ. Ptolem. Abenrazer.

5. *Quiſquis amat ranam, ranam putat eſſe Dianam.*

Igitur Phiſthinorum principes, vbi nouerunt Dalilæ amore fortiter illigatum, ſtatuerunt auro illam corrumpere, in amaſiumque, aut maritum armare. Illa, etſi tenerè à Samſone amata, vt quæ ſemel pecuniæ proſtituerat corpus, & fidem etiam pecuniæ proſtituit. Notauit datus Ambroſius: *Quæ ſemel ſe pecuniæ proſtituerat, aſtutè ſatis & callidè inter pocula & illicebras amoris, quaſi admirans fortitudinis eius eminentiam quærere cœpit.* Inter benè moratos verùm eſt illud Hecatonis: *Ego tibi monſtrabo amatorium ſine medicamento, ſine herba; ſine vllius veneficæ carmine: ſi vis amari, ama.* Verum dixit, inter nobiles & honeſtos; at lupæ, ſcortaque; etſi amentur, non amant: corpus proſtituunt non amori; ſed auro: ergo quæ cupiditate cœperunt, ſi maius alibi commodum, in contraria caſtra ſe conferent. Quàm benè Seneca epiſt. 9. data: *Neceſſe eſt initia inter ſe & exitus congruant. Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam.* Auro vires tentarunt Philiſthini oppugnare, & dum vilem fœminam magnis ſpebus ſolicitant, & viritim ſe copioſam dilargituros ſummam ſpondent, in ſui deſiderium trahunt, & iam dulciùs blandiens, & blandius animum irretiens aggreditur ſecretum eruere, quaſi eius fortitudinem demirata, & quid ſibi non committi conqueſta. O quàm graue Samſonem exurgit bellum falſæ mulieris illecebræ, & illecebroſæ blanditiæ!

Ambroſ. Seneca.

Verſ. 6. Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon: Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo; & quid ſit quo ligatus erumpere nequeas.

Verſ. 7. Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem nerniceis funibus necdum ſiccis; & adhuc humentibus ligatus fuero, infirmus ero, vt cæteri homines.

Quaſi plaudens fortitudini quærere cœpit, quomodò tantum reliquorum virtutibus antecelleret: videbatur plauſus; ſed erat dolus. Samſon adhuc ſobrius aduerſus delinimenta dolum dolo retulit, & infirmandum, ſi ligaretur nouis funibus, affirmauit. Septuaginta habent: *In quo ligaberis ad humiliandum te? Et dixit ad eam Samſon: ſi ligauerint me in ſeptem neruis humilis nondum ſiccatis.* Ferè idem Hebræus & Chaldæus. Dalila aſtu vaferrimo ſecreta prodere ſtudit; ſed Samſon etiam fefellit: *Cùm prima occaſio data eſt*, inquit Ioſephus lib. 1. antiquit. cap. 10. *inter compotationem & muliebres blanditias extollens eius res geſtas omni aſtu vtebatur, vt cognoſceret, cur tantopere virtute excelleret. Samſon verò adhuc mentis compos eiſdem artibus contra mulierem vtens, ſi ſeptenis, inquit, vitibus flexilibus reuinctus fuero, ſiam nihilo aliis fortior.* Philiſthini, quia nequibant pugnare viribus, pugnabant fraudibus. *Dolus, an virtus, quis in hoſte requirat?* aiebat Virgilius 2. Æneid. Et quidem in hac dolorum arte peritiſſimæ ſunt mulieres; adeò vt apud Euripidem in Danaë ſic quædam: 6.

Septuag. Ioſeph. Virgil.

Si dolis parari poſſet victoria,
Nos virorum teneremus principatum.

Euripid.

Apud antiquos gloria ducebatur inimicos fallere: vnde Thucydid. lib. 5. de bello Polopon. nomine Braſidæ ſic aiebat: *Furta hæc belli honeſtiſſimam habent gloriam, vbi quis decepto præcipuè hoſte amicis maximè proficiat.* Dalida, vt amicis proficeret, texebat dolum; imò vt cupiditati ſatisfaceret: ergo quàm citò allati ſunt nerui, quibus dormientem ligauit.

Thucyd.

Verſ. 8. Attuleruntque ad eam Satrapæ Philiſthinorum ſeptem funes vt dixerat, quibus vinxit eum.

Verſ. 9. Latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus: clamauitque ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui rupit vincula, quomodò ſi rumpat quis filum de ſtuppæ tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit, & non eſt cognitum, in quo eſſet fortitudo eius.

Abulenſis quæſt. 11. exiſtimat in domo Dalilæ quinque Satrapas cum aliis Philiſthinis latuiſſe. 7.
Addit

Addit quæſt. 12. non irruiſſe in funibus illigatum; ſed expectaſſe an diſſolueret, veritos aliquem dolum, ne dum properant, ſibi maturarint excidium. Dalila dormientem excitabat, & periculum adeſſe commonebat, vt ſi expergefactus funes rumperet, videretur iocus; ſi non rumperet, adeſſet citò aduerſarius. Inquirit Abulenſis quæſt. 14. Abulenſ. cur Samſon Dalilam non occiderit tot eius technas expertus, & funibus irretitus? Reſpondétque: *Samſon diligens Dalilam credebat ſe ab ea diligi, & non putabat quòd ipſa machinaretur mortem eius.* Amor, vt oblectatur ludis, apertos dolos putabat ludos. Miraberis Philiſthæos non tentaſſe Samſonem occidere, ſed capere, quandoquidem ſomno interimere correptum videbatur facilè. Abulenſis quæſt. 15. diuinæ prouidentiæ attribuit, cui facilè annuo.

§. III.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 10. Dixitque ad eum Dalila: Ecce illuſiſti mihi, & falſum locutus es: ſaltem nunc indica mihi, quo ligari debeas.

Verſ. 11. Cui ille reſpondit: ſi ligatus fuero nouis funibus, qui nunquam fuerunt in opere, infirmus ero, & aliorum hominum ſimilis.

8. Ambroſ. Dalila, vt notauit Ambroſius, ſe deriſam conquerens ab inceptis non deſtitit, & amoris iniuriam luxit: *Rurſus Dalila*, inquit Ambroſius, *quaſi deriſam conquerens repetere artes ſuas, & fidem amoris poſcere non prætermittebat.* Cùm facile eſſet interdicto, ſeueróque imperio fœminam cohibere; Samſon tenero amore obcæcatus non ſolùm non interdicebat quæſtionem; ſed demulcebat ſe falſam lugentem. Ergo iterum dolus, & dolus iterum.

Verſ. 12. Quibus rurſum Dalila vinxit eum, & clamauit: Philiſthiim ſuper te Samſon in cubiculo inſidiis præparatis. Qui ita rupit vincula quaſi fila telarum.

9. Hebræus. Septuag. In Hebræo, & in Septuaginta habetur: *Et dirupit eos à brachiis ſuis tanquam filum.* Cùm res è ſententia Dalilæ non ſuccederet, nouis querelis Samſon impetiuit, & lachrymis abiectam ſe non modicis deplorauit.

Verſ. 13. Dixitque Dalida rurſum ad eum: vſque quo decipis me, & falſum loqueris? Oſtende quo vinciri debeas. Cui reſpondit Samſon: ſi ſeptem crines capitis mei cum licio plexueris, & clauum his circumligatum terræ fixeris, infirmus ero.

10. Ambroſ. Caietan. Paulatim venit Samſon ad caput, vt ait citatus Ambroſius, iam lapſuro propior. Caietanus refert capillos Samſonis in cincinnos ſeptē diuiſos, ob idque ſeptem crines dici, licèt ipſe per ſeptem crines totā deſignari cæſariem putet. Nazaræi prolixo exornabantur capillo: ergo Samſon vti Nazaræus adeò oblungam gerebat cæſariem, vt facilè fuerit texere. Per licium non filum, ſed liciatorium lignum, ſeu textorium iugum exprimi putat noſter Serarius q. 10. Serarius. Septuaginta interpretes habent: Septuag. *Si intexueris ſeptem cincinnos capitis mei cum licio, & ſi fixeris paxillo in parietem.* Chald. Chaldæus: *Si texueris ſeptem capillos capitis mei cum iugo telæ.* Hebræus. Hebræus textus: *Si texueris ſeptem cincinnos capitis mei licio, & fixeris clauo.* Montan. Arias Montanus putat Dalilam telæ, texendique peritam fuiſſe, quod in meretrice mirum. De Penelope, Helenaque apud Homerum celebratum. Rara mirabilique ligandi forma plectendos capillos dixit, vt mulieri ipſa difficultas à propoſito auerteret; verùm cupiditate inflammata rem tentauit difficillimam, eoque ſopore detinebatur Samſon, vt nihil ſenſerit, animaduerteritque. Ergo vocibus ipſius Dalilæ excitatis facilè & iugum & clauum traxit, & ſe mentitum oſtendit.

Verſ. 14. Quod cùm feciſſet Dalila, dixit ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus & licio.

11. Aliquid hìc arcanum opus eſt intueri: nam qui ad gracilem mulieris vocem ſomnum prorſus, diſcutiebat, cùm crines plecteret, licióque aduolueret, clauóque non ſine ſtrepitu firmaret, ſomno iacebat ſepultus, & omni ſenſu priuatus. Ioſephus iam datus putat amplioribus ſcyphis, generoſóque vino potatum, quod contrà Nazaræorum erat præſcripta, & contrà temperantiæ mandata. Audi Ioſephum: Ioſeph. *Tacuit illa rem ita ſe habere putans, communicatóque ſuper hoc cum magiſtratibus conſilio, incluſáque penitiore domus parte manu militū bene potum, ac ſopitū accurate, vt ab ipſo didicerat, vinxit.* Non ignorabat Samſon adagium illud: *Sine Cerere & Baccho friget Venus*: ergo cùm arderet Venerem, Baccho indulſit, & ſtatas Nazaræatus leges violauit. Arias Montanus putat hæc non accidiſſe dormienti; imò vigilanti & ſubridenti, ab illaque iocosè ad amoris experimentum deuinctó imò addit ipſum dictaſſe, mulierémque edocuiſſe ligandi formam; ipſum audi: Montan. *Samſonem non ſomno correptum, nec irritum, ſed vigilantem, atque, vti cenſemus, ſubridentem ab illa etiam ridente, & velut periculum iocosè ad amoris experimentum faciente fuiſſe deuinctum, dictantem etiam vinciendi, & nexus, atque nodos coniungendi formam.* Si hanc Ariæ Montani ſententiam amplectaris, opus non erit illo arcano, quod dixi: quia tamen apud interpretes commune eſt ſomno correpto hæc omnia contigiſſe, non putauerim ſuperfluum arcanum. Noſter Serarius q. 11. arbitratur medicatis ad ſomnum cibis poculiſque illum Dalilam pauiſſe, & inebriaſſe.

Verſ. 15. Dixitque ad eum Dalila: Quomodò dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum? Per tres vices mentitus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima fortitudo tua.

Verſ. 16. Cúmque moleſta eſſet ei, & per multos dies iugiter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens, defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt.

12. Seriò multoties teſtatus, fuerat Samſon Dalilæ illam

illam ſe vehementer adamare, & toto animo proſequi. Ergo cùm amor nihil non committat amatæ, aſtutia ſapiens argumentatrix mentitum amorem querebatur, nec reſpondere ſibi eum impensè amanti, & ſecretum ad ipſius amoris validius teſtimonium ſcire cupiēti. Id expreſſum puto illa clauſula: *Quomodò dicis quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Ac ſi dicat: ſi eſſet mecum intimiora aperires, nec clauſum quid patereris. Caietan. his verbis ait arctatum, & quodammodò Caiet. conuictum, ſic legens: *Et fuit cùm coarctaret eum verbis ſuis omnibus diebus.* Septuaginta Interpretes habent. *Vexauit eum in verbis ſuis omnes dies, & anguſtiauit eum, & defecit animo vſque ad moriendum.* Frequentiſſimis querelis, aſſiduis ſuperciliis, iugibus lachrymis ſpatium ad quietem non concedebat: ergo cùm ex alia parte Samſon amoris nodum non valeret diſrumpere, & ex alia nequiret viuere rem totam aperuit: *Adhibitis omnibus artibus*, inquit datus Ioſephus, *non priùs rogandi finem fecit, quàm fatali iam neceſſitate inſtanti victus importunitate Samſon in gratiam muliercula ſuum ipſe ſecretum prodidit.*

Septuag. Ioſeph.

Verſ. 17. Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazaræus id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ. Si raſum fuerit caput meū recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.

13. Nouerat Samſon, ſi ſeruaret præſcriptum, vires fore integras, & è contra detracto ſigno, deletáque profeſſionis Nazareatus nota, hoc eſt, capillo abraſo viribus deſtituendum: ergo arcanum aperuit, & arcani præuaricatione vires inimicis addidit.

verſ. 18. Videns illa quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum, miſit ad principes Philiſthinorum, ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel: quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt aſſumpta pecuniâ, quam promiſerant.

verſ. 19. At illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput; vocauitque tonſorem & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.

14. Lyra. R. Salom. Quærunt Interpretes, quomodò agnouerit Dalila veritatem modò aperuiſſe. Lyra & Rabbi Salomon dicunt agnouiſſe, quia Samſon Dominum nominauit, à cuius prolatione, ni vera diceret, abſtineret. Abulenſis q. 29. cenſet agnouiſſe, quia Abulenſ. veriſimilius erat vires ob alicuius præcepti obſeruationem inditas, & ob violationē auferendas. Ergo vocauit Philiſthinorum principes, qui vt inſpectâ pecuniâ viuidiùs inflammarent, illam ſecum aſportauerunt. Re cognitâ ad fallacias proceſſit mulier, & inſidiis diſpoſitis ei ſuper genua cubanti ſomnū blanditiis conciliauit, eóque modò caput diſpoſuit vt facilè potuerit abradi. Mirū eſt tōſoris induſtriâ caput raſiſſe, cùm per ſe Dalila difficiliora tentauerit. Abulenſis q. 30. reſpondet non potuiſſe per ſe hoc facere, cùm ſuper gremium recumberet, & neceſſum eſſet eleuatum tātiſper caput ab vno teneri & ab alio radi. Igitur detōſis cincinnis ſtatim vires minutæ, & ſtatim à doloſa abactus; imò & aſſlictus Hebræus namque habet: *Cœpit affligere eum.* Hebræus.

verſ. 20. Dixitque: Philiſthiim ſuper te Samſon. Qui de ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar, ſicut antè feci, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus.

Ad Dalilæ voces expergefactus, ſed nondum plenè, non aduertit ſe cincinnis iam denudatū: ergo promiſit ſibi, vt anteà indemnitatem, ſed nec erat animi alacritas, nec corporis robur manebat. Abulenſ. q. 34. ait poſſe dici non ſolùm capillis nudatum; ſed vinculis fuiſſe conſtrictum: quod innuere videtur illa clauſula: *Egrediar ſicut ante feci, & me excutiam* nam ſi nullis vinculis ligaretur, ſe nequibat excutere, expediteve. *Aliquis reſpondebit quòd licèt non fiat mentio in littera; tamen Dalila ligauit Samſonem dormientem aliqua forti ligaturā.* Itaque Philiſthini, vt viderunt vincula non rūpi, in eneruem iam, imbecillémque irruerunt eâ vltionis ſiti, vt ſtatim oculos eius eruerint, & non modicis percuſſionibus diuexarint. 15.

§. IV.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 21. Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.

verſ. 22. Iam capilli eius renaſci cœperant.

Satis illis nōn erat ad dolorem ſolandum Samſonem ſemel interimere, quandoquidem ſemel interempto iugulum nequirent repetere: ergo viliſſimo, ignominioſóque operi addixerunt, vt qui cupiditatis phreneſi ab homine tranſierat in brutum; iam digno ſupplicio in brutum etiam tranſiret, & molam traheret. Quanta in itinere fuerit perpeſſus, textus nō explicat; verùm cum liqueat eſſe aduerſariorum ardentiſſimū odium, facilè coniectu eſt nullis contumeliis pepercisse, nullis iniuriis non diuexaſſe. Quod timuit Saül, Samſoni accidit: incircumciſi namque ei illudebant, & grauiorem morte miſero dolorem creabant. Ea in ciuitate tulit vincula ærea, chalybeáque (Hebræus nāque habet, *ligauerunt eum in æribus.*) vbi meretricem aſpexerat vt qui tanto periculo non euaſit cautior, ſupplicio tanto lugeret miſerior. Noſter Setarius q. 18. per eā ipſam portam, quam olim tulerat, putat introductum, multis exprobrationibus impetitum, & dicteriis obrutum. Eo verbo, *molere fecerunt*, arbitrantur nonnulli ſignificari Philiſthæos fuiſſe illo ad ſummum deſpectum præpoſterè abuſos; verùm licèt in ſcriptura mola & molere obſcœna ſignificent, nil hic nos cogit propriam verbi ſignificationem omittere: ergo credendum eſt in domo vinctorum aliquam molam eſſe, quam nos *Tahona* dicimus, quam defatigatus traheret, quieſcere nō permiſſus; ſed ſtimulis vti brutum agitatus. Captum Samſonem per nuntios ad præcipuas Philiſthinorum ciuitates delatum eſt, vtque plures ad ſolēnes poſſent hoſtias aduentare, quas iam primores decreuerant, 16. Hebræus.

tempus

tempus cõceſſum: dum parabantur hoſtiæ, capillus etiam pullulabat, & cum capillo vires creſcebant. Quanto tempore in carcere delituerit, dubium. Abulenſis quæſt. 41. putat non fuiſſe integri menſis tempus. Noſter Serarius quæſt. 20. prolixius tempus poſuiſſe in carcere exiſtimat, quandoquidem capilli iam abraſorum quodammodò imitabantur menſuram: in Hebræo namque eſt: *Cœpit capillus capitis eius germinare, ſicuti cùm tõdebatur.* Arias Montanus legit: *Cœpit capillus capitis eius pullulare, vt detonſus*: additque citiùs denſiuſque procreari in his qui vel macie contabeſcunt, vel animi mœrore laborant. Mœror ipſe quo Samſon laborabat, & macies, qua tabeſcebat, colligendis iterum viribus, & ædificando robori deſeruiebat. Ego, vt quod ſentio, dicam, non exiſtimo capillos recentes ad antiquorum menſuram perueniſſe; imò ſolùm cœpiſſe renaſci: nam cùm Philiſthini non ignorarent capillamentum fuiſſe inuicti roboris fulcrum, vt aſpicerent cæſariem, ſtudioſè curarent abradere, & omnem metum abigere. Ergo ipſa naturæ vi agente capilli germinare cœperant, & fortè caput nondum nigricabat, cùm ſubiicienda contigerunt.

Abulenſ. Serarius. Hebræus. Montan.

Verſ. 23. Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur dicentes: Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras.

verſ. 24. Quod etiam populus videns laudabat Deum ſuum, eademque dicebat: Tradidit Deus noſter aduerſariũ noſtrum in manus noſtras, qui deleuit terram noſtram, & occidit plurimos.

17. Samſon plurium occiſor, & Philiſthinorum terræ vaſtator nec hoſtiam obrulit, nec aram ſtruxit: Philiſthini verò vno capto hoſte ſolemnes ac optimas victimas Deo ſuo offerunt, & fauſtis modò acclamationibus clades acceptas leniunt. Chaldæus habet: *Tyranni Philiſthinorum congregati ſunt ad ſacrificandum ſacrificium magnum Dagon errori ſuo.* Solemne fuit apud antiquos aris, hoſtiiſque accepta, vt ipſi putabant, à diis beneficia rependere, & animi gratitudinem extremo plauſu teſtari. Ita Ouidius 4 de Triſtib. eleg. 2.

Chald.

Ouid.

Iam fera Cæſaribus Germania, totus vt orbis,
Victa poteſt flexo ſuccubuiſſe genu:
Altaque velantur fortaſſe palatia ſertis
Thuraque in igne ſonant, inficiuntque diem.
Candidaque adductâ collum percuſſa ſecuri
Victima purpureo ſanguine tingit humum.
Donáque amicorum templis promiſſa deorum
Reddere victores Cæſar vterque parat.

Philiſthinorum principes Dagonis templo dona parabant, & lætiſſimum ſibi diem agebant. Abulenſis quærit q. 63. cur potiùs Dagon, quàm alteri Deo vota pro accepto beneficio reddiderint: cùm Aſtaroth inter eos Deus famoſus, & cui, vt patet Reg. vlt. Saülis arma dicarunt, & etiam Beelzebub apud eos pro Delphico Apolline eſſet: reſpondetque q. 64. non debuiſſe immolare Beelzebub, quia iſte erat celebris in oraculis, non in bellis: nec Aſtaroth, quia licèt in bellis eſſet, vt rebantur, inſignis, Dagon tamen habebatur & fortior, & celebrior: cuius templo caput Saülis affixum, & cui Dei arca, vt trophæum dicata: ergo cùm triumphus iſte apud ipſos celeberrimus, Dagon immolarunt, araſque ſtruxerunt. Notauit etiam Abulenſis ſic Reipublicæ adminiſtros Deo ſuo procuraſſe hoſtias, vt aliquid etiam ipſis obueniret, quod textus apertè tradit: ait namque: *Et epularentur.* Profectò Reipublicæ Senatores aliquando, ſi qua feſta gaudiaque communia inſtituantur, ſic diſponunt, vt non exiguum lucrum ſibi proueniat, Audi Abulenſem q. 41. *Erat iſta conſuetudo Gentilium, quòd facerent ſacrificia diis ſuis, & de carnibus ſacrificiorum comederent; imò quod plus erat, comedebant adipes ſacrificiorum, & bibebant vinum libaminum.*

Abulenſ.

Verſ. 25. Lætantes per conuiuia ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Sãſon, & ante eos luderet: qui adductus de carcere ludebat ante eos, feceruntque eum ſtare inter duas columnas.

Verſ. 26. Qui dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus, & reclinet ſuper eas, & paululùm requieſcam.

Verſ. 27. Domus autem erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes principes Philiſthinorum, ac de tecto, & ſolario circiter tria millia vtriuſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon.

Conuenerat copioſa multitudo ad magnifica 18.
illa Dagonis feſta, finitóque ſacrificio indulgebant epulis, & quo cumulatiori gaudio fruerentur, decreuerunt Samſonem adduci, vt dum ſibilis feriunt, & illuſum ludere cogunt, ampliori lætitiæ ſenſu capiantur. Samſon ludebat, & vti cæcus impingebat ſæpè, quod iucundiſſimum Philiſthæis. Itaque vt olim theatra gladiatorum ſanguine plena, vt noſtris tẽporibus, ſi dicere liceat, circus comœdiarum, ſcenarúmque oblectationibus ſtructus; ita ibi domus erat ſpectaculis apta, è cuius feneſtellis ſolarióque (erat namque virorum plena) Samſonem ſpectabant inſultantes, & irridentes. Septuaginta habent: *Alapis percutiebãt eum.* Chaldæus: *Et viderunt illũ populus, & laudauerunt errorem ſuum.* Satis erat ad magnũ Philiſthinis gaudiũ conciliandum miſerrimus tunc Samſonis & habitus & aſpectus: per plateas adducebatur lictoribus, & armatis miniſtris ſeptus; inſultababant, inclamãtque pueri. Ergo ingreſſus eſt theatrum catenatus, exoculatus, pœdore, ac macie confectus, polline aſperſus. Quo inſpecto in cachinnos ſtatim riſúmque effuſi ſunt, dum contraria adeò fortuna intuentur infirmum, quem obſtupeſcebant viribus tatum. Quo ludi genere eos oblectaret, quærit Arias Mõtanus reſpondétque ad ſaltus edendos compuliſſe. Abulenſ. q. 47. ita habet: *Faciebat Samſon aliquos ludos ſicut inſanus impingendo in columnas.* Probabile eſt adductum Samſonem, vt poſt ludibria exibilationéſque grãdior, ac ſolemnior hoſtia Dagoni immolaretur: nec inſolitum apud Gentiles diis homines litare *Infantes*, inquit Tertul. in apolog. c. 9. *penes Africam Saturno immolabãtur palam.* Et aduersùs Gnoſticos: *Sed enim Scytharum Dianam, aut Gallorum Mercurium, aut Afrorum Saturnum hominum victimâ placari apud ſeculum licuit.* Idem refert Lactant. lib. 1. c. 21. & Hieronym. conſonat in Iſaiam lib. 13 c. 46. *Saturni tanta fuit apud veteres religio, vt ei non ſolũ humanas hoſtias captiuorũ ignobiliúmque mortaliũ, ſed & ſuos liberos immolarent.*

Septuag. Chald. Montan. Abulenſ. Tertull. Lactant.

Itaque

Itaque Samſon, cùm ſe immolandum in Dagonis honorem exiſtimaret, & irriſionis ludibrijque, quod ipſa morte acerbius, grauiſſimo dolore exulceraretur, & iam ſibi vires adeſſe præſentiret, puerùm rogauit, vt ſuper columnas tantiſper reclinari pateretur, quo poſſet ſpiritum recolligere, & iterum ludere.

---

§. V.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 28. At ille inuocato Domino ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum *vnam vltionem recipiam.*

Verſ. 29. Et apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alterámque earum dextera, & alteram læuâ tenens.

Verſ. 30. Ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim: concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.

19. Ambroſ. AMbroſius ſuprà dattus ſic ait: *Cupiens tantā contumeliam vel vltione ſolari, vel morte in reliquum præuertere, ſimulato quod propter infirmitatem corporis, & nodos compedum ſuſtentare ſeſe nequiret; popoſcit à puero, qui dirigebat vias eius, vt admoneret eum ad columnas proximas,* Septuag. *quibus domus omnis ſuffulciebatur.* Septuaginta lachrymis quas amiſerat vires, recuperaſſe teſtantur: *Et plorauit Samſon ad Dominum.* Dalila lachrymis fidem coëgit, & lachrymis Samſon auxilium ſibi parauit. Diſputant Interpretes, an licuerit ſe ipſum occidere? Apud Gentiles ſolemne erat vitam abrumpere, & calamitates præſentes propulſare, aut imminentes præuertere. Sic Plinius lib. 1. epiſtolar. epiſt. 12. Plinius. *Deceſſit Corellius Rufus, & quidem ſpontè.* Grauiſſimo dolore exulcerabatur: ergo mortem aſciuit doloris remedium. Seneca epiſt. 24. plures refert manus ſibi conſciuiſſe: ſic ibi de Catone: Seneca. *Id agendum exiſtimauit, ne cui Catonem, aut occidere liceret, aut ſeruare contingeret.* Mortem ſibi intulit Cato, vt inimicis hanc gloriam adimeret, nec amicis vitam deberet. Nec ſolùm apud Gentiles mortem ſibi inferre fortitudinis habebatur opus; ſed etiam meliori doctrinâ informati, vt illuſionem vitarent, mortem ſibi conſciuerunt. Ita Saül eiúſque armiger: verùm non licere manus inferre ſibi compertum eſt: cúmque Samſon in Sanctorum catalogo ponatur à D. Paulo ad Hebræos 11. dubium non eſt ſpeciali à Deo reuelatione motum excitatúmque. Sic Auguſtinus 1. de Ciuit. Dei, & Abulenſis q. 54. Abulenſ. cuius verba ſunt: *Videtur quòd Samſon motus fuerit zelo Dei: quia ipſe vidit quòd Principes Philiſthinorum laudabant Dagon Deum ſuum, tanquam ipſe tradidiſſet Samſonem in manus eorum.*

Itaque Samſon non intendebat primò, & per ſe mortem ſibi conciliare; imò deſiderium erat de Dei hoſtibus vindictam ſumere, etſi ad id opus eſſet mortem ſubire. Si euadere poſſet occiſis Philiſthæis, ipſe recuſaret mortem; at fortis adeo fuit, vt propria morte non fuerit deterritus; ſed eam lubenter ſubierit, quò inimicos religionis euerteret. Eleazar ſimiliter ſub elephantis pedes ire non timuit, vtque hoſtes deleret, mortem contempſit, ſibi non aſciuit: 1 Machab. 6 v. 46. *Iuit ſub pedes elephantis, & ſuppoſuit ſe ei, & occidit eum, & cecidit in terram ſuper ipſum, & mortuus eſt illic.* Itaque euaderet, ſi potuiſſet; quia tamen ſine vitæ periculo Dei hoſtes nequibat deuincere, in ipſos irruit mortis contemptor, licèt proprio ſepeliendus triumpho, lib. 1. contrà Gaudentium cap. 31. ſic Auguſtinus. Auguſt. *Quod cum inimicis occiſus & ſe ipſum Samſon, quando ſuper ſe, atque ſuper illos deiecit domum, mortem, quam mox ab eis fuerat perpeſſurus, communem voluit cum illis habere, quia non poſſet euadere: quod quidem non ſua ſponte fecit; ſed hoc ſpiritui Dei tribuendum eſt, qui vſus eſt eo, vt faceret; quando illi affuit: quod facere non poterat, quando idem ſpiritus defuit.* Bacchiar. Bacchiarius epiſtola ad Ianuarium de recipiend. lapſis martyrem fuiſſe putat: Ioſephus mortem laudat 5. antiquit. cap. 10. Ioſeph. *Is finis viri fuit: exacto principatus anno vigeſimo admirandi ob incomparabilem animi ſimul, ac corporis fortitudinem: qua in hoſtium perniciem vſque ad extremum halitum vſus eſt.* Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. ſic habet: Ambroſ. *Virtutis fuit, quod victoriarum numero diem clauſit, nec captiuum exitum, ſed triumphalem inuenit.* Caietanus, vt dicebamus, indirectè mortem propriam voluiſſe tradit, inimicorum directè: Caiet. *Non eligitur in huiuſmodi caſibus mors propria in ſe ipſa; ſed per ſe eligitur mors hoſtium, & concomitans propria mors toleranda admittitur propter bonum vltionis.*

Verſ. 31. Deſcendentes autem fratres eius, & vniuerſa cognatio, tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue: iudicauitque Iſraël viginti annis.

Mirum eſt Samſonis contribules eâ pietate motos, vt corpus quærere tentarent, ſepelireque auderent, cùm res ardua adeò eſſet omnem ruinæ molem amouere, & inter tot cadauera inquireret: 10. cúmque etiam dubitari fas non eſſet, Philiſthæos maiori modò odio flagraturos: ego totum ſingulari Dei prouidentiæ adſcribam, quando videbantur Philiſthæi atrociſſimè in Samſonis cadauer deſæuituri, & ab omnibus eius contribulibus vltionem expetituri. In Saülem iam defunctū crudeliter deſæuierunt Philiſthæi caput præcidentes: *Præciderunt caput Saül*; verùm Deus, vt inter iuſtorum, iniquorumque mortem magnum intercedere diſcrimen oſtenderet, Saülem voluit gladio poſt mortem diuidi, & Samſonem vetuit ab hoſtibus tangi. 1. Reg. 31. v. 9. Iam proprius locus eſt illius quæſtionis, quàm præcedenti capite huc remiſimus, videlicet quanto tempore principatum geſſerit, & quomodò computandi ſint anni. Maſius ad vltimum Ioſuë ſic ait: Maſius. *De Samſonis principatu ego ſic exiſtimo, illum nunquam imperaſſe Iſraëlitis.* Verùm cùm ſcriptura iudicem appellat, exiſtimandum eſt

principis

principis officio functum, aut ſaltem hoc nomine decorari non ſolùm qui dirimendis cauſis præſunt; ſed qui in campum profligandis hoſtibus prodeunt. Nonnulli putant per quadraginta annos iudicaturam geſſiſſe: quia in fine capitis præcedentis numerantur viginti, & decurſa poſteà actionum ſeriè alij viginti illis adduntur. Ita Thalmud Ieroſolymitanum, & Abraham Zacuth, qui ait parte 10. *Iudicauit Samſon annos* 40. Idem repetit R. Elias, & alij ex Rabbinis. Alij in tract. Sutach. cap. 1. ei viginti duos annos; ſed nullo fundamento adſcribunt. Communiter Samſonici principatus anni viginti ſolùm habentur, qui in fine capitis 15. per anticipationem referuntur. Noſter Serarius quæſt. 34. plures vitæ annos Samſoni tribuit, videlicet triginta quatuor vel quinque, vt computationis difficultates vitet: circa quam grande diſſidium eſt. Sunt qui putent Samſonis annos inchoandos eſſe ab illa cæde, quam exercuit maxillâ armatus. Abulenſis, vt vidimus capite præcedenti, ante Samſonis ortum ſtatuit eius principatus annos ſupputari: nec mihi diſplicet: aliter namque grandis manet labor circa aliquas annorum ſummas ab ſcriptura relatas, & neceſſariò admittendas.

(Thalmud. Zacuth. — Elias Rabbini. — Serar. — Abulenſ.)

---

§. VI.

Nonnulli ad delicias inhiant vetitas, & extraneas, faſtidiunt proprias.

21. VT omnis voluptas eſt ſaporis anguſti, ſic cupiditas eſt deſiderij immerati, vt aduletur ſibi, experientiæ obnititur, & quaſdam in extraneis rebus falſas delicias architectatur: de ignorantiæ; imò de inſaniæ ſacramentò aſcititias hydropica ſemper ſitis voluptuoſas rebus qualitates applicat, & aſcititias noſcens ardenter deſiderat: contrà euidentiam falſæ accedit opinioni, contrà experientiam cæciſſimæ adhæret fidei. Tanta eſt vis voluptatis, vt non ſibi prætendat iam ignorantiam; ſed apertam paruipendat notitiam. Hinc extranea gratiori ſapore condita fingit, & ſibi, vt exambierit, imponit. Optimè Seneca ad Heluiam cap. 9. *Corporis exigua deſideria ſunt: frigus ſubmouere vult, alimentis famem, aut ſitim extinguere: quidquid extra concupiſcitur, vitiis, non vſibus laboratur.* Cupidini magnis expenſis inſeruitur, neceſſitati non laboratur: immerata luxuria & ſitibunda ſemper voluptatis flamma, cùm ex deliciis, quas ad manum habet ſatietatem non capiat, ex peregrinis, & vetitis ſibi promittit, & euanidis fallacibuſque promiſſionibus irritata nunquam quieſcit: *Vltra Phaſin capi volunt, quod ambitioſam popinam inſtruat, nec piget à Parthis, à quibus nondum pœnas repetiimus, aues petere: vndique conuehunt omnia nota faſtidienti gulæ.* Cùm gula patrias faſtidiat delicias ab vltimi maris profundo nouas adlaborat expiſcari cupedias, inquietat elementa, traiicit Maria, exhaurit locupletiſſima patrimonia, & quia nil eſt ſatis cupiditati, nunquam parcitur anxio labori. Samſon Philiſthinas amabat, & Hebræas fœminas pulcherrimas faſtidiebat. *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Quia extranea, etſi propudioſa libidinis victima deſiderium inflammauit Philiſthina, eximiæ pulchritudinis cum laudabili pudicitia coniunctæ, quia propria, non placuit Hebræa. Tranſi modo ad Aſſyrios, qui cum captam Iudith ad Holofernis tabernaculum ducerent: *Quis contemnat*, aiebant, *populum Hebræorum, qui tam decoras mulieres habent, vt non pro his meritò pugnare contrà eos debeamus.* Sic Hebræa placuit Aſſyriis, vt omne periculum teſtari ſint deſpiciendum, & omnem laborem dubij certaminis ſubeundum, ne adeò eximia Hebræarum pulchritudine, & rariſſima venuſtate priuentur: vnicam contuiti adſimiles cæteras ſibi repræſentabant, & cupiditatibus adulari credebant. *Dicebant alter ad alterum: Non eſt talis mulier in aſpectu ſuper terram, in pulchritudine, & in ſenſu verborum.* Aſſyriis præ ſuis Hebræa, Samſoni præ Hebræis placuit Philiſthina: non deerant Holofetni pulcherrimæ ac diſertiſſimæ puellæ: ipſe verò ad Hebræam inhiabat: eam ex alienigenis voluptatem ſibi promittebat Samſon, vt proſtitutam amaret, & ſcortum non abhorreret. *Amabat mulieres Philiſthinorum*, inquit Abulenſ. q. 2. *& non Hebræorum, & ideò, vt frueretur illis, deſcendebat in terram ipſarum.* Deglutiebat periculum, cæciſſimis tranſibat oculis probrum: ſingulares, raráſque ex Philiſthinarum amplexibus ſibi promittens delicias, & delicioſas ambiens fallacias.

(Seneca. — Vitiis non vſibus laboratur. — Seneca. — Iudith. 10. v. 18. — Abulenſ.)

Etſi Lycurgus omnes pudicitiæ corruptelas venuſtatiſque impoſturas de Republica exterminarit adinſtar miraculi tamen fuit Spartanos proprias vxores, non faſtidire, & adulteriis non pollui. Ita Plutarchus verbo Lycurgus in apophthegm. *Vnguentum ſicut olei corruptelam, & perniciem amouit, infecturam item vt ſenſus blanditias, omnibúſque pigmentariis aditum Sparta præcluſit, velut malis artibus veras adulterarent. Porrò tanta erat illis ſæculis matronarum caſtitas, tantúmque aberat ab ea, quæ poſt eſt inſecuta, earum licentia, vt adulterium fuerit apud eos incredibile.* Formæ lenocinia excluſit, vt pudicitiæ prouideret; verùm adhuc mirandum fuit Spartas in alienis vxoribus iucundiorem ſaporem non fingere, & elaboratam fallaciter voluptatem ſtudioſiſſimè non ardere. O tempora, ô mores! Incredibile erat apud Spartas adulterium, cùm modò plurima non eſſe adulteria ſit incredibile. 22.

(Adulterium apud Spartas videbatur incredibile.)

Paulus optimis moribus Corinthios expoliens mulieres caput præcepit obnubere, & faciem ad pudicitiæ laudem abſcondere: *Debet mulier poteſtatem habere ſuper caput propter Angelos.* Fœminis omnibus hoc præſcriptum datum miro ingenij acumine defendit Tertul. lib. de veland. virgin. fuerunt tamen plures qui mulierem nomine virum interpretarentur paſſas, & nuptas. *Ita mulieris nomen vſurpant*, inquit Tertul. cap. 5. *vt non putent competere illud niſi ei ſoli, quæ virum paſſa ſit.* Non minùs oportebat virgunculas, quàm nuptas interpoſito velamine venatici aſpectus arcere periculum, & virgineum virginitatis conſeruare decorum. Verùm ſi huius opinionis patronos roges, cur Apoſtolus ſpeciali cura præceperit maritatas velaminis ſcutum aduerſus procaciæ ictus, & adſultus oculorum aſſumere, fors reſpondebunt, ſic homines in vetitum niti, ſic peculiare neſcio quid ad irritandam voluptatem in alienis imaginari, vt oportuerit nuptas præ aliis decorem tegere, faciémque abſcondere: neſcias quid ſibi voluptuoſa fallacia promittat ex extraneis vetitiſque cùm non ignores omnes & vetita & extranea ſitire: præſcripſit ergo ex iſtorum opinione Apoſtolus velamen nuptis, vt maius prori- 23.

(1. Cor. 11. v. 10. — Tertul.)

tationis

Digitized by Google

tationis propulſaret periculum, & arceret detrimentum. *Mulieris nomen vſurpant, vt non putent competere illud, niſi ei ſoli, quæ virum paſſa ſit*: Sed ne huius erroris ad ſolas fœminas anguſtemus delirium, erga alias etiam res inſanire etiam videbit ardentiſſimum hominum deſiderium: quicquid peregrina & longiſſimè iacens regio tulit, habetur mille ſalibus ſaporatum; exiſtimes ſaporem non cibo; ſed à ſingularitate, & longiſſima promanare regione.

24. Prodigus ille paternæ domus mercenarios exundare panibus agnoſcens, ne vnquam fame premeretur; mercenarius fieri deſiderabat, cum ſiliquarum exundans copia, potiùs famem accenderet, quam ſedaret: Lucæ 15. vers. 6. *Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat: in ſe autem reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus; ego autem hic fame pereo. Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Componamus ſecum, ſi placet, prodigum, videamuſque cur ſibi promiſerit in paterna domo ſaturitatem, cùm in longinqua regione ingenti ſiliquarum copia nec explere potuerit deſiderium, nec cupiditatis ſaturauerit appetitum. Ad hæc; ſi panes candore nitent ſiliginei, ſi ſalubri ſapore conditi, cur non ameſcant, ventremque implere diſcupiant mercenarij: prodigus, vt illi panibus, exundare noſcitur ſiliquis; & nihilominus ſemper fameſcit, & cibum diſcupit. Iam ſi roges, vnde ſcit apud patrem fame non diuexandum, etſi pane vtatur, quandoquidem porcos agens fame vritur non de ſiliquarum inopia; ſed de cupiditatis inſania? Quia ſiliquæ reſpondebit Chryſologus Serm.2. porcorum erant alimenta, hominum panes: quia ſiliquæ diſtantiſſima regione ortæ: abiit enim in regionem longinquam: panes vero paterno ſolo formati: ergo ſe expertus credidit domeſticis cibis facilè famem ſatiandam, & extraneis innutriendam: panis longè præſtantius erat alimentum; ſed domeſticum, & proprium: ſiliquæ rude pabulum; ſed alienum & peregrinum: ergo qui famem fallaci ſiliquarum ſapore experiebatur accendi, domeſtico pane non dubitabat ſopiri: Chryſol. *Fames reuocat*, aiebat Chryſologus, Serm.2. *quem ſaturitas exularat*: Panes exatiatus faſtidiuit, ſiliquas nunquam faſtidiens deſiderauit; quaſi longæ extraneæque regionis fructus inexplebilem irritauerit cupidinem, propriæ verò domus ſalubre alimentum faſtidioſam attulerit ſatietatem: *Saturitas exularat*: non patiebatur famem pretioſis alitus, nec ſopire quibat famem extraneis & peregrinæ regionis fructibus innutritus. Videas non modicos prodigi imitatores diſcipuloſque. Domi habent longè præſtantiora, quàm ex aliena domo aut regione affectantur, & tamen illa faſtidioſi reſpuunt, & hæc anheli diſcupiunt.

25. Satis lepidè expendebat Seneca de conſolat. ad Heluiam cap.6 nonnullos ſteriles, & aſperas regiones lætis & feracibus omiſſis petere peregrinandi voluptate, & peregrinarum rerum admiratione: Seneca. *Omnes vrbes circui: nulla eſt vbi magnam partem peregrinæ multitudinis non inuenias: nunc tranſi ab iis, quarum amœna poſſeſſio, & opportunitas regionis plures allicit: deſerta loca, & aſperrimas inſulas ſciatum, & Seriphum, Gyarum, & Coſuram pete, nullum inuenies exilium, in quo non aliquis animi causâ moretur.* Adnectit: *Vſque eo ergo commutatio ipſa locorum grauis non eſt, vt hic quoque locus à patria quoſdam abduxerit.* Ea aliqui amant quæ extra amoris lineam videntur poſita, ea faſtidiunt, quæ deliciarum votum exuperantia. Rationem adducit Stoicus: *Mobilis enim, & inquieta mens homini data eſt: nunquam ſe tenet, ſpargitur, & cogitationes ſuas in omnia nota atque ignota dimittit: vaga & quietis impatiens, & nouitate rerum lætiſſima.* Nouitas pro pretio eſt: nam humanum ingenium non tam penſat qualitatem, quam nouitatem: cùmque extranea & longè poſita legeque prohibita inexpertis ſemper afferant nouitatem, pretioſis anteferuntur & viuidiùs exoptantur.

---

§. VII.

Sæpè triumphum attulit inimicus, & cladem inimicorum deſpectus.

PEriculoſum eſt, ſi detriumphatis hoſtibus tergens imprudentem nutrias audaciam, & 26.
ſalubrem manumiſeris: verius eſt euentus belli, & aliquando de genu pugnans victorem deuicit, & imprudenti detriumphatus eſt confidentia, qui hoſtili impetitus detriumpharat audaciâ. *Braſidas*, inquit Plutarchus in apophtheg. *captum in* Plutarch. *caricis murem morſus ab eo dimiſit. Tum ad aſſiſtentes ait: Nullum eſt adeò animal puſillum, quod ſi repellere ſuſtineat aggredientes, non valeat eſſe ſaluum. In prælio iaculo per clypeum vulneratus eodem ex vulnere recepto hoſtem interemit.* Dum nulla cautela contra murem ſe obarmauit, audaces dentes ſuſtinuit; at dum vulneratus dimicauit, ſtrenuè ab ipſo vulnere accepit, quo aduerſarium debellaret. Nullus in te acerbior militabit hoſtis quàm ſuperba confidentia, & imprudenter fidens audacia. Samſon detriumphatis hoſtibus Gazam petiuit, ibi tamen, ni matura ſaluti fuga conſuluiſſet, captus ab inimicis lugeret. *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, Ingreſſuſque eſt ad eam. Quod cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus.* Addit textus: *Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis, & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* Mira res, qui tot hoſtium copias maxilla pro armis vſus non ſolùm fudit; ſed attritas debellauit, modò terga vertit, & fugit. Certè ni illum cœleſtis gratia eripuiſſet reportatum de hoſtibus triumphum captiuitate obſcuraſſet. Iam ſi diſcriminis inquiras cauſam, reſpondebit Diuus Ambroſius ſæpè datus aduerſariorum ciuitatem intraſſe, vt qui eorum vires contemneret, & profligatos deſpiceret. Ambroſ. *Vbi decurſa ſerie bellum Paleſthinorum compoſuit, & ſuorum declinans ignauiam; & hoſtilem deſpiciens manum Gazam ſe ſe contulit: ea ciuitas erat in locis Paleſthinorum, & habitabat illic in diuerſorio.* Quia ſolus & illigatus in hoſtes irruens ferè innumeros deuicerat, incautè in diuerſorio degebat, eáque incautum vrſerunt pericula, vt, ni maturam arripuiſſet fugam, glorioſè partam ſine dubio obſcurarit victoriam: dum inimicos deſpexit, opus fuit fugere: dum cordatè timuit, inuentus eſt detriumphare: vt videas quantum diſcri-

men

Digitized by Google

men atulerit incauta ſuperbia, & quantos triumphos ſolicita pepererit vigilantia. *Quæretur*, inquit Abulenſis quæſt. 2. *cum Samſon eſſet hoſtis Philiſthinorum, quomodò audebat deſcendere in terram eorum, & introire in vrbes ſuas. Reſpondendum quòd Samſon incautè ſe expoſuit.* Superbè incautus, incautè ſuperbus contempſit hoſtes; ſed terga vertit: in fugam compulit inimicorum deſpectus, quem conferta hoſtium paulò antè fugerat manus.

Abulenſ.

27. Sennacherib armorum potentia inimicos ſubegit, quæ videbantur hominibus inacceſſa, victrice planta calcauit: ipſum audi: *In multitudine curruum meorū aſcendi excelſa montium, in ſummitate libani, & ſuccidi ſublimes cedros eius, & electas abietes illius, & ingreſſus ſum vſque ad terminos eius, & ſaltum carmeli eius ego ſuccidi, & bibi aquas alienas, & ſiccaui veſtigiis pedum meorum omnes aquas clauſas.* Fluuios hauriebat militum copia, non reſiſtebant audaciæ fortalitia montium ſublimitate conſtructa: quiſquis reſtitit eius triumphis militauit: hic, cuius lauris non ſufficiebant tempora, miseranda corruit ruinâ: *Ponam itaque*, minatur Dominus, *circulum in naribus tuis, & chamum in labiis tuis, & reducam te in viam, per quam veniſti.* Innumeris ſtipatus anteà militibus, præcipitem ſolus arripuit fugam, & conceſſit Iſraëlitis victoriam. Quid fuerit in causâ, textus dulcidè demonſtrauit, Iſraëlitarum videlicet copias deſpexiſſe, & deſpectu arrogantiſſimo ſubſanaſſe: ante certamen præſumebat ſolùm timore vincendas, non expectaturas iactabat impetum, imò nec laturas aſpectum: verùm qui inimicos ſubſannabat, & irridebat, qui de futuris vti iam habitis triumphis inſolenter intumuit, fugâ tumoris pœnas perſoluit: *Spreuit te, & ſubſannauit te virgo filia Sion, poſt tergum tuum caput mouit filia Ieruſalem.* Inglorium ducebat de Ieroſolymitanis triumphum ac ſi de fœminis reportatum, non de bellicoſis viris acceptum: ergo ſe in fugam dedit, qui hoſtes ante congreſſum tumidiſſimus ſubſannauit: *Reducam te in viam, per quam veniſti.* Quare? Audi Lyram Dei nomine reſpondentem, & Iſraëlitas ſolantem: *Spreuit te in animo ſuo, virtutem tuam nullam reputando, & ſubſannauit te ſenſibili ſigno: ſubſannatio enim propriè dicitur contemptus cum ſigno ſenſibili.* Non vides quantam Sennacherib attulerit cladem inimicus deſpectus, cum & tot triumphos non deſpectus pepererit aduerſarius: montium ſubegit aſperrima, calcauit inuia, ceſſerunt cedri, conticuerunt abietes, quia dum ſolicitè arma contra inimicos diſpoſuit, triumphos obtinuit; vbi verò aduerſarios reputauit fœminas, vbi ſpreuit vti delicatas virgines, protſuſque imbelles, pro triumpho fuit indecora fuga, & ingens attritis copiis miſeria: *Spreuit te in animo ſuo, virtutem tuam nullam reputando.* Cladem non tam attulit inimicus, quàm inimici contemptus. O quoties dum arrogantia ſtrenuè militare deprætiat, inimico fortunam parat: præualet namque ſolertia propria, & ſuperbia etiam aliena: ſubſidio inimicis fuit ab aduerſariis contemni, & ante congreſſum victos iam exiſtimari.

4.Reg.19. v.23.

Lyra.

28. Etſi Philiſthini ſtationis præminentia, & armorum copia longè Iſraëlitis præſtarent, Ionathas non minùs virtute pollens, quàm ardore inuentutis feruescens in hoſtium caſtra irrumpere aggreditur: plus ſtudium videbatur vergere ad deſperatam temeritatem, quàm ad militaris laudis fortitudinem: ergo præter omnium ſpem, & conſilia patris armigero aſſociatus per abruptiſſimos petrarum ſcopulos reptat, hoſtes contuiti proreptantem irriſoriè prouocarunt, & aſcendere ſubſannantes conſuluerunt: *Apparuit igitur vterque ſtationi Philiſthinorum, dixeruntque Philiſthiim: En Hebræi egrediuntur de cauernis, in quibus abſconditi fuerant, & locuti ſunt viri de ſtatione ad Ionatham, & ad armigerum eius: dixeruntque: Aſcendite ad nos, & oſtendemus vobis rem.* Ionathas vbi contemptus audit inſolentiam, ardet pugnam, quia in dubiam credit victoriam: *Et ait Ionathas ad armigerum ſuum: Aſcendamus, ſequere me: tradidit enim Dominus eos in manus Iſraël*: nec eum ſua fefellit opinio: ceſſerunt namque innumeri paucis, armati inermibus: *Alij cadebant ante Ionatham, alios armiger eius interficiebat ſequens eum.* Componamus, ſi placet, hunc euentum cum 4. capite relato: Adducta ab Iſraëlitis in campum Arca ſic eius aduentu obturbati ſunt Philiſthini, vt ſe miſeros doluerint, verùm ipſo ad arma timere laceſſiti vires exeruerunt, & ad acriter dimicandum mutuis cohortationibus inflammarunt: *Confortamini, & eſtote viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis: confortamini & bellate.* Temerarius videbatur auſus, niſi inautaſſet euentus: *Pugnauerunt ergo Philiſthiim, & cæſus eſt Iſraël.* Vides alibi Philiſthinos de Iſraëlitarum copiis triumphantes, & alibi Ionathæ cedentes: ſi grandi adeò plaga Iſraëlitas attriuerunt, vt triginta millia peditum fuerint deſiderata: *Ceciderunt de Iſraël triginta millia peditum*: ſi in conſertos adeo hoſtium cuneos irruere non timuit audax valētia, quomodo à duobus militibus Philiſthinorum delentur caſtra? Fallar, ni alibi Philiſthinis vigilans attulerit ſolicitudo victoriam aiebat namque *Confortamini & bellate*: & alibi inimicorum deſpectus non adduxerit ignominiam. Accipe Lyram: *Aſcendite ad nos: irriſoriè loquebantur: quia videbant Ionatham, & armigerum eius euntes hinc & inde ad quærendum tranſitum, & Philiſthæi loquebantur eis ac ſi quærerent rem perditam*: Cùm Philiſthini petris ac in modum dentium hinc indéque præruptis cingerentur ſcopulis nullum hoſtibus poſſibilem exiſtimabant acceſſum: ergo irriſoriè prouocabant, prouocandóque deſpiciebant: tulerunt verò à paucis dignum inſolentis confidentiæ ſupplicium, qui de tot millibus reportarant olim trophæum; dum ſe adhortantur ad pugnam, dum nihil omittunt ex iis, quæ militia conſulit & prudentia ſuadet: triginta millia ſubiugarunt, at dum exiguum hoſtium numerum paruipendunt fuſi arripiunt fugam, & deriſi experiuntur hoſtis valentiam: *Aſcendite ad nos: irriſoriè loquebantur*: aſcenderunt irriſi, & verterunt terga ſuperbi. Hebræus, dum non deſpectus à Philiſthinis ingentem illis victoriæ conceſſit gloriam, dum contemptus irreparabilem attulit ſecuris ruinam: aduerſarius quiuis omni ſolertia & vigilantia eſt cauendus, ne ſi arrogantia oſcitanter militarit, ignominioſè corruerit: ſæpè namque ſuperbiens accepto triumpho deuicti anteà hoſtis militauit trophæo.

1.Reg.14. v.11.

1.Reg.14. v.9.

Lyra.

Digitized by Google

§. VIII.

Homines in obſcæni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe periculum.

29. IVuenibus pro fortitudine temeritas eſt: à fortitudine mutuantur audaciam, eam verò adulterant leges veræ fortitudinis non ſeruantes; ſed inſani amoris furoribus inſeruientes. *Fortitudo*, Seneca. aiebat Seneca epiſt. 88. *contemptrix timendorum eſt: terribilia & ſub iugum libertatem noſtram mittentia deſpicit, prouocat, frangit.* Fortitudo nulla neceſſitate ad vitio inſeruiendum cogitur, nullo præmio corrumpitur, ſupplicio nullo deterretur: vratur quamuis, iuri ac rationi non cedet? ſed quò acrior dolor, & animus in campum prodit robuſtior. Hoc ergo fortitudinis ingenium mutata cauſa imitatur, vt dicebam, iuuenilis ardor, vtque pulchellarum amorem ſibi conciliarit, per hoſtiles enſes, & mucrones exoculatus diſcurret. Audi Phædram inſano amore Hippolytum diligentem:

Seneca.

Non me, per altas ire ſi iubeat niues,
Pigeat gelatis ingredi Pindi iugis:
Non ſi per ignes ire, & infeſta agmina,
Cunctet paratis enſibus pectus dare.

Mirè depinxit Cordubenſis Poëta tragœdia 4. inſanientis amoris nihil non deſpicientem audaciam, imò in affectionis argumentum pericula prouocantem, & ipſis terroribus viuidiùs inardeſcentem. Profligarat Samſon Philiſthinorum acies, ingenti clade quam plures viros proſtrarat, & quamuis non dubitaret ſibi hoſtes ex ſe infenſiſſimos, & acceptis plagis acriùs irritatos nihil non in eius perniciem molituros, in Gazam ciuitatem ſe contulit, vtque mulieris frueretur amplexibus, & vacaret libidinibus, deſpexit pericula, & hoſtilia contempſit iacula: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Inter copioſas hoſtium manus ſe coniecit, fors vt fœminæ amorem de Abulenſ. temeritatis audacia viuidiùs inflammaret, ſibique alliceret. Notauit Abulenſis quæſt. 2. *Quæretur cùm Samſon eſſet hoſtis Philiſthinorum, quomodò audebat deſcendere in terram eorum, & introire in vrbes ſuas? Reſpondendum quòd Samſon incautè ſe expoſuit, & tamen erat iuuenis, & Ambroſ. amor iuuenilis eum ferebat.* Conſonat Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. *Suorum declinans ignauiam, & hoſtilem deſpiciens manum, Gazam ſeſe contulit: ea ciuitas erat in locis Paleſtinorum, & habitabat illic in diuerſorio.* Ne puellæ priuaretur aſpectu, ingenti ſe periculo expoſuit, & quidem ſublatus ſit, ni opportuna fuga inſidias eluſerit, & graui onere humeros defatigarit.

30. Iſraëlitæ Moabiticis commixti fœminis meritas, grauiſſimaſque violatæ legis pœnas ſoluebant: cœleſti decreto cuncti Principes patibulis addicebantur, Beelphegor initiati pia ferri Num. 25. v. 4. ſæuitia trucidabantur: *Iratus Dominus ait ad Moyſem: Tolle cunctos Principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, & auertatur furor meus ab Iſraël, dixitque Moyſes ad Iudices Iſraël: Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.* Sententia contra potentiam lata, infamis mors terrorem terrore ingeminabat, & vel adamantinum animum percellebat; verum cùm totus populus luctu digniſſimo fœdaretur, cùm mors omnia depaſceret, reſipiſcentiamque vel inuitos edoceret, iuuenis morte contemptâ, tam dura ſceleris non ignorata vindicta ſic inſaniuit, vt per ipſa diſcrimina inuolarit, amoremque erga puellam Madianitidem commendare geſtiuerit: *Et ecce vnus de filiis Iſraël intrauit coram fratribus ſuis ad ſcortum Madianitidem vidente Moyſe, & omni turba filiorum Iſraël, qui flebant ante fores tabernaculi.* Ni retuliſſet textus, incredibile videretur in tantam iuuenem proruptorum audaciam, vt nec ſuppliciis deterreretur infamibus, nec pudicis totius populi frænaretur aſpectibus; verùm nullus inſaniæ modus: ab ipſa temeritate quæſiuit gloriam, & audaciæ temeritatiſque terminos ſupergreſſus impuram oſtentare Oleaſt. niſus eſt flammam. Opportunè Oleaſter hìc ad morum compoſitionem. *Diſce quàm ſit fera libido, quod eo tempore peccata admittat, quo viderit ea in aliis caſtigari, & qui flagellis aliorum debuerat cohiberi, is vice verſa audacior ſit.* Amoris, & quidem fœditatis vitam dicauit, auctoritatem contempſit, formidinem depulit, infamiam temeritate deuicit. Et quidem vt omnia ad noſtram eruditionem ſcripta ſunt, in huius iuuenis audaciſſima procacitate quid plurimis accidat, Scriptura clariſſimè demonſtrauit: inuolantes adſpiciunt enſes, ingentibus ſe periculis cinctos non ignorant, cumque debuiſſent prudenter referre pedem, audaciùs inſanum proſequuntur amorem, caram de contempta morte gratiam exambientes, & vitæ diſpendio delicias ſpurciſſimas procurantes.

Exploratores à Ioſuë miſſi Rahabæ ingrediuntur domum: illa benignè ſuſceptos pauit, & à 31. circitorum ſolerti inquiſitione non ſine cautela eripuit: per funem demiſit ſalute pro mercede promiſſa, & libertate compenſanda: *Dimiſit eos per funem de feneſtra: domus enim* Ioſuë 2. v. 15. *eius hærebat muro.* Interpres funem amaſiis pro ſcala fuiſſe teſtantur: itaque qui Rahab amore ſauciati, vt eius fruerentur amplexibus, per funem reptantes aſcendebant excubias militum deſpicientes, & de ipſo mortis contemptu gloriantes, ſtationarij, qui in muris vigilias contra inimicos agebant, per murum media nocte reptantem conſpicati occidere, aut deturbare ſaltem conarentur, imò etſi excubiæ dormitarent, ipſa per funem proreptatio ingentis erat diſcriminis & laboris, eâ verò amaſij phreneſi tenebantur, vt vitæ diſpendio, vt ſalutis periculo voluptatis agerent cauſam, & impenſi amoris oſtenderent de periculo vehementiam. *Dicunt*, ſcribit Lyra, *quod ſolita fuerat per funem illam recipere fornicarios, & emittere.* Lyra. Quàm anxiis manibus per funem inſcendebant, vt exigua voluptate fruerentur, quàm erat opus murorum excubias aut ingenti pretio corrumpere, aut emittendis iaculis ſubiacere; & tamen ne tam fugaci fraudarentur voluptate deſpiciebant aurum, & vitæ aſpernabantur periculum. Non ſemel dum per

Digitized by Google

per feneſtras intempeſtæ noctis ſilentio aſcendere tentauit amaſius, miſera ruina fractis ceruicibus iacuit, & inopinam mortem ſubiuit: Aſcendit mors per feneſtras noſtras, aiebat propheta, quod ſi huic cauſæ fas ſit adaptare, non incongruè mortem aſcendere dixit: quia non ſemel qui audacter inſcendebat per feneſtras, vt caris poriretur deliciis deturbatus iacuit, & præcipitatus ruit: & nihilominus nihil non tentat inſanus amor, nihil non deſpicit furor: ſi debilis funis rumpatur, periclitabitur vita, vt etiam, ſi detruſerit, inuolantem cupiditatem violentia, & nihilominus per funem aſcenditur, & ingeniti diſcrimine protepatur: *Dicunt quod ſolita fuerat per funem illum recipere fornicarios & emittere.*

32. Hanc inſaniam à parente ad filios defluxiſſe, & quaſi hæreditario iure cenſeas cum origine promanaſſe: Eua mortis contempſit timorem in ambitionis obſequium. Adamus quod non ignorabat, in amoris oſtentationem deſpexit periculum. Ecquis hoc ait? Gentium Apoſtolus: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Mulier ambitionis obturbata delirio ſerpenti credidit, & neſcio quam diuinitatis vmbram de præcepti tranſgreſſione exambiuit: ſic diſcrimen omne cibo depellendum arbitrata eſt, vt cæco imprudentique ambitu de morte vitam rapere feſtinarit, & ſe dum infelicitatem aſciſcit, feliciſſimam crediderit. Adam verò non ſic prudentia priuatus eſt, vt venenati pomi innoxium crediderit eſum, aut impunitum delictum: *Adam non eſt ſeductus.* Quod ſi quæras quomodò oblatum à fœmina pomum non recuſarit; ſed auida manu exceperit: reſpondebunt interpretes voluiſſe dilectionem ſuam erga Euam de ipſo mortis contemptu exaggeraſſe, & de ipſa inſana audacia extuliſſe: *Credendum eſt*, inquit Anſelmus hic, *illum virum ſuæ fœminæ ad Dei legem tranſgrediendam non tamquam verum loquēti credidiſſe ſeductum; ſed ſociali neceſſitudine paruiſſe: mulier enim quod ei ſerpens locutus erat, tamquam verum eſſet, accepit; ille autem ab vnico noluit conſortio dirimi, nec in communione peccati.* Adnectit. *Nec ideò minus reus, ſi ſciens, prudénſque peccauit: noluit enim coniugem contriſtare, quàm credebat poſſe ſine ſuo ſolatio contabeſcere, ſi ab eius alienaretur animo.* Exiſtimauit Adamus amorem ſuum erga Euam ore ſuſpectum, ni periculum proculcaſſet, & auido ore ipſam mortem ebibiſſet: ergo ne quid detraheret amori, maluit detraxiſſe ſaluti, vtque micantior amoris eluceret flamma, ingentiſſima animæ & corporis aggreſſus eſt deuorare pericula, vt videas quàm verum ſit in amoris erga pulchellas oſtentationem non ſolùm viros prudentiæ limites tranſilire; ſed vltra ipſam temeritatem audere.

1. ad Timoth. 2. v. 14.

Anſelm.

§. IX.

Fœminæ ſuperbiunt, ſeque iactant, ſi magnatibus proſtitutæ, & à potentibus adamatæ.

33. FOeminis innata eſt tumida ſuperbia, & ſuperbiens petulantia: de placendi ſtudio formam adulterant, vtque ob venuſtatem conſequantur euanidum plauſum, nullum detrectabunt delictum: mirandum non eſt adulteria non reſpuere, quæ de formæ adulterio aggreſſæ ſunt hominibus complacere. Inter raras, & decantandas ſæculo recenſuit Stoicus Heluiam, vtpotè quàm nec gemmarum inflammarit cupiditas nec lætioris ornatus cara obcæcarit vanitas. Ipſum audi lib. de conſolat. ad Heluiam cap. 16. *Non te maximum ſæculi malum impudicitia in numerum plurium adduxit, non gemmæ te, non margaritæ flexerunt; non tibi diuitiæ velut maximum generis humani bonum refulſerunt: non te benè in antiqua & ſeuera inſtitutam domo perículoſa etiam probis peiorum detorſit imitatio: nunquam te fœcunditatis tuæ, quaſi exprobraret ætatem, puduit: nunquam more aliarum, quibus omnis commendatio ex forma petitur, tumeſcentem vterum abſcondiſti quaſi indecens onus, nec intra viſcera tua conceptas ſpes liberorum eliſiſti: non faciem lenociniis ac coloribus polluiſti: nunquam tibi placuit veſtis, quæ nil amplius, quam nudam componeret: vnicum tibi ornamentum pulcherrima, & nulli obnoxia ætati forma, & maximum decus viſa eſt pudicitia.* Adnectit: *Non potes itaque muliebre nomen prætendere ex quo te virtutes tuæ ſeduxerunt.* Adeò fœminis commune eſt placendi deſiderium, adeò inuiſceratum plauſus ſtudium, vt naturam quodammodò exuerit Heluia his peſtibus intacta, & his faſcinis incorrupta: ſolemne fœminis eſt ab ipſa infamia laudes ambire; & ab ipſa impudicitia præconium pulchritudinis mutuari, quaſi cæteras forma præcellat à plurimis ſollicitata & ad libidinem exambita; verùm pulchellas tunc extra ſe agit vanitas, cùm magnates ſibi deuinciunt, & nobiliſſimos attrahunt: proſtitutionis affectabunt notam, vt lucrentur pulchritudinis famam: gloriam ducunt Principibus proſtitui, & pudicitiæ iacturam facere. Gazam ingreditur Samſon, & à muliere lubenter admittitur: *Vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſúſque eſt ad eam.* Deſiderium non diſtulit mulier, nec votum vſque ad pactionem ſuſpendit; ſed libenter annuit, ſeque alienigenæ conceſſit: nec mirum: erat namque Samſon Iſraëlitarum Princeps, & præ aliis robore excellens: ergo ſe fortunatiſſimam credidit à tanto viro electa, & præ aliis plurimis adamata.

Seneca.

Caini poſteri, vt inirent connubia, pulchellas ſibi fœminas delegerunt, quæ ipſis nuptiarum exordiis ac gaudiis à Principibus, magnatibúſque tentatæ nullatenus reſtiterunt; ſed ſe proſtitutione fœdarunt: *Videntes filij Dei filias hominum quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Huius loci ſic ordinanda eſt conſtructio, videlicet Dei filios filias hominum, quas ipſi homines vxores ſibi delegerant, turpitudinis egreſſu defœdaſſe, ſibique quas delegerant alij, in vxores accepiſſe. Quòd ſi inquiras cur fœminæ nuper à viris in matrimonium aſſumptæ, & decenti cultu exornatæ Dei filios admiſerint, reſpondebit Abulenſis per Dei filios intelligi filios Principum, ac Magnatum: ergo dum à magnatibus expetuntur, execrabilium egreſſu fœdantur, & ſibi de infamia plaudentes, & de adulterorum magnitudine, & ſplendore adulantes proſtituuntur: *Acceperunt ex omnibus, quas elegerant:* Illud verbum *accipere*, facilitatem denotat: vt noueris opus non fuiſſe prolixis precibus, 34.

Geneſ. 6. v. 2.

Abulenſ. nec muneribus pretioſis: *Aliqui volunt quòd vocantur hic filij Dei homines filij iudicum vel potentum.* Adnectit: *Dicunt enim quòd iſti filij Dei, id eſt filij Iudicum vel potentum videntes filias ſubditorum pulchrè ornatas, quando viris ſuis in nuptiis tradebantur, antequam cognoſcerent eas carnaliter viri ſui, ipſi cognoſcebant eas.* Nulla reſtitiſſe refertur, quia fortè à magnatibus experti ſingularem putabant gloriam, & proſtitui potentibus excellentiam: ſi de media plebe homines adulteria tentaſſent, vtpote recenti maritorum amore poſſeſſæ fors plurimæ renuiſſent; at dum à nobilitate claris, à dignitate expetuntur præcipuis, geſtiunt annuere; imò & fortunam iactare.

35. Muliebris ingenij non inſcius dæmon dum captioſos eximiæ pudicitiæ prætendit laqueos, magnates & præcelſos dignitatibus in ſceleris conſortium aſciſcit, ratus vel adamantinam conſtantiam atere magnitudinis ſubruendam, & pudicitiam labefactandam. Hinc videbis cur Suſannam fœminarum decus, & caſtitatis elogium non à quibuſuis tentari; ſed à magnatibus, iudicibuſque molitus fuerit ad iniuriam caſtitatis impelli: *Cùm egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt. Ecce oſtia pomarij clauſa ſunt, & nemo nos videt, &* Daniel. 13. v. 19. *nos in concupiſcentia tui ſumus: quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum.* Profectò inſanire videntur, dum anteà nec muneribus alliciunt, nec plauſibus debilitant, nec exaggerato erga eum amore gratiam promereri pertentant. Verùm quia populi iudices, & præ aliis clari, facilè ſibi perſuaſerunt nullatenus reſtituram; ſed lubenter proſtituendam. Et quidem Suſanna pudicitiam ſuam auguſtiùs cumulauit, dum non Cyprian. ſolùm reſtitit appetitui; ſed faſtui. Adeſt Cyprianus lib. de bono pudicitiæ: *Inter duos libidinis ſcopulos auxilium de Domino petebat: quia viribus corporis repugnare non valebat, bis victrix.* Vt ſcapha grandius periculum ſubit, dum non ſolum acri ventorum pulſu agitatur; ſed etiam ſcopuloſas ſyrtes incurrit: quia tunc gemino aduerſario reſiſtendum, & cum vno & altero deprælandum: ſic fœminam, ſi à magnatibus ſolicitetur, mirum erit naufragium pudicitiæ non pati, & inter eminentes ſcopulos non elidi. *Bis victrix* Suſanna dum non ſolum reſtitit libidini; ſed poteſtati. Iudices, Magnateſque iure vocantur à Cypriano caſtitatis ſcopuli, vt per quos & nauigatio difficilior, & illiſio certior.

36. Cùm Iudith nobilis illa fœmina ſub lætiori habitu religioſam gereret mentem, & concepta fiducia Dei gloriam, & populi libertatem ambiad alienigenarum caſtra peruenit: mirabantur barbari raram cum eximia decoris gratia modeſtiam: cumque Holofernes eam de hoſtibus prædam appetitui iucundiſſimam ſibi deligeret, nuntium miſit, qui conſentire ſuaderet. O quot ſunt magnatibus vitiorum proxenetæ! O quot eorum inſanis adulantur deſideriis, varias occaſiones architectari peccatis: *Tunc introiuit Vagao ad Iudith & dixit: Non vereatur bona puella introire ad Dominum meum, vt* Iudith. 12. v. 12. *honorificetur ante faciem eius, vt manducet cum eo, & bibat vinum in iucunditate.* Ad illecebras carniſque delicias incitans, vt notauit Hugo. Hugo: *Quæ Vagao hortatur, ad illicitas voluptates pertinent*: honorem appellauit: *Vt honorificetur ante faciem eius*: & quidem ſi aſſentiret, non erat honorificanda; ſed humilianda. Honorem verò appellauit Vagao libidinibus vacare, & voluptatibus pollui, de ſæculi vſu verba, exhortationemque mutuatus: nam fœminæ in vanitatis officina, ſi Principibus magnatibuſque aſſentiant, de ipſa infamia honorem ſibi videntur procudere, & eo maiorem aſciſcere plauſum, quò excellentiori obſcœnum exhibuerint obſequium: vt carioſa, & fœda ligna, ſi aliqua ſpecioſa auri obtegantur cruſta, oculis imponunt, & videntur precioſa, quæ reuera intus ſunt fœda: ita ſcortationes cum magnatibus de eorum ſplendore arbitrantur mulierculæ ſpecioſè tegi, & vſque ad ſuperbiam obduci. Honorandam ait Vagao Iudith, ſi Holoferni conſenſerit, & inſanis appetitionibus inſeruierit. Et vtinam hæc erroris amentia intra barbarorum terminos ſe continuiſſet; verùm ſic inuaſit ſæculum, ſic fœminarum peruertit animos, ſic enutriuit delirium, vt cùm magnatibus ſcortari non exiſtimarint infamiam; ſed gloriam: ſe iactant nec probrum ſuum patiuntur latere; ſed vti elogium pulchritudinis, vti indicium excellentiæ geſtiunt prodere, & publicare. De ſpeciali honore felicitateque ſibi gratulantur, ſi magnis viris placuerint, ſi dignitatem luminibus conſpicuos ad voluptatis commercium traxerint. Ergo Samſon vti Princeps & longè præ aliis excellens ſine vlla difficultate aſſecutus eſt votum, quia mulier ipſa ei inſeruire, gloriæ felicitatiſque arbitrantur augmentum.

Nathan Dauidis culpam ænigmatis coloribus depingens, vt raptam vxorem reprehendat, ouem tuliſſe ait de ſinu Domini: *Cùm peregrinus quidam veniſſet ad diuitem, parcens ille ſumere de ouibus, & de bobus ſuis, vt exhiberet conuiuium peregrino illi, qui venerat ad ſe, tulit ouem viri pauperis, & preparauit cibos homini, qui venerat ad ſe.* Vides Berſabee ſub ouis deſcriptam emblemate, quod myſterio inſeruire non dubium: nam vt ouis facillimè ducitur, nulloque tenixu paret, ita Berſabee, vt inſeruiret diuiti, vt morem gereret regi, nec balatum emiſit, nec balatum emiſit, nec vllam repugnantiam oſtendit: *Miſſis Dauid nuntiis tulit eam, quæ cùm ingreſſa eſſet ad illum, dormiuit cum ea.* Non retulit Scriptura mulierem ſe maritalibus vinculis obieciſſe impeditam, non retulit piaculo refragatam; quia à rege tentata, vt ouis paruit, & ſine vllo renixu cupiditati inſeruiuit: *Fecit illam vocari*, inquit Abulenſis quæſt. 6. non violenter adducit, non minis compulit; ſed deſiderium expoſuit, ſatiſque fuit, vt ſe in aulam contulerit, & fortunatiſſimam æſtimauerit. 37.

1. Reg. 11. v. 4.

1. Reg. 11. v. 4.

Abulenſ.

---

§. X.

Sic omnia luxuria infecit, vt omnes pudoris terminos tranſiluerit.

IN peius ruunt omnia, anguſto alueo olim excurrebant vitia, ſed ſupergreſſa iam oras, & limitibus diſruptis ſe longiùs diffundunt, & fœdis omnia vorticibus circumuoluunt: adibant olim aliquando homines ſcorta; ſed noctis expectabant patrocinium, vt gererent voluptatis negotium; 38.

tium;

tium ; iam nullus, aut certè exiguus eſt pudor ; imò ille de adulterio gloriatur, ad quod ipſa difficultate irritatus eſt : ille ſtuprum iactat, & conſpici, non latere deſiderat. Pudorem ſceleris abſtulit multitudo peccantium, & quodammodò eſſe probro deſinit, quia in omnibus vitium floret. Audi Senecam lib. 3. de Benef. cap. 16. *Numquid iam vlla repudio erubeſcit, poſtquam illuſtres quadam ac nobiles fœminæ non conſulum numero, ſed maritorum annos ſuos computant, & exeunt matrimonij cauſa, nubunt repudij. Tamdiu iſtud timebatur, quamdiu rarum erat : quia verò nulla ſine diuortio acta ſunt, quod ſæpè audiebant, facere didicerunt.* Nuptæ maritos faſtidiunt, ſuſpirant amaſios, pulchritudinis quærentes teſtimonium de adulteriorum incremento : impudicitia latiùs euagata eſt : quia quo ſæuabatur, euanuit pudor. Audi Stoicum : *Numquid iam vllus adulterij pudor eſt, poſtquam eo ventum eſt, vt nulla virum habeat, niſi vt adulterum irritet? Argumentum eſt deformitatis pudicitia, quam inueniet tam miſeram, tam ſordidam, vt illi ſatis ſit vnum adulterorum par ; niſi ſingulis diuiſit horas, & non ſufficit dies omnibus ; niſi ad alium geſta eſt, apud alium manſit.* Formæ commendatio petitur à mœchorum numero, à turpitudinis prætio : tantum alias putant fœminæ plauſu excedere, quantum adulteriis conſtiterit vincere. Huc voco Tertullianum lib. 1. ad vxor. cap. 4. *Carnis concupiſcentia ætatis officia defendit, decoris meſſem requirit, gaudet de contumelia ſua.* Pro ſtolida habetur, quæ coniugij fidem non adulterat ; ſed iniuriatam conſeruat. Non inficiabor plurimas florere matronas omni caſtitate exornatas, & inuiolata matrimonij fide pudicas, vt nullus etiam negabit eſſe corruptiſſimos mores, amplificatam licentiam, faſtu, & deliciis innutritam. In Gaza ad meretricem propudioſam libidinis victimam non veretur Samſon dignitate Princeps, triumphis nobilis, auctoritate conſpicuus ingredi, & per omnium ora eius ingreſſum ſonare : *Vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam : quod cùm adiiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon circumdederunt eum.* Pudor conſulebat meretricem deuitare, aut ſaltem oculos fugere ; verùm Samſon deſpexit notam, vt libidinis ageret cauſam. Abulenſis q. 2. loco illius clauſulæ : *Quod cùm audiſſent Philiſthiim*, legit : *Quod cùm vidiſſent Philiſthini*, & addit : *ſcilicet viderunt quod ingreſſus fuerat Samſon in domum mulieris meretricis.* Oculos non eſt veritus, quia inſana luxuria pudorem omnem exterminarat, & ingenitam verecundiam quodammodo expunxerat : *Viderunt quod ingreſſus fuerat.*

Seneca. — Iam nullus adulterij pudor. — Tertull. — Abulenſ.

39. Expendebat Tertull. lib. 1. ad vxorem cap. 1. ſic luxuriam verecundiæ, audaciæque terminos ſupergreſſam, vt ſatis non ſit perfricta fronte carnis negotia tractare ; ſed virtutis etiam plauſum ambire : nam cùm diluuij tempore ſalacitas comeſſationibus, & impudicitiis improuida & exoculata vacaret, honeſto nuptiarum nomine turpitudinem tegebat : *Sicut erant in diebus Noë ante diluuium comedentes & bibentes, nubentes, & nuptui tradentes vſque ad eum diem, quo intrauit Noë in Arcam, & non cognouerunt, donec venit diluuium, & tulit omnes : ita erit & aduentus filij hominis.* Non ſolùm legitima coniugia ; ſed nefanda carnis negotia nuptiarum nomine comprehendi teſtatur Septimius, quaſi eâ licentia libidinis propudioſiſſimæ auderet delirium, vt poſſet non timere oculos legitimum matrimonium : *Illic non vtique nuptias & mercimonia ſolummodò agebant ; ſed cùm dicit, Nubebant, & emebant inſigniora ipſa carnis & ſæculi vitia definit, quæ à diuinis diſciplinis plurimum auocent : alterum per laſciuiendi voluptatem, alterum per acquirendi voluntatem.* Voluptas honeſtatis induebat laruam, vt ipſi illuderet honeſtati : non iam impudica carnis commercia tenebrarum exambiebant patrocinium ; ſed ad inſaniæ plauſum frequentatum ſolicitabant theatrum : vt honeſtum connubium non detrectat notitiam, ſic impudicitia notitiam non verebatur connubij honorem ſuffurata, & omni rubore exuta.

Matth. 24. v. 38. — Tertul.

Oſeas apta huic theſi metaphora explicuit quàm omnes terminos ſupergreſſa fuerit procacia: 40.
Maledictum & mendacium, inquit, *& homicidium, & furtum, & adulterium inundauerunt.* Vti fluuius adiacentes agros inundat, dum ruptis carceribus liberè diuagatur, & limites ſupergreſſus latè diffunditur, vt violenta ac præcipiti omnia inundatione confundit, fundamentáque ædificiorum mutare cogit, & homines vndis obſeſſos premit, ſic adulteria impetuoſi fluminis more omnia confuſis vorticibus defœdarunt, & omnes modeſtiæ limites tranſiluerunt : *Signanter dicit inundauerunt*, ſcribit Stephanus in allegor. Tilmani, *vt notet peccatorum abundantiam : tunc fluuius inundare dicitur, cùm aluei ſui ripas excedit, & vicina loca occupat : ſimiliter cùm peccatum publice perpetratur, & alios corrumpit, tunc dicitur inundare.* Inundauerat libido pudoris carcerem ſupergreſſa, & fœda alluuione omnia inquinare molita. Non recuſant iam fœminæ violatæ pudicitiæ argumenta, non refugiunt indicia ; imò externo habitu publicant quod perſpicax ignorabat curioſitas, & quod deprehendere nequiuerat inoculata malignitas. Expendebat Tertullianus libro de coronâ militis cap. 12. Veneri Æneæ matri myrtum dicatam vti amiculæ Martis, ipſumque Martem appellitari Romanum, vt qui ex concubitu cum Ilia ſuſceperit Romulos. Itaque Venus myrto coronata Martis ſe iactabat pellicem, Mars ipſo cognomine vti gloriam cum Ilia concubitus præferebat infamiam : *Veneris myrtum matris Æneæ, non laurum, etiam amicula Martis, per Iliam & Romulos Romani.* De flagitio Mars eſt lucratus cognomen, & Venus coronam de pellicatu : ſuum paſſa non eſt ignorari probrum ; ſed ad conteſtationem intexuit capiti ſertum. Iam videas fœminas ipſa habitus deformitate, & ignominioſa ornatus gloria ſcortationem vulgantes, & quæ ſecretum exigebant, inuerecundè prodeuntes.

Oſee 4. v. 2. — Stephan. — Scandalum inundatio quædam eſt. — Tertul.

Querebatur Tertullianus libro de pudicitia cap. 1. aduersùs impudicitiam iura exarmata, euigorata ſupplicia, deprauata ingenia, quaſi turpitudo, libidóque ſibi de conſuetudine legem fecerit, & de generalitate præſcripſerit : vnde quæ ſemel impudica, laudari potuit vt caſta : ita ſæcula corrupti infecerunt mores, ita omnem pudicitiæ florem concremauere libidines. Thamar meretricis adſumpto habitu vianti Iudæ obiicitur, ille occaſionem rapuit : non defuerunt qui apud Tribus Principé de fornicatione fœminam appellarent : illa non renuit, ſed prolatis inſignibus ſemel viro, cuius erant paruiſſe aſſeruit : *De viro, cuius hæc ſunt, concepi.* Quid tunc ? Iuſta pronunciatur, & pudica cenſetur : *Iuſtior me eſt.* Non diſ- 41.

Geneſ. 38. v. 25.

puto modò de arcano Thamaris facto, expendo tamen hiſtoria ſolùm inſpecta, poſt concubitum cum Iuda iuſtiorem ipſo Iuda pronuntiari; cùmque comparatio ſimilem in vtroque extremo exigat qualitatem, Iudas de ſcortatione ad ſpeciem confundendus de iuſtitia ſibi blanditur, & iuſtus aſſeritur: *Iuſtior me eſt.* Et quæ Thamaris, aut Iudæ æquitas? Fors ſemel concubuiſſe; ait namque textus, *Vltra non cognouit eam.* Qui ſemel fœdatus pronuntiatur, fors de aliorum comparatione pudicus, & quæ ad ſpeciem pudicitiam ſemel proſtituit, publicè profiteri non renuit. Vt adaptari poſſit huic hiſtoriæ, quod datus aiebat Septimius: *Denique de qua incipimus, eo vſque iam exoleuit, vt non eius ratio; ſed moderatio libidinum pudicitia credatur, iſque ſatis caſtus habeatur, qui non nimis caſtus fuerit.* Erat olim pudicitia decora morum facies, corporum dignitas, ſexuum excellentia, fides propaginis, ſanguinis claritas, conſtruendæ ſanctitatis fundamentum, bonæ mentis teſtimonium; verùm ſic humana degenerauit natura, vt inceperit ſubærari, nec perfecta penitus refulgere: ſic aduerſus caſtitatem pudicitiamque procacitas valuit, vt in ſæculo nequiuerit degere; ſed iniquitatum proceſſu interuallis longiſſimis exulare: *Eo vſque iam exoleuit, vt non eius ratio; ſed moderatio libidinum pudicitia credatur.* Iuſtus habetur Iudas quia pudicitiæ ſemel violator, Thamar audet nulla ſententententia damnanda, legere cogenda: quia etſi pudicitiam (cortice ſolùm inſpecto) non coluerit, moderationem tamen ſeruarit: *Eo vſque iam exoleuit, vt non eius ratio; ſed moderatio libidinum pudicitia credatur, iſque ſatis caſtus habeatur, qui non nimis caſtus fuerit.* Thamar nimis non pudica, caſtus Iudas non nimis; vterque tamen iuſtitiæ vocabulo tegitur, & de moderatione laudatur.

---

§. II.

Peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit.

42. TEnera animalia, inquit Seneca epiſt. 121. è materno vtero vel quoquomodo effuſa quid ſit infeſtum ipſis protinus norunt, & mortifera deuitant, vmbram quoque tranſuolantium reformidant, obnoxia auibus rapto viuentibus. (Seneca.) Vel vmbram ſibi noxiam reformidant bruta: nullum animal ad vitam prodit ſine hac ſagacitate ad ſalutem: pauonem aut anſerem gallina non refugit, minorem & experientia ſibi non cognitum reformidat accipitrem, pulli canem non auerſantur, feli non iunguntur: animalibus ineſſe notitiam nocituri experietis à natura inditam, non experimento collectam. Antequam poſſint experiri, præcauent, nec vnquam huius cautelæ ac ſolicitudinis inueniuntur oblita. Solus homo in perniciem ſuam nocituri ſpernit notitiam, non ignorat culpam eſſe infelicitatis teſſeram, calamitatis aucupium, infortuniorum illicium, & tamen non refugit haurire venenum; imò ſilenter ſugit, & ardenter ſitit. Propone tibi aduerſarium vadiliſſimis viribus obarmatum, & hoſtem exiguis viribus præditum; ſed culpis decertantis ſuffultum: à quo putas citiùs debellandum, & ſubruendum? Si naturam culpæ calluiſti, ab inualido affirmabis potiùs timendum; & tibi ſuffragabitur Samſon: mirandis viribus excellens non modicos Philiſthinos contriuit; ſed plures decapillatus, & fortitudine quadantenus deſtitutus: *Multò plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat:* Mira res! occumbens caret oculis, & prolixis caret capillis, & tamen plures quàm anteà, viribus præualens, luminibus; & capillis vtens, occidit. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia modò, reſpondet Caietanus, Philiſthini idololatriæ ac opiparis menſis vacantes vires Samſoni addiderunt, & in ſe ipſos imprudenter militarunt. Populus laudabat idola, Principes Dagoni hoſtias magnificas immolabant: ergo ab ipſis contra ipſos vires Samſon mutuatus eſt, & dum non formidant culpam, præter opinionem moliuntur ſibi tragœdiam. Audi Caietanum: *Quamuis Philiſthini Deos ſuos laudarent, nihil tamen ſcribitur Zeli diuini in Samſone; ſed dumtaxat amor vindicandi oculos proprios, vt intelligamus Philiſthinos quidem ex ſua idololatria meruiſſe occidi.* (Caietan.) Ceciſſima idololatria eas decapillato hoſti vires præſtitit, vt plures modò, quàm crinitus deuaſtarit, quo omnibus fuerit compertum peccatorem in ſe hoſtiles manus armare, ac inermi vires infundere.

43. (Habac. 3. v. 4.) Habacuc de Chriſti Domini paſſione agens: *Cornua,* aiebat, *in manibus eius, ibi abſcondita eſt fortitudo eius, ante faciem eius ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes eius: ſtetit & menſus eſt terram, aſpexit, & diſſoluit gentes, & contriti ſunt montes ſæculi.* Si Domini eſt abſcondita fortitudo, quomodò mors deuicta eiulat, & diabolus ante thædam captiuus trahitur, quomodò montes incuruantur, & cornibus conteruntur? Et quæ ſit hæc fortitudo, quæ montis edomat duritiem; & premit dæmonem? Iam reſpondet Habacus: *Cornua in manibus eius*, claui ſcilicet, quibus impiè transfoderunt pientiſſimas manus, pro armis contra transfigentes fuerunt, & dextera cæleſti fortitudine abſcondita ad ſpeciem imbecillis, de tranſfigentium culpis ſic in ipſos valuit, vt prorſus contriuerit ac deleuerit. *Cornua,* inquit Rupertus lib. 3. in Habacuc, *vexilla dicit & trophæa crucis, cuius brachiis confixæ fuerunt manus eius.* (Rupert.) Moliebantur teterrimi Chriſti hoſtes clauis non ſolùm vires debilitare, ſed prorſus expungere; verùm dum adactis clauis debilitare manus prætentant, ipſis clauis in ſuam perniciem obarmant, ab ipſis crucifigentibus contra ipſos manibus infuſa eſt quodammodò fortitudo, & eis clauis diſperierunt, quibus manus extenuarunt. Addit Rupertus: *Ante faciem eius ibit mors, egredietur diabolus ante pedes eius: quid enim eſt hoc, niſi ac ſi diceret, illo quaſi hamo Leuiathan capietur: ſicut enim piſcis hamo captus ante pedes capientis, hamumque trahentis de flumine, ſiue de mari egredietur.* Itaque ad expiſcandum Leuiathan opus erat hamo ferreo: ergo ex clauis elaboratus eſt, cum dextera non haberet ferrum quo ad Leuiathan capiendum conſtrueret hamum: iam ante pedes eius palpitat de lutulentis vndis extractus, & ipſis clauis perfoſſus. Dum Scribæ, Phariſæique manus transfodiendo adaggerarunt delicta, in ſe ipſos præſtiterunt validiſſima arma.

44. Holofernes Iudithæ modeſtâ pulchritudine vividiùs illectus, & ardentiùs inflammatus ad ſe introduci

troduci ſolicitat per Vagao ſibi fortè, vti qui carnis negotia curaret, gratum: *Suade Hebræam* Iudith.12. v.10. *illam, vt ſponte conſentiat habitare mecum.* Vagao omnem à Iuditha timorem depellens, & honores magnos promittens ingreſſum ſuaſit, Iuditha longè alio animo annuit, ingreſſa ſic Holofernem exhilarauit, vt amplioribus ſcyphis felicitati ſuæ plaudens biberit, nimiáque ebrietate iacuerit ſopitus, dum voluptati indulgere ſatagit ſtudioſus: altiſſimus fœminæ animum ſopor erexit, & euaginato Holofernis gladio, caput dormientis abſcidit: *Acceſſit ad columnam, quæ erat ad caput* Iudith.13. v.8. *lectuli eius, & pugionem eius; qui in ea ligatus pendebat; exoluit.* Tota Holofernis membra pro hoſte ad ſuam militauere ruinam: ſopor pauorem excuſſit, ebrietas tempus conceſſit, gladius imbellis fœminæ manus armauit: vt repetere poſſit Chryſologus, quod aiebat alioſum ſerm. 17. Chryſol. *Tota membra hominis hoſti ſuo ſuam militant in ruinam.* Vires, quibus Iuditha Holofernem trucidauit, ab ipſo Holoferne mutuata eſt, ipſe nimia ebrietate locum præbuerat gladio, ipſe libidine ardens ferrum miniſtrauit iugulo, vicit fœmina ebrium, trucidauit ſomno altiſſimo immerſum, & Holofernes dum fœminam introducit, conciliat ſibi imprudentiſſimè mortem: vinum lautiùs in luxuriæ obſequium hauſtum impediuit ſenſum & periculoſum attulit ſomnum: fœminæ erexit animum temulentia, & morti opportunam occaſionem conciliauit ignauia.

45. Dauid quàm veniant peccatores hoſti ſuo in ſubſidium explicans ſic Pſalmo 36. aiebat: *Gla-* Pſalm.36. v.14. *dium euaginauerunt peccatores, intenderunt arcum ſuum, vt deiiciant pauperem, & inopem, vt trucident rectos corde.* Veluti in certamine concurrunt diues & pauper, iſte armis nudus, ille gladio ſplendenti obarmatus, & intento iam ad ſagittam contorquendam arcu munitus: cenſeret inermem iuſtum prorſus trucidandum; at Pſalmographus propriis armis peccatorem adſerit transfigendum: *Gladius eorum intret in corda ipſorum, & arcus eorum confringatur. Intret* appoſuit pro intrabit, & *confringatur* pro confringetur. Ita Euthymius: *Eorum*, inquit, *inſidiæ contrà ipſos conuertentur.* Euthym. Ipſe ſibi peccator inſidias præter opinionem ſtruxit, ipſe gladium inermi exhibuit, ipſe hoſtiles vires adauxit, contrà ſe ipſemet victoriam conceſſit. Non habebat inops, quibus inſtrueretur, arma; at peccator inimici ſpecie in ſubſidium venit inopi, & arma in vſus debitos vertenda inimico miniſtrauit: ergo Philiſthinorum impietas adduxit ipſis ruinam, & Samſoni procurauit victoriam.

46. Nabuchodonoſor Hebræorum populum facilè Daniel.1. v.1. limè cepit, & ſubiugauit: *Venit Nabuchodonoſor rex Babylonis in Ieruſalem, & obſedit eam, & tradidit Dominus in manus eius Ioachim regem Iuda.* Hic ipſe Nabuchodonoſor, cùm tres pueros recto animi propoſito communitos, & religione valentes armatos anhelantibus æſtuantis fornacis flammis non ſolùm vrere; ſed nigras in fauillas conaretur conuertere, ab ipſis deuictus eſt. Equidem ipſe ait: *Verbum regis immutauerunt.* Ecce à tribus pueris vincitur Ieruſalem domitor & triumphator, Quod ſi quæras, cur hos vincere nequiuerit, cùm omnem populum ſubiugare valuerit, reſpondebit Chryſoſtomus hom. 18. in 1. ad Corinth. cap. 6 ciues ſuis ſceleribus hoſti victoriam Chryſoſt. peperiſſe, triumphúmque paraſſe: *Conſidera quantum ſit tot ſpectantibus oculis à tribus captiuis*

pueris contemni: oſtendit enim eorum ſe ciuitatem cepiſſe non ſuis viribus; ſed propter peccatum multitudinis: nam ſi deuictos ſuperare non potuit, & maximè in fornacem intruſos, quonam pacto omnes, cùm tales eſſent, lege belli ſuperaſſet. Ex quo perſpicuum eſt multitudinis peccata ei ciuitatem tradidiſſe. Itaque Nabuchodonoſor Ieruſalem poſſedit, peccatis potiùs proditam, quàm viribus armorum deuinctam: pueros non potuit deuincere, qui ciuitatem valuit ſuperare: vt notum omnibus eſſet non tyranni potentiam; ſed incolarum ciuitatem expugnaſſe fortiter culpam. A peccatore, quibus miſerabiliter pereat, vires miniſtrantur aduerſario, & robur additur inimico.

---

§. XII.

In ciuitatum aditu captioſæ non ſemel prætenduntur inſidiæ, & exercentur violentiæ.

Vix dici poteſt quàm refertæ ciuitates ſint vitiis, ſiue ſpectes ſitientem ergà diuitias auaritiam nefariam, ſiue mutuam inter homines veritatis, & æquitatis iniuriam; verùm etſi omnia 47. ciuitatis membra totum hoc vitiorum corpus perficiant, indubium eſt, vt in humano etiam, in hoc, de quo loquimur, corpore membra præcellere, & infeliciſſimam præcedentiam ſibi atrogare. Inter hæc non extremum locum obtinent ciuitatum aditus, vbi conſtituti pro tributis exigendis miniſtri, regiáque poteſtate obarmati, libera fronte exercere ſolent rapinam, & confictis, factioſiſque criminationibus candidam diſpoliare innocentiam: ibi videas ſolerti ſolicitudine quid inferant, perquiri, ibi malignitatis aſtutiâ quid afferant, indagari. Non incongruè olim ſubſellia in ciuitatum aditu conſtruebantur, vt ſic aduentantes haberent æquitatis portum, vbi iniquitatis imminere ſolet naufragium. Poſt illatam Philiſthinis ingentem cladem Samſon adiuit Gazam, ciues ſiugum diſpendio commoti, & duris cladibus exaſperati cùm anxiis votis conarentur hoſtem opprimere, in ciuitatis aditu aggreſſi ſunt inſidiari. *Cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto manè exeuntem occiderent.* Non diſpoſuerunt inſidias in ciuitatis foro, non in amplo platearum ſpatio; ſed in ciuitatis porta, vt Samſoni indubiè poſſent nocere: *Vt facto manè exeuntem occiderent.* Satius videbatur ſæuis ac ferocientibus oppugnare militibus, quàm portæ ciuitatis cuſtodibus; & tamen Philiſthini ad nocendum vtuntur cuſtodibus, non militibus, vt qui apprimè nouerant à portarum cuſtodibus eas virtuti inſidias obtendi, eos præſtrui iuſtitiæ laqueos, vt certius ſic ibi trucidari, quàm aliis in ciuitatis partibus premi: Samſon, vt iam vidimus, Chriſti gerebat perſonam: ergo virtutis æmuli, Chriſti hoſtes in ciuitatum portis diſponunt inſidias, quaſi ibi certiùs iuſtitia corruat, innocentiaque lugeat. *Præter cuſtodes, qui erant in circuitu domus mulieris*, inquit Abulenſis quæſt. 3. *poſuerunt alios ad portam* Abulenſ. *vrbis, vt ſi fortè Samſon elaberetur manus eorum, qui erant in circuitu domus, veniret ad portas vrbis, vt fugeret; & ibi teneretur.* Minus fidebant

aliis inſidiis, plus, vt Samſon caderet, de portæ ſperabant cuſtodibus: non fugit portarum cuſtodes innocentia, non euadit eorum technas prudens aſtutia: ibi videas rapinæ emporium, vnde laboris ſperandum erat ſubſidium, & certè ni Samſon inuictis polleret viribus caperetur à cuſtodibus.

48. Huius veritatis Samſon non ignarus portæ fores valida impoſitas ceruice tulit, vt adeò graui moleſtia ciuitatem adeuntes liberaret: *Conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* D. Gregorius hom.21. in Euang. hoc facto putat Samſonem adumbraſſe Chriſti Domini triumphum cum à mortuis reſurgens inferni portas confregit, & detentos liberauit: *Samſon nocte media non ſolùm exiit, ſed etiam portas tulit: quia Redemptor noſter ante lucem reſurgens non ſolùm de inferno liber exiit; ſed etiam inferni clauſtra deſtruxit, portas tulit, & montis verticem ſubiit.* Ecce ciuitatis porta eſt inferorum portæ ænigma: nam vt apud inferos, antequam reſurgeret Chriſtus, detinebantur innocui, ſic apud pleráſque ciuitates patiuntur in portis violentiam iuſti. Ergo Samſon Chriſti Domini emblema ciuitatis portas tulit: quaſi ciuitatis portæ fuerint inferorum ianuæ, inſidiantium præſidia, & inimicorum caſtra. Gregor.

49. Cùm omnia in ſcripturis myſteriis ſcateant, non caſu Chriſtus Dominus non longè à porta ciuitatis eſt paſſus: quia ſaturari voluptate patiendi diſceſſurus volebat, per ciuitatis cuſtodes, per portarum excubias tranſire diſpoſuit: *Propter hoc*, inquit Paulus ad Hebræos ſcribens, *& Ieſus, vt ſanctificaret per ſuum ſanguinem populum, extra portam paſſus eſt.* Ad Heb. 13. v.12. Poterat intra ciuitatis mœnia omnia ſanctificare; maluit tamen egredi, & non longè à ciuitatis aditu pati, vt ſic oſtenderet grandi ciuitatum aditus indigere remedio, quia frequenter defœdantur grandi piaculo. *Propterea Chriſtus*, inquit Anſelmus, *extra portam paſſus eſt, vt nos qui corpore & ſanguine eius à peccatis mundari volumus, improperia & anguſtias paſſuri, & delicias tabernaculi deſeramus, vnde mox ſubditur: Exeamus igitur ad eum extra caſtra improperium eius portantes.* Anſel. Et vnde accipiendum eſt improperium? Ab ipſa ſanè porta, qua egredimur: ibi namque gliſcit audacia, legibus armata furit rapina, & procax modum ignorat violentia. Addit Anſelmus: *Qui vult corpus, & ſanguinem eius accipere, debet ad locum paſſionis eius accedere, vt honores, & opes tabernaculi relinquens improperia & paupertatem pro nomine eius ferre non reſpuat, & de caſtris, & de vrbe exiens.* Anſel. Qui paupertatem diſcupit, portarum cuſtodes adeat, experieturque quantâ debeat patientia armari, & quanta pro Chriſti nomine poſſit ſuſtinere: ibi patietur cuſtodes omnia auidiſſima inciuilitate ſcrutantes, factitiiſque criminationibus veritatem opprimentes, ibi vigere videbit iniquitatem impunem. Ergo qui Chriſtum vult imitari, ciuitatum adeat portas, copioſam patientiæ meſſem, & inexhauſtum laborum fontem.

50. Profectò vt plurimum apparitores, lictores, circitoreſque nimis iuſti non ſunt, inter eos tamen, qui ciuitatum portis adſcribuntur, effrontiori audacia, & audaciori ſolent armari impudentia. Ecquis hoc ait? Certè ſponſa vigiles vtróſque experta. Cùm ſomniaſſet dilectum ſuum ventorum aſſumpſiſſe pennas, vt ſecum inter lilia dulciſſima alternaret colloquia: *Dilectus meus mihi, & ego illi qui paſcitur inter lilia*: Cantic.2. v.17. ſic ſomniato gaudio inflammata eſt, vt quærere Sponſum decreuerit, quin honeſtum auſum noctis obſcuritas impediuerit, aut anxius periculorum timor retardauerit: ergo ſine cuſtode, ſine comitibus ſe thalamo proripuit dilectum vbique quæſitura: cúmque non otioſa per vrbem diuagaretur, in ciuitatis cuſtodes incidit, qui nec inciuiles nec rapaces illæſam abire permiſerunt: *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem: Num quem diligit anima mea, vidiſtis?* Cantic.3. v.3. Sponſum inuenit ſolicitudo. arctis amplexibus adſtringit, quo iam eluſa non quærat; ſed eluſo periculo gaudeat; verùm vt humana fragilitas à propoſito ſæpè decidit, quæ priùs noctis horrores, & lecti deſpexit quæſitura delicias, vt indulgeret otio, vt ſtragulis foueretur, aperire diſtulit ſæpè compellata; meliori tamen ſtudio otium caſtigans ſurrexit, & vocantem anxiè quæſiuit: cúmque nihil ciuitatis inueſtigatum relinqueret, in cuſtodes iterum incidit, à quibus & diſpoliata doluit, & percuſſa: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me tulerunt pallium meum mihi.* Cantic. 5. v.7. Si priùs omni iniuriæ ſpecie abſtinuerunt, cur modò & affligunt, & pallium auferunt vigiles? Quia hi, reſpondet ipſa ſponſa, erant cuſtodes murorum: *Tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Ac ſi dicat: qui ciuitatem circumibant, vt ſcandala & pericula remouerent, vt audaciam inſolentium reprimerent, vrbanè ſe geſſerunt; at qui murorum gerebant curam portis adſignati, dum an ſponſus fuiſſet egreſſus, interrogatura accedo, me diſpoliarunt, & percuſſerunt: poſtquā nec in vicis, nec in plateis inuenerat dilectū, ad ciuitatis portam acceſſit, vt excubias ſciſcitaretur, an ſe forás proripuiſſet ſponſus, illi verò noctis patrocinio tecti, & occaſione inuitati non ſolùm pallium abſtulerunt; ſed quia reluctans amiculum retinebat, conuulnerarunt: *Cuſtodes accipio*, inquit noſter Delrius in littera, *quælibet Diaboli præcipua membra.* Delrius. Præcipua Diaboli membra ſunt murorum aditúſque cuſtodes: nam etſi aliorum vigilum plures vitiorum corpus compingant; murorum tamen vigiles, vt conditione ſolent eſſe inferiores, ita præ aliis & peruerſitate excellentes. Peplum abſtulerunt non ciuitatis vigiles; ſed murorum cuſtodes: in his namque maior audacia, & inſolentior rapina. In ciuitatis porta paſſa eſt ſponſa à vigilibus, quod in deſerto ille, qui Iericho adibat, à graſſatoribus: ergo Philiſthæi à portæ cuſtodibus Samſonem iniuriis afficiendum non dubitarunt; ſed indubiè crediderunt, & Samſon, vt Chriſtum inferorum portas ac dæmones conterentem retulerit, ciuitatis portas abſtulit, & cuſtodes eluſit: nam vt Gazæ ianuæ inferorum extiterunt ænigma, ſic dæmonum fuerunt cuſtodes emblema.

§. XIII.

Qui ſemel voluptati traditus facilè exiſtimat tempus præſcribere, agnoſcitur delirare.

PEripathetici aliquos permittentes affectus, 51.
conſulebant temperandos, ſed errabant ingentiſſimè: ſemel namque cupiditati, auaritiæve

vè deditus ſe ſibi furatur, & patere quodammodò cogitur. Nulli non vitio initium eſt verecundum, & exorabile: ſenſim obrepit; ſed ſi vires tempore & conſuetudine acquirit, violenti ad inſtar torrentis omnia rapit, ſecúmque inuoluit: ſi luxuriæ, ſi ambitioni, ſi gulæ incipere permiſeris, vt deſinant, non obtinebis facilè: dum procedit affectus, vires parat, quibus virtutem oppugnat. *Sapienti*, aiebat Seneca epiſt. 116. *non ſolicitè cuſtodire ſe tutum eſt, & ia brymas ſuas, & voluptates, vbi volet, ſiſtet, nobis quia non eſt regredi facilè, optimum eſt, omninò non progredi.* Seneca. Philoſophi pace dixerim, nec ſapienti tuta eſt hæc fiducia, vt repreſſerit, inſudabit, ſi ſemel habenas voluptati permiſit Plures dum non audent à virtute recedere, nec voluptati prorſus reſiſtere, ſibi promittunt eo temperamento vſuros, vt aliquatenus deliciis indulgeant, ſe tamen prorſus illis non tradant. *Aliquatenus inquis dolere* (verba ſunt Senecæ iam dati) *aliquatenus timere permitte; ſed illud aliquatenus longè producitur, nec vbi vis, accipit finem.* Non ſiſtitur affectus, vbi putabas ſiſtendum: vlterius progreditur, & licet fræna non abrumpat, ipſo impetu laxat. Samſon Gazam occultè ingreditur, vt voluptati curſim indulgeat: verebatur namque capi, ſi dormiret, aut per otium ibi maneret: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſúſque eſt ad eam*; verùm licèt ingreſſus fuerit inde citiſſimè receſſurus dormiuit vſque ad medium noctis ingreſſus: *Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis.* Deliciarum tempus productum eſt, & qui putabat ad horam ingredi ſopore contigit illigari. Innuit Abulenſis quæſt. 2. Abulenſ. *Faciebat hoc Samſon confidens de robore ſuo.* Adnectit: *ſolùm autem timenda erant Samſoni inſidiæ, ſcilicet ne quietus & iacens occideretur, aut teneretur.* Itaque ſomno decreuerat non indulgere, quia timebat capi; verùm inſaniuit deliciis indulgendo, & tempus deliciarum taxando: *Magna inſania erat iſta*, aiebat in eadem quæſtione Abulenſis: & quidem effectus oſtendit latere non potuiſſe, nec tempus, vt rebatur, taxaſſe. Plures videas, qui vt vitio pareant, quàm citò ſibi à vitio receſſuros promittant; verùm his facilitas æquè ac difficultas nocet: nam facilitate alliciuntur, & difficultate illigantur: formæ decoris gratia, adulationis blanditiis trahenti animus committendus non eſt. Qui in ſicco firmiter non ſtamus, malè in lubrico veſtigia figemus. Sibi ipſi imponit duro vitiorum iugo ceruices ſubdens, & excutiendum celeriter credens.

52. Virgines illæ fatuæ, dum tardat ſponſus, ſoporis dulcedine illectæ ſoporem admittunt, non Matth. 25. tamen grauem; ſed vigiliæ adſimilem: *Dormitauerunt*; verùm quæ breuem fore dormitationem ſibi perſuaſerant, profundo adeò ſomno illigatæ iacuerunt, vt ad oculos deducendos clamore opus fuerit, & quidem valido: *Moram autem faciente ſponſo dormitauerunt omnes, & dormierunt.* Sibi promiſerant dormitare: ſed altiſſimè illis contigit obdormire: non habuit dormitatio, quem ſibi præſcripſerant terminum; ſed proceſſit vſque ad profundiſſimum ſomnum: *Patiuntur aliquid ſenſus dormitantes*, inquit Origenes in catena, *& quaſi nocte mundi agentes, &* Origen. *dormierunt, vtputa remiſſius agentes à ſenſu illo vitali.* Timebant dormire, & nolebant vigilare. Ergo elegerunt dormitationem, qua exiguo tempore ſoporis potirentur dulcedine, hec carerent ſolicitudine; aſt mens ſemel dormitationi tradita torpet, altóque ſomno illigata, nec deficere lucis pabulum, nec aduentare agnoſcit ſponſum: quæ ſe ſopori committentes tempus crediderunt taxandum, & quàm citò ab oculis depellendum non ſolùm fatuæ; ſed dici meruerunt deliræ.

53. Pharao ſuppliciis perterritus, cupiditatis vinculis illigatus mediam elegit viam, tempus retinendi populum ſibi taxauit, & poſteà ſe dimiſſurum promiſit: *Orate Dominum, vt auferat ranas a me,* Exod. 8. v. 8. *& à populo meo, & dimittam populum, vt ſacrificet Domino.* Moyſes optionem dat, quando velit ranas abigi, & populum dimitti: *Conſtitue mihi, quando deprecer pro te.* Quid tunc? *Reſpondit, Cras.* Iam, vt videtur, diu decernit non retinere; cupit tamen exigua illa mora cupiditati adulari; verùm vltra ſequentem diem dimiſſionem promittens non prorogandam ipſa mora indurauit, & ſententiam demutauit: cupiditati tantiſper eſt adulatus; ſed dilationis dulcedine moras protraxit illectus: *Videns Pharao quod data eſſet requies, ingrauauit cor ſuum, & non audiuit eos.* O quantis ſe difficultatibus expediſſet, ſi ſtatim dimitteret populum, nec exiguam fore moram ſibi ſuaderet in cupiditatis obſequium! miſerando periit naufragio, qui tantillum blanditi cupiuerat deſiderio: *Non multum diſtulit*, inquit Lyra, *propter neceſſitatem vrgentem.* Lyra. Dum obuiare cupit periculo, & iniquo morem gerere deſiderio, tempus ſibi taxat; ſed inſipientiſſimus errat: *Reſpondit: Craſtina die*, inquit Ambroſius apud Lippomanum, *otioſus & negligens moræ pœnam Ægypti* Ambroſ. *ſoluturus excidio*: Moroſus periit, dum ſibi tempus taxauit.

54. Pilatus cum procacibus Scribarum minis, cùm confuſaneis populi clamoribus ad Chriſtum morti tradendum adurgeretur, & ex alia parte vxoris retraheretur monitis, & innocentiæ clariſſimis argumentis caſtigandum, & dimittere decreuit: *Emendatum illum dimittam*: Apertè confeſſus Lucæ 23. v. 16. fuerat, nullam, de quibus expoſtulabatur, in homine illo culpam inueniri: *Nullam cauſam inueni in homine iſto ex his, in quibus eum accuſatis.* Inuidentiæ accuſationibus impetitus, liuoris technis circumuentus innocens reſplenduit Chriſtus, & tamen Pilatus diſcupit emendare: quia timet criminatoribus diſplicere. Et quæ emendatio? Flagellis nonnullis cædere; vita tamen non priuare. *Quaſi dicat* (verba ſunt venerabilis Bedæ in catena) *Flagris illum, & ludibriis quantum iubetis afficiam, dummodò innoxium ſanguinem non* Beda. *ſitiatis.* Pœnam taxauit, nec ſemel hoc ſe propoſito communiuit: *Corripiam illum, & dimittam*; at flagris percuſſit, dimittendi tamen propoſitum non impleuit, quia eiſdem clamoribus, quibus flagellauerat adulatus: mortem decreuit impulſus: *Inualeſcebant voces eorum, & Pilatus adiudicauit fieri petitionem eorum.* Sibi promiſerat à ſanguine abſtinendum, & tamen exceſſit taxam, impleuit culpam. Adeſt Leo Magnus Serm. 8. de paſſione: *Nec in accuſato eum reperiſſe culpam,* S. Leo. *nec in ſententia ſua tenuiſſe conſtantiam docet ipſa cognitio, in qua iudex quem innocentem pronuntiat, damnat, addicens iniquo populo ſanguinem iuſti, à quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſerat, & ſomnio vxoris nouerat.* Eam ſibi viam tenendam duxit, tantiſper videlicet accuſatoribus parere; ſe tamen ſanguine nullatenus maculare; ſed magna inſania erat iſta: nam dum flagris ius aliquod fu-

tori

roti concedit, limitem ſibi præſcriptum facillimè abrumpit: *Damnat addicens iniquo populo ſanguinem iuſti, à quo abſtinendum ſibi & intellectu proprio ſenſerat, & ſomno vxoris monerat.*

§. XIV.

Nihil amori inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum.

55. AMor ab ipſis incunabulis Herculeas ſortitur vires: vti puer delicioſè ludit; ſed vti gigas nullo prægrauatur pondere, nullo debilitatur grauamine: quicquid acciderit, in colorem ſuum

Prouerb. 8. v. 30.

vertit, & ad delicias trahit: *Cum eo eram cuncta componens, & delectabar per ſingulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, & deliciæ meæ eſſe cum filiis hominum.* Delicias cœli expertus apud homines eſſe iucundiſſimas cenſuit delicias. Iam qualiter ſe homines cum illo egerint, audi à Tertulliano lib. de patient. cap. 3. *Deſpuitur,*

Tertull.

verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur. En amoris ludus, quo voluptuosè ſe paſcit, & quem pro deliciis ducit: *Deliciæ*, inquit, *meæ eſſe cum filiis hominum.* Quibus cum filiis? Deridentibus ſanè, verberantibus, deſpuentibus: nam vt ignis validus quibuſvis ingeſtis pabulis ardentiorem ſurgit in flammam; ita amor vel iniuriis ipſis viuidiùs inardeſcit, & ardentiùs candet. *Cum patribus*, ſcribit Hugo Cardinalis ad

Hugo.

hunc locum, *conglutinatus eſt Dominus, & amauit eos, elegitque ſemen eorum poſt eos.* Adnectit: *Potiùs ſunt ei deliciæ eſſe cum filiis hominum, quàm cum Angelis: quia de his quæ aucupio, vel venatione capiuntur, fiunt deliciæ ciborum, non de domeſticis: & ipſe quidem venatione prædicationis, & aucupio crucis cepit homines.* Crux illi viſa eſt oblectationis materia, dum venationis probatur aucupium, & hominum adducit conſortium: *Saginari*, præmiſerat Tertullianus, *voluptate patiendi diſceſſurus volebat.* En acerba paſſio voluptatem pariebat, & amor quidquid amarum, indulcorabat. Samſon per medios hoſtes ad dilectæ mulieris domum inuolat, & quidquid imminet periculi amoris præſtigiis aut euacuat, aut fortitudine tolerat: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam. Quod cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum.* Hoſtilibus impetitus inſidiis deliciatur, nec quid moleſtum putat, dum amoris vſu non priuetur: *Samſon*, inquit Abulenſis q. 2. *incautè ſe ex-*

Abulenſ.

poſuit, & tamen erat iuuenis, & amor iuuenilis eum ferebat. Deſpexit ardens affectio periculum, onere grauiſſimo humeros atterere fuit amanti delicioſum. *Fores fortè vrbis* (verba ſunt dati ſæpè Ambroſij) *& vtróſque poſtes manibus amplexus*

Ambroſ.

materiem totam, & ſeram ceruice valida ſuſtentans in verticem montis altiſſimi tranſportauit. Valida amoris ceruix ingenti onere non grauatur; imò quo depreſſior, onus ferebat robuſtior: quia de inuicta amoris fortitudine euaneſcebat omnis grauitas, & laboris diſparebat acerbitas.

56. Sponſa dilectum ſuum per confragoſa, & difficultatibus implicita amoris inuolantem alis in-

Cantic. 2. v. 8.

ſpectat: *Ecce iſte venit ſaliens in montibus, tranſiliens colles, ſimilis eſt dilectus meus capreæ; hinnulóque ceruorum.* Non montium difficultatibus præpeditur, non abruptis voraginibus retardatur: quales hi ſaltus fuerint, explicat Gregorius hom. 29. in Euang. *Veniendo quippe ad redemptionem* Greg.

noſtram quoſdam, vt ita dicam, ſaltus dedit: vultis fratres chariſſimi ipſos eius ſaltus agnoſcere? De Cœlo venit in vterum, de vtero venit in præſepè, de præſepi venit in crucem, de cruce venit in ſepulchrum. Certè ſi inſtar ſalientis ac ludibundi hinnuli inuolauit, quos Gregorius explicat ſaltus non dedit, aut ſi dedit, inſtar hinnuli montibus non luſit. Quid enim commune laborum aſperis, iniuriarum acerbis, & mortis cruciamentis cum iucundis ac lætis ſaltibus? O amoris præſtigias! Quæ difficultatibus plena, adeò amori viſa ſunt difficultatibus vacua, vt dilectam alloquens roris ſtillas dixerit, & ſtillantis noctis guttulas appellarit: *Aperi mihi ſoror mea, amica* Cantic. 5. v. 2.

mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium. In laboris amor vertit ſtillas duriſſima cruciamenta, & licèt reipſa in maris altitudinem venerit horriſona tempeſtate impetitus, & demerſus, aſperſum tantùm guttulis caput dixit: nam dum dilectæ oblectatur alloquio, nullo ſe tangi exiſtimat cruciamento, ſponſa pro ſe exantlatos fortiter labores non ad vanitatis retulit plauſum; ſed ad gratitudinis, & æſtimationis obſequium, at qui pertulit, ſic imminuit de Herculeis amoris viribus, vt mare ſtillam dixerit, & deſæuientis tempeſtatis adſultus guttulam, & quidem leuiſſimam appellarit: *Caput meum plenum eſt rore?* Quo rore? Sanguinis ſcilicet torrente fœdis ſpinarum cuſpidibus elicito, & per multiplicia vulnera extracto; verùm ſanguineus imber amori ros fuit: nihil namque amanti inuenitur durum, nihil inuenitur acerbum.

Forſaſſis ſponſa de amoris etiam ſchola erudita, 57.

dum laudabili incanduit æſtu, pro deliciis habuit contumelias, & pro myrrhæ faſciculo ſuauiſſimum odorem exhalanti horridas ac pungentes ſpinas: *Faſciculus myrrhæ*, aiebat, *dilectus meus* Cantic. 1. v. 12.

mihi inter vbera mea commorabitur. Non onus, quod validos requirat humeros, appellauit; ſed faſciculum, qui ad delicias pertinet, dixit. In hoc faſciculo quidquid ad laborem pertinet, non dubites illigatum, quandoquidem illum componit ærumnoſa paupertas, grauis infirmitas, iniuriarum patientia, crucis & quidem grauiſſimæ tolerantia; verùm amor ſic omnia imminuit, dum vires addit, vt in faſciculum breuiſſimum redegerit crucis ignominiam, & paſſionis ſæuam procellam: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi inter vbera mea commorabitur.* En inter vbera ad delicias collocat coronæ tribulos, ſæuiſſima flagra excogitata à tyrannis, omnemque ſæuitiam exuperantia tormenta: quia amor miris incantamentis ac honeſtis veneficiis rerum mutauit ingenium, aut amantis armauit animum: *Dilectus meus faſciculus myrrhæ mihi.* Licèt iubeat inquietos hœdos paſcere, licèt abrupta montium diſcurrere, licèt pro vinearum cuſtodia noctu diuque præcipiat inuigilare, licèt, quod pulchellis eſt grauiſſimum, ſolis æſtu oris candorem nigredine commutare, licèt, dum anxiis votis inquiritur, pallio contigerit diſpoliari, & altiſſimis plagis confodi, adhuc eſt myrrhæ faſciculus ſenſum fragrantia recreans, membraque confortans: ni impensè adeò amaret Sponſa, iugum eſſet humeros depoſcens validos; at tenerè diligenti ſuauiſſimus fuit faſciculus, qui pectora

Digitized by Google

pectore collocaretur ad gaudium, non ceruicem ingrauauerit ad tormentum. *Trahit*, inquit Gillibertus in allegor. Tilman. ad cap. 6. primæ ad
Gillibert. Corinth. *cui oneroſus eſt Chriſtus, oneroſa caſtitas, oneroſa humiliatio, obedientia grauis, pauperies ſordes, deformiter portas, qui ſic conuerſaris: faſcis quidem grandis tibi videtur, fides, & pietas ponderoſa: non potes dicere, faſciculus myrrha dilectus meus mihi.* Conſonat Bernardus Serm. 43. in Cant.
Bernard. *Myrha amara res, dura, & aſpera tribulationem ſignificat: ea ſibi dilecti cauſa imminere proſpiciens*
Amor labores leues facit. *gratulabunda id loquitur confidens ſe omnia viriliter ſubituram: ibant, inquit, gaudentes diſcipuli à conſpectu concilij, quoniam digni habiti ſunt pro nomine Ieſu contumeliam pati: propterea denique non faſcem; ſed faſciculum dilectum dicit, quod leue præ amore ipſius ducat, quidquid laboris immineat, & doloris.* Dolorem amor in gaudium vertit, contumeliam in gloriam, ignominiam in famam: Apoſtoli duris proſciſſi flagris gaudent, contumeliis affecti rident, & quidquid humanæ infirmitati peracerbum videtur, erat amori iucundum: vt faſciculum variis floribus conſertum ſolent fœminæ inter vbera geſtare ad ſuauitatis delicias, & ornatus elegantiam, ſic ſponſa dilecti ſui paſſionem in faſciculum redegit, & in amoris argumentum pro deliciis etiam geſtauit. Hinc quo erga deum amore feratis, facilè coniicies: ſi labor tibi durus, ſi inopia grauis, ſi quidquid patientiam poſtulat, tibi videtur acerbum, nondum vſurpare potes ſponſæ verba, nec dicere, *Faſciculus myrrha dilectus meus mihi.* Adde non ſolùm amori oneroſa cenſeri leuia; ſed de cœleſti magia res contrarias mutuari frequentiſſimè qualitates: mors videtur vita, ſed in dulcedinem tranſit, ignominia videtur honor: itaque natura rerum honeſtè confunditur, & de Græcis quodammodò incantationibus immutatur.

58\. Hanc veritatem teſtatur Ioannes de verbi Dei erga homines amore loquens: *Quod factum eſt,*
Ioan. 1. v. 3. inquit, *in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Recole quid in Chriſto Domino factum fuerit, vt noueris an vitæ titulo congruat appellari, an mortis ac calamitatis ingratis appellationibus inſigniri: Conſpuitur, diuerberatur, transfoditur, crucifigitur, ſepulchri tenebris velut mortuus ſæculi collocatur; & tamen hæc dulcis appellantur vita, & lucis nitidiſſimæ gratia: *Quod factum eſt in ipſo vita erat, & vita erat lux hominum.* Iam ſi inquiras quomodò ſalutis ac vitæ titulo decoretur, quod doloris ac mortis defœdari obſcuritate cognoſcitur? reſpondebit Ioannes: Quia vita erat lux hominum: vbi quod patiebatur illuſtrandis, promouendiſque, quos ardenter amabat, hominibus deſeruiebat, acidum tranſibat in melleum, in vitale mortiferum, in luminoſum obſcurum. Ita Ambroſius ad Pſalm. 36. *Quod*
Ambroſ. *factum eſt ergo in ipſo, vita eſt: infantia facta eſt in ipſo, vita eſt: iudicium factum eſt in ipſo, vita eſt: mors facta eſt in ipſo, vita eſt: remiſſio peccatorum facta eſt in ipſo, vita eſt: vulnus factum eſt in ipſo, vita eſt: illuſio facta eſt in ipſo, vita eſt: diuiſio facta eſt in ipſo, vita eſt: ſepultura facta eſt in ipſo, vita eſt: reſurrectio facta eſt in ipſo, vita eſt. Vide quanta in ipſo facta ſunt, quibus vita noſtra facta conuerſio eſt, vt quæ perierat, redderetur.* Omnia in ſuum colorem traxit, & conuertit amor: mors nomen reſurrectionis participabat, quia amor vel ipſa morte ardebat: de ipſo vitæ interitu amor reſpirabat, & quia dilectum beneficiis cumulabat, viuebat: vita erat impensè diligenti quidquid adulabatur amori, etſi corporis aduerſaretur ſaluti: de amoris namque laudabili incantamento ipſa mors tranſibat in vitam, & ipſa infamia conuertebatur in gloriam.

---

§. XV.

Bonus Reipublicæ miniſter curabit muneris obligationem implere; ſed ad nocendum non ampliare.

BOnus Reipublicæ miniſter poteſtatem non ſortitur venalem, nec peſtilentem; ſic muneri 59.
ſatisfaciet, vt in modum hoſtis publica armatus potentiâ omnia non diripiat; ſed manus impollutas cuſtodiat: auro correptus munus non adulterabit, nec munus ad inferendum nocumentum extendet: *Caue ergo*, monebat Theodericus Gudinandum 5. var. 19. *ne te venalitas maculet, aut* Caſſio
neglectus turpis inuoluat, & tam magnæ rei ſuprà te ruentis pondere comprimaris, ſi tantis ac talibus rebus impar extiteris. Obligatio accuſat ob venalitatem neglecta, vt etiam ad turpem amplificata rapinam: quiſquis ſibi deſiderat credi, maiora laudabiliter exequatur iniuncta: nam honeſtum ſuffragium eſt ad potiora ritè peregiſſe mandata. Samſon acerrimus Philiſthinorum hoſtis noctis patrocinio contectus Gazam intrauit; non tamen lynceos potuit oculos curioſitatis latere: Philiſthini miniſtros deſignant, qui Samſonem hoſtem infenſiſſimum comprehendant: *Circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto manè exeuntem occiderent.* Quærunt Interpretes, cur in mulieris domum cuſtodes non irruerint, vt illi vinculis premerent. Abulenſis q. 3. reſpondet noluiſſe mulierculæ inferre damnum, cùm aliter crederent obtinendum facilè deſiderium: obligationi adimplendæ inuigilarunt; munus verò ad detrimentum innoxiæ mulierculæ non extenderunt. Si alij eſſent miniſtri, captioſis criminationibus circumuenirent mulierem, vt quidquid haberet, diriperent, & publica auctoritate armati vaſtarent; hi tamen geſtiebant implere officium, non inferre immeritis nocumentum. Abulenſem audi: *Non potuiſſent eum capere intra domum mulieris, niſi* Abulenſ.
vel dirueretur domus, vel incenderetur domus, & cùm putaſſent ſe aliter poſſe capere eum, noluerunt hoc damnum inferre. Dum arbitrantur obligationi poſſe ſatisfacere ſine alieno detrimento, maluerunt ſomni diſpendio expectare, quàm pauperi mulierculæ aliquam iniuriam inferre: ſi muneris iacturâ mulieri conſuluiſſent, in munus ſibi commiſſum peccarent: ſi ampliaſſent ad nocendum querelis, & rapinæ ſuſpicionibus ſorderent: ergo ſic procedendum fore cenſuerunt, vt nec Samſoni parcerent, nec mulierculæ nocerent. Deſignati cuſtodes ad ciuitatis portam cuſtodiendam, ibi ſubſtitere vigiles, nec in mulieris domum ſe proripuerunt audaces. Neſcias an hæc ſæcula adeò circumſpectos, & inauaros ferant miniſtros. Certè aliquando cùm munus poſſit ſine illatis detrimentis impleri, malunt extendere, & infame lucrum ambire.

Cùm Dauid Nabalis impendioſa tenacitate 60.
exaſperatus arma in vindictam prænſaret, Abigail

puri

pari animi prudentia, & oris gratiâ exornata vianti opportunè occurrit, & ad Domini prælia electum faſſa, indignationis ardorem, & militum rapacitatem ſopire eſt ſapientiſſimè aggreſſa: *Prælia* 1.Reg.15. v.28. *Domini*, (Dauidem alloquitur) *Domine mi tu præliaris: malitia ergo non inueniatur in te in omnibus diebus vitæ tuæ.* Certè ad indignationem reprimendam in memoriam adducenda non erat militia, quandoquidem milites cum ipſa penula, ſi non ferociam, induere ſolent audaciam. Quid ergo Martis meminerit, vt properantem repreſſerit? O prudentiſſimam fœminam! Dauid milites habebat, vt Dei prælia ageret, non vt propriam vlciſceretur iniuriam, non vt auidis militum manibus diriperet ciuium ſubſtantiam: ergo electum Dauidem ad Numinis prælia in memoriam retulit, vt ab amplianda iuriſdictione in aliorum detrimentum reprimeret: Lyra. *Tu præliaris prælia Domini, id eſt*, exponit Lyra, *ad Dei honorem, & communem vtilitatem populi.* Ac ſi dicat: ſi poteſtatem extendas ad diripiendas domus in tuam ipſius vtilitatem, ſi in propriæ iræ obſequium ſanguinem fuderis; non eris Dei ſalubris miniſter; ſed peſtilens videberis hoſtis: ergo indignationem preme: nam dignus Dei miniſter obligationem implet, nec munus in proprium commodum, aut alienum nocumentum extendit. Efficaci Abigailis oratione Dauid iram cohibuit, ne dignitati maculam aut notam inferret. inueniuntur tamen rari Dauidis imitatores; imò ſunt qui dignitatis vacuam gerant vmbram, & contrariam nomini ac Reipublicæ exerceant vitam.

61. Chriſtus Dominus Ieroſolymitanæ Reipublicæ paterno affectu calamitatem deplorans, ab hypocritis miniſtris promanaſſe declarauit: Math.23. v.14. *Væ vobis Scribæ, & Phariſæi hypocritæ, quia comeditis domos viduarum.* Qui viduarum eſſe tenebantur auxilia, viduarum erant naufragia: vendebant legem extendebant iura, & miniſtrorum præferentes faciem, hoſtium intus conſeruauere furorem. Huc Chryſol. voco Chryſologum ſerm. 158. *Ieroſolyma varia ſe contaminatione perfuderat, Sacerdotes profanauerant Sancta, & peccata vendentes in quæſtum veniam, pietatémque conuertebant: Scribæ doctrinam cæleſtem, ſcientiam ſalutarem, vitale magiſterium in ſuum ſenſum, in perfidiæ lapſum, in lethale vaniloquium commutarant.* Miniſtrorum gerebant perſonas, vt à dignitate perciperent gloriam, illámque extenderent ad rapinam: viduæ armis deſtitutæ pupilli imbecilles præ ætate Solymitanorum erant ſagina, & exercendæ rapacitatis materia: tenebantur peccata expiare; ſed moliebantur auariſſimi vendere.

62. Hildebertus Cœnomanenſis deplorabat epiſtol. 19. nullum imbelli plebi niſi patiendi vſum relictum fuiſſe ſolatium, quandoquidem ſuſtinebant Conſules, qui nomine ſalutarem promitterent prouidentiam; ſed re tyrannicam exercerent Hildebert. ſæuitiam: ipſum audi: *Modico tempore ſex in vrbe ſuſtinuimus Conſules, quorum nullus pacificum prætendens ingreſſum gladiis & igne curam ſibi vendicauit poteſtatem, plebe coacta in fauorem tyrannum ſuſcepit ex neceſſitate, non ducem ex lege: in ſuſceptum ſtudia ſimulauit, non exhibuit: fidem reperit in ea, quia ſuperior: Conſul verò tantò grauius dominatus eſt, quantò breuius.* Expende argutè dictum: *Curam ſibi vendicauit poteſtatem:* id eſt, qui dictus electúſque Conſul debuiſſet ſalubritus inuigil. ſſe uris, inſudaſſe Reipublicæ commodis, munus detorſit ad poteſtatis oſtentationem, aut poteſtatem ad ſui curam vtilitatémque, & quia longo tempore non poterat dominari, aggreſſus eſt vel exiguo ſpatio diteſcere, & qui munus tenebatur implere, ſolùm ſtuduit ad nocendum artificioſè ampliare. Iam qualis huiuſmodi miniſtros copia circitorum ſtipet, audi: *Miles eius ſimulatis vſus iniuriis eos ſcelerum* Improbis miniſtris finem rapiendi fecit omnia rapuiſſe. *indicauit expertes, quos rerum; & quia non parcit populus regnum breue, finem rapinis inopia poſuit, non voluntas.* Conſulis apparitor circitorque in cupiditatis conflatorio factitias procudebat iniurias, criminoſáſque elaborabat cauſas, vt de crimine impoſito lachrymis irrigatum meteret aurum. Fors pudicam de proſtitutione accuſabat, fors appellabat mercaturam facientem, vt qui contrà legem, iuráque deliquiſſet: fors perpetrati homicidij ſanguine, vel abſentem aſpergebat, vt dum litigant, & pecunias etiam impendant.

Dominus gladiis ſuos voluit inſtrui diſcipulos, 63. vt parata eſſet defenſio, non vt deſæuiret vltio; Petrus verò dum gladio armatur, Principis ſeruum procaciter audentem percuſſit, & auriculàm amputauit: *Ecce vnus, ex his, qui erant cum* Matth.26. v.51. *Ieſu, extendens manum, exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Chryſoſtomus putat diſcipulos pro immolatione agni gladios accepiſſe: ipſum audi apud Diuum Thomam: D.Thom *Sicut Lucas refert, Dominus in cœna diſcipulis dixerat: Qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram; & qui non habet, vendat tunicam ſuam, & emat gladium. Et diſcipuli reſponderunt: Ecce duo gladij hîc. Conueniens autem erat illic gladios eſſe propter agnum, ſcilicet Paſchalem, quem comederant.* Itaque gladius pro immolatione agni quæſitus ad perſecutionem hominis eſt extenſus: & quo Dominus obarmarat ad myſterium, miniſter detorquebat enſem ad homicidium. Diuus Ambroſius non ſine acumine expendit Petrum exemiſſe gladium, quia Chriſtus Dominus poteſtatem ligandi atque ſoluendi ei commiſerat, quaſi accepta facultate ad ligandum vti poſſet ad occidendum. Ambroſium audi ad Lucæ 22. Ambroſ. *Tollit Petrus aurem. Quare Petrus? Quia ipſe eſt, qui accepit claues regni cælorum: ille enim condemnat, qui & abſoluit: quoniam idem & ligandi, & ſoluendi adeptus eſt poteſtatem.* Ligandi atque ſoluendi animum adeptus poteſtatem non aurem percutiendi corporalem; verùm poteſtatem extendit, & ſuo facto quod miniſtrorumm plures facturi forent, præſignauit. Sunt qui legè reclamante, & ipſo Domino prohibente facultatem ad nocendum amplificent, & iuriſdictionem prolatent. Æquitati vindicandæ deputatus miniſter ipſam aliquando vulnerat æquitatem, & qui gladio obarmatur ad inualidorum tutelam, eo vti ſolet ad liberiorem rapinam.

---

§. XVI.

Ingenuo viro non eſt adeo acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi.

ET ſi mors corporis omnium animos percellat 64. fœdiſſimo aſpectu, & truculentiſſimo vultu, inuentum eſt aliquid ipſa morte horribilius, & fœdius,

fœdius, infamia videlicet, quæ interitus honoris eſt: proculcauit Eua omnium mater mortis formidinem honoris impotenti deſiderio, & inſano voto: hanc ergo à communi matre cupidinem hauſerunt poſteri: per ignes gladioſque inuolabunt, vitam exponent, ſi ſtillam eluctentur gloriæ & gloriam acquiſiuerint famæ. Humana ſalus, prolixior vita inter numina locum non obtinuit; aſt honor tanti apud antiquos eſt habitus, vt aram fuerit ſortitus, inter numinaque relatus. Accipe Plutarchum lib. de Romanorum fortuna: *Virtutis apud eos ſerò, & poſt multa ſæcula, templum ſacrauit Scipio Numantinus: inde Marcus Marcellus cellam virtutis & honoris faciendam locauit.* Hinc quæcumque honori probantur aduerſa, fuerunt ingenuo ſemper odioſa: vt honorem redemerit, millies vitam exponet, & ne obſcurauerit famam, ſanguinem lubenter effundet. Theſi noſtræ ſuffraganitur Philiſthini, qui cùm in Samſonem ardentiſſimis æſtuarent indignationis flammis, conſultò mortem diſtulerunt inferre, quo poſſent cumulatiùs odio adulari. Poſt illatam cladem, poſt fruges igne conſumptas inimicorum deſpiciens vires, & amore mulieris perſuaſus Gazam Samſon ingreſſus eſt: non latuit hoſtes; imò cincta ſtatim militibus domo egreſſurum expectabant, & iam de victoria ſibi plaudebant: *Circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes.* Abulenſis quæſt. 3. rogat, cur Philiſthini vindictæ ardore poſſeſſi, & tot diſpendiis exaſperati in meretricis domum non irruerint; ſed expectarint. Certè facilius expeditiuſque videbatur incluſum intra exiguæ domus anguſtias occidere, quàm egreſſum, ac liberiori cœlo fruentem comprehendere: cur ergo moras nectunt ſibi pernicioſiſſimas, & hoſti commodas? An quia ipſo furore ſic obcæcantur, vt votis cæci aduerſentur? Imò diſtulerunt necem, inquit Abulenſis, vt ingeminarint dolorem: præſtolati ſunt egreſſurum, non inerti otio; ſed æſtuantis odij conſilio: nam ſi in domum irruant, verentur occidere; ſi expectent, & viuum capiant, promittunt ſibi ſummis iniuriis, extremiſque ignominiis obſcurare: ergo maluerunt, vt ſæuum expleuerint deſiderium, vt diriùs duriuſque aduerſerint inimicum, infamia, ac conuiciis dehoneſtare, quàm audaci ferro præcidere. Accipe Abulenſem: *Putauerunt Philiſthini, quod ſi vellent capere eum intra domum, potiùs occiderent, quàm caperent, & tamen ipſi deſiderabant viuentem capere, vt exercerent in eum ludibria.* Non ignorabant Philiſthini Samſoni durius fore haberi ignominioſo ludibrio, quàm vltrici ſecari ferro: ergo de odij ingenio, de ſæuitiæ artificio conceſſerunt vitam, vt grauiorem ipſa morte irrogarint offenſam: *Deſiderabant viuentem capere, vt exercerent in eum ludibria.* O quàm eſſet Samſoni non ferendum indecorum ludibrium! O quàm eligeret acerbiſſima potiùs morte cruciari, quàm ignominioſo contemptu aduri, quandoquidem nil ingenuis viris adeò graue poteſt accidere, quàm ab hoſtibus irrideri, & iniurioſè tractari. Ergo Philiſthini, quo rabidum furorem expleuerint, quo infenſiſſimum ſibi hoſtem grauiùs diuexatint, noluerunt mortem inferre; ſed contumeliis ac ludibriis conſumere: *Deſiderabant viuentem capere, vt exercerent in eum ludibria.*

Plutarch. Honori templum dicatum.

Abulenſ.

65. Redeat iterum Samſon ab Allophylis captus, exoculatuſque vitam ducebat amariſſimam; verùm nec tot calamitatum vorticibus hoſtilis odij flamma ſopita eſt; imò quo gaudia ſua cumulatiùs adornarent, & Samſonis calamitatem vltra modum adaugerent, qui ad hoſtias numini ſuo dicandas conuenerant, educi incarceratum iuſſerunt, & ante eos ludere, vt illuderent, imperarunt: *Præceperunt, vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet.* Qui carcere incluſus mortem non aptauerat, iam ſuæ mortis artifex vitam finiuit, & ipſo triumpho oppreſſus interiit. *Moriatur anima mea cum Philiſthiim.* Si inquiras, cur tot laboribus patienter latis modo quaſi de impatientiæ confinio vitam morte commutare maluerit, & ſatiùs quàm viuere, ruinis includi ædificij duxerit; reſpondebit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 23. ſic ludibriis fuiſſe exulceratum, ſic diuexatum deſpectu, vt ad mortem vti ad tot ærumnarum leuamen recurrere adurgeretur: vires inerant ad ingentiſſimas inſanæ ſubſtructionis columnas concutiendas & elocandas; non tamen ad irriſionis iniurias tolerandas & ſuſtinendas. Grauius illi morte viſum eſt conuiciis impeti, & irriſionibus obſcurari. Ambroſium audi: *Grauibus in eum inſultabant conuiciis, circumagebant ludibriis, quod durius, & vltra ipſam captiuitatis ſpeciem viro ingenitæ virtutis conſcio tolerabatur: nam viuere & mori naturæ functio: Ludibrio eſſe probro ducitur.* Cupiens tantam contumeliam honeſta vltione ſolari, hoſtes occidit, vitamque expoſuit, quod etſi fuerit arcanum ac myſteriis plenum, ad noſtræ tamen theſis confirmationem eſt ſine dubio opportunum.

Iudic. 16. v. 25.

Ambroſ.

66. Chriſtus Dominus pro nobis eximia tolerantiæ, patientiæque exhibuerit exempla, non ſolùm crucem ſubiit; ſed contumelias, & opprobria acerbiſſima tolerauit: *Milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum.* Tertullianus ſolito acumine expendit hîc diuinam patientiam doloribus quodammodò ſaginatam, &, ſi fas eſt dicere oppletam: *Taceo quod figitur,* inquit lib. de patient. cap. 3. *in hoc enim venerat: Numquid tamen ſubeunda morti etiam contumeliis opus fuerat? Sed ſaginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat. Deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* Confert Tertullianus in morte toleranda patientiam cum æquanimitate in irriſionibus ſuſtinendis, & ludibriis ſpectandis, aitque ludibria patientiæ fuiſſe ſaginam, vt quæ copioſiſſimam materiam adminiſtrarint. Mors duriſſima fuit, vtpotè ab odio & inuidentia ſtudioſè excogitata; verùm in morte non ſic ſcintillabat patiendi deſiderium, vt in contumeliis ſufferendis ſtudium, quandoquidem mori naturæ eſt tributum; aſt irriſionibus feriri exaggeratius ingenuitatis tormentum. Diuinæ æquanimitatis pompa in conuiciis contumeliiſque tolerandis reſplenduit, nec minus quàm nuditate, probroſa purpurâ enituit. *Saginari voluptate patiendi diſceſſurus volebat, deridetur, fœdis veſtitur.*

Ioan. 19. v. 2.

Tertull.

67. Saül copioſa aduerſariorum manu cinctus, ne inhoneſta Principi ſuſtinuerit ludibria, mortis maturauit ſibi tormenta: *Dixit Saül ad armigerum ſuum: Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me*

1. Reg. 31. v. 4.

illudentes mihi. Cæco auſu vitam ſibi præripere feſtinauit, improbandoque conſilio violentas armigeri manus aſciuit; verùm dum incertæ illuſionis periculum certa morte redimere voluit, quàm ſit præ morte acerba ingenuo viro contumelia, & irriſio, dilucidè oſtendit: Non ait: ſine dubio illudar; ſed *ne fortè*: ſic expauit irrideri, vt ſolatium fuerit ab armigero trucidari. Adeſt Noſter Sanctius ſatis tempeſtiuè: *Ne hanc, quam animo ignominiam conceperat ſubiret, domeſtico maluit, quam* Sanctius. *alieno gladio iugulum præbere, quaſi hoc genus moriendi foret honeſtius.* Ignobilem vitam, & opprobriis plenam plures ſunt qui cum voluntaria morte commutarint gladium viſceribus recondentes, & quod hoſtibus futurum de ſua ſeruitute gaudium præuidebant, occupantes: ergo Saül maluit vitam ſibi abſcindere, quàm ignominioſa ludibria, & præ ipſa morte amariorem irriſionem ſuſtinere: *Ne hanc, quàm animo conceperat, irriſionem ſubiret: domeſtico maluit, quàm alieno gladio iugulum præbere.* Adde grauem adeò dolorem eſſe nobili, & ingenuo, riſui contemptuique haberi, vt huius doloris comparatione vel grauiſſima videantur non adurgere tormenta.

68. Vt acerbiſſimas Luciferi illius ſuperbiſſimi pœnas nobis Pſalmiſta exponat, non ait inexPſal. 103. v. 26. tinguibili igne diſcruciari; ſed irriſoriè illudi: *Draco iſte, quem formaſti ad illudendum ei.* Ad illuſionem ait efformatum, cùm dicere quiret ad Hugo. ignem. Iam in dracone diabolum adumbrari tradit Hugo his verbis: *Per pœnitentiam illuditur diabolo.* Adnectit: *Et ſciendum quòd diabolus dicitur draco.* Itaque graui adeò anxietate, acri adeò dolore exulceratur diabolus irriſus, & illuſus, vt Dauid efformatum non dixerit ad immortales flammas; ſed ad duriſſimas contumelias: *Ad illudendum ei.* O quàm Luciferinæ ſuperbiæ intolerabile eſt irriſoriè deſpici, pede calcari, ab hominibus illudi? Forſitan, ſi daretur optio, mallet ſuperadiectis flammarum vorticibus abſorberi, quàm irriſionis, illuſioniſque cruciamenta ſubire. Ergo hinc conicies, qua ſanctiſſimus parens meus Ignatius patientia emicuerit, qua in Deum charitate flagrarit, quandoquidem cùm iter ageret, & à pueris irrideretur, ne occaſionem irriſionis auferret, ſubſtitit, & ſe illudendum animo pacato, & hilari vultu exhibuit.

---

§. XVII.

Nonnulli ab ipſis culpis contra pœnam ſortiuntur auxilium, & immunitatis quodammodò priuilegium.

69. QVidquid nos meliores, beatoſque facit, lucis amicum eſt: ruboris ignorat accuſationem, metus anxietatem: animus virtutibus addictus in tranquillitatis olympo degit: nullis ambitionis turbinibus concutitur, nullis diſcriminum adſultibus oppugnatur. Quem animi conſtantia eorum, quibus vita, dum ornatur, diſtorquetur, contemptus eo perduxit, vt ab homine non multum, à Deo nil timeat, cœlorum iam ſe ciuibus intulit, aut in confinio deguit. Perfecta charitas, non ſolum ſopit metum; ſed longiſſimum exterminat in exilium. Hanc virtutis prærogatiuam ſuffurari anhelat etiam voluptas, & de ſæculi peruerſitate, quem vitiis inficit, à metu etiam non ſemel exemit: vnde errori erat promanaturus angor: inde pernicioſa ſecuritas naſcitur, & ab ipſis delictis auxilium contra imminentia diſcrimina petitur. Optimè Seneca Seneca. epiſt. 97. *Impune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, qui damnationem peius effugit, quàm meruit. Quidquam fuiſſe corruptius illis moribus credis, quibus libido non ſacris inhiberi, non iudiciis poterat? Quibus in ea ipſa quæſtione, quæ extra ordinem, ſenatuſque conſulto exercebatur, pluſquam quærebatur, admiſſum eſt? Quærebatur, an poſt adulterium aliquis poſſet tutus eſſe? Apparuit ſine adulterio tutum eſſe non poſſe.* Alterum delictum ab altero implorauit auxilium, & adulter pœnis eſt exemptus, quia leno ipſis iudicibus adulteria diſpoſuit, & voluptati inſeruiuit. Dum iudicum, dum potentum voluptas ipſo crimine gratiam init, interminatas à lege pœnas eludit. Florales ioci dum indigno, impudicoque ſpectaculo iudices oblectabant, & meretricum cauſam agebant: de adulterio Clodius interpellatus liberatus eſt adulteriis. Idem meretrici Philiſthinæ accidiſſe videtur: ingreſſus fuerat ad illam Samſon acerrimus Philiſthinorum hoſtis, & graſſantiſſima peſtis, cúmque accepta clades, & frugum diſpendia ad illum vinculis irretiendum Philiſthinorum manus acueret, à vindicta abſtinuerunt, ne meretricis domum irruptione turbarent: mulier communis hoſtis receptatrix videbatur grandi ſupplicio mulctanda; ſed libidinis patrocinio liberata eſt: *Circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis.* Potiùs cenſeas cuſtodes in ſomni tutelam adhibitos, quàm ad vincula diſpoſitos. Si meretricis domum facile eſt ingredi, & dormientem capere, quid præſtolantur defatigata noctis iniuriis patentia, & paſſa violentiam irâ? Nicolaus reſpondet ſecundum terræ legem ſimilium domos ſecuritate gaudere, ob idque in Samſonem non irruiſſe, nec libidinis victimam propudioſiſſimam inquietaſſe: *Propter hoc non inuaſerunt eum ibi Philiſthini, quia ſecundum legem terræ* Lyra. *ſecuritatem debebat habere in loco hoſpitij; ſed poſuerunt inſidias in porta ciuitatis, vt eum exeuntem occiderent.* Ob libidinem puniendus ipſa libidine defenſus eſt: ibi ſecurus degit à pœnis, vbi pœnas merebatur flagitiis: vt verum ſit quod aiebat Seneca: *Apparuit ſine adulterio tutum eſſe* Seneca. *non poſſe.* Addit Stoicus: *Et fient, & facta ſunt iſta, & licentia vrbium aliquando diſciplina metuque, nunquam ſponte conſidet.* Philiſthini plus libidinibus permittebant, quam legibus, infamis domus ſacrum erat ſcortatori aſylum, lupanar vt Deorum ſuſpiciebatur delubrum. Meretrix illa, quibus inficiebat Rempublicam, vitiis merebatur gratiam, & voluptatis priuilegio delictorum aduerſabatur ſupplicio. Inuenies pulchellas*, quæ ipſis delictis iudices ſibi promereantur, quæ miniſtros proſtitutione ſubornent, & vti ſubornatos non timeant: non ignorabat meretrix communem Reipublicæ hoſtem admittere proditionis eſſe crimen, præſumpſit tamen immunitatem de ſcortationis auxilio, & de criminis priuilegio.

Non ineptè huic theſi adaptari poteſt arcana 70.

illa

illa Thamaris hiſtoria: pro meretrice à Iuda habita opinionem non fugit; imò argumenta indubia p.oſtitutionis petiuit: Genes. 38. v.17. *Patiar quod vis, ſi dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod pollicerìs.* In pignus accepit baculum, annulum, armillam, cúmque poſteà de crimine interpellatam flammis ſententia addiceret, iamque duceretur vſtulanda, ad clariſſima ſuſpectæ anteà ſcortationis argumenta recurrit, quibus non tantum fruſtrauit ignem; ſed promeruit etiam laudem: *Cùm duceretur ad pœnam: miſit ad ſocerum ſuum dicens: De viro, cuius hæc ſunt, concepi. Cognoſce, cuius ſit annulus, & armilla, & baculus: qui agnitis muneribus ait: Iuſtior me eſt.* Iuſtificata eſt apud Iudam eis ſignis, quibus comprobatum eſt, de quo accuſabatur, delictum, & quæ rea venerat de concubitu exiſtimato, abſoluta eſt de noto: eluſit pœnam, quia Iudæ tribus Principis ipſo ad ſpeciem crimine promeruit gratiam. Quærebatur, an commiſiſſet delictum, & liberata eſt, quia cum iudice concubuiſſe non dubium.

71. Balaamus cùm nec execrandis auguriis, nec magicis incantamentis, aut incantatoris faſcinis Balac populum quiret tueri, vt Iſraëlitarum, quibus pœnam infligere commiſſum, robur debilitaret, ſe vaferrimas ad artes conuertit, pulchellas, ornatas, & florentes fœminas ſuaſit cupido aſpectui ſubiicere, ratus ſcortationem fore contra pœnas propugnaculum, & contra quam timebant, calamitatem auxilium. Criminum copia vltrici Iſraëlitarum gladio Moabitas obtulerat, vtque Balaamus eximeret, non conſuluit pœnitentiam; ſed nouam culpam: Num. 24. v.15. *Pergens ad populum meum dabo conſilium quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Quod conſilium? Fœminas ſcilicet vltores adire, & voluptatis deliciis ſubornare: de ipſis culpis aduerſus meritas pœnas conſtruxit propugnacula, & quæſiuit auxilia: nec falſus eſt: Moabitæ namque dum lucrantur ſcortationibus gratiam, effugiunt pœnam: recondebatur gladius. nec iam animus erat delere; ſed Moabitarum populum conſeruare: cæleſte decretum, iuſtum Numinis iudicium Iſraëlitis veluti æquitatis miniſtris Moabitas tradiderat; verùm voluptate corruptis ac ſubornatis nec vigor erat, nec voluntas manebat: *Balac dormit*, ſcribit Hugo ad hunc locum, Hugo. *vt mitteret ſcandalum coram filiis Iſraël, vt manducarent immolata, & fornicarentur.* Balac culparum opem de impio Balaami conſilio aſciuit, & illi pro muro fuit: nam timori criminibus obuiauit. Plures filiarum pudicitia redemerunt ſupplicium: plures ſororum probro, vxorum plures adulterio. O quot inemendabiles facit culpæ patrocinium, & ad corrumpendas pro reo ſanctiſſimas leges ingenium: ſine culpæ tutela rea Philiſthina cecidiſſet; ſed dum crimine circitoribus placuit, ab irruptione continuit. Paucis diſplicet offenſa, quia delectat fortuna. Olim bona conſcientia nec prodire verebatur, nec conſpici: timebat ipſas tenebras nequitia; ſed iam vice verſa iniquitas audet interrita, & virtus exulat terroribus agitata. Balac, etſi incantamenta non ſucceſſerint, nec profuerint auguria, ad voluptatis recurrit patrocinium, vt criminis effugiat tormentum.

72. Moyſes ad Deum aſcenſurus Aaronem & Hur ad ſedandas, ſi quæ orirentur lites & quæſtiones, Iſraëlitis præfecit: Exod. 24. v.14. *Habetis Aaron & Hur vobiſcum; ſi quid natum fuerit quæſtionis, referentis ad eos.* Cùm vterque Reipublicæ adminiſter fuerit delegatus, populus dum idololatriæ furore percitus deos ſibi producere exambit, non ad Hur, ſed ad Aaronem confluxit; & pro conflando vitulo inaures obtulit: *Videns populus quòd moram faceret deſcendendi de monte Moyſes, congregatus aduerſus Aaron, dixit: Surge fac nobis Deos, qui nos præcedant.* Exod. 32. v.1. Quærunt Interpretes, cur Aaronem ſolum, non Hur periuerint, quando æqua vtrique lites componendi poteſtas, & Rempublicam adminiſtrandi facultas? Reſpondentque Aaronem ad vituli conſtructionem vti ad vitæ tutamentum confugiſſe; Hur verò vitâ mulctatum, vt qui pro ſe non haberet idolum; ſed oppoſuiſſet obſtaculum. *Quare hic non fit mentio de Hur*, inquit Lyra, Lyra. *quem conſtituerat Moyſes ad regimen populi cum Aaron, vt dictum eſt ſupra 24. cap. Dicit Rabbi Sa, quòd populus interfecerat eum, eo quod ipſum argueret de tanto ſcelere.* Proh deteſtandas rerum vices! Qui caruit idololatriæ piaculo; decretam à populo mortem ſubiit: vitâ fruitur, qui idoli ſubſtructione pollutus eſt: alter de ſcelere vitam produxit, & dignitatem, alter eius patrocinio deſtitutus dignitate & vitâ occubuit mulctatus: Hur apud inſanos ſine criminis tutela viuere non licuit: Aaron eius auxilio infulis dignitatis reſplenduit: vt omnibus placebat error, ſic pietas diſplicebat: ergo cæca mens, & adulterata affectio in altero damnauit, quod horruit; plauſit in altero, quod ambiuit: Aaron vt mortem euadat vitulum conſtruit: Hur, quia non conſtruxerat, periit: ab ipſa culpa auxilium aſciuit, qui deliquerat, contra pœnam; tulit, qui non deliquerat, mulctam.

---

§. XVIII.

Dum ignauia moras trahit ſtultè confiſſa, ſpebus dolet fruſtrata.

IGnauia confidentiæ ſolatium ſæpiſſimè aſciſcit, & ne quo fruitus præſens tempus in tuto 73.
ponat, futurum ſibi tempus ſperat: virtutis occaſionem eludit, quia ſibi, vt orietur, imponit: tempus perdimus, quia futurum nobis tempus imprudenter confidimus: *Nemo noſtrum*, aiebat Seneca lib 3. de Benef. cap. 3. *nouit niſi, id tempus, quod cum maximè tranſit.* Seneca. Nemo niſi id, quod ocyſſimè elabitur, tempus nouit: in ambiguo futurum eſt; verùm eò proceſſit amentia, vt præſens de futuro perdamus, & fiducia incerti certum depretiemus. Quod poſſidemus, negligimus, nobis promittentes dubia, & alieno in arbitrio poſita. *Præſentia bona*, addit Stoicus cap. 4. *nondum tota in ſolido ſunt: poteſt illa caſus aliquis incidere: futura pendent, & incerta ſunt.* Inter tuta reponit error noſter incertum, & confidentiæ manibus prænſat ambiguum, quo virtutis occaſionem differat, ad fiduciam excurrit ignauia tantum ſubtrahens virtutibus; quantum adiicit vanis ſpebus. Intrauerat Samſon Gazam ciuitatem Paleſthinorum accepta clades ad vindictam exacuebat; verum vrbis præſides in futurum diſtulerunt, & diſpoſitis circa domum excubiis exiturum præſtolabantur: *Circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes; vt facto mane exeuntem occiderent.* Vt indulgerent tunc ſomno, Samſonem mane ſibi promiſerunt capiendum; ſed mo-

ræ pœnas dederunt illuſi, & ſera pœnitentia fruſtrati: nam Samſon dum tempus anteuertit, prætenſos laqueos effugit: *Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis, & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis; qui reſpicit Hebron.* Irruere differunt in dormientem, & occidendum promittebant ſibi vigilantem. Ne honeſto defatigaretur certamine ſibi illuſit ignauia ſpondens mane facilius illigandum, & occidendum; verùm dum iners fiducia ſe tradit ſomno, dum mane præſtolatur ignauia, Samſon aufugit, & ſpes fruſtrata dolet: Ambroſ. *Samſon cognito quid pararetur*, ſcribit Ambroſius, *compoſitas inſidias noctis medio præuertens, fores portæ vrbis, & vtroſque poſtes manibus amplexus, materiam totam & ſeram ceruice valida ſuſtentans in verticem montis altiſſimi tranſportauit*: Accinit Abulenſis quæſt. 3. Abulenſ. *Dicendum quod Philiſthini non curauerunt capere eum intra domum mulieris, quia clauſis portis vrbis poterant eum capere conuenienter egredientem de domo mulieris.* Dormientem etiam extimeſcebant Samſonem, & inter vindictæ ſtudium, & ignauiæ metum diuiſi in poſterum diſtulerunt capere, vt tunc valerent dormire: *Aliquis dicet*, addit Abulenſis quæſt. 4. *quod Philiſthini ſic concordauerant, quod manerent cuſtodes ad portam tota nocte, & tamen poſteà putauerunt quod caperent eum in aurora, etiamſi non ſtarent ibi tota nocte & ob hoc receſſerunt.* Perſuaſi ſunt cuſtodes, vt ſomno tunc indulgerent, non poſſe Samſonem eorum manus effugere; verùm dum in poſterum mittunt capere ſibi inueniuntur imponere. Si hoſtorum moribus aptes, reperies peccatores dæmonem ad eorum ciuitatem, hoc eſt animam aduentaſſe non ignorantes, vt tamen dormiant, ſibi promittunt facilè poſteà deuinciendum & expugnandum; verùm dum in futurum mittunt certamina, illuſi opprimuntur inopinatâ miſeria.

74. Nato Domino ſplendiſſimum Magorum immerſos tenebris oculos ſydus illuſtrauit, & eloquenti luminis ſilentio recens natum Iſraëliticæ gentis Principem docuit: inuolarunt illi celeres nouitatis peregrinatæ oblectati, & cœleſti duce perducti. O felices, qui in cœlum oculos tollunt, & viam virtutis arripiunt. Quàm erat mirâ itineris labor voluptate coniunctus: curiam ingrediuntur non ambitionis conſilio; ſed quod mirandum fuit inueniendi Domini deſiderio. Ad omnia loca virtuti aditus eſt; curiales tamen ſic à rerum cœleſtium diſtant memoria, vt obturbentur, percellanturque notitiâ. Herodes nuntio obturbatur, grex adulatorum dum affectat perturbationem, blanditur: originis loco per oracula prophetarum iam prodito Herodes adorationem differt in futurum ſperans à Magis edoceri, & alieno labore frui: Matth. 2. v. 8. *Cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Differt ignauus, quod præmaturat deuotus, dumque trahit moras ſtultè confiſus, dolet à Magis deſpectus, & pueri fuga fruſtratus: *Per aliam viam reuerſi ſunt in regionem ſuam.* Magi aliam viam ineunt, Ioſephus puerum & matrem infert Ægypto & iam Herodes moræ ſuſtinet digniſſimas pœnas, & ignauiæ experitur anguſtias. *Tunc Herodes videns quoniam illuſus eſſet à magis, iratus eſt valde.* Videbatur rex à regibus nullatenus illudendus: vt puer recens natus in Ægyptum non tranſportandus; at dum ſtultè confidens diſtulit, & illuſus doluit arripienda ſunt incunctanter ſalubria: nam ſi procraſtinet ignauia, ipſa procraſtinatione aſciſcit ſibi pericula. Herodes Chriſto captioſos dolos prætexebat aduerſus, & adorationis differebat etiam obſequium perſonam ignauorum indutus: ergo dum differt, elapſa occaſione dolet. Si Magis ſe adiungeret, cœleſti illuſtratus lumine depoſuiſſet cæcam inuidiam, & debitam impenderet reuerentiam; at dum putat puerum non diſceſſurum, dum arbitratur promiſſis ſtandum, & vanis fruſtratus dolet ſpebus, & intimis diſtorquetur doloribus: *Iratus eſt valde.* Ad quæ Euthymius: *Tunc quando? Poſtquam videlicet, qui Ieſu curam habebant, in Ægyptum fugerunt: vſque ad id enim temporis circa curas alias occupatus fuit Herodes.* Euthym. Sæcularibus detentus rebus in futurum adorationem diſtulit; verùm dum otioſus ignauuſque, tempus terit, & occaſionem amittit. Iam dolet fruſtratus: qui ſe nunquam fruſtrandum crediderat indeuotus. O quot ingemuerunt deluſi, dum, vt appetitus lenocinarentur inſaniis, ignauæ confidentiæ aduocauere ſubſidium, & opportunioris occaſionis ſibi ſpopondere ſuffragium: ſalutem differunt virtuti tædio, & ſalutis puniri ſolent excidio: inutili ſeraque pœnitentia diſtorquentur ſæpè fruſtrati, qui imprudenter dormitauerunt confiſi.

Obdormiebat ſponſa, & fores munierat peſſulo, quod retrahere, vt pulſanti aperiret, animo propoſuerat: *Peſſulum oſtij mei aperui dilecto meo.* 75. Cantic. 5. v. 6. In peſſulo voluptates, quibus aditum Chriſto occludimus, intellexit Gregorius Magnus: *Peſſulum oſtio facimus, quando per voluptates carnis aditum cordis contra ſponſum obſeramus.* Greg. Obſeratis peſſulo foribus ſomno liberiùs indulgebat: promittens ſibi opportuno tempore diſcutiendum ipſa ſpe fouebat ſomnum: Cantic. 3. v. 2. *Surgam, & circuibo ciuitatem per vicos, & plateas quæram, quem diligit anima mea,* en ſomnus foribus iniecit peſſulum, & qua poſteà quæſitura, lectulo tunc deliciabatur otioſa: ergo ſponſus aduentauit fores pulſans, & dilectam blandè compellans: *Aperi mihi ſoror mea.* Moras traxit ſtragulis fota, & peſſulum retrahere cunctata: *Expoliaui me tunica meâ, quomodo induar illa?* Aperuit tandem; ſed elapſo iam ſponſo: clamores ingeminauit anguſtia; ſed ſpõſus nõ reſpondit: *Ille declinauerat atque tranſierat: Quæſiui & non inueni illum: vocaui, & non reſpondit mihi.* Non decreuerat non aperire; ſed malebat differre; verùm dum otio indulgens perſuadebat ſibi pro foribus inueniendum ſponſum reducto peſſulo, ſibi impoſuit, & in quærendo non modicum laborauit: ſi vocanti obtemperaſſet, abſque dubio pro foribus inueniſſet: at dum cunctatur, dum lentè retrahit peſſulum, dum nondum depellit ſomnum, moræ pœnas tulit, & plagis acceptis doluit: *Quærit ſponſa dilectum*, addit Gregorius, *ſed non inuenit: quia à Deo inſpirata mens aſſiduè ſuauitate illa intima perfrui concupiſcit, ſed corruptio prohibet.* Cum ſtudio coniunxit otium, cum otio ſpei maritauit lenocinium; verùm fruſtrata ſpebus non inuenit, quem dum moras traheret, inueniendum ſibi promiſit. Quando tam præſens aderat, repulit, & iam repulſum diu defatigata quæſiuit, nec, vt ingemiſcens teſtatur, inuenit: *Quæſiui illum, & non inueni: vocaui, & non reſpondit mihi.* Totum hoc inter ſponſum & ſponſam erat gratus ac honeſtus amoris ludus; verùm ipſo ludo quid accidat tepidis & ignauis exprimitur, & virtutis penicillo inertiæ calamitatis delineatur: dormiunt plures, fores opponunt inſpirationi pulſanti, obſeratas peſſulo, hoc eſt, deliciarum obſtaculo; non tamen ſic

inerti

Digitized by Google

inerti ſomno immerguntur, vt ſe pulſanti aperturos poſteà non arbitrentur; ſed proh dolor! dum ſibi ſtultis adulantur ſpebus caſſis vociferantur clamoribus: *Quæſiui illum, & non inueni: vocaui, & non reſpondit mihi.* Dicebat: *Quæram*, non vt diſcuteret ſomnum; ſed vt de ſpe conſcientiæ ſopiret tormentum; verùm ſponſum non inuenit, quæ inueniendum, vt dormitaret; confidit. Certè peſſulo remoto, & myrrhæ patrocinio implorato inuenitur ſponſus: quia in quacumque hora ingemuerit peccator, diuinæ adeſt propitiationis benignitas, incurrit tamen ſponſæ caſus timorem, dum amoto peſſulo, dum diffluenti per manus copiosè myrrha ſponſum teſtatur ſtatim non inueniſſe, & nouis exertiſque clamoribus compellaſſe. Qui peſſulo cor obſerauit fidens facilè amouendum, ipſa ignauiæ conſuetudine præpeditur, & pulſans moris offenſus elabitur, quæ in ſui auxilium confidentiam aſciſcit, dum aſciſcit, inertia euacuat, & vnde ſibi promittit tutamentum, grauiſſimum emergit periculum.

§. XIX.

Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus.

76. Plutarch. PLutarchus lib. de Romanorum fortuna ſic ait: *Quod vrbem Romam, vt opificium inſtituit, tempus ſocio Deo fortunam, & virtutem inter ſe temperauit, & copulauit, quo ab vtraque mutuatum peculiarem operam exædificaret omnibus mortalibus domicilium verè ſacrum, & beneficum, arcemque firmam, atque elementum ſempiternum; quod labaſcentibus rebus humanis anchora vice aduerſus iactationes, & errores foret.* Vt putabant antiqui co[illegible]tis diſſidiis, & certaminibus inter ſe contend[illegible] fortunam, & virtutem, ſic, niſi conuenirent, aut induciis factis intermitterent bellum, nullam credebant ciuitatem ſtabilem peruenturam ad culmum: virtuti adſcribebant morum concinnitatem, excultam viuendi rationem, & internam animorum quietem; applicabant verò fortunæ opes, & diuitias, & quidquid ad volaticam pertinet gloriam. Hinc nil cumulate ſtabile, niſi fortuna vtriuſque conuenirent, credebant. Quod ſi implacabili diſſidio decertare credidiſſent, ad fortunæ caſtra imprudentes tranſibant; prudentes verò nomina virtuti dabant: *Vnum eſt bonum*, aiebat Seneca epiſt. 76. *quod honeſtum.* (Seneca. Solum quod honeſtum, eſt bonum.) Etſi longiſſimis manibus fortuna pecunias, honores, dignitates, & quæcumque cupiditati, ambitionique placent, largiretur, eam auerſabantur ſapientes, vt qui in eius captioſis donis nil ſolidi, ac veri agnoſcerent; ſed virtutis ſectabantur vexillum, vt quæ ſit verum animorum ornamentum, firmum Reipublicæ fulcrum, ſecurum ciuitatum propugnaculum: & quidem iure: nam ſi virtus exulet, quantumvis fortunæ affluxerint bona, ciuitates inuenies exarmatas, & inſidiis inimicorum expoſitas. In Samſone Chriſtum Dominum adumbratum fuiſſe communis Patrum ſententia eſt, nec vitiorum emblemate factam vti Scripturam ad virtutum naturam exprimendam ratum. Ergo Samſon honeſtos Chriſti amores non adeò puris amoribus delineans ad meretricem intrauit: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Auguſtinus (Auguſt.) Serm. 107. de tempore ſic habet: *Agnoſcimus hoc loco Redemptoris noſtri opera.* Conſonat Gregorius (Greg.) homil. 21. in Euang. *Quem in hoc facto Samſon niſi Redemptorem ſignificat?* Itaque Redemptoris perſonam gerens Gazam intrauit: ibi captioſæ in eum obarmantur inſidiæ, vt vigilum peruerſorum diſponuntur cuſtodiæ. Quid tunc? Ciuitatis portas auellit, & in montis verticem valida ceruice ducit: *Conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis, & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* En Gaza, quæ diuitias ſonat, dum Chriſtum oppugnat, duplici ſe fortitudine mulctatam deplorat. Fugit Samſon vera animarum fortitudo, & patuit vrbs diruti foribus, incurſionibus aduerſariorum expoſita: iam non habet ſeram, qua ſe aduerſus hoſtiles tueatur incurſus, iam caret foribus, quibus inſidioſos inimicorum repulerit auſus: *Lento gradu mouebatur*, inquit Abulenſis (Abulenſ.) quæſt. 5. *ſecum ferens valuas ciuitatis eorum.* En vbi ciuitas ſine Deo hoſtibus etiam patuit ſine valuarum præſidio.

77. Populus Edom petrarum ſciſſuras in munitionem nullis ad ſpeciem hoſtium incurſibus labefactandas delegerat; aquilæ ad inſtar nidum inter ſydera collocarat: habitationis immunitate gloriabatur ſuperbiens, & ſuperbis ſubſtructionibus fidens? verùm dum pauperculorum lachrymis, dum imbellium rapinis, & miſerorum oppugnabatur lamentis, non potuit non labi, & inimicorum armis deuinci. Abdiam auſculta: (Abdiæ v. 4.) *Ecce paruulum dedi te in gentibus, contemptibilis tu es valde: ſuperbia cordis tui extulit te habitantem in ſciſſuris petrarum exaltantem ſolium tuum! qui dicis in corde tuo: Quis detrahet me in terram? Si exaltatus fueris vt aquila, & ſi inter ſydera poſueris nidum tuum, inde detraham te, dicit Dominus.* Vti aquila auium rex ambitioſis plumarum alis inſtructa nidum ad ſpeciem inter ſydera collocat, quo nec hoſtilis manus poſſit accedere, nec induſtria ſolers ſubruere, ſic Edom montium confragoſa delegerat, & inacceſſa occuparat, arbitratus nullis ibi patere incurſibus, aut inimicorum auſibus, verùm dum Edom aquilæ ingenium imitatus piſciculos alieno elemento vſos exacutis vnguibus rapit, dum roſtro dilaceratos deglutit, ipſa rapina prægrauatus, copiàque diuitiarum præpeditus aëris non ſecat liquidum; ſed tractus voluntatur ad ſolum. Ab hoſtium incurſibus defendere nequibat ala, præruptorum montium voraginoſa tueri non poterat ſciſſura: quia quod rapinæ, iniquitatiſque fouebat venenum, illi procreabat imprudenter excidium: nequibat petrarum ſoliditate fundari, quia culparum ariete conſtabat dirui. *Aquilam* (verba ſunt Hieronymi ad hunc locum) (Hieron.) *cunctis auibus altiùs volitare, etiam hi qui de natura auium diſputant, memoriæ prodiderunt; tantique contuitus eſſe dicitur, vt cùm ſuper maria immobili penna feratur, nec humanis pateat obtutibus, de tanta ſublimitate piſciculos natare videat, & cùm iuxta littus fuerint, tormenti inſtar deſcendere, raptamque prædam pennis ad littus pertrahere.* Adnectit moraliſſimè: *Si didicimus hiſtoriam, ſequamur intelligentiam ſpiritualem.* Aquila ipſis altior infortuniis librabatur, dum piſciculis non inhiat, dum pauperculos non diſpoliat; at ſi rapinis ſtudeat, ſi piſciculos inualidos opprimat, iam petræ ſoliditas labilis vndæ ſortietur ingenium, & quo ad rapinam inuolarit celerior, ruet pondere culparum miſerabilior.

78. De Arca ſecurum tutamen, inexpugnabile præſidium in Iſtaëlitarum deueniens caſtra hoſtiles copias amata compulit ad lamenta: *Ingemuerunt dicentes: Væ nobis: non enim fuit tanta exultatio heri, & nudius tertius: væ nobis, quis nos ſaluabit de manu ſublimium iſtorum? Hi ſunt dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto. Confortamini & eſtote Philiſtijm, ne ſeruiatis Hebræis.* Mira res: ſi fatentur reſidere in Arca virgam, quæ olim elementis imperabat: ſi Ægyptiorum non ignorauere naufragium, quomodo ſe adhortantur ad prælium? O arcanum! Philiſthini eam fatentur Hebræorum Deo ineſſe potentiam, quæ elementorum vires poſſit inuertere, & plagarum imbres in aduerſarios armare, & tamen Hebræi ab hoſtibus & funduntur, & ſuperantur, vt noſcamus, quàm tradat hoſtibus culpa etiam eos qui muniri videbantur omnipotentiâ. Hebræus confugiebat ad arcam; ſed quem tradebat aduerſariis diuina iuſtitia, nulla profuerunt, vt euaderet, tutamenta. Arca potentiam ſuam Philiſthinorum Deum trucidando, ipſoſque Philiſthinos animalculis atterendo manifeſtè declarauit, vt Hebræos Philiſthæis mucronibus obieciſſe noueris culpam, vel cùm attulerant Arcam. Optimè Auguſtinus lib. 2. de mirab. Sacræ Scripturæ cap. 7. *Legis tranſgreſſores nequaquam Arca tuetur.* Lex tabulis exarata, manna cæleſtis annona, virga omnipotentiæ vicaria tranſgreſſores & ingratiſſimos accuſabant: ergo in ipſa Arca habebant, quibus accuſarentur cæci, & hoſtibus traderentur puniti. Arcâ non defendebantur, quia licet adeſſet potentia, aderat etiam contra refractarios & vrna & tabula: ſi cæleſti epulo paſti legibus exhibuiſſent reuerentiam, hoſtiles copias proſterneret virga; at dum in eos militat culpa, aduerſariis cedet victoria: *Legis tranſgreſſores nequaquam Arca tuetur.*

1. Reg. 4. v. 8.

Auguſt.

79. Saluianus lib. 7. de Gubernat. expendebat ingenioſa Dei pietate Hiſpanos ab Vvandalis olim deuictos, etſi Vvandali nec fortitudine excellerent, nec valentia virium præſtarent, aitque Deum non fortioribus populis tradidiſſe, vt omnibus notum eſſet non ſubiugatos hoſtium præſtantia; ſed propriæ culpæ inſolentia: *Nunquid non erant in omni orbe terrarum barbari fortiores, quibus Hiſpania traderentur? Multi abſque dubio; imò, niſi fallor, omnes; ſed ideò ille infirmiſſimis hoſtibus cuncta tradidit, vt oſtenderet ſcilicet non vires valere ſed cauſam.* Valebat Vvandalorum cauſa, quia tradebat Hiſpanos culpa, nec poterant fraudari victoria, dum contra virtutibus nudos & criminibus oneratos bellica deſudabant certamina.

Saluian. Hiſpaniæ cur Vvandalis traditæ.

80. Dum Ioſuë Iericho ciuitatem expugnat, muri corruunt, ciuitas patet hoſtibus peruia, & munitionum auxilio nuda: *Muri illico corruerunt.* Muri labaſcunt, quia ciuitas criminibus infecta non poterat non patere hoſtilibus irruptionibus: pro armis erat clamor, vt conſtaret omnibus ciuitatem non ruere oppugnatam aduerſariorum viribus, ſed incolarum ſceleribus: facile erat muris perſiſtentibus Ierichuntinos capi; at Deus murorum priuauit auxilio, vt aditus fuerit facilis aduerſario: ni in modum penduli oſcilli interna arietaret impietas, parum noſceret popularis clamoris, & tubarum multiplicitas. Opportunè Auguſtinus ſerm. 106. de temp. *Quis non ſtupeat ſaxa ſono dirupta, fundamenta clangore quaſſata, & ita collapſa, vt cum victores nihil manu læderent, apud aduerſarios nihil ſtabile remaneret?* Eleganter adnectit: *Sic æquo Dei iudicio & iuſtis aperuerunt viam, & defenſionem perfidis negauerunt.* Vbi habitabat perfidia, vbi impudicitia verſabatur, murus dirutus planiſſimam hoſti viam præbebat, & munitos olim incolas deſertabat: Saxeus murus, adamantinum ſubſidium, arx valida ceſſerunt non manibus; ſed clamoribus: vt notum fuerit omnibus vel præſidia fortitudinis miracula patere imbellibus, ſi internis labefactentur criminibus. Sine foribus remanſit Gaza, quia virtus exulabat, & iniquitas gliſcebat.

Auguſt.

---

§. XX.

Voluptas fortudinis eſt occaſus, & gloria nauus.

81. VOluptas virium morbus, roboris debilitas, rationis faſcinum, & prudentiæ nubilum ſic homines captiuat, vt à ſe ipſis exulare compellat: quiſquis ſe voluptatibus tradidit, inextricabili quodammodò caligini immerſit, & infortunium aſciuit; *Vulgus hominum prorſus delirat,* inquit Plutarchus lib. de præceptis ſalubrib. *qui ſi defatigationibus, ærumnis, & inediis ſint confecti, tunc potiſſimè corpora tradunt voluptatibus emollienda, & diſſoluenda, rurſuſque ex voluptatibus quaſi intendunt, & diſtringunt.* Delirium eſt, vt corpora deſtringant, & robur colligant, voluptatibus indulgere, & deliciis vires præcidere: ſuis ſe votis oppoſuit, quiſquis inde aggreſſus eſt vires accipere, vnde indubiè conſtat labefactari: voluptas reſoluit animum, robur expectorat, mentis obtundit aciem, debilitat corporis fortitudinem: *Nemo miles*, aiebat Tertullianus ad Martyras cap. 3. *ad bellum cum [illegible]ciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſ[illegible]e papilionibus expeditis & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſiſtit.* Deliciæ non militem procrearunt; ſed mollem: Labor & ſudor viros protulerunt certaminibus fortes; ſed voluptas prorſus inertes. Hannibalem inuictum niuibus, & terribilem hoſtibus deliciæ vicerunt, & eneruarunt. *Si voluptati ceſſero*, inquit Seneca epiſt. 51. *cedendum eſt dolori, cedendum labori, cedendum eſt paupertati. Idem ſibi in me iuris eſſe volet & ambitio, & ira. Inter tot affectus diſtrahar, imò diſcerpar.* Verum dixit: nam dolor eſt legitima, & indubia deliciarum proles: nobis imponunt & illudunt deliciæ, & dum quærimus ad ſalutis gaudiique auxilia, ſolidi gaudij & ſalutis procuramus nobis venena. En Samſon Gazenſes fugit, & vt hoſtiles, euaderet, non ſine anxietate montem inſcendit, cùm anteà in confertas hoſtium phalangas animoſus irruerit: *Inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* Dubitabis cur Samſon ſe modò fugæ commiſerit, & anteà hoſtilem exercitum profligauerit. Si vinculis præpeditus & exarmatus tulit de aduerſariis triumphum, cur modo ſimile non exambiat trophæum? Iam tacet textus reſpondit: *Inde conſurgens*, ait, id eſt, de meretricis lecto, fœminæ latere, de impudicæ conſortio: inde ſurrexit, vt fugeret, non vt aduerſarios valenter impeteret: paulò antè in hoſtiles phalangas

Plutarch.

Tertull.

Seneca.

langas irruerat illigatus; modò verò hoſtes expauet expeditus: nec mirum ceſſerit hoſti, qui ceſſerat voluptati: eſt namque voluptas virium tinea, fortitudinis rubigo, vigoris quartana, valentiæ nebula. Vtque quàm hoc ſit verum, agnoſcas, attende aduerſariorum non ignauiam; ſed aſtutiam: nouerant ciuitatem intraſſe; ad meretricémque diuertiſſe, & licèt nimio eum capiendi tenerentur deſiderio, præſtolati ſunt voluptati indulgentem non exiguo temporis interuallo: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam. Quòd cùm audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, & facto mane exeuntem occiderent.* Certè aut innubilabatur prudentia, aut parum Philiſthinorum candebat ira, quandoquidem ſuſpirantes necem, prolixam concedunt noctem: nonne ſatius ſtatim in aduerſarium irruere, & quàm citò comprehendere? O doctrinalem moram non de ignauia protractam; ſed de ſagaci prudentia exortam! Nouerant Philiſthini Samſonem inuicta fortitudine præditum, nouerant contrà eius vires nullum ſucceſſurum conatum: ergo ad voluptatis opem accurrunt, tempus deliciarum protrahunt, & diutiùs indulgere voluptati permittunt, rati non imprudenter nullâ difficultate capiendum voluptatibus reſolutum, & eneruatum: *Tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent.* Diutiùs vuluptati indulgere ſolicitant, vt euigoratus iaceat, & hoſti cedat; apud meretricem non ignorarunt dormire; noluerunt tamen, vt de medio faciliùs poſſent auferre, delicioſum ſomnum interpellare, plus ſperantes de voluptate, quàm de armorum multitudine: *Expectabant quidem cuſtodes*, inquit
Abulenſ. Abulenſis quæſt. 3. *apud domum meretricis in circuitu, alij autem ad portam vrbis, & vtrique erant cum ſilentio, vt Samſon non putaret aduentum ſuum cognitum, & inopinatus egrederetur, tanquam nullis ei inſidiantibus, & caperetur.* Occidendi modò non carebant ſpebus, qui copioſis anteà Samſoni ceſſerant exercitibus: nam licèt experti fuerint funibus illigatum, & maxillâ ſolùm munitum hoſtiles profligaſſe copias; poſt voluptatem ſic putabant robore viduandum, vt iam non coronaretur victoriâ; ſed hoſtium gemeret præda: & quidem Samſon ab illorum ſententia videtur non diſcordaſſe, quandoquidem, vt eluderet periculum, voluptatis corripuit ſpatium: *Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis*: & cur non vſque ad mane? Quia veritus eſt, ſi prolixiùs voluptati vacarit, viribus deſtituendum, & facilè ab hoſtibus illigandum.

82. Paulus ad Corinthios ſcribens athletas voluptatibus adſerit renunciaſſe, & colligendæ fortitudinis
1.Cor.9. v.25. ſtudio deliciis prorſus abſtinuiſſe: *Omnis, qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet*, id eſt, omnibus ſe deliciis denegat, vt robur ædificet, & vires augmentet: ſcit namque athleta, ſi voluptati licenter indulſerit, non tam militare triumpho, quàm probro, nec reportaturum victoriam; ſed fore aduerſarij victimam: ergo; ne ſibi ipſe aduerſetur, à voluptatis fallaciis abſtinet, & delicias pugnaturus abiurat. Adeſt Chryſolo-
Chryſol. gus ſerm. 119. *In agone iſto terreno qui vincere volunt, abſtinent ſe à cibis quibuſdam, à potu nimio, abſtinent ab omni immunditia ſub tanta caſtitate, vt etiam propria coniugia non requirant, nec aliter ſe vincere poſſe ſperant, niſi corpus ſuum caſtum pudicúmque ſeruauerint.* Diffidunt de victoria, ſi indulſerint appetitui, vt qui benè nouerint carnis delicias reddere homines imbecilles, ac fortitudinis prorſus expertes. Non errabit, qui voluptatem ignauiæ dixerit magiſterium, & calamitatis auxilium. Ergo à luxu abſtine, ſi cupis fortitudini prouidere, & ſanitati conſulere.

83. Balac Dei populum pertimeſcens ad calliditatis artes recurrit, & Balaamum ſpebus ineſcatum opponit: Balaamus dæmoniacis auguriis populi vires eneruaturus armatur, & magicis faſcinis præmunitur, dæmones ſacrificiis honorat, holocauſtiſque munerat, quo opem tulerint, & maleficia efficaciſſima miniſtrarint: nil profuerunt auguria, vt fortitudinis obſcurarit elogia: *Deus eduxit illum* Numer. 24.
v. 8. *de Ægypto* (aiebat inuitus, & ſpebus non ſine dolore fraudatus) *cuius fortitudo ſimilis eſt rhinocerotis.* Videns aduersùs veneficia, aduersùs faſcina, aduersùs auguria populum inuicto robore præualentem de peruerſitatis & ambitionis ingenio voluptatis implorat opem, & deteſtabili conſilio oppugnare aggreſſus eſt fortitudinem: *Pergens ad populum meum*, inquit, *dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* Quale conſilium? vt pulchellas, & ornatu florentes fœminas mittat, quarum aſpectu ineſcati, & cupiditate cæci Iſraëlitæ vacent libidini: quod ſi accidat, rhinocerotis fortitudinem inerti commutabunt ignauia, prorſuſque enerues vertent aduerſariis terga. *Docebat Balac*, ſcribit Hugo Hugo.
Cardinalis hîc; *mittere ſcandalum coram filiis Iſraël, ſcilicet edere de ſacrificio idolorum, & fornicari.* Ad voluptates confugit, vt vinceret, qui veneficiis nequiuerat eneruare: & quidem Dei populus, dum à vluptate abſtinuit, fortis rhinoceros aduerſarios contriuit; at voluptatibus deditus, eneruis elanguit, & languens timuit: præ ipſis dæmonibus ad perdendos homines, ad præcidendáſque corporis vires extitit valentior voluptas, & appetitus ſalacitas: poſt auguria, poſt dæmoniaca incantamenta inuictis viribus floruit, poſt enorme voluptatis faſcinum marcuit.

84. In Dauidem Saül dæmone aſſociatus armatur, haſtam contorquet, montibus exulare compellit, ipſis laboribus fortior & valentior præualuit, & captioſas inſidias eluſit; verùm hic ipſe, qui abegit dæmonem, qui deiecit gigantem, qui inuidum fruſtrauit Saülem, eneruem ſe deplorat, & anti- Pſal. 37.
v. 11. quo robore denudatum pronunciat: *Lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Quibus illuſionibus caro elanguit, & infirmitas viguit? Sanè illuſionibus voluptatis: nam cùm eam Dauid ſolicitarit ad ſalutis, & commoditatis augmentum, expertus eſt ſalutis & commoditatis excidium: ergo impletus illuſionibus luget: qui cõtra leones & vrſos robore inuicto præualuit.
Ita Euthimius: *Ait igitur: Concupiſcentia mea* Euthym.
illuſionibus dæmonis repleta eſt: illuſit enim eum dæmon ad motus irritans iniquos, & turpes. Nec ſolùm ſanitate illum priuauit voluptas; ſed & oculorum lumine: ipſum audi: *Cor meum conturbatum eſt, dereliquit me virtus mea, & lumen oculorum meorum, & ipſum non eſt mecum.* Euthymius lumen Dei ſpiritum intelligit: *Per lumen oculorum animæ Beati Dauid Spiritum Sanctũ intellige, qui ob patrata ab eo ſcelera magna ex parte auolarat.* Dæmon, ni haſtæ iactu per inſidias contortæ fruſtraretur, vulnus infligeret, ſed Spiritum Sanctum verum oculorum lumen non auferret; at

at voluptas oculis offudit caliginem, & corpori attulit infirmitatem. Qui inuidentiâ, qui leoninâ ſæuitia, qui Goliath audacia imperitus viguit, & floruit, & valuit, voluptatis præſtigiis infimus iacuit, & luce priuatus luxit: ab oculis lumen, à corde robur, a corpore voluptas abſtulit ſanitatem, & qui decantandos reportauerat triumphos, fugit celeriter aduerſarios.

§. XXI.

Mira eſt peccatoris ſocordia, periculis dormit cinctus, vt munitionibus quiret vallatus.

85. PEccator ſic obbruteſcit, vt oculos tenaciſſimis tenebris immerſos non ſolum ad futura non extendat; ſed neque ad præſentia expandat: à voluptate homini quotidianum periculum, nec ſe expedit; ſed altiſſimo ſomno dormit. Quàm benè Seneca epiſt. 103. *Tempeſtas minatur, antequam ſurgat, crepant ædificia, antequam corruant, prænuntiat fumus incendium: ſubita eſt ex homine pernicies, & eo diligentius tegitur, quo propius accedit.* Pernicies ex ſe ipſo homini oritur, & ſæpe ſine ſtrepitu, cumque ſolicitiorem debuiſſet reddere ſine prænuntiis ruina, dormit vel cùm vociferantur prænuntia. Fallat niſi Samſon huius ſit veritatis teſtis. Gazam intrat, hoſtibus accepta clade frementibus, ibi fucata meretricis pulchritudine illectus, altiſſimo dormit ſomno illigatus: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Tenebrarum auxilio poſſe latere credidit; ſed errauit: nam odij perſpicacia deprehendit, & arcta obſidione cinxit: *Quod cum audiſſent Philiſthiim, & percrebuiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum.* Grauiſſimo vrgetur Samſon periculo, & tamen ſtertit profundiſſimo ſomno: *Dormiuit autem Samſon vſque ad medium noctis.* Mulierculæ domus abſtruſos non patiebatur receſſus, armorum fragore aures ſolicitabat; Samſon verò quod miraberis dormiuit grauiſſimis periculis cinctus, vt omni poſſet ſecuritate obarmatus: aurem admonebat obſidentium numerus; ſed grauabat oculos ſomnus: profundiùs contigit obdormiſſe, cùm fas eſſet ſolertiſſimè inuigilaſſe: ſic vitiorum præſtigiis peccator deſipit, vt vrgentiſſima pericula non aſpiciat, nec periculorum clamores audiat. *Præter cuſtodes*, inquit hic Abulenſis quæſt. 3. *qui erant in circuitu domus mulieris poſuerunt alios ad portam vrbis; vt ſi fortè Samſon elaberetur manus eorum, qui erant in circuitu domus, veniret ad portas vrbis vt fugeret, & ibi tentaretur.* Cautela muniebatur cautela; obſidio firmabatur obſidione, & cùm hoſtilis ſolertia, & inſomnis Samſonem circumdederit vigilantia inter vrgentes inſidias, & impendentes ſibi miſerias, ea ſecuritate ſtertebat obſeſſus, qua poſſet armatorum copia munitus.

Seneca.

Subita eſt homini pernicies ex homine.

Abulenſ.

86. Samſonem Chriſti Domini ſepulchro iacentis geſſiſſe imaginem, tradunt ſacri interpretes: & quidem vt ſenſibus mors defunctum priuat, ita voluptas recto ſenſuum vſu diſpoliat. Vitiis addictorum vita mortalis eſt: quia ſolùm viuunt, vt pereant, cùm demortui ſint, ne reſurgant. Itaque Sancti Patres in Samſonis ſomno mortem, & in ad medium noctis vigilia Chriſti adumbratam putant reſurrectionem: vt enim omnes naturæ leges euincit reſurrectio, ita ad ſpeciem ſupergreditur vitiis indulgentium expergefactio. Profundum adeò ſomnum ſemper conciliauere deliciæ, & diſcrimina adeò grauia voluptatum attulere fallaciæ.

In Petro incarcerato cuſtodibus cincto, & ad ſupplicium quàm citiſſimè producendo exiſtimat Richardus adumbrari peccatorem; nec inſolitum eſt in ſcriptura ſacra vmbram geſſiſſe peccatorum iuſtos, vt iuſtorum etiam iniquos: ergo Petrus ab hoſtibus captus, & ferreis nexibus irretitus, ſic altiſſimo ſopore dormiebat ad ſupplicum citiſſimè producendus, vt poſſet obſequentium turba vallatus: *Cum producturus eum eſſet Herodes, in ipſa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites vinctus catenis duabus, & cuſtodes ante oſtium cuſtodiebant carcerem.* Quam non dormiebat nequitia! Quàm ne amitteret prædam, obnoctabat nequiſſima vigilantia: ferreis ac ponderoſis catenis tenebat Petrum, & tamen intus addidit milites foris cuſtodes: opus fuit vt Petrus ſomnum excuteret, vt hoſtium fruſtraretur inſidias, Angelico auxilio, & non vulgari miraculo: *Ecce Angelus Domini aſtitit, & lumen refulſit in habitaculo percuſſóque latere Petri excitauit eum dicens: Surge velociter, & ceciderunt catenæ de manibus eius.* Latus percuſſit, vt excitaret, non vt feriret; vitaſſet Petrus ictum, ſi anteà excuſſiſſet profundum ſomnum. O quoties nos Deus variis tribulationum ictibus percutit, vt diſcuſſo ſomno ſurgamus! Non iuſſit Angelus Petrum catenas rumpere; ſed iam collapſis orꝺari: ſic namque peccatores ſuis periculis adulantur, vt fugientem occaſionem detineant, & violenter trahant. Ergo Angelus catenas diſſoluit, vt ſurgeret, quaſi, ni collabantur, rumpendas ab Apoſtolo deſperarit. Adde iuſſiſſe caligis calceari: *Calcea te caligas tuas*, veritus fortè, ne ſi caligæ, etſi nullius momenti, remanſerint, plus valeat ſtulta cupiditas ad alliciendum, quàm vincula & carcer ad propulſandum. Ergo Petrus, vt dicebam, dormit, quia peccatoris imaginem gerit. Accipe Richardum in allegor. Tilmani: *Vultis ſcire quæ ſint huiuſmodi vincula, quæ ſoleant mentes etiam meritis ſublimes quandóque grauiter irretire. Modò ſordida titillatione caro inflammatur, modò fœda cogitatione animus ſordidatur: quaſi ergo carcerales tenebras incurrimus, quando his concupiſcentiæ nexibus irretiti confuſionis noſtræ caliginem declinare volumus, nec valemus.* Miles cingit, & Petrus dormit, dum quid peccatori contingat, refert. Adnecte peccatores lethæis quodammodò vndis potatos pericula non ignorare, ſed cum ipſa periculorum notitia obliuione etiam ebibere, vt iam non ſolùm opprimat ſomnus confuſam mentem; ſed obliuio ſecuram reddat ſtragem.

87.

Actor. 12. v. 6.

Richard.

88. Nabucho ſe in arbore conſpicatus ramos videt ſeuera falce diſcidi, foliis agnoſcit exui, & fructibus viduari; dormit tamen ſtrepitu aures ferientes, vt harmoniæ poſſet ſuauiſſimè reſonanti: *Somnium vidi, quod perterruit me.* Tot repetitis ſecuris ictibus non ſolùm non expergiſcitur; ſed quod demirere magis, periculis dormit cinctus; & imminere periculum obliuiſcitur lapidis ictu proſtratus. *Vidi ſomnium*, inquit, *& mente confuſus ignoro quid viderim.* Proh ſocordiam omnem admirationem ſupergreſſam! proh obliuionem omnes obliuionis terminos tranſilientem! Non ignorat leui ictu in cineres redigendum, & cùm timor

Daniel 4. v. 2.

Daniel. 2. v. 3.

terr orque

Digitized by Google

terrorque debuiſſet animum vehementer percuſiſſe, non ſolùm dormiebat ſopore inerti illigatus; ſed obliuione ad ſpeciem vltrà fidem immerſus. Quis credat hominem rationalem periculis appetentibus cinctum, obliuionique traditum? Parum dormientis animum ſolicitauere diſcrimina: quia ſi fas eſt dicere, prodigioſæ obliuionis iretiebant miracula. Mentem non ſubiit recordatio: quia Lyra. totam mentem poſſidebat obliuio: *Somnum effugit*, inquit Lyra, *obliuio enim cauſatur ex motione humorum.* Ex quorum humorum motione? Ex illorum quidem, quos deliciæ innutriuerant, & voluptates pepererant. Si parciùs cœnaſſet, ſi minus voluptatibus indulſiſſet, non ſic premeretur ſomnij grauedine, nec periculi obbruteſceret obliuione; at ſe ſibi prorſus furatur, dum deliciis totus addicitur. Ergo iam mirari deſine Samſonem vſque ad noctis medium inter hoſtiles inſidias ſomnum produxiſſe, ſi ſcis libidini anteà vacaſſe.

---

§. XXII.

Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia.

89. Voluptas vt ſecum euanidum gaudium, ſic & inſanum affert delirium: rationi offundit tenebras, vtque medicatum poculum, dum palatum delicioſiùs prolectat, lethale venenum intimiùs immiſcetat, ſic voluptas, dum delicioſam promittit vitam, ærumnis producit & implicitam & anxiam: *Hi qui voluptati tradidere principia,* aiebat Seneca de vita beata lib. 14. *vtroque carere: virtutem enim amittunt; cæterùm non ipſi voluptatem; ſed ipſos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur, aut copia ſtrangulantur: miſeri, ſi deſeruntur ab illa, miſeriores, ſi obruuntur.* Vt in mari ſyrtico nauigantes modò in ſicco impingentes premuntur; modò torrentium violentiâ vndequaque iactantur, ita euenit intemperantibus, & amore cæco nullibi conſiſtentibus: mala pro bonis petunt, periculoſiuſque illis eſt conſequi, quàm fraudari. Quàm opportunè datus Seneca! *Vt feras cum labore periculoque venamur, & captarum quoque illarum ſolicita poſſeſſio eſt: ſæpè enim laniant dominos; ita habentes magnas voluptates. In magnum malum euaſere, captaque cepere: quæ quo plures maioreſque ſunt, eò ille minor, ac plurium ſeruus eſt, quem fœlicem vulgus appellat.* Vt turbatus oculus non rectam de coloribus fert ſententiam, ita mens voluptatis præſtigiis incantata duriſſimas eius conſequentias non præuidet; ſed ipſam ſeruitutem exiſtimat libertatem: exiguum deliciarum tempus magno dolorum cenſu perſoluitur, ex pulcherrimis ad ſpeciem cauſis nil mali oriturum credimus; ſed egregiè fallimur: voluptas mentis aciem hebetat. libertatem illaqueat, hominem ſub iugum mittit, & qui eam ſectatus eſt, vt gauderet, breuiſſimi temporis gaudium prolixis doloribus compenſabit. & dura ſeruitute perſoluet. Teſtis eſt Samſon, qui dum ad Philiſthinam ingreditur, copioſa aduerſariorum manu circumdatur, & per montium aſpera ingenti onere prægrauatum inſcendiſſe compellitur: *Dormiuit Samſon vſque ad medium noctis, & inde conſurgens apprehendit*

Seneca.

Seruus fortunæ eſt, quẽ vulgus appellare ſolet felicem.

ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron. Quia Philiſtinos latere voluit, denſas noctis tenebras expectauit: ergo tardè ingreſſus, & quàm citò expergefactus, vt peruigiles hoſtium eludere poſſet inſidias, compulſus eſt pergrandes ciuitatis tuliſſe portas. De hinc quam in gremio Dalilæ breuem voluptatem percepit exoculatus, & catenis preſſus perſoluit: *Quem cùm apprehendiſſent Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Expende quales fuerint voluptatis appendices, oculorum cæcitas, oneris grauitas, vitæ ignominioſa acerbitas. Quàm prolixa duràque ſeruitute breuiſſimum voluptatis tempus compenſauit! Plurium, imò omnium Philiſthinorum ſeruus molæ duputatur, & indigno, ac contumelioſo labori addicitur. Ambroſ. *Gazam ſe contulit*, inquit datus Ambroſius, *ea ciuitas erat in locis Paleſtinorum, & habitabat illic in diuerſorio: quod cognitum Gazæi haud quaquam diſſimulatione prætererunt; ſed feſtinantes circumdederunt diuerſorium eius, & obſederunt vniuerſos aditus domus; ne fugam in noctem componeret.* Pericula ingentiſſima feliciter eluſit; ſed eluſis periculis adhuc illum grauiſſima premebant onera, & ſolicita angebat cura. Redeat Ambroſius. *Itaque Samſon cognito quid pararetur, compoſitas inſidias noctis medio præuertens, fores portæ vrbis, & vtroſque poſtes manibus amplexus materiam totam, & ſeram ceruice valida ſuſtentans in verticem montis altiſſimi tranſportauit.* Voluptatis hoſpes laboris fuit ciuis, & qui in diuerſorio breuiſſimo ſpatio deguit, longo per abrupta montium tempore laborauit. Non prænouit Samſon voluptate ineſcatus, & cupiditate cæcus quanta imminerent pericula, non præuidit, quanta eluſis etiam periculis humeros deprimerent onera: egreſſus eſt; ſed anxiis veſtigiis: egreſſus eſt; ſed moleſtiſſimis ſarcinis: erant enim hæc omnia voluptatis breuiſſimæ conſequentiæ.

90. Habacuch de Chaldæorum gente loquens ſic aiebat: *Horribilis, & terribilis eſt: ex ſemetipſa iudicium, & onus eius egredietur.* Dum vitiis, dum vanitati, dum voluptati indulget, bellum, & quidem vrgentiſſimum in ſe mouet: tributis prægrauatur ſubiectus, pacis ac ſalutis propriæ aduerſarius. Ita Stephan. in allegor. Tilmani. *O homo, ſi inimicus odio eſſet habendus, nemo magis tibi inimicus te ipſo: homo tibi ſubtrahit terram, tu tibi cœlum: tu ipſe theſaurizas tibi iram in die iræ.* Inimicus captiuitati aduerſarium tradit. & iugo ceruicem premit; at voluptas non ſolùm corpus captiuat; ſed mentem etiam excæcat: qui delicias amauit, ſe velit nolit, tributarium conſtituit: roga quale ſibi onus impoſuerit, quas anxietudines tulerit, quèis cupiditatibus tributum pendit. Eſto nullum ſit à zelotypo marito, nullum à cognatis, à riuale nullum periculum: opus erit impendioſo ſumptu ad familiæ gratiam conciliandam, opus copioſo auro ad ſanguiſugarum ſitim explendam.

Habac. 1. v. 7.

Stephan.

Nullus homini acerbior ſeipſo inimicus.

91. Hanc veritatem facer nos edocuit textus, Iacobi amorem deſcribens. Cùm perueniſſet ad quemdam campum, & ibi adhuc candente Sole circa puteum varios cubare greges fuiſſet intuitus, paſtoribus ignauum exprobrauit otium, illi honeſtam excuſationem attulerunt, aſſerentes opus eſſe paſtores reliquos expectare, vt collatis omnium viribus pergrande ab ore putei, quo claudebatur ſaxum,

Digitized by Google

ſaxum, amoueretur: ſuperuenit tunc Rachel oues ad puteum deducens, Iacob eius pulchritudinem demiratus, gratiáque allectus lapidem non ſine ingenti ſudore amouit, & eius gregem hauſtis laticibus adaquauit, cùmque in conſobrinæ honeſtos amplexus rueret in lachrymas effuſus eſt:
Geneſ. 29. v. 11. *Amouit lapidem, quo puteus claudebatur, & adaquato grege oſculatus eſt eam, & eleuata voce fleuit.* Expende quantis breuem oſculi voluptatem compenſauerit, quantiſque ſoluerit: vires defatigauit, vt ingentiſſimum lapidem ſubmoueret, copiosè ſitientique ouium gregi aquam exhibuit, & cùm vix ſummis labris pulchritudinem attigerit, ad anxios gemitus cogitur, & in lachrymas amariſſimas funditur: tanti conſtitit breuis illa voluptas, tantas ſecum attulit lachrymas: non potuit Iacob ſine magno aquarum ſumptu, ſine magno onere ſubleuato ea dulcedine perfrui, & iam perfruitus & ingemuit, & doluit. Non dubites honeſtis his factis, quæ exoculatam comitantur cupidinem, delineari, & veluti in ſpeculo præuideri. Opus eſt aliquando ad breue & velaticum gaudium per labores anxios, & impendioſos ſumptus peruenire, opus eſt noxias, breues, ac fallaces appetitus inſanientis delicias veris ac prolixis eiulatibus ſoluere:
Caiet. *Prius dedit potum pecudibus*, inquit Caietan. *& poſteà oſculatus eſt eam.* Ad pulchellæ gratiam promerendam priùs gregi non exiguo largitus eſt copioſas vndas non ſine labore elicitas, priùs anxias ſubiuit moleſtias: cùmque deſiderij poſſeſſio gaudium videretur allatura, exciuit luctum, & peperit eiulatum.

92. Redeat iterum Habacuc de Nabuchodonoſore agens:
Habac. 1. v. 14. *Facies homines*, inquit, *quaſi piſces maris, & quaſi reptile non habens Principem. Totum in hamo ſubleuauit: traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuam.* Hic de Nabuchodonoſore Ieroſolymitanos vti piſces capiente ad litteram agi certum: nùm illi ſecum, vti aliquando in ſuis viuariis piſces, altercarentur, ſeſeque impeterent, ac inteſtinis ſeditionibus diſcordarent, eos Nabucho potentiæ hamo, & exercitus reti facilè concluſit, & à propriis ſedibus ad regiones
Stephan. incognitas tranſportauit: *Traxit illud in ſagena ſua.* Stephanus in allegoriis Tilmani metaphoram adaptans moribus, homines ait cupiditatis hamo trahi, & dum voluptati cæciùs ſtudent, reti inextricabili premi: ipſum audi: *In hamo eſca voluptatis deſiderabilis oſtenditur; ſed vncus tenax latet, qui cum eſca comeditur: ſic in concupiſcentia carnis oſtendit diabolus eſcam voluptatis; ſed latet aculeus.* Vt piſcis voluptuoſa eſca titillatus inuolat, & latentem aculeum, qui diſrumpat præcordia, impudenter deglutit, grauique dolore, & immatura morte fallaciſſimas delicias ſoluit: ita homo piſcibus rudior, & voluptatis ſtudioſior, ad hamum inuolat, ne dulcedinem eſcæ prætermiſerit; ſed dum tectum ſaporato fallaciter cibo ferrum inuiſcerat, natiuum ſolum cogitur deſerere, & alienis fallaciis ac cupiditatibus inſeruire. O nimis verum! Dulces lares, charam ſobolem, amabilem patriam plures non ſine luctu amiſerunt dum ad caras voluptates fallaciſſimas inuolarunt. Alios videas cum ipſa voluptate inteſtinos morbos haurire, alios vltrici ferro percuſſos cadere: Samſonis humeri prægrauantur, quia tantiſper voluptati indulſit, & hoſpes in diuerſorio dormiuit.

93. Adde pudicitiam viſu quodammodò conſtuprari, & videntem ad ſoluendam dotem ob ſolam aſpectus voluptatem aliquando teneri. Vidit rex Geraræ Saram, ſine pudicitiæ iniuria tantiſper eſt eius aſpectu oblectatus: *Abimelech non tetigerat eam*, & dotem, vt ſi eius fuiſſet virginitate Geneſ. 20. v. 4. fruitus exhibuit, & mille argenteos perſoluit: *Ecce mille argenteos dedi fratri tuo: hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes, qui tecum ſunt.* D. Ambroſius ingenij viuacitate expendit lib. 1. de Abraham cap. 7. pudoris viſu ſolùm conſtuprati exhibuiſſe dotem, ingentique pretio mulctatum, & ad ſoluendum, ſi diciliſet, compulſum: *Statim vocauit. Abraham, vxorem ſuam ei reddidit, pretio ſe ipſe mulctauit, quòd vidiſſet alienam, dotem pudoris exoluit.* Ambroſ. Quid pro teneritudine pudicitiæ exaggeratus? Quid pro leuiſſimæ voluptatis grauaminibus certius? Conſpectæ dotem ſoluit, quaſi iam pudicitia dum venaticis oculis iacuit aſpectus, quando Abimelech ad exhibendum ſe dotem teneri putauit, quia ipſo viſu deflotatam quodammodò caſtitatem polluerit. Iam ſi ad voluptatis grauamina applices, expende quanti ſteterit non voluptas; ſed curioſitas: non illam tetigit; ſed illam tulit: ergo ſuſpicio dotem exegit: mulctatus eſt, vt poſſet ob adulterium, ob oculorum ſtudium: *Pretio ſe ipſe mulctauit, quòd vidiſſet alienam, dotem pudoris exoluit.* Ingreſſus es virginis pulchellæ domum, nullam pudicitiæ vim intuliſti; imò pudicitiam nullatenus obſcuraſti, & tamen compelleris exhibere dotem, etſi non perſonæ, proſtitutæ tamen famæ: itaque mulctaris ingenti auro, quia adulatus es otioſiſſimo deſiderio.

---

§. XXIII.

Poſt tergum ſæculi diuitias, & honores proiiciat, qui veram conſequi libertatem anhelat.

HÆc feriè omnes catena ligat, ambitio honorum, diuitiarum amor: proiicienda ſunt 94. omnia iſta, ſi ſapimus; imò vt ſapiamus: ad bonam mentem magno curſu, ac totis viribus tendendum nobis eſt, non tamen poterimus, niſi quibus arctiſſimè tenemur, cupiditatum vincula animosè dirumpamus. Et quæ ſunt huiuſmodi vincula? Diuitiarum amor, honorum ambitio, libido voluptatum. His animus conſtringitur durius, quàm ferreis nexibus, & catenarum grauiſſimis tractibus. Dum te alienæ amor ſolicitat, dum vana dignitatis ſpes fallit, dum auri oculos tenet ſplendor tenebris iacebis incluſus, nec ad altiora perges expeditus. *Multis*, aiebat Epicur. *paraſſe diuitias non finis miſeriarum fuit; ſed mutatio.* Epicur. Diuitiæ miſerias non extermināt; ſed mutant. Quod de diuitiis dixit Epicurus, de omni cupiditate ratum habe, amor inflammat, ambitio inquietat, cupiditas inſtigat, vtque inter peſte correptos degens frui non poteſt ſalute, opúſque eſt infecta non attingere, & regionem commutare, ita veram libertatem deſideranti eſt opus omnes has animi peſtes effugere, & vel tactum recuſare. *Perinde eſt*, aiebat Euſebius Gallicanus de Euſeb. SS. Epipodio & Alexandro martyribus, *ſi aliquem miraris impia, & iniqua per opes, & diuitias operantem, ac ſi quempiam videas inaurato atque gemmato ſibi poculo venena miſcentem. An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obſcœnus, cupidus,*

Digitized by Google

pidus, & *cruentus* ? Non conuenit cum cupiditate libertas, nec cum ſalute cupiditas. Omnia iſta poſt terga abiicienda ſunt : quia ni abieceris, nunquam tibi vera libertas, nec ſecura erit tranquillitas. Samſon Gazam intrat, cuius portas omni ſolicitudine Gazenſes munierunt, vt intus premeretur incluſus, & includeretur premendus. Quid tunc ? Valida ceruice ciuitatis fores imponens ad montem tetendit expeditus, & ni fores tergo imponeret, tendere nequiret grauatus : *Apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* Quæ fuerint huius ciuitatis portæ, ad mores explicat Hugo Car-
Hugo. dinalis : *Poſtes de quibus ſiunt fores, ſunt diuitiæ, deliciæ, & honores mundi quæ cum aliquis nimis amat, vt habeat, vel nimis timet, ne amittat, peccare non dubites.* Exiſtimares Samſonem ſublatis foribus, & impoſitis tergo grauari; verùm dum poſt terga proiicit, expeditior excurrit : plus grauaretur, ſi non tergoribus; ſed capiti impoſuiſſet: his foribus occluſis hoſtes non dubitabant premendum, & duriſſimis Samſonem nexibus illigandum; contemptæ verò diuitiæ, calcati honores, ſpretæ magnanimè voluptates inſtar alarum fuerunt, vt inſidias effugeret, & ad ſuperna inuolaret. Qui omnia iſta poſt terga non proiicit, ſtrictiſſimis nexibus includitur, & tenetur. Aurum grauat, ambitio magnatum veſtibulis illigat, mentitæ ac fucatæ pulchritudini libido ſubiectat : vnde nunquam libero ac expedito veſtigio procedet, qui hæc obliuioni vtili, & deſpectui generoſiſſimo non tradiderit.

95. Zachæus ſtatura puſillus, vt Chriſti fruatur aſpectu, Sycomorum Adamaticam arborem inſcendit anhelus : non modica ſalutis portio erat comprimentem turbam reliquiſſe, & tumultum declinaſſe; verùm prodeſſet parum petiuiſſe ardua, corpore tenuiſſe præcelſa, ni de animo abiiceret auaritiam, ambitioni renunciaſſet, & cupiditatibus vale dixiſſet. Hinc Chriſtus Dominus errantem corrigit, & in rectum iter adducit.
Lucæ 19. v. 5. *Zachæe feſtinans deſcende : quia hodie in domo tua oportet me manere.* Deſcenſum imperat non ſolùm ab arbore; ſed præcipuè ab elatione : quantumvis à tumultu recederet, nequiret pacem conſequi, dum paſſionum adurgeretur tumultu : ergo animo opus eſt deſcendere, ſi diſcupit verum gau-
Chryſol. dium, & pacem firmiſſimam inuenire. *Deſcende ergo* (verba ſunt Chryſologi) *vt deponas tantæ fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium publicani, exactionis crudeliſſima principatum, expeditus intres paupertatis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis vſum, patientiæ diſciplinam, ſtudia virtutum, ſcientiam diuinitatis, tolerantiam paſſionum, philoſophiam mortis, atque inter vitalis ligni ardua iam perfectus aſcendas.* Turbam fugiebat; ſed ſecum ferebat ſe, nec tenere alta poterat, vt exiſtimabat deluſus, dum ſtringeretur paſſionum vinculis illigatus : tendenti ad ſumma neceſſe eſt cupiditatem exuere, diuitias calcare, & ambitionem deponere : aliter eminebit in alto; ſed non ſtabit in ſolido. An putas purpuratorum gregem : qui aliis imperant vincula, qui decernunt carcerem, qui fulminant mortem, libertatis lætitia frui ? Teneri ſcias duriſſima ſeruitute, dum alter ſuſpirat honores, dum diuitiis inhiat alter, dum cupiditatibus ſeruiunt omnes : vera libertas ex animo oritur, & in animo immoratur: fucata ſunt omnia iſta quorum amor dum nos tenet, illudit; nec ſolùm illudit; ſed premit.

Adde minus nocere honores, diuitiáſque poſ- 96.
ſeſſione, plus cupiditate : liber eſſe poteſt, qui omnia iſta poſſidet, ſi generosè contempſit; captiuus eſt : qui ſine contemptu habuit. Balthaſar torque aurea & ſplendenti purpurâ Danielem veſtit, & iam vterque in purpurâ, & torque lucet, eo tamen diſcrimine quòd Balthaſar exteriùs micat purpurâ, ſed interiùs premitur cupiditatis catena; aſt Daniel vel dum purpura reſplendet, contemnit purpuram. Opiparum inſtruxerat conuiuium Balthaſar, lætiori fulgebat, ornatu cùm iam regnum cœleſti ſententia ad Darium migraſſet, & ipſe de captiuorum numero eſſet; aſt Daniel etſi purpura indultus effulgeat animo parui Daniel. 5.
æſtimabat : *Munera tua*, aiebat propheta, *ſint* v. 17.
tibi, & dona domus tuæ alteri da; ſcripturam autem legam tibi. Generosè contempſit, ſine ambitione veſtiuit : ergo virtutis reſplenduit præmio, ambitionis non ſorduit voto : *Tunc iubente rege indutus eſt Daniel purpura, & circumdata eſt torques aurea collo eius.* Daniel integrè ingenuus; ſed Balthaſar internè ante captiuitatem captiuus; *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Fulgens in purpura ambitionis vincula ſuſtinebat, & amittendi regni timore agitabatur concuſſus : quia poſſidendi tenebatur cupiditate illigatus : *Beatus Daniel*, inquit Theodoretus Theodor.
orat. 5. *irriſis impij regis pollicitationibus dixit ei : Dona tua tibi ſint.* Captiuus erat, qui illa munera magni æſtimabat : liber, qui etiamſi coactus induit animitus paruipendit.

Paſtor ille, vt centeſimam quæreret, nonagin- 97.
ta nouem in eremo oues reliquit : non ſine honeſtâ anxietate ouem quæſiuit, & inuentam humero aduexit : *Imponit in humeros ſuos gaudens.* Ec- Lucæ 15. v. 4.
cur non referatur cum centum habuerit, gauiſus, nec cum erroneam inuenit, ſed cùm ſcapulæ imponit ? Quia in delictis, inquit Auguſtinus in catena ad hunc locum, ſuperbia denotatur : ergo ſuperbis commorari non gaudij; ſed angoris erat materies : myſticus paſtor edocuit habendi modum, nempe poſſeſſa non ſuper caput imponere; ſed poſt tergum ſemper habere : ſi benè vtaris, non nocet diuitias copioſiſſimas poſſidere : non incommodat honeſto deſiderio perquirere; obſtabit tamen, ſi cor diuitias non habeat; ſed cor diuitiæ : *Illas nonaginta nouem* Auguſt.
dixit, ſcribit Auguſtinus, *quas reliquit in deſerto ſuperbos ſignificans tanquam ſolicitudinem gerentes in animo* : Superbos dereliquit malens duris inquiſitionis laboribus diuexari, quàm ſuperbientium conſortio vti; ſuperbia felicitatis peſtis proximitate attaminat, vicinitate deturpat. Itaque ad noſtram eruditionem paſtor gaudio delibutus non refertur, cùm nonaginta nouem oues habet, nec cùm recuperat perditam; ſed cùm poſt tergum collocat acquiſitam : *Humeris aduehit*, aiebat Tertull.
Tertullianus lib. de patient. cap. 12. Securiùs plures gauderent, ſi paſtoris exemplum ſecuti partas diuitias, honoréſvè non ſuprà caput efferrent; ſed poſt tergum mitterent.

§. XXIV.

Digitized by Google

§. XXIV.

Coniugium affert ſecum carnis tribulationem, & oneris grauitatem.

98. Caſſiodor. GEnialis thori reuerenda ſocietas, inquit Caſſiodorus 2. var. 10. *& humani generis procreabile Sacramentum.* Plura à matrimonio promanant commoda, humani generis inuenitur ſubſidium, laudabile pudicitiæ patrocinium, ſpurci amoris remedium; verùm teſte Paulo, annexam habet carnis tribulationem, & ſolicitam anxietatem. Dum coniugum quiſque in altero geminatus aut inopia aduritur, aut infirmitate torquetur, duplex eſt ad dolorum ærumnam, & ad laborum patientiam. Solutus quantumvis paupertate grauetur, labore prematur, faciliùs ſuffert, & pro ſe tantummodò dolet; at coniugatus geminatis aculeis pungitur & vrgetur. Eas aliquando moleſtias coniugium peperit, vt in eius conſpectu vel graues anxietates diſpareant. Teſtis eſt Samſon, qui hoſtium iram fugiens, & compulſus portæ fores elocare, & validis ceruicibus ſuſtinere, vt laboris aliquod quæreret leuamentum, quàm ſit moleſtum, eſt contemplatus coniugium: *Apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verticem montis, qui reſpicit. Hebron.* Quærunt Patres, cur ad alium montem non tranſtulerit; ſed ad Hebronem reſpicientem portarit. Inter alios Hugo Charenſis exiſtimat aliquod oneris quæſiuiſſe ſolatium, dum ex illo editiſſimo monte coniugij expendebat difficultates, & penſabat ſolicitas anxietudines: dum æqua lance & coniugij indiſſolubile iugum, & ceruicis ponderoſum tormentum comparat, ſuæ gratulatur felicitati, etſi graui prematur onere. (Hugo.) *Hebron*, inquit Hugo, *interpretatur incantatio, vel coniugium.* Itaque Samſon, etſi fores terant humerum, dum coniugij contemplatur incantamentum, lætatur & gaudet ſe oneribus matrimonij non premi, ſed onere, quod leuari poſſit, grauari. Montem Hebron, id eſt, coniugium reſpicientem oneratus inſcendit, vt oneris laborem leuarit. O quanta quamque grauia onera aliquando coniugem premunt! Si deſint filij, torquetur, ſi exundent, ſolicitudinibus diuexatur, ſi diuitiarum adfuerit copia, vxoris filiorumque nutritur ſæpè inſolentia: ſi pauperies premat, nutat in fœmina pudor, & diſtorquet hominem angor. Iam ſi fœmina amari ſe tenerè ſentiat, nihil non audebit, & inde euadet procacior, vnde inſeruire debuiſſet deuotior.

99. Neſcias quid periculoſius, fœmina amara, an neglecta: honori ſæpè diſpendio ardet vindictam, ſi illatam ſibi ſuſpicetur offenſam: inſolentiæ approximat, ſi perſuaſerit ſibi ſauciaſſe amorem. Quærit Hugo quomodo Dalila toties dolis Samſonem circumueniens eius indignationem non fuerit verita: reſpondetque agnouiſſe ſe ardenter amari, & amorémque ad fraudis deflexiſſe patrocinium, & ad doloſitatis fomentum: (Hugo.) *Quomodò fuit auſa iterum quærere, cùm potuerit Samſon perpendere malitiam eius, & machinationes? Fortè ſciebat eum captum amore ſui.* Dalila, quia ſe amari putat, ad doloſitatem vertitur, Thamnathæa illa, quam Samſon duxerat, dum odio ſe haberi aut finxit aut credidit, mariti honorem proſtituit: *Putaui quòd odiſſes eam, & ideò tradidi illam amico tuo.* (Iudic. 15. v. 2.) Itaque fœmina, ſi ſe exiſtimat odio haberi, machinatur adulterium, ſi ſe amari agnoſcit, componit dolum, cúmque vxores fœmineum non exuerint ingenium, non erit inſolitum ſi marito contingat, quod Samſoni Thamnathæam in matrimonium ducenti, & pellicem adamanti. Iam ſi quas non ſemel anxietates matrimonium peperit, expendiſſe cupis, attende.

Deus ad miſericordiam pronus, quantis eius populus teneretur reatibus, oſtendit, dum Noë, 100.
Danielis, & Iobi teſtatur ſe precibus non demulcendum; ſed ſupplicium illaturum: *Etſi fuerint tres viri iſti in medio eius Noë, Daniel, & Iob, ipſi iuſtitia ſua liberabunt animas ſuas, ait Dominus exercituum.* (Ezech. 14. v. 14.) In his tribus tres Eccleſiæ ſtatus adumbrari putat, Hugo Charenſis: *Noë rectores Eccleſiæ ſignificat, Daniel contemplatiuos, Iob coniugatos.* (Hugo.) In his tribus viuentibus ac dolatis tabellis ſtatuum conditiones factis pro coloribus vſa mirè diuina ſcriptura expreſſit: Noë, qui omnibus arcam non ſine labore fabricauit, qui ſibi nudus, dignos Eccleſiæ deſignauit rectores: Epiſcopi namque, & ſacerdotes non ſine proprio labore omnibus conſtruere debent contra imminens peccatorum diluuium, Deique iuſtam indignationem tutum profugium, vbi non ſolum tempeſtatis fruſtrentur adſultum, qui rationi vixerunt; ſed qui reptilium more fœdis greſſibus per tellurem reptarunt: ſibi nudus, aliis profugium eſſe debet ſacerdos. Ergo Noë arcam conſtruit, veſteſque exuit, vt Eccleſiæ deſignarit prælatos: Daniel ieiuniis vacat, abſtruſa reſerat Sacramenta, vt contemplatiuos expreſſerit: nec enim indulgens ventri quibit ſtudere pacatè contemplationi. Deueniamus ad Iobum noſtræ theſis materiam: hic mirè diuexatus, & acuto vermium dente corroſus coniugatos adumbrat: in ſterquilinio ſedet peſtilenti tabe exeſus, horridis plagis copioſus, & quos ab ipſo matrimonio fructus perceperat ad ſolatium, dum celeri opprimuntur ruina, conuerſi ſunt in tormentum. Quàm graui Iobus exulcerabatur dolore, dum cogitur vxorem alere, & diuitiis conſtat carere! Quàm ardenti vrebatur angoris flamma, cùm mulier adurgeret ad mortem, & ſolatium conuerteretur in prælium: ergo Iob præ aliis coniugatos exprimit: quia præ aliis dolores ſubit. Dices non ſemel dulci tranquillitate frui, & amore omnes moleſtias condiente vti. Eſto oppoſitis non diſſideant ingeniis, mutua dilectione oblectentur, & fortunis coniuges augeantur, nequeunt non concuti turbulentiſſimis tempeſtatibus, dum filiis non prouenientibus mœrent, dum prouenientibus irrequietis anxietudinibus timent. Corda indefeſſè quatit & filiorum commodum & periculum. Ergo ſi vis coniugij mitis coloribus expreſſam adſpicere imaginem, Iobum tibi propone anguſtiis ingentibus impetitum, & doloribus anxium: affert coniugium honeſtas voluptates; ſed anxias etiam ſolicitudines: ergo Samſon graui onere prægrauatus, vt non exiguum quæſiuerit leuamentum, contemplatur Hebronem, id eſt, coniugium: nam dum confert onus, quo ipſe premitur ſolutus, & quo deprimitur coniugatus, reperit & onus eſſe leue, & pondus ſuaue.

Fallar, niſi hanc Doctrinam mirè confirmauer- 101.
it Ioannes; vt Chriſti Domini tormenta depingat, dum crucem paſſus ſibi acquiſiuit Eccleſiam ſub ſponſi nomine introducit, & agnum refert: *Venerunt,*

Digitized by Google

Venerunt, inquit, *nuptiæ agni, & vxor eius præ-
parauit ſe: & datum eſt illi, vt cooperiat ſe byſſi-*
Apoc. 19. v. 7. *no ſplendenti, & candido.* Profectò ad nuptias
aptius nomen viri, quàm agni videbatur, cumque
ſæpè ſæpiùs Chriſtus Dominus filius hominis ap-
pelletur, eiuſque nomen vir oriens ſit: cur San-
ctus Ioannes non dicat orientis viri tempus
adeſſe nuptiarum; ſed agni; præcipuè cum hoc
nomine Iſaïas vtatur ad mortis & crucis dolores
deſcribendos, & cruciatus acerbiſſimos expli-
Iſai. 53. v. 7. candos: *Sicut ouis ad occiſionem ducetur, &
tanquam agnus coram tondente ſe obmuteſcet.* Si
cùm agnus experitur dolores, cur vxorem du-
cat, cùm agnus? Quia vt quam acerbos in
morte Chriſtus Dominus dolores ſubierit, noſ-
cas, nullum aptiùs, quàm nuptiarum emblema,
nullum opportunius ænigma. Eccleſiam duxit,
& proprio ſanguine decorauit, dum crucem in-
ſcendit: ergo quos Iſaïas dolores expreſſit, &
Ioannes etiam ſignauit, ſed alter retulit crucem,
alter vxorem. *Ideò exultemus eo quòd miſeri-*
Ambroſ. *cordia conditoris noſtri Eccleſiam ſuam, quæ
ſumus nos*, inquit Ambroſius ad hunc lo-
cum, *ita ſibi coniungere ſit dignatus, vt ſponſa
coniungitur ſponſo ſuo* Eos dolores ſecum affert
connubium, eas producit anxietates aliquando
matrimonium, vt non minùs Ioannes expreſ-
ſerit Chriſti crucem referens matrimonium,
quàm Iſaïas deſcribens lignum. Et quidem hoc
etiam ſi ſponſa miris virtutibus referatur orna-
ta, & cœleſtibus dotibus expolita. Chryſolo-
gus eo quo pollet ingenio, animaduertit du-
xiſſe Deum humanam naturam nebulonis frau-
dibus & nudam, & diſpoliatam: ergo vt ſpon-
Chryſol. ſam ſplendenti cultu exornaret, opus habuit in
modum ouis tonderi, nudarique. *Chriſtus*,
inquit ſerm. 23. *ſicut ouis & volens & tacens
tondetur, vt tegat illam, quam Adam pri-
mus intulit nuditatem: velut agnus occidi-
tur, vt peccatum totius mundi immolatus ab-
ſoluat.* Dum refertur ſponſa byſſino ſplendenti
& candido amicta, ſponſus refertur, agnus
non ſolùm detonſus vellere; ſed denudatus
& ſanguine, nec enim ſine ſponſi tormento
ſponſa quibat ſplendenti adeò fulgere orna-
tu, & ſplendido ornari veſtitu. Dum pompa-
ticus ſponſæ refertur ornatus, agnus deſcribi-
tur etiam detonſus. O quàm opus eſt non ſe-
mel viris ſordida veſte incedere, inſudare, diu
noctuque inuigilare, vt vxor fulgeat, & ne
exaſperantibus ac continuis aures querelis feriat:
ergo matrimonum honeſtæ fœcunditatis vena,
generis humani honorabilis amplificatio, inſti-
tutum à Domino venerabile Sacramentum plu-
res ſecum affert vtilitates; ſed, vt aiebat
Paulus, & cordis diuiſionem,
& etiam ſolicitam anxie-
tudinem.

* * *

§. XXV.

Amor & timor amico fœdere inueniuntur vniti, & ad augendum peccatori pondus quodammodò fœderati.

NEſcias quis durior carnifex, amor, an ti- 102.
mor: compertum tamen habe, hoc affe-
ctus vno veluti nixu edi, & facilè non diſiungi:
vti Iacob fratrem ſecutus, & eodem momento
editus eius plantam ſic manu tenebat, vt ei
videretur inſertus: ſic timor amorem ſequitur;
imò, vt melius dixerim, comitatur: *Primum
exemplum peruerſitatis*, aiebat Tertullianus de Tertull.
pœnitent. cap. 5. *quia timent, delinquunt: opi-
nor non delinquerent, ſi non timerent.* In de-
lictorum patrocinium non ſemel timor aſſumi-
tur, & eſt ſubſidium ad fraudem, quod de-
buiſſet auxiliari virtuti. Dum amitti timetur,
quidquid ardenter amatur, amor timore fœ-
deratus humana corda ſolicitat, & diuexat. Quiſ-
quis immodicè diuitiis inhiat, indefeſsè moli-
tur acquirere; & quorum quis poſſeſſione oble-
ctatur, amittendi timore concutitur. Ergo
dum volatica gaudia, dum vmbratiles hono-
res, dum fugaces diuitiæ inflammant animum,
dum immodicum ſui ingerunt deſiderium, ſpu-
rium timorem pariunt, & timor conſulit ſæpè
delictum, & durum affert tormentum. Gemi-
num hunc affectum licèt in Samſone meditari.
Ingreſſus Gazam libidinibus inſeruiuit, & abi-
re compulſus duas portæ fores ſerâ validiſſima
vnitas tritis humeris vſque ad montis cacumi-
na euexit: *Apprehendit ambas portæ fores cum
poſtibus ſuis & ſera impoſitaſque humeris ſuis
portauit.* Hugo Charenſis hunc locum ad mo- Hugo.
res adaptans in duabus foribus ſibi copulatis
amorem intelligit & timorem, quo vtroque
affectu Samſon premitur & grauatur: *Fores
portæ huius ſunt duæ, vt dicit gloſſa ſuper il-
lud Pſalmi, Incenſa igni & ſuffoſſa*, &c. *ſci-
licet amor mundi, & nimius timor pœnarum.*
Quàm graui onere incedebat Samſon depreſ-
ſus, dum mulieris inflammabatur amore, & ho-
ſtium fugiebat metu. Scindebantur corda mu-
liere relicta, acri timore fuga adurgebat arrep-
ta, & dum timet perire, & proſequitur ada-
mare, duabus grauiſſimis foribus non ſolùm
prægrauatur; ſed teritur: ab amore partum
oblectamentum timor interpellat, & timoris
conſilium amor retardat: vnde ſibi vniti, &
ſibi non ſemel oppoſiti cor mirè diſcruciant, &
cruciatibus non ferendis diuexant: timorem
non exues, ſi amorem foueas, & amor timor-
que iniquo contra te fœdere copulati & ama-
ras parient voluptates, & ſuſpenſos ſemper an-
gores.

Dæmon miſeri hominis animum nactus ſe-
pulchro recondit, vt ibi deliciaretur fœtores,
gauderet ſanie; verùm Dominus hominem mi-
ſeratus opem inuolat allaturus, & iam dæmon
duriſſimis tormentis queritur diuexatus: *Ad-* Marc. 5.
iuro te per Deum, ne me torqueas. Ecquod v. 7.
hoc tormentum? Iam ſubdit: *Dicebat enim
illi: Exi ſpiritus immunde ab homine.* Ama-
bat immunditiam, timebat pœnam, anhela-
bat inhabitare ſepulchris, timebat depelli: ergo

gehennales flammas ſuſtinere aſſuetus, duriſſimas ſibi modò pœnas ſuperadditas conſitetur inuitus: quia ſpurcitiis ardentiſſimè diſcupit inhærere, & extimeſcit pauidè ſeparari. Inter duos affectus amorem videlicet & timorem diuiſus non minus adurgebatur amoris ſpurciſſimi obſcuris flammis, quàm anxiis timoris minis, dum verebatur
Cyrillus. amittere, quod pertinaciter decreuerat adamare. *Vide dæmonem*, aiebat Cyrillus apud D. Thomam in catena, *duplici paſſione diuiſum.* Amat & timet: voluptas timoris afferebat tormentum, timor interpellabat amoris gaudium: & dum malè amat, benè timet: nec enim poterat acri non agitari timore, dum conſtat inſanis amoribus poſſideri: medius miſer iſte inter ſepulchrum Chriſtumque geminatis cruciatibus adurgetur, dum Chriſtus timore procellit, & ſepulchrum amore allicit: vti pila non quieſcit ab vna in alteram manum rotata: vt nauis validis ac diuerſis ventorum flatibus impetita viam non inuenit; ſed iactata vndique circumuoluitur, & agitata iactatur; ita cor amore illectum, & timore perculſum requiem non inuenit; ſed ab vtroque affectu iactatum ingemit ſemper miſerrimum. Vtraque paſſione homo voluptuoſus diuiditur ſepulchro inhærens timoris diſcruciatur tormento, ſepulchrum deſerens ſepulchri adurgetur voto, vt nullibi inueniat requiem; ſed vbique ſolicitam anxietatem. Ergo Samſon duas fores ferà vnitas portat: quia dum timore vertit terga, ab amore poſſeſſa relinquit corda. *Fores portæ huius ſunt*
Hugo. *duæ amor malè accendens, & timor malè humilians.*

104. Dauid aquam à fontibus non ſine periculo allatam Domino libauit: *Ille noluit bibere; ſed li-*
1. Reg. 23. v. 16. *bauit eam Domino.* Cupiditas ſitiuit, timor expauit, qui alienæ vxoris appetitor pœnas perſoluerat, flagellum iterum refugiebat: ergo eodem temporis momento aquæ ſiti inflammabatur, & deterrebatur ſupplicio: nequibat timor à concupiſcentia diuelli, nec cupiditas quibat
Gregor. à timore ſeparari. Notauit Gregorius apud gloſſam. *Qui concupiſcere alienam coniugem non timuit, poſt etiam, quia aquam concupiſſet, expauit.* Ludamus verbis Gregorij tantiſper ad mores; theſi quàm citò reſtituendi. Nonnullos videas excolantes culicem, & deglutientes camelum. Ecce Dauid non timuit alienam rapere; adulterium perpetrare, ſanguinem innoxium effundere, & allatâ aquâ ſopire veretur ſitim: ſatius eſſet hauſiſſe frigidam, & timuiſſe rapere alienam. Hic mitis coloribus depinxit textus; quàm ſit alius homo cœleſti luce illuſtratus, & denſis paſſionum tenebris impeditus. Dauid anteà voluptatis vernula non timuit adulterium commiſiſſe, ſed modò rationi reſtitutus caſtigat vel aquam deſideraſſe. Aqua fuſa, paruique habita digna militum temeritatis fuit pœna; illi non recuſarunt adeundi temerè periculum culpam; vt caram lucrarentur Principis gratiam; verùm cùm magni habendum arbitrabantur obſequium, exiguæ, aut nullius æſtimationis dignum pertulere ſupplicium. Benè; ſed iam noſtræ theſi reſtituamur: *Quia aquam concupiſſet, expauit.* Timor decertabat cum ſiti, ſitis cum timore: nequeunt hi affectus, niſi miſerabili callo obduruerit, à peccatoris animo ſeparari: ipſis in deliciis torquetur, amiſſis deliciis angitur, vt nunquam ſerena vtatur tranquillitate: nam dum ſitis, inflammatur, dum poſſidet, adurgetur, dum amiſit, diuexatur. Producamus huius veritatis exemplum.

Egreſſa Dina à Sichem rapitur, & violatur: 105.
illa vel voluptate fruens patris angitur timore, rubore ad fratres ſuffunditur, & denique ipſis
in blanditiis triſtatur: *Conglutinata eſt anima* Geneſ. 34. v. 3.
eius cum ea, triſtemque deliniuit blanditiis. A Principe amatur; ſed patris fratrumque iniuria terretur: triſtitia interpellabat voluptatem, voluptas ingeminabat triſtitiam. Itaque Dina triſtibus deliciis fruitur: Thamar à Principe in honorè pulſa, & faſtidioſè reiecta dolore ardenti torquetur: *Aſpergens cinerem ca-* 2. Reg 13.
piti ſuo, ſciſſa talari tunica, impoſitiſque ma- v. 19.
nibus ſuper caput ſuum ibat ingrediens, & clamans. Nullibi peccatori quies eſt: dum Thamar repellitur, vehementer affligitur, dum Dina retinetur, triſtatur: vt noueris appetitui indulgentibus nullibi pacem, & eſſe nullibi requiem. Innuit Hugo Charenſis ad Geneſ. 34. Hugo.
Conglutinata eſt anima eius cum ea. 2. Regum 13. habetis contrarium. Amnon ex quo oppreſſit Thamar, ſtatim abiecit eam: & quid hoc, niſi quia diabolus animam conſtupratam abiicit, quando ſcilicet facit eam recognoſcere peccatum ſuum, & hoc facit, non vt dimittat, ſed vt abſorbeatur ampliori triſtitia. Vbique angor, & vbique dolor eſt: ob perpetratam culpam marceſcit voluptas, & dura pungit ſpina: in ipſaque culpæ perpetratione, dum manus ad venuſtam captandam roſam extenditur, comitantibus ſemper ſentibus laceratur. Ergo Samſon timore & amore vrgetur, & vnitis eorum viribus prægrauatur.

§. XXVI.

Parum intereſt loca mutare, ſi tecum ſemper contingat deferre.

NOnnulli quærunt à locis, quod à moribus quærendum eſt: ſuperbia inflammantur, 106.
exæſtuant libidinibus, variis adurgentur paſſionibus, & loca mutant, cùm parùm interſit ad ſalutem locus, niſi ſe ſibi reſtituat animus. Mediis in vrbibus ſolitudo volenti eſt, deſertorum in erroribus vrget tumultus. Benè Socrates apud Stoicum epiſt. 104. cùm quis quereretur nil ſibi peregrinationis profuiſſe, reſpon-
diſſe fertur: *Non immeritò hoc tibi euenit: tecum enim peregrinabaris.* Melius ſibi conſuluiſ- Senec.
ſet, ſi non à loco, ſed à ſeipſo aberraſſet: eoſdem ſecum deferebat mores, & ob id parum iuuabat mutaſſe vrbes. Si animus ſibi non conſtet, ipſa pax timores pariet, nec habebitur tutis fides. Huius veritatis teſtis eſt Samſon, Gazam adueniens mulieris amore inflammatus eſt: *Abiit quoque in Gazam, & vidit ibi mulierem meretricem, ingreſſuſque eſt ad eam.* Cinctus periculis fugit ad montis cacumen; ſed non multò poſt Sorec vallem cum monte commutauit, ibique eoſdem ſecum deferens mores adamauit etiam mulierem.
Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Iudic. 16. v. 1.
Sorec, & vocabatur Dalila. Loca vides varia peragraſſe; ſed eiſdem paſſionibus paruiſſe, erat alibi
ſed non alius. *Primò deſcribitur,* inquit Lyra, Lyra.
qualiter cum vna periculo ſe expoſuit: ſecundò qualiter

Digitized by Google

qualiter per alteram morti ſuccubuit. Parum profuit peregrinatio, quæ voluptates temperare, quæ iras repreſſiſſe, quæ indomitos amoris impetus ſopire non docuit, vt pueros ignota mirantes locorum diuerſitas aliqua varietate detinuit; ſed iudicium non addit: ſic iſtos regiones variare delectat; ſed mores peregrinatio non mutat. Quàm benè datus Philoſophus: Seneca. *Quid prodeſt mare traiicere, & vrbes mutare? Si vis iſta, quibus vrgeris, effugere, non alibi ſis oportet; ſed alius. Puta veniſſe te Athenas, puta Rhodon: elige arbitrio tuo ciuitatem: quid ad rem pertinet, quos illa mores habeat? tuos adferes.* Si cum loco & mores relinquerentur, ſi exuerentur paſſiones, optimum & facile demutare loca remedium; at dum vbique & paupertatem timidè abhorres, & diuitias immodicè cupis, & ambitione adurgeris, tu tibi infeſtior locus, & nocentiſſima regio eſt.

Serpens ille virulentiſſimus mulieris Stellarum fulgoribus redimitæ cœlo inſidiatur: Apoc. 12. v. 4. *Draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura.* Loca mutat ſerpens ad terram non ſolùm caſu elapſus; ſed ignominiosè proiectus, vt inde traheret abiectionis deſpectuſque ignominiam, vbi immodicam æſtuabat ad gloriam. Quid tunc? Bellum inſtaurat, mulieri obtendit inſidias, & captioſas diſponit technas: *Poſtquam vidit draco, quòd proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.* Idem tentat veternoſus ſerpens pacatiſſima cœli regione, & horrida deſertorum ſolitudine: locorum varietas non demutauit animum, nec imminuit odium: ſe fugiebat, ſequebaturque, & cùm eadem ſecum deferret vitia, meliorem non fecerant loca. Idem firmamento, & deſerto fuit. Certè ni inſidens pondus ab animo excutias, tibi, quod onuſtæ naui continget: ſi ſuo pondere prematur, quamuis fluctus variet, & ſinus mutet, ſibi ipſa cauſa naufragij eſt: quia non externis premitur; ſed internis prægrauatur.

108. Cainus naturæ humanæ probrum, mortis artifex, orci ianua, inſanâ liuoris phreneſi aduſtus, quò ardentiſſimas, quibus digniſſimè diſtorquebatur, ſopiuerit liuoris flammas, ad copioſas effuſi fraterni ſanguinis fraudulentus recurrit vndas: rubræ telluris artificio ſanguinem tegit contentus flagitium perpetraſſe, & notitiam facinoris ſepeliſſe; verum iuſtitiæ oculus effuſum ſanguinem non deſpexit; ſed commeritam pœnam intulit. Quid tunc Cainus? Quo tantum malum alleuet, ad auxilium vagationis recurrit: Gen 4. v. 14. *A facie tua abſcondar, & ero vagus, & profugus in terra.* Putabat deluſus loci fore mutationem ſubſidium, cùm ſecum ipſe ferret quocumque ſemper tormentum. Septuaginta tranſtulerunt: *Tremens & gemens erit ſuper terram:* internâ vbique vrgebatur trepidatione, ardentiſſimo mœrebat odio, nec quibat externis reperire quietem, quia internam ac præcordiis inſitam deferebat ſolicitam anxietatem. Baſilius Seleucienſis oratione 4. quocumque ait tuliſſe ſecum mœrorem, quia vbique in fratris animum ſtomachatus, & demortui iugulum repetere cupidiſſimus: Baſil. *Nec cadē ipſa conſopiuit inuidentiam,* inquit, *odia etiam nunc reuocat, cùmque exoſum Abelum non videat, contra fratris animum ſtomachatur. Fortè mœret, quòd emortui iugulum repetere nequeat.* Cùm diuerſis; imò oppoſitis locis idem flammeſceret odium, idem Cainum vbique diuexabat tormentum: nec loca quibant ſubuenire, quem interna inquietudine conſtabat exagitari. Tot locorum varietatibus animo non diſcuſſit triſtitiam, quia nec triſtitiæ depulit cauſam: animum debuiſſet mutare, non cœlum: ſic tamen obbrutuit, vt eadem vbique corde gerens odia à locorum mutatione angoris quæſierit auxilia. Mihi crede: pacatè viuere omni loco poſitum eſt, ſi rationi viuas, & vbique anxias patieris turbines, ni turbulentos ſedaueris mores.

Petrus cum Apoſtolis nauiculam conſcendens crebris iactatur fluctibus, & timores ingeminantibus ventorum vrgetur flatibus, ſecuris fidem non adhibet; imò Chriſtum fluctus ſecantem, vt opem laborantibus adferat, expaueſcit. O quàm perturbatæ mentes cæcutiunt! 109.
Præ timore clamauerunt. Matth. 14. v. 26. Qui in naui trepidabat Petrus, de naui deſcendens fluctus ſicco veſtigia premit, ſi loci mutatione timori ſuccurrat; verùm qui timore exagitabatur nauigio, timore vrgetur & pelago: *Videns ventum validum, timuit, & cum cœpiſſet mergi, clamauit.* En qui naui periclitabatur, & vndis mergitur: quia, etſi mutauerit locum, non mutauit ingenium: cùm imprudens metus conciliarit naufragium, parum iuuabat reliquiſſe nauigium: *Fragilitas,* inquit Hieronymus in catena, *in fundum trahebat.* Conſonat ibi Chryſoſtomus: *Ait illi: Modicæ fidei quare dubitaſti? In quo manifeſtat, quia neque ventus nocere potuiſſet, ſi fides firma fuiſſet.* Hieron. Non locus, ſed virtus ſecuritatis erat aſylum; at Petrus totus erat in mutanda ſede, cùm totus eſſe deberet in augenda aut ſeruanda fide: *Ventus nocere non potuiſſet, ſi fides firma fuiſſet.* Timor naui afferebat periculum, & timor extra nauim pariebat etiam naufragium, vt noſceret Petrus non locorum qualitatibus premi; ſed fragilitatis, ac timoris concuſſionibus diuexari. Econtra qui internis virtutibus exornatus extra fortunæ iacula degit, vbique ſerena luce fruitur, nec varietatibus immutatur.

Angelus dormienti Ioſepho profectionem imponit, & ad Ægyptum locum moribus, linguâ 110.
barbarum confugere iubet: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph, dicens: Surge,* Matth. 2. v. 13. *& accipe puerum, & matrem eius, & fuge in Ægyptum, & eſto ibi, vſque dum dicam tibi.* In Bethlehem placido Ioſephus ſomno quieſcit, Angelico colloquio dignatur, & cæleſti commercio vtitur. Ægyptum intrat, gentem idololatriæ tenebris caligantem, & idololatriæ erroribus cæcutientem. Quid tunc? Eodem modo placidâ vtitur quiete, & Angelicâ allocutione: *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens: Surge, & accipe puerum, & matrem eius, & vade in terram Iſraël.* Idem eſt Ioſephus inter turbulentos Ægypti errores, & inter Angelicas præſepis luces: in Bethlehem dormit mundo, vigilat cœlo, & in Ægypto vigilat etiam cœlo, & oculos claudit mundo: locorum diuerſitas, & diuerſi incolarum mores Ioſepho impedimento non fuerunt, vt Angelicis oblectaretur alloquiis, & diuinis expromptè obſequeretur præceptis. Et cur Ioſephus vbique idem? Quia vbique ſecum Ieſum habebat, & quocumque ſe conferret, ſolicito ſtudio portabat: *Accipe puerum & matrem eius,* aiebat Angelus, *& fuge in Ægyptum.* Chriſti in Bethlehem curam gerens Angelica mere-

Digitized by Google

batur obſequia : ergo cùm in Ægypto eandem curam geſſerit, cœleſtia etiam demeretur colloquia : *Ecce Angelus Domini apparuit in ſomnis Ioſeph in Ægypto dicens : Surge, & accipe puerum.* Quid ni Ægypto & Bethlehem placidiſſimâ fruatur quiete, & Angelico nobilitetur eloquio, qui in Ægypto vt in Bethlehem ſeruando ſtudebat puero. Huc voco Rhemigium in catena : *Per hoc quòd ſemper Angelus Ioſeph in ſomnis apparuiſſe dicitur, myſticè deſignatur, quia illi, qui à curis terrenis, & ſæcularibus negotiis quieſcunt, perfrui Angelica viſione merentur. Dicit ergo ei: Surge, & accipe puerum, & matrem eius.* Vbique quieſcit Ioſephi animus curas ſæculares expungens, & Chriſto Domino inſeruiens. Ergo locorum diuerſitas parum obſuit, quia mutauit cœlum, non animum. Ergo ſi vbique cupis cœleſtibus luminibus perfrui, & Ioſephum didiceris imitari.

Rhemig.

§. XXVII.

Iuuenes oblectationis ſæpè cauſa peregrinantur; ſed peregrinati variis periculis irretiuntur.

111. INconſtantis animi argumentum eſt nullibi conſiſtere; ſed locis loca mutare: plures oblectationis cauſa maria traiiciunt, mutant regiones, & dum nullibi conſiſtunt, detractionis periculum ſubeunt. Quæ petierant auidiſſimè loca ſtudioſiùs deſerunt amatores ſemper nouitatis, nunquam virtutis. Diuerſarum gentium diſcupiunt notitiam venari, nouas montium formas, amœnas copioſis vndis valles adſpicere, quomodò Nilus æſtiuo incremento tumeat, & Tigris repentè ex oculis ereptus, & acto per occulta curſu ſuæ integræ magnitudini reſluat reſtitutus, perſcrutantur. Verùm dum laborioſè indagant, quod ignorare non nocet, ignorant quod ſapere conueniret. Benè Seneca epiſt. 104. *Quid per ſe prodeſſe peregrinatio cuiquam potuit? Non voluptates illa temperauit, non cupiditates refrenauit, non iras repreſſit, non indomitos amoris impetus fregit: nulla denique animo ma'a eduxit, non iudicium dedit, non excuſſit errorem:* Mentis inconſtantia ipſa iactatione leuior redditur, & virtus imbecillior. Samſon dum ab vna in alteram partem tranſit inquietus, dum loca mutat noxiè curioſus, iam Thamnathææ amore capitur, iam Gazam ingreſſus meretricis amoribus defœdatur, iam valle Sorec oberrans Dalilæ doloſis blanditiis circumuenitur: *Poſt hæc amauit mulierem, quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* Mutabat loca; ſed mala ſua ſecum deferebat, quæ vbicumque illum premerent, & paribus periculis diuexarent: nullum iter fuit, regio nulla, quæ illum extra cupiditates, extra iras, extra metus tueretur collocatum & peregrinum: geſtabat ſecum malorum cauſas, nec prodeſſe poterat per diuerſas errare terras. Notauit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. *Cùm libero, & vago motu tranſgrederetur, non ſolum regionis paternæ terminos; ſed etiam morum limites, & maiorum obſeruatione præſcriptos eam ſibi futuræ mox cladis peſtem inuenit.* Inuenit peſtem, dum vago excurſu fertur, & inconſtantia vagatur, vitaſſet, ſi quietus & ſibi conſtans inter ſapientes vixiſſet.

Seneca.

Ambroſ.

Dauidis hoſtes, vt à virtute deiicerent, varias peregrinationes adulantium more ſuadebant: *Tranſmigra*, dicebant, *in montem ſicut paſſer*: Incognitus legit *in montes*. Vt captioſis laqueis teneatur, vt intentis iam obiiciatur ſagittis, nolunt ſalubri loco quiete conſiſtere; ſed diuerſis montibus oberrare: quod benè calluit ſapiens ille, dum addit: *Quoniam ecce peccatores intenderunt arcum ſuum, parauerunt ſagittas ſuas in pharetra, vt ſagittent in obſcuro rectos corde.* Calluit conſiliorum ſtudia, videlicet virtutes vagatione inutili atterere, & laſſatum, molliòremque diſcriminibus obiectare. Suſpirabant varias peregrinationes, vt incurreret inconſtantiâ vagando, quæ vitabat pericula conſiſtendo: *Quomodo monetis me* (Incognitus Pſalmiſtæ nomine fatur) *tranſire ad vos?* Addit. *Quia ſi hoc fecero, ero ſicut paſſer, ſcilicet inſtabilis.* Paſſer dum inſtabilis libratur pennis, aëra diſſecat, dum varios campos diſcurrit, & captioſos laqueos inuenit, & qui arboris culmine conſiſtens doloſas venatorum fruſtaretur tendiculas, eas ſubit leuitate agitans pennas. Qui ſe cupit emendare, non loca commutet; ſed onera ſibi cupiditatum detrahat, improba ex animo deſideria excutiat: aliter vbicumque ſe ſibi inimicum habebit, & varia pericula incurret. 112.

Pſal. 10. v. 1.

Incognit.

Incognit.

Eſaü generis princeps naſcitur, Iacob fratris plantam manu comprehendens inſequitur, & quantum vel temporis momentum valeat, exigua illa mora nobis oſtendit, dum Iacob ſeruum & fratrem promiſit Principem; verùm quod ad ſpeciem ſtabilierat natura, alter meritis reformauit conſiſtentiæ firmitudine, amiſit alter leuitatis inconſtantia: *Factus eſt Eſaü vir gnarus venandi, & homo agricola; Iacob autem vir ſimplex habitabat in tabernaculis.* Iacob conſiſtens digno loco proditur, Eſaü montes circumiens, ſaltus obiens, & excitatis campis infertur. Ergo dum varia loca perluſtrat, virtutes ſibi non parat, & virtute nudus luxit dignitatibus ſpoliatus, cùm Iacob ſui curam agens ad primatum aſcenderit virtutibus expolitus: *Dictionem interpretatam ſimplex*, ſcribit hîc Caietanus, *multi interpretantur perfectus, quòd Hebraica dictio à plenitudine deducitur, & ad perfectionem, ſeu plenitudinem animi referunt. Eſaü vacabat agricultura, & venationi, Iacob vacabat domeſticis officiis, & cultus proprij animi.* Venationis voluptati intentus, variis erroribus fatigatus virtutis non gerebat ſtudium, imò inſanum cupiditatum irritabat deſiderium: vnde errando amiſit quod Iacob conſiſtens, & virtutis curam gerendo inuenit. Adſtipulatur Gregorius lib. 5. moral. cap. 8. *Quid per venationem Eſaü, niſi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fuſi carnem ſequuntur, qui etiam agricola deſcribitur quia amatores huius ſæculi tanto magis exteriora colant, quantò interiora ſua inculta derelinquunt: Iacob verò vir ſimplex in tabernaculis vel in domo habitare perhibetur: quia nimirùm omnes, qui in curis exterioribus ſpargi refugiunt, ſimplices in cogitatione, atque in conſcientia ſuæ habitatione conſiſtunt. In tabernaculis enim aut in domo habitare eſt ſe intra mentis ſecreta reſtringere, & nequaquam exteriùs per deſideria diſſipare, ne dum ad multa foris inhiant, à ſemetipſis alienati cogitationibus recedant.* En vbi Scriptura probi, & improbi emblemata voluit depingere, Eſaü protulit ſemper vagantem, Iacobum verò conſiſtentem. Aliquid trahitur vel in tranſitu à peſſimorum conuictu: ſi tibi aliquandiu inter improbos 113.

Geneſ. 25. v. 27.

Caiet.

Greg.

Digitized by Google

improbos viuendum ſit, eorum mores coles, aut
ſaltem eis aliquomodò denigraberis.
Gazam Samſon intrat, & quamuis vſque ad
114. noctis medium ſolùm permanſerit, aliquid ſecum,
quod ſibi eſſet oneri, à Gaza tulit: *Dormiuit Sam-*
ſon vſque ad medium noctis, & inde conſurgens
Iudic. 16. v. 3. *apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis &*
ſera, impoſitaſque humeris ſuis portauit ad verti-
cem montis, qui reſpicit Hebron. Hugo Cardina-
lis ad hunc locum his in foribus agnoſcit & ti-
morem ignauè deprimentem, & amorem arden-
ter inflammantem: *Fores portæ huius ſunt duæ,*
Hugo. *ſcilicet amor malè accendens, & timor malè humi-*
lians, id eſt, nimius amor mundi, & nimius timor
pœnarum. Exiguo tempore cum vitiorum culto-
ribus deguit; ſed ex eorum conuictu aliquid ac-
ceſſit, quod premeret, aliquid quod ſordidaret.
Certè tibi hærebit auaritia, ſi auaro conuixeris:
tumor, ſi ſuperbo; libidinum exacuet flammas
adulterorum ſodalitium: longè à vitiorum exem-
plis recedendum eſt, ſi vitiis cupis non infici, aut
ſordidari.
Dauid ad Philiſthinos tranſiit, vt immaniſſima
115. Saülis odia maturè declinauerit: *Surrexit Dauid,*
& abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo ad Achis
1. Reg 27. v. 2. *filium Maoch regem Geth, & habitauit Dauid*
cum Achis in Geth. A curia receſſit, curialium
turbulentos mores metuens, & captioſos dolos
effugiens, cumque prædas ageret de Geſſuri, &
de Gerzi, & de Amalecitis, interrogatus ab Achis
in quos irrueret, reſpondebat: *Contra meridiem*
Iudæ, & contra meridiem Gerameel, & contra
meridiem Zeni. Hic mendacia texuiſſe Dauid tra-
dit Lyra: nam ſi veritatem aperiret in ſe Achis
ſtomachum prouocaret: ergo vt apud allophylos
habitare liceret, ad mendaciorum excurrit pro-
fugia: quaſi ſine mendacio non liceat apud pro-
phanos viuere, & apud incolas curiæ degere:
Tali modo loquendi vtebatur, vt Achis crederet
Lyra. *ipſum filios Iſraël deprædaſſe, vt patet ex ſequenti-*
bus, iſtud tamen mendacium erat officioſum, ſcili-
cet pro ſalute ſui, & ſuorum Philiſthinorum mores
non eſt imitatus; at dum eorum regionibus per-
uagatur, mendaciis inficitur, & peregrinando
contraxit, quo virtutes ſi non expelleret, aliquo-
modo ſaltem innubilaret. Quod ſi peregrinatio
non leuitatis; ſed neceſſitatis cauſa ſuſcepta ali-
quomodo infuſcauit virtutem, recogita quid affe-
rant peregrinationes ſola curioſitatis cupidine ſuſ-
ceptæ, & conſilio otioſitatis ſuaſæ.

§. XXVIII.

Pluribus abſtruſa naturæ indagare ſecreta
ſuaſit non laudabilis honeſtas, ſed
deteſtanda cupiditas.

QVi Philoſophiam, & naturæ cauſas in mo-
116. rum concinnitatem indagat, ingens fit ani-
mo, fortunæ telis exemptus, & Philoſophiæ pri-
uilegio ab errorum tempeſtate ſecurus. Verùm
ſcientia, & laborioſa rerum indagatio iam non
excudit Philoſophos, ſed ſuperbos aut cupidos:
noctes inſomnes ponunt, laborant, vt abditas re-
rum inquirant cauſas, non tamen honeſtatis con-
ſilio; ſed vanitatis, aut cupiditatis ſuaſu. *Penè*
quotidie (aiebat Philo lib. de congreſ. quærend.
erudit. gratia) *plena ſunt theatra, & auditoria, &*

philoſophi ſine reſpiratione de virtute copioſè ver- Philo.
ba faciunt; ſed quanam eſt horum ſermonum vti-
litas? cùm enim deberent attendere, auocantes
animum quidam de nauigatione, & negotiatione,
quidam de agricultura, & reditibus, quidam de ho-
noribus, & Republica, quidam de lucris ex opificiis,
quidam de plectendis inimicis, quidam de amoribus,
omnes de aliis rebus cogitant. Nullam ſolicitudi-
nem plures intermittunt, vt ſecreta indagarint na-
turæ; verùm non vt animum notitia expoliant;
ſed vt ſub haſta ſcientiam variis affectibus ven-
dant. Ecce Satrapæ peregrinationes ſubeunt, na-
turæ ſecreta eruere contendunt, vt vindictam
exerceant, vt Samſonem hoſtem affligant: *Ve-*
nerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque
dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo ha-
beat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſupe-
rare valeamus, & vinctum affligere. Samſon in-
ſuperabili robore vigebat: occulta erat Satrapis
fortitudinis cauſa: ergo Dalilam adeunt, & ſe-
cretum inuenire vehementer diſcupiunt, non
ſciendi ſtudio, ſed vindictæ deſiderio: *Quomodò*
eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Ecce
Satrapæ Philoni fidem faciunt, dum abſtruſa in-
dagant in appetitus obſequium, non in virtutis
auxilium: *Philoſophi ſine reſpiratione de virtute*
copioſè verba faciunt, quidam de plectendis ini-
micis cogitant. Iam quam ſedulè, quàm ſolicitè
ipſa Dalila naturæ indagarit ſecreta, audi ab Scri-
tura: *Cùm moleſta eſſet ei, & per multos dies iugi-*
ter adhæreret, ſpatium ad quietem non tribuens,
&c. Anxia ſolicitudine, indefeſſa vigilantia, in-
ſomni cupiditate tempus inſumebat, vt abdita,
abſconditaque naturæ ſecreta erueret; hanc ta-
men ſolicitudinem non ſuaſit honeſtum noſcen-
dæ veritatis ſtudium; ſed exæſtuans auaritiæ deſi-
derium: cupiebat diſcere, non vt noſceret; ſed
vt ſcientiam venderet: totis viribus inhiabat ad
ſcientiam, ſed auri deſiderio, non virtutis ſtudio,
Mulier, aiebat Proſper lib. de promiſſion. cap. 22.
pecuniam à Principibus Philiſthinorum ſuſcepit. Proſper.
Vt pecuniam accipiat, diſcit, & naturam ſolertiſſi-
mè ſcrutatur, vt vendat: inſudare ſuaſit cupiditas,
non honeſtas.
Eſaü venandi gnarus proditur, Iacob vtilis otij 117.
adamator profertur: *Factus eſt Eſaü vir gna-*
rus venandi, & homo agricola; Iacob autem Geneſ. 25. v. 27.
vir ſimplex habitabat in tabernaculis. Qui ve-
natur; ſolicitè rimatur abſtruſa, perquirit ab-
ſcondita, ſaltus obit, implicitas valles diſcurrit:
qui in tabernaculis habitat cœlum intuetur à tu-
multu remotus, & otio ſapienti deditus. Ergo in
his duobus adumbrari putat datus ſuprà Philo
ſtudentes, ac naturam contemplantes ad ſenſuum
oblectamentum, & ad virtutum ornatum: Eſaü
venatum adit, quò primogenituræ ſplendorem
venetur: Iacob cibos offert, vt matris præceptio-
ni obſequatur. Itaque actio ad ſpeciem erat ſimil-
lima; ſed intentio prorſus diuerſa: *Eſaü eſt Prin-*
ceps generis, inquit Philo, *qui modò factura, mo-*
dò quercus interpretatur: quercus, quia rigidus, Philo.
inexorabilis, inobſequens, dura ceruicis amentiam
in conſilium adhibens verè quercus homo: factura
verò, quia figmentum & fabula eſt vita inſipiens
plena tragico faſtu, irriſione mutua, cauilliſque
comicis, nihil ſani habens, mendax, & à verita-
te aliena, qualitate carentem, inuiſibilem, infor-
mémque naturam non aſſis faciens, quàm medita-
tor deamat. Teſtis eſt Moſes dicens: Erat Ia-
cob ſimplex, domum habitans. Attende ſtudioſiùs;

Digitized by Google

quæ annectit: *Itaque huic contrarius ſine domo eſt, figmentorum, poëmatum, & fabuloſarum nugarum amicus, vel potiùs ipſe ludus & fabula.* Eſaü abditorum venator eos refert, qui ſecreta indagant, qui ad eruendam à naturâ abſtruſam notitiam obnoctant; non tamen vt animum excolant, ſed vt vanum tumorem nutriant; & quidem hi Eſaü ad inſtar per anxios labores miſeri, quia benedictione priuati. O quot ſtudiis vaniſſimis impenduntur, vt tragico faſtu turgeant, non vt moribus excultis reſplendeant, qui ſi ſeriis, & vtilibus rebus operam darent, virtutis fructum perciperent! Itaque ſi vtriúſque fratris operationis attendas finem, videbis Eſaü rerum abditarum exercuiſſe venatum, vt cupiditati indulſerit, vt ambitioni inſeruierit; at Iacob è contrà ſolùm didicit obedire, & virtutum concinnitate micare. Ergo iſte fortunatus effloruit, ille defatigatus ingemuit. Nec ſine myſterio Eſaü poëtices & fabularum amans quercus interpretatur: vt enim quercus agreſti fructu animalia obſcœna paſcit, ſic plures componendis inſudant verſibus, concinnandis inuigilant poëmatibus, vt aliorum, aut ſuos impuros amores foueant, & deliria delitiis augeant. Adde nonnullos tempus terere quæſtionibus inutilibus, otioſis ſophiſmatibus, quò labor morum formationi impendendus inutili impendio prodigitur.

118. Samſonis nuptiæ ſumptuoſis epulis celebrabantur; cumque conuiuæ iocoſis ſalibus aliorum prouocarent ingenia, quæſtionem Samſon propoſuit, videlicet: *De comedente exiuit cibus, & de forti egreſſa eſt dulcedo.* (Iudic. 14. v. 14.) Auditores in ſoluendo problematis nodo non modicum tempus inutili labore impenderunt: *Nec potuerunt per tres dies propoſitionem ſoluere.* Qua parum intererat problema ſoluere, aut ignorare, & tamen nihil non tentant; vt nodum ſoluant. Iam quid ſolutus attenderit nodus, expende: vxoris infidelitatem Samſon experitur, & in ſodales ſtomachatur. En cui ſcientiæ impenditur tempus, cui inſomnes dicantur, ac laborioſæ vigiliæ, problemati nempè, cuius inadagata ſignificatio nil ad mores componendos afferebat emolumenti; ſed tantillum temporalis patiebat lucri. Quàm benè Seneca epiſt. 111. (Seneca.) *Verus & rebus, non artificiis philoſophus in edito ſtat admirabilis, celſus, magnitudinis veræ. Non exurgit in plantas, non ſummis ambulat digitis, eorum more, qui mendacio ſtaturam adiuuant: longiorésque quàm ſunt, videri volunt. Contentus eſt magnitudine ſua.* (Verè Philoſophus extra fortunã degit.) *Quid ni contentus ſit eò vſque creuiſſe, quò manum fortuna non porrigit? Ergo & ſuprà humana eſt, par ſibi in omni ſtatu rerum, ſiue ſecundo curſu vita procedit, ſiue fluctuatur per aduerſa ac difficilia.* Adnectit noſtræ theſi ſatis opportunè: *Hanc conſtantiam cauillationes iſta, de quibus paulò antè loquebar, præſtare non poſſunt: ludit iſtis animus, non proficit, & philoſophum à faſtigio deducit in planum. Nec te prohibuerim aliquando iſta agere; ſed tunc cùm voles nihil agere.* Iſtæ cauillationes, ſophiſmatave inſumendo inutiliter tempori opportuniſſima, moribus verò concinnandis inueniuntur prorſus inepta; & tamen videas plures eiuſmodi vanæ ſapientiæ addictos, & problematum ſtudioſos.

119. Apoſtolus Timotheum diſcipulum inſtruens ſic admonet: (1. ad Timot. 2. v. 23.) *Stultas, & ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens quia generant lites.* Non prohibuit diſcere, qua ratione poſſet animum omni virtute expolire, & ab omni perturbatione intactum ſeruare, non vetuit diſcere maiori celeritate, quàm venerit, auolare fortunam non vetuit diſcere ludibria effugere, nec arridenti fortunæ credere; ſed inutilibus quæſtionibus fatigari: eiuſmodi ſtudiis animus non proficit, oblectatur, ſed appetitionibus non medetur: ſtudium non ſemel degenerat in periculum, & quo componendi videbantur mores, pertinaces emergunt lites: *Stultæ quæſtiones ſunt*, inquit Anſelmus, *inſolubiles, & ſecreta humano generi prohibita quærentes; ſine diſciplina verò quæſtiones, quæ non humiliter ac modeſtè ſiunt, & quas qui facit, non diſcere vult; ſed litigare.* (Anſelm.) Eò tendunt quæſtiones aliquæ, vt ſerant litigia, vt diſſeminent odia: iſta à formatione morum receſſerunt, inutilem laborem adducunt, & ſuperbiam acuunt. Certè exiguum vitæ tempus vtiliori doctrinæ moralis ſcientiæ debitum friuolè ac inutiliter terimus; imò non exiguo detrimento conſumimus. Scire oporteret quid vitare debeas, quibus labantem animum ſtabilias, quomodò te ſuprà omnem fortunæ varietatem attollas, quomodò ærumnas feras ſine gemitu proprio, quomodò felicitatem ſine alieno: ſcire namque leonem voraciſſimum cibos miniſtraſſe, ſæuum ac carniuorum dulcedinem protuliſſe, parum illorum aut nihil intererat.

Demus operam, aiebat Caſſiodorus de diuinis lectionibus cap. 24. 120 *& poſt introductorios libros auctoritatem cum expoſitoribus ſuis ſedulâ intentione curramus,* (Caſſiodor.) *viáſque intelligentiæ Patrum labore repertas pio ſtudio ſubſequamur, non ad quæſtiones inaniſſimas validâ ſuperfluitate tendamus.* Quod moribus efformandis conducit, inquirendum eſt, non quo turgeamus ſuperbi, aut ſuperbiamus inflati: nos ad ſtudia alliciat morum comitas, proximi vtilitas, ſapientiæ honeſtas, non vanitas ſuperba, non cupiditas auara, non inutilitas falſa dulcedine ſaporata.

---

§. XXIX.

Sunt qui vitia velint aliquatenùs expugnari; ſed penitus noluerint extingui.

APud antiquos quæſtio fuit, quod rideas, 121.
an ſatius fuerit modicos habere affectus, an nullos: quaſi ſalubris eſſe poſſit, & vtilis morbi mediocritas: interdicebant cupere, permittebant velle: conſcij imbecillitatis humanæ permittebant dolere; ſed temperatè; voluptatibus inſeruire; ſed non profuſè. Ergo vt nullum vitium ſine patrocinio eſt, huius ſectæ non paucos patronos inuenies. Certè neſcias, an dum arma in vitia prehenſant, eis patrocinentur: adlaborant extenuare; ſed nolunt prorſus expungere. Itaque contraria nituntur in concordiam adducere, conſcientiam videlicet & voluptatem, vtque nonnulli ægroti inter mortis metum, & voluptatis votum diuiſi exhorreſcunt grauiter infirmari, & extiment integrè conualeſcere: ſic iſti virtutem ambiunt; ſed aliquid deliciarum remanere diſcupiunt. Ecce huius veritatis non ineptum in Philiſthinis exemplum: in Samſonem ſtomachati Dalilam adeunt, atque, ſi fortitudine diſpoliauerit, copioſum au-

rum

Digitized by Google

rum promittunt: *Diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Paruit illa, & dormientis capillos raſit, vitam conceſſit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum.* Satius videbatur hoſtem de medio tollere, quàm vinctum affligere, & tamen non dicunt, vt necemus; ſed vt vinctum affligamus. Et cur non inferant mortem; ſed nitantur auferre ſolummodò fortitudinem? Certè vt noſtram theſim miris coloribus adumbrarint: ſunt namque, qui eligant morbi mediocritatem, nec perfectam velint ſalutem: *Quæretur*, inquit Abulenſis quæſt. 15. (Abulenſ.) *quare Philiſthini non occidebant Samſonem dormientem: nam iſtud facile erat eis: quia Dalila daret ei locum.* Reſpondet: *Reſpondendum, quòd Philiſthini poterant hoc facere, & tamen non faciebant: quia deſiderabant eum capere viuentem.* Samſone extincto carebant timore; ſed carebant voluptate: nam *Eductus de carcere ludebat ante eos*: ergo vt timorem ſopiant, vires extenuant, & ne tanta voluptate priuentur, viuere decapillatum exoptant.

122. Dæmonis arte grauiſſimas pœnas homo miſerrimus ſuſtinebat: viuus amandabatur ſepulchris, & cùm mortis careret quiete, non carebat anxietate: grauiorem morte vitam ſuſtinere cogebatur nam quos mors inuaſerit, ægrimoniæ priuat ſenſu, & à doloribus recreat; hic verò inter mortem, vitámque diuiſus viuebat moriens, moriebatur viuens; Chriſtus inuolat opem laturus. Quid tunc? Ipſe homo dæmoni patrocinatur, & cùm præſentem non poſſet ſuſtinere, non patiebatur diſtare: (Marci 5. v. 7.) *Adiuro te per Deum, ne me torqueas.* Inter tormentorum metum, & fœtoris votum diuiſus tormentis adlaborat eximi, & ſepulchro timet priuari: durum erat horribili pœnarum metu excruciari, & amarum vitiis carere: ergo exorat tormenta non infligi; ſed dæmonem non exorat depelli. Notauit Chryſologus quo ſolet ingenij (Chryſol.) acumine, ſerm. 17. *Quid agit, quid patitur fragilitas humana talibus & tantis ſubiecta miſeriis? Ecce Diabolus patronâ voce hominis hominem petiturus inclamat.* Vides hominem dæmonis aduerſarium, & patronum; exhorreſcit, ſi foueat, tormentum, cupit fœtorem: ergo hoſti ſuo ſuam militat in ruinam, cùm cauſam deſideret retinere, & cruciatus metum adlaborarit ſopire.

123. Succedat ſibi Chryſologus. Cùm Zachæus publicanorum Princeps Ieſum videre ardenter diſcuperet, nec confuſaneæ turbæ repellere quiret impedimentum, nec turba impeditus ac circumactus nanciſci votum, arborem ſycomorum inſcendit, quo inde viderit tranſeuntem: (Lucæ 19. v. 4.) *Præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus.* Plurium Interpretum opinio eſt, Adamum, Euámque circa ficum, à qua folia mutuati ſunt, deliquiſſe. Ergo Zachæus nec vult diuino aſpectu priuari, nec ab arbore Adamatica vult diſcedere: agnoſcere diſcupit veritatem; ſed inſcendit ſeductionem: ergo Chriſtus quàm celeriter imperauit deſcenſum, vt Zachæi intrarit hoſpitium: *Feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Factum diſcordabat à voto: nam retinebat Adamaticam elationem, & amplecti adnitebatur virtutem. (Chryſol.) Chryſologum audi ſermone 54. *Si ſapis, feſtinans deſcende: deſcende ante Dominum de Adamatica arbore. Deſcende ergo, vt deponas tanta fraudis onera; pondera cupiditatis.* Renuebat omnem cupiditatem expungere: ſatagebat Chriſtum videre: ergo non ficum, ſed ſycomorum inſcendit, quo nec venato fructu ægrotaret, nec omni cupiditate careret. Sycomorus fatua ficus eſt adulteratam ficus ſpeciem retinens; ſed ficus non gignens: ergo Zachæus inſcendit ſycomorum, vt Adamaticæ arboris quid retineat, nec venenatis illectus fructibus prorſus cadat. Iuſtè ergo celer imperatur deſcenſus, vt recipiat Dominum perſanatus: nam niſi cupiditatis deponat onera, non poterit viſionis impleuiſſe deſideria. Et vide myſterij proprietatem: quia in tranſitu videre cupiebat Dominum, in ſycomorum inuolauit: *Aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus*; at Dominus renuntiare arbori iuſſit, vt reciperet manentem, nec ſolùm aſpiceret tranſeuntem: *Feſtinans deſcende quia hodie in domo tua oportet me manere.* Quod Zachæo, plurimis videas contigiſſe: volunt accedere Chriſto; ſed retenta ſycomoro: Adami diſcupiunt vitare caſum, cùm non depoſuerint votum: non extendunt ad vetitum pomum dexteram; ſed inter arboris ramos & folia aliqualem perquirunt oblectamentorum vſuram: ergo his opus eſt deſcendere, & vt recipiant Dominum, longè à ſycomoro diſtare: *Si ſapis, feſtinans deſcende, deſcende ante Dominum de Adamatica arbore.*

Certè vt cumulatam plenámque victoriam de hoſtibus reportemus, operæ pretium erit, quicquid vitioſum, accuratiſſimè depellere, & repurgare: dum ſiniſtrum quid in te remanſerit, victoria plena non coronaberis aliquali catenâ obſtrictus, & compedibus illigatus. Miſeram Hebræi ſeruitutem ſub Eglon rege Moab perpeſſi excutere vincula non valuerunt, quouſque Aod nacti, in quo ſiniſtrum laudabiliter degenerauit in dextrum: *Clamauerunt ad Dominum, qui ſuſcitauit eis ſaluatorem vocabulo Aod filium Gera, filij Iemini, qui vtraque manu pro dextera vtebatur.* (Iudic. 3. v. 15.) Aod populum liberat, Eglonemque vulnere latiſſimo internecat, dum ſiniſtrum nihil habet: *Extendit Aod ſiniſtram manum, & tulit ſicam de dextro femore ſuo, infixitque eam in ventre eius tam valide, vt capulus ſequeretur ferrum in vulnere, ac pinguiſſimo adipe ſtringeretur.* Fors Eglon non occumberet dextra percuſſus, ni ſiniſtra tranſiſſet in dextram; aſt dum nil in Aod reperitur ſiniſtrum, irremediabile Eglon cogitur ſuſtinere (Caſſian.) tormentum: *Habet vir ſanctus* (verba ſunt Caſſiani apud Tilman. in allegor.) *dextram, ſucceſſus videlicet ſpirituales, in qua tunc conſiſtit, quando feruens ſpiritu deſideriis, ac concupiſcentiis omnibus dominatur.* Aod nulla cupidine infectus, nullis deſideriis ſordidus de Eglone celebrandum ſæculis reportat trophæum, & à contribulium ceruicibus infame depellit iugum: vt noueris quicquid ſiniſtrum habueris, tibi ipſi aduerſari, & aduerſarium tueri. Ni Aod vtraque manu pro dextera vteretur expeditus, fors triumphum non reportaſſet ſiniſtræ obſtaculo retardatus; verùm dum nil patitur ſiniſtrum, & detriumphat aduerſarium. Ergo iure Philiſthini ſuccubuerunt à Samſone occiſi, dum ne oblectamento careret, noluerunt occidere; ſed ſolùm debilitare. 124.

Digitized by Google

§. XXX.

Vitium leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittit; damnum grauiſſimum affert.

125. VItiorum promiſſa fallaciæ ſunt, iucundis blandè alliciunt; ſed allectam voluntatem fraudulentiſſimè fallunt: vt rudes piſciculi dulci eſcâ obtectum duriſſimum deglutiunt hamum, & exiguum ac fallax oblectamentum ad validiſſimum mortis tranſit auxilium: ſic nos vitiis, quorum fides fraudulentiſſima eſt, dum incautè accedimus, fucata venena haurimus: exaggerant ſumptuosè lucra, extenuant dolosè incommoda, vt dum auidiùs mentitis lucris inhiamus, laqueis doloſiſſimis implicemur. Aptari non incongruè poteſt infidelibus his promiſſis, quod de Frontoſo ſcribebat perpolito ſtylo Caſſiodorus 5. var.34. *Suæ ſponſionis ignarus, obliuioſus, cùm relinquitur, trepidus, cùm tenetur; mutat verba, variat conſtituta, nec in vna dicti ſui qualitate contentus diuerſis imaginibus immutatur.* De varietate fallax, de falſitate varius conſtituta mutabat Frontoſus, nec aliud in peccatoribus, vitiiſque experieris ingenium: vt voluntatem alliciant, ingentiſſima promittunt commoda, extenuant detrimenta, cum reuera ſic conſtituta varientur, vt auolent fallacia lucra, & premant vrgentiſſima detrimenta. Has vitiorum fraudes experta eſt Dalila: Philiſthinorum Satrapæ, vt in Samſonem exercere valeant vindictam, ſpurciſſimi ſcorti non recuſant tuguriolum intrare; imò contemnunt ſuſpicionis infamiam, vt hoſti dolos obtendant, & ne muliercula delicias ſuas defenderit, & detrimenta attuliſſe amanti recuſarit, copioſo auro ineſcant, & promittunt, ſi eis Samſonem prodiderit, non graui ſupplicio afficiendum; ſed leuibus dumtaxat afflictionibus diuexandum: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Veriti, ne ſi Dalila occidendum putauerit, pactum reſpuerit, detrimenta fore leuiſſima conteſtantur, & cupiditatem auro promiſſo accendunt, vt mulierculam promiſſionibus ineſcatam alliciãt. Hanc Philiſthinos admouiſſe machinam contrà debitæ fidei muros teſtatur Caietanus: *Tum auctoritate (dominabantur enim Peliſtini Hebræis) tum magnitudine pecuniæ, tum leuitate mali, quod comminabantur inferre Samſoni: non enim eum emebant ad occidendum, aut vulnerandum; ſed ad affligendum, facilè muliebrem animum corruperunt.* Deluſa exiſtimabat Dalila leui incommodo grande acquirere poſſe lucrum: ergo damni leuitate, lucri magnitudine corrupta Samſonem ſibi amoris philtro deuinctum tradidit. Quid tunc? *Statim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Samſonem vides luminibus orbatum; aurum verò expreſsè non audies penſum: *Aſcenderunt*, inquit textus *aſſumpta pecunia, quam promiſerant.* Secum tulerant Satrapæ, vt oſtenſione fallerent, non vt redderent: pecuniam expreſsè non audies perſolutam; ſed tantummodo à Philiſthinis allatam: ergo mulier, quæ leui damno magnum ſperabat lucrum, nullum conſecuta lucrum experta eſt ingentiſſimum damnum: *Violauerunt fidem*, addit Caietanus, *effodiendo oculos Samſonis: nam promiſerant mulieri ligare eum dumtaxat ad affligendum.* Infidelis amanti infideles Satrapas experta eſt, quo hiſtoriæ penicillo vitiorum, peccatorúmque mitè delineatum noſcas ingenium: ingentiſſimis ineſcant promiſſis, extenuatis, quæ emergere poſſent, damnis; ſed mutata fide, ingentiſſima inferunt damna, & obliuiſcuntur promiſſa.

Tod. Caiet.

126. Amœniſſimo illo topiario Eua deliciabatur: erat voluptas innoxia ſerpentino carens veneno; verùm ad inuidiam excitatus eſt dæmon, & qui gehennales flammas ſuſtinebat, ardentiſſimas inuidentiæ flammas non ferens ſerpentis faciem mutuatur, & mulierem dolosè aggreditur: ſcientiæ plantam mirè commendat, & leui labore, manus videlicet extenſione, poſſe diuinitate potiri impudentiſſimè affirmat: *Eritis ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Ecce exigui adeò laboris diuinitas præmium eſt, & quidem non potuit eſſe præmium ſumptuoſius, nec labor leuior. Quid tunc? Deluſa ſerpenti mulier credidit; verùm dum leuiſſimo labore ad diuinitatis inuolat lucrũ, amiſſo quod ſuſpirauerat lucro, doloris, paupertatis, ac dedecoris copioſiſſimum inuenit theſaurum: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Loco præmij triſtiſſimum ſucceſſit exilium, deliciæ in horridos tranſierunt ſentes, & Deitatis impaſſibilitas vrgentiſſimo paſſionis dolore commutata eſt: ſic eludit: *Cùm diceret* (verba ſunt Ruperti lib.3. in Geneſ.cap.7.) *Et eritis ſicut dij, falſis vtique Diis, id eſt, ſibi ſuiſque ſequacibus Angelicis apoſtaticis ſimiles illos facere intendebat, cum aliud (ſicut iam dictum eſt) intelligi vellet in hac promiſſione ſua, cui nimirum ſuauiter ſonanti quaſi vino venenum mortis commiſcuerat.* Vt medicatum vinum guſtum titillat, & inſaniam menti parat, vt dulci oblectamento venenum oblinit, & mortem introducit, ſic peccata, vitiáque veternoſi legitima ſerpentis progenies magnificis promiſſionibus imprudentes illaqueant, extenuatis incommodis deprædantur timorem, & quaſi adactis calcaribus impellunt ad alta, vt certiſſima attulerint detrimenta.

Geneſ. 3. v.5. Rup.lib.3.in Gen.cap.7.

127. Chamæleon inter immunda reputatus à diuinis exulat aris, quo nos exul ad virtutes erudiat: *Inter polluta reputabuntur de his, quæ mouentur in terrâ, muſtella, & mus, & crocodilus ſingula iuxta genus ſuum, mygale, & chamæleon, & ſtellio, & lacerta, & talpa.* Chamæleon commiſerationis obtentu mortem inferre deſiderat, cura ad ſpeciem commoda; ſed reuera ſolicitat detrimenta: *Chamæleon*, inquit gloſſa, *miſereſcit, & præ infirmitate manſuetum ſe fingit, cùm crudele ſit.* Miſerationis bractea crudelitatem inaurat, & dum putas ibi conſulere, inuenies detrimenta conciliare. Suffragatur Hugo Cardinalis: *Diuerſicolor eſt, vt pardus, cuius corpuſculum ad diuerſos colores, quos videt, facilè variatur: in infirmitate ſe fingit animal manſuetum, cùm tamen ſit immanſuetum.* Addit: *Huiuſmodi homines quamdiu nulla præeminent poteſtate, immoderata adulatione blandiuntur, quibus ſi data fuerit poteſtas, crudelitatem in anima latitantem, continuò manifeſtant.* Adulationibus huiuſmodi homines fallunt; ſed doloribus affligunt; pro fortunæ varietate ſunt varij: nulla in illis fides, imò à ſe ipſis velut alienos

Leuit. 11. v.29. Gloſſa. Hugo. Chamæleontis varietas quos deſignet.

nos inuenies. Caſſiodorus vbi ſuprà, in Chamæleonte infidelitatem vitiorum ac peccatorum agnoſcens oculos ait grato colore depaſcere; ſed quam citò contrarias qualitates oſtendere: *Paruorum ſerpentum forma conſimilis aureo tantum capite, & reliquis membris ſubalbentis praſini colore diſtinguitur. Hæc* (beſtia) *quoties humanos aſpectus incurrit, dum ei fugiendi velocitas denegatur, nimia timiditate confuſa colores ſuos multifaria qualitate commutat, vt modo veneta, modò blactrea, modò poſſit cyanea reperiri.* Chamæleon non obſcurum peccatorum ænigma aureis labiis eludit; ſed qualitate mutata alium prorſus à ſe ipſo reperies. Sperabas de capite aurum; ſed de corpore colorem inuenies nullum: grato ad ſpeciem colore allicit; ſed inconſtanti varietate confundit. De varietate totus, cùm ſe promittat blactreum, ſe exhibet cyaneum. Ecce Philiſthini chamæleontis ingenium mutuati aureis verbis cupidam mulierculam fallunt, & falſam prorſus promiſſionibus eludunt.

128. Diabolus proditoris Iudæ præcordia poſſidens poſſe ſuaſit, ſi magiſtrum traderet, nullo aut leui traditi damno ingenti ditari lucro: viderat Iudas magiſtrum aliquando inſidiantium manus euaſiſſe: ergo dum nullum credit damnum, & ingens ſuſpitat lucrum, magiſtrum tradit: *Cùm Diabolus iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas.* In cor miſit, vt traderet, ſuadens nullo diſcrimine expiſcari poſſe ingentem auri ſummam; at patrato iam facinore, peracta proditione contrarium prorſùs Iudas inuenit: ingentiſſimum namque tunc agnouit damnum, & exiguum ſatìs lucrum. *Videns Iudas, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœnitentia ductus retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum & ſenioribus.* Ob id argenteos retuliſſe, & ſententiam, etſi ſerò, demutaſſe, tradit Theophylactus, cuius hæc ſunt verba. *Quidam dicunt, quòd Iudas, cùm auarus eſſet, ſperabat proditione Chriſti multum lucri, & Chriſtum non occiſum iri; ſed euaſurum, ſicut ſæpiùs, & anteà, cum autem tunc vidiſſet condemnatum, vt moreretur, pœnitentiâ rei ductus eſt, quod alium quàm opinabatur, exitum res ſortiretur.* Res diuerſiſſimum prorſus; imò contrarium exitum ſortita eſt: promiſerat Iudæ dæmon præcordia poſſidens nullum damnum & ingens lucrum, & inuenit nullum lucrum, & ingentiſſimum damnum. Ergo Dalila Iudæ ænigma, dum leue credit nocumentum, & copioſum ſuſpirat aurum, potita non legitur aurum, & illatum doluit tardè nocumentum.

Ioan. 13.

Theophyl.

§. XXXI.

Laſciuis ferè ſemper familiaria commenta, & amica ſemper mendacia.

129. Foemina à mundi exordio doli artifex fallaciarum magiſtra, & commentorum vena copioſa: & quidem niſi ſana doctrina reformetur, ac philoſophia condiatur, mortiferæ ad inſtar peſtis omnia corrumpit, aufert Reipublicæ pacem, diſcordiam ſeminat, & fortitudinem euigorat. Vel cœleſtia hac labe aſperguntur, & iniquis confictiſque ſuſpicionibus maculantur: *Aganica Theſſali filia*, refert Plutarchus in præcept. connubial. *cùm tempus, quo Lunam contingit terra* *vmbram ſubire, perſenſiſſet, imponebat, perſuadebàtque mulieribus Lunam ſe de cœlo deuocare.* Nec Luna à mulieris fraudibus potuit eximi, aut audaci dente non arrodi. Aganica deſeruiſſe Lunam mentiebatur officium, vt iniquæ ſuſpicionis ſubiret probrum. Addit ibi Plutarchus de fœminis: *Niſi ſermonem ſemine proborum impleantur, vel in partem veniant cum viris doctrinæ, ipſæ per ſe monſtroſa multa; & praua conſilia, motuſque concipiunt.* Ex ſe dolos comminiſcuntur, architectantur fraudes, & quod dæmon aggredi per ſe timuit per vnam Euam impleuit. Quod ſi non ſolùm ſapienti non imbuantur doctrina; ſed libidinis adurantur inſania, mirandos contexent dolos, vt etiam ſi maioris lucri ſpes, obtendent captioſiſſimos laqueos. Et quidem huius doctrinæ non ignari Philiſthinorum Satrapæ, ſuis artibus, quàm meretricis fraudibus, minùs fidunt, ad Dalilàmque recurrunt. *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum.* Viri ingenio acres, mentis acie acutiſſimi ceſſerunt in concinnandis fraudibus fœminæ: quia ad decipiendum & aſturior & excellentior: *Illa quæ ſemel ſe pecuniæ proſtituerat* (inquit Ambroſius ſæpè datus) *aſtutè ſatis & callidè inter pocula & illecebras amoris quaſi admirans fortitudinis eminentiam quærere cœpit, quo tandem genere tantum præſtaret reliquorum virtutibus.* Callidè aſtutéque perfecit mulier, quod Satrapæ obtinere nequirent: mendaciorum artifex Samſonis imminuit vires, & fraudis artifices edocuit eſſe mulieres. Nec aliter ſe Samſon geſſit: *Per tres vices mentitus es mihi.* En Samſon, ne Dalilæ diſpliceat, confugit ad mendacia, & Dalila, vt placeat Satrapis, ad illecebroſa recurrit etiam commenta: eſt enim ſolemne huius vitij aſſeclis ſe decipere, mendaciorúmque clypeo à querelarum, ſuſpicionúmve ictibus ſe defendere. Addit Ambroſius de Samſone: *Dolum dolo repulit*; illa imperebat Samſonem dolis; ſed ille dolis Dalilam repellebat, & quiſque mendaciis ſtudebat alteri illudere, & querelas, ſuſpicioneſvè propulſare.

Ambroſ.

Salomon huius rei non ignarus mulieres carnis negotia gerentes fallaciſſimas nuncupauit: *Ne attendas fallaciæ mulieris: fauus enim diſtillans labia meretricis.* Ambroſius lib. 1. de Abel. cap. 5. legit: *Noli intendere fallaci mulieri*: quaſi idem ſit fallere, & carnis ſtudium gerere: à plurimis amaſiis ſolicitati gloriantur, dumque agnoſcunt riuali diſplicere riualem, & cupiunt amantium gregem, ad mendacij patrocinium recurrunt, & miris artibus ſeſe fallunt Ambroſium audi: *Multa mentitur, falſa adiungit vera ſubducit.* Quod ipſis oculis adſpicis, audacter negabunt, & quod mille reſtibus verum conſtat, inficias ibunt. Adeò certum eſt libidinis negotia gerentes ſtudere fallaciis, vt fallaces vocare Caietano videatur ſuperfluum: *Ne intenderis fallaciam mulieris: Iſta clauſula ſuperflua eſt*: quaſi fallacia turpitudinis ſit non ſolùm conſequentia; ſed vita. 130.

Prouerb. 5. v. 3.

Ambroſ.

Caiet.

D. Ioannes de candidiſſimis agnum ſequentibus agnellis agens, vt in ore eorum fraudem dolumvè inuentum non fuiſſe probet, cum mulieribus non coinquinatos aſſeruit: *Hi ſunt, qui cum mulieribus non ſunt coinquinati: virgines enim ſunt: hi ſequuntur agnum quocumque ierit: hi empti ſunt ex hominibus primitiæ Deo & agno, & in ore eorum non eſt inuentum mendacium.* Puritatis præmiſit candorem, vt teſtaretur abeſſe fraudem: ni 131.

Apoc. 14. v. 4.

Plutarch.

enim

Digitized by Google

enim agnelli à mulierum deliciis diſtitiſſent, vt è contra ni agnellæ turpes congreſſus reſpuiſſent doloſas tenerent technas, & artificioſas excogitaſſent fallacias: dum enim infidelitate verentur diſplicere, & geſtiunt appetitibus adulari, ad alterius fraudis confugiunt remedium, & ad fallaciarum auxilium: *Hi empti ſunt de terrâ*, inquit Hugo,
Hugo. *id eſt, de terrena conuerſatione electi: item cum mulieribus non ſunt coinquinati, id eſt, muliebri mollitie finaliter non ſunt detenti: virgines enim ſunt.* Conſonat Rupert. lib. 9. in Apoc. *Tales vir-*
Rup. *gines canticum bonum ſibi theſaurizauerunt, dum adhærentes vnico viro ſuo, vni Deo ſuo verbum bonum de pectore tota mente conceperunt, ore protulerunt.* Niſi vnico viro adhæſiſſent, mendacia plurima interpolaſſent: & quidem quæ ſe tradunt mœcho, & verentur diſplicere marito, mille texunt mendacia, & ad fallendum commenta. Clemens Alexandrinus in exhortatoria ad gentes tradit gentium Deos iam cygni formam, iam tauri ſpeciem, iam aquilæ retuliſſe volatus: nec enim impuritatis affectionibus potuiſſent inſeruire, ni formas didiciſſent fallacia tegere, & doloſis arti-
Clem. Alex. bus demutare: *Vbi nunc eſt illa aquila? vbi verò cygnus? vbi autem ipſe Iupiter? Vna cum penna conſenuit: non enim quòd amoribus operam dederit eum pœnitet, nec docetur eſſe moderatus & temperans; ſed vobis aperitur fabula.* Non potuit vel in Diis à cæca antiquitate cultis non reperiri fabula, dum amoris inueniebantur deliria. Adde amorem non ſolùm eſſe fabularum artificem; ſed calamitatum artem. Iam refertur Mars ſaucius, iam vulnerata Minerua, iam Hercules ſanie fluens: audi ibi eundem Clementem Alexandrinum: *Eſt ergo his meritò conſequens, hos veſtros Deos, qui & amore languent, & animi vexantur perturbationibus omninò inducere obnoxios humanis affectionibus: nam mortale illis eſt corpus. Rectè autem admodum conijcit Homerus introducens Venerem propter vulnus acuta & magna voce clamantem, & narrans bellicoſiſſimum Martem fuiſſe à Diomede in ventre ſauciatum. Polemo autem dicit etiam Mineruam fuiſſe vulneratam ab Ornyto.* Ecce confictis illis Diis, Deabúſque & mendacia familiaria, & cruenta vulnera inflicta: nam à carnis negotia tractantibus facile non eſt vulnera effugere, aut commenta non componere. Huius certè farinæ fœminæ, virique toti ſunt in fraudibus colorandis, in concinnandis dolis, in veſtiendis ſpecie veri mendaciis. Samſon cum Dalila ſe gerit, vt Dalila cum Samſone: illa inter blanditias diſſimulat dolum, & ille inter illecebras tegit etiam mendacium.

132. Ioanni obiicitur meretrix illa Babylon purpurâ ſcintillans, auro fulgurans, & margaritis reſplendens: in fronte ſcriptum gerebat myſterium: *Et*
Apocal. 12. v. 5. *in fronte eius nomen ſcriptum myſterium.* Ecquod myſterium? Sic videlicet ſenſus illudere, vt quæ non ſunt, videantur eſſe, & quæ ſunt, videantur non eſſe: ipſum audi Angelum: *Ego dicam tibi Sacramentum mulieris & beſtiæ, quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Beſtia, quam vidiſti, fuit, & non eſt.* Adnectit: *Septem capita, ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet, & reges ſeptem ſunt, quinque ceciderunt, vnus eſt, & alius nondum venit.* Nonne vides huius magæ miranda commenta, & admiraris commentorum artificia? Iam labiles aquarum fluctus ſunt montes, iam montes ſunt reges, iam quod cecidit, apparet, iam quod futurum eſt, viuit: ergo iure nomen habet myſterij: nam vt in Sacramento aliud eſt, quod intuitus tangit, & aliud, quod fides credit, ita qui huiuſcemodi mulierum domos curſitant, aliud coguntur credere, cum aliud nequiuerint non palpare: oculis perſuadent viſa non videri, vt etiam quæ non ſunt, adſpici: multæ profectò cæcitatis ſpecies concatenatæ concurrunt, vt quæ ſunt, non videas, & quæ non ſunt, tibi aſpicere perſuadeas: *In aperto, & in* Anſelm.
fronte eius ſcriptum myſterium, ſcribit Anſelmus ad hunc locum: *ſcilicet in aperto habet ſignum, quod rudibus eſt myſterium.* Ad myſterium recurrit, dum fallit, & apertiſſima oculorum euidentia illuditur artificioſâ fallaciâ. Conſentit Rupertus lib. 10. in Apoc. *In quo meretrix iſta gloriatur, ipſa* Rup.
natura vult eſſe myſterium, id eſt ſecretum; & licèt meretricia procacitas prædicet, naturalis tamen pudor contendit fieri occultum. Quod publicitas detegit, celat mendacium, & quod nunquam fuit, fuiſſe perſuadere nititur artificium: colore virtutis fraudem honeſtat, inuolucris publicatum occultat, & mirandis artibus imponit oculis, faſcinat animos, & architectatur dolos.

§. XXXII.

In detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas, non præferenda honeſtati vtilitas.

VTilitas honeſtati prælata, vindicta indignis 133.
fraudibus expetita, reportata de hoſte dolis iniquis victoria Principes dedecet: glorioſius eſt repudiaſſe huiuſmodi triumphum, quàm ſubegiſſe aduerſarium. Pyrrhus rex vnam atque alteram pugnam ſatis proſperè iniuit: magna Italiæ pars ad victorem ſe contulit, angebantur Romani, cùm Timochares Pyrrhi amicus ad Fabricium Conſulem clàm venit, ſi de præmio conuenirent regem venenis confecturus: Fabricius Senatum certiorem fecit. Quid Senatus decreuerit, audi ab Aulo Gellio 3. lib. noctium cap. 8. *Senatus legatos ad regem miſit, mandauitque, vt de Timo-* Gellius.
chare nihil proderent; ſed monerent vti rex circumſpectiùs ageret, atque à proximorum inſidiis ſalutem tutaretur. Claudius Quadrigarius ibi aliter epiſtolæ exemplar refert, in cuius fine addit: *Nobis non placet pretio, aut præmio, aut dolis pugnare.* Indecorum exiſtimarunt ad doloſas fraudes confugere, vt glorioſum aperto ac legitimo Marte pugnare: ita Ambroſ. lib. 3. officio cap. 14. *Memorabile ferunt Rhethores, quòd dux Romanorum,* Ambroſ.
cum ad eum aduerſarij regis medicus veniſſet pollicens daturum ſe regi venenum, vinctum eum ad hoſtem remiſerit. Et reuera præclarum, vt qui virtutis certamen ſuſceperat, nollet fraude vincere. Alieni ab hac doctrina Philiſthinorum probantur Principes, dum Samſonem non viribus oppugnauere; ſed fraudibus: non audent vires conſerere; ſed muliebri aſtutia, & doloſis artibus conantur circumuenire: indecoro triumpho Gazam reportauerunt ſubactum, & ferreis vinculis preſſum: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere.* Fraude deceptum non erubeſcunt affligere, qui Martiali debuiſſent campo oppugnare: *Decipe eum, &c.*

Quaſi

Digitized by Google

Abulenſ. *Quaſi dicant*, inquit Abulenſis quæſtione 9. *Nunc ipſe ſuperat omnes nos; nec iſto modo eſt poſſibile quod nos habeamus victoriam de illo, ideò quære vbi habeat vires, & ſic ſuperabimus eum.* Sic ſuperant fraudibus ſcilicet; verùm etſi reportauerint triumphum, non laude dignum; ſed magnanimis & Principibus indecorum.

134. Cùm Adgandeſtrius Princeps Cathorum Arminij mortem promitteret, ſi venenum, quo flagitium patraret, ei Romanus populus mitteret, Senatus à fraude abſtinuit, & ita teſte Cornelio Tacito lib. 2. annal. propè finem reſpondit: *Reperio apud Scriptores Senatoréſque eorundem temporum* Cornel. *Adgandeſtrij Principis Cathorum lectas in Senatu litteras, quibus mortem Arminij promittebat, ſi patrandæ neci venenum mitteretur: reſponſúmque eſſe non fraude, neque occultis; ſed palàm & armatum populum Romanum hoſtes ſuos vleiſci.* Vulpeculæ doloſas fraudes moliuntur; ſed generoſa animalia ad dolos confugere dedignantur.

135. Iacob cùm ad Iudæ benedictionem veniret, hoſtilibus trophæis leonis ad inſtar coronandum Geneſ. 49. v. 8. aſſeruit: *Manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filij patris tui.* Ne inuidia vanis aut confictis rumoribus triumphorum gloriam fatagat infuſcare, aut alicuius fraudis ſuſpicione corrodere, vti intrepidus leo congreſſurum cum hoſtibus declarauit: *Catulus leonis Iuda.* Si inquiras, cur potiùs leoni, quàm aquilæ, vrſove conferat, reſpondebit Plinius lib. 8. natural. hiſtor. cap. 16. leonem dolis carere: *Dolis carens;* Plinius. *& ſuſpicione.* Indignum regia maieſtate arbitratur leo, ſi doloſè aggrediatur prædam, aut technis reportarit victoriam. Ergo Iudas leoninos in certamine animos induat non ſolum ad eximię fortitudinis teſtimonium; ſed ad iniqui doli ſuſpicionis exilium.

136. Syriæ rex copioſam miſit manum, quo Eliſæum arcani ſui, & conſilij indicem indagine cinctum caperet; verùm ille prophetam ſe illis oſtenſurum promiſit, & fidei ſuæ commiſſos intulit in Samariam: mira res: ſic inſaniebant capiendi prophetæ ardore, ſic adulandi regi cupiditate, vt ignoto ſe traderent, & promittenti ad 4. Reg. 6. v. 19. prophetam ducatum crederent: *Dixit ad eos Eliſæus: Non eſt hæc via, neque iſta eſt ciuitas: ſequimini me & oſtendam vobis virum quem quæritis. Duxit ergò eos in Samariam.* Ducem ſibi incognitum ſecuti, & itineris laboribus fatigati Samariam intrant, ibi cæcitate diſcuſſa ſe demirantur captiuos, & agnoſcunt tardè cæcos. Tunc rex gladio ſuo litare feſtinat: *Nunquid percutiam eos, pater mi?* Sed propheta ne myſticò ad ſpeciem dolo dehoneſtaretur victoria, docet in gloriâ abſtinendum præda: vt periculo edocti in Sanctos iterum nociuas ſibi non molirentur inſidias, cæcas in Samariam duxit phalangas; non tamen cœpit dolo; ſed obſtrictos remiſit beneficio: *Non percuties*, inquit, *nec enim cepiſti eos arcu, & gladio tuo, vt percutias; ſed pone panem, & aquam coram eis, vt comedant, & bibant; & vadant ad Dominum ſuum.* Dum indignum putat dolo capere, cæcos miraculosè ſubigere, regem edocuit in hoſtium ſubiugatione non ſolùm vtilitatem, ſed honeſtatem curandam. Adeſt Ambroſius lib. 3. officiorum cap. 14. *Quid verò Eliſæus niſi* Ambroſ. *honeſtatem ſecutus eſt, cùm exercitum Syriæ, qui ad obſidendum eum venerat, captiuum introduxit in Samariam, cuius oculos cæcitate obduxerat.* Noluit inæqualibus armis vincere, nec miraculo captos ſubiugare. Qui venerant ad iniicienda prophetæ vincula, condita inuenerunt fercula, nec minus animos beneficia, quàm oculos demutauere miracula. Nec ſolum hanc conſuetudinem, nempè dolo, fraudeue hoſtem non circumuenire tenuerunt iuſti; ſed & ingenui.

Cùm duo Græcorum populi de imperij gloria contenderent, & alter copioſis nauium manibus exundaret, eſſetque alteri perfacile applicitis flammis ſuccendere ab ignobili triumpho abſtinuit eligens honeſto, etſi ancipiti certamine contendere, quàm victoriâ indigna triumphare. 137.
Audi Ambroſium ſuprà datum: *Cùm duo populi* Ambroſ. *aduerſum ſe de gloria, imperióque decertarent, & alter ex his haberet copiam, quemadmodum naues alterius populi clanculo exureret, turpe credidit, maluitque minus poſſe honeſtè, quam plus turpiter.* Amabant victoriam non doloſa fraude indignam; ſed certaminibus honeſtis decoram: prudenter ſibi perſuaſerunt plus ſplendoris amiſſuros dolo, quàm acquirerent gloriæ triumpho.

Saül inuidentiæ reſtro agitatus montes obit, 138. campis exerrat, ſyluas luſtrat, vt Dauidem, quem ipſe ſibi hoſtem conſtituere nitebatur, arctâ obſidione premat, & capiat, cúmque caſu ſpecum, vbi Dauid cum ſuis latitabat, intraſſet, facile fuit Dauidi, vt chlamydis oram, vitam præcidiſſe; pepercit tamen non ſolum magnanimus; ſed ſi fas eſt dicere, honeſtè ſuperbus: erat tunc aduerſarius inermis: ergo noluit occidere, vt fortitudini conſuleret, & honori: *Erat ibi* 1. Reg. 24. v. 4. *ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saül, vt purgaret ventrem; porrò Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant: & dixerunt ſerui Dauid ad eum: Ecce dies, de qua locutus eſt Dominus ad te: Ego tradam tibi inimicum tuum, vt facias ei, ſicut placuerit in oculis tuis.* Milites in arma iam ruentes comiter fregit, & inhoneſtam fore victoriam ſuaſit: *Confregit Dauid viros ſuos ſermonibus, & non permiſit eos, vt conſurgerent in Saül.* Hoſtem inermem occidiſſe erat vtile; ſed inglorium: ergo Dauid conducibiliorem duxit patientiam, quàm eiuſmodi victoriam. Adeſt Baſilius Seleucienſis oratione 16. *Quis eiuſmodi* Baſilius. *nactus hoſtem per ſomnium in prædam obiectum non vna iniectâ plagâ ſe periculo liberaret? at non talis Dauid.* Putat Baſilius ſomnô deuinctum iacuiſſe: ſic enim præmiſerat: *Dauid obiacens ſpelaeum ingreditur: ingreditur & Saül cum ſummâ inconſideratia tempeſtate compulſus, ingreſſus autem cum ſatellitio ſomno deuincitur.* Itaque ex Baſilij ſententia ſomno tunc Saül decumbebat oppreſſus ergo Dauid vti generoſus eſt ſtrenuus noluit inermem & illigatum ſomnô hoſtem occidere, nec indecora præda triumphare.

* * *

§. XXXIII.

§. XXXIII.

Pecunia, Principúmque amicitia ſunt mulierculárum incantamenta, & ad eas corrumpendas validiſſima oſcilla.

139. MVlier gloriæ animal, cupiditas viua, vanitas ſumptuoſa, aura læditur, innata inſtabilitate concutitur, ambitione inflammatur. *Sexus fœmineus*, aiebat Theodoricus apud Caſſio-
Theodor. dorum 2.var.11. *ad mutabilitatis vitia patet.* Innato ingenio poſſeſſa faſtidit, poſſidere ſemper exambit. Adhæc, nihil verebitur, ſi ſpes allexerit lucri, aut lucrum gloriolæ. *Qui ſapiunt*, aiebat Plutarchus ſerm. & diſput. amator. *adimunt, & præcidunt ſicut pennas mulieribus pecuniam, matrem luxus, oſtentationúmque vanarum, & peruerſarum, quibus ſublata frequenter auolant. Quæ ſi maneant aureis, vt in Æthyopia, compedibus, quàm mulieris copiis præſtat vinciri.* Cùm fœminæ nil ſtudioſiùs cupiant, nil ſolicitiùs tractent, quàm ornatu pompatico ſplendeſcere, & ſplendido cultu radiare, ad idque ſummopere conducat pecunia, ab illis impetrat, quidquid tentat: aurum eſt mulierum incantamentum, & quod de Circe fabula, de pecunia comprobat experientia. Nec ſolùm fœmina cupiditatis incurrit ſcopulum; ſed Syrtes etiam vanitatis. Gloriantur à Magnatibus æſtimari, à potentibus inuiſi, & eorum alloquiis frui. Huius ingenij non ignari Philiſthinorum Satrapæ per ſe ipſos Dalilæ accedunt, etſi Samſonem prodiderit, copioſam ſummam promittunt: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Putares debita Samſoni fide impediendam, timore crederes ac difficultate frænandam; aſt dum allicit Satraparum gratia, dum ſuadet pecunia, è veſtigio videas dolos prætexuiſſe, & doloſas videas fraudes concinnaſſe: *Locuta eſt ergo Dalila ad Samſon*: Illud *ergo* veluti promiſſionis, fauoriſque conſequentiam dixerim: & quidem vbi præceſſit aurum, vbi potentium gratia præceſſit per legitimam conſequentiam deducebatur à fœmina dolum concinnandum, & Samſonem prodendum: *Tum auctoritate (dominabantur enim Peliſthini Hebræis) tum magnitudine pecuniæ* (verba ſunt
Calet. Caietani ad hunc locum) *facilè muliebrem animum corruperunt.* Ne Principum, magnatúmque amitteret gratiam, ne copioſa defraudaretur pecuniâ, nil non tentat, & quaſi vrgentiſſimis incitata calcaribus ad dolos celeriter inuolat. O quot fœminæ officia deſeruere, non tam voluptatis libidine, quàm auri cupiditate, aut familiaritatis Principum ambitione! Nil oppoſuit Dalila; imò gauiſa eſt occaſionem nanciſci, qua fidem violans copioſam pecuniam, & Principum lucretur gratiam.

140. De Gyge fabulantur quòd habuerit annulum pretioſiſſima gemma inſtructum, quam ſi ad ſe verteret, omnibus erat occultus, ſi oculos eius fulgoribus pulſaret, conſpicuus omnibus. Addunt legatione ad regem vſum eius mulierem ſtupraſſe, quia annuli ceſſit cupiditate inflammata, & gemmarum amore illecta. *Illi compertum fuit*, ſcribit Plato Dialogo 2. de Repub. lib. 31.
quod verſa ad ſe gemmâ à nemine videretur; verſa Plato.
autem ad alios conſpicuus fieret. Quod quidem expertus curauit, vt legatus ad regem vnà cum aliis mitteretur, profectúſque vxorem eius ſtuprauit, & de rege interficiendo cum ea conſilium iniit. O quam veram ex hac fabula eruere licet doctrinam. Idem Gyges dum gemma occulta non rutilabat fulgoribus, inuiſibilis quodammodò erat; at omnibus erat conſpicuus diuitiarum luce radians, & gemmarum luminibus fulgurans. Vel reginæ aurum ſuaſit adulteria, & aduerſum maritum inire conſilia. O vtinam iſta fabuloſis ſolùm hiſtoriis expreſſa, nec quotidianis euentibus confirmata! Auri amor ſuaſit mulieribus violare fidem prodigere honorem, dolos texere, & in fratres, parentes, maritóſque turpiſſimè machinari.

Ioannes vt Eccleſiam nullis machinis euertendam, 141.
nullis arietibus labefactandam oſtenderit, mulieris depingit imagine, aduersùs quam veternoſus & callidiſſimus ſerpens diademata armauit:
Ecce draco magnus ruffus habens capita ſeptem, Apoc. 12.
& cornua decem, & in capitibus eius diademata v. 3.
ſeptem. Aptiùs videbatur acuminata cornua multiplicare, quàm regiis diadematis redimiti. Certè ſcorpio cauda plagam ſauciat, & virus intimat: *Vnus omnium violentiæ geſtus de cauda nocere*, aiebat Septimius lib. aduerſ. Gnoſtic. cap. 1. *qua cauda erit quodcumque de poſthumo corporis propa-* Tertul.
gatur, & verberat; proinde ſcorpij ſeries illa nodorum venenata intrinſecus venula ſubtilis arcuato impetu inſurgens hamatile ſpiculum in ſummo tormenti ratione diſtringens. Bellica ſcorpij machina ardentia tela, ſpicula venenata in caudæ elaborantur officina: ergo non ſic deſipiat in mulierem armatus, vt caudæ deponat arma, & producat contrà mulierem diademata: nonne ſatiùs erit arcuatam vibrare caudam, venenum inuiſcerare, quo mulieris ſenſibus torporeſcentibus, & animi ſanguine gelaſcente inſidiis cedat, & viribus prorſus deſtituta miſerè cadat? Certè hoc eſſet, etſi peruersè, ſapere; at diademata armare deſipere: ergo aſtutus ſerpens arcuatam vibrarit caudam, ſi cupit reportare victoriam. Proh ſerpentinam verſutiam! hamatilibus caudæ blanditiis cœli ſtellas altè ad ſpeciem inſertas traxit, teſtante Ioanne: *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli*; aſt infelicem triumphum de caudæ veneno expertus in mulierem non armat caudam; ſed coronam: quia nouit fœminam ventum paſcere, & Principum gratiam ambire. Itaque diadematis allicit, ambitione prouocat, magnatum gratiam ſolicitat: muliebris ingenij non ignarus; ſed peruersè aſtutus, vt certiorem moliatur ruinam, armat regalem coronam; ſed cùm mulier, nec auctoritate ſubruitur, nec vanitate obcæcatur, Eccleſiam, cuius imaginem gerit, nullis adſultibus exprimit ſubruendam, nullis machinamentis labefactandam: ni enim Eccleſiæ gereret typum, de ſplendoris vanitate, de vanitatis ambitione obcæcata ſerpentinis pareret fraudibus, & doloſis infirmaretur adſultibus: nil namque in mulierem adeò valet, vt magnatum gratia, & potentium beneuolentia. *Habens capita ſeptem & cornua decem, id eſt, regna & diuitias*, inquit
Haymo apud gloſſam, *quibus Principes decalo-* Haymo.
gum legis impugnant. Conſonat Lyra: *Exponitur*
ab aliquibus, vt per ſeptem capita intelligatur vni- Lyra.
uerſitas

Digitized by Google

Lyra. *uerſitas Principum ſibi ſubditorum, per decem cornua vniuerſitas ſuorum bellatorum.* In campum producit affluentem bellantium multitudinem; priùs tamen armat Principes in mulierem: nam vt ſtrenui duces in prima exercitus fronte præſtantiores collocant vires, quibus aduerſarios imperant, ſic diabolus priùs ſeptem capitibus inſtruitur: *Ecce draco magnus ruffus habens capita ſeptem*: & poſteà decem cornibus aduerſatur: *Et cornua decem.* Profectò ad ſeducendas mulieres, earumque fidei ac conſtantiæ muros euertendos non adeo valent militares arietes, vt fulgurantium lapillorum nitores: ergo mulier dum ſerpentis aurea diademata detriumphauit, inexpugnabilis Eccleſiæ imaginem induit. Quid exaggeratius pro muliebri vanitate, & alliciendi ſibi Principes ambitione.

142. Forſan hac fiſus eſt opinione Siſara ad Iaëlis tentorium confugiens: in occurſum eius egreſſa
Iud. 4. v. 18. Dominum vocat, & timere vetat: *Intra ad me domine mi intra ne timeas: qui ingreſſus tabernaculum eius, & opertus ab ea pallio.* Miraberis Hebræorum hoſtem Hebrææ ſe mulieris fidei commiſiſſe, & tot timoris cauſas ſedaſſe: ea tamen mihi ſe offert pro Siſara excuſatio, exiſtimaſſe videlicet, ne Principis amitteret gratiam, omnem ab ea adhibendam fore cautelam: & quidem ſi alia eſſet Iaël, vt apud ſe diuertentem haberet Principem, in ſuos fallaciarum ac fraudum oppoſuiſſet arietem: Summè namque mulieres nituntur Principum familiaritatem ſortiri, eorum inire gratiam, & apud alias glorianter iactare amicitiam. Innuit Lyra: *Iſte modus loquendi hic accipitur pro ſecuritate refugij.* Securitatem promittenti credidit quia putabat ambitione inflammatam, & conciliandi ſibi Principem deſiderio illectam nil non tentaturam.

---

§. XXXIV.

Nonnulli de cupiditatis errore, & erroris cæcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti.

143. Virgil. PArtem pro toto accipi commune eſt: taſtatur Virgilius: *Fontemque ignemque ferebant.* Sed quod Rhetorice ad elegantiæ cultum exercuit, hominum cæcitas ad appetitionum obſequium peruertit, ſe totos ſui parti poſtponunt, & ſui partem ſibi totis delusi præferunt: ſe ſibi furati, ne vim intulerint appetitui, deuouent morti. An non tibi videtur ſibi ſui partem præferre, qui ardenti febri hauſta aqua interitus diſcrimine ſubuenit? Qui vt ventri inſeruiant, ſe ingurgitant, & mortis pallorem referentes viuos ſe in conditiuo conſtituunt? Qui, vt ambitioni indulgeant, ſe ipſos deſpiciunt, & euanido honori poſtponunt? Ecce Samſon, ne Dalilæ refragetur votis, vrgentiſſimis ſe obiectat periculis, & mauult Sacramenti præuaricatione perire; quam vim appetitui inferre: *Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas.* Demitantis ſpecie; blandientis facie ſubdola meretrix captioſas obtendebat inſidias, & diſſimulabat captioſas technas. Samſon verò adhuc ſobrius, & periculi non ignarus delinimenta meretricia deſpexit, & ad dolum, vt retunderet dolum, confugit; ceſſit tamen lachrymis, & ne delicias ſuas contriſtaret, quo hoſtibus poſſet tradi imbecillus, imprudentiſſimè aperuit: *Tunc aperiens veritatem rei dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazaræus, id eſt conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam.* Diſcriminis conſcius, defectionis non ignarus cupiditati obſecutus eſt, & ſe totum non dubio obiecit periculo, cupiditatis adulatus deſiderio. Hugo Cardinalis in Dalila carnem noſtram intelligit, in Samſone ſpiritum: *Dalila*, inquit ad hunc locum, *interpretatur ſtulta, & ſignificat carnem. Samſon ſignificat ſpiritum: Samſon credens Dalilæ decipitur, id eſt, ſpiritus carni conſentiens ſeducitur.* Dalila, id eſt, caro inſanis appetitionibus Samſonem adurget: non ignorat ille, ſi ceſſerit, graue imminere diſcrimen, & tamen appetitum mauult præferre, mortemque ſubire, quàm ſe reſiſtendo totum ſeruare. Hugo.

Paulus gloriatur animam ſuam ſibi non prætuliſſe, nec pretioſiorem exiſtimaſſe, *Non facio*, 144.
inquit, *animam meam pretioſiorem, quam me.* Actor. 20. v. 24.
Nomine animæ intellexit quicquid ad humanam pertinet vitam: & quidem frequens eſt in Scriptura vitam & quidquid ad illam pertinet, animam appellari: ergo Paulus nihil ex his, quæ ſibi adiacebant; ſibi toti prætuliſſe gloriatur, & ſe ſuaque iniquâ non expendiſſe lance confitetur: inſtabat caro; ſed ſe carni præferebat: vrgebat timor; ſed timori non conſulebat, vt toti ſibi conſuleret. Adeſt opportunè Bernardus ad hunc locum in allegor. Tilmani: *Optimus æſtimator rerum, qui nihil ſui ſibi præferendum exiſtimat.* Bernard. *Quàm multi ſaluti propriæ viliſſimam modicamque pecuniam prætulerunt: Paulus nec animam. Ergo differentiam facis inter te, & animam tuam? Prudenter quidem tu tibi pluris es, quàm quodvis tuum.* Pro te ſibi Bernardus obiectat: *Sed quomodò non anima tua tu?* Iam reſpondet: *Quod conſtat naturæ eſſe inferioris, & inferiori perinde, viliorique eſſentiæ, quod eſt corpus, inhærere non modò officio viuificandi, ac ſenſificandi; ſed fouendi, nutriendique deſiderio: hoc, inquam, ſenſuale, atque carnale appellatione ſui homo ſpiritualis indignum indicans inter ſua magis cenſuit deputandum, quàm ſe perſonaliter exprimendum per illud: Cùm loquor animam meam, hoc inferius accipe, quod carni animandæ vides accommodatum; imò & vinctum in concupiſcentiis.* Itaque quidquid ad ſenſilem vitam pertinet, non homo; ſed hominis eſt: hoc ergo plures ſibi ipſis præferunt, & ne quid libidini, ambitioni, aut cupiditati denegent, ſe non ſolum vitæ periculo; ſed & animæ expoſuere cæciſſimè detrimento. At Paulus vtpote æquus rerum trutinator ſe concupiſcentiaſque rationis lance expendens pluris totum, quam partem fecit: capite non emit coronam, vt ambitioni inſeruiret, nec paruit cupiditati, vt ſe totum perderet; imò concupiſcentiis vim intulit, ſibique poſtpoſuit, vtque ſuo nos exemplo erudierit, clamat: *Non facio animam meam pretioſiorem quàm me.*

Dauid ſiti exæſtuans aquam Bethlehemiticam concupiuit: non defuere, qui propriam vitam prodigerent, vt alienis appetitionibus inſeruirent: *Deſiderauit ergo Dauid, & ait: O ſi* 145. 2. Reg. 23. v. 16.
quis mihi daret potum aquæ de ciſterna, quæ eſt in Bethlehem iuxta portam. Irruperunt ergo tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid. Dauid grato vultu aquam accipiens, & illorum animoſitatem

demitatus noluit bibere; ſed elegit Domino conſecrare: *Noluit bibere; ſed libauit eam Domino.* Recordatus eſt, quantas olim ob concupiſcentiam calamitates incurrerit: ergo ſe ſuæ cupiditati antepoſuit, & maluit cupiditatem reſtinguere, quàm aquæ guſtum ſalute emere. Qui irruperunt, allaudantur fortes, non prudentes, quandoquidem, vt ſuæ ambitionis adularentur inſanis votis, ſe totos obiecerant vrgentiſſimis periculis, & quodammodo truculentis litauerant aduerſariis. Adeſt
Chryſoſt. Chryſoſtomus in Pſalmum 50. *Dauid caſtigatus de priori concupiſcentia poſtmodum cautior eſt factus: & qui corpus adamauerat, aquam deſideratam, & neceſſariam, & ſitiens bibere noluit.* De Bethſabee corpore agit Chryſoſtomus, dum ait: *Qui corpus adamauerat*: ſed ludamus vocabulo: quia corpus adamauit, aquam non bibit: maluit, quàm nudari corpore, carere cupiditate. Con-
Ambroſ. ſonat Ambroſius lib. 1. de Iacob & vita beata c. 1. *Humanum quid paſſus eſt Dauid, vt irrationabiliter concupiſceret; ſed illud laudabile, quod irrationabilem concupiſcentiam rationabiliter parato fraudauit remedio.* Salutis cupidus, ſuique rationabiliter amator parato remedio ſitim fraudauit, & ſe totum cupiditati præpoſuit: verùm pro vno Dauide prudenti rerum æſtimatore tres fuerunt milites, qui vitam expoſuerunt cædis periculis, vt ambitionis inſeruiuerint deſideriis arbitrati adipiſcendi honorem, elucrandique dignitatem opportunam occaſionem, ſi aquam attulerint, per medios hoſtium cuneos audacia temeritati confini irrumpunt, & honorem dubium non dubio vitæ periculo emunt: iam inimicorum caſtra irrupiſſe cupidine gloriæ, & ardentiore ambitionis ſiti tra-
Sanctius. dit noſter Sanctius ad hunc locum: *Vix dum audierant iſti viri heroës Dauidis vocem, cùm ſeſe ad explendum regis votum expediunt, parati quiduis agere, & pati, dummodò regis ſatisfaciant deſiderio, & ſibi militarem gloriam captent.* Heroës militarem ſitiunt gloriam, diſcupit Dauid limpidiſſimam aquam; verùm ſi in deſiderando ſimiles, in deſideria expendendo extiterunt inæquales: Dauid ſibi poſtpoſuit cupiditatem, heroës irrationabilem cupiditatem rationabili antepoſuere ſaluti. Nec tres tantùm pro vno; ſed mille inuenies, qui, vt cupiditati pareant, vt diuitiis ſtudeant, vt appetitui obediant, mortis deſpiciunt pericula, & ferè indubia ſalutis naufragia, Ergo quia argumentum peſſimi turba eſt, imitare Paulum & Dauidem cæleſti luce illuſtratos, non vulgus prorſus exoculatum & cæcum.

146. Paulus Eſaü exemplo iniqua commercia pro-
Ad Hebr 12. v. 16. hibet, & ad rerum dignam æſtimationem inducit: *Ne quis fornicator aut profanus, vt Eſaü, qui propter vnam eſcam vendidit primitiua ſua.* Repetamus hiſtoriam, vt faciliùs eruamus doctrinam: coxerat Iacob pulmentum, cùm laſſus de venatione superuenit Eſaü: fameſcebat vterque; ſed Eſaü famis impatiens pro edulio primogenita vendidit, & famis ſolatium pluris æſtimauit: Iacob repreſſit famem fami præponens benedictionem. Iam quanta in benedictione contenta, audi: *Det tibi Deus*, aiebat pater, *de rore cæli, & de pinguedine terræ abundantiam frumenti, & vini,*
Gene. 27. v. 28. *& ſeruiant tibi populi, & adorent te tribus. Eſto Dominus fratrum tuorum.* Quis dubitet in horreis frumenti, in apothecis vini pro multis exundare temporibus alimenta? ergo Iacob exiguo lentium ferculo abundantiam frumenti, & vini prætulit; Eſaü profanus exiguum ferculum copioſis vindemiis exundantibus horreis præpoſuit; cupiditate inardeſcens ſic delirauit, vt totum minus aliquota parte putarit, & partem plus ipſo toto cenſuerit. *Ita fuit profanus*, ſcribit Anſel- Anſelm.
mus ad datum Pauli locum, *id eſt, procul à religione, vt propter ventris ingluuiem venderet benedictionem.* Se deſeruit, vt ventri inſeruiret, & obcæcatus errauit. O nos miſeros, qui vitiis noſtris malumus inſeruire, quàm premere: qui fucatæ formæ venuſtate capimur, qui adulationibus blandè fallentibus gratiſſimas aures præbemus, qui à lubricis recedere nolumus, & totum pro parte pendimus. Ecce exoculatus Samſon, ne ſui parti refragaretur, videlicet carni, immatura totus occubuit morte.

§. XXXV.

Plures acceptam à numine ſcientiam in ſui & numinis converterunt iniuriam.

HOnorabilis ſcientia Dei donum eſt: eâ perpolitur intellectus, & mentis clareſcit orna- 147.
tus: ſapientiæ auxilio abſtruſa naturæ ſecreta panduntur, & myſteria ignota ſæculis reſerantur: ſic audet vt non ſolùm multiformes ſyderum ſpeculetur motiones, & remotos diſtantis ſolis greſſus horologicis vmbris liquidò explicuerit; ſed vſque ad luminoſam diuinitatis caliginem audacter irrepſerit, & eximias inuiſæ naturæ dotes inueſtigarit. Verum vt ægrotus optimum alimentum ad infirmitatis vertit auxilium, & eiſdem, quibus debuiſſet fulcire, inuenitur ſalutem ſubſidiis euertere, ita plures de ipſa veritate contra veritatem conflarunt arma, & de accepta à Domino ſcientia in ipſum mouerunt prælia: *Ego in hoc volo ſapiens* Seneca.
eſſe, aiebat Seneca epiſt. 117. *vt ſapiam.* Non omnibus ſimile contingit votum: ſapientes eſſe volunt; ſed vt ſapientiam impugnent, vt appetitui inſeruiant, vt veritatem exarment. En Dalila quaſi mirabilem, rectoque inuiſam Samſonis fortitudinem demiratur, cauſam ſolicita perquirit, & moleſta reperit: *Dic mihi, obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo.* Putares à Samſone, vt interpretibus placet, Chriſti ænigmate abſtruſam inquiſiſſe notitiam, qua inſtructa inſeruiret obſequentior, & obſequeretur deuotior, at quam precibus, moleſtiis, vigiliis nacta, in Samſonem ipſum ſcientiam conuertit: præ aliis, notitia reſplenduit; non tamen vt virtuti inſeruiret; ſed vt dilargientem technis doloſiſſimis impugnaret: *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eroque ſicut cæteri homines.* Secretum pandit Samſon, ne quid denegarit dilectæ; aſt illa, qua cæteris præſtat, ad dehoneſtandum Samſonem notitiam armat: *Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere.* A Samſone accepit, quo Samſonis hoſtibus Samſonem fraudulentiſſima tradat, & cupiditati inſeruiat: vt diſcas plures ipſa à Deo accepta ſcientia ipſum affligere, & aduerſarios eius iuuare: *Palæſtini per mulierem comperta infirmitate viri*, ſcribit Ambroſius lib. 5. Ambroſ.
epiſtolar. epiſt. 24. *ſceleris mercedem afferunt, vt pretio obnoxia dolum patraret.* Adnectit: *Illa meretriciis delinimentis feſſum amoris in ſoporem compulit, & tonſore adhibito ſeptem crines*

nes capitis eius admota nouacula abſcidit. Acquiſitam notitiam, communicatam ſibi præ cæteris ſcientiam ad fraudis conuertit auxilium, ad cupiditatis adulterauit fomentum, ad certaminis patauit ſtadium: *Crines capitis eius admota nouaculâ abſcidit.*

148. Philoſophi diuinarum Scripturarum non protſus ignari cùm hominem confictum de puluere, fœminam de latere nouerint, ad commenta fabuloſiſſima veritatem deflexerunt, & veritate abuſi veritatem in veritatem armarunt: *Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ*, tradit ſacer textus, *& inſpirauit in faciem eius ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viuentem.* Hanc ſacram certiſſimamque veritatem Deucalionis, & Pyrrhæ fabulis infuſcarunt, & commentis bellum veritati intulerunt. *Eloquentia ſolius libidinoſi*, aiebat Tertullianus in Apologet. cap. 47. *ſi quid in ſanctis Scripturis offenderunt digeſtu pro inſtituto curioſitatis ad propria opera verterunt: neque ſatis credentes diuina eſſe, quominus interpollarent, neque ſatis intelligentes, vt adhuc tunc ſub nubilo etiam ipſis Iudæis obumbrata, quorum propria videbantur: nam & ſi qua ſimplicitas erat veritatis, eò magis ſcrupuloſitas humana fidem aſpernata mutabat: per quod incertum miſcuerunt etiam quod inuenerant certum: inuentum enim ſolummodò Deum non vt inuenerant diſputauerunt, vt & de qualitate, & de natura eius, & de ſede diſceptent.* Addit paulò poſt: *Omnia aduerſus veritatem de ipſa veritate conſtructa ſunt.* Didicerunt veritatem; ſed vt fabulis interpolatis expungerent: vnicum nouerunt Deum; ſed vt otium illi adſcribentes diuinitate exaugurarent, vt iam ſemel decretis cauſis extra mundum vt inertem & inexercitum abiicerent. Quæ veritati inſeruire debuit notitia veritatem oppugnat æmula & à Deo humana temeritas accipit, quo Deum ipſum audaci certamine impugnet.

Tertul.

De veritate arma in veritatem conſtruuntur.

149. Abraham, & Nachor vno Thare ſeminantur; at Nachor Vr Chaldæorum inhabitat, Abraham in terram Chanaan tranſmigrat peregrinatione vtiliſſima: *Thare genuit Abraham & Nachor*: Nachor luminis quies interpretatur: ergo dum lumen accipit, ad idolorum cultum conuertit. In Vr Chaldæorum commoratus lumen & ingenium armat, & veritatem vanis commentis, & idololatriæ delitiis oppugnat. *Luminis quies Nachor interpretatur & meritò* (ſcribit Philo de congreſ. quærendæ erudit. gratia) *quatenus enim Abrahamum cognatione attingit, ſapientiæ luminis factus eſt particeps.* Addit: *Non demigrat è Chaldaica regione, hoc eſt, non deſiſtit ab aſtronomicis ſpeculationibus creaturam magis colens, quàm opificem, & mundum magis quàm Deum; imò mundum ipſum Deum eſſe credens non omnipotentis opificium.* Nachor, vt Abrahamus, aſtrologiæ ſcientia fulgebat; verùm quod acceperat lumen, fabuloſis nugis impendit, & mundo diuinitatem adſcribit: vtilius eſſet inſcitia premi, quàm acceptam à Deo ſcientiam ipſum in cœlum armare. De ſuperbiæ conflatorio error effictus eſt, de luminis excellentia cæcitas nata, & quo Deum debuiſſet noſſe, Nachor inuentus eſt impugnaſſe: ſunt enim plures, quorum lucubrationes, vigiliæque veritatem indagant; ſed vt corrumpant: de veritatis armamentario, quibus ipſam oppugnent, arma mutuantur.

Geneſ. 11. v. 26.

Philo.

150. *Reuelatur ira Dei de cœlo*, ſcribit ad Romanos Paulus, *ſuper omnem impietatem, & iniuſtitiam hominum eorum, qui veritatem Dei in iniuſtitia detinent: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt illis: Deus enim illis manifeſtauit.* Addit: *Cùm cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt.* Feliciores fuiſſent ſtulti, infeliciores extiterunt edocti: illis Deus manifeſtauit diuinitatis myſteria, myſteriorum arcana; ſed qua deberent vti notitia ad virtutis obſequium, ad virtutis & veritatis abutebantur exilium. *Mutauerunt*, addit Paulus, *gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis, & volucrum, & quadrupedum, & ſerpentium.* Optimè Bernardus ad hunc locum in allegor. Tilmani. *Deus illis reuelauit, nec adiunxit per ſpiritum ſuum: quia impiæ mentes contentæ ſapientia, quæ inflat, illam, quæ ædificat, neſcierunt.* Sapiunt ad inſcitiam, ſtuleſcunt ad ſapientiam, Deum agnoſcunt, & corruptibilem creaturam pro Deo inaugurant, & falſa diuinitate nobilitant: non errant notitia nudi; Sed ipſa notitia armati. Conſonat Ambroſius ad hunc locum: *Impij facti ſunt non colendo creatorem, & iniuſtitia in eis apparet, dum videntes diſſimulant a veritate, non fatentes vnum Deum: quia quod notum eſt Dei, manifeſtum eſt in illis.* Addit: *Sic obcæcatum eſt cor illorum, vt maieſtatem inuiſibilis Dei, quem ex his factis agnouerant, non in homines, ſed (quod peius eſt, & inexcuſabile crimen) in ſimilitudinem hominum mutarent, vt forma corruptibilis hominis Deus ab his vocetur.* Acceptam à Deo notitiam, cognitam veritatem ſic iniuſti adulterarunt, vt pro Deo creaturam conſtituerint, & cùm Deum eſſe non dubitarint, emortuum ac vanidum ſimulacrum pro numine effinxerint.

Ad Rom. 1. v. 18.

Bernard.

Ambroſ.

In Ioſué ditionem iam venerat Ierichuntina ciuitas: iam quidquid ibi, veluti manubiarum primitiæ Domino conſecratum: *Quidquid auri, & argenti fuerit, & vaſorum æneorum, ac ferri, Domino conſecretur, repoſitum in theſauris eius.* Quid tunc? Achan regulam auream, ſiue vt ſeptuaginta vertunt, linguam auream ſuffuratus, populum omnem conturbat, & in populum hoſtes armat: *Vidi*, fatetur ipſe, *inter ſpolia pallium coccineum valde bonum, & ducentos ſiclos argenti, regulamque auream quinquaginta ſiclorum & concupiſcens abſtuli.* Accepta lingua aureo ſtylo, perpolito, & adulterato eloquio populum exturbauit, teſtante Ioſuë: *Turbaſtinos*: vt extunc iam notum fuerit plures Dei ſapientiam in Deum armare, & veritati bellum inferre. Ita Stephanus in allegor. Tilmani. *Aurea regula eſt ſapientia, quæ vitam noſtram, quaſi regula lineam in rectum dirigit: hanc furatur: qui ſapientiam retorquet ad aliud, quàm ſibi à Domino datur.* Verſa eſt ſapientia in cupiditatis commercium, in fraudulentiæ emporium, in belli diſſidium, & qua ineptè voluit Achan fulgere, contigit iuſtiſſimè aduri. Aptari poſſet Achamo, quod Petrus Damianus lib. 6. epiſtolar. epiſt. 17. ad Aliprandum monachum de quodam docto ſcribebat: *Hodie certè in Romana vrbe frater aduiuit ortus de ſummis proceribus Galliarum, cuius nomen taceo, quia fratris ignominiam perhorreſco, cui neſcio an aliquid vtilitatis deſit: tot ſiquidem exteriorum bonorum floribus eniteſcit: nobilis vt Imperator, pulcher aſpectu, quodammodò ſicut Tullius loquitur, vt Virgilius poëtatur, tuba vehemens in Eccleſiâ, perſpicax, & acutus eſt in lege diuina, ſcholaſticè diſputans quaſi deſcripta libri verba percurrit: vulgariter loquens Romana vrba-*

151.

Ioſuë 6. v. 18.

Stephan.

Damian.

nitatis regulam non offendit. Quid de monachico proſequar ordine? Quid de regularis magiſterio diſciplinæ, in quorum videlicet notitia ita conualuit vt hæc docere grauiter poſſit; ſed eius, proh dolor! talis eſt vita, vt ei alter nullus inuideat, ad ſe introducere nemo depoſcat. Quid vſitatius? Quid frequentius?

---

§. XXXVI.

Principes dedecet fidem violare, & ſibi iniuriam violando promiſſa inferre.

152. FIdes humanæ ſocietatis vinculum, Reipublicæ ſtabilimentum, & humanæ conuerſationis eſt fulcrum. Veteres Romani, vt tradit Cicero 3. de officiis & Dionyſius Halicarnaſ. 2. *Eam* Cicero. Halicarnaſ. *in Capitolio vicinam Iouis Optimi Maximi eſſe voluerunt*: quaſi vt alterum numen colenda eſſet. Valer. Tolle fidem, & cuncta ceſſabunt. *Occultum iam & inſidioſum malum perfidia*, verba ſunt Valerij Perfidia graue Reip. incommodum. lib. 9. cap. 6. *latebris ſuis extrahatur; cuius efficaciſſima vires ſunt mentiri ac fallere.* Adnectit: *Tantum incommodi humano generi afferens, quantum ſalutis bona fides præſtat. Habeat igitur non minus reprehenſionis, quàm illa laudis conſequitur.* Sine fide commercia non conſtant, prouinciæ non Ambroſ. communicant, negotia ceſſant: Audi Ambroſium lib. 3. de offic. cap. 10. *In omnibus decora eſt fides; iuſtitia grata, menſura æquitatis iucunda;* verùm etſi omnibus fides neceſſaria ſit, præcipuè tamen Principibus congruit, quorum vel ſimplex promiſſio iuramenti vim obtinuerit fas eſt. *Nihil* Leo Imper. *eſt quod magis Principem deceat*, aiebat Imperator Leo conſtit. 19. *quàm vt verbis ſuis fidem præſtet.* Certè ſi hæc hominum animis inſit opinio, facilè obtemperabunt; at ſi contraria ſuſpicio intrarit, nullatenus, aut difficulter parebunt Satrapæ, & Philiſthinorum Principes Dalilæ promittunt ingentem pecuniæ ſummam; ſi Samſonem Reip. infeſtiſſimum hoſtem blanditiis irretitum prodiderit: illa fraudes aggreditur, nec promiſſionem Sacramento ſtabilire molitur: *Dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.*: *locuta eſt ergo Dalila ad Samſon.* Samſon ſuos Sacramento Iud. 15. v. 12. priùs ne fallerent, illigandus obſtrinxit: *Iurate, ait, & ſpondete mihi, quòd non occidatis me.* Dalila tamen Sacramentum non exigit, ad captioſa ſe vertit commenta, quaſi iam promiſſa frueretur pecunia. Et cur datam non firmet fidem Sacramento, aut vadimonio, quando promiſſa carent frequentiſſimè effectu? Quia Principes promiſerant: inquit enim textus: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum.* Samſon ſe ſine Sacramento ſuis non commiſit; at Dalila iuramentum à Principibus non popoſcit; quia ipſam promiſſionem veluti iuratam habuit: & fors expreſsè liberatam fidem textus non retulit, quaſi otioſum fuerit referre impleta, quæ à Principibus non dubitabantur promiſſa. Huc voco Iſocratem orat. 2. ad Ni- Iſocrat. coclen ſic monentem: *Vt perpetuo in id ſtudium incumbat, eámque reuerentiam præ ſe ferat, vt verbis ſuis maior ſit fides, quàm aliorum iuramentis.* Dalila de fide Principum ſiniſtram aut dubiam non concipit opinionem: quia licèt à plebeis fallere non alienum, Principi tamen fidem violare nouerat indecorum.

Sibi ipſi iniuriam Herodes intulit optionem petendi puellæ faciens, & promiſſa iuramento ſtabiliens: *Pete à me quod vis, & dabo tibi. Et iurauit illi, quia quidquid petieris, dabo tibi.* O iuramentum religioni inimicum, & regiæ promiſſioni indecorum, ſi iam ad iuſiurandum non confugit, quia dum libidinis ſordebat vernula, non tam rex, quàm obſcura regis vmbra. Ergo vt eius promiſſis adhiberetur fides, iurat, & ſeipſum ſacrilegè iurans depretiat. *Conuiuium celebratur*, inquit Theophylactus ad hunc locum, *ſaltat per puellam Diabolus ſit iuſiurandum impium, & nefarium; imò ſtultum.* Promiſſa iuramento firmare erat doloſæ fraudis inuentum, & exoculatæ libidinis artificium: ſtultè proceſſit, etiamſi violatam religionem ſecludas, qui fidem ſuam apud alios ita ſuſpectam credidit, vt opus fuerit Sacramento ſtabilire, & iuramento firmare: *Et ſtultum iuramentum.* Errauit profectò ſacrilegam fidem ſeruando, & fidei ſuæ irrogauit iniuriam emiſſis iuramentis fulciendo. Adde decentius eſſe Principem, quàm abrumpere, datam fidem vel fraudulentis ſeruare. 153. Marci 6. v. 22. Theophyl.

Gabaonitæ ſalubri timore perterriti, & vicinorum ſtrage moniti, vt maturo conſilio cladem ſibi imminentem anteuertant, ad Ioſuë ſtratagematis fraudulentis confugiunt; ſaccos veteres, vtres ſciſſos, attrita calceamenta in mendacij patrocinium oſtendunt. O quot attrita veſte, falsâ paupertate decipiunt, dum ad commiſerationem ſordibus trahunt. Ergo Ioſuë optimus Princeps maluit falli, quàm externis argumentis non credere: *Fecit Ioſuë cum eis pacem & inito fœdere pollicitus eſt, quòd non occiderentur.* Exigui temporis morâ fraus innotuit; verùm Ioſuë nec fidem violauit, nec promiſſionem reſcidit. *Fecit ergo Ioſuë, vt dixerat, & liberauit eos de manu filiorum Iſraël, vt non occiderentur.* Quod expendens Ambroſius iam datus ſic ait: *Non vituperanda facilitas, ſed laudanda bonitas, hoc eſt, innocentem eſſe, ignorare quod noceat, etſi circumſcribitur ab aliquo, de omnibus tamen benè iudicat; qui fidem eſſe in omnibus arbitratur. Hac igitur mentis ſuæ deuotione inclinatus vt crederet teſtamentum diſpoſuit, pacem dedit, confirmauit ſocietatem: ſed vbi in terras eorum ventum eſt, deprehenſa fraude quod cùm eſſent finitimi, aduenas ſe eſſe ſimulauerant, circumſcriptum ſeſe populus patrum indignari cœpit; Ieſus tamen pacem, quam dederat, reuocandam non cenſuit.* Annectit opportunè rationem Ambroſius: *Ne dum alienam perfidiam arguit, ſuam fidem ſolueret.* Gabaonitæ fefellerant, ſed Ioſuë commotus promiſſa tranſiluit, ne, dum punit fraudem, violaſſe putetur fidem. Nouerat vir ſanctus, & prudentiſſimus Princeps, quàm oporteat fidem ſeruare: ergo maluit temporali carere lucro, quàm non ſeruatæ promiſſionis ſordeſcere dehoneſtamento. 154. Ioſuë 9. v. 15. Ambroſ.

Iure optimo Eſaü, dum violare promiſſa non refugit, à dignitatis culmine ruit: venationis laboribus laſſus ſic edulium à fratre conditum impotenter concupiuit, vt primogenita (id enim erat pretium à fratre poſtulatum) ob vile edulium vendiderit, & vendere paruipenderit: *Vendidit primogenita, & ſic accepto pane, & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit paruipendens quòd primogenita vendidiſſet.* Interpretes quærunt cur rem tanti momenti exiguo adeò commutauerit pretio, quandoquidem in domo adeò diuiti arduum non erat 155. Geneſ. 25. v. 34.

erat alio ſolari famem edulio. Inter alios Lyra exiſtimat cogitaſſe promiſſum non implere, & paruipendiſſe fidem munitam Sacramento violare ipſum audi: *Erat fortior viribus ipſo Iacob, & intentus cautelis mundanis, per quæ cogitabat retinere ius primogenituræ non obſtante venditione, & iuramento.* Itaque ius in viribus & robore conſtituens animo non implendi iurauit: & quia Iacobo validior, ad promiſſum non ſoluendum, & violandam fidem audacior: ergo iure à Principatus excidit dignitate, quandoquidem non decebat Principatu frui, qui vires pro lege habebat, & fidem violare pro nihilo reputabat: promittebat fraudulentus, iurabat ſacrilegus: ergo quia ius in viribus conſtituerat, iure mulctatus eſt regno: nec enim huiuſcemodi refractarium regali oportebat lucere throno.

Lyra.

156. Cùm Dominus ad Abrahamitici amoris pompam ſæculis euulgandam mactandum paterna manu ſuis aris filium popoſcerit intrepido ad cacumina montis veſtigio contendit, & ſeruos expectare iubens ſic ait: *Expectate hic cum aſino: ego & puer illuc vſque properantes, poſtquam adorauerimus, reuertemur ad vos.* Implere properat obedientiam, & relictis ſeruis recuſat facinoris tanti gloriam. Rogant Patres quomodò Abrahamus potuerit promittere reditum, cùm verum crediderit ſacrificium. Huic difficultati reſpondet Paulus in epiſtola ad Hebræos, ſcilicet arbitratum fuiſſe filium in cineres reſolutum miraculo ſuſcitandum: *Arbitrans quia & à mortuis ſuſcitare potens eſt Deus.* Paulus nodum ſoluit; ſed nodo: nam cùm ad reſurrectionem patrandam opus ſit ingenti miraculo, recrudeſcit iterum difficultas, cur videlicet Abrahamus non dubitarit fore miraculum, & Iſaac victurum poſt ſacrificium? Iam reſpondet Apoſtolus: *Suſceperat repromiſſiones, ad quem dictum eſt, quia in Iſaac vocabitur tibi ſemen.* Secum conferebat diuinam fidem violandam, aut promiſſionem implendam: ergo dignè præſumpſit, dum ne promiſſio violetur, miraculum opperitur: tantum namque Principem non deceret fidem nõ liberare, etſi opus fuerit naturæ leges tranſgredi, & ad miracula reſurrectionis recurrere. *Tantam fidem habuit*, inquit Anſelmus ad hunc Pauli locum, *vt & filium offerre paratus eſſet, & tamen promiſſionem de ſemine in eo ſibi diuinitus factam non dubitaret eſſe veram: non enim heſitauit quid ſibi reddi poterat immolatus, qui dari potuit non ſperatus.* Magnum tentamentum erat ad de promiſſis dubitandum filius rogo impoſitus, & pio cultro immolatus; at Abrahamus deuotiſſimum ſeruum ſe exhibuit, & digna de Principe præſumptione armatus ad ſacrificium proceſſit: non dubitauit fidem à Principe non violandam, etſi audierit hoſtiam ſacris altaribus offerendam. Quidquid volet, obtinebit à ſubiectis Princeps, ſi crediderint facilius fore mortuum ſuſcitari, quàm fidem lædi.

Geneſ. 22. v. 5.

Ad Hebr. 11. v. 19.

Anſelm.

157. Maieſtatis diuinæ pompam Iacobus intuetur, & magnificis promiſſis contrà timores armatur: *Reducam te in terram hanc.* Poſt cum Domino luctam, poſt de Sichimitis indecoram victoriam Bethel regreſſo Deus iterum apparet, & iam ibi nomen omnipotentis aſſumit: *Apparuit iterum Deus Iacob, poſtquam reuerſus eſt de Meſopotamia Syriæ, benedixitque ei dicens: Non vocaberis vltra Iacob; ſed Iſraël erit nomen tuum. Et appellauit eum Iſraël, dixitque ei: Ego Deus omnipotens.* Si priùs cœleſti ſatellitio cinctus omnipotentis non oſtentauit elogium, cur modò exprimat omnipotentiſſimum brachium: *Ego Deus omnipotens?* O expende, amabo te: modò datam fidem liberat, nominéque promiſſo luctatorem coronat. ibi namque aiebat: *Nequaquam Iacob appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël.* Ergo vbi certaminis remunerauit laborem, vbi nomen indit, vbi oppigneratam liberat fidem, non ſolùm eſt pro pompa ipſa promiſſorum adimpletio; ſed modò ſe omnipotentem oſtentat, quaſi ad noſtram eruditionem, dum promiſſum non ſoluitur, nec omnipotentis nomen prodatur. Adeſt Rupertus lib. 8. in Geneſ. cap 14. *Quod inſomnis viderat, quando votum vouit fugiens Eſaü, & id, quod nouiſſimè audiuit cum Deo luctatus, repetitione confirmatur: Non, inquit, vocaberis Iacob; ſed Iſraël erit nomen tuum. Et adiecit Scriptor dicens ex ore ſuo: Et appellauit eum Iſraël.* Ibi potentiæ magnitudiniſque nomen aſſumpſit, vbi promiſſa adimpleuit, & ante liberatam fidem nomen omnipotentis non protulit: vt doceat Principes tunc plenâ magnitudine ſplendeſcere, tunc integro potentiæ ſplendore frui, tunc ſubiectos faciliùs iuſſa adimplere, cùm promiſſio non eluditur, nec fides data obſcuratur.

Geneſ. 28. v. 15.

Geneſ. 35. v. 11.

Geneſ. 32. v. 28.

Rup.

§. XXXVII.

Luxuria ſic dementat homines, vt pericula & imminentem mortem contemnant non magnanimi; ſed deliri.

158. Libido, dum ardentibus terriſque flammis interna adurit, denſiſſimum halat vaporem; quo mens obtenebreſcit obſcura, caligat ratio deturpata, & oculorum acies hebetatur oppreſſa. Alia vitia acri timore inhibentur, aut imminenti periculo refrænantur; aſt huius vitij cæca tyrannis, & tyranna cæcitas ſic audet vt timoris limites tranſgrediatur, imò in amoris obſequium per ignes enſéſque tranſuolare conetur: *Videtur & libido magni animi*, inquit Stoicus lib. 1. de irâ cap. 16. *tranſnatat freta, puerorum greges caſtrat, ſub gladium mariti venit vxor morte contemptâ.* Non dubitat adultera præſentiſſimam imminere ſibi mortem; ſed delira contemnit, anxiis periculis, duris ſuſpicionibus, vrgentiſſimis diſcriminibus carnis gerentes negotia diſcruciati de receſſu non cogitant; ſed perſiſtunt gemitus deuorantes, & frequentiſſima pericula deſpicientes. Meretrix illa Ioanni oſtenſa aquis incubabat turbulentiſſimis: *Sedet ſuper aquas multas, cum qua fornicati ſunt reges terræ, & inebriati ſunt, qui inhabitant terram, de vino proſtitutionis eius.* Proſtitutionis vino inebriati vident & non vident, apertis oculis cæcutiunt, & cæciſſimis aſpiciunt. Non dubitat labili vnda ſedere, cum aquis non poſſit non naufragari. Adeſt Ambroſius ad hunc locum: *Sicut ebrioſus tamdiu impletur vino, vſque dum à mente ſua alienus efficiatur, ita & reprobi tamdiu omni malitiâ ſe ipſos replent vſque dum à mente ſua alieni effecti timorem Dei, omnémque bonitatem à ſemetipſis abiiciant.* Omni timore nudati ſub gladios veniunt, & cùm non ignorarint pericula, deſpiciunt mente obcæcata naufragia. Huius veritatis teſtis eſt Samſon? expertus mulierum infidelitatem ſe iterum mulieribus commiſit,

Seneca.

Apocal. 17. v. 1.

Ambroſ.

ſit, & ſemel atque iterum vincula expertus, adhuc
perſeuerat expergefactus: diſcuſſo ſomno ſe in-
tuetur arctiſſimis nodis irretitum; ea tamen erant
paſſionis internæ vincula, vt aduerſus externa vin-
cula militarent, & timorem prorſus depellerent:
*Attulerunt ad eam Satrapa Philiſthinorum ſeptem
funes, vt dixerat, quibus vinxit eum, latentibus
apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectan-
tibus.* Videbatur poſt vincula indignanter receſſu-
rus, & hæſit iterum illigandus. Opportunè Drogo
Drogo. Hoſtienſis de Sacram. Domin. Paſſion. *In tantum
amaſti mulierem non amantem te; ſed perſequen-
tem, vt propter amorem eius ſapientia tua ſtulteſ-
ceret, & fortitudo tua infirmaretur.* Iure cenſeatur
Samſon ad ſpeciem ſtultus, quando apertis oculis
ſic excutierit, vt arctis adhæſerit amoris vinculis
illigatus, poſtquam imminere ſibi mortem fuerit
expertus.

159. Oſeas huius inſaniæ vecordiam mirè depingit,
dum non doloribus reuocari, non flagellis edo-
Oſee 2. v.5. cet inhiberi: *Vadam*, aiebat quædam hac ebrie-
tate delirans, *poſt amatores meos, qui dant panes
mihi, & aquas meas, lanam meam, & linum
meum, oleum meum, & potum meum.* Deus vt
audacem paterna pietate cohibeat, viam ſerit
acutiſſimis tribulis, cruentis ſpinis: *Propter hoc
ecce ego ſepiam viam tuam ſpinis.* Quis credat non
retardandam ſpinis laceratam, & ebullientibus
periculis obſitam? Graditur tamen pede adeò in-
trepido per tribulos & ſpinas, vt opus fuerit ma-
ceriam apponere, & de impoſſibilitate greſſum
frænare: *Sepiam eam*, addit, *maceria, & ſemitas
ſuas non inueniet.* Ni maceriæ oppoſuiſſet murum,
ni muro abhibito impediſſet greſſum œſtro libi-
dinis agitata, calcatis difficultatibus inuolaſſet:
dum concedatur tranſitus, non ingerent timorem
horridæ ſpinæ; ſed per cruentos tribulos deertabit,
nec greſſum ſiſtet. Adeſt Hieronymus ad hunc
Hieron. locum: *Dixerat meretrix: Vadam poſt amatores
meos, qui omnium rerum mihi abundantiam præ-
buerunt. Reſpondit Dominus: Ego ſepiam viam
tuam ſpinis, ſiue ſudibus, ne poſſis ire quo deſide-
ras, & interponam materiam, ſiue murum, & ſe-
mitas tuas, quas crebro triueras pede, non inuenies:
ne apprehendas eos, quos tanto ſtudiò ſequebaris,
& rerum neceſſitate compulſa reuertaris.* Otioſa
videbatur maceria, vt non progrederetur vlterius
ſudibus vulnerata; imò vel leuiſſimis ſpinulis pun-
cta; erat tamen adeò inſanus ardor, vt niſi pror-
sùs alta maceria occluderetur ſemita, nullatenus
reſtrænaſſet veſtigia: non otioſè addidit ſentibus
muros: quia aliter inſaniens non retardaretur af-
fectus.

160. Iob gigantes ingemiſcere teſtatur ſub aquis,
quin velint caput extollere, aut ſe confuſis volu-
Iob.26. v.5. minibus vndarum eximere: *Ecce gigantes gemunt
ſub aquis, & qui habitant cum eis: nudus eſt in-
fernus coram illo, & nullum eſt operimentum per-
ditioni.* Non tegitur perditio, non diſſimulatur
naufragium, & tamen cùm ſub aquis miſeros
edant vlulatus, & varios ſuſtineant aquarum flu-
xus, malunt gemere, quàm exire. Dum aqua co-
pioſis reditibus intumeſcit aucta, dum acriori ven-
torum impulſu ſæuit icta, dum interno æſtu fer-
uet agitata, gigantes ad anxios gemitus cogit, &
tamen lutoſis ſub fluctibus perſeuerant, & onera
gigantæas vires prementia portant. Adeſt Grego-
Gregor. rius lib.17.moral.cap.12. *Cùm diceret: Ecce gigan-
tes gemunt ſub aquis, protinus adiunxit: Et qui
habitant cum eis. Ac ſi dicat: Pariter gemunt, qui
eorum gloria ex delectatione ſociantur.* Vt amara
fruantur oblectatione, vt trepida voluptate, ibi
habitant, vbi confuſa premunt vndarum volumi-
na, & indubia imminent ſæpè naufragia: luxuriæ
namque vitium vt rationis lumen denſis caligini-
bus replet, ſic inſaniæ temeritatem enutrit. Non
poſſunt perditionem diſſimulare, nequeunt, ſibi
ipſis imponere, vident periculum, edunt gemi-
tum, nec tamen furentem cohibent appetitum:
Nullum eſt operimentum perditioni. Tertullianus
de ſpectaculis cap.1. aiebat: *Tanta eſt vis volupta-* Tertull.
*tum, vt ignorantiam protelet in occaſionem, & con-
ſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrum-
que.* Sed iam de peccandi vſu creuit malitia, nec
diſſimulare aut corrumpere curat conſcientiam; ſed
apertis oculis ruit in hanc foueam. Semiramis re-
gina & vidua eo libidinis proceſſit, vt è militibus
robore & forma præſtantes in huius vitij vſuram
ſeuocaret, & cùm dubium non eſſet poſteà cru-
deliter fore necandos, ne illa breui voluptate ca-
rerent, contemnebant euocati mortem; imò ama-
bant ambitione delira cædem. Valerius lib.4.cap.
5. Spurinnæ factum miraculi ad inſtar celebrat,
quandoquidem periculo admonitus laudabilem
aſciuit, deformitatem malens quàm fœminis pla-
cere, periculum declinare. Accipe Valerium:
Cùm mira ſpecie complurium fœminarum illuſtrium Valer.
*ſolicitaret oculos, ideóque viris ac parentibus ea-
rum ſe ſuſpectum eſſe ſentiret, oris decorem vulne-
ribus confudit, deformitatémque ſanctitatis ſuæ
fidem, quàm formam irritamentum alienæ libidi-
nis eſſe maluit.* Intellexit prudens adoleſcens vel
ſuſpicioni ineſſe periculum, & maluit deformis
viuere, quàm ſuſpectus à viris aut parentibus tru-
cidari. Vt periculum fugeret, oculos libidinis fu-
mo infici non eſt paſſus: ſi enim hoc tetro igne
æſtuaſſet, ad pericula celeri volatu accurriſſet.
Aufert hoc vitium prudentiam, mentem infatuat,
&, vt Spurinna elegit deformitatem, vt fugeret
mortem, ſic iſti eligunt mortem, ne fugiant libi-
dinem.

Iob ſic excutire teſtatur homines, vt eorum 161.
lux prorsùs obtenebreſcat, & in rete pedes ſuos
lubenter immittant: *Lux obtenebreſcet in taberna-* Iob.18 v.6.
*culo illius, & lucerna, quæ ſuper eum eſt, extin-
guetur: arctabuntur greſſus virtutis eius, & præ-
cipitabit eum conſilium ſuum: immiſit enim in rete
pedes ſuos, & in maculis eius ambulat: tenebitur
planta illius laqueo, & exardeſcet contrà eum ſitis.*
Videbatur de laquei dolore ſitis extinguenda, &
tamen in ipſo laquei periculo adurit hæc ſitis
aucta; pedes immittit libidinoſus in laqueum, ne
ſiti pepercerit, aut ardori. Adeſt Gregorius lib.
14.moral. cap.6. *Acriùs ad huiuſmodi concupiſ-* Greg.
*centias æſtuat: fit deſideriorum feruor in mente, &
peccatis præcedentibus irretitus animus ad maiora
etiam delicta ſuccenditur: vnde & ſubditur: Et
exardeſcet contrà eum ſitis.* Laqueis implicitus,
hoſtibus expoſitus adhuc æſtuat infami ſiti, & vo-
luptatis vndæ nouas ad voluptates ſuccendunt
flammas: & quidem vt olim Dauidis milites ad
ſopiendam regis ſitim per hoſtiles inuolauere mu-
crones, ſic iſti, vt libidinis ſitim expleuerint, per
difficultatem cuneos irrumpunt, & in laqueos
apertiſſimos cadunt: obtentos ſibi laqueos non
ignorat adulter, & tamen pedes immittit in la-
queum, & inſaniâ huius ardoris exagitatus inex-
tricabilibus ſeſe compedibus irretit cæcus: *Qui
pedes in rete mittit* (verba ſunt diui Gregorij)
non cùm voluerit eiicit; ſic qui in peccata ſe deiicit,
non

Digitized by Google

non mox vt voluerit, ſurgit. Videt caſum inoculatus; ſed amplectitur cæcus: non ignorabat Samſon quæ patiebatur ſemel & iterum vincula; ſed maluit pati vincula, quàm abiicere ex animo deſideria.

---

§. XXXVIII.

Sordidarum muliercularum domus ſunt inſidiarum emporia, & inopinarum cladium theatra.

162. Libido voluptatem affert; ſed cæcitate immixtam, & anxiis ſuſpicionibus intertextam: ſibi videtur tutiſſima, dum ſub gladio iacet, & inopinis cladibus oppreſſa ruit. Qui negotia carnis gerit, totum ſe ſubiecit tyrannidi, & quidem truculentiſſimæ. Vitiis omnibus commune eſt conſcientia percelli, ſuſpectis periculis agitari, & variis perturbationibus concuti; hoc tamen cæteris commune ſpeciali titulo huic vitio conuenit: qui libidini inſeruit: riuales patitur, fœminas infideliſſimas experitur: ergo dum ſe ſibi furatus cæcis oculis ad voluptates inuolat, quibus circumueniatur, inſidias inuenit, & in laqueos implicatiſſimos cadit. De veritate contra veritatem conſtructæ ſunt fabulæ, ex fabulis pro veritate aliquid licebit eruere. Martem inter Veneris amplexus reti, & quidem ferreo, à Vulcano tradunt implexum, ob Venerem cæteras inluſtres mulieres pudore ſuffuſas. Audi Clementem Alexandrinum in adhortatoria ad gentes: (Clem. Alex.) *Venus propter Martem probro & dedecore affecta.* Ad quæ Gentianus: *Deſcribit Venerem à Vulcano inſolubilibus vinculis cum Marte colligatam, & diis irridendam expoſitam.* En vel Mauors in Veneris domo inuenit, quibus caperetur, ferreos laqueos; nodoſa retia, difficillima vincula. Sed tranſeamus ad vera: in eiuſmodi domibus timor inhabitat, qui ipſum voluptatis exiguum ac fœdum interturbet gaudium, dum timetur aliqua peſtis, vel inopinè ſuperuenturus riualis. Aptè Seneca de voluptate ſermonem inſtituens lib. de vitâ beata cap. 15. (Seneca.) *Nam (quæ maxima ſeruitus eſt) incipit illi opus eſſe fortuna, ſequitur vita anxia, ſuſpicioſa, trepida, caſuum pauens, temporumque ſuſpenſa momentis.* Mytrharum exhauriunt vinum carnis negotia gerentes, dum & periculis adurgentur, & voluptatibus alliciuntur. Vt anceps rudibus auibus iuxta Sata aut fluuios obtendit retia, illæque breui voluptate illectæ ingemunt inextricabilibus vinculis irretitæ, ſic captioſas riualis aut hoſtis tendiculas patitur, qui meretricis domum ingreditur? ſæpè ipſa aduerſariorum cauſam agit, inſidias ſæpè diſponit, & mortem voluptatis mercedem infert. Philiſthini acerrimi Samſonis hoſtes quod nequirent à viribus, doloſis obtinuerunt ab artibus, in Dalilæ domo latitant, & Samſon dum cæcus, captioſas non aduertit inſidias, ſuſtinet inopinas miſerias: *Attulerunt ad eam Satrapa Philiſthinorum ſeptem funes, vt dixerat, quibus vinxit eum latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus.* Quàm inſcius, & quam proximus erat Samſon periculo? Ipſa Dalila aduerſariorum patrona pecuniis corrupta, amori infida ſecretas diſpoſuit inſidias, & Samſon, dum incautus dormit, vincula, & diſcrimina incurrit. (Ambroſ.) *Parum fida expertus alienigenæ vxoris prima connubia* (Verba ſunt Ambroſij lib. 5. epiſtolar. epiſt. 24.) *qui debuiſſet cauere vel poſteà, rurſus Dalila mulieris fornicaria copulam non declinauit, & cùm eam diligeret impensè, tentandi ſe cauſam dolis hoſtilibus præſtitit.* Dolis ſe commiſit, dum impensè ſordidam mulierem amauit.

163. Veritatem hanc explicuit Salomon 9. Prouerbiorum. Inducit mulierem fucis illitam, illecebris plenam, paruulum ad ſe trahentem, qui ſi furtiuæ aquæ dulcedine illectus domum intrarit, in gigantes cæcus impingit. (Prouerb. 9. v. 13.) *Mulier ſtulta & clamoſa, plenaque illecebris, & nihil omnino ſciens ſedit in foribus domus ſuæ ſuper ſellam in excelſo vrbis loco, vt vocaret traſeuntes per viam, & pergentes itinere ſuo: Qui eſt paruulus, declinet ad me, & vecordi locuta eſt: Aquæ furtiuæ dulciores ſunt, & panis abſconditus ſuauior. Et ignorauit quòd ibi ſint gigantes.* Vecors cupiditatis fumo obcæcatus, & illecebris caris illectus domum ingreditur nil diſcriminis ſuſpicatus; at latent ibi gigantes, vt iuſtitiæ, æquitatiſque colore minentur vincula, & auro diſpoliarint marſupia. O quot latent in huiuſmodi domibus monſtra! ob id addit Sapiens: *Et in profundis inferni conuiuæ eius*: vt enim inferni viæ finguntur à poëtis defenſæ cerbero, cui, vt liceat tranſgredi, opus eſt offam ſaporatiſſimam dilargiri, & ſomnum muneribus conciliare, ita huiuſcemodi itinera non vnico; ſed pluribus Cerberis obarmantur, quibus niſi obtuleris offas, clamoroſos edent latratus. Itaque paruulus cupiditatis æſtu agitatus, & tetro libidinis fumo cæcus vias ingreditur tricis plenas, & gigantæis difficultatibus obſitas. Adeſt Clemens Alexandrinus lib. 3. pædag. cap. 11. (Clem. Alex.) *Miſer autem neſcit quòd ſerpentes apud ipſam habitent.* Alludit meo videri ad Adami caſum: ſerpens cum Eua confœderatus Adamum paradiſo expulit, nudum ac pellitum agri ſudoribus tradidit, & cruentis vepribus irretiuit: ergo ſerpentes ſunt in huiuſmodi domibus, qui aſturè latentes, & cum ipſa pellice confœderati inſcios diſpoliant, & mille labonbus implicant. Adde iam ſepulchri limina attingi in hoc carnis congreſſu, & inferni tormenta quodammodo maturari: *In profundis inferni conuiuæ eius.* Hebraïcè legitur: (Hebraica.) *Et in profundis ſepulchri inuitati eius.* Quod datus Alexandrinus explicans ſic ait. *Miſer neſcit quòd ſerpentes apud ipſam habitent, & quòd vadunt ad laqueum inferi.* Iam in ſepulchri lumine degit qui negotia carnis curat: iam mortis aculeos mellitos, & fallaci dulcedine haurit fucatos: iam gigantes illi, qui infernum intranti occurrunt iuxta illud Iſaiæ 14. (Iſai. 14. v. 9.) *In occurſum aduentus tui ſuſcitabit tibi gigantes*, maturant greſſum & ſordidarum domum intranti occurrunt.

164. In Sacra Scriptura ſolemne eſt idololatriam luxuriæ nomine deſignari, aut quia dilecta confinia, aut quia alterum alterius, teſte Salomone, non ſemel eſt conſequentia: (Exod 32. v. 6.) *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Nicolaus de Lyra ex Græco legit: (Lyra.) *Et ſurrexerunt illudere.* Addit: *Quia idololatria eſt illuſio diuina.* Itaque luxuria, & idololatria eodem nomine conteguntur: ergo quid de hoc temporis articulo Moyſes, Ioſueque dixerint, audi: *Vocem cantantium,* aiebat alter, *ego audio*: alter: *Vlulatus pugnæ auditur in caſtris.* Vterque benè: nam muſica certamen eſt in virtutes, & dulcis meretricis concentus Martiales producit audientibus vlulatus. Iam ſi qui ab idololatriæ, luxuriæque radice rami pullularint,

lulatint, enumeres, ſummam excedes: *Vniuerſa*
Tertull. *nomina criminum diſcedant*, aiebat Tertull. de idololat. cap. 2. *in operum ſuorum proprietates: remaneat idololatria in eo quod ipſa eſt: ſufficit ſibi tam inimicum Deo nomen tam locuples ſubſtantia criminis, quæ tot ramos porrigit, tot venas diffundit.* Adnectit, carnis delicias eſſe bellicam congreſſionem: *Si quis exiſtimet adulterium in oſculis, & in amplexibus, & in ipſa carnis congreſſione cenſendum.* Optimè congreſſionem dixit: nam vt qui cum hoſte congreditur, hoſtili ſemper ſtratagemate eluditur, & diſſimulatis de induſtriâ inſidiis capitur, ita qui adulteria, & carnis negotia tractat, in voluptatis campo congreditur, & ibi laqueos ſexcentos experitur. Adnectam non ſolùm captioſas inſidias pati Veneri addictos; ſed & amicos & ſocios. O quoties comites, ſocij, famuli laqueis inuoluti perierunt, & de aliena voluptate ſibi pericula procrearunt!

165. In Amalec armatus Saül vel reliquias minimas
1.Reg.15. v.5. deleturus, & militares diſponit inſidias: *Cùm veniſſet Saül vſque ad ciuitatem Amalec, tetendit inſidias in torrente.* Aderat Cinæus Amalecitarum amicitia, aut loci propinquitate coniunctus, qui niſi maturè receſſiſſet admonitus, eiſdem premeretur inſidiis captus: *Dixitque Saül Cinæo: Abite, recedite, atque deſcendite ab Amalec, ne fortè inuoluam te cum eo.* Peribit Cinæus inuolutus, ni, vt diſcedat, anxios maturauerit greſſus. Quàm inſcius degebat tunc inſidiarum Amalec, cùm inſidias pateretur delendus, & doloribus mulctandus. Iam Amalec carnis deſignare vitium commune eſt apud Patres: *Amalec luxuriæ vitium*
Greg. *deſignare diximus* (verba ſunt Gregorij ad hoc caput) *quæ velut lambit, dum voluptatem blandiendo ſuggerit.* En Amalec diſpoſitis inſidiis fuit, en Cynęus de confinio periclitatur, & ſuſtinebit etiam inſidias, niſi ad maturè fugiendum mutuatus ſit velociſſimas pennas. Optimè Athenæus lib. 3.
Athenæus. de panibus à meretrice oblatis agens: *Panibus quot prætendit laqueos miſera mortalitas.* Adſti-
Plautus. pulatur Plautus in Aulularia: *Meretrix altera manu fert lapidem, panem oſtentat altera.* Pane fallit, laqueos diſponit, allectat doloſa, & inſidias diſponit fraudulentiſſima. Samſon admittitur, illecebroſis oſculis, & amplexibus fallitur; at dum in ſuauiſſima ad ſpeciem ruit
Cyprian. oſcula, in abſconſa impingit inſidiatum diſcrimina: Audi Cyprianum lib. de habitu vir. *Sic Eccleſia frequenter virgines ſuas plangit, ſic ad infames earum ac deteſtabiles fabulas ingemiſcit: ſic flos virginum extinguitur, honor continentiæ, ac pudor ponitur.* Expende illud, *deteſtabiles fabulas*: nam ſi mulier hac infami ſiti aduratur, incredibile eſt, quas confingat fabulas, quæ mendacia coloret, quas fraudes texat, & quas doloſitatis chimeras componat.

---

§. XXXIX.

Plures vt captioſas prætendant inſidias, adulantium, iocantiúmque aſſumere ſolent perſonas.

166. NVllum animal adeò cautè vt homo tractandum eſt: varios aſſumit vultus, & ſæpè fraudi acommodare ſolet aſpectus: inter alias artes, quæ dolo inſeruiunt, iocoſitas, ac ludus eſt: blandientium plures, alludentiúmque perſonas induunt, vt incautum, & nihil contrà ſe ſuſpicantem inextricabilibus vinculis illigent: hoſtis legitimo certamine ad arma vocat; aſt fallax amicus, dum omnem propulſat cautelam, faciliùs impellit ad ruinam: ad bellum cum aduerſario parati, compoſitique ſæpè de hoſtibus reportauere victoriam, at qui inter doloſos iocos nil aduerſum veriti, miſeram ſuſtinuerunt ſæpè ruinam. Nunquam ego, aiebat quidam ſapiens, nimis blandienti adulantique credidi, etſi videretur pacem agere: quia ſub pacis vultu bellum latere poſſe cognoui, & prudenti cautelâ timui. Vt prudens, ſi aliquando cum feris ludat, ſolicita cautela obarmatur, quia mitigatam toruitatem poſſe exaſperari veretur: ita qui cum aliis ad oblectationem ludit, ipſo in ioco ſi ſapit, periculum ac laqueum timebit: quia iocantium ſpecie plures deſæuiunt. Plutarch.
Ludus, aiebat Plutarchus lib. 1. quæſt. conuiual. *eſt ſeriis accommodandus, quo & qui ludunt, aliquatenus ſint intenti.* Inter ludos non eſt omittenda cautela: quia ſæpè latet fraudis aſtutia. Cùm Agameſtor academicus dextrum crus inæquale ac decurtatum haberet, alij conuiuæ, qui cum ipſo iucundabantur, eam tulerunt legem, vt quiſque dextro pede inſiſtens biberet, aut mulctam penderet. Mulctare Agameſtorem veluti per iocum intenderunt, & iocantium riſu ſpoliarunt: *Agameſtori academico*, addit datus Plutarchus, *cui crus erat gracile & emaciatum, compotores omnes inſultantes, omnibus præceperunt, vt dextro pede inſiſtentes poculum exhaurirent, vel mulctam penderent.* Pependit mulctam à ſociis circumuentus, & inter iocandum captus. Nec aliter Dalila à Philiſthinis pecunia corrupta in Samſonem armatur: & cùm nequiret inuictas vires fœmina euertere, blanditias produxit in campum armatas doloſis fraudibus, quaſi admirata tantæ fortitudinis cauſam ſciſcitata eſt: *Dic mihi obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas.* Aliquatenus fraus apparebat, dum quibus abſolui nequiret, agnoſcere procurabat. Samſon fœmineis anteà dolis circumuentus; ſed adhuc ſobrius ad neruiceos funes, ad licium, aliáſque fraudes recurrit: illa ſemel & iterum illigauit, & illigatum exciuit: quaſi cum ipſo iocaretur ad delicias, cùm reuera ſpecie ioci obtenderet captioſas technas: *Latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus clamauit ad eum: Philiſthiim ſuper te Samſon.* Ipſa veritate fallebat, ipſa fallacia excitabat: *Ligato Samſone,* Caiet.
ſcribit Caietanus, *& dicente muliere: Peliſthiim ſuper te Samſon, tentabatur, an ex huiuſmodi incuſſione timoris tanquam ſuperuenientium Peliſthinorum Samſon præualeret vinculis, vt ſi præualeret, incuſſiſſe timorem iocando fingeret mulier, ſi autem non præualeret, prodirent latentes in cubiculo Peliſthini, & caperent eum.* Per modum iocantis Samſonem vinciebat, & quaſi luderet, excitabat; verùm ſpecie blandientis proditrix diſſimulabat fallacias, & fallaces obarmabat blanditias. Dalilæ ſcholam plures curſitare, ſi attendere velis, adſpicies: iocis venari diſcupiunt animum, & blanditiis diſponunt dolum: ſi res non ſucceſſit, iocoſitatis clypeo defenduntur: ſi contigerit, contra improuidum obarmantur. 167.

Iſmaël has à matre artes ſuxiſſe videtur: cum Iſaac ad ſpeciem puerulus ludebat; verùm ludi obtentu perſecutionem celabat: aſſumebat alludentis ſpeciem, perſequentis veritatem. *Cùm vidiſſet*

diſſet Sara filium Agar Ægyptiæ ludentem cum
Geneſ.21. v.9. *Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eiice ancil-*
lam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius
ancillæ cum filio meo Iſaac. Profectò puerilis lu-
dus, ludicra oblectamenta non videbantur exilij
causâ: quid enim frequentius quàm pueros inter
ſe ludere, & ludis puerilibus oblectari; aliquid
tamen ſub ludo latebat, quod prudentem Saram
cautelam admonuit, & fraudulentum animum lu-
dentis aperuit. Ecquis hoc ait? Paulus certè ad
Ad Galat.4. v.29. Galatas ſcribens: *Tunc is, qui ſecundum carnem*
natus fuerat, perſequebatur eum, qui ſecundum
ſpiritum. Si rem penitiùs introſpicias, perſecutio
eſt; ſi exteriùs, ludus, ea tamen erat fraudulenta
Iſmaëlis doloſitas, ea erat doloſa malignitas, vt
ludi ſpecie contra cautelam ſe niteretur armare,
& Iſaacum candidum ac ſimpliciter ludentem
euertere. Hoc fuiſſe ancillæ nothique ſtudium
Paulus expreſſit: vt nouerimus latere non ſemel
ludicris dolos, & improbos tegi ac fraudulentiſſi-
mos animos: *Dupliciter hoc exponitur*, ſcribit
Hieron. Hieronymus in quæſtion. Hebraic. *vel quod idolis*
ludos fecerit iuxta illud Exodi 32. Sedit populus
manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere; vel
quòd aduerſum Iſaac; quaſi maioris ætatis loco
Lyra. *ſibi primogenita vindicauerit.* Conſonat Lyra: *Di-*
cunt aliqui quòd Iſmaël, qui erat antiquior, &
fortior, luctando cum Iſaac, & aliàs ludendo ipſum
lædebat. Puerilis ludus in agoniſticum vertebatur
certamen, & ne crimini ſibi daretur, Iſmaël lu-
dentis ſpecie Iſaacum diuexabat, vt ſi fortè graue
aliquod vulnus accideret; adſcriberetur caſui, non
deprauatæ intentioni.

168. Fortè ob id ludorum nomine certamina expli-
cuit Scriptura, nos inſtruens meta prælia vacuo
ludi vocabulo tegi, & ludos aduerſis animis non
1. Reg.2. v.14. rarò conſtare: *Dixit Abner ad Ioab: Surgant*
pueri, & ludant ante nos. Et reſpondit Ioab: Sur-
gant. Surrexerunt ergo, & tranſierunt numero duo-
decim de Beniamin ex parte Iſboſeth filij Saül, &
duodecim de pueris Dauid: Apprehenſoque vnuſ-
quiſque capite comparis ſui, defixit gladium in latus
contrarij, & ceciderunt ſimul. Non abſque myſterio
prælium vocatum eſt ludus, vel quia pro ludo ha-
bent homines ſanguinem fundere, vel quia norunt
ſanguinis effundendi machinationes ſpecie ludo-
rum tegere. Ludere ſurrexerunt, & ſe alternatim
necarunt. Certè quæ videntur nugæ, meri doli
ſunt, & dolorum technis incautus circumuenitur,
& circumuentionibus illigatur: *Sciendum*, inquit
Lyra. Lyra, *quòd iſtud verbum, quod hic ponitur, æqui-*
uocum eſt ad ludere, & occidere. Sub eodem no-
mine & iocatio intelligitur, & occiſio, vt dum au-
dis ludum, ſignificari noueris dolum, & timeas
dolum, cùm audis ludum.

169. Prouerb.26. v.18. *Sicut noxius eſt*, inquit Salomon, *qui mittit*
ſagittas, & lanceas in mortem, ita vir, qui frau-
dulenter nocet amico ſuo, vt cùm fuerit deprehen-
ſus, dicit: Ludens feci. Fraudulentus amicus ſpe-
cioſo nomine diſponit inſidias, & quia veretur
deprehendi, profugium ſibi diſcupit præparare.
Specie ludentis in mortem exacuit lanceam, vt ſi
ſucceſſerit, deteſtabili gaudeat victoria, &, ſi non
ſucceſſerit, amici itas iocoſitatis euitet vmbrâ:
Deprehenſus dicit: Ludens feci. Luſit; ſed vt lu-
Caiet. dus verteretur in telum: vt vibratum inimicâ ma-
nu telum amicabilis haberetur ludus. Adeſt Ca-
ietanus: *Iuxta Hebræum habetur: Sicut abſcon-*
dit ſe iaculans fauillas, ſagittas, & mortem; ſic
vir decipit amicum ſuum, & dicet: An non ri-
dens ego? Adnectit: *Aſſimilatur vir, qui poſtquam*
decepit ſocium ſuum manifeſto dolo, excuſat ſe di-
cendo quòd iocando ſeu ludendo dixit, aut fecit:
Aſſimilatur, inquam, homini iaculanti ignem, &
ſagittas, & mortem. Doloſis iocis, inſidiantibus
ludis exarmatur non ſemel cautela, vt certior pre-
mat ruina. Diſertè Ambroſius lib.1. de offic. cap.
20. *Habet ſanè ſuos ſcopulos verecundia, non quos*
ipſa inuehit; ſed quos ſæpè incurrit, ſi intemperan- Ambroſ.
tium incidamus conſortia, qui ſub ſpecie iucundi-
tatis venenum infundunt bonis. Hi ſi aſſidui ſunt,
& maximè in conuiuio, ludo, ac ioco, eneruant
grauitatem illam virilem. Virilis grauitas, graui-
tatis ſeueritas iocis ac luſibus ſæpiſſimè eneruatur,
ſi non extinguitur.

Redeat iterum Salomon prudentiam inſtruens: 170.
Quaſi per riſum ſtultus operatur ſcelus: ſapientia
autem eſt viro prudentia. Quaſi per riſum, hoc Prouerb.10. v.23.
eſt, ludendo, iocando machinatur ſceleſtus, vt in-
felicem reportet triumphum, & excuſet doloſita-
tis opprobrium. Deprehenſus ad excitandum ri-
ſum ſe dixiſſe confingit; at ſi ſuccedat dolus in-
tendiſſe agnoſcitur animus: *Quaſi per riſum*; ex-
ponit Hugo Cardinalis ad hunc locum; *id eſt,*
quaſi ludendo alios opprimit, vel aliena furatur, & Hugo.
cùm fortè deprehenditur, dicit quod ludendo facie-
bat. Ergo Dalila huius non ignara fraudis Sam-
ſonem illigat, illigatumque excitat, vt ſi integræ
vires, putetur iocus; ſin minutæ, reportetur infe-
lix triumphus.

§. XL.

Aliquando non ſolùm captioſa prætexuntur fallaciæ; ſed ad tegendam fraudem dantur querelæ.

MVlier verſipelle animal, fucatus dolus; 171.
fraus contecta non ſolùm nititur captioſis
technis hominem irretire; ſed etiam audet querelas
factioſiſſimas dare: deprehendes manifeſtè dolo-
ſam, & audies indignabundam: ſatis illis non eſt
dolos texere; ſed ad illos contegendos querelis
audent ferire. *Dira quidem vis eſt marinorum*
fluctuum, aiebat Euripides apud Stobæum cap. Euripid.
73. *& vehemens fluuij feruentis, & impetus ignis.*
Et dira paupertas, & alia innumera; ſed nullum Nullum malum ditius muliere.
immanius eſt malum muliere. Conſonat Menan-
der ibi: *Difficile eſt verbis mulieris fidem adhi-* Menand.
bere. Mulierem labia mendaciorum ſunt officina;
& quidem ſi dolis vaframentiſque eſſet reportan-
da victoria, ſine dubio de hominibus dettium-
pharet fœmina. Mulieres audi apud datum Me-
nandrum: *Si dolis acquirere victoriam liceret, nos*
ſanè viris imperaremus. Adde non ſolùm fraudes
concinnare; ſed vt ipſas contegant, de viris ſæ-
piſſimè queri. Teſtis eſt Dalila Samſonem ini-
micis tradere cogitat, vtque auro diteſcat pro-
miſſo, amantem ſemel & iterum captioſo illi-
gauit dolo: ioci ſpecie diſcutit ſomnum; ſed vt
armauerit aduerſarium: nec contenta eſt circum-
ueniſſe dolis; ſed dolos texit querelis: *Dixit ad*
eum Dalila: Quomodò dicis quòd amas me, cùm
animus tuus non ſit mecum? per tres vices menti-
tus es mihi, & noluiſti dicere, in quo ſit maxima
fortitudo tua. Implicabat nexibus, & mentitis
iterum fallebat gemitibus: Samſonis expoſtula-
bat fidem, cùm ipſa texeret fraudem, & cogeba-
tur

tur Samſon dolum ferre, & doloſam delinire. Adeſt Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. Ambroſ. *Cum vt ea ſoporanti circumdediſſet vincula, quaſi de improuiſo excitum haud degenerem offendere notæ & ſolitæ fortitudinis, cum ſolutus nexibus, virtus libera multis licèt reſiſteret, ac pugnaret. Sed vbi id parum proceſſit, rurſus Dalila quaſi deriſam conquerens repetere artes ſuas, & fidem amoris poſcere non prætermittebat.* Se deriſam copioſis plangebat lachrymis, quaſi Samſon parum amaret, cui parum fideret, ergo de amoris fide expoſtulatus, & dolis non ſemel implicitus blanditiis temperabat inſidas lachrymas, & fortè captioſas muneribus ſoluebat technas: parum viſum eſt Dalilæ amaſium hoſtibus prodere, niſi aggreſſa fuerit & querelis importuniſſimis diuexare. Nec vna ſolùm fuit Dalila: plures ſuo imbuit exemplo, doloſoque erudiuit artificio: viros ſuos fallunt, fidei proditrices offendunt, & ad querelas recurrunt.

172. Martha Chriſti Domini immenſitatem ad ſpeciem non credit: dum putat ſolum hominem, dum abſentem: nec ſatis illi eſt immenſitati intuliſſe iniuriam, ni dederit etiam querelam: Ioan. 11. v. 21. *Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Chriſti abſentiæ adſcribit mortem, cùm ipſius præſentia extiterit cauſa, & mortifera viro propinarit venena: *Mulier*, aiebat Chryſologus Chryſol. ſerm. 63. *& Deum confiteris, & dicis: Si hîc fuiſſet? Deum nec abſentant loca, nec tempora repræſentant: non moreretur Lazarus, ſi Dominus fuiſſet ibi, qui erat ibi; ſed ſi in paradiſo tu mulier non fuiſſes: mulier tu quæſiſti lachrymas, tu inueniſti gemitus, tu mortem gulæ pretio comparaſti, & accuſas abſentiam Dei, quando cauſam mortis fuiſſe tuam præſentiam non recuſas.* Ecce vtrumque coniungit mulier, in hominem mortem architectatur guloſa, & hominem accuſat querula. Martha fidem incredulitate confundit, & cùm vt par eſſet, de Chriſti diuinitate non ſentiat, abſentiam querula accuſat: fœminarum namque mos eſt, irrogare iniuriam, & addere criminatricem querelam.

173. Neſcio an mulieres à dæmonibus hanc didicerint artem: qui enim alij niſi dæmones iniquæ huius artis magiſtri? Inuaſerant miſeros, & ad ſepulchra inhabitanda compulerant: ſic furebant erga hominem, vt breuiſſimum vitæ tempus non poſſent ferre; ſed viuos immaturè geſtiuerint tumulare. Dæmon eodem tempore anhelabat torquere viuos, inquietare defunctos: putridis paſcebatur cadaueribus, deliciabatur fœtore, ſanie ſaginabatur, & quia tota eius voluptas eſt hominem interire, grauiorem morte vitam ſuſtinere cogebat, vita non priuabat, ne de interitu ſæuum defeciſſet tormentum nec permittebat illæſam, ne impium auolauerit gaudium: viuus moriebatur homo, vt feralis ac truculenta ſæuitia excuſata morte exerceret pœnam, & caperet de ſepulchro lætitiam; verùm Dominus deſperatæ cauſæ ſuccurrit, & iam dæmones queruntur de tempore, Matth. 8. v. 29. cùm Dominum diſpoliauerint poſſeſſione: *Ecce clamauerunt dicentes: Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei? veniſti huc ante tempus torquere nos*: tumultuantes confuſaneis clamoribus confundunt auditum, quia æquitate non poterant Chriſti confundere aduentum: *Quid nobis, & tibi*, inquiunt. Proh audacia procax! prædones hominem ab eius domino auferunt, & tempus temporis auctori opponunt: en graſſantur, & queruntur, vt factioſis querelis colorarint rapinam, & iniquam texerint cauſam. Opportunè Chryſologus ſerm. 16. Chryſol. *Sentiamus quid machinentur fraudibus, quid moliantur malis, quorum crudelitas modum non habet in aperto. Quid faciunt iſti, quando diuitias oſtentant, & auaritiam ſerant, vt inferant ſuperbiam, pompam proponunt, ſingularitatem venditant, vt quod eſt communionis, excludant: vt iram nutriant, cauſas colorant.* Attende quæ adiicit: *Vt pietatem violent, affectibus dant querelas.* Quid tam pium, tam honeſtum, quàm ſuccurrere miſeris, ac tuliſſe opem violenter oppreſſis? Quid tam ſæuum, vt viuum hominem ſepelire, & putridis cadaueribus intertexere? Et tamen dæmon, vt iniquam coloret cauſam, cœleſtem criminatur miſericordiam, & occurrit querulus, qui lugere debet mulctandus. Ergo Dalila huius ſcholæ diſcipula Samſonem irretit dolis, vrget querelis.

Impius Achabus dum idolis contaminat terram, dum diuitiarum copiam in luxuriæ materiam vertit, dum deflectit ad rapacem tyrannidem poteſtatem, Eliam ad proferendam ſiccitatis ſententiam cogit, clauſtra nubibus iniecit propheta, cúmque iam Deus luctuoſæ adeò calamitatis miſertus Eliam occurrere Achabo iuſſiſſet, Achabus accuſat Eliam vti Reipublicæ conturbatorem, & quietis peſtem: *Venit Achab in occurſum Eliæ, & cùm vidiſſet eum, ait: Tu ne es ille, qui conturbas Iſraël?* Non Elias Iſraëlem conturbarat; ſed Achabus afflixerat; imò dum propheta aſſumpta pia irâ religionis patrona delicta cohibet, Reipublicæ cauſam agit, & tamen Achabus felicitatis euerſor teſtante propheta: *Non ego turbaui Iſraël; ſed tu, es domus patris tui, qui dereliquiſtis mandata Domini, & ſecuti eſtis Baalim*: querelis Eliam ferit, & propria illi delicta adſcribit, Achabus Baalim deteſtandis hoſtiis colit, Eliam perſequitur, obtenſis vbique inſidiis, & cùm ipſe Iſraëlis conturbator exiſteret, culpam in Eliam vertebat, & à ſe perpetratum querelis factioſis diſſimulabat: *Dixit Achab quòd Elias turbabat Iſraël, id eſt ponebat eum in hac turbatione, quòd non plueret* (verba ſunt Abulenſis quæſt. 15.) *& tamen hoc falſum erat, quia non ceſſauerant pluuiæ propter Eliam; ſed propter peccata populi.* Achabus populuſque ſacrilegis victimis coëmerant ſiccitatem, cœleſtem in ſe prouocarant indignationem, & tamen prophetam querelis onerant, & omnem à ſe ſuſpicionem depellere procaciter ſatis tentant. Ergo Dalila dolis inſidiatur ſaluti, & mentitis querelis ſuæ conſulit opinioni. Sed iam hic ſolemnis mulierculatum mos eſt, apertè delinquunt, & querelis confictis reprehenſionem anteuertentes ſe vti innoxias defendunt. Dalila fidem poſcebat amoris querula, & captioſos obtendebat laqueos cupida. 174.

3. Reg. 18. v. 17.

Abulenſ.

§. XLI.

Non ſemel amor in eas te impellet anguſtias, vt nec diſſentiri poſſis tuta eius gratia, nec ſalua aſſentiri conſcientia.

Amor difficultatibus plenus eſt, in obſequium rei adamatæ ſe deſpicit: vileſcit ſibi, vt placuerit alteri: ſi ſemel corda poſſederit amor, 175.

Digitized by Google

amor pariet anxiam dulcedinem, & ſolicitam anxietudinem : cúmque non ſemel quæ affectioni conſona, inueniantur legi contraria, opus eſt, ſi affectioni pareas conſcientiæ irrogare iniuriam, aut ſi conſcientiæ inſeruias, duriſſimam amoris ſuſtinere querelam : ignorabis in medio poſitus, quò te vertas, amori refragari timebis, & timebis contraire virtuti. Panætius Philoſophus cùm adoleſcens quidam rogaret, an ſapienti amor conueniret : *De ſapiente*, inquit, *videbimus : mihi & tibi, qui adhuc à ſapiente longè abſumus, non eſt committendum, vt incidamus in rem commotam, impotentem, alteri emancipatam, vilem ſibi, ſiue enim nos reſpexit, humanitate eius irritamur, ſiue contempſit, ſuperbia accendimur.* Sapienter dixit; æquè namque facilitas amoris, ac difficultas nocet: facilitate irretimur, cum arduitate certamus. Ad hæc: frequenter cum legibus audet altercari, & rationis metas aggreditur tranſilire : ſi ab eius votis recedas, vrget : ſi acceſſeris, legis præſcriptum ac conſcientia premit. Amori non obtemperabis ſine difficultate, non reſiſtes ſine anxietudine. Adeſt Samſon teſtis indubius, & has amoris tricas expertus: de fortitudine à Dalila interrogatur : *Dic mihi obſecro, in quo ſit tua maxima fortitudo, & quid ſit, quo ligatus erumpere nequeas* : adhuc ſobrius, & muliebrium fraudum gnarus fraudem fraude repulit, &, ſi neruiceis funibus ligetur infirmandum, reſpondit, ſemélque & iterum ad alias artes eluſurus interrogantem confugit. Quid tunc? Querula ſe deſpectam deplorat, & affectibus dat querelas : *Dixit ad eum Dalila : Quomodò dicis, quòd amas me, cùm animus tuus non ſit mecum?* Querelis diuexatus rem aperuit; ſed conſcientiam vulnerauit : *Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam.* Comperta veritate iam Dalila non excitat tragœdias; ſed conſcientia illatas ſibi deplorat iniurias, & Samſon emancipatus amori aut incidit in Scyllam cupiens vitare Charybdin, aut in Charybdin, ſi vitare cupis Scyllam. Quàm opportunè mutuari poſſet, quod ſophiſticis quæſtionibus intricatus epiſt. 117. interroganti reſpondebat Stoicus: *Mihi tales quaſtiunculas ponis, in quibus ego nec diſſentire à noſtris ſalua gratia, nec conſentire ſalua conſcientia poſſum.* Adſtipulatur Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. *Dalila quaſi deriſam conquerens repetere artes ſuas, & fidem amoris poſcere non prætermittebat.* Adiungit: *Interdicti præuaricatione vires minuta* : amori adulatus præuaricationis ſubiuit offenſam, conſcientiæ indulgens ſuſtinuit querulam Dalilam. O quantis ſe expediſſet tricis Samſon, ſi vim cupiditati inferret, & oculos refrænaret; at dum ſe commiſit amori, ad mortem vſque deficiebat laſſatus : *Defecit anima eius, & ad mortem vſque laſſata eſt* : quia & conſcientiam veretur lædere, & amatam expauet contriſtare.

Panætius.

Amor res commota, & ſolicita eſt.

Seneca.

Ambroſ.

176. Ionathas ſtrictiſſimo amoris vinculo Dauidem proſequitur, adeò generoſus fuit amor; vt exuta purpura victorem ornarit: adhuc conſtans, vt à iactato confuſis calamitatum turbinibus non receſſerit : ergo amor eum in eas redegit anguſtias, vt opus fuerit conſcientiam mendacio lædere, aut amatum contriſtare : *Dixit autem Dauid ad Ionatham : Ecce calendæ ſunt craſtino, & ego ex more ſedere ſoleo iuxta regem ad veſcendum : Dimitte ergo me, vt abſcondar in agro vſque ad veſperam diei tertiæ. Si reſpiciens requiſierit me pater tuus, reſpondebis ei : Rogauit me Dauid, vt iret celeriter in Bethlehem ciuitatem ſuam : quia victimæ ſolemnes ibi ſunt vniuerſis contribulibus ſuis.* Si quod Dauid monebat, referat Ionathas, à veritate diſtabit: ſi non referat, amati in gratiam ſubibit : ergo Ionathas inter veritatem amorémque medius nec tueri valet veritatem ſine affectionis querela, nec adulari affectioni ſine veritatis iniuria; ſed amor blandè traxit, & veritas luxit : Adeſt Caietanus : *Officioſum mendacium docuit dicere.* Mendacium amplexus eſt officioſum : opus namque erat timore ſibi dilectum exaſperare, aut conſcientiam mendacio lædere.

1. Reg. 20. v. 4.

Caiet.

177. Darius Danielis virtute oblectatus adauctis honoribus nobilitauit, & dignitatum luminibus extulit; at inuidia aduerſum ſemper optimis telum, vt amoris repoſcat pœnas ſic regem captioſis obſequiis irretiuit, vt opus fuerit contraire legi, aut amori. Ne quis triginta diebus à Deo, vel ab homine quid petat, lege interdicetur; cúmque Daniel orationi aſſuetus adurgente adhuc periculo laudabilem conſuetudinem retineret, & inimici perſpicaci curioſitate cauſas criminationis inquirerent, depoſtulatum leonibus tradendum depoſcunt : *Viri ergo illi*, inquit textus, *curioſius inquirentes inuenerunt Danielem orantem, & obſecrantem Deum ſuum.* Mira res: odio æſtuantes, inuidentiâ turgentes animum non induxerunt, vt fallacia compingerent teſtimonia, ad captioſa ſe contulerint argumenta. Nimia curioſitas calumniæ germana, criminationis ſoror, odij ſerua, inuidentiæ adiutrix geſtiuit odio obſequi, odium tamen auſum non eſt falſa teſtimonia moliri. O tempora, ô mores! Plures inueniuntur teſtes, veritatiſque corruptores, qui falſa obiiciant crimina, non ſolùm æſtuantis odij conſilio ſuaſi, ſed turpiſſimo lucro corrupti : *Reſpondentes dixerunt coram rege : Daniel de filiis captiuitatis Iuda non curauit de lege tua, & de edicto, quod conſtituiſti; ſed tribus temporibus per diem orat obſecratione ſua.* Rex accuſatione triſtatur, & ſibi dilectum eripere è criminationum manu molitur : *Quod verbum cùm audiſſet rex, ſatis contriſtatus eſt, & pro Daniele poſuit cor, vt liberaret eum, & vſque ad occaſum Solis laborabat, vt erueret illum.* Annexam video amori ſolicitudinem in Daniele abſoluendo; demiror tamen triſtitiam in laborando : *Contriſtatus eſt*, inquit, *& pro Daniele poſuit cor, vt liberaret eum.* Et quæ triſtitiæ occaſio vbi amoris eluxit ſolertia, & dilectionis reſplenduit flamma? Sanè ob id ipſum. Aduerſarij inſtant obiecta lege : *Scito rex, quia lex Medorum atque Perſarum eſt, vt omne decretum, quod conſtituerit rex, non liceat immutari* : præcordia vrgentur amore : ergo Darius difficillimo ingemiſcit incluſus nodo : quia ſi Danieli patrocinetur, violabit legem, ni patrocinetur, amorem : ergo quocunque ſe vertat, mœſtitudinem incurrit, dum nec poteſt legi ſatisfacere ſine moleſtiſſima amoris querela, nec amori blandiri ſine irrogata decretis iniuria : *Intellexit ſe*, inquit Hieron. apud Hugonem Cardinalem, *propria reſponſione deceptum, & quod cauſa inſidiarum eſſet inuidia. Itaque ne contrà legem ſuam facere videretur, non auctoritate regia, ſed ratione, atque conſilio vult Danielem de diſcrimine liberare.* Amore ſuaſus Danielem aggreditur liberare; ſed legem extimet tranſilire: ergo inter legis & amoris diſceptationes mœſtitiam incurrit, & quemcunque exitum dolet : *Ne contrà legem ſuam facere videretur, non auctoritate regia; ſed ratione, atque conſilio vult Danielem diſcrimine*

Daniel 6. v. 3.

Hieron.

diſcrimine

Digitized by Google

diſcrimine liberare. Miris hiſtoriæ coloribus amantium textus anxietudines adumbrauit, dum amore legéque conſtricti in eas ſe coniecerunt anguſtias, vt nec rei amatæ accedere poſſint ſalua conſcientia, nec relinquere ſine adfectionis iniuria: qui nondum exuerunt conſcientiam, & dilectionis experiuntur efficaciam, nec poſſunt parere, nec deſinunt ingemiſcere. Iure de illis illud prophe-
Iſai. 37. v.3. ticum repetas: *Venerunt filij vſque ad partum, & virtus non eſt pariendi*: legis recuſant abortum, dilectionis non poſſunt lucrari partum, & cæcis difficultatibus ingemiſcunt impliciti, & anguſtiis vndique prementibus arcti. Ergo fuge humani amoris amaram dulcedinem, ne ſuſtinere cogaris ſolicitiſſimam anxietatem.

---

§. XLII.

Quæ nulla indagari poſſunt induſtriâ, per mulierculas prodantur, & indagantur ſecreta.

178. NIl ita Principi, Reipublicæve adminiſtro vt ſecretum colendum eſt, militia hoſtibus prodeſt, vt indagare ſtudia, vt nouiſſe recondita. Magni æſtimandus eſt, qui Principum laudabili ſilentio ſepeliuit arcana deteſtabilis, qui prodit ſecreta: *Fuit quoque in te pars altera vitæ laudabilis*, aiebat de Senario Theodericus 4. var. 3.
Caſſiod. *quod arcana noſtra morum probitate claudebas multorum conſcius, nec tamen cùm plura noſſes, elatus.* In hanc ergo politices arcem, ſecretum, videlicet, machinam ſuis muris valentiorem inuenit induſtria, nempe mulierculas, quæ inter caras laſciuiæ amorîſque delicias ſcrutentur interna, & prodant hoſtibus copioſâ illectæ pecuniâ: in mulieris fidem armatur aurum, & mulier auro corrupta prodit ſecretum: quod nullis artibus aliter potuiſſet inueſtigari. per amaſiam contigit ſæpiſſimè prodi. Ecce Philiſthini ingentibus cladibus diuexati cauſam mirabilis fortitudinis ſcire ſatis ardenter diſcupiunt, nec poſſunt, quouſque pellicis implorant opem, qua & arcana inueſtigarunt, & Samſonis ſecreta prodita fide nouerunt: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum atque dixerunt: Decipe eum & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere.* Ad fœminæ artes recurrunt, quæ dum blanditiis adulatur, quæ dum triſtitiam mentitur, & ſe deſpectam, nec vt fas erat, adamatam deplorat, ſecretum eruit, quod ſtatim hoſtibus indicauit: *Aperiens veritatem rei, dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcidit ſuper caput meum: quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.* Qui leonem potuit diſcerpere, arcanum ſibi vtile non valuit celare: quia dum fœmina in ſecreti muros blanditiis armatur, & conſtantia laſſa ſubruitur: *Peliſthini* (verba ſunt Ambroſij) *per mu-*
Ambroſ. *lierem comperta infirmitate viri ſceleris mercedem afferunt, vt pretio obnoxia dolum patraret.* Per mulierem venati ſunt celatum temporibus multis arcanum, & aliter non indagandum ſecretum. O nimis verum! Miniſtri, Iudices, imò & Principes, ne captioſas amoris ſuſtinuerint querelas, aut dum tacent, amori irrogare videantur iniurias, produnt ſecreta, manifeſtant abſtruſiora ingenti ſæpè dignitatis dedecore, & Reipublicæ grandi aliquando pernicie.

Saül ad has indagandi ſe artes conuertit: ho- 179.
ſtium ingenti copiâ perterritus periculis cinctus conſuluit Dominum; ſed qui oraculi ſacrilego ferro Miniſtros præciderat, in vanum oraculum exorabat: ergo mulierculam ſibi quæri imperat, quæ ſecretum Samuëlis pectore abſtruſum venetur incantamentis, & loquacibus protulerit labiis: *Samuëlem mihi ſuſcita.* Quærunt Patres an Sa- 1. Reg. 28.
muël Saülem fuerit allocutus: nam etſi in con- v. 11.
feſſo apud omnes ſit Sanctorum animas incantamentis, aut magicis artibus non reuocari, alij aſſerunt id diuina prouidentia ad noſtram eruditionem perfectum, alij apparuiſſe eluſo ſenſu oculorum dæmonium. Ita D. Auguſtin. lib. 2. q. 3. ad Simplicianum: *Non eſt abſurdum credere aliqua* Auguſt.
diſpenſatione permiſſum fuiſſe, vt non dominante magica arte, vel potentia; ſed diſpenſatione occulta, quæ Pythoniſſam, & Saülem latebat, ſe oſtendere Spiritus iuſti aſpectibus regis diuina eum ſententia percuſſurus, vel non verè ſpiritus Samuëlis à requie ſua excitatus eſt, ſed aliquod phantaſma, & illuſio imaginaria Diaboli machinationibus facta, quàm Propheta Samuëlem appellat, ſicut ſolent imagines rerum ſuarum nominibus appellari. Itaque certum non eſt, an fuerit ſpectrum an Samuël, vt nec dubium eſt procuraſſe Saülem à magno viro per mulierem ſecreta venari, vt in myſterio vſitatus apparuerit ſtylus: per mulierculas ſcilicet abſtruſa ſæpè indagari, quæ nullis aliis artibus quiuerant prodi. Tertull. lib. de Animâ cap. 57. arbitratur pſeudoprophetidem illam ab ſpiritu, qui eius cor poſſederat, ſecretum didiciſſe quod Saül deſiderabat. *Ne putes alium fuiſſe, qui* Tertull.
phantaſma adminiſtrabat: alium qui commendabat; ſed eundem ſpiritum & in pſeudoprophetide, & in apoſtata. Cur pſeudoprophetis non impetraret ab ſpiritu, qui in ea viuebat, & cui ipſa exhibebat deteſtabile obſequium, quod ſecretò occultabatur arcanum? Certè huiuſmodi fœminæ amatoriis incantamentis, fucatis dolis ſe pectoribus inſinuant abſtruſiora rimatæ, & inuenta euulgaturæ. Dices ſecretum committi Sacramento adactæ, & omni adhibita prudenti cautione. O exoculatam cautelam! ab alio cupis obtinere, quod à te propria vtilitas & commodum obtinere non valuit. Opportunè de garrulitate Plutarch.
Quis vllum ſibi increpandi reliquit eius, qui non Plutarch.
reticuit, locum? Si enim tectam rem oportuit, quàm declaraſti, improuidè detexiſti eam alteri. Quod ſi effuſum ex te recondis in alio ſecretum, ad alienam proditâ tuâ confugis fidem: qui ſi tui ſimilis fuerit, iure periſti, ſin melior, ſeruaris inſperato, quod alium reperetis tibi te tua in re magis fidum. At eſt mihi hic amicus, huic alius quiſpiam, cui fidat, & hic, vt huic ego, iam illi alius. Ita dum contexitur perpetua ſerie incontinentia, ſermo fœtificat, & multiplicatur. Quæ te mouit ad euomendum ſecretum ratio, cui commiſiſti, etiam vrget, & qui pruriginem non tuliſti vtilitate contempta ſtultè cauſaris, ſi alter ſecretum effuderit vtilitate acquiſita. Vtile erat Samſoni ſecretum prudentiæ ſigillo tegere, vtile erat Dalilæ (ſperabat namque copioſam pecuniam) prodere, cur ergo muliercula illecta non proderet commodis. quod Samſon non valuit vtiliſſimis obſignare ſecretis? Nec id ſemel accidiſſe reperias.

Nam

Digitized by Google

180. Nam cum ipſe Samſon olim problema abſtruſum ſatis inter pocula, & ſaporata fercula ſoluendum conuiuis non ſine mercede propoſuiſſet, illi Sacramenti ignari ad fœminam confugerunt, illa ad blanditias, ad lachrymas, ad querelas: explicuit Samſon dilectæ arcanum, illa ſilentij impotens vel ad horam ſuis effudit. *Die ſeptimo cum ei eſſet moleſta, expoſuit, quæ ſtatim indicauit ciuibus ſuis.* Iudic. 14. v. 17. Satis prudentes ad mulieris artes ſe contulerunt, qui aliter propoſitionem indagare nequiſſent: illa minis perculſa, & fortè promiſſis etiam illecta lachrymis fidem coëgit, & ſecretum ſibi commiſſum ſtatim effudit. *Audire volunt multa* (verba ſunt dari Plutarchi) *vt effutire multa queant, præſertim ſermones reconditos, & occultos vndique venantur, & perſcrutantur, quo velut materiam vetuſtam ſarcinarum garrulitati aggerant: mox ſicut pueri, qui glaciem nec retinere, nec dimittere volunt.* Plutarch. Vir ſapiens, ſi perditum iri refugit, os ſtudioſiſſimè occludat: pariunt viperæ vitæ detrimento, & quos ſinu innoxiè conceptus reconderent, vitæ etiam diſcrimine effundunt. Tradunt de anſeribus, qui ex Cilicia tranſmittunt Taurum aquilis ſcatentem, ori ſuo inſerere lapidem, quo veluti fræno vocem prohibeant; ſicque taciturnitatis auxilio aquilinos fruſtrantur adſultus, qui aliter rapaciſſimos paterentur volatus, & quidem ſi Samſon meretrici abſtruſum vtiliter ſecretum non panderet, vires hoſtibus non præberet, nec ſuo detrimento oſtenderet, quàm cauendum ſit duci, Principi, Reipublicæque adminiſtro ſilentio tegenda prodere, & mulierculis aperire. Certè ſecreta prodita attulere non rarò Reipublicæ detrimentum, hoſtibus commodum, vt decapillatus, cæcus, & vinctus demonſtrat Samſon. Ergo maximè Reipublicæ adminiſtro cauendum eſt, abſtruſa reſerare, & alienæ fidei, quæ ipſe ſuo aperiri edocuit exemplo, tacenda committere.

---

§. XLIII.

Peccator, dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati ſæpè inuenitur proximior.

181. Seneca. SEmper eſſe felicem, & ſine morſu animi tranſire vitam, ignorare eſt rerum naturæ alteram partem, inquit Stoicus de prouident. cap. 4. imò non ſolùm partem alteram; ſed totum. Iugi omnia rotatu circumuoluuntur, & agitantur: dies noxque vertunt, & quid interdum ex alto decidit, quid ex profundo reſurgit: Sapiens ſcit ſe in lubrico nec poſſe conſiſtere, nec ſtare; inſipiens verò rerum ignorat inconſtantiam, & ſtabilem arbitratur fortunam; hæc tamen periculoſa cæcitas peccatorum eſt & proles & merces: ſtulteſcunt voluptatibus addicti, ab hominibus in beſtias tranſmigrant: tunc ſe putant tutiores, cùm appetit mors inopina, & calamitas violenta. Nullus cogitat quàm nitatur vanidis, quàm ſtet lubricis: aliqua ſui præmittit ſigna tempeſtas, trabis crepitus imminere ruinam præmonet; hominis vita ſine crepitu, & ſine monitu fugit. & tunc non ſemel, cum ad ſpeciem ſalus robuſtior & lætior. Parcas finxit antiquitas, quæ hominum vitam nerent, & ſcinderent: & quidem fabula pro doctrina eſt: nam vt filum nulla difficultate ſcinditur, nullo ſtrepitu diſſecatur, ita vita hominis fili ad inſtar inopinè ſcinditur, & ſine difficultate amputatur. Tunc peccator diſparet, cùm ſalus ad ſpeciem firmior, cùm ætas floridior, cùm fortuna copioſior. En Philiſthinorum Principes, vulguſque promiſcuum templum ſolidiſſimis ad ſpeciem columnis fultum, & fulcris firmum adeunt gaudia celebraturi & conuiuia: *Domus erat plena virorum ac mulierum, & erant ibi omnes Principes Philiſthinorum, ac de tecto & ſolario circiter tria millia vtriúſque ſexus ſpectantes ludentem Samſon.* Quàm aberat ab eis mortis memoria! Quàm appetens ab eorum oculis diſtabat ruina! Suæ incolumitati plaudebant, adulabantur ſaluti, indulgebant lautiſſimis ſympoſiis ventri: ergo celer oppreſſit ruina, dum nulla ruinæ illos ſollicitabat memoria; imò ſecuriſſimos, & periculis prorſus exemptos teſtabatur cæca ignorantia: *Concuſſis fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat.* Ambroſ. Columnæ videbantur nullis tempeſtatum adſultibus euertendæ; imò nec arrodendæ voraci temporis dente videbantur; verùm tetris vini vaporibus cæci, denſo culinarum fumo obtenebrati, dum gaudiis, & lætitia immerſi impoſſibilem exiſtimabant ruinam, ſubitam ſunt experti miſeriam, & tunc reipſa minus diſtabant, cùm diſtantiſſimos ſe credebant: *concuſſit*, inquit Ambroſius ſæpè datus, *columnas magna vi ac diſſoluit, & comminuit eas, quas ſecuta ruina ſuperioris culminis & ipſum inuoluit, & vniuerſos, qui deſuper aſpectabant præcipitauit.* Non interierunt infirmitate longa, morte prolixa; ſed inſperata Si oculorum ſolùm iudicio rem metireris, omni ſecuritate frui iudicares; at columnæ ad ſpeciem firmæ faciliter elocatæ ædificium ſoluerunt, & omnes præcipitarunt.

182. Vt hac nos veritate Chriſtus communiat, & contra ſtultam ac periculoſam ſecuritatem obarmet, depingit hominem firma valetudine vſum, exundantibus diuitiis copioſum, & longa ſibi ſæcula promittentem morte inopina correptum, & improuiſa ſtrage mulctatum: *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce comede, bibe, epulare. Dixit autem illi Deus: ſtulte hac nocte animam tuam repetunt, à te.* Luc. 12. v. 19. Omnia confudit: animæ corporis adſcripſit officia, vt indulgerit voluptatibus. *Comede, epulare*: corpori animæ attribuit naturam, vt morti non putaret obnoxium; ſed immortalitate donatum. Itaque omnia inuertit felicitate amens, & abundantior fortuna diues: ſe totum appellat animam, vt mortalitatem excludat, & cùm ſe exiſtimat immortalem, inuitat ad epulas, & ingluuiem: ergo eadem nocte moritur: *Stulte hac nocte animam tuam repetunt à te*; cùm longiora ſibi promittebat ſpatia, vita fruitus non eſt vel ad exigua momenta. Notauit ſubito acumine Tertullianus lib. de pœnit. cap 6. *Qui prouenientibus fructibus ampliationem horreorum, & longa ſecuritatis ſpatia cogitauit, is ipſa nocte moritur.* Tertul. Subſtructiones cogitans interiit, longæ ſecuritatis meditatus ſpatia, inſtanti corruit ruinâ. O quàm ſuſpecta eſſe debet peccatori ſecuritas, quàm malefida corporis valetudo, ſalutis integritas! A ſomno tranſiuit Ionas ad ſepulchrum, à nauigio tranſlatus eſt ad naufragium, & cùm cæteri, quos bona illa tempeſtas non inueſtigabat, timore perculſi gemerent, ipſe inquiti non attendens ſomno traditus obdormiuit. Cor impij mari confert propheta, & iure: nam vt momento mare vertitur, ſic impij vita ſine prænuntiis conſumitur: vt liberiùs peccatores delinquant, & oblatrantis conſcientiæ

conſcientiæ clamorem ſopiant, fingunt ægritudinem mortem anteceſſuram; ſed cara ſibi ſpe illudunt, dum proximiores morti, fictæ adulantur ſecuritati.

183. Sacer textus vno & altero teſtimonio hanc veritatem confirmat: Noë iuſſus à Domino arcam conſtruere, & diluuium denuntiare, ab impiis irridebatur: ea ipſa die, qua cœlitus irruerunt torrentes, ducere geſtiebant vxores. Audi Lucam 17. capite: *Edebant, & bibebant, vxores ducebant & dabantur ad nuptias vſque in diem, qua intrauit Noë in arcam, & venit diluuium, & perdidit omnes.* In alimentis longiſſimæ vitæ arbitrabantur ſubſidium, vt in nuptiis contrà mortem expectabant etiam remedium; verùm cùm ſolicitiùs ſtudioſiuſque vitæ procurauere negotia, violenta ſuſtinuere diluuia. Cæco deſiderio illudebantur, & amenti fiducia ſubnixi confuſis torrentium voluminibus ſunt demerſi: *Quia tunc*, inquit Chryſoſtomus in catenâ, *non crediderunt comminatoriis verbis, paſſi ſunt repentè reale iudicium: eorum autem incrudelitas ex anima lenta procedebat: nam quacúmque vult aliquis & intendit, ea etiam expectat: vnde ſequitur: Edebant, & bibebant, vxores ducebant.* Quia protrahi vitam vehementer deſiderabant, illuſi deſiderio finiendam repentè non credebant; imò vti longo victuri tempore ea curabant, quæ deſeruire diuturniſſimo quirent: nec alieno ſupplicio moniti reſipuerunt Sodomitæ; ſed appetentibus iamiam flammis deliriis ſtudebant ſecuri: *Similiter ſicut factum eſt in diebus Loth: edebant, & bibebant, emebant, & vendebant: plantabant, & ædificabant: qua die autem exiit Loth à Sodomis, pluit ignem, & ſulphur de cœlo, & omnes perdidit.* Animo tibi repræſenta Sodomitas vineas ſerentes, inſanas ſubſtructiones ædificantes eo ipſo die, quo vorax flamma omnia conſumpſit, & in puluerem redegit. Quàm ſe remotos arbitrabantur à ſepulchro, quàm exemptos à ſupplicio, eo ipſo momento, quo arſerunt aduſti, & igneis flammis abſorpti. E contrà iuſti vel cum eos manent diuturna tempora, aperta iam contemplantur ſepulchra, & ibi prudenter trepidant, vbi non eſt timor.

Lucæ 17. v. 27.

Chryſoſt.

184. Elias mittitur, vt alimenta ſuppeditans viduæ protraxerit vitam; verùm cùm cœleſti decreto longa ſupereſſent tempora citiſſimam mortem imminere ſibi arbitrabantur ſecura: *En colligo duo ligna* (prophetam alloquitur) *vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Mortis ſe iam limina putabat premere, cùm cœleſti decreto certum erat vitam producí. O quàm conducibilius fuit prudenter vereri mortem, quàm promiſiſſe ſibi ſecuritatem. Sed dices, cur protrahendam crederet vitam, exiguam adeò ſortita alimoniam. Roga hoc plures, qui pulſante iam morte qui ſenſibus deficientibus ſe morituros non credunt, nec diſponunt teſtamenta; ſed ſupereſſe putant lōgiſſima vitæ ſpatia. *Quaſi dicat*, inquit Hugo, *cùm comederimus illud, nihil reſtat, niſi vt moriamur.* Sortita contrà famem alimentum cogitare non intermittit appetere iam ſepulchrum, quando plures diuitis illius ſtulti ad inſtar, vel cùm ſolum ſupereſt ſepulchrum, acquirere, & aſſeruare ad longiſſima vitæ ſpatia anhelauere alimentum.

3. Reg. 17. v. 12.

Hugo.

§. XLIV.

Ob flagitium promiſſa rarò non videntur impleta.

Ageſilaus Lacedæmoniorum rex neſcio quid promiſerat, cumque ad liberandam fidem vrgeretur, reſpondit teſte Plutarcho in apophthegmat. Laconicis: *Siquidem iuſtum eſt, quod petis faciam; ſin minus, nequaquam faciam: non enim promiſi; ſed dixi.* Mira res: promiſſionem retractauit legibus, & honeſtati contrariam, cùm nuam oppignerata fides citiùs ac certiùs ſoluatur, quàm ſi ob flagitium voluptatémve oppigneretur. Ardebat, quod mireris, inferna videndi deſiderio Dionyſius, ignorabat viam (ô felicem ignorationem, ni furor depuliſſet, & pruritus ſciendi ignoranda imprudenter inſtigaſſet!) non defuit qui Principi viam oſtenderet, & quando ad docendas inferorum vias Magnatibus defuerunt magiſtri? Proſymnus ſe magiſtrum fore promiſit, non ſine mercede, ſpurca tamen; ſed digna tanto doctore & diſcipulo: poſt ex inferis reditum non expectauit mercedem exigi; ſed vt ſolueret, ipſe Proſymnum quæſiuit. Adeſt Clemens Alexandrinus in exhortatoria ad gentes: *Dionyſium cùm cuperet deſcendere ad inferos, viam ignorabat, pollicetur autem ei ſe eſſe dicturum quidam Proſymnus nomine; ſed non ſine mercede.* Adnectit: *Cùm viam didiciſſet, abiit, rurſus rediit, non offendit Proſymnum, erat enim mortuus. Amatori iuſta faciens Dionyſius proficiſcitur ad monimentum.* Iuſta celebrauit de mortuo, ne videretur minus gratus tanto Doctori: funebri pependit officio, quod nequibat viuenti ſoluere deteſtabili obſequio: quàm Dionyſius moras traheret, ſi quid ob virtutem promiſiſſet! Ecce Philiſthinorum Principes Dalilæ aureorum promittunt copiam, ſi Samſonem fefellerit, & cauſam tantarum virium eis doloſa prodiderit: fecit illa, & inſidioſis blanditiis delinitum ad aperiendam veritatem dulci obſequiorum violentia coëgit: *Aperiens veritatem rei dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam, eróque ſicut cæteri homines.* Quid tunc? *Videns illa quòd confeſſus ei eſſet omnem animum ſuum miſit ad Principes Philiſthinorum ac mandauit: Aſcendite adhuc ſemel, quia nunc mihi aperuit cor ſuum. Qui aſcenderunt aſſumpta pecunia, quam promiſerant.* Quàm exromptè Principes tulerunt pecuniam, cùm Principes vel quæ iuſtiſſimis titulis ſoluere tenentur, non ſoluant! Debitam miniſtris annonam non impendunt, laborantibus mercedem non ſoluunt, & mulierculis promiſſa adimplere expromptiſſimè geſtiunt. O quàm citiùs, quàm honeſtè debita leges, inhoneſtè promiſſa extorquent à Magiſtratibus voluptates! turpiter ſoluunt ſine cunctatione promiſſa, negabunt debita: ſecum Principes promiſſum tulerunt aurum, quia mulieri ob flagitium aurum promiſſum. Innuit Abulenſis quæſtione 29. *Nunc credentes quòd tenerent eum, confidentiùs pecuniam tulerunt: iſta pecunia erat quinque millium quingentorum argenteorum: quia quilibet Princeps promiſerat mille & centum argenteos.*

185. Plutarch.

Clem. Alex.

Abulenſ.

Copioſam

Digitized by Google

Copioſam ſummam tulerunt, ne promiſſionem tardarent: ſtatim mulieri pecunia eſt reddita, quæ ſors creditori dilata. O quoties ire, & redire ſolitat creditor; imò & deſiſtere ſolet fatigatus, ſatius ducens debitum amittere, quàm teri: ſic Principes ſoluunt creditoribus, ſic promiſſa reddunt mulieribus.

186. Promiſerat Saül filiam ſuam cum monſtro illo decertanti: Dauid honoris diuini zelo in campum proſiluit, &, vt iniuriam honeſtè propulſaret, audacter vitam expoſuit: victoriæ titulo iam Merob illi debebatur, & iterum pater ſpopondit, ſi Domini bella dexterè geſſerit, & de hoſtibus triumphos reportauerit: *Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem; tantummodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* (1.Reg.18. v.17.) Poſt bellicos ſudores, poſt anxias certaminis curas, poſt vitam periculo expoſitam, poſt victoriam de hoſtibus reportatam Merob non ſine Dauidis iniuria alteri datur, nec data fides impletur: *Factum eſt tempus, cùm deberet dari Merob filia Saül Dauid, data eſt Hadrieli Molathitæ vxor.* Non ſolum ſpes dilata; ſed ablata prorſus eſt, cùm iam promiſſum inſolubili iure alium tráſierit ad Dominum. Tranſi tu modò, ſi vis, ad Marci 6. vbi ob inhoneſtas choreas, ob ſaltationes impudicas, ob ſinuoſos corporis greſſus, ob deteſtabiles membrorum fluxus puellæ promittitur regni vel dimidium: *Pete à me quod vis, & dabo tibi.* (Marci 6. v.23.) Plus petiit, quàm temulentia promiſerat: *Volo vt protinus des mihi in diſco caput Ioannis Baptiſtæ.* Proh deteſtandum auſum! pro ſacrilegum ac cæcum promiſſum! Exigebat amens puella protinus caput ſibi Baptiſtæ dari, cumque obuium eſſet petitionem carpere, in futurum tempus differre, & dilatione inſaniam eludere, impiiſſimus ſacrilegæ promiſſionis vel momento non tardauit fidem; ſed allatum caput inter ipſa conuiuia, vbi promiſerat, præſtitit: *Attulit caput eius in diſco, & dedit illud puellæ.* Dauid poſt bellicos labores promiſſis fruſtratur, puellæ poſt impudicos ſaltus fides iniquè data nec per momentum differtur. *Audiſtis fratres*, inquit Chryſologus Serm. 127. (Chryſol.) *quanta ſit nata de voluptate crudelitas, de libidine impietas: Et allatum eſt caput eius in diſco: in arenam vertitur domus, menſa migrat in caueam, fiunt de pranſoribus ſpectatores, furore mutatur conuiuium, fit cibus cædes, vinum tranſit in ſanguinem.* Adhuc rubebat: in cryſtallinis ſcyphis vinum, & cruore miſcebatur, ne fides deteſtabilis ſolueretur. Conſonat Auguſtinus Serm. 10. in nouis: (Auguſt.) *Inter laſciuias, & delicias conuiuantium temerè iuratur, & impiè quod iuratur, impletur.* Sine dilatione impletum eſt puellæ promiſſum, Dauidi nec cùm dilatione redditum. Addiderim Deo pietatique promiſſa non ſolùm non impleri; ſed impletionis loco flagitia reddi, & iniuriam addi.

187. Plantauerat pater familias non ſine ſolicito ſtudio fertilem vineam, ſæpè circumdedit, torcular infodit, turrim extruxit, & perfectam agricolis fructum reddituris locauit: *Locauit eam agricolis.* (Matth. 21. v.33.) Promiſerunt illi exprompté locationis pretium ſoluendum; verùm cùm tempus appropinquaſſet, quaſi iniuriam inferrent, qui de recuperandis agebant reditibus, pœnas dederunt: *Miſit ſeruos ſuos ad agricolas, vt acciperent fructus eius, & agricolæ apprehenſis ſeruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt.* En promiſſionis ſolutio cædes, & iniuria: nec mirum, quando pater iſte familias erat Deus: *Homo pater fami-*

lias, inquit Origenes apud D. Thomam in catena, (Origen.) *Deus eſt*: iuſtitiæ, æquitatique promiſerant locationis pretium; ſed ſoluerunt homicidium. *Hi*, addit Chryſoſtomus in catena, (Chryſoſt.) *non ſolùm malitia potiti ſunt in non dando fructum; ſed etiam in indignando ad eos, qui venerunt.* Defraudarunt promiſſis, quia promiſerant Deo: aliter contingeret, ſi promitterent fructus mundo. Qui locationis fructum promiſerant, fuiſſe Sacerdotes, ſentit Chryſoſtomus in catena: *Locauit eam agricolis: quia ſcilicet per legem conſtituti ſunt Sacerdotes & Leuitæ, & procurationem regendi populi ſuſceperunt.* Sacerdotes audis non ſoluiſſe, quæ promiſerant ob vineam; ſoluiſſe tamen reperies, quæ promiſerant ob ſacrilegam audaciam. Iudæ, ſi horrendo magiſtrum ſacrilegio prodiderit, pecuniam offerunt. *Promiſerunt ei pecuniam ſe daturos*: (Marc. 14. v.11.) de promiſſis non dubius dolum diſcipulus texuit, & magiſtrum tradidit. Quàm ſine cunctatione promiſſa ſoluerint, Iudas triginta argenteos eiſdem Sacerdotibus referens proteſtatur: *Retulit triginta argenteos Principibus Sacerdotum, & ſenioribus.* (Matth. 27. v.3.) Quàm opus Iudæ non fuit nummos extorquere, nec poſtulare, cùm vineæ Domino fuerit neceſſum reddendos ob locationem ſemel & iterum efflagitaſſe prouentus: æquitati debitum nec violenter extorquetur, fraudi promiſſum libentiſſimè ſoluitur Iudas non fraudatur ob dolum promiſſis, fraudatur vineæ Dominus ſibi debitis: (Hieron.) *Promittunt* (verba ſunt Hieronymi in catena ad Marci 14. *pecuniam, & amittunt vitam, quam ipſe recipit, cùm vitam amittit.* Vbi tradidit vitam, pecuniam recepit oblatam: non diſtulerunt ſoluere, qui vineæ fructus diſtulerant reddere: vt noueris quàm ſit verum ob flagitium incunctanter ſolui promiſſa, iuſtitiæ, nec moroſè reddi debita.

---

§. XLV.

Plus tibi timendum ab eo, cuius cauſa delinquis, quàm ab eo, quem hoſtiliter offendis.

PEccator errore cæcitatis impingit: confuſas fugiens procellas, & acriùs adſpirantes ventos ipſo naufragatur in portu, & vnde quærebat auxilium, grauius trahere agnoſcitur detrimentum. 188. Plutarch. de inſtitut. laconic. Lacones venerem ait armatam coluiſſe: nec quidem ſine ratione, vt ibi edocerent aciem inueniri gladij, vbi voluptatis putabatur commercium, & deliciarum emporium. Venus haſta armabatur in amantes, vt Mauors armari poſſet in hoſtes. *Venerem colunt armatam*, (Plutarch.) inquit: *Et verò Deos omnes, fœminas, & mares cum haſta pingunt.* Vitium, cui accedimus, arma in nos vibrat, & haſtam ſortitur, quam intorqueat, vt noueris plus verendum à vitiorum blanditiis, quàm ab aduerſariorum pœnis. Non eſt, quòd iudices minus tuis vitiis blandientium adulatione petere, quàm inimicorum armis expugnari. Dum hoſtes tergis inſiſtunt, etſi anhelo ſpiritu tecta via fugimus; aſt nos vitiorum noſtrorum conſortes auocant, & periculo tradunt, dum tranſuerſis veſtigiis errandi occaſionem adminiſtrant. Samſon Dalilæ accedit Gazæos fugiens; verùm in ipſo naufragatus eſt portu: circumuallatus hoſtilibus inſidiis illæſus aufugit; muliebribus blanditiis delu-

R 2 luſus

luſus petiit : *Cum audiſſent Philiſthiim, & percrebruiſſet apud eos intraſſe vrbem Samſon, circumdederunt eum poſitis in porta ciuitatis cuſtodibus, & ibi tota nocte cum ſilentio præſtolantes, vt facto mane exeuntem occiderent. Dormiuit autem Samſon, vſque ad medium noctis, & inde conſurgens apprehendit ambas portæ fores cum poſtibus ſuis & ſera, impoſitáſque humeris ſuis portauit ad verticem montis.* Valida ceruice, integer viribus fores tulit, & aduerſariorum inſidias expergefactus fruſtrauit, at inter Dalilæ ſinus, & amarè dulces ac delitioſos amoris amplexus viribus eneruatus ſuccubuit, & quas non poterant hoſtes vires armis infringere, Dalila blanditiis valuit auferre: *Diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere.* Aduerſariorum votum mulier impleuit, & capillis denudans fortiſſimum ſuperauit: *Raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere.* Caiet. Caietanus legit. ex Hebræo pro abigere, affligere: *Iuxta Hebræum habetur: Et cœpit affligere eum, & receſſit fortitudo eius ab eo.* En Dalila Samſonem affligit, quod in votis hoſtes habebant: inter hoſtes renatis capillis vires inuictas recuperauit, inter doloſos Dalilæ amplexus amiſit, & ab illa, cui acceſſerat grauiùs paſſus eſt detrimentum, quàm intercluſus hoſtilibus cuneis expertus fuerit periculum: vt noueris peccatori plus ſæpè timendũ ab eo, cuius cauſa delinquit, quam ab eo, quem vti aduerſarium offendit. Ambroſ. *Illa*, inquit Ambroſ. lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. *meretricis delinimentis feſſum amoris in ſoporẽ compulit, & tonſore adhibito ſeptem crines capitis eius admota nouacula abſcidit, continuóque interdicti præuaricatione vires minuta.* Interdictum præuaricatus eſt, vt ſibi dilectam fortius obſtringeret; ſed dum demereri curauit delicto, armatam inuenit dolo.

189. Angeli apoſtatæ cum Michaële, & cœleſtibus exercitibus cõgrediuntur: caſus temeritatis merces fuit; imò non caſus; ſed ignominioſa proiectio: Apoc. 12. v. 7. *Factum eſt prælium magnum in cœlo, Michaël, & Angeli eius præliabantur cum dracone; & draco pugnabat, & Angeli eius, & non valuerunt, neque locus inuentus eſt eorum amplius in cœlo.* Addit: *Angeli eius cum illo miſſi ſunt.* A Michaële forti aduerſario, ſtrenuo duce draconis Angeli proiiciuntur: iam vide quid ab ipſo, cui acceſſerunt, & cuius factionem ſecuti, dracone patiantur. *Cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum cœli, & miſit eas in terram.* Eodem modo terra voluntantur miſſi draconi accedentes, & Michaëli aduerſantes; imò priùs à dracone leguntur abacti, quàm à Michaële proiecti: nec enim ingens adeò damnum Michaël inferre valebat prælio, vt ſerpens veternoſiſſimus dolo: ad ſerpentem vti ad aſylum confugerant blandientis caudæ fallaciis illecti; ſed vbi ſecurum quærebant portum, miſerum ſubierunt naufragium. *Qui in Eccleſia velut Stellæ in cœlo* (verba ſunt Ambroſij ad hunc locum) Ambroſ. *ſcientia & intellectu refulgent, decipiet, atque in perditionis foueam demerget.* In perditionis foueam à patrono ſerpente demerguntur, qui à Michaële hoſte ſolummodò propulſantur. O miſeras Stellas, quæ ab aduerſariis patimini exilium, & à veſtris amicis dolum! Nouerit peccator quæſitam delicto opem culpis acquiſitam tutelam vertendam ſibi ruinam: in aduerſantium regione dura fortè ſuſtinebit certamina; ſed ab eis quibus æquitatis iniuria placet, duriora ſubibit non ſolùm prælia; ſed damna.

190. Iſaias de Balthaſare ſermonem inſtituens, vt Lyræ placet, ſic ait: Iſai. 14. v. 9. *Infernus ſubter te conturbatus eſt, in occurſum aduentus tui ſuſcitauit tibi gigantes.* Balthaſar Deo bellum intulit idolorum partes ſecutus: opiparam inſtruxit cœnam, parúmque illi viſum eſt immodicè bibere, niſi & ſacra vaſa aggreſſus ſit profanare; exeruit tamen cœlum contra ſacrilegum ſcribentis manus articulos durioribus, quàm armis, litteris obarmatos: Daniel 5. v. 4. *Bibebant vinum, & laudabant Deos ſuos aureos, & argenteos, æreos, ferreos, ligneóſque & lapideos. In eadem hora apparuerunt digiti quaſi manus hominis ſcribentis cõtra candelabrum in ſuperficie parietis aulæ regiæ.* Manum armarunt cæleſtia; ſed hominis manum; imò non integris; ſed tribus tantùm, vt placet interpretibus, ſententiam ſcribentem articulis: intulerunt ſupplicium; ſed in ſuperficie exaratum; at ſimulacra illa, quorum tuebatur partes in monſtra conuerſa in occurſum exierunt gigantæa mole terrorẽ ingeminantia, & flammis ardentiſſimis adurentia: ſibi infenſiſſimos inuenit gigantes, quos delegerat falſus tutores. Contra ipſum armatur infernus ardentiſſimis flammis, ſcribit inimicus ſuperficialibus litteris: *Dicendum eſt*, inquit Lyra, *quòd hoc refertur ad Balthaſar, qui in contemptum Dei fecit apportari vaſa conſecrata* Lyra. *diuino cultui, & bibit in eis, & Principes eius, vxores, & concubinæ, propter quod interfectus fuit eadem nocte, Danielis 5. & ſecundum hoc dicitur: Infernus ſubter te conturbatus eſt, id eſt, Diabolus, qui præeſt inferno.* Deus, cuius deſeruit partes, miſit articulos, Diabolus, cuius partes ſecutus, in inferni acie produxit gigantes, qui Balthaſatem perpetuò incundè contunderent, & flammis ardentiſſimis adurgerent quæ colebat idola, quorum implorauerat opem, hanc ei dignam penderunt mercedem, vt apud ſuos miſer eiularet, & à numine proſcriptus tardè ac inutiliter fleret.

191. Ioſaphat pientiſſimus rex ab Achabo benigniſſimè exceptus eius partes ſecutus eſt ad Ioſaphat aduentum arietes bouéſque plurimos mactauit, vt conſtat 2. Paralip. 18. v. 2. cumque iam delinitum haberet officiis, ad eius partes contra hoſtes tuendas inuitauit: 2. Paral. 18. v. 3. *Veni mecum in Ramoth Galaad* Ioſaphat vt vrbano erat ingenio, non renuit; priùs tamen per prophetam diuinum placitum voluit explorari: Michæas infauſtum bellum aſſeruit; verùm Achabus, vindictæ cupidus, & in hoſtes irruere iam paratus, quo auſpicatè exordiatur bellum, Michæam vinculis premit, & carcere includit à propheta infauſtum fore bellũ præmonitus Achabum Ioſaphat nihilominus eſt ſecutus: quod diuinã meruiſſe vindictã Iehu iã è bello reuerſo teſtatus eſt: *Iram quidẽ Domini merebaris.* Quid tunc? Achabus fraudulentus obſequiis Ioſaphat periculo obiicit, & propriam aliena vitâ redimere intendit: 2. Paral. 19. v. 2. *Dixit rex Iſraël ad Ioſaphat: ſume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis.* A quo putas grauius Ioſaphat imminere periculum, à peſſimo amico, an ab armato aduerſario? Certè aduerſarij veritate cognitâ ardentes impetus refrænarunt, quando Achabus, cui adhæſerat, & cuius gloriæ militabat, circumuentum dolis indubiis obiiciebat periculis: *Intendebat*, ſcribit Lyra ad 3. Reg. 22. Lyra. *quòd pondus belli verteretur ſuper Ioſaphat.* Totum prælij pondus in Ioſaphat amicus armauit, aduerſarius eo agnito abſtinuit: Ioſaphat aliquantulum, vt Achabo complaceret, deliquit, & ab eo, cuius deliquit causâ, paſſus eſt grauiora pericula, vt noſcas à numeroſiſſimis

aduerſariis

Digitized by Google

aduerſariis non adeò formidandum, quàm ab eo, cuius cauſâ delinquis, tibi fore timendum.

§. XLVI.

Munia officiave in fœminarum gratiam dilargita illis afferunt lucrum; ſed dilargientibus probrum.

192. Caſſiod. IVdicis gloria eſt ſtudioſè, culta iuſtitia, quæ vt ſui participatione cultores ſublimat, ſic eius oblitos ſordidat: *Nil vile, nil cupidum iudices decet*, aiebat Caſſiodorus 12. var. 2. *verùm ſatis non eſt auro iudicem non corrumpi, ſi contigit affectione violari.* Sunt qui iuxta prudentiæ edictum largienda diſtribuant, qui munera malè collocare refugiant, dum fœdum mulierculatum patrocinium ambientium partes non ſuſcipit: tunc namque, vt adulentur amori, cæcis oculis aduerſantur æquitati; ad officia muniaque præferunt nulla experientia commendatos, imò apertiſſimè in idoneos: ipſi non nundinantur officia; ſed fœmina venditat, & quidem non modico pretio: vnde pro merito ambitoribus eſt pecunia, & qui fœminæ emit patrocinium, iam indubium habuit aſcenſum. Claudius Cæſar ſic vxoribus ac libidini erat addictus, vt quo illarum gratiam coëmeret, vim legibus, æquitati violentiam inferre nullatenus dubitaret; imò gaudebat de iuſtitiæ querelis voluptati adulari, & gratiam mulierculatum inire. Sueton. Accipe Suetonium de Claudio Cæſare cap. 29. *His, vt dixi, vxoribuſque addictus, non principem ſe; ſed miniſtrum egit: compendio cuiuſque horum, vel etiam ſtudio ac libidine honores exercitus, impunitates, ſupplicia largitus eſt, & quidem inſciens plerumque & ignarus.* Ad dignitatis lumen extollebat ſæpiſſimè ſibi ignotum, quem iniqua pœna puniebat, cauſam ignorabat: quia gratia, aut ira non ſequebantur iuſtiſſimas leges; ſed impotentes amores. Facile erat ad dignitatum lumina euehi, quibus non difficile meretricum interceſſionem mercari. Ecce Satrapæ, vt à Samſone impetrent arcanorum notitiam, pellicis vtuntur patrocinio, nec irrito quidem effectu: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere. Quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Dalila cupiditate inflammata dolum aggreditur, & de ipſa licentia contra Samſonem validiſſima Tacitus. deprompſit arma: nam teſte Tacito 3. Annal. *Non imbecillis tantùm & impar laboribus hic ſexus; ſed ſi licentia adſit ſæuus, ambitioſus, poteſtatis auidus.* Auida ergo meretrix importunitate vicit, & capillos dormienti abſtulit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius.* Per mulierem adepti ſunt Satrapæ, quod optauerant, & dum mulier adauget infame lucrum, Samſon tulit inhoneſtiſſimum probrum. Iam fortitudine honoreque priuatus duris inſeruit nexibus collum, & teterrimum Ambroſ. intrat carcerem. *Reputans ſecum* (verba ſunt Ambroſij) *quàm improuidè ſe mulieri aduerſariorum credidiſſet, & caluatus tentare vlterius aliquid damnatus infirmitatis nequiret, cæcitati oculos, vinculis manus prabuit, & compedibus innexus carcerem intrauit multis ſibi incognitum tempeſtatibus.* Per mulierculam Satrapæ optatis potiti ſunt; ſed qui mulieri morem geſſit, à throno deiectus, iudiciariæ poteſtatis vſu priuatus, & vinculis iacuit conſtrictus. Ecce pellex, dum impetrat à Samſone, quod deſiderabatur, ſibi etſi indecorum lucrum acquiſiuit, & Samſoni probrum peperit: vt iam Reipublicæ miniſtri, iudiceſque Samſoni miſerabili euentu edifcant, quàm ſit pernicioſũ propudioſis fœminis in muneris adminiſtratione obſequi, & quid in illarum gratiam dilargiri.

193. Iſaias, vt populi ſui miſeriam expreſſiùs declarauerit, & copioſiùs luxerit, ablatum fortem, excluſum principem, & fœminas ditiſſimas auro deſcripſit: Iſai. 3. v. 1. *Ecce dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, & virum bellatorem, iudicem, & prophetam, ariolum, & ſenem.* Ecqua cauſa tantæ principum inhonorationis, & Reipublicæ tempeſtatis? Iam tradit: *Mulieres dominatæ ſunt eis.* Fœminæ, dum voluptuoſis illecebris, dum illuſoriis blanditiis magnatum abſtulerant corda, dum pro cupiditatis voto, dum pro turpi pretio munia diſtribuunt, dum dilargiuntur officia, iam pueri indebitis refulgent honoribus, & luget Reſpublica luctuoſis preſſa calamitatibus. *Dabo pueros principes eorum, & effœminati dominabuntur eis.* Suffecti quidem fœminarum patrocinio, pellicum negotiatione, cupidinis cæcitate: Hugo. *Mulieres, id eſt, vxores eorum*, ſcribit Hugo hîc, *dominatæ ſunt eis, habentes principatum.* Dum mulieres viris principantur, dum pro illarum cupiditate munia diſtribuuntur, ſenes, doctique exulauere remoti, & pueri rapuerunt dignitates mercati. Syneſius. Huc voco quod aiebat Syneſius de Typhone ſect. 1. de prouident. *Nullum genus turpitudinis detrectans multa fortitudinis præmia auferebat, ſuppetebantque inſuper in propudioſa licentia mercedem magiſtratus, atque imperia.* In licentiæ propudioſæ, in libidinis mercedem dignitates conferebantur, & pro pellicis arbitrio irrogabantur ſupplicia; aut conferebantur imperia. Adnectit poſt aliqua: *Quæ de cauſis antea lata erant iudicia, nulla atque irrita faciebat, damnatumque iudicio vincere oportebat: legatis contrà quàm data eſſent reſponſa, decernebat: ex quibus hoſtes ij erãt, qui à diuina illa lingua nonnihil vtilitatis eſſent conſecuti, quos cum ciuitate ſua, ac genere ipſo quam plurimis calamitatibus affici oportebat; duplici tamen deſperatis iam rebus arte ſuccurrebatur: ſi quis aut vxori pecunias obtuliſſet: hæc autem velut in proſtibulo palàm ſedebat, ad corporis voluptates, obeundáque negotia meretricum & lanarum operâ vtens, forúmque illud, quod ab Ægyptiis hactenus iudiciarium appellabatur, iudiciorum mercatum efficiens, qui cum ea collocutus eſſet, mitiorem Typhonis animum experiebatur.* Expende illud: Iudiciorum mercatum efficiens: pro mulieris arbitrio Typhon aut cicur, aut rigidus erat: & qui vxorem ſibi auro deuinxerat, aſſequebatur optata, qui eius non adeptus patrocinium, irritum dolebat votum. Ergo Typhon dignitate exturbatus ac miſeriis plenus calamitatem ſibi conciliauit, dum mulierculæ placitis obediuit.

194. A ſuis moribus, dignitatéque quàm remotum & alienũ affectuit Chriſtus dignatum lumina, thronorũ faſtigia ob mulierum negotiationẽ impendere, & harum ſolùm patrocinio vſis tribuere: Matth. 20. v. 23. *Non eſt meum*, aiebat, *dare vobis*, videlicet hoc modo ambientibus, & mulieris fauore gratiam captantibus: eſſet namque indecorum regimini mulieris ſubiici deſiderio, & obedire ſuffragio. Chryſoſtomus per hanc fœminam, quod per Euam olim,

dæmonem intendiſſe arbitratur: *Contulit ſe Diabolus*, inquit apud D. Thomam in catena, *ad conſueta arma mulierum, vt ſicut Adam per mulierem ſpoliauit, ita & iſtos ſepararet.* Adamus dum Chryſoſt.
aures præbet fœminæ, nudus ac pellitus orbi vt metallo datur: ergo non ſolum fratribus; ſed Chriſto Domino tetendit inſidias, vtque à regno, ſi poſſit, detrudat, cupit in dignitatibus dilargiendis mulieris cupiditati obedire, ductumque ſequi; at Dominus huiuſmodi negotiationem à regno ſuo depulit, ſuóque exemplo Miniſtros ac Iudices erudiuit.

§. XLVII.

Quod magni intereſt, inexperto non committendum; ſed experto commendandum.

195. NVllus idoneus quit reperiri niſi quem docta expoliuit notitia, & ſolers aptauit experientia: ars bellandi prælud iis diſcitur, & repentinus miles hoſti militat, non victoriæ: animos ſubitè ad ardua negotia aptos non inuenies: nouellis in venationibus catuli iam exerciti prædas agunt, & inexerciti potiùs ludunt. Quàm benè Theodericus 1. var. 40. *Primordia cuncta pauida ſunt, & aliter timiditas non tollitur, niſi cum rebus neceſſariis nouitas abrogatur.* Rerum nouitas actiones implicat, & dum timida ſibi non credit fiducia præpedientis timoris incurrit obſtacula: prudentia vetat magni ponderis negotia inexperto committi: nam in leuibus exiguo detrimento inexpertus deliquerit, in magnis irreparabili damno. Hanc nouerat politiam Dalila: ſpe pecuniæ corrupta virium arcanum ſe indagaturam promiſit: nam Philiſthinorum Principes, ſi Sacramentum prodiderit, copioſam offerunt remunerationis mercedem: *Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodo eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Cupiditate illecta dolum aggreditur: nec ſolùm ſtetit promiſſis; ſed pluſquam petebatur, perfecit: Principes ſolùm exigebant notitiam: illa vt auctarium addat, ſecretum blanditiis eruit, & quo aduerſarij minus negotij haberent; caput tonſore adhibito raſit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum.* O moroſam lentitudinem! Si ſcit qua Samſonis vires queant arte eneruari, ſi facile eſt crines adhibito cultro abſcindere, cur in tonſore vocando tempus terat, & inutili cunctatione opportunitatem amittat. Fors dum tonſor accedit, ſomnus euolabit, & exigua temporis mora lucrum amittet & dolum prodet. Ergo celer culter rem exoptatam perficiat, nec ignauia moras trahat. Vide prauitatem cum aſtutia coniunctam. Quod tentabatur negotium, magni erat momenti: ſi benè cederet ingenti lucro Dalila erat remuneranda, vt ingens imminebat detrimentum, ſi præter opinionem accideret, quandoquidem Samſon captioſis offenſus dolis inflictis ſe vindicaret ſuppliciis. Ergo Dalila ſibi inexpertæ non fidit, nec permiſerunt Principes exigui temporis lucro vtile adeò fruſtrari ſtudium, & euaneſcere deſiderium. Ergo noluerunt Dalilam reſecare crines manu indocta; ſed præſtolati ſunt tonſorem, qui rem perficeret nouacula expertâ. Lucrum fuit ea temporis iactura, & ea deſiderij morâ: *Dalila*, inquit Abulenſis q. 30. *non raſit nunc capillos per ſe; ſed vocauit tonſorem.* Tonſor in capillos radendo Abulenſ.
exercitatus, intrepidæ manu leuíque, & quæ ſomnum non interpellaret, poterat abſcidiſſe capillos; aſt Dalila capillos radere indocta, fors tempus tereret, & trepidante manu excitaſſet dormientem. Ergo prudentia fuit rem tanti ponderis, experto committere, nec fruſtrare.

Video cum Iacobo belligerantem Angelum 196.
quemdam: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane*: eo tendebat lucta, vt Iacob (ſic placet aliqui- Geneſ. 32. v. 24.
bus Interpretibus) benedictionis paternæ non frueretur effectu; ſed retardaretur moroſo gradu. Ad ſepulchrum verò Moyſis non quemlibet Angelum; ſed video Michaëlem depræliantem: ecquis hoc ait? Iudas certè Apoſtolus: *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ.* Eccur Michaël, & non alius Apoc. 12. v. 7.
huic certamini deſignetur, quando lucta illa vni è pluribus delegatur? Quia Michaël, inquit Beda, præliis iam expertus, & Diabolum deuiciſſe teſtante Ioanne aſſuefactus: *Factum eſt prælium magnum in Cœlo, Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone.... proiectus eſt draco.* De Moſis ſepulchro non cuidam Angelo ad noſtram eruditionem prælium commendatur; etſi vt aiebá, cuidam Angelo cum Iacobo certamen commendetur: quòd ſi inquiras diſcriminis cauſas; reſpondebit Beda, totius populi intereſſe ſepulchrum Moſis nō prodi, quandoquidem ad idololatriam pronis ſepulchrum noſſe eſſet non modica erroris occaſio; at Iacobum retardare peculiaris erat Eſaü vtilitas, non generalis commoditas: ergo quia parum intererat, ſi Angelus cum Iacobo decertans ſuperaretur, & non parum, ſi circa Moyſis ſepulchrum vinceretur diſputans, cœleſtis politia pro rerum qualitate delegauit miniſtros, Michaëlem videlicet præliis iam exercitum, & bellicos labores edoctum pro occultando Moſis corpore, & alium quemdam Angelum decertare, ſi fas eſt dicere, inexercitum, pro re non adeò graui, nec ad totum populum pertinenti. Adeſt Beda apud gloſſam: *Mortuo Moyſe ſubtraxit Dominus miſſo Angelo* Beda.
corpus Moyſi, ita vt nullus de populo, cui præfuerat, ſciret ſepulturam: prauidebat enim Dominus Moyſem poſt mortem à Iudæis adorandum, & ſic corpus Moyſi pro Deo habendum: & ideò diabolus cultum legis deſiderans verti in idololatriam, altercatus fuiſſe dicitur cum illo Angelo: quia qui à Deo miſſus fuerat, Michaël dicitur. Idololatria religionis virus, virtutum venenum, veritatis naufragium totum populum infeciſſet: ergo licèt res minoris momenti Angelo luctaminibus non exercito fuerit commiſſa; bellum de Moſis corpore non cuivis; ſe Michaëli bellis iam exercito, & triumphis coronato debuit delegari, vt humana politice didicerit pro rerum grauitate deſignare miniſtros, nec ad communem vtilitatem ſpectans negotium commiſiſſe inexercito; ſed experientia commendato, & actuoſitate induſtrio.

Neſcius audiuit Petrus, dum ſuſpicatus Chriſto 197.
Domino imminere bellum, & captioſas à dæmone inſidias prætendi, ſuis voluit manibus tabernacula fabricare: *Si vis, faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, Moyſi vnum, & Eliæ vnum:* Matth. 17. v. 4.
piſcari nouerat, tabernacula conſtruere neſciebat: ergo cùm rem magni adeò momenti inexpertus tentat,

Digitized by Google

tentat, prudentiam præter opinionem obſcurat: Origen. *Sciebat*, inquit Origenes in catena apud D. Thomam, *ſcribas inſidiari ei: cogitabat etiam quòd Elias aderat, qui in monte ignem deſcendere fecit, & Moyſes, qui intrauit nebulam, & Deo locutus eſt: vnde occultari poterant, vt nullus perſecutorum ſciret, vbi eſſent.* Conſonat ibi Hieronymus: Hieron. *Erras Petre, & ſicut alius Euangeliſta teſtatur, neſcis quid dicas: noli tria tabernacula quærere.* Tabernacula conſtruere deſiderabat pro inimicorum repellendis adſultibus: ſunt enim tabernacula militantium: ergo à bellorum perito debuiſſent fabricari, non à certaminis inſcio conſtrui: à prudentia deſciſcit Petrus, cùm negotium adeò graue aggreditur imperitus. Idem non eſt Principis familiaritate vti, & negotia omnia percallere; Petrus verò de familiaritate præſumens, ad omnia ſe idoneum exiſtimauit, fallebatur tamen: nam licèt artem piſcatoriam ſcitè calluiſſet, tabernaculorum ſubſtructionem inidoneè fabricaſſet.

198. Iam ad occaſum Saülis regnum vergebat, cùm Deus de vngendo Dauide cogitans, non alium; 1. Reg. 16. v. 1. ſed Samuëlem delegat: *Imple cornu tuum oleo, & veni vt mittam te ad Iſaï Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem*: Samuëli vnctio commiſſa eſt, non alteri: quia iam Samuël lenticula Saülem vnxerat: 1. Reg. 17. v. 1. *Tulit Samuël lenticulam olei, & effudit ſuper caput eius.* Saülis regno breuiter depellendi vnctio miniſtro nondum experto commiſſa eſt; at Dauidis quia ſceptrum diutiùs permanſurum, quia ſtabile regnum, experto debuit committi, nec ſi ad vnctionem delegetur imperitus, omnibus vtiliſſimus impediatur conatus. Baſil. Innuit Baſilius Seleucienſis orat. 14. *Magno Samuële pueri confirmandi cauſâ miniſtro conſtituto oues adhuc ſequentem diadematis coronat.* Cauſam reddit: *Quoniam ex Dauide Chriſtus ſecundum carnem, verùm regnum, cæleſtia ſceptra, ſalutaris generatio, perennis gratia.* O cæleſte conſilium! ô ſapientiam immortalem! Ad Saülis citò deponendi vnctionem inexpertum delegauit, ad Dauidem verò vngendum vngendi peritum miſit, & factis quaſi coloribus inexpertis magni momenti negotia non committenda; ſed expertis edocet deleganda. Ergo Dalila tonſori committit capillos radere, ne ſi ipſa rem aggrediatur imprudenti, & exoculata audacia, magni adeo momenti perdat negotia.

§. XLVIII.

Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem.

199. *Libet & ita definire, vt beatum dicamus hominem eum, cui nullum bonum malumque ſit, niſi bonus maluſque animus.* Seneca. (Verba ſunt Stoici lib. de vita beata cap. 4.) *Honeſti cultor, virtute contentus, quem nec extollant fortuita nec frangant: qui* Felix, cui omne bonũ in animo. *nullum maius bonum eo, quod ſibi ipſe dare poteſt, nouerit; cui vera voluptas erit voluptatum contemptio.* Vera voluptas contẽptus voluptatis. Ad beatitudinem nullus perueniſſe poterit ni voluptatem ſanè copioſam dolorum meſſem, & calamitatum fontem ex animo abiecerit: animus virtute contentus proſperam ſibi fortunam parat, voluptati addictus nequit doloribus non vrgeri. Sequitur continua hilaritas, & alta lætitia æquitatis aſſeclam, qui fœdis & friuolis nititur, variis perturbationum concuſſionibus deterretur. Ecce Samſou in Dalilæ gremio vires non capillamento amiſit, & ſubiacere ludibrio, & afflictionibus cœpit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere.* Hebraica. Ex Hebræo legitur: *Cœpit affligere eum*: ibi Samſon inuenit afflictionem, vbi quæſiuerat voluptatem: nec enim poterat non dolere, qui fallacibus fugitiuiſque gaudiis decreuerat ſe committere: *Qualis fuerit afflictio*, inquit Caietanus ad hunc Caiet. locum, *non eſt ſcriptum: opinetur quiſque, vt ſibi videtur, verumtamen perpendat quòd duo ſimul patrauit mulier: nam & facto afflixit eum, & verbo excitauit eum & ſolita comminatione.* Reipſa nitebatur hoſtibus tradere, & ad ſpeciem, vt euaderet pericula, videbatur monere. Profectò ab animo verba diſſidebant: ipſam periculi admonitionem, quæ ſalutis videbatur ſubſidium, ad periculi deflectebat dolus incrementum. Admonebat fugam; ſed vt experiretur ignauiam: afflictus eſt Samſon à ſibi chara, & plurimis beneficiis deuincta: citiùs quam hoſtes incepit Dalila affligere, vt inde oriretur vera pœnalitas, vnde fallax quærebatur voluptas: vt enim virtutis appendix eſt gaudium, ſic eſt conſequentia voluptatis tormentum: *Vides*, addit ibi cap. 5. Stoicus, *quam* Seneca. *malam & noxiam ſeruiturus ſit, quem voluptates doloréſque incertiſſima dominia, impotentiſſimáque alternis poſſidebunt.* Cum dolore confœderata; imò connexa voluptas libertate non permittit hominem frui, dum diſcruciat anxium, aut tenet ſuſpenſum: timor pauórque ſocij ſunt ineptæ lætitiæ, & inde procreatur anxietas, vnde naſcitura putabatur voluptas.

Iob de peccatore agens ſic aiebat: *Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius, & lucerna, quæ ſuper* 200. Iob 18. v. 5. *eum eſt, extinguetur: arctabuntur greſſus virtutis eius.* Lucet aliquantulum fallaci nitore voluptas; ſed coarctantur greſſus, & ipſa voluptate munia ſua deſueſcunt corporis artus: hebetantur oculi, tumeſcunt pedes; laborat vertigine caput, & huiuſmodi ſexcenta, quæ hominem diſcrucient, ſecum affert inepta lætitia, & voluptas cara; *Si plerúmque triſtitiam tenebras accipimus* (verba ſunt Gregorij Magni lib. 14. moral. c. 4.) Greg. *non immeritò lucem accipere gaudium debemus; lux ergo in tabernaculo illius tenebreſcit.* Ipſa lux obtenebreſcit, & iam non ſolum extrema gaudij occupat luctus; ſed & principia, & media timor anxius. Adnectit poſt aliqua Gregor. *Lucerna ergo impij, quæ ſuper eum eſt, extinguitur: quia citiùs eius gaudium deficit, quod eum totum in hac vita poſſedit, & qui nunc malè ſe in voluptatibus dilatat, eum poſt in ſuppliciis pœna coanguſtat: vnde adhuc ſubditur: Arctabuntur greſſus virtutis eius.* Expende, amabo te, lucem immixtis tenebris deturpari, ait enim: *Lux obtenebreſcet in tabernaculo illius*: lucernam quàm citò extingui: *Et lucerna, quæ ſuper eum eſt, extinguetur*: greſſus tamen explicandos non aſſerit; ſed veluti ſine termino coarctandos fore prædicit: *Arctabuntur greſſus virtutis eius.* Quanto tempore podagra laboraturi ſint pedes, quanto deficiente virtute fuerint compreſſuri dolores non præſcribitur; at obtenebrandam lucem, & lucernam extinguendam quàm citò aſſeritur: & quidem iure: nam vt adulatio ipſo, quo placet, nocet; ita voluptas ipſo, quo exhilarat, lædit: ſæpè gaudia initia futuræ triſtitiæ ſunt: quàm citiſſimè deſinunt; imò in partem contrariam tranſeunt.

Digitized by Google

Certa vitiorum merces & labor & dolor: alata fugit voluptatis lætitia, immoratur diuturnè pœna: vel quando lucerna lucet, lux obtenebreſcit; pedes verò ſtrictiſſimè arctantur, & dolor, qui gaudium comitabatur, fugiens non ſequitur; ſed remanet iam non gaudio mixtus, ſed metus: irretiti doloribus pedes, oculi deficiente lumine hebetantur, manus flacceſcunt, color deperit, & cogitur pati meraciſſimam pœnam, qui dolore mixtam, & breuiſſimam potitus fuerat lætitiam. Breui Samſon oculorum voluptate eſt gauiſus; ſed longo tempore remanſit cæcus: ſic eius arctauit greſſus libido, vt molam traxerit ſequens & fugiens.

201. Exod. 32. v. 6. Populus ſibi Deos producere quærit, vrgetur Aaron: ſapiens ignis vitulum illis defundit; qui gulæ indulſerant, vitiis gulæ appendicibus ſtuduerunt: *Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere.* In ludo libidinis vacaſſe negotiis intelligunt Patres: ergo dum Moyſes & Ioſuë populo approximant, pugnæ vlulatum in caſtris alter teſtatur audiri: *Vlulatus pugna auditur in caſtris*, & alter concentibus populum reſonare. *Vocem cantantium ego audio.* Vtrúmque rerum: ipſe ludus, & ipſe theatralis concentus certamen erat in corporis vires, quandoquidem ebrietas libidóque roboris erat ruina, & infirmitatum efficaciſſima cauſa: in ſe ipſos pugnabant, qui voluptatibus indulgebant: ergo benè Ioſuë percipit vlulatum, dum exercent carnis negotium: nec enim eſſe potuit ſine dolore libido, ebrietas ſine vlulatu, luxus ſine gemitu: *Euirantur mares,* aiebat Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. ad donat. *honor omnis & vigor ſexus eneruati corporis dedecore mollitur, plúſque illic placet quiſquis virum in fœminam magis fregerit.* In ſe ipſos pugnabant, dum euirati marcebant, & marcentes vlulabant. Quanta aliquano libidinoſus ſuſtinuit cauteria, quantos, quámque altiſſimos edidit gemitus ſub medici manibus, & piis ſubſecantis inſtrumenti vulneribus! In caſtris, vbi luſerunt, eiularunt, vt ipſa voluptate ſauciati gemerent, dum oblectamentis fallacibus inſeruirent.

Cyprian.

202. Apocal. 9. v. 8. Ioannes Apocalypſis 9. de profundiſſimo puteo intuetur locuſtas impudentiſſimas proſilire: *Et habebant capillos ſicut capillos mulierum.* Addit: *Et habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque.* In eadem locuſta inueniebatur capillus variis pigmentis excultus, calamiſtris intortus, & ad nitorem totus compoſitus, & ſcorpiacus inueniebatur etiam aculeus: breuis oculorum voluptas arcuato impetu ſoluebatur, & ingemiſcebat altiſſimè repercuſſus, qui externis fuerat capillorum fraudibus deliciatus. Huc voco Tertullianum aduerſùs Gnoſtic. cap. 1. *Magnum de modico malum ſcorpium terra ſuppurat; tot venena, quot ingenia; tot pernicies, quot & ſpecies; tot dolores, quot & colores.* Adnectit poſt aliqua: *Cæterùm ſi plagam ſauciauerit, intimat virus, & properat in viſcera: ſtatim omnes priſtini ſenſus retorpeſcunt: ſanguis animi gelaſcit, carne ſpiritus exoleſcit.* Scorpionis inuenerunt acleum, vbi quærebant fugaciſſimum carnis oblectamentum. Peſtilens humor arrodit viſcera, tetorpeſcunt ſenſus, vlcera ac tumores doloribus, & quidem vrgentiſſimis premunt: & ſoluitur prolixis eiulatibus voluptas exiguo tempore illudens, & alto vulnere feriens. Adde huius vitij non ſolùm ligare animum corpúſque carè delicioſa incantamenta; ſed etiam occurrentia menti phantaſmata. Cogitationes minus caſtæ neſcio quem torporem animo inducunt, & duris illigatum catenis premunt.

Tertul.

Petrus catenis vinctus dormit, non quieſcit. *In ipſa nocte erat Petrus dormiens interdum milites vinctus catenis duabus.* Richardus in allegor. Tilmani Petrum teſtatur illorum ænigma fuiſſe, qui ſordida carnis titillatione pulſantur, & fœda cogitationum procella impetuntur, qui etſi declinauerint ſolerter ictum, nihilominus aliqualem patiuntur ſomnum, opúſque eſt Angelica monitione, cœleſti lumine, vt dulcem diſcutiant torporem, & antequam ſibi animi procurarit alacritatem. Accipe Richardum: *Vultis ſcire qua ſint huiuſmodi vincula, qua ſoleant mentes etiam meritis ſublimes, quandoque grauiter irretire? Modò ſordida titillatione caro inflammatur, modò fœda cogitatione animus ſordidatur: quaſi ergo carcerales tenebras incurrimus, quando his concupiſcentia nexibus irretiti confuſionis noſtra caliginem declinare volumus, nec valemus*, Adnectit Richardus: *Sed illa ſanè mens diuina conſolationis reuelationem meretur, qua non tam propria corporis ſui ignauia, quàm aliena malignitatis proteruia has confuſionis ſua tenebras patitur.* Vel fœda cogitatio, vel cogitatio ſordida implicatiſſimis nexibus animum ligat, & mirè tenebris confuſionis diuexat. Petrus, dum imaginem refert huiuſmodi vitiis impetiti proditur ſoporatus, & carcere vinculis irretitus: ſunt enim huic vitio familiariſſima ſopor, vincula, carcer, & plaga. Quod ſi ſtrenui ob proteruiam alienam patiuntur vincula, quæ impudici ob propriam culpam corporis ſuſtinebunt tormenta?

203. Actor. 12. v. 6.

Richard.

§. XLIX.

Ab vxorio ac libidini dedito nihil ſperaueris forte, nihil magnum.

Libido non ſolùm corporis lues; ſed animorum probatur peſtis: in ægro & doloribus diuexato corpore vigebit aliquando fortitudo. Fortunam prouocabit, & adipiſci triumphum præſumet; verùm ſi libido animi corporiſque peſtis accedat, iam animus emolleſcit blanditiis, & vires corporis fatiſcunt delicioſis oblectamentis: *Ipſa voluptates in tormenta vertuntur*, aiebat Seneca epiſt. 24. verùm aliquod mali noſtri ſolatium eſſet, ſi in corporis tantum conuerterentur tormenta: animos etiam hæc peſtis inficit, & dum nudat temperantia, & fortitudinis denudat gloriâ. *Romani ſacrificant Herculi*, ſcribit Clemens Alexandrinus in exhortatoria ad gentes, *muſcarum depulſori, & febri, & pauori, quos ipſos quoque adſcribunt in numerum eorum, qui erant cum Hercule.* Iam Herculem libidini vacare, ab ipſo Alexandrino accipe: *Longum fuerit eius omnis generis adulteria, & ſtupra pueris illata recenſere.* Pauor vel Herculem comitatur, dum libidini indulget: hæc enim inſania eſt fortitudinis tinea, roboris peſtis, & grata animorum lues. Samſon etiam eſt indubius teſtis: egregia fortitudinis opera nauarat, antequã veneris ſe deliciis addixerit: antequam vxorem duceret, leonem intrepida manu diſcerpſit, antequam ad Gazæam meretricem intraret, compeditus, & arctiſſimis vinculis illigatus, hoſtilibus

204.

Seneca. Voluptas in tormentum vertitur.

Clem. Alex.

Timor audaciæ comes.

ſtilibus copiis occurrit, & maxilla pro armis vſus de mille viris triumphauit: *Cùm veniſſet ad locum maxillæ, & Philiſthiim vociferantes occurriſſent ei, irruit ſpiritus Domini in eum, & ſicut ſolent ad odorem ignis lina conſumi; ita vincula, quibus ligatus erat, diſſipata ſunt & ſoluta. Inuentamque maxillam, id eſt, mandibulam aſini, quæ iacebat, arripiens, interfecit in ea mille viros.* (Iudic. 15. v. 14.) Terga non vertit hoſtium cuneis, conſertis aduerſariorum agminibus; ſed in eos irruit vel ligatus, quo illuſtriori reſplenderet triumpho redimitus. Tranſi ad ipſum in meretricis gremio dormientem videbiſque in hoſtes iam non irruere; ſed portæ foribus validæ ceruici impoſitis ad montis cacumen celeri greſſu contendere: *Portauit ad verticem montis, qui reſpicit Hebron.* Ecce iam fugit, iam terga vertit, qui vel ſolo aſpectu de ſtatione deturbabat inimicos: poſt hæc Dalilæ fraudulentis illecebris ſic emolleſcit animus, ſic vigore deſtituitur ſpiritus, vt iam fas non ſit vertere terga; ſed probroſa ſuſtinere cogatur vincula: *Illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput: vocauitque tonſorem & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.* Iam Samſon ludibrio eſt hoſtibus, non terrori; iam animi alacritas in puſillanimitatem degenerat, iam ferrea manus, catena ligat. Notauit Ambroſius (Ambroſ.) ſæpè datus: *Faciam*, inquit, *ſicut ſoleo, & excutiam me ſuper aduerſarios; ſed nec animi ſui alacritatem, nec virtutem agnouit, nec vigor erat, nec gratia manebat.* Iam animus inter muliebres amplexus opera fortitudinis ignorat euigoratus, & dum negotia exercet libidinis, manus præbet hoſtibus inſerendas vinculis cæcus.

205. (Plutar. in M. Anton. — Libidini traditus tractandæ Reip. ineptus.) Plutarchus de M. Antonio agens ſic ait: *Eius animus, vt in corpore amicæ viueret, in ipſo moriebatur, & quamquam dimidium imperij adminiſtrandum haberet, & infinita negotia; nullis tamen vacare poterat, nec legatos audire, nec hoſtium conatus animaduertere, nec res ad bellum neceſſarias præparare, nec ſuis periculis proſpicere, nec amicorum; & ſociorum amicitiam fouere.* Marcus Antonius, antequam Cleopatræ amoribus irretiretur, adauxit famam, nobiliſſimæ fuit æmulationis exemplar, opera perpetrauit omnibus miranda, & nullis ſæculis abolenda; at Cleopatræ blanditiis ſic effœminatus eſt, vt nihil animo dies noctesque præter voluptatem cogitaret: ſic eius mentem inſania poſſederat, vt à ſe prorſus alienus & mollitiei exemplum, & hoſtium fuerit ludibrium.

206. In Dauide, Abſaloneque hanc veritatem miris video coloribus adumbratam: mappalibus degenti pro ludo fuit cum audacibus leonibus decertare, carniuoros vrſos diſcerpere: in acie ferè inermis cum gigante congreſſus admiranda dexteritate vicit; at poſt Berhſabee amores Abſalonem fugit, & ſtrenuis cinctus militibus anhelis terga vertere feſtinat greſſibus: *Ait Dauid ſeruis ſuis, qui erant cum eo in Ieruſalem: Surgite, fugiamus*: (2. Reg. 15. v. 14.) cinctum egregiis militibus fugiſſe audi: *Vniuerſi ſerui eius ambulabant iuxta eum, & legiones Cerethi, & Phelethi, & omnes Gethæi pugnatores validiſſimi ſexcenti viri, qui ſecuti eum fuerant de Geth pedites, præcedebant regem.* Quàm Dauid ſibi diſſimilis! Armatus fugit, qui inermis in arenam contra monſtra proſiliebat: libido reddiderat & anxium & trepidum, nec aliter Abſaloni accidit: in patrem coniurat impius, aciem inſtruit intrepidus; ſed diſponens bella luxuriæ gerit negotia, & iam ſic libidinibus emolleſcit, vt ſe ſubduxerit prælio, & terga verterit inimico: *Ingreſſus eſt ad concubinas patris ſui coram vniuerſo Iſraël.* Qui amiſerat pietatem, & vale dixit pudori: ſcenam deſiderauit libido, vtque malint parere conſimili quàm Dauidi, ſe inuerecundum ac impudicum oſtendit: ergo bellum ingreſſus, & Dauidis militibus occurrens celerem arripuit fugam, quia iam conſequi nequibat victoriam: *Cum ingreſſus fuiſſet mulus ſubter condenſam quercum, & magnam, adhæſit caput eius quercui.* (2. Reg. 18. v. 9.) Dauid caſtus interfecit leonem, deiecit gigantem, libidine euigoratus puerum aufugit. Abſalon belli inexpertus, ſed nondum libidinibus defœdatus in fugam vertit belliſoſum; at poſt intemperantiam & pater fugit, & filius periit: nec enim à delicioſis quid magnum poterat ſperari, aut fortitudine dignum quid perfici. Adeſt Chryſoſtomus (Chryſoſt.) lib. 3. de prouid. Dei. *Cùm annis plurimis regnaſſet, hoſteſque ferè omnes ſuperaſſet, migrare ac profugus fieri cogitur.* Cogitur terga vertere, aſſuetus phalangas hoſtium copioſiſſimas detriumphare. Hæc libidinis merces, hoc ſalarium voluptatis, hoc dignum luxuriæ præmium. Iam de Abſalone audi Rabbanum, & Angelomum apud gloſſam: *Abſalon mulo fugiens in quercu per cæſariem capitis ſuſpenſus eſt.* Fugit trepidus, qui bellum intrauerat impius, & Achitophel cùm ad concubinas patris ingredi admonuit, conſilium prodidit prorſus infatuatum, votiſque aduerſum: *Ait Achitophel ad Abſalon: Ingredere ad concubinas patris tui, quas dimiſit ad cuſtodiendam domum, vt cùm audierit omnis Iſraël quod fœdaueris patrem tuum, roborentur tecum manus eorum.* Robur deſiderabat colligere; ſed mollebatur præter opinionem perdere: nec enim poſt fœdæ, ac exoculatæ libidinis exceſſum quibat fortitudinis, aut ſtrenuitatis nobilitari gloria; ſed miſera periit ruinâ: *Achitophel*, inquit Rabbanus, & Angelomus (Rabban. Angelom.) apud gloſſam, *interpretatur ruina fratris. Iudas de ruina Chriſti agens conſilium dedit Iudæis aduerſus Chriſtum, vterque ſuſpendio interiit.* Vt conſilium Iudæ hoſtes in Chriſtum armauit, ſic Achitophelis hoſtes in Abſalonem muniuit: diſſimilia videbantur conſilia; erant tamen, ſi fas eſt dicere, paria: nec minus Achitophel, etſi præter opinionem, quàm Iudas ſolicitauerit cladem, dum fœdam perſuadebat libidinem. Valerius Maximus (Valer.) lib. 9. cap. 1. ſic de Annibale: *Campana luxuria perquam vtilis ciuitati noſtræ fuit: inuictum enim armis Annibalem illecebris ſuis complexa vincendum Romano militi tribuit: illa vigilantiſſimum Ducem, illa exercitum acerrimum dapibus largis, abundanti vino, vnguentorum fragrantia, Veneris vſu laſciuiore ad ſomnum & delicias euocauit, ac tum demum fracta & contuſa Punica feritas eſt, cùm Seplaſia ei, & Albana caſtra eſſe cœperunt.* Addit noſtræ theſi ſatis opportunus Valerius: *Quid ergo his vitiis fœdius, quid etiam damnoſius, quibus virtus atteritur, victoria langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur, à Deo vt neſcias ab hoſtibuſne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit.* Quod neſciebat Valerius, Samſon ſuo exemplo edocuit, quandoquidem pernicioſius illi fuit à muliere capi, quàm ab hoſte copioſo cingi: integris viribus ad mulierem ingreſſus prorſus exiuit euigoratus: inter hoſtes ab huiuſcemodi blanditiis remotus, etſi duris laboribus

pene

Digitized by Google

penè attritus, ſe ſibi reſtituit, & de hoſtibus triumphum egit.

§. L.

Vires diuiſæ facilè aduerſariis cedunt, & dolos ſubeunt.

207. VNio legitimis vinculis roborata periculis inuenitur aduerſa: diuiſio calamitatis eſt mater, & dum ſocius à ſocio ſeparatur, præda hoſtili furori obiicitur. Vnitus populi clamor Iericuntinos muros euertit, & dum muri collabuntur, inſuperabiles vnionis vires ipſis lapſibus conteſtantur: Iosuë 6. v. 20. *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſque increpuit, muri illicò corruerunt.* Illud expende: *Vox ſonituſque.* Dum vna omnium vox, nec murus poteſt perſiſtere, nec ciuitas quit defendi. Galfrid. Notauit Galfridus in alleg. Tilman. *Vt dicit gloſſa cùm populus deuotè, & vnanimiter prædicationi reſpondet, corruit munitio peccati.* Vnio triumphorum mater, victoriarum nutrix ſaxeos etiam muros ſubruit, & triumphos de hoſtibus agit. Econtra immetatæ vires, ſi diuiſæ, dolis ac periculis inueniuntur expoſitæ. Teſtis eſt Samſon, qui cùm in capillis eximiam fortitudinem veluti illigatam haberet, dum in cincinnos diuiſit, corruit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius.* Dum ſeptem referuntur crines, innuitur in ſeptem cincinnos fuiſſe omne capillamentum diuiſum, intextumque: nec enim adeò facile fuiſſet nouaculam non interpellato ſomno abſcidiſſe: ergo in ſeptem partes diuiſi ſubiere dolos capilli, & triumpharunt aduerſarij. Innuit Caietan. Caietanus. *Aiunt capillos Samſonis diuiſos fuiſſe in ſeptem partes, quaſi ſeptem cincinnos, & propterea ſcriptum eſſe ſeptem crines.* Satis fuit vel muliebris manus, vel tonſoris dextra, ad inauditam ſæculis fortitudinem ſubigendam, dum capilli in varios cincinnos diuiduntur, & diuiſione, ſedicere liceat, eneruantur: fors ſi omnes capilli vniti, adeo facile non eſſet radere, quin diſcederet ſomnus, & Samſon ſibi conſuleret expergectus; at dum cincinnatus, quia diuiſus, tonſoris nouaculæ facilè capillus ceſſit, & muliebres dolos ſubiuit.

208. Exod. 1. v. 22. Pharao fraudulentus, & nequiſſimus inhumanitatis inſtrumentum mare reddiderat, *Quicquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite.* Natura cum nulla humanitate condemnabatur, & quod Dei manus efformauerant, torrentes delebant: fluuius partum inſidiis excipiebat, & matris aluo fotus peribat fluminis alueo ſuffocatus. In rei ſanè commiſeratione digniſſimæ remedium Moyſes aduentat, & comprehenſa virgâ omnipotentiæ æmula pro Iſraëlitis depugnat: flumen virgâ percuſſum purpuraſcebat, vndantia ranarum agmina raucis, ac ingratis clamoribus vbique aures diuerberabant, tota vapulabat Ægyptus; verùm etſi tenebræ lumen euincerent, etſi grando cum igne conferta rueret, nec peruicacia flectebatur, nec populus extrahebatur. Denique in medio noctis ſilentio Dei Angelus Ægyptiorum primogenitos vltore gladio percuſſit, & horrida mors licentiam abeundi ab inuito licet, extraxit. Citò pœnitentiæ pœnitentiam egit Pharao, & iam mucronibus adurgebat fugientes, cùm iubet Deus mare diuidi, & populum expeditis veſtigiis gradi, *Eleua virgam tuam, & extende manum tuam ſuper mare, & diuide illud, vt gradiantur filij Iſraël in medio mari per ſiccum.* Exod. 14. v. 16. Vbi mare diuiſum eſt, iam populus graditur, qui mari non diuiſo adhuc poſt miracula tenebatur: armarat in refractarios Ægyptios virga locuſtarum imbres, ardentes æther contorſerat flammas, grandinem ingentis magnitudinis aër fuerat eiaculatus, & tamen ingemiſcebat populus adhuc captiuus. Primogenitorum mors dirupit vincula; ſed nondum triſtia diſceſſerunt lamenta; aſt vbi aqua, quæ Hebræorum excidium fuerat vnita, diuiſa eſt, iam hoſtis periit, & Iſraëlita triumphauit. Notauit acutè Seleucienſis Baſilius orat. 9. *Nec iſtius vindictæ curſus antè potuit abrumpi, quàm virgâ percuſſum mare his iter, illis ſepulchrum fuerit.* Baſil. Vbi Ægyptus vidit, quibus Iſraëlitas oppugnabat, vndas diuiſas, certas lugere potuit imminere ſibi miſerias: diuiſione periit, qui miraculis reſtiterat, & quouſque diuiſa aqua, nec retro inuiſa miraculorum vi reportabatur victoria, vt notum fuerit, quantæ ſint vires vnioni, & quàm diuiſæ vires ſubiaceant calamitati. A miraculis ad aquarum diuiſionem confugit, quaſi minus non fuerit ad triumphum conſequendum mare diuiſum, quàm miraculum perpetratum. Adde etſi inuictis veritas viribus conſtet, veteri cum malitiæ vnione confligere, quaſi malitia valeat de iniqua vnione, quod veritas de inſuperabili fortitudine.

209. In Suſannam armantur duo populi iudices iudiciaria poteſtate muniti, libidine aduſti, & ab honeſta deſpecti. Iam Suſanna iniquo iudicio damnata ferebatur lapidibus obruenda, cùm Deus innocentiæ vindex Danielem omnibus venerabilem producit in campum: popularis ſiſtitur impetus, reuocatur ad ſanius iudicium populus; verum Daniel leonum domitor, vt de iniquitate triumphet, ſenes iubet ab inuicem ſeparari: *Separate illos ab inuicem procul, & diiudicabo eos.* Dan. 13. v. 51. *Cùm ergo diuiſi eſſent alter ab altero, vocauit vnum de eis*, &c. Veritus eſt Daniel quodammodo diaboli commenta, ſi fuerint vnione iniquiſſima roborata: ergo diuiſit impios, vt triumpharet diuiſis veritas, nec variis eam circumuenirent artibus ſenes vniti, & doloſis fraudibus adunati: *Separate*, inquit Lyra, *ne confingant aliud mendacium ſimile præcedenti.* Lyra. Ni diuiderentur, contra veritatem militaſſent vniti, & iniqua vnio iudicium aut confunderet, aut differret. Quod ſi peruerſæ vnionis tantæ ſunt vires, expendæ quantæ erunt vires honeſtæ concordiæ, & concordia vnitæ militiæ.

210. Deus Abrahamo futurorum præmonſtrat ænigma, vtque nouerit varios ſuæ poſteritatis caſus, parari ſibi iubet ſacrificium: *Sume*, inquit, *mihi vaccam trienem, & capram trimam, & arietem annorum trium: turturem quoque & columbam;* Geneſ. 15. v. 9. *qui tollens vniuerſa hæc diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contra ſe altrinſecus poſuit; aues autem non diuiſit.* In animalibus varias adumbrati generationes tradit Theodoretus, nempe in capra, ariete, vaccaque, Ægyptiis vinculis illigandas, & variis calamitatibus affligendas; in turture verò libertatem, in columba poſſeſſionem: *Ex quadrupedibus mundis tria*, inquit Theodoretus qu. 65. Theodoret. *& vnumquodque eorum ſacrificare præcepit ad ſignificandas tres generationes, quæ in incolatu permanſura erant. Turtur autem generationem illam denotabat,*

denotabat, quæ ex Ægypto egreſſa velut auolauit, & habitauit in deſerto: huiuſmodi enim auis eſt amans deſerti: columba autem generationem aliam innuebat, quæ terram promiſſam accepit. Profectò aptius videbatur ad captiuitatem deſignandam ſymbolum turtur imbecillis, ſimplex columba, vt ad triumphos etiam ſignandos robuſta vacca, capra agilis, & aries fortis; & tamen de Theodoreti ſententia capra, aries, & vacca ſub iugo depreſſos deſignabant, columba & turtur triumphatores prædicebant. Ecqua huius cauſa eſt? innuit ſanè textus: *Aues*, inquit, *non diuiſit.* Vbi diuiſio, ibi & iugum: vbi non diuiſio, trophæum: fortiora erant auibus animalia; verùm dum altrinſecus ſibi oppoſita, dum diuiſa, hoſtilis fuerunt furoris præda. Audi Hugonem apud Tilmanum in allegor. *Aduerſus ſe inuicem animalia diuiduntur, dum per diuerſa deſideria carnales diſtrahuntur. Porrò aues indiuiſæ remanent: quia ſpirituales ſemper vnitatis vinculum tenent: ſuper corpora verò diuiſa volucres deſcendunt.* Volucres vel de fortiſſimis animalibus triumphant, ſi inimica diuiſione ſibi ipſis oppoſita inueniant; aſt quæ diuiſionem non ſuſtinent, aduerſariorum adſultibus non impetuntur, nec duris compedibus illigantur. Ergo taurus quantumuis fortis, & obeſus, erit hoſtium præda, ſi diuiſus, cùm auicula hoſtium eludat adſultum, ſi diuiſionis ignorarit diſpendium.

Hugo Card.

---

§. LI.

Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies.

211. Seneca. MAlè collocatur in creaturis fiducia, quas impenſiùs colueris, reperies fraudulentiores: *Multa extra ſunt*, aiebat Seneca epiſt. 82. *quæ circumeunt nos, quò aut fallant, aut vrgeant.* Creaturæ ſpecie defendentium nos hoſtibus produnt, & à quibus expromptius ſperabamus auxilium, præpilatum patimur telum. Qui externis non fidit, inſuperabili loco, & extra omnem fortunæ varietatem poſito conſiſtet; ſua ſe arte communit, & omne telum infra illum cadit, qui prudenti diffidentia creaturis accedit. Vt in hoſtili regione palpitantibus præcordiis nobis viuendum eſt, huc illucque circumagenda ſæpiſſimè ceruix: nam quæ videbantur defendere, aut euertunt, aut fallunt. Contrarium nobis hic accidit, ac cum aſpectui à longè ſe editiſſimi obiiciunt montes: nam à longè intuentibus apparent exigui proximioribus immenſi; at ſi à longè aſpicias, homines fideles magnoſque putabis; ſi acceſſeris cupidos, ac infideles inuenies: Dices: ergo nulli fidendum eſt: ita ſanè, ſi fieri poſſet; verùm quia inter homines viuere opus eſt, is teneatur modus, vt deſperando fidas, & diffidendo ſperes. Audi Senecam epiſt. 104. *Si ſapis, alterum alteri miſceas, nec ſperaueris ſine deſperatione, nec deſperaueris ſine ſpe*: creaturis fide; ſed non ſine diffidentia: diffide; ſed aliquali fiducia: ſuade tibi quibus plus credideris, arma in te conflare, & hoſtibus tuis opem præbere. Ecquis hoc doceat? Certè Samſon, dum diffidens vincit, & fidens corruit: eum ſui circumdant, vt nexibus incluſum hoſtibus tradant; ille verò dum ſuis diffidit cautus, triumphum reportat vel compeditus:

Seneca.

Creaturis fidendum; ſed diffidentia, diffidendum, ſed fiducia.

Iurate, ait, & ſpondete mihi, quòd non occidatis me; aſt cùm nullum à Dalila veretur dolum, dum arcanum pandit ſecretum, inſperatum patitur iugum; nam dum iocantis ſpecie ligat, & fraudem parat: *Dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere.* Dilecta tonſorem vocat, inſidias cubiculo occultat, ab eaque Samſon traditur, à qua nullum ſibi periculum imminere videtur: *Vocati*, inquit Caietanus, *à muliere Paleſthini in aula latentes comprehenderunt eum.* Adſtipulatur Hugo Cardinalis: *Samſon credens Dalilæ decipitur.* Si mulieri vt cognatis diffideret cautus, non ingemuiſſet cæcus; aſt dum indubiè putat fidelem, experitur proditricem, ſuoque nos edocet detrimento, à quibus plus fidimus, grauius damnum emergere, & periculum concinnari.

Iudic. 15. v. 12.

Caietan.

Hugo.

Mulier in Adami adiutorium effecta, dum eius oculis præſentatur, pro oſſe firmiſſimo habetur: *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Cum vitæ fulcimentum, ſalutis auxilium, cùm felicitatis reputat incrementum, cum ſerpente fœderata Adamo obtendit inſidias, lethali pomo blandita introducit miſerias: *Tulit de fructu illius, & comedit, deditque viro ſuo qui comedit.* Eua ſerpentinas fraudes verita tantiſper manum extendere differt; at Adamus pomum incunctanter ab Eua recipit: Eua Adamo pro ſerpente fuit, & veternoſus ſerpens, dum vidit pro ſolido firmiſſimoque oſſe haberi, aggreſſus eſt hominem per illam ſubruere. *Hoc*, inquit, *nunc os*, imò nunc ruina. Fortaſſis, ni Adamus pro ſolido habuiſſet oſſe, ſerpentina non ingemiſceret fraude; at dum putat ſecurum auxilium, experitur diabolicum telum: *Quid agis mulier*, aiebat Baſilius oratione 3. *iuſſa es virum fouere, & ad inſidias perueniſti? Formata es in vitæ ſocietatem, & mortis conciliatrix inuenta es? Vt membrum ſumpta es, & vt ſagitta miſſa es.* Ex omnibus creaturis Eua, cui Adamus maiorem dilectionem impenderat, cui affectum teneriorem dicarat, venenum propinauit, & inſidias amanti obtendit, vt iam ab exordio nobis fuerit compertum, fallaciores fore creaturas, quibus imprudentius credimus, & incautiùs fidimus. 212.

Geneſ. 2. v. 23.

Geneſ. 3. v. 6.

Seleucienſis.

Pharao inuidentia, & timore ſimul perculſus in Dei populum fraudes armat, obſtetricibus iubet, vt auxiliandi ſpecie mortem conciliarint, & ab eis mercedem depoſcant, quibus dolores ingeminant. Proh curiæ artes! proh doloſitatis machinationes! tenuerunt illæ immane exercere obſequium, quin auctoritate perſuaſæ, aut muneribus ſint corruptæ. Quid tunc? Rex natantam velut obſidione concludit fluuium non dubitans natorum fore carnificem: *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in flumen proiicite, quicquid fœminini, reſeruate.* Fluuio fidit Pharao; verùm raucarum agmina ranarum obmurmurans priùs in Pharaonem militat pro aduerſario fluuius, quàm arma præſenſauerit aduerſarius: *Extendit Aaron manum ſuper aquas Ægypti, & aſcenderunt ranæ, operueruntque terram Ægypti.* Cui fidebat fluuius moleſtiſſimis exundat ranis, vtque calamitati occurrat, ad incantatores ſe recepit; ſed grauiori detrimento: *Fecerunt autem & malefici per incantationes ſuas ſimiliter, eduxeruntque ranas ſuper terram Ægypti.* Ecce non ſolum fluuius in Pharaonem productis ranarum agminibus pugnat; ſed quibus fidebat, Magi etiam aduerſariorum cauſam ſuſcipiunt, & adauctis calamitatibus 213.

Exod. 1. v. 22.

Exod. 8. v. 6.

Theodoret. mitatibus premunt: *Per eos Deus*, inquit Theodoretus quæſt. 8. *illum affligebat.* Ex contrariis vnus eſt Aaron, qui ranas eduxerit, ex incantatoribus plures: inquit enim textus: *Fecerunt autem & malefici.* Grauius damnum à ſuis accepit: ſpecie defendentium premebant, & damnum incrementabant; vt teſtatum ſit ab iis, quibus plus fidimus, maiorem ſuſtinere calamitatem, & quas exiſtimabamus deluſi amicas, experiri creaturas contrarias.

214. Ioſuë Iericho oppugnat; verùm Ierichuntini ſe in prælium parant aggerum & murorum inexpugnabili quodammodò munitione confeſſi: *Iericho clauſa erat, atque munita.* Muri magnitudine ſuperbi, arte muniti ſecuritatem promittebant; verùm incautos prodiderunt vndarum ingenium mutuati, & fabricatorum obliti: *Muri illico corruerunt.* Ierichuntinorum fiducia, murus videlicet, prodidit confidentes: fors ni muris fiderent, Niniuitarum ad inſtar ad pœnitentiam inuolarent, & pœnitudine hoſtiles adſultus eluderent; aſt dum incautè ſecuri, irremediabiliter perierunt proditi. Notauit Baſilius Seleucienſis oratione 31. *Obſeſſa Iericho murorum orbem exuebat, habitatores ſuos ipſa fugeret, & ad Iſraëlitas transfugeret.* Muniebant Ierichuntini non ſine ingenti labore muros; impenſis non modicis illorum altitudinem adaugebant: quia eorum auxilio hoſtium arma deludenda putabant; at muri ciuium anguſtia fabricati, anxio ſudore conſtructi, dum vrgentior premeret obſidio, hoſtium peregerunt cauſam, & ſuorum deſeruerunt tutelam: *Habitatores ſuos ipſa fugeret, & ad Iſraëlitas transfugeret.* O nos miſeros, quos longa adeò experientia non erudit, quos agnita fallacia imparatos inuenit, quos cara fiducia fallit.

Ioſuë 1. v. 1.

Baſil.

215. *Auerterunt ſe, & non ſeruauerunt pactum*, aiebat Pſaltes, *quemadmodùm patres eorum, conuerſi ſunt in arcum prauum.* Non erit abs re hunc verſum exploratoribus à Moyſe delegatis adaptare. Ne dux ille ſtrenuus quid omitteret, exploratores non ſine delectu mitti imperat oraculum: *Mitte viros, qui conſiderent terram Chanaan, quam daturus ſum filiis Iſraël, ſingulos de ſingulis tribubus ex principibus.* Non ex plebeis; ſed ex Principibus miſſi praui ad inſtar arcus ſuos fefellerunt, & veritatem adulterarunt: *Detraxerunt terræ, quam inſpexerant*: pro hoſtibus ſteterunt, & fraudes aduerſum populum concinnarunt: *Arcus prauus eſt*, aiebat Incognitus, *qui non eminus iaculatur; ſed in ſe ſpicula conuertit.* Illi de quorum fide Moyſes non dubitabat, quos electione promouerat, & pro populo explorationem ſubire iuſſerat, fallaciores præter opinionem expertus eſt: populum terroribus exanimarunt, & à prælio falſis rumoribus auerterunt. En quibus publica fides commiſſa, fraus ſibi vendicauit, & à quibus Moyſes aliena prorsùs exiſtimabat mendacia, expertus eſt nocentiſſima promanaſſe commenta. O nimis verum! Veritatis patroni veritatem produnt, pupillorum tutelares aduerſantur pupillis, & ſub diuerſa ſpecie contraria latent ſemina, & inopinata pericula.

Pſal. 77. v. 57.

Num. 13. v. 3.

Incognit.

§. LII.

Si Principi, miniſtrove adhærentes citò ac præter opinionem diteſcant, eius obſcurabunt famam, & imminuent etiam fortunam.

PRobatæ conſcientiæ eſſe debent, qui Principum aut miniſtrorum lateri adhærent, aliter namque illorum beneficia corrumpent, venditabunt gratiam, & conciliabunt inuidiam. Et quidem dum copioſis reditibus aſſeclæ huiuſmodi augentur, ſubiecti depauperantur: his vmbris fama Principis obſcuratur; imò & cenſus etiam minuitur. Opportunè Caſſiodor. 12. var. 11. *Probata debet eſſe conſcientia, qui principalia beneficia præponitur erogare, ne aliqua cupiditatis ſorde deficcetur, quod à tanta liberalitate profunditur.* Adnectit: *Aurum ipſum cùm ſoluitur in liquorem, niſi mundiſſimo caliculo ſuſcipiatur, inficitur quando puritatem ſui illa ſola cuſtodiunt, quæ nulla ſordium admixtione fuſcantur.* Bibulus aut ſordidus caliculus liquatum aurum inficit, aut imminuit, & quantum caliculi poris inſeritur, dominis tantùm fraudatur. Mutant circumſtantes miniſtrorum fortunam, infuſcant Principum famam, dúmque copioſis inopinè diteſcunt cenſibus, ſtuduiſſe noſcuntur fraudibus. En Dalila vile ſcortum Samſoni Iſraëlitici populi Iudici adhærens inopinis auri diteſcit augmentis; ſed quia grandi Iudicis detrimento gratiam vendidit aduerſariis: *Venerunt ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere: quod ſi feceris, dabimus tibi ſinguli mille & centum argenteos.* Samſonis hoſtes notitiam à doloſa mercantur fœmina, & Samſon ſordet decapillatus, dum Dalilæ inopinis reditibus creſcit cenſus: *Aſcenderunt aſſumpta pecunia, quam promiſerant; at illa dormire eum fecit ſuper genua ſua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius.* Cùm illa plus auri, Samſon habet minus capillamenti, commiſſam ſibi vendidit Dalila veritatem, fraudem diſpoſuit, & copioſum aurum accepit, quo Samſon leonis domitor ab hoſtibus ſubiugatur, & trahendæ molæ addicitur: non potuit illa creſcere inſperatis, inopiniſque augmentis, quin iſte prolixis diſpoliaretur capillis, & duris obiiceretur probris. Miro profectò penicillo delineauit hiſtoria, quod non rarò comprobat experientia: ſerui Principum exiguo tempore ſolent diteſcere, miniſtris Iudicibúſque adſtantes copioſum ſolitant aurum acquirere, quod rarò accidit ſine Principis detrimento, ſine Iudicum, Miniſtrorúmve famæ nubilo. Dalila heri quæſtuaria, hodie copioſo auro delitеſcit; ſed quia Samſon heri decenter crinitus, indecenter ſordeſcit hodie decapillatus: non potuit tanta auri ſumma acquiri; quin veritas fuerit venalis, quin fuerit Dalila Samſoni infidelis. 216.

Caſſi

217. Giezi ex ſeruo repentè Dominus auri copia diteſcit, quo oliueta, vineas, oues, & boues acquirat, & familia exculta reſplendeat, quòd ſi ſcire myſterium diſcupis, audi: Eliſæus Naaman ſalutem impertiuit, ab eóque, etſi importunis precibus exoratus nihil accepit, ne virtutis immi-

nuerit

Digitized by Google

nuerit gloriam, aut infuſcauerit famam: *Obſecro*, aiebat Naaman, *vt accipias benedictionem à ſeruo tuo*, at ille reſpondit: *Viuit Dominus, ante quem ſto, quia non accipiam: cúmque vim faceret, penitus non acquieuit.* Itaque Eliſæus abſtinuit à muneribus, ne gratiam videretur vendere, non donare. Ergo Giezi opportunam occaſionem nactus poſt Naaman cucurrit, & Eliſæi nomine veſtes, & talentum popoſcit: *Dominus meus miſit me ad te dicens: Modò venerunt ad me duo adoleſcentes de monte Ephraim ex filiis prophetarum: da eis talentum argenti, & veſtes mutatorias duplices.* Eliſæi nomine petens accipit, & dum accepit, Domini quodammodo gloriam imminuit. Iam Naaman exiſtimabit beneficium pretio ſolutum, iam cenſebit prophetam excuſaſſe ruborem, & diſcupiſſe mercedem: ergo quantum miniſtri cenſus augetur, prophetæ gloria tantùm minuitur, nec enim ſine Domini honoris diſpendio, adeò citò diteſceret ſeruus auro. Ad rem Abulenſis quæſt. 17. *Abſtinuit Eliſæus à muneribus Naaman: quia erat gentilis, non quidem tanquam illicitum eſſet recipere munera gentilium; ſed quia gentiles non cognoſcebant conuerſationem prophetarum, & ſi ſuſciperet munera oblata, potiſſimè cùm eſſent magna, putaret quòd recipiebat illa, quaſi pro mercede operis ſui: ideò noluit aliquid recipere, vt ille cognoſceret modeſtiam prohetarum.* Itaque repudiauit munera, vt ſtuderet modeſtiæ, vtque prophetarum conſuleret famæ, aſt dum miniſter eius petit nomine, iam Naaman exiſtimare quibit prophetas accipere, & muneribus inhiare. Ergo decreuit Domini fama, cùm acquiſita fraudibus augetur Giezi pecunia. Et fortè ob id Eliſæus à ſe repulit, & Naaman infeſtum lepra puniuit: *Egreſſus eſt ab eo leproſus quaſi nix*: notum omnibus eſſe voluit ſupplicium, vt cupiditatis à ſe propulſauerit probrum.

4. Reg. 5. v. 16.

Abulenſ.

218. Amanus, qui peregrinus palatium intrauerat, benignè adeò ab Aſſuero receptus eſt, vt inuidentiæ terminos fuerit transgreſſus, & aſpirante fortuna nimiùm elatus. Quantis auctus fuerit diuitiis, ipſe imprudenter explicuit, dum decem millia talentorum arcariis regiis appenſurum ſe quàm citiſſimè ſpopondit: *Decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Quot ei talenta, ſi ſtatim appendere poterat decem millia? Iam iniquis ea artibus acquiſiſſe, ab ipſo Artaxerxe audi, qui Amanum ſibi antea charum cruce ſuſpendi decernens, decretum non ab animi leuitate; ſed ab æquitatis lege profectum teſtatus ſic ſcribit: *Nec putare debetis, ſi diuerſa iubeamus, ex animi noſtri venire leuitate; ſed pro qualitate, & neceſſitate temporum, vt Reipublicæ poſcit vtilitas, ferre ſententiam. Peregrinus à nobis ſuſceptus eſt, & tantam in ſe expertus humanitatem, vt pater noſter vocaretur, & adoraretur ab omnibus poſt regem ſecundus, qui in tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt regno priuare nos niteretur & ſpiritu.* Reipublicæ ac regis non exiguo detrimento peregrinus adeò factus eſt diues, vt decem millia talenta arcariis poſſet appendere, & à tot occidendis exhibenda tributa recompenſare: nec enim tantam talentorum ſummam potuiſſet acquirere, ni in regem & Rempublicam contigerit machinari: vẽdebat fors munia, ſub haſta licitabatur officia, & erat regiæ magnificentiæ detrimentum, quod pendebatur Amano aurũ: vtile erat Reipublicæ licitatorẽ extingui perutile regi eius pietatis, & honoris commaculatorem de medio tolli. Iam Amanum in regnum, regémque moliri inſidias, & cum hoſtibus de rege prodendo egiſſe; ipſe teſtatur Aſſuerus: *In tantum arrogantiæ tumorem ſublatus eſt, vt regno priuare nos niteretur.* His iniquis commerciis ſummam collegerat, nec facile fuiſſet aliter ingentem adeò pecuniarum vim acquiſiſſe. Opportunè Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Aliqui libri habent cuniculis, qui ſunt meatus ſubterranei, id eſt, occultationibus mendaciorum, gente Macedo, id eſt, proditor.* Poſſe regium miniſtrum, qui nuper peregrinus, ingentem adeò aureorum dilargiri ſummam, non obſcurè publicabat regi infidelem, Reipublicæ non iam tineam ſenſim demolientem; ſed leonem vnguibus auidiſſimis dilaniantem: vnde quiret peregrinus ad eam opulentiam deueniſſe, ni officia venderet, & regis conſilia aduerſariis proderet, ni leges, & æquitatem prorſus corrumperet. Reipublicæ adminiſtri non bonam contra ſe opinionem generant, dum heri pauperes, hodie reſplendent prædiuites, dum ex caſula tranſierunt in à ſe fabrefacta inſanis ſumptibus ædificia. Profectò in Samſon decapillaretur, Dalila ei adhærẽs tot non diteſceret pecuniis, nec fulgeret aureis. Sãſonis diminutione creuit cenſus, & eſt adaggeratus theſaurus. Hugo Card.

Eſther 3. v. 9.

Eſther 16. v. 9.

§. LIII.

Vna mulier, ſi fraudulenta, pro multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas.

MVlier, niſi virtute informetur, homini graſſantiſſima peſtis eſt, adulatione nocet, blanditiis interficit, & dum te exiſtimas tenero affectu adamatum, hoſtibus fraudulenter reperies proditum. Euripides in Hecuba deplorabat venenatis viperarum morſibus, voracibus ignium flammis remedia à Diis inuenta & adhibita, mulieris tamen malæ graſſantiſſimæ peſti non adhibita: quia nunquam vel à diis pharmaca inuenta: *Miſerum eſt reptilium ferarum remedia hominibus deorum quempiam conſtituiſſe. Quod verò grauius eſt malum, quàm vipera & ignis, mulieris nullus dum inuenit pharmaca mala.* Profectò quod hyperbolicè dictum videbatur, verum lamentabili Samſonis proditione, ac indubium oſtenditur: illi ſæuus rugienſque leo vianti occurrit; ſed diſcerptus quaſi hœdus extitit eius fortitudinis argumentum, ac indubium teſtimonium: Philiſthini vincto arctiſſiméque ligato occurrunt; & cum putares hoſtibus cinctum & illigatum mortem, aut captiuitatem nullatenus euaſurum decãtandis videbis triumphis coronatum. Cæcus, ſed à muliere remotus inſanæ magnitudinis columnas elocat, & ruina hoſtibus ſepultis detriumphat; at dum muliebri fraude circumuentus, dum fraudulenta adulatione ſoporatus oculos amittit, & fit hoſtium præda, qui accepta toties de hoſtibus reſplenduerat victoria: *Raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum, & à ſe repellere: ſtatim enim ab eo fortitudo diſceſſit.* Ecce Samſon fortitudinis miraculũ, roboris prodigium per mulierem iam marcet, viribus deſtitutus, & molem brutorum ad inſtar trahit ab hoſtibus ſubiugatus: vna mulier nocentior præ feris, peſtilentior præ aduerſariis, quandoquidem à leone extraxit fauum, ab hoſtibus reportauit triumphum, & per vnicam mulierem 219.

Euripid.

Num fœminæ malæ pharmacum.

Digitized by Google

miſerum catenarum ſuſtinuit nexum. *Paleſthini*, Ambroſ. inquit Ambroſius ſæpè datus *per mulierem comperta infirmitate viri ſceleris mercedem afferunt, vt pretio obnoxia dolum patraret.* Addit poſt aliqua: *Premitur, & cedit illecebris flagitiorum.* Illecebris premitur, qui non premebatur phalangibus, vt noſtræ concluſionis veritas innoteſcat, dum vna Dalila Samſoni feris peſtilentior, & manibus aduerſariorum audacior.

220. Componamus, ſi placet, cum Adamo Ionam: hic dum ineptum conſilio capit, valentiorem ſuis conſiliis machinam inuenit: nauim Tharſis petituram inſcenderat: ibi dum ventus acriùs aſpirat, dum confuſa aquarum volumina furunt ventorum impulſibus fatigata, dum nauis viam non inuenit; ſed vndique retuſa pilæ ad inſtar iactatur, miſerum naufragium patitur, & ſordidis feræ viſceribus inhabitare compellitur, inde tamen prodiit ſordibus; ſed nudus: Ionæ 2. v.11. *Dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.* Vides poſt natalile ſepulchrum, poſt ventorum impetum, poſt naufragium reſurrectionis exprimere ſymbolum. Tranſi ad Adamum, qui Euæ illecebris irretitus mulctatus expellitur Geneſ. 3. v.23. paradiſo, & exilio premitur duro: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Quod expenTertull. dens Tertullianus lib. de pallio cap. 3. aiebat: *Cùm de originis loco exterminat, quippe deliquerat, pellitus orbi vt metallo datur.* Iam nudus, iam tribulis cruentatus, iam per mulierem indefeſſis laboribus tritus: peior fuit Adamo Eua, quàm Ionæ naufragium, ac monſtrum illud marinum, coniurati irruerunt in nauim venti, cæruleæ vndarum deſæuierunt ſpumæ: hiabat, vt ſepeliret, vorago: Ionas tamen ſorduit euomitus, ſed non duris ſentibus laceratus: Adamus verò per vnicam mulierem inhonoratus, & abiectus, & laboribus anxiis ſemper ingemuit addictus.

221. Succedat Ionæ & Adamo Petrus: in horto magiſtri lateri adhærens, dum hoſtium examina irruunt, exerto gladio ac dextera intrepidam ſerui Matth. 26. v. 51. auriculam amputauit: *Exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Stupent ad Petri animos hoſtes, nec damnum inferunt percutienti: hic ipſe Petrus paulò pòſt in domo Caïphæ muliebri alloquio iam trepidat, iam abiurat, & iam copioſis ſingultibus genas fœdat: *Acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis.* Petra in medio mari ventorum agitata flatibus, etſi tantiſper nutat, non mergitur: confertis aduerſariorum cuneis non capitur, & per mulierem iam lachrymis addictus, & iam culpis defœdatus. Proh efficaciſſimam ad nocendum homini peſtem, proh non dubiam humanæ ſalutis S. Leò. ſtragem. Adeſt Leo Magnus ſerm. 9. de Paſſione: *Beatus Apoſtolus Petrus, cuius fides ea deuotione feruebat, vt & Domino compati paratus eſſet, & commori, ancilla Sacerdotis calumniante perterritus, ex infirmitate periculum negationis incurrit.* Ecce negationis dedecus ſubiit muliebri impetitus alloquio, qui pro Chriſto, & cum Chriſto commori paratus, & hoſtilibus aduerſariorum phalangibus audacter obiectus. Incidit Apoſtolus in mulierem Caïphæ ancillam, vitiorum ſeruam: & quidem vt olim fuit ianua, qua paradiſum diabolus hominum caput intrauerit petiturus, & ianua fuit, qua perfidorum in palatium admiſſus Petrum Eccleſiæ caput euerterit, & trina negatione obſcurauerit.

In Siſaram coniurata irruunt elementa, cœlum eiaculantur ardentiſſima fulmina: aër in modum ſagittarum grandinem ſtupendæ magnitudinis mittit; pugnante tamen cœlo, & adurgente inimico fugam iniuit, & impetum aduerſariorum fruſtrauit: *De cælo dimicatum eſt contra eos, ſtellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduerſus Siſaram pugnauerunt.* Coniurati venti, armati ſtellarum exercitus Siſaræ incuſſerunt terrorem; non tamen intulerunt necem: *Perterruit Dominus Siſaram, & omnes currus eius, vniuerſamque multitudinem in ore gladij ad conſpectum Barac, in tantum vt Siſara de curru deſiliens pedibus fugeret.* Iaëlis tabernaculum intrat anxius, & ſitibundus: illa lacte ſoporifero placat ſitim, & clauo perficit cædem: *Tulit Iaël vxor Haber clauum tabernaculi aſſumens pariter & malleum, & ingreſſa abſcondite & cum ſilentio poſuit ſupra tempus capitis eius clauum, percuſſumque malleo defixit in cerebrum vſque ad terram, qui ſoporem morti conſocians defecit, & mortuus eſt.* Dum Iaël grato vultu excipit, dum lac obſequioſa propinat, dum mellitis verbis timidum ſedat, & acerbam mortem parat; eadem manu, quâ lac propinauerat officioſa, mortem intulit Siſaræ aduerſa; vt noueris ſatius illi fuiſſe bellum cum cœlo gerere, quàm muliebribus delinimentis ſe tradere: arma inimicorum, ſtellarum fulgura, elementorum effugit turbinem; & perfoſſus mulieris manu inopinam, etſi meritam, pertulit cædem: plus illi cauendum erat ab vna fœmina, quàm ab hoſtium manu copioſa; verùm ſic cæcutiuit improuidus, vt ad mulierem accurreret, & hoſtilem manum timeret; cùm non adeò timenda fuerit inimicorum copia, quàm fœmina: Abſtuliſſent hoſtes vitam; ſed à vigilante; ſed à mortem præuidente; at fœmina non ſolùm abſtulit vitam; ſed infatuauit etiam prudentiam, vt nec mortem præuideret ſoporatus, nec euaderet perfoſſus: *Petenti aquam*, inquit Lyra, *dedit lac ad bibendum: quia potus lactis aggrauat corpus hominis, & inducit ſomnum, & ingreſſa abſcondite non à tabernaculo; ſed ab oſtio tabernaculi, vbi Siſara rogauerat eam ſtare, & ſilenter venit iuxta eum ad interficiendum.* Mortem fœmina accelerauit, improuidum deliciis induxit ſomnum, & dormienti defixit duriſſimum clauum. Vna manu propinauit dulcedinem, duabus operata eſt Siſaræ dormientis perniciem, & quamuis Iaël virtutis egerit cauſam; ſuo tamen nos edocuit facto citiùs ac certius hominem periclitari mulieris artificio, aut obſequio, quàm audaci, ac hoſtili gladio. Certè æther horribili fragore, aër violentò turbine, exercitus ardenti mucrone, dum gelidum incutiunt metum, fugâ euadere conſuluerunt periculum; at fœmina dum blanditiis demulcet, dum lac propinat, inducit ſoporem, & ſopore perficit cædem.

Margin notes (right column): 222. · Iudic. 5. v.20. · Iudic. 4. v.21. · Lyrâ.

§. LV.

Digitized by Google

§. LIV.

Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam; emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam.

223. QVi iter ingreſſus errauit, non pergit; ſed inutili labore ſe circumagit, & terit: pars felicitatis eſt cæcum errorem animaduertere, & gradum ad præcipitia tendentem in directum reuocare: agnatæ vitio ſunt denſæ tenebræ, quibus prudentiæ viſus caligat, & mens obcæcata exerrat: deluſoriis affectionum præſtigiis non videt peccator quæ ſunt, & videt quæ non ſunt. Vt gratulatio aliquando fit ægro, ſi ſentiat, ita gratulandum eſſet peccatori, ſi ſe peccatorem agnoſcat, ſtupida ecſtaſi à ratione alienatus pro bonis mala amplectitur, & ſuis ipſe calamitatibus adulatur: præſtigiatorum acetabula, & calculi fallunt, & fallendo delectant: idem de vitiis dixerim: oculos fallacia detentos recreant, & recreando ludificant. Aſpectus fallitur, & fallacia non agnoſcitur. Benè Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum: *Ego cùm in tenebris, atque in nocte cæca iacerem, cumque in ſalo iactantis ſæculi nutabundus ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus.* Nil, ac ſeipſos peccatores ignorant, in tenebris ambulant; imò exerrant. Samſon poſt fallaciarum experimenta adhuc Dalilam proditionis inſidias moliri non videt; imò poſt doloſitatis artificia veritatem imprudentiſſimè prodidit: præſentaneam violati interdicti pœnam ſuſtinens nec decapillatum ſe animaduertit, nec animi alacritatem ac fortitudinem auolaſſe cognouit: *De ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar, ſicut antè feci, & me excutiam, neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus*: nec Domini ſenſus receſſum, nec agnouit inſtans periculum, & quod magis demirere, ea ſtupiditate illigabatur, vt raſo capite nec raſum ſentiret, nec prolixam deeſſe comam animaduerteret. Notauit Caietanus: *Mirum eſt quòd neſciſſe dicatur, quòd ſe ſcire prædixerat dicendo: Si raſus fuero, recedet à me fortitudo mea. Solutio eſt quòd expergefactus non animaduertit ad caput ſuum raſum.* Non ſolùm miſer, quia fortitudo receſſit; ſed quia prorſus receſſiſſe ignorauit: vt verum ſit quod Pſaltes aiebat: Cùm in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.

Cyprian.

Caietan.

224. Elias igneo curru rapitur ab Eliſæi conſortio; verùm etſi Eliſæus caruerit præſentiâ, non eſt deſtitutus notitiâ: *Ecce currus igneus & equi ignei diuiſerunt vtrumque, & aſcendit Elias per turbinem in cælum, Eliſæus autem videbat, & clamabat: Pater mi, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius.* Quid tunc? *Et leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Vbi ſenſit receſſum, clamoribus acquiſiuit ſpiritum: non exigua felicitatis pars fuit, tenebris offuſis non cæcutire; ſed videndo anxiis ſuſpiriis clamare. Quod expendens Drogo Hoſtienſis de Sacrament. Domin. Paſſion. ſic aiebat: *Conturbant me torrentis iniquitatis, auferentes mihi lumen oculorum meorum, vt non poſſim videre piiſſimum Eliam, quando tollitur à me: ſi enim viderem, profectò ſpiritus eius duplex fieret in me; & clamarem: Pater mi, pater mi.* Ingeminatis clamoribus, dum intellexit magiſtri abſentiam, diſcipulus duplicat gratiam: eius attraxit clamore ſpiritum, cuius non ſine ingenti dolore aſpiciebat receſſum; at nos miſeros & turbo obcæcat, & Elia rapto diſpoliat. Sine Elia manemus, & Eliam diſceſſiſſe neſcimus: voluptas doloſa meretrix nos hoſtibus illudendos tradit, & nos ſpe fallaci decipimur, dum vinculis duris tenemur.

4. Reg. 2. v. 11.

Drogo.

Dum prodigus à patre ſe diſtare non animaduertit, miſeram perferebat ruinam: vbi autem ſibi redditus ingemuit diſtantiam, & primam accepit ſtolam: *In ſe reuerſus dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus, ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum.* Notauit Chryſologus ſerm. 2. *Iacebat, qui dixit, Surgam: intellexit lapſum, ſenſit ruinam, iacere ſe turpis luxuriæ reſpexit in lubrico, & ideò exclamat: Surgam, & ibo ad patrem meum.* Quamdiu ignorauit lapſum, non cogitauit de reditu. A ſe receſſerat, & in beſtiam ab homine demigrarat: ergo luxuria ignorationis procudit vincula, & miſeris ſtupiditatis vinculis irretitus oberrabat montibus cæcus; ſed vbi clarior lux depulit tenebroſam caliginem, vbi ſenſit lapſum, accelerauit regreſſum. Patris mira pietas non ſolùm reſplenduit, dum opiparam parat menſam, dum primam liberalis largitur ſtolam; ſed etiam dum vtiliſſimam indidit diſtantiæ notitiam: *Intellexit lapſum*, & intellexiſſe ruinam ruinæ accelerauit medelam: *Surgens venit ad patrem ſuum.* 225.

Luc. 15. v. 17.

Chryſol.

Dauid impletum ſe fatetur illuſionibus, dum ardentibus caro ſuccumbit: *Quoniam lumbi mei impleti ſunt illuſionibus, & non eſt ſanitas in carne mea.* Quæ fuerint huiuſmodi illuſiones quærunt Interpretes. Euthymius ad hunc locum putat illuſionem vocari ipſam concupiſcentiam, quæ cùm promittat perſonatam voluptatem, parit pro voluptate dolorem. *Affectus concupiſcentiæ illuſio eſt, & conſequenter mendacium potiuſquam veritas: non eſt concupiſcentia voluptas; ſed vmbra potius voluptatis. Hac de cauſa dicebat Apoſtolus: Manete præcincti lumbos veſtros in veritate, hoc eſt, in vera voluptate, quæ à caſtitate, & temperantia oritur, atque à iuſtitia.* Adnectit: *Ait igitur: Concupiſcentia mea illuſionibus dæmonis impleta eſt.* Et cur tantus propheta has dæmonis illuſiones non agnouit, nec apertas fraudes inuenit? Iam ipſe reſpondet: *Et lumen oculorum meorum & ipſum non eſt mecum.* Sic peccatorum tenebris cæcutiuit, vt ſe infirmari non intellexerit. *Per lumen oculorum anima beati Dauid Spiritum ſanctum intellige, qui ob patrata ab eo ſcelera magna ex parte auolauerat.* Spiritus ſanctus, qui animæ lumen eſt, deſceſſerat; ſed Dauid illuſionibus detinebatur oblectatus, nec receſſum ſenſerat cæcus. Grauiſſima peccatorum pœna eſt ruinam ſuam iuſta lance non expendere, receſſum ſpiritus non ſentire, & quàm à virtute diſtiterint, non agnoſcere. 226.

Pſal. 37. v. 8.

Euthym.

Drogo Hoſtienſis de Sacrament. Dominicæ Paſſion. rectè cùm illa vidua Sareptana actum exiſtimat dum exiguum ſe habere farinæ cognouit: *Non habeo panem niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria, & paululum olei* 227.

3. Reg. 17. v. 12.

in lecytho. Si farinæ ignoraſſet quantitatem, forſitan, malè expendiſſet, & expenſa aut fame tabeſceret, aut quærendo deerraret; at dum quid ſibi deſit, agnouit, ipſa agnitione & farinam aſſeruauit, & periculo occurrit. *Qui modicum in ſe habet, intelligit, quibus armis debet cuſtodire, & hoc ipſum amittat. Ergo Domine, coruus, & vidua paſcunt te in Sarepta Sidoniorum, cui ficus maledicta aruit in terra Iudæorum.* Non nouit ficus, quid ſibi deeſſet: ergo ariditatis ſupplicium ſubiit: vidua dum non ignorat exiguitatem, inutiliter non conſumit, & dum ſuam Eliæ confitetur inopiam, ipſam multiplicat confeſſione farinam, dicente propheta: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur.* Viri diuitiarum nihil inueniunt in manibus ſuis: dum ſe diuitiis arbitrantur affluere, non percallent auolare: ergo paupertate miſeri & ignoratione; imò infeliciores ignoratione, quam paupertate. Et vide vbi Elias inuenerit alimentum non in terra Iudæorum; ſed Sidoniorum: ibi ficus aruit, vbi nitidiùs debuiſſet virere, & ibi farina creuit, vbi mitum non eſſet deficere. Dum viduæ alit, vel temporales auget diuitias: dum non alit ficus, non ſolùm exſiccatur à radicibus arida; ſed quod deterius eſt, maledicta.

228. *In lectulo meo*, inquit Sponſa, *per noctes quæſiui, quem diligit anima mea, quæſiui illum & non inueni.* O quàm erat amanti amarum non inuenire; ſed & quàm erat diuina miſericordia plenum non ignorare: ſi grauatis ſopore oculis inerti indulgeret otio, ſponſi vrgeretur nullatenus deſiderio: quia deeſſe aut non attendiſſet, aut non putaſſet; at dum agnouit diſtantem, anxia quæſiuit, & ſolicitudine fortunatiſſima inuenit; *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea.* Contigit feliciter inuenire: quia infeliciter non contigit ignorare: nam ſi ignoraſſet, nullatenus requiſiſſet. Huc voco Gillibertum ſerm. 1. *Elapſus erat dilecta ſua ſuper montes quaſi hinnullus vagus, & volitans, & ipſa ad ſe relapſa de montibus illis, in quibus mirabiliter illuminata erat.* Adnectit poſt pauca: *Ideò recedente ipſo illa recidit ad lectum infirmitatis, & ignorantiæ noctem. Iam verſatur ſuper ſtratum infirmitatis ſuæ; ſuper hunc tamen ſtratum memoratur dilecti, & iam non in matutinis; ſed in nocte meditatur, in ipſo quærens quem diligit anima ſua.* Itaque cùm elapſus eſſet ſponſus, ignorantiæ tenebris agebatur ſponſa: non animaduertebat vel ſoporis dulcedine illecta, vel lectuli deliciis occupata ibi non adeſſe ſponſum; at ipſius voce excita animaduertit abſentem, & iam impigrè quouſque inueniat, circuit ſemel & iterum ciuitatem: in lectulum incidit, ne in ignorantiæ noctem inciderit: & quidem fauſta ægritudo fuit, quæ abſentem ſponſum oſtendit, vt abſentiæ dolore iſta quæſiuerit, nullo retardata periculo, nullo ignauiæ detenta ſomno: recuperationi vicinum fuit agnoſcere; infauſtum eſſet diſtantiam non agnoſcere, & ſuſtinere.

Cant. 3. v. 1.

Gillib.

§. LV.

Qui eximiis excelluit dotibus, duris etiam excedet, ſi degenerarit cruciatibus.

BEneficentia ignorat fœnus, lucrum dedigna- 229.
tur: turpe eſt alterius rei cauſa dare, quàm vt datum ſit; homines verò beneficentiæ ſpecie fœnus exercent: pauperi, & vndis egenti fundo nulla aut pauca ſemina committunt; fœcundo, & aquarum fertili humore copioſo largius impendunt: quia eorum fucata eſt largitas, auaritia vera. Quem ſola inuitat vtilitas, beneficia vendit, non tribuit. Deus nulla vtilitatis ſpe, nullo fœnoris ſtudio copioſos beneficiorum fontes in humanos deriuare ſuo nos erudiuit exemplo, dum ait: *Qui ſolem ſuum oriri facit ſuper bonos & malos, & pluit ſuper iuſtos, & iniuſtos*: verùm cùm ſuæ perſpicaciæ & ſanctitatis præuaricator non ſit, æquitatis amator eſt: cúmque æquum ſit, qui plura accepit, ſtudioſiùs dilargienti inſeruire, & accepta ad eius honorem adminiſtrare, iuſtè abuſos punit pro munerum ratione, ac beneficiorum qualitate; *Dij*, aiebat Seneca lib. 4. de Benef. cap. 3. *tot munera, quæ ſine intermiſſione diebus ac noctibus fundunt, non darent: in omnia enim illis natura ſua ſufficit, plenoſque & tutos, & inuiolabiles præſtat. Nulli ergo beneficium dabunt, ſi vna dandi cauſa eſt ſe intueri ac commodum ſuum: iſtud non eſt beneficium; ſed fœnus*: Circumſpicere non vbi optimè ponas; ſed vbi quæſtuoſiſſimè habeas, vnde facillimè tollas, non eſt beneficentia; ſed auaritia, quæ cùm longè à Deo ſit, ſequitur vt liberalis effundat, nec vnquam ad beneficium dilargiendum, quàm à nobis habere nequit, vtilitatem reſpiciat: Deo benefacere hominibus ſuaſit natura, non vtilitatis concupiſcentia; verùm cùm eius natura, vt dicebam, ipſa æquitas ſit, ſi eius quis muneribus abutatur; ſeuerè rationem exiget, non fœnoris amator; ſed æquitatis defenſor: ergo qui plus accipit, plus retribuendum Domino nouerit: ſua namque dona cum vſuris repoſcit; non cupiditati impendendis; ſed rationi, æquitatique miniſtrandis. Ergo timeat Dei beneficentiam, qui eam prodegit cæcis cupiditatibus, ac inhoneſtis vſibus: erit namque pœna acerbior, vbi & beneficentia fuit cumulatior. Huius veritatis teſtis eſt Samſon, qui eximiam fortitudinem, quam à Deo acceperat, cupiditatibus eneruauit, ſibi deficiens, ne cupiditati deficeret: *De ſomno conſurgens dixit in animo ſuo: Egrediar, ſicut antè feci, & me excutiam, neſciens quod receſſiſſet ab eo Dominus. Quem cùm apprehendiſſent Philiſthim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* A tenebris tranſiuit ad tenebras non ſolum vinctorum ſocius; ſed & duriori labore oppreſſus. Molam iam imbecillus trahebat, vt qui excellentiori fortitudine abuſus, grauiori etiam mole ingemiſceret fatigatus: cum aliis patiebatur carcerem; ſed ſingularis ſuſtinebat molæ laborem, vt excederet anxietate, qui excelſerat fortitudine: *Iuxta Hebræum habetur*, inquit Caietanus, *& ligauerunt ipſum in compedibus ferri, & fuit molitor in domo vinctorum.* Compeditus molit, vt cæteros vincat anxio circuitu, qui cæleſtis ſuperauerat fortitudinis plauſu.

Matth 4. v. 45.

Seneca.

Caietan.

Serpens

Digitized by Google

230. Geneſ. 3. v. 1. Serpens cæteris præſtantior calliditate, aſtutiáque excellentior proditur: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Acumine viuacior, & ingenij quodammodò dotibus excellentior perſpicaciam adulterauit, & Dæmoni ad inuehendam confuſionem ſeruiuit: *Dixit ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Vt ad præuaricationem alliciat, pœnæ deprædatur timorem, & quidem iam ſibi Eua malè auſpicabatur, dum non tam honeſtatis alliciebatur ſtudio, quàm mortis arceretur metu. Certè etſi multi nulla ſequeretur pœna, abeſſe non poterat diſſonantia: ergo Eua ad ſpeciem paruipendens diſſonantiam, metuebat pœnam, vnde ſerpenti occaſio porrecta eſt metum auferendi, & ad delicias cariſſimas inuitandi: deliquit Eua, & iam ſerpens fœda per terram pedibus orbus volumina trahit præ cæteris animantibus execrandus & maledictus: *Et ait Dominus Deus ad ſerpentem: Quia feciſti hoc, maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ.* Illud *inter omnia animantia*, idem valet ac præ cæteris animantibus: & quidem æquum fuit, vt qui cæteras beſtias calliditate, &, ſi fas eſt dicere, acuminis dotibus ſerpens ſuperarat, poſt præuaricationem irrogatis pœnis euincat, & quia dos illum nobilitauerat clarior, & pœna diuexarit acerbior. O quàm ſerpentini veneni fuit plenum nocere non vtilitatis lucro; ſed nocendi ſolùm oblectamento! Certè ſi leo hominem peteret, & aliqua ſui parte mutilaret, aliqualem haberet excuſationem, quando propria vtilitas aliquatenus coloraret audaciam, & audacem imminueret rapinam; at confuſionem inuexiſſe, linguámque Dæmoni nulla ſpe lucri; ſed ſola cupidine damni commodaſſe, omni carebat excuſatione: tellurem ergo verrat maledictis oppletus, & dignis caſtigationibus diuexatus: *Serpens*, inquit Chryſoſtomus apud gloſſam, Chryſoſt. *quaſi gladius quidam diabolicæ ſeruiuit malitiæ, vnde perpetua ipſi pœna intentata eſt.* Conſonat Lyra: Lyra. *Inter omnia animantia, &c. Præponit ei bruta animalia non quantum ad conditionem naturæ; ſed quia ſeruauerunt ſtatutum ſuum, quod non fecit Diabolus, & hoc eſt magna pœna ſuperbo, quòd inferiora & vilia ei præponantur.* Magna ſuperbiæ pœna inferioribus poſtponi. Ingemit cæteris abiectior, qui præ cæteris donis ornatior, & quia excelluit perſpicacia, excellit abuſus pœnæ ignominiâ.

231. Iſaias Lucifero illi, qui tetris ſuperbiæ nebulis innatam ſibi claritatem deturpauit, illuſoria interrogatione diuexat, & caſus memoriâ excruciat: Iſai. 14. v. 12. *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes.* Addit: *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Interrogatione nos Propheta mittit ad Apocalypſis 12. vbi Lucifer in draconem degenerans ſtellas ſeduxit vaferrimus, & in terram proiecit vanus: Apoc. 12. v. 4. *Cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum cœli, & miſit eas in terram.* Syderibus elocatis etiam nomen remanſit: Stellæ, dum elabuntur, vocantur: *Traxit*, inquit, *tertiam partem Stellarum cœli, & miſit eas in terram*: nec ſolùm Stellarum ſortiuntur vocabula; ſed Angelicæ naturæ conſeruant etiam elogia: *Proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur Diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem, & proiectus eſt in terram, & Angeli eius cum eo miſſi ſunt.* Lucifer; ſed draco: nec ſolum commune cum aliis ſuſtinet exilium ignominioſè abiectus; ſed profundiori lacu ingemiſcit incluſus: *Ad infernum detraheris in profundum laci.* Profundiùs includitur, qui elucebat clariùs: præ communi cum cæteris dedecore exilióque denſiores tenebras pati cogitur, & laci teteriora inhabitare compellitur, vt donorum excellentia adauxerit pœnarum menſuram, & quem lux extulit clarior, pœna diſtorſerit durior. Huc voco quod aiebat Gregor. homil. 9. in Euangelia. *Solicitè conſiderare nos admonet, ne nos, qui plus cæteris in hoc mundo accepiſſe aliquid cernimur, ab auctore mundi grauiùs inde iudicemur: cùm enim augentur dona, rationes etiam creſcunt donorum.* Greg. Lucifer, quia præ aliis Stellis eximiis dotibus luxit micantior & præ aliis obſcuratur Stellis preſſior: profundiora pœnarum intrat, qui altiora cœli tenebat. Adſtipulatur Hieronymus apud gloſſam: *In profundum laci ad infimas, & peſſimas pœnas: quantò enim gradus altior, tantò caſus grauior.* Hieron. Ergo Samſon molam præ cæteris trahat eodem cum cæteris carcere incluſus, vt pœnis ingemiſcat præ cæteris cumulatus, quandoquidem cœleſti præ cæteris vigore lucebat præditus. Hinc qui cæteris antelatus nobilitatis ſtemmatis, diuitiarum copiis, aut formæ prærogatiuis, præ cæteris timeat, ſi cœleſtibus donis abuſus, & vitiorum tenebris deturpatus.

---

§. LVI.

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam, ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam.

232. QVàm ſapiens ſibi humana aſtutia videtur, & quàm contrà ſe ipſam ſæpiſſimè fallitur! Ad ſecuritatem inhiat, & eiſdem quibus ſe nititur artibus ſuffulcire, inuenitur præter opinionem euertere. Anceps ſtat ſemper iniquorum fortuna: non poſſunt firmiter ſtare: quia in lubrico & pendulo conſtat inniti. *Tutum*, aiebat Seneca epiſtol. 105. Sen. *aliqua res in mala conſcientia præſtat, nulla ſecurum*; imò, Philoſophi pace dixerim, Mala conſcientia nūquam ſecura. nec tutum præſtat: nam licèt leges fruſtretur potentia humana, & vindicantur diuina. Securitatis tinea eſt deliquiſſe; ſed adeò malignitas obbruteſcit, vt venenum putet antidotum, & quibus conſtat validiùs concuti, exiſtimet ſecuriùs fulciri: Philiſthiim Samſonis hoſtes luminibus priuant, ærumnis onerant, ferreis nexibus vinculorum diuexant, vt dum hoſtis imminuunt fortitudinem, ſibi acquirant ſecuritatem. *Cùm apprehendiſſent* Ambroſ. *Philiſthiim, ſtatim eruerunt oculos eius, & duxerunt Gazam vinctum catenis, & clauſum in carcere molere fecerunt.* Oculis orbus, ærumnis afflictatus plures quàm integrè validus interfecit: quia iam non ſolùm contrà Philiſthinos depugnabant Samſonis vires; ſed afflictiones: plus contrà ipſos valuit afflictus, quàm laboribus non vexatus: *Plures*, inquit, *interfecit moriens, quàm antea viuus occiderat*: quod expendens datus Ambroſius ſic ait: *Moriatur anima mea cum Paleſthinis, vt agnoſcant ſibi infirmitatem meam non minùs, quàm virtutem exitialem fuiſſe. Concuſſit itaque columnas magna vi, ac diſſoluit, & comminuit eas, quas ſecuta ruina ſuperioris culminis & ipſum inuoluit, & vniuerſos, qui deſuper aſpectabant, præcipitauit.*

cipitauit. Validiùs occidit plures, infirmus omnes: eo tempore, quo de ſecuritate ſibi plaudebant, & extra infortunia putabant, ob inflictum ad ſecuritatem laborem, miſeram experiuntur ſtragem.

233. Pharao, ne Hebræi aliquando iugum excuſſerint, non prudenti; ſed aſtuto conſilio omnem periculi ſuſpicionem depellere aggreditur, duriſſimiſque laborum ærumnis atterere prorſus molitur: Exod. 1. v. 9. *Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt: venite ſapienter opprimamus eum, ne fortè multiplicetur, & ſi ingruerit contra nos bellum addatur inimicis noſtris.* Iniquum conſilium ſine mora executioni mandatur: quam differretur, ſi virtuti inſeruiret, & ſaluti militaret. *Præpoſuit itaque eis magiſtros operum, vt affligerent eos oneribus.* Quid tunc? *Quantoque opprimebant eos, addit textus, tanto magis multiplicabantur & creſcebant.* Dum amaris laborum torrentibus conatur obruere, contigit florulentiſſimè germinare: afflictio iuſtis illata Pharaonis vt fruſtrabatur ſtudium, ingerebat etiam tormentum; nec peruerſitatis curſus ſtetit; ſed cùm natura, & naturæ auctore certauit: recens nati cum nulla humanitate fluctibus mergebantur, eratque commiſeratione digniſſimum micantes naturæ fructus aquis ſuffocari: iuſti dum copioſas fundunt lachrymas, & iuſtas contra Pharaonem dant cœlo querelas: obtinent non ſolùm è terra euadere, ſed aduerſarios confuſis pendulorum vorticum voluminibus ſepelire. Exod. 3. v. 7. *Vidi afflictionem populi mei in Ægypto*, alloquitur Dominus Moyſem, *& clamorem eius audiui propter duritiam eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum de manibus Ægyptiorum.* Iuſtus dum à Pharaone iniquè non premitur, è cœlo ſuppetias lachrymis aſciſcere non molitur; diuexatus verò clamat, & clamor auxiliares Numinis vires aduectat: illata populo, vt deleretur, afflictio contra infligentem fuit telum, & quo ſollicitabatur ſecuritatis auxilium, allatum eſt luctuoſum naufragium. Innuit Gregorius apud gloſſam Greg. ad Exod. 3. *Iſta reproborum nequitia electorum vitam quaſi grana à paleis ſeparat, & dum affligit, expedit.* Expende illud: *Dum affligit, expedit.* Vt pugnet contra Pharaonem; vt aquarum vorticibus delendum tradat, inuenitur populus expeditior, quo ærumnis & afflictionibus preſſior, vt inde durior Pharaoni promanarit calamitas, vnde iniqua procurabatur ſecuritas. Adde efficaciorem machinam eſſe ad iniquos euertendos afflictionem iuſtis illatam, quàm copioſam manum militaribus armis inſtructam.

234. Saül, vt ſibi ſtabiliat regnum, Dauidem è medio auferre conatur, & contorta ſæpè haſta occidere fraudulenter aggreditur: 1. Reg. 19. v. 10. *Niſus eſt Saül configere Dauid lancea in pariete.* Paries funeſta tulit nequitiæ ſymbola, & caſſus ictus inuidi diſcruciauit præcordia. Hic ipſe in Gelboe militaribus aduerſariorum phalangibus obſidetur, & ruentibus in modum turbinis ſagittis confoditur; verùm vt conſtaret plus inſidiari eius vitæ immeritò contortam in Dauidem haſtam, quam miſſam ab aduerſariis ſagittam, eius viſcera diſcidit, & Dauidem ſine crimine vindicauit. 2. Reg. 1. v. 6. *Saül incumbebat ſuper haſtam ſuam.* Quod expendens Hoſtienſis Drogo de Sacrament. Dominicæ Paſſion. ait Drogo. *Sua eum haſta, interfecit*: non occubuit ſagittis hoſtilibus transfoſſus, miſſis ſpiculis vulneratus; ſed haſta in Dauidem contorta transfixus, illata iuſto ad vitam & coronam ſuffulciendam ærumna Saülem diſpoliauit vita & corona. Iuſti laborum vndis niteſcunt floridi, & diſpereunt qui labores pepererе miſerrimi. Nulla contra ſalutem grauior peſtis, quam illata iuſtis plaga, & procurata iniquiſſimè ærumna: nam praui arcus ad inſtar eiaculantem ferit, & ſæpiſſimè occidit.

Herodes inſanis Herodiadis conſiliis præcipitatus 235. Ioannem caſtitatis fulgore coruſcantem, pieque corrigentem occidit; verum dum Ioanni aufertur vita, Herodis publicatur infamia, & aureum illud os grauiori percutit poſt mortem ſententia, quem toties vitæ reſtituere exambiuit correctionis medicina: *Miſit, & decollauit Ioannem* Matth. 14. v. 10. *in carcere, & allatum eſt caput eius in diſco.* Loquacior contra Herodem extitit pœna, quam lingua, & dum fugit ſecreta monita, ſua ſæculo pandit delicta: vt iam nullus ignoraret flagitioſiſſimè inceſtuoſum, cùm vnus aut alter nouerit à Baptiſta reprehenſum. Notauit mira eloquentia Chryſologus ſerm. 127. *Herodes te cauſa petit,* Chryſol. *te arguunt vincula, te carcer accuſat, te diuulgat producta in publicum Ioannis iniuria: cauſam cuſtodia qui requirit, inuenit in te quod puniat, in Ioanne, quod doleat. Ioannes orbi notus, fama virtutis cognitus, celebratiſſimus ſanctitate, dum attrahit ad ſe ſua inquiſitores iniuria, facit, vt tuus cunctis innoteſcat inceſtus, agit vt te habeat confuſio publica, quem corrigere non potuit ſecreta correctio.* Dum inſipienter corrigentes abſtulit lingua vocaliorem intulit contra ſe pœnam: non obtinuit fraus votum; ſed ſuperaddidit confuſionis ſibi tormentum: nam ſecretam amouere deſiderans correctionem, inceſtuoſam publicauit cunctis libidinem.

Babylonis magiſtratus ſatrapæque, dum aſpiciunt 236. Danielem regis amicitia nobilitatum, ac luminibus dignitatum excultum inuidentia turgentes peruerſum iniere conſilium, vtque de medio prorſus abſtulerint, leoninos parant dentes, rati magnum ſibi obſtaculum defuturum, ſi obſcurum intrauerit dolis lacum: dolus candidum regem fefellit, & aſtus victoriam ſibi ominoſam obtinuit: Daniel ferinis traditur rictibus diſcerpendus; verùm cui virtus contulerat reuerentiam, ſæuitia auſa non eſt probroſam inferre iniuriam: triumpho decantando ſæculis extrahitur redimitus, qui lacum intrauerat dilaniandus. Quid tunc? Iniqua contra Danielem rex accuſatione commotus talionis pœnam criminatoribus intulit. Ergo Satrapæ, Magiſtratuſque ibi inuenerunt dignum liuoris ſupplicium, vbi quæſierant ſecuritatis remedium. *Adducti ſunt viri illi,* Daniel. 6. v. 24. *qui accuſauerant Dianelem, & in lacum leonum miſſi ſunt.* Lacus ad Danielem deterendum paratus, ad delendos Satrapas eſt conuerſus: ibi inuenerunt extremam ſibi calamitatem, vbi iuſto intulerant immeritam afflictionem. *Quòd dignas pœnas perſoluerint*, inquit Theodoretus orat. 6. Theodor. *iuſtitiam Dei commendant; quòd autem ita facillimè conſumpti fuerint à feris, Dei ſapientiam indicat.* Sapientiſſimus Dominus malitiæ aſtu malitiam puniuit, & fera, quo prophetam citiùs deuoraret, fame inſtigata prophetę criminatores auidiùs deuorauit famelica. A Daniele ieiunium edocta feritas, vt diſceſſit, peruerſorum ſanguine ardentem ſopiuit ſitim, & diuturnam carnibus ſolata eſt famem: ſicque Danielis afflictio fuit inferentis euerſio.

§. LVII.

Digitized by Google

§. LVII.

Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit.

237. HOmines felicitatem auidiſſimè exambiunt totis votis, viribus totis fortunam diſcupiunt; verùm in quærendo exerrant, & erroribus fortunam oppugnant. Sola virtus ſolidæ felicitatis eſt vena; & honoris officina: à vitiis petitur, quod à virtute petendum erat. *Nolite putare vitium plus emolumenti afferre, quàm virtutem*, aiebat Iſocrates apud Stobæum cap. 1. (Iſocrat.) Adnectit poſt aliqua: *Anima dedita virtuti ſimilis eſt perenni fonti, cuius aqua eſt pura, imperturbata, potabilis, & dulcis, acceptáque, & fruitione apta, & copioſa, ab omni noxa, & pernicie aliena.* (Virtus perennis ſalutis ſcaturigo.) Pernicies ſceleri inuenitur amica, à virtute prorſus aliena: totum honeſtas componit hominem, maritò ſuadet quomodò cum vxore ſe gerat, patri, quomodo educet liberos, domino quomodò rexerit ſeruos. Qui oculos a virture auertit, deturpandos tenebris tradit: vmbratiles rerum ſpecies perturbati mentiuntur, & in ipſum hominem machinantur. E contra æquitas frænat animos, ratio componit oculos, pudorem docet caſtigatio, & dum hominem tantiſper comprimit fræno, auertit à miſerabili præcipitio. En Samſon, dum præceptum non violat, copioſa hoſtium manu cinctus detriumphat: illigatus neruiceis funibus non degenerat; at vbi Sacramenti violatione ferrum admittit, iam decapillatus languet: manus duris non obſtringebatur tunc nexibus; fatiſcebat tamen; quia iam neque animi alacritas, nec vigor corpori inerat: *Statim eruerunt oculos eius.* Cæcus ſordeſcit externè; ſed turpiùs internè cæcus: carcerem intrat; molam indecoro ac indefeſſo rotatu trahit; vt ſentiat quàm ſit calamitatibus plenum Sacramentum prodidiſſe & libidinis negotia tractaſſe: decapillatus ferreis inſerit nexibus manus, vt non minùs ſordeſcat decenti ornamento nudus, quàm prematur arctiſſimis vinculis illigatus. Audi Ambroſium ſæpè datum. (Ambroſ.) *Tonſore adhibito ſeptem crines capitis eius admotâ nouacula abſcidit, continuóque interdicti prænaricatione vires minuit.* Viribus premitur deſtitutus, & priuatur luce cæcus: nec enim qui à Deo receſſerat, euadere quibat inhonorationis probrum, nec ærumnarum tormentum.

238. Quis Nabuchodonoſore glorioſior? Quis regni diuitiis & gloria auctior? & tamen tunc in brutorum cenſum exulauit redactus, & compedibus æreis conſtrictus, cùm & fortuna ad ſpeciem placidior, & felicitas copioſior: ſe in illius arboris imagine mundi quodammodò clauſtra tranſilientem adſpexerat, ramorum magnitudine, fructuum copiâ, cupiditatis etiam audaciam longiſſimè ſuperabat; verùm viriditas tranſiit in marcorem, fœcunditas in pauperiem, ornatus in nuditatem. Quod ſi huius ſtupendæ mutationis cauſam inquiras, ſuperbiæ inuenies faſtu inſaniſſe, & delirio præſumptionis erraſſe: (Dan. 4. v. 27.) *Nonne hæc eſt Babylon magna, quàm ego ædificaui in domum regni, in robore fortitudinis meæ, & in gloriâ decoris mei? Cúmque ſermo adhuc eſſet in ore regis, vox de cœlo ruit: Tibi dicitur Nabuchodonoſor rex: regnum tuum tranſibit à te, & ab hominibus eiicient te, & cum beſtiis & feris erit habitatio tua; fœnum quaſi bos comedes, & ſeptem tempora mutabuntur ſuper te, donec ſcias quòd dominetur excelſus in regno hominum.* Vt notum fuerit non cæcis fortunæ, fatiue conſiliis humana circumuolui; ſed impulſibus vitiorum rotari, aut virtutibus ſuffulciri, Nabucho dum ſuperbiæ tumore inflatus à virtute recedit, premitur indecora calamitate; dum verò eam ſibi redditus colit, & proſperitas arridet; nullus ambigat virtutem eſſe proſperitatis venam, vitium copioſam calamitatum ſcaturiginem, & miſeriarum perennem fontem: *Intuere Sacramentis faſtum*, aiebat Theodoret orat. 4. *inſpice arrogantiæ exuperantiam: ego enim ipſam, inquit, regiam vrbem feci, regia in ipſa conſtituta in honorem gloriæ meæ: & hæc feci potentiâ maximâ præditus, omniúmque potitus. Verùm hæc glorians, & fremens locutus eſt; at Dominus Deus ſtatim ſupplicium intulit.* (Theodoret.) Expende, obſecro, verba illa: *Regia in ipſa conſtituta feci in honorem gloriæ meæ.* Non poterat florere Reſpublica, vbi decreta ſanciebantur non prò æquitate, ſed pro ambitione. Eas Nabucho condebat leges, quæ eius adularentur præſumptioni aut vtilitati, non quæ inſeruirent virtuti. Ergo dùm diſcedit à iuſtitiâ, inſipido fœno veſcitur, & ferreis compedibus illigatur. Omnia mirâ vitiorum metamorphoſi amiſit, honorem, mentem, felicitatem, nec vel hominis formam reliquit vitium: dignum námque fuerat, vt quorum imitabatur ferinos mores, brutorum referret etiam effigies, nec potiretur humanæ formæ dignitate, qui bruti ad inſtar ſordida deturpabatur libidine; at vbi ſe ad frugem recepit, dum ſe rationi reſtituit, ab omnibus reſplenduit honoratus, & felicitate copioſus.

Peccatores ſic cæcutiunt, vt vlteriora non videant, præſentaneâ ſolùm ac falſa ſpecie deluſi, & vitiorum caliginibus tenebrati: ſatrapæ inuidia furentes in Danielem Dario familiarem armantur, vtque ambitionis ac libidinis aſſequantur vota, ad gratæ adulationis confugerunt auxilia: regi perſuadent nihil à Deo; hominéve præterquam ab ipſo triginta dierum ſpatio efflagitandum: vt Danielem regi vtiliſſimum; Reipublicæ ſalutem auferant, regis potentiam impudenter amplificant, in Rempublicam, in Danielem; in regem ipſum obſequiorum ſpecie militarunt, & veram labefactant, dum potentiam addunt confictam, & captioſis artibus ſuperadditam: 239. *Conſilium inierunt omnes Principes regni tui, magiſtratus, & Satrapæ, Senatores; & Iudices, vt decretum Imperatorium exeat, & edictum; vt omnis qui petierit aliquam petitionem à quocumque Deo & homine vſque ad triginta dies niſi à te, rex, mittatur in lacum leonum.* (Daniel. 6. v. 7.) Vide conſilium Satraparum, ſapientiúmque, perſuadere nempè regi pro Deo colendum, & ſe ab hominibus exorandum, quaſi ipſe ſolus videat impertiri, quod Deus & cæteri homines quirent ſupplicanti conferre: vnus Darius Dei ad inſtar exoratur, ſicque dulcis eſt Principibus adulatio, vt gratis hoc delirium exceperit auribus, & ſtultis ſanxerit legibus. Ecce regis potentiam amplificant, & ad ſpeciem maieſtatem commendant, nihil tamen ipſi regi aut Reipublicæ pernicioſiùs, quàm potentia iniquè adaucta, & adulationibus innutrita. Quid tunc? Daniel, qui non ducebatur vmbratili ſpecie; ſed ſolida veritate, leonibus traditur ab æmulis expoſtulatus; ſed lacu exiuit illæſus; criminatores verò, qui iam pro ſepulchro ventres leonum Danieli fore credebant, quique ſibi de indigna gratulabantur

bantur victoria, in à ſe pretenſa inciderunt præter opinionem retia: *Iubente rege adducti ſunt viri illi, qui accuſauerant Danielem, & in lacum leonum miſſi ſunt ipſi, & filij, & vxores eorum, & non peruenerunt vſque ad pauimentum laci, donec arriperent eos leones, & omnia oſſa eorum comminuerunt.* A virtute receſſerant liuori & adulationi obſequentes, & licèt viderentur vota aſſecuti, miſeram ſtragem ſunt paſſi. E contra Daniel, dum virtuti inhæret, carniuoras feras, & quod amplius eſt inuidentiam aduerſariorum deuicit, & nobili triumpho clatuit: *Nec intellexerunt ipſi,* inquit Theodoretus orat. data, *quorum mentis* Theodoret. *aciem perſtrinxerat inuidia, non poſſe omnia regem præbere petentibus, neque bonam valetudinem, neque vitam, neque vt ſint filiorum parentes, neque pluuiarum vim, neque alia omnia, quæ a ſolo Deo petentes accipimus; verùm amiſſa, mentis ſanitate ea regi attribuunt, quæ Deo dumtaxat conueniunt.* Proh miſeram Rempublicam, vbi id magiſtratuum, & Satrapatum conſilium, perſuadere nempe regi contra ius potentiam ampliare, & contra fas maieſtatem extendere: non çurabant regis vtilitatem; imò auferre Reipublicæ procurabant ſalutem, Danielem videlicet myſteriorum interpretem, veritatis indicem, innocentiæ defenſorem, iniquæ depulſorem ſententiæ, ſi primam ſolum ſpeciem attendas Daniel virtutis cultor videtur miſerrimus; ſi finem ſpectauerit, feliciſſimus: è contra ſatrapæ deluſo ſenſu oculorum videbantur fortunati; ſed reipſa leonibus tradebantur miſerrimi. A virtute remoti in eam cæcitatem deuenerunt, vt Danielem à rege carniuoris leonibus obiici impetrarent, infelices dum nefanda concipiunt vota, infeliciores dum talia aſſecuti ſunt deſideria. *Amiſſa mentis ſanitate ea regi attribuunt, quæ Deo dumtaxat conueniunt*: in caput ſuum militabant, dum à virtutibus recedebant, vt conſtet omnibus inuidiam calamitatis eſſe copioſum fontem, vt proſperitatis virtutem.

§. LVIII.

Spes eſt recuperationis, ſi virtus prorſus non expuncta; ſed aliqua ſcintilla ſeruata.

240. MIſer eſt, qui à virtute exulat, cui omnis felicitas vel in pecuniarum cumulo, vel in dignitatum ſuggeſtu, vel in voluptatis apparatu. Illum beatum ſolummodo habe, cui omne bonum in animo eſt, qui erectus ſupra fortunam omnia calcat, qui magiſtra natura vtitur, & ad illius præcepta componitur. Qui voluptati viuit, iam periit, aliqua tamen ſpes emendationis eſt, ſi totum ſe non tradidi vitiis, ſi non eſt omnino infectus, etſi aliquatenus tinctus. *Malè de nobis actum erat*, inquit Stoicus epiſt. 97. *quòd multa* Seneca. *ſcelera legem, & iudicem effugiunt, & ſcripta ſupplicia, niſi illa naturalia, & grauia, de præſentibus ſoluerent, & in locum patientia timor cederet.* Vt malè de nobis actum eſſet, ſi omni prorſus timore nudaremur, ſic benè de nobis actum eſt, vbi conſcientia flagellamur, & eius ſolicitudinibus adurgemur. Dum aliquid remanet pro virtute, non eſt deſperandum: quia pullulabit iuuante numine, & creſcet. En Samſon iniqua manu decapillatur, & in ægritudinem tranſit fortitudo, mola brutorum inſtar addicitur, & effoſſis luminibus deturpatur; verùm remanſerant capillorum radices, quæ aliquando pullularent, & reſumptis viribus glorioſum de hoſte conſequeretur trophæum. *Iam capilli eius renaſci cœperant, & Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo.* Dum quid remanſit, & viruit, & refloruit, & hoſtes proſtrauit: Notauit ad hunc locum Caietanus: *Iuxta Hebraum habetur: Et cœpit capillus eius* Caiet. *germinare, ſicut fuit raſus, & eſt ſenſus quòd raſo capite non fuit priuatus Samſon germine capillorum; ſed iuxta ſolitum naturæ curſum cœperunt capilli creſcere, & ſcribitur hoc ad ſignificandum regreſſum Nazareatus in Samſone.* Amiſit Nazaræatum, ſed ad tempus: germinarunt namque capilli: quia non fuerunt penitus extirpati; ſed nouacula abſciſſi: amiſſum Samſon robur, dum capillorum radix integra, recuperauit, & nobiliori triumpho inimicos occidit. Nec aliter de vitiis ſentiendum eſt, ſi quid iuſit pullulabit, & non ſine graui detrimento in poſſeſſionis perniciem reflorebit.

Qui bouem in Ægypto adorauerant Hebræi, 241. ingenti miraculorum vi educti inſidentem nubis igniſque columnæ Dominum per deſertorum errores ſecuti ſunt; verùm neceſſaria Moyſis abſentiæ impatiens populus Deos ſibi tumultuoſis clamoribus produci quærit, & Aaronem non ſine minis od opus cogit: Aaron Principatus ambitu ſeditioniſque metu veluti geminatis calcaribus concitatus citiùs votum execrabile maturauit, & vitulum aureum conſtruxit: *Fecit ex eis vitulum* Exod. 32. v. 4. *conflatilem.* Cùm tot tam variáque idola ab Ægyptiis colere edocti fuerint Hebræi, quærunt Interpretes cur vitulum præ aliis & conflauerint, & coluerint. Inter alios Abulenſis q. 11. ex quorumdam ſententia tradit in egreſſu ab Ægypto laminam quamdam, in qua erat exaratus vitulus, reſeruatam, quæ dum à populo detinetur, radicis inſtar oblitteratum reuocauit delirium, ac execrandum reproduxit idolum: *Quæret aliquis, quare* Abulenſ. *magis Aaron fabricauit vitulum, quàm aliquam aliam figuram. Reſpondent quidam quod factum fuit propter virtutem cuiuſdam laminæ, in qua erat vitulus deſcriptus.* Addit: *Hæc autem lamina poſteà à quodam viro conſeruata eſt, & ad fabricationem Deorum venit.* Non eſt dubium has eſſe meras Rabbinorum nugas; verùm vt de veritate plura contrà veritatem conſtructa ſunt, liceat nobis vicem rependere, & aliquid de nugis pro virtutibus conſtruere. Ecce ſeruata lamina vitulum peperit, & quia à corde penitus eius imago non auulſa, ingenti populi detrimento floruit iterum reſtaurata. Et quidem dum vitiorum imagines prorſus ab animo non depelluntur, dum penitus non extirpantur radices, perniciosè germinabunt, & reflorebunt. Nihil vitio permittendum eſt, nulla vel exigua ſcintilla relinquenda: nam paſſionibus flabellata exurget in flammam, & flamma in incendium tranſibit, & quidquid virtuoſæ floriditatis, quidquid amœnitatis honeſtæ, conſumet, & diſſipabit.

Hinc diſces cur Iacobi familia iuſſa alienos 242. Deos proiicere, tradiderit, etiam inaures: *Iacob conuocata omni domo ſua ait: Abiicite Deos alienos* Geneſ. 35. *qui in medio veſtri ſunt, & mundamini, ac muta-* v. 2. *te veſtimenta veſtra.* Quid tunc? *Dederunt ergo ei omnes Deos alienos quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea ſubter therebinthum.*

therebinthinum. Inquires cur inaures obtulerint exprompti, qui ſolùm idola abiicere fuerant iuſſi. Mira res: plus perfecit deuotio, quàm exigebat præceptio: vrbana profectò imperantis comitas dulci violentia extorſit, quod forſitan imperij non impetraſſet auſteritas, & auſteritatis rigiditas: qui Deos comiter abiici petit, Deos & inaures Deorum etiam accipit, quia nouerant opus eſſe inaures tradere, dum alienos Deos animitus imperabantur abiicere: erant inaures neſcio quæ idolorum phylacteria ad cultum deteſtabilem ſpectantia: ergo nequibant penitus Deos abiicere, ſi eorum quid amauerint retinere; nam retentum eſſet pro idolorum ſemine, quò citiſſimè pullularent abiecta, & colerentur iterum reuocata. Ergo opus fuit, vt præceptionem adimpleant, non ſolùm Deos abiicere; ſed inaures: *Et inaures,* exponit Lyra: *id eſt, ornamenta idolorum.* Idem ſentit Auguſtinus apud gloſſam: *Quæritur, quare inaures, quæ ornamenta erant ad idololatriam non pertinentia. Sed intelligendum eſt phylacteria fuiſſe Deorum alienorum.* Deos habebant alienos variis phylacteriis excultos, & inauribus exornatos: ergo eorum nihil ſibi reſeruandum duxerunt, veriti, ne ſi quid apud ſe retinuerint, idololatriæ iterum inſeruiant, & iniqua ſemina foueant. Itaque ſi quid vitij, virtutiſve remanſerit, ſpes eſt honeſtæ aut peruerſæ fœcunditatis, nouíque germinis.

Lyra.
Auguſt.

243. Eximiam Domini erga populum miſerationem deprædicat Iſaias propheta, dum teſtatur aliquid reſeruatum, quo virtutes germinarint, vitiáque interierint. *Et derelinquetur filia Sion vt vmbraculum in vinea, & ſicut tugurium in cucumerario, & ſicut ciuitas quæ vaſtatur, niſi Dominus exercituum reliquiſſet nobis ſemen, quaſi Sodoma fuiſſemus, & quaſi Gomorrha ſimiles eſſemus.* Dum in Sodoma Lothi degebat familia, aliqua erat emendationis ſpes, aut ſaltem differebatur ſupplicium; vbi verò Angeli in omni circa regione habitare non ſinunt, flammarum imbres eiaculari decernunt. Ergo Dominus aliquid reliquit Hebræis, quo veluti virtutis fomento & virtutes creſcerent, & calamitates ceſſarent. Ita Baſilius ad hunc locum: *Parua portio inter gentes facta perinde ac fermentum omnes ad ſuæ ſimilitudinis pertraxit proprietatem: ita vt quiſquis ex gentibus per eas reliquias Iſraël in Dominum crediſſet, appellaretur populus Domini.* Iterum populus de non populo: quia dum reliquiæ aſſeruantur, in fermenti morem alios ſuo ſapore condiunt, ac virtutibus inſtruunt: ergo non vult Dominus, vt Sodomam rapidis voracis flammæ torrentibus prorſus conſumere, dum honeſtatis fideique ſemen decreuerat miſericorditer reſeruare. Quòd iniquæ conſcientiæ morſibus premaris, quòd aliqua virtutis opera exerceas, quòd te prorſus vitiis non tradas, Dei ingens beneficium eſt: nam licèt captiuus prematur Samſon, dum capillorum remanet germen, fouetur calamitatibus veluti fœcundis laticibus, & robur capillamento ſuccreſcente inſtauratum hoſtes ſepelit non reparandis ſtragibus.

Iſai. 1. v. 8.

Baſil.

§. LIX.

Nil iuſtis adeò graue, vt diuinam intueri offenſam, & auribus percipere iniuriam.

244. Hieron. Mihi oppidum carcer, aiebat Hieronymus epiſt. ad Ruſticum, *& ſolitudo paradiſus eſt.* In ſolitudine arida vocabatur ſiti, deſpicabili angebatur nuditate; non tamen intuebatur inſidioſum ciuitatum faſtum, non adſpiciebat obcæcatæ ambitionis emporium, non furentis cupiditatis delirium: ergo dum confert corporales in ſolitudine anguſtias, & animi in ciuitatibus anxietates, reperit paradiſum eſſe ſolitudinem, carcerem, & quidem teterrimum, ciuitatem. Hinc Tertullianus lib. ad Martyras cap. 2. Sanctis incarceratis gratulatur, quòd à mundo ſegregati eius aſpectu non feriantur, etſi ferreis incluſi compedibus ad ſpeciem affligentur: *Segregati eſtis à mundo ſi enim recogitemus ipſum magis mundum carcerem eſſe exiſſe vos è carcere quam in carcerem introiſſe intelligemus. Maiores tenebras habet mundus, quæ hominum præcordia excæcant, grauiores catenas induit mundus, quæ ipſas animas hominum conſtringunt; peiores immunditias expirat mundus, libidines hominum.* Adnectit: *Non vides alienos Deos, non imaginibus eorum incurris, non ſolemnes nationum dies ipſa commixtione participas, non nidoribus ſpurcis verberaris, non clamoribus ſpectaculorum atrocitate vel furore, vel impudicitia celebrantium cæderis.* Voluptas excæcatorum iuſtis durius vinculum, & verber acerbius euanidum ac impium gaudium, dum iuſtorum oculi idololatriæ ſacrilego non obſcurentur fumo, nec diro aures ſpectaculorum clamore diuerberentur, gaudebunt, ferreis catenarum nexibus manus inſerere, & repetitis plagis ſanguine fluere: nullis ſic zelotypus animus laboribus adurgetur, vt ſacrilego vitiorum aſpectu, vt conſuſanei de bacchantium clamoris auditu. Hanc comprobat veritatem Samſon, qui etſi obcæcatus molam traheret, & miſeram vitam ſuſtineret; tamen vti decebat fortem, labores tolerantia minuebat, & ipſa magnanimitate leuabat; at cùm è carcere eductus Dagonis fanum intrarit, ibique ſacrilegas Dagonis acclamationes audierit, veluti acutiſſimo gladio percuſſus, & præpilato telo transfoſſus vitam expoſuit, & idololatriæ bellum aſſumpta indignatione pietatis adiutrice intulit: *Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo.* Catenas tulit grauiſſimas Samſon, homini ingenuo probroſas compedes perpeſſus eſt; at ferre non potuit Dagonem merum figmentum in veri contemptum numinis deprædicari, & magnificis hoſtiis coli. Ergo licet contumelioſis probris diuexatus tacuerit, licèt carceris moleſtias inuicto animo tulerit, hic iam honeſtè deficiens, & laudabiliter, ſi fas eſt dicere impatiens conducibilius duxit triumphali morte premi, quàm ſceleſtis Dagonis laudibus verberari. Ita Ambroſius ſæpè datus: *Vtráque manu fulcra totius comprehendit ædificij, atque intentis ad feſta ſacrificij Paleſthinis, quod Dagoni Deo ſuo deferebant, per quem ſibi aduerſarium ſuum datum in poteſtatem arbitrabantur, muliebris perfidia dolos beneficiis annumerantes cæleſtibus, exclamauit ad*

Tertul.

Mundi tenebræ corda excæcant, etſi oculos videre permittant.

Ambroſ.

Dominum

Dominum dicens : Domine adhuc ſemel memor pueri tui eſto , vt pro duobus oculis meis vindictam tribuas de nationibus , ne dent gloriam ſuis Diis , quòd ipſis iuuantibus me in poteſtatem acceperint : nec vitam meam pluris facio. Expendebat Samſon ſibi eſſe opus , aut mortem oppetere, ſi nollet Dagonis acclamationes audire , aut audire, ſi vitam animosè non exponeret : ergo exiſtimauit lucrum ædificij mole ſepeliri , ſi poſſit idololatriam depellere : ſic iuſti interno dolore exulcerantur, ſi veri Dei audierint iniurias , & inſipientium ſpectarint inſanias.

245. Aod duræ captiuitatis iniurias æquo animo ferens , & iniqua tributa ſoluens in regem non indignatur , quouſque oblatis iam muneribus per Galgala ad propria tendens intuitus eſt deteſtandas ibi aras in veræ religionis probrum erectas , & idolis ſpurciſſimis dedicatas: tunc namque non tollerando dolore ictus aggreſſus eſt non ſine ingenti periculo regem de medio tollere , & in palatio proprio interimere, malens ſubire periculum, quàm adeo acerbum ſibi haurire oculis ſpectaculum : *Cùm obtuliſſet ei munera , proſecutus eſt ſocios , qui cum eo venerant , & reuerſus de Galgalis , vbi erant idola dixit ad regem.* Facinus tentauit mille difficultatibus implicatum ; verùm conducibilius ſibi duxit idololatriæ inferre bellum non ſine vitæ diſcrimine , quàm inſpicere idola intoleranda anxietate. Adeſt Hugo Charenſis ad hunc locum : *Viſis idolis regis non potuit ſe continere , & reuerſus eſt ad regem.* Ad occidendum tyrannum reuerſus eſt idolorum aſpectu perculſus, qui captiuitatis oppreſſione nil tentarat exaſperatus. Diuino amore flagrantibus nulla tormenta , nulla tyrannorum ſæuitia , nulla tortoris inſania acerbum adeò dolorem afferunt , vt idolorum ſolemnia , vt libidinum procacia , vt blaſphemiarum iniuria.

Iudic. 3. v. 18.

Hugo.

246. Tres illos egregios virtutibus pueros vrget Nabucho ad execrandæ adorationem ſtatuæ ; illi verò patria libertate regis iratas contemnunt minas , & anhelantes etiam deſpiciunt horrendum reſonantis fornacis flammas : *Ecce Deus noſter , quem colimus , poteſt eripere nos de camino ignis ardentis , & de manibus tuis , ô rex liberare.* Adnectunt verba cæleſti fortitudine digna : *Quod ſi noluerit , notum ſit tibi rex , quia Deos tuos non colimus , & ſtatuam auream , quam erexiſti , non adoramus.* O quotquamque miræ virtutes his in verbis inclytorum iuuenum reſplenduerunt ! Diuinam omnipotentiam adſtruunt : *Potens eſt Deus* : an eos de nigro ignis camino erepturus ſit, dubitantes , culpíſque ſuis , ſi cinereſcerent , adſcribentes : nigris maluerunt flammis conſumi, quam impiæ ſtatuæ aſpectu percelli. Inter ipſos flammarum globulos illæſi non tentabant , cùm poſſent, egredi : quia cupiebant ſacrilegi cultus adſpectibus liberari : *Serui Dei excelſi egredimini , & venite , ſtatimque egreſſi ſunt* : expectarunt imperium , quibus nullum obſtabat oſtium : quia intra fornacis anguſtias non ſpectabant infame idolum, extra ſe oculis obiiciebat deteſtabile ſimulacrum : ergo inter horriſonas flammas malunt verſari , ſi idolum excuſauerint intueri ; imò eligent , inquit Chryſoſtomus homil. 18. in cap. 6. primæ ad Corinthios nigras in fauillas redigi , quàm hoſtias deteſtabiles ſpectare : ipſum audi : *Si noluerit ,* inquit , *nos eripere , deos tuos non colimus : habemus enim iam remunerationem , cum digni videamur , qui ab impietate liberemur, & idcirco exurere corpora noſtra eligimus.* Remunerationis loco habebant , dum ab idoli eripiantur conſpectu flammas ſuſtinere , & mortem violentam pati : adeò graue eſt iuſtis , & ardenti religionis zelo inflammatis perpetrata in Deum ſpectare delicta, & nefanda audire dicteria.

Daniel. 3. v. 17.

Chryſoſt.

Dauid ſpiritu præuidens futuras populi in Babylone calamitates , & zelotypi perſonam aſſumens ſic ait : *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte , dum dicitur mihi quotidie : Vbi eſt Deus tuus ?* Interrogatio non oriebatur ab inſcitia ; ſed ab irriſione : non interrogabant, vt ſcirent ; ſed vt interrogatione valenter premerent : ac ſi dicerent : ſi Deus veſter , vt vos iactatis , potens ac fortis eſſet , ex his vos ergaſtulis & compedibus eriperet : ergo eùm oppreſſos : & duris catenis vinctos relinquat , compertum eſt nullis viribus florere , nec omnipotentiá frui. His in Deum blaſphemiis veluti altiſſimis ſagittis transfoſſus diu noctúque copioſiſſimis oculos lamentis deturpabat , & ardore , doloréque liquefactus indefeſſas lachrymarum vndas fundebat : non illachrymabatur duriſſimo iugo preſſus ; non ſæuis verberibus proſciſſus ; ſed irriſoriè rogatus. Ita Euthymius ad hunc locum : *Dum Babylonis , inquit, Dei mei impotentiam mihi exprobrarent , lachrymæ meæ fuerunt mihi panis.* Ac ſi dicat : rugitibus ſuſtentabar , & omnem eſcam abominatus copioſæ mihi lachrymæ pro panibus erant : nec enim aures meæ Dei iniuriam ferebant auſcultare , nec oculi impietatem quibant adſpicere : ad omnes oppreſſiones , & iniurias captiuitatis inuicto animo erectus , & ſuprà omnem fortunam poſitus non gemebam mihi conſtans , & externa omnia proculcans ; at audire Dei hoſtes eius omnipotentiæ inſultantes , & imbecillitatem illi adſcribentes , adeò mihi erat acerbum , vt indefeſſis lachrymis faciem deturparint , & gemitus altiſſimos fuderint : *Fuerunt mihi lachrymæ meæ panes die ac nocte* : nondum labores mihi addunt ; ſed dum hoſtes obiecta numinis impotentia me ardentiſſimè adurunt. Ergo Samſon catenis preſſus non ingemuit ; impias tamen Dagonis aras vel ipſa morte religioſus diruit. 247.

Daniel. 4. v. 4.

Euthym.

Adeò Iſaias interno percellebatur dolore in medio populi polluta labia habentis inhabitans , vt cauterio aduſtus ferè non ſenſerit , & opus fuerit ab ipſo Seraphim admoneri : *Ecce tetigit hoc labia tua.* Otioſa profectò videatur admonitio , quandoquidem ignis per ſe ingeret ſenſum , dum vret labium. Ad quid ergo Seraphim moneat, cùm ignis ipſe notitiam ingerat ? Quia Iſaias , inquit Hugo Cardinalis , ſic erat totus in ingemiſcendo peſſimorum ſocietatem , vt adurentem quodammodò non animaduerterit ignem : *In medio populi polluta labia habentis , quibus idola laudant , ego habito.* Zelo aduſtus , religioſo inflammatus non ſentiebat flammas ; quia totus erat in ingemiſcendo religionis iniurias : adeò zelotypi vruntur religionis ſtudio , vt ſe vri non animaduertant , aut paruipendant , cauterio. 248.

Iſaiæ 6.

Hugo.

§. LX.

§. LX.

Populus Principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur.

249. NObis, quod imbecillibus; accidit: levi aëre pulſati aliquam ſalutis patiuntur offenſam, & in publicum egreſſi exiguo frigore caloréve experiuntur iniuriam: ergo nos bonis moribus imbecilles ad aliorum exempla facilè inficimur, & ad ægritudinem reuocamur. Tunc verò non inficimur ſolùm; ſed transfiguramur, cùm ſuperior aut Princeps hos aut illos mores amplectitur: Iure aiebat ille: *Regis ad exemplum totus componitur orbis*: nec minore iure adderet, totum orbem ad ſuperioris exemplum peruerti. Mirum eſt, quantam maiorum facta ad reliquos trahendos efficaciam ſortiantur: iure excantatores dixeris Principes, Superioréſque: factis námque & exemplis ita excantant cæteros, vt in eorum ſententiam pedibus ac manibus abire (ſi fas eſt dicere) cogant, & ad eorum actiones imitandas violenter impellant. Vnde Diogenes Laërtius lib 7. in vita Diogen. Zenonis Scythici ita aiebat: *Qui regem erudit, eum & ſubditos quoſque inſtruere certum eſt: nam* Qualis Princeps, talis, & populus. *cuiuſmodi fuerit dux, tales & ſubditos vt plurimum fieri neceſſe eſt.* Neceſſe dixit, non quia liberum non ſit reſilire; ſed quia frequentiſſimum eſt huiuſcemodi exemplis trahi. De Æthiopibus tradit Diodorus Siculus de fab. antiq. cap. 4. ſi aliqua corporis parte careret Princeps, eam ſibi & Diodor. cæteros amputare, nec deterreri dolore, quia gaudebat adulatio ſimilitudine: *Si quando aliqua corporis parte rex debilitetur, domeſtici omnes ſponte ſua eandem partem debilitant, turpe exiſtimantes rege claudo aut monoculo non amicos omnes claudos & monoculos eſſe.* Vides Principis exemplo reliquos non tam ſuaderi, quam rapi: ecquis enim oculum ſibi eruat, aut neruum præcidat, ni violento furore adactus, & vi vrgentiſſima impulſus? Ergo hanc inſaniam perſuadebat, adulatio ſubire, nec recuſabat altero oculorum carere. Hanc etiam Philiſthæi comprobant veritatem, Samſonem muliebribus dolis captum, beneficiis Principes annumerabant cæleſtibus: victoriam adſcribebant Dagoni, & licèt omnibus conſtaret doloſæ adſcribendam fore mulieri, Principum ſequebantur exemplum, & Dagoni adſcribebant triumphum: *Principes*, inquit, *Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur*, dicentes: *Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras.* Quid tunc? audi: *Quod etiam populus videns laudabat Deum ſuum, eadémque dicebat: Tradidit Deus noſter aduerſarium noſtrum in manus noſtras.* Non ignorabant mulierem tradidiſſe; verùm plus apud eos valebat, vt Dagoni adſcriberent, Principum ſententia, quàm euidens valeret notitia: eadem quæ Principes, & populus repetebat: nec vnus in tanta multitudine ab illorum ſenſu diſcrepabat: tantùm apud ſubiectos valet actio, aut ſententia magnatum. Quàm benè Herodianus Herodian. lib. 1. *Cùm fuerit Marcus Aurelius ſapientiæ ſtudioſiſſimus, factum eſt, vt magnum ſapientium virorum prouentum illa ætas tulerit: ſolent enim plerúmque homines vitam Principis imitari.* Vt matinos ſecantes fluctus oculos ad Helicem contorquent, & ad eius aſpectum aurigant nauim, ſic populus pro Helice habet Principem, ad cuius motiones dirigit vitam: vnde Princeps ſapiens ſapientes procreat, & virtuti aduerſus virtutis efficit inimicos.

Cùm Chriſtus Dominus in partes Cæſareæ Philippi veniſſet, ſuos rogauit, quàm homines de ſe 250.
opinionem haberent: *Quem dicunt homines eſſe* Matth 16. v. 13. *filium hominis*? Diſcipuli varias opiniones retulerunt: *At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptiſtam, alij autem Eliam, &c.* Mira res: diuerſiſſima erant Ioannis & Chriſti Domini lineamenta, vitæ ſtylus prorſus diuerſus, & ad hæc Ioannes impio gladio occubuerat ad tripudij deteſtabilis mercedē occiſus; & tamen vulgus Chriſtum Dominum eſſe Baptiſtam putabat, & aſſerebat: quod ſi inquiras quomodo in vulgi mentem hæc potuerit cadere cogitatio, reſpondebit Origenes, quia Herodes aliquando Chriſtum eſſe Ioannem ſomniauit: *In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha famam Ieſu* Matth. 14. v. 1. *& ait pueris ſuis: Hic eſt Ioannes Baptiſta, ipſe ſurrexit à mortuis, & ideò virtutes operantur in eo.* Pro Herodis opinione nil niſi ipſius delirium ſtabat: militabant contrà eius ſententiam Chriſti lineamenta, & diſſimilis vita; verùm cæcè adeò, inquit Origenes vulgus Principum ſententiam amplectitur, ſic opinionem ſectatur, vt plus valuerit ab Herode ſomniatus error, quàm in contrarium effuſi ſanguinis clamor. Origenem accipe in catena ad Matth. 16. *Alij Ioannem Baptiſtam,* Origen. *æſtimationem ſcilicet ſecuti Herodis.* Delitam ſequebantur Herodis æſtimationem aduerſùs apertiſſimam veritatem: tanta eſt Principibus ad vulgus in ſui ſententiam trahendum efficacia, tanta ad ſui imitationem perſuadendam energia. Adde non adeò eſſe mirum miracula aliquandò efficere, quàm opinioni Principis aduerſari.

Nabucho auream illam ſtatuam conſtruens 251.
adorandam expoſuit, & ſacrilegis hoſtiis publicè excolendam præcepit, vtque non refugerent deteſtabilem cultum, ad terram deiicere cogit adſpectum: *Cadentes adorate ſtatuam auream.* Dan. 3. v 5. Priuauit oculis, quo infandis frueretur cultibus. Quid tunc; Totus populus proruit in faciem, & obediendi libidine figmentum caſibus adorauit: non ignorabant ſtatuam ſenſus expertem, & tamen vim inferebant rationi, ne refragarentur Principi. Nec oculus adorationi reſiſtere, & Principis placito refragari ſuaderet, ab omni luce auertebant, & cadentes caliginibus obſcurabant. Pro veritate ſteterunt tres pueri horrendum reſonantes ignium globulos magnanimè deſpicientes, & delirios vulgi aduerſantes, in fornacem miſſi fornacem vicerunt, & ignis diſſoluit veſtigium oſculando vincula, vt præſtaret Sanctis obſequia: Tunc Nabucho rei nouitate perculſus Dei omnipotentiam agnouit, & prædicauit. Nec tam illi Angelus ardentes flammas ſopiens admirationem ingeſſit, quàm puerorum religioſa conſtantia ſententiam demutare ſuaſit: *Benedictus Deus eorum, Sidrach, Miſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eruit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt, & tradiderunt corpora ſua, ne ſeruirent, & ne adorarent omnem Deum.* Plus obſtupuit pueros regis ſententiam non amplexos, quàm repoſito ardore ignis ſplendoribus adſpicere coronatos. Notauit Chryſoſtomus homil. 18. in cap. 6. 1. ad Corinth. *Cùm eos igni non conſumi videret, erumpens ait: Benedictus Deus eorum, Sidrach, Miſach,*

Digitized by Google

ſach, & Abdenago, qui miſit Angelum ſuum, & eripuit ſeruos ſuos, qui crediderunt in eum, & verbum regis immutauerunt. Quid dicit? Contemptus es, & admiraris? Certè, inquit, ex contemptu mei admirationem capio. Ecce teſte Chryſoſtomo non tam miratur ignem ſopitum, quàm ſe contemptum: quaſi ob ſingularitatem grandius miraculo fuerit Principis pueros non amplexos ſententiam, nec eius, quantumvis reclamarit veritas, ambientes ſtudioſiſſimè gratiam. O quàm homines plauſus æſtimationiſque ignorant vias! Principibus adulantes ſibi æſtimationem geſtiunt conciliare, & amittunt, dum conſtat virtutibus contraire. Ecce tres pueri, dum regem malunt ſpernere, quàm virtutem, admirationem ſibi conciliarunt, & gratiam Principis inuenerunt. Itaque; vt dicebam, vltra miraculum viſum eſt Nabuchodonoſori eſſe, qui eius opinionem deſpicerent, & ſententiam abiurarent. Et quidem ipſa admiratio quam ſit rarum oſtendit Principibus contraire, & eorum ſententiam non ſequi. Adnecte non tantas ipſi morti vires ineſſe ad terrorem incutiendum, quàm Principis exemplo ad ipſum terrorem mortis fugandum.

252. Deuenerat Saül in Gelboë apicem, & quem vallis humilis fors tueretur, montis apes hoſtibus expoſuit, & indecoram mortem aſciuit: totum prælij pondus verſum eſt in Saül, vt qui præſtiterat cauſam, & prælij experiretur anguſtiam: maluit ille proprio gladio vitam abſcindere, quam probra ab hoſtibus ſuſtinere: *Arripuit itaque Saül gladium, & irruit ſuper eum.* Armiger etſi prælij pondere non oppreſſus, etſi hoſtilibus ſagittis non referatur confoſſus, Saülis mortem imitatus proprio gladio præcordia abſcidit, nec aliam ac Principis mortem delegit: *Cùm vidiſſet armiger eius, videlicet quòd mortuus eſſet Saül, irruit etiam ipſe ſuper gladium ſuum, & mortuus eſt cum eo.* O quam hinc vtile nobis documentum! Armiger Princepſque æquali morte finiuntur, & licèt vitâ diſſimiles, morte pares. O quàm æquo pede pulſat mors pauperum tabernas, regumque turres! Ecce armiger exemplo Principis prouocatus, & horrore mortis conterritus maluit Principis exemplum ſequi, quàm vitæ commodis frui. *Videns Saülem mortuum*, inquit Interlinearis, *ſe interemit.* Indignum reputauit aliam ſubiiſſe mortem, ac Princeps. Ad rem Plutarchus de amico & adulatore: *Simul atque Dionyſius reliquit Philoſophiam, & ad mulierculas lapſus eſt, omnes perinde quaſi Circeis poculis transformatos, litterarum odium, obliuio, vitaque mollities occupauit.* Quid certius & vſitatius?

1. Reg. 31. v. 4.

Interlin.

Plutarch.

§. LXI.

Maius affert detrimentum, quàm pati, aduerſarium nullum credere.

253. FAlſa ſecuritas eſt ſecura calamitas, qui timet, præcauet, & prudenti cautela iniqua fortuna aut fugatur, aut minuitur: palpitantibus nobis præcordiis viuendum eſt, & vti in hoſtili regione ceruix frequenter circumagenda. Qui ſe falsò arbitratur tutum, ſerò ingemiſcere ſolet falſum, & qui ſolicitus deuinceret aduerſarium, inepta ſecuritate ſæpè aſciuit ſibi periculum: Abner, dum Aſaël hoſtem veretur, victoria etſi infauſta coronatur: *Percuſſit eum Abner auerſâ haſtâ.* Rebus iam compoſitis, initâ pace, dum nihil ſuſpicatur aduerſum, inuenit fraudulentiſſimum dolum: *Cùm rediiſſet Abner in Hebron, ſeorſum adduxit eum Ioab ad medium portæ, vt loqueretur ei in dolo, & percuſſit illum ibi*: ibi Abner percutitur, vbi inſidias nullatenus ſuſpicabatur: & quidem vti cautela eſt ſecuritatis mater, ſic improuida confidentia periculorum eſt nutrix: nihil ſic timendum eſt, vt ignaua ſecuritas: proſternuntur imprudenter ſecuri, detriumphant cauti: inopinam Philiſthinis ſtragem attulit ſecura inertia, & nihil verita ignauia: dolis muliebribus Samſonem ſibi infenſiſſimum ceperant, cúmque orbatum luminibus, coma nudatum deſpicerent, nec poſſe iam inſtaurare bellum timerent, inſtructiſſimis ſecuritatem conuiuiis concelebrabant, & omni timore prorſus abacto malefidæ ſecuritati plaudebant. *Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras*; verùm tunc luctuoſiorem ſunt perpeſſi fortunam, cùm exiſtimant nullatenus victoriam interpellandam: dum omni metu ſepoſito lautioribus indulgent conuiuiis imprudenter confiſi, iacent inopinis fabricæ ruinis miſerrimè tumulati: *Concuſſis fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* Compara amabo te Philiſthinos acri timore perculſos, & ſolicita ſemper anxietate munitos cum eiſdem incautè ſecuris, & improuide lætis, videbiſque grauius illis attuliſſe detrimentum, quàm pati aduerſarium nullum iam fore exiſtimaſſe inimicum. Securitate interierunt, qui ſolicitudine viuerent: dum omni aduerſatio arbitrabantur ſe liberos, irremediabilibus lachrymis ſe doluerunt proſtratos: grauior illis fuit falſa ſecuritas: quàm vrgens erat calamitas. Innuit Ambroſius 3. epiſtolar. epiſt. 24. *Intentis ad feſta ſacrificij Paleſthinis, quod Dagoni Deo ſuo deferebant, per quem ſibi aduerſarium ſuum datum in poteſtatem arbitrabantur, muliebris perfidia dolos beneficiis annumerantes cæleſtibus... Concuſſit columnas magna vi, ac diſſoluit, & comminuit eas: quas ſecuta ruina ſuperioris culminis & ipſum inuoluit, & vniverſos, qui deſuper aſpectabant, præcipitauit.* Satis fuit hoſtis vnicus, vt è culmine magnates ruerent, fors opus fuit multis adiutoribus, vt aſcenderent: vbi ſublimitate abutebantur ad muliebres celebrandos dolos, & ad adſcribendos idolo triumphos, inuenerunt præcipitium, & præcipitio tormentum. Ergo, vt dicebam, dum remanſiſſe nullum iam hoſtem arbitrantur, ab inimico occiduntur.

2. Reg. 2. v. 23.

2. Reg. 3. v. 27.

Ambroſ.

Huius Philoſophiæ non ignarus Dauid, cùm ſciſſa chlamydis regalis ora hoſtis pertinaciam edomuiſſet, & innocentiam ſuam luculenter comprobaſſet, ſibi ſtudioſiùs conſuluit, & cautiùs proceſſit. Pactum rege efflagitante initur, & pace ſancita Saül curiam repetit. Quod tunc Dauid? Tutiſſima cautus loca perquirit: *Abiit ergo Saül in domum ſuam, & Dauid, & viri eius aſcenderunt ad tutiora loca.* Superuacaneum cui videatur poſt pacem ſectari tutiora, qui ante pacem incolebat non adeò tuta: ſi Dauid anteà, dum cuneis cingeretur hoſtilibus, tutiora non tenuit, cur modo rebus iam compoſitis inito fœdere, florente pace auidiùs inſcendit abrupta? Quia anteà, inquit Abulenſis, ipſa ſolicitudine muniebatur, modò verò ipſa quodammodò prodi verebatur ſecuritate: ergo plus timuit ſecuritatem, quàm 254.

1. Reg. 24. v. 23.

Digitized by Google

quàm hoſtem: *Dauid non credidit his verbis; ſed receſſit*, inquit quæſt. 34. *ideo tunc magis cœpit cauere Saülem.* Vt erat Dauid prudentiſſimus, tutiora delegit loca, ne dum nulla ſibi imminere putat diſcrimina, duriora experiatur tela. Abulenſ.

255. Iudas celeberrimus ille Dux Domini electione antelatus, & virtutibus communitus hoſtes locorum arduitate circumſeptos, & ambagibus obarmatos intrepido veſtigio, alacri animo, & audenti aggreditur ferro: cúmque facillimè cedant diuinæ potentiæ, quæ variis deterrebant difficultatibus implicata, excelſa poſſedit, anteà, ſi fas eſt dicere florentiſſimo triumpho coronatus, quàm Martiale bellum fuerit aggreſſus: *Fuit Dominus cum Iuda, & montana poſſedit, nec potuit delere habitatores vallis: quia falcatis curribus abundabant.* Certè textus ſibi contraire videtur, dum diuinum adfuiſſe teſtatur auxilium, & vallis incolam nullatenus ſuperatum. Si Dominus Iudæ auxiliares tulit ſuppetias, quid obſtat falcatas, ferreaſque inimicus poſſederit machinas? Redacta eſt in leues fauillas totali ſine impulſu lapidis ictu ſtatua, illius duriſſima diſparuere metalla, & non cedent militaria curruum ſubſidia? Potuit Ioſuë dum diuinum adeſt auxilium, rapidiſſimum inhibere planetæ curſum, & non potuit Iudas eodem auxilio fultus detriuiſſe, aut ſaltem exterminaſſe aduerſarium? Iam ſi non potuit, diuinò non referatur ſubſidio armatus, quando cæleſtis auxilij videtur iniuria nõ perfeciſſe de tritis hoſtibus bella. O cæleſte conſilium! O eruditionem moribus vtiliſſimam! Non deleuit vallis incolam, ne obſcuraret partam victoriam: ſublimia poſſidens, celſiora tenens fors ni aliquo hoſtili ſolicitaretur incurſu, inerti ſomno ſterteret illigatus, & aduerſam prouocaret fortunam nimia confidentia malè ſecurus: ergo vt alta poſſideat, aliquo oportet aduerſario ad arma citari, & timore ſecuritatem muniri. Ita Hugo Charenſis ad hunc locum: *In hoc ipſo fuit Dominus cum Iuda. Reſtringit Deus etiam propitius in cordibus filiorum nimiæ proſperitatis exceſſum, vt in vſus eorum conuertat inimicos, non ſolùm quando vincuntur; ſed etiam quando vincunt.* Maior hominis inimicus eſt ipſe, à ſemet perniciosior ipſi clades exoritur; dum felicitati ſuæ ad ſpeciem tutus gratulatur. Qui dignitatum faſtigia occupans, & nitidiore proſperitatis ſplendore vſus, ac multorum capitibus ſuperpoſitus non ſemel altum conuertit in lubricum, & ibi miſerabilius ſuſtinet præcipitium, vbi pacis putabat imperturbandum florere commodum. Dum Iudas inerti otio indulget ſine aduerſario, de ipſa victoria ſibi forſitan miſeram conciliaret ruinam; ſolicitis verò aduerſariorum excitatus adſultibus, & frequentiſſimis impetitus irruptionibus, ſolertiùs altiora communiet, & ſecuriùs communita poſſidebit. Cum Iuda eſt Dominus, dum florida coronatur lauro, & dum vallicola adurgetur inimico: *In hoc ipſo fuit Dominus cum Iuda.* Adde ſecurius eſſe homini vel cum ipſo dæmone colluctari, quàm ſibi nullum adeſſe inimicum, nec adfuturum ſuadere.

Iudic. 1. v. 19.

Hugo.

256. Paulus ſanctitatis apex, cœlorum in terra etiam degens ciuis durum ac perpetuum ſibi teſtatur eſſe cum Sathanæ Angelo luctamen: *Ne magnitudo reuelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meæ Angelus Sathanæ, qui me Colaphizet.* Sathanæ Angelus Paulum ſtimulat; ſed ſtrenuus athleta, dum veretur ſuperari, cæleſtibus auxiliis ſolicitat communiri, & ſolicitudo de lucta celebrem procudit victoriam: *Propter quod*, inquit, *ter Dominum rogaui, vt diſcederet à me. Et dixit mihi: ſufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur.* Mira res: vt ſufficiat gratia, hoſtis inſurgit, cenſeres repellendum ad gratiæ triumphum, & inſurgit ad elogium. Ecce non poſſit Apoſtolus carere pugna, & cæleſti perfrui gratiâ, quando eſt gratiæ legitima proles victoria? Iam ipſe explicuit: *Ne magnitudo reuelationum extollat me.* Cogita Apoſtolum tranquilliſſimo vtentem otio extolli, & cum virulentiſſimo deprælianrem aduerſario reprimi, quando tibi videtur periculoſior aut ſecurior? Sine aduerſario dices; ſed falleris: nam eo in otio careret aduerſario legitimè ad pugnam prouocanti; ſed non aduerſario occulto fraudulentos laqueos obtendenti; periculo eſſet proximior, dum hoſtem non agnoſceret, & haberet. Dum omnem ab animo depellit curam, qui exiſtimat obſcurandam nunquam victoriam, altiorem ſuſtinet plagam. Ergo conducibilius fuit Paulo ipſum dæmonem ſortiri hoſtem, quàm falſam fouere ſecuritatem, & ſecuritate elationem: *Prouidit mihi remedium*, inquit Anſelmus ad hunc locum Pauli nomine, *quod aduerſus elationem, quæ euenire poterat, opponerem.* Expende quàm falſa ſecuritas graue ſit damnum, quando habetur cum dæmone colluctari remedium. Anſelm.

2. Cor. 12. v. 7.

§. LXII.

Ineptâ gaudet ſecuritate, qui externam ſolùm malorum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit.

Fateor calamitatem noſtram externis fulciri, & ſæpè exterioribus adaugeri; eius tamen præcipua radix interiùs latet; & in modum veneni ſerpit. Contempſit aliquis diuitias; ſed vt ſibi contemptus laudem pareret: calcauit faſtum; ſed ſuperbo, & arroganti veſtigio: fortunæ imperio ſſubiectus erit, quiſquis animo non aſſurgit ſupra fortunam: aliquando ſerpens deliteſcit in latebris temporis iniuria repreſſus, & volumina fœda contrahit impeditus; ſed licet à tumultu ſecedat, venena ſecum pectoribus portat. Ineptè tibi plaudis, ſi curam erga externa ſolùm adhibeas, internis miſſis, & diſcrimine magno neglectis: *Nihil deſideret oportet*, aiebat Seneca epiſt. 110. *Si vis Iouem prouocare nihil deſiderantem.* Addit: *Id ages, vt ſis felix, non vt videaris, & vt tibi videaris, non aliis.* Ambitio de cupiditatis conſilio, de fraudis dolo externæ ambitioni ad ſpeciem refragatur, & fucata modeſtia non ſemel vera arrogantia fouetur. Ad rem Tertull. lib. de Pœnit. c. 11. *Qui ambitu*, inquit, *obeunt capeſſendi magiſtratus, neque pudet, neque piget incommodis animæ, & corporis, nec incommodis tantùm; verùm & contumeliis omnibus eniti in cauſa votorum ſuorum. Quas non ignobilitates veſtium affectant, quæ non atria nocturnis, & crudis ſalutationibus occupant, ad omnem occurſum maioris cuiuſcumque perſonæ decreſcentes, nullis conuiuiis celebres, nullis comeſſationibus congreges; ſed exules à libertatis, & lætitiæ felicitate: idque totum propter vnius anni volaticum gaudium*: En ambitio externa præcidit: affectat in vultu modeſtiam, in habitu grauitatem, in ſeceſſu ſapiens otium; verùm à libertatis & lætitiæ felicitate exulat, dum internis flammeſcit cupiditatibus, & externis ſe fallit ſordibus. Circumcidenda ſunt extrinſeca virtutum nocumenta; ſed ita vt interna non remanſerint calamitatum

257. Seneca. Tertull.

tatum auxilia. Deuenerat in Philiſthinorum poteſtatem Samſon, cúmque comâ nudatus, & compedibus premeretur obſtrictus, ſibi victoria plaudebant, & falſa ſecuritate otia, & conuiuia tractabant: *Lætantes per conuiuia ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Samſon.* Nocentiſſimam ſibi peſtem iam in ludum & oblectamentum ſibi arbitrabantur conuerſam, quia externos capillos raſerant; at interna radix pullulauit, & ſecuros ruinâ irreparabili oppreſſit: *Iam capilli eius renaſci cœperant, & Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnũ, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur dicentes: Tradidit Deus noſter inimicum noſtrum Samſon in manus noſtras.* De victoria ſibi gratulabantur iam ſecuri, & læti; verùm dum internam ſibi peſtem radicitus non extirparunt, externum ſolùm capillamentum amputare contenti, ruinam ſibi parauerunt inepta ſecuritate confeſſi: *Iuxta Hebræum habetur*, inquit Caiet. *Et cœpit capillus eius germinare, ſicut fuit raſus. Et eſt ſenſus, quòd tonſo capite non fuit priuatus Samſon germine capillorum; ſed iuxta ſolitum naturæ curſum cœperunt capilli creſcere.* Grauiore quàm anteà, corruêre ruinâ, dum externis ſolùmodò amputatis de victoria ſibi plaudebant: quia dum amputatis capillis nil iam timebat vecordia, relicto germine inopina miſerè oppreſſit ruina.

Caietan.

258. Ieroboami vxor, vt prophetæ iniret gratiam, vt ægrotanti filio acquiſiuerit medicinam de mariti conſilio ſplendidum deponit ornatum, & vel in ipſa ſalutis negotiatione de cutiæ vſu recurrit ad dolum: *Surge & commuta habitum, ne cognoſcaris quod ſis vxor Ieroboam, & vade in ſilo, vbi eſt Ahias propheta, qui locutus eſt mihi quod regnaturus eſſem ſuper populum hunc.* Pugnabant ſecum vecordiæ delirium, & ſalutis deſiderium; ad prophetam accurrebat, & habitu ſatagebat eludere prophetiam. Quid tunc Ahias? *Ingredere vxor Ieroboam, quare aliam te eſſe ſimulàs? Ego autem miſſus ſum ad te durus nuntius. Vade, & dic Ieroboam: Hæc dicit Dominus Deus Iſraël: quia exaltaui te de medio populi, & dedi te ducem ſuper populum meum Iſraël, & ſcidi regnum domus Dauid; & dedi illud tibi, & non fuiſti ſicut ſeruus meus Dauid, qui cuſtodiuit mandata mea, & ſecutus eſt me in toto corde ſuo, faciens quod placitum eſſet in conſpectu meo; ſed operatus es mala ſuper omnes, qui fuerunt ante te, &c. idcircò ecce ego inducam mala ſuper domum Ieroboam.* Inter malitia erat fœcunda calamitatum vena infortuniorum ſcaturigo, & cùm nullum internis culpis ſolicitaret pharmacum; recurrebat ſtultitia ad externum ornamentum: veſtimentorum regalem mutabat pompam; ſed internam conſeruabat malitiam: ſub diuerſo habitu eadem erat, cùm ruinæ non tam eſſet occaſio exterior habitus, quàm numinis ſacrilegus ac periculoſus deſpectus. Adeſt Clemens Romanus lib. 3. conſtitut. cap. 7. *Hi qui in peccatis verſantur, niſi pœnitentiam egerint, non ſolùm exaudiuntur, cùm ſupplicant; ſed etiam Deum irritant in memoriam ei reducentes ſuam improbitatem.* Internis prauitatibus ſtudens, & externa ſolùm auferens vxor Ieroboam irritauit prophetam, & dignam protulit mulctam.

3. Reg. 14. v. 2.

Clem. Rom.

259. Nec aliter ille, qui beſtiarum numerum redactus eſt: imaginem videt multiplici materiâ conflatam, cuius luteos pedes durus, contriuit etiam ſine manibus lapis: *Abſciſſus eſt lapis de monte ſine manibus, & percuſſit ſtatuam in pedibus eius ferreis, & comminuit eos.* Nabucho putans calamitati præſtitiſſe occaſionem lutum, auro commutauit: *Fecit ſtatuam auream.* Exterius quæſiuit remedium, aurum oppoſuit ictibus clypeum; verùm cùm inteſtinâ laboraret malitia, ſtare non poterat externa fragilitate ſublata: parum noceret lutum, ſi abeſſet peccatum, & prodeſſet parum aurum: quia internum oppugnabat aurum delictum: *Ex vna auri materia conficiendum curat*, inquit Theodoretus orat. 1. *ratus infelix iſte falſas oſtenſurum ſe Dei prædictiones.* Cùm ſtragis interna malitia eſſet cauſa, ſtragi occurrit ſolùm demutando exteriora, verùm externis ſolùm præciſis, mutatiſve non ſuccurrit infortunio; ſed vires addidit morbo. Certè plures ſunt Nabuchodonoſoris diſcipuli: interna prauitate concutiuntur, & inter ſceleris amorem, & ſupplicij metum diuiſi ad externam ſolùm fallaciam recurrunt ab internis non recedunt: ſi eſſent alij, non adurgeret calamitas; ſed ipſi nolunt corrigere vitam, externam demutare contenti ſolùm perſonam. Certè ſi vis calamitatem propulſare, hoſtes eludere, vtrúmque coniungas neceſſum eſt; interna videlicet caſtigare, & externa ſuffragia quærere.

Daniel. 2. v. 34.

Dan. 3. v. 1.

Theodoret.

Arctâ obſidione laborabat Samaria, rex murorum ſtudebat munitionibus firmandis, & hoſti aditibus impediendis, cum fœminæ cuiuſdam clamore percuſſus regium ornatum præcidit, & internum cilicium ſine oſtentatione oſtendit: *Scidit veſtimenta ſua, & tranſibat per murum: viditque omnis populus cilicium, quo veſtitus erat ad carnem intrinſecus.* Quid tunc? Iam inimici aufugiunt, iam Samaritani diteſcunt: *Egreſſus populus diripuit caſtra Syriæ.* Dum interna pœnitentia depellit iniquitatem, & ad externam murorum recurrit opem, fruitur incruenta victoria, & innumera potitur trophæa. Parum iuuaret murorum ſubſtructio, quando Ierichuntini muri clamore collapſi, ni cilicium premeret, & fors, etſi cilicium premeret, terga non verterent hoſtes, ni ſuffulti, & reparati ſolerter muri; at dum vtrumque coniungitur, victoria de hoſtibus reportatur, & calamitas abigitur: *Ipſum (cilicium) acceperat rex*, inquit Lyra, *affligendo carnem ſuam, vt facilius impetraret Dei miſericordiam.* Sic diuina impetratur miſericordia, interna mala pœnitudine delendo, & externa auxilia non deſertando: vt videas non nocere exteriora, ſi virtus interiùs vigeat, nec ſi non viguerit, prodeſſe, recole quid Achabo, Ioſaphatque acciderit. 260.

4. Reg. 6. v. 30.

4. Reg. 7. v. 16.

Lyra.

Ramoth Galaad repetiturus pergit copioſo exercitu Achabus: illius Ioſapat erat comes, cumque non ignoraret Syriæ regem in alium præter quam in Achabum certamine prohibuiſſe: *Non pugnabitis contra maiorem, & minorem quempiam niſi contra regem Iſraël ſolùm*: doloſa vrbanitate in regio ornatu procedere Ioſaphat conſuluit, & ipſe habitum regium gregario habitu commutauit: Dixit Rex Iſraël ad Ioſaphat: *Sume arma, & ingredere prælium, & induere veſtibus tuis. Porrò Rex Iſraël mutauit habitum ſuum, & ingreſſus eſt bellum.* Syri ſplendore ornatus deluſi Ioſaphat eximiè adurgebant; verùm eò agnito ceſſauerunt ab eo: vir autem quidam in incertum ſagittam eiaculatus Achabum altiſſima plaga percuſſit: *Caſu percuſſit Regem Iſraël inter pulmonem & ſtomachum.* Ecce Ioſaphat de interna virtute viuit externis non mutatis, cum Achabus mutatis externis, internis tamen retentis vltrice decumbat tranſuerberatus ſagitta: abſtulit adæquè ſtultus ac fraudulentus externam pompam; ſed non internam malitiam. Ergo vt noueris parùm prodeſſe exteriora exuere, ſi interiùs malitia vigeat, & 261.

3. Reg. 22. v. 31.

Digitized by Google

& nocere parum non demutare, ſi virtus interiùs floreat, Ioſaphat inter pericula viuit, Achabus perit: *Achab regem* (verba ſunt Ambroſij lib. de Naboth cap. 6.) *cœleſtibus ingratum beneficiis ità iuſſit occidi.* Amputatis exterioribus interna illum tradidit morti malitia, vt compertum ſit inepta gaudere ſecuritate, qui externam ſolùm malorum cauſam præcidit, internam non amputauit.

Ambroſ.

§. LXIII.

Sibi grandæuus detrahit, ſi repueraſcens puerilia amplectatur placita; & imitetur veſtigia.

262. Ridiculus eſt ſenex elementarius; ſed probroſior, ſi fuerit elementarij diſcipulus ad pueritiam retrogradi, niſi humilitatis conſilio; indecorum eſt; inuenies tamen qui in ſenectute pueriles animos gerant, & ſibi alienam prorſus ætatem non ſine dedecore inſerant. Cùm Paulinæ adoleſcentiæ flore vernantis conſiliis Stoicus acquieſceret, ſenectutis beneficio ſe priuatum non ſine lepore aſſerebat: *Cùm me fortiorem*, inquit epiſt. 104. *ſenectus ad multa reddiderit, hoc beneficium ætatis amitto. Venit enim mihi in mentem in hoc ſene & adoleſcentem eſſe, cui parcitur. Itaque quoniam ego ab illa non impetro, vt me fortior amet, impetrat illa à me, vt me diligentiùs amem.* Adoleſcentem ſe in ſenectute Stoicus expertus eſt, dum adoleſcentis ſe attemperauit votis & reclamante ætate repueraſcens obſequebatur conſiliis. Nec vni Stoico hoc accidiſſe reperies; ſed quàm plurimis: iam in Samſone oculis orbo horum mores adumbrauit ſcriptura: puerulì veſtigia ſequens; eiuſque placito obtemperans refertur, ab omnibus irridendus producitur: *Præceperunt, vt vocaretur Samſon; & ante eos luderet: qui eductus de carcere ludebat ante eos: feceruntque eum ſtare inter duas columnas, quibus omnis imminet domus.* Non ſine myſterio refertur puero obtemperans, & irriſionis iniurias ſubiens quandoquidem indignum erat à puero ſenem regi, & ab illo huc illùcque pro arbitratu circumduci. O quàm erat cæcus Samſon, dum non ſenis ſequebatur ductum; ſed pueruli greſſum: quovſque à puero dimiſſus, glorioſum non cepit triumphum ſed indecorum ſuſtinuit probrum; aſt pueruli renuntians conſiliis columnas elocauit; & ſe viriliter greſſit. Adeſt Abulenſis q.48. *Erat Samſon orbatus vtroque oculo, & dirigebatur à quodam puero.* Cum omnia in figura illis contigerint, Samſon proponitur cæcus, & à puerulo quocumque vellet puer ipſe perductus, quo veluti in ſpeculo adſpicias, quàm ſit irridendus homo ſe puero adaptans pueriliter; & quàm cæcutiat puerili placito obtemperans imprudenter. Non potuit Samſon non impingere, non valuit dedecus excutere, dum à puerulo rectus, & gubernatus; at dum ab eo diſiungitur proprio operatus arbitrio, celebrando nobilitatur trophæo.

Seneca. Abulenſ.

263. Elias impotentes Reginæ iras metuens ad deſertorum contendit auxilia; ſed puerum ſecum deferens grauati ſe ſenſit, & vt virilibus veſtigiis tenderet, dereliquit. *Timuit Elias, & ſurgens abiit, quocumque eum ferebat voluntas. Venitque in Berſabee Iuda, & dimiſit ibi puerum ſuum, & perrexit in deſertum viam vnius diei.* Tilmanus in allegor. adumbrari hic putat perfectos viros debere puerilitatem omnem relinquere, ſi velint effugere probrum, & periculum: eſt enim indecens grandæuum puerilibus veſtigiis inſiſtere, & pueri placito accommodari. *Procul* (verba ſunt Tilmani) *puerilitas eſt arcenda. Dimiſſo verò puero ſecurè iam pergitur in ſolitudinem: puer enim ſqualorem eremi, laborem itineris tolerare nequiret; ardorem ſitis, famis inopiam ferre recuſaret. Quanti cum puero pergunt in ſolitudinem, eius impedimento deficientes in via non perueniunt ad montem Dei Horeb.* Plures ſunt qui ſenili ætate pueris ſe adiungunt repueraſcentes, & canitiem dehoneſtantes: & quidem hi ad dignitatum celſa, ad morum conſpicua tardè peruenient, cùm ipſi impedimenta ſibi appoſuerint, & conciliarint. Viri grandæui, ſeduliſque ſedulos, & grandæuos comitentur, non pueros ſequantur. Tibi tranſeundum eſt ad meliores, Catonis audienda dicta, Lælij placita, Tuberonis præcepta, ſi honores honeſtè exambis. Cum Socrate viue, verſare cum Zenone, cum Chryſippo, & Poſſidonio habita: hi te ad morum concinnitatem, & philoſophiæ notitiam ducent: nam in huius vitæ fluctuantis, & turbidæ nauigatione inexperto puerulo ſe committere, ac gubernaculum tradere eſt naufragium certum ſubire. Si te iam tempus à puerilitate exemit, ne iterum repueraſcas. En dum Elias cum puero agit, Iezabel illum occidendi ſpem fouet, vtque periculum fugiat, puerum relinquit propheta, & iam cacumini, tenet alta.

3. Reg. 19. v. 3. Tilman.

264. Gillibertus ſolito ingenij acumine Chriſti Domini exinanitionem in Eliſæo puero ſe adaptanti adumbratam aſſeruit. Repetamus hiſtoriam: Matri condolens puerum ſuſcitaturus contendit, & vitam myſticis factis refundit: *Poſuit os ſuum ſuper os eius; & oculos ſuos ſuper oculos eius; & manus ſuas ſuper manus eius, & incuruauit ſe ſuper eum.* Dum manibus manus æquat, dum pedibus pedes adaptat, incuruatus refertur, & quid ſuæ magnitudini detraxiſſe proditur: minor eſt Eliſæus puero compoſitus; & eius paruitati adæquatus: *Pueri ori ſuum os impoſuit* (verba ſunt Baſilij Seleucienſis orat. 10.) *naſum naſo aptauit, faciem facie fulcit, cum pedibus pedes contendit, pectus impoſuit pectori; oculus oculos admonuit.* Non poterat ſe non minuere, qui ſic puero ſe attemperabat: eſt enim, ſi ſolum ad externa reſpicias, grandæuo viro non modica imminutio puero exæquari, & in ſe pueritiam refundere. In hoc facto, vt dicebam, Chriſti Domini exinanitionem nouit Tilman. in allegor. ad 17. lib. 3. Reg. *Iſte incuruauit, ille exinaniuit ſe, vt formam ſerui ſuſciperet, & æternitatis ſuæ longitudinem infra temporalis breuitatem naturæ contraxit.* Chriſtus Dominus gloriæ ſuæ ſplendorem noſtræ naturæ habitu texit, & ad ſpeciem imminuit: ergo vt hanc exinanitionem ſcriptura exprimeret, Eliſæum protulit puero coæquatum; & quidem qui de humilitatis conſilio repueraſcit, in ſe Chriſtum refert, qui verò de cæca affectione, ac imprudenti exinanitione pueris aſſociatur, & ſequitur, grauitatem obſcurat, & deſpectum ſibi elaborat.

4. Reg. 4. v. 34. Baſil. Tilman.

265. Populi ruinam, vt antiqui ſplendoris obſcurandam prorſus gloriam teſtatur Dominus, dum conſilia iuuenum ait amplectenda, & ſtudia procuranda: *Dabo pueros principes eorum, & effeminati dominabuntur eis, & irruet populus vir ad virum, & vnuſquiſque ad proximum ſuum.* Iuuenum conſilia, puerorum præ-

Iſai. 11. v. 6.

Digitized by Google

cepta ſecutus Roboam ſibi honorem imminuit, & regnum ad alium tranſtulit: *Talis fuit*, inquit Hieronymus apud gloſſam, *Roboam, qui ſecutus eſt conſilia iuuenum.* Roboam puerorum iuuenúmque coſilio rectus grandem regni partem amiſit, & acceptum à parentibus ſplendorem imprudenti edicto obſcurauit. Quid pueri inuenéſque conſulerent, niſi elationis ſuperbiam, niſi acquirendi cupiditatem, niſi inſipientiæ elationem? Iuuenum ſecutus placita, puerorum amplexus conſilia à populo deſpicitur, & ſplendor regiminis obſcuratur. De peruerſitatis ingenio, non de commiſerationis conſilio puerum, à quo regeretur, exhibuerunt Samſoni, quo ſic, & inhoneſtiùs proderetur cæcus, & manifeſtiùs ridiculus.

Hieron.

266. Iſaias, vt Chriſti Domini virtutem, diuinitatémque commendaret, leonem ab eo paruulo regendum prodit: *Vitulus, & leo, & ouis ſimul morabuntur, & puer paruulus minabit eos: vitulus & vrſus paſcentur ſimul, requieſcent catuli eorum, & leo quaſi bos comedet paleas.* Ne dubites, inquit Propheta, puerulum, à quo leo regitur, & vrſus ducitur, diuinitate pollere: aſpice leonem nullum detrimentum ſubiiſſe, vitulum fortitudinem non mutaſſe: ergo, ni Deus eſſet paruulus, leo vrſúſque eius nutu gubernati, & eius placitum ſecuti maieſtatis ſplendorem amitterent, non ſeruarent: ergo dum acquieſcentes pace florent, dum nullis erroribus implicantur, regentem puerulum diuinitate conteſtantur ornatum, & infinita ſapientia exultum. *Puer paruulus*, inquit Lyra, *id eſt, Chriſtus, qui ſuprà nono capite vocatur paruulus, ducet eos ad voluntatem ſuam.* Ad pueri voluntatem ducti ſplendore illæſo, & auctoritate ſeruata diuinum produnt: ni enim plus homine eſſet, eius ſecuti placitum, eiúſque imitati veſtigia ſibi detraherent, & honorem ipſa ſequela obſcuratum minuerent.

Iſai. 11. v. 6.

Lyra.

---

§. LXIV.

Ibi peccator luctuoſiſſimam patitur calamitatem, vbi irriſione affectat dehoneſtare virtutem.

267. QVisquis à virtute deſciuit voluptatibus adulatus, errat, & ſe cæciſſimis nodis implicat; verùm dum virtus in pretio eſt, aliqualis adhuc affulget ſpes ſalutis. Aiebat quidam: *Video meliora probóque, deteriora ſequor.* Pars ſalutis erat rationis lumen denſis fallaciarum tenebris non euinci, & honeſtatem in pretio haberi: delinquebat ille vt humanus; ſed non inſaniebat delirus; at quibus virtus contemptui, quibus honeſtas habetur deriſui, non dubites luctuoſiſſimam imminere ruinam, & miſerandam tragœdiam. Tertul. lib. de Pœnit. cap. 10. pudorem virtutis inimicum damnat, qui damnaret irriſionem virtutis: *Intolerandum ſcilicet*, inquit, *pudori Domino offenſo ſatisfacere, ſaluti prodactæ reformari. Na tu verecundia bonus: ad delinquendum expandens frontem ad deprecandum verò ſubducens: ego rubori locum non facio, cùm plus de detrimento eius acquiro cùm ipſe hominem quodammodò exhortatur, ne me reſpexeris, dicens, pro te mihi meliùs eſt perire.* Pudor virtutis inimicus affert detrimentum; virtutis verò contemptus, & amens irriſio calamitoſum naufragium. Philiſthinos video in Samſonem armari doloſis illum technis adoriri, & infelici victoriâ captum duris catenarum nexibus premere; non tamen miſeranda ſtrage perire, idolis adſcribunt victoriam, hoſtias vanitati ſacrificant, ſe luxu, & ebrietate commaculant, & tamen ſtat templum validis columnarum fulcris innixum; at dum Samſon, vt ante eos ludat, è carcere adducitur tota templi machina ſolo æquatur. *Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur. Lætantes per conuiuia ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Samſon, & ante eos luderet.* Inquires cur templi non ſepeliantur ruinis, dum idolum execrandis hoſtiis demerentur, & inopinè ruant, dum Samſonis ludis oblectantur. Reſpondeo anteà deliquiſſe; ſed virtutem ludibriis non ſubſannaſſe, modò verò repetitis ludibriis dedecoraſſe virtutem, & ſibi maturaſſe ſtragem: adhuc Dagoni, luxuique ſacrificantes viuebant; aſt corruerunt omnes vbi inſultauerunt virtuti: nec enim poterant miſerè non perire, quibus voluptas erat virtutibus inſultare. Adeſt datus ſæpè Ambroſius: *Cum eſſet celebre conuiuium, Paleſthinorum conuentui producitur de carcere Samſon, ac ſtatuitur in populi conſpectu: erant tria millia fermè hominum virilis ac muliebris ſexus, & granibus in eum inſultabant comitiis, circumagebant ludibriis, quod duriùs, & vltra ipſam captiuitatis ſpeciem viro ingenita virtutis conſcio tolerabatur: nam vincere, & mori naturæ functio; ludibrio eſſe probro dicitur.* Aliquid reliquerat vitium etſi idolis inſeruiret, dum virtutem ludibriis inceſſit intactum; at vbi de virtutis ludibrio cariſſimam voluptatem percipere ſunt aggreſſi, ruinâ irreparabili iacuerunt etiam ſepulti: vt notum ſit virtutis irriſionem periculis eſſe plenam, & duris verberibus caſtigatam.

Tertull.

Rubori pr catur. ſi plus eius detrimento acquiritur.

Puerum illum Sunamitidis filium, dum ardore tabidus interiit, populum gentilem variis delictorum febribus æſtuantem adumbraſſe teſtatur Baſilius Seleucienſis, vt etiam Eliſæum Chriſti Domini, geſſiſſe imaginem. Ergo Eliſæus demortuo vitam refudit, & caliginem mortis mortis quodammodò ſugendo caliginem à puero abegit: *Incubuit ſuper eum, & oſcitauit puer ſepties, aperuitque oculos:* Oculos clauſerat cæcitas, abſtulerat vitam malignitas; ſed aperuit gratia, & reſculpſit miſericordia. Audi Baſilium orat. 10. *Quæramus cuius figura fuerit Eliſæus, cuius Sunamitis, & iam Sunamitidis filius mortuus: Eliſæus Chriſti figuram gerit: populus autem gentium erat ille mortuus vi peccatorum.* Ingens peccatorum vis ad puerum illum confluxerat: eſt enim fertilis errorum adoleſcentia; Eliſæus tamen membra ſalubri calore refouens ardorem peſtilentem depulit, ac tandem vitam refudit. Tranſi ad eundem, videbiſque, dum Bethel aſcendit, paruulos tradidiſſe vrſorum vnguibus dilaniandos & morſibus diſcerpendos: *Egreſſi ſunt duo vrſi de ſaltu, & lacerauerũt ex eis quadraginta duos pueros.* Eccur hic ſæuit ad ſpeciem ira, cùm ibi reſplenduerit miſericordia? Eſto pueri deliquerint ille etiam erroribus ſtudebat: ergo vtrobique impendat miſericordiam, aut intulerit mulctam. Expende amabo te delictorum differentiam: pueri iſti prophetæ illudebant: inquit enim textus: *Pueri parui egreſſi ſunt de ciuitate, & illudebant ei dicentes: Aſcende calue, aſcende calue.* A pueris prophetæ caluities inuenitur prodita, quæ à viris nunquã detecta. Certè qui magnus aliorum defectus tegit; qui paruulus, prodit, 268.

4. Reg. 4. v. 35.

4. Reg. 2. v. 24.

prodit: duplo ſpiritu ornabatur propheta, aquarum ſterilitatem in fœcunditatem verterat, pueri tamen ad miracula exoculati, ad defectum euulgandum extiterunt vocaliſſimi. Itaque dum variis prophetam puer dehoneſtat ludibriis, interiit ſtrage immatura caſtigatus, & vrſorum viſceribus dignè ſepultus, cum vi peccatorum demortuus puer vitam recuperarit, & oculos aperuerit. *Illud aſcende calue*, inquit Iuſtinius q. 8. ad orthodox. *dicebant in contumeliam aſcenſus Elia: quaſi*
Iuſtin. *dicerent: Capiat te quoque ſpiritus, & in mortem inacceſſum proiiciat, vt & illum proiecit, vt liberemur te, ſicut & illo liberati ſumus.* Qui fœcunditatem puerorum ſanatis laticibus fuerat impertitus, pueris inuenitur offenſus: ambiebant illi de raritate micare: ergo offenduntur aliorum conſortio, & indignationem vomunt ludibrio: magni non offendebantur; ſed pueri; verùm dum ludibriis inſultant, auidos vrſorum dentes cruentant.

169. In patrem inſurgit Abſalom naturæ probrum, ambitionis delirium, & pudicitiæ naufragium, & quamvis Dauid compulſus fuerit montibus exertare, & calamitatum vortices ſuſtinere, eâ pietate & amore flagrabat, vt proditoris geſſerit curam,
2. Reg. 18. v. 5. & præceperit tutelam. *Seruate mihi puerum Abſalom.* Proditorem audis ſeruandum; ſi verò ad Noë conuerteris oculos, Cham videbis ſeruitute punitum, & ob culpam ad ſpeciem non grauem
Geneſ. 9. v. 24. pœnis non modicis caſtigatum. *Maledictus Chanaan ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Ecqua huius culpa? Patri, dum Chriſti imaginem gerit, inſultaſſe, & nuditatem eius non ſine ludibrio fratribus retuliſſe. Coniurarat Abſalom in patrem, rapere immaturis auſibus properarat coronam; non tamen virtutem irriſerat, nec ludibriis dehoneſtarat; at Cham irriſerat: ergo Dauid vitæ ſalutiſque Abſalonis gerit tutelam; ſed Noë digniſſimam infert mulctam. Noë nuditas non tam proueniebat à vino, quàm à myſterio: ergo filius patrem, dum Chriſti gerit imaginem, irridens & ludibrio contemnens, dignus fuit, qui amitteret libertatem, & perpeſſus ſit ſeruitutem: eſt enim veluti malitiæ faſtus, & procacitatis cumulus virtutem irridere, & ſanctitati inſultare. Ita Inter-
Interlin. linearis: *Bibens vinum in calice paſſionis inebriatus eſt, crucifixus vbi infirmitas mortalitatis apparuit.* Cùm omnia in figurâ contigerint illis, & Noë Chriſti tunc imaginem induerit, oportebat in irridentem filium duriſſimum fulminari ſupplicium, vt dignæ ſeueritatis ad poſteros mit-
Iſidor. teretur exemplum. Conſonat Iſidorus: *Iudæi Chriſti mortem videntes ſubſannauerunt.* Dum virtutem ſubſannantium Cham refert vmbram, commeritam ſuſtinet pœnam: minus eſt furore libidinis, ambitionis delirio abruptum Abſalonem arma in virtutes prenſare, quam Cham virtutes procaciter irridere: ergo illum paterna amplectatur pietas, huic à patre dura infligatur calamitas: quo timeas viros ſanctos ſubſannare, & ludibriis ſubſannationum affligere. Tulit Samſon vinculorum preſſuram; ſed irriſionis durè vleiſcitur contumeliam.

§. LXV.

Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari.

Viuere eſt rationi ſubiici, & ſtatuta æquitatis ſectari: non ſolum prodeſt virtus animo; 170.
ſed & corpori prodeſt. Neſciuit continentia doloſas fœneratoris artes, non eguit parcimonia ab aliis pecuniam fœnebrem mutuari; at vbi profuſior luxuria hominum corda poſſedit, & plurimis ſolicitudinibus diuexauit, parum viſum eſt delicatis receptaculum ad arcendas pluuias, & fouendam vitam ſufficiens inhabitare; architectonas induxit vanitas, & ſæculi noſtri infelicitas ſub marmore & inauratis tectis iam viuitur, opulentiſſimis; & in peregrina, & varia fercula diſtinctis menſis, quæ cruditates generent, edacitas fruitur: in luxuriæ obſequium inſumitur patrimonium: & qui rationabili ſumptu vſus ſalute ac diuitiis, floreret nimio luxu, viribus debilitatur, auxilio inferiorum ſordeſcit egens, & quos limis adſpiciebat, ſuſpiciens. *A natura luxuria deſciuit* (verba ſunt Stoici epiſt. 90.) *quæ quotidie ſe ipſam incitat, & tot* Seneca.
ſæculis creſcit, & ingenio adiuuat vitia. Fulget Ingenio fomentus vitia.
tantiſper luxuria, verum citò deſinit in ſeruitutem, & pro volatico ſplendore ſuſtinere cogitur abiectionem. Ecce Samſon dum luxuriæ vacat, pueri eget auxilio, honeſto capillamento nudatus, molæque addictus: *Dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt tangam columnas.* Ante interdicti præuaricationem hoſtibus formidoloſus puero iam paret, & ad quieſcendum tantiſper facultatem humiliter petit: in has extremas miſerias ſe ipſe coniecit; dum vitio inſeruiuit: *Erat Samſon orba-* Abulenſ.
tus vtróque oculo, & dirigebatur à quodam puero, inquit Abulenſis q. 48. Quàm erat acerbum ſtrenuo duci, heroi tot victoriis nobilitato puero ſubiici, eiúſque auxilio indigere. Digna profectò hæc erant ſupplicia exoculatæ luxuriæ; imò vt meliùs dicam, inſaniæ.

Heli filios habuit nobilitate conſpicuos, digni- 171.
tate claros, cenſu copioſos; hi verò munus Sacerdotale dedignantes, & libidinibus inſeruientes eam ſibi ſuíſque calamitatem conciliarunt, vt ad vnam partem Sacerdotalem filij deprecarentur admitti, & in beneficiis numerarent oblati panis buccella frui: *Elegi eum ex omnibus tribubus Iſ-* 1. Reg. 2. v. 28.
raël mihi in Sacerdotem, vt aſcenderet ad altare meum, & adoleret mihi incenſum, & portaret Ephod coram me, & dedi domui patris tui omnia de ſacrificiis filiorum Iſraël. Vides huiùs domus ſublimitatem, miſeriam vide: *Futurum eſt autem, vt quicumque remanſerit in domo tua, veniat, vt oretur pro eo, & offerat nummum argenteum, & tortam panis, dicatque: Dimitte me, obſecro, ad vnam partem Sacerdotalem, vt comedam buccellam panis.* Particulam dari ſibi non ſine rubore præcatur, qui olim Sacerdotali iure totum obtinuit: ſupplex modò orat, quem olim exorabant cæteri ſupplices nec mirum, cùm iuuenili imprudentia dignitatem factis obſcurauerint, & iura in alienam domum tranſtulerint: Hebræus textus ſic habet: *Veniet ad incuruandum* Hebraica.
ſe ei. Chaldæus: *Ad humiliandum ſe illi.* Vitium Chaldaica.
humiliationem peperit, & lautior menſa ſplen-

dorem obſcurauit. Quàm eſſet domus illa diues, ni Heli filij cum mulieribus ad tabernaculi oſtium excubantibus impudicè conuerſarentur, at dum ſacrificantibus iniuriam inferunt, dum plus ſibi debito exambiunt, ſibi nocent, & ſibi inuident: *Explanatur amplius ſecunda pœna*, inquit Caieta-
Caietan. nus, *declarando indigentiam ſeminis Heli in hoc quod reliquiæ ſeminis Heli cogente inopia venient ad Pontificem illum ad orandum, vt habeant aliquid pecuniæ, & aliquid panis.* Fames tortor luxuriæ fuit, ſublimitas in abiectionem deſiuit, & alium coactus eſt exorare, qui rationi obſequens cæteris quiret præcipere.

272. Miſer, & confoſſus vulneribus iacebat, qui à Ieruſalem in Iericho deſcendens improuidas graſſatorum inſidias incurrit. Deſpexerat Sacerdos vulneratum, Leuita contempſerat miſerum & abiectum; verùm Samaritani manus, & quidem pias ſortitus in ſtabulum ducitur, & nummis miſericorditer impenſis ſtabularij ſolertia remuneratur: *Duxit in ſtabulum, & curam eius egit.* In
Lucæ 10. v. 35. hoc ſaucio Auguſtinus agnouit Adamum, & quidem dum contra legem lautiori cibo vſus eſt, eis ſe ac poſteros miſeriis addixit, vt paradiſum ſtabulo commutarit: qui regimen creaturarum tenebat, iam viuit precariò, & Samaritani indiguit auxilio. Accipe Auguſtinum in catena: *Ante-*
Auguſt. *quam peccaret homo, in viſione pacis erat, hoc eſt in paradiſo, vbi quicquid videbat, pax erat, & lætitia, inde deſcendit quaſi humiliatus, & miſer factus per peccatum.* Abiectionis tulit ignominias, pertulit egeſtatis miſerias: abiecti hominis eguit auxilio, vixit in ſtabulo, qui deliciabatur in paradiſo: Quàm opportunè repetere potuiſſet Chryſologus quod Serm. 1. de prodigo:
Chryſol. *Luxuria, ventri, gulæ fames tortor apponitur.* Diu ſordent, qui exiguo tempore nitidiùs reſplenduerunt, & qui ſub marmore & auro habitabant, iam teguntur culmine, iam exules, qui olim ciues; qui exquiſitis, ac artificioſis vtebantur veſtibus, & dapibus ſoloce ſordent induti, & cibario pane contenti.

273. *Timete Dominum*, aiebat Pſaltes, *omnes Sancti*
Pſal. 33. v. 10. *eius: quoniam non eſt inopia timentibus eum: diuites eguerunt, & eſurierunt, inquirentes autem Dominum non minuentur omni bono.* Non ſolùm honeſtate; ſed vtilitate etiam ad virtutem, & Dei timorem allexit: *Diuites*, inquit, *eguerunt*: quia plus luxuriæ & voluptati, quàm patiebatur patrimonium, impendentes, breuem luxum prolixis ſordibus commutarunt, & nitidiorem ornatum ad iniurias nuditatis traxerunt. Difficile eſt multos ventres alere, operoſum copioſa ac ſplendida familia nitere: legi ſe attemperans, & patrimonium etiam anguſtum prudenter adminiſtrans inopiæ iniurias non ſenſit, ſic pecunia vti oportet, vt nec auarè retineas, nec prodigè expendas: *Placebit nobis*, aiebat Seneca de tranquill. animi cap. 9.
Seneca. *menſura, ſi priùs parcimonia placuerit, ſine qua nec vllæ opes ſufficiunt, nec vllæ non ſatis patent, præ-*
Frugalitas in diuitias ipſam paupertatem conuertit. *ſertim cùm in vicino remedium ſit, & poſſit ipſa paupertas in diuitias ſe aduocata frugalitate conuertere.* Ecce ait Pſaltes: *Timete Dominum, quoniam non eſt inopia timentibus eum.* Et quare non eſt timentibus Deum inopia? Quia rationi viuunt quia euanidam ignorant pompam, quia in naturæ adiumentum, & ornatum diſponunt, & menſam: comedunt, vt viuant; non viuunt, vt comedant. Certè parcimonia habiliùs reddit corpus, ignorauit medecinæ tormenta, & honeſta cenſus attulit lucra. Te felicem exiſtima, ſi nulli niſi tibi cui facilè negare poteris, debeas. Qui ad expiſcandos inuidioſos honores parcimonium exhauſit, qui pompaticè vanitati inſeruiuit, qui numeroſæ aliquando familiæ ſuperbiam aluit, de diuite tranſit in mendicum, & de honorabili admodum in abiectum ruborem vitat frugalitas, qui ad rationis legem vixit, anguſtias egeſtatis vitauit. *Qui Dei timorem*, explicat Euthymius ad Pſalmi locum, *in ſua anima plantauerunt nunquam à vir-* Euthym.
tutis operatione deficiunt: poſſumus dicere quòd timentibus Dominum nulla eſt defectio. Nullam defectionem ſentit indebitos vſus pecuniam expendens, & inſidioſum faſtum effugiens: prædiuiti cenſu, & ampliſſimo patrimonio abuſus citò paupertatis ſentiet incommodum: vt frugalitas ipſam inopiam in diuitias vertit, ſic vanus ac ſuperfluus ſumptus ipſam opulentiam ad paupertatem reducit. Aurum diſpenſa quaſi diu victurus: virtuti ſtude quaſi citiſſimè è vitâ extrahendus, ſtultus eſt, qui fulguris ad inſtar reſplendens diu ſorduit.

§. LXVI.

Adſpirante gratia faciliimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur.

NOn dubitas omne bonum honeſto circumſcriptum; ſed exiſtimas arduum: intra ſe, 274.
inquis, felix eſt, qui in fortunæ poteſtatem non venit: qui alieni arbitrij non eſt, qui amiſſis liberis nec deiectè mœſtus, nec ſuſceptis inſolenter inflatus: iudicium tuum de honeſtate approbo, de difficultate reiiciam: ſi humanas tantùm vires attendas, alienæ vxoris amore non diſcruciari, ambitione non circumagi, honoribus non inflari per alta abruptaque in cœlum conſcendere non ſolùm arduitatem; ſed impoſſibilitatem afferent ſecum; at ſi cœleſtes ſuppetias, & diuina auxilia perpenderis, inuenies ferè ſine vlla difficultate perfici, quæ non ſolum primo aſpectu apparebant ardua; ſed etiam impoſſibilia. Accipe Cyprianum lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum: *Ego cùm in tenebris, atque* Cyprian.
in nocte cæca iacerem, cùmque in ſalo iactantis ſæculi nutabundus, ac dubius veſtigiis oberrantibus fluctuarem, vitæ meæ neſcius, veritatis ac lucis alienus difficile prorsùs ac durum pro illis tunc moribus opinabar, quod in ſalutem mihi diuina indulgentia pollicebatur, vt quis renaſci denuò poſſet, vtque in nouam vitam lauacro aquæ ſalutaris animatus, quod priùs fuerat, exponeret: corporis licèt manente compage hominem animo ac mente mutaret. Expendebat Cyprianus vitia cum ipſa natura adulta, & ſinuoſis ac erraticis radicum nexibus implicata, nec videbat, quomodò poſſent facilè ſeparari, quæ conſtabat tot annorum lapſibus aduniri. Verum ſi ad Samſonis reſpexiſſet exemplum, palpaſſet manibus exiguo tempore perfecta, quæ ad ſpeciem videbantur miris inextricabilibuſque difficultatibus implicata. Conuenerat hoſtium multitudo de Samſonis captura ærumniſque idolis gratias agere, & opiparis conuiuiis luxuriam innutrire: validis toroſiſque columnis templum ſuffulciebatur, per id tempus Samſon oculis orbus, & ferè capillis nudus; verùm etſi pedes rotatu molæ attriti, etſi manus du-

tis

Digitized by Google

ris vinculorum nexibus Laſſæ, eas inuocato Domino ſubitò vires recepit; vt gigantæas columnas ſine difficultate elocauerit, & hoſtes conſtructæ ab ipſis fabricæ ruinis oppreſſerit: *Inuocato Domino, ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam, Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam.* Inuocato Domino rem molitur, ſi humanis oculis expendas, prorſus deliram, & ſummis difficultatibus plenam, ingentiſſimas videlicet columnas amouere, hoſteſque opprimere; obtinuit tamen de auxilij cæleſtis efficacia, quod humana nequiret induſtria: *Apprehendens ambas columnas, quibus innitebatur domus, alteramque earum dextera, & alteram læua tenens ait: Moriatur anima mea cum Philiſthiim, concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multòque plures interfecit moriens, quàm anteà viuus occiderat.* Vltra fidem videbatur triumphus, ſi humanis oculis ſolummodò expenſus; at Samſon in ſe anteà ſæpiùs expertus quantas vires contulerit gratia, inaudita ſæculis tentauit trophæa: nec falſum declarauit
Ambroſ. victoria: *Virtutis fuit*, inquit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. *quòd victoriarum numero diem clauſit, nec captiuum exitum; ſed triumphalem inuenit.* Virtus Deique gratia veluti inſtantaneum peperit triumphum, & negotium perfecit ſummis difficultatibus arduum.

275. Ezechiel manuducitur in campum exeſis oſſibus, & cadaueribus plenum: erant temporum morſibus attrita, ſolaribus flammis deſiccata:
Ezech. 37. *Erant multa valde ſuper faciem campi, ſiccáque vehementer.* An oſſa illa iterum poſſent ſpiritu ornari, & neruorum compagibus aduniri, rogatus propheta ſuam ignorationem confeſſus eſt, & ad Domini recurrit notitiam: *Et dixit ad me: Fili hominis putaſne viuent oſſa iſta? Et dixi Domine Deus tu noſti.* Quid tunc? In ventorum ocyſſimis alis allatus ſpiritus mortem depulit, & arentibus oſſibus vitam refudit: *Ingreſſus eſt in ea ſpiritus, & vixerunt, ſteteruntque ſuper pedes ſuos exercitus grandis nimis valde.* O cæleſtem mutationem! Quæ paulò ante iacebant indecorè, ſtant firmiter, & qui in fauillas prorſus ad ſpeciem conuerſi, iam in hoſtes exercitus ad inſtar armati: vt noueris quàm citò Dei ſpiritus omnia innouet, quam ſine difficultate amiſſa reſtauret, quam firmiter fluxa corroboret. Adeſt Theodoretus hic ſect. 15. *Conſentaneas rebus accipit reuelationes: cùm enim propter perfidiam, cuius morbo laborabant, meliora deſperaſſent Iudæi illi, qui ex Iudæa captiui abducti fuerant, ſuam ipſis auctor omnium rerum Deus potentiam oſtendit, & longè difficiliorem illa in priſtinum ſtatum ipſorum reſtitutione mortuorum corporum reſurrectionem indicat propheta.* Adnectit opportunè: *Per quem omnem populum docet omnia ſibi eſſe facilia volenti.* Facile gratiæ eſt ſub vitiorum captiuitate preſſos virtutum libertati reſtituere, corruptos ac fœtidos mores obliterare; & omnem appetitus ſaniem depellere. Audi datum Cyprianum, & de aureo ſtylo verborum prolixitatem leuabis:
Cyprian. *Qui poſſibilis, aiebant, eſt tanta conuerſio, vt repentè ac perniciter exuatur, quod vel genuinum ſitu materiæ naturalis obduruit, vel vſurpatum diu ſenio vetuſtatis inoleuit? Alta hæc & profundâ penitus radice ſederunt. Quando parcimoniam diſcit, qui epularibus cœnis & largis dapibus aſſueuit: & qui pretioſa veſte conſpicuus in auro, atque in purpura fulſit, ad plebeium ſe ac ſimplicem cultum quando depoſuit? Faſcibus ille oblectatus, & honoribus, priuatus & inglorius eſſe poteſt? Hic ſtipatus clientium cuneis, frequentiore comitatu officioſi agminis honeſtatus pœnam putat eſſe, cùm ſolus eſt. Tenacibus ſemper illecebris neceſſe eſt, vt ſolebat, vinolentia inuitet, inflet ſuperbia, iracundia inflammet, rapacitas inquietet, crudelitas ſtimulet, ambitio delectet, libido præcipitet.* His difficultatum montibus, ne viam arriperet, impediebatur Doctor Sanctiſſimus, & quia voluptas erat vitiorum erroribus circumagi, ne vel ſpes in contrarium niteretur; ſibi perſuaſerat impoſſibile fore in plana deuenire, & ſtrictis adeo vinculis exui. Sed vbi aſpirauit gratia, vbi puriſſima tinctus eſt vnda, omnia illi expedita, & difficultatibus vacua. Ipſum audi: *Hæc egomet ſæpè mecum: nam vt ipſe quam plurimis vitæ prioris erroribus implicatus tenebar, quibus exui me poſſe non crederem, ſic vitiis adhærentibus obſecundans eram; & deſperatione meliorum malis meis veluti iam proprijs ac vernaculis fauebam; ſed poſtquam vndæ genitalis auxilio ſuperioris æui labe deterſa in expiatum pectus ac purum deſuper ſe lumen infudit; poſtquam cælitus ſpiritu hauſto in nouum me hominem natiuitas ſecunda reparauit: mirum in modum protinus confirmare ſe dubia, patere clauſa, lucere tenebroſa, facultatem dare, quod priùs difficile videbatur: geri poſſe quod impoſſibile putabatur vt eſſet; agnoſcere terrenum fuiſſe, quod priùs carnaliter natum delictis obnoxium viueret; Dei eſſe cœpiſſe, quod iam Spiritus Sanctus animaret.* Didicit in ſe ipſo laruatas fuiſſe illas difficultates, vbi Sancti Spiritus adſpirauit gratia, quæ mores condiuit, quæ vitia decoxit, quæ laudabili, mirandáque metamorphoſi naturam ſine naturæ diminutione ad excelſa perfectionis perduxit.

276. De ventre piſcis clamat Ionas, vbi clamor videbatur ſuperuacaneus prorſúſque otioſus. Quis putet hominem à beſtia deglutitum, & inuiſceratum poſſe iterum lucis flore vti, & excuſſis tot caliginum voluminibus ſplendorem cœli ſpectare! Adde Ionam non ſolùm piſcis viſceribus agglutinatum; ſed immenſis fluctuum aggeribus obſitum. Equidem ipſe ait: *Circumdederunt me aquæ* Ionæ 2. v. 6.
vſque ad animam, abyſſus vallauit me, pelagus operuit caput meum, ad extrema montium deſcendi, terræ vectes concluſerunt me in æternum. Vides difficultates difficultatibus circumuallatas, vides diſcrimina diſcriminibus incluſa? Fera inuiſcerat, abyſſus exitus difficultatem exaggerat, terræ vectes includunt: ergo deſperandum erit; imò non deſperandum, inquit propheta; ſed diuinum efflagitandum auxilium: quod ſi adfuerit, ipſæ difficultates ducent in portum, & ferent ſaluti ſuffragium: *Subleuabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Vt quam citò lucis exortu fugantur tenebræ, vt quam citò horrida propulſatur caligo, & rebus omnibus veluti inſtantaneè vita redditur & color, ita gratiæ lumine Ionas tenaciſſimis difficultatibus incluſus quam citò euomitus de vndoſo tranſiuit ad ſiccum, de naufragio ad portum, de corruptione ad ſalutem: *Et dixit Dominus piſci, & euomuit Ionam in aridam.* Hoc voco quod aiebat Tertullianus lib. de pœnit. c. 6.
Quáſcumque tenebras factis ſuperſtruxeris, Deus Tertul.
lumen eſt. Tenebrarum depulſa volumina, denſarum caliginum abacta pertinaciſſima obſtacula quodammodo de difficultate adulantur lumini,

Digitized by Google

dum tanto clarior celer reſpondet victoria, quantò arma difficultatum fortiora. Ergo Samſon de diuina gratia exprompτum præſumpſit auxilium, & de captiuo victor gratiæ commendauit trophæum.

---

§. LXVII.

Nomen Ieſu humanæ ſalutis ſuſtentaculum, & dæmonum ac vitiorum inuenitur excidium.

277. QVoduis Dei nomen timorem incutit aduerſariis affert deuotis admirationem: vnde propheta aiebat: *Domine Dominus noſter, quàm admirabile eſt nomen tuum in vniuerſa terra.* Siue appelles Sabaoth, ſiue Adonai dixeris, ſiue Omnipotentem deprædices, patrono vitiorum, dæmones videlicet feries; verùm etſi omnia nomina eius gloriam ac præſtantiam notificent, neſcio quid ſublimitatis & excellentiæ Ieſu nomen ſortitur ad æſtus dæmonum euertendos, & humanos animos roborandos: vnde ſponſa aiebat: *Oleum effuſum nomen tuum*: nam vt oleum cæteris liquoribus ſupernatat, vt dolorem lenit, vt ad certamina athletas vingit, ita hoc nomen præ cæteris micat, noſtros dolores ſopit, & ad certamina cum vitiis & dæmonibus animos addit. *Ego dico*, aiebat Bernardus ſerm. 15. in Cant. *in triplici quadam qualitate olei, quod lucet, paſcit, & vngit, ſi vos melius non habetis: fouet ignem, nutrit carnem, lenit dolorem, lux, cibus, medicina.* In corde cœleſtis ignis repetita inuocatione innutritur, diabolus citiſſimè euertitur, & dolor de nominis myrothecio ſedatur: non ignorabat huius nominis efficaciam Samſon, qui etſi integris viribus hoſtiles phalangas euerterit, & prolixa coma decantandos ſæculis triumphos reportarit, vt grauiori ſtrage inimicos deuicerit, & triumphalem vitæ clauſulam oppoſuerit, ad huius nominis auxilium recurrit: capilli tantùm renaſci incipiebant, cum hoſtes triumphali ruina ſecum incluſit, & illuſtriori victoria vitam conſummauit: *Multò plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat*: quod ſi vnde maior triumpho gloria accreuerit, inquiſieris; ex inuocatione Iehoua reſpondebo: *Ille inuocato Domino ait: Domine Deus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem meam priſtinam Deus meus.* Caietanus ſic ex Hebræo legit: *Adonai Iehoui*: additque gratis his nominibus inuocaſſe, quo & triumphus reſplenderet celebrior, & hoſtium ruina eſſet ineuitabilior: *Iuxta Hebræum habetur, Adonai Iehoui memento mei quaſo: ſupplicantis blandis nominibus ſunt preces.* De nominis efficacia vires redintegrantur, & glorioſiorem triumphum præteritis conſequuntur: vel germinantes capilli plus hoc nomine inuocato valuerunt ad inferendam hoſtibus mulctam, quàm prolixi ſine nomine ad conſequendam victoriam.

Pſalm. 8. v. 2. — Cantic. 1. v. 1. — Bernard. — Caietan.

278. Petrus vt claudi pedes reformet, ad huius nominis efficaciam recurrit, & iam qui in matris officina pedes amiſerat, pedes quàm citò reſtaurat: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula; & apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum; & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ; & exiliens ſtetit, & ambulabat.* Expende illud, *Protinus*: quàm facilè nomen procudit pedes, quàm citò reformauit greſſum, & inimicorum puniuit odium! Certè apud Lucam Samaritanus quidam oleum infudit & vinum, ligauit vulnera, nec tamen ſalus ſtatim recuperata; imò opus fuit in ſtabulum ducere, & ſtabulario argentum impendere: *Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi.* Vbique ſalus hominis reparata eſt; aſt vbi Ieſus auditur, claudus ſine lentitudine ſalit: *Protinus conſolidatæ ſunt baſes eius*, vbi verò non promitur, opus eſt ligaminibus, & temporibus. *De ore Petri tanquam fulgur egrediens*, aiebat diuus Bernardus, *claudi vnius corporales plantas ſolidauit & baſes multoſque ſpiritualiter cæcos illuminauit: Nunquid non ignem ſparſit, cùm ait: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni Surge & ambula?* Quàm citiſſimè de nominis virtute greſſus hominis reformantur, & impedimenta ſoluuntur: quo eius noueris præſtantiam, & ad reparandam hominis ſalutem efficaciſſimam energiam.

Actor. 3. v. 7. — Luc. 10. v. 35. — Bernard.

In crucis vertice Ieſu nomen lucet inſcriptum: 279.
Impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam: Erat autem ſcriptum: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Scribæ Phariſæique ſic inuidentia turgebant, ſic implacabili odio æſtuabant, vt totis niſibus de Chriſti Domini cruce abolere regnum tentauerint, nec potuerint: *Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere Rex Iudæorum; ſed quia ipſe dixit: Rex ſum Iudæorum. Reſpondit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi.* Nullis aduerſariorum machinis, nullis terroribus adduci potuit Pilatus, vt aboleret regnum, vtpote Ieſu nominis inuincibili virtute ſuffultum: delirabant aduerſarij, dum inconcuſſo Ieſu nomine regnum nitebantur auferre, quandoquidem de nominis præſtantia ſuffulciebatur corona, & iam dæmonibus ineuitabilis imminebat ruina: nominis efficaciam irremediabilibus deplorauere gemitibus, & quam ſibi fuerit exitiale nunquam ſopiendis manifeſtauere eiulatibus: *Sicut in trophæo litteræ ponuntur*, inquit Chryſoſtomus in catena, *victoriam oſtendentes: ita Pilatus titulum cruci Chriſti impoſuit.* Subdit: *Erat autem ſcriptum, Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum.* Litteræ illæ ſacri nominis Ieſu erat in aduerſario duriſſima tela, & firmiſſima regni fulcra.

Ioan. 19. v. 19. — Chryſoſt.

Ionathas in hoſtes audacia temeritati affini irruit, nec deſtitit ſcopulorum difficultatibus impeditus, aut petrarum dentibus retardatus: reptans aſcendit, & miraculo de hoſtibus triumphum reportauit: *Facta eſt plaga prima, qua percuſſit Ionathas, & armiger eius, quaſi viginti virorum in media parte iugeri, quam par boum in die arare conſueuit, & factum eſt miraculum in caſtris.* Tranſi modò ad Dauid, qui ſolus & virga ac pera obarmatus contra monſtrum illud in campum proceſſit, & proſtratum vnico ictu deiicit: *Infixus eſt lapis in fronte eius, & cecidit in faciem ſuam ſuper terram.* Hic non audio: *Factum eſt miraculum in caſtris*, & tamen admirationem euincit proceræ magnitudinis gigantem validiſſimis armis munitum ab inermi proſterni, innumeram hoſtium manum vertiſſe, & ſe fugæ commendaſſe. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Fallar, niſi quam Dauid protulerat: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Vbi nomen Domini in copioſas hoſtium phalangas, in horrenda monſtra armabatur, victoria erat debita, nec neceſſaria miracula; imò miraculum eſſet Domini nomen dæmones Philiſthæis adumbratos non debere,

280. — 1. Reg. 14. — 1. Reg. 17. v. 49.

debere, & fractis viribus non punire; aſt vbi pugnante Ionatha non auditur, erit miraculo opus ad victoriam conſequendam, & aduerſariorum petulantiam caſtigandam. In lapide fronti infixo Ioſuë nomen fuiſſe ſomniarunt quidam inſcriptum; mihi tamen ſatis eſt Dauidem nomen protuliſſe, & victoriam ei dedicaſſe. Huc voco quod Tertul. aiebat alioſum Tertullian. in apolog. cap. 2. *Nominis prælium eſt.* Præmiſerat: *Nomen quædam ratio æmulæ operationis inſequitur.* Operatio nomen inſequitur: ergo cum nomen pro hominum ſalute cælitus fuerit allatum, quid mirum ſi eo Philiſthinorum, hoc eſt dæmonum regnum quàm citò fuerit euerſum. Pſal. 49. v. 15. Hinc per Pſalmiſtam aiebat Deus: *Inuoca me in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me.* Non monet prolixas orationes fundere, non exigit copioſis gemitibus exundare, ad nominis inuocationem fert præſto auxilium, vt de celeri efficacia, de efficaci virtute tribulationi promanarit remedium. Notauit datus ſupra Bernardus: Bernard. *Cui in aduerſis diffidenti, iam iamque deficienti ſi nomen adiutorij ſonuit, defuit fortitudo? nimirum morbi, & languores animæ iſti ſunt; illud medicina: denique & probare licet: Inuoca me, inquit, in die tribulationis, eruam te, & honorificabis me. Nihil ita iræ impetum cohibet, ſuperbiæ tumorem ſedat, ſanat liuoris vulnus, reſtringit luxuriæ fluxum, extinguit libidinis flammam, ſitim temperat auaritiæ, ac totius indecoris fugat pruriginem.* Animæ peſtium peſtis, & quidem efficaciſſima hoc nomen eſt, ad eius fulgorem diſſipantur tenebræ, diſparent fraudes, diſpereunt dæmones.

181. Moyſes in Ægyptios refractarios armatus miraculorum examina producit in campum, & tamen reluctatur pertinax duritia, & duriſſima pertinacia: poſt flagra adhuc Pharao fugientes inſequitur, & medios per vortices temerarius futura Exod. 15. v. 9. de victoria gloriatur: *Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam.* Adhuc ſpes etſi vana inimicó ineſt iterum populum ſubiugandi, & Hebræi adhuc virgæ præſidio muniti clamorem ingeminarunt perterriti. Tranſi modo ad Ioſuë, qui manus conſerens cum quinque regibus iniquo fœdere copulatis in fugam citiſſimè vertit, & ne mortem effugerent fugæ præſidio pio cæleſtia aſtra ſtare Ioſuë 10. v. 13. iuſſit imperio: *Steteruntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis.* Ibi Pharao tot miraculis punitus audet, hic exercitus copioſiſſimus fugit: Moyſi paruit vnda; ſed Ioſuë præſtiterunt obſequium aſtra. Notauit Procopius Procop. apud gloſſam ad Ioſuë 10. *Moyſes non dixit: Stet Sol, non ſuſpexit in cælum, non ſignum cæleſte oſtendit; verùm Ioſuë dixit: Stet Sol, ac ſcriptura teſtis eſt nulli vnquam hominum Deum ita morem geſſiſſe. Statuit itaque & meus Ioſuë Solem, præſentidque ſua longiorem mihi diem contra hoſtes effecit, vt ſi ſub Ioſuë militent, hoſtes in fugam vertant.* Iam non fugit populus; ſed aduerſarius, iam tenebræ non patrocinantur hoſtibus, iam vita longior, iam triumphus celerior. Ieſu nomen venerata ſunt ſydera, & vel eius vmbra muniti ditiſſima homines reportauere trophæa. Notauit Baſilius Seleucienſis orat. 43. Baſil. *Stetiſti quondam Sol victoriam Hebræorum præſtolatus Ieſum ducem imperantem veritus es. Domini nomen in conſeruo tuo honoraſti.* Ieſu nomini ſydera genuflectunt, ad eius virtutem dæmones diffugiunt, aduerſariorum proſternuntur phalanges, ac tandem non ſolum reportata victoria lucet in ſolo; ſed & in ſalo, & in cœlo. Ergo Samſon dum Iehoua nomen inuocat, idola aduerſarioſque ingenti contriuit plaga, & illorum templum irreparabili ſubruit ruinâ.

§. LXIII.

Propriis viribus fidens fit hoſtium præda, diuinis fretus illuſtri coronatur victoriâ.

182. Nihil æquè nocebit ac tibi fidere, & ſtulta fiducia tuis viribus adulari. Si obſeruanda tibi, vt tutior viuas, deſideras noſſe, audi. Omnia, quæ hominis ſunt, eius in perniciem in plurimum militant, & dum cæciùs propriis confidit viribus, miſerabilioribus ruit lapſibus. Si ſpem improbam vitaueris, ſi nihil tibi inſigne ineſſe cogites, ſi de diuina ope inhæſitanter confidas, vinces, & inimicos victoria honeſta proſternes. Samſon huius veritatis teſtis adeſt: ſuis viribus præſumpſit aliquando trophæum; ſed miſerum expertus eſt iugum. *Dixit in animo ſuo: Egrediar ſicut antè feci, & me excutiam, neſciens quòd receſſiſſet ab eo Dominus:* dum futuram ſibi vendicauit victoriam, deluſus fit hoſtium præda, & amittit oculos poſt capillos. Vexatio intellectum dedit, & cùm tantam ſolari vellet iniuriam meliora ſapiens iam capillis non confidit renatis; ſed diuinis ſolum ſuppetiis: *Inuocato Domino ait: Domine Deus meus memento mei, & redde mihi nunc fortitudinem priſtinam Deus meus, vt vlciſcar me de hoſtibus meis, & pro amiſſione duorum luminum vnam vltionem recipiam.* Caietanus aduertit de ſuis hic viribus nullatenus præſumpſiſſe; ſed victoriam de auxiliis cæleſtibus expectaſſe: ipſum audi: Caiet. *Fontem eſſendi & demum gubernatorem & iudicem vniuerſorum inuocat, nec confidit in auctis capillis; qui orat ſupplex pro robore hac vice.* De ſe diffidens celebrem eſt adeptus victoriam, qui fidens nimiùm digniſſimam tulit mulctam: ſibi plauſit, dum viribus prorſus deſtitutus; ad Dominum recurrit fortitudine iam ornatus: vt noueris dotibus nudos frequentiſſimè ſuperbire, & è contra prærogatiuis conſpicuos inſolenter non inflari. Ergo vicit Samſon non præſumens; qui victus fuerat ſuperbiens: triumphos attulit religioſa fiducia, cæca carcerem arrogantia.

183. Dauid cum bellua illa Goliatho certamine congreſſurus ſuis viribus nequaquam fiſi, & Domini ferendis ſine dubio auxiliis profitetur coram omnibus obarmari: 1. Reg. 17. v. 45. *Tu venis ad me cum gladio, & haſta, vt clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël, quibus exprobraſti hodie, & dabit te Dominus in manu mea.* Duplex Dauidi cauſa promittebat victoriam, quam ipſe in Domino profitetur, fiducia: *Ego autem venio ad te in nomine Domini,* & qua Philiſthæus de armorum magnitudine inflabatur inſaniſſima confidentia: non poterat citò non ruere ſuis viribus fiſus, nec vinci poterat, qui ſola in Domino confidentia in campum proſiliebat armatus. Baſil. Opportunè Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Tu quidem contemptim intueris, ô bellator, quod ob oculos eſt, & rebus, quas vides, pugnæ ſpes metiris; ego verò Deum tibi aduerſarium oppono.* Præmiſerat Baſilius Dauidis nomine: *Neque enim*

Digitized by Google

enim viribus meis fretus; ſed gratia in aciem prodeo. Qui in aciem gratiæ viribus fretus prodiit, quas vires gratia miniſtret, oſtendit: qui armis adſcribebat victoriam, celerem eſt expertus ruinam: ipſum armorum pondus caſui inſeruiuit, & mortem accelerauit, vt inde hoſti promanarit auxilium, vnde arrogantia promiſerat ſibi trophæum.

284. Nequiſſimus ille Pharao plagis diuinitus immiſſis, inflictis verberibus, patratis mirabilibus, adhuc obluctatur pertinax, & pertinaciter reſiſtit contumax: ad Moyſem clamant Hebræi, & quia nouerant potenti virga obarmari, ab ipſo ſperant opem afferri; verum etſi Moyſes comprehenſa paſtoritia virga elementis imperarit, etſi eduxerit non ſine ingenti difficultatum ac miraculorum vi populum, perfectum nondum ſplendeſcebat trophæum: at dum Pharao Hebræos inſequitur armorum copia confiſus, & de victoria ſibi immaturè gratulatur, & populi clamor cæleſte implorat auxilium, iam victoria lucet perfecta, & miſera refractarios fructibus tradit ruina: *Dixit inimicus: Perſequar, & comprehendam, diuidam ſpolia, implebitur anima mea, euaginabo gladium meum, interficiet eos manus mea.* (Exod. 15. v. 9.) Ibi confuſis ac rapidis torrentibus ſepelitur extinctus, vbi intumeſcebat ſuperbus: *Flauit ſpiritus tuus, & operuit eos mare*, & ibi Hebræus plena reſplenduit victoria, vbi ſola in Domino armabatur fiduciâ. Minus Pharaoni nocuit virga miraculorum ſcaturigo indefeſſa, quàm immetata arrogantia: cui Moyſes extremum non attulerat diſpendium, turbulentiſſimum amens fiducia ſolicitauit naufragium: *Fortitudo mea & laus mea Dominus*, (Exod. 14.) decantat populus: quia dum ad in Domino recurrit fiduciam, adeptus eſt ſine difficultate victoriam: vt etiam Pharao, dum ad exercitus copiam, ad armorum recurrit præſtantiam, digniſſimam tulit mulctam: propriis viribus diffidentes, & in Domino ſolùm ſperantes, triumphum reportauere glorioſum, & diſpoliant extinctum fluctibus aduerſarium: *Dixit inimicus: Perſequar & comprehendam*, inquit Rupertus (Rupert.) lib. 2. in Exod. cap. 37. *Quid mirum, ſi hoc dixit habens fiduciam quod influat Iordanis in os eius, & falſus eſt: & ſpes eius eum fruſtrata eſt.* Eius ſpes eum feſellit, & præ ipſis inimicis proſtrauit. Vt è contra in Domino fiducia labilem durauit in modum ſaxorum vndam, & victori conceſſit viam: *Fortitudo mea, & laus mea Dominus*, (verba ſunt dati Ruperti.) *Quid deinde? Et factus eſt mihi in ſalutem. Ergo fortitudo tua facta eſt tibi in ſalutem. Planè fortitudo mea: nam fortitudo capitis mei fortitudo mea eſt.* Domini fortitudinem induit cæleſtis fiducia, cui nec hoſtis valeat reſiſtere, nec victoria poſſit fruſtrare: miraculis pergebant educti; ſed vincunt, dum confidunt in Domino, triumphis coronati, Pharao tot anteà miraculis non attritus inepta ſpe ad profundum deſcendit confuſis torrentium ſe præcipitantium voluminibus merſus: vt compertum ſit quantùm tumida noceat arrogantia, & quàm in Domino firma valuerit fiducia.

285. Petrus, dum armata iniquorum cohors magiſtrum obſidet, gladij ſui præſtantia confidit: *Ecce vnus ex his, qui erant cùm Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum Principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* (Matth. 26. v. 51.) Gladium ſuum in Domini auxilium exemit, quia vel poſſe ſe Domino auxiliari præſumpſit. Quid tunc? Non ſolùm vt cæteri terga indecorè vertit, ſed præ cæteris ad gracilem ancillulæ vocem corruit: *Acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus.* (Mat. v. 71.) Præ cæteris labitur miſerabiliùs, qui præ cæteris audebat elatiùs. Vides de ſe præſumentem inhoneſta fuga, & perfida negatione obſcurari, ipſum adſpice in Domino fiſum marinis fluctibus ſuperferri: cum cæteris condiſcipulis nauigabat, cùm ventus acriùs aſpirans hinc inde iactabat nauim: Petri fatiſcebant manus, deficiebat induſtria, & ars ſuccumbebat iam tempeſtati; verùm Dominus, *habete fiduciam*, ait, & Domini voce animatus Apoſtolus ſe labiles vndas premere poſſe confidit, & auxilio cæleſti fiſus non dubitat per marinos vortices nauigare: *Domine, ſi tu es, iube me ad te venire ſuper aquas; ut ipſe: Veni. Et deſcendens Petrus de nauiculà ambulabat ſuper aquam.* Cùm Petrus in Domino confidens labiles fluctus ingreditur, de tempeſtate triumphat, & æſtum marinum viator, non naufragus calcat; at vbi ſibi fidit, & gladium eximit, corruit. O quàm erat Petrus ſibi diſſimilis gladio fiſus, & cæleſti fiducia armatus! Audi Hieronymum (Hieron.) ad hunc locum: *Eodem fidei ardore, quo ſemper, nunc quoque cæteris tacentibus credit ſe poſſe facere per voluntatem magiſtri, quod ille poterat per naturam: Iube me venire ad te ſuper aquas: tu præcipe, & illico ſolidabuntur vndæ, leue fiet corpus, quod per ſe graue eſt.* Fiduciâ calcat marinos fluctus intrepidè, qui ad ancillulæ vocem lapſus corruerat de præſumptione: vt etiam Samſon, vbi præſumpſit, defecit, & vbi in Domino eſt fiſus, aduerſariorum vires proſtrauit.

§. LXIX.

Periculoſum eſt templa profanare, & deuotionem oblectamentis miſcere.

Religio ſtabilitatis fulcrum, proſperæ fortunæ auxilium, & ſalutis fulcimentum vbique debet florere; ſed præcipuè in locis ſacris micare. 286. *Egregiè Ariſtoteles ait*, ſcribit Seneca (Seneca.) lib. 7. natur. cap. 30. *nunquam nos verecundiores eſſe debere, quàm cùm de diis agitur: ſi intramus templa compoſiti, ſi ad ſacrificium acceſſuri vultum ſubmittimus; togam adducimus: ſi in omne argumentum modeſtiæ fingimur.* In omne modeſtiæ argumentum veluti excudendi ſumus, dum templa cum Deo acturi intramus: quid enim ſtultius, quàm maieſtatem diuinam præſentem non dubitare, & iniuriam factis inferre? Humanæ conditionis imbecillitatem ſacris interfuturus debuiſſet exuere, & in cælitem quodammodò transformari. Vel exiſtimatæ falsò diuinitatis contemptus acri vindicta punitus eſt. Teſtis eſt Valerius (Valer.) lib. de Q. Fuluio. *Q. Fuluius Flaccus impunè non tulit, quòd in cenſura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ equeſtris, quam Romæ faciebat, tranſtulit: negatur enim poſt hoc factum mente conſtitiſſe: quin etiam per ſummam ægritudinem animi expirauit.* Non Lacinia Iuno, quæ merum figmentum erat, dignum auſu ſupplicium intulit; ſed verum numen pollutam impietate conſcientiam vſſit, & religionem non temerandam edocuit. Hinc diſces, cur Samſon plures

Digitized by Google

plures interfecerit moriens, quàm viuus occiderit Conuenerant Principes, & ingens populi turba in Dagonis templum Sacra celebraturi: *Principes Philiſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent hoſtias magnificias Dagon Deo ſuo.* Verùm qui religionis cauſa conuenerant, variis ſe epulis ingurgitantes, & voluptatibus indulgentes templum profanabant, & in theatrum ſcænarum vertebant. Ergo cùm iam læti ſumptuoſioribus epulis,& lautioribus ſcyphis templum in theatrum conuertiſſent, adductus Samſon, vt ante eos luderet, robuſta manu ambas columnas concuſſit, & ibi iacuerunt miſerè ſepulti ruinis, vbi religionem lætioribus maculauerant epulis: *Lætantes per conuiuia ſumptis iam epulis præceperunt, vt vocaretur Samſon, & ante vos luderet.* Quid tunc? *Concuſſis fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat; multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat.* Dum ſacrificiis vacarunt, & periculo caruerunt; at dum Samſon in templum adducitur pro ludis celebrandis, dum focis & popinis locus irreligioſè contemnitur, ipſa irreligioſitate ſubruitur. Templum ipſum iniuriâ affectum Samſonis cauſam egit, & profanos contritos col-
Lyra. lapſa mole contriuit: *Præceperunt, vt vocaretur Samſon*, ſcribit Lyra, *& ante eos luderet, id eſt, materiam riſus eis præberet, quia cæcus erat, & ideò impingebat aliquando ad parietem, aliquando ad columnam, & aliquando cadebat: ex quibus ridebant Philiſthæi.* Templum in ſpectaculum conuerſum riſus præbebat materiam, & quod iam profanauerant ſumptuoſis epulis, inſanis iterum dedecorabant & gaudiis. Ergo ruit templum dedignatum profanos, vt ibi exardeſceret dura pœna, vbi amens delirauerat culpa. Alibi delinquere fragilitati tribuitur, deſpicere Dei templum infandis auſibus applicatur: *Sancto templo*, aiebat
Caſſiod. Theodoricus 3. var. 47. *reuerentiam habuiſſe videamur.*

287. Ea templo reuerentiâ debetur, vt aliquando ad noſtram eruditionem cæleſtes ſpiritus eidem Domino adſtantes locorum oſtenderint differentiam, & pro veneratione templorum vtiliſſimam nobis inſpirarint doctrinam. Vidit Ezechiel celebrem illam quadrigam, quam ſacra trahebant animalia, in quibus hominis apparebat ſimilitudo:
Ezech. 1. v. 5. *In medio eius ſimilitudo quatuor animalium, & hic aſpectus eorum: ſimilitudo hominis erat in eis.* Iterum eadem viſio prophetæ obiicitur, & iam
Ezech. 10. v. 15. Cherubini refert ſpeciem: *Eleuata ſunt Cherubim, ipſum eſt animal, quod videram iuxta fluuium Chobar.* Eccur ibi hominis ſimilitudinem, hic verò intuitus fuerit Cherubinorum ſpeciem? Si idem animal fuiſſe non dubium teſtante propheta: *Ipſum eſt animal*, cur ſpecies fuerit diuerſa? Quia priùs, inquit, iuxta fluuium Chobar obiecta viſio; at modò in templo: *Egreſſa eſt gloria Domini à limine templi, & ſtetit ſuper Cherubim?* pro locorum diuerſitate diuerſum habitum animalia aſſumpſerunt: iuxta fluuium Chobar referebant hominem; ſed in templo Cherubinum, vt noſcas quanta templo debeatur reuerentia, quanta oris compoſitio, & quàm in omnem modeſtiam transfiguratio. Adeſt Theodor. q. 3.
Theodor. in Ezechiel: *Perinde atque opus eſt, huiuſcemodi viſiones Dominus adminiſtrat, & arbitror quia in templo hanc vidit viſionem.* Aliam imaginem in templo, extra templum intuetur aliam: quaſi cum ipſo loco habitus fuerit mutandus, & adſpectus alius aſſumendus: extra templum remanere potuit quid humanum, in templo iam nil non ſublimius & cæleſtius.

Fallar, ni hanc ipſam nobis eruditionem tradiderit Iſaias, cùm Dei thronum intuetur in templo: 288.
ibi Seraphim facies ſuas (ſic enim habetur in Hebræo) duabus alis velabant, & duabus pedes circumtegebant: fauſtis iteratiſque acclamationibus adeſſe numen conteſtantes, & dignum miniſterium exhibentes: *Ea quæ ſub ipſo erant, replebant templum.* Iſaiæ 6. v. 2. *Seraphim ſtabant ſuper illud: ſex alæ vni, & ſex alæ alteri: duabus velabant faciem eius, & duabus velabant pedes eius, & duabus volabant.* Ne quid terreſtre oculos ad ſe alliceret, & clamorem interpellaret, veluti gemino velamine arcebant; & pedes ab omni vagatione feliciſſimis vinculis retardabant, arbitrati numinis iniuriam, & pietatis offenſam, ſi vel intuitus vagaretur, quandoquidem totus animæ vigor, omniſque ſenſus colligendus erat ad dignum Deo exhibendum obſequium, & præſtandum religioſum officium: *In Hebræo habetur*, inquit Lyra, *fa-* Lyra.
ciem ſuam, ſcilicet ipſorum Seraphim ſecundum Hebræos, & ſic velabant caput ſuperius, & per conſequens faciem, quæ eſt pars capitis. Nequeunt Sacri Spiritus otioſis vagationibus dehoneſtari, aut à fauſtis acclamationibus impediri; verùm vt nos edoceant, quanta numini circumſpectione, qualique corporis habitu in templo ſit aſſiſtendum, oculos ab omni aſpectu, & ab omni motu pedes religioſiſſimè arcuerunt: quaſi in Dei Eccleſia omnis debeat feriari ſenſus, & vigere ſolùm affectuoſus cordis volatus. Hanc nobis cæleſtes ſpiritus tradiderunt doctrinam; nos verò, ac ſi edocuiſſent contrariam, Dei templum in emporium ſenſuum vertimus, & in theatrum confabulationum aptamus: ibi non ſemel impudicus diuagatur aſpectus, ibi inhoneſtus prouocat nutus, ibi lingua vaniſſimos ſermones effundit, ibi dens liuidè honorem arrodit.

Paulus Dei Eccleſiam epulis menſiſque deho- 289.
neſtari vehementer dolebat: *Conuenientibus vobis* 1 Cor. 11. v. 20.
in vnum iam non eſt Dominicam cœnam manducare: vnuſquiſque enim ſuam cœnam præſumit ad manducandum: & alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt: numquid domos non habetis ad manducandum & bibendum, aut Eccleſiam Dei contemnitis? Quaſi dicat Apoſtolus: Præparare in Eccleſia menſas, fercula conſtruere, templum inhabitantis contemptus eſt: nec enim decet, deuotionem oblectamentis intexere, & deliciis obſequia religioſa confundere. Ita Anſelmus ad hunc locum: *Eccleſiam Dei contemnitis, id eſt,* Anſelm.
domum orationis, quæ conſecrata eſt ad exorandum in ea Deum, & ad percipienda illius Sacramenta, vtique contemnitis eam, dum irreuerenter in ea carnales cibos ſumitis. Conuiuia in Eccleſia celebrata mera delicta ſunt: vnde Polybius: deorum erga populum nondum indignationem efferbuiſſe aiebat, dum fana conuiuiis non violata: *Non ta-* Polyb.
men vſque adeo eius indignatio proceſſit, ſcribit lib. 5. hiſtor. de Alexandro, *vt quicquam in deorum templa committi permiſerit, quin omnem curam adhibuit, ne qui aliquomodo fana violarent.* Dum fana non ſunt violata, nondum per Alexandrum omnis deorum exarſit ira, quando quo reus confugeret, reſtabat templum, & miſeris erat profugium. Occhus Artaxerxis filius, Athenæo teſte lib. 12. Dyphnoſophiſt. cùm iam extremum ſpiritum agens à filio rogaretur, quibus artibus

regnum

regnum adeò florens conſeruaſſet, reſpondit: Pietate in Deos, iuſtitia in homines. Audi Athenæum: Athenæus. *Occhus animam agens cùm per longum tempus regnum obtinuiſſet, & ad regium ſumptum pecunia, quod erat ſatis, abundaſſet, percontante filio natu maximo, qua induſtria regnum per tot annos conſeruaſſet, dixit: Pietate in deos, iuſtitia in homines.* Ergo Philiſthini, dum templa ebrietatibus violant profani, & ruinis iacent ſepulti.

§. LXX.

Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi.

190. VIr prouidus, vt obarmetur in mortem quaſi è vita diſpunctus viuit: arduum cum morte non ignorat certamen, arduitatem tamen ſcit non tam ab ipſa morte oriri, quàm à cupiditatibus promanare: ipſa hominis deſideria, ipſa cupiditatis vota pro morte contra hominem ſunt: vtque athleta, ne indumentis impeditus ad terram trahatur deiectus, nuditatem ſibi auxiliatem aſſumit, ſic cum morte congreſſurus omnem cupiditatem excutit, quia cauſam mortis agere nouit. Ergo in ſtrictiorem diſciplinam ſapiens ſegregatus, & appetitionibus nudus, etſi non prouocet, mortem non timet. Scis cur mors pauore imparatos concutiat, & ſequeſtris doloribus vehementer cupidos premat? Quia ferè omnes inuenit huius congreſſus prorſus imperitos: *Venientem* (mortem) Seneca. *nemo hilaris excipit*, inquit Seneca epiſt. 30. *niſi qui ſe ad illam diu compoſuerat.* Qui ſe ad mortem componit, nullibi timet: nos miſeri trepidamus non ſolùm vita exui; ſed cupiditatibus cordi inuiſceratis, & fortiter adhærentibus denudari. Ergo qui reportare cupit victoriam, ſola cum morte init omni adfectione nudatus pugnam, & quia nil ſibi, vnde premeretur, reliquit, & timorem etiam cordatè abiecit, expeditior in arenam deſcendit, & moriens vincit. Mortis armamentarium cupiditas noſtra eſt, noſtris ex votis dolor gignitur, qui tineæ ad inſtar ab ipſo corde genitus, & ſtultè procreatus cor exedit, & præ ipſa morte diſtorquet: animoſè vitam contemnit, qui iam vitam quodammodò ſuperuacuam præciſis eius retinaculis fecit. Audi Tertullianum lib. de Tertul. ſpectac. cap. 1. *Sunt qui exiſtiment Chriſtianum* (expeditum morti genus) *ad hanc obſtinationem abdicatione voluptatum erudiri, quo facilius vitam contemnant, amputatis quaſi retinaculis eius, ne deſiderent, quam iam ſibi ſuperuacuam fecerint, vt hoc conſilio potius, & humano proſpectu, non diuino præſcripto definitum exiſtimetur. Pigebat ſcilicet etiam perſeuerantes in tantis voluptatibus propter Deum mori. Quamquam ſi ita eſſet, tam apto conſilio tanta obſtinatio diſciplinæ debebat obſequium.* Mirabantur ethnici Chriſtianorum cum morte congredientium alacritatem, hancque obſtinationem oriri teſtabantur non de cæleſtium amore; ſed de abdicatione voluptatum; verùm etſi adſcribenda non fuerit, inquit Septimius, hæc alacritas, quam obſtinationem vocaris, diuinis mandatis; ſed humanis conſiliis, nihilominus eſt laudandá, quandoquidem faciliùs cum ſola morte decertabit proſcriptis cupiditatibus, quàm cum cupiditatum agmine, & morte. Ecce Samſon à ſuis occidi, cùm hanc philoſophiam non didicerat, timuit: *Spondete mihi* (contribules ſuos alloquebatur) *quòd non occidatis me*, cùm in Philiſthinorum theatro mortem non ſolùm non expauerit; ſed alacri animo adierit: *Moriatur anima mea cum Philiſthiim.* Iudic. 15. v. 12. Vides hic mortem fortiter oppetentem, illic trepidantem: quod ſi diſcriminis inquiras cauſam, inuenies inſanis anteà cupidinibus æſtuaſſe, hîc vel puerulum, quo ad ſolatium vtebatur, reliquiſſe: *Dixit puero regenti greſſus ſuos: Dimitte me, vt tangam columnas, quibus omnis imminet domus.* A rebus omnibus expeditus columnas tangit, & de ipſa morte, ac Philiſthinis victoriam obtinet: diu ad mortem compoſitus, & ab omnibus cupiditatibus nudus mortem non exhorruit; ſed alacriter ſubiuit. *In morte*, inquit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. Ambroſ. *ſe ipſum vicit, & inſuperabilem geſſit animum, vt contemneret, & quaſi pro nihilo haberet vitæ finem omnibus formidoloſum. Virtutis igitur fuit quòd victoriarum numero diem clauſit, nec captiuum exitum; ſed triumphalem inuenit.* Illum anteà vitæ amor veluti illigatum tenebat, modò quia expeditus cum morte congreſſus eſt, triumphum de ipſa morte reportauit, nec mori exhorruit.

Cùm Dei Angelus voraci gladio populum cæderet, Dauid obuius cucurrit, & mortem prouo- 191.
cauit, non temerariâ deſperatione actus; ſed virili vitæ contemptu, & charitate munitus: *Vertatur, obſecro, manus tua contra me.* 2. Reg. 24. v. 17. Quam expeditus erat, qui vbique mori non recuſabat. Huc voco quod aiebat Philo lib. quod omnis probus liber. Philo. *Reuera ſolus liber eſt, qui ſolum Deum ſequitur; imò qui, vt equidem ſentio, imperium habet in terreſtria tanquam immortalis ſummique regis mortalis vicarius.* Diuinam quodammodò fortitudinem induit, qui imperium habet in terreſtria, qui ſolum Deum ſequitur, nec difficillimis cupidatum nexibus illigatur. O quàm ſe liberum, & expeditum ſentiebat Dauid. cùm mortem non recuſabat! Ad mortem venit ſine mortis odio, ſine vitæ deſiderio, mortem non violenter traxit; ſed admiſit, & generoſè vitam contempſit.

Ero mors tua, ô mors, morſus tuus ero inferne, 192.
aiebat Dominus per Oſeam. Oſee 13. v. 14. Iam qualis ad noſtram eruditionem cum morte fuerit congreſſus, attende. Nudus inſcendit crucem, & è cruce ſe matre, diſcipuloque abdicauit: *Mulier ecce filius tuus: Deinde dicit diſcipulo: Ecce mater tua.* Ioan. 19. v. 26. Vt nos ſuis actionibus erudiret, expeditus prorſus mortem expectauit, imò inclinato capite quodammodò vt accederet, innuit: timebat namque mors ſecum ſolummodò congredientem, & decertantem: mors mortis fuit Dominus diuinitatis viribus obarmatus, & omni tolerantia munitus: vtque nos mortem vincere optimus pædotriba edoceret, moriturus omnibus renuntiauit, non pietatem lædens; ſed diſcipulos inſtruens. *Ex omnibus manifeſtatur* (verba ſunt Theophylacti ad Theophyl. hunc locum) *quòd ipſe fuerit Dominus mortis, & omnia ſecundum poteſtatem fecerit.* Nudus Dominatus eſt morti, noſque edocuit cum ea ſola inire luctam, ſi cupimus reportare victoriam.

Diabolus denſo calamitatum turbine Iobum 193.
impetiuit, vt patientiæ muros expugnaret: ille certaminis nullatenus detrectauit conflictum; ſed proſiluit nudus in campum: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit, & dixit: Nudus egreſſus ſum* Iob 1. v. 20.

de

de vtero matris meæ, & nudus reuertar illuc. Se modò ſibi ex materno vtero effuſo exæquat, & quidem naſci iucundum; ſed è vitâ excedere amarum. Quiſque properat naſci, refugit mori: cur ergo eandem ſibi alacritatem Iobus diſceſſurus, ac naſciturus promittat? Certè quia capillos raſit, quia purpuram abiecit. Cùm in hanc vitam prodij, inquit Iobus, nuditas mihi auxilio fuit: non enim vnde tenerer, habui: ergo nudus placidè mortem oppetam, ſi vnde detineat, non habeam recens natum nec diuitiarum interfecit cupiditas, nec cognatorum illigat amor, nec cæca inflammat ambitio; vt externis indumentis, ita nudi eximus affectionum retinaculis: ergo, ſi moriar, vt natus ſum, inquit Iobus, non vincar; ſed triumphum agam, & exarmatam mortem oppetam: quia mortis ſtimulus venit de concupiſcentiâ & peccato. Prodeſt Origenes lib. 1. in

Orig. Iob. *Conſcidit veſtimenta ſua, ac ſi diceret ad ipſos aduerſarios nequiſſimos: O maligni atque iniqui aduerſarij, mortuum me æſtimatis, vt vos putatis & vt vobis videtur, in terram me ſepelire præparatis. Si ergo me mortuum æſtimatis, ô inimici, anticipem in pretioſam meam ſepulturam conſcindere pretioſas ac regales meas veſtes.* Addit poſt pauca: *Tollite, inquit, & hanc veſtem, proiicio etiam hanc vobis, nihil in me remaneat.* Expende illud, *in pretioſam meam ſepulturam.* Ac ſi dicat: Vos me hoc iniquo purpuræ beneficio oneratis, quo & mors durior, & ſepultura ſit vilior; at ego de nuditate pretioſam meam ſepulturam efficiam, ac victoriam conſequar, in huiuſque victoriæ argumentum comam tondeo. Hunc fuiſſe tonſionis finem tradit datus Origenes: *Totondit comam capitis ſui, ſicut Ionatha filius, cùm David ad Ieruſalem poſt mortem Abſalom reuerteretur.* Comam totondit Miphiboſeth in alacritatis argumentum, ad victoriæ plauſum. Ergo Iob comam depoſuit, vt ſuæ victoriæ plauderet, & aduerſarios victos oſtenderet: nec enim vinci potuit, dum cum ſola morte pugnauit.

---

§. LXXI.

Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci.

294. Vitium contactu nocet, ſerpit, & in proximum quemque tranſilit. Vt in peſtilentia curandum eſt, ne iam corruptis tabe corporibus morboque flagrantibus approximes: quia aliter pericula trahes, ipſoque afflatu inficieris: ita cauendum eſt, ne vitiorum theatris aſſideas, ne vel celeri veſtigio per eorum regionem tranſeas; alioquin ipſe conſpectus, ipſe halitus euigorabit virtutem, & inferet prauitatem. Hinc liquet quantis gratiæ viribus floruerint illi ſanctitatis heroës qui vitia in munitiſſimis eorum arcibus deuicerunt, & nobiliſſimum triumphum reportarunt. *Æſtimanda ſunt*, aiebat Seneca de tranquillit. vitæ cap. 4.

Seneca. *ipſa quæ aggredimur, & vires noſtræ cum rebus, quas tentaturi ſumus, comparandæ: debet enim*

Onera ferentè maiora opprimunt. *ſemper plus eſſe virium in latore, quàm in onere. Neceſſe eſt opprimant onera, quæ ferente maiora ſunt.* Cum viribus collata onera imprudentiam

ſugillant, aut fortitudinem & ſtrenuitatem commendant: latæ valida ceruice portæ fores Samſonis commendauere virtutem: onus vires commendabat, & inuictum robur prodebat: nec minùs quàm fores corporalem ſtrenuitatem euerſum idolorum templum, ſepulti ruinis hoſtes animi prædicauere virtutem: illuſtriorem ſepultura reddidit, quàm potentia. Conuenerant Philiſthinorum Principes, & ingens populi multitudo in Dagonis delubro: ibi ſacrilegæ aræ ſumptuoſioribus victimis premebantur, ibi doloſa Dagoni adſcribebatur victoria, & ingens virtuti inferebabatur offenſa: Ergo Samſon eo diuini honoris zelo inflammatus eſt, vt proprio in domicilio fuerit idololatriam aggreſſus, & triumphum decantandum ſæculis aſſecutus: *Cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat, multòque plures interfecit moriens, quàm antea viuus occiderat.* Diuus Ambroſius iam datus potentiæ præfert ſepulturam, & vltimam reportatis anteà victoriam: *Non eſt ſe expertus inferiorem, cuius ſepultura præſtantior, quàm potentia fuit. Denique non telis; ſed cadaueribus hoſtium preſſus humatus eſt, propria tellus triumpho clarum inſigne relinquens poſteris.* Hoc illuſtriùs Samſonis inſigne fuit, idololatriam videlicet, propria in arce deuiciſſe, euertiſſe templum; & abſtuliſſe vitiorum aſylum. Viuens deuicit idololatras; moriens non ſolùm idololatras; ſed ipſam etiam idololatriam, & hoc in propria arce, & communita regione: eſt enim incomparabilis virtutis argumentum vitia in eorum caſtris aggrediendo euertere, & caſtra dilapidare. Ambroſ.

David cùm in valle therebinthi proceram illam belluam Philiſthæum deuicerit, regis animum ipſa victoria exaſperauit: plus doluit paſtoris plauſum, quàm acquiſito ſibi gaudebat triumpho: ergo ad doloſas technas conuerſus eius animum erigit, filiam maiorem promittit, ſi ſtrenuè ſe geſſerit, poſteà minorem, ſi centum Philiſthinorum præputia annumerauerit: *Ecce filia mea maior Merob ipſam dabo tibi vxorem, tantummodò eſto vir fortis, & præliare bella Domini.* Eſto, inquit, vir fortis ſpecioſo voto exercitam fortitudinem innubilans, & reportatum triumphum inhonorans: non deprecatur, non ſuſpirat nouam Dauidi fortitudinem; ſed habitam ipſo deſiderio imminuit, quaſi huc vſque perfecta animi ſtrenuitate non effloruerit, opúſque ſit maiora aggredi, & vires aggrediendo colligere. Quo animo Saül hæc dixerit, Scriptura non tacuit: *Saül reputabat dicens: Non ſit manus mea in eum; ſed ſit ſuper eum manus Philiſthinorum.* Itaque fraudulenta cogitatio hanc in Dauidem machinam mouit, videlicet in Philiſthinorum terras mittere, & ad præcidenda capita inimicorum vrgere; verùm ſi David cum monſtro congreſſus dexterè rotati lapidis ictu proſtrauit, ſi exercitum indecoram in fugam vertit, cur Saül ſibi perſuadet à Philiſthinis occidendum, & detriumphandum? Si audentem leonem, & ferocientem vrſum in fruſtra valida manu diſcerpſit, ſi carneam turrim fundâ proſtrauit, modò etiam inimicos deuincet: ergo aſtutia in ſe ipſam militat, cùm nouas triumphorum occaſiones offert, & noua bella ſuadet. O peruerſitatem lynceam! Vicerat David gigantem; ſed in valle modò opus erat in Philiſthinorum 295. 1. Reg 18. v. 17.

notum regionem deſcendere, & in ipſorum patria cum ipſis congredi, adeoque arduum eſt propria domo munitum, & regione propria ſeptum hoſtem oppugnare, vt Saül ſibi promiſerit Dauidem Philiſthinorum in regione trucidandum aut ſaltem duris vinculis deuinciendum: ducenta præputia attulit clarum admirandæ fortitudinis argumentum, & iam Saül, qui gigante proſtrato non ſenſerat, cœleſtem agnouit manum: *Intellexit quòd Dominus eſſet cum Dauid.* Et cur modò omnipotentiæ auxilium clariùs agnouit? Quia ni cœleſti auxilio munitus, inquit Eucherius hic apud gloſſam, hoſtibus manſiſſet ſubiectus: *Saül diſſimulator callidus, vt ſine inſidiis ſuis Dauidem poſſet offerre diſcrimini, ſtatuit eum Michol filiæ ſuæ nuptiis alligari, ſi centum ſibi allophylorum præputia victor offerret, pro quibus centum ducenta dedit, & vnde creditus eſt regio perire voto, inde auctus eſt glorioſiori tropheo*: notior clariorque diuina hic reſplenduit omnipotentia cum ſumptuoſior, & celebrior fuerit victoria: hoſtem propria in domo vincere difficiliùs, quam monſtrum in valle, & extra caſtra proſternere.

Eucher.

296. Aduentarat Elias in Sareptam, farinæ hydriam vnico verbo in alimenti verterat fontem, & tamen vidua illa eximiam eius virtutem nondum dignis deprædicabat elogiis; demortuo filio vitam reſtituere aggreſſus defuncto ſe exæquat, & clamat: *Expandit ſe, atque menſus eſt ſuper puerum tribus vicibus, & clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obſecro anima pueri huius in viſcera eius*: & iam mater miraculi nouitate perculſa exclamat. *Nunc in iſto cognoui, quoniam vir Dei es tu.* Et cur modo virtutem deprædicet, quæ multiplicatam anteà farinam non ignorauit? præcipuè cum verbo alimenta ſuppeditarit, & vitam modo anxio ac repetito labore refuderit; Quia Sarepta, inquit Rabbanus apud gloſſam, interpretatur incendium: puerum ergo ab ipſo incendio eripere, mortemque in mortis ditione depellere, & prophetæ maiorem ingerebat difficultatem, & viduæ maiorem admirationem. Facile erat hydriæ imperare; aſt per arduum luxuriam turpitudinemque ipſa in turpitudinis regione euincere, & edomare: *Sidonia*, inquit, *inutilis venatio; Sarepta verò incendium interpretatur.* Vbi ardor infamis omnem virtutum depaſcebat vitam, vbi fœdam tuebatur mortem, vitam refudiſſe, Eliæ virtutem in lucem manifeſtiùs extrahebat, ſumptuoſiuſque commendabat. Tribus vicibus menſus eſt, ad Dominum clamando confugit, vt in Sarepta vitalem refunderet lucem, qui facili voce præſtiterat ſatietatem: ergo non ignara myſteriorum, mater virtutis præſtantiam agnouit, & celebrauit, Nitidior Elias ſanctitatis ſplendore oculos admirationis præſtrinxit, quàm multiplicans panem, in ipſo incendio reſuſcitans iuuenem: *Ideo te*, inquit Gillibertus in allegor. Tilmani ad hunc locum, *ſuper ipſum expandis, vt quod eſt fædum in eo, operias, quod nudum, veſtias.* Conſonat ibi Stephanus: *Tribus vicibus expandit ſe Elias ſuper puerum: quia Chriſtus à tribus principalibus vitiis, ſcilicet ſuperbia, auaritia, luxuria curauit genus humanum.* Adeo difficile eſt puerum inſanis libidinum febribus æſtuantem ad ſaniorem mentem in Sarepta reuocare, vt puer ad meliorem vitam ex incendio reuocatus totum humanum genus ad gratiam non incongruis coloribus reuocandum adumbrarit: *A luxuria curauit genus humanum.* Eis impediebatur Elias difficultatibus, dum ipſo in incendio triumphum aggreditur de turpitudine agere, dum iuuenem à voracibus incendij flammis tentant eripere, vt clamorem ingeminarit: *Clamauit ad Dominum*, & inſtrationem ter repetierit: *Expandit ſe, atque menſus eſt tribus vicibus.*

3. Reg. 17. v. 21.

Rabban.

Gillibert.

Stephan.

Inter Dauidis fortes habentur celebres tres illi, qui hauſerunt aquam: *Irruperunt tres fortes caſtra Philiſthinorum, & hauſerunt aquam de ciſterna Bethlehem, quæ erat iuxta portam, & attulerunt ad Dauid.* Horum fortitudinem adeò Scriptura deprædicat, vt Banaiæ leonum, Ægyptiiſque ſpectaculo digni interfectoris, virtuti prætulerit: *Verumtamen vſque ad tres non perueniebat.* Et quare? Fortè quia tres aquam hauſerant ab ipſo inimicorum præſidio, cum gigantææ vires defenderent, & ſolicitè cuſtodirent. O quàm ſtupendæ fortitudinis fuit hoſtes in propriis munitionibus aggredi, aquamque auferre! Magnum fuit Banaiam cum leone decertaſſe, & viciſſe; ſed grandius ea viguiſſe animi fortitudine, vt hoſtilia arma ipſos inter hoſtes euaſerint, aquamque abſtulerint. Innuit Ioſephus lib. 7. antiq. cap. 12. *Iſti tres vir irrumpentes per medios hoſtes venerunt in Bethlehem, & haurientes aquam per inimica caſtra reuerſi ſunt ad regem, obſtupeſcentibus Paleſthinis fiduciam, & magnitudinem eorum, qui ſic eos contemnebant.* Ingentis adeò animi, inuicti adeò roboris fuit prædam de hoſtibus agere, non extra ipſorum mœnia; ſed intra validiſſima propugnacula, vt non ſolùm admirationem; ſed ſtuporem ingeſſerint Philiſthinis. Adeò eſt arduum cum vitiis propriis in caſtris congredi, & propriis in ditionibus vincere. 297.

2. Reg. 23. v. 16.

Ioſephus.

§. LXXII.

Spectacula ſunt virtutum faſcinum, honeſtatis ludibrium, & calamitatum emporium.

SI quid tibi vitandum præcipuè fuerit interroges, turbam reſpondebo. Nullus tutò ſe illi committet, præcipuè vbi ſpectacula vitia commendant, & imbecillis animis per oculos voluptates inſpirant, in theatris vitium addiſcitur, dum videtur, quiſquis aſpicit vitiis plaudi, non timet inficit. Mira hanc rem eloquentia, etſi tantiſper prolixa, depingit Cyprianus lib. 2. epiſt. 2. ad Donatum: eius verba in modum dexterè in conuiuiis ſecantium diuidam, ne dum prolixitas faſtiditur, vtilitas doctrinæ amittatur. Ergo accipe Cyprianum. *Iam ſi ad vrbes ipſas oculos tuos atque ora conuertas, celebritatem offendes omni ſolitudine triſtiorem: paratur gladiatorius ludus, vt libidinem crudelium luminum ſanguis oblectet, impletur in ſuccum cibis fortioribus corpus, & aruina toris membrorum moles robuſta pingueſcit, vt ſaginatus in pœnam cariùs pereat. Homo occiditur in hominis voluptatem, & vt quis poſſit occidere, peritia eſt, vſus eſt, ars eſt: ſcelus non tantùm geritur, ſed docetur.* In ſpectaculis vale dicitur virtutibus, exulat miſericordia, & repetitis acclama 298.

Cyprian.

In ſpectaculis vitium non ſolùm videtur, ſed diſcitur.

acclamationibus celebratur ſæuitia : exuccum ie-
iunium irridetur, quia variis annoſiſque ſcyphis,
quia diſtinctis ac pretioſis ferculis luxuria & vo-
racitas adipatur. Plures moriens quàm viuus ini-
micos occidit Samſon, & tamen nec prolixa co-
ma, nec ſalus vt anteà valida. *Multò plures in-
terfecit moriens, quàm anteà viuus occiderat.* Et
cur modò luctuoſior Philiſthinorum ſtrages? Cer-
tè quia confluxerant ad ſpectacula : ibi ergo fue-
runt iuſtæ vltionis copioſior victima, vbi indeco
ra includebantur ad gaudia. Samſon è carcere
eductus illuſtri coronatur victoria Philiſthini ſpe-
ctaculorum intrauerunt theatrum, vt nunquam
reparanda opprimerentur ruina : *Principes Phili-
ſthinorum conuenerunt in vnum, vt immolarent
hoſtias magnificas Dagon Deo ſuo, & epularentur.*
Quid tunc? *Lætantes per conuiuia ſumptis iam
epulis præceperunt vt vocaretur Samſon, & ante
eos luderet.* Ipſi, qui conuenerant magnificas im-
molare hoſtias idolo, extiterunt hoſtiæ ſupplicio:
dum paſcunt oculos, dum ſibi caros ſpectant lu-
dos, hoſtis fiunt præda, & miſera tumulantur
Ambroſ. ruina. *Secuta ruina ſuperioris culminis & ipſum
inuoluit* (verba ſunt dati Ambroſij) *& vniuer-
ſos, qui deſuper aſpectabant, præcipitauit : ibi
magna vis marium fœminarumque promiſcuè exa-
nimata.* Samſon ferreis vinculis teritur; ſed inclu-
ſa theatro magna ſpectantium vis ad ruinam in-
felicioribus illecebrarum vinculis illigatur, ne ex-
tra theatrum quis euaderet, ingens hominum co-
pia confluxit ad ſpectaculum, vt periret. Quo
noueris theatra eſſe ruinæ amica, & culparum
Tertull. magiſteria : *Theatrum,* aiebat Tertullianus de ſpe-
ctaculis cap. 10. *propriè veneris ſacrarium eſt : hoc
Theatrum eſt veneris ſacrarium. denique modo id genus operis in ſæculo euaſit. Nam
ſæpe cenſores renaſcentia cum maximè theatra de-
ſtruebant, moribus conſulentes, quorum ſcilicet pe-
riculum ingens de laſciuia prouidebant, vt iam
hic ethnicis in teſtimonia cedat ſententia ipſorum
nobiſcum faciens, & nobis in exaggerationem diſ-
ciplinæ etiam humanæ prærogatiua.* Vel ethnici,
quibus omne vitium cultum, abiurauere thea-
trum, quaſi omnis peſtis regionem, & omnium
calamitatum ſcaturiginem : ibi oculus oculo re-
percuſſus flammas eiaculatur, quibus & ſpectans
& ſpectata crematur : ibi luxuria addiſcitur, ibi
faſtus inſidioſus moribus commendatur. In thea-
tro Samſonis hoſtes dignam pertulere mulctam,
quaſi locus ipſe & nequitiam compleuerit, & cœ-
leſtem indignationem, ſi fas eſt dicere, exulcera-
uerit. Iam vide quanta in illo theatro commiſſa
ſcelera : ibi execranda Dagoni litatur hoſtia, ibi
opulenta & opipata ſplendet menſa, ibi fraus mu-
liebris plauditur, & fortitudo irridetur; quaſi, vt
ad mare flumina, ad theatrum confluxerint om-
nia ſcelera.

299. Nullibi Hebræorum populus miſerabiliùs cor-
ruit, quàm vbi à dæmonibus inſtigatus vitulum
conflauit, vtque illi plauderet, publicos ludos in-
Exod. 32. v. 6. ſtituit : *Sedit populus manducare, & bibere, &
ſurrexerunt ludere.* Ad vituli ſpectaculum copio-
ſus properabat hominum cœtus, mulierum nume-
rus : ergo indulſerunt ventri, & voracitatis vitio ap-
pendici : nec abſque myſterio Ioſuë, quam Moy-
ſes cantantium vocem, clamorem adhortantium
dixit ad pugnam : *Vlulatus pugnæ auditur in ca-
ſtris* : nam licet ſonori melodia concentus non ac-
cenderet in hoſtes; ciebat ardenter contra virtutes:
cum modeſtia depræliabatur procacia, cum caſti-
tate luxuria, cum temperantia edacitas, & iam au-
diebantur triſtes virtutum eiulatus, dum harmo-
nicus reſonaret concentus. Auguſtinus lib. 1. de
Ciuit. Dei cap. 32. ſcenicos ludos inuentos ait non
ab hominibus; ſed à dæmonibus, quaſi hæc vir-
tutum peſtis à dæmonibus ſolùm potuerit exco-
gitari, & in virtutum omnium perniciem adinue-
niri. Accipe Auguſtinum. *Ludi ſcenici ſpectacula
turpitudinum, & licentiæ vanitatum, non homi-
num vitiis; ſed deorum veſtrorum iuſſis Romæ in-* Auguſt.
ſtituti ſunt. Ab idolorum ingenio, à dæmonum
furore ſpectacula fuerunt excogitata & inuenta :
quaſi hanc in virtutem machinam nequiret homi-
num peruerſitas inuenire; ſed ſolùm malignitas
dæmonis fabricare. Saluianus lib. 6. ſic habet : Saluian.
*Colitur & honoratur Minerua in gymnaſiis, Ve-
nus in theatris.* Vt in gymnaſiis honeſta acquiri-
tur ſcientia, ita in theatris faſtus & turpitudinis
maior notitia. Vt qui gymnaſia curſitant, euadunt
docti; ita qui frequentant theatra, vitiorum inue-
niuntur magiſtri.

Ieremias in concilio ludentium non ſediſſe, 300.
Deo gratificatur : *Non ſedi in concilio ludentium,
& gloriatus ſum à facie manus tuæ* : quaſi conſeſſus Ierem. 15. v. 17.
ille, & ludentium intuitus ſit vitiorum leno, &
enorme virtutum faſcinum : *Prophetici miniſterij
dignitas nihil ſcurrile patitur,* inquit noſter San- Sanctius.
ctius, *nihil nugatorium ac leue : quia viri à Spiri-
tu afflati diuino ſupra hæc vulgaria oblectamenta
attollunt ſeſe.* Non ait Propheta : vt in concilio lu-
dentium ſe teſtetur coinquinatum, *non* deliqui;
ſed non *ſedi*, quaſi ipſe conſeſſus ſit virtutis mar-
cor, vitiorum vigor : ibi vitia per voluptatem ſu-
brepunt, ibi animus ſeueritate nudatur, ibi vitiis
delinitus omnem ſugit mollitiem, & prauitatem.
Redeat iterum datus Cyprianus : *Quid illud, ora-
re, quale eſt, vbi ſe feris obiiciunt, quos nemo dam-
nauit, ætate integra, honeſta ſatis forma, veſte pre-
tioſa viuentes in vltroneum funus ornantur : malis
ſuis miſeri gloriantur, pugnant ad beſtias non cri-
mine, ſed furore.* Adnectit : *In theatris quoque
conſpicies quod tibi & dolori ſit, & pudori cothur-
nus eſt tragicus, priſca facinora carmine recenſere,
de parricidis & inceſtis horror antiquus expreſſa ad
imaginem veritatis actione replicatur, ne ſæculis
tranſeuntibus exoleſcat, quod aliquando commiſſum
eſt. Admonetur ætas omnis auditu, fieri poſſe quod
factum eſt : nunquam aui ſenio delicta moriuntur,
nunquam temporibus crimen obruitur, nunquam
ſcelus obliuione ſepelitur : exempla fiunt, quæ eſſe
iam facinora deſtiterunt : tum delectat in mimis tur-
pitudinum magiſterio, vel quid domi geſſerit, re-
cognoſcere, vel quid gerere poſſit, audire. Adulte-
rium diſcitur, dum videtur.* Quid elegantiùs di-
ctum? quid ſynceriùs verum?

LXXIII.

*Vir fortis ærumnoſam vitam non odit, mor-
tem honeſtam non fugit.*

FOrtium virorum eſt, aiebat Curtius lib. 5. *ma-* 301.
gis mortem contemnere, quàm odiſſe vitam. Curtius.
Non eſt fortitudo, quæ vt laborum abrumpat mo-
leſta tædia, quæ vt ærumnarum vitet incommoda,
ad mortis caſtra ſe recipit; ſed quæ perſiſtit in
acie conſtans, etſi duris impetatur laboribus, &
& inextricabilibus ad ſpeciem difficultatibus. Qui
violentas ſibi manus iniecit, non eſt fortis; imò

Tertul. ſpecie fortitudinis inuenitur imbellis. *Mortis metus*, aiebat Tertull. ad Martyras cap.4. *non tantus eſt, quantus tormentorum.* Timiditas maiorem timorem minore redimit, non mortem magnanimè vincit. Qui tormentorum timore expoſuit vitam, teſtatur ignauiam, quandoquidem vir fortis non ſolùm aduerſùs omnia Fortunæ tela immotus perſiſtit; ſed aliquando etiam incenſus pugnæ amore prouocat: vita deſperatione abrumpenda non eſt, vt quaſſantis vires calamitatis adſultum; ſed indurandus conſtanter animus. Hinc Tertullianus iam datus, quo Chriſti ſeruos edoceat, vitam ignauè non odiſſe; ſed mortem generosè contemnere, variis confirmat exemplis. Tertull. *Aſdrubalis vxor*, inquit, *iam ardente Carthagine, ne maritum ſuum ſupplicem Scipionis videret, cum filiis ſuis in incendium patriæ deuolauit. Regulus Dux Romanus captus à Carthaginienſibus cùm ſe vnum pro multis captiuis Carthaginienſibus compenſari noluiſſet, maluit hoſtibus reddi, & in arca genus ſtipatus vndique extrinſecùs clauis transfixus tot cruces ſenſit. Beſtias fœmina libens appetiit, & vtique horridiores aſpides tauro vel vrſo, quas Cleopatra immiſit ſibi, ne in manus inimici perueniret.* Horum nullus vitam auerſabatur, omnes verò nomen ſibi contempta morte fecerunt. Ergo Chriſtianus, dum nobilior prouocat cauſa, fides videlicet ac religio, mortem ſubire non timeat; ſed generosè vitam contemnat. Relatos; quia degener cauſa, non nobilitauit fortitudo; ſed fortitudinis vmbra; erit vera, ſi te vitæ odium ad mortem non impellat, ſed ad mortem ſuperandam communiat. Itaque vir fortis non recuſabit digna cauſa ſubire, quæ famæ cupiditas, & obſtinationis non recuſauit temeritas. Non eſt vita deſpicienda; ſed nec nimis amanda eſt: vbi ratio poſtulat, vbi vera fides imperat, honeſta mors ignobili vitæ præferenda eſt. Ergo concludit efficaciter ſatis Septimius: *Si tantùm terrenæ gloriæ licet, de corporis & animi vigore, vt gladium, ignem, crucem, beſtias, tormenta contemnant ſub præmio laudis humanæ, poſſum dicere: Modicæ ſunt iſtæ paſſiones ad conſecutionem gloriæ cæleſtis, & diuinæ mercedis. Tanti vitrum, quanti verum margaritum? Quis ergo non libentiſſimè tantùm pro vero habeat erogare, quantum alij pro falſo?* Quæ plures pro pellucido famæ vitro, pro volatico non dubitarunt præferre gaudio, Chriſti ſeruos confundent, ſi verùm recuſarint emere margaritum, minori pretio, ac illi emerunt falſæ fortitudinis elogium, famæ mendacium. Ecce è carcere productus Samſon dum ludibriis & irriſionibus dehoneſtaretur, & à Dagone crederetur ſubiugatus, dum iteratis, fauſtiſque acclamationibus celebrari idolum non ſuſtinet, vitam contemnit, & propria morte triumphos de inimicis reportat, religionémque vindicat. *Moriatur anima mea cum Philiſthiim concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat.* Non odio ærumnoſæ vitæ; ſed inſtaurandi honoris diuini zelo, & puniendi idololatrias ſtudio contempſit vitam, & inimicis intulit cladem. Ita Ambroſ. Ambroſ. *Exclamauit ad Dominum, dicens: Domine adhuc ſemel memor pueri tui eſto, vt pro duobus oculis meis vindictam tribuas de nationibus, ne dent gloriam ſuis diis, quòd ipſis iuuantibus me in poteſtatem acceperint, nec vitam pluris facio.* Agnouit Samſon diuino honori non parum detrahi, ſi propriæ conſuluerit ſaluti: agnouit morte ſua poſſe honorem diuinum redimi: & Dagonem ſubrui: ergo non vitam pertæſus; ſed diuini honoris religioſo zelo inflammatus mortem laude dignam oppetiit fortis, & de ipſa morte triumphauit alacris. Plures non diſtinguunt inter audaciæ temeritatem, & magnanimitatem virtutis, vnde fortitudinem cum audacia confundunt, cùm longè à fortitudine diſtet temeritas, & timiditas: *Animus*, aiebat Cicero 1. de officiis, *paratus ad periculum, ſi ſua cupiditate, non vtilitate communi* Cicero. *impellitur, audaciæ potiùs nomen habet, quàm fortitudinis.*

302. Iob ſæuo malorum turbine impetitus patientiæ clypeo defendebatur protectus; verùm cùm mulier degeneri erga eum afficeretur amore, & mortem pro remedio conſuleret: *Dixit illi vxor ſua:* Iob 2. v.9. *Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua? Benedic Deo & morere:* corripuit, & ſtultam appellauit, & quidem iure quandoquidem audaciam fortitudine conſulebat, & ad vitæ ærumnis ac laboribus plenæ odium inſtigabat: *Quaſi vna de ſtultis mulieribus locuta es*, inquit: ac ſi dicat: Non elucet animi fortitudo in ſubeundo mortem ob laborum tædium; ſed in labores ſufferendo, & ærumnas tolerando: Mihi, inquit, aduerſùs dolorem, aduerſùs paupertatem, aduerſùs ipſam mortem depræliandum eſt, vt fortis merear elogium; alioquin ſi pati fugio: non ſum fortis, ſed imbecillus. Huc voco Ariſtotelem 3. Ethicor. Ariſt. *Mollities eſt fugere laborioſa.* Ioſeph. Aptiùs Ioſeph. de bello Iudaico cap. 14. *Non viri fortis eſt ſemet occidere: imò ignauiſſimi: nam & gubernatorem timidiſſimum puto, qui tempeſtatem metuens ante vim turbinis nauem ſpontè ſubmergit.* Metus ſæpè maturauit caſum, patiendi animum abſtulit, & ſub ſpecie fortitudinis res fuit timoris. *Ridiculum eſt currere ad mortem*, Epicur. aiebat Epicurus, *tædio vitæ.* Inter vitam mortémque ea via tenenda eſt, vt nec honeſtam mortem exhorreas timidus, nec ærumnoſam vitam effugias pauidus. Vir fortis non debet è vita fugere; ſed exire, aduerſùs toruos fortunæ vultus, aduerſùs calamitatum impetum animus firmandus eſt. Honeſtiùs eſt vitæ tædium vincere, quàm indecoræ mortis auxilium petere.

303. Dauid à Saüle ſæpiùs impetitus non induxit in animum, vt in ſe manus afferret; imò laborum turbinibus impetitus ſemel & iterum vitæ fuga matura proſpexit: Saül in Gelboë montibus, ne ab hoſtibus irrideretur, gladium ſibi adegit, vitámque abſcidit: *Arripuit itaque Saül gladium,* 1. Reg 31. v.4. *& irruit ſuper eum.* Vter fortior videtur tibi, Saül, qui intrepidè mortem contempſit, an Dauid, qui ærumnoſam vitam odio non habuit? Caietanus pro Dauide ſtabit. Caiet. *Hinc apparet mollities animi eius. (Saül) non valentis ſufferre illuſiones à Philiſthinis: nam ad euitandas huiuſmodi illuſiones ſe ipſum peremit: quod etiam philoſophi molli animo tribuunt.* Si fortis eſſet ſuprà fortunam aſſurgeret, & vel irriſus ſibi conſtaret; at dum illuſionis metu mortem ſibi maturauit, non fuit fortis, ſed imbecillis; aſt Dauid, dum variis calamitatum vorticibus penè obrutus non ceſſit; ſed inuicto animo contrà calamitates pugnauit, & calamitates deuicit & vera fortitudinis laude reſplenduit: ergo ſi fortis laudem honeſtè exambis, non ſuccumbas dolori non cedas ærumnæ; ſed exere animum, & contrà has peſtes intrepidè pugna. Contemne mortem, vt meliorem lucreris vitam, nec ſic ærumnoſam oderis vitam, vt ad indignam recurras mortem: imperturbato animo varios fortunæ vultus ſapiens intuetur, & inuicto animo ærumnoſam vitam ſuſtinet: nam vera fortitudo nec morti cedit, nec labori.

Digitized by Google

labori. Libenter amplexus eſt Samſon honeſtam mortem, ſine querela laborioſam incarceratus pertulerat vitam, quò & ærumna patientet lata, & mors illum nobilitarit animosè contempta. Mortem, vt honori diuino conſulas, vince: cum ærumnis & doloribus depræliare, ſicque felici clauſula temporalem honorabis vitam, & aſſequêris æternam.

§. LXXIV.

Glorioſius epitaphium hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus.

304. ANtiquitas gloriæ auidè ſtudioſa, & ſtudioſiſſimè auida in ſepulcris præclara geſta defunctorum litteris exarabat, quo aduerſus mortem efflorecet memoria, & vigeret defuncti fama. Notauit Tertullianus lib. de teſtim. anim. cap. 4. *Omnibus ferè ingenita eſt fama poſt mortem cupido: longum eſt retexere Curtios, & Regulos, & Græcos viros quorum innumera elogia ſunt contemptæ mortis propter poſthumam famam. Quis non hodie memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, vt vel litteratura operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſeruet.* De ſepulchrorum operoſitate admirationem, memoriámque ciebant, & de inſanis ſubſtructionibus veluti de firmiſſimis arcibus aduerſus obliuionis depugnabant ſilentium, & ambitioſum memoriæ tuebantur ſtudium: *In foro ſuo*, ſcribit Xiphilin. in vita Traiani, *columnam maximam collocauit, partim ſepeliendi ſui cauſa, partim, vt opus, quod ipſe fecerat circa forum, ipſis oſtenderet.* Pro lingua erat columna, pro voce ſubſtructionis inſania, quæ ſtructoris vel inuitam conſeruaret memoriam aduerſus temporum lapſus, & obliuionis adſultus. *Quidam*, aiebat Seneca de breuitate vitæ cap. 20. *diſponunt etiam illa, quæ vltra vitam ſunt, moles magnas ſepulchrorum, & operum publicorum dedicationes, & ad rogum munera, & ambitioſas exequias; at me hercule iſtorum funera, tanquam minimum vixerint, ad faces, & ad cereos ducenda ſunt.* Memoriæ ſuæ conſecrant ſepulchra variis cælaturis diſtincta, flexuris operoſis pretioſa, ſed vitæ ſuæ plures conciliauerunt inuidiam, dum poſt mortem non moribus; ſed ſubſtructionibus extendere moliebantur memoriam: glorioſius ſepulcrhum non eſt, quod copioſa pecunia ſtruxit, quod artificis felix temeritas cogitauit, quod ſudor diuturnus, & operoſus impleuit, qui inter detriumphata hoſtium cadauera ſepultus viuit gloriæ, & ſplendet famæ: nobilior ſepulchri panegyris eſt ſubiectus in libertatem aſſertus, hoſtiſque deuictus. Huiuſmodi ſepulchrum ſibi delegit Samſon, vt æternaret memoriam, & ingratam obliuionis depelleret prorſus iniuriam: *Moriatur anima mea cum Philiſthiim, concuſſiſque fortiter columnis cecidit domus ſuper omnes Principes, & cæteram multitudinem quæ ibi erat, multóque plures interfecit moriens, quàm antè viuus occiderat. Deſcendentes autem fratres eius & vniuerſa cognatio tulerunt corpus eius.* Hoſtium cadaueribus protectus iacuit; ſed cadauera pro epitaphio erant. En fratres ea iam libertate vtuntur, vt ſine metu quiuerint corpus auferre, nec audebant hoſtes mutire. O quàm efflorefcebat perenniter Samſonis memoria, & de morte triumphabat fama. Notauit Ambroſius lib. 3. epiſtolar. epiſt. 24. *Non eſt enim ſe expertus inferiorem, cuius ſepultura præſtantior, quàm potentia fuit. Denique non telis; ſed cadaueribus hoſtium preſſus humatus eſt, proprio tectus triumpho, clarum inſigne relinquens poſteris; eo quòd populum ſuum quem captiuum inuenerat viginti annis in libertate iudicio ſuo rexit, & ſepultus in patrio ſolo libertatis hæredem dimiſit.* Populi libertas tanto Principe dignum legatum fuit, vt hoſtis extinctus honorabile ſepulchrum. Vicit in ſepulchro condiendo ſtudia artificum fortitudo, & dum hoſtilibus contexit cadaueribus, æternis mortem conſecrauit & laudibus.

Chriſti Domini ſepulchrum aduersùs inuidentiæ ſtudia, aduersùs vigilantis odij machinamenta glorioſum fore tradit Iſaias: *Erit ſepulchrum eius glorioſum.* Ecqua huius ſepulchri gloria? Iam Euangeliſta deſcripſit: *Angelus Domini deſcendit de cælo, & accedens reuoluit lapidem, & ſedebat ſuper eum: erat autem aſpectus eius ſicut fulgur, & veſtimentum eius ſicut nix: præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, & facti ſunt velut mortui. Reſpondens autem Angelus dixit mulieribus: Nolite timere vos.* Angelus lapidi reuoluto inſidens pro panegyri eſt, dum oſtendit hoſtes timore perterritos, & Domini ſeruos anxietudine trepidationis ſolutos: mulier olim captiua iam in libertatem aſſerta, & aſtutia ſerpentina olim triumphatrix, iam conquaſſata & attrita ſumptuoſius erat ſepulri elogium, & æternum monimentum. Opportunè Chryſologus ſerm. 75. *Præ timore eius exterriti ſunt cuſtodes. Quare territi? Quia cuſtodiebant crudelitatis ſtudio, non pietatis obſequio. Ruit, deſtruitur, ſtare non poteſt, quem conſcientia deſtituit, impellit reatus. Hinc eſt, quod Angelus percellit impios, pios alloquitur & ſolatur: Nolite timere vos: hoc eſt, illi timeant: quærentes non timeant, timeant perſequentes.* Erepti famuli, aduerſarij deiecti gloriam conciliauerunt ſepulchro: nec enim potuit glorioſè non ſepeliri, qui ſua morte & ſuis libertatem, & hoſtibus attulit ſeruitutem. Ergo ſepulchrum comprobatur glorioſum, dum ibi iacet hoſtis proſtratus, & deuotus viget ereptus.

Ioſuë moritur, & à ſuis in Thamnathſare ſepelitur: *Sepelierunt eum in finibus poſſeſſionis ſuæ in Thamnathſare.* Sepulchrum video; ſed epitaphium non lego. Et cur in ſepulchri operculo mira huius Ducis vocalibus litteris non exarata, & clamoſo ſilice exculpta? Epitaphium aduersùs inuidiam, ignorantiámque dictauit Eccleſiaſticus c. 46. *Fortis in bello Ieſus Naue, ſucceſſor Moyſi in prophetiis, qui fuit magnus ſecundùm nomen ſuum, maximus in ſalutem electorum Dei expugnare inſurgentes hoſtes, vt conſequeretur hæreditatem Iſraël.* Iſraël hæreditatem conſecutus, hoſtiſque abactus, Ioſuë decantauit ſæculis gloriam, & indelebilem excellentiam. Nomen erat magnum: *Magnus ſecundùm nomen ſuum*; verùm non ſolùm nomine ornabantur; ſed nomen nobilitauit ſuis ſalutem, & hoſtibus adducens captiuitatem. Rabbini memorant imaginem Solis lapidi inſculptam, vt quod Eccleſiaſticus epitaphium ſcripſit litteris, Sol luminoſis ac indefeſſis teſtatus ſit radiis. Ita noſter Serarius hîc quæſt. 12. *Memorant Iudæorum Rabbini fuiſſe ſuper Ioſuë ſepulchro collocatam ſolis imaginem*; verùm inquiramus cur ſuper Ioſuë ſepulchro non inſculpſerint Iordanis vndas ingenium montium imitatas? Certè Ioſuë Duce Iordanis aquarum prouen

Margin notes (left): Tertul. — Xiphilin. — Seneca. — Glorioſius ſepulchrum quod moribus nõ ſubſtructionibus cõmendatur.

Margin notes (right): Ambroſ. — 305. — Iſai. 11. v. 10. — Matth. 28. v. 2. — Chryſol. — 306. — Ioſuë 24. v. 30. — Eccli. 46. v. 1. — Serarius.

prouectibus diues frænatus ſubſtitit,& viam puluerulentam Iſraëlitis cõceſſit: *Steterunt aquæ deſcendentes in loco vno, & ad inſtar montis intumeſcentes.* Si ergo Sol ſtat,& conſiſtunt etiam aquæ, cur lapidi inſculpant ſolares radios, non marinos fluctus? Vt glorioſius certè inſcripſerint epitaphium: frænata vnda hoſtes non demerſit, Iſraëlitas tranſmiſit; at dum Sol gradum repigrat, inimicus atteritur, & Gabaonita iam deuotus ſolicitudini eripitur: ergo Sol, non vnda Ioſuë memoriam conſeruet ſæculis: quia vtrumque, hoſtis nempe deuictus, & ſubiectus aſſeruatus eſt illuſtrior funeris pompa, & pro ſepulto eloquentior lingua. Dum Sol lapidi inſculptus radiorum publicat eloquentia, Ioſuë hoſtes mira fortitudine deieciſſe, & mira Gabaonitas fidelitate ſeruaſſe, ſumptuoſis laudibus defunctum celebrat, & glorioſis epitaphiis illuſtrat. O quàm erat Ioſuë honeſtum ſuis libertatem reliquiſſe, & hoſtes victrici plantâ calcaſſe! Minùs celebris eius ſepultura eſſet, ſi cælaturis diſtincta, & mira operoſitate elaborata: tunc enim lapis artificis potiùs publicaret dexteritatem, quàm defuncti virtutem; at dum Sol lapidi inſeritur, luminoſis radiis obliuionis depellit tenebras, & luminibus pro linguis vſus, non patitur erga Ioſuë dexteritatem inuidias.

Ioſuë 3. v. 16.

§. LXXV.

Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur, peccatorum gaudia lamentis, & inhonoratione ſoluuntur.

307. VT iuſtorum vita calamitatibus frequenter plena, ſic mors honoribus fulget conſpicua teſtante propheta: *Pretioſa in conſpectu Domini mors ſanctorum eius.* E contra iniquorum vita proſperitatibus læta; ſed mors & peſſima, & gemitibus copioſa: ipſo Pſalmiſta aſſerente: *Mors peccatorum peſſima.* Soluunt impij in morte, quod in vita deliquerunt, quod meruerunt; accipiunt iuſti, vnde vt vita fuerunt contrarij, ita in exitu inueniuntur oppoſiti: ipſos, qui ſanctos afflixere ſuperſtites, mortuos honorant, & honoribus dilargitis nobilitant. Vita finitur; ſed adhuc in puluere virtus ac ſanctitas vernat, & fragrantiſſimos ſuffitus halat. Hinc aiebant quidam de ſponſa: *Quæ eſt iſta quæ aſcendit per deſertum ſicut virgula fumi ex arromatibus myrrhæ & thuris, & vniuerſi pulueris pigmentarij?* Fœminæ in vita variis vtuntur pigmentis vt adulentur nitori: Sponſa verò in morte redolet, & variis exculta pigmentis nitet. Quæ dum viueret, hœdos paſcebat erroribus camporum attrita, & Solis candentis æſtibus denigrata, quæ diſpoliata pallio, quæ diues ingemiſcebat vulneribus: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Moriens iam redolet virtutum fragrantia, iam gratiæ candore ſplendet, & in ſui admirationem cœleſtes virtutes trahit. *Mirantur aſcendentem virtutes cælorum* (verba ſunt Ambroſij in collectis) *quod ſine offenſione aſcendat, & ex hoc mundo aſcendat cum lætitia, & iucunditate, ſicut vitis propago, & ſicut fumus ſe ad ſuperna ſubrigat fragrans pia reſurrectionis odorem, & ſuauitatem fidei.* Expende illud: *Vt vitis propago.* Vitis inciditur amputata, & gemit inciſa, ſed poſt gemitus, lachrymaſque florida viret, & generoſi vini lætitiam parturit. Ergo Sponſa vitis ad inſtar gemitus lætitia compenſat, & honorabilis mors ærumnoſæ vitæ fœditatem inaurat. En Samſon Principeſque eodem temporis momento diſceſſerunt è vita; ſed diuerſa vitæ clauſula: nam vniuerſa Samſonis cognatio corpus eius digno ſepulchro recondit: Principes obliuio tantum modo ſepeliuit: *Deſcenderunt autem fratres eius, & vniuerſa cognatio tulerunt corpus eius, & ſepelierunt inter Saraa, & Eſthaol in ſepulchro patris ſui Manue.* Plures conuenerant: Principes, *Principes*, inquit textus, *Philiſthinorum conuenerunt.* Sed quos obſequioſa clientum turba comitabatur, iam ingenti ruentis machinæ mole paruipendit oppreſſos, & relinquit inſepultos. Dum Samſon duriſſimis catenarum premitur nexibus, magnates vaniſſimis oblectantur adulationibus; aſt in morte vice verſa Principes miſerabili opprimuntur ruina, & Samſon non delenda ſæculis fulget redimitus victoria. Ab ipſis contribulibus, quorum manu Samſon in Etan fuerat vinculis illigatus, refertur poſt mortem honoribus ac ſepulchro excultus, & quos dignitate turba venerabatur elatos, obliuioni tradit lapſu miſerabili abiectos. *O quàm beatè moritur*, aiebat Damianus tom. 2. ſerm. 1. de Sancto vitale, *qui moriendo oritur! Quam feliciter temporalem vitam finit, qui viuere perpetualiter incipit.* Conſonat ſæpè datus Ambroſius, *Non eſt ſe expertus inferiorem, cuius ſepultura præſtantior, quàm potentia fuerit.* Sepulchri præſtantia, triumphalis victoria vitæ ærumnas omnes deleuit, & ſplendorem tenebrarum nunquam adſultibus deturpandum ſtabiliuit; at demortuos Principes oppreſſit ruina, & ruentium nulla remanſit memoria.

Pſal. 115. v. 15.

Pſal. 33. v. 22.

Cantic. 3. v. 6.

Cant. 5. v. 7.

Ambroſ.

Damian.

Ambroſ.

Componamus Chriſti Domini incunabula cum ſepulchro: natus arctiſſimo præſepi includitur, faſciis illigatur, & caluarij ærumnas orditur: hic aſpicies brutis aſſociatum, ibi de latronum conſortio obſcurum, opprobriis ac vulneribus plenum: *Inuenietis infantem*, aiebat Lucas, *pannis inuolutum, & poſitum in præſepio.* Inter animalia naſcitur, inter latrones probroſiùs diſtorquetur; at ſi ſepulchrum adeas, videbis Angelos aſſidere, & demortui gloriam hominibus prædicare: *Vidit duos Angelos in albis ſedentes, vnum ad caput, & vnum ad pedes, vbi poſitum fuerat corpus Ieſu.* Angelicis ſplendoribus illuſtratur ſepulchrum, & ſupernorum ſpirituum ciuile obſequium inhonorum latronum compenſauit conſortium: vita doloribus ac ærumnis ſordebat plena; ſed mors fulget diuinis honoribus conſpicua, & Angelicis linguis deprædicata. *Angelos*, inquit Chryſoſtomus in catena, *videt in læto habitu, vt & ipſa à paſſione mitigetur.* Iam ſepulchrum eſt glorioſum felicitatis emporium, ſi præſepè fuerat dolorum ac ærumnarum theatrum. Quàm accidat contrarium magnatibus, & deliciis ſolùm viuentibus, teſtatur Iſaias cap. 14. vbi, vt placet multis, de Balthaſare agens Lucifero in exortu comparat; & honore ſepulturæ cariturum denuntiat: *Quomodò cecidiſti de cœlo Lucifer, qui mane oriebaris? Proiectus es de ſepulchro tuo, quaſi ſtirps inutilis.* Quàm alius erat Balthaſar oriens & decedens! Illum vt Luciferum aues repetitis, fauſtiſque acclamationibus ſalutabant, & exorienti plaudebant. Qui, ne quid ſplendoris ſibi vindicarent, aliorum ſyderum dedignabatur conſortium, imò reſpuebat

308.

Lucæ 2. v. 12.

Ioan. 20. v. 12.

Chryſoſt.

Iſaiæ 14. v. 12.

Digitized by Google

reſpuebat faſtidioſus obſequium, in morte ſordet inhonorus, & inſepultus. *Quaſi dicat*, exponit
Interlin. Interlinearis: *Sepultis regibus, quos occidiſti, tu inſepultus abiicieris, vel ſi omnes animæ aliquã requiẽ quandoque accipiant, tu nunquam.* Addit de ſtirpe inutili: *In radice naſcens arbori affert ſterilitatem digna incendio.* Balthaſar ſtirps fuit in morte, quæ germinarit & ignominiam, & flammam: Luciferi ad inſtar, dum vixit, reſplenduit; ſed etiam ſtirpis inutilis ad inſtar in morte ſorduit; vt compenſarit gaudia lamentis, nitorem flammis.

309. Sponſus ſponſæ ſibi dilectæ ſtaturam exæquat
Cant. 7. v. 7. palmæ: *Statura tua aſſimilata eſt palmæ.* Eccur palmæ? Quia palma, inquit Gregorius hic vbi finit, vireſcit: ad cœlum vſque protenditur, & quæ ſordeſcentibus corticis inuolucris, & horridis quaſi faſciis inceperat ſpirare, vbi attigerit terminum viridantibus brachiis floret dilata, & ſaporatis fructibus plena. Ergo ſponſa iuſtorum ænigma, dum ad terminum properat, ſordida ad ſpeciem vileſcit; ſed in ſupremis floridiſſima hiter:
Greg. *Palma quippe dum creſcit, deorſum ſtringitur, & ſurſum dilatatur: ſic ſancta anima.* Iuſtus, qui vt palma floret, in hoc peruerſo ſæculo, aut iniquorum malitia, aut cæleſti Numinis prouidentia calamitatum fluctibus penè obruitur, ſed dum attingit metam, eximiis honoribus decoratur: vilem exuit corticem, & induit palmæ ad inſtar perennem viriditatem.

310. Hoc idem tritum ſatis; ſed opportunum diuitis ac Lazari confirmat exemplum: alter circumfluentibus vndique deliciis ſplendenti fulgebat in purpura, circumdatus amicorum incedebat caterua: certabant de voluptate ſenſus, de magnitudine luxus: *Induebatur purpurâ & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè.* Luc. 16. v. 19. Lazarus repetitis vermiũ morſibus penè exeſus fœtida tabe copioſus & omni humano auxilio ingemebat deſtitutus: *Iacebat ad ianuã eius vlceribus plenus.* Diuerſis clauſulis diuerſæ finitæ ſunt vitæ: diues fimo pro purpura tegitur, pro ſanie Lazarus ſplẽdoribus adornatur: fugaciſſima diuitis gaudia eiulatibus cõpenſantur æternis; tẽporales Lazari ærumnæ gaudiis munerantur nunquam fluxuris, qui ad ſpeciem felix verè infortunatus & miſer, & qui ad ſpeciem miſer, verè fortunatus & felix. Expendebat ſolito acumine Chryſologus ſerm. 121. *En fratres quàm rerum* Chryſol. *lamentanda mutatio: pauperem portant Angeli; diuitem deglutit infernus: en fratres mors pauperis totam vitam diuitis vicit, & elatio ſola pauperis totam diuitis pompam tranſcendit & gloriam.* O nos miſeros, quibus oculi imponunt, & vanæ rerum ſpecies decipiunt! res non metimur veritate; ſed ſpecie: placet, ſi venuſta, fugacibus ac leuibus innixa fortuna; diſplicet virtus, ſi ad tempus calamitatibus circumacta: ipſi nos ſeducimus; & cum ratio omnia iſta, quæ exambimus, fugacia & caduca teſtetur, ſenſus præſtigiis falſus pertinaciter poſſidere molitur. Samſonis ærumnoſos labores Principum præpone gaudiis: nam Samſon de catena tranſiuit ad triumphum, de voluptatibus Principes ad lamentum.

CAPVT XVII.

Vers. I. FVIT eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Mi-
chas, 2. qui dixit matri ſuæ: Mille & centum argenteos, quos
ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iurauetas, ecce
ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſpondit: Benedictus
filius meus Domino. 3. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixe-
rat ei: Conſecraui, & voui hoc argentum Domino: vt de manu mea ſuſcipiat filius
meus, & faciat ſculptile, atque conflatile: & nunc trado illud tibi. 4. Reddidit igitur
eos matri ſuæ: quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex
eis ſculptile atque conflatile, quod fuit in domo Michæ, 5. Qui ædiculam quoque
in ea Deo ſeparauit, & fecit ephod, & theraphim, id eſt veſtem Sacerdotalem, &
idola: impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos. 6. In
diebus illis non erat rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc
faciebat. 7. Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Iuda, ex cognatione eius;
eratque ipſe Leuites, & habitabat ibi. 8. Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem peregri-
nari voluit vbicumque ſibi commodum reperiſſet. Cumque veniſſet in montem
Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ, 9. interrogatus eſt
ab eo, vnde veniſſet. Qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado vt
habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero. 10. Dixitque Michas: Mane
apud me, & eſto mihi parens, ac Sacerdos: daboque tibi per annos ſingulos decem
argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria. 11. Acquieuit, &
manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis. 12. impleuitque Michas ma-
num eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe. 13. Nunc ſcio dicens, quòd bene-
faciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.

Digitized by Google

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas.

Verſ. 2. Qui dixit matri ſuæ : Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſpondit : Benedictus filius meus Domino.

1\. EO Hebræorum res deuenerunt, vt nec
veræ virtutis ſtudium, nec optimæ po-
litices ſortirentur ſtatum ; imò rebus
turbulentis & inconcinnis, cùm nulli
principi ſubiicerentur ; ſed varij reguli pro popu-
lorum ciuitatúmque diuerſitate imperitarent, pa-
ternarum obſeruatio legum ſordeſcebat amandata
& nefanda idolorum religio floreſcebat impunita:
eo Reipublicæ miſero ſtatu, quæ hîc relata, ac-
ciderunt ; ſed quod hîc deſignetur tempus, du-
bium. Arias Montanus putat iure hanc hiſtoriam
Samſonis hiſtoriæ annexam, cum eius tempore
acciderit : nam cùm ipſe carnis ſolum ſtuderet
deliciis, nec adminiſtrandæ, vt par eſſet, Reipu-
blicæ adhiberet ſtudium, quiſque deteriora ſeque-
batur, aut certè ſi eo iudice non contigerunt, poſt
eius mortem accidiſſe creditur, cùm tempus inter-
ceſſerit ſine ſeuero gubernatore, & quiſque ſibi
lex eſſet, & vt ſibi placebat, res proprias admi-
niſtraret. Igitur ea tempeſtate (vt Montano pla-
cet) vir quidam fuit Michas nomine, qui cùm in
argenteos à matre pro conflando idolo conſecra-
tos incidiſſet, materni ſtudij ignarus abſtulit : ma-
ter furto comperto eis execrationibus furi ma-
ledixit, vt filius timore perculſus ſe habere
aperuerit, reddere matri paratus. Septuaginta
Septuag. habent : *Et dixit matri ſua : Mille & cen-
tum quos accepiſti, argenti tibi ipſi, & me ma-
ledictis abiuraſti, & etiam dixiſti in auribus
meis. Ecce argentum apud me, ego accepi il-
lud.* Michæ matrem fuiſſe Dalilam, aliquorum
Abulenſ. opinio eſt ; ſed Rabbinorum. Ita Abulenſis q. 6.
Execrationum timore Micham matri pandiſſe ſe
habere argenteos, noſter indicat textus ; verùm
ineptè ſatis, cùm potiùs debuiſſet peccandi occa-
ſionem ſtudioſè auferre, præcideréque ; verùm
cùm ipſe materna ſequeretur etiam delitia, iratam
placauit, & argenteos reddidit. Mater vt ſoſpi-
tem pecuniam agnouit, filio benedixit, & fauſtis
verbis precata eſt felicitatem.

Verſ. 3. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei : Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile atque conflatile, & nunc trado illud tibi.

Verſ. 4. Reddidit igitur eos matri ſuæ. Quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in dono Michæ.

Verſ. 5. Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit, & fecit ephod, & teraphim, id eſt, veſtem Sacerdotalem, & idola, impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.

Dum Michæ mater ſibi argentum reſtitui cura- 2.
bat, vt aduertit Arias Montanus, totum argentum
ſacratum, dicatúmque aſſerebat ; aſt pecuniâ
comparatâ exiguam ſimulacro procudendo par-
tem impendit, reliquo ſibi retento. Quale ido-
lum, dubium : idem auctor priùs ligneam effigiem
affabrè factam, poſteáque argenteis bracteis oper-
tam periti artificis induſtriâ, vt exterius opus to-
tum argenteum videretur, exiſtimat : ſculptile
ergo dicebatur, quia ex ligno affabrè elaboratum:
conflatile, quia bracteis argenteis obductum.
Apud antiquos eiuſmodi fuiſſe idola conſtat ex Iuuenal.
Iuuenale ſatyra 13.

Hæc ibi ſi non ſunt, minor exiſtat ſacrilegus, qui
Radat inaurati femur Herculis, & faciem ipſam
Neptuni, qui bracteolam de Caſtore ducat.

Alij exiſtimant partem illam argentario exhibitam
in operis præmium, reliquam inſumptam tum in
idolis effingendis, tum in apparatu neceſſario pa-
rando. Conceperat mulier illa à vera religione de-
ficiens vnicum idolum confingere, & duo, vt
placet Interpretibus, peperit : ſtudia námque per-
uerſa ferè ſemper è pectore prodeunt aucta. Hos
ducentos argenteos argentarij fuiſſe mercedem, vt
dicebam, exiſtimat R. Dauid Kimhi, cuius ſen- R.Dauid.
tentiam reprobat Abulenſis q. 9. teſtatúrque om- Abulenſ.
nem pecuniam inſumptam ; ſed eam partem in
idoli fabricâ, aliam in ephod, & teraphim con-
ſtruendis, & ædicula ædificanda. Cùm hic ſæpè
nomen Dei à matre filióque prolatum conſtet, du-
bitarunt nonnulli, an mater filiúſque idololatriæ
crimine infecti : communis opinio idololatras ſta-
tuit ; addit tamen Caietanus ea cæcitate matrem, Caietan.
filiúmque fuiſſe occupatos, vt obſequium ſe præ-
ſtare Deo crediderint, ſi venerarentur idola nul-
lius ſpecialis Dei nomine inſignita. Lyranus, & Lyra.
Burgenſis aiunt non ſolùm idola coluiſſe ; ſed eis Burgenſ.
Dei nomen adaptaſſe. Ephod ſacerdotalem ve-
ſtem fuiſſe textus tradit. Summus Sacerdos vte-
batur Ephod ; ſed de filis multicoloribus contexto,
de lino ſimplici, candidóque vtebantur Leuitæ,
vt Sacerdotes etiam extra ſanctuarium. Abulenſis
quæſt. 11. exiſtimat Ephod à Micha conſtructum
ſignificare omnia Summi Sacerdotis ornamenta :
voluit namque idolo ſuo non minori cultu, orna-
túque, ac verò numini, miniſtrari.

Teraphim ſecundùm Hebræos & Lyram erant 3.
primogeniti pueri caput occiſi, & dæmonibus
immolati, & ne putreſceret, variis pigmentis me-
dicati : conditique. Huius capitis linguâ vtebatur
dæmon, vt reſpondet ad quæſita. Alij putant
teraphim eſſe veluti aſtrolabium ad inquirendum
per planetas occulta. Ita R. Dauid Kimhi, & R.Dauid.
Abenezra. Alij imagines certo tempore factas ad
recipiendam cæleſtem influentiam. Abulenſis Abulenſ.
quæſt. 12. teraphim ſtatuam humana effigie fuiſſe
tradit, probátque ex 1. Regum 19. Quia per
iſtud teraphim non ſemel dæmones edebant ora-
cula, habebantur à cæcis, & deliris hominibus
diuina. Fabricatis idolis, teraphímque opus erat
in

Digitized by Google

in eorum obſequium ſacrificulo miniſtróque: Michas eadem, qua ſibi Deum ſculpſerat, auctoritate è filiis delegit vnum in Sacerdotem initians, & aris conſecrans: quod verbo illo *impleuit* ſignificatur: id eſt, ritibus, cæremoniiſque debitis manus vnxit, aut aliquod animal immolandum tradidit, quo ſacrificuli dignitatem adiret, & exerceret.

Verſ.6. In diebus illis non erat rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque, quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

4. Sacra Scriptura cùm capitis initio ſolùm dixerit: *Fuit eo tempore*; hîc explicatiùs quo tempore fuerit, tradit, ſcilicet cùm rex, princepſque non eſſet, qui Rempublicam adminiſtraret, & in officio ſubditos contineret: *Non erat rex in Iſraël*: nomine regis intelligitur, qui toti populo præeſſet & iuſtitiam adminiſtraret. Hinc multiplices ortæ opiniones circa huius hiſtoriæ tempus. Rabbini quidam ſub Ioſuë; ſed ſenio penè confecto acci-diſſe ſomniarunt. Alij ante Othonielis principatum accidiſſe aſſeruerunt. Arias Montani iam ſententiam retulimus; cui aſſentitur R. Dauid Kimhi, & Serarius hîc quæſt. 14. Toſtatus verò quæſt. 1. putat immediatè poſt Ioſuë mortem, & ante Othonielem hæc contigiſſe. Adſtipulatur Lyranus, Ribera in cap. 10. Oſee, Maſius in cap. 19. Ioſuë, & pro hac ſententiâ citatur Ioſephus 5. antiq. cap. 2. In re dubia cuique arbitrari liberum.

Montan. R.Dauid. Serarius. Abulenſ. Lyra. Ribera. Maſius. Ioſeph.

Verſ.7. Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Iuda ex cognatione eius: eratque ipſe Leuites, & habitabat ibi.

Verſ.8. Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit, vbicumque ſibi commodum reperiſſet Cumque veniſſet in montem Ephraim iter faciens & declinaſſet parumper in domum Michæ.

Verſ.9. Interrogatus eſt ab eo, vnde veniſſet. Qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero.

5. Cùm Iſraëlitarum mores ſine rectore ad fœdam idololatriam inclinaſſent, veris Leuitis Deique miniſtris à lege præſcripta non impendebantur ſtipendia, vnde illis opus peregrinari, & vbicumque poſſent, victum quærere. Igitur adoleſcens de Bethlehem Iuda, cùm ibi diu inhabitaſſet, nec iam ad victum neceſſaria illi ſuppeterent, locum mutare decreuit, ſi fortè alibi commodiorem ſibi habitationem inueniret. Patre Leuitâ ortum, & matre de tribu Iuda innuit ſacer textus, dum & Leuitam appellat, & de cognatione Iudæ fuiſſe clariſſimè affirmat: nec inſolitum Leuitas vxores ducere de Iuda tribu, vt liquet ex multis locis Sacræ Scripturæ. Illud ex cognatione eius interpretantur habitaſſe Bethlehem non vt ciuem ibi ortum; ſed vt incolarum cognatum. Caietan. ex Hebræo legit: *De familia Iehuda, eratque ipſe Leuita, & peregrinabatur ibi.* Addit: *Mirum eſt quòd iſte ſimul ſcribitur & Leuita, & de familia Iuda, cùm tribus Leui, & tribus Iuda eſſent diuerſæ tribus: ceſſat autem admiratio intelligendo Leuitam maternum genus ex tribu Iuda; paternum verò ex tribu Leui duxiſſe.* Ita etiam Abulenſis q. 17. Itaque de Bethlehem dicitur egreſſus, quia illuc deuenerat peregrinus cognationis titulo. aut maioris cõmodi deſiderio. Abulenſis Sacerdotem fuiſſe non improbat: nam licèt Leuitæ Sacerdotes non eſſent, Sacerdotes erant Leuitæ. Noſter Serarius q. 8. cælibem tunc autumat, quia nil de vxore aut filiis.

Caietan.

Abulenſ.

Serarius.

Leuitis licitum eſſe peregrinari, quamvis aſſignatas ſibi vrbes ſortirentur, non dubium: accipe Arias Montanum hîc: *Quamquam ſuæ Leuitis vrbes ad habitationis vſum adſcriptæ fuiſſent; hunc atque illum ex illa tribu hominem aliò atque aliò diuertere nil prohibebat, modò profeſſio, & ſenſus ad ſuum vnumquemque genus referret.* Itaque, etſi diu Bethlehem incoluiſſet aduena, & peregrinus, cùm iam grauiori inopia premeretur, peregrinari decreuit, non inquieta, iuuenibúſque innata curioſitate varia inuiſendi loca, & huc illúcque exerrandi; ſed inopiâ premente. Igitur cùm per montana Ephraim iter carperet, ad Michæ domum inter eius montis incolas celebris ob pietatem in peregrinos, & ob diuitiarum opulentiam diuertit pernoctandi gratiâ. Benignè à Micha exceptus eſt, & vt ſæpè accidit, hoſpitem rogauit, vnde eſſet, quò tenderet, cuiúſque cauſâ: ille inopiam fateri non erubeſcens ſe Leuitam inopem confeſſus eſt, Bethlehémque, quam diu incoluerat, reliquiſſe, ſi fortè habitationem nanciſcatur ſibi commodiorem: genus, ortúmque ſuum indicauit, vt ad maiorem pietatem, ac venerationem alliceret, quandoquidem peregrinis Deo dicatis gratius exhibetur officium, & maius præſtatur obſequium. 6.

Montan.

Verſ.10. Dixitque illi Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.

Verſ.11. Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis.

Michas qui ſtudioſè idolo inſeruiebat; occaſionem nactus opportunam, pauperi Leuitæ, ſi apud ſe maneret, plura obtulit commoda, nec ſolùm neceſſaria ad alendam vitam; ſed exhibendam etiam vti omnium parenti reuerentiam promiſit. Illam clauſulam. *Eſto mihi parens ac Sacerdos*, hunc continere ſenſum compertum eſt, id eſt, ſacra facies, ſortes mihi, ac meis duces, conſilio tuo parebo, omniáque mea tuæ curæ, ac ſollicitudini committam. Per veſtem duplicem laneam, & lineam intellige, per decem ſiclos quinque argenti vncias: ſiclus namque ſemiunciam habebat. Illis verbis: *Et quæ ad victum ſunt neceſſaria*, ſignificare voluit ea menſâ paſcendum, quæ Sacerdote, & familiæ patre digna, Leuites commodis, honoréque perſuaſus religionem violare non exhorruit; imò conditionem gratè accepit, & ad quæ optabatur, munera ſe omni ſedulitate adminiſtraturum promiſit. Septuaginta interpretes habent: 7.

Digitized by Google

Septuag. habent : *Ego dabo tibi decem argenti in diem, & ſtolam veſtimentorum, & ea quæ ad vitam tuam.* Hebræus. Hebræus : *Decem argenteos annuatim, & ordinem veſtimentorum.* Per dies annum intelligi docet Abulenſis q.10. Quaſi vnus è filiis fuiſſe dicitur, vel quia in locum filij ad ſacerdotium ſuffectus, vel quia, vt ait Abulenſis citata quæſt.10. vt filius Abulenſ. amabatur : *Dilexit illum ſicut filios ſuos, & ita gerebat, de illo ſicut de filiis ſuis.* Promiſerat anteà, vt patri reuerentiam, modò amorem etiam vt filio impendit : parum namque eſſet ſine affectu reuereri, & ſine reuerentiâ diligere. Igitur Leuites gloriæ cupidus, & ſaturandæ famis anhelus facilè, vt dicebam, aſſenſit & Senecam Seneca. tragœd.10. verum probauit :

Vicit miſerum gloria pectus,
Cupit hic gazis implere famem.

Verſ. 12. Impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.

Verſ. 13. Nunc ſcio dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.

8. Gauiſus eſt Michas, vt leuitam aſſentiri vidit, nullaque interpoſita mora eius impleuit manum, id eſt, dedit victimas, quæ idolo immolaret, aut cæremoniis, & ritibus pro initiandis decretis vnxit, eaque eius fuit cæcitas, vt præſtare ſe Deo obſequium crederet, ſi de ſtirpe leuitica ſecum ad idolorum cultum ſacerdotem haberet. Nouerat Abrahamum ob hoſpites felicitatum, è flammis nouerat Lotum ereptum, & ſibi felicitatem promiſit execrandis ſpebus, quam alij fuerant aſſecuti dignis & celebrandis virtutibus.

§. II.

Nunquam deeſt vitiis exercendis pecunia, ad virtutes premit inopia.

9. ALij ſumus ad virtutem, ad vitium alij : ſi pro exercenda virtute quid ſit neceſſarium facultas non patitur, tempus non fert, inopia premit; omnia tamen ſuppetunt ad luxuriæ ſumptus, ad vanitatis pompam, ad libidinis inſaniam. Fœminæ ad floridas veſtes, ad decoris fallacias, ad euanidum cultum nunquam pecunia defuit : ſinguli digiti ludunt de ſaccis, nil eſt ad indigentis ſubſidium, nec ad orphani alimentum : *Breuiſſimis loculis*, aiebat Tertull. de habitu muliebri cap.9. Tertull. *patrimonium grande profertur : vno lino decies ſeſtertium inſeritur; ſaltus, & inſulas tenera ceruix fert, graciles aurium cutes calendarium expendunt, & ſiniſtra per ſingulos digitos de ſaccis ſingulis ludit : hæ ſunt vires ambitionis.* Cultus, & decoris ambitio, vt ingenti onere prægrauetur, patrimonium dilapidabit, & prodigioſo artificio miraberis cupiditatis deliriis reproductum, cùm exiſtimabas exhauſtum. Virtuti exercendæ ſemper deficit, ne cupiditati deficiat. Ecce in monte Ephraim mulier inuenitur, quæ mille & centum argenteos conflandis idolis expenderit, & dicauerit : *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri ſuæ : Mille, & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt :* Mulier monticola nummorum exundat copia non pro egenis ſubueniendis; ſed pro idolis fabricandis : *Mater Michæ*, inquit Abulenſis q.5. *non erat benè fidelis Deo; ſed adhærebat idolis,* Abulenſ. *habebatque argenti mille & centum ſiclos, ſiue argenteos, quos conſecrauerat ad faciendum vnum idolum.* Crimini non defuit aurum, defeciſſet virtuti ſic pecunia erat idolo conſecrata, vt quamvis vrgerent pauperis egeſtas, pupillorum luridi vultus, viduarum gemitus, nil impenderetur miſericordiæ, ne quid detraheretur inſaniſſimæ vanitati.

Baruch populum ad futuras tentationes ſalutaribus monitis inſtruens ſic aiebat : *Videbitis in Babylonia Deos aureos, & argenteos, & lapideos, &* 10. Baruch 6 v.25.
ligneos in humeris portari oſtentantes metum gentibus : videte ergo, ne & vos ſimiles efficiamini factis alienis. Expende eodem tempore Deos apud Babylonios eſſe ligneos, & à Nabuchodonoſore pro ſtatua aurea conſtruenda ingentiſſimam auri ſummam expenſam, & artificibus miniſtratam : *Nabuchodonoſor*, inquit, *fecit ſtatuam auream.* Daniel. 3. v.1. Vaniſſimum figmentum immenſam auri copiam inſumit, & Deus à Babyloniis cultus eſt ligneus, quia deeſt, vt effingatur argentum. Nec ſolùm cultui defuit aurum; ſed pauperibus cibus : cùm arbor illa ramorum ambitione prolata, & altitudinis terminos ſupergreſſa auibus & feris copioſa pabula miniſtraret, & omnem carnem aluerit. *Ex ea veſcebatur omnis caro* : in Dei obſequium pomum non expenditur, vt in garrulis auibus totum Daniel. 4. v.9. expendatur : *Ex ea*, inquit, *veſcebatur omnis caro* : vt garrulæ auiculæ verſicoloribus, & excultis refulgeant pennis, pauperes vrgentiſſimis diuexantur ærumnis. Deus erat ligneus ob auri inopiam, cùm ſtatuæ inſanæ molis conſtruendæ Nabucho expenderit ingentiſſimam auri ſummam. *Non ipſam* aiebat Theodoret. orat.3. *ex auro, argento, ære, ferro ædificat; ſed ex vna auri materia conficiendam curat.* Theodor. Parum viſum eſt ambitioni, vanitatique, ſi ærea conflaretur ſtatua, aut argentea : tota ex auro excuditur, cùm Deus ab illis cultus ex rudi ligno effingatur : ad effingendum numen non erat aurum, cùm ſuperſit ad figmentum.

Neſcio an huc ſpectet illa parabola auari diuitis : ſecum agebat de ſtructiſſimis menſis, de epulis delicatis, & ſimul de fructibus congregandis, 11.
& includendis : *Illuc congregabo omnia, quæ nata ſunt mihi, & bona mea, & dicam animæ meæ :* Lucæ 12. v.18. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos requieſce, comede, bibe, epulare.* Audit multa bona habere, cùm paulò antè dictaſſet : *Quid faciam, quia non habeo, quò congregem fructus meos?* Chryſolog. & quo ſolet acumine ſic verbum illud, *non habeo* premit ſerm.104. *Audiſtis quomodò non* Chryſol. *habet diues? Ecce clamat, non habeo.* Ænigmati ſimile videtur. *Anima mea habes, & non habeo*; ſed ſi vſum diſtinguas, ænigma ſolues. Voluptati luxuriæ multa ſe bona habere fatetur, miſericordiæ tamen non habebat, & pauperi denegabat : *Nunc*, addit Chryſologus, *catena horreorum tuorum ſtrinxerunt fauces pauperum, vinxerunt hoſpitum colla, eſurientium viſcera contriuerunt : vnde pauperum te præcedunt gemitus & ſequuntur : accuſant te hoſpitum luridi vultus, te turba impetit plangens petentium.* Cogita diuiti plangentem pauperem accedere, & voluptatem etiam propinquare : illi reſpondebit diues : *Non habeo*; huic annuet, & in

Digitized by Google

in eius ſinum pluſquam deſiderauerit, ingeret, dicetque: *Habes multa bona repoſita in annos plurimos, epulare.* Suppetebant diuitiæ; ſed ne pauperibus erogarentur, animus futura annorũ ſecura cogitauit *repoſita in annos plurimos*, ad corporis verò delicias, ad profuſiores voluptates, ad inſani amoris ſumptus futura malè prouenientium fructuum ſterilitas non impediuit, quia infeliciter prouida, vt profunderet, luxuria repoſuit: *repoſita in annos plurimos*, ne quid miſericordiæ impenderet, prolixam ſibi vitam promittebat, ne quid voluptati ſubtraheret, bona plurima repoſita aſſeuerabat. Pieteti obiiciebat annos, deliciis habebat exuberantiſſimos fructus.

12. Cæſaris exactores tributum à Chriſto Domino poſtularunt; maluit ad noſtram eruditionem aliquid ad ſpeciem auctoritati detrahere, quàm diſceptationem cum miniſtris regiis ſubire. Petrum piſcatum miſit, præmonens in primi aſcendentis piſcis ore ſtaterem inueniendum, & miniſtris Cæ-
Matth. 17. v. 26. ſaris dandum: *Mitte hamum, & eum piſcem, qui primus aſcenderit, tolle, & aperto ore eius inuenies ſtaterem.* Obtemperauit Petrus, inuenit
Chryſoſt. piſcem, tulit ſtaterem. Chryſoſtomus hic non ſolùm de Chriſti magnitudine; ſed de Petri ſtupet fide: *Sicut ſtupeſcis*, inquit in catena, *de Chriſti virtute, ita admirare Petri fidem: quoniam rei tam difficili obediuit.* Si Petrus credidit poſſe ſe magiſtri virtute vndoſi pelagi turbulentos fluctus ſicco veſtigio calcare, quid mirum eſt credat poſſe
Hieron. piſcem ſtaterem dilargiri. *Iſte piſcis*, aiebat Hieronymus ibi, *primus captus eſt primus Adam.* Habebit Adamus coſtam, quam componendæ fœminæ tribuat; at ingens erit miraculum; ſi nummos habeat, quibus pauperi Chriſto ſubueniat: ergo miranda fuit Petri fides, quandoquidem credidit hominem auarum Chriſto nummum oblaturum: virtuti omnes denegant auari, cupiditatibus ſemper prodigunt ſumptuoſi.

13. Cum ſeruis ſuis rationem ponere aggreditur Dominus, adeóque frequens eſt dominorum ſubſtantiam à ſeruis aut prodigi, aut vſurpari, vt oblatus ſit, qui ingenti auri ſumma inueniretur op-
Matth. 18. v. 25. preſſus, &, vt ſolueret, prorſus nudus: *Oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta.* Rationem cum ſeruis poni audio; ſed vnicum ſeruum acceſſiſſe ad reddendam rationem video, fors quia in illo vno cæterorum exprimebatur ingenium, & vitabatur faſtidium. Ergo ſeruus non habet, vnde Domino gratum exhibuerit officium; imò nec vnde reddiderit debitum: *Cùm non haberet*, inquit, *vnde redderet*.. Tranſi modò cogitatione ad Zachariæ cap. 5. vbi adſpicies fœminam talento plumbi inſidentem famulabus cinctam, cui in Babylone domus conſtruitur, & quidem ampla &
Zachar. 5. v. 7. ſupellectilibus expolita: *Ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ: & ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum.* Quo tendant, rogat propheta, per aëra volitantes, & diſcoloribus plumis fulgentes: ad quem Angelus: *Vt ædificetur ei domus in terra Sennaar.* Mulieri otioſæ ædificatur domus, adſtat famulitium, inſeruit talentum: quòd ſi inquiras, quis tot expenſas præſtiterit, reſpondebit Origenes in catena ad Matth. 18. ab illo ſeruo, qui non habuit, quod Chriſto ſolueret, omnia
Origen. iſta expenſa, & abundantiſſimè miniſtrata: *Factus eſt debitor, quoniam ſecutus eſt mulierem ſuper talentum plumbi ſedentem, cuius nomen iniquitas.*
Remig. Conſonat Remigius ibi: *Vxor ſtulti eſt ſtultitia, & carnis voluptas ſeu cupiditas.* Ecce cupiditati nil deficit, domus ampla conſtruitur, conatus pompaticus miniſtratur, copioſus familiæ eſt numerus, cùm Chriſto, æquitatíque nil ſit quod reddatur, nil quod præſtetur. O verum! vitiis exercendis ſuppetit ſemper pecunia; ad leuamen pauperis, ad ſubſidium inopis ſemper egeſtas anguſtat, & inopia ſemper coarctat.

Apud Malachiam Domino clauda & cæca vi- 14.
ctima offertur: *Si offeratis cæcum ad immolandum,* Malach. 1.
nonne malum eſt? Et ſi offeratis claudum & langui- v. 7.
dum, nonne malum eſt? Interrogationi reſpondent: *Ecce de labore.* Quod idem eſt, teſte Hieronymo ad hunc locum, ac recurrere ad itineris expenſas, ad captiuitatis, vnde extracti nuper erant, ærumnas quo ſacrificiorum ſumptus excuſarint. Ipſum
audi: *Orationis hic ſenſus eſt: Dixiſtis: de capti-* Hieron.
uitate reuerſi ſumus: hoſtibus præda fuimus, multum in longo itinere laborauimus: pauperes ſumus: quidquid habere potuimus, via labore conſumptum eſt; qualicumque habemus, offerimus: Vt non offerant, ſeu vt offerant languida, allegant captiuitatem, itineris ſumptus & ſexcenta alia, cùm tamen poſt Ægypti captiuitatem, poſt itineris labores opimas victimas vitulo obtulerint, & eius aras copioſis muneribus cumularint: *Surgentes*
mane obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas. Exod. 32.
Optimæ, non reprobæ victimæ dedicantur, idolo v. 6.
poſt longam captiuitatem, poſt iter prolixum, poſt laborem: vitio namque nunquam defuit, virtuti obſiſtit inopia, & affectata paupertatis ærumna.

§. III.

Ægrè ferunt à criminum deſiderio vel tantiſper retardari, tolerantius à virtutum exercitio inhiberi.

A Mundi exordio ſic hominum mentes ani- 15.
moſque fallacia voluptatum lenocinia, & deliciarum incantamenta peruertunt, vt nihil auidiùs appetant, nil ſtudioſiùs, quàm venena morum requirant: peſtifera cupiditas vires prudentiæ faſcinat, & cùm hominis bonum honeſtate circumſcribatur, tenebras pro luce habent; ſe beatos putant, ſi limites rationis tranſiliant, & ad vitiorum caſtra ſe conferant: impotentiùs ipſis brutis corpori commoda anhelant: bruta namque fræni obſequuntur imperio: at homines legis ac rationis fræna, quoad vmbratiles delicias ſe proripiant, impatienter diſrumpunt: nolunt malis ſuis exui; imò ſummum ducunt malum, ni corpus ſagina onerauerint, ni ſe voluptatibus vti mancipia extrema tradiderint, ni inſanis cupiditatibus arſerint: Cùm beatum ſit honeſtum colere, fortuita deſpicere, & fucatos dolos, ac periculoſa voluptatum lenocinia vitare, ſic obcæcantur, vt ſe deplorauerint miſeros, ni miſeri fuerint. Quàm
benè Seneca de vita beata cap. 5. *Nihil intereſt in-* Seneca.
ter hos, & illa (bruta) *quoniam illis nulla ratio eſt, his praua, & malo ſuo, atque in peruerſum ſolers.* Optimè dixit: ad virtutem namque ingenij nulla peccatori ſagacitas, ad peruerſum ſolertia
eſt. *Vides* (Stoici ſunt ibi verba) *quàm malam* Voluptas
& noxiam ſeruitutem ſeruiturus ſit, quem volupta- crudelis ty-
tes, doloreſque incertiſſimè dominia, impotentiſſima- rannus eſt.
que alternis poſſidebunt; Impotenti dominio voluptas vrget, & inuolare ad perniciem ſæpè compellit,

compellit, & quod peius eſt, obtemperans malo ſuo, gaudet; imò ægrè, ſi interpelletur rantiſper feret. Probat hoc Michæ mater, cui cùm filius conſecratam idolo ſummam clàm ſubripuiſſet eo furore excanduit, eis maledictis pecuniæ poſſeſſorem proſcidit, vt Michas argentum reddiderit timore perculſus, & matris indignatione commotus: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui matri ſuæ: Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt*: In Hebræo habetur: *Me audiente maledixeras*. Maledictis iram pectoris indicauit & pecuniam idolis ſacratam omni diligentia quæſiuit. Vel in filium excanduit, quia ſublatis argenteis effingendi idoli occaſionem auferebat, aut protelabat. Ita Abulenſis q.5. *Michas furatus eſt matri ſuæ argenteos iſtos, fortè intendens eam impedire ab idololatria, vel ex alia cauſa: tunc mater Michæ diligenter quærens argenteos anxiabatur & maledixit habentem.* Diligens anxiáque inquirebat pecuniam: quia impatienter ferebat moram: patientius tuliſſet, ſi virtuti, ac vero numini conſecraſſet.

Abulenſ.

16. Tendebat Balaamus Dei populum incantationum faſcinis retardaturus; verùm dum properat Dei Angelus euaginato gladio aſinæ greſſus retardat, & iam indignationis flammis ſuccenſus, & præ ſumma iracundia exaſperatus innoxij animalis fuſte latera diuerberans ſub pedibus equitantis retardatam ab Angelo, & à ſe inſtigatam concedere compulit: *Concidit ſub pedibus ſedentis, qui iratus vehementiùs cædebat fuſte latera eius.* Videns ardentem prophetæ excandeſcentiam vide modò ignauiſſimam tolerantiam: benedicebat Dei populum ex editiſſimo montis vertice & Balac benedictione vti telo percuſſus ab illo loco remouit, & in alterum tulit: *Veni mecum in alterum locum, vnde partem Iſraël videas, & totum videre non poſſis, inde maledicito ei: cùmque duxiſſet eum in locum ſublimem ſuper verticem montis Phaſga, ædificauit Balaam ſeptem aras.* Quæres cur hîc propheta benedictionem impedienti non iraſcatur, & ibi in aſinam furat, dum ab itinere tantiſper retardata retardat? Verùm dubium ipſum reſponſum eſt: ibi impediebatur cupiditas, & cupiditatis celeritas; hîc benedictio inhibebatur, & obſiſtebatur virtuti: ergo qui ibi ægrè tulit retardari, tulit hîc quàm patienter inhiberi. Huc voco Ambroſium lib. de Noë & Arca c.10. *Quaſi diuerſarum cupiditatum mergitur æſtu, terrenæ omnes cogitationes & concupiſcentiæ in præceps ruunt.* Se præcipitat concupiſcentia, non ſuſtinet inhiberi, quia ardenter diſcupit non retardari. Adeſt etiam Gregor. apud gloſſam: *Balaam peruenire ad propoſitum tendit; ſed eius votum animal, cui præſidet, præpedit.* Verberat aſinam impeditus; ſed Balacum verbo non percutit retardatus: quia ille auertebat à virtute, animal ab inſana cupiditate; & homines patienter ferunt ad virtutem obſtacula; ſed ad exercendum vitium ægerrimè ſuſtinebunt impedimenta.

Num.22. v.22.

Num.23. v.13.

Ambroſ.

Greg.

17. Deus Saüli imperat Amalecitas punire, vt qui Iſraëlitis ad promiſſam terram tendentibus obuiarint, & recto excurrere tramite præpedierint: *Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraëli, quomodò restitit ei in via, cùm aſcenderet de Ægypto: nunc ergo vade & percute Amalec.* Ab itinere populus impeditus bellum Amalecitis non inferret, niſi diuinis adurgeretur præceptis; imò vindictam iuſtiſſimam ſumere compulſus Saül impiam erga regem miſericordiam exhibuit: *Pepercit Saül, & populus Agag.* Vides quàm humaniter ſe cum iter ad terram promiſſam impedientibus geſſerint. Tranſi modò ad Geneſ.19 vbi cùm Sodomitæ peregrinorum pulchritudine capti infandum, & quod ipſa exhorreſcit natura, ſcelus perpetrare diſcuperent; Lot virtutis cultorem, hoſpitalitatis defenſorem inſanis cupiditatibus obſiſtentem impatienter repellunt, & ni deſtiterit, mortem minitantur. *At illi dixerunt: Recede illuc.* Et rurſus: *Ingreſſus es, inquiunt, vt aduena, numquid vt iudices? Te ergo ipſum magis quàm hos affligemus, vímque faciebant Lot vehementiſſimè: iamque propè erat, vt effringerent fores, & ecce miſerunt manum viri, & introduxerunt ad ſe Lot, clauſerúntque oſtium.* Cupiditati obſtaculum opponentem vrgebant, & niſi Angeli manum miſiſſent fors Loti cæde illas tenues moras iratiſſimi vindicaſſent. En Iſraëlitæ Dominico præcepto adacti, vindictámque de viam impedientibus accipere iuſſi humanitatem impiam exercent, & morte damnatos liberant, cùm Sodomitæ retardari moleſtè ferant: eſt enim apud homines diuerſa cauſa cæcæ cupiditatis, & expetendæ virtutis: *Malis aduerſantibus*, inquit Greg. apud gloſſam, & 6. moral. 16. *intra domum Lot reducitur & munitur.* Opus fuit Lot muniri, ne incurreret mortem, dum furorem cupiditatis frænare aggreditur. Mortem Amalecitæ non infert populus, & tardatur. Adde nos ipſos moras nobis nectere, vt occaſio auferatur virtutis, & aſſumere velociſſimas pennas, ſi occaſio inuitauerit prauitatis.

1. Reg.15. v.2.

Geneſ.19. v.9.

Greg.

Qui tantiſper occaſionem peccandi hominibus diſtulit, non ſolùm ingenti eos plagâ affeciſſe; ſed & morte acerbâ cenſetur mulctaſſe. Deſiderabat Abrahamus poſteritatis ſuæ euentus præſcire, & Dominus morem ſetuo humaniſſimè gerens, quinque animalibus veluti variis coloribus, quod deſiderauerat, adumbrauit: *Sume, inquit, mihi, vaccam triennem, & capram trimam, & arietem annorum trium, turturem quoque & columbam. Qui tollens vniuerſa hæc diuiſit ea per medium, & vtraſque partes contrà ſe altrinſecus poſuit; aues autem non diuiſit. Deſcenderúntque volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* In diuiſis animalibus exiſtimat Theodoret. Ægypti incolatum, & exitum adumbrari; in turture iter per deſertorum errores, in columba poſſeſſionem terræ promiſſæ. *Quadrupedes*, inquit q.65. *partitus eſt, eo quòd indicarent, quàm malè tractandi erant in Ægypto; aues autem illæ, quæ ſuprà portiones diuiſas volitabant, quas quidem patriarcha à ſacrificiis abigebat, ſententiam Ægyptiorum ſignificabant.* Itaque abactio auium Ægyptios confuſis torrentum voluminibus præſignabat demergendos, vt animalium diuiſio Iſraëlitas apud Ægyptios quàm inhumanè tractandos. Non renuam animalia ferrum ſanguine cruentantia aptum afflictionis ſymbolum; verùm auium abactio, repulſióque ænigma naufragij cui videri poſſit ineptum: quid enim commune cùm in profundo ſepultis auibus ab impio conatu abactis? Plurimum, inquit Theodoret. & iure: nam retardata cupiditas eſt peccatoribus mors acerba: ergo Abrahamus, dum abigit, mergit: quia cupiditatis ocyſſimis pennis inuolátibus nulla acerbior pœna, quàm mora. Ergo mora mirè prænuntiauit naufragia: adeò ægrè ferunt homines à cupiditatibus retardari, patienter adeò ad virtutem tolerauere impediri.

18.

Geneſ.15. v.9.

Theodoret.

§. IV.

Digitized by Google

§. IV.

Diuites magnatéſque in omnia vitia impunè aſpicies proruere, de diuitiarúmque priuilegio illis peccata licere.

PLutarchus lib. de cupiditate diuitiarum de di-
19. Plutarch. uitiis agens ſic ait: *Impulerunt in cautionum vſurarum, & pignorum voraginem.* Diuitiæ, quæ ardentiſſima ſunt diuitiarum ſitis omnem iniquitatem docuerunt, dum iniquitatis frænum, timorem videlicet quàm longiſſimè proiectarunt. Diues nil timet, quia ipſa delicta auro ſplendent inaurata; imò diuitiæ ipſæ videntur ad delinquendum tutiſſima priuilegia. Prudenter aiebat Seneca epiſt. 28. de Caluiſio beati ſortiri venerationem ipſis indecentiis & ipſis culpis: *Caluiſius*
Seneca. *Sabinus memoriâ noſtra fuit diues, & patrimonium habebat Libertini, & ingenium. Nunquam vidi hominem beatum indecentiùs.* Mores ingeniúmque ſuadebant deſpici; perſuadebat tamen fortuna ſuſpici, & quaſi iam cæleſti beatitudine frueretur, viuebat extra omnis metus angorem, extra omnis periculi ſolicitudinem; extra omnem fortunæ anxietatem. Iterum Seneca epiſtol. 45. *Beatum vulgus appellat, ad quem pecunia magna confluxit.* Itaque pro pecuniæ quantitate & virtus ſuſpicitur, & nobilitas creditur, & fortuna taxatur: ille diuorum numero adſcribitur, cui copioſus & amplus cenſus. In monte Ephraim Michæ mater habitabat, quæ argentum idolo effingendo conſecrauit, & ſculpſit: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri ſuæ: Mille & centum argenteos; quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo.* Argenteis ſculptile fabricauit, nec audies vti legis præuaricatricem accuſari, aut puniri: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile.* Mirabetis adeò manifeſtè in legem delinqui; cùm Deuteronominij 5. legiſla-
Deuteron. 5. v. 8. tor ſtatuat: *Non facies tibi ſculptile.* Si reclamat lex, quomodò hæc mulier non clàm; ſed palàm idolum conſtruit; & conflatile ſibi effingit? Fors quia in cacumine habitabat, & copioſis nummis affluebat: quis enim audeat in cacumine dignitatis prælucentem, auróque exundantem? Lex profectò, quæ pauperes grauat, pro diuitibus facta non videtur; imò in eorum patrocinium edita iudicatur. Huc voco Ambroſium libro 1. de Abel,
Ambroſ. & Cain cap. 4. *Quid hoc eſſe dicam, niſi fortè; quia diuites putant nihil eſſe, quod non cedat ſuæ pecuniæ, & in gratiam ſui legem velint eſſe venalem.* Itaque diuites auro legem emunt; eáque vti mancipio pro arbitrio vtuntur. Si alius è vallium incolis ſculptile ſibi conflaret; quantumvis abditiſſimis terræ latitaret ſpecubus, quantumvis tenebrarum iuuaretur auxilio, quãtumvis noctium protegeretur ſilentio; lynceis circitorum oculis deprehenſus grauiſſimas ſubiret pennas, & flammis aduſtus, aut lapidum grandine obrutus legis deleret iniurias, at in montis apice degens, & argento diues, publicè audactérque conflatile reclamante lege effinget, quin ſeueris pœnis mulctetur, aut merito ſupplicio puniatur.

20. Serpens dum Euæ ſuaſit plus habere, mortis deprædatus eſt timorem, & promiſit diuinitatem: *Nequaquam morte moriemini.* Et quare? *Quia eri-* Genes. 3. v. 5.
tis ſicut Dij. Rapienti aliena non ſolùm promittit impunitatem; ſed & diuinitatem promittit: quia licèt extenſa ad vetitum manus rapto pomo delinquat, ipſo pomo legis minas fruſtrabit, & diuinitatem acquiret: veternoſus ſerpens, quò faciliùs Euam falleret, manum repleuit, vt ab exordio cæcis mortalibus pro certo fuerit rapti poſſeſſione raptus enecuandum delictum; imò acquirendum magnitudinis priuilegium. Seducta peccauit mulier ſed dum de rapto diuinitatem ſibi futurã credidit, quantum diuitiæ apud homines valeant, indicauit: *Vana ſpe diuinitatis ſubitò erigit*, inquit Baſil. Se- Baſil.
leuc. orat. 3. *vt ſoluto metu, eâque ſpe propoſita mandati vim prorſus extenuet, ſitque paradiſus officina præuaricationis.* Timorem abſtulit, dum pomum obtulit: ſic námque impunè delinquunt diuites, vt ob quod erant durè puniendi videantur adorandi: & vtinam fraudulenta dæmonis perſuaſio vltra Euam non ſerpſiſſet; verùm proh dolor! ad noſtra vſque tempora promanauit: innocens, ſi nudus, quantumvis indubia reclamauerint teſtimonia, premitur; diues clariſſimis delicti indicibus non ſolùm abſoluitur, ſed laudatur.

Miris hanc veritatem coloribus Scriptura Sacra 21.
depinxit, & hiſtoriæ penicillo adumbrauit: Mulier Ægyptia Ioſephi elegãti corporis habitudine, oriſque venuſtate captá eius aggreditur pudicitiam deprędari; verùm etſi adulationibus, lenociniis, oculorum pellacia, vnguentorum fragrantia ſe naribus inſinuante fuerit armatá, pudicitiæ arcem nõ potuit euertere, quantumvis per aurium, per oculorum, per narium ſenſus vim intulerit: ſenſus animæ famulos ſubornabat, quò eorum auxilio impudicum aſſequeretur votum, & reſiſtentem allexerit animum; verùm Ioſeph floridæ iuuentutis inſidias cæleſtium meditatione eluſit; & hero gratus nullis artibus potuit ſuperari, nec captioſis, auratíſque vinculis irretiri; imò pallium pollutis manibus attactum humero excuſſit, ne venenum ſerperet, & animi vires contactu debilitaret: *Relicto in manu eius pallio* Genes. 39. v. 12.
fugit, & egreſſus eſt foràs. Quid tunc? *Cùm vidiſſet*, inquit, *mulier veſtem in manibus ſuis, & ſe eſſe contemptam; vocauit ad ſe homines domus ſuæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis.* Pallium mulierem arguebat; & pro Ioſepho clamabat; verùm, dum manus ipſo rapto pallio exornatur, audet, & innocenti crimen impingit: geminum crimen adulterij, mendaciíque non ſolùm manſit impunitum; ſed procax impudicáque fœmina ipſo, quod abſtulerat, pallio ſui admirationem facit, & innocens, dum nudus, opinionem adulteri ſubit. Notarunt acutè Seleucienſis Baſilius, & Philo Hebræus. Sic Baſilius oratione 8. *Cum pallij,* Baſil.
quo manus accuſentur, ſit geſtatrix; lingua accuſanti creditur, & in carcere Ioſephus habetur. Mille conſtabat indiciis Ioſephum crimen recuſaſſe; verùm dum adeſt tribunalibus nudus, damnatur reus. Quod mulier geſtabat, pallium eius erat procaciæ non dubium argumentum; verùm dum poſſidet, & pœnam fugit, & crimen tegit. Conſonat Philo lib. de Ioſeph: *Ea veſtis prolata* Philo.
fidè adſtruxit muliebri calumnia. Adnectit de hero: *Damnauit inſontem tanquam obnoxium ſceleri grauiſſimo: quia non animaduertit veſtem, quam ab adoleſcente relictam mulier proferebat, eſſe indicium violentiæ; ſed muliebris, ipſius verò adoleſcentis patientiæ: nam ſi vim tentaſſet inferre, dominæ, retinuiſſet eius amiculum: nunc reluctans ſuo*

Digitized by Google

ſuo pallio ſpoliatus eſt. Spoliatus innocentiæ teſtem ipſam nuditatem habebat; veſtem mulier ſuæ procaciæ teſtem geſtabat; ſed fides habita eſt non veritati nudæ; ſed fraudi diuiti. Diuites habent, quibus iudicum animos alliciant, quibus adulentur palato; cumque de ipſo crimine exhibeant officium, ipſo officio tuentur crimen: & veluti Cerberus oblatâ offâ deponebat latratum, & offerens conciliabat illi ſomnum; ita iudicum, miniſtrorumque intellectus oblatarum victimarum vaporibus obſcuratus crimen non intuetur: quia de ipſo crimine paſcitur Audi Clementem Alexandrinum de Ioue apud Æthiopes à Lycaone hoſpitio recepto, & humanis carnibus ſaginato:

Clem. Alex. *Fuit humanæ quoque menſæ particeps apud Æthiopes*, inquit in exhortat. ad gentes, *inhumanè autem & nefariè conuiuio à Lycaone exceptus ipſe Iupiter humanis certè carnibus impletus. Neſciebat enim Iupiter, quod Lycaon Arcas, qui eum conuiuio excipiebat, interfectum ſuum filium, (Nictimo ei nomen erat) epulandum ei appoſuiſſet.* Patricidium erat epulum; ſed tegebatur ipſo epulo patricidium, & Iupiter, dum comedit, ignorauit.

---

§. V.

Quidquid cupiditati, & errori impenſum, habetur lucrum, cùm non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimetur diſpendium.

21. QVi diuitias euanidæ pompæ, fugaci voluptati, & cæcis inſumit erroribus, venenum, & quidem actuoſiſſimum emit, & quod peius eſt, ſuauiſſimè fugit. *Perinde eſt*, aiebat Euſebius Gallicanus Epiſcopus de SS. Epipodio, &

Euſeb. Alexandro Martyribus, *ſi aliquem miraris, impia & iniqua per opes & diuitias operantem, ac ſi quempiam videas inaurato, atque gemmato ſibi poculo venena miſcentem. An tu illum felicem vocas, qui infidelis, obſcœnus, cupidus, & cruentus?* Obſcœnitas habetur felicitas, & qui patrimonium meretricibus exhauſit, pecunias benè collocaſſe, & ſibi plaudit, & credit. Ad hoc peſtilens venenum hiatur, quicquid virtuti inſeruit, contemnitur. *Eſt & hac peruerſitas hominum*, aiebat Tertullianus aduerſus gnoſticos cap. 5. *Salutaria excutere, exitioſa*

Tertull. *ſuſcipere.* Adnectit cap. 6. *Ab ano digniſſimum creditum eſt ſtudiorum experimentum committere artes, corporum, & vocum præſtantiam expendere præmio indice, ſpectaculo iudice, ſententia voluptate. Quæ nulla ſunt prælia, nonnulla ſunt vulnera: pugni quaſſant, calces arietant, caſtus dilaniant, flagella dilacerant; nemo tamen agonis præſidem ſugillauerit, quod homines violentia obiectet.* Iure expenſam credebant ſalutem, effuſum laudabiliter ſanguinem, benè collocatam vitam, ſi profanis certaminibus debilitatint, effuderint, & perdiderint. Et quare? Quia ſententia voluptate nulla ſunt prælia; eſſent quàm maxima, & quàm acerba; ſi virtus imperaret, & honeſtas præciperet. Michas non erubeſcit fateri matrem ſuam pecuniam ad idoli fabricationem ſibi repoſuiſſe, &, ſi fas eſt dicere, conſecraſſe: *Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo.* Expende illud: *Quos ſeparaueras tibi.* Nonne in remunerando argentario, in conſtruendo idolo, in fabricanda ædicula hæc ſumma inutiliter expenſa? Nonne indignè inuenitur conſumpta? Ita equidem, ea tamen eſt hominum cæcitas, vt ſibi arbitrentur repoſita, quæ voluptatis cæco conſilio, quæ cupiditatis deteſtabili auſu prodiguntur conſumpta: *Separaueras tibi*, ſcribit Abulenſis quæſt. 6. *Scilicet ſeparauerat eos mater Micha à reliqua pecunia ſua, vt de* Abulenſ.
his fieret idolum. Reliqua pecunia, quam mater familias in ſeruorum ſuſtentatione impendebat, & in vſus debitos prorogabat, reputabat quodammodò alienam: illam ſolummodo vocabat ſuam, arbitrabaturque optimè, & lucroſè collocatam, quia ad idolorum cultum videbat expenſam. Et vtinam ſola Michæ mater in hanc ſententiam abiret. Sed proh dolor; ita ferè apud omnes inualuit, vt expenſas ad virtutem taxent quaſi perdiderint, vitio profuderint, quaſi prudentiſſimè collocauerint.

Fortaſſis Paulus antiquos mores iam gratia Dei immutatos referens aiebat: *Quæ mihi fuerunt lucra, hæc arbitratus ſum propter Chriſtum detrimenta.* Pecunias expendebat Apoſtolus in acquirendis diplomatibus contra Chriſti Domini ſeruos; ducebat ſecum circitorum manum, varia itinera peragebat: quia lucra, & quidem ingentiſſima, omnia iſta reputabat. Equidem ipſe ait: *Mihi fuerunt lucra*, id eſt, antea quàm ſquamis tectos vera lux oculos illuſtraſſet, quæ mera erant detrimenta, ego arbitrabar ingentiſſima lucra; aſt poſtquam mihi reſtitutus, & cæleſti luce illuſtratus, oculos aperui, agnoui vice verſa lucra eſſe detrimenta, detrimentáque lucra. Ita Anſelmus ad Ad Philip 3. v. 7.
hunc locum: *Omnia illa carnalia, quæ mihi ante Chriſti notitiam fuerunt lucra, id eſt, vtilia & chara, hæc poſt fidem arbitratus ſum detrimenta.* Anſelm.
Expende illud, *vtilia*: ipſa profuſio, ipſa mala pecuniarum collocatio illi videbatur vtilis; imò nihil aliud adeò vtile, ſibique lucroſum, vt pecunias vitio expendere, & erroribus dedicare.

Baal cultores aram ſubſtruunt, bouem imponunt, fundunt ſanguinem, maluntque vitam profundere, quàm in virtutis caſtra tranſire, & ſalutem conſeruare. Adhuc igne de cœlo ruente lucem 24.
non vident; ſed oculis renuntiarunt: *Inuocabant nomen Baal de mane vſque ad meridiem dicentes: Baal exaudi nos.* Blanditiis molliſſimi, ac 3. Reg. 18. v. 26.
floridi lectuli renuntiarunt autoram præuertentes, & aras Baal idolo inaniſſimo ædificantes: vixiſſent, ſi ad verâ religionis caſtra ſe conferrent; illis tamen conducibilior viſa eſt pertinacia, quàm pœnitentiâ: detriumphati non reſipiunt, occidendi non fugiunt; imò vitam lubenter ſacrificant, ſeque, quia iugulandi, felices iactant: *Dixit eos Elias ad torrentem Ciſon, & interfecit eos*: nullus reſtitit, nullus effugit, fortè ambiebant cultrum, & iugulationis primatum, cùm paulò pòſt ipſe Elias non enſis iam vibrati ſplendore percuſſus; ſed muliebribus tantum minis deterritus viam arripuerit, & animum, ſi fas eſt dicere, deſponderit: *Timuit Elias, & ſurgens abiit, &c.* Dum noſtras in ſe 3. Reg. 19. v. 3.
infirmitates exprimit Elias, mori veretur, cùm quadringenti quinquaginta Baalis prophetæ nō ſolùm non timeant vitam effundere; ſed in monte geſtiãt cæteris anteire, & ocyſſimis temeritatis alis aggrediantur inuolare: cenſebat forſitan Elias mori diſpendium; illi arbitrabantur lucrum. E prophetis Baal nullus aufugit, nullus gladio trepide acceſſit: Elias, dum nos refert, & timet, & pauet, & fugit.

Huc

Digitized by Google

Huc voco Tertullianum aduerſus Gnoſticos c.5. *Grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc grauatus pati ex vitio: diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem; nauſeabit ad antidotum, qui hianit ad venenum.* O nimis verum! Fugit propheta mortem pro religione, ambierunt Baalis miniſtri vitam prodigere pro impietate. Iniquam fecimus de virtute & voluptate ſententiam: virtus ſalutis antidotum, & infirmitatis remedium eſt; noſtra tamen peruerſitas nauſeat ad virtutem, cùm ad voluptatem animæ mortem, ſalutis excidium, honeſtatis venenum hiarit.

25. Componamus cum Iuda Iudam. Magnus ille Patriarcha *aſcendebat ad tonſores ouium ſuarum ipſe & Hiras opilio gregis Odollamites in Thamnas.* Tunc Thamar opportunam ſe occaſionem ſortiri exiſtimans ſe meretricem ſimulat ornatu, & geſtu. Iudas mulierem conſpicatus in libidinem efferbuit, non quam ignorabat, pulchritudine illectus; ſed ſolùm muliebri aſpectu inſtigatus, præmium mittendum promittebat; ſed prudens mulier arrhabonem exegit: *Annulum tuum, & armillam, & baculum, quem manu tenes.* Mulieris votis annuit, & arrhabonem non exigui pretij largitus, hœdum etiam miſit: *Miſit Iudas hœdum per paſtorem ſuum Odollamitem.* Non lego opilionem arrhabonem obmurmuraſſe oppigneratum, nec hœdum exhibitum, cùm Iudas, dum pia fœmina in Chriſti Domini obſequium odoriferum vnguentum effundit, audaci linguâ vnguentum perditum oblatrarit, & prodigalitatem arroſerit: *Vt quid perditio hæc? Potuit enim vnguentum iſtud venumdari multo, & dari pauperibus.* Quod conſecratur Domino, deperditum Iudæ videtur; quod meretrici impenditur, ſi opilio non laudauit, mordaci ſaltem linguâ non arroſit. Adde Iudam non carpſiſſe vnguentum illud ad corporis, venuſtatiſque cultum emptum; ſed in Domini obſequium fuſum: ea namque eſt hominum peruerſitas, vt quidquid ad delicias, voluptateſque expenditur, benè collocatum exiſtiment, allaudarintque; quod verò virtuti redditum, obmurmurarint amiſſum. *Vnguentum ſibi*, inquit Gregorius in catena ad Lucæ 7. *pro odore ſuæ carnis exhibuit: quod ergo ſibi turpiter exhibuerat, hoc iam Deo laudabiliter offerebat.* Quod ad venuſtatem excolendam, ad fouenda libidinis incentiua ingentem adeò ſummam mulier expenderit, Iudæ non diſplicuit, cæco tamen iudicio ſugillat, cùm Domino exhibitum, & debitis officiis in virtutis gratiam expenſum.

Tertull.

Geneſ. 38. v. 18.

Matth. 26. v. 9.

Greg.

26. Domini altaribus ouis inferebatur & clauda, & languida, & cæca: quia ſtudioſè Domino offerebant reiectaneum: audi Malachiam: *Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam.* Duci Principique offerebant pinguiora, altaribus macra: quod ſi diſcriminis inquiras cauſam textus reſpondebit: *Et vos polluiſtis illud in eo quòd dicitis: Menſa Domini contaminata eſt, & quod ſuperponitur, contemptibile eſt cum igne, qui illud deuorat.* Ac ſi dicant: cum altaribus ſuppoſita ignis ſint pabula, in nigros cineres reducenda, parum intereſt offerre optima, aut reiectanea: imò ſatius eſt languida offerre, & pinguia reſeruare. Hunc penitiorem eſſe huius ſententiæ ſenſum, teſtatur Hieronymus: *Polluiſtis nomen meum in eo quod dicitis: Quid prodeſt, ſi offeramus optima? Qualicumque fuerint, igne ſunt deuoranda: fructus autem altaris ignis eſt, cibuſque ignis hoſtia vel holocauſta.* Nullum alium fructum oblata altaribus præter ignem nutrire, flammaſque adipate arbitrabantur afferre, ob idque languida, & clauda non verebantur litare.

Malach. 1. v. 7.

Hieron.

§. VI.

Vitiis tenaciſſimè adglutinamur, à virtute vel leuiſſimo timore diſiungimur.

Virtutibus non ſolùm fas erat tingi; ſed immergi; verùm crimini redditur, quod debebatur virtuti: ſic nonnulli vitiis agglutinantur, ac ſi vitiorum eſſe neceſſum ſit. *Multos oſtendam*, aiebat Seneca de vita beata cap. 12. *Voluptatibus obſeſſos, in quos fortuna omnia munera ſua effudit, quos fatearis eſt neceſſe malos.* Virtus vitiumque libertatem requirunt; ſic verò nobis inhæſerunt arctiſſimè vitia, vt quæ olim mores, natura iam ſint: in ſeruitutem tranſiuit libertas: quidam vitiis adeò ſunt concarnati, vt veluti neceſſitate vitioſos cenſeas, faciliuſque quàm explicari, nodum diſrumpi. Inſtet periculum, detrimentum adurgeat, ſupplicium immineat; iacebunt tamen, quin metu perculſi, aut ipſis caſtigationibus diffugerint emendari: à virtute faciliùs recedimus: vt aues ad inanis fundæ ſtrepitum anxio volatu diffugiunt, ſic nos deterret non ſolùm iactus; ſed ſtrepitus: ſatis eſt falſus periculi tumor, aut timor leuis, vt à virtutibus deficiamus, & palpitantibus præcordiis obturbemur. Ita idem Stoicus epiſt. 110. *Vana ſunt iſta, quæ nos mouent, quæ attonitos habent; nemo noſtrum quid veri eſſet, excuſſit; ſed metum alter alteri tradidit.* Michas matri ſubripuerat nummos ad idoli conſtructionem dicatos, & contra ius expendendos, vt ſubtracta materia, impietatis deferueſceret etiam inſania; ſed dum mater ad conſueta mulierum arma, iras videlicet, maledicta, & comminationes confugit, timore perculſus religioſam retractauit ſententiam, & impiam reddidit matri pecuniam: *Dixit matri ſuæ: Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo.* Timore vano territus pecuniam reddidit; ſatiſque fuit inanis execratio ad ſententiam demutandam: *Inuocauerat Deum*, inquit Caietanus, *imprecando malum, vt conſueuerunt mulieres amiſſis rebus execrationes dicere.* Explicatiùs Abulenſis q. 5. *Michas furatus eſt matri ſuæ argenteos iſtos, fortè intendens eam impedire ab idololatria. Tunc mater Michæ diligenter quærens argenteos anxiabatur, & maledixit habentem: poſt quod Michas, ne incideret in maledictionem, reuelauit matri, quòd ipſe teneret.* Vmbratilis erat maledictio, nec ſortitura effectum, quandoquidem Michas furenti auferebat materiam, & religionis agebat cauſam; verùm ſatis fuit minis percelli, vt exhibuerit argentum ad effingendum idolum: ſuperuacuus timor à virtute disiunxit: iam Michas religionis deſerit cauſam, & offert impietati materiam. O vtinam tam facilè homines vitiis renuntiarent, ac ſolitant abiurare virtutes; ſed proh dolor! vitia altiſſimè inſident inuiſcerata, adhærent ſolùm honeſta. 27.

Seneca.

Seneca.

Caietan.

Abulenſ.

Pharao populum reſtituere ſæpè admonitus, & flagellis duriſſimis verberatus ſic induruit, vt virga, quæ correptos è duriſſima ſilice latices elicuit, cor nec repetitis verberibus edomuerit: *induratum eſt* 28.

Digitized by Google

Exod. 7. v. 22. *eſt cor Pharaonis.* Vtilior viſa eſt Pharaoni pertinacia, quàm pœnitentia. Quàm alij fuerunt à Ioſuë exploratores delegati! dum inimicorum terras attentis oculis perluſtrant, in aliquos homines proceræ ſtaturæ incidunt, adeóque vel ſolo adſpectu obturbantur, vt non ſolùm animum deſponderint; ſed populum vano rumore corruperint: *Terra quam luſtrauimus, deuorat habitatores ſuos, populus, quem aſpeximus, procera ſtatura eſt.* Num. 13. v. 33. Vulgus non ſolùm iam repigrat gradum; ſed reuocare aggreditur curſum: *Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Vano metu exagitati repetere Ægyptum cogitant: *Reuertamur in Ægyptum:* Num. 14. v. 4. vbi & recens nati cum nulla humanitate fluuio vt carnifici traditi, vbi maiores duro labore attriti, vbi fornacis tetro fumo obſcurati. Non illos deterret manifeſta ſæuitia, quominus Ægyptum repetant, & aſpectus ſolùm deterret, quominus promiſſionis terram adeant. Huc voco Tertull. de pœnit. cap. 5. *Primum exemplum peruerſitatis, quia timent delinquunt: opinor non delinquerent, ſi non timerent.* Tertull. Adnectit: *Timor Dei offendendi patrocinium eſt.* Hæc vltima verba ſic adapto noſtro inſtituto: *Timor offendendi Dei patrocinium eſt:* quaſi dicat: virtutem prorſùs deſtituunt vaniſſimo rumore perculſi, cùm Pharao ita malitiæ fuerit agglutinatus, vt omnem timorem excuſſerit, & contrà tot plagas callum obiecerit: *Neque enim timorem alia res* (poſſet de Pharaone proferre Tertullianus) *quàm contumacia ſubuertit.* Pharaonis contumacia non ſolùm contrà timorem; ſed contrà frequentes ictus ſe armauit; Iſraëlitas ab itinere reuocat timor inanis, qui vt ab Ægypto diſcederent, eguerunt tot miris.

29. Componamus duos Chriſti diſcipulos. Hauſerat Iudas oculis quàm plurima miracula, expertus fuerat, quàm ſine ambiguitate quæ Chriſtus prænuntiabat, venirent, Lazarum fuerat intuitus voce è mortuis reuocatum, dúmque ex effuſo vnguento amiſſum lucrum magiſtri venditione compenſare diſponit, audit: *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Matth. 26. v. 24. Clara occultorum notitia comminationis veritatem atteſtabatur; & tamen Iudas nec minis adeò certis deſtitit perculſus, nec ad saniorem mentem rediit metu ſuaſus, cùm non multò pòſt Petrus magiſtrum ſecutus ad procacis mulierculæ vocem ſic extimuerit, vt magiſtrum abnegarit. *Acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis.* Matth. 26. v. 70. Ecce petra de muliebri afflatu concutitur, cùm Iudas nec Dominicis minis percellatur. Quàm leui Petrus timore diſceſſit à veritate, quàm grauiſſimis præmonitus ſupplicijs Iudas non diſceſſit ab errore? In Iudæ præcordiis veluti concarnatus, & inuiſceratus degebat Dæmon; veritas non adeò altè Petri cordi inhæſerat: *Palàm coram omnibus negauit,* inquit Rabbanus in catena, *quia ſe manifeſtare expauit.* Rabban. Mulieris vocem expauit Petrus, Iudas contempſit formidandas Chriſti Domini prædictiones: vt noueris quàm tenaciter homines vitiis adglutinentur, quandoquidem nec timore acerrimo ſeparantur, cùm ſatis ſit leuis timor, vt à virtute deficiant, & ad caſtra vitiorum tranſeant.

30. Iam Pſaltes hoc diſcrimen deplorarat Pſalmo 13. *Veloces pedes eorum ad effundendum ſanguinem: contritio & infelicitas in viis eorum, & viam pacis non cognouerunt: non eſt timor Dei ante oculos eorum.* Pſal. 13. v. 3. Audis ad effundendum ſanguinem veloces pedes nullo timore ligari: vide modò virtutis aſſeclas vel timore vmbratili præpediti: *Dominum non inuocauerunt: illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Hæc vltima verba intelligit Incognitus de Scribis & Phariſæis, qui conficto timore dicebant: *Venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Incognit. Si Domino obtemperaſſent, nec Romani aduenirent, nec gentem tollerent, ipſi timoris architectabantur vmbras, & ſatis fuit timoris vmbra, vt à virtute deſciſcerent, quando ſanguinis effuſores contritionem, & infelicitatem experti ad virtutis viam noluerint deflectere, aut declinare: *Trepidauerunt timore, vbi non erat timor,* inquit Incognitus, *timuerunt enim perdere terrenum regnum, vbi non erat timendum.* Diſcriminis vana opinio à virtute expulit, à vitiis contritio non retardauit. Vt noueris quàm ſit certum homines vitiis tenaciſſimè agglutinari, à virtute verò per quàm facilè diuelli.

---

§. VII.

Filij quodammodò ſugunt peruerſos parentum mores, vt eximias etiam virtutes.

VT radicis ingenium edito agnoſci ſolet in fructu, vt latex ſaporem ſeruat ſcaturiginis, 31. vt horrida ſpina qualitatem infamat telluris ſic filij & parentum degeneres mores, aut laudandas ſapiunt virtutes. Opportunè Attalaricus 9. variar. 23. *Quid, Patres conſcripti, de vobis iudicemus expendite, cùm ad ſummarum culmina dignitatum germinis veſtri viros, quos nunquam vidimus, eligamus, non faſtidio negligentiæ; ſed honorabili præſumptione naturæ. Ad examen veniant, quæ putantur incerta: nam quis de illa re æſtimet deliberandum, vbi nihil reputatur ambiguum? Rerum cauſæ ſemper in ſemine ſunt: fructus editus prodit auctores, & quicquid à diuinitate meremur, de felici prole colligitur.* Caſſiod. Relucent parentum mores in filiis, & vt Solis greſſus ſolaris horologij regularis indicat vmbra, ita parentum virtutes, aut vitia proles manifeſtat edita: vnde teſte Plutarcho lib. de inſtituend. liberis. Cùm Diogenes væcordem intueretur filium, à patre ebrio progenitum non dubitauit: *Solent euadere, quorum initium ſementis fecerint in crapula patres vinolenti, & ebrioſi.* Plutarch. *Hinc adoleſcentem videns Diogenes furibundum, & væcordem; parens, inquit, adoleſcens; te ſeminauit temulentus.* Certè parentes, filiíque nulla ſolent morum diſcretione diſtingui, ingenij viuacitate conſimiles, & operandi modo nullatenus inæquales. Hanc confirmat veritatem Michas, qui mille & centum argenteos, quos mater rapuerat, & ipſe rapuit, vt eadem in materia veluti hæreditarius agnoſceretur affectus, & matris rapacitas tranſiret ad filium: *Mille & centum argenteos, quos ſeparaueràs tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt.* Caiet. iuxta Hebraicam veritatem legit: *Qui fuerunt ablati à te.* Caietan. Itaque poteſt intelligi filium matri ſubripuiſſe, quos ipſa & iam abſtulerat mater. Fateor germaniorè litteræ ſenſum eſſe filiū enuntiare matri apud ſe eſſe ſummam illam, quam ſibi ingemebat ablatam; verùm cùm iuxta Grāmatices regulas vtrúmque ſenſum textus non reſpuat, lubet

bet pro componendis moribus arbitrari hanc pecuniam prius à matre ablatam, & poſteà à filio ſubreptam. *Iuxta Hebræum habetur*, inquit Caietanus, *qui fuerunt ablati à te: fuerant enim furtiuè ablati*. Mira res, pecuniam furto ablatam Domino reſtitui, quando rariſſimè redit ad Dominum reſtitutum, ſi quid furtiuè fuerit ablatum. Ergo, vt dicebam, quos fortè mater furtiuè abſtulerat, & ne furtum proderetur, abſconderat, filius inuenit, & rapuit. O quoties fures & criminis admittunt culpam, & furto ablatam non poſſedere pecuniam: quæ vel criminis conſcij abſtulerunt, vel iudices diſſiparunt. Michas maternos retulit mores, & quia mater exercuerat furtum, & filius ſubripuit aurum. (Caiet.)

52. Filius promittitur Zachariæ, & ne quis ſolùm adſcriberet naturæ, quod adicubi potiùs debebat gratiæ, patris labia digno obmuteſcunt ſilentio, & filius naſcitur ad virtutes Chriſti debito celebrandas præconio: filius eſt vox, ipſo teſtante: *Ego vox clamantis in deſerto*: pater vocis vſu iuſtè priuatur: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui*: ſilentium generat vocem, quo agnoſceretur nobiliter degeneraſſe naturam, reſplenduiſſe gratiam. Innuit Chryſol. ſerm. 86. *Zacharias ipſe quòd tacet, non eſt pœna; ſed ſignum; non eſt terrena debilitas, ſed cæleſte ſecretum: Deus, qui loqui dat, tacere facit, & imperat ſilentium, qui inſerit verbum*. Vt Ioannes Dei benignitate agnoſceretur conceſſus, & penè deficiente natura generatus vocem retulit, non ſilentium, quando, ſi ſolùm eſſet naturæ fructus, non indueret vocem; ſed referret taciturnitatem. Filij vt naturales ſunt parentum imagines, ſic frequenter inueniuntur motibus ſimiles, & quod filius agnoſcit patrem exercere, molitur veluti naturaliter imitari. (Ioan. 1. v. 23. Lucæ 1. v. 20. Chryſol.)

53. Hanc veritatem confirmat arcano ſtylo Iacobus: conuenerat cum ſocero pro mercede ſibi partus diſſimiles parentibus fore applicandos; ſimiles verò auunculo fore adſcribendos: ergo ab Angelo docetur philoſophiam, qua diſſimiles ederentur fructus, qua deficiente arte, per quam ſimiles procedebant prouentus: *Factum eſt vt in ipſo calore coitus, oues intuerentur virgas, & parerent maculoſa, & varia, & diuerſo colore reſperſa*. Adnectit textus: *Quando primo tempore aſcendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietum, & ouium, vt in earum contemplatione conciperent; quando verò ſerotina admiſſura erant, & conceptus extremus, non ponebat eas: factáque ſunt ea, quæ erant ſerotina, Laban, & quæ primi temporis, Iacob*. Ecce vt diſſimiles prodeant fœtus, arcana opus eſt philoſophia; vt procedant ſimiles, ſuperflua fuiſſet induſtria: quia niſi miraculum, aut arcanum aliquod interceſſerit, ſe parentes reciproquabunt in filios, & ipſo corporis habitu, ipſo blandi modo, ipſo vellere referent genitorem filij opúſque erit arcana ſolertia, vt à ſe ipſa deſciſcat, & diſcrepuerit natura: *Poteſt dici*, inquit Angelicus Doctor in Geneſ. *quòd ſuprà legem aderat etiam hic regulatrix potentia Dei*. Niſi interceſſiſſet miraculum fœtus à parentibus non diſcreparent; ſed genitores referrent: vt noueris naturæ lege ſpectata filios patrum referre ingenia; imò vt non referant mores, ſi fas eſt dicere, eſſe neceſſaria miracula. (Geneſ. 30. v. 39. D. Thomas.)

54. Daniel, dum & Suſannæ exaggerat miram conſtantiam, & ſenum deteſtabilem impudentiam, ſic ait: *Semen Chanaan, & non Iuda, ſpecies decepit te, & concupiſcentia ſubuertit cor tuum: ſic faciebatis filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur vobis; ſed filia Iuda non ſuſtinuit iniquitatem veſtram*. Chanaan vocat filium, vt veluti inditam, & hæreditariam prauitatem condemnet. Ergo referamus hiſtoriam, vt vtilem eruamus inde doctrinam. Cham, & Chanaan eius filius, vt ex textu conijcitur, impudicè ſatis oculos oblectarunt, & leue oblectamentum dignâ, & prolixa pœna ſoluerunt: *Bibens vinum inebriatus eſt* (Noë) *& nudatus in tabernaculo ſuo. Quod cùm vidiſſet Cham pater Chanaan, verenda ſcilicet patris ſui eſſe nudata, nuntiauit duobus fratribus ſuis foras*. Chanaan oculos impudicos pauiſſe expreſsè non refertur, ſed dum incurrit mulctam; dubium non eſt patris fuiſſe imitatum inſaniam, & non abſque myſterio irriſiſſe Chanaan auum expreſsè non retulit Scriptura: quia irridente patre dubium non erat irriſione obſcuratum filium: adeò certum eſt filios mores imitari paternos. Sed redeamus ad Danielem: Senem filium vocat Chanaan: quia vt Chanaan impudico viſu deliquerat, ſic iſte libidinoſo aſpectu peccauerat. *Videbant eam ſenes quotidie ingredientem, & deambulantem & exarſerunt in concupiſcentia eius*. Itaque hæreditario quodammodò errore deliquit: nam vt pater impudenti pietatem dehoneſtauit aſpectu; ſic iſte impudenti veritatem maculat viſu: patrem Chanaan refert moribus & aſpectibus. Iam cur Suſannam filiam Iuda vocauerit, audi à Diuo Thoma ad hunc locum: *Quaſi diceret: Auricnlariter aſſentiebant vobis, ſed filia Iuda non; quia eis perfectior, quaſi filia viri Iuda, hoc eſt, confitentis bonam confeſſionem coram ipſo Pilato, vt dicit Apoſtolus: ſuſtinuit iniquitatem noſtram non formidans comminationem ignominiæ, vel mortis*. Itaque vti filia Iudæ, qui Chriſti Domini fuit vmbra, non diſceſſit à pudicitia, quantumvis de ipſa caſtitate conſtructis armis iniqui aduersùs caſtitatem pugnarent, & quantumvis mortem ignominioſam opponerent. Iudas ipſo nomine bonam confeſſionem enuntiauit: ergo eius filia nec ignominiæ metu, nec mortis terrore à verà confeſſione diſceſſit. Ergo Daniel reſpondiſſe teſtatur generi honorabilem fœminam, vt impudicum etiam ſenem propagini. Vt videas quàm ſit verum, quod aiebat Caſſiod. rerum cauſas in ſemine eſſe, & auctores fructu edito recognoſci. Ergo Michas furatur nummos, quia mater ſuffurata fuerat argenteos. (Daniel. 13. v. 56. D. Thomas.)

§. VIII.

Execratio eſt timenda vt calamitatis illicium: benedictio procuranda vt fortunæ promptuarium.

55. Queruntur, & ſorti ſuæ iraſcuntur aliqui, quod omnia illis cõtingant aduerſa votiſque oppoſita: & quidem arduum non eſſet cauſam venari, ſi mores ſuos diſcuterent, recordarentúrque quoties parentes exaſperarunt; & ad eis inimica expromenda vota quodammodò compulerunt, quod parentum indignatio imprudenter protulit, ſæpè filius rationabiliter tulit: repetere poſſet Seneca, quod diuerſo ſenſu epiſt. 60. ſcripſit: *Iam non admiror, ſi omnia nos à prima pueritia mala ſequuntur: inter execrationes parentum creuimus*. (Seneca.)

Dum filius inobſequens matris, parentiſve in ſe maledictiones armauit, non miretur, ſi aduerſam à primordiis fortunam tulerit: exaudit Deus offenſi parentis vocem, & filio rependit vicem. Magnis ille ſationibus exiguum demeſſuit, continua infirmitate alter elanguit, inopinis impetitus calamitatibus iſte ingemuit; ſed omnia iſta eorum quivis, dum ſe execrandum, & maledicendum præbuit, præter opinionem ſibi procurauit. Michæ mater certam argenteorum copiam, quam Deo deuouerat, clanculum repoſuerat: abſtulit Michas maternæ intentionis ignarus; verùm illa, vt ſe pecunia ſenſit fraudatam, ad mulierum arma, maledictiones videlicet, execrationeſque indignata confugit, & poſſidentem calamitati deuouit: *Mille & centum argenteos, quos ſepa aueras tibi, & ſuper quibus me audiente iurauerας, ecce ego habeo, & apud me ſunt.* Exaſperatæ matris plus extimuit linguam, quàm armatam militum extimeſceret manum, quandoquidem paternæ maledictiones à Deo ſolitant exaudiri, & maledictos filios indefeſſis conſtat calamitatibus adurgeri: *Innocauerat Deum* inquit Caietanus, *imprecando malum, vt conſueuerunt mulieres amiſſis rebus execrationes dicere.* Michas etſi nummos abſtulerit cupiditate illectus, eos reſtituit metu execrationis perculſus, & rationabili timore edocuit, quàm timeri debeant maledicta à parentibus & maioribus fulminata: verùm hoc cum ſalis grano intelligendum eſt, cùm ſcilicet rationabili cauſa iraſcuntur in filios eorum impudentia exaſperati, aut irreuerentia perculſi: nam ſi in virtutibus ſtudentem maledicta congerant irrationabiliter iracundi, aut indebitè exaſperati, iam nociuo maledictiones carent veneno, nec ſunt extimeſcendæ; ſed in benedictionum cenſu numerandæ.

Arma mulierum execrationes ſunt.
Caietan.

36. 1. Ad Corinthios, 1. v. 12. ſic Paulus: *Maledicimur, & benedicimus.* Non timuit maledici; imò exambiebat his execrationibus dilaudari: *Maledicimur*, exponit Anſelmus *hic, à prauis hominibus.* Concinit Tertullianus de idololat. cap. 14. *Cùm totus circus ſceleſtis ſuffragiis, nullo merito nomen laceſſit, deſinamus, & non blaſphemabitur; imò dum ſumus, blaſphemetur in obſeruatione, non in exorbitatione diſciplinæ: dum probamur, nondum reprobamur ob blaſphemiam martyrij affinem; quæ tunc me teſtatur Chriſtianum, cùm propterea me deteſtatur. Benedictio eſt nominis, maledictio cuſtodita diſciplina: ſi hominibus, inquit, vellem placere, ſeruus Chriſti non eſſem.* Circus, & praui homines, inquit Tertullianus; ſi eis non aſſentimur, nos maledictis opplent; ſi aſſentiamur, execrationes abſtinebunt: quid ergo nobis faciendum eſt? Reſilire, an obſequi? Profectò non obſequi; ſed reſilire: nam maledictio in virtutem fulminata pro martyrio eſt quodammodo enumeranda, & in benedictionibus reponenda. Stultus profectò timor eſt, ne ſubeas execrationes, contempſiſſe virtutes: nil contra rationem faciendum, etſi parentum inſtantia premat, etſi execratio imprecetur infauſta, etſi maledicto fulminarit horrenda: & quidem tunc te teſtabuntur Chriſtianum, quando execrationibus auerſantur non filium: vt fugienda eſt omnis audaciæ, & irreuerentiæ ſpecies, ſic vani, vacuique ſunt deſpiciendi timores: nec enim inuocatæ furiæ, imploratæ calamitates erunt infelicitatum illicia; ſed pro ſalute & incolumitate ſuffragia. Vt è contra paternas indignis meritis benedictiones eluctari erit ſibi calamitatem aſciſcere.

Tertull.
Anſelm.

Michæ mater maledictiones in auri ſubreptorem coniecerat: filius, ne pœnam incurreret, habere ſe aperuit, dum animum parentis non nouit, illa tunc conſecraſſe ſe effingendo idolo aperuit: & filium, ſi eius votis faueat, benedictionibus muneret: *Benedictus filius meus à Domino: reddit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile, & nunc trado illud tibi.* Benè fecit, cum nondum agnito matris ſtudio execrationem timens pecuniam ſe habere confeſſus eſt; aſt cùm ad impium opus benedictionibus alliciebatur, plus extimeſcenda erat benedictio, quàm execratio: benedicebat, vt impiis deſideriis ſuffragium ferret; benedicebat, vt idolum confingi procuraret: ergo tunc probaret peſſimum, ſi impium obſequium teſtaretur benedictum. Et quidem effectus oſtendit, quam illi fortunam eiuſmodi benedictiones attulerint. A Danitis, id eſt, iudicibus: Dan namque interpretatur iudicium, vt placet Oleaſtro in expoſitione litterali Geneſis 49. *Significat Dan iudicare*: omnibus diſpoliatus ingemuit, & maternæ benedictionis fructum digniſſimum tulit: *Poſt tergum clamare cœperunt. Qui cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? Cur clamas? Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt? Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne vltra loquaris ad nos.* Expende vocari modo, qui omnia abſtulerant, Dan filios, quo iuſto Dei iudicio id noſceretur effectum, & ob ſcelus benedictus lugeret copioſiſſimè informatus. 37.

Iudic. 17. v. 3.
Oleaſt.
Iudic. 18. v. 23.

Sacerdotes non ſolùm à Dei lege ignobiliter degenerantes; ſed & populum degenerare facientes, quo meliùs, vt ſuis parerent votis allicerent, benedictionibus ac imprecationibus munerabant; illique, vt benedictionem lucrarentur, parebant impiè ſtudioſi, & legibus audacter iniurij. Ergo Dominus per Malachiam fucatas ait eſſe benedictiones, & peſſimarum execrationum ſortituras effectum, vt digno timore indignè obſequentium auertat animum: *Mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris, & maledicam illis, quoniam non poſuiſtis ſuper cor.* Adnectit poſteà: *Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos in lege.* O pulchras benedictiones, quæ adaugendis vitiis militabant, quæ legis præuaricatoribus pro præmio erant. Benedictionis proferebant verba; ſed maledictionis emittebant ſpicula: quid enim prodetat ab hominibus benedici, ſi ob benedictionem humanam ſubibant maledictionem diuinam? Adeſt Hieronymus ad hunc locum: *Vertuntur benedictiones eorum in maledictionem, quando non benedicunt ſanctis ex vero cordis affectu, ſicut Iſaac Iacob, & Iacob Patriarchis, & Moyſes duodecim tribubus; ſed per dulces ſermones, & benedictiones decipiunt corda innocentium, & qui iniquè agunt, benedicuntur ab eis.* Sacerdotes illi, ſi quis impiis eorum aduerſabatur conatibus, & iniquis reſiſtebat deſideriis, maledictis proſcindebant, & è contra obſequentes copioſis benedictionibus exornabant; ſed ſatius quam benedici, erat maledictis repleri: nam dum vaniſſimis adulationibus proſperam promittebant fortunam, certiſſimam, duriſſimamque negotiabantur miſeriam, & erat proximior plena infortuniis aduerſitas, quò vicinior aſſerebatur felicitas. Benedictiones Sanctorum præcipuè illorum qui in 38.

Malach. 2. v. 2. & 8.
Hieron.

deliciis

delicis Deo ſunt, quàm maximè iuuant ad conſequendam felicitatem. Profectò cùm iam in alterius vitæ confinio velut teſtamento fauſtas imprecationes ac benedictiones ſuis relinquunt contra ingruentes calamitatum ictus obarmant, & cæleſtibus auxiliis felicitant. Audi Moyſem: *Viuat Ruben, & non moriatur, & ſit paruus in numero: audi Domine vocem Iuda, & ad populum*
Deuteron. 33. v. 6. *ſuum introduc eum.* Huiuſmodi benedictio totis eſt viribus expetenda, quandoquidem audiunt cæleſtia vocem Sanctorum gratuitam. Ita Philo lib. de charit. *Deinde vbi viſus eſt ſatis paratus ad*
Philo. *exitum, non prius gentem ſuam miſit in coloniam, quàm ſingulas eius tribus numero duodecim honoraret fauſtis imprecationibus nominatim citatas philarchorum ſuorum vocabulis.* Subiicit: *Quas quidem precet ratas fore credendum eſt, quandoquidem & ipſa ab amico Dei profuſa ſunt, & Deus amare humanum genus nunquam deſinit.* Imprecationes amicorum ſuorum ratas habet Deus, quandoquidem ſe timentium non ſolùm exaudit verba; ſed vota.

§. IX.

Prouidâ ſingularitate debet gaudere, quod Domino conſtiterit dedicari.

39. OMni maculâ imperfectionéque oportet niteat exemptum, quod ſacris altaribus decernitur dedicandum: nec fas eſt obnoxium fuiſſe profanitati, quod addicitur religioni: grex firmo integroque veſtigio aris approximet, ne greſſibus claudicantibus iram numinis commeruerit; & dum in accipientis probrum degenerat ſacrificium, ad dignum offerentis tranſeat tormentum:
Malach. 1. v. 8. *Offertis ſuper altare meum*, queritur Dominus, *panem pollutum, & dicitis: In quo polluimus te? In eo quod dicitis: Menſa Domini deſpecta eſt. Si offeratis cæcum ad immolandum, nonne malum eſt? & ſi offeratis claudum & languidum, nonne malum eſt? Offer illud duci tuo, ſi placuerit ei, aut ſi ſuſceperit faciem tuam, dicit Dominus exercituum.* Dum offertur claudum, cæcumque; cùm offerri poſſet perfectum, in deſpectum tranſire videtur cultus, quandoquidem, ni Dominus haberetur contemptui, languida, & defectibus plena non dedicarentur altari. Quod ſi ab altari reſpuitur oblationis maculâ, iure credenda eſt potiori titulo reſpui intimior ipſi numini materia, niſi ab omni labis ſuſpicione renideat pura, & lucere conſtet perfectam. Hinc Michæ mater, dum argentum conflandi, vt ipſa opinabatur numinis cogitat deuouere materiam, à cætera argenti copia atteſtatur prouidè ſeparatam: *Mille & centum argenteos*, inquit eius filius, *quos ſeparaueras tibi, ecce*
Lyra. *ego habeo.* Ita Lyra: *Quos ſeparaueras ſcilicet à communibus vſibus idolo dedicando.* Argenteos hos Domino deuotos, dicatoſque expertè confirmat mater: *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile.* Argentum illud numinis futurum materiam à reliquo prouida ſeparauit, ne profanis, aut domeſticis vſibus eſſet obnoxium, quod Domino inſeruire decretum: de argento illo, vti materia, efformandum erat ſculptile: ergo, antequam efformetur, accuratè conſtat fuiſſe ſeparatum, ne quis putauerit vſibus profanis obnoxium: nec enim deceret, quod adorabatur numen, è polluta effingi materia; imò è materia vſibus non adeò honeſtis obnoxia: *Separauerat eos mater Michæ*, inquit Abulenſis quæſt. 6. *à reliqua pecunia ſua, vt de his fieret idolum.* Reliqua pecunia domeſticis vſibus erat applicita; hæc Abulenſ.
verò vtpote idoli materia nullatenus his vſibus iam obnoxia; imò accuratiſſimè ſeparata. Quod ſi mater Michæ ſolertem curam adhibuit, vt materiam futuram idoli ab argenteis reliquis ſeparauerit, & iam inueniebatur diſcreta, cùm nondum fuiſſet exhibita: quid putamus feciſſe Patrem, qui Mariæ ſanguinem, carnemque Verbi humanitatis materiam fore decreuit? Nonne ſingulari priuilegio, & ſolerti cura à reliqua filiorum Adami maſſa ſtudioſè disiunxerit, prouidenterque ſeparauerit? Nónne ea fuerit Deo cura pro filij humanitate, quæ huic mulieri pro materia fuerit idoli? Non erant ſeparati nummi alterius materiæ; erant tamen ſacratioribus vſibus applicandi; & quia applicandi, disiuncti. Ergo caro & ſanguis Mariæ ab Adamo, vt reliqui poſteri, trahebat originem; at quia numini conſecranda, omnem reſpuebat im puritatem, & omnem gratiæ ſortiebatur nitorem.

Iacob Bethel aſcendere iuſſus conuocata domo 40.
abiicienda monet idola, & non abluenda, ſed Geneſ. 35. v. 2.
mutanda veſtimenta: *Mutate veſtimenta veſtra.* Quaſi indecens fuerit, cùm valerent omnis maculæ expertibus ornamentis fulgere, veſtibus maculæ conſciis, etſi iam mundatis, veſtiri. Idola, inaureſque obtulerunt comiter & vrbanè rogati: *Dederunt ei omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum; at ille infodit ea ſubter terebinthum; quæ eſt poſt vrbem Sichem.* Abulenſis conſilium de veſtimentis mutandis ait protuliſſe propter filios, qui Sichimitarum ſanguine iniuſtè effuſo veſtes habebant maculatas: ergò etſi obuium fuerit aquis purgare, maluit nullâ maculâ defœdatis indumentis adeſſe, cùm non eſſet arduum ornatibus refulgentibus inſeruire. Abulenſem audi: *Hoc dicitur propter* Abulenſ.
filios, qui ex occiſione Sichimitarum ea ſanguinolenta habebant, & non decebat eum talibus veſtibus accedere ad loca ſacra, vel quia magnum honorem intendebat impendere Deo Iacob aſcendendo Bethel, & ideò tam interiùs, quàm exteriùs cupiebat Deum in nouitate honorare. Viſa fuerat eo in loco ſacra illa ſcala, in qua Dominus innitebatur: ergo illo locus adeò omni macula, & maculæ ſuſpicione carebat, ea puritate, & candore lucis radiabat, vt timuerit Iacob, ſi filij veſtibus acceſſerint mundatis, non mundis. Quod ſi ſcalæ locus eam exigit puritatem, quam putas, ipſa poſſedit ſcala? Iam omnem illam materiam fuiſſe liquefactam, & profundiſſimis terræ viſceribus commendatam putat Abulenſis: cauit namque prouidentiſſimus pater, ne materia dæmoniis ſemel dicata iterum pullularet, & in filiorum ſuorum poſſeſſionem veniret. Accipe Abulenſem: *Facta eſt magna foſſa, & liquefacta tota illa materia metallina infuſa fuit in foſſam, & penetrauit in profundum per viſcera terræ, vt nullus eam inde acciperet: & noluit illud aurum vel argentum in aliam formam conuerſum accipere, vt quod ſemel fuerat dicatum cultui dæmonum, nunquam applicaretur ad vſus hominum.* Non erat difficile ardentibus flammis idolorum formam confundere, & cunctis aurum maculis repurgare; at curauit prouidus, & ſuorum amator pater, ne filij diſcerent

materia;

Digitized by Google

materia quãtumuis purgata, quæ dæmonum characterem accepiſſet, & quam probrum cultus deteſtabilis dehoneſtaſſet. Inquirit iterum Abulenſis, cur Iacob ex auro illo, argentoque vaſa aurea & argentea in numinis cultum non effinxerit, cùm de auro Ægyptiorum dubium non ſit vaſa aurea, argenteaque in cultum numinis efformata. Reſpondetque Ægyptiorum aurum characterem dæmonum non accepiſſe, nec aliquam idoli figuram repræſentaſſe; at quod modò tradebatur, iam impreſſam habuerat idolorum imaginem, & dæmonum ſigillatum quodammodò characterem: ergo non decebat in ſacros vſus conuerti, & cultui numinis applicari: *Si dicatur*, inquit quæſt. 1. *quare Iacob non conuertit iſtud aurum, & argentum in cultum Dei faciendo vaſa aurea, & argentea: quia de auro, & argento, quod furati ſunt ab Ægyptiis Iudæi, facta fuerunt pòſt omnia vaſa tabernaculi, & vtenſilia, vt patet Exodi* 35. *&* 37. *capite.* Audiſti dubium, audi ſolutionem: *Reſpondetur quòd non eſt ſimile: quia iſtud aurum & argentum, quod Iacob infodit ſub terebintho, erat materia, de qua ipſa idola facta erant, & inaures eorum: ideò non licebat conuerti ad vſus ſacros: quia deteſtabile & immundum factum fuerat: aurum autem & argentum, quod acceperunt Iudæi ab Ægyptiis, in vſus idolorum non ſeruiebat.* Aliud aurum maculas non admiſerat, aliud admiſerat maculas: ergo Iacob, qui cæleſti luce illuſtratur Domini ingenium agnouerat, aurum ſemel maculâ infectum noluit quantumuis repurgatum ſacris applicare cultibus; ſed terris, & obſcuris terræ commendaſſe viſceribus. Quod ſi Iacob indignum putauit Deo aurum, cui ſemel dæmonis impreſſa figura, quis crediderit cæleſtem patrem filio miniſtraſſe virgineam carnem, ſi in ea non iam exterior figura; ſed interior inuiſceraretur macula?

41. Eccli. 24. v. 22. Dei mater terebinthi ſymbolum ſibi adaptat: *Ego quaſi terebinthus extendi ramos meos, & rami mei honoris, & gratiæ.* Crediderim terebintho, de qua proximè ſermo, comparaſſe, nec ſine ratione: nam cùm in ramis radix eluceat, huiuſque terebinthi rami ſint gratiæ, ipſa teſtante: *Rami mei honoris & gratiæ*, oportebat radicem non ſolùm immunem culpæ; ſed participem victoriæ: ergo terebinthum, de qua modò loquebamur, videbis idola firmis radicibus veluti veſtigiis premere, & premendo triumphos agere: *Infodit ea*, inquit, *ſubter terebinthum.* Non ait, iuxta terebinthum; ſed *ſubter*: vt noueris radicem huius terebinthi idoli proximitate non ſordeſcere; ſed vti inferiùs calcare. Ergo radix gratiæ ramis exornanda, calcatis idolis fulgeat conſpicua, & omni prorſus macula exempta, vt Mariam Iacobæam terebinthum dæmonum proculcauiſſe, & honoris & gratiæ ramos produxiſſe nobis eluceat, & dubitationem depellat.

---

§. X.

Filij execranda fouent parentum vota, & operas ſuas conferunt ad improba deſideria.

42. VT dubium non eſt ſapientem ſapienti prodeſſe, bonoſque collatis exemplis ad virtutum facinora protitari; ita pro comperto habe improbum quemquam de alterius conſortio auxilioque proficere in peius, & ſectari vitia viuidiùs. Malus malo impetum dat, ſcelerum occaſiones demonſtrat, quid ipſe adinuenerit, & exprimit impudenter, & docet audacter. Audi Senecam epiſt. 109. *Malus malo nocet, facit peiorem, iram, metum incitando, triſtitiæ aſſentiendo, voluptates laudando, & tunc maximè laborant mali, vbi plurium vita miſcuere, & in vnum collata nequitia eſt.* Verè & eleganter dixit: nam improbus improbi audaciam confirmat, impudentiam exacuit, vtilem timorem depellit, & confabulatione conuictuque vtriuſque creſcit malitia. Quod ſi frequentiori conſuetudine (vt filiis accidit) vtantur, & gratum vitiis obſequium præſtitum arbitrentur, res eſt iam prorſus deplorata, & veluti medicamini exempta. Quos ſimiles fecit improbitas, ſi arctiori coniungantur naturæ vinculo, ſceleſtiori inficientur etiam piaculo: tunc namque operas ſuas conferunt, collatis viribus procacior procedit audacia, & peſtilentior gliſcit malitia. Michæ matri ablatum fuerat furtiuè argentum effingendo idolo ſacratum: Michas impietatem promouet, dum matri ſine non ignotato reſtituit: *Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt.* Quid tunc mater? *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile.* Filius miniſtrat materiam, mater filij ad effingendum idolum ſolicitat curam, & dum putat filius gratum matri idoli effingendi ſtudium, conflatur ab vtroque piaculum: operas ſuas contulit filius, vt demereatur parentis gratiam, ſi ſatagat promouere nequitiam.

Seneca. Voluptas laudatores habet.

43. Hoc ipſo in capite quam filij paternos imitentur mores, quàmque dum prauitati auxiliantur, gerere morem conentur, compertum eſt. Conſtruxit Michas idolum, fabricauit delubrum, & iam vnus ex eius filiis fungitur ſacerdotis officio, & in parentis gratiam execrabili miniſterio. Iam filius idolo miniſtrat, victimas offert à patre miſſas, & deteſtandis cupiditatibus conſecratas: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei ſacerdos.* Filius paternæ eſt impietatis miniſter, & ob id teneriùs dilectus, & copioſiùs muneratus. Adeſt Hugo: *Obtulit ei munera quaſi ſacerdoti, vel dedit ei munera, vt fieret ei Sacerdos.* Quid recuſaret filius à patre dilaudatus, & muneribus ad inhoneſtum miniſterium allectus? *Factus eſt ei*, inquit textus, *Sacerdos*, id eſt, improbitatis executor, miniſter cupiditatis. Execrandis aris conſtat ſacrificia litari per eas ipſas manus, quæ debuiſſent impedire: callidus & peruerſus parte filij manum implebat, quo ſolicitiùs inſeruiret idolo, & infami pollueretur miniſterio: *Dedit ei munera, vt fieret ei Sacerdos.* Flius muneribus ſubornatus, nummis corruptus, quod impedire debuit, promouit, & ad paterni executionem delirij indignum non recuſauit officium; imò ſe cæteris fratribus ad ſacrilegas gaudebat aras prælatum.

Hugo.

44. Neſcio quo pruritu filij operas ſuas ad concinnandas iniquitates afferant, cùm domeſticis vtilitatibus lachrymis deplorabat Ieremias: *Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cæli, & libent diis alienis.* Vides filios ligna colligere: tranſi ad 17. libri 3. Regum, videbiſque viduam

Ierem. 7. v. 18.

viduam annis prægrauatam ligna colligentem, vt placentam ſibi, filioque conficiat, quin filius matris laborem leuauerit, lignaque collegerit:
3. Reg. 17. v. 10. *Cùm veniſſet* (Elias) *ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna.* Quale colligendi ligna ſtudium, ipſa aperuit prophetæ: *En colligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illum mihi, & filio meo, vt comedamus, & moriamur.* Si alibi adeò feruet opus, vt dum matres conſpergunt adipem, vt faciant placentas, filij ligna colligenda curarint, cur filius viduæ annis prægrauantibus recuruæ ligna non colligat, nec parenti auxilium ferat? Iam textus rationem reddidit: *Vt faciant*, inquit alibi, *placentas reginæ cœli, & libent diis alienis*: alibi: *Vt faciam illum*, inquit, *mihi, & filio meo.* Vbi ſuſpicabantur filij eorum patres exoptare Dianæ ſibi conciliare gratiam, nil intermittebant, quo impia deteſtandaque promouerent ſtudia, vbi rebantur matrem alicuius idoli familiaritatem ambire, deſideria fouebant, & pudoris obliti ignominiam procurabant; at vbi mater domeſticis prouidebat vtilitatibus, vbi honeſtis curis inuigilabat, filius nec ligna attulit, nec viduam adiuuit. O nimis verum! Ad honeſtos parentes labores minuendos filij detinentur ignauiâ, ad impios perficiendos conatus ingenti laborabunt ſolertiâ, & indefeſſa in laborando conſtantia. Ad rem Interlinearis ad Ieremiæ 7. (Interlin.) *Nulla eſt ætas, nullus ſexus, qui ab ipſa impietate diſſentiat.* Conſonat ibi Lyra. (Lyra.) *Filij colligunt ligna ad coquendum idololatriæ ſacrificia: ad hoc enim pueri inducebantur à parentibus, vt nutriti in talibus, in ſenectute non recederent ab eis.* Ad impietatis holocauſta filij inſudabant, ad pietatis officia ſtertebant: opus erat viduæ, & quidem ſeni, domum egredi, ad ciuitatis portam deuenire, colligere non ſine rubore ligna; vt filio diſponeret alimentum, quin ipſe aut ratione impulſus, aut pietate commotus hunc ſibi laborem aſſumeret, matremque reuelaret. Videbis plures filios ſeſe ingerentes, & ad parentum perficienda ſcelera feſtinantes; ad virtutis verò opera obſequi detrectant, & operas ſuas afferre recuſant.

45. Ioannes Iezabelem nimiâ proſtitutione pollutam, & à plurimis conſtupratam in lectum, & quidem duriſſimum teſtatur immittendam, eiuſque filios ſæuâ morte mulctandos, pioque ferro occidendos: (Apocal. 2. v. 22.) *Ecce mittam eam in lectum; & qui mœchantur cum ea, in tribulatione maxima erunt, niſi pœnitentiam ab operibus ſuis egerint, & filios eius interficiam morte.* Filij profectò non iacerent morte puniti, ni matris fuiſſent ſceleribus auxiliati; ſic tamen omnem abiecerant verecundiam, omnem ſic depoſuerant pudorem, vt cùm debuiſſent impedire, maternæ libidini occaſiones procurauerint conciliare, & qui impudicitiæ fræna, conuerſi ſint in calcaria: *Filios eius*, inquit
Anſelm. Anſelmus hîc, *id eſt, ſequaces ipſius, vt qui etiam modò imitantur illam.* Filiorum non refertur expreſſè culpa; at matrem imitatos teſtatur pœna: relucent namque, vt iam diximus, mores parentum in filiis, & ſatis eſt ad mores filiorum noſcendos parentum mores agnouiſſe. Expende illud *Sequaces*, quaſi maternam fouerint impudicitiam, vt maternam lucrarentur infamem gratiam. O quot filios filiaſque inuenias inſaniæ parentum occaſiones procudentes, opportunitatemque concinnantes! Ipſi ſunt veluti deteſtandi commercij proxenetæ, ipſi diſcordantes componunt, ipſi reſiliendi temperant cauſas, & eneruare ſæpè ſolicitauere querelas. Vt verum ſit filios, filiaſque impiis parentum conatibus auxiliari, & operas ſuas non illibenter afferre.

§. XI.

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones.

EO res deuenit, vt virtus exulet veluti edicto 46.
publico, condemnata, & improbitas floreat ab omnibus lubenter recepta. Olim homines ingenitum pudorem prorſus non exuerant, & erat iuſtitiæ pars, quam appetebant humana fragilitate, prudenti nequitiam auerſari ratione; at ſic in peius ruerunt omnia, vt vitia ſcenam deſiderent, & ſe felices non credant, ni reuera ſint infelices.
Sunt quidam, aiebat Seneca epiſtola 109. *quibus* Seneca.
morbi vitio mel amarum videatur. Adnecte: Sunt quibus morbi vitio fel videatur dulciſſimum, ratio denſis cupiditatum tenebris obcæcata adeò degenerauit, vt ſibi gratuletur prauitatis occaſiones nanciſci. Ecce Michæ mater; quæ ablatos ſibi mille & centum argenteos copioſis gemitibus indolebat; vbi filius reſtitutis argenteis perficiendæ occaſionem inſaniæ miniſtrat, largis benedictionibus remuneratum honorat: *Ecce ego habeo, & apud me ſunt. Cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino.* Et queis filium benedictionibus promoueret, ſi virtutum occaſionem præſtaret? Mater lætatur, & gaudet effingendi idoli fuiſſe occaſionem ſortitam, quam copioſo planctu ingemiſcebat ablatam. Ita Caietanus ad hunc lo- Caietan.
cum: *Ideò benedicit filio: quia adimpleturam ſe iam videt votum ſuum ad faciendum idola.* Iam arridet opportunitas delinquendi, iam ſuppetit materia errandi: ergo gratificatur filio, vt poſſet, ſi pietatem coleret, & alimenta parenti ſuppeditaret. Vt Iſaac filio benedixit famem ſolanti, & debitæ pietatis vectigalia ſoluenti; ſic Michæ mater benedicit, argenteos ad effingenda idola reſtituenti, & erroris materiam adminiſtranti. Ergo Michas obtinuit ob delicti occaſionem à matre, quod Iacob virtuti obſequens à parente: eò namque hæc mulier furore agitabatur, eo in idola ferebatur ardore, vt nihil illi iucundius, fortunatiuſve, quam idololatria defœdari, & inſanis cupiditatibus inſeruire. O nos miſeros, quibus virtus deſipit, & prauitas ſapit! Michas fauſtis iteratiſque benedictionibus muneratur, quia occaſione exhibita impietati matris obſequitur.

Hanc veritatem confirmat iterum Michas. 47.
Neſcio quos Danitas hoſpitio benignè exceperat, qui idoli ſui Sacerdoti perſuaſerunt, ne fortunam ſuam inter anguſtos adeò parietes conſtringeret; ſed cum illis maiora, melioraque ſortiturus contenderet: ille amplioribus illectus ſpebus annuit, & raptum ſecum idolum tulit: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola,* Iudic. 18. v. 18.
atque conflatile. Michas re comperta anxiis cœlum pulſabat gemitibus, querulis aures diuerberabat clamoribus. Ad quem illi: *Cur clamas? Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* O quàm ſe omnibus denudatum ingemuit, cùm idolis caruit! *Omnia, quæ habeo*: tunc quidem meliùs, cùm idolum amiſiſſet, habebat; verùm ipſe prorſus deluſus tunc ſe plangebat

gebat

gebat miſerum, idolo orbatus, & ab errandi occaſionibus fortunatè remotus: *In Hebræo habetur*, inquit Lyra: *Et quid mihi amplius. Quaſi diceret* Lyra. *illa, quæ tuliſtis, ita pretioſa erant mihi, vt parum, aut nihil à pretio reſiduum. Et ſic intelligenda eſt tranſlatio noſtra, quæ habet. Et omnia. quæ habeo: non enim abſtulerunt bona Michæ alia, cùm eſſet de filiis Iſraël, quos ſpoliare nolebant; ſed tantùm acceperunt illa, quæ erant ad cultum idolorum pertinentia.* Minùs doleret aliis denudatus, dummodò delinquendi occaſio non ſubterfugeret; at triſtibus ſe plangebat lamentis, quia priuabatur idolis. Quaſi pro magna infelicitate habeatur errandi opportunitate carere, & pro fauſtiſſima ſorte opportunitatem nanciſci.

48. Eſaü voluptuoſæ venationi deſcribitur deditus, magnates namque in delitiis habent vacare aucupiis, ſaltus circumdare, venationi inſiſtere, feras inſectari: *Factus eſt Eſaü vir gnarus venandi.* Geneſ. 25. v. 27. His in venationibus putat Gregor. vitia & cupiditates adumbrari: ipſum audi lib. 5. moral. cap. 8. Greg. *Quid enim per venationem, Eſaü, niſi eorum vita figuratur, qui in exterioribus voluptatibus fuſi carnem ſequuntur; qui etiam agricola deſcribitur: quia amatores huius ſæculi tantò magis exteriora colunt, quantò interiora ſua inculta derelinquunt.* En vitium venationis coloribus adumbratur: nam vt venator occaſionem nactus aues aucupio captandi, aut feras perſequendi lætatur & gaudet, & tunc ſe aduerſa fortunâ vſum deplorat, cùm venatio proſperè non ſucceſſit; ſic voluptuoſi, ni nacti fuerint occaſiones exercendis inſanis cupiditatibus opportunas, ſibi videntur infeliciſſimi. O quàm læti, quàm hilares ſibi gratulantur, dum artificioſo aucupio infelices, nócturnáſque libidini dicatas aues, aut imprudentes Veneris columbas venantur, & infelici felicitate aſſequuntur. Adde aliquod ſemper appetitui auctarium quæſiuiſſe, quaſi ſatis illis non fuerit præconcepta expleuiſſe delitia, & delita aſſecutos fuiſſe vota, niſi noua excogitarint luxuriæ augmenta & adiecerint artificia. Ecquis hoc ait? Certè Iobus, dum diei Iob 3. v.8. infeſtos teſtatur Leuiathan ſuſcitare paratos: *Maledicunt diei, qui parati ſunt ſuſcitare Leuiathan.* Cùm omnis, qui malè agit, lucem auerſetur, & in tenebris voluptates ſuas exigat, infauſtéque adimpleat diem, vt qui peccandi occaſiones auferat, maledictis, & execrationibus onerat. Ergo delitioſi, vt moram compenſarint, Leuiathan, id eſt; additamentum perquirunt, quo malitiam ſuam nouis incrementis cumularint, & cumulatius implerint. Ita Gregor. lib. 4. moral. cap. 13. Greg. *Leuiathan quippe interpretatus dicitur additamentum eorum: quorum ſcilicet niſi hominum? Rectè autem additamentum eorum dicitur: quia poſtquam primam culpam mala ſuggeſtione intulit, hanc quotidie augere grauioribus perſuaſionibus non deſiſtit.* Culparum exambiunt additamenta, vt tempus quo luce diei impediente culpis abſtinuerunt, de voluptatum additamentis compenſauerint, & de nouis deliramentis quodammodò reproduxerint: carnalium namque, & voluptati deditorum hominum vita, vt ipſi arbitrantur deluſi, tunc illis lucet iucundior, cùm peccandi opportunitatibus cumulatior: & quia aliquando externa ſe occaſio ſubtraxit, & cupiditatem diſtorſit, ad internam tunc prauitatem confugiunt, & quas non poſſunt delicias exequi actione, ſibi fabricant ad oblectamentum interna mente, & ne tanta voluptate priuentur, fœdas ipſa cogitatione delitias, ac ſi haberent præſentes, imaginantur.

Redeat iterum Iobus ſic de regibus & terræ 49. Conſulibus loquens: *Ædificant ſibi ſolitudines,* Iob 3. id eſt, qui vrgentibus occupationibus impediti, v.14. aut muneris obſtaculis retardati explere nequiuerant voluptatem, phantaſiæ penicillo depingunt, & mente non ſine culpa reuoluunt. Ita Greg. IV. moralium, cap. 28. *Alius iuri ſe luxuria ſubdit,* Greg. *atque ante mentis oculos ſchemata turpium perpetrationum fingit, & cùm effectus non tribuitur operis, hoc crebriùs agitur intentione cogitationis. Voluptatis perfectio quæritur, & concuſſus eneruiter animus hinc inde & ſolicitus, & cæcatus occaſionem nequiſſimæ expletionis rimatur.* Phantaſiis ſupplent, quòd operibus non exercent, & has noxias ſibi ſolitudines ædificant, cùm vrgentia, externáque negotia anhelum cæcè appetitum retardant.

---

§. XII.

Nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum quod fuiſſe conſtat ſacris altaribus conſecratum.

SVmma debet veneratione tractari, quòd ad 50. numinis cultum promouendum debet expédi in ſe cæleſtes iras armat cæca cupiditas, dum Deo dicata temerat, & ſacrilega ambitione profanat. Irridet Tertull. idololatrarum auſum; imò & delirium, quandoquidem quos diuinitate exiſtimabant ornatos, ſub haſtario venditabant, & aliis vſibus exponebant: *Sed nobis Dei ſunt, inquitis* Tertul. (Ethnicos alloquitur in apolog. cap. 13.) *Et quomodò vos è contrario impij, & ſacrilegi, & irreligioſi erga Deos veſtros deprehendimini, qui quos præſumitis eſſe, negligitis: quos timetis, deſtruitis, quos etiam vindicatis, illuditis.* Optima (inquit ironicè Tertul.) religio, quæ heri Iouem hodie transfundit in cacabum, & iam decoquendis eſculentis deſeruit olla, quæ nuper Minerua. Iuſtè & acriter carpſit, quandoquidem religiosè debuiſſent colere, quæ religioni non dubitauerant applicare. Mater Michæ, dum ad religionis argumentum deluſa conſtruere tentat idolum, mille & centum argenteos conſecrat, & dum conſecrat, à reliquis ſeparat: furatus eſt illud argentum filius, & ne alios in vſus expenderet, religioni conſecratos mater admonuit: & iam Michas ſummam reſtituit, veritus, ne ſi alios in vſus inſumpſerit, cœli indignationem ſubierit: *Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi & ſuper quibus me audiente iuraueras; ecce ego habeo, & apud me ſunt: cui illa reſpondit: Benedictus filius meus Domino. Reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecraui, & voui hoc argentum Domino.* Ex pecuniâ illa erat imago Numinis effingenda: quia, vt exiſtimat Caiet. mulier credebat Dei honori conſulere, ſi argentum conflauerit in idolum & iam ſacris vſibus applicatum paſſa non eſt cum reliquis argenteis manere permixtum: ergo filius reddidit, & religioni reſtituit: *Iſti arbitrabantur* Caiet. *obſequium ſe præſtare Deo vero venerando idola quædam nullius ſpecialis Dei nomine inſignita.* Adnectit: *Vnde & mater ſubiungit ſe ſanctificaſſe argentum hoc Domino.* Conſonat Hugo Cardinalis: *Michas filius eius inuenit illos* (argenteos) Hugo.

&

& accepit: cui dixit mater, quando ſciuit hoc: Fili, ego deuoueram Deo hoc argentum: & ideò non debes expendere illud in alios vſus. Et reddidit Michas matri ſuæ argentum ſuum. Verita mater, ne filius numinis iuſtiſſimam experiretur iram, ſi in alios vſus pecuniam expenderet iam ſacratam, deuouiſſe ſe admonuit, & religioſus filius expunxit cupiditatem, quam citóque reſtituit aris dicatum, nec putauit profanis vſibus expendendum. Profectò nos mater & filius docuerunt, quàm ſit abſtinendum ab omnibus Deo ſacratis, & ad eius cultum applicitis.

51. Vel cæciſſimus, & impiiſſimus Iudas, qui magiſtrum deteſtabili proditione vendiderat, nummos ex gazophylacio, vt teſtantur Patres, infeliciſſimum ad contractum extractos in profanos non putauit vſus vertendos; & ideò dum vitam laqueo finire decreuit, argentum templo reſtituit:
Matth. 27. v. 5. *Proiectis argenteis in templo receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpendit.* Argentei dominum profanum fugiebant, nec potuit eos retinere, qui ad execrandum contractum non recuſauerat peruenire. Chriſti Domini pretium humandis peregrinis deſeruit: quia Sacerdotes, etſi cupidiſſimi, in profanos vſus nummos illos inſumere non ſunt auſi: *Principes autem Sacerdotum acceptis argenteis dixerunt: Non licet eos mittere in Corbonam: quia pretium ſanguinis eſt.* Quàm omnes his nummis prægrauantur! Iudas templo reſtituit, Sacerdos ad proprios vſus applicare non audet. Adeſt
Drogo. Drogo Oſtienſis de Sacramento Dominicæ Paſſionis: *Vide quàm magni ponderabat eos: non proiecit eos in ſterquilinio; ſed in templo.* Auſus non eſt ſacram profanare pecuniam, qui auſus eſt ſe arbori, vt carnifici tradere, & vitam per ſummam deſperationem orco miſerabiliter deuouere: viſum eſt illi indignum, ſi pecunia à fidelibus gazophylacio dicata, indignis vſibus inueniretur expenſa:
Tertul. ergo ſe orco, & pecuniam reſtituit templo: *Domeſticos Deos*, addit datus ſuprà Tertullianus, *quos lares dicitis, domeſticâ poteſtate tractatis, pignerando, venditando, demutando aliquando in cacabum de Saturno, aliquando in trullam de Minerua: vt quiſque contritus, atque contuſus eſt, dum diu colitur, vt quiſque Dominus ſanctiorem expertus eſt domeſticâ neceſſitate.* Quaſi dicat Tertullianus: non ferretis impunè diuinitatem ſub quæſtoris annotatione addictam vendidiſſe, ſi quos colitis, dij eſſent; verùm vel ex hoc conſtat eſſe figmenta, cùm non intulerint vobis dura ſupplicia: in trullam deformare, aut in cacabum transfundere quos Deos veſtra eſt venerata conſcientia, ſolùm attentare potuit ſacrilega audacia. Addiderim extremam ſibi pœnam ſolicitare, qui Deo ſacrata profanare non timuit, & vſibus indignis dicauit.

52. Statuam ex auro fabricaturus, etſi quæ attulerat, vaſa in manum haberet, nullatenus alij auro commiſcere Nabucho tentauit: quæ ad Dei ſui cultum dicata non attigit; ſed materiam aliunde conſtruendæ ſtatuæ quæſiuit. Hic dum ſuperbiæ excedit faſtum, dum cum feris commutat ingenium, immiſſis cælitus flagellis punitur; radicitus tamen nullatenus extirpatur; at Balthaſar, dum ſacra vaſa impudicis compotationibus temerat; dum in libidinis victimarum obſequium audaci temeritate profanat, irreuocabilem audit ſententiam, & cum purpura amittit vitam!
Daniel. 5. v. 28. *Diuiſum eſt regnum tuum, & datum eſt Medis, & Perſis.* Characteres, quam ſententiam protulerat impietate fuit ſolicitatum tormentum, cùm aduerſus religionem exoculatum prompſit delirium: *Allata ſunt vaſa aurea & argentea, quæ aſportauerat de templo, quod fuerat in Ieruſalem, & biberunt in eis rex, & optimates eius, vxores, & concubinæ illius.* Quid tunc? *In eadem hora apparuerunt digiti.* Non iam minis ſententiam cœlum impediuit, non ſententia iacta ſupplicium ipſum intentatum præuertit; ſed cæleſtem iram in ſacrilegum effudit, & Deus, qui eius parentem, aut autum patienter tulerat, & ſupplicio ad ſaniorem mentem reuocarat; Balthaſarem illico exterminauit dicata ſacris cultibus vaſa profanantem, & in illata iam templo audentem. Adeſt Theodoretus orat. 5. Theodor.
Hæc quæ nefas erat attingere, & auctori omnium rerum Deo conſecrata, non tanquam indigenti; ſed tanquam eorum, qui dedicarent, gratum animum approbanti, impius rex in medium afferri iuſſit, & in ipſis bibebat, neque ſolùm ipſe; ſed etiam optimates illius, & pellices bibebant vinum. Vinum fuit pro atramento ad ſententiam exarandam, & pœnam meritiſſimam infligendam: vtque noueris quam ſit graue ſcelus dicata Deo alios ad vſus detorquere, infra meritum punitur, vel dum vitâ, coronâ, & purpurâ denudatur.

Saniori conſilio vſus eſt Thymaſithæus Lipari- 53.
tanorum Princeps: nam cùm vas ingentiſſimum aureum à Piratis ipſi delatum in populi vſum impertiri vellet, vt nouit Pythio Apollini à Romanis dicatum, prorſus abſtinuit, & Delphos reſtituendum ſtudioſè curauit. Ita Valerius Maximus
lib. 1. cap. 2. *Thymaſithæus Liparitanorum Prin-* Valer.
ceps conſilio ſibi, atque vniuerſæ patriæ vtili prouidit exemplo: excepta namque in freto à ciuibus ſuis piraticam exercentibus magni ponderis aurea cratera, incitatoque ad eam partiendam populo, vt comperit à Romanis Pythio Apollini decimarum nomine dicatam, eam Delphos perferendam curauit. Conſilio ſibi populoque perutili abſtinuit: alias forte graues ſacrilegij pœnas daturus, & temeratæ religionis in exemplum vindictæ cæteris proponendus. Ergo abſtine à vero Deo dicatis, quando vides falſis dicata numinibus ab illorum cultoribus religioſè coli, & omni veneratione tractari.

§. XIII.

Raró in alios vſus videas conuerſum, quod profanis conſtiterit dedicatum.

EO ſtudio, eo deſiderio homines addicuntur 44.
erroribus, vt ſe ſibi faciliùs denegauerint; quàm criminibus: ſi opus ſit pecunia ad talos, ad ludos, ad luxuriam, intemperantiamque, nil fraudabunt; ſi fames vrgeat, ſi familia depoſcat, ſi æquitas exigat, auariſſimè detinebunt: *Sepem &*
maceriam qui ſtruunt (inquit Plutarchus ad finem Plutarch.
libri Quemadmodum ſentias te in virtute proficere) *non laborant quamuis materiam vel vilem lapidem adiicere, vel pilam ſubiicere prolapſam ex monimentis, vt faciunt mali; qui omne opus, & rem temerè congerunt, & coaceruant.* Improbi vt ſepem malitiæ ſtruant nil ex his, quæ prodeſſe queunt, abiiciunt; ſed ſtudioſa auaritia, & auara cupiditate coaceruant. Vt è contra parui faciunt quidquid pietatem promouet, & virtuti deſeruit. Si ex vetuſtis maiorum monimentis quid collapſum

Digitized by Google

lapſum decidat, rarò hæredes reſtituent; ſed affectabunt inopiam, aut ignorantiam. Voluptati tamen nunquam deeſt aurum, quia ſolicitum procurabit exercendi criminis deſiderium. Nihil adeò ſeruatur intactum, vt quod exercendo crimini fuerit adſcriptum. Quod pietati, quod iuſtitiæ exhibendum, ſæpè ſæpiùs expenditur inutilibus; ſi quid verò ludo aut voluptati applicatum, aduerſus vrgentiſſimam neceſſitatem conſeruabitur illibatum, & integrum. Hanc probat veritatem Michas eiuſque mater: ſeparauerat illa à reliqua pecunia mille & centum argenteos, quos filius fur domeſticus ſubripuerat, verùm vbi ad mater idoli conſtructionem dicatos aſſeruit, nullis aliis vſibus expendendos efficaciter ſatis ſuaſit, filiuſque reddidit exprompte pecuniam, ne quid fraudaretur impiiſſimo deſiderio, aut conſtruendo deeſſet idolo: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas, qui dixit matri ſuæ: Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iuraueras, ecce ego habeo, & apud me ſunt .... reddidit ergo eos matri ſuæ, quæ dixerat ei: Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile.* Quàm tardè redderet pecuniam creditori ſoluendam! Quàm occuleret domeſticis vtilitatibus applicandam! at idolis elaborandis dicatam alacri celeritate reſtituit, nec in alios vſus conuertit. Innuit Hugo Cardinalis.

Hugo.

Notandum quòd mater iſtius Michæ, de quo agitur hic, mille centum argenteos deuouerat, vt inde Deum faceret, & poſuerat ſeorſum. Michas autem filius eius inuenit illos, & accepit. Cui dixit mater, quando ſciuit hoc: Fili ego deuoueram Deo hoc argentum, & ideò non debes expendere illud in alios vſus. Et reddidit Michas matri ſuæ argentum. Nec argenteus vnus à conſecrato idolis numerò defuit: defuiſſent fortè plures, ſi pendendi creditori, aut applicandi virtuti: eſt enim vitiorum ſtudioſis ſolemne nil eis ſubtrahere & nec quadrantem vſibus aliis expendere. Non ita accidit, in re virtutis, cùm ſæpiſſimè contrariis vſibus inueniatur expenſum, quod virtutibus conſtiterat applicatum.

55. Repetamus Samſonis hiſtoriam; vt ex ea eruamus doctrinam. Samſon, qui, vt inquit Hugo

Hugo.

Victorinus, *Sol eorum interpretatur*, capillis veluti luminoſis radiis ad ſuorum ſalutẽ natus non cuſtodiuit; ſed vt meretricis ſibi conciliauerit gratiam,

Iudic. 16. v. 19.

prodegit: *Dormire eum fecit ſuper genua, & in ſinu ſuo reclinare caput, vocauitque tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, cœpit abigere eum, & à ſe repellere.* Non dubitabat Samſon capillamentum religionis cauſa ſeruandum; quandoquidem ipſe aiebat: *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazareus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ*, & tamen non cauit diſpendium; imò ne dilectam contriſtaret, contempſit ſatis imprudenter periculum. Capillos Domino conſecratos Dalila abſtulit, cùm ipſa nec nummum ex idolo dicatis in alios vſus inſumpſerit. *Samſon*, inquit Hugo de Sancto Victore in

Hugo.

allegor. Tilmani, *quamdiu capillum capitis habuit inſuperabilis fuit; ſed poſtquam in ſinu mulieris obdormiuit, caput capillum perdidit, continuò ab hoſtibus capitur, & cæcatur, ſeruituti etiam addicitur: Samſon interpretatur Sol eorum capillus capitis radius eſt.* Itaque qui ſuorum Sol ortus eſt vel vnicum radium ad eorum vtilitatem non direxit; ſed omnes in obſequium appetitus conſumpſit: cùm Dalila, quæ Michæ mater à pluribus creditur, vnicum argenteum filio non dederit, quia iam conſecrarat idolo. Vides quàm facilè virtuti dicatum, profanis & deteſtandis vſibus commodetur, cùm ſtudioſè ſeruetur integrum quidquid profanis vſibus applicatum, & ſpurcis luxuriæ voluptatibus dedicatum. Profectò ne cupiditati quid deſit, ipſam naturam dirè videbis torqueri, & inediam vrgentiſſimam tolerari.

A patre ſeiunctus prodigus cœnoſo pecori addicitur, & affectibus ſpurciſſimis mancipatur: porcos paſcebat in monte, & cùm annoſæ quercus copioſis reditibus exundarent, ille famis ſtimulos patiebatur malens inediâ perire, quàm immundo pecori quidquam ſubtrahere: *Cupiebat*, inquit, *implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, & nemo illi dabat.* Si ipſe copioſas ſiliquas ex quercubus excutit, cur vrgentiſſimam non ſoletur famem? Porci ſaturi deſpiciunt, faſtidioſi deperdunt, & prodigus non accipiet ſibi, quod ſuperfluè impertitur gregi? O profundam nobis eruditionem! A ſe ipſo receſſerat ſui oblitus, & porcis prodigus: ſumma ſolicitudine ſiliquas colligebat, & ne vel vna in arbore remaneret, non ſine ingenti labore inſcendebat per diffuſos ramos proreptans: & hoc totum vt gregi cibus miniſtraretur copioſior, & menſa lautior. Iure exclamat Chryſologus ſerm. 1. *Mortalis eſt iſta vita: quia moritur virtutibus, qui vitiis viuit: ſepelitur fama, perit gloria, qui manet turpitudini, creſcit infamia.* Adnectit poſt pauca: *Quàm crudele miniſterium: quia neque conuiuit porcis, qui viuit porcis: miſer, qui porcorum deficit, & eſurit in ſaginam.* Vt vile pecus ſaginetur, fame prodigus diſcruciatur: & grandius ſibi putat emolumentum, ſi ſiliquas pecori miniſtrarit, quàm ſi comederit. *Porcorum eſurit in ſaginam.* Vt ſaginentur porci tabeſcit luridus, & ſordet famelicus. Adde impotentes hos affectus omne ſalutis ſtudium exterminare, omnem in futurum prouidentiam expungere, & huic ſolùm vacare errori permittere. 56.

Lucæ 15. v.16.

Chryſol.

Somnium vidit Pharao futurorum præſagium: Ioſeph luce cæleſti reluminatus expoſuit, & in futurum prouidendum ſapienter adiecit: *Prouideat rex virum ſapientem, & induſtrium, & præficiat cum terra Ægypti.* Rex de futuris admonitus conſilium eſt prouidenter amplexus: *Tu eris ſuper domum meam.* Tranſi ad regem alium, qui cùm ſe in famoſa & procera arbore adumbratum adſpexerit, non ſolum explicatum à Daniele accepit ſomnium; ſed & prouidum, vtileque conſilium: *Conſilium meum placeat tibi, & peccata tua eleemoſynis redime.* Cùm arbor foliis tunc pulcherrimis, ac viridantibus exundaret: *Folia eius pulcherrima*: cùm fructuum immodicis prouentibus ramos prægrauatos ad terram flecteret: *Fructus eius nimius*: cùm aduerſam, quæ minitabatur, fortunam conſilium prophetæ ſecutus eludere quiret: *Conſilium meum tibi placeat*: ſic obbrutuit, vt ſibi in futurum nullatenus prouiderit, imo ne quid volucribus eius in ramis inhabitantibus, & lætiori cibo vtentibus ad alendos inopes fuerit ſubtractum appetens elegerit ſubire periculum. Quòd ſi inquiras, cur alter prouida cautela ac ſagaci fructuum cuſtodia, malis impendentibus occurrerit, & ſterilitatem præuerterit; cùm alter nec folium in ſui vſum reſeruarit, nec pauperibus diſtribuerit, reſpondebo, Nabuchodonoſorem vixiſſe tunc impuris affectibus dedicatum, & tur- 57.

Geneſ. 41. v.33.

Daniel. 4. v.24.

pitudini

Digitized by Google

pitudini addictum. Ergo quantumvis fructuum, prouentuúmque copiâ exundârit, nec vel vnicum pomum pauperi habuit, nec ſibi prouidit: *Ex ea*, inquit, *veſcebatur omnis caro.* Vt omnis caro ex ea veſcatur, vinculis ipſe conſtringitur: *Fœnum vt bos comedit*: fœnum in brutum quodammodò transformauit, & ſibi defecit, ne deficeret exoculatæ libidini: *Quaſi vinculo ferreo*, inquit Tilman. in alleg. *in herba terræ mens deprauata illigatur, quando in carnalium voluptatum amore ex praua conſuetudine obduratur.* Itaque illigatus in herbis terræ, hoc eſt, voluptatem vinculis irretitus, nec in tanta fructuſ exundantia auſus eſt quid ſibi decerpere, vel pietati miniſtrare: dum carnales affectus fouet, adeò ſe totum impendit, vt ſui oblitus eſuriat, quin aliquid volucribus ſubtraxiſſe audeat: calamitatem appetere audit, nec prouidet: quia terræ huius affectionis caligines non ſolùm de mentis arce deturbauere prudentiam; ſed quodammodò ipſam demutauere naturam. Terræ herbis, hoc eſt, carnis cupiditatibus illigatus ſumptuoſæ arboris copioſum brutalitati paſtum, & ſaporatum miniſtrat cibum, ratus infelix ſufficere ſibi inſipidum, exiguúmque fœnum. Sic voluptuoſi cenſent, ſic, ne quid ſumptibus deteſtandis ſubtraxerint, ſe diſcruciant. Ergo Michas nec vnicum argenteum expendet; quia idolis ſummam fuiſſe dicatam agnouit.

Tilman.

58. Adde benè collocatum videri aliquibus, quidquid paraſitis, & hiſtrionibus vaniſſimum ad plauſum impertiuntur, cùm indigenti nec obolum dilargiantur: *Panem tuum, & vinum ſuper ſepulturam iuſti conſtitue*, admonebat filium Tobias, *& noli ex eo manducare, & bibere cum peccatoribus.* Superuacaneum videri poſſet conſilium, ſi quidem vinum paniſque pietati dicata profanis vſibus nullatenùs manebant obnoxia: ergo filium moneat pro defunctis offerre, quæ poſſet peccatoribus dilargiri. O ſenis prudentiam! vtrúmque iuſſit, videlicet cum peccatoribus non abſumere, quæ poterat ad defunctorum expiationem offerre, & etiam ex iam oblatis nil temerare, aut in profanos vſus conuertere: quia nouerat, inquit Gregor. III. Paſtoralis cap. 21. non ſemel pietati dicata ad profanos vſus detorta: vt etiam inutiliter expendi, quæ poſſent pietati dicari. Accipe Gregorium: *Panem ſuum & vinum peccatoribus præbet, qui iniquis ſubſidia pro eo quod iniqui ſunt, impendit: vnde & nonnulli huius mundi diuites, cùm fame crucientur Chriſti pauperes, effuſis largitatibus nutriunt hiſtriones.* Sæculi magnates ſæpiſſimè inueniuntur erga hiſtriones paraſitóſque generoſi; erga ſeruos indigóſque non ſolùm auari, ſed rigidi: quidquid benè collocatum, illis videtur amiſſum, & quidquid amiſſum, generoſitatis elogium. Ergo prudentiſſimus ſenex filium monuit pietati dicata ad alios vſus nullatenus conuertere, & cum peccatoribus expendenda ſacris altaribus applicare.

Tobiæ 4. v. 18.

Greg.

§. XIV.

Eccleſiaſtici non ſemel ſacros percipientes reditus, in profanos, aut ſuperbos expendunt ſumptus.

59. ÆQuitati eſt conſonum, vt de altari viuat, qui ſolùm viuit altari, reſtante Apoſtolo. *Qui in ſacrario operantur, quæ de ſacrario ſunt, edunt, & qui altari deſeruiunt, cum altari participant.* Non ait, de ſacrario profundunt, ſed edunt, quò ſacros doceat prouentus, non vanitati applicandos, ſed neceſſitati adſcribendos: accipiat Sacerdos, quo alat honeſtè vitam, non quo euanidam enutriat pompam: *Naturalis ratio hoc habet*, inquit ad hunc locum Anſelmus, *vt vnuſquiſque inde viuat, vbi laborat.* Laborem comitetur præmium, non otium: ſacer miniſter inſeruiat, vt accipiat, non accipiat, vt otietur inetter, aut reſplendeat vanè, quod erit deteriùs. Sacerdos pro populo debet offerre, non populum diſpoliare. Bernard. in ſuis declamat. in eos Sacerdotes ſtomachatur, qui Sacerdotium ſolùm adminiſtrant, vt comedant. Quid diceret de adminiſtrante, vt profusè, ac luxurioſè reditus Eccleſiæ expendat: *Eo quærit aut tenet animo, vt huius vitæ habeat neceſſaria: euangelizat, vt manducet, & peruerſo nimis ordine cæleſtibus terrena mercatur.* Aliquando non ſolùm Sacerdos cæleſtibus mercatur terrena; ſed & muneri contraria. Exemplo eſt Michas qui cùm à matre mille & centum argenteos accepiſſet, in ſibi elaborando idolo profusè expendit: *Voui hoc argentum Domino*, aiebat mater, *vt de manu mea ſuſcipiat filius meus.* Quid de acceptis argenteis fecerit filius, iam audi: *Ædiculam quoque in ea* (domo) *Deo ſeparauit, & fecit Ephod, & teraphim, id eſt veſtem ſacerdotalem, & idola.* Hugo Cardin. hiſtoriam moribus adaptans in Micha à matre nummos accipiente, & idolis conſecrante adumbrari putat Sacerdotem, qui reditus ab Eccleſiâ accipiens indignè profundit, & ad vitia ſectanda prodigit. Ipſum audi: *Michas de argento matris ſuæ fecit idola, hoc eſt ad litteram quod Clerici & Prælati de beneficiis Eccleſiæ faciunt ſibi ſimulachra, id eſt, picturas varias vel in libris ſuis vel in domibus laqueatis.* Quos decebat frugalitas, videas aliquando nitidiori ornatu, lautiori menſa, & profaniori vſos pompâ: à matre Eccleſia accipiunt numini conſecrata; ſed ſibi conflant idola, & Chriſti Domini ac fidelium ſanguine impudicas exornant genas, & menſas nutriunt profanas. Ad Sacerdotem Eccleſiaſtici prouentus, vt ad mare flumina confluunt, quo iterum fluant, & inde ſitientes hauriant, & hauriendo neceſſitati ſubueniant; verùm per occultos meatus; imò per indignos ſumptus inueniuntur expenſa, & inhoneſtè conſumpta, quæ pauperum neceſſitatibus forent applicanda, etſi dici liceat, ſunt & debita.

1. Cor. 9. v. 13.

Anſelm.

Cæleſtibus aliquando terrena emitur.

Hugo.

60. Dolenter querebatur Dominus apud Ezechiel. *Tuliſti vaſa decoris tui de auro meo, atque argento meo, quæ dedi tibi, & feciſti tibi imagines maſculinas, & fornicata es in eis, & ſumpſiſti veſtimenta tua multicoloria, & operuiſti illas.* Ecce de Eccleſiæ reditibus, de oblatis numini à populo facultatibus varia conſtruuntur figmenta, & conſtruentium creſcunt delitiæ: quod deuotè offertur, indeuotè ſatis inſumitur, & quod alendis pauperibus debebatur, ſumptibus profanis impenditur: non habet pauper quo ſoletur inopiam, vt habet luxus, quo incrementarit inſaniam. Adeſt Lyra: *Id eſt, illa, quæ debebantur mihi offerri, obtuliſti eis; oleum enim offerebatur in templo Domini ad continuandum lucernas, & thymiama ad cremandum ſuper altare incenſi, & non ſolum illa; quæ debebant mihi offerri; ſed etiam illa, vnde debebas nutriri, obtuliſti eis.* Sibi homines denegant, quæ profuſiùs vitiis effundant: deteſtabili aliquandò macerantur ieiunio, vt lautiori nutriant idolum epulo. Hinc Bernardus iam datus aiebat:

Ezech. 16. v. 17.

Lyra.

Digitized by Google

De altario non ſuperbiat non luxurietur, non ampla
Bernard. palatia fabricet, ne loculos congreget, nec in vani-
tate diſpergat, non extollat de facultatibus Eccleſiæ
conſanguineos ſuos, aut nepotes (ne filias dicam)
nuptui tradant. O miſerum! pauperum patrimo-
nia, Eccleſiæ facultates auara non ſemel ſurripiun-
tur manu, vt inſumantur prodigo luxu: conſan-
guineorum de Chriſti ſanguine rubeſcit cenſus,
propinquis copioſus reliquitur maioratus, & quod
debuiſſet miſericorditer impendi, conſtat auariſſi-
mè cognatis, ac affinibus delegari.

61. Fortaſſis hanc ob cauſam Aaronis ſacerdotium
repulit, & Melchiſedech nobis in exemplar pro-
Pſal. 109. v.4. poſuit oraculum: Iurauit Dominus, & non pœni-
tebit eum: tu es ſacerdos in æternum ſecundum or-
dinem Melchiſedech. Non ait ſecundum ordinem
Aaron; ſed ſecundum ordinem Melchiſedech,
quò Chriſti Domini miniſter ab omni ſe cogna-
tione arbitretur exemptum, nec reditus ac prouen-
tus Eccleſiaſticos cognatis delegauerit iure cogna-
tionis, ſed titulo paupertatis: Melchiſedech fuit
Sem Noëmi filius, qui pallium patri largitus, eſt
Geneſ. 9. v.21. vt operiret nudum, non vt ditaret cognatum: Nu-
datus eſt in tabernaculo ſuo... Operuerunt verenda
patris ſui. Aaron pretioſas veſtes filio reliquit:
Num.20. v.26. Cùm nudaueris patrem veſte ſua, indues eâ Elea-
zarum filium eius: ergo Chriſtus Dominus ſacer-
dotium ſuum Melchiſedech conformauit ſacerdo-
tio, vt ſuos erudiret miniſtros, doceretque ab om-
ni affectione carnali abſtinere, & ſolùm ſuis vir-
tutis titulo dilargiri. Secundum gloſſam, quæ habe-
Incognit. tur ad Hebræos 7. inquit Incognitus ad hunc ver-
ſum, tradunt Hebræi iſtum Melchiſedech fuiſſe
Sem filium Noë. Adnectit: Hic Abrahæ nepoti
ſuo obuiauit, quando reuertebatur de cæde quatuor
regum, de quibus dictum eſt in principio iſtius Pſal-
mi: & panem, & vinum Abrahæ obtulit in refe-
ctionem eius & ſuorum. Ecce Melchiſedech largi-
tur pallium nudo parenti: panem & vinum offert
ad refectionem defatigati nepotis: non obtulit co-
pioſum cenſum, non eſt dilargitus pretioſum ac
ſplendeſcentem ornatum: ergò Melchiſedechi
exemplar ſacerdotes ſuos voluit Chriſtus imitari,
quò nec ſuis deeſſent, nec quæ pauperum prodi-
gerent. Iam inſanis ædificiis, ſumptuoſioribus pa-
latiis, pretioſis ſupellectilibus Eccleſiæ prouentus
inſumere nil eſt aliud, quàm Chriſti Domini San-
guinem paruipendere, & Eccleſiaſticas dignitates
ſæcularibus ac laicis confundere.

62. Sobna templi præpoſitus ſumptuoſius ſepul-
chrum, magnificum ſibi conſtruxerat tabernacu-
lum, quod adeò oculos diuinos offendit, vt pri-
Iſai. 22. v.15. uarit templo, & duro condemnarit exilio. Audi
Iſaiam: Hæc dicit Dominus Deus exercituum:
Vade ingredere ad eum, qui habitat in tabernacu-
lo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum:
Quid tu hic? aut quaſi quis hic? Quia excidiſti
tibi hic ſepulchrum, excidiſti in excelſo memoria-
le diligenter in petra tabernaculum tibi. Ecce Do-
minus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus
gallinaceus, & quaſi amictum. Vt amictus ſine
dolore exuitur, ſic ſine vllo ſenſu numinis Sobna
ſeparatur: quod grandior exaggeratio delicti eſt:
numinis namque viſcera ea pietate pulſantur, vt
plus patiatur, ſi inferre cogatur durum tormen-
tum. Ergo Sobna eiicitur, ne prouentus Eccle-
ſiaſticus prodigatur. Sic prælati multi (verba ſunt
Hugo. Hugo Cardinalis ad Iudicum 17.) Eccleſias non
fœcundant, neque germine boni exempli, neque ſe-
mine prædicationis; ſed tantùm ſe ipſos voluptuosè
viuentes impinguant. Mitram Epiſcopi habent, ſed
non verba Epiſcopi; imò potiùs militis, vel comitis.

Adde inueniri aliquando Eccleſiaſticos, qui iam 63.
non ſolùm prouentus ſibi debitos in pompaticam
vanitatem conuertant; ſed indebitos etiam, vt
faſtui adulentur, violenter rapiant. Ecce filij Heli
ſibi indebita ſubripiebant, & hoſtiis aras frauda-
bant: Omne, quod leuabat fuſcinula, tollebat ſa-
cerdos ſibi. Pro iure erat robur, nec attendebatur 1. Reg. 2.
quid lex præciperet; ſed quid poſſet fuſcinula tol- v.14.
lere. Qui ſibi debita debuiſſet iterum in populi
beneficium effundere indebita ſibi rapiebat, &
contra fas applicabat. Quod ſic deplorat Bernar- Bernard.
dus ſerm.77. in Cant. Propter hoc non eſt hoc tem-
pore ornare ſponſam; ſed ſpoliare: non eſt cuſtodire;
ſed perdere. Eccleſiam non defendebant; ſed de-
pauperabant, & vt ipſi pompatiùs viuerent, aræ
ſordeſcebant victimis fraudatæ, & ornamentis
exutæ.

Hanc illatam à ſacerdotibus violentiam, ini- 64.
uriamque copioſis lachrymis ingemiſcebat Eccle-
ſia, dum cuſtodes intuebatur debitis ſibi orna-
mentis nitidos, & ſe prorſus diſpoliatam & nu-
dam: Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ci- Cant. 5. v.7.
uitatem, percuſſerunt me, & vulnerauerunt me,
tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.
Cuſtodes, inquit, qui circumeunt ciuitatem, id
eſt, qui debuiſſent à tumultibus recedere, & pu-
blicitatibus ſe ſubtrahere: foras curſitant, reperiris
calles excurſibus terunt, & otioſitati viuunt. Hi
ergo cuſtodes nomine, re fures, me ornamentis
expoliarunt, & veluti ſi ipſi eſſent ſponſi ſe abla-
tis eleganter excoluerunt: Tulerunt pallium meum.
Accipe datum ſupra Bernardum: Intuere quo-
modo incedunt nitidi & ornati circumamicti varie- Bernard.
tatibus tanquam ſponſa procedens de thalamo ſuo.
Nonne ſi quempiam talium repentè eminus proce-
dentem aſpexeris, ſponſam potiùs putabis, quàm
ſponſæ cuſtodem? Vnde verò hanc illis exuberare
exiſtimas rerum affluentiam, veſtium ſplendorem,
menſarum luxuriem, congeriem vaſorum argenteo-
rum, & aureorum, niſi de bonis ſponſæ? Inde eſt quòd
illa pauper & inops, & nuda relinquitur, facie
miſeranda, inculta, hiſpida, exanguis. O miſe-
rum! ô timendum!

§. XV.

Filij non ſemel à parentibus prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur.

PArentes, quos genuerunt, filios ad mores com- 65.
ponere, & efformare tenentur: nam vt tellus,
quantumvis ferax, ni diligenter excolatur, cruentis
horreſcit ſpinis, & horridis ſordeſcit rubetis; ita
pueritia, adoleſcentiaque inconditis ſordeſcet mo-
ribus, ni eruditione pro pædagogo informetur, &
virtutis ſapore condiatur: Naturæ dotem, aiebat
Plutarchus de inſtituend. lib. labefactat ſocordia, Plutarch. Prauitatem doctrina emendat.
prauitatem doctrina emendat. Adnectit: Solum bo-
num ferax eſt: ſed ſqualet neglectum, atque quo eſt
indole præſtantiore, eò magis per inertiam deſtitutum
cultura ſeneſcit: ſin quod horridius iuſto eſt, & aſpe-
rius, cultum tamen confeſtim præſtãtes edit fructus.
Ars naturam ad venuſtatem excolit; inertiâ vel pul-
chritudo ſordeſcit: itaque qui ediderunt naturam,
ad naturæ ornamenta tenentur, & ad concinnan-
dos filiorum mores ipſa naturæ lege coguntur. Sed
prob

Digitized by Google

proh dolor! ipſi parentes, qui futuri erant magiſtri virtutis, Doctores ſolent euadere prauitatis, & filios vindictæ ardore ad vindictam inſtigant, vt matres etiam ad libidinem filias prouocant: ibi inuenit ſoboles vitiorum proritamenta, vbi pro virtute audire debuit conſilia: iam filij filiæque à virtute deſciſcunt, non tam deſide parentum ſocordiâ, quàm vaferrimâ induſtriâ. *Quod reperiunt mancipium*, inquit Plutarch. iam datus, *ebrioſum, & guloſum, ad nullum accommodatum negotium, huic ſine reſpectu ſubiiciunt liberos.* Sic nonnulli parentes filiorum oblectantur erroribus, vt errorum illis quæſierint magiſtros, & ad vitia pædagogos. Probat hoc Michæ mater, quæ contenta non eſt idola ſibi effingere, figmentaque conſtruere; ſed filij auxiliares manus aſciuit, & ipſum impij deſiderij adiutorem fecit: *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile atque conflatile.* Quod pluribus contingit matribus, in hac hiſtoriâ eleganti penicillo textus expreſſit, & miris coloribus adumbrauit: de matrum manibus ſuſcipiunt ſæpè iuuenes nummos, quos Veneri ad ſordidas voluptates impendant, & quibus cæcas cupiditates, & pruriginem foueant; matres nō ſolùm idolis inſeruiunt ſed filiabus etiam inſeruire conſulunt, & innatâ prauitate corrumpunt. *Quaſi dicat* (verba ſunt Hugonis Cardin.) *Ego voui, vt darem tibi hoc argentum, vt tu faceres inde Deum, & nunc trado: verba ſunt matris ad filium.* En mater non ſine ſolicitudine argenteos comparat, quos filio tradat, vt filius idolum excolat, & perficiat. O deteſtandam matrem, quæ iuuenem pecuniâ contrà virtutem armauit, quæ ſeruire idolis conſuluit! Parentes videas filiis ſuis prauitatis eſſe magiſtros, matres filiarum inſtigatrices. Stimulos ad omnem impuritatem adiiciunt, fucos addunt, oculorum edocent pellaciam, capillos irruſant, vt ſordida iuuenum euadant aucupia, & caſtitatis fuerint ſcandala. Mater nummos acquirit, quos Michæ ad idola colenda tradat, & quibus induſtriè elaborata conducat.

Plutarch.

Hugo.

66. Saül à Dæmone poſſeſſus, & feraliter agitatus in Dauidem, quem præſentem agnouerat, haſtam contorquens, præmium curationis cædem obtulit: & quid aliud Dauid à palatiis Dæmonem abigens expectaret? Verùm cùm iacti per inuidiam teli fruſtraretur effectu filium in Dauidem armat, & improbis auxilietur conſiliis, orat: *Locutus eſt Saül ad Ionatham filium ſuum, & ad omnes ſeruos ſuos, vt occiderent Dauid.* Ecce qui filium ab impio homicidio debuiſſet retrahere, ad homicidium conſtat acuere; imò filium negat, & ſuſpicatur ſpurium, dum impiis conatibus experitur aduerſum; nec inſano adulatur odio; ni furenti filius opituletur inuidiæ, ſpurium infamabit. Vt filium inſtruxerit ad virtutem, ſe parentem non nouit, & patrem ſe iactat, vt prouocarit ad impietatem. O egregia patris ad filium eruditio! O laudabilis inſtitutio parentis! nempe proritare Ionatham, vt gladium innoxio macularit cruore, & à ritè inito fraudulenter diſceſſerit fœdere. Conſulebat Saül necem ambitoni commodam, legibus quantumvis aduerſam: & quidem, ſi Ionathas alius eſſet, inde ſugeret doloſitatis venenum, vnde haurire debuiſſet ad mores inſtruendos conſilium. Adeſt Ioſeph. apud gloſſam: *Cogitauit eum crudeli calamitate perimere, eiúſque mortem Jonathæ filio, & reliquis familiaribus delegauit.* Contenta non eſt malitia per ſe ipſam captioſos Dauidi laqueos

1. Reg. 19. v. 1.

Ioſephus.

obtendere, niſi filium peſſimis inſtigationibus prouocatum in Dauidem aggrediatur etiam arma.

Eccleſiaſticus parentes alloquens ſic aiebat: *Equus indomitus euadit durus, filius remiſſus euadit præceps: lacta filium tuum, & pauentem te faciet: lude cum illo, & contriſtabit te. Non corrideas illi, ne doleas, & in nouiſſimo obſtupeſcent dentes tui: non des illi poteſtatem in iuuentute, & ne deſpicias cogitatus illius.* Nouerat Eccleſiaſticus nonnullos patres delinquendi poteſtatem facere filiis, cum illis ludere; imò ludendi periculoſam ſcientiam eos edocere: ergo quibus eiuſcemodi parentes premantur, calamitates, vt deterruerit, prædicit. Adeſt Ianſen. ad hunc locum: *Ironicè ponuntur hi imperatiui, lacta, & lude, vt ſignificetur hoc non eſſe faciendum.* Adnectit poſt aliqua: *Si luſeris cum illo, & ex illo voluptatem tuam captaueris, cùm eſſet cum eo ſeriò & grauiter agendum; ipſe pro captata lætitiâ contriſtabit te.* Iure anxiós dolores demetunt ſæpiſſimè patres, quia filios vitiis lactant, & moribus inconditis informant. O quot parentes, ô quot matres, ne cōtriſtauerint filios, inſanis eorum appetitionibus indulgenter obſequuntur, & quibus deſiderata valeant aſſequi, architectantur. 67. Eccl. 30. v. 8.

Ianſen.

Lex prohibet bouem, ouem, caprámve, dum ſub matrum vberibus nutricatur, Domino offerri: tranſactis verò iam ſeptem diebus non prohibet immolari: *Bos, ouis, & capra cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ; die autem octauo & deinceps offerri poterunt Domino.* Cùm teſtante Paulo, non ſit præcipuè Domino de bobus cura; ſed ſub his emblematibus mores noſtros inſtruxerit, aut reprehenderit, quærunt interpretes, cur dum animalia iſta ex maternis vberibus pendent, nequeant offerri, & iam auulſa poſſint Domino conſecrari? Radulph. in allegor. Tilmani exiſtimat à conſpectu Domini repelli, quia à maternis vberibus ad carnis voluptatem, & delicias noxias indubium eſt nutricari: *Quia quamdiu vitam iſtam, quæ ſeptem diebus agitur, ſolam diligimus ſolis paſcimur vberibus carnis, præter cuius voluptates nihil appetimus; ſed toto hoc tempore Domino offerri non poſſumus: reſpuit enim ipſe huiuſmodi oblationem teſtante Apoſtolo: Quia qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt.* Ecce, ni à materno auellantur conſortio, apta non ſunt ſacrificio: quia parentes ad delicias formant, & ad voluptates ſolummodò lactant & quidem nonnulli parentes ſolùm videntur genuiſſe filios, vt inſtruxerint ad ſuperbiæ faſtum, ad ambitionis delirium ad libidinis commercium: quaſi pudeat filios habere his vitiis non infectos, & erroribus imbutos. 68.

Leuit. 22. v. 27.

Radulph.

Huius veritatis teſtis eſt ipſe Michas: nam quos à matre ſuxerat, filio mores delegauit: iam ſculptile conflatiléque expolitum, & exornatum micabat, cùm filium præcipuè ſibi dilectum in delitij conſortium aſſumpſit, & deteſtandi piaculi miniſtrum effecit: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Manus impleſſe idem eſt ac filij manus oleo & ſanguine obliniſſe, & infandis ritibus conſecraſſe: vt videas quale erga filium fuerit patris officium, & quale filius à patre didicerit miniſterium. *Eſt ſenſus*, inquit Caietanus ad hunc locum: *Perfecit munus perfectionē requiſita ad munus ſacerdotale, quod eſt vngere manus mixturâ ex oleo, & ſanguine, vt in vnctione legalium Sacerdotum apparet.* Vitio conſecrabat filium eo ſtudio, quo conſecrare poſſet Sacerdotio: ipſe pater implebat manus, ipſe deteſtandis ritibus applicabat: vt noueris quàm ſit 69.

Iudic. 17. v. 5.

Caiet.

Y 2 certum

Digitized by Google

certum filios à parentibus vitia non ſemel edoceri, & parentes illos voluptatibus applicare.

70. Ochozias per cancellos cœnaculi ſui ruens contraxit infirmitatem periculi percuſſus metu Beelzebub conſultum mittit; ſed dum impiè exambit remedium, incrementaſſe noſcitur damnum: *Miſit nuntio dicens ad eos: Ite conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac?* Mors appetit, & adhuc idololatra idolis ſeruit: quid ſibi faciendum, conſultutus nuntios delegauit. Lyra exiſtimat à matre Iezabel filium præmonitum, & ad idola conſulenda ſuaſum: ipſum audi: *Miſit de conſilio matris ſuæ Iezabel.* Quæ debuiſſet conſulere Idola deteſtari, conſuluit coli: auxiliata eſt prauitati mater, quæ retrahere ab idololatria deberet: vt nouerimus plures matres filiis blandientes non ſolùm à vitiis non retardare; ſed impudentiſſimè acuere.

4. Reg. 1. v. 2.

Lyra.

§. XVI.

Obſequium Deo exhibendum non eſt ante executionem imprudenter publicandum.

71. OFficium corrumpit, qui decreuit exhibere, & ab ipſo decreto immaturum ſibi plauſum ambiuit: ardent nonnulli vanitatis febribus, & vti infirmi frigidis vndis delibatis æſtuantia refrigerant labra; ſic iſti immatura futuræ virtutis denuntiatione euanidæ glorioſæ adulantur ardenti ſiti: *Primum eſt*, aiebat Seneca lib. 2. de benef. cap. 1. beneficentiam edocens, *antecedere deſiderium cuiuſque, proximum ſequi.* Edocuit Philoſophus adeò celeriter beneficia conferenda, vt accipientis anteceſſerint vota, aut ſaltem è veſtigio ſequantur deſideria: verùm ſic ad noſtram theſim eius verba adapta, ſciebat, vt inter deſiderium faciendi & factum nil mediet, ne, ſi decretum immatura euulgarit vanitas, abortiuum prodeat beneficium. Nihil conſtituit medium inter decretum & factum: beneficium námque deuenuſtat prolixa mora, vt etiam corrumpit iactantia. Moleſtum eſt accipienti ſæpiùs audire beneficium dilargiendum, & nunquam factum: beneficium, dum effugit notitiam, incrementat beneficentiam: deſiderium ſequatur factum, nec denuntiatio intercedat, ni cauſa rationabilis vrgeat: eſt enim gratius, ſi ſpes ad beneficium, obſequiúmve non perueniat defatigata, aut iam repetitis promiſſis, & prænuntiis accipiendi faſtidioſa. Decreuerat Michæ mater Dei imaginem effingere, & nummos in eius cultum expendere, quin decretum, cui ex domeſticis aperuiſſet: tunc ſolùm propoſitum ſuum prodidit, cùm ad nummos recuperandos conduxit, & niſi argentei callida ſubtilitate prærepti anteà imaginem viderent affabrè efficdam quàm præſumerent effingendam: oculos, non aures informaret notitia, ne ſi vana præceſſiſſet notitia, dedecoraretur obſequij gratia. *Dixit matri ſuæ* (Michas) *Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras tibi, & ſuper quibus me audiente iurauerat, ecce ego habeo, & apud me ſunt.* Cui tunc mater: *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino.* Cautè adeò proceſſit mater, vt nec filius odoratus fuerit obſequium exhibendum numini; imò arbitraretur matrem repoſuiſſe argenteos ſibi, cum illa Domino conſecraſſet, & ad votum explendum ab

Seneca.

Beneficium antecedat accipientis deſiderium.

oculis abſcondiſſet: quod decreuerat, occultauit, & quod occuluit, perfecit: non vt alij, qui immaturè gloriantur, ſi quid in virtutis fieri decreuerunt obſequium, & dum glorioſè iactant futurum obſequium, iam deuenuſtant officium: ni filius ſubripuiſſet nummos, maret anteà expleuiſſet decretum quàm quiuè domeſticis eius venaretur animum: malebat prudẽs fœmina ipſâ executione rem prodi non anteà ob euanidum, & perículoſum plauſum deprædicari, vt quæ nouerat obſequia celanda, rectéque exequenda. *Notandum*, inquit Hugo Card. hîc, *quòd mater iſtius Michæ, de quo agitur hîc mille centum argenteos deuouerat, vt inde Deum faceret: & poſuerat ſeorſum: Michas autem filius eius inuenit illos & accepit. Cui dixit mater, quando ſciuit hoc: Fili, ego deuoueram Deo hoc argentum.* Ignorabat filius conſecratum, & ni abſtuliſſet, ei mater propoſitum nullatenùs indicaſſet: vt redderet, protulit conſecratum; aliter prudenti cautóque ſilentio & tegeret, & perficeret, edocens opera in Dei cultum facienda, nullatenùs ad plauſum euanidum denuntianda. Hugo.

Hanc Dominus philoſophiam ſuis nos factis edocuit: Cùm Saülis regnum iam ad occaſum vergeret, Dauidem ſufficiendum ſtatuit, & aſcito magno Samuële non clarè dixit: Vngatur mihi Dauid; ſed arcanè texit, & communi filiorum Iſaï vocabulo inuoluit: *Veni, vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem: prouidi enim in filiis eius mihi regem.* Beneficium Dauidi conferendum decreuerat; maluit tamen iam collati beneficij vocibus publicari decretum, quàm denuntiatione præproperâ: denigrari beneficium: ipſa liberalitatis notitia ante beneficium non erat ad beneficium neceſſaria: ergo Dominus, quo ſuis nos factis inſtrueret, perſonam anteà non prædixit, quàm ſacro fluente oleo beneficium impertiit. Notauit Baſil Seleuc. ſatis appoſitè orat. 14. *O ſapientiam immortalem! O arcanam miraculi editionem! & filium tegit: non clarè dixit: Vngatur mihi rex Dauid; ſed, prouidi in filiis Iſai.* Adnectit: *Ibi ô propheta, expecta vnctionem gratiæ, ne extemporalis regis proclamatio, dignitatis euadat imminutio, neve gloriam adulteret regnantis notitia.* Vnctionis iam peractæ lingua commendabat beneficium, & adulteraſſet gratiã, ſæpè ſæpiùs inculcari, & auribus efficiendum ingeri: ne notitia imminueret liberalitatis gloriã, aut beneficij adulterauerit gratiam, nomen texit, & tempore opportuno indicauit. Plures inuenies qui à ſe faciendo tum notitiam ſeminent, vt anteà demeſſuerint plauſum, & vanitatis fecerint quæſtum. 72.

1. Reg. 16. v. 1.

Seleucienſ.

Sponſa dilectiſſimi ſibi Sponſi prærogatiuas dignis laudibus proſecuta aiebat: *Oleum effuſum nomen tuum: ideò adoleſcentulæ dilexerunt te. Trahe me: poſt te curremus in odorem vnguentorum tuorum.* Quàm ſapit Sponſa creaturam! Quàm ſponſi nomen ipſum indicat conditorem! Sponſa nondum currit, & de futuro curſu ſibi quodammodò plaudit: Sponſi nomen priùs perfecta effuſione ſentitur quàm fundendum ſperaretur. Non ait: Oleum effundendum nomen tuum; ſed effuſum, nec de ſe ſociiſque, currimus; ſed curremus: longum intercedit tempus inter creaturarum opera, & deſideria: Deus iam beneficiis tenetur, & dilargitis donis ſentitur. Opportunè Bernard. ſerm. 18. in Cantic. *Has Spiritus Sancti operationes, quas vel in nobis, vel in aliis experimur, vt ex re nomina accipiant, infuſionem ſi placet, atque effuſionem nominemus.* Non priùs de nomine rem conijcimus; ſed de ipſa re iam perfecta opportunum nomen excogitamus. 73.

Cantic 1. v. 1.

Bernard.

Sponſus,

Digitized by Google

Sponſus, antequam ſuſpiraſſet, imò conieciſſet ſacra olei effuſione, ſuperniſque chariſmatibus perfuderat animam, vt poſſeſſum iam beneficium ſentiret, antequam futuri ſpes, aut notitia anhelaret: at ſponſa adeò cæleſtis operationis nondum perita curſum ante curſum publicat: quia etſi euanidi prorſus non cupida, humani tamen ingenij fragilitate non diſpoliata.

74. Ritè peragendi ſacrificij formam præſcribens oraculum iubet adipem vitalia coopertientem, duoſque renunculos adipe contectos offerri: *Offerent de hoſtia pacificorum in oblationem Domino adipem, qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis eſt intrinſecus, duos renes cum adipe, quo teguntur ilia, & reticulum iecoris cum renunculis, adolebuntque ea ſuper altare in holocauſtum lignis igne ſuppoſito in oblationem ſuauiſſimi odoris Domino.* Dum ilia adipe contecta offeruntur, ſuauiſſimum odorem halant: quia priùs odore ſentiuntur oblata, quàm oculis obiiciantur expoſita. O quàm ſuave Domino olet, quod ad eius altare peruenit oculis humanis occultum, nullaque immaturâ notitiâ defloratum! Offerunt aliqui ſacris altaribus dona; ſed poſtquàm vaniſſimè offerenda vulgarunt, & dum exambiunt allaudati deuoti, religioſi deprædicari, adulterarunt obſequium, & vanitate deflorarunt ſacrificium: nec enim virgineum infertur aris, quod iam conſtupratum peruenit oculis. Nullus ignorat ilia offerti, dum offeruntur; ſed quia odore informatur peracti iam ſacrificij, non viſu efficiendi: vt ad Dominum perueneriṫ integrum, ſacrificium offertur adipe tectum, & ab oculis remotum. Innuit Radulphus in allegor. Tilmani: *Adeps hoſtiæ deuotionem inſinuat offerentis; hunc Domino incendit, quiſquis in ſanctis executione propoſiti diuinam gratiam ardenter expetit: qui Dei, non ſuam in ſuo opere gloriam quærit.* Adnectit moraliſſimè: *Qui verò manus Dei ſibi applicat, qui ſe, non muneris largitorem laudari affectat, adipe ſuo veſcitur: quia deuotionis ſuæ laudibus ſaginatur.* Offert munus, ſi non directè ad lucrandum plauſum, ab omni tamen plauſu non contectum, quiſquis anteà publicat, nec prudentiæ adipe celat; at qui ſuauiſſimo odore Deum diſcupit recreare, renunculos, iliaque infert ab omni notitia contecta, & vtili ignoratione decora. Vel ſiniſtræ notitiam denegari iam edocuit Dominus, cùm operatur virtutis opera dextera: eſt namque adeò ſubtilis in nocendo vanitas, adeò vana humana fragilitas, vt dum gloriatur de à ſe laudabiliter effecti notitia, iam gloriolâ opus defloratit internâ.

Leuit. 3. v. 3.

Radulph.

§. XVII.

Sunt qui promittant non animo dandi; ſed deſiderio accipiendi.

75. VT ſubæratur moneta; ſic adulterantur promiſſa, ex falſo, ſcalptoque nummo aliquid acquirere non eſt emere; ſed fallere: non eſt contractus; ſed dolus: ergo fidei & promiſſionis inuiolanda moneta corrumpitur ad merum dolum, & apparentem contractum: ſunt qui promittant accipiendi animo, non adimplendi promiſſa ſtudio; imò ſi deſiderata aſſequantur, promiſſa prorſus obliuiſcuntur. Sapienter monebat Epicharmus: *Sobrius ſis, & memor eſto nulli credere, ſeu confidere.* Non tot lamentarentur deluſi, ni fuiſſent leuiter creduli: putant fidem ſibi datam incorruptè liberandam, & dolent ſera pœnitentia ſpem omnino deluſam: ſunt qui magnificis promiſſionibus ſpes faciant & animos, vt quid aſſequantur, hamo cupiditatis ineſcatos alliciant; verùm vbi ſucceſſit deſiderium, & promiſſiones fecere naufragium. En Michæ mater, vt mille & centum argenteos, quos abſtulerat filius redderet, iterum illi tradendos ſpopondit: *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino, vt de manu mea ſuſcipiat filius meus, & faciat ſculptile, atque conflatile.* Aſt vbi Michas promiſſionibus fidens argentum reddidit accito quàm celeriter nummos argentario expendit: *Reddidit igitur eos matri ſuæ, quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile atque conflatile.* Non tradidit iterum, vt promiſerat filio, quia promittens non intendebat reddere, ſed accipere. Notauit Arias Montanus: *Non illa argentum filio concidere voluit*, inquit in commentario huius capitis; *ſed rationem ſiue veram, ſiue confictam reperit; quâ religionem prætexens ſublatos furto nummos reciperet.* Eò tendebat promiſſio, vt reciperet, non vt daret: eſt enim plurimis ſolemne magnificis promiſſionibus fallere, & iniquos contractus ſpebus ſumptuoſis inire: forſitan Michas non exhibuiſſet matri nummos, ni ſperaſſet ſibi iterum dilargiendos; verùm cauta mulier, dum ineſcat promiſſis, nititur diſpoliare poſſeſſis.

Epicharm.

Montan.

Veternoſus dæmon, qui olim ſerpentis facie perſonatus ad hominem fraudulenter acceſſit, vt melius falleret, hominis formam induit, & quanta ſibi eſſent, fallax oſtendit, Chriſtoque, ſi illum adorarit, promiſit: *Oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Ad contractum ambitioſiſſimum inſtar ſubæratæ monetæ vtebatur promiſſione; animus tamen non erat exhibere; ſed fallere. Audi Chryſologum ſerm. 3. *Hæc dicit, non qui poſſit dare; ſed fallere: nec promiſſa conferre; ſed ipſa auferre promiſſionibus, quæ habentur.* Vt præſentia auferat, futuris ineſcat, ſpes nititur alere, ſatagit cupiditatem accendere, offert nunquam danda, quò abſtulerit faciliùs poſſeſſa: promiſſio erat ad venandum aucupium, vt dum cupiditas cæcutit auidiùs inflammata, ſerò oculos aperiat illuſa. Chriſtus Dominus procaciam ſuſtinuit, vt in ipſo veluti in cryſtallino ſpeculo intueamur quid mundus promiſſis quærat, & quàm fallere diſcupiat. Et quidem, etſi frequenter homines promiſſis incautos capiant, tunc præcipuè, cùm voluptatis negotia curant. Vnde Plato lib. 15. de Amore, Deos aiebat amatoriis periuriis facilè veniam concedere: quia nouerant amaſios non tam iuramenta emittere, quàm verba dare. *Amatoriis periuriis dij dant veniam: Venereum quippe iuſiurandum nihil valere aiunt.* Vt hominis ſimulacrum externam refert formam; ſed internam non habet animam: ſic plura iuramenta ad pulchellas alliciendas emiſſa carent animo, illudũt ſono. Se tradunt ſæpè fœminæ matrimonij ſpe illectæ; verùm qui illarum pudicitiam corruperunt, iam non ſolùm videntur iuramenti obliti; ſed prorſus ignari: negabunt ſe eiuſmodi fœminam aliquando vidiſſe, & luget irriſa, quæ pudoris iacturam fecit imprudenter credula. Iam ſi vis in his rebus certâ regula gubernari, dum audis promiſſum, euenturum crede contrarium. Hanc regulam nobis tradidit maternos mores imitatus ipſe in hoc capite Michas.

76.

Matth. 4. v. 7.

Chryſol.

Plato.

Digitized by Google

77. Deſiderabat peregrinum Leuitam in conflicti idoli Sacerdotem habere, vtque faciliùs illum attraheret, ſe veluti parentem officioſè ſemper culturum ſpopondit: *Mane apud me, & eſto mihi parens, ac Sacerdos.* Reuerentiam filialem promittit, ſeque vti filium fore Sacerdoti ſemper ſubiectum: acquieuit Leuites, & iam qui futurus erat pater, in filiorum cenſu ponitur, & habetur: *Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis.* En promiſſio prorſus inuerſa. Michas futurus filius iam munus gerit parentis, & qui colendus erat vt parens, in filiorum cenſu habetur, & quidem mirum fuit inter ſeruos non annumerari; ſed inter filios adſcribi: parentibus reuerentia debetur, à filiis exigitur: ergo Michas vt deſiderata aſſequeretur, ſe filium teſtabatur: *Eſto mihi parens*; aſt deſiderata aſſecutus non exhibuit ſtudioſè officium; ſed à Leuita ſibi præſtari voluit obſequium: *Fuit Leuita, qui erat puer*, inquit Abulenſis quæſt. 20. *vel adoleſcens, quaſi vnus de filiis Micha.* In patrem habendum teſtatus fuerat; ſed in filium habuit, & qui ſibi perſuaſerat vt i parentem colendum filij ad inſtar coactus eſt ad obſequium promiſſori præſtandum. Quod in plurimum adeò verum eſt, vt ſi poſt votorum aſſecutionem quis promiſſis ſteterit, cenſeatur non ſolum humana; ſed naturâ conſtare diuina.

Iudic. 17. v. 17.

Abulenſ.

78. Dei regnum quærenti neceſſaria corpori adiicienda, & ſubminiſtranda Chriſtus promiſerat: *Quærite primum regnum Dei, & iuſtitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis*: paruit amicus iuſſis, cùmque ad illum hoſpes inopinè diuertiſſet, nec quod opponeret menſæ, haberet, ad amicum ſe contulit, & panes ſibi commodari opportunâ importunitate rogauit: *Amice commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Chryſologus putat non tam liberalitatem imploraſſe, quàm promiſſorum fidem conueniſſe. Quid tunc: Amicus, etſi tantiſper ad conſtantiam explorandam diſtulerit, menſæ neceſſarium exhibuit: *Dabit illi quotquot habuit neceſſarios.* Interpretes Deum amici panes dilargientis ænigmate exprimi conteſtantur: audi Theophylactum in catena Diui Thomæ: *Amicus iſte Deus eſt.* Ita etiam datus Chryſol. ſerm. 39. qui amicum egentem ad amicum vti ad diuinum æſtimat accurriſſe: ipſum audi: *Æſtimo hoc dixiſſe pulſantem, aut fortè taliter conueniſſe: Feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti; tibi credidi dicenti: Nolite ſoliciti eſſe in craſtinum: vnde heſterno hoſpiti, quod apponerem, non reliqui.* Deum credebat, qui egeſtatis tempore amicum ſibi fore ſperabat: amici namque humani non tam perſonam diligunt, quàm fortunam. Deum credidit, qui cùm paruiſſet, fidem non violaturum putauit. Dum ſic amicum conuenit: *Feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti*, non ſolùm exiſtimat humanum; ſed confitetur diuinum: aliter namque longa experientia edoctus nec fidem conueniret, nec promiſſionem allegaret, quandoquidem nil vſitarius homini, quam dum aliquid exambit, ſpes fouere, magnificis promiſſis allicere; re tamen iam perfectâ è memoria promiſſionem expungere, & fidem omnino fallere. Repetat ergo Theophylactus: *Amicus iſte Deus eſt*, quando conſtat promiſſis ſteriſſe, & fidem ſuam cumulatiſſimè liberaſſe. Ergo cùm vnicus tantùm ſit Deus, fidem plurimis ne præſtiteris: quia ſi ſemel ſtudioſè exambita aſſequantur, promiſſionis affectatè obliuiſcentur.

Matth. 6. v. 31.

Lucæ 11.

Theophyl.

Chryſol.

§. XVIII.

Nonnulli, ne reſilire valeant à vitiis, adaggeratis ſe abſtringunt impedimentis.

Adeò humana mens decipit, ea vitiorum ebrietate noſter animus inardeſcit, vt ad perſonata gaudia, fucata bona hiemus, cum meriſſima eſſe non ignoremus venena. Benè nobiſcum actum eſſet, ſi exoculati in errores impingeremus: altiùs nobis inſedit malum: non ſolùm nos tenet error; ſed quod peius eſt, & errandi amor. Nos vitia adeò delectant, vt omnem eis fugiendi aditum præcludamus, & æternare quodammodò ſuſpiremus: *Eſt & hæc peruerſitas hominum*, aiebat Tertull. aduersùs Gnoſticos cap. 5. *ſalutaria excutere, exitioſa ſuſcipere.* Addit ad capitis finem. *Grauatur pati nunc homo ex remedio, quod non eſt tunc grauatus tunc pati ex vitio, diſplicuit occidi in perditionem: nauſeabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.* Itaque venenum ſtudioſè procuratur, & antidotum faſtidioſè reiicitur. Ea adfectione nobis inuiſceramus, vitia aut nos vitiis intexinus, vt errare amemus, & non errare fugiamus. Audi Senecam lib. 2. de irâ cap. 9. *Inter cætera mortalitatis incommoda & hæc eſt caligo mentium: nec tantùm neceſſitas errandi; ſed errorum amor.* Itaque vt cæcutientibus, & oculorum lippitudine laborantibus homines apparent arbores, & arbores aliquando videntur homines; ſic vitio deditis nil ita vt inſeruire voluptati, videtur iucundum, nilque, vt vitiis non infici amarum. Hinc videbis eâ ſolertia, qua poſſent erroribus aditum præcludere, virtutibus obſerare, eóque ſtudio errandi tempus ſibi producere, quo virtutibus debuiſſent protrahere: Ecce Michæ mater argentum idolo non ſolùm conſecrat; ſed & deuouet vetita quodammodò, ne ab impietate reſiliat, ni emiſſum votum conſtrictam teneat: *Conſecraui, & voui hoc argentum Domino.* Cui Domino? Dæmoni certè, quem numinis loco mulier colebat: eo ergo vitiis inſeruiendi agebatur pruritu, vt contenta non fuerit in idoli obſequium pecuniam expendendam proponere; ſed Sacramento ſe, ne à propoſito reſilire poſſit, ligare. Ita Abulenſis q. 8. *Conſecrare eſt aliquid Deo dedicare, ſeparando ab humanis vſibus: vouere eſt obligare ſe ad firmiter faciendum id quod propoſuit: accipitur autem hìc Deus pro Dæmone.* Eam ſic errorum tenebat amor, ſic ergà idolum cæcus inardeſcebat affectus, vt ne diſpendio miteſceret refrænatus, voto ſe firmarit obſtrictus. 79.

Tertul.

Seneca.

Errandi nos tenet amor.

Abulenſ.

Ioannes vt vidit Herodem vitiorum vernulam affectionis indignæ vile mancipium, vocem iecit temperantiæ fulgore coruſcantem: *Dicebat Ioannes Herodi: Non licet tibi habere vxorem fratris tui.* Videbat viuentis fratris vxorem ſuam feciſſe, in auxiliúmque intemperantiæ regni abuti poteſtate, & cum auſu conſueto nefarium animi propoſitum conglutinare, & pharmacum apponere cupiens ſemel & iterum repetebat: *Non licet tibi*: verùm cùm ſcelus non ab ignoratione; ſed à turpitudine prognatum ſerperet, & prorſus pharmacum abhorreret, ad inſidias ventum eſt, teſtante Euangeliſta: *Herodias inſidiabatur illi, & volebat occidere eum.* Et cur occidere exambiat? Sanè, vt omnem reſiliendi occaſionem præciderit, 80.

Marci 6. v. 19.

derit, nec ſimilis Herodi defuit voluntas, etſi triſtitiam ſimularet, etſi oculos impia diſſimulatione deiiceret: contentus non eſt Ioannem compedibus vincire, & tetro incluſum carcere arcere; ſed ne aliquando vitium voce repercuſſum expungeret, voce illum iugulando priuauit. Ita Baſil. Seleuc. orat. 18. *Mater iudicium ſortita Diabolo ſententiam fœneratur, & cadis in Ioannem excogitata gratiam illi concedit cum tali ad filiam clamore: Quid conſilia expetis? Ecquid opus facto mea filia? Etiamne, cùm prærogatiua ſit in manibus, quod quæras, ignoras? Tibine poſtulationis conſideratio moram affert. Ecquid Ioannis capite nobis optabiliùs?* Rationem ſubiungit: *Diuellit nos à cubili regio; ipſe proprio diuellatur à capite: abſtrahit me meis amoribus, quod mihi volupe eſt, oppugnat, quem ira gladium acuerit, recipiat. Lingua tela proiecit: concitetur vnà cum capite orationis inſtrumentum.* Vide qua ſolertia, qua anxietudine arcuerit, quidquid voluptatem oppugnabat, & delicias auertebat: parum illi fuit vocem carcere includere, ſi aliquando poteſtas ſit in libidinem iterum fulminandi: ergo caput præſcidit, vt omnem prorsùs voluptatibus non indulgendi impedimentum auferret: nec alius Herodis animus, quandoquidem ne ſimplex promiſſio aliquod inueniret obſtaculum, impiè addidit Sacramentum: veritus ne execrando ſcelere perculſi, & deteſtandæ ſententiæ horrore à promiſſis conuiuæ illum conarentur auertere; Sacramentum addidit, & à religione arma in religionem accepit: *Pete à me quod vis* (puellam alloquitur) *& dabo tibi: & iurauit illi.* Non ignorabat quid eſſet petitura; ſed adſtantes impedimento fore verebatur: ergo adactus Sacramento illorum ora nitebatur præcludere, & omne occiſionis obſtaculum prouidentia cæciſſima auertere: *Lætus*, addit Baſil. *poſtulatis annuit, quam fuerat necem meditatus, gladio firmat, & quem vinctum tenebat, cuius ipſe linguam oderat, eum morti tradidit.* O improborum commenta! Vitiis ſuis adulantur, & reſilire verentur. Adde infamem hanc delinquendi ſitim nullis vitiorum torrentibus extingui; imò potiùs voluptatibus inflammari: ſic futuris inhiant, ſic ardenti tenentur vlteriorum voluptatum deſiderio, vt ſoliciti pleno præſentium perfruantur nullatenus gaudio.

Baſil. Ab impudico ſententiã impiam ipſe Diabolus edocetur.

81. Venefici, impudicique canes vocantur: nec ſolùm mendacium facere; ſed diligere referuntur: *Foris canes, & venefici, & impudici, & homicidæ, & idolis ſeruientes, & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Expende illud: *Qui amat, & facit mendacium*: ac ſi dicat: Mendacium operantur non mente obcæcati; ſed peccandi libidine aduſti: gratus illi error eſt, nec iam ſolùm deteriora ſequuntur; ſed, vt approbent, intuentur. Quod ſi canum proprietatem ab Attalo quæras, diſces vel dum offam mandunt, ad futuram inhiare, & famem nunquam ſopire: *Vidiſti*, inquit apud Senecam epiſtol. 72. *aliquando canem miſſa a Domino fruſta panis aut carnis aperto ore captantem? Quidquid excepit, protinus integrum deuorat, & ſemper ad ſpem futuri hiat: id euenit nobis.* Omnia quibus vulgus inhiat, vltrò citróque fluunt; imò hinc noſter dolor naſcitur, quod nõ ſolùm exoptamus fluentibus vti; ſed ne effluxerint, retinere. Vt canes inſatiabili fame exulcerati deglutitis non ſolantur; ſed ad futura feruntur, ita voluptuoſi ambitioni, auaritiæque dediti non ſolùm amant errare; ſed ad futuros hiant errores, etſi fas eſt dicere, futuræ deſiderio præſentis voluptatis non vtuntur integro gaudio. O nos miſeros, quos non ſolùm ligat cæcitas; ſed cupiditas. Ecce Michæ mater pecuniam deteſtandis vſibus diſcupit erogare, & ſe Sacramento obſtringit, ne mutato deſiderio contigerit reſilire: pro cupiditate in ſe ipſam elaborauit arma, & quibus religionem impugnaret, à religione petiuit tela.

Apocal. 22. v. 15.

Seneca.

82. *Arctabuntur greſſus virtutis eius*, aiebat de impio Iobus, *& præcipitabit eum conſilium ſuum: immiſit enim in rete pedes ſuos, & in maculis eius ambulat: tenebitur planta illius laqueo, & exardeſcet contrà eum ſitis.* Suo ſe impius conſilio præcipitat: non capitur reti doloſè expanſo; ſed ipſe ſtudioſè pedes in rete mittit: teneri diſcupit, implicari ſatagit, vtque poſſet cordatus captioſam vereri pedicam, qua impediretur procedere: ſic veretur impius poſſe greſſum à vitiorum compedibus expedire, & poſſe à criminibus auolare. Adeſt Gregorius lib. 14. moral. cap 6. *Qui in maculis retis ambulat, greſſus ſuos ambulando implicat, & cùm expedire ad ambulandum nititur, ne ambulet, obligatur.* Expendit ſecum vitiorum vernula poſſe aliquando ſe à vitiis reſilire, gaudet implicari: ergo tenebras ſuas amans vitiis ſe inſerit, & cùm ſe obligatum, & variis irretitum ſentit impedimentis adfectioni cæciſſimè plaudit: illi iucunda eſt vernilitas, qua durare poſſit vitioſitas: ergo pedes ex animo in retis laqueos immittit, & impedimento teneri gaudet.

Iob 18. v. 7.

Greg.

§. XIX.

Ineſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contrà virtutem ſuas operas afferendi.

83. Pattandis vitiis opportuna ſpontè videntur innata, & iucundè concurrentia: non ſic ſuppetias ferunt virtuti: ſatis erit non obſiſtere, quin poſtules adiuuate: *Vitiis dedit*, inquit Seneca de vita beata cap. 3. *luxuriam ſuam in Philoſophia ſinu abſcondunt, & eò concurrunt, vbi audiunt laudari voluptatem ad nomen ipſum adulant quærentes libidinibus ſuis patrocinium aliquod ac velamen. Itaque quod vnum habebant in malis bonum, perdunt peccandi verecundiam: laudant enim ea, quibus erubeſcebant, & vitio gloriantur ideóque ne reſurgere quidem adoleſcentiæ licet, cùm honeſtus turpi deſidiæ titulus acceſſit.* Nunquam deeſt delinquenti patronus, nunquam malæ rei non ſuffragatur conſilium: ſocius blandè adulatus verecundiam, quæ ingenuum tardabat, depellit, & ad delinquendum trahit: vitio non timidè, neque clanculum iam indulgetur, quia ſuffragia plurimorum ſortitur. Nemo improbos ſuos mores alteri non afficiat, nemo ad ſui imitationem non traxit, qui langueſcente ſenectute nequit propriis, vitiis oblectatur alienis. Michas nummos offert matri conflando idolo, & mater offerenti plaudit, & benedicit: *Reddidit igitur eos matri ſuæ, quæ tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile.* Michas matris ſtudio ſponte inſeruit, aſcitus argentarius celeriter idolum abſoluit, ac denique aperte colitur, quia iam flagitium nec deſidia tardat, nec verecundia frænat: *Benedicit filio*, inquit Caietanus, *quia adimpleturam videt ſe iam votum ſuum ad faciendum idola.*

Seneca.

Caietan.

Digitized by Google

Alter adiuuatur ab altero: ne mater moras in quærenda pecunia traxerit, filius offert, & mater offerenti benedicit: *Benedictus filius meus Domino.* O quoties amico exprompté commodantur nummi meretrici annumerandi, aut talis impendendi, cùm amicus ille à quo panis mutuus famelico petebatur, varias excuſationis cauſas prætenderit, & moras traxerit! Inuenite ſemper, qui inſtigent, qui conſulant, qui operas ſuas ad perficiendum delictum afferant infortunata vitiorum fortuna eſt.

84. Herodes ſaltanti puellæ præmium, quod libuerit, offert, illa non ſine doli ſuſpicione Ioannis Baptiſtæ caput petiuit: triſtitiam Rex ſimulat, & iam conuiuæ puellæ partes ſuſcipiunt, & mentitam Herodis triſtitiam delinire conantur: *Contriſtatus eſt rex propter iuſiurandum, & propter ſimul diſcumbentes noluit eam contriſtare.* (Mar. 6. v. 18.) Expende illud: *Propter ſimul diſcumbentes.* Ac ſi dixerit Marcus. Qui cum Herode diſcumbebant, illum ad datam puellæ liberandam fidem coloratis rationibus adurgebant, grauius damnum regiam violari fidem aſſerentes, & procacis puellæ temeritati patrocinantes. Ergo propter iuſiurandum & conuiuas dari caput puellæ decreuit: nec enim in illo conuiuio quis fuit, qui puellæ partes non ageret, & ſimulatam Herodis triſtitiam non deliniret. Opportunè Chryſol. ſerm. 174. *Omnes euocat poteſtates non tam multos conuiuij ſui ſocios, quàm innumeros criminis ſibi teſtes aſſumat.* (Chryſol.) Attentiùs auſculta quæ adiicit: *Et tot habeat facinoris ſui arbitros, quot habuit præſides diſciplinæ.* Itáque de ſententia Chryſologi vulpina aſtutia puellæ optionem dedit, vt Baptiſtæ caput poſtularet, & plures aduocauit conuiuas, vt fidem regiam liberandam aſſererent, non dubitans cunctos fore prò crimine arbitros & impudicæ puellæ patronos: & quidem euentus rei veritatem comprobauit; conuiuæ námque opportunitatem nacti fictam regis anxietatem veris adulationibus ſedarunt, quin ex tot conuiuis aliquis peteret puellæ non plauſerit, & dubitantem ad delictum non impulerit: *Omnes euocat poteſtates, vt tot habeat facinoris ſui arbitros.*

85. Cùm Hebræorum populus cor apud theſaurum ſuum, Ægyptum ſcilicet haberet, Deos ſibi producere impiis ac cæcis auſibus poſtulauit: Aaron non diſtulit; ſed collectas inaures in ignem miſit, & iam prodiit vitulus efformatus: *Tulerunt, & dederunt mihi, & proieci illud in ignem, egreſſúſque eſt hic vitulus.* (Exod. 32. v. 24.) Mira res, cùm artifices longas moras, & interualla prolixa in quovis opere perficiendo trahant, ad vituli fabricationem ſic actuoſi concurrunt, vt exiguo tempore fuerit limatus, expolitus, perfectus; imò ipſum ignem ſine artificum opera debacchantium votis ſuccurriſſe, & quem deſiderabant vitulum efformaſſe, tradit Tertull. aduersùs Gnoſticos cap. 3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis.* (Tertull.) Conſonat Interlin. *Qui bouem adorauerunt in Ægypto, aliud forſitan idolum non ſuſciperent.* (Interlin.) Si ignis efformaſſet aquilam, aut leonem, adorare forſitan reſpuerent: ergo, ne religioſum adeò opus omitteretur, ignis delirantium deſideriis annuit, & vitulum illis defudit, quaſi vel inanimes creaturæ innato quodammodò ingenio in criminum auxilium propendeant, & operas ſuas ad delicti lubenter afferant. Vitulus conflatus eſt, ne populi inſanum differretur deſiderium, & exercendum artatis moris refrigeſceret delirium.

86. Sponſa Sponſum ardenti deſiderio quærens in circitores incidit rapaces, qui vulneribus inflictis properantem tardarunt, & denudando impedierunt: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* (Cant. 5. v. 7.) Non multò pòſt vulneratæ filiæ Ieruſalem occurrunt; ſed nec oblato comiter velamine nudam honeſtarunt, nec Sponſi notitiâ mœſtitudinem delinierunt; imò rogantes: *Qualis eſt dilectus tuus?* tepidum Sponſi ad ſpeciem amorem ſugillarunt, & Sponſam ſugillatione torſerunt. Tranſi ad Zachariæ 5. inueniéſque mulieri talento plumbi inſidenti alatas fœminas aſſiſtere, & in Sennaar celeri volatu deferre. *Ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas quaſi alas milui, & leuauerunt amphoram inter terram, & cœlum.* (Zachar. 5. v. 7.) Si mulier hæc fœminarum ſortitur auxilium, cur illa mulierum quidem pulcherrima nullum à fœminis anxietudinis inuenit leuamentum? Iam reddit rationem Angelus: *Et dixit: Hæc eſt impietas.* Impietati nec comes defuit, nec auxilium abfuit, honeſtæ verò Sponſæ cæleſtem Sponſum ſtudioſè perquirenti, & circitores obſiſtent, & ſodales inſultabunt, ac tandem omnes præpedient, cùm impietas inuenerit pennatas ſocias, quæ vt in Sennaar aſportauerint campum, accelerauerunt greſſum: ad impietatis auxilium ferè omnes inueniũtur non ſolùm exprompti, ſed alati; ad virtutem verò ſunt obices. Adeſt Gregor. lib. 14. moral. cap. 16. & apud gloſſam: *Sathanæ voluntati deſeruiunt.* (Greg.) O quàm expromptæ inuiſæque impietati inſeruiebant fœminæ. O quàm impios eius conatus iuuabant! Petro opus fuit ſociis annuere, vt ad educendum rete operas ſuas afferrent; at fœminæ illæ innato pruritu inuolarunt, & nutum anteuerterunt, vt impietati opem ferrent, & ad confuſionem ducerent.

87. Reuertenti ad paternam domum prodigo ſolus pater occurrit: opúſque fuit imperare ſeruis, exhiberent filio & ferculum & ornatum: Dixit pater ad ſeruos ſuos: *Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius, & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur.* (Lucæ 15. v. 22.) Vitulus in totius familiæ ſaginam fundendus erat; verùm etſi exiguus labor præſentaneum aſſecutus ſit præmium, opus fuit à patre ſeruos vrgeri, & ad nudo famelicóque ſuccurrendum præceptis cogi; imò frater, qui de ſuo fratrem honeſtare debuerat, non ſolùm opitulaturus nòn inuolauit; ſed ad prandium recuſauit accedere: *Indignatus eſt, & nolebat introire.* Tranſi modò ad Ierem. 7. vbi cùm placentæ, menſæque Dianæ, Proſerpinæ, Lunæ inſtruendæ fuerint, omnis familia iniuſſa operas ſuas affert, inceſſantérque inſeruit. *Nonne vides quid iſti faciunt in ciuitatibus Iuda, & in plateis Jeruſalem? Filij colligunt ligna, & patres ſuccendunt ignem, & mulieres conſpergunt adipem, vt faciant placentas reginæ cœli, & libent Diis alienis.* (Ierem 7. v. 17.) Filij ad aſperos tendunt montes, repetitis ſecuris ictibus ligna ſuccidunt, & prægrauatis humeris aduehunt: prodigi frater, & pientiſſimi patris filius prandium inuitatus reſpuit & mẽſæ rogatus accedere detrectauit. Quod ſi diſcriminis inquiras cauſam, reſpondebit textus vitiis alibi exhiberi conuiuium, virtuti alibi parari prandium: *Vt faciant,* inquit, *placentas reginæ cœli, & libent Diis alienis.* Ad vitium per laborẽ renditur: ad virtutem nec alliciente commodo properatur: ad reginæ cœli ſacrificium filius inſudat, & adlaborat pater, mater inuigilat, & tota familia obnoctabit

bit inſomnis, & feſtinabit alacris: hoc námque eſt vitiorum infelix fatum, inuenire videlicet, qui exprompté inſeruiant, & qui operas ſuas afferre ardentiſſimè exambiant. Tempeſtiuè Lyra: *Regina cæli Luna, & ſic patet quod omnes perſonæ domus intrinſeca, ſcilicet vir, vxor, & proles erant in illa idololatria occupatæ.* Occupari ad inſeruiendum vanitati geſtiunt, virtuti verò inſeruire refugiunt.

Lyra.

§. XX.

Qui alterius ope ad dignitatem euectus, ad eius etiam arbitrium elucebit conformatus.

88. QVi alterius ope, expenſiſve dignitatem obtinuit, eius ſe arbitrio ſacrificabit, & indecorè gratus, nec latum vnguem ab eius voluntate diſcedet: ſi fas eſt dicere, manna referet ingenium ad quod aliter voluerit, celerrimè conuerſus, cúmque ſaporem referens, quem voluntas dictarit, non quem æquitatis ratio præſcripſerit. Balthaſar ſcriptura illa funeſta perterritus amplum enodanti præmium offert, cúmque adducendus eſſet propheta, non ſine cæleſti curâ Hebræo, non Chaldæo titulus appellitatur: *Interpretatio ſomniorum, & oſtenſio ſecretorum, ac ſolutio ligatorum inuentæ ſunt in eo*, aiebat regina, *cui rex poſuit nomen Balthaſar: nunc itaque Daniel vocetur, & interpretationem narrabit.* Mira res: ſi honoris cauſa illud nomen, ſcilicet Balthaſar, à Nabucho acceperat, cur regina non ait Balthaſar adducatur; ſed Daniel? Iam ipſa explicuit: *Et interpretationem*, inquit, *narrabit*, id eſt, vt ſyncerè Scripturam enodet, accepto honore nudetur, aliter non tam veritati, quàm placito ad dignitatem extollentis conſulturus. Profectò is erat Daniel, qui explicarit litteras non pro regis arbitrio; ſed pro cæleſti placito; veretur tamen regina, ne de accepto honore aliquam interpretationi ſuſpicionem ingeneret, nam etſi meritorum ſuffragio fuerit ad dignitatem euectus, honorabile nomen à Nabucho accepit, cùm præ aliis luxit promotus. Innuit Theodoret. orat. 5. *Neque dixit: Vocetur Balthaſar: cùm enim experientia docti cognouiſſent prophetæ virtutem, anteponunt Chaldææ Hebræam appellationem.* Quod ex ſe habuit, referunt: quod à Nabuchodonoſoris benignitate ſortitus eſt, non ſine myſterio abſcondunt, quaſi metuant, vereantúrque ſe ore aliter non veritatis interpretem; ſed regis aſſentatorem. Longè aberat Daniel ab hoc periculo; ſed aulici conſuetudinis non ignari accepto denudaturũt elogio, ne de elogio refragaretur myſterio: *Cùm experientia docti cognouiſſent prophetæ virtutem, anteponunt Chaldææ Hebræam appellationem.* Virtutem prophetæ non ignorabant; tamen de ſæculi vſu timebant. Hinc diſces, cur idolum à Michæ matre elaboratum, effictúmque nullo ſpeciali nomine appellitetur, vt ſcilicet omnia, provt occaſio tulerit, induat, & effingẽti deſeruiat: *Tulit ducentos argenteos, & dedit argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit.* Quod ſculptile? Iupiter? Mars? Mercurius; aut quis è Deorum grege alius? O, diſcamus Scripturam tacentem audire, & arcanum ſilentium inueſtigare. Si vnum aut aliud ſortiretur nomen, puta Iouis, ſemper Iouem repræſentaret, referrétque, & quamvis Michas, eiúſque mater indigeret Mercurio, Mercurium non ſortiretur; ſed Iouem. Ergo idolum eorum ſumptibus effictum, & ope ad faſtigium dignitatis euectum, vt nullum pro occaſione reſpuat, nullum ſortitur peculiare vocabulum, nullum peculiare ſibi vendicat exercitium. *Idola*, ſcribit Caiet. *abſque aliquo nomine proprio alicuius Dei, aut animalis ſcribuntur in littera: vnde & mater ſubiurgit ſe ſanctificaſſe argentum hoc Domino.* Certè ſpecie Domino; ſed re mancipio: erit enim quod voluerit Michas idolum ad dignitatem eius auxilio promotum, eiúſque placito obtemperabit addictum. O vtinam hanc frequens adeò experientia veritatem non confirmaret; verùm quotidie deprehendes iudicem miniſtrúmve alterius ope ac ſuffragio dignitatem ſortitum euehentis arbitrio viuere attemperatum. Promouenti voluntas lex eſt promoto, & indigna gratitudo diuinat placitum, quo exhibere poſſit officium.

Daniel. 5. v. 12.

Theodoret.

Caietan.

89. Manaſſes Baal ædificat aras, conſtruit excelſa: *Erexit aras Baal, & fecit lucos.* Tilmanus in allegoriis nihil aliud ait tentaſſe aras erigendo niſi ſuperbiùs inflari, & inflatiùs ſuperbire: *Erigere aras Baal*, inquit, *eſt cogitare in corde ſuo, & diſponere, quomodò poſſit eſſe ſuperbior.* Mira res: Baal aras conſecrat, vt inſolentiùs ſuperbiat, & quidem conducibilius videbatur ad ſuperbiendum aras non erigere, quàm ſacrare. Baal, qui & Elohim, curam gerens interpretatur: ſi ergo Deus (vt ſtultè cæcéque rebantur) ſi curam gerens, ſuperbire non permittet inſolentiam; ſed corripiet euanidæ præſumptionis audaciam, & Manaſſes non poterit inſolentiùs extolli; ſed opus erit tumorem deprimere. *Ipſe eſt Elohim*, inquit Caiet. ad cap. 18. lib. 3. Regum, *hoc eſt, curam gerens*: & tamen patietur, dum aris nobilitatur inſolentiùs hominem ſuperbire, & ſceleſtioribus piaculis defœdari. Qui erexit aras, inquit Tilmanus, qui promouit Baal ad ſplendoris faſtigium, & ad culminis thronum, omnia ei licebunt; imò ipſe Baal eius adulabitur procaciæ, & ſtudebit patrocinari ſuperbiæ. Baal profectò erat ridiculus Deus; ſed ad noſtram modò eruditionem idoneus; dum omnem ſe altitudinem Manaſſis curæ debere agnoſcit, ei permittet inſolentiſſimè ſuperbire. Ergo Manaſſes de ſæculi abuſu, de peruerſitatis ſtylo, vt plus, & impunè delinquat, Baal ſumptuoſas fabricat aras, & offert victimas: Baal etſi dignitatis ac muneris obligatione, legéque conſtrictus, etſi querelarum frequenti clamore admonitus, aures non præbebit ſurdus; imò curabit vel muneris, & æquitatis iniuria, electoris mereri beneuolentiam, ac lucrari ſibi gratiam. Munia alienis ſuffragiis & expenſis acquiſita remanent ſemper arbitrio eligentis vectigalia, & in quam voluerit partem propenſa, provt placere patrono nouerit, obſeruabit, aut legem corrumpet electus.

4. R. g. 21. v. 3.

Tilman.

Caiet.

90. Liceat velitari, & tantiſper verbis fas ſit pro componendis moribus ludere. Michas è filiis ſuis quemdam delegit, & Sacerdotali dignitate exornauit. *Impleuit*, inquit, *vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Opportuniùs videbatur dicere: Et factus eſt idolo Sacerdos, quandoquidem non conſecrabatur Michæ; ſed exiſtimato numini: cur ergo inquit: *Factus eſt ei Sacerdos*? Forſitan indicare voluit Scriptura electum Michæ arbitrio, & cæteris eius beneficio antelatum

Digitized by Google

relatum non tam Sacerdotem fieri numini, quàm Michæ: reuera ei erit factus Sacerdos, licèt idolo videatur dicatus, & ſtudioſiùs morem geret deligenti, quàm numini. Itaque non adeò curabat munus implere, quàm eligenti adulari: Sacerdos dicebatur idolo addictus; ſed reuera Michæ placito erat ſacratus: *Impleuit*, exponit Hugo Cardinalis, *id eſt inueſtiuit eum in Sacerdotium per aliquid impoſitum in manus eius, vel obtulit ei munera quaſi Sacerdoti, vel dedit ei munera, vt fieret ei Sacerdos, & ita ſimoniam commiſit.* Oblatis ad obeundum Sacerdotium muneribus ſibi Sacerdotem emit: nam vt ſeruus emptitius non eſt ſui iuris; ſed alterius inſeruit placitis; ita Sacerdos ac miniſter hic, dum per Micham dignitatem obtinuit, ei adulatus inſeruit: *Et factus eſt ei Sacerdos.* Vlterioris gradus ambitio indignam gratitudinem exhibere docuit, & æquitatis legem ſpreuit. Sacerdos ad dignitatem inauguratus, dum à Micha accipit, quod ad exercendum munus requiritur, inaugurantis arbitrio venditur, nec non ſolùm curabit obſequi, ſed adulari: *Factus eſt ei ſacerdos.* Addit Hugo Cardinalis noſtræ theſi ſatis opportunus: *Alia littera habet: Impleuit vnius filiorum eius manum, emendo ſcilicet ſibi ſacerdotium.* Expende illud *emendo ſibi ſacerdotium.* Dignitas Michæ auro comparata dicebatur ſacerdotis, ſed erat ementis. O nimis verum! Qui auro alieno dignitatem acquiſiuit, ipſam dignitatem expenſo auro non poteſt non facere vectigalem. Hinc legum euerſio, hinc æquitatis offenſa, hinc oritur innocentis iniuria. Dignitas alieno fauore obtenta fauorem rependet iura contemnendo, & compenſabit gratiam leges adulterando, & pauperes opprimendo.

Hugo

---

§. XXI.

Sunt qui ſubiectorum diſſimulent prauitatem, quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem.

91. PLures ſunt, quibus deeſt peccandi commoditas, non voluntas: impediuntur aliquando adſtantium oculis, ſplendore muneris, nec poſſunt, cùm editiſſimo viuant, omnium oculis non notari: *Claras ſuas maculas reddunt*, aiebat Caſſiodorus 12. variar. 2. *ſi illi, ad quos multi reſpiciunt, aliquâ reprehenſione ſordeſcunt.* Frons eſſe debuiſſet libera, quibus commiſſum eſt, aliorum emendare peccata: æquat namque crimen omnes, quos inquinat, &, niſi diſſimilis fuerit corrigentis animus, ridebit correctionem ſubiectus; verùm plures ſunt, qui refugiant detrahere auctoritati; ſed inſeruire diſcupiant crimini; vtque ſerpentinum venenum, dum ſe explicandi non apparet occaſio, inter fœdas ac ſerpentinas ſpiras occultum latitat; ſi tamen tempus arriſerit, iam non retorpeſcit; ſed gliſcit: ita calliditas occaſionem nacta ſe explicat, vtque prodeat, occaſionem deſiderat: ergo nonnulli iudices ſuperioreſque infelici commercio aliorum peccata diſſimulant, ſi per ipſos inſanis appetitionibus inſeruiendi opportunitatem acquirant. Hinc videbis criminum vernulas, delictorum proxeneras in ſuis domibus magnatibus, ac iudicibus voluptatum opportunitates diſponere, & artificioſiſſimè concinnare. Audi Senecam epiſt. 97. de Clodio: *Adulterij reus adulteria diuiſit, nec antè fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui iudices ſuos reddidit.* Addit: *Impunè tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno.* Huic cogitationi videtur fauere Iudicum caput decimum ſeptimum. Deſiderabat quædam mulier, cui obſequeretur, idolum; argentario aſcito conflari ſtudioſè ſatis curauit: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile*: ſed cùm lex contradiceret, Michæ ope vſa eſt, & Michas ædiculam in domo ſua remotam à familiarium oculis fabricauit; ibíque idolum poſuit: *Fuit*, inquit, *in domo Michæ, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit.* Ecce idolo ædiculam ſeparauit, vt commodiùs mater adiret, familiæ ſæpè excuſata cenſurâ, & notâ: nec ſolùm ædiculam conflauit idolo matris; ſed ipſe ſecutus exemplum ſibi conſtruxit idola: *Fecit ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola.* Iam ſi inquiras, cur parens Michæ vitia non carpſerit, facilis ſolutio eſt: quia Michas ſcilicet matris idolum ſeparata in ædicula aſſeruabat, quam poſſet mater adire, & commodiùs crimine defœdari: *Fuit in domo Michæ*, inquit Abulenſis quæſt. 10. *id eſt, facto idolo ſuſcepit illud in domo ſua Michas, & tenuit illud. Qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit, id eſt, ſeparauit in domo ſua ædiculam, ſcilicet in quadam parte domus ſuæ conſtituit locum priuatum ſequeſtratum ab operibus cæteris, & ibi conſtituit Deum illum.* Idolum erat matris; ſed Michas, vt ei adularetur, in ſequeſtrata domus parte repoſuit, vt mater adire ſine difficultate valeret.

Senec.

Abulenſ.

92. Saül, qui Pythones de terra eraſerat, Pythoniſſæ domum adit, Samuëlem, aut, vt Tertulliano placet, dæmonem allocuturus: *Diuina mihi in Pythone, & ſuſcita mihi, quem dixero tibi.* 1. Reg. 28. v. 8.
Mulier ſic roganti reſpondit: *Ecce tu noſti quanta fecerit Saül, & quomodò eraſerit magos, & ariolos de terra: quare ergo inſidiaris animæ meæ, vt occidar?* Saül impunitatem promittit, & ad Samuëlem exſuſcitandum adurget: *Viuit Dominus, quia non eueniet tibi quicquam mali propter hanc rem.* Iam ſe difficultas offert: ſi Pythones diuturnam ſententiam tulerant, cur mulier mortem euadat ſimili, aut maiore crimine infecta, & edictis latis damnata? Facilis ſolutio: quia Saül huius adibat domum, vt per Pythonem deſiderata compleret: ergo impunè exercebit mulier prauitatem, dum Saülis deſiderio adulata præbet ſciſcitandi occaſionem. Cæteri Pythones mulctabantur, de terra eradebantur; fœmina verò de procudendi Saüli occaſionem priuilegio Pythonem conſulebat impunè, fruſtrato edicto, & ſcelere diſſimulato. Innuit Tertullianus libro de Anima cap. 57. *Ne putes alium fuiſſe, qui phantaſma adminiſtrabat, alium, qui commendabat; ſed eundem ſpiritum & in pſeudo prophetide, & in apoſtata facilè mentiri, quod fecerat credi: per quem Saülis theſaurus illic erat.* Tertull.
Præmiſerat: *Nec Pytonico tunc ſpiritui minus licuit animam Samuëlis effingere, poſt Deum mortuos conſulente Saüle.* Dum in Pytoniſſæ domo Saül, mortuos conſulit, Pythoniſſæ licebit phantaſma magicis artibus excitare: de concinnata Saüli opportunitate proprio crimini impunitatem conciliauit, & delinquendi amplam licentiam obtinuit. Hanc, vt alios Saül non eradet de terra: quia eius in domo contra ius faſque præſcire anhelat futura: *Mortuos conſulente Saüle Pythonico ſpiritui licuit animam Samuëlis effingere.* O verum & vſitatum!

Dalila

93. Iudic. Dalila in valle Sorec habitaſſe refertur: *Poſt hæc amauit mulierem quæ habitabat in valle Sorec, & vocabatur Dalila.* Lauretus Ceruatienſis in ſua allegoriarum ſylua ait per vallem deſignari mores incultos, & vitam criminibus defœdatam:
Lauret. *Deſignat peccatum, & etiam locum inordinatorum affectuum:* Itaque vt ad profundam vallem torrentes confluunt, ſic ad mulierem iſtam vallicolam vitiorum confluxerant torrentes; nec tamen à iudicibus, & Satrapis in eam refertur animaduerſum; imò pecuniis ac gratulationibus illius dolum
Iudic. audies muneratum: quod ſi inquiras cauſam, accipe: *Venerunt*, inquit textus, *ad eam Principes Philiſthinorum, atque dixerunt: Decipe eum, & diſce ab illo, in quo habeat tantam fortitudinem, & quomodò eum ſuperare valeamus, & vinctum affligere.* Paruit illa; & apud ſe occuluit Satrapas, quò deſiderata perficerent, votáque explerent: *Vinxit eum latentibus apud ſe inſidiis, & in cubiculo finem rei expectantibus.* Dum Satrapas domi admittit, dum occaſionem explendæ cupiditatis eis præbet, vallem ſecura inhabitat, & criminibus impunita exundat: de concinnata aliis deſideria perficiendi opportunitate ſibi errandi priuilegium procudit, & leges omnes fruſtrauit: *Sanè qui venerunt ad illam*, inquit Rupertus lib. 1. in Iudices
Rupert. cap. 21. *Principes Philiſthinorum poſtulantes, vt deciperet amatorem ſuum Samſon, Principes Sacerdotum, & ſeniores populi fuerunt.* Qui curare legem debuerant Principes, dum eâ deceptrice vtuntur, dum eius in domo latitant, vt improbâ deſideria perficiant, adeò remoti ſunt ab infligendo pœnam, vt copioſam ei fuerint dilargiti pecuniam. Fraudis conſors, criminis concinnator, vitiorum proxeneta impunè delinquunt: nam dum ſecretas peccandi præbent magnatibus occaſiones, dum idola ſequeſtratis ædiculas aſſeruant, dum inſanis appetitionibus opportunitatem parant, non ſolum quantumvis defœdentur criminibus, effugiunt pœnam; ſed copioſam elucrantur etiam pecuniam, & ſibi licet infelicem, conciliant gratiam.

94. Ioab dum cum Abner amicitias ſimulat, latera mucrone occulto transuerberat. Amaſæ dum pacem offert, necem doloſè etiam infert, & quod grauius erat, iuſſus Abſalonem ſtudioſè aſſeruare, geſtiuit occidere, & tamen Dauid ora ſilentio ſigillat, & punitionem protelat; imò ad eam Ioabus audaciam peruenit, vt regem, quia ſibi ereptum Abſalonem, & dirè confoſſum luxerit filium, carpat, & acriter reprehendat: *Ingreſſus Ioab ad re-*
2. Reg 19. v. 5. *gem in domum dixit: Confudiſti hodie vultus omnium ſeruorum tuorum, qui ſaluam fecerunt animam tuam.* Si deliquit, quomodò inſultat? etſi Dauid mortem filij ægrè adeo dolet, cur audentem ſeruum non punit? O aduerte amabo te: Ioab vt Dauidis adularetur appetitui, Vriæ mortem
2. Reg. 11. v. 14. concinnaſſe: *Scripſit Dauid epiſtolam ad Ioab; miſitque per manum Vriæ ſcribens in epiſtola: Ponite Vriam ex aduerſo belli, vbi fortiſſimum eſt prælium, & derelinquite eum, vt percuſſus intereat.* Impunè pro tunc Ioabus peccauit: quia impij deſiderij explendi coadiutor fuit. & Dauid per quem occaſionem aſſequendi votum obtinuit, nec verbo læſit; ſed ſilentio ora ſignauit. Huc apto quod
Abulenſ. aliorſum ſcripſit Abulenſis quæſt. 13. ad 2. cap. 3. Regum: *Merebatur mortem, quando occidit Abſalom; ſed tunc non potuit ei infligere illam Dauid.* Et quare non potuit? Quia Ioab impunitatis affectibus inſeruierat: eſt enim frequens ſuperioribus illorum ſcelera diſſimulare, quorum opera ad illicita conſtat vti.

§. XXII.

Nonnulli rapinis inhiant, & huius, aut alterius Sancti feſtum ſumptuoſiùs concelebrant.

PLures inſanam concupiſcentiam, & religioſam pietatem amico fœdere adnituntur concordare, & concorditer vnire: ni aliena rapiant, vitam ſibi ſuperuacuam fecerunt, & vt à rapina diuitiarum cumulum, ita ab obſequiis ad ſpeciem religiosè huic aut illi ſancto dicatis vanitati conquirunt plauſum. Itaque eodem tempore videri religioſi, & perſiſtere volunt iniuſti. Q. Fuluius, teſte Valerio Maximo lib. 1. cap. 2. Cenſoris dignitate abuſus ablatas Iunoni iniuſtè marmoreas tegulas ad Fortunæ Equeſtris templum, quod Romæ conſtruxerat, tranſtulit de rapina Deam celebrans, & ipſis celebritatibus dehonorans: *In* 95.
cenſura tegulas marmoreas ex Iunonis Laciniæ templo in ædem Fortunæ Equeſtris, quam Romæ faciebat, tranſtulit. Valer. Fortunæ templum exornauit; ſed raptis tegulis; ſed alieno marmore: duplex vnica actione piaculum perpetrauit, Deam, cui furtum conſecrabat, deprecians, & quam diſpoliabat, iniurians: *Iſta, quæ appetis*, aiebat Seneca lib. 3.
de ira cap. 35. *quia exigua ſunt, nec poſſunt ad alterum, niſi alteri erepta, transferri, eadem affectantibus pugnam, & iurgia excitant.* Seneca. Quod Stoicus de ambitu, cupiditateque dixit, poſſunt eiuſmodi obſequiis applicari, & ad impiè deuotos extendi: quia non ſuppetunt conſecranda, niſi à Dominis iniuſtè fuerint erepta, non recuſant iniuſtè eripere, quæ poſſint in celebrandis Sanctis expendere, & quærunt ſibi deuotionis plauſum alieno incommodo & detrimento: quod in Micha, eiuſque matre clariſſimè liquet: Dei imaginem effingere, Sacerdotem adhibere, ædiculam ſatagunt fabricare: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile atque conflatile, quod fuit in domo Micha, qui ediculam quoque in ea Deo ſeparauit:* quod ſi quæras vnde Michæ mater habuerit argentum: reſpondebit Lyra, aliique interpretes Samſonem decapillaſſe, & ob dolum accepiſſe. *Dicerunt aliqui* (verba ſunt Lyræ)
quòd iſta mater Micha fuit Dalila; & quòd iſta pecunia fuit illa, quam recepit pro proditione Samſonis. Lyra. Vt ſolemne eſt libidinum victimis aliquas affectare deuotiones, munera templis offerre, & Sanctorum feſtos dies ſolemniter celebrare; ſic Dalila iuxta horum opinionem infami corporis proſtitutione pecuniam colligens, & doloſis fraudibus capillos auferens, tota eſt in idolo effingendo, & templo ac Sacerdote parando. Caietanus iuxta Hebraicam veritatem loco illius clauſulæ, *quos ſeparaueras*, legi poſſe teſtatur, *qui fuerunt ablati à te.* Itaque non ſolùm huic mulieri mille & centum argenteos filius abſtulerat; ſed ipſa etiam eoſdem rapuerat anteà: audi Caietanum:
Mille & centum argenteos, quos ſeparaueras: Caietan. *iuxta Hebræum habetur: qui fuerunt ablati à te: fuerant enim furtiuè ablati.* Itaque ſi admittis nummos hos fuiſſe ab hac fœmina furtiuè ablatos noſtræ theſis videbis veritatem clariſſimè comprobatam, quandoquidem & nummos rapiebat, & conſecrabat;

conſecrabat; vt reliquam ſummam de impenſa ad ſpeciem religioſè ſecuriùs poſſederit, ducentos argenteos in imaginis extructione,& ædiculæ conſecratione expendit rata eiuſmodi ſolemnitatibus & expungi culpam, & cohoneſtari rapinam. Certè nonnulli de rapina offerunt munuſcula altaribus, & magnis Sanctorum feſta peragunt ſumptibus, cùm ſatiùs fuerit abſtinuiſſe à feſtis, & à rapinis.

96. Ezechiel 17. aquila depingitur magna, plumis & varietate perpulchra, vt etiam exacutis ac rapacibus vnguibus plena, quæ cedros diſpoliauit medulla, denudauit ornatu: *Aquila grandis magnarum alarum longo membrorum ductu plena plumis & varietate venit ad Libanum, & tulit medullam cedri.* In aquila Nabuchodonoſorem exprimi competentum eſt, & quidem ſatis aptè, cùm aquila ex rapto viuat. Audi Caſſiodorum 8. var. 31. *Aquila venatrices, & ſuprà omnes alites acutius intuentes volatus ſolitarios concupiſcunt: quià rapaces inſidia innoxia commenticula non requirunt.* Itaque Nabucho rapax aquila, alienorum appetitor, deprædator iniuſtus plura tulit, è quibus dum nonnulla Dei ſui templo iniqua deuotione applicat, theſim noſtram clariſſimè probat: *Aſportauit ea in terram Sennaar in domum Dei ſui, & vaſa intulit in domum Dei ſui.* De rapinis Deo offert munera, de alienis donaria: quaſi licuerit rapere; Si aliqua altaribus conſtet offerri. Nec vnus Nabucho templa de rapinis ſumptuoſiùs exornauit, & religionem furtis intexuit: ſunt námque plures qui feſta Sanctorum magno apparatu celebrant; ſed & copioſis diſpoliatorum gemitibus maculant.

Ezech. 17. v. 3.

Caſſiod.

Daniel. 7. v. 2.

97. Saül Amalec Domini præcepto expugnaturus procedit in campum: prohibuit edictum non ſolùm quid ex Amalecitis rapere; ſed & cupere: *Nunc ergo vade & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid.* Quid tunc? vt optimis gregibus inhiet, vt verſicoloribus veſtibus, vt auro, & argento parcat, ſolemnes hoſtias offerre cogitat: *Pepercit Saül, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea.* Edictum violant cupiditate inflammati, vtque aliquem rapinæ colorem ſuperinducant, ad offerendam ſolemniter Domino confugiunt hoſtiam. *Pepercit populus melioribus ouibus, & armentis,* reſpondet prophetæ Saül, *vt immolarentur Domino Deo tuo.* En Saülus geſtit aras pingueſcentibus rapinis, & iniquè poſſeſſis victimis onerare,& hoc totum non tam deuotionis ſtudio, quàm ſopiendæ conſcientiæ imprudentiſſimo deſiderio: moliebatur námque Deum exhibitis munuſculis ſubornare, vt quiret reliqua intrepidè poſſidere: infelix negotiatio erat aliquid offerre, vt quiret ad poſſidendum raptum elucrari ſibi quodammodò priuilegium. *Dum adducta ab Amalec aſſerit,* exponit Gregor. ad hunc locum, *quæ Domino immolentur, tacitè profert non vnde reprehendi debeat; ſed laudari.* Itaque Saül vtrumque anhelat coniungere, furtum videlicet & elogium: ſic deluſus diuerſa coniungit, vt eodem tempore à furtis non abſtineat, & aras cumulari decernat: laudem diſcupit ad ſpeciem deuotus, & rapina diuitias adauget cupidus.

1. Reg. 15. v. 3.

Greg.

98. Salomon Prouerbiorum 3. ſic aiebat: *Honora Dominum de tua ſubſtantia, & de primitiis omnium frugum tuarum da ei.* Non ſolùm docuit faciendum; ſed non faciendum edocuit: *Honora,* inquit, *Dominum de tua ſubſtantia,* non de aliena: nouerat namque eſſe nonnullos, qui de alienis ſubſtantiis ingratum exhibere parent honorem, vt ſibi acquiſiuerunt vaniſſimam laudem. Notauit Hugo ad hunc locum: *De tua ſubſtantia, non de aliena, id eſt; de tuis rebus benè acquiſitis, non de alienis: quià oblatio de alieno non placet Deo, Eccleſiaſtici cap. 34. Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperum, quaſi qui victimat filium in conſpectu patris.* Vt ſumma eſſet amentia filium iugulare coram patre ad eius demerendam gratiam, quandoquidem ingentiſſimam afferebat oblatio iniuriam; ſic manifeſtum probatur delirium pauperem diſpoliare; & eorum patrem oblato ſanguine demulcere. Ergo de propriis ſunt celebranda feſta, & altaribus offerenda ſunt munera: nam oblatio de alienis non demeretur gratiam; ſed exulcerat iram.

Prouerb. 3. v. 9.

Hugo

99. Hoc crimen pietatis colore inauratum, & ſpecie religionis contectum obiectat Dominus apud Malachiam cap. 1. *Intuliſtis de rapinis claudum, & languidum, & intuliſtis munus: numquid ſuſcipiam illud de manu veſtra? dicit Dominus.* Rapiebant, & de raptis ſacrificabant, quo nec religionis elogio, nec auaritiæ carerent lucro; aſt dum degeneri ſacrificio Deum demereri cæca impietate contendunt, diuinam indignationem meritiſſimè ſubeunt. Adeſt Hieronymus hic, & apud gloſſam: *Offertis languida, & hæc de rapinis & fletibus miſerorum: & inſuper dicitis: De labore, & paupertate offerimus, quod habemus.* Accinit Lyra: *Erat ibi duplex peccatum, vnum contra proximum, ſcilicet rapina, & aliud contra Deum, ſcilicet offerendo lege prohibitum.* Sacrificando delinquebant, & delinquendo diuinam ſibi promereri beneuolentiam deluſi prorſus ac amentes exiſtimabant.

Malach. 1. v. 13.

Hieron.

Lyra.

§. XXIII.

Rarò ſolitarium eſt vitium, ſecum trahit pernicioſas appendices, conſequentiaſque peſtilentes.

100. Vitia, vt à ſerpente illo veternoſo promanarunt, ſic & ingenium ſortita, & mores ſunt nacta: Serpens dum timorem deprædatus ad cibum vetitum prorritauit, fœcunda hæreſeon ſemina iecit: *Eritis,* inquit, *ſicut Dij ſcientes bonum & malum.* Ad cibum allectabat; ſed ipſo in cibo ſemen plurimorum ſcelerum abſcondebat: ne mulier edicti recuſaret præuaricationem, pomum tantummodò obtulit; ſed cibo illo quam plurima delicta incluſit, quò ſemel tranſmiſſus ac deuoratus miſeras conſequentias, & appendices ſecum afferret. Notauit Baſilius Seleucienſis orat. 3. *Tu mihi, frater, huiuſce dictionis inſidias obſeruita, quà omnis impietatis parens ac radix extiterunt: ſiquidem per eam Græcorum ſuperſtitio pullulauit; & impietatis ſectæ hinc progenitæ ſunt.* Vt frumenti granum commiſſum plura germinat grana: vt vnum iacitur, quo meſſis copioſa reſurgat, ſic vitium quodvis eſt aliorum ſemen fœcundum, & principium infeliciter copioſum: proponis vnicum vitium ſectari, & longè diſtas ab aliis perpetrandis, & inſerendis; verùm vt ſtultitia eſt ſerere, & meſſem non expectare; ita eſt inſania credere poſſe

Geneſ. 3. v. 5.

Baſil.

Digitized by Google

poſſe te vnico vitio inſeruire, quin ſecum alia attulerit, & plurima infeliciter nutricarit. Ecce Michæ mater argenteos conſecrat vnico idolo efficiendo: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile.* Audiſti propoſitum, audi effectum: *Fuit in domo Micha, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit, & fecit ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola: impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Initio ſolummodò deſiderabatur ſculptile; poſteà opus fuit ædicula, & ara: conſtructa iam ara neceſſum erat adhibere Sacerdotem, vtque miniſtraret, ephod conficere, & ne ara incompta, inculiàque ſordeſceret, res ipſa exigebat conflati teraphim, id eſt, exiguas imagines, aut idola, quibus exornata fulgeret, & de cultu idoli maieſtatem deprædicaret: ergo has omnes conſequentias, & appendices vnicum adduxit idolum: quia ſemel effictum quodammodò cogebat ad aram fabricandam, & ſplendido teraphim ornatu excolendam. Ingenioſè Hugo Cardin. *Nota quòd Michas fecit ſibi vnum principale, quod ſuprà dixit ſculptile, & conflatile: fecit & alias paruas imagines ad honorem illius idoli principalis, & illas vocat teraphim.* Mille & centum argenteos huic operi ſeparaſſe dicitur mater, & cùm ducentos ſolùm argentario exhibuerit, nongentos aliis in rebus expendit: nec enim ſemel plus in adiacentibus inſumitur, quàm principali impendatur. Ergo quia fabricauit ſculptile, & teraphim fabricauit. O nimis verùm! vitium alia conuocat, nouas conſequentias inducit, & vel intuitum (ſi dici liceat) ad noua delicta trahit. O quoties qui apud ſe decreuit huic tantùm, aut illi vitio inſeruire, compulſus eſt poſteà emergentibus inde pluribus aliis parere. Dauid carnis ſolùm negotium egit; verùm, vt Bethſabee poſteà conſuluerit honori, Vriæ eſt inſidiatus ſaluti, & adulterium peperit homicidium: connexa ſunt ſæpè vitia, & facilius fuerit omnia diſrumpere, quàm vnum ab altero ſeparare.

Hugo.

Tol. Nato Domino cæleſtis lingua Magos alloquitur, & iam verſa materia erroris in præconium veritatis Magi inuolant, & exertis vocibus regem recens exortum deprędicant: turbatur Herodes propria flagellatus conſcientia, & nondum cogniti inuidia: nondum nouerat, & iam tabido ardore furebat: *Audiens Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Ad callidas artes conuertitur; vt ardentiſſimum impleat odium, deuotum promittit obſequium: reges vrbanitate allectos, officiis obligatos monet, vt ad ſe redeant, & quid inuenerint, notum faciant; verùm cùm reges cæleſti conſilio eruditi artes vaferrimas, & iniquam calliditatem fruſtraſſent, innocentiam prædamnat, & execrabili cinctam obſidione trucidat: *Videns quoniam illuſus eſſet à Magis, iratus eſt valdè, & mittens occidit omnes pueros, qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà.* Ecce cùm Herodes vnum quæreret, multos occidit: nec enim poterat deteſtandum implere ſtudium, ni generale exerceret homicidium: *Illa regum ira magna, & inextinguibilis eſt*, inquit Chryſoſt. in catenâ, *quam regni zelus accendit. Sed quid fecit? Mittens occidit omnes pueros: ſicut enim beſtia vulnerata quicquid oculis eius occurrit, quaſi auctorem ſui vulneris dilaniat; ſic & ille deluſus à Magis iram ſuam ſuper paruulos diffundebat.* Dum immodicè ambitioſus regnum affectat, prætexit dolum, & recens natum occidere molitur puerum; verùm cùm impediatur ignorantia, & exulceretur inuidiâ, omnes pueros neci tradit, & ne in Bethlehem natus ſubterfugerit, terminis incluſos Bethlehemiticis quàm ſolerter inquirit. Immoderata cupiditas peperit turbationem, turbatio aduocauit dolum, detectus dolus armauit iram, ira occidit infami cultro innocentiam. Itaque vnum vitium vocabat alterum, & ad inſtar catenarum innexa tenebant miſerum, & incrementabant damnum. Vnum tantummodò propoſuerat occidere; ſed quia non poterat ad vnum, niſi per lamentandas multorum ſtrages peruenire, & per ſtrages decreuit amenter quærere. *Quid fecit? Mittens occidit omnes pueros:* Quod Herodi in Chriſtum Dominum furenti accidit, plurimis agnouetis contigiſſe: in vnam tantùm virtutem armantur, puta temperantiam, aut iuſtitiam; verùm quia non poſſunt ad occidendam temperantiam, niſi plurium virtutum ſtrage peruenire, irruunt in virtutes, vt amentes expleuerint anxietates: rapiunt aurum, quod pendant meretrici: occidunt maritum, vt abutantur vxore: has enim appendices adducit ſecum improbitas, has inducit conſequentias cæca, & deteſtanda cupiditas.

Matth. 2. v. 3.

Chryſoſt.

Vide in Caino quas filias infelici partu inuidentia fuerit enixa; inuidit fratris ſplendori, qui non inuidit virtuti: non æmulabatur pietatem; ſed cæleſtem ambiebat lucem. O exoculatum humanæ peruerſitatis delirium! non vult ſerere; ſed colligere: ergo fratrem dolo conuenit, & occidit, cúmque à Domino interrogationibus vrgeretur, vt manum parricidio, linguam commodauit mendacio: *Vbi eſt Abel frater tuus? Qui reſpondit: Neſcio: num cuſtos fratris mei ſum ego?* Clementi interrogatione pulſatus ipſum Deum arguit; & interrogaſſe quodammodò reprehendit: aperuerat morti ianuam; ſed nondum omnem expunxerat verecundiam: ergo vt conſuleret pudori, ſtuduit fraudi: & iam fraus appendix erat audaciſſimi furoris. Verecundia, vt par fuiſſet, non frænauerat dexteram, & indebitè frænauit linguam, vt imuerſo officio & malè verecundus peteret, & benè fraudulentus negaret. *Hic rogatus* (verba ſunt Baſilij Seleucienſis oratione 4.) *haud, inquit, noui: cognata vox ab eodem magiſtro miſſa etiam Deum; qui audaci facinori præſens aderat, celat, mendacio notitiam adimere ſibi perſuadens: eſto dextera vſum Diabolo commodaris, cur etiam linguam commodaſti?* Dextera audaci facinore polluta perſuaſit linguæ mendacium, & iam per legitimam impietatis conſequentiam lingua cogitur fraudulentis dolis inſeruire: quia non erubuit dextera immeritis necibus famulari. Certè vt iuſti ibunt de virtute in virtutem, ſic peruerſi de vitio in vitium præcipitantur, & in peius ſemper aguntur. Michas idolum cogitauit effingere; ſed iam effictum depopoſcit teraphim, exegit aram, fabricari perſuaſit ædiculam.

Tol.

Geneſ 4. v. 9.

Baſil.

Digitized by Google

§. XXIV.

Sæpè cæleſti dignatione cæteris antelati, cenſuque copioſi, & vitiis inueniuntur infecti.

103. Virtus quid excelſum, regale, & inuictum eſt. E contra voluptas non ſolùm humilis; ſed ſeruile. Virtutem in templo inuenies honoratam, in foro inconcuſſam, in curia pro muris ſtantem, & vbique vel in attrita veſte grauiſſimo vultu, & qui ſibi venerationem conciliet, mirè ſplendentem. Voluptas in popinis latitat, fornices occupat, deformis captat tenebras; nec rea quit effugere anguſtias. Verùm etſi vitium plebeium, & virtus regalis ſit, adeò rerum ordinem inuerſum; imò penitus peruerſum adſpicies, vt cæteris præſtantiores originis luce, fortunæ cenſu, aut muneris dignitate, & vitiis etiam videantur cæteros anteire, & inconditis moribus antecedere. Ironicè, nec ſine ſale aiebat Clemens Alexandrinus in exhortat. ad gentes: *Iupiter non eſt amplius draco, non cygnus, non aquila, non homo amori deditus, non volat Deus, non tenetur amore puerorum.* Ac ſi dicat: Iupiter, quem magnum exiſtimatis, ſuam magnitudinem de puerorum amore, de illata vi, de volentis ſtupris non malè probat, quandoquidem iam aquila rapit, iam fallit draco, iam demulcet, cygnus formæ varietatibus multiplex, ne prauitate ſimplex. O vtinam iſta ſolùm fabulis depicta; verùm eſt mera veritas fabulis manibus adumbrata. Qui Lycurgi tribunalibus, qui dominatu Ioues, qui fortitudine Martes, ad exercenda vitia magnitudine abutuntur, & eſt iam vitiorum auxilium, quod olim obſtaculum. Vir de monte Ephraim. Michas nomine idolum colit, furtum exercet: *Reddidit igitur eos* (mille ſcilicet & centum argenteos) *matri ſuæ, quæ detulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.* Qui furto & idololatria obſcuratus de nobili ac fratri antelata Ephraimitarum tribu refertur exortus: *Fuit eo tempore vir quidam de monte Ephraim nomine Michas.* Hanc tribum cæleſti dignatione prælatum refert Geneſ. 48. *Extendens manum dexteram poſuit ſuper caput Ephraim minoris fratris; ſiniſtram autem ſuper caput Manaſſe, qui maior natu erat, commutans manus.* De tribu prælata & Manaſſæis antepoſita erat Michas, qui vt cæleſtia beneficia compenſet, expendit nummos in idoli cultum, & templum. Fors ſi de alia eſſet tribu calamitate attrita, aliiſque poſtpoſita, non adeò ſuperbiret, nec ſe execrandis adeò criminibus macularet; at prælationem ſortitus refertur & impietate obſcuratus: *Vir quidam de monte Ephraim*, inquit Abulenſis q. 5. *id eſt, habitans in monte Ephraim, & ſic erat iſte Michas de tribu Ephraim,* Dignitatis luminibus nobilitatus, loco & habitatione præcelſus idololatriæ delirat addictus: quaſi idem ſit cæteris præſtare ſanguinis ac dignitatis luminibus, & deuiciſſe ſceleribus.

Clem. Alex. — Geneſ. 48. v. 4. — Abulenſ.

104. Saül furore percitus iubet emiſſariis in Sacerdotes Domini audaces manus conuertere: *Conuertimini; & interficite Sacerdotes Domini*; verùm emiſſarij nec regis præcepto, nec indignationis periculo aggreſſi ſunt religionem violare, aut in Domini Sacerdotes irruere: *Noluerunt autem ſerui regis extendere manus ſuas in Sacerdotes Domini.* Quid tunc? Doëg vilis carnificis non dedignatur officium, vt impium regi præſtet obſequium: *Irruit in Sacerdotes, & trucidauit in die illa octoginta quinque viros veſtitos ephod lineo.* Ecce Doëg cæleſti munificentiâ plurimis antelatus, dignitatibus cultus, regis familiaritate honoratus plus audet quia poteſtate plus viget: *Erat primus inter ſeruos Saül.* Qui primus dignitate, & primus ſcelere: *Præerat*, inquit Caiet. *reliquis curialibus.* Poteſtas ſacrilegam exacuit audaciam, & quia plus ſibi licere præſumpſit, ſacro Sacerdotum ſanguine dexteram maculare tentauit. Et quæ non audebunt magnates? Quæ non tentabunt nobiles? Quæ non aggredientur diuites? Tunc putant magnitudini ſuæ nihil detrahere, cùm audent in leges, cùm deſpiciunt Sacerdotes, cùm æquitatis tranſiliunt limites. Nihil à magnatibus tutum, nihil non violatum, quaſi de magnitudinis priuilegio nil illis non licitum, nil audaciæ fuerit exemptum.

1. Reg. 22. v. 9. — Caietan.

Præceperat Dauid Abſalonem omni ſibi diligentia aſſeruari, cùm compulſus eſt armatas phalangas in campum contrà parricidam producere: nec ſolùm paterno viſcera vrgebantur ſtudio; ſed religioſiſſimo deſiderio, ne, ſi parricidij ſcelere pollutus periret, æternum luctum parenti afferret: *Præcepit rex Ioab, & Abiſai, & Ethai dicens: Seruate mihi puerum Abſalom; & omnis populus audiebat præcipientem regem cunctis principibus pro Abſalom.* O quàm anxia perturbat animum ſolicitudo, quando armatis copiis nihil iniungit, & à ſolùm tribus puero veretur periculum imminere. Profectò de ſeruando Abſalone edictum ad populum etiam debuiſſet extendere, cùm gregarius miles, vt Achabo contigit poſſet aut ſagittam collimare, aut haſtam contorquere. Cur ergo, dum ardens adeò fouet viſceribus deſiderium, ſolis principibus profert edictum? Diſcamus de ipſa edicti contractione eruere myſterium. Principem occidere ingentes requirit animos, quandoquidem maieſtas violatur, & grauiſſimum crimen incurritur: ergo Dauid non animo perturbatus; ſed ſapientia cæleſti edoctus plus magnatum exlegem verebatur audaciam, quàm popularem timuerit dexteram: & quidem rationabilem timorem probauit euentus: nam cùm Abſalom arbori vt carnifici penderet traditus, à ſeruis nullatenus eſt percuſſus. Verùm Ioab regis mandatum oblitus repetitis ictibus puerum tranſfodit, & militem patitantem acerrimè reprehendit: *Quare non confodiſti eum cum terra?* Iam reſpondet miles: *Nequaquam mitterem manum meam in filium regis: audientibus enim nobis præcepit Rex tibi, & Abiſai, & Ethai, dicens: Cuſtodite mihi puerum Abſalom.* Miles regis iram extimuit; at Ioab præceptum contemnens arbore pendentem tribus lanceis confodit, & vitam abſtulit: *Tulit ergo tres lanceas in manu ſua, & infixit eas in corde Abſalom.* Ecce cùm gregarius ſic præcepto cohibeatur, vt nec ingenti remunerationis lucro cædem perpetrare fuerit aggreſſus, præceptum ſpernit, & tranſgreditur legem Ioabus. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Ioabum videlicet à Dauide cæteris fuiſſe præfectum, honoribus nobilitatum & maiori familiaritate coniunctum: ergo magnitudo manum impulit, & audaciam ad violandam legem exacuit: qui manum debuiſſet

105. — 2. Reg. 18. v. 5.

debuiſſet frænare, & regiis præceptionibus præ cæteris obedire, tentat Abſalonem transfodere, & Dauidem dolore ingenti percellere. Notauit Theodoretus quæſt. 34. *Dux exercitus*, inquit, *ſciens patrem miſereri, in cor execrandiſſimum tria confixit tela.* Dux, non gregarius, confixit, & confixit, quia dux: inde namque maiorem deprompſit audaciam, vnde tenebatur præſtitiſſe ſubmiſſiorem reuerentiam: à Dauide plurimis antelatus, Dauidis præ aliis religioſum contempſit præceptum, & aggreſſus eſt homicidium: vt noueris quàm ſit vera noſtra theſis, ſcilicet ad dignitatum faſtigia euectos, præ cæteris culpis ſordeſcere maculatos.

Theodoret.

§. XXV.

Diuites de architectandis vitiis cogitant, noua delicta fabricant.

106. PEcunia non ſemel legitima criminum filia; ſed copioſa etiam inuenitur criminum vena: mouet cerebrum, inflat animum, deturbat prudentiam, nutrit audaciam. Diuitiæ ſunt virtutis tinea, fomes inſolentiæ; malunt tamen homines infeliciter eſſe felices, quàm fauſtè pauperes. *Malunt*, aiebat Plutarchus lib. de cupidit. diuitiar: *cum infelicitate diuites eſſe, quam beati pecunia danda.* Nil beatius homini putant contingere, quàm ſuperbis diuitiis affluere, & auri copia inſidiatrice exundare: falluntur tamen: nam cùm non rarò pecunia ſit criminis proles, ſapit originem, ingenium refert, & eſt veluti noui criminis magnes, & inſaniæ, vt dicebam, fomes: *Deliciæ*, aiebat Menander apud Stobæum cap. 113. *in ſuperbiam incidunt, opes Dominum ſuum afficiunt aliis moribus, quàm affectus erat antea.* Vt aurum ſuperbiæ fermentum, ita morum inuenitur exilium: noua & inuſitata architectatur delicta, & ſtudet quomodo ſceleribus addiderit incrementa: *Qui magis, magiſque accumulandæ pecuniæ dediti ſunt*, inquit Euripides apud Stobæum vbi ſuprà, *quò maioris eam faciunt, eò minoris virtutem. An non ita virtus diſtat à diuitiis, tanquam ſi vtraque in luce ſtatera poſita eſſent, & alterum ſemper inclinaret in contrarium?* Vt lanx plus à lance diſtat, quo ponderis plus habet; ita humanæ vitæ ſtatera, quò plus habuerit diuitiarum, tantò magis ab æquitate diſtabit: Hoc comprobat Michæ mater: vbi diues refertur, de fabricandis idolis cogitat, & nouum ſculptile effingit: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.* Ecquod ſculptile, aut conflatile? Profectò ex antiquis nullum; ſed nouum, recenſque: non erat imago Martis, non veneris; ſed ſculptile, cui vel omnia nomina conuenirent, vel nullum ex antiquis placeret: *Idola abſque aliquo nomine proprio*, ſcribit Caietanus, *alicuius Dei, aut animalis ſcribuntur in littera.* Itaque hæc mulier ſculptile effinxit de nouitate inſolitum, de materia pretioſum, & de artificio exquiſitum: vitulus fuit conflatilis, alia idola fuerunt malleatorum ſudoribus ſculpta: hoc Pandoræ ad inſtar & conflatile, & ſculptile, vt dum reliquorum idolorum proprietates vnitas habet, reſultaret nouum commentum, & inſolitum ſæculis artificium: ſculptile effinxit, quod prout occaſio diſtaret, aut referret Martem, aut

Plutarch.

Menand.

Euripid.

Caiet.

Venerem, & dum ſingularem reſpuerit, omnem materia & artificium amplecteretur errorem.

Vbi populus lætiori fortuna vſus, vbi diuitiis, ac deliciis affluentibus circumſeptus, in nouam impietatem exarſit, & ingenij acumen, vt errores nouos architectaretur, applicuit. Ecquis hoc ait? Certè Moſes Deuteronomij 32. *Incraſſatus eſt dilectus, & recalcitrauit: incraſſatus, impinguatus, dilatatus dereliquit Deum factorem ſuum, & receſſit à Deo ſalutari ſuo: immolauerunt dæmoniis, & non Deo, diis, quos ignorabant: noui, recenteſque venerunt, quos non coluerunt patres eorum.* Impinguato, diuitiiſque affluenti ſatis non fuit antiquos deos colere, ni nouos exambierit effingere: quaſi puduerit nouam idololatriæ viam ſibi non aperire, & veſtigia relicta premere: *Dij, quos coluerunt*, inquit Rupertus lib. 2. in Deuteronom. cap. 7. *non dij, ſed potiùs dæmonia ſunt: dij nuncupatiui, dij noui, quia priùs eos ignorauerunt: dij recentes, quia non coluerunt illos patres eorum.* Nouis adinuentionibus ſibi ſtatuerunt nomina amplificare, & de ipſis ſceleribus ſuperbire: olim faſtidiebant diuites diem vel tempus commune, vt vel in tempore diem ſibi effingerent peculiarem, & naturam vſu peruerſo confunderent; verùm iam & noua fiunt vitia, & noua architectantur etiam ſcelera: *Cùm inſtituerunt omnia contra naturæ conſuetudinem velle*, inquit Seneca epiſt. 122. *nouiſſimè in totum ab illa deſciſcunt: lucet, ſomnij tempus eſt: quies eſt, nunc exerceamur .... dies publicus relinquatur, proprium nobis ac peculiare manè fiat.* Itaque, vt tempus transforment, in vſus contrarios & fundunt, & expendunt. Concinit Hugo ad illa verba, *De monte Ephraim*: ipſum audi: *Hic eſt de monte Ephraim, id eſt, de eminentia abundantia temporalis, vnde prouenit omnis ſuperbia; imò omnis iniquitas.* Diuites immeritè ſuperbiunt: ergo noua delicta, & exquiſita figmenta conflant à reliquorum collegio etiam in delinquendo diſpuncti, & faſtidioſè cæteros auerſati.

Prodiit, aiebat Pſaltes, *quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis.* Adeps præ cæteris corporis partibus pingueſcit: ergo vt pinguiorem prodiiſſe iniquitatem, infeliciter præſtantem, aliáſque excedentem denotet, ex pinguiſſimo exortam adipe dixit: *Quaſi dicat*, exponit Incognitus ibi, *Iniquitas eorum in affectum prodiit, ex adipe, id eſt, ex abundantia, non ex motiuo neceſſitatis.* Diuites in affectum cordis tranſeunt: quia nihil aliud ad ſpeciem ſunt, quàm cordis affectus: qui ægritudinibus diuexatur, qui premitur egeſtate, de medicina, & de cibo cogitat; diues verò omnia faſtidit, & vt faſtidium alleuet, noua ciborum condimenta, inſolita condimentorum excogitat artificia: quia quodammodò aurum eſt delictorum chimæra.

Vt huius ſæculi potentes, opulentóſque textus depingat, res prorſus diuerſas, & ſi fas eſt dicere, ſibi aduerſantes coniungit: *Quatuor beſtiæ grandes aſcendebant de mari, diuerſæ inter ſe*, inquit Daniel. *Prima quaſi leæna, & alas habebat aquilæ. Et ecce beſtia alia ſimilis vrſo in parte ſtetit, & tres ordines erant in ore eius, & in dentibus eius. Et ecce alia quaſi pardus, & alas habebat quaſi auis quatuor ſuper ſe, & quatuor capita erant in beſtia, & poteſtas data eſt ei. Ecce beſtia quarta terribilis, atque mirabilis,*

107.

Deuter. 32. v. 15.

Rupert.

Senec.

Hugo.

108. Pſal. 72. v. 7.

Incognit.

109.

Daniel. 7. v. 3.

Digitized by Google

& fortis nimis, dentes ferreos habebat magnos. Reuolue Poëtarum figmenta,& conficta monſtra, nec maiora inuenies; cùm tamen veritatis penicillò certa his emblematibus depingatur hiſtoria: leæna cæterarum dedignata conſuetum ſtylum alas ſuperaddidit aquilinas,forte vt & rapaces adnecteret etiã vngues:nec enim alienum eſt à vanitatis & ſuperbiæ faſtu aliena deripere, ne inſidioſus ac ſuperbus faſtus contingat imminui. Vrſorum quis tres dentium ordines eſt ſortitus? Solus hic, de quo loquimur, quo citiùs voraret, & dilacerauerit plures, exacutos addiderit dentes. Iam quis vidit pardum germinatis capitibus tumeſcentem, & plumis auium ocyſſimis inuolantem? Itaque in his omnibus vitia inſolita; noua adinuenies ſcelera: quia, vt cæteros anteibant dignitatum ac diuitiarum præſtantia, ſic antecedebant nouâ ad delinquendum induſtriâ, & inſolentiſſimâ audaciâ. His ſymbolis denotari quatuor magnos Principes tradit Lyra: *Quatuor beſtiæ, id eſt, quatuor regna* Lyra. *magna, & dicuntur beſtiæ propter ferocitatem, grandes propter ſuperbiam, & potentiam; diuerſa inter ſe, id eſt legibus, & moribus differentes.* Pro potentia, non pro ratione leges condebantur, & deteſtabilis nouitas erat potentiæ effectus, & ſuperbiæ faſtus. Ergo dum Michas de monte Ephraim refertur, id eſt de celſitudine, & abundantia, conflatilem & ſculptilem Deum architectatur, quòd in vnum ad potentiæ oſtentationem varia figmenta coierint, & effingentis infeliciſſimam potentiam futuris ſæculis oſtentarint.

§. XXVI.

Aurum enutrit inſolentiam, & inſania tranſilit lineam.

110. ÆQua natura, & incorruptum de rerum qualitate iudicium ferens prudentia concinnum & elegantem ordinem diſpoſuerunt; verùm quos gradus, qualitateſque ſapiens diſtinxit diſcretio, confudit inordinatè pecunia, & auri peruertit copia. Chaos illud non ſine rationabili prouidentiâ in meliorem modum digeſtum ſic aurum confudit vt nec ſicca ab humentibus, nec à frigidis calida patiatur diſtingui; ſed inuerſa rerum adulterataque conditione nobilitatem diuitibus procudit, inopes exauctorauit. *Amœnas villas*, aiebat Plutarchus Plutarch. lib. de cupid. diuitiar. *ampla ædificia, & magnam vim argenti ſtupent, & in cœlum ferunt.* Velut cæleſtis habetur diues, inde aurum attuliſſe originem creditur, & nobilitatum ſuſpicitur: opulentus ſemper habetur regibus editus & eximius. Omnia ſibi licere putat copioſus, & cum ipſo Ioue de faſtu, magnitudineque contendet. *Fugienda igitur*, aiebat Ambroſius lib.6.in Hexamer. cap.8. Ambroſ. *& cauenda ſunt ſemamenta mundi, ne pauper deſperet, ne opulens inſoleſcat.* Fortunatus inſoleſcit. Inſoleſcit fortunatus, & conditionis ſuæ modum tranſgreditur: quia iam rebus pretium de auri quantitate taxatur. Deplorabat, & iure, Seneca epiſtol 115. virtuti iam nullum exhiberi officium, ex quo in pretio habetur aurum: Seneca. *Hæc ipſa res tot magiſtratus, tot iudices detinet, quæ magiſtratus & iudices facit pecunia, quæ ex quo in honore eſſe cœpit, verus rerum honor cecidit.* Velut in figuli officina facile eſt lutum in hanc, aut illam formam effingere, & cabum in Iouem transfundere, & conformare, ſic in officina opulentiæ effinguntur Ioues, efformantur Lycurgi, Mercurij prodeunt, & ſe magnatibus exæquabunt; imò ſuperbiæ lineam tranſilient iam non contenti certare; ſed vincere. Mulier quædam, vt videtur, viduâ, Michæ mater domi ſuæ ædiculam numini fabricat, conducit Sacerdotem, idolum effingit, & quicquid ad idoli pompam pertinet, habet: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit, & fecit ephod, & teraphim.* Hanc mulierem fuiſſe Dalilam exiſtimant nonnulli, de quorum ſententia iudicium non fero; ea tamen ad moralitatem vtor: *Aliqui dicunt*, ſcribit Abulenſis q. 6. *quòd erat Dalila.* Abulenſ. Collegerat Dalila non modicum aurum infami corporis proſtitutione, captioſis dolis; dum Samſonem eleganti denudat coma, grandi à principibus accepta auri diteſcit ſumma. Ergo audet quod vel ſtrenui, & triumphis celebres non auderent. Vicit Gedeon aduerſarios, ſubegit inimicos, accepit inde de præda aurum ex quo ephod confinxit,& in ciuitate ſua collocauit: *Fecit ex eo Gedeon ephod & poſuit illud in ciuitate ſua Ephra.* Idolum fuiſſe exiſtimauere nonnulli. Ita Abulenſis q.43. *Aliqui volunt quòd fuit idolum quoddam.* Abulenſ. Ecce poſt deuictos hoſtes: poſt decantandos triumphos idolum confingit Gedeon, nec in propria domo aggreditur collocare; ſed in ciuitate ad magnitudinis ſuæ teſtimonium reponere, cùm Dalila propriam domum templum efficiat, & ibi omni luxu idolis cultum exhibeat: quia dum diuitiis exundat; ſuæ conditionis terminos tranſgreſſa, non ſolùm nobilium, magnatúmque imitatur facta; ſed vincere conatur exempla, vt verum ſit, quod aiebat Ambroſ.lib.de Abel & Cain cap.4. *Quid hoc eſſe dicam, niſi fortè, quia diuites* Ambroſ. *putant nihil eſſe, quod non cedat ſuæ pecuniæ.* Vel nobilitatem, vel militarem fortitudinem pecuniæ vi ſuperare contendunt, & quod non auderet nobilitas, & dignitatis auctoritas; auri audebit libera fronte temeritas. Gedeon ephod, idolúmve poſt bellicos ſudores, & partos triumphos in ciuitate poſuit; verùm Dalila auro fidens idolum & ephod propria in domo collocauit.

Qua diuites teneantur dementia, qua inſoleſcant arrogantia, mirè depinxit Seneca epiſtol. 27. 111. dum ait Caluiſium Sabinum perſuaſiſſe ſibi omnia noſſe, & quemdam ex adulatorum grege ei perſuaſiſſe ægritudine, & mille morbis laboranti poſſe athletas vincere, coronáque non frui, non quia vitium non polleret præſtantia; ſed quia vetabatur modeſtia. *Caluiſius Sabinus memoriâ noſtra* Seneca. *fuit diues, & patrimonium habebat libertini & ingenium: nunquam vidi hominem beatum indecentius.* Adnectit: *In ea opinione erat, vt putaret ſe ſcire, quod quiſquam in domo ſua ſciret. Satellius illum adhortari cœpit, vt luctaretur, hominē ægrum, pallidum, gracilem: cum Sabinus reſpondiſſet. Et quomodò poſſum? vix viuo. Noli, obſecro te, inquit iſtud dicere.* Itaque & pecunia erat pro ſcientia, & pro viribus: & pro nobilitate: nam quod ex libertino traxerat fœditatis, non ſolùm pecunia occuluit, ſed fulgor auri inaurauit.

Deus pro ſua benignitate & potentia homines in Deos quodammodò euexit, & dignitatibus exornauit: *Deus ſtetit in ſynagoga Deorum, in medio autem Deos diiudicat.* 112. Pſal. 81. v.1. Omnipotentiæ proprium fuit, & terrigenas dignitatibus euehere, & euectos

Digitized by Google

euectos diiudicare. Hanc numinis excellentiam populus ille in argento, & auro eductus conatus eſt imitari, & cùm auro exundarit, aggreſſus eſt Deos conſtruere, & ad culmen dignitatis euehere: *Fac nobis Deos*; de conſtructis ſententiam ferunt: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti*: vt numinis imitentur ſtylum, Deum poſſe ſe conflare arbitrantur, dum auro diteſcunt, & impenſo iam auro ferre ſententiam de Deo præſumunt. Eò proceſſit ambitionis temeritas, vt cum ipſo Deo quodammodò aggreſſa ſit de poteſtate certare; imò & vincere: *Deos ſibi*, aiebat Tertullianus aduerſus Gnoſticos cap. 3. *producere quærit.* Proh diuitum inſolentiam! proh inſolentiæ inſaniam! Omnia ſibi credunt licere, nec ſe alicui inferiores præſtabunt, quantumvis & origo obſcura, & viles faſciæ, & captiuitatis preſſerint aliquando catenæ.

Exod. 32. v. 1.

Tertull.

113. Purpurâ, byſſóque diues ille veſtiebatur, & cùm purpura regum fuerit inſigne, aliquid vel regio ſplendori adiecit: *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpurâ & byſſo.* Et quare? Quia diues: *Erat*, inquit, *diues.* Obſtetrix, vt generis principem Zaram deſignaret, coccino inſigniuit: *Obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.* Sed cùm Zaræ manu ſolum nobilitatis ſtemma ornarit, diues totus pupuratus, & inſuper byſſo ſplendidus: iam non ſolùm cum primoribus contendit; ſed luxu, faſtuque aggreditur quàm longiſſimè ſuperare, de auri priuilegio, de cenſuum magnitudine omnem nobilitatem ſibi aſciſcit, omnem ſibi honorem vendicat, & regium exambit cultum, qui referebat origine fortè ſeruum: *Purpura*, inquit Caietanus ad Lucæ 16. *regum, non cuiuſque diuitis eſt: eſt byſſus lini molliſſimi genus, reginarum delicijs fortè commodum, non cuiuſcumque diuitis.* In ſe vnum congeſſit & regum cultum, & reginarum ornatum: quaſi parum fuerit diuiti regium æmulari ſplendorem, niſi & reginarum retulerit magnitudinem. Miror aliquando in hac parte politices ſomnium: pro ſuo arbitrio licet diuiti domus amplitudinem, familiæ pompam, ornatus ſplendorem taxare: neſcies, ſi in diuitem incideris, an incideris in magnatem.

Lucæ 16. v. 19.

Geneſ. 38. v. 27.

Caiet.

114. Huius abuſus fortè Ioannes deſcripſit exemplum in meretrice illa ſeptem montium vertices occupanti: ibi ſplendenti murice, byſſóque radiabat venenum deauratum propinans, & hominum mentes infatuans: *Septem capita ſeptem montes ſunt, ſuper quos mulier ſedet*, exponit Angelus. Mirabéris mulierem, quæ ſordido in proſtibulo, quæ anguſto in fornice debuiſſet latitare, elatis montium ſummitatibus eminere. Eccur ampla adeò ſordidæ inhabitatio? Eccur regia veſtis infami? In ipſa fronte ſolutionem dubij reperies, *Myſterium.* Margaritum, aurumque ſic fœditatem abſcondebant, ſic ſordes inaurabant, vt iam dum auro fulget, & ornatum regium affectet. *Inaurata*, inquit, *auro, & lapide pretioſo, & margaritis, habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius, & in fronte eius nomen ſcriptum, Myſterium, Babylon magna.* Dum diuitiis exundat, deprædicabitur magna, & montium capitibus eminebit ſuperpoſita. Huc voco, quod aiebat Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 8. *Quanto diues eſt aliqua matrona nomine inflata, tanto capacem domum oneribus ſuis requirit, campum, in quo ambitio decurrat: ſordent talibus Eccleſiæ.* Iam ſcortum in matronarum ſupputatur cenſu, quia diues, iam pro domo campus, iam apex pro fornice, iam purpura pro ſorditie: eminere exambit in montium apicibus, ſe atauis regibus exortam dictitans, & de præſumptione inſaniens. Ecce Dalilæ iam ſordeſcebat Eccleſia, & iam pro Eccleſia erat à ſe conſtructa in habitaculo ædicula.

Apocal. 17. v. 9.

Tertul.

§. XXVII.

Profuſior libido impietatis amica, & religioni ſæpiſſimè aduerſa.

115. Blandum malum luxuria, inquit Valerius Maximus lib. 9. cap. 1. *quam accuſare aliquanto facilius eſt, quàm vitare... Iungatur illi libido, quoniam ex eiſdem vitiorum principiis oritur, neque aut à reprehenſione, aut ab emendatione ſeparetur gemino mentis errore connexa.* In mille errores libido impulit, ſalutem abſcidit, membrorum dolores inuexit, famam abroſit honorem corrupit: *Quid his vitiis*, addit clarus actor ibi de Annibale, *fœdius, quid etiam damnoſius, quibus virtus atteritur, victoria langueſcunt, ſopita gloria in infamiam conuertitur, animique pariter & corporis vires expugnantur, adeò vt neſciat ab hoſtibuſne, an ab illis capi pernicioſius habendum ſit.* Non eſt cognitu difficile pernicioſius eſſe quàm ab hoſte, à libidine poſſideri, quandoquidem hoſtis tyrannidem nequit in animum exercere, cùm libidinè conſtet de mentis arce rationem ac prudentiam præcipitare. Iupiter, ſi hoc degeneri affectu ardeat iam in draconem, iam in aquilam, iam tranſibit in cygnum, & obſcuratis prorſus, quibus falsò Deus habebatur virtutibus iam nec homo, ſed brutum cygnus: *Egregius Iupiter*, inquit Clemens Alexandrinus in exhortat. ad gentes, *qui eſt diuinator, hoſpitalis, ſupplices exaudiens, clemens, panomphæus, ſeu voces, ac linguas omnium excipiens, depulſor, & auerſor malorum; imò verò iniuſtus, ſceleratus, iniquus impius, inhumanus, violentus, ſtuprator, adulter, amator.* Quid ad doloſam Circes metamorphoſim recurrere opus, cùm libido Iouem doceat cygnum induere, & in brutum denegare? Omnia transformat incontinentia, vultum, vires prudentiam, animum, & quod omnium peſſimum, religionem: cùm non diſtet multum ab infidelitate, qui impotentibus ac cæcis his affectibus ſe commiſit. Ecce mater Michæ de idololatria exercenda cogitat: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario; vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Micha.* Hanc mulierem Dalilam fuiſſe tenent nonnulli apud Abulenſem q. 6. & apud Lyram hîc ergo Dalila libidini vacans, & teſtante Scriptura Samſonis conſuetudine vtens: *Amauit mulierem, quæ habitabat in valle Serec, & vocabatur Dalila*; de idolis effingendis cogitat, & religionem apertè temerat. *Mater Michæ*, inquit Abulenſis quæſt. 5. *non erat benè fidelis Deo; ſed adhærebat idolis.* A veri numinis religione diſceſſerat, & quia non reſpuerat turpitudinis inſaniam, amplexa eſt impietatem libidini amicam. O quoties libido familiaris ſuæ infidelitatis, impietatiſque cauſam agit, & morem gerit; ſuas imputatas delicias ſubtrahit, quo ipſa priuatione viuidius inflammet, & à vera religione ſeparauerit cupiditate cæcum, & voluptate ineſcatum.

Valer. Max. Luxuria blandum malum.

Clem. Alex.

Abulenſ.

Digitized by Google

116. Moabitæ deteſtabile Balaami arioli conſilium ſecuti fœminas mittunt omni artificio ad libidinem excultas, ac floridis veſtibus exornatas, vt Iſraëlitas amore ineſcatos, dum à complexibus induſtriâ auſteritate arcent, à vera religione ad impietatem tranſtulerint, & faciliùs ſeruire idolis ſuaſerint: *Fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua. At illi comederunt, & adorauerunt Deos earum.* Deperibant fœminas: illæ ſui copiam denegabant, niſi ſuam religionem ſecutis: ergo ne tantâ voluptate priuarentur, religionem abiurarunt, & ad idolorum caſtra tranſierunt. Eleganti ſtylo, etſi tantiſper prolixo, rem depingit Ioſephus lib. 4. antiquit. cap. 6. *Illi cupidine cæci dicta earum comprobant, & quo trahebantur, ſequentes à religione Patrum deſciſcunt, & plures Deos credere inducti ſacra illis eius gentis ritu faciunt, cibis quoque indifferenter vtebantur, & in mulierum gratiam nihil non contrà legem faciebant: vt iam tota caſtra iuuenum impietas inuaderet; & ſeditio priore peior gliſceret. & auita religio in extremum periculum deduceretur.* Rem prorſùs indignam, & eorum maioribus incognitam exercebant: pluris voluptatem, quàm Deum & religionem facientes, & qui in deſerto modeſtè vixerant, vbere iam in regione debacchabantur, & quam à maioribus pietatem hæreditate acceperant, nunc per affluentiam, & voluptatem non ſolùm atterebant; ſed prorſùs obliterabant. Adde quod inſitus eſt fœminis, & quodammodò prognatus lætioris cultus, & ambitioſæ pompæ appetitus: quod ſi vt exercendæ luxuriæ pompatici etiam ornatus occaſionem inuenerint, pietatis deſerent caſtra; & non exploratrices; ſed tranſfugæ ad Ethnicorum mores inuolabunt, veram fidem & religionem oblitæ, & libidinis œſtro inſanæ.

Num. 25. v. 2.

Ioſephus.

117. *Nolite*, aiebat Chriſtus Dominus, *dare Sanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne fortè conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Variè conſilium Chriſti Domini interpretantur Doctores. Tertullianus mulieribus applicat, quæ dum lautiorem cultum; imò & maiorem carnis licentiam apud Ethnicos ſe habituras præſumunt, non dubitant ſe illis tradere pudicitiam proſtituentes, & veræ religionis ſplendorem innubilantes: *Moratur*, inquit lib. 2. ad vxorem cap. 6. *Dei ancilla cum laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus Dæmonum, omnibus ſolemnitatibus regum incipiente anno, incipiente menſe nidore thuris agitabitur. Et procedit de ianua laureata, & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Cauſam adnectit cap. 8. *Quàm huius amentiæ cauſam deſcribam, niſi fidei imbecillitatem pronam ſemper in concupiſcentiam ſæcularium gaudiorum? Quid ergo faciant? Vnde niſi à Diabolo maritum petant bonum exhibendæ ſellæ, & mulabus, & cinerariis peregrinæ proceritatis? Chriſtianus iſta etiam diues fortaſſe non præſtet.* Chriſtianus vti optimis legibus ad modeſtiam inſtructus pompaticam vxoris, & ſuperfluam vanitatem cohibet, parciúſque ac modeſtius matrimonij licentia vtitur: ergo plures fœminæ confuſionem ſuam ſpumantes & lætiorem habitum diſcupientes à Diabolo maritum petebant, & iam in fide vacillabant. Certè libidinis deditij, etſi à religione non deſciſcant, illam dehoneſtant, dum factis atteſtantur contemptibilem, & de abacto prorſùs timore deſpicabilem, quandoquidem religionem veram videntur non credere dum audacter comprobantur deſpicere.

Matth. 6. v. 7.

Tertull.

Vinum, & mulieres, aiebat Eccleſiaſticus cap. 19. *apoſtatare faciunt ſapientes, & arguent ſenſatos, & qui ſe iungit fornicariis, erit nequam: putredo & vermes hæreditabunt illum.* Nimio fœditatum egreſſu tabidum corpus vermes & dolores depaſcunt, & peruersè ſapiens, & argumentatrix nequitia ſenſatos priùs tetro libidinis fumo aggreditur obcæcare, quo ad idololatriæ amentem errorem faciliùs valeat adducere. Rabbanus apud gloſſam ſic locum explicat: *Fornicatio, qua derelicta veritate fidei, iunguntur dæmoniis.* Conſonat Lyra: *De vino habetur exemplum Geneſ. 19. in Lot, qui inebriatus ſuas filias ſtuprauit: de mulieribus autem 3. Regum 11. vbi dicitur de Salomone: Cùm eſſet ſenex, deprauatum eſt cor eius per mulieres.* Qui cæteros ſapientiâ antecellebat, dum nimiùm vxorius ſe carnis deliciis tradit, à religione deſciſcit earum inſanis amoribus cæcus, & fallacibus argumentis conuictus: itaque & ad veri numinis deſpectum traxit inſana libido, & Salomon ſapientiæ miraculum degenerauit in ſtupiditatis ac erroris prodigium. 118.

Eccl. 19. v. 2.

Rab.

Lyra.

§. XXVIII.

Nequit ſuperior ſubiectorum corrigere errorem; ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem.

AD inſtar miraculi erit filius patris exemplum non ſecutus, quando non pudet exercere, quod paternis videt actionibus commendari. 119. Mirabatur Plinius iunior 9. epiſtolar. 9. Quintianum omnibus virtutibus excultum, cùm patre diſſimillimo vteretur: *Felices amabat, miſeros tuebatur, deſiderabat amiſſos: iam illa quanta probitas in ore, quanta in ſermone cunctatio, quàm pari libra grauitas, comitaſque, quod ſtudium literarum, quod iudicium, quà pietate cum diſſimillimo patre viuebat: quàm non obſtabat illi, quo minus vir optimus videretur.* Singulare erat paterna non imitari vitia: vt etiam commune eſt crimina æmulari paterna. Et quidem mali patris malus filius ſine fræno corruit, quandoquidem parens ſe quodammodo abdicauit auctoritate, ſi pollutus ſordeſcat crimine. *Conſcientiam probamus*, aiebat Caſſiodorus 4. var. 28. *cui iudicanda committimus: quia dignus eſt inter alios ſequenda decernere, qui ſibi modum viſus eſt legitimæ conuerſationis imponere.* Cui correctio committitur, purâ iam conſcientiâ nitere cognoſcitur: nec enim erit neruoſa correctio, ſi corrigentem, & reum culparum adæquet ſimilitudo. Michas teraphim ſibi elaborat, ædiculam conſtruit per filij & Leuitæ manus holocauſta nefanda exercet: *Ædiculam Deo ſeparauit, & fecit ephod, & teraphim, id eſt veſtem Sacerdotalem, & idola.* Lex apertiſſimè reclamabat; nec tamen inuenies Micham à matre correctum, aut leui ſaltem reprehenſionis ſermone perculſum: non ignorabat mater filium idolis inſeruire, & idola fabricaſſe; ſed quomodo carperet idololatriam, quæ non exiguo argenti diſpendio ſibi idolum effinxerat, & amarat: *Tulit ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile atque conflatile.* Mater eodem crimine polluebatur: ergo nequibat corrige-

Plin.

Caſſiod.

te;

Digitized by Google

æ; ſed tenebatur tacere: *Poſt matris idolum* (inquit Hieronymus epiſt. 130. quæ eſt ad Marcellam) *quod dicitur ſculptile, atque conflatile, Micha fecit ephod & teraphim.* Exemplum ſecutus eſt matris; & quia mater ſequebatur vnum, filius teraphim, hoc eſt, idola plura ſibi eſt architectatus. Non leges aliquando à matre correptum, quaſi ad corripiendum amiſerit auctoritatem parentis, quæ ſordeſcebat non diſſimili errore criminis. Opportunè Caſſiodorus 12. var. 2. *Sit in nobis frons libera, vt aliorum poſſimus emendare peccata: æquat crimen omne quod inquinat, & ideò diſſimilis ab accuſato debet eſſe qui iudicat.* Verum dixit: nam deficient verba, cui alia non fuerit viuendi forma.

Hieron. Caſſiod.

120. Filij Heli, dum voluptatis gerunt negotium, dignitatem ad vitæ detorquent lucrum: rapto tollunt, quod profuſè fœminæ impendunt paternæ aures improbâ filiorum famâ feriuntur, & labia diu culpabili ſilentio frænantur; ſic tandem carpſit, vt blandiri videretur: *Nolite filij mei: non enim eſt bona fama, quam ego audio.* Reprehendendo delinquit, dum reprehenſionem appellando filios mellit. Quòd ſi inquiras, cur acriùs filios non carpat? reſpondebit textus ipſum etiam iacuiſſe, & oculis caligaſſe: *Iacebat in loco ſuo, & oculi eius caligauerant.* Dum iacere refertur, teſte Gregorio hîc, inerter geſſiſſe munus arguitur, & dum caligant oculi, deliciis ſtuduiſſe cognoſcitur: ergo patet filios carpere nequiuit acriter, dum ipſe viuebat molliter: audi Gregorium: *Iacere ad remiſſioris vitæ negligentiam pertinet. Tunc itaque Heli iacet in loco ſuo, cùm per lapſum prauitatis reprobus prædicator requieſcit in ſede iuſti. Iacentis in loco ſuo oculi caligant, quia ſumma videre nequeunt, qui in arce paſtoralis culminis non exequuntur virtutis opera; ſed remiſſioris vitæ blanditiis immerguntur.* Toti populo nota erant ſcelera filiorum; at pater remiſſioris vitæ nebulis, & tetris deliciarum vaporibus obcæcatus non videbat, aut ſaltem diſſimulabat: reatus namque proprij conſcientia & diſſimulare affectat; & peccata diſſimulat.

1. Reg. 2. v. 24. 1. Reg. 3. v. 2. Greg.

121. Omni profectò debet puritate nitere, qui à vitiis alios conatur eripere, aut delinquenti ſupplicia inferre. Ecce qui Sodomam tendunt, vt validâ lotum manu eripiant, & impudicos conglobatis ardentium flammarum voluminibus tradant, priùs apud Abrahamum pedes abluunt, non quòd cæleſtes ſpiritus poſſit macula degener coinquinare; ſed quòd ſuis nos valeant actionibus erudire: *Lauate*, aiebat Abrahamus, *pedes veſtros*: nec exterior ſordes, nec apparens macula corrigentium debuit dehoneſtare veſtigia, vt Lotum faciliùs manus valuerit eripere, & fœdas procacium libidines vſtulare. Adeſt Auguſt. ſerm. 69. de Tempore: *Volebat praeuenire, & lauare pedes, ne quid fortè pulueris reſideret.* Nec leuis pulueris macula pedes ſordidauit, vt ſordida Lotum regione extraxerint, & dura contra ſceleſtos ſupplicia intulerint. Quòd ſi ad noſtram eruditionem cæleſtes ſpiritus omnem ſatagunt maculæ vmbram abſtergere, dum contendunt vitia corripere, diſcant ſuperiores criminis contagio carere, ſi efficaci ſermone velint delinquentes emendare.

Geneſ. 18. v. 4. Auguſt.

122. Quam innoxio frons libera eſt, quàm efficax admonitio ad vitia carpenda, & delicta profliganda! Deliquit Saül cupiditate obcæcatus, & licèt prædam à Samuëlis oculis retrahere curarit aſtutiis, grex ipſe ſe balatu prodidit, & delinquentem coarguit. Ergo Samuël ſtultum ſugillat, dum ob exiguum lucrum patitur coronæ diſpendium: mercator ſtultus proditur, dum impendioſum contractum perfecit auarus: *Quare non audiſti vocem Domini; ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?* Vnus Samuël raptorem carpit: quia nullâ ſe pollutum vnquam rapacitate coram omni populo oſtendit: *Loquimini*, aiebat, *de me coram Domino, & coram Chriſto eius, verum bouem cuiuſquam tulerim, aut aſinum.* Coram Domino loquendum ait: nam plures dignis licet ſuppliciis fuerint puniti, crimina confingunt, quibus famam regentis ad iniquum ſolatium lædant: ſi à cœlo oculos auerterent exaſperati, nec conſtabit innocentia, nec innocua apparebit regentis vita. Ergo cùm ab omni populo irrefragabile Samuël ſortitus ſit teſtimonium, cùm innocentiæ deprædicatus fuerit ſacrarium, delinquentem valuit libera voce corripere, & virtutis cauſam defendere. *Populus*, inquit Lyra ad 1. Reg. 12. *teſtificatus fuerat Samuëlis innocentiam.* Innocentiæ luminibus reſplendens veritus non eſt vel regem carpere: at ſi rapacitatis macula ſordeſceret cogeretur diſſimulare delicta, nec valeret iuſta ferire ſententia.

1. Reg. 15. v. 19. 1. Reg. 12. v. 3. Lyra.

Moyſes ad Pharaonem corrigendum à Domino delegatus labiorum opponit defectum, & extrahere adlaborat mandatum: *Quomodò audiet Pharao, præſertim cùm incircumciſus ſim labiis?* Virga miraculorum matrice obarmatur, & tamen legationem excuſare ſtudioſè molitur, nec acquieuit, donec ad loquendum Aaron lingua nullo laborans defectu deligitur: *Scio quòd eloquens ſit.* Profectò cum ſacer textus rebus pro coloribus ad doctrinam nobis tradendam vtatur; non vacat myſterio Moyſem virga etiam miraculorum operatrice inſtructum legationem recuſaſſe, & Aarone electo paruiſſe. Timuit, ſi Pharaonem carpat, ſi ſuos admoneat, correptionem admonitionemque fore eneruem, dum lingua vitio polluitur, & maculis ſordidatur. Non dubitat Moyſes ſe virgâ obarmatum poſſe miracula edere; ſed dubitat, an vel miris patratis valeat delinquentes corripere. *Non acquieuit Sanctus vir*, inquit Oleaſter ad mores ad Exodi 4. *quouſque ei ſocium in legatione daret.* Lingua nullo defectu laborans, ſermo nullâ macula ſordeſcens liberiùs carpit & expeditiùs punit; aſt ſi rector maculis denigretur, vel miracula ipſa quodammodò eneruabuntur, nec efficaci ſermone corripient labia, ſi propria ligantur culpâ. Moyſes ad ſpeciem deliquerat homicidio: ergo irrideri timuit vel patrato etiam miraculo. Ergo Aaron virgam prehendat; quia nec defectus linguam, nec homicidium ligabit dexteram. 123. Exod. 4. v. 10. Oleaſt.

124. Exod. 18. monet oraculum eos in iudices, & Reipublicæ gubernatores conſtitui, quos nullo prauitatis inquinamento compertum ſit obſcurari: *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum, in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones.* Omni voluit, quo poſſent plebis errores corrigere, ſanctitatis luce radiare: notauit Philo lib. de Iudice: *Sacræ leges cùm ab omnibus inſtituta Moſis ſequentibus exigunt ſynceritatem, & animum tranquillum nullis obnoxium perturbationibus: tum præcipuè ab his, quibus iudicandi poteſtas, aut per electionem, aut ſorte obuenit: abſurdum enim fuerit eos in culpa hærere, qui iura præſcribunt aliis, quandoquidem ab iis potiſſimum exemplum vitæ petendum eſt.* Silent iura, ſi contraria moribus in iudice

Exod. 18. v. 21. Philo.

Digitized by Google

inueniantur exempla: tranſit cognitor in patronum: ſi ſimilis culpa coæquauerit reo: ergo ab omni criminis ſpecie abſtineat, qui dignitatis inſcendit faſtigium, & Reipublicæ tenet clauum.

§. XXIX.

Miſeri mortales ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro ingentium laborum mercede inuenire figmenta.

115. Pſalm. 4. v. 3. PSaltes hominum cæcam cupiditatem miſeratus aiebat: *Filij hominum vſque quo graui corde, vt quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium!* Ac ſi dicat: Cur defatigati tempus inſumitis, cur laborem penditis rebus ſpes fallentibus ac ſerâ pœnitentia deplorandis, & impenſum laborem condemnaturis. Ita Euthymius ad hunc locum: *Cur diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Inutiles ſunt humani conatus, & primo quidem aſpectu concepta animo ſpei videntur applaudere; ſed poſtmodum fruſtrantur.* Ad ſpeciem applaudere ſpei videntur; ſed illuſiſſe poſtmodùm inueniuntur. Et quidem tolerabile eſſet, ſi nos mendacium quæreret, & illuderet; at ferendum non eſt anxiis votis ventum inſequi, & copioſis nummis figmentum emere. Si quæritis, aiebat Auguſtinus, gaudium, quærite; ſed ibi quærite, vbi poteſt inueniri; non vbi conſtat deperdi. Non facilè humani cordis deprehendes verſutias, non facilè verſutas agnoſces technas: videntur homines ſitire veritatem; ſed ab eis quærunt audire, qui mendaciis artificioſiſſimis ſolent fallere. In huius rei comprobationem adeſt Michas, qui non modicum argentum expendit in conflandis teraphim, vt futura prænoſceret, & oracula audiret: *Ædiculam in ea* (id eſt, domo) *Deo ſeparauit, & fecit ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola.* Teraphim conflata ad reſponſa excipienda, tradit Caietanus: *Aiunt teraphim eſſe nomen officij, ita quod ſtatua ad officium diuinandi appellabantur teraphim: & ſi hoc eſt verum, explicuit auctor quorſum hæc ſimulacra, alterum inciſione, alterum fuſione facta culta fuerint.* Magnis expenſis quæſiuit Michas habere teraphim; quibus conſultis ſe contra fortunam armaret, & contra aduerſitates muniret; verùm ob ore teraphim dubia accipiebat reſponſa, & auidiſſimis auribus auſcultabat mendacia. Teraphim, id eſt, ſtatuis illis pro lingua dæmon vtebatur, & oblatis victimis, exhibitis officis, dilargitis muneribus delinitus dignam reddebat mercedem, videlicet falſitatem: adeòque improbida cæcutiebat cupiditas, & exerrabat cupidiſſima cæcitas, vt ingenti pretio errorem emeret, & fallentem muneraret. O nimis verum! Adſpice voluptatis ſectatores, ambitionis vernulas, ſeruulos cupiditatis, videbiſque quàm indefeſſis curis, quàm periculoſis vigiliis libidinis, aut honoris negotia tractarint, quin alius tot fuerit laborum fructus, quàm infirmitas medullis inuiſcerata, & promiſſio deluſoria: ſperabant à teraphim felicitatem ſuam promouendam, & cùm ſpe colligendæ meſſis victimas, munera, & officia ſeminaſſent, copioſam inuenerunt fallaciarum meſſem, & inutilem ſerò agnitæ veritatis angorem.

116. Sophoniæ 1. ſic ait Dominus: *Diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina adituorum cum ſacerdotibus, & eos, qui adorant ſuper tecta militiam cœli.* Vt militiam cœli adorarent tecta inſcendebant ardua ſuperantes, & ſub diuo ſæpè manentes, cùm tamen laboris, & obnoctationis fructus ſolùm eſſe poſſet periculoſus error, & erroris angor. Ita Hieronymus ad hunc locum: *Adorant ſuper tecta militiam, qui eleuantur aduerſus ſcientiam Dei, & omne, quod geritur in ſæculo, fictam ſibi ſcientiam pollicentes, referunt ad ortus ſtellarum & occubitus, & mathematicorum ſequuntur errores.* Litabant aſtris, deteſtandis cultibus demulcebant ſydera ab eis ſperantes diuitiarum cumulum, ſalutis incrementum, dignitatum faſtigium, cum tot expenſis nil aliud venari poſſent, quàm veriſſimam illuſionem, & certiſſimam falſitatem. Non dubito iam militiæ cœli hoſtias non dicari, & guttæ Arabicæ ſuffitus eius altaribus non offerri; verùm cùm plures ſtellarum ad inſtar fulgeant, & in Reipublicæ adminiſtrationem non parum influant, eos aſſeclarum turba circundat, ſpem in eis conſtituens, & ingenti pecuniâ fallacias emens. Per ardua inſcendunt, crudis ſalutationibus horum limina occupant, ſeruulos remunerant, vt faciliùs pateret aditus ad hæc humana oracula, expanſis velis, & cortinis replicatis obtecta, & de induſtria aſpectum denegantia, cúmque iam Martis gratiam ad obeunda militiæ munia arbitrarentur ſecuram, experti ſunt alios prælatos, & tardè ſe ingemuerunt prorſus deluſos: alios videas Veneris ingenti auro ſolicitantes delicias, qui ſolùm demeſſuerant artificioſas fallacias: nec ſatis eſt, vt reſipiſcamus, ſe oculis ingerere veritatem: contra euidentiam altercamus, & quidquid errori fauet, pro vero habemus.

Sophoniæ 1. v. 4. — Hieronym.

117. Paulus doctrinæ ſuæ rationem reddens, ſic aiebat: *Confiteor hoc tibi, quod ſecundum ſectam, quam dicunt hæreſim, ſic deſeruio patri, & Deo meo credens omnibus, quæ in lege & prophetis ſcripta ſunt.* Pro hæreſi habebant veritatem, pro veritate amplectentes hæreſim. Quam diſertè Tertullianus in Apologet cap. 46. *Vnicuique manifeſtatur veritas noſtra, interim incredulitas, dum de bono ſecta huius obducitur, (quod de vſu iam, & de commercio innotuit) non vtique diuinum negotium exiſtimat; ſed magis philoſophiæ genus.* Videbant Chriſtianos profiteri innocentiam, iuſtitiam, patientiam, ſobrietatem, & pudicitiam, & cum experientiis edocti apertam, & comprobatam veritatem debuerint amplecti, ſectæ diſcipulos inſectabantur veluti hæreſi pernicioſiſſima infectos; & ſibi prorſus oppoſitos: gauderent veritate comperta, ſi amaſſent; verùm quia oderant, dum clarebat magis, magis impugnabant, totiuſque oculis aſpiciebant: totum illorum ſtudium erat veritatis loco ſuccedere falſitatem; ſobrioſque haberi impudicos, & impudicos haberi ſobrios. Itaque non ignorabant idola meriſſima eſſe figmenta, & tamen aris, & ſacrificiis extollebant, cupientes errorum ſuorum patrocinia & exempla. Itaque affectabant ab illis diis veritatem inquirere, qui pro virtute edocerent carnis delicias amplecti, & falſitatem ſectari.

Actor. 24. v. 14. — Tertul.

118. Iſai. 19. v. 3. Iſaias ſic Ægyptiorum cæcitatem refert: *Dirumpetur ſpiritus Ægypti in viſceribus eius, & conſilium eius præcipitabo, & interrogabunt ſimulacra ſua, & diuinos ſuos, & pythones, & ariolos.* Ingentibus vndique anguſtiis cincti pythones conſulebant, & inde ſolicitabant ſibi remedium, vnde incre

Euthym. — Caietan.

Digitized by Google

incrementandum nouerant certiſſimè damnum. Pythonibus gratificabantur mendacium, & cùm euentus contrarius deluſas ſpes oſtenderet, adhuc colebant vaniſſima ſimulacra, ſpurcas eorum aras innumeris victimis onerantes, & oracula falſiſſima ambientes. Nobis commodabit Chryſolog. quæ
Chryſol. ſerm. 5. ſcribebat: *Vt paſceret Dæmones thure, victimis, ſanguine, falſarum reſponſionum mercedem pro tali labore relaturus.* Ægyptus victimis & ſanguine Dæmones paſcebat, eorúmque aras victimarum ſanguine cruentabat falſas reſponſiones pro præmio ſacrificiorum acceptura, & nouis calamitatibus implicanda: *Per ſpiritum*, inquit hîc
Oleaſter. Oleaſter, *cor & vires intelligit: & ſenſus eſt: euacuabitur, ſeu auferetur ſpiritus, id eſt, fortitudo, ſeu cor Ægypti.* Adnectit: *Et interrogabunt ſimulacra ſua, quemadmodùm conſulere ſolebant diuinos, pythones, & ariolos; ſed illi aut non reſpondebunt, aut mentientur illis.* Experiebantur ambigua ſimulacrorum oracula, pythonum reſponſa mendaciis plena, & tamen inſiſtebant conſulentes, & ingenti pretio falſitatem mercantes. Nec aliter Michas: non modicis ſumptibus teraphim architectatus dignum falſarum reſponſionum accepit præmium, quin appetentis calamitatis anteà prædixerint infortunium. A Danitis furtum paſſus ingemuit, quin teraphim præmouerint, aut indicarint. Itaque effinxerat, vt per eos futura ediſceret, & ſibi incommoda præcaueret, & poſt tot impenſas nec veritatem prænouit, nec calamitatem vitauit.

§. XXX.

Ad dignitatem, Eccleſiaſticam præcipuè, cognatus ſæpè præficitur, & dignus cognationis titulo habetur.

119. DEi miniſter omni debet ſanctitatis luce micare, honorabili fungitur Sacerdotio, qui meritorum peruenit ad Sacerdotium ſuffragio: ſi Sacerdotem auaritia coinquinet, iam exaugurat: religioni adſcriptus ſacris altaribus applicatus ea debet puritate nitere, vt nec ambitio inflammet, nec aura inflet, nec luxuria ſordida dehoneſtet. Ridebat, & iure Tertull. in apolog. cap. 30. Ethnicos victimas, earúmque extà altaribus imponenda ſolerti ſolicitudine examinantes; per quas verò offerenda erat, Sacerdotum manus nullatenùs at-
Tertull. tendentes: *Miror cùm hoſtiæ probantur penes vos à vitioſiſſimis Sacerdotibus, cur præcordia potiùs victimarum, quàm ipſorum ſacrificantium examinantur.* Summo ſtudio procurabant, ne victima turpi infecta macula dehoneſtaret aram, cùm erga Sacerdotum mores omnem amitteret curam, nec ſolicitudo examinaret ſolertet vitam. Verùm proh dolor! non ſolùm apud Ethnicos hæc viguit ignauia; ſed apud Catholicos etiam, quod dolendum eſt, inoleuit hæc culpa; non ſemel præſules Eccleſiaſticis ornant dignitatibus conſanguineos, ingentibúſque reditibus ditare anxiè ſolicitauere cognatos, non curantes, an dignitates floreant, an ſordeſcant. Horum ænigma adeſt Michas filium nec ſacerdotales ritus edoctum, nec virtutibus excultum in Sacerdotem conſecrans & inaugurans: *Fecit ephod, & teraphim, id eſt, veſtem ſacerdotalem, & idola, impleuítque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Ecquod huius Sacerdotis meritum? Michæ videlicet nobilis ac prædiuitis eſſe filium: electus eſt conſanguinitatis ſuffragio, cognationis titulo. Notauit Hugo Cardin. ad hunc locum: *Figurat prælatos noſtri temporis, qui nepotum manus implent beneficiis &* Hugo.
patrimonio crucifixi: & benè congruit eis nomen Michæ, quod interpretatur, quis eſt hic? Et reſpondetur ei: Domine, hic eſt nepos veſter filius ſororis veſtræ, quæ tantùm dilexit vos, quando fuiſtis puer: modò videtur quomodò reſpondebitis ei vices. Tunc prælatus confert ei beneficia, & curas animarum, & perſonatus, qui adhuc neſcit quid ſit anima. Itaque nulla ſcientia excultus, nullis virtutibus exornatus præficitur ad animarum curam, cùm id muneris, & eximiam requirat ſcientiam, & morum exigat elegantiam. Non verſatur, inquit Hugo, examen circa virtutem dum quæritur, *quis eſt hic?* non reſpondetur ſapientia clarus, virtutibus deditus; ſed, *nepos tuus*: quia cognatio pro meritis eſt; imò aliquando cætera parum proderunt, ſi defuerit cognatio. Dices: ergo cognatus non eſt dignitatibus exornandus; ſed repellendus? Minimè; is tamen ſeruandus modus, vt conſanguinitas nec ſuffragium, nec impedimentum ſit: non eſt titulo cognationis repellendus conſanguineus; ſed nec ſolo conſanguinitatis titulo deligendus cognatus.

Moyſes iubetur tributim virgas accipere, vt de 130.
Sacerdotio ambitioſa lis, quæſtióque dirimatur: In virga Leui Aaronis nomen inſcribitur: *Nomen* Num. 17.
Aaron erit in tribu Leui; & tamen Moyſes fratris v. 3.
modo virgam cæteris non præfert; dum verò gratis exornata emicat floribus, dum foliis viridantibus fulget veſtita, dum diteſcit ſaporatiſſimis fructibus nobilitata, cæteris non poſtponit; ſed ad dignitatis culmina fratrem effert: *Sequenti die regreſſus inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Statuerat Dominus illum anteferendum, cuius virga præ cæteris germinaſſet: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius*: ergo Moyſes, vt præſulum prælatorumque extiterit forma, nec virgam ſolo nomine nobilitatam præfecit, nec exundantem fructibus repudiauit. Digna erat virga illa, quæ cæteris præponeretur, ornareturque dignitatis luminibus, cùm anteiſſet cæteras, & vernantibus floribus, & copioſis fructuum cenſibus: ergo reiici non debuit, quia fratris dum nõ attenditur conſanguinitas, ſed feracitas: indignum ſanè eſſet, ſi antequam copioſis nobilitaretur prouentibus, de ſolo inſculpto nomine cenſeretur dignitatibus aptior, cæteriſque dignior, vt etiamſi reiiceretur florens, quia fratris: ergo virga dum ſolo micat nomine, non præfertur, dum micat fructibus non reiicitur: vt nouerint præſules conſanguinitatem eſſe no debere dignis impedimentum, vt nec indignis ſuffragium. Adeſt Origenes apud gloſſam:
Omnes Principes tribuum neceſſe eſt vt habeant vir- Origen.
gas: vnus ſolus eſt Pontifex Aaron, cuius virga germinauit. Accinit Philo ibi: *Amygdalus om-* Philo.
nium arborum prima floret, vltima frondes deponit: quod vtrúmque ad ſacram tribum ſpectat. Qui cæteris præit virtutibus, fas eſt præcedere dignitatibus: ergo fratris virga, dum exucca à Moyſe muneri non præficitur, nec vernans reprobatur. Sunt nonnulli qui cognatos ad dignitatem efferre renuunt, quantumvis virtutum nitore floreant: & quidem hi de irrationabili ſanguinis deſpectu adulantur vaniſſimæ integritati: alij ſunt, qui ſolo cognationis

Digitized by Google

cognationis titulo mouentur, & hi virtutibus refragantur. Sapienter Attalaric. 8. var. 13. *Abſit vt negemus affini, quod ſolemus cuſtodire ſubiectis.* Adnectit poſt aliqua: *Quid enim tali viro negare poſſimus qui etiam meliora ſuis obtinere poſſit obſequiis, vel ſi non probaretur affinis.* Ergo quem Moyſes tenuit, modus tenendus eſt, vt ſcilicet cognatus ſolùm cognationis nomine non præferatur, nec quia cognatus mulctetur. Adde ſibi ſuiſque, etſi præter intentionem nocere, qui conſanguineos præfert ad ſanctitatis munia, ſi caruerint ſanctitate: hoc namque non eſt dignitatum ſplendoribus nobilitare; ſed caſibus miſerandis obiicere. Huius rei exemplum eſt Heli Pontifex & ſacerdos.

Caſſiod.

131. Filios habuit ſordidis moribus inquinatos, & ab altaribus iuſtiſſimè repellendos; verùm vt diuitarentur reditibus, vt fulgerent dignitatibus, illos non repulit malens dignitatem lugere, quàm coniunctiſſimos ſibi inter cæteros non micare: ergo dum, vt ſe exhibeat patrem, præſulem neſcit, eis ſibique cladem luctuoſiſſimam imprudenter aſciuit: *Magis honoraſti filios tuos, quàm me*, exprobrat illi Dominus, *vt comederetis primitias omnis ſacrificij populi mei*: ac ſi dicat: Altare filios tuos vtpote degeneri vitâ ſordidos reſpuebat, conſanguinitatis ſuffragium aduocabat: ergo tu, vt filios ditares, dignitatiſque ſplendoribus inſignires ad altaris querelas obſurduiſti, filioſque exaltaſti; ſed iniquo iudicio, & ingentiſſimo detrimento. Addit Dei nomine nuntius: *Ecce dies venient, & præcidam brachium tuum, & brachium domus patris tui... Ophini & Phinees in die vno morientur ambo.* Ecce maturauit pater ſibi, filiiſque mortem, dum exercere ſuſtinet dignitatem: vixiſſent longiùs, ni illis dignitas iniquè adminiſtrata conciliaſſet ſupplicium, & maturauiſſet tormentum: ſtragem vitaſſent à dignitate ſecluſi, & diuinam incurrerunt indignationem dignitatibus antelati. Adeſt Gregorius ad hunc locum: *Filios quippe & propinquos magis, quàm Dominum honorat, qui ad ſacros ordines perſonas eligit non ex conuerſationis honeſtate; ſed amore propinquitatis.* Certè amans perdidit, quos repellens aſſeruaſſet. Addit Gregorius: *Idcirco filij honorati referuntur, vt ſacrificij primitias ederent: quia carnales prælati ſpiritualis honoris culmina carnalibus propinquis ideò tribuunt, vt Eccleſiaſticis facultatibus ditentur, & in altitudine ordinis cumulentur abundantia vbertatis. Nec curant quales ſunt, qui ad ſpirituale miniſterium veniunt; ſed tantum, vt temporali dignitate præferant, quos carnali affectione complectantur.* Non eſſet æquitati diſſonum filios honorare morum elegantia nitidos; fuit verò & electionis probrum, & electorum ſupplicium attendiſſe ſolum conſanguinitatis titulum, & cognationis affectum. Quod diuerſo ſenſu lib. 4. de Beneſ. cap. 30. protulit Seneca, noſtro poſſumus inſtituto adaptare: *Ciceronem filium*, aiebat, *quæ res Conſulem fecit, niſi pater*? Pater filium extulit, & quantumuis ſordeſceret moribus, extuliſſet; quia idem ſemper electionis perſeuerabat motiuum, ſcilicet filium eſſe, vt etiam apud Auguſtum ſatis erat eſſe domeſticum: ita obiectabat illi Galba apud Tacitum lib. 1. hiſtor. *Auguſtus in domo ſucceſſorem quæſiuit, ego in Republica.* Attende quæ poſt pauca Tacitus adiecit: *Sub Tyberio, & Caio, & Claudio vnius familiæ quaſi hæreditas fuimus: loco libertatis erit, quod eligi cœpimus.* Itaque veluti oppreſſa ingemiſcebat Reſpublica, dum ius ad dignitatem adeundam erat eſſe ex domeſticis, nec curabatur an eſſet euehendus ex dignis.

1. Reg. 2. v. 29.

Greg.

Seneca.

Tacitus.

De quo gloriabatur Galba, honeſtiùs exercuit 132.
Moyſes. E vita diſceſſurus ſucceſſorem produxit, non ex domeſticis; ſed ex populo vtilioribus; imò eò vniuerſalis vtilitatibus ac modeſtiæ tenebatur ſtudio, vt non ſolùm domeſticis non ambiuerit Principatum; ſed nec dilargientis opinionem, cùm aliquando inueniantur ambitu nudi; ſed huius gloriolæ ſiti inflammati; at non ita Moyſes, qui è populo quæſiuit ſucceſſorem, & Deo electionem adſcripſit, à quo Reipublicæ vtiliorem eligi poſtulauit; *Ioſue iſte tranſibit ante te ſicut locutus eſt Dominus*: Non ait, ſicut decreui; ſed, *Sicut locutus eſt Dominus.* Adeſt opportunè Philo Iudæus lib. de charit. *Cùm mortalis huius vitæ finis inſtaret, oraculo aperto de hoc præmonitus nullum vel regem, vel priuatum imitatus eſt, quorum vnicum votum habetur, ac ſtudium hæredes liberos relinquere; ſed quamuis pater eſſet duorum filiorum, neutrum ſucceſſorem ſibi optauit victor affectuum erga cognatos; ac domeſticos. Et poterat, ſi filios ſuſpicabatur parum idoneos, certè fratris filios extollere iam virtute meritos ſacerdotium.* Adnectit poſt aliqua: *An non igitur abſurdum fuerit nunc non per eadem incedere veſtigia, & cùm ipſe noluerim Principatum niſi ex Dei ſententia ſumere, nunc arbitratu meo ſucceſſorem eligere?* E domeſticis noluit ad principatum efferre, nec electionis Ioſue gloriam ſibi vendicare; ſed vtilitati omnium proſpexit, & ſe intra humilitatis ac modeſtiæ metam continuit.

Deuter. 31. v. 4.

Philo.

---

§. XXXI.

Vbi ſuperior non eſt, qui cohibeat, quiſque quod ſibi placet, impunè tentat.

MAlè cum hominibus actum eſſet, ſi metus 133.
fræno carerent, quando ſupplicij terror militat pro virtute, aut ſaltem prauæ refragatur actioni: ſic in brutorum cenſum degenerarunt, vt à ratione exules in appetitus ferantur, & ſolùm metus habenis aliquando frænentur. *Oportet quidem cuncta ſub tranquillitate peragi, quemadmodum poſſet bonis moribus conuenire*, inquit Caſſiodorus 12. var. 3. *ſed tanta eſt in Republica de morum varietate diuerſitas, vt nemo valeat leges defendere, niſi terror videatur aliqua temperare.* Balaamus dum gladius viſus imminet, retrocedit, antea fuſte aſinam verberabat, & ad maledicendum inuolare geſtiebat: ergo metus rationis vicarius patrocinatur virtuti, & reſiſtit prauitati. *Vbi metus nullus*, aiebat Tertullianus lib. de pœnit. cap. 1. *emendatio proinde nulla*: hæret appetitus, quamuis inhiarit ad appetitionis fructum, ſi durum vereatur tormentum. Ergo ſi deficiat ſuperior, aut in ſuperiore vigilantia, & ſolertia, timoris repagulis abactis, & frænis metus diſruptis quiſque quod ſibi placitum, attentabit, & impune, quod peius eſt, exercebit. Dum Hebræorum Reſpublica ſoletti Principe vſa modeſtiæ, ac veritati viuebat, aut ſaltem à criminibus temperabat; at deficiente Principe quiſque quod ſibi placitum videbatur, non ſolum impunè exercebat, ſed veluti iuſtum, æquumque omni rubore abacto laudabat.

Caſſiod.

Tertull.

dabat. Teſtatur Michas, qui etſi legibus idolum effingere, & colere ſeueris ſub pœnis prohibitus, dum Superior defuit, idolum & publicè fecit, & coluit: *Tulit (mater) ducentos argenteos, & dedit eos argentario, vt faceret ex eis ſculptile, atque conflatile, quod fuit in domo Michæ.* Nec ſolùm Michas deliquit; ſed Leuita munus adulterans, & idolo ſacrificans: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Ad hæc Danitæ idolum furantur, & publicis ritibus idololatriam inuerecundè amplectuntur. Nec malum ſtetit; ſed Leuitæ vxor ſubripitur, & fœda libidine omni expunctâ verecundia temeratur: & totum hoc, quia non erat rex in Iſraël, qui iuſtâ coërcitione procaces cohiberet appetitus; aut exoculatos appetitionum inhiberet adſultus: *In diebus illis non erat rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur: hoc faciebat.* Reſpublica ſine gubernatore elanguit, impietas floruit, rapina viguit. Notauit Rupert. lib. 1. in Iudices cap. 26. *Duo gentis Iſraëliticæ mala, duplicem fornicationem populi Iſraël ex hoc loco vſque ad finem huius libri Scriptura Sancta culpare & execrari laborat: propter quæ penè continua, & nunquam niſi pauciſſimis iudicibus, ſiue regibus iuſtis frænantibus interdum coërcita, Dominus terræ illi & populo toties iratus eſt, & adhuc manus eius extenta.* Gaudebat Reſpublica illa pernicioſa libertate, immetata licentiâ; ſed priuata Superiore mulctabatur etiam ſalute: nil enim adeò luctuoſum Reipublicæ quàm ſolerti moderatore carere, & Principe vigilanti priuari, quandoquidem, ni iuſta falx coërcitionis pullulantium criminum ramos diſſecet, venenatis fructibus propriam in perniciem Reſpublica ſordeſcet, & exundabit.

Rup.

Rup.

134. Propheta Michæas de euentu ineundi à rege Iſraël prælij aduerſùs Syrum conſultus, quò infeliciſſimum denuntiaret, reſpondit. *Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus quaſi oues non habentes paſtorem.* Non ait: Vidi cunctum Iſraël aduerſariorum ſagittis confoſſum, iugo captiuitatis oppreſſum; ſed quaſi oues non habentes paſtorem: quaſi hæc calamitas grauior ac deterior, quandoquidem ipſæ oues fallacibus oblectamentis decipiebantur illectæ, & ſæuis luporum rictibus deuoratæ: paſtorem ſortitæ, etſi aduerſariorum manus non effugerent, ad venenata paſcua non adeò celeriter inuolarent, aut ſi peſtilentes illectæ fallaci floriditate inhiarent ad paſtus, hoſtiles forſitan euitarent adſultus; at dum paſtore, gubernatoréque carent, ſuo ſe appetitu ad nociua præcipitant & rapaces vngues tolerant. Itaque ſine paſtore geminatis premuntur incommodis, quæ de paſtoris coërcitione ac ſolicitudine, aut interna reprimerent, aut externa incommoda euaderent: *Si bonum ac pium habuiſſet paſtorem, vi ſuperaſſet hoſtes,* inquit Theodor. apud gloſſam. Vt populum omnem luctuoſa ſtrage attereret, in vnum Achabum Syriæ rex arma conuertere, iuſſit: *Rex Syriæ præceperat Principibus curruum triginta duobus dicens: Non pugnabitis contrà maiorem, & minorem quempiam, niſi contrà regem Iſraël ſolum?* vt qui nouerat populum Principe vſum poſſe reſiſtere, ſine Principe autem indubiè perire, & in aduerſariorum prædam conuerti.

3. Reg. 22. v. 17.

Theodor.

135. Ioannes vt quàm immetatis criminibus tellus exundaret, vt quàm omnium culparum collectione ſordeſceret nobis, indicaret, ex inferno homines in locuſtarum modum prodiiſſe teſtatur: *De fumo putei exierunt locuſtæ in terram.* Iam quæ mala perpetrarint, auſculta: *Similitudines locuſtarum ſimiles equis paratis in prælium, & ſuper capita earum tanquam coronæ ſimiles auro, & facies earum tanquam facies hominum, & habebant capillos ſicut capillos mulierum, & dentes earum, ſicut dentes leonum erant, & habebant loricas ſicut loricas ferreas, & vox alarum earùm, ſicut vox curruum equorum multorum currentium in bellum, & habebant caudas ſimiles ſcorpionum, & aculei erant in caudis earum, & poteſtas earum nocere hominibus menſibus quinque, & habebant ſuper ſe regem Angelum abyſſi.* Horrenda monſtra omnium criminum fœditatibus compacta, & Dæmonis voluntati prorsùs ſubiecta locuſtis aſſimilantur; quod ſi vnde tot criminum exceſſibus fuerint denigrata, perquiras: reſpondebit Ioannes, quia locuſtarum ſequebantur ſtylum. Profectò locuſtæ ſuperiorem non agnoſcunt, regem non habent, teſtante Salomone: *Regem locuſta non habet, & egreditur vniuerſa per turmas ſuas.* Inualida eſt locuſtarum plebs; ſed Principe, Regéque deſtituta ſic ſtudet inſultibus, ſic fructuum tentat ruinas, ſic ſæuit ferocia, vt in vna locuſta mille criminum agnoſcas maculas, & mille macularum differentias. Vt equus ſine fræno impetit, vt ſcorpio plagam intimat, vt mulier fallit, vt leo diſcerpit, & quicquid horrendum cogitaueris, à locuſta exerceri inuenies: dum ſubiectionis moderamine non tenetur, dum fræno poteſtatis non ducitur, in omne malum prolabitur. *Locuſta,* inquit gloſſa, *gentes quondam ſine rege Chriſto, ſine Propheta, ſine Doctore.* Vt gentilium idololatriam, vt ſæuitiam, vt fraudulentiam, aliáque ſexcenta crimina referret Ioannes locuſtarum ænigmate expreſſit: quaſi idem fuerit Superioris coërcitione, regiminéque carere, & omnium criminum fœditatibus infici. Certè qui renuit Superiorem, amare cognoſcitur prauitatem: vt è contrà qui ſubiicitur regimini, agnoſcitur ſtudere virtuti. Sub rege Ioſia excelſorum Sacerdotes pereunt, aræ execrabiles ſubuertuntur, oſſa anhelantibus flammis cremantur, vt 4. Reg. 23. videbis; at dum populus rege caret, execranda auditur idololatria, fœda exercetur luxuria, & exundauere mendacia.

Apocal. 9. v. 3.

Prouerb. 30. v. 27.

Gloſſa.

Nouit populus quàm luctuoſum eſſet principe ac gubernatore carere: nam cùm Dominus non ſolùm vniuerſalis dominij titulo; ſed ſpeciali imperio eũ regens grauiſſimis offenſus culpis dignum ſupplicium ſumere decreuiſſet, & ſe dominio prorsùs abdicandum pronuntiaſſet, veluti telo altiſſimo repercuſſus ingemuit: *Non aſcendam tecum, quia populus duræ ceruicis es, ne fortè diſperdam te in via.* Quid tunc? *Audiénſque populus ſermonem hunc peſſimum luxit, & nullus ex more indutus eſt cultu ſuo.* Certè potiùs quàm luctus, ad ſpeciem gaudij videbatur eſſe materia: nam ſi Dominus aſtiterit, duris populum ſuppliciis mulctabit: ſi receſſerit, pœnis non percutiet: cur ergo lugeat ampliori licentiâ vſus, & grauiſſimæ pœnæ exemptus? Profectò ob id ipſum: nam populus gubernatore carens, principe orbus in omnem culpam proruet, & omnem ſibi calamitatem aſciſcet: vtilius erat præſente Superiore coërceri, quàm ſine Superiore pernicioſis arbitrij adulterati conſiliis vti: ergo luxit prudenter carere principe; quia ſine principe, luctuoſiori nequibat carere ſtrage: *Peſſimum ſermonem dicit audiuiſſe populum,* inquit Rabban. apud gloſſam, *hoc eſt crudeliſſimum, atque moleſtiſſimum.* Nihil adeò infortunatum populo, quàm moderatore carere, & prudentis Principis 136.

Exod. 33. v. 3.

Rabban.

Principis regimine denudari. Ergo cùm rex non eſſet in Iſraël, æquitatis norma erat appetitio, & quiſque pro appetitionis placito idololatriam aduocabat, & rapinam exercebat.

§. XXXII.

Munus ſordeſcit, vbi gerens ſine patrimonio ornatior & comptior lucet.

137. MVnera officiaque in ſordida & humilia pertraxit, quiſquis auaritiæ inſeruiuit. Nimiam amare munditiam, & ornamentorum elegantiam omnis mali initium fuit: qui ſine cenſus auxilio ſplendidiùs cœnat, & ſe lætiori excultiorique habitu ornat, officium non gerit; ſed nundinatur: illud detorquebit pro cupiditatis voto, & offerentis arbitrio. *Marcus Cato pretor*, aiebat Valerius lib. 3. cap. 6. *Marci Scauri, cæterorumque reorum iudicia nullâ indutus tunicâ; ſed tantummodò amictu pretextâ egit.* Auerſatus eſt Cato veſtium faſtium veluti iudicij integritati inſidioſum, æquitatique aduerſum, mihi crede, qui lautiori menſa vtitur, qui cultiori apparatu ſplendet, ſine auito cenſu famæ ſuæ detrahit, & ſiniſtrè opinantium malitiam fouet. Dei Leuites ad domum Michæ peruenit: effinxerat ille idolum, delubrum conſtruxerat, vtque Leuitam ad ſacrificulum verteret, vt ex ſacro phanaticum efficeret, argenteos ſe daturum promiſit, geminum ornatum, & quæ ad victum opus: Leuites, qui cogente paupertate peregrinus, iam ſplendidis ſtolis, geminatiſque lucet; ſed quia de Leuita tranſiuit in ſacrificulum, quia conſecratus ad religionis cultum, ſacerdotis detorſit contra religionem officium. O quot monſtra pepererunt ſine cenſu ad dignitatem euehere, & tractandis negotiis Reipublicæ deſtinare: *Fuit alter adoleſcens de Bethlehem Iuda ex cognatione eius, eratque ipſe Leuites, & habitabat ibi. Egreſſuſque de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit vbicumque ſibi commodum repeririſſet.* Huic Michas: *Mane apud me, & eſto mihi parens ac ſacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Quid tunc? *Acquieuit, & manſit apud hominem.* Ornatus amor, auri cupiditas facilè egenti ſuaſit idolis inſeruire, & à numinis cultu recedere: *Integra prouiſio veſtium promittitur*, inquit Caietanus. Sorduit muneris cultus, vt geminæ veſtis ſplenderet ornatus: ſe Leuites, vt pompaticè niteret, vendidit, & munus adulterauit: *Viſis omnibus*, addit Caietanus, *placuit ei manere ibidem.* Conſonat Hugo: *Acquieuit victus amore pretij.* Nouerat Leuites ſe non poſſe fulgenti vti veſte, & nouo radiare ornatu, ni ſeruiret idolis: ergo munus detorſit, & ſplendidas veſtes habuit. Certè ipſe ornatus prodebat idololatram, & muneris præuaricatorem, quandoquidem ibi peregrinus lætiori ſplendebat cultu, & ſine vllo cenſu ſplendenti amiciebatur veſtitu.

Valer. Max.

Caiet.

Hugo.

138. Eliſæus à magiſtro depoſcit ad miracula patranda geminatum ſpiritum: *Fiat in me duplex ſpiritus tuus*: annuit magiſter honeſtæ petitioni; ſed cum poteſtate conceſſit & pallium; imò, vt placet Lyræ, ipſi pallio dilargiendam inſeruit quodammodo ſpiritum: *Leuauit pallium Eliæ, quod ceciderat ei.* Audi Lyram: *Non à caſu cecidit; ſed ex diuina ordinatione, vt Eliſæus ipſo operiretur in ſignum quod ſpiritus Eliæ requieſcebat ſuper eum.* Timuit Elias, ne ſi Eliſæus, qui tunc nudus, ſi decenti ornatu caruerit, infauſtam ſibi opinionem acquireret: ergo dilargitus eſt cum poteſtate decentem ornatum, ne nuditas muneris adminiſtrationi attulerit præiudicium: nam qui ad dignitatem euecti, ſi cenſu careant, quo ornati, comptique niteant, aut munus detorquent, aut non bonam ſibi opinionem acquirunt: ergo ne muneris obſcuretur maieſtas, ſi gerentem prætulerit nuditas, pallio Eliſæus vtatur propheticæ dignitatis indice, & integritatis teſte. Vide Eliæ diſertiſſimam politiam: dum ad dignitatem euexit, quibus ornaretur, exhibuit: nam pauperem euehere, & neceſſarios ſumptus non miniſtrare, eſſet infelix adminiſtrationis prænuncium, & non incertum corruptionis præſagium. Prophetali pallio ornauit, cum ad dignitatem euexit, ne male dignitate vteretur, ſi nimis cultus, aut ſi indecenter pannoſus. Eliæ politiam imitatus Michas, vbi ad idolorum ſacerdotium Leuitam euexit, & ornatum duplicem tribuit, veritus ne indigentia contraria ſuæ intentioni foueret conſilia, aut adulterare ſuaſerit miniſteria. Hinc coniicies qualiter dignitas munuſque geratur, quando non ſolùm ad dignitatis ſplendorem neceſſaria non exhibentur; ſed ob dignitatem plura exiguntur. Eliſæo exhibitus ornatus atteſtabatur prophetam, & ſanctitatis nutriebat famam.

4 Reg. 2. v. 10.

Lyra.

Chriſtus Dominus, vbi Phariſæorum, Sacerdotúmque magnificas & pompaticas veſtes retulit & muneris iniuriam prodidit: *Dilatant phylacteria ſua, & magnificant fimbrias.* Audiſti veſtium faſtum, corruptum audi muneris exercitium: *Alligant onera grauia, & importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Quàm grauabantur ſubiecti, vbi pompatior ornatus, & nitidior rectorum cultus! Spelunca erat latronum Sacerdotum ſedes: *Vos autem*, inquit, *feciſtis eam ſpeluncam latronum*: quia ad magnificandas fimbrias, ad purpureis, & hyacinthinis vittis amplificandas erat opus humeros prægrauare, & munus ad vtilitatem peruertere: *Speluncam latronum vocauit templum*, inquit Theophylact. ibi: *auaritia enim, & lucri cupiditas latronum morbus eſt.* De Sacerdotibus tranſierant in fures: aliis indecora permittentes, & aliorum humeros redemptionis cupidi prægrauantes. 139.

Matth. 23. v. 5.

Matth. 21. v. 13.

Theophyl.

Hinc ſuſpicor luctuoſam Reipublicæ calamitatem emanaſſe, quod vt nobis declararet propheta, mulieres in populo dominatas teſtatus eſt: *Populum meum exactores ſui ſpoliauerunt, & mulieres dominatæ ſunt eis.* Mulieres pompaticè incedebant noua ornamentorum artificia quotidiè excogitantes, & peregrinum cultum & ornatum addentes: ergo viri populum diſpoliabant, vt fœminarum adularentur votis, aut blandirentur deliriis. Benè: ſed aliam, nec literæ aduerſam ſubiiciamus interpretationem: Qui populo, inquit propheta, dominabantur, ingenium imitabantur fœminarum nimio cultu nitidi, & nitidiùs exornati. Ergo cùm dominati mulierum imitarentur ornatum, miniſtri exactoréſque, quò illorum ſibi conciliauerint gratiam, populis inferebant iniuriam, vtque clauum gerentes cultori ornatu fulgerent, exulabat æquitas & floreſcebat iniquitas: *Scribæ, & Phariſæi*, inquit gloſſa Interlineatis, *exigentes primitias, & decimas,* 140.

Iſaiæ 3. v. 12.

Interlin.

Digitized by Google

decimas, & mulieres dominatæ ſunt eis: ipſi effœminati ad inſtar fœminarum ſplendenti, & lacinioſo ornatu vtebantur. Ergo munus adulterabant non corrigentes delicta; ſed exigentes donaria. O quàm miſera eſt Reſpublica, vbi eius adminiſtri nullo à maioribus accepto cenſu lucent pompaticè exculti, & nimia pompâ exornati! Dum Leuites cenſu nudus, habitu ſplendidiori vtitur, religio adulteratur, munuſque peruertitur: ipſe habitus erat prauitatis non dubium indicium, adulterati muneris certum argumentum, & corrupti officij clariſſimum teſtimonium. Reorum cauſas, vt ius exigebat, diſcuſſit Cato, ornatu lætiori nudus, & fortaſſis non ita diſcuteret, ſi exornatus.

§. XXXIII.

Nonnulli importunè, opportunéque ſuam nobilitatem oſtentant, & ſplendorem ſanguinis iactant.

141. NObilitas præclara res eſt, quæ dum per vetuſtarum originum traduces in poſteros influit, ad virtutem etiam quodammodò impellit: gratus nobilitatis flos, conſpicuus larium ſplendor venerationem ſuadet, & ad obſequium, ſi fas eſt dicere, cogit: caueat verò nobilis, ne dum opportunè importunéque ſuam nobilitatem, & peruetuſtæ originis ſplendorem ſuperbè iactat, non ſolùm aures; ſed & animos audientium offendat. *Tutiſſima generis laus eſt*, aiebat Aſtidamans apud Stobæum
Aſtidam. cap. 86. *verùm relata non ore proprio ſed alieno.* Et Epicharmus apud Stobæum iam datum: *Ne nomines*, aiebat, *ſi me amas mater ad ſingulas genus tuum: quibus enim natura nullum adfuerit bonum proprium, illi confugiunt ad monumentum & genus ſuum, ac auos enumerant, quot habuerint.* Nobilitas tacens loquitur, loquax obſcuratur: ornamentum nobilitatis modeſtia eſt: quo excultior emicat, & ſine quo inuidiam ſibi conciliat. Hanc in Bergantino nobilitatis prærogatiuam iure Attalaric. extulit
Caſſiod. 8. var. 23. ſic de illo eloquens: *Vir, quem nobilitatis ſuæ non inflat elatio, modeſtia humilis, prudentia ſemper æqualis.* Decora humilitas nobilitatem nitidiùs ornauit: faſtus & ſuperbia, dum parerent odium, debitum nobilitati impedirent obſequium; verùm, vt dicebam, nonnulli ſunt, qui per fas, & nefas genus ſuum glorioſi ſemper iactant, & nihil aliud pronuntiant. Ecce Leuites quidem de Bethlehem Iuda in domum Michæ diuertit, cúmque vnde veniſſet, à Micha interrogaretur, genus protulit, & originem commendauit: *Cùm veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Micha, interrogatus eſt ab eo vnde veniſſet. Qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda.* Aliud rogabatur aliud reſpondit: inquirebat Michas vnde iter illud fuiſſet exorſus: reſpondit ille vnde refulgebat oriundus: ſuam fortè ſemper in animo verſabat nobilitatem, & de abundantia cordis lingua eructauit, & importunè reſpondit. Notauit opportunè ſatis Abulenſis quæſtione 20.
Abulenſ. *Reſpondit: Leuites ſum de Bethlehem Iuda: iſtud non quæſiuerat Michas.* Leuites non Michæ ſed vanitati reſpondit, malens imprudentis notam incurrere, quàm vel ad momentum claritatem originis tegere, & vtinam vnum ſolummodo vitium denigraſſet Leuitem: ſunt tamen plures, qui nil aliud frequentiùs in ore habeant, quàm originis claritatem, auorum ſtemmata, larium encomia: &

Nobilitas gratiſſimâ eſt, ſi ore referatur alieno.

Epicharm.

certè hi, dum ambitioſius ſuſpirant gloriam, ſibi iuſtiſſimè conciliare ſolent inuidiam.

Hos, quibus nil aliud in ore præter nobilitatem 142.
ſuam, qua omnium aures infarciunt, quam oculis omnium oſtendunt, ſic carpit Seneca 3. de benef.
cap. 28. *Imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine ac multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.* Adnectit: *Cùm maiores ſuos recenſent, vbicumque defecit nomen illuſtre, illico Deum fingunt.* Quidquid primum oculis obiicitur in horum atriis, ſunt ſplendiſſimi generis ornamenta; quidquid auditur famoſarum imaginũ vocibus eſt antiquitatis gloria, & à diuinitate promanãs ſemper proſapia: nil aliud in eorum domibus frequentiùs adſpicies, nil crebrius, quàm nobilitatis argumenta, & proauorũ inſignia audies. Seneca.

Diſceptabat Chriſtus Dominus cum Hebræis, 143.
cúmque ad virtutis veram libertatem alliceret, & vitiorum tyrannidem eis oſtenderet, ſic reſponderunt: *Semen Abrahæ ſumus, & nemini ſeruiuimus* Ioan. 8.
vnquam: quomodo tu dicis: Liberi eritis? A pecca- v. 33.
torum ſordibus liberandos teſtabatur Chriſtus, ſi veritati ſtuderent; verùm illi ſuæ ſolùm ingenuitati ſtudentes, & generis nobilitatem iactantes importunè reſponderunt, & proſapiæ antiquitatem ſuperbientes ac tumidi commendarunt: agebatur de virtutibus, illi verò, vt erant pleni tumore libertatis ſono deluſi ad generis confugerunt claritatem, & antiquiſſimorum larium iactauerunt ſplendorem: *Iactant genus ſuum*, inquit Noſter Maldonatus ad hunc locum, *vt probent ſe non ſolùm ſeruos non eſſe; verùm valde etiam eſſe nobiles: ex Abrahamo enim genus ducere, qua nobilitate nulla apud eos putaretur eſſe maior.* Toti erant in ſua opportunè importunéque nobilitate aſſerenda, & deprædicanda, & quamvis Chriſtus Dominus de virtutis ingenuitate diſſereret, nomen libertatis detorſerunt, & ingenuitatis ſuæ titulos deprædicarunt. Itaque de illuſtri ſua origine verba texuerunt intempeſtiuè, vtque antiquiſſimam proderent nobilitatem, arripuerunt; imò quæſierunt ſibi occaſionem. Audi Chryſoſt. apud D. Thomam: *Quia non ad vanam gloriam erant, quæ dicebantur à Chriſto, ſed ad ſalutem, non voluit oſtendere eos ſeruos eſſe hominum; ſed peccatorum.* Præmiſerat: *Nullius horum eis cura erat; ſed de mundanis rebus.* Itaque totum ſtudium erat nobilitatem iactare, ſiue ageretur de virtutibus, ſiue de aliis ageretur quibuſvis rebus: ſunt enim nonnulli adeo ſui generis magnitudine pleni, plenitudinéque tumidi, vt nihil aliud loquantur, nihil aliud meditentur. Rarus eſt, qui generis nobilitatem, & à clariſſimis originem deriuatam parentibus recordetur in auxilium virtutis, cum ferè omnes nouerint in fomentum vanitatis. Maldonat. Chryſoſt.

Hinc mirandus venit Ioſephus, qui cùm variis 144.
heræ adulationibus ad delictum alliceretur, ingenuitatem ſuam oppoſuit, & nobilitatem honeſtè iactauit: *Quomodò poſſum hoc malum facere, &* Geneſ. 39.
peccare in Deum meum? Philo Hebræus libro de v. 9.
Ioſeph, in memoriam ſubiiſſe patriam nobilitatem, & generis aſſerit habuiſſe ante oculos claritudinem, non ad ſuperbiæ fomentum; ſed ad pudicitiæ auxilium: erubeſcebat enim nobilibus exortus atauis crimine maculari, & ingratus erga benefactorem videri. Accipe Philonem: *Præſentem importunitatem fortiter ſubmouens, in has liberas, &* Philo.
ſuo genere dignas voces erupit: Quid moleſta es? Bonis moribus, & legibus vtimur nos Hebræorum poſteri. O mira res! Se Hebræorum agnouit poſterum, vt adulterij recuſaret flagitium, quando ſunt

Digitized by Google

plures, qui, vt perpetrent adulteria, generis recordentur inſignia: nobiliſſimis auis ſe latum nouit, ne lucem originis fœdis turpitudinis ſordibus macularet; verùm Ioſephi ſunt pauci: cùm frequentiſſimum ſit nobilitatem ignorare ad virtutem, & animo reuoluere ad vanitatem.

145. Iſai. 51. v. 2. Iſaias Hebræos adhortabatur, vt ſe ab Abrahamo originem trahere recordarentur: *Attendite ad Abraham patrem veſtrum, & ad Saram, quæ peperit vos.* Audis generis memoriam reſtricantem, Ioannem modò audi expungentem: Matth. 3. v. 9. *Ne velitis dicere intra vos: patrem habemus Abraham.* Si Ioannes prohibet generis memoriam, cur reuocat Iſaias: aut Iſaias eos cogit generis clariſſimi recordari, quomodo Baptiſta admonuerit obliuiſci? Profectò vterque rectè: viderant namque proſapiæ amplitudinem non in virtutis ſuffragium; ſed ad tumidæ vanitatis deflectere auxilium: ergo Ioannes vetuit memoriam tumoris matrem, Iſaias ingeſſit recordationem ſanctitatis parentem. Hoc fuiſſe Baptiſtæ intentum tradit Chryſoſt. Chryſoſtomus apud D. Thomam: *Hæc dixit non prohibens illos dicere ex illo ſe eſſe; ſed prohibet in hoc confidere, virtuti animæ non inſiſtentes.* Adiicit: *Quid enim prodeſt ei, quem ſordidant mores, generatio clara? aut quid nocet illi generatio vilis, quem mores adornant? Melius eſt enim alicui, vt in eo glorientur parentes, quia talem filium habent, quàm vt ipſe in parentibus glorietur. Sic & vos, nolite gloriari dicentes, quia patrem habemus Abraham; ſed magis erubeſcite, quia filij eſtis eius, & ſanctitatis eius non eſtis.* Itaque cùm generis prærogatiuam detorquerent ad ſuperbiæ faſtum, conſuluit Ioannes vtiliſſimam obliuionem, & cùm ipſa parentum ſanctitas ac nobilitas quodammodo hæredes cogat ad ſectanda auorum veſtigia, Iſaias admonuit claritudinem generis non exterminare à memoria: & quidem ingenuitatis recordatio eſſe debet ad virtutem fomentum, & ad cultiores mores illicium: Ergo recordare nobilitatis ingenitæ, ne vitiis ſordidaueris; obliuiſcere, ne audientibus faſtidium attuleris.

§. XXXIV.

Ipſo remedio ſæpiſſimè laboratur, & optimis medicinis morbus, quia adulterata, adaugetur.

146. EA ingenij perſpicaciâ valet aſtutia, eâ ambitio peruerſitate, coniunctaque vitiorum ſiti inardeſcit inflammata, vt ipſis remediis infirmitatem adaugeant, & peruerſo itinere per virtutes ad vitia tendat: vt fœminæ ſæpè ceruſſa oculos fallunt, & fœditatem ſub pulchritudinis ſpecie abſcondunt, ita ambitioſi peruerſique humilitatis colore tegunt ſuperbiam, pœnitentiæ nitore culpam, & ad virtutum ſpecies tranſeunt, non vt virtutibus inſeruiant; ſed vt vitiis ſeruire cogant. *Pro bonis mala amplectimur*, aiebat Seneca epiſt. 45. Seneca. *optamus contra id, quod optauimus, pugnant vota noſtra cum votis, conſilia cum conſiliis, adulatio quàm ſimilis eſt amicitiæ.* Adnectit: *Doce quemadmodùm hanc ſimilitudinem dignoſcere poſſim. Venit ad me pro amico blandus inimicus, vitia nobis ſub virtutum nomine obrepunt: temeritas ſub titulo fortitudinis latet, moderatio vocatur ignauia, pro cauto timidus accipitur, in his magno periculo* erratur. Sapienter dixit: nam ſi appareat infirmitas, adhibetur medicus; at exterior ſalutis fucus metum prohibet, & infirmitatem nutrit. Cùm Leuita inopiâ preſſus per montem Ephraim tranſiret, Michas in domum ſuam recepit, & beneficus aduenam aluit: Cùm veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ, interrogatus eſt ab eo, vnde veniſſet. Leuita inopiâ ſe adurgeri faſſus eſt, & Michas ſpecioſo eleemoſynæ titulo, honeſtoque hoſpitij obſequio abuſus idolo inſeruire ſuaſit, & quod peius eſt, obtinuit: *Mane apud me, & eſto mihi parens ac ſacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Videbatur peregrinum miſericorditer recepiſſe; verùm hoſpitalitas idololatriæ inſeruiuit, & Michas per mentitam eleemoſynam celeriùs ac citiùs tetendit ad culpam. *Illud dixit Michas*, ſcribit Abulenſis quæſt. Abulenſ. 20. *ad alliciendum iuuenem, vt maneret, id eſt, dicendo quòd haberet eum in patrem honorando eum vt patrem.* Itaque vt cognato, vt inopi, vt peregrino religioſum ad ſpeciem videbatur exhibere miniſterium; verùm ipſum miniſterium detorquebat ad nefandum idololatriæ delictum adulterata, corruptaque eleemoſyna cauſas prauitatis agebat, & quæ extinguit peccatum miſericordia, hîc peruerſa incrementabat delictum. Plures ſunt, qui cognatæ, pulchræque puellæ miſericorditer ad ſpeciem impendant eleemoſynam; ſed latens dolus auferre nititur pudicitiam.

Ruſo damnabat Virginium Rufum: quia hoc 147.
ſepulchro ſuo epitaphium inſculpſerat:

Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui vindice quondam,
Imperium adſeruit non ſibi, ſed patriæ.

Extollebatque Frontinum, quòd ſibi vetuerit extrui monumentum his verbis vſus: *Impenſa monimenti ſuperuacua eſt, memoria noſtri durabit.* Cumque Plinius iunior de vtroque iudicium fer- Plinius. ret, ſic lib. 9. epiſtolar. epiſt. 19. ſcribit. *Vterque ad gloriam pari cupiditate, diuerſo itinere contendit: alter dum expetit debitos titulos, alter, dum mauult videri contempſiſſe.* Vides alterum ipſa modeſtiâ ambitionem nutriuiſſe, alterum apertiùs gloriam affectaſſe: mihi deterior videtur Frontinus Virginij affectans gloriam, & modeſtiæ ſuſpirans famam. Certè in hoc ipſa modeſtia curanda erat, quandoquidem vanitatis remedium ad vanitatis detorquebatur auxilium, & ambitionis erat fomentum.

Ad Chriſtum Dominum Scriba accedit, eius ad 148.
ſpeciem paupertatem, vitamque imitari conatus: *Accedens vnus Scriba, ait illi: Magiſter ſequar te,* Matth. 8. v. 19. *quocumque ieris*: Vides ad ſpeciem Chriſti Domini veſtigiis inſiſtentem, & vitæ ſtylo informari deſiderantem; latebat tamen anguis in herba, & vulpina aſtutia deſiderabat, vt lautiùs viueret, & commodiùs, Chriſti paupertatem ſectari: ergo Chriſtus Dominus, etſi rectè, vlcus detegit, & ſimulationem carpit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* In ſchola mea, inquit Chriſtus, per paupertatem ad paupertatem tenditur: nam per paupertatem ad diuitias, lautitiaſque tendere eſt paupertatis armis ipſam occidere paupertatem. Iam Scribam diſcupiſſe Chriſti Domini intrare ſcholam, quo perſonatus diſcipulus, dum ad inſtar aliorum miracula patrat, pecuniarum ſummam collegerit, accipe à Baſilio Se- Seleucienſ. leucienſi orat. 28. *Ardens auaritiæ morbo, miraculorum conſpecta multitudine trahitur amore rem* *ſuam*

ſuam augendi, & perſonatus diſcipulus Dominum aggreditur, vt arte miraculorum cognitâ miracula vertat in pecunioſam nundinationem. Itaque profitetur paupertatem; ſed vt diteſcat: accedit ad Chriſtum; ſed vt copioſus, & lautiùs viuat, & paupertatem virtutum venam in auri venam anhelat vertere, & ſpecie ſolum retenta rem ipſam adulterare. Nec mirum ſic deſipuiſſe Scribam, quandoquidem ipſi Domini diſcipuli tunc non adeò virtutibus informati orationem ipſam, & ad Dominum acceſſum in ambitionis vertere conarentur emporium.

149. Eorum quiſque confeſſus deſiderabat primatum, & hoc non in mundo, ſed in cœlo, quò & ambitionem plus tegeret, & virtutem ſimularet: *In illa hora acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes: Quis putas maior eſt in regno cœlorum?* (Matth. 18. v. 1.) Conſpicati fuerant Petrum à Domino prælatum, & ad tributum ſoluendum, pecuniâ inſtructum, eique inuidentes cum Chriſto Domino colloquium, ipſumque acceſſum ad ambitionis detorquebant ſubſidium. Si ſpectes verba, videntur regni cœlorum exambire faſtigium; at ſub hac ſpecioſa faſcia humanæ gloriolæ latere teſtatus eſt Dominus deſiderium. Accipe datum Baſilium (Baſilius.): *Regni deſiderium genuit affectum, & deſiderium primi honoris, & illius affectus argumentum eſt interrogatio: quis ergo maior eſt? Ne verò mirere, ſi diſcipulorum oratio ſeruit affectibus.* Vt degeneri inſeruirent affectui, ad orationis ſuppetias concurrebant: ſubmiſsè orabant; ſed ipſam orationem ad ambitum conuertebant: *Diſcipulorum oratio ſeruit affectibus.* Quibus affectibus? Primatus certè, qua leprâ plures infectos videas: per veſtium ſordes, per ieiuniorum auſteritatem, per prolixas orationes, per Phariſæorum fimbrias ſpinis acutiſſimis intertextas primos amant recubitus in cœnis, primas in foro ſalutationes, & ſub virtutis ſpecie popularem conciliare ſibi contendunt admirationem.

150. Deliquit Saül, & à propheta reprehenſus peccatum apertè confeſſus eſt (1. Reg. 15. v. 30.): *Peccaui; ſed nunc honora me coram ſenioribus populi mei, & coram Iſraël.* Ad pœnitentiam confugit, non deſiderio delendi culpam; ſed acquirendi per fucatam pœnitudinem apud ſeniores, & populum euanidam gloriam: pœnitudinem pœnitudine ſubuertebat, & ipſâ confeſſione nouas ſibi culpas adaggerabat. Ita Bernardus (Bernard.) in allegoriis Tilmani: *Eſt confeſſio eò periculoſiùs noxia, quò ſubtiliùs vana, cùm iam inhoneſta & turpia nobis detegere non veremur, non quia humiles ſumus; ſed vt eſſe putemur: appetere autem de humilitate laudem, non humilitatis virtus; ſed ſubuerſio.* Verus humilis vult vilis reputari, non humilis apparere; at Saül per pœnitentiam cucurrit ad culpam, per humilitatem ad ſuperbiam, ad delictum per confeſſionem: & vtinam Saül tantùm vſus fuerit ſpecioſa fictione; aſt & diſcipuli non ſemel fucatâ currunt ad vanitatem virtute.

§. XXXV.

Nonnulli deteſtandis emunt criminibus refulgere, ac indebitis ſibi dignitatibus emicare.

151. AMbitio vetuſtum hominis malum, ſerpentinum venenum, & validum contra virtutem ſemper oſcillum in muros etiam religionis audet, & quod peius eſt, non ſemel proſternit: ſi ſpes aliqua altiorem dignitatem nanciſcendi affulgeat, labaſcit prudentia, nutat iuſtitia, & ius omne ſpernit audacia. *Marcus Cato*, ſcribit Plutarch. in præceptis Politicis, *cùm ſtatuarum Romæ infinitus videretur numerus, noluit vllam ſibi erigi: Malo, inquit, quæri, cur ſtatua mihi nulla poſita ſit, quàm cur ſit. Veniunt namque in inuidiam iſta, exiſtimatque quibus delata non fuit, his ſe gratiam debere populus: aſſecutos ſibi debere, atque incurrere in oculos, atque velut à mercenariis officia ab his exigunt.* (Plutarch. — Officium exigitur ab eo, qui ad dignitatem euehitur.) Itaque honores deferens non tam tribuit, quàm ſæpe vendit: vtque mercenarius ad conducentis operatur arbitrium, ſic ambitioſus honores dantis pro lege ſequitur placitum. Adnectit Plutarchus (Plutarch.): *Vt igitur qui ſyrtim eſt præuectus, hinc nauem in freto fregit, nihil iſte magni, vel glorioſi egit: ſic qui ærarium, & prouentus publicos conſeruauit, compertus autem in conſulatu eſt, vel cenſura facinoris, hic in excelſum quidem promontorium impegit, perinde tamen hauritur. Optimus quidem ille ſit, qui nihil tale concupiſcit; ſed fugit, & deprecatur.* En conſulatus appetitur, & ſitienter hauritur, etſi ſceleris occaſio ſit: ambitio namque vt eſt oculis orba, ad delictum inuolat cæca: ambitioſus mercenarius eſt, qui dum aſſequatur lucere, non detrectauit delinquere. Ecce Leuites, qui ad Michæ domum diuerterat, à Micha in Sacerdotem promouetur; eâ tamen lege, vt idolis inſeruiat, & thuris grana figmentis offerat; *Interrogatus eſt ab eo, vnde veniſſet, qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado vt habitem vbi potuero, & vtile mihi eſſe proſpexero. Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Quid tunc? *Acquieuit, & manſit apud hominem.* Leuites gradum Sacerdotalem non obtineret, ni apud Micham inſeruiret, cùm lex Leuitis Sacerdotali munere fungi non permittat: *Lex*, inquit Theodoretus apud gloſſam (Theodor.), *prohibuit Leuitis, ne Sacerdotali munere fungerentur; ſed miſit eos miniſtrare Sacerdotibus.* Ergo cùm in domo Michæ Sacerdotali fungatur dignitate, licet impio ſordeſcat crimine, crimen amplectitur, vt ſibi indebito honore potiatur: idolo inſeruiet, ſi culmine dignitatis effulgeat: de religionis iniuria, de criminis pretio emit excellere Sacerdotio, & amplexus eſt idololatriæ ſacrifici, ſi queat dignitatis infulis exornari. Adeſt Abulenſis (Abulenſ.) quæſt. 20. *Acquieuit: in Hebræo habetur, Ambulauit, & manſit apud hominem, & ponitur ambulauit pro aſſenſit, id eſt quod ambulauit Leuita ad voluntatem Michæ.* Michas, vt refert textus, impleuit manum eius. Quod ſic datus explicat Abulenſis, *id eſt, fecit circa eum ceremonias quaſdam ad hoc quòd eſſet Sacerdos.* Vt Michas manum Leuitæ impleat, in Sacerdotemque inauguret, Leuites ad eius voluntatem attemperatur, & crimini obſequitur: eſt enim ſolemne altiores dignitates cupientibus electori inſeruire, & vel criminibus adulari.

Paulus Timotheum inſtruens plures ait à fide aberraſſe, vt inſeruierint ambitioni: 152. (1. ad Timotheum 6. v. 10.) *Radix omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Anſelmus in huius loci commentario non ſolum per cupiditatem vult intelligi nummorum auaritiam; ſed mundialem etiam gloriam: *Hac & primus Angelus cecidit: qui vtique non amant pecuniam; ſed propriam poteſtatem.* (Anſelm.) Itaque in cupiditate ambitus deſignatur: ergo ambitioſi vel fidem manu

Digitized by Google

mittent; ſi apoſtaſia ſibi coëmerint gloriam, & mundialis honoris euanidam excellentiam. Accipe Anſelmum: *Propter dona Principum adorauerunt idola*: Videbant poſſe apud Principes inire gratiam, ſi miſſa fide, ſi violata religione, ſi pietate temerata inſeruierint idolis, ſi deteſtandis ſe commacularint delictis, & glorioſæ calore feruentes. vt exteriùs efflorerent euanidis dignitatibus, interiùs execrandis ſe contaminauere criminibus: de idololatriæ piaculo ſordidum ſplendorem emerunt, & gratiam ſibi Principum conciliarunt; verùm vt eſt æquiſſimus iuſtitiæ oculus, ambitioſos punit deſpectu, & quem honorem criminibus acquiſierunt, decernit probroſam ignominiam adducere, & anxios dolores parere: quod & Apoſtolus hic expreſſit, dum à fide aberrantes ſe doloribus inſeruiſſe teſtatus eſt: *Errauerunt à fide, & inſeruerunt ſe doloribus multis.* Profectò his temporibus nullus aberrat à fide; verùm dum ambitio adulatur delictis, vrgentiſſimis ſe inſerit pœnis. Et ſæpè vti Balaamus, qui virtutis detrimento molitur obſequi Principi, ab ipſo, cui blandiebatur, Principe deſpectus addicitur confuſioni. Ita Anſelm. *Propter dona Principum adorauerunt idola, & poſt in hoc ſæculo viles omnibus effecti multas miſerias pertulerunt.* Itaque dignitas crimine acquiſita veneni ad inſtar abſcindit vitam, & affert deſpectus ignominioſiſſimi pœnam. Non ſemel ſordeſcunt cæteris deſpicabiles, qui perpetrauerunt crimina; vt lucrarentur honores.

153. Iam ambitionis monetam ab exordio extitiſſe culpam primi conteſtantur parentes: veternoſus ſerpens promittit fœminæ diuinitatem, ſi carpendo

Geneſ. 3. v. 5. pomum deliquerit: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij.* Quam erat homini indecorum obedire ſerpenti, & ad hæc: quæ ſibi promiſit Eua: diuinitatis infulis exornari: in brutorum cenſum redacta confuſionis cogitur pœnam ſubire; teſtante propheta: *Homo*

Pſal. 48. v. 13. *cùm in honore eſſet, non intellexit, comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Non ſolùm ad ſerpentis conſpectum decreuit, & ignobiliter paruit; ſed etiam dum ſuſpirat euanidam, veram amiſit gloriam, & dum ſerpentis domina exhibere non erubeſcit ſerpenti obſequium, ſi ad diuinitatis poſſit euolare faſtigium, non eſt adepta faſtigium, & in brutorum ſordeſcit quodammodo redacta cenſum. Itaque mulier non dubitauit præcepti præuaricatione dignitatem emere, & ſplendorem fallaciſſimum exambire. Adeſt ſuprà datus Anſelmus: *Hæc primi homines deiecti*

Anſelm. *ſunt, qui non aurum; ſed inconceſſam ſibi diuinitatem ſuperbè cupierunt: plus enim volentes habere, quàm acceperunt, & quod acceperant, amiſerunt.* Iam homo puluis, quia delirè Deus: dum ambitionis calor in affectionem flabellatus inſeruite ſerpenti, eiuſque amplecti placitum non veretur; ſi mandatorum violatione dignitatem ſibi indebitam nanciſcatur: ab exordio criminis alis ad faſtigium inuolauit, ſed ad nuditatem confuſionémque ruit: pellitus ſorduit, à paradiſo excluſus, & honore ſibi debitò exauguratus.

154. Ieroboam dignitates promittebat, ea tamen conditione, vt vitulis victimas litaret, qui Sacerdotio fulgere vellet: ergò de populo nouiſſimi nullo vnquam dignitatis ſplendore illuſtrandi, vt acquirerent euanidam gloriam, amplexi ſunt idololatriam: impiis Principis votis patendo tenebant

3. Reg. 13. v. 33. excelſa, & vt tenerent excelſa, reſpuebant nulla delicta: *Fecit de nouiſſimis populi Sacerdotes excelſorum: quicumque volebat, implebat manum ſuam, & fiebat Sacerdos excelſorum.* Impletæ manus dignitatem expiſcabantur, vacuæ non nanciſcerentur. Quid ſit implere manus iam diximus, etſi ad mores ſic modò interpretemur. Itaque Sacerdotalis dignitas à populi nouiſſimis obtinebatur: quia nullis delictis parcebant, vt haberetur. Impiiſſimus Princeps vel obſcuros ad dignitatem euehebat, & quilibet; vt ambitioni ſuæ morem gereret, iniquiſſimo ſe Principi attemperabat, deteſtabilique commercio Sacerdos plaudebat vitulis, & Princeps annuebat plaudentis votis: *Fiebat* Theodor.

Sacerdos Excelſorum, inquit Theodoretus apud gloſſam; *manibus offerens ſuffitum.* Delinquendo acquirebat dignitatem, vtque acquireret, delinquebat: nec aliter Leuita hic ad Sacerdotis gradum euolauit, & in parentem tranſiuit.

---

§. XXXVI.

Munus ritè exequens premitur frequenter inopiâ: diteſcit, qui adulterat, abundantiâ.

NEſcio quo innato diſſidio aduerſentur ſibi æquitas, & facultas: Vbi amor pecuniarum cœpit vigere & cœpit verus honor virtuti deficere; verùm etſi omnium æquitatem oppugnet aurum, iudicum frequentius ſolet impetere: quia & occaſio ſolet ſæpe ſæpiùs cupiditatem allicere: reus, vt redimere queat delicta; offert iudici pretioſa dona, & cùm non ſemel ſentiat inopiam, oblatorum munerum deglutit iniuriam: more veſtium verba vehalitia ſuſpendunt plures, & vt inſidioſis augeantur diuitiis, legum contemnunt præſcripta, & diſſimulare geſtiunt peccata. *Noſtris temporibus*, aiebat Caſſiodorus 11. variar. 6. *Scelerata pecunia non* 155

valebunt: nec culpam ſuam redimit, qui reum ſe Caſſiodor.

eſſe: iniquis fraudibus non patebit occaſio: perſequimur, non vendimus excedentes. Iudices miniſtrive, ſi diuitiis augeantur, non perſequi; ſed diſſimulare cenſentur. Qui munus ritè obit, nec opipara menſa, nec cultio ornatu, nec copioſa familiâ reſplendet: augebit cenſum, qui veluti auri meſſem tribunalis adit faſtigium. Ecce Leuita, qui Bethlehem inhabitans premebatur inopiâ, iam in monte Ephraim fulget apud Micham diuitiarum abundantiâ: *Egreſſus de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit, vbicumque ſibi commodum repperiſſet.* Audis peregrinum ob inopiam: vide modò iam argenteorum cenſu, duplici ornatu, & opipara menſa vſum: *Dabo tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Inquires qua arte Leuita, qui in Bethlehem paupertatis premebatur anguſtiis, hîc iam diuitiarum exundet copiis? ibi Leuitæ munus exercuit: hîc etiam Sacerdotis exercuit munus: ſi ergo ibi adeò exiguos ſuſtentationi reditus munus afferebat, quomodo hîc abundantes adeo miniſtrabat? Iam textus explicuit: in Bethlehem Leuites non adulterauerat miniſterium; apud Micham peruertit officium: ergo munus corruptum diuitias peperit, incorruptum facultates non attulit: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Se ſubiecit diuitis voluntati, paruit contra æquitatem placito, legibus reclamantibus inſeruiuit idolo: ergo vbi incorruptus, probatur egenus; vbi diues, iam degenerauit corruptus

nec

nec enim poterat ſine muneris querela adeo citò diuitiarum fulgere copiâ. *Egreſſus de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit*, inquit Hugo Cardinalis,
Hugo. *quia pauper erat*. Adnectit: *Acquieuit victus amore pretij*: Dum officium vendidit, pretium acquiſiuit, & acquiſiuit argentum, quia vendiderat etiam officium. O nimis verum! O Reipublicæ, & miniſtris infauſtum!

156. Chriſti Domini diſcipuli cùm patrandi inuiſa retro miracula ſortirentur virtutem, & pro ſalute hominum obtinuiſſent dignitatem, dum ritè illam
Actor 3. v. 6. adminiſtrant, paupertate premuntur: Petrum audi claudo ſalutem impertientem: *Argentum & aurum non eſt mihi: quod autem habeo, hoc tibi do.*
Actor. 8. v. 18. Tranſi modò cogitatione ad Simonem quemdam plebi magna veneratione ſuſpectum, & copioſâ pecuniâ vſum: *Obtulit eis pecuniam.* Alius Simon pecuniâ caret, alius pecuniarum exundat copiâ; cùm tamen vterque patrarit mira: quia alter incorrupto munere eſt vſus, alter magicis artificiis ditatus: ſatis erat ad malè de Simone ſuſpicandum qua vtebatur, copioſa pecuniâ, quandoquidem Petrus Ioanneſque non minora miracula perpetrantes, nec auri, nec argenti vtebantur copiâ: aliquid in Simonis miraculis latebat, quod fuctum redderet, & aurum, etſi infeliciſſimè, pareret: vterque Simon ad ſpeciem operatur miracula; at Petri paupertas atteſtatur ab illo profluxiſſe relucentia; Simonis verò aurum teſtatur promanaſſe corrupta: *Illa ſpecies magiæ*, inquit Tertul-
Tertul. lianus lib. de idololatria cap. 9. *quæ miraculis operatur etiam aduerſus Moyſem, æmulata patientiâ Dei traxit ad Euangelium vſque: nam exinde & Simon magus iam fidelis, quoniam aliquid adhuc de circulatoria ſecta cogitaret, vt ſcilicet inter miracula profeſſionis ſuæ etiam Spiritum ſanctum per manuum impoſitionem enundinaret, maledictus ab Apoſtolis de fide eiectus eſt.* Circulatoria ſecta ad ſpeciem operabatur miracula; ſed quæ corruptis artibus enundinaret, & venderet; ſi enim Simon, vt Ioannes & Petrus nulla venalitate ſordeſceret, copioſo adeò auri cenſu non ſuperbiret; at dum enundinat magicum artificium, adaggerat etiam cumulatiſſimè argentum: per manus impoſitionem ſuſpirat, Spiritum ſanctum communicare; non tamen vult, vt Ioannes & Petrus, gratis impertiri; ſed vendere: nec enim poterat, qui colligebat pecuniam, ſeruare incorruptam muneris innocentiam.

157. Duas conſpicio aquilas eadem ad ſpeciem regia dignitate fulgentes, non tamen eadem diuitiarum copiâ exundantes: aquila ſuper Hebræos volitans, eoſque humeris ad optatas ſedes deferens,
Deuter. 32. v. 11. non refertur magnis alis inſtructa, nec variis colorum ſplendoribus variegata: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque porta-*
Ezech. 17. v. 3. *uit in humeris ſuis.* Apud Ezechielem aliam aquilam video longo membrorum ductu, prolatiſſimis alis conſtantem, & pulcherrimis plumis ad ſe omnium oculos allicientem: *Aquila grandis magnarum alarum, longo membrorum ductu, plena plumis, & varietate venit ad Libanum.* Si vtriuſque aquilæ conditionem expendas, non minori illam cenſu, non inferiorem origine inuenies, & tamen nec magnarum alarum proditur, nec plumarum pulchra varietate veſtitur; cùm hæc mirâ magnitudine reſplendeat, varietatéque fulgeat. Quod ſi inquiras, cur altera & vberior, & pulchrior, & ditior? Iam textus retulit: *Tulit*, inquit, *medullam cedri, ſummitatem frondium eius auulſit*: cùm cedrum euiſcerans frondium tantùm ſummitatem ore decerpere oſtendit, mentitur ferè nihil abſtuliſſe, cùm reuera conſtet intimis viſceribus cedros denudaſſe. Adde quòd vbi noſter textus habet: *Plena plumis & varietate*, legit Theodoretus ſect. 6. *Plena vnguium*: ipſa plumarum varietas vngues prodebat, etſi cautela ſolers celabat. Eſto aquila alas natiuo ingenio protenderit, eſto copioſas plumas nutricarit, varietatem ex ſe habere non potuit, quando aquilis à natura non eſt multiplex colorum varietas, etſi plumarum ſit numeroſitas: ergo ala, dum varietatem oſtendit, plumas ab aliis auibus rapias aquilinis pennis teſtatur non ſine artificio inſertas. *His*, inquit Theodoretus, *Nabuchodonoſor innuit, quem magnum* Theodor. *nominauit, propterea quòd celeberrimus fuerit; magniſque alis præditum, quia maximè regnum dilatauit: longum extenſione vt ſuperbum, & arrogantem, & plenum vnguium ipſum vocauit.* Aquila hæc non ad ſubleuandos pullos ſubiiciebat humerum; ſed ad dilaniandas aues, cedroſque vnguium armabat exercitum: ergo dum alas ſuas raptis multiplicaſſe dignoſcitur, & varietate infelici exornaſſe videtur, quandoquidem quæ ritè ſanctéque ſuo munere functa eſt aquila, nec protenſis alis prodiitur inſtructa, nec varietatibus exornata. Profectò his veluti ænigmatibus nos edocet Scriptura aliquid latere, ſi dum idem aliquibus munus, alter prematur inopia, & alter diuitiarum refulſerit abundantiâ.

---

§. XXXVII.

Is debet eſſe ſacerdos, qui Magnatum domos non curſitet; ſed ad ſe Magnates virtute traxerit.

Apud ethnicos eumdem habitum ſortiebantur defuncti, & ſacris altaribus initiati: vtri- 158.
que namque coronabantur. Et fortè dum defunctorum tempora, & ſacerdotem ſimilis ambiebat corona, vtroſque ſæculo defunctos, & iam ab omni ſtrepitu teſtabatur alienatos: *Mortuorum eſt*,
inquit Tertullianus de corona militis cap. 10. *ita* Tertull.
coronari, vel quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt, & habitu & cultu conſecrationis. Addit: *ipſæ hoſtiæ, & aræ, ipſi miniſtri, & ſacerdotes eorum coronantur.* Sacerdotes iam defunctorum habitum gerebant à ſæcularibus negotiis, curiſque expuncti, & cæleſtibus prorſus dicati. Quod ſi ſacerdotes dedecet compita circumcurſare, forum terere, turbis aſſiſtere, decens non erit vtpote periculoſius, magnatum otioſè curſitare domos, palatiis aſſiſtere, & apud illos, illiſque conuiuere: facilius namque hauritur, quod à magnatibus exerceri videtur. Teſtatur veritatem hanc Leuita, qui cum apud Micham hominem inter ſuos prædiuitem, & nobilitate conſpicuum, hoſpitio vti peregrinus fuiſſet receptus, ibi à vera religione deſciuit, & quod diuitis filius exercebat, exercuit. *Cùm veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ, interrogatus eſt ab eo, vnde veniſſet.* Sermones cum Micha Sacerdos miſcuit, ab eoque idololatriam imitatus eius in domo ſorduit idololatra, qui intrarat anteà Leuita: *Dixit Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos; daboque tibi per annos ſingulos*

ſingulos decem argenteos, &c. Acquieuit Leuites, ne auctoritati reſiſteret, & tanto ſe honore fraudaret. Profectò dum apud prædiuitem & ſummatem degit, à moribus & religione deſciſcit:
Abulenſ. *Habuit apud ſe puerum Sacerdotem, id eſt, tenuit Leuitam illum adoleſcentem*, inquit Abulenſis quæſt.20. *apud ſe in Sacerdotem, vt faceret ceremonias coram idolo ſuo.* In Michæ domo religionem polluit, & eius colloquiis veluti ſerpentino halitu virtus emarcuit, iniquitas floruit.

159. Aliter ſe gerebat Baptiſta, iuxta Iordanem baptizabat, & ad illum magnatum, populariumque multitudo confluebat: *Tunc exibat ad eum Ieroſolyma, & omnis Iudæa, & omnis regio circa Iordanem, & baptizabantur ab eo.* Quàm alius fuit Leuita Magnatum domos inhabitas à Ioanne ad deſertum magnates aduocante, & virtutibus alliciente: ibi Leuita turpiter degenerauit, hîc baptizantur magnates egreſſi, & Baptiſtæ virtutum odore attracti: *Baptizabantur ab eo in Iordane*, inquit, *confitentes peccata ſua.* Forſitan ſi plus iuſto illorum domos cutſitaret, baptiſmum non perſuaderet, nec concionibus peccata corrigeret; aſt dum Angelicæ vitæ admiratione ad Baptiſtam inuoluauerunt attracti, & peccata deteſtabantur virtutibus reſtituti. Ioannes à Magnatum domibus ſeparatus omni virtutum genere nitidus reſplenduit, & ad virtutem efficaciùs illos attraxit. Nihil tam vtile & curiæ & Ioanni fuit, ac receſſus ille, quandoquidem Sacerdoti accedentes inueniebant erratorum medelam: & Ioannes, ſi muneris oblitus ad illos acceſſiſſet, ampliaret forſitan plagam. Opportunè Chryſoſtomus in catena Diui Thomæ: *Conuerſatione Ioannis expoſitâ conuenienter ſubiungit Tunc exibat ad eum: amplius enim reſonabat conuerſatio vitæ eius in eremo.* Non ſic prædicationis vox in magnatum domibus reſonaret, vt ſonabat in eremo: illos attraxit ab illis remotus; & fortè non allexiſſet permixtus: non inficiabor ſæpè ſæpiùs in magnam Dei gloriam cedere, cùm Principibus conuerſari, & magnatibus ſe ingerere, ſi fiat eorum ſalutis zelo, non vanitatis, aut vtilitatis ſtudio: publicanorum domos intrabat Chriſtus, inuitatus apud Phariſæos diuertebat; ſed familiaritas hæc illorum conſulebat ſaluti, non humanæ vtilitati. Ergo qui in exemplum Chriſtum adducunt, conuerſationis eius ſequuntur modum, alioquin peribunt ſæculi peſte infecti, & magnatum halitu attaminati.

Matth.3. v.5.

Chryſoſt.

160. Quàm alius fuerit Petrus in domo Caïphæ, & in templi aditu, ſcriptura non tacuit: in Principis domo audies negantem: *Acceſſit ad eum vna ancilla dicens: Et tu cum Ieſu Galilæo eras; at ille negauit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis:* in templi aditu claudo à natiuitate ſalutem videbis impertientem: *Cum vidiſſet Petrum, & Ioannem incipientes introire in templum rogabat, vt eleemoſynam acciperet.* Quid tunc? *Apprehensâ manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Et exiliens ſtetit, & ambulabat, & intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* Idem eſt Petrus, ſed diuerſus eſt locus: in templo Sacerdos claudi reformat greſſum, iacentem erigit, naturam redintegrat, impertitur ſanitatem; at in Caïphæ domo fides vacillat, veritas obſcuratur, deteſtabilis negatio perficitur. In templo claudum traxit ad Deum Petrus, in Caiphæ domo tractus eſt Petrus ad animi propoſitum demutandum, & ad periurium edendum. Notauit Drogo Oſtienſis

Matth 26. v.69.

Actor 3. v.3.

de Sacram. Dominicæ Paſſion. *In domo Caiphæ colaphizatur Petrus.* Ni in domo eſſet Caïphæ, Drogo.
non nigreſceret tot repetitæ negationis colaphis; verùm dum ſe, licèt candido animo aulicorum turbæ immiſcet, & grauiſſimo abnegationis errato ſordeſcit: *In domo Caïphæ colaphizatur Petrus.*

Eò Sacerdotes ambitu à Principum domibus debent exulare, quo alij diſcupiunt admitti: à Pharaone inuiſatus Iacob, qui olim Sacerdos, vt qui Domino ſæpè ſacrificium obtulerat, ſe paſtorem profeſſus eſt: quia nouerat Ægyptios odio proſequi paſtores: *Paſtores enim ouium ſumus ſerui tui, & nos & patres noſtri.* Iam paſtores Ægyptiis execrabiles, audi: *Deteſtantur Ægyptij omnes paſtores ouium.* Mira res: cùm lucrari poſſet gratiam, ſibi ad ſpeciem procurat maleuolentiam, & cur munus non tegat, vt in curia Principi, & aulicis gratus viuat? Certè ob id ipſum, inquit Philo Iudæus: expendebat namque prudentiſſimus Ioſeph, & religioſiſſimus ſenex, grande ſibi in aula imminere periculum, & grande, ſi oues in deſertis ageret, ſibi conciliaturum odium; maluit tamen peſſimorum magnatum maleuolentiam, quàm gratiam: quia nouerat virtutibus deteriorem fore gratiam, & ſæpè vtiliorem maleuolentiam. Ergo diſceſſit ab aula paſtor, ne in aula obliuiſceretur pietatem, aut obſcuraret canitiem: *Nihil perculſi apparatu regio fatentur ſe paſtores pecorum*, inquit Philo de ſacrificiis Cain, &c. *nec tantùm ſe; verùm patres quoque ſuos, at qui alius vix principatum potentiamque ita iactaret, vt hi viri vitam paſtoritiam.* Mira res: qui ſe odio habendos nouerant, ſi vitam paſtoritiam profitentur, vt regium palatium fugiant, ſe incunctanter confitentur paſtores, & quidem magnatum familiaritate vſi attaminarentur non exiguis piaculis, quia prauis compellerentur exemplis.

161.

Geneſ.47. v.3.

Geneſ.46. v.34.

Philo.

Sacerdos à Malachia Angelus appellatur: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Iam qualiter ſe Angelus geſſerit, dum flammanti rubo Moyſi apparuit, audi: Apparuit (ſic enim teſtatur Stephanus Actorum 7.) *illi in deſerto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Moyſes miro correptus ſpectaculo inuolabat; accedere verò prohibuit, gradumque compreſſit, & miſeris ſimul ſolicitauit auxilium: *Ne appropies*, inquit *huc.... vidi afflictionem populi mei in Ægypto, & clamorem eius audiui, propter duritiam eorum, qui præſunt operibus, & ſciens dolorem eius deſcendi, vt liberem eum.* En Angelus à tumultibus ſemotus ſpinarum horrore veſtitus, ſaluti populi totus inuenitur impenſus: vel Principis iam paſtoris retardabit acceſſum, vt Sacerdotes qui Angelorum funguntur officio, ſtudiat à magnatibus diſtantes omnium prouidere ſaluti, eòque virtutum ſplendore micare, vt demirati ad ipſos inuolent Principes: *Omnes, qui Sacerdotij nomine cenſentur*, inquit Gregorius homil.6. in Euang. *Angeli vocantur, propheta teſtante, qui ait: Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Præmiſerat: *Angelus vocatur, vt dignitatem ſeruet in nomine, quam explet in operatione.* Angelum imitetur Sacerdos ad ſe virtutum fulgore animos intuentium pelliciens, & à magnatibus diſtare exaniens: hic enim ambitus eſt honeſtus, & pro munere exercendo vtiliſſimus.

162. Malach.2. v.7.

Actor.7. v.30.

Greg.

§.XXXVIII.

Digitized by Google

§. XXXVIII.

Sæpè ab alio ad dignitatem electus Superioris titulo fulget; ſed eligenti reuera paret.

163. AMbitiò res humilis indignum præſtat famulatum, vt ad volaticum peruenire poſſit dominium: *Vt dominetur aliis*, aiebat Ambro- Ambroſ. ſius ad 4. Lucæ, *priùs ſeruit: curuatur obſequio, vt honore donetur.* Parùm dixit: non ſolùm vt dominetur aliis, priùs ſeruit; ſed ſeruit etiam dominans, obſequitur imperans. Itaque eſt laruatus Dominus, & re ſeruus. Hanc teſtatur veritatem Leuita, qui cùm ad Michæ domum diuertiſſet, eiúſque ſibi gratiam, etſi luctuoſiſſimam conciliaſſet, ad Sacerdotalem Dignitatem euectus eſt; ſed quia ad componendos mores iuuat, electionis modum inſpiciamus: *Cùm veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Micha, interrogatus eſt ab eo, vnde veniſſet. Qui reſpondit: Leuita ſum de Bethlehem Iuda, & vado, vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero. Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Vrbanè inuitatus acquieuit Leuita, cuius manus Michas impleuit: *Impleuit Michas manum eius.* Qualiter ſe initiatus geſſerit, Scriptura non tacuit: *Fuit illi quaſi vnus de filiis.* Iam ſe difficultas offert: ſi filij vicem gerit, opus eſt obſequi, & obedientiam præſtare: ſi parens electus eſt, quibit exigere: quomodò ergo Sacerdos idem & parentis ſortitur elogium, & filiorum præſtat obſequium. O profundam nobis eruditionem! Leuita Michæ auxilio fauoréque ad parentis dignitatem fuerat electus: ergo, etſi dignitate parens, ſe gerebat vt filium, & Michæ præſtabat obſequium: frequenter enim qui ad dignitates aliorum auxilio euehuntur, illorum placitis mancipantur: nomine Superiores, re ſeruuli: quia cùm quidquid excellentiæ habent, non dubitarint alienum, timent ſibi vendicare vti proprium; *Impleuit Michas manum eius*, inquit Abulenſis q. 10. *id eſt, fecit circa eum* Abulenſ. *ceremonias quaſdam ad hoc quod eſſet Sacerdos.* Dum Michas laborat, vt Leuita ad Sacerdotium aſcendat ſibi parentem, & ſimul ſubditum parat: erit námque parens dignitate, ſeruus actione. Huic inſtituto adaptari poteſt, quod etſi alio ſenſu, aiebat de Auito iunior Plinius 8. epiſtolar. epiſt. 23. Plinius. *Suffragio meo adiutus in petendis honoribus fuerat.* Quid tunc? Iam addit: *Ita verebatur, vt me quaſi magiſtro vteretur.* Ad dignitatem elatus manebat adhuc diſcipulus: & quidem quod Auitus honeſtè, plures exercent ambitioſiſſimè magiſtrorum locum tenent; ſed diſcipuli adhuc manent.

164. Ea temeritatis audacia inſoleſcit Dæmon, vt experiri audeat, an Chriſtus Dominus plus homine fuerit: eâque Chriſtus Dominus humilitate reſplendet, vt inſolentis procaciam tulerit, quo ſuis nos tentaminibus erudierit, quàm ambitus ambitioſos indecorè ſubmittat: ergo in montem excelſum ducit, vt excelſus extollentem adorarit: Matth. 4. v. 8. *Aſſumpſit eum Diabolus in montem excelſum valdè, & oſtendit ei omnia regna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Cùm veternoſus, ſubdolúſque edacitate tentaſſet, cùm pulſaſſet vanitate, nec ſucceſſiſſet votum, ad fortiora ſe ambitionis argumenta conuertit, & ad explorandam veritatem in campum validiſſima experimenta produxit: excelſum conſtituens adorationem exegit, ita ſecum quodammodò argumentatus: Si non Dei; ſed hominis filius eſt, dum per me in excelſis conſtituitur, quodvis præſtare obſequium nullatenus reuerebitur: quod ſi tenuat morem mihi gerere, plus eſſe homine iam fas non eſt dubitare: *Facit*, aiebat datus ſuprà Ambroſ. *ambitio criminoſos.... dum vult eſſe ſublimior, fit remiſſior, cùm in ipſa* Ambroſ. *poteſtate, quod præcellit, alienum ſit.* De ſæculi vſu tali experimento vſa eſt vaſtities: nam qui ambitu inardeſcit, nihil denegat manum porrigenti, & ad altiora iuuanti. Dæmonis certè nequitia ambitionis manifeſtat ingenium, & quàm ſuffragantibus ſe indignè ſubmittat, edocet, dum exploraturus eiuſmodi aggreditur tentaminibus Chriſtum. Indignum erat, rationíſque oppoſitum reuerentiam numini debitam Dæmonibus applicare, & ad indignos conuertere, at petebat, qui ad celſa duxerat, qui ad ſpeciem ad faſtigium inſcendendum manum porrexerat: ergo ni Deus ſit (Secum ita ratiocinatur aſtutia) meo patebit placito, & vlterius inſano aſcendendi ſtudio, inhoneſto ſe ſordidabit obſequio. Profectò aduerſùs Chriſtum Dominum irritus fuit conatus; ſed dum oppugnat alios, etſi infauſtus, ſuccedit triumphus, quandoquidem plures ad ſuffragatoris placitum, ſiue fas, ſiue nefas fuerit, attemperantur, & ambitus coactione obſequuntur.

Ioſeph à fratribus venditus catenis premitur & 165. ligatur, pòſt verò, è carcere eductus thronum inſcendit, & à Pharaone illum extollente ſtolâ byſſynâ induitur, & aurea torque circumligatur: *Veſtiuit eum ſtolâ byſſina, & collo torquem auream* Geneſ. 41. v. 42. *circumpoſuit.* Philo lib. de Ioſeph ſatis ingenioſè expendebat Ioſephum non exuiſſe vincula; ſed mutaſſe: ferrea antè catena illum venalitium teſtabatur; ſed & modò aureá torque, etſi nobilioris nempè euehentis mancipium etiam oſtenditur. Accipe Philonem, *Qui auram populi captans conciona turus locum ſuperiorem aſcendit, ſicut venali-* Philo. *tij ſeruus fit ex ingenuo, propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris Dominis.* Certè Ioſephus concinnis moribus reſplenduit excultus, & nullatenus ambitionis lue attaminatus; at dum catena aurea circumligatur thronum inſcendens, edocet aliorum ſuffragiis ad dignitatum culmina euectos eſſe pro illorum mancipiis: nam vt mancipium dominantis obſequitur imperio, paret mandato, ita hic reſtagari neſcit, quia excellere diſcupit. Contrà ius quid ab illo exigitur, faciet, quia mauult legem offendere, quàm ſuffragatorem exaſperare: ergo ambitioſus ex ingenuo tranſit ad vernulam, & gloriæ venalitius eligentis fit indigniſſimè ſeruus: *Sicut venalitij ſeruus fit ex ingenuo propter honores, quos videtur accipere.* O nimis verum! dum Ioſeph ad alta aſcendentium perſonam gerit, catenâ circumligatus producitur, & quàm ad aliorum nutum, placitúmque ambitioſus ſeruiat, mitis coloribus declaratur.

Fortè hanc nobis eruditionem Magi tradiderunt 166. aſtrorum adoratores, & aſtro vſi, cùm ad Chriſtum Dominum inuolarunt: *Vidimus*, aiebant, *ſtellam eius in Oriente, & venimus adorare eum.* Matth. 2. v. 2. Stellam adorantibus modò obſequium præſtat ſtella: qui per Angelum, vt paſtores potuerunt

 adduci,

Digitized by Google

adduci, non ſine arcano myſterio per ſydus veniunt. Iam qualiter ſe aſtrum geſſerit, à Chyſol.
Chryſol. audi ſerm. 156. *Nec ipſe agitur curſu ſtellæ, ſed ipſe ſtella agit curſum, cuius per cœlum ſic curſum dirigit, ſic moderatur inceſſum, ſic viam temperat, vt Magorum ſeruiat, & mittatur ad greſſum: nam ambulante Mago ſtella ambulat, ſedente Mago ſtat ſtella, Mago dormiente excubat ſtella.* Stellæ curſus à Domino pro Magis ducendis temperabatur; verùm non erit abs re, cùm ſtellas Magi in Deos inaugurarint, teſte dato Chryſologo, *in cœlo Diis totidem, quot ſyderibus ſeruiebat*: Quàm ſe hæc ſtella addixerit nutui inaugurantis, expendere. Magus ad diuinitatis honorem ſtellam euexerat: ergo ſic ſtella Magi attendebat votum, vt pro illius placito attemperauerit curſum: *ambulante Mago ambulat ſtella, ſedente Mago ſtat ſtella, dormiente Mago excubat ſtella.* En ſydus, quia à Magis accepit celſitudinis honoribus eminere, ſtudioſè diſcupit obedire, vt hoc ænigmate ambitionis nobis innoteſcat conditio, & honeſtus ſyderis motus ſit manifeſta ambitus explicatio. Plures videas ſtellas, quæ & diſcutere tenebras, & inferiorum greſſus dirigere tenebantur, electorum voluntati ſic addictas, vt non direxerint; ſed dirigantur, vt non duxerint; ſed ducantur, vt non diſcuſſerint culparum tenebras; ſed obtenebrauerint culpas.

§. XXXIX.

Munus, ſi venalitium, aut emptitium ſit, in æquitatem armatur, & impietatem tuetur.

167. QVi faſtigio dignitatis eminere pretio acquiſiuit, æquitatis iniuria recuperare nititur pretium, vt nouo iniquóque commercio ad altius peruenire poſſit faſtigium, & quiſquis munus venalitium expoſuit, ementi paruit: vbi pecunia eſt pro merito, dignitatem quantitas taxat, lugent iura corrupta, & conſtuprata æquitas. *Sunt quidam prætextati*, ſcribit Philo lib. de Iudice, *inter*
Philo. *iuſtos, iniuſtóſque medij inſtituti ad tuendos oppreſſos ab oppreſſoribus, qui tamen non dignantur gratis ferre ſententiam pro cauſa meliore: venales mercenariique iudices: quòd ſi quis queratur, negant ſe præuaricatos: viciſſe enim litem quos oportuit.* Cùm apud hos totum ius ſit pecunia, ea pars vincit, quæ ius pro ſe habet, cúmque ad tuendam æquitatem ſint conſtituti, patrocinantur cupiditati.
Caſſiod. *Gratias diuinitati refero*, aiebat Caſſiod. 12. var. 2. *quia & prouinciales fecerunt, quæ monui, & ego compleui omnia, quæ promiſi.* Rationem reddit: *Nam nec me ſenſit quiſquam aliqua venalitate pollutum, nec ego pertuli tributario indeuotos.* Tributario cogeretur indeuotos ferre, ſi muneris poteſtatem diſcuperet venditare: Iudices nàmque, qui verba veſtium more ſuſpenſa vendunt, ſolùm quæ ementibus placent, proferunt: non attenditur, an lugeat æquitas, ſic vilis accipiat lucrum venalitas. En Leuita ad Michæ domum diuertens, dum munus vendidit, religione temeratâ, idolis euanidis inſeruiuit: *Eſto mihi parens ac Sacerdos*, aiebat Michas, *dabóque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem.* Vbi Sacerdos factus eſt mercenarius, idolo obtulit deteſtabile ſacrificium: quia accepit copioſum, vt ſacrificauerit, aurum: *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Cùm frequens ſit in Scripturâ pueri nomine ſeruum deſignari, iam Sacerdos in Michæ domo, vti ſeruus miniſtrabat, quia ſacrificandi munus vendiderat: *Hinc habuit originem*, ſcribit Hugo, *praua & deteſtabilis conſuetudo Preſbyterorum conducendo-* Hugo.
rum taxato pretio. Acquieuit victus amore pretij. Itaque dignitatem vendidit, & quia vendidit, in religionem armauit, & conſtitutus à Deo Leuita pro tuenda virtute ſic degenerauit, vt venalis execrandis ritibus inſeruiuerit.

Concilium cogunt Pontifices & Sacerdotes; 167.
ſed dum ibi ſolum lucrum conſulitur, & attenditur: *Venient Romani, & tollent locum noſtrum, &* Ioan. 11. v. 48.
gentem: Iam omnes ardentiſſimo occidendi Chriſtum tenerentur ſtudio, Caiphas, qui Pontificatum emerat, mortem accelerauit, impia illa congregatio conſenſit: *Vnus ex ipſis Caiphas nomine cùm eſſet Pontifex anni illius, dixit eis: Vos neſcitis quicquam, nec cogitatis quia expedit vobis, vt vnus moriatur homo.* Iudex, Sacerdóſque omnium deſideriis adulatus mortem decreuit, ad effectúmque perduxit: vbi viuidior temporalis lucri cupiditas inſtigabat, æquitatis regula iam peribat. Ne nobis libera dubitandi relinqueretur occaſio, dum Caipham anni illius Pontificem Scriptura retulit, coëmiſſe ſibi pretio Sacerdotium rectè indicauit. Ita Alcuinus in catenâ D. Thomæ: *De hoc Caipha Ioſephus refert, quod pretio ſibi ſacerdotium vnius* Alcuinus.
anni redemerit. Ingenti aureorum ſummâ dignitatem ſibi comparauerat: ergo æquitate ſpreta locum gentémque ſua referebat: *Et tollent*, aiebat concilium, *locum noſtrum & gentem*: vilia mancipia ſubiectos reputabat, & lucro ſolummodo conſulebat, plebem totam poſt illum abituram veritus, ne dignitatis reditus minuerentur, ne ſacrificia deficerent, & ſolemnitates ceſſarent, condemnauit ipſam iuſtitiam; & affixit cruci innocentiam. Vt recuperarit ob dignitatem impenſum aurum, in Chriſtum Dominum armauit Concilium. Et vtinam vni Caiphæ hoc accidiſſet: ſunt tamen plures, qui officia emant, vt cariùs venditarint, quæſtúmque fecerint. Quid ſperes à Iudice, cui non exiguo pretio contigit dignitas, niſi iuſtitiam vendere, vt impenſam ſummam maiori incremento colligat, & dignitatem iterum emant.

Scriba quidam cùm miracula à Chriſto diſci- 168.
pulíſque patrari conſpiceret, eius ſe collegio adiungere procurauit: *Accedens vnus Scriba ait illi:* Matth. 8. v. 19.
Magiſter ſequar te, quocumque ieris. Verùm Dominus qui ſuæ perſpicaciæ præuaricator non eſt, reſpondit: *Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet*: Si reſponſionis ſuperficiem ſolùm ſpectes, forſitan videatur non apta. Aiebat Scriba: *Sequar te*, & ei Chriſtus paupertatem ſuam opponit: *Filius hominis non habet, vbi caput ſuum reclinet*: & quid ſi pauper fuerit, nonne & pauperem ſequetur Scriba? O Domini prudentiam! Ille, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 28. ad Apoſtolatus diſcupierat peruenire dignitatem, vt ipſa dignitate & aurum expiſcaretur, & honorem: deſiderabat miracula patrare, vt pecuniam poſſet colligere. Ergo Chriſtus Dominus paupertatem oppoſuit, & ambitum retardauit. Quàm diſſimilis eſſet Apoſtolis ſua relinquentibus, qui lucrum de Apoſtolatu cupiebat! Quàm differret ægris ſalutem, quo ad redimendum tempus copioſiorem pecuniam offerrent, & hydropicam auaritiam

Digitized by Google

auaritiam ſatiarent! Pſeudoapoſtolus, non Apoſtolus eſſet ad vendendum poſſidens dignitatem, & ad exterminandam ſalutem. Accipe Seleuciam:
Baſil. *Ad mentem Chriſtus aptat reſponſum, non ad verba, oratione inſtruens eius mores: vulpes enim, inquit, foueas habent, & volucres cœli nidos; filius autem hominis non habet, vbi caput reclinet.* Adnectit: *Quid miraculorum fingis deſiderium, cùm pecuniarum te vincat amor? Quid ob quæſtum diuitiarum paupertatis adiiſti legiſlatorem? Pecuniæ miraculis non aucuitantur: inſpice me, qui ex auctoritate patro miracula, volucribus pauperiorem; non è miraculis aurum legitur, neque nobis hoc admirabilium rerum lucrum eſt.* O verſutiæ peruerſitatem! per paupertatis iter ad diuitiarum tendebat cumulum, & per miracula ad negotiationis commercium: auctoritatem venditare diſcupiebat, & quidem ni à Domino repulſus, dignitatem occupans dignitatis eſſet iniuria, & Apoſtolatus nota. Sub Apoſtoli larua mercatorem tegebat, & vt copioſiùs acquireret aurum, ſe Chriſti mentiebatur diſcipulum. Et quidem huius prauitas noſtra confuſio eſt: audi quid dicat: *Sequar te quocumque ieris*: Sponſa trahi opus habet:
Cantic. 1. v. 3. *Trahe me poſt te.* Iſte lucrum quocúmque tenderit, ſequitur: *Quocúmque ieris*: illa aiebat: *Indica mihi vbi paſcas, ne vagari incipiam*; iſte: *Sequar te*: & hoc quia illa tendebat ob virtutem; ſed iſte ob cupiditatem. Per inacceſſa, & abrupta inuolare nouit cupiditas, & maris terræque profundiora auri ſacra fame ſcrutari tentat temeritas: per crucem ſequetur Scriba Chriſtum, celeri greſſu per clauos inſcendet, ſi ſpes affulſerit auri. Sed nos theſi noſtræ reſtituamus. Ecce Scriba inſidiatur virtuti, dum ſtudet venalitati: nam dum munus auro acquiritur, aut pretio venditur, virtus exulat, & iniquitas triumphat.

169. Simon Magus eiuſdem farinæ ac iſte pecuniam obtulit Apoſtolis, vt impertiendi ſanitates, & patrandi miracula artem (ſic rebatur ipſe) illi com-
Actor. 8. v. 18. municarent: *Obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, vt cuicumque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum.* Communicare deſiderabat aliis gratiam, vt ſuam ardentem ſatiauerit auaritiam: pretio conabatur dignitatem acquirere; ſed vt pretio venditaret: Apoſtolatus faſtigium ſuſpirabat; ſed ad commercium: & quidem, ſi obtinuiſſet dignitatem, dignitatis eſſet opprobrium, virtutis exilium. Huc voco datum Baſilium orat. 18. *Ardens auaritia morbo miracu-*
Baſil. *lorum conſpecta multitudine trahitur amore rem ſuam augendi, & perſonatus diſcipulus Dominum aggreditur, vt arte miraculorum cognita miracula vertat in pecunioſam nundinationem:* Certè quiſquis emit dignitatem, pretium dignitate abuſus geſtit redimere, & vt redimat, nullum delictum verebitur perpetrare.

---

§. XXXX.

Immerita dignitati exaugurationis imminet nota, & exauthorationis miſeria.

170. QVæ nobis videntur alta, prærupta ſunt, & dum Icarus fragilibus alis nititur inuolare, inuentus eſt caſu miſerabili deperire. Prometheus facem cœlo intulit reluminandam furtiuè; ſed dum ambitioſior furatur lucem, ſibi maturauit calamitatem. Solicitum eſt in lubrico ſtare, & & cùm excelſa omnia ſint lubrica, immeritis præcipuè inueniuntur periculoſa: *Quomodò habere quicquam certum, manſurúmve poſſunt*, inquit Seneca epiſt. 23. *ſuſpenſi, & vagi?* Adnectit: *Ex quibus alta lenior vnda deſinuit, ac molliùs vexit,* Seneca.
alia vehementior rapit, alia proximè ripam curſu langueſcente depoſuit, alia torrens impetus eiecit in mare. Omnes, quos fortuna amplexa eſt, dum apici proximiores euexit, caſui viciniores conſtituit: eorum more, quæ fluminibus innatant, ij, qui à populo acclamantur felices, non eunt, ſed feruntur, alienis auxiliis ſemper innixi, & per momenta timore dirvexati & ſuſpenſi: nequit hic timor diuelli à culmine; at licèt inſitus, & agnatus culminibus ac dignitatibus ſit, tunc grauiùs vrget, cùm immeritus ſolo fauoris auxilio, & pecuniarum ſuffragio dignitatem obtinuit, aut, vt dicam meliùs, extorſit, & rapuit: tunc enim aut patronus omnium ſupercilio confuſus ſe ſubtrahit, aut renitente patrono ipſa ratio, & æquitas celſum non leuiter deponit; ſed violentiâ detrudit: *Reddat præmium ſub optimo principe*, aiebat Plinius Plinius.
lib. 9. epiſtolarum epiſt. 13. *quòd à peſſimo accepit.* Immeritò Certus acceperat dignitatem, quàm reddendam aiebat Plinius, vt indigno dignitate laudabiliter denudato erubeſceret, qui extulit, & ambitionis daret pœnas, qui ambiuit: ſibi Certus peperit ignominiam, dum non timuit efferri ad faſtigium, nec præuidit futurum caſum. Michas vnum è filiis in Sacerdotem extulit nullo merito, ſolo arbitrio: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos*; verùm non multò poſt coactus eſt filium remouere, & Leuitam in Sacerdotem aſſumere: *Manè apud me, & eſto mihi parens, ac Sacerdos.* Quærunt Interpretes, cur Sacerdotem deſideraterit, cùm iam è filiis ſuis ſortiretur Sacerdotem? Inter alios reſpondet Arias Montanus, ob filij electionem malè audiuiſſe, cùm pro illo nullum ius, aut lex ſtaret; imò lex & ius ab altaribus excluderet: *Malè audiebat, quod* Montan.
breuiſſimo tempore ſculptile ſacrare, domíque ſua dicare teraphim, ephódque comparare, & ex liberis ſuis vnum quempiam Sacerdotem inſtruere, inſtituerèque auſus fuiſſet: quorum nihil prorſus iure, legitimè, aut ritè factum probare populo poſſet. Populi ſententia electionem filij condemnabat, vt qui nec ritè inauguratus, nec legitimo titulo electus: ergo amouere coactus eſt pater, ne popularem ſubiret indignationem, & filius, quàm adeptus fuerat, euanidam, breuémque gloriolam longo rubore perſoluit exauguratus, & dignitatis honore nudus. Profectò ſi aliqua dignitas figi poteſt, meritorum clauis eſt ſtabilienda: nam ſi deſiderentur meritorum ſuffragia, aut dignitate abuſi reclamarint delicta, ſtare nequibit elatus; ſed inhonoratione, ruboréque deponetur confuſus.

Sobria templi præpoſitus dum dignitate abutitur, calamitatem ſibi maturauit, & confuſionem 171.
aſciuit. Audi Iſaiam: *Hæc dicit Dominus Deus* Iſaiæ 22. v. 15.
exercituum: Vade, ingredere ad eum, qui habitat in tabernaculo, ad Sobnam præpoſitum templi, & dices ad eum: Quid tu hic? aut quaſi quis hic? Adnectit: *Ecce Dominus aſportari te faciet, ſicut aſportatur gallus gallinaceus, & quaſi amictum ſic ſubleuabit te.* Galli ad inſtar erecta criſtâ ſuperbiebat vanus, incedebat glorioſus, cæteros aſpernabatur ſuperbus: nil muneris curabat; ſed

Digitized by Google

adierat ſolùm faſtigium, vt occuparet, non vt haberet: ergo deiicitur confuſus, & exterminatur mulctatus.

Hieronym.

Sobnas, inquit Hieronymus apud gloſſam, *ſuperbus, lupus rapax.* Conſonat gloſſa moralis:

Gloſſa moral.

Sicut aſportatur gallus gallinaceus, qui non facit opera galli; ſed gallinæ; ſic malus prælatus non facit opera prælati, ſcilicet verbo & exemplo docendo; ſed magis opus mulıebre viuendo delicioſè. Sobnæ videbatur dignitas nullis ventorum adſultibus ſubruenda; verùm ſtare non potuit, dum ſtare non meruit. Satis non eſt proſperâ vti aliquando fortunâ, auxiliares habere manus, ſi contradixerit virtus: ſatis non eſt meritis inſcendiſſe dignitatem, ſi dignè euectus indignè fuerit in dignitatis lumine conuerſatus. Virtuti vti ſolidæ, & nullis turbinibus concutiendæ inniti oportet aduerſus varios temporum vultus, & multiplices iniquorum dolos. Adde tunc præcipuè nutare dignitatem, cùm contentus non eſt indignus fulgere; ſed adnititur dignos deiicere, & ſibi deiectione plauſum incrementare.

172. Dagon faſtigio dignitatis elucebat; verùm contentus non eſt ſine meritis eminere; ſed aggreſſus eſt ambitionis febri delirans meritis florentem opprimere, Dei Arcam ſibi ſubiicere, de eiuſque deiectione ſuam incrementare diſcupiuit, ſed infeliciter, vanitatem:

1. Reg 5. v.2.

Tulerunt Philiſthiim Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon, & ſtatuerunt eam iuxta Dagon. Qui multis temporibus immeritò faſtigio eminuerat, iam proſtratus iacet, & dum iniquis artibus ſibi adaugere nititur gloriam, maturauit irreparabilem ignominiam: *Ecce Dagon iacebat pronus in terra ante Arcam Domini.* Vt nullum eſt ſine patrono vitium, vt multorum fauore efferri ſolet indignus, iterum Dagon faſtigium inſcendit, & iterum Arcæ ſuperpoſitus tumet: *Tulerunt Dagon, & reſtituerunt eum in locum ſuum*: honeſto reſtitutionis titulo iniuſtitiam inaurabant, eóque deuenerat impudentia, eò impudens proceſſerat temeritatis audacia, vt venditarent debitum, quod omni titulo probabatur iniuſtum; verùm dum inſiſtit cæcitas, augetur etiam calamitas. Iam Dagon non ſolùm ſolio deturbatur; ſed capite manibuſque præciſis Arcæ ſubſternitur: non ſolùm ante Arcam iacet, vt anteà deiectus; ſed in limine conculcandus: *Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini; caput autem Dagon, & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen. Porrò Dagon ſolus truncus remanſerat in loco ſuo.* Deiectus, nec ſublimandus iterum faciem confuſus abſcondit, in loco ſibi debito pœnam ſubit: fauor euehere inſtitit; ſed demeritum inſtitit etiam proiicere, & grauiori pœnâ mulctare:

Gregorius.

Ante Arcam quidem cadit, ſcribit Gregorius ſuper Reges ad hunc locum, *quia ex myſteriorum diuinorum ſcientia innoteſcit; ſed pronus in terra iacet: quia auctore iam Deo ad aſpectum fidelium ſimulatæ rationis imaginem non habet. Qui enim pronus in terra iacet, faciem in terra deprimit; per faciem verò ſimulacri ſimulatio exprimitur rationis.* Dagon capite manibuſque referebat hominem corpore reliquo piſcem, tegebat brutalitatem vmbratili rationis ſpecie: erat hominis larua; ſed irrationalis bellua: ergo brutum ad ſpeciem ſolummodò homo fraude detectâ è ſublimi deiicitur, & confuſum proculcatur: plures auxiliares ſortiebatur dexteras; ſed ipſa pluralitate ſibi adauxit ignominias, & dum Arcam deprimere ambitioſior tentat, extremum ſibi, & celerem caſum parat: qui anteà, etſi immeritò, reſplenduerat dignitatis faſtigio, dum immeritè intumeſcit, miſerabiliter ruit.

---

§. XLI.

Deſpicabilis habetur honeſtas, cui pro Helice habetur vtilitas.

CVpiditas eſt diaboli laqueus, prudentiæ interitus, honeſtatis naufragium, rationis delirium. 173.

1. ad Timoth.6.v.9.

Qui volunt diuites fieri, aiebat Paulus, *incidunt in tentationem, & in laqueum diaboli, & deſideria multa inutilia, & nociua, quæ mergunt homines in interitum, & perditionem.* Rationem ſubiicit Apoſtolus: *Radix enim omnium malorum eſt cupiditas, quam quidam appetentes errauerunt à fide.* Vt in radicè omnis arboris fructus latet, vt eius auxilio explicatur aucta, & augeſcit inmutrita, ita vitia omnia à cupiditate emergunt, & cupiditate innituntur: vbi attenditur vtilitas, naufragatur prorſus honeſtas, & qui diſcupit aurum, facilè deglutiet delictum: *Ipſa*, exponit Anſelmus, *latenter oritur in mente; ſed peccatorum omnium punctiones patenter producit in opere.*

Anſelm.

Quidquid criminis, quidquid peruerſitatis, à cupiditatis radice pullulaſſe non dubium: ergo qui pro Helice vtilitatem ſpectat, opus eſt in rationem ſæpiùs inſurgat. En Leuites ſacris ritibus applicatus à Micha ad idololatriam allicitur: *Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Et vnde in mentem Michæ venit Leuitam poſſe deteſtabili adeò crimine infici, & aris ſacrilegis applicari? Fallar, niſi ex ipſius verbis Leuitæ: *Leuita ſum*, aiebat, *de Bethlehem Iuda, & vado, vt habitem vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero.* Vbi itineris finis vtilitas proditur, ad idololatriam allicere Michas non veretur. *Dabo tibi*, aiebat, *per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Vtilitate traxit, impietate infecit: *Acquieuit, & manſit apud hominem.* Domini Leuita degenerauit turpiter in idolorum ſacrificulum, & qui ſectabatur vtilitatem, contempſit reperta vtilitate profaniſſimus religionem: non expendit, an miniſterium ſordidum, an honeſtum: relucebat námque, quàm ſolùm quærebat, vtilitas & comoditas: *Vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero*: illi fuit honeſtas.

Abulenſ.

Innuit Abulenſ.q.20. *Et vbi vtile mihi eſſe proſpexero, id eſt, manebo, vbi inuenero quòd eſt mihi vtilitas manere.* Non ait, vbi manere fuerit honeſtum; ſed vbi fuerit lucroſum: ergo ſeruiet idolo, ſi ditatus fuerit auro. O quàm benè monebat

Caſſiodor.

Caſſiod.12.var.1. *Reginam illam procacium vitiorum, auaritiam fuge, cui cuncta crimina deteſtabili deuotione famulantur, quæ, dum pectus hominis ingreſſa fuerit, gregatim quoque maleſidas cohortes admittit: ferri non poteſt recepta: quia neſcit eſſe ſolitaria: agmen habet blandiſſimum, arma ſuſcipit ex talentis, & per dulcedinem ſuperat, quos amarâ deceptione captiuat.*

Auaritia criminum regina eſt.

Oblatum aurum Leuitæ oculos ſplendore perſtrinxit, & cùm quæreret vtilitatem, inuentâ euertere tenuit nullatenus religionem: ſacrilegis ritibus inſeruiuit idolo, qui dignitatis titulo miniſtrare debuiſſet Deo. Apud idololatram manſit, dum ſibi commodum ſolummodò attendit.

Hebræi

174. Hebræi Chriſti Domini infenſiſſimi hoſtes, cùm varijs eum confictis criminibus apud Pilatum accuſarent, illéque diſcuſſa cauſa innocentem reperiret, ſemel & iterum abſoluiſſe tentauit; verùm cùm peruerſos aduerſarios animus Iudicis non lateret, apud Cæſarem ingeminant accuſandum:
Ioan 19. v.12. *Si hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.* Quid tunc? Periculo deterritus, & ambitionis conſilio impulſus crucifigendum iniquè decreuit, & inimicorum voluntati ambitioſè commiſit: *Pilatus, cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali, &c.* Qui dignitatem gerebat, vt ad vlteriorem dignitatem aſcenderet, non attendit, an ſententia innocentiam prædamnaret; ſed ſibi improuidè prouidere geſtiuit: *Regem veſtrum crucifigam?* Audi Euthymium ad hunc locum:
Euthym. *Arbitratus ſeſe offenſurum Cæſarem, ac periclitaturum, ſi huiuſmodi accuſationem indiſcuſſam prætereundo contemneret, duxit Ieſum extra prætorium, ac publicè ſedit pro tribunali.* De iuſtitiæ iniuriâ à ſe amouit omne periculum, & ne diſpliceret Principi, Deum, innocentiámque condemnauit: erat Pilato pro actionum norma ſplendere, faſtigiúmque dignitatis animitus conſeruare: ergo deſpicabilis fuit honeſtas; quia ſolùm attendebatur vtilitas: vt vitaret inanem accuſationem, condemnauit innocentiſſimam veritatem, malens culpis infici, quàm commoditatibus denudari. Nec aliud à Pilato Phariſæis ipſis contigiſſe reperies.

175. Concilium cogunt Scribæ & Phariſæi, & cùm varias hinc inde pro damnando Chriſto Domino cauſas inquirerent; Pontifex impatienter ſuſtinens in colorando cauſas tempus deteri, & ſibi ipſis imponere adniti, non ſine ſtomacho mortem expedire propoſuit; & omnes vno verbo reperiendæ accuſationis anxietates diremit:
Ioan. 11. v. 50. *Expedit vobis, vt vnus moriatur homo pro populo.* Ad decretum vtilitatem attendebant, & virtutem deprettiabant! quid ſibi vtiliùs Pontifices cæciſſimè cogitarunt, & ſententiam contrà æquitatem ipſam protulerunt: ceſſit vtilitati honeſtas, rationem oppugnauit vtilitas; & quia pro regula habebatur commodum, pro conſilio amplectebantur delirium: *Temporalia perdere timuerunt*, aiebat Auguſt. tract.
Auguſt. 49. in Ioannem, *& vitam æternam non cogitauerunt.* Vita æterna apud illos nihili eſt habita, quia temporalis vtilitas, quia breuis comoditas honeſtati præpoſita.

176. Oſeas plurima ab Iſraëlitarum Sacerdotibus
Oſeæ 10. v. 1. altaria idoluit multiplicata: *Secundùm multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria.* Expendebant ſecum de altarium multiplicitate & lucra ſibi multiplicari, & commoda temporalia adaugeri: ergo vtilitati lucróque inhiantes verum Dei cultum ad idola auariſſimè tranſtulerunt; & quia illis vtiliùs, plurimis idolorum ſimulacris inſeruiebant ſtudioſiùs. Innuit Theodor.
Theodor. *Multitudine cumulatiùs aucti paſſim altaria idolis locauerunt.* Expende illud *locauerunt*: id eſt, vt locatur domus, vt pro reditibus traditur fundus, ita idolis locabant aras, & quæ plus penderet, videbatur honeſtior, & veneratione dignior: verus honor, cultus debitus denegabatur numini: quia præſtabatur vtilitati: pro Helice in illo procelloſo cupiditatis mari ſpectabatur ſplendor, & miniſter naucleríſve rationis deſpiciebat conſilia, indigna ſectatus lucrorum commoda: & quid aliud expectari potuit à cupidis, ab euanidi ſplendoris, diuitiarúmque ſtudioſis, niſi religionem euerti, æquitatem expungi, idololatriam ſanciri, mendacium vendi. O quot operas ſuas honeſtati debitas locant euanidis commodis ſplendentibus ad exiguum tempus mendacijs: *Multitudine cumulatius aucti paſſim altaria idolis locauerunt.* Quod etiam Leuita hîc refertur imitatus, quandoquidem commoditatis ſtudioſus idolo inſeruiuit, & à verâ religione, vt lautiùs viueret, degenerans ad idololatriam tranſiuit.

---

§. XLII.

Malè in Rempublicam æquitatémque auguratur poteſtas, ſi paupertate preſſa, aut vrgenti aliqua neceſſitate grauata.

QVi ad dignitatis inſcendit faſtigium, decenti debet ſplendore lucere, & ad nutriendum ſplendorem ſufficienti diuitiarum copiâ exornari: 177.
frequenter criminibus defœdatur, qui inopia premitur: vt voluntaria Euangelicáque paupertas eſt ſanctitatis elogium, & æquitatis ornamentum; ſic in vita morum inuenitur excidium: maleſuada fames in muros arietatur virtutis; ſed licèt ſemper audeat intrepida, tunc præcipuè cùm ad alendum dignitatis ſplendorem acuitur, & poteſtatis infulis adurgetur: tunc námque, cùm nutriendus fuerit ſplendor ad dignitatis honorem requiſitus, & paupertatis nebulis elangueſcat obtenebratus: per fas & nefas aurum perquiritur; & æquitas venditatur. Hinc Leuita paupertate oppreſſus, cùm in Michæ domum aduentaſſet, oblato auro facilè ad idololatriam tranſiuit; & religionem nefandis ritibus obſcurauit: *Mane apud me*, aiebat Michas, *& eſto mihi parens ac Sacerdos; dabóque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem; & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Quid tunc? Promiſſis illectus, & auri fulgoribus obcæcatus non tenuit infandæ idololatriæ criminibus maculari, & legibus iniuriam inferre: *Acquieuit, & manſit apud hominem*: ad tuendam religionem electus, religioni inuenitur prorsùs contrarius: & totum hoc, vt vitarit famem; & Leuiticæ dignitati congruentem ornatus ſortitus ſit ſplendorem: *Non reddebant decimas*, inquit hîc Lyra de Hebræorum populo; *ad ſuſtentationem Leuitarum, vt tenebantur, & ideò Leuitæ* Lyra.
cogebantur quærere victum per alium modum. Si vnus eſſet de plebe hic adoleſcens, ſors cum inopia faciliùs conueniret, nec ſplendentem ornatum quæreret; at dum Leuitica dignitate excellit, & neceſſarijs etiam reditibus caret, maluit à iuſtitia & religione deficere, quàm debitis dignitati luminibus denudari: ergo dignitatem vendit, & ad idololatriæ caſtra ſe proripit. O! animaduertant, qui iudices plebi præponunt, qui exercitibus duces eligunt, ni ſumptus neceſſarios exhibeant, in legem hoſtes armare, & iuſtitiam clariſſimè euertere. Certè dignitatis ſplendor alendus eſt: ergo ſi debiti reditus non pendantur, ſi copioſus deſit cenſus, ad fraudis recurritur patrocinium, & ad iniquitatis commercium: ſi Leuitæ populus decimas redderet; ad idololatriam vagus rollarenus perrranſiret; at cùm ab arte nequiret ſibi parare victum, & ex alia parte ad decentem dignitati cogeretur ornatum, impio conſilio degenerauit;
&

Digitized by Google

& ad idololatriam tranſiuit : *Non redebant decimas ad ſuſtentationem Leuitarum, vt tenebantur, & ideò Leuitæ cogebantur quærere victum per alium modum.*

178. Exod. 18. v.21. Eligendorum in Iudices, centurionéſque Moyſi formam tradens oraculum ſic præcipit : *Prouide de omni plebe viros potentes, & timentes Deum in quibus ſit veritas, & qui oderint auaritiam, & conſtitue ex eis tribunos, & centuriones.* Cùm potentia Dei timorem coniunxit, quo æquitatis, veritatíſque honeſtum vigeret ſtudium, & laudabile auaritiæ floreret odium. Et quidem malè in Rempublicam auguraretur, ſi indigentes elegiſſet, aut timoris Dei exortes dignitatum infulis exornaſſet : *Sicut ignis*, aiebat Philo lib.1. de Iudice, (Philo.) *quæcumque admouentur, calefaciens, ipſe primùm innata ſibi vi calet : nix contra ſuaptè naturâ frigida infrigidat & alia : ſic Iudex ipſe debet eſſe plenus iuſtitia, ſi alijs ius adminiſtraturus eſt, à quo ceu fonte promanant fluenta dulcia legum, & potabilia ſitientibus iuſtitiam : id ita demum fiet, ſi is, qui ad iudicandum aſcendit tribunal, iudicari ſe non minùs, quàm iudicare cogitet.* Ni Dei timore honeſtè perculſus iudicandum ſe cogitet, in leges impudenter audebit : ergo prouido timore informetur, ne dum omnia ſibi ob poteſtatem licere arbitratur elatus, dignitatis, ac legum inueniatur inimicus. Timori germanam voluit eſſe potentiam : *Potentes, & timentes Deum* : non eam, quæ inſidioſum nutrit faſtum, & omnium conciliat odium ; ſed eam, quæ maleſuadam excludit inopiam, & minantem æquitati exterminat indigentiam : (Interlin.) *Formam boni Iudicis præſcribit*, inquit Interlinearis. Profectò qui ab hac inaugurandi Iudicis forma diſcedit, non bonum Iudicem ; ſed iuſtitiæ conſtituit hoſtem.

179. Philo Hebræus lib. de Ioſeph ſuis ingenioſè vtens allegoriis, in illo ait adumbrari virum politicum, & ad Reipublicæ gubernationem electum : ergo cùm huic fratres inuiderent, iniquè cogitarunt, & ornamentis nudum vendiderunt : (Geneſ.37. v.23.) *Nudauerunt eum tunicâ talari, & polymita prætereuntibus Madianitis extrahentes eum de ciſterna vendiderunt.* Non caſu refertur nudus, cum ementibus ſeruit ſubiectus : nam cùm Reipublicæ ad miniſtri perſonam gereret, eſſe ſui iuris nequibat nudus, & paupertate vexatus. Hanc fratres machinam in ſibi præpoſitum obarmarunt, arbitrati non eis, vt prænuntiabant ſomnia, dominaturum ; ſed ſubiiciendum, ſi competenti careat ad dignitatem ornatu : *Rectè*, inquit Philo, (Philo.) *dicitur vendi hunc hominem.* Adnectit poſt aliqua : *Emptores eum reuendunt, quoniam non vnus eſt Dominus tractantium Rempublicam.* Si nudi inopiáque preſſi Rempublicâ tractent, multis dominis ſubiiciuntur : nam, vt ad victum neceſſaria vndique colligant, & ornatu ac familia fulgeant, nihil non tentabunt contrà leges, præeligentes ſubuenire indigentiæ, quàm exhibere debitam legibus reuerentiam, & ſibi inutilem obſeruare iuſtitiam.

180. Eſaü generis princeps, dum fame vehementiſſima vrgetur, poteſtatem vendere non cunctatur ; aduenerat è venatione ardenti fame ſtimulatus, & Iacob, qui non præualuerat ad ſpeciem certaminibus congreſſus, præualuit inediæ cibos largitus : (Geneſ.25. v.31.& 34.) *Vende mihi*, aiebat, *primogenita tua* : cui famelicus : *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Non dubitauit parere, qui debebat poteſtate dominari : *Comedit, & bibit, & abiit, paruipendens, quòd primogenita vendidiſſet.* Videbatur ſibi honeſtam excuſationem afferre, quando cogebatur mori, aut poteſtatem venumdare : *En morior, quid mihi proderunt primogenita?* Secum expendit ſe aut fame adurendum, aut parendum cibos dilargienti : ergo paruit, & Iacob à famelico Superiore quicquid ſibi placuit, obtinuit : *Eſaü*, inquit Iſidor. apud gloſſam, *primogenita propter eſcam fratri minori vendidit.* (Iſidor.) Inferior Superioris ſibi poteſtatem vendicat, dum ad ſolandam famem cibos miniſtrat, iniquo Eſaü conſilio vſus eſt, nec fideli prudentiæ lance datum, & acceptum penſitauit ; nos verò his non obſcuris ænigmatibus erudimur, quàm Iudices, Superioréſque recta non ineant conſilia, ſi deſint ſuſtentationi alimenta. Ecce in mercimonium tranſiuit dignitas & in contractum iudiciaria poteſtas, quia Iudex indigebat victu, & famis acri vrgebatur morſu : ergo ſummo ſtudio curandum eſt, ne poteſtatem obtineat cenſu deſtitutus, ac diuitiis orbus.

181. Sibi ſuccedat Iacob, qui morti proximus propheticis oculis futura denuntians, cùm ad Dan tribum deueniſſet, ſic ait : (Geneſ. 49. v.10.) *Dan iudicabit populum ſuum, ſicut & alia tribus in Iſraël. Fiat Dan coluber in viâ, ceraſtes in ſemita mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Ibi poſitum eſt *fiat* pro *fiet* : nec enim optabat, ſed prædicebat : ergo vt vidit Dan æquali cum fratribus iudicaturæ dignitate pollentem, & mordentem rectè vngulas vidit. Quòd ſi quæras, cur Dan tortuoſi, fraudulentique ſerpentis faciem mutuetur : reſpondebit liber Iudicum præ cæteris fuiſſe arctatum ab inimicis, & anguſtiori termino vſum : (1.Iud. v. 34.) *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent, habitauitque in monte Ares, quod interpretatur teſtaceo.* Dum Iudicis dignitate inſtructus, & ſimul refertur arctatus vngulas rectè mordet, & fraudulenti faciem ſerpentis induit : *Mordens vngulas equi.* Montis apice micabat, cùm à teſtaceo monte exiguos fructus perciperet : ergo anguſtus terminus, cenſus non copioſus Iudicem in colubrum tranſmutauit, & qui debuiſſet æquitati prouidere, captioſas in via inſidias comprobatur ſtruere : quid enim aliud ſperandum eſſet à Iudice anguſtiſſimis poſſeſſionis terminis coarctato! *Frit Dan ſerpens ſuper viam*, ſcribit ad litteram Oleaſter ad Geneſ.49. *id eſt, ſimilis ſerpenti in via, quem ſcilicet nemo aduertit, nullus viator conſiderat.* (Oleaſt.) Subiicit : *Significatur hac metaphora tribum Dan futuram callidam.* Ad callida ſe argumenta conuertit, & quò poteſtatem queat alere, ſtudet tectè, & fraudulenter mordere. O verùm!

---

§. XLIII.

Magna dignitas titulo debetur Sacerdotibus reuerentia, etſi contradicat vita.

QVi clericali dignitate exornantur, iure ab omnibus ſuſpiciuntur : olim exomologeſi abiurantes delicta, Sacerdotum veſtigiis aduoluebantur, ſuis in miniſtris Deum venerati, & muneris poteſtatem reuerentia profeſſi. 182. Ita Tertul. de Pœnit. cap.9. (Tertull. Ieiuniis oratio alitur.) *Plerùmque ieiuniis preces alere, ingemiſcere, lachrymari, & mugire noctes, diéſque ad Dominum Deum tuum, Preſbyteris aduolui, & charis*

Ieiuniis oratio aſſi tur. *charis Dei ageniculari.* De præſtitâ Sacerdotibus reuerentiâ miſericordiam ſibi negotiabantur grata per illos ad Deum veluti legatione vſi. Apud Ethnicos hoſtiæ, defuncti, Sacerdotéſque coronabantur, vt habitus prædicaret à mundiali conuerſatione omninò expunctos, & cœlo prorsùs dicatos. *Mortuorum* (verba ſunt Tertulliani de coronâ militis capite 10.) *eſt ita coronari, vel quoniam & ipſi idola ſtatim fiunt. Ipſa hoſtia & ara, ipſi miniſtri, & Sacerdotes eorum coronantur.* Itaque eos ſuſpiciebant vti numini dicatos, & ab omni contagio exemptos. Et quidem Sacerdos, vt qui Dei ad homines, & hominum ad Deum ſit nuntius, omni debet ſanctitatis luce fulgere, & omni morum concinnitate radiare: eſſet enim indecorum aliud nomine dignitatis promittere. Verùm etſi Sacerdotis vita tenebroſis maculis culparum ſordeſcat, dignitas attendenda eſt, nec ſpectandum, qualis ſit ipſe; ſed cuius miniſter ſit, cui muneri addictus, & poteſtate donatus. Dum adoleſcens Leuita apud Micham diuertens ſacerdotali fungitur munere, officioſè adinſtar parentis colitur: *Eſto mihi parens ac Sacerdos*: ætas adoleſcentiæ flore vernans parentis nomen reſpuebat, nec mores conſulebant venerationis obſequium; ſed dignitas exigebat officium: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Qua veneratione? Parentis. Ætate adoleſcens, ob ſalariúmque ſeruiens vti parens colitur, & ætate, vitáque refragante ſumma veneratione ſuſpicitur: *Michas*, inquit Hugo Cardinalis, *fuit Leuitæ quaſi vnus de filiis: quia Sa-* Hugo.
cerdos erat ei quaſi pater ſpiritualis: Filij ad inſtar Sacerdoti præſtabat obſequium, etiam cùm impendebat ſalarium. O tempora, ô mores! non paucos Magnatum inuenies, qui in ſeruorum cenſu ponant, ſi Sacerdotes domi habeant, & victum præbeant: cùm Michas alimenta præſtiterit, & erga Sacerdotem ſe vti morigerum filium geſſerit.

183 Filij Heli Sacerdotes ſolùm, vt dignitatis ſplendorem innubilarent, per puerum rapaci fuſcinula violenter carnes auferebant, & violentiâ ſacrificantes exaſperabant, & tamen iniuriam paſſi nec iniurioſis verbis carpebant, nec actione aliqua dehoneſtabant: *Filij Heli, filij Belial neſcientes Do-* 1. Reg. 2. v. 12.
minum, neque officium Sacerdotum ad populum: ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, vel in cardarium, aut in ollam; ſiue in cacabum, & omne, quod leuabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi. Plus abſtuliſſe, quàm Sacerdotibus competeret, hoc dicendi genere declaraſſe Scripturam, ſentit Rupertus, & Rabbanus apud gloſſam. *Refert Ioſephus* (verba ſunt Rabbani) *quòd Heli Sacerdoti erant* Rabban.
duo filij Ophni & Phinees circa homines iniurioſi, & circa diuinitatem impij nullíque iniquitati parcebant, & alia quidem munera ab oblaturis propter honorem ſibimet ſequeſtrabant: alia rapina modo tollebant. Quid tunc? *Dicebat illi immolans: incendatur primum iuxta morem hodie adeps, & tolle tibi quantumcumque deſiderat anima tua. Qui reſpondens aiebat ei: Nequaquam: nunc enim dabis; alioquin tollam vi.* Adnectit facer textus: *Retrahebant homines à ſacrificio Domini.* Iam quæres: ſi Dauid cùm carniuorus leo arietem tolleret, cum vrſus oues diſcerperet, audacter inſurgebat non paſſus rapinam; ſed intrepidè caſtigans audaciam: *Eruebam de ore eorum*, cur ſacrificantes in puerum non inſurgant, 1. Reg 17. v. 35.
rapinamque non permittant? Certè puer toroſis adeò viribus, vt leo non ſuffulciebatur, nec præſtabat vrſi robore: ergo ſacrificantes non recedant à ſacrificio tetracti; ſed in puerum inſurgant æquitatis ac iuris armis muniti. O vtilem nobis eruditionem. Si ab alio eam rapinæ paterentur iniuriam, intrepidè inſurgerent, & audaciam caſtigarent; at Sacerdotum raptorem ſuſtinent puerum, ne videantur Sacerdotibus vel in ſeruulo intuliſſe aliquomodò iniuriam, aut debitam dignitati denegaſſe reuerentiam: non vti Dauid in leonem, inſurgebant in puerum; ſed blandè reuerentérque puerulum allocuti nitebantur iniuriam propulſare, & ſi nequirent, decernebant ſolùm recedere: rapax cupiditas, & violenta Sacerdotum rapacitas, dum patienter ſuſtinetur, quanta Sacerdotibus etiam munere indignis reuerentiam præſtiterint, teſtabatur: *Volebant offerentes*, inquit Abulenſis quæſtione 8. *quòd obſeruaretur ordo in ceremo-* Abulenſ.
niis, & etiamſi grauarentur ipſi, non multum curabant. Adnectit poſt aliqua: *Quia Sacerdotes erant Domini in Sanctuario, & viri magnæ poteſtatis.* Sacerdos abutebatur munere; ſed iniuriam paſſus reuerenti iniurium honorabat allocutione; nec inſurgebat, vt propulſaret iniuriam; ſed recedebat malens iuri ſuo detrahere, quàm aliqua in Sacerdotem irreuerentiâ delinquere: *Etiamſi grauarentur, non multum curabant.*

Iam ipſa ſupplicia, quanta debeatur Sacerdotibus reuerentia, atteſtantur. Angelus cœlo detruditur, cùm deliquit, è paradiſo emittitur Sacerdos, cùm audet: repetamus hiſtoriam: Dei ſimilitudinem exambiuit ſuperbiſſimus ille Lucifer teſtante Iſaia: *Dicebas in corde tuo ſimilis ero altiſſimo*: Superbientem cœlum excuſſit, & ad inferos deiecit: *Verumtamen ad infernum detraheris in profundum laci.* 184 Iſai. 14. v. 15.
Primus etiam homo ſimilitudinem affectauit: Eritis ſicut Dij; & tamen non detrahitur, ſed è paradiſo emittitur: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis*: cùm lenius quid ſonet Geneſ. 3. v. 5.
emitti, quàm *detrahi*, rogabis cur Angelus dicatur detrahi, & homo emitti, quandoquidem non diſſimilis ad ſpeciem culpa ſimili punienda videatur pœna; imò ſi aliquod intercedat diſcrimen, cùm Angelus nobiliori origine, & nobiliori ſubſtantiâ conſtet, vrbaniùs cum Angelo, quàm cum homine videbatur agendum; & tamen homo honeſtiùs emittitur, & Angelus ignominioſiùs detrahitur: ecqua huius diſcriminis cauſa? Fors quia licèt Angelus nobiliori conſtaret ſubſtantia, Adamus maiori, cùm Sacerdos eſſet, dignitatis reſplendebat excellentiæ: erat Adamus Sacerdos: ergo in irroganda, referendáque pœna alius aſſeruatur ſtylus, aliúſque modus. Iam Adam Sacerdotem fuiſſe, audi à Tertull. lib. de reſurrect. carnis c. 9. *Abſit vt Deus religionis ſuæ Sacerdotem in æternum deſtituat interitum.* Itaque licèt ſimilis fuerit vtriúſque auſus, fuit Tertull.
in irroganda pœna diſſimilis modus: nam Sacerdos emittitur, Angelus præcipitatur: *Detracta eſt ad inferos ſuperbia tua.* Profectò cùm nihil in ſacra pagina fuerit ſuperuacaneum, dubitari non debet diuerſum in referendo ſupplicium modum

modum noſtræ eruditioni inſeruiſſe, & quàm reuerenter vel malus Sacerdos tractandus ſit, indicaſſe. Ecce dum Angelus ignominioſiùs & Sacerdos punitur honeſtiùs edocemur, Dei miniſtris Sacerdotibuſque, etſi ſordeſcant culpis, exhibere reuerentiam, ob dignitatis præſtantiam.

---

§. XLIV.

Miſerum eſt ipſo in virtutis portu, cæco diſperire naufragio.

185. VT aliquando confuſis procellis, & altercantibus ventorum flatibus inſperatus portus offenditur, & ibi inuenitur ſalutis auxilium, vbi per momenta vitæ ſperabatur naufragium: ita è contrario accidere ſolet ipſo in portu impingi, & diſſerenato mari abſorberi. *Nonnunquam*, aiebat Tertullianus lib. 1. de Anima cap. 2. *& in procella confuſis veſtigiis cœli & freti aliquis portus offenditur proſpero errore: nonnunquam & in tenebris aditus quidam & exitus deprehenduntur cæca felicitate.* E contrario etiam potuiſſet ſcribere cæca infelicitate, & inopino errore apertis cœli, fretique veſtigiis, & frænatis ventorum adſultibus naufragium ſuſtineri, & ipſo in portu periclitari. Leuita, qui homines retrahere ab idololatria debuiſſet, apud Micham idololatriam fouet, & erroribus incrementandis deſeruit: *Manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis: impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Theodoretus apud gloſſam exiſtimat Leuitam hunc Michæ errorem fouiſſe, & nouis criminibus obſcuraſſe: *Fuit conciliator erroris in adorandis idolis.* Itaque in Sacerdote, vbi inuenire debuiſſet infirmitatis pharmacum, reperit infirmitatis fomentum: & qui muneris iure ab idololatriæ cæcitate tenebatur arcere, ad idololatriam inuentus eſt inſtigare: *Fuit conciliator erroris.* O miſerum! experiri prauitatis artificem pro ſanctitate tuenda electum, & à Domino pro detergendis populi cæcitatibus deſignatum.

Tertull.

Theodor.

186. Exodi 23. iubet oraculum hœdum materno lacte non coqui: *Non coques hœdum in lacte matris ſuæ.* Cùm, vt aiebat Paulus de bobus, præcipua numinis cura fuerit hominum mores ſub his Symbolis, aut ænigmatibus informare, indagandum nobis eſt latens in hoc præcepto myſterium: nam ſi litteræ ſolum corticem inſpiciamus, quid intereſt materno lacte hœdum non coqui, ſi alieno contigerit ad ſaporem condiri? O cœleſtem nobis doctrinam! maternum lac prouidit natura in partus alimentum: ergo prouidentiſſimè vetuit lex ſucco ad vitam deſtinato coqui, ne verteretur in mortis auxilium, quod ad vitæ prouiſum eſt alimentum. Tolerabile eſt aliis artibus condiri, & aliis ſalſamentis ad gulam protitandam diſponi; at eſt miſerrimum verti in voracitatis & appetitus irritamentum, quod à prouida natura ad ſalutis vitæque miniſtrabatur ſubſidium. Opportunè Philo Hebræus libro de charitate: *Cùm interdixiſſet, ne quis eadem die mactaret matrem cum fœtu ſuo, inſuper addidit: Non coques agnum in lacte materno; iudicauit enim valdè iniquum id, quod viuenti animali cibus fuerat, in condimentum occiſi vertere, & cum natura prouida ad eius conſeruationem lac vberum receptaculis indidiſſet, hominum incontinentiam eò progredi, vt vitali alimento abutatur ad abſumendas reliquias corporis.* Nouerat legiſlator eò audaciam, & incontinentiam hominum progredi, vt non vereantur de ipſo pharmaco conficere iniquis artibus contra ſalutem venenum, & ob id apertiſſima lege cauit, ne fieret gulæ protitamentum, quod ad vitæ ſalutiſque decernabatur auxilium.

Exod. 23. v. 19.

Philo.

187. Hoc populi infortunium lamentabatur Zacharias, ſcilicet paſtores futuros, qui idolorum vices geſſerint omni gregis ſolicitudine amiſſa, & ſolùm cupiditate retentâ: *Ecce ego ſuſcitabo paſtorem in terra, qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. O paſtor, & idolum!* Tenebatur paſtor primitiua ſacris aris religioſè offerre: ergo ipſe idoli ad inſtar ſibi mactabat & propriæ cupiditati offerebat: paſtoris fruebatur dignitate, vt oues ab errorum lapſibus liberaret; at ſic adulterabat officium, vt errores ipſe foueret ſe gerens vti deteſtabile idolum: & ibi inueniebant oues infeliciſſimum calamitatis fomentum, vbi quæritabant ſalubrem paſtum. Adeſt Hugo Cardinalis: *Non contritum ſanabit; imò potiùs ſanum conteret, & infirmabit: non enutriet; ſed potiùs deſtruet.* Adnectit: *O paſtor nomine, & idolum re! Non vocat idololatram; ſed ipſum idolum: quia in tantam amentiam extollitur, vt ſe faciat adorari.* Vehementer timendum eſt in portu naufragium, & ita in hac dubia ac pericula nauigatione ſic incedere oportet, vt prudentiſſimæ gubernaculum cautelæ è manu non contingat relinquere. Opportunè aiebat datus Philo: *Non temerè vetere prouerbio iactatum eſt: Ita amicum habeas, poſſe vt fieri inimicum putes: ita offendas amicum, quaſi rediturus in gratiam: ſic ſecuritati proſpicitur, ne quem poſt detectum dictis factiſque ingenium ſerò nimiæ facilitatis pœniteat. Sed maximè ciuitatibus hoc præceptum vtile fuerit, vt in pace de bello, in bello de pace cogitent, & neque ſociis nimium confidant, tanquam non tranſituris ad partes hoſtium; neque de hoſtibus omninò deſperent tanquam nunquam recipiendis in fœdera.* Vt ſapiens nauclerus etiam ſerenis vndis non fidit; ſed profunditatem examinat, & ne in latentem incidat ſcopulum cautè nauim gubernaculo inſidens, & oculos ad ſydera attolens dirigit; ita quiſquis ſuæ incolumitati & ſaluti proſpicit cautè debet procedere, ne pereat improuidus, aut ne deliquerit nimis cautus. Felix eſt, qui in medico medicum inuenit, qui in familiari amicum, qui Sacerdotem in Dei miniſtro. Quod 5. variar. 4. Reipublicæ vti eximium bonum commendabat Theodoricus Honoratum dilaudans: *Ab ipſo legum peritia poſtulatur, illuc vota confluunt ſupplicantium, & quod eſt omni theſauro pretioſius, penes ipſum ciuilitatis noſtra fama reponitur. Quæſtore iuſto innocentum conſcientia fit ſecura, improborum tantò vota redduntur anxia, & cum malis ſubripiendi ſpes tollitur ſtudium bonis moribus adhibetur: vnicuique propria cuſtodit, pecuniæ continens, æquitatis profuſus, neſcius decipere, promptiſſimus ſubuenire.* Quàm alia eſſet Reipublicæ facies, ſi quæſtor innocentium conſcientiam peruerteret, ſi à bonis moribus retraheret,

Zachar. 11. v. 16.

Hugo.

Philo.

Caſſiod.

heret, ſi ſubdolus reciperet, & acutiſſimus falleret.

188. Hanc calamitatem experta eſt Hebræorum Reſpublica. Filij Heli Sacerdotium nacti, cùm debuiſſent allicere ad ſacrificia, à ſacrificiis retrahebant, & ibi inueniebant accedentes ſcandalum, vnde abeſſe debuiſſet omne offendiculum: *Retrahebant homines à ſacrificio Domini.* (1. Reg. 2. v. 17.) Qui deuoto ſacrificandi ſtudio inuolabat ad Sacerdotem, ab ipſo retrahebatur, & vbi oportebat addiſcere deuotionis exemplum, deuotionis experiebantur obſtaculum. Itaque qui ad templum acceſſerant deuoti, domos repetebant à ſacrificiis auerſi: *Peccatum eorum*, inquit Lyra, *erat contra Deum, & redundabat in totum Populum.* (Lyra.) Populus lugebat defraudatus auxilio, & peſſimo perſuaſus exemplo.

189. Saül qui confuſis ſcelerum voluminibus procellam infelicitatis ſibi excitarat, tunc vltimæ proximauit ſtragi, cùm prophetam quæritans, in virtutis aduerſarium, vt Tertulliano placet, amictu prophetali exteriùs ornatum incidit: anguſtiis non modicis preſſus Pythoniſſam adit, vt Samuëlem exſuſcitet, ſperans à propheta aliquale tanto infortunio remedium: *Samuëlem mihi ſuſcita.* (1. Reg. 28. v. 11.) Vaferrima Pythoniſſa magicis artibus ſpectrum obiecit Samuëlis cultu exteriùs ornatum; interiùs tamen virtuti aduerſum. Ita Tertullianus lib. de Anima cap. 57. *Ne putes alium fuiſſe, qui phantaſma adminiſtrabat, alium qui commendabat; ſed eundem ſpiritum in pſeudoprophetide, & in apoſtata facilè mentiri, quòd fecerat credi.* (Tertull.) O quàm erat miſerandus Saül, dum ſub prophetæ habitu ſpiritum inuenit, qui deſperationis cauſas ageret, & mœrorem non leniret; ſed nouis culpis augeret. Si Saül ſub prophetico habitu Dæmonem latere putaret, eius alloquio animum non deſponderet; aſt dum Dæmonem alloquitur, & ſe prophetam audire credit, extremam deſperationis calamitatem incurrit. Timendum valdè eſt, ne in prophetam transfiguratus Dæmon ſimplices fallat: nam cùm exterior habitus præſtare fidem ſuadeat, & interna nequitia bonos mores occultâ calliditate ſubuertat irreparabili vulnere incautos ferit: ad virtutum promittens celſa, perducit ad vitiorum præcipitia.

---

§. XLV.

Inſolitum eſt propriis extranea præferre, vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere.

190. Amor calor eſt, & quidem de febrium genere: nam vt febris ſuo ardore mentem perturbat, & ſapientem etſi exiguo tempore reddit inſanum: ita amor de mentis arce deturbat prudentiam, nutrit inſaniam: *Nec tepidior vis vanæ quoque gloriæ*, aiebat Tertullianus de pallio cap. 4. (Tertul.) *mutandis indubiis etiam viro ſaluo: calor eſt omnis affectus, verùm eum in affectionem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt.* Ardor eſt non exiguo incendio, vaporatus gloriæ ambitio, & inuiſcerata erga ſe, & ſibi natura coniunctos affectio. Quivis affectus eſt leuis febricula, ſi tamen appetitu gloriæ veluti flabello excitetur, & in affectationem tranſierit, iam ſic mentem percutit, ſic rationem corrumpit, vt vel prudentes homines cenſeas inſanire. Hinc mirandus eſt Michas, qui cùm idolum effinxiſſet, atque è filiis ſuis quemdam ad eius cultum in Sacerdotem conſecraſſet: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Leuitam nactus filio inferiorem non reputauit; imò filio prætulit: *Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis.* Quid eſt, *quaſi vnus de filiis?* id eſt, quaſi ille filius, cuius manum impleuerat, & in Sacerdotem extulerat. Longè Leuitici ordinis Sacerdos à non Leuitici Sacerdote diſtabat; verùm ſic in pretio propria ſunt, vt mirum fuerit Micham incorruptum protuliſſe iudicium, nec filium prætuliſſe, quandoquidem proprius amor, & vanæ gloriæ cupido ſic homines extra ſe agit, vt omnia doloſâ ſtaterâ penſitent, & inæquali affectionis indice taxarint: *Quia Deus Iſraël elegerat ſibi tribum Leui*, inquit Abulenſis quæſt. 21. *vt illa miniſtraret coram eo, putauit Michas, quòd iſti homines eſſent excellentiores cæteris ad adminiſtrandum.* (Abulenſ.) Filio æquiparauit; imò prætulit, quod inſolitum, & rarum: cùm nobis ſemper noſtri ad omnia aptiores cæteris videantur, & excellentiores longè iudicentur.

Cùm Ieroſolymam Chriſtus accederet Apoſtolorum choro ſtipatus, mulier fœminea auiditate 191.
ſe ingerit, & filios ſuos cæteris anteponendos importunè offert: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei vnus ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo.* (Matth. 20. v. 21.) Ibi aderat Petrus, qui Dominum ſcapha concionaturum reuerenter receperat, qui domi, etſi non lautè, officiosè quidem pauerat, qui cùm cæteri variis opinionibus agerentur, eius diuinitatem aſſeruit, & columbæ filius audiuit; & tamen mulier filios offert præponendos, & dignitatum luminibus honorandos. Et vnde coniecit mulier Ioannem ac Didacum cæteris debere præponi? Iam ipſa explicuit: *Dic vt ſedeant hi duo filij mei.* Penſitabat Ioannis ac Iacobi prærogatiuas, Petri ac reliquorum expendebat excellentias, & cenſuit filios ſuos à Domino præferendos, quia affectus in ardorem flabellatus & oculos obcæcarat, & indicium prorsùs corruperat. Innuit Ambroſius lib. 5. de fide ad Gratianum c. 3. *Mercedem ſequentium filium prætulerat filiorum, qui prima nec vocati à Domino vt legimus, relictis retibus & patre ſecuti ſunt eum:* (Ambroſ.) Petrus omnia reliquit, ipſo teſtante: *Ecce nos relinquimus omnia*: fratres matrem adhuc retinebant, & tamen quia retia & patrem reliquerant, quid inuenit affectio, quo iudicaret excellere, & cæteris anteire: Petrus patrem non reliquerat, quia non habebat; reliquerant filij: ergo mater anteponendos aiebat Petro, quia amor ſuorum dotes incrementarat cæcè inoculatus, & aliorum virtutes imminuerat inoculatiſſimè cæcus.

Nulla veniâ digni fuerunt Hebræi, dum eo 192.
errandi inſanierunt prurit, vt nulla errorem excuſatione colorarint; imò omnem excuſationem de errandi ſtudio depulerint: illos ſua illa cæleſtis aquila humeris ab Ægypto abduxerat: *Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſumpſit eum, atque portauit in humeris ſuis*: (Deuter. 32.) ab exordio viam oſtendebat: *Dominus*, inquit, *præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis*, (Exod. 13. v. 21.) & licèt pro candida Luna lux Solares radios euincens obſcuras noctis effugaret tenebras, licèt nubes puriſſima contrà moleſtum candentis Solis æſtum opportunas miniſtrauerit vmbras, bouem ſibi

Digitized by Google

ptó Deo conſecrarunt, & fauſtis, iteratiſque acclamationibus extulerunt: *Fecit ex eis vitulum* Exodi 32. *conflatilem, dixerúntque: Hi ſunt Dij tui Iſraël.* O prodigioſam cæcitatem, nulla excuſatione leuandam, nullo colore ſuffultam! Certè quòd Ægyptius Apim ſuum efferret, & Hebræorum vero numini contentioſè anteponeret, de innato hominis erga propria affectu, de ſæculi vſu quodammodò excuſabatur, aut, ſi non imminuebat, ſaltem errorem non aggrauabat; at dum Hebræus proprio veróque numini extraneum anteponit figmentum, omnem excuſationem excludit, & ſtupendo inſaniæ delirio oſtendit. O quàm exoculata illos poſſidebat cupido, quam furebant libidine errandi, dum propriis anteferebant aliena. Quòd ab ipſis flammis ſugillatum teſtatur ingenioſè Septimius aduerſùs Gnoſticos cap. 3. *Sapiens ignis effigiem vituli defundit illis, ſugillans illic cor* Tertull. *habere, vbi & theſaurum, apud Ægyptum ſcilicet inter cætera animalia bouis etiam cuiuſdam conſecratricem.* Iuſtiſſima, & rationabili ira eos Moyſes occidit, quandoquidem naturalis affectus, & innatus hominibus gloriæ appetitus delirium exaggerabat, & omnem excuſationem prorſùs adimebat. Profectò adeò hic propria efferendi affectus ipſi eſt inuiſceratus naturæ, vt plus apud homines valeat proprium, quàm dignum.

193. Illæſo ac flammeſcenti rubo Deus Moyſi apparet, & populum liberandum promittit: Moyſes ingenij ſuorum non ignarus fidem ſibi nullatenùs præſtandam opponit, & iam quia nouerat variis interrogationibus ſe impetendum, quid reſpondere oporteat, inquirit: *Si dixerint mihi: Quod eſt* Exod. 3. v. 13. *nomen eius? Quid dicam eis? Dixit Deus ad Moyſem: Ego ſum, qui ſum. Ait: Sic dices filiis Iſraël: Qui eſt, miſit me ad vos.* Se ab omnibus independentem, & à quo omnes creaturæ eſſe habeant, & dependeant, teſtatus eſt, &, ne dictis fidem præſtitiſſe recuſarint, ſtatim adnexuit, ſe appellitandum Deum Abraham, Iſaac, & Iacob, populi videlicet patrum: *Hæc dices filiis Iſraël, Dominus Deus patrum veſtrorum, Deus Abraham, Deus Iſaac, & Deus Iacob miſit me ad vos.* Suorum audiant Deum, vt faciliùs crediderint, iuſſiſque paruerint: ea námque eſt hominibus erga ſuos affectio, vt quem fortè alio titulo quantumvis præſtantiori non admitterent, hoc amplectantur titulo, & eius pareant imperio: Ergo Dominus Humani ingenij ſatis gnarus, poſtquam ingenitam excellentiam prodidit, fuiſſe populi patrum Deum non ſine causâ manifeſtauit: quaſi ſtrictiùs valentiùſque animos ſubdat affectio, & proprietatis agnitio, quàm naturæ excellentia, & independentiæ prærogatiua. Innuit Caiet. *Adiungitur quod ipſe eſt, quem vt ſummum iudicem coluerunt patres eorum: coluit Abraham, coluit Iſaac, co-* Caiet. *luit Iacob: pia itaque de ſe ipſo manifeſtat, & nomen proprium ex proprietate naturæ, & nomen officij ad iudicandum omnes, & venerationem ab antiquo ſibi exhibitam à patribus eorum, vt omni ex parte ſatisfiat filiis Iſraël.* Cùm ſit amabile bonum vnicuique proprium manifeſtat Deus & naturæ ſuæ præſtantiam, & populi prærogatiuam, ne ſi Deum ad ſe ſpecialiter pertinere non nouerint, ab eius cultu vel agnita magnitudine reſiluerint.

§. XLVI.

Humilitas eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi.

VT ſuperbia eſt ægritudinum ars, odij ſemen 194.
calamitatis cauſa; ſic humilitas eſt beneuolentiæ conciliatrix, & gratiæ nutrix: omnium in ſe animos conuertit, affectum allicit, laudem acquirit: humilitas eſt flos virtutum, cuſtos fidelitatis virtutum patrona, & quicquid in aliis virtutibus ſplendet gratum ab humilitate perſeuerat cuſtoditum: humilitas eſt honeſta ambitio, dignitatū accretio, tormentum Dæmonis, nitor caſtitatis. Leuita in parentem ac Sacerdotem à Micha electus faſtu non intumuit; ſed ſi anteà ſibi adoleſcens, iam dignè puer: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Quid tunc? *Fuit illi quaſi vnus de filiis.* Si Sacerdos dignitatis infulis exornatus tumidè ſuperbiret, licèt aſſequeretur reuerentiam, non aſſequeretur gratiam: illum ſuſpicerent non amarent; at vbi ſe reputabat puerum de humilitatis decora imminutione, nihil dignitati ſplendoris imminuit; ſed beneuolos ſibi conciliabat affectus, & cùm ſuſpicerent vti patrem, vti filium diligebant, eratque humilitas dignitatis decor, & beneuolentiæ illicium. Innuit Arias Montan. hic: *Leuita nomine, atque auctoritate cœpit habitare, atque munere ſuo fungi* Montan. *apud virum illum aliàs diuitem, & honeſti ordinis, præcipuúmque in locis illis incolam, cui quod ad muneris ac perſonæ obſeruantiam, Sacerdotis ac patris nomine colebatur, quamuis iunior eſſet; quòd verò ad amorem, animum, & affectum non ſecius habebatur, & curabatur, quàm vnus idémque præcipuus ex liberis.* Sacerdos dignitate, puer modeſtia, omnium ſibi animos conciliauit, & affectus veluti incantatorio philtro deuinxit.

Quantò magnus es, aiebat Eccleſiaſt. *humilia te* 195.
in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam. Hu- Eccli 3.
militatem conſuluit, vt gratiam magnitudini ſu- v. 20.
peradderet: humilitas námque ad inſtar radicis virtutum eſt, quò ſtudioſiùs quærit ima, nitet floridior, & aſſurgit excelſior: honeſta demiſſio eſt ſecura ac laudanda accretio, & dum humilis inter pueros extremum delegit locum, in fornace nitidior radiauit, & filij Dei ſimilitudinem viuidiùs expreſſit: *Species quarti ſimilis Filio Dei.* De vltimò loco accreuit ſplendor; & apud Nabuchodonoſorem præcipuus honor: *Tunc acceſſit Nabuchodonoſor ad oſtium fornacis.* Daniel 3. v. 93. Humilitas affectionis fuit illex, & amplioris luminis radix. Audi Balduinum in allegor. Tilmani: *Quartò magnus es, humilia te in omnibus.* Bald. *Ac ſi diceret: Secundum magnitudinem dignitatis æqua ſit menſura humilitatis: humilitas in honore honor eſt ipſius honoris, & dignitas dignitatis: omnis dignitas ipſo dignitatis nomine indigna eſt, ſi humilia dedignetur; humilitas autem ſine honore ipſa ſibi ſufficit ad honorem; honor verò ſine humilitate ſe perducit ad confuſionem.* Honor ſine humilitate perducit ad confuſionē. Itaque cùm humilitas ſecum afferat honorem, ſi dignitati adiungatur, dignitatis adauget lucem humilitas vel in plano eſt excelſa: vertex ſine humilitate conciliat odium, & quo ſplendor ſordeſcat, obſcurum affert ſuperbiæ procella nubilum.

Vt quàm grata omnibus ſit humilitas, quā odioſa 196.
omnibus ſuperbia, Chriſtus Dominus, explicaret, ſic apud Lucam aiebat: *Cum inuitatus fueris ad*

nuptias,

Lucæ 14. v. 8. *nuptias, non diſcumbas in primo loco, ne fortè honoratior te ſit inuitatus ab illo, & veniens is, qui te & illum vocauit, dicat tibi: Da huic locum, & tunc incipias cum rubore nouiſſimum locum tenere; ſed cùm vocatus fueris, vade, recumbe in nouiſſimo loco, vt cùm venerit, qui te inuitauit, dicat tibi: Amice aſcende ſuperiùs. Tunc erit tibi gloria coram ſimul diſcumbentibus.* Si idem eſt, qui primo & vltimo loco recumbit, cur vltimum tenens elogio honoratur amici, & primum occupans glorioſo titulo mulctatur reiectus, & in præſentia adſtantium confuſus? Quia ſuperbia non ſolùm confuſionis ſibi periculum creat; ſed & affectum exaſperat; ergo dum primo loco recumbens tumet, non ſine honoris notâ reiicitur; & dum verè humilis locum vltimum exambit, & primum ſibi negotiatur locum, & amici ſortitur vocabulum: humilitas non ſolùm conciliauit vltimo conſeſſus primatum; ſed beneuolum etiam affectum. Opportunè Beda in catena D. Thomæ: (Beda.) *Veniens Dominus, quem humilem inuenerit, amici nomine beatificans aſcendere ſuperius præcipiet.* Negotiatio fuit ſe ſubmittere, vt maiora lucraretur: per vltimum locum peruenit ad primum, qui per primum deueniret ad poſtremum: eſt namque humilitas ars adaugendi honorem, ad dignitatem compendium, ad expiſcandam beneuolentiam allicium.

197. Cùm Dominus apud Abrahamum refrigeraſſet, & lento gradu Sodomam vſtulaturus incederet, quàm grauis incolas illos calamitas maneret, dilecto ſuo Abrahamo aperuit: Abrahamus compaſſione perculſus Deo appropinquat, & veniam exorare adlaborat: (Geneſ. 18. v. 23.) *Appropinquans ait: Nunquid perdes iuſtum cum impio?* Et adnexuit: *Loquar ad Dominum meum, cùm ſim puluis & cinis.* Certè à ſe ipſo diffidere videtur: ſi puluis cinisque demeretur colloquium, cur non vereatur acceſſum? & ſi procurat acceſſum, cur fatetur demereri colloquium? huc vſque adſtabat reuerenter diſtantior, ergo modò non approximet propinquior; ſe namque deiicere, proximiuſque accedere eſt verbis opponere facta, aut factis eludere verba. Imò ob id acceſſit propinquior, inquit Seleucienſis Baſilius, quia ſe deiecit depreſſior: ea namque eſt humilitatis conditio, vt dum alas velocius agitat verſus ima, aſcendat ad ſuperiora, & arcano prodigio eiſdem greſſibus; quibus videbatur petere ima, conſcenderit celſa. Attende Baſilium orat. 28. (Baſilius.) *Quantò faſtum comprimit, tantò gratiam attrahit, & modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis.* Ea eſt vis humilitatis, inquit, vt eius ſectatorem promoueat, &, dum ſe furatur dignitati, dignitati amplificatum reſtituat, & cæteris anteponat. Videbatur Abrahamus à cæleſti maieſtate vti puluis cinisque remouendus; acceſſit tamen propior, dum humilior, & qui opiparâ menſa peregrinos paſcens aliquantulum diſtabat ſemotus, humilitatis merito iam approximat naturæ terminos ſupergreſſus, & quantum homini fas, Domini colloquio dignus: *Modus amplificandæ gratiæ eſt humilitatis vis.*

198. Exod. 3. v. 10. Deus igneſcenti rubo Moyſi apparet, & in populi ducem conſtituit: *Veni & mittam te ad Pharaonem, vt educas populum meum filios Iſraël de Ægypto.* Moyſes ſubita dignitate non eſt elatus; imò ſe deiecit, & ineptum prorſus iudicauit: *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Omni Ægyptiorum ſapientiâ excultus politi Sermonis inſcium ſe fatetur; verùm cùm ob incultum Sermonem nequiret

extrahere imperium, ad prolationis confugit modum: *Impeditioris*, aiebat, *& tardioris linguæ ſum*, vt ſuperbi defectus inaurare moliuntur, ſic humiles exambiunt ſuos exaggerare defectus; verùm quid tunc? *Dixit Dominus ad Moyſem: Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* (Exod. 7. v. 1.) Ducis fugiebat officium, & dum humiliter fugit, celeriori paſſu ad diuinitatis, ſi fas eſt dicere, faſtigium deuenit. Dei Pharaonis dignitatem acquiſiuit: quia animitus dignitatem ducis recuſauit: humilitas dignitatem ampliauit, & Moyſes compendio ad apicem dignitatis fugiens dignitatem deuenit. Notauit Rupertus lib. 1. in Exod. cap. 26. *Ecce*, inquit, *conſtitui te Deum Pharaonis: glorioſa virtutum regina humilitas, quæ in cœlum volare conſueuit locuta eſt in eo dicente ſe incircumciſum eſſe labiis: & idcirco dignum ac pro ſua reuerentia magnificum accepit reſponſum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis ſe eſſe Deum.* (Rupert.) Humilitas in Deum Moyſem extulit, dum Moyſes ducis munus humilis excuſabat, & ignotari deſertorum receſſibus exambiebat: quia vt ſulphureus puluis papyro reconditus, quantumuis excutiatur ad ima, accedente igne tollit papyrum ad æthera; ſic humilitas, quæ cæleſtem agnoſcit patriam, humilem ſubleuat, quantumvis ſe ipſe deiiciat.

Hanc laudabilem ad altiora deueniendi artem edocuit Chriſtus Dominus diſcipulos, cùm de primatu contentioſè diſceptarent. 199. *Quis putas maior eſt in regno cælorum?* (Matth. 18. v. 1.) Exambiebant celſa; ſed celſorum ignorabant itinera: ergo Chriſtus Dominus, *Quicumque*, ait, *humiliauerit ſe ſicut paruulus iſte, hic eſt maior in regno cælorum.* Viam primatus oſtendit humilitatem; non vetuit tendere; ſed errare. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 28. *Quid de primatu contenditis relictâ curâ, viâque regni cæleſtis obtinendi?* (Baſil.) *Quid nondum vocatione comperſâ primas affectatis? Hæc ſola eſt ad regnum cæleſte via, hæc ſcala.* Qui humilitatis viam non ingreditur, non ſolùm non aſſequetur primatum; ſed aberrabit à cœlo: humilitas namque eſt ad cœlum iter, adaugendi dignitates ars, ad conſcendendum thronum ſecura ſcala; imò ad commoda temporalia compendioſa via.

Hemorroiſſa illa, vt ſalutem acquireret, fimbriam tangere procurauit: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* (Lucæ 8. v. 44.) Cenſeres infirmitatem protrahere, non ſalutem requirere, quæ cùm aliam veſtis partem tangere faciliùs quiret, ad fimbriam turbis comprimentibus ſe deiicere, vt reciperet ſanitatem, ſtatuit: imò, inquit Chryſologus ſermone 36. ad humilitatem non imprudens ſe contulit, vt quàm citò ſanitatem reciperet: *Beata, quæ talem reperit acceſſum, cui nullus poſſit obſiſtere:* (Chryſol.) humilitate infirmitati ſuccurrit, & dum ſe ad pedes aduoluit, ſaluti reſtituta reſurgit.

---

§. XLVII.

In Sacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligendus, nec ſine ſapientiæ dotibus initiandus.

SAcerdos Presbyteri ſortitur vocabulum, & in ipſo vocabulo maturæ exprimit ſenectuti elogium. Sacrata dignitas morum requirit concinnitatem, & ſapientiæ eruditionem, ne aut 200.

de puerilitate munus vileſcat, aut de inſcitiâ ſordeat. *Reuerendum honorem ſumit*, aiebat Caſſiod. 6. var. 6. *quiſquis magiſtri nomen acceperit: quia hoc vocabulum ſemper de peritia venit, & in nomine cognoſcitur, quid ſit de moribus æſtimandum.* Sacerdotis nomen de morum venit concinnitate, & de mentis honorabili ſenectute, quandoquidem ad Sacerdotium pertinet procelloſos inſolentis vulgi mores regula honeſtatis diſſerenare, offuſas errorum tenebras luce eruditionis depellere, & errantes ad ſemitam rationis reducere: ergo ſi aſcendat ad Sacerdotium puerulus non ſolùm ætate, ſed mente, vileſcet munus, & erit ludibrio, initiatus vt fulſerit magiſterio. Certè adoleſcentes, ſi caſu ad dignitatem peruenerunt, quam debuiſſent quærere, inueniuntur diſciplinam refugere, verentur diſcere, ne magiſtri obtenebrarint honorem, cùm indocti muneris amiſerint grauitatem. De Auito adoleſcente ad dignitatem euecto vti ratum aiebat 8. epiſtol. 23. Plinius ſapientiam ab alio auſcultaſſe, nec præſumptione cæca intumuiſſe: *Me quaſi magiſtro vtebatur: rarum hoc adoleſcentibus noſtris.... nam quotuſquiſque vel ætati alterius, vel auctoritati vt minor cedit? Statim ſapiunt, ſtatim ſciunt omnia, neminem verentur, imitantur neminem, atque ipſi ſibi exempla ſunt; ſed non Auitus, cuius hæc præcipua prudentia, quòd alios prudentiores arbitratur, hæc præcipua eruditio, quod diſcere volebat.* Mira res, adoleſcentem dignitatis luminibus exornatum non intumeſcere; ſed prudentiores ſectari, quandoquidem ſine ætatis ac virtutis ſuffragio electi non tam curant munus implere, quàm vanitati inſeruire. Michas idolum ſibi conflauit, adoleſcentémque in Sacerdotem elegit: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Quàm malè conueniebat dignitas cum ætate? Quid aliud puer in Sacerdotem initiatus faceret, niſi miniſtrare idolis, inſeruire figmentis: *Habuit puerum Sacerdotem*, inquit Hugo Cardin. *id eſt adoleſcentem: in hoc arguuntur iuuenes, quia debent ſenes eſſe, ſi non ætate, tamen mente.* Vitæ puritas nobilem ſenectutem inducit; oportet tamen Sacerdotes pueriles annos exceſſiſſe, quò meliùs poſſint claris virtutum luminibus ſplendere. En Sacerdos de puero factus oppugnat religionem, & ſequitur prauitatem: idololatriam edocet, qui errantibus oſtendere religionis debuiſſet viam: plus valuit ad ſectandum vitium pueritia, quàm dignitas ad expungendum: de repente Sacerdos, quos non didicerat, ſacerdotales ritus exercuit, ſibique fuit, vt aiebat Plinius, exemplar: immaturi locum eſt magiſterij ſortitus, cùm omni ſcientiâ inueniretur orbatus.

Caſſiodor. — Plinius. — Præcipua eruditio velle diſcere. — Hugo.

201. Profectò Sacerdotes non ſolùm eliguntur, vt altaribus religioſè inſeruiant, vt plebem erga diuinum cultum & religionem erudiant; ſed vt Chriſtum impugnantibus bellum inferant. Sacerdos eſſe debet veritatis index, religionis ſchola, contra Chriſti aduerſarios dura procella: quòd ſi ſcientia careat, nec veritatem defendet, nec Chriſtum ab aduerſantium furore eripiet. Hûc apto quòd aliorſum aiebat Chryſoſtomus homil. 91. Cùm Chriſtus Dominus deuictâ morte, ſubacto inferno rediuiuus cuſtodum vigilantiam fruſtraſſet, aduerſarij acri dolore perculſi, & ad callida argumenta conuerſi cuſtodibus perſuaſerunt, vt à diſcipulis ab ipſorum manibus ereptum diſſeminarent: *Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* O vtinam tales eſſent diſcipuli, qui de tenebrarum poteſtate, ac de hoſtium furore eriperent Chriſtum; verùm, cùm nullâ ſcientiâ pollerent, nec ſe oppoſuerunt aduerſariis, nec Chriſtum vindicarunt ab iniuriis. Audi Chryſoſtomum: *Qualiter enim furarentur diſcipuli, homines pauperes, & idiotæ?* Certè Ioannis diſcipuli auditâ morte magiſtri eius corpus tulerunt è carcere: *Accedentes diſcipuli eius tulerunt corpus eius, & ſepelierunt illud*; aſt Chriſti diſcipuli, quia idiotæ probantur, certamen cum aduerſariis inire verentur: ſi ſcientiâ exculti, ſi litterarum eruditione obarmati, forſitan in hoſtes irruerent, & honeſto furto ſublatum ſecum Dominum aſportarent; aſt dum ſcientiæ inueniuntur expertes, non ſolùm non audebunt Chriſtum à manibus aduerſantium eripere; verùm nec tentabunt accedere: *Qualiter enim furarentur diſcipuli idiotæ?* Securè, ni Deus ipſe hoſtes miraculosè proſternat, hoſtes Chriſtum oppriment, veritatem tumulabunt, & infelici triumpho gaudebunt.

Matth. 28. v. 13. — Chryſoſt. — Matth. 14. v. 12.

202. Vel allophyli ad ſacerdotalem miniſterium ætate maturos, non laſciuientem iuuentutem, decreuerunt eligendos: degebat arca apud Philiſthinos, cúmque duris adurgerentur verberibus, quid fieri oporteret, à ſapientibus quæſiuerunt; illi fœtas vaccas vitulis primùm recluſis, iugo adaptandas dixerunt, de illarúmque via experimentum diuinitatis captandum, & argumentum non dubiâ ratiocinitate ſumendum: *Duas vaccas fœtas, quibus non eſt impoſitum iugum, iungite in plauſtro, & recludite vitulos earum domi. Et aſpicietis, & ſi quidem per viam finium ſuorum aſcenderit contrà Bethſames, ipſe fecit nobis hoc malum grande.* Plura hìc pro adaptandis moribus veniunt, ſi experimentum venari diſcupiunt, cur vitulis arcam non imponant; ſed vaccis iam fœtantibus committant? Ad hæc, cur de gradiendi modo diuinitatem coniectent, & an ſine duce ad terminum recto itinere peruenire valeant, explorent? Hugo Cardinalis, cùm in Arca ſacræ tabulæ, ſacerdotaliſque virga aſſeruarentur, ſapientiſſimum teſtatur fuiſſe conſilium vitulos recludere, & vaccas iugo adaptare: quia Sacerdotium committendum non erat vitulis laſciuientibus; ſed vaccis honeſtè fructificantibus: *Vaccæ, inquit, iuncta plauſtro ſunt prædicatores adiuncti crucifixo: vnde Canticor. cap. 7. Coma capitis tui ſicut purpura regis iuncta canalibus: coma ornamentum eſt capitis: ſic Doctores Eccleſiæ ornamentum ſunt capitis Eccleſiæ, id eſt, Chriſti.* Itaque Satrapæ legem, manna, ſacerdotalem virgam vitulis committi vetuerunt, & vaccis fœtantibus commendarunt, vt notum iam omnibus eſſet ad ſacerdotalem dignitatem nullum ſine fructus teſtimonio, aut ſine temporis adſumendum ſuffragio. Ad hæc ex gradiendi modo indicium de diuinitate venari ſunt: nam ex Sacerdotum vita Arcæ quodammodò relucet nitidior dignitas, aut obſcuratur maieſtas. *Vno itinere*, addit Hugo, *gradiuntur, qui in operibus ſuis tantùm gloriam Dei quærunt, non propriam.* Sine rectore pergebat vaccæ: eſſet enim indignum, vt Bethſames, hoc eſt lucis & veritatis viam Doctores edocerentur, quandoquidem nefas eſſet ignorantia defœdari, qui tenentur ſapientiæ luminibus præ cæteris refulgere.

1. Reg. 6. v. 7. — Hugo.

203. Cùm Magos ſtella duxerit: *Ecce ſtella, quam viderant in oriente, antecedebat eos vſque dum veniens ſtaret ſupra vbi erat puer*: Angelus paſtores nec duxit, nec ad oſtendendam ad Chriſtum viam ad

Matth. 2. v. 9.

Digitized by Google

Lucæ 2. v. 15. ad inſtar ſyderis anteceſſit: *Diſceſſerunt*, inquit, *ab eis Angeli in cælum: paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethlehem.* Quid tunc? *Et venerunt feſtinantes & inuenerunt.* Si inquiras, cur ſtella ducat Magos, cùm Angelus non comitetur paſtores: reſpondebit Ambroſius Sacerdotes in paſtoribus deſignari: Gregor. in cap. 2. Lucæ. *Paſtores ſunt Sacerdotes:* ergo Doctores viam ad Chriſtum non debuerunt edoceri, etſi profanos contigerit ignorare. Stella deducens Magos viam ad Chriſtum ignoraſſe teſtatur; at Angelus Sacerdotes non ducat, vt viam optimè nouiſſe teſtetur.

204. Hildebertus Cœnomanenſis Epiſcopus inquirit, cur Chriſtus non Ioanni ſibi dilecto; ſed Petrò gregem commiſerit: Ioan. 21. v. 16. *Paſce agnos meos:* reſpondetque epiſt. 12. detuliſſe ætati, non meritis: quaſi offendiculum eſſet Apoſtolis iuuenem ſoni præferri, & ad rectoris munus venerabili maturitati præponi. Hildebert. *Chriſtus Ioannem ſupra Petrum dilexit, Petro tamen, non Ioanni conceſſa eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi: qui enim per Iſaiam dixerat: Auferte offendiculum de via populi mei, coram diſcipulis offendiculum ponere noluit, nec maioribus anteponere iuuenem... detulit igitur ætati, non meritis.* In presbyteris non debet ætas deſiderari matura, quandoquidem pubeſcentes contra ſe præiudicium ferunt ætatis: ergo quid Michas ſperare potuit à puero Sacerdote, niſi irremediabilibus lachrymis lugere & dolum & furtum.

---

§. XLVIII.

Sæpè contingit munus peruerti, & ſtipendio honoratum dilargientis eſſe inimicum.

205. Nimis frequens eſt miniſtros in arcum prauum conuerti, & munere inſolenter abuti; paſtores in idola tranſeunt, ſe ouium veſte contegunt, quo prouidam timoris cautelam arceant, & rapinam truculentiùs exerceant. Hinc Plinius iunior admonebat amicum muneris non obliuiſci; ſed implere, Delegatus fuerat Maximus ad ciuitates liberas componendas, & Plinius aliorum ſtyli non ignarus ſic ad illum lib. 8. epiſtolar. epiſt. 24. Plinius. *Te (repetam enim) meminiſſe oportet officij tui titulum, ac tibi ipſum interpretari; quale quantumque ſit ordinare ſtatum liberarum ciuitatum. Nam quid ordinatione ciuilius? quid libertate pretioſius? Porrò quàm turpe, ſi ordinatio euerſione, libertas ſeruitute mutetur.* Turpe ſanè eſt, ſi miniſter ad aſſerendam electus libertatem miſeram ſuffulſerit ſeruitutem, ſi delectus ad firmandam ſtabilitatem ſecum adduxerit euerſionem: & quidem quamuis ingens ſit crimen, in contrariam partem munus deflectere. & inſolenter abuti: non modicum augetur offenſa, ſi miniſter eum ipſum, à quo ſalarium accepit pro munere ritè obeundo, impugnarit munus ambitioſè adulterando. Deus Leuitis reditus pro ſuſtentatione aſſignauit: *Filiis Leui dedi omnes decimas Iſraëlis in poſſeſſionem* Num. 18. v. 21. *pro miniſterio, quo ſeruiunt mihi in tabernaculo fœderis.* Vt in fœderis tabernaculo ſeruiant, reditus à populo accipiunt Leuitæ, è quibus vnus cùm ad Michæ domum diuerteret, ab illo ſubornatus in idoli Sacerdotem tranſiuit. Non ſolum munus, pro quo perficiendo à Domino accepit reditus, non obiuit; ſed idoli applicitus aris prorſus peruertit, & de munere in datorem arma procudit: *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Idolo addicitur, & à religione extorquens ſalarium religionis eſt inimicus: in contrariam partem munus detorſit, & cùm debuiſſet ſacris altaribus applicari, Leuites inuentus eſt profanis aris adſcribi: *Acquieuit*, inquit Hugo Cardinalis, *victus amore pretij.* Hugo. Ab vtroque pretium accipiebat: à Domino, vt tabernaculo fœderis deberet miniſtrare; à Micha, qui idolis non refugeret inſeruire: amore pretij adulterauit munus, peruertit officium, & in contrariam partem detorſit iniquiſſimò miniſterium. Quod huic Leuitæ contigit, aliis etiam continget. Sunt qui cùm à Domino ſalarium accipiant, in contrarium munus detorqueant.

Qualiter ſe paſtores geſſerint non ſine ſumptu 206.
à Domino alti, & reditibus copioſi, ſic Dominus apud Zachariam teſtatur: *Derelicta non viſitabit,* Zachar. 11. v. 11. *diſperſum non queret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & vngulas eorum diſſoluet. O paſtor, & idolum.* Satis non erat paſtori munus non curare, niſi adulterauerit munus, ne grex periret, nullum fugitare debuiſſet laborem; & idoli vices gerenti eius in aris oues cernuntur mactatæ, hoſtiæque offeruntur copioſæ. Itaque à gregis Domino ſalarium accepit, quia paſtor, & munus adulterat, quia eſt idolum. Qui debuiſſet caſtitati conſulere, pudicitiæ inſidiatur, qui tenebatur propulſare rapinam, auaritiæ ſtudet, & rapaces diſſimulat, ſi eius aris copioſum aurum velint offerre. Itaque pretium accipit à Domino, cum contra ipſum Dominum militarit, & quam acceperat poteſtatem ad ſolicitam gregis cuſtodiam, conuertit auidus in ſceleſtam rapinam: quo factum eſt, vt gregis Dominus & pendat ſalarium, & ſalario nocentiſſimum conduxerit inimicum: *Idolum dicitur*, inquit Lyra, *quod pro Deo colitur, & non eſt.* Lyra. Re ſeruus, cultu vult ſplendeſcere Dominus, & qui ſacris aris debuiſſet offerre ſacrificia, propriis aris applicat indebita ſibi holocauſta. O miſerum gregem paſtorem ſortitum faſtum idolum, conditione ſeruum! Conſonat ad hunc locum Hieronymus: *Tam ſceleratus es, vt non cultor idolorum;* Hieronym. *ſed idolum nomineris, dum vis ab hominibus adorari, qui derelinquis gregem à beſtiis deuorari.* Gregem à lupis deuorari ſpernit, ſi in curia inſcendere poſſit ad dignitatum faſtigia: ouium diſpendio celſiori anhelat fulgere throno: leuius grex à lupo pateretur incommodum, & grauius à paſtore ſuſtinere cogitur detrimentum. O quot idola de paſtoribus fiunt, quod de terra videntur magica arte dij aſcendere! Non tot aſpexit Pythoniſſa incantamentis vaferrimis vſa, quot luctuoſa Reipublicæ teſtatur aſcendiſſe experientia.

Michæas conſultus de bello contra Syros ſentando, 207.
reſpondit aſpexiſſe ſe diſperſum in montibus gregem ſine paſtore: *Vidi cunctum Iſraël* 3 Reg. 22. v. 17. *diſperſum in montibus quaſi oues non habentes paſtorem.* His verbis prænuntiauit regem à Domino morti addictum, & populum aſſeruandum. Et quidem Syriæ rex propheriæ obtemperans in ſolum regem arma conuerti præceperat: *Non pugnabitis contra maiorem & minorem quempiam, niſi contra regem Iſraël ſolum.* Quærunt interpretes cur populis hoſtis prophetæ paruerit: reſpondentque fuiſſe præmonitum ab ipſis Achabi conſiliariis, miniſtriſque, qui fraudulenti exploratores

Digitized by Google

aſſiſtebant, vt inimico conſilia proderent, & contra proprium Dominum præmunirent. Adeſt Lyra: *Ratio huius præcepti fuit, vt dicit Rabbi Salomon, quia exploratores regis Syriæ erant præſentes, licèt occultè, quando Michæas dixit ſolum Achab moriturum in illo prælio, & cùm retuliſſent hoc regi Syriæ, dedit hoc præceptum.* Ecce in media regis aula inueniebantur Syri exploratores occulti, & cùm ad conſilia vocarentur vt famuli, comitiis aſſiſtebant vt inimici. Itaque miſer Achabus ſoluebat ſtipendia proditoribus, & qui nomine conſiliarius adulterato munere erat reuera doloſiſſimus inimicus.

Lyra.

208. Ezechielem introducit Dominus in templum, & attendere quæ fiebant, curioſè iuſſit: audi quæ refert: *Ingreſſus vidi, & ecce omnis ſimilitudo reptilium, & animalium abominatio, & vniuerſa idola domus Iſraël depicta erant in pariete in circuitu per totum, & ſeptuaginta viri de ſenioribus domus Iſraël, & Iezonias filius Saphan ſtabat in medio eorum ſtantium ante picturas, & vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua, & vapor nebulæ de thure conſurgebat.* Iudices senioreſque Iſraël thuribulo Arabicis guttis pleno inſtruebantur, vt vero numini fragrantem offerrent ſuffitum; verùm ab ipſo innutriti, & decimis, ac copioſis fructibus diuitati adorabant picturas, & picturarum ſequebantur fallacias: *Inter ambitioſos idololatrantes,* inquit gloſſa moralis, *dicto modo ponuntur hîc ſeniores.* Conſonat Interlinearis: *Vnuſquiſque habebat thuribulum in manu ſua ad ſacrificandum, & vapor nebulæ conſurgebat: ſurgens ex thure offerentium ſacrilegia demonſtrabat.* Itaque deuoti ex populo offerebant thura, quæ flammis euaporata gratum numini ſuffitum halarent; verùm ſeniores, in quorum poteſtatem thura deueniebant, idolis ſacrificabant. A nullis certè maius præiudicium Deus & Reſpublica patiebatur, quàm à propriis famulis, & miniſtris: offerebat populus copioſam thuris quantitatem, vt Domini templum ſuauitate fragraret; verùm nec leuis ſuffitus ad Dominum perueniebat: quia ſenum malitia cultis à ſe imaginibus applicabat. Senes thuribulis inſtructi, & ſalario munerati ſacris non inſeruiebant altaribus; ſed adulterato munere altaris ſeruiebant hoſtibus: ad ſpeciem pulchris; ſed reuera fallacibus impendebant imaginibus, quod ſacris debebatur altaribus.

Ezechiel. 8. v.11.

Gloſſa.

Interlin.

209. Cùm Dei miniſtri de altari reditus copioſos meterent, decimas ſcilicet, & alia à lege templi miniſtris adſcripta pro exercendo ritè officio, & ad alendam vitam applicita, munere abuſi ipſum templum, & altare paruifaciebant, & vtcumque miniſtrabant. Ecquis hoc ait? Ipſe certè Dominus per Malachiam: *O Sacerdotes, qui deſpicitis nomen meum.* Deſpectam teſtabatur menſam, dum, vt ſuæ auaritiæ ſtuderent, ſacrificia indigna offerentes non carpebant, aut incurioſè altaribus miniſtrabant: & hoc cùm magnis fruerentur præmiis, & de altaris vixerint victimis: *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuitò?* En ab ipſis, qui mercedem ſatis copioſam ab altari lucrabantur, altare deſpicitur, & vti deſpectum abroditur: *Imitantes Cain ſuperbis contra Dominum vocibus reſpondentes.* Cain imitati, inquit ad hunc locum Hieronymus aduerſus Deum ipſum ſuperbiebant, & doloſis fraudibus, quaſi poſſent, decipere ſtudioſè tentabant: munere in Domini iniuriam abuſi, & ab ipſo ampla mercede delinquebant munerati.

Malach. 1. v. 6.

Hieronym.

§. XLIX.

Homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur prorſus ineruditi.

Vitium cum ipſa natura, videtur naſci, non addiſci: non expectat experientiam; ſed 210.
præmaturat notitiam: puerulos inuenies hac peruerſa ſcientia ſine magiſtro eruditos; ſed ad virtutem prorſus ignaros: ante adultæ ætatis experientiam iam pueruli vitiis inquinantur, & ab innata, ſi fas eſt dicere, prauitate edocentur. Iniuſſa creſcunt gramina; laborandum eſt, vt fructum generoſa proferant ſemina. Selectum ab illo optimo agricola telluri commendatum granum ſpontè ſuccreſcentes inuenit ſpinas, quibus ſuffocatum, ac dilaceratum periret: non opus fuit ſpinas ſeminare, vt fundus fœdis ſentibus ſcateret, cùm ſatis non fuerit optimis ditari granis, vt dignis fructibus exundarit: ab ipſa fundi prauitate pullularunt ſpinæ; grandi labori opus fuit, non iam vt produceret; ſed vt bona etiam reciperet ſemina. Quàm benè Stoicus de conſolat. ad Polyb. cap. 37. *Noli contra te ingenio vti tuo.* Contra ſe, hoc eſt, pro vitiis inueniuntur plures ingenioſi; ad virtutes prorſus & hebetes, & ignari. Cùm terram promiſſionis ingreſſuri eſſent filij Iſraël, ne aliquod erratum committerent, ceremonias edocentur. Teſtatur Moyſes eos ſic alloquens: *Mihi mandauit in illo tempore* (Deus) *vt docerem vos ceremonias & iudicia.* Ceremonias audis edoceri: vide modò Leuitam in idolorum Sacerdotem electum, ceremoniiſque ac ritibus deteſtandis colentem, cùm nulla anteà ceremoniarum ſcientiâ ad idolo ſacrificandum fuerit inſtructus: *Mane apud me*, aiebat Michas, *& eſto mihi parens ac Sacerdos.* Quid tunc? *Acquieuit, & manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis, impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Implere manum nihil aliud fuiſſe exiſtimant Interpretes, quam animalia immolanda præbuiſſe: *Iſtud erat implere manus*, inquit Abulenſis quæſt. 20. *id eſt, conſecrare illas: quod fiebat dando ei aliqua animalia, quæ immolaret, & faceret in illis ceremonias Sacerdotales ſacrificando.* Iam ſe ingerit difficultas: ſi antequam ad Dei altare acceſſerint Sacerdotes: erga ceremonias inſtruuntur, quomodo Leuita hic idolo ſacrificium offert, & anteaquam didicerit, ceremonias exercet? nullum ponit tempus in addiſcendo; ſed iam videtur edoctus ſacrificando. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia alibi inſeruitur virtuti, alibi crimini. Leuita, vt inſeruiat religioni, opus habebit edoceri ceremonias; vt idolo ſacrificet, ipſe erit magiſter; omnia ſtatim ſapiet, omnia peruerſa dexteritate exercebit.

Seneca.

Deuter. 1. v. 11.

Abulenſ.

Caius & Abel offerre parant ſacrificia: Cainus 211.
ſacrificando deliquit, & cæleſtem indignationem commeruit: *Factum eſt poſt multos dies, vt offerret Caïn de fructibus terræ munera Domino.* Placebat ſacrificium protrahere: quia diſplicebat offerre: poſt multa elapſa tempora tardè dedit: quia diu noluit: ac denique circa ipſum ſacrificium errauit. Hic ipſe cum in Abelum immerito ſtomacharetur, in campum doloſè duxit, & interfecit: *Conſurrexit Cain aduerſùs fratrem ſuum Abel, & interfecit*

Geneſ. 4. v. 3.

Digitized by Google

interfecit eum. Quàm citò paruit indignationi, religioni quàm tardè! Mortem à nullo edoctus perfecit; ſed ſacrificium, vt erat fas, non abſoluit: fortè de materiæ diſcrimine actio prodiit aut infeliciter abſoluta, aut indecorè imperfecta: neſciuit ſacrificare; ſed non ignorauit occidere: quia hoc ſpectabat ad prauitatem, & illud ad religionem. Audi Baſilium Seleucienſem orat. 4. *Quid mortis viam doces, quam nondum didiciſti?* Iam cædis eſt artifex, iam perpetrandæ mortis inuenitur magiſter, cùm nunquam fuerit diſcipulus: quia

Baſil. inteſtina nequitiâ edoctus. Non laboret auditor pro animi ſui perſpicientia inquirendo à quo Cainus cædem didicerit, cùm anteà non ſpectarit: non indaget, vnde ſciuerit plagâ mortem perfici, quandoquidem nec conſpexerat mori, plagamve inferri: propria namque malignitate antegreſſus eſt mortis ſpectaculum, & abſoluit infelici perfectione homicidium. Nonne vides pueros adhuc verba non formantes, egregiè mentiri, & non ſemel peierare? Nonne vides dexteram ad litteras efformandas inualidam, & ad ſurripiendum latenter ingenioſiſſimam? Quod deterius eſt, quodammodo pullulat inſitum, & floret ingenium, ad honeſta magiſtro eſt opus, & longo tempore: quod ſi non addiſcitur, ignoratur.

212. Magi Chriſtum adoraturi inuolant, ſed dirigente cæleſti luce, ducentéque ſtella: *Vidimus*

Matth. 2. v. 2. *ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* Chriſtum Dominum edocentur quærere, & ne deerrarint, non ſine prodigio ductantur; cùm tamen à ſe ipſis errare didicerint, & ſtellas vti Deos adorare contenderint. Expendebat vernanti ſtylo Chryſol. ſerm. 156. *Quādo regem cæli, niſi reuelante*

Chryſol. *Deo aſtrologus cognouiſſet? Quando vnum Deum ſine Deo Chaldæus adoraret in terra, qui in cælo diis totidem, quot ſyderibus ſeruiebat?* Ipſe per ſe ipſum ſtellis didicit inſeruire: officioſè geſtiuit Marti, & Veneri miniſtrare; at, vt munera recens nato infanti deferat, vt veritatem ſtudioſè perquirat, opus eſt ab ſtella duci; imò, ſi fas eſt dicere, trahi. Ad vitia proni ſumus; ad virtutem veluti ſtupidi hæremus: ingenij viuacitate nouos voluptatum modos inueſtigamus, & quod peius eſt, inuenimus: ad virtutem ſcientiam torpemus. Audi Senecam 7. natur. quæſt. cap. 31. *Inuenit lu-*

Seneca. *xuria aliquid noui, in quod inſaniat. Inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi. Inuenit deliciarum diſſolutio aliquid tenerius, molliuſque, quo pereat.* Quotidiè comminiſcimur, per quæ deteriores ſimus; nouos virtutis modos aut ignoramus, aut quod peius eſt, ignorare ſtudemus.

213. Expendebam aliquando ſerpentem ad vetitæ arboris adſpectum expreſsè fœminam non inſtigaſſe; ſed ipſam mulierem expandiſſe oculos, ipſam in arborem direxiſſe conſpectum: *Vidit*

Geneſ. 3. v. 6. *igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis aſpectúque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Tranſi modo cogitatione ad Matthæi 28. vbi cùm Dei Angelus

Matth. 28. v. 6. deſcendiſſet, ſic mulieres alloquitur: *Venite & videte locum, vbi poſitus erat Dominus: & citò euntes dicite diſcipulis eius, quia ſurrexit.* Si opus non fuit ſerpentem ad intuendam arborem mulieris oculos allexiſſe, quid opus ſit Angelum ad intuendum ſepulchrum Domini prouocaſſe? Si mulier manum extendit, & lethale pomum homini propinauit, modò etiam vel tacente Angelo ad homines inuolauit, vt reſurrectionis diſſeminarit gloriam, & denuntiauerit vitam. O nos miſeros! opus erit admonitore Angelo, vt mulieres Apoſtolos adeant, & gloriam Domini referant, cùm veternoſo illi ſerpenti neceſſum non fuerit Euam expreſsè admonere, vt ad venenum Adamo ac poſteris propinandum accurreret, & greſſu celeri perueniret. Vbi ſuſpicata eſt Eua inuidum Deum, inuiſſa marito retulit; at mulieres, etſi certiſſima reſurrectionis intueantur teſtimonia, opus erit monitore, vt aliis retulerint. O quàm ſumus tardi ad veram aliorum gloriam denuntiandam, cùm vel ad iniquam ſuſpicionem diſſeminandam; ad publicandam dubiam notam inuolemus celerrimi: ibi in nociuam arborem, in fugacem pulchritudinem mulier coniecit oculos ſtudioſa, hic vt ad ſalutare ſepulchrum aſpectum dirigat ab Angelo inuenitur edocta & blandis ſermonibus prouocata. Notauit Chryſologus Serm. 77. *Mulieres vocat Angelus ad videndum, vt ſacri* Chryſol.
corporis locus mundaret oculos, quos diabolo claudente vetitæ arboris maculârat aſpectus. Expende illud: *Ad videndum vocat Angelus*: ad venenatam intuendam arborem non fuit neceſſarium vocare, ad collyrium fuit opus allicere: eſt enim hominibus veluti inſitum, à ſe ipſis inuenire nociua, cùm opus habeant edoceri ſalutaria. Adde ferè ſemper floridiorem, potioremque vitæ ac temporis partem vitiis adſcribi, ſeróque virtutibus quid impendi; & hoc, ſi iam vitia ipſa nos effugiunt, & deſerunt.

Ex eodem vtero Eſaü & Iacob funduntur; ſed 214.
Eſaü priùs, Iacob poſterius: hic non caput erumpentis anteà prehendit; ſed calcaneum: *Plantam* Geneſ. 25.
fratris tenebat manu: quod non ſine arcana erudi- v. 25.
tione contigiſſe putat Hieronymus: cùm Eſaü vitij voluptatiſque ænigma fuerit; Iacob è contrà virtutis. Ecce iam ferè totus Eſaü fuſus erat, cùm nondum manum Iacobus, vt illum ſupplantaret, extenderat. Contra deſinentem audet; ſed erumpentem non impedit: vt actionum coloribus nobis expreſſerit Sacra Scriptura, quàm ſerò homines vitia oppugnent, quàm præmaturè vitia prodierint. Adeſt Hieronymus ad cap. 15. Malachiæ:
Reſpondet (oraculum) *Eſaü, & Iacob de vna* Hieron.
ſtirpe generatos, hoc eſt, vitia atque virtutes ex vno fonte cordis procedere, dum ex arbitrij libertate in vtramque partem, vt volumus, declinamus; ſed priora naſcuntur vitia per infantiam, pueritiam, iuuentutem, quæ poſtea ætas firmior corripit, atque ſupplantat. Senectus vitia iam elanguentia ſupplantat; ſed quouſque calcaneus ſolùm remanet, ſupplantator manum non mittit. Eſaü naſci Iacobum impediuit, & ne prodiret adeò citò, effuſus effecit. Iacob verò in iam deſinentem præualuit; ſed exorientem non impediuit.

---

§. L.

Quidquid ad vitium pertinet, ſtudioſè perficitur; aliquid non rarò virtuti detrahitur.

Tradimur ambitioni, gulæ, euanidæ voluptati, 215.
& eo tradimur ſtudio, vt omnia ad id ſpectantia intentâ ſolertiâ, & ſolerti perficiatur vigilantia: nulla omittimus deſides ex his quæ voluptati inſeruiunt, & prauitati adulantur: *Supervacua*, aiebat aliorſum Seneca epiſt. 110. *&* Senec.
ſemper,

ſemper, & toto animo quærenda ſunt. Toto animo quæruntur vana, oſcitanter ſatis honeſta. Aſpice quot homines vnius ventri inſeruiant, quam ſolicitè ſcrutentur maris profunda, quàm indefeſſè defatigauerint elementa. Aſpice quàm nullus prauitatis ritus omittatur, quàm quod virtuti reddendum eſt, decurtatum veniat, aut mutilum. Ecce Michas Sacerdotem idolo quærens eius implet manum, teſtante Scriptura: *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Hoc verbo implendi textus denotat nihil omiſſum ex his, quæ ad Sacerdotium deteſtabile exigebantur; ſed omnia exactè accurata, & ſolicitè
Caietan. perfecta. Ita Caietanus: *Crediderim quod implere ſumitur pro perficere; & eſt ſenſus: perfecit munus perfectione requiſita ad manus Sacerdotales.* Neceſſarium erat oleum, allatum eſt: ſanguis erat neceſſarius, effuſus eſt: nihil ex his, quæ ad ritè idolo miniſtrandum requirebatur, defecit; ſed omnia integrè perfecta, & perfectè conſummata. O quàm aliter cum virtute actum fuiſſet! Aliquid requiſitum inerter omitteretur, aliquid ſubtraheretur neceſſarium, aliquid ſordeſceret imperfectum: ſic namque homines ordinem rerum inuertunt, vt virtuti inſeruiant oſcitanter, vitio ſolerter.

216. Hanc veritatem comprobant Aaronis: filij thuribula arripiunt, incenſum offerunt, ignem tamen
Leuit. 10. v. 1. non ſubiiciunt ſacrum; ſed alienum: *Arreptis Nadab, & Abiu filij Aaron thuribulis poſuerunt ignem & incenſum deſuper, offerentes coram Domino ignem alienum, quod eis præceptum non erat.* Quàm oſcitanter ſacrificabant, quàm parum cultui numinis attendebant! Aliquid eorum ſacrificio defuit ex requiſitis, aliquid ex non apponendis ſuperfuit: *Adhuc Iudaïcus populus cultum alienum* (verba ſunt Ruperti lib. 1. in Leuiticum cap.
Rupert. 7.) *& cæremonias odibiles Deo per prophetas reclamanti importunè nimis, & moleſtè ingerit.* Sic virtutis negotium geritur, vt incuria, negligentiaque exaſperet, & offendat; verùm ex peruerſis vitiorum ritibus, ex vaniſſimis cæremoniis nullam videbis omitti; ſed omnes perfici, & ſummo ſtudio curari. Sacerdos Michæ impletis manibus ſeruit: Aaronis filius ignem extraneum contra legem introducit.

217. Hiſtoriæ penicillo nobis depinxit Scriptura, quàm aliter ſe gerant homines, ſi quid ſæculo detraxerint: Samuël Saüli exprobrat præcepti Dominici tranſgreſſionem, cúmque conuerſus abiret Saül pallij ſummitatem audaci manu diripuit:
1. Reg. 15. v. 17. *Conuerſus eſt Samuël, vt abiret; ille autem apprehendit ſummitatem pallij eius, quæ & ſciſſa eſt.* Non inuenies Saülum aliquo dolore ob ſciſſionem commotum, & videbis Dauidem, quia oram chlamydis regalis etſi reuerenter abſciderit, acri
1. Reg. 24. v. 5. dolore percuſſum: *Surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter. Poſt hæc percuſſit cor ſuum Dauid, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.* Honeſto Dauidis facto oſtendit Scriptura, quàm aliter ſe gerant homines erga humana, & erga diuina. Inquires cur dum pallij Sacerdotis, prophetæque ſummitas ſcinditur, Saül nullo dolore adflictetur, cùm Dauid ob chlamydis ſciſſionem intimo acrique dolore torqueatur. Certè Dauid nullo videbatur dolore pulſandus, cùm oram ſciderit ad fidelitatis argumentum, reuerentiæque teſtimonium: Saül è contra angi debuiſſet, cùm manum immiſerit audacter, non reuerenter, & tamen Dauid graui exulceratur dolore, cùm Saül nulla turbatus ſit anxietate. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Fallar, ni perſonarum diuerſitas diuerſitatem actionum non conſuluerit: Saül quid ſacræ veſti detraxit, regiæ Dauid. Ergo vbi iſte, licèt inculpatè fecerit, arbitratus eſt irreuerentiam poſſe exaſperari regem, indoluit; aſt Saül Samuëlem exaſperare contempſit, & noſtram veritatem ſatis apertè comprobauit: Dolent homines, ſi alicui humano ritui, aut ſæculari ceremoniæ defuerint, non adeò dolent, ſi quid virtuti ſubtraxerint: Saül non gemit oram præcidiſſe, Dauid ingemit, vel orulam decurtaſſe: *Quia in hoc*, inquit Lyra, *fecerat irreuerentiam ipſi Saül, qui ho-* Lyra.
norandus erat. Dauid religioſè manus continuit, præcidit oram ad reuerentiæ fidelitatiſque teſtimonium; verùm quia ad ſpeciem honorem regiæ veſti integrum non exhibuerat, erubuit, cùm Saül, etſi ſummitatem diſtuperit, non ad reuerentiæ indicium; ſed ad violentiæ teſtimonium abſcidiſſe paruipenderit: quid virtuti detraxiſſe homines non angit, cùm angantur, ſi quid humanæ detraxerint vanitati: Millies admonui Sacram Scripturam commendabilium virorum factis pro coloribus vti ad noſtros exprimendos defectus, & prodendos intimos cogitatus: ergo oram Sacerdotalis ornatus ſine rubore teſtatur ſciſſam, & purpuræ orulam non ſine dolore decurtatam, nobis declarans, quàm ſe aliter homines erga virtutem gerant & vanitatem. Quidquid ad ſæculi ceremonias ſpectat, ſtudioſè colitur: quidquid ad virtutis cultum, faſtidioſè reiicitur. Fors gauiſus eſt Saül Sacerdotali pallio quid abſtuliſſe, cùm triſtatus fuerit Dauid regalem purpuram ad ſpeciem temeraſſe. Certè Saül vitiis deditorum emblema virtuti fortè illatam ridebat iniuriam, cùm Dauid aulicorum ac politicorum ænigma offenſionis vmbram expauerit; & gemuerit: *Percuſſit cor ſuum Dauid, eo quòd abſcidiſſet oram chlamydis Saül.*

Filij Heli, & Sacerdotes Baal vtriuſque partis 218.
exhibent probationem: illi per puerum fuſcinula armatum non modicam partem ſacrificiis Dominicis auferebant: iſti, ni priùs bouem Baal immolarent, piaculum commiſiſſe dolerent: Elias cum illis diſceptans ſic ait: *Eligite vobis bouem vnum,* 3. Reg. 18.
& facite primi, quia vos plures eſtis: bouem im- v. 25.
poſuerunt aris: *Cùm tuliſſent bouem, quem dederat eis, fecerunt.* Nihil iſti de boue Baal detraxerunt, illi de victimis auferebant: Heli filij defædabantur rapinis, Baal Sacerdotes vel proprio ſanguine tingebant aras: *Incidebant ſe iuxta ritum ſuum cultris, & lanceolis, donec perfunderentur ſanguine.* Ecce irreligioſa religione Baal cultum exercent, ritus ſatis illis moleſti non ignari. Heli filij officium neſciunt, & irreligioſè exercent officium: *Se gladiis*, inquit Theodoretus quæſtione Theodor.
56. *& Saromaſtis conſciderunt, vſque ad effuſionem ſanguinis: nam cùm hominum cædem ſpirent dæmones, hominum ſanguine delectantur: quamobrem hoc modo eos colebant Sacerdotes; hoc autem Scriptor ſignificauit dicens: Conſcidebantur ſuo more.* Ipſum peruerſumque morem, & ceremonias obſeruantiſſimè ſacrificuli coluerunt; Dei Sacerdotes ritum & ceremonias ſtolidiſſimè depretiarunt. Vt noueris quàm ſe aliter gerant homines circa cultum virtutis & vanitatis. Faſtus nil detrahetur ſuperbiæ, nil minuetur ſumptus oſtentationi, nil ornatus pomparici vanitati: à virtute quid ſemper detrahitur, & auara manu minuitur. *Porrò*, inquit textus, *filij Heli filij Belial*

neſcientes

Digitized by Google

1. Reg. 2. v. 12. *neſcientes Dominum neque officium Sacerdotum ad populum; ſed quicumque immolaſſet victimam, veniebat puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam, aut in ollam, ſiue in cacabum, & omne quod leuabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* Aaronitici Sacerdotes quid Dominico ſacrificio detrahebant, Baal ſacrificuli proprium ſanguinem litabant: cùm ſe ipſos Baal Sacerdotes deteſtando cultui, & ritui ſacrilego impenderint, Sacerdotes Dominici religioſum maculatunt ſacrificium cupiditatibus ſordeſcentes, & officium dehoneſtantes: fuſcinula imminuit hoſtiam, effuſo culter ſanguine cruentat aram.

§. LI.

Si iuuenis cum iuuene commoretur, ad flagitia ſæpè inſtigatur.

219. IVuenes in libertatis argumentum non ſolùm ſe tradit omni licentiæ; ſed exoculatæ audaciæ. Ita Plutarchus lib. de audiendo: *Licentia, quam nonnulli adoleſcentium ex inſcitia libertatem arbitrantur, ſæuiores illis pueritiæ magiſtris, & pædagogis imponit eis quaſi vinculis expeditas cupiditates Dominos.* Dominatur adoleſcentibus cupiditas, & quam vereri debuiſſent, vt nocentiſſimum aduerſarium, amplectuntur vt vtiliſſimum pædagogum: eius improbis conſiliis reguntur, &, vt meliùs dicam, præcipitantur: adoleſcentia non ſolùm alienis fraudibus; ſed propriis peruia videtur erroribus. *Adoleſcentia* etſi aliorſum, aiebat Caſſiodorus 4. var. 9. *peruia videtur incommodis*; verùm; etſi plura incommoda adoleſcentem impetant, tunc præcipuè, cùm alterius adoleſcentis vtitur conturbernio, & conuictu: tunc enim alter alteri pro vitiorum fomite eſt: ſe exacuunt ad cupiditatis inſaniam, ſe proritant ad inſolentiam; & qui ex ſe malus, de alterius conſortio peſſimus. Fortaſſis facer textus hanc veritatem explicuit, dum adoleſcentem adoleſcentis conſortio vſum idololatria prodidit obſcuratum. Conſtruxerat ſibi Michas idolum, ædiculam fabricarat, atque è filiis vnum adoleſcentem quidem, imò puerum, in idoli Sacerdotem extulerat: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos.* Non multò pòſt, cùm Leuites adoleſcens ad Michæ domum diuertiſſet, ibi alterius adoleſcentis conſortio ſic à religione deſciuit, vt idoli Sacerdotium etiam ſuſceperit: *Fuit quoque alter adoleſcens de Bethlehem Iuda ex cognatione eius, eratque ipſe Leuites, & habitabat ibi,* &c. *Cùmque veniſſet in montem Ephraim iter faciens, & declinaſſet parumper in domum Michæ,* &c. *manſit apud hominem, fuitque illi quaſi vnus de filiis: impleuitque Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Expende illud, *Alter adoleſcens*, id eſt æqualis ætatis ac filius, & filij Michæ ſimul cognatus. Ergo hic, dum apud Micham diuertit, & cum adoleſcente cognato agit, eius conſilio aut exemplo de Leuita tranſiuit in ſacrificulum, & quia alter idolis ſacrilega manu offerabat thura, ipſe quoque offerre non refugit holocauſta: *Iſte factus fuit*, inquit Abulenſis quæſt. 16. *Sacerdos in domo Michæ, vt patet infrà: & dicitur quòd alter adoleſcens, ad differentiam primi adoleſcentis.* Itaque cùm adoleſcens hic ad Micham diuertiſſet, ibique adoleſcentem cognatum idoli aris animaduertiſſet applicitum, & ipſe eſt factus Sacerdos: *Iſte factus fuit Sacerdos in domo Michæ*: & quare? Quia ibi alterius adoleſcentis ſibi cognati inflammatus inſaniuit exemplo, & perſuaſus forte degenerauit alloquio. O quoties de alterius adoleſcentis ſocietate conuictuque rubigo trahitur, & prauitas ſugitur!

Plutarch. Caſſiodor. Abulenſ.

Vbi filij Heli iuuentute florentes referuntur, 220.
vbi & eorum miniſter puer proditur, impietas etiam refertur: *Veniebat*, inquit, *puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in Lebetem.* Iam qualis Sacerdos, audi: *Erat peccatum puerorum grande nimis coram Domino.* Quorum puerorum? Iubentis & famulantis: fratres pueri cum ſeruo puero conſilia agitant, & ſacrificia ſubripere tentant: ſe puer ſeruulus offert fuſcinula inſtructus ad exequendam deſideratam rapinam, & puer Dominus gaudet ſe inueniſſe conſortem ad exercendam procaciam. O quanta fuit Heli incuria, dum ſolicitè non procurauit ſenem ætate maturum pædagogum filiis adiungere; ſed permiſit cum puero agere. Profectò vir ſenex grandæuuſque appetitus cauſam non foueret; ſed honeſtis conſiliis præcipites refrænaret; at ſi puer cum puero degat, inſanum alter proferet deſiderium, & offeret alter ad inſaniam perficiendam auxilium. *Alia* (inquit Rabbanus apud gloſſam à Ioſepho verba mutuatus) *munera ab oblaturis propter honorem ſibimet ſequeſtrabant, alia rapina modo tollebant, mulieribus religionis cauſâ conuenientibus contumelias inferebant.* Itaque circa homines audebant iniurioſi, & circa ipſum Deum delinquebant impij. Et quid à pueris potuit ſperari, niſi inſana vota, irreligioſa conſilia, & procaciſſima deſideria? Vbi iuuenis cum iuuene per otium agit, procacior audet, audentior furit: comes comitis allaudat delitia: quia conſimilia ipſe fouet pectoribus deſideria. Itaque exequendis opem cupiditatibus alter offert alteri, & de vtriuſque conuictu flabellatur cupiditatis incendium, & augetur erratum.

1. Reg. 2. v. 13. Rabban.

Vt quàm ſit adoleſcentis cum adoleſcente pe- 221.
riculoſa ſocietas, ſi inſtiget præcipuè erroris occaſio, facer textus oſtenderit, refert Danieli leonibus tradito vnicum Angelum ſuppetias tuliſſe: *Deus meus miſit Angelum ſuum, & concluſit ora leonum, & non nocuerunt mihi.* Qui Danieli adſtat eripiendo, Angelus eſt; qui verò tribus pueris ardenti fornaci immiſſis adeſt, Dei eſt filius: *Species quarti*, inquit Nabucho, *ſimilis Filio Dei.* O quantum impetrat Sanctorum Societas, congregatio iuſtorum! Daniel, etſi omnium virtutum elegantia excultus, ſortitur Angelum à reliquis ſeparatus; at Sanctorum collegio Dei adeſt Filius, qui flammam ſopiat, & in roſcidam totis auram conuertat. Benè, ſed noſtræ theſi adaptemus: ſi inquiras, cur ſatis fuerit ad arcendam leonum ſæuitiam ad frænandam truculentiæ voracitatem Angelus, & ardentem ad fornacem ipſe inuolauerit Dominus? Reſpondeo, in fornace geminum vrgere pueros periculum, ardoris videlicet & ætatis. Sanè ſi vnicus puer eſſet flammarum ardori traditus, & ad igneis vorticibus eripiendus, ſatis fuiſſet Angelus: verùm cùm modò plures cõiunxerint pueri ardoribus impetiti, oportuit Dei adeſſe Filium, ne præiudicium ſentirent ætatis, aut periculoſam experirentur ſocietatẽ conſortis: virtutibus efflorue

Daniel. 6. v. 22. Daniel. 3. v. 92.

Digitized by Google

effloruerunt; ſed ne ab incœptis pueri deficerent, Dei Filius adfuit, quo nos edocuerit Sacra Scriptura frequenter puerum puero aſſociatum pericula ſibi adaugere, aut de nouo procreare. Daniel patiebatur leones, à quibus poterat deuorari, nō tamē puerum alium, à quo poſſe à conſtantia deflecti; at qui nigra, horriſonáque fornace verſabantur, cùm eſſent pueri, flammarum ſubibant periculum, & attenta ſolùm ætate, ſociorum etiam conſortium. Ergo deſcendat Angelus, vt Danielem liberet, & inuolet Dominus, vt pueros à pueris & flammis ſeruet. *Tribus in pueris*, inquit Zeno Veronenſis ſermone 4. *fides primus non timuit: immiſſis camino ignis exaſtuans detulit, vt eos vnius virtutis eſſe* Zeno. *perſenſit. Denique arſit incendium incendentibus, non incenſis. O admirabilis ratio! O inæſtimabilis gloria Dei!* Deus hanc ſibi ſacra ambitione adſcripſit victoriam, pueros videlicet flammis non aduri, & ſecum degentes mirandis virtutibus informari. Vendicet ſibi Angelus leonum ora compeſcuiſſe; at vti gloriam ſingularem ipſe Dei Filius oſtentet pueros pueris aſſociatos, & ardoribus impetitos illæſos ſeruaſſe, & intactos cuſtodiſſe. Profectò cùm puerilis ætas, præcipuè coætaneum nacta ſocium, rationis rumpere ſoleat habenas, & periculoſas patiatur flammas, non potuit Nabucho Dei non deprædicare virtutem, cùm hanc vidit militare virtutibus ſocietatem.

222. Sara puerum Iſmaëlem cum Iſaaco puero ludentem intuita, paſſa non eſt domi remanere, quando ſatis videbatur ad frænandos puerilis ludos pœnis puerilibus caſtigare: *Eiice*, aiebat, *ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres* (Geneſ. 21. v.10.) *filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Saræ conſilium diuino probatur oraculo: nam, etſi Iſaac ad omnem modeſtiam compoſitus, & excultis moribus florulentus, ſi cum iuuene effræni degat, fortè ſordeſcet impudicitiâ, aut, quod deterius eſt, idololatria: ergo puer ſeparetur à puero: nam licèt Iſaac inter gladij acutiſſimam aciem, & ignis veraciſſimum ardorem, nullum paſſus fuerit detrimentum, fors culpis maculabitur, ni improbi iuuenis prouidenter, ac maturè deuitarit conſortium. Audi Hieronymum in quæſtionibus Hebraicis: (Hieronym.) *Dupliciter hoc exponitur, vel quòd idolis ludos fecerit iuxta illud Exodi 32. Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere, vel quòd aduerſus Iſaac, quaſi maioris ætatis loco ſibi primogenita vendicauerit.* Verita eſt prudentiſſima mater filium de iuuenis ſocietate aut diuitiis denudandum, aut vitiis peſſimis inficiendum.

§. LII.

Deus vel exiguo etiam obſequio allicitur ad munificentiam, & magnis ſæpè offenſis prouocatus continet iram.

223. INgratitudo hominum cum numinis benignitate certat: nihil nos plenè accepiſſe arbitramur, quærimur, ſi aliis plura, aut maturius præſtiterit: non expendimus acceptum, quia ad futurum hiamus: ſi quid deſit, in plurima dilargientem ſtomachamur: offenſis irritamur ſuperbi, beneficiis non reſpondemus ingrati. E contra Deus cùm nullo indigeat, exigua etiam obſequia gratiſſimus recompenſat: nunquam deeſſent illi cauſæ inferendi ſupplicia, ſi à deteriore parte vitam noſtram ſpectaret; verùm ea benignitate noſtra delicta ſuſtinet, vt ſibi aliquomodo patientia detrahat, & cum perſpicaciæ ſuæ præuaricator non ſit, diſſimulat ad ſpeciem errata, cùm expromptè remunerauit obſequia: copioſa munificentia largitur exiguis præmium, cum vociferantibus vitiis inferre cunctetur ſupplicium. *Nullum*, aiebat Seneca lib. 2. de benef. cap. 28. *tam anguſtum, quod non bonus interpres extendat.* Addere poſſet, nul- (Seneca.) lum tam magnum, quod non anguſtet cupiditas, & aliquid ad querelam excogitarit peruerſitas. Deus ingratiſſimos ſuſtinet; & cùm repetitis offenſis prouocatus queat exercere vindictam, leuibus officiis delinitus copioſam effundit miſericordiam. Aduentarat in Michæ domum Leuites, quem excepit comiter, & liberaliter pauit: non multò pòſt in idolorum hoſpitem Sacerdotem conſtituit; & licèt deteſtabilis diuinam iram prouocaret idololatriæ, impenſa Leuitæ hoſpiti fauorem impetrauit miſericordia: Deus iram continuit ſcelere exaſperatus, & impenſam peregrino eleemoſynam non modicis beneficiis remunerauit ad benefaciendum pronus. Ecquis hoc ait? Certè ipſe Michas: *Nunc ſcio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Eleemoſyna reuerenter accedens non ſolùm auertebat ſupplicium; ſed Michæ exorabat ſalutis ac diuitiarum augmentum. In Hebræo eſt, *ſcio quòd benefecit mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Non tulit tunc ob idololatriam indignationem, cùm ob exiguum hoſpitium profuſam ſit expertus liberalitatem. *Iſta dicebat*, inquit Abulenſis quæſt. 21. *quando accipiebat Sacer-* (Abulenſ.) *dotem*: ipſum obſequium comitabatur impenſum ob obſequium beneficium, cùm idololatriam tunc non ſequeretur tormentum.

224. Deuteronomij 23. ſic iubet oraculum: *Non abominaberis Idumæum, quia frater tuus eſt, nec Ægyptium, quia aduena fuiſti in terra eius. Qui nati fuerint ex eis, tertia generatione intrabunt in Eccleſiam Domini.* (Deuter. 23. v.7.) Quam malè Ægyptij Iſraëlitas tractarint, conſtat ex multis Exodi locis; duris operibus maiores advitæ odium perducere moliebantur, recens natos vndis ſuffocabant, exanguis corpuſculi ſolatium parentibus non permittebant; ſed feras immanitate ac truculentia ſuperabant. *Quidquid maſculini ſexus natum fuerit, in* (Exod. 1. v.22.) *flumen proiicite.* Hæc omnia arcanæ obliuioni tradens ſolùm meminit, vt in Eccleſiam admitteret, tempore duriſſimæ famis exhibuiſſe alimenta, & præſtitiſſe benignè hoſpitia. Profectò inuiſa ſæculis retro inhumanitas, & deſæuientium ferarum maior ac durior feritas ad Eccleſiam admitti prohibebat, eâ tamen pietate cæleſte numen reſplendet, vt ad benefaciendum fuerit recordatus miſericordiæ, & ne ab Eccleſia excluderet, ſi dicere licet, immemor fuerit iniuriæ: & quidem dum non meminit culpæ confuſis torrentium voluminibus olim merſæ edocuit inflictâ iam digna pœnâ amplius non recordari delicta. Notauit ſatis acutè Philo lib. de charitate: (Philo.) *Vt videas extremam æquitatis lineam, vult aboleri memoriam iniuriarum illatarum à veteribus hoſpitibus, vt magis nomen ad charitatem faciens valeat, quàm reſpectus malæ tractationis: proinde diſertè interdicit: non proſequeris Ægyptium odio: atqui nullam iniuriam Ægyptij ab hac gente abſtinuerant, nouas ſemper crudelitati ſpecies addentes prioribus; attamen quoniam ab initio non excluſerunt eam à ſuis ciuitatibus,*

Digitized by Google

bus, nec areuerunt à finibus, ob eam rem, inquit, habeant priuilegium, & ius amicitiæ. Ex vna parte conglobata contra Ægyptios eorum armabantur delicta, vt qui olim ſæuiſſimis verberibus Hebræos proſciderint, & oneribus ſupra vires grauiſſimis diuexarint recentes naturæ flores diro mucrone præcidentes, & naturam contra naturam armantes; at quia aliquis in recipiendis benignè hoſpitibus reſplenduit humanitas, in Eccleſiam recepit, & ad bonorum communionem admiſſos nobilitari præcepit diuina bonitas. O quàm homines aliter? Poſt multa obſequia, poſt collata plurima beneficia, ſiquis vel vnguem exceſſerit, iam omnia illa officia penitus excident è memoria, & gratiæ loco infeſtiſſima ſuccedet querela.

225. Maria, quantum ex textu fas eſt colligere, dum Chriſtum Dominum religioſis obſequiis, anxiiſque ſuſpiriis ſibi conciliat, ad Lazari & Marthæ etiam familiaritatem allicit, demortuo Lazaro efficaciſſimas preces ad Dominum delegans, & copioſis lachrymis adſectum pulſans vitam refundere gratâ Domino vi coëgit: *Magiſter adeſt*, aiebat Martha, *& vocat te.* (Ioan. 11. v. 28.) Ad quæ vernanti ſtylo Chryſologus ſerm. 64. (Chryſol.) *Mittitur ad Mariam; quia ſine Maria nec fugari mors poterat, nec vita poterat reparari.* Vides quanta fratres ob Mariam à Domino conſecuti ſint beneficia: audi modò quia ad Domini hoſpitio ſuſcepti pedes tantiſper inſederit non ignaua, ſed religioſa, querulam ac criminatricem Martham: carpit quod ſcilicet ipſam non adiuuet; ſed defatigari variis intentam curis reliquerit: (Lucæ 10. v. 40.) *Stetit, & ait: Domine, non eſt tibi cura quòd ſoror mea reliquit me ſolam miniſtrare?* Quàm non recordabatur per Mariam in domum aduentaſſe Chriſtum! Quàm obliuiſcebatur per Mariam vitam refuſam fratri! at malè interpretata religioſum ſororis otium, vibrat querelarum ſpiculum: *Reliquit me ſolam*, inquit miniſtrare. Eſto ſolam reliquerit miniſtrantem, ſolam non reliquerat mœrentem, & fratris vitam ſolicitantem; id tamen eſt humanæ conditionis ingenium, vt plus valeat ad querelas tantiſper diſtuliſſe ſubſidium, quàm reſurrectionis ſolicitè procurauiſſe miraculum. Huc voco Auguſtinum ſermone 27. de verb. Domini: (Auguſt.) *Interpellauit Dominum, & de ſorore ſua conqueſta eſt, quòd eam laborantem non adiuuaret.* Fors non ſimplex erat querela; ſed tangebat Chriſtum, vt qui laboranti non prouideret, & ſororem, vt quæ laborem non ſubleuaret. Plus ad querelam valuit malè fundata ſuſpicio, quam ad gratitudinem diuturnum conſortium, & patratum erga fratrem inuiſum retro miraculum.

226. Achabus omni ſcelerum genere flagitioſus diuinam in ſe prouocauit vindictam: per Eliam prophetam duriſſima illi Dominus prænuntiat ſupplicia, quibus deterritus ad pœnitentiam tantiſper confugit: (3. Reg. 21. v. 27.) *Operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Quid tunc? Iam Deus accedentem ſuſpicit pœnitentiam, humilitatem intuetur, demutat ſententiam, & cum humili redit in gratiam: *Quia humiliatus eſt mei cauſa, non inducam malum in diebus eius.* Humiliatus eſt; ſed vineam violenter occupans: humiliatus eſt; ſed aliena retinens: indutus eſt ſacco; ſed innoxij ſanguinis ſorduit maculis cruentatus, & æquitati, ac iuſtitiæ iniurius: ergo cur obtineat humilitas miſericordiam, quando tot tantáque ſcelera prouocauere iuſtitiam? Quia ea eſt diuini numinis benignitas, inquit Tertullianus, vt adhuc prouocantibus plurimis culpis miſericordiam vel exiguis impendat obſequiis Ita lib. 4. aduerſus Marcionem cap. 10. (Tertullian.) *Lego Achab regem maritum Iezabel reum idololatriæ, & ſanguinis Nabuthæ, veniam meruiſſe pœnitentiæ nomine.* Ea pœnitentia, vt placet nonnullis interpretibus aut non fuit vera, aut motiuo nobili non innixa; Deus tamen, qui falli non poteſt, quaſi miſericordiæ fontem retinere non valeat, ſententiam aliquomodo reuocauit, & humilitate allectus indignationis iram ſopiuit.

§. LIII.

Eximiis inter alios dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura & maiora debentur commoda.

QVi eandem profeſſionem ſectantur, & eiſdem præceptorum legibus tenentur odium 227.
ſibi pariunt, ſi præcellentiæ, aut inæqualitatis affectauerint priuilegium. *Hoc primum philoſophia promittit*, docebat Seneca epiſt. 5. *Senſum communem, humanitatem, & congregationem, à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparauit.* (Seneca.) Philoſophus exterius philoſopho aſſimiletur; alioquin affectata diſſimilitudine aliis faciet ſtomachum, & ſui elucrabitur tædium: priuatus ab omni ſingularitatis ſpecie elucere debet alienas: aliter dum exambit priuilegia, ſibi procudet diſſidia, ſubibitque obmurmurationis incommoda. Verùm etſi modeſtus æqualitatem cum reliquis ac omnimodam ſimilitudinem exambiat, prouidum Superioris ſtudium vtili inæqualitate excellentioribus debet proſpicere, & eximiis prærogatiuis fulgentes impenſiori benignitate tractare; ne, dum nobiliſſimis prærogatiuis conſpicuos, & nullis dotibus claros æquali tractarit ſtylo, inepta ambitioſáque integritate ſectari videatur rectitudinis plauſum, prudentiæ amittat elogium. Plinium minorem 9. epiſtol. 5. audi de hac aliquorum inepta integritate agentem: (Plinius. Nihil eſt æqualitate ipſa inæqualius.) *Plerique dum verentur, ne gratiæ potentium nimium impertire videantur ſiniſteritatis, atque etiam malignitatis famam conſequuntur: à quo vitio tu longè receſſiſti: ſcio; ſed temperare mihi non poſſum, quominus laudem ſimilis momenti, quòd eum modum tenes, vt diſcrimina ordinum dignitatumque cuſtodias: quæ ſi confuſa, turbata, permixta ſint, nihil eſt æqualitate ipſa inæqualius.* Itaque vt quem ex ſubiectis diſcupere priuilegium, exemptionemque, dum ambitionem ſapit, generat odium: ita, ni ſuperior attenderit cuiuſque merita ineptum ſe gubernatorem oſtendet, & ſtulta integritate peccabit: veſtiuntur plures eodem habitu, eidem incumbunt ſtudio; at ſi quis præ reliquis virtutis litterarumve prærogatiuis reſplendeat, eſt præ aliis vrbaniùs tractandus, & accuratius fouendus, quandoquidem vitrum & margaritum eodem pretio taxare non eſt prudentis; ſed qualitates rerum ignorantis. Michas ephod, quo indueretur filius, dū ſacerdotio fungebatur, perfecit: *Fecit ephod & teraphim, id eſt veſtē Sacerdotalem*

& idola, impleuitque vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos. Filius Sacerdotio fungebatur; verùm cùm aduentaſſet Leuita, in Sacerdotem etiam initiauit vti parentem veneratus: *Eſto mihi parens ac Sacerdos*: Itaque & Leuita & filius eadem in domo erant Sacerdotes ſimili, imò eodem induti ornatu; verùm Leuita in parentem accipitur, & maior ei reuerentia impenditur: *Mane apud me* (aiebat Michas) *& eſto mihi parens ac Sacerdos, dabóque tibi per annos ſingulos decem argenteos ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* Si filius, dices, in Sacerdotem electus parentis non ſortitur locum, cur Leuita locum parentis ſortiatur? cur huic duplicem veſtem, decem argenteos, & ad victum neceſſaria officioſior Michas impenderit, cùm proprio filio obſequium adeò reuerenter non præſtet, nec commoda curet? Profectò quia hic Leuites Sacrarum ceremoniarum ſcientia inſtructior, ingenitæ veluti dignitatis luce præclarior: ergo licèt idem inſtitutum vterque amplexi, licèt eodem ornamento veſtiti altaribus inſeruierint; Leuites tamen impenſiori curâ, & maiori habitus eſt reuerentiâ: nam Michas, vt qui prudens, æquales inſtituto, prærogatiuis tamen diſſimiles diſſimili etiam ſtylo coluit: Leuites præferri alteri non ambiuit; Michas tamen ſe cum Leuita officioſiùs ac liberaliùs gerens, ſine prælatione prætulit, & filio præpoſuit: *Quia Deus Iſraël*, inquit Abulenſis quæſt. 21. *elegerat ſibi tribum Leui, vt illa miniſtraret coram eo, putauit Michas, quòd iſti homines eſſent excellentiores cæteris ad miniſtrandum.* Vterque, filius & Leuites Sacerdotio fungebantur; verùm dum Michas Leuitam longo interuallo à filio diſtare agnoſcit, & excellentioribus prærogatiuis ornari videt, impenſiori colit ſtudio, ſuperiores edocens inter inæquales inæqualiter ſe gerere, nec eadem menſurâ diſſimiles dimetiri. Leuites modeſtè tacuit, Michas verò maiorem reuerentiam exhibuit: & quidem vterque rectè, dum Leuites non exambit inæqualitatis præcellentiam, & dum ſuperior agnoſcit prærogatiuam.

Abulenſ.

228. Deuter. 20. v. 19.

Deuteronomij 20. ſic iubet oraculum. *Quando obſederis ciuitatem multo tempore, & munitionibus circumdederis, vt expugnes eam, non ſuccides arbores, de quibus veſci potes, nec ſecuribus per circuitum debes vaſtare regionem: quoniam lignum eſt, & non homo, nec poteſt bellantium contra te augere numerum: ſiqua autem ligna non ſunt pomifera; ſed agreſtia, & in cæteros apta vſus, ſuccide.* Eadem tellure vernabant arbores pomiferæ & infœcundæ, & forſitan quæ non pomiferæ, altiores, & antiquitate longè excedentes; & tamen legiſlator eadem lege non vult conſtringi, nec eodem ſtylo tractari: ſi eiuſdem ſunt, dices, terræ progenies, ſi eiuſdem fundi veluti incolæ, cur altera ſtudioſiori curâ ſeruentur, & alteræ aliis vſibus addicantur? Iam textus explicuit: Quia frugiferæ, inquit, ſaporatis exundant fructibus; aliæ verò fructum non afferunt: ergo frugiferæ, etſi altitudine non adeò proceræ, nec adeo tempore antiquæ, ſpeciali ſtudio debent curari, & ſpecialis cura earum commodis adhiberi: eſſet namque optimæ politicæ indecorum ſi eandem legem ſubirent inutiles plantæ, & conditis fructibus ac pulchris pomis onuſtæ. Adeſt Philo lib. de charitate: *Diſertè cautum eſt, ne quis cædat frugiferas arbores*: rationem reddit: *Neve vnum fructum corrumpat, vt præſtò ſit humano generi ciborum copia non ſolùm ad neceſſitatem; ſed ad delicias*: Cùm plus vita humana pomiferis egeat, quam inutilibus, vult legiſlator diſcrimen conſtitui inter plantas pomiferas & exuccas. Eſto arbor ſterilis antiquior ſit, eſto annoſitate recurua, non adeò ſolicitè eius commodis vult attendi, vt plantæ etſi recentiori tempore, excellentiori longè qualitate. Vt quiſque ſuarum actionum benignus eſt interpres; non deeſſet fors vmbratilis ratio agreſtibus lignis: allegabant eo in fundo antiquiora, præ aliis excelſa; verùm oraculum, quia non ex tempore, ſed ex fructibus qualitatem metitur frugifera iubet curioſiùs tractari, & ſecuris ictu non lædi. Nec ſemel hanc in arboribus edocuit politiam oraculum; ſed in animantibus etiam, vt repetitis eiuſmodi legibus inſtrueretur ad prudentiam gubernationis ſtylus.

Philo.

Leuitici 22. à fœtantibus filios diuelli lex prohibet: *Bos, ouis, & capra, cum genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ.* Peculiarem curam voluit habere fœtantium, nec communi lege teneri; ſed priuilegio donari: iſtæ namque oues præ aliis alunt nobiliſſimos fœtus maiorem paſtori vtilitatem afferentes, & gregem ipſum parturis nobilitantes: ergo illis prouidendum eſt, ne quæ præ cæteris recentes partionis labores ſubierunt, æquiparentur non fœtantibus: priuilegio ergo vtantur, ne partus anxietatibus ferè non leuatæ, eadem cum reliquis lege teneantur obſtrictæ: iam datum audi Philonem: *Virtutibus debet excellere aſcitus in ordinem lectiſſimorum, nec admittere in mentem tantam ſæuitiam, vt fœtæ laſſæ partus laboribus nouam mox vexationem afferas rapiendo recens editum animal: neceſſe eſt enim turbari matrem propter affectum à natura inditum; ſed à partu maximè: tunc enim lac in mammis ſubſidens, ſi deſit fructus, reprimitur, & diſtentis hac mole vberibus dolor quoque intenditur.* Subiicit poſt aliqua: *Vetitum eſt eiſdem legibus, ne templum ſubeat animans vlla grauida, neve mactetur, niſi partu leuato, quod latens in vtero fœtus non minoris æſtimetur, quàm in lucem editus: licèt enim ſit iniqua hæc collatio; prodeſt tamen ad compeſcendam temeritatem iſtorum, qui omnia confundunt nullo rerum diſcrimine.* Si quæ fructum ventre ferunt, ſi quæ editum nutricant, nullo priuilegio donarentur, vberrimi deeſſent fructus, aut naſci prohibiti, aut vbere materno non alti: ergo ne ob dolorem tædio afficiantur fructum afferentes, feracibus fructumque alentibus priuilegium fecit: nec enim reliquis ouibus fit iniuria; ſed edocetur optimæ politicæ norma: quid enim inæqualius, quàm nullo diſcrimine haberi, ſed ſimili lege confundi: quæ fructum copioſum non ſine ingenti moleſtia afferunt, & quæ proferunt nullum?

229. Leuit. 22. v. 27.

Philo.

***

§. LIV.

§. LIV.

Nonnulli inueniuntur circa leuiſſima ſcrupuloſi, circa grauiſſima nullis ſcrupulis agitati.

230. SVnt qui modica non ſpernant, & grauiſſima deglutiant: circa leuiſſimas offenſiunculas ſoliciti ingentiſſima peccata contemnunt & ignaui & cæci. Nihil tam ſolemne plurimis eſt, quàm minima præcauere, & grauiſſima perpetrare. Affectabunt adulari conſcientiæ reculas extimeſcentes, & blandiebuntur ſimul voluptati ad grauiſſima, & apertiſſima ſcelera cæcis oculis inuolantes, de quibus iure pronuntias: ibi trepidauerunt, vbi non erat timor, & ibi non trepidauere ſecuri, vbi fas eſſet ſolicito timore concuti, & inepta audacia pericula non contemnere. Horum exemplum præceſſit Michas: idolum conflauerat, ſacrilegis auſibus diuinas leges euerterat, cumque vnum è filiis in Sacerdotem initiaſſet, eo conſcientiæ agitabatur ſcrupulo, vt non quieuerit, donec eo amoto Leuitici ordinis Sacerdotem ſubſtituit, quo ſuffecto conſcientiæ iam morſum ſopiuit, & animum prorſus diſſerenauit: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe: nunc ſcio dicens, quod benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Iam ſi inquiras, cur ſibi gratuletur Leuitam Sacerdotem ſortitus: reſpondebit Abulenſis qu. 21. lege cautum eſſe, ne quis ex alia, quàm Leui tribu altaribus miniſtraret. Itaque Michas, cùm ſimul & eodem tempore extruxiſſet idolum, & in Sacerdotem initiaſſet filium, cæcis oculis præteribat idololatriam, & angebatur quòd non obſeruauerit ceremoniam: audi Abulenſem: *Quaeretur quare iſte putauit quòd benefaceret ei Deus nunc, cùm haberet Sacerdotem de genere Leui? Reſpondendum quòd erat poſita lex, quòd ſoli de tribu Leui miniſtrarent Deo.* Adnectit: *Suſcepit Leuitam in Sacerdotem, & amouit filium ſuum à Sacerdotio, & credidit, quòd eùm nunc haberet Sacerdotem ſecundum legem, quod Deus benefaceret ei.* Itaque cùm lex idololatriam pœnis ſeueriſſimis prohiberet, & Leuitas Aaronitaſque ſacris altaribus deſignaret, Michas de idolo ſubſtructo non angebatur, cùm de Sacerdote non Leuita grauiſſima ſolicitudine cruciaretur, & quidem quod Michæ in hac materia, in aliis quotidie nouetis accidiſſe: ſunt qui affligentur anxiè, ſi die veneris per ignorantiam carnem comederint, ſi Sabbatho non ieiunarint, ſi aſperum verbum protulerint, cùm aliena rapiant, voluptatibuſque effrænatiſſimè indulgeant.

Abulenſ.

231. Chriſtum Dominum ferali inuidia, & truculentiſſimo odio in crucem egerant Scribæ, Phariſæique, cúmque die Sabbathi corpus in cruce penderet, & lex remanere in cruce corpora Sabbatho non permitteret, ne legis præuaricatione ſordeſcerent, ad Pilatum inuolant, & corpus è ligno fractis cruribus deponi procurant: *Iudæi ergo (quoniam Paraſceue erat) vt non remanerent in cruce corpora Sabbatho: erat enim magnus dies ille Sabbathi: rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur.* Toti erant in Sabbathi ceremonia aſſeruanda, cùm nulla eos ſolicitudo vexaret ob mortem innocenti illatam, & iuſtitiam prorſus euerſam. Notauit Chryſoſtomus in catena D. Thomæ: *Iudæi, qui camelum tranſglutiebant, culicem colabant: cùm tantam fuiſſent operati audaciam, de die diligenter ratiocinantur.* Legis præuaricationem verentur, ſi diei ceremoniam non obſeruauerint; non tamen curant liuoris egiſſe cauſam, & crucifixiſſe innocentiam; circa exigua religioſi, & circa magna ſacrilegi. In reculis, legiſque ceremoniis aſſeruandis ſummam ponunt, ac ſolicitam diligentiam, circa magna nullam adhibent prorſus curam.

Ioan. 19. v. 31.

Chryſoſt.

Hoc idem proditor ille Iudas, qui execrando facinore, quem iuſtum non ignorabat, exigui lucri cupiditate deuictus vendidit, ſuis videtur actionibus confirmaſſe; ad Sacerdotem Principes, quos liuore in Chriſtum aduſtos, ambitionéque rabidos nouerat, celeri volatu contendit, & magiſtrum, ſi pretium offerant, ſe traditurum promittit: *Tunc abiit vnus de duodecim, qui dicebatur Iudas Iſcariotes, ad Principes Sacerdotum, & ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam?* Iniquo deteſtandoque auſu ſub haſta licitans Dominum, proferre veretur eſſe venditandum Chriſtum; ſed ait: *Et ego eum vobis tradam.* Quem *eum*? cur nomen non prodis, cùm perſonam prodere non recuſes? Fors timuit diabolus, qui iam in eius cor miſerat, ſi Ieſu nomen protulerit, de ſacratiſſimi nominis efficacia omnia eius enervanda fore commenta, & ideò occluſit labia iniquè prouidus, & prouidè iniquus venditor ementium odio adulatus eſt nomen reticens, ne eorum aures exaſperarit. Eo in magiſtrum ſtomachatur odio fragrantis priuatus vnguenti lucro, vt etiam dum vendit, nomen non proferendo deſpiciat: vota cum votis altercabantur: cæca cupiditas magni vendere ſatagebat; ſed odium non attendebat pecuniam, deſpicere poſſit perſonam: ergo ait: *Et ego eum vobis tradam.* Prædictis fortè cauſis perſuaſus, & vt innuit Euthymius ad hunc locum, ſcrupulo graui perculſus tacuit venerabile nomen, quia præceperat antea diſcipulis Chriſtus Dominus, ne cui aperirent ſe eſſe Chriſtum, teſte Matthæo: *Tunc præcepit diſcipulis ſuis, vt nemini dicerent, quia ipſe eſſet Ieſus Chriſtus.* Ergo Iudas præcepti memor à proferendo nomine abſtinuit, veritus, ne tranſgrediatur edictum, dum execrandum audet cum Sacerdotum Principibus inire contractum. O religioſum Iudam, alienorum venditorem, proditorem magiſtri, & huius præcepti diligentiſſimum obſeruatorem: *Non dixit*, inquit Euthymius ad hunc locum, *Ieſum Chriſtum, ſed eum.* Itaque cauit nomen ſacrilegis aperire edicti memor, non tamen extimuit innoxium ſanguinem vendere, & iniquo commercio peſtilentem ſibi pecuniarum copiam colligere. O nullus ſit proditoris diſcipulus! Religiosè obſeruentur minima; ſed & ſolicitè magna: eſt enim labor infructuoſus, & irridendus ſcrupulus omni ſolicitudine minutiis attendere ad plauſum, & magna ſpernere ad criminis incrementum. 232.

Matth. 26. v. 14.

Matth 16. v. 20.

Euthym.

Hanc euanidam ſuperſtitionem ferè omnes in Samaritide illa notarunt. Sedebat Chriſtus Dominus itinere defatigatus; ſed grauiori, quia à ſuis diſcedere cogebatur, dolore aduſtus ad fontis marginem, cùm Samaritana mulier candente Sole de profundo puteo vndam elicitura inuolauit; ibi 233.

ibi ſtudioſè miſericordiæ rete expanderat Chriſtus, vt inopinè felicem aucem illicio vndarum captaret, & rationis lumini reſtitueret: ergo accedit mulier, & Dominus aquæ hauſtum ad ſitis ſopiendam

Ioan 4. v.7. flammam comiter depoſcit: *Dicit ei Ieſus: Da mihi bibere.* Samaritis carnis negotia, & libidinis cauſam agere non verita, lege, aut ſaltem conſuetudine interdictum inter Iudæos & Samaritanos commercium opponit, eius præuaricatione ſordeſcere refugiens, & miniſtrare Hebræo ſitienti latices quodammodo expauens; *Quomodo tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana: non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.* Quàm benignè noſtras interpretamur actiones, quàm rigidè alienas! En mulier Hebræum carpit, quod vrgenti ſiti à Samaritide expoſtulet frigidam, quaſi debuerit eligere ſiti adurgeri, non edictum præuaricari: ergo quæ profitebatur ne daret religioſè ſe colere conſuetudinem, dum ſperat, vt ab Hebræo accipiat, legem non recordatur attendere: *Domine,* aiebat: *Da mihi hanc aquam*: & ad hæc circa aquæ hauſtum ſcrupuloſa, circa voluptatis delicias legis prorſus procedebat oblita: *Quinque viros habuiſti, & nunc quem habes, non eſt tuus vir.* Ne præberet ſitienti aquam, ne exerceret miſericordiam, oppoſuit legis ſcrupulum, luxuriæ verò ardori, inſanæque ſiti non oppoſuerat mandatum: cupiditas accipiendique ſpes conſcientiæ clamorem intercludebant: ait enim: *Domine da mihi hanc aquam*: ſitientis vero neceſſitas morſum non leuabat. Proh humani cordis technas! in appetitionum fauorem lex ſilet, in virtutum patrocinium Samaritidi obſtrepit. Notauit Chryſoſtomus apud

Chryſoſt. Auguſt. D. Thomam: *Intuere qualiter mulier inquiſitiua erat.* Adſtipulatur ibi Auguſtinus: *Mirata eſt, quia Iudæus petebat ab ea bibere.* Demiratur aquam efflagitari, quando lege exiſtimat inhiberi, pudicitiæ verò non ſtudet lege inſtigante, & conſcientia præmonente: profuſæ voluptatis inuolat ad delirium, ne ſitienti Hebræo aquam exhibeat, veretur legis mandatum.

§. LV.

Iuſtis ac pauperibus benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere.

234. Eleemoſyna quodammodò eſt ſanctitatis reſtitutio, ablutio criminum, & expulſio calamitatum: *Sicut lauacro aquæ ſalutaris,* inquit Cyprianus lib. de opere & eleemoſynis, *gehennæ ignis extinguitur; ita eleemoſynis, atque operibus iuſtis delictorum flamma ſopitur; & quia ſemel in baptiſmo remiſſio peccatorum datur, aſſidua & iugis operatio baptiſmi inſtar imitata Dei rurſus indulgentiam largitur.* Quia Baptiſmi aqua ad peccatorum abolitionem ſemel tantum exhibenda erat, oportebat eleemoſynam Baptiſmatis quodammodò vicariam conſtitui, qua & diuina miſericordia impetraretur, obtineretur indulgentia, & diaboli præpediretur malitia. Profectò Simon Magus, ni peruerſa lucri cupiditate deprauaſſet intentionem, attrahendi Spiritus ſancti miram adinuenerat artem, dum pauperibus copioſam pecuniam obtulit: lucratus fuiſſet ſpiritum, ſi oblata pauperibus eleemoſyna turpe non ſuſpiraret commercium: *Cùm vidiſſet Simon Magus, quia per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam dicens: Date & mihi hanc poteſtatem.* Actor. 8. v. 18.

Cyprian. Eleemoſyna quodammodo eſt peccatoris Baptiſmus.

Pecuniam obtulit, vt acciperet ſpiritum; non tamen vt haberet, ſed venderet; & quidem, ni venditare diſcuperet, eleemoſynæ aucupio columbam traheret. Ita Tertullianus libro de idololatria cap. 9. *Vt ſcilicet inter miracula profeſſionis ſuæ etiam Spiritum Sanctum per manuum impoſitionem enundinaret.* Tertul. Profectò optimum medium delegerat, niſi auaritia adulteraſſet, & auri ſiti corrupiſſet; aſt quia auarus homo non tam ſpiritualibus incrementis, quàm humanis inhiabat lucris, iram meruit, & quod deſiderabat, amiſit. Verùm vt honeſte auri ſiti adulemur, age, & eleemoſynam laudabiliter erogatam eſſe ſcaturiginem diuitiarum oſtende. Eleemoſynam ad augendas diuitias honeſtum eſſe fœnus, laudabile lucrum, & non fallax artificium, caput hoc probat. Deuenerat Leuita pauper in Michæ domum, ille hoſpitio recepit pauperem, humanè fouit, & iam adauctas ſibi diuitias, & commoditates perſenſit: *Nunc ſcio quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Hebraica. In Hebræo eſt: *Scio quòd benefaciet mihi Deus.* Senſit eleemoſynam ad inſtar fermenti diuitias incrementaſſe, & magnis prouentibus adauxiſſe. Huc voco Ambroſium 2. officior. cap. 16. *Quò plus te operari* Ambroſ. *viderit populus, magis diliget: ſcio pleroſque Sacerdotes, quò plus contulerunt, plus abundaſſe: quoniam quicumque operarium videt, ipſi confert, quod ille ſuo officio diſpenſet, ſecurus quod ad pauperem ſua perueniat miſericordia.* Hîc Ambroſius, vt ex contextu liquet, vocem illam *operari*, pro eleemoſynam accipit dilargiri. Ergo ait experientia fuiſſe comprobatum ad diuitias augendas ſortiri eleemoſynam opportunæ pluuiæ pro incrementandis frugibus qualitatem: nam vt tempeſtiuo rigatu fructus grata floriditate vireſcunt, vt ad maturitatem & ſaporem condiantur, ſic eleemoſynæ fertili vnda & ſalus ſtabilitur, & ſubſtantia temporalis augetur: quidquid pauperibus contuleris, honeſto fœnore redibit adauctum, & ſecum diuitiarum afferet cumulum.

Vt Hebræos diuitiarum copiis nobilitaret, vt 235.
frumenti adipe enutriret, vtque petram duriſſimam in ſcaturiginem mellis verteret, legem edidit de egenis & pauperibus miſericordia impendenda: *Cibauit eos,* inquit Pſaltes, *ex adipe frumenti, & de petra melle ſaturauit eos.* Pſal. 80. v. 17. Et quomodo ab ipſa duritie mel fluxit, & frumenti adipibus exundauit? Audi à Leuitici 19. capite: *Cùm meſſueris ſegetes terræ tuæ, non tondebis vſque ad ſolum ſuperficiem terræ, nec remanentes ſpicas colliges.* Leuit. 19. v. 9. *Neque in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis; ſed pauperibus & peregrinis carpenda dimittes.* Aliqua relinquere iuſſit, quæ veluti iacta ſemina vberes fructus parturirant, ac nouarum frugum copiam afferrent: ſpica pauperibus relicta erat ſine arationis labore fœcundum ſemen, ex quo meſſium pullularet iterum abundantia, & honeſtiſſima redirent ad Dominum fœnora. Notauit Philo lib. de charit. *Vetat colligi ſpicas prolapſas ex manipulis, vetat & totam ſegetem demeti, vt agelli pars à falce relinquatur intacta, ſimul diuitibus conſulens,* Philo. *vt aſſueſcant ſua communicare liberaliter, non omnia congerendo in penuria, ſimul pauperibus afferens ſolatium.* Expende illud: *Diuitibus conſulens*: quaſi opportunior ſit ad incrementandas

mentandas

Digitized by Google

mentandas diuitias exhibita pauperibus eleemoſyna, quàm grana fundis aratro proſciſſis commiſſa: granum namque terræ commendatum multis indiget, vt in cumulum ſurgat, & ſerenti tributum ſoluat, ſcilicet tempeſtiuis ventorum flatibus, benignis ſtellarum influxibus, opportunis pluuiarum imbribus, & temperatis Solis ardoribus; at eleemoſyna, cùm Deum ſibi debitorem habeat, omnem temporum intemperiem fruſtratur, & miſericordia miſericordiam nanciſcitur.

236. Cùm audio Zachæum eleemoſynarum fontem, audio etiam prædiuitem: *Ipſe diues*: nec ſolùm diuitiis fulget; ſed honeſtis videndi Chriſtum (Lucæ 19. v. 2.) deſideriis inardeſcit: *Et quærebat videre Ieſum.* Non eſt fraudatus facultatibus, & eximiis reſplenduit etiã virtutibus. Et vnde Zachæo adeò cumulata felicitas? Ipſe retulit: *Ecce dimidium bonorum meorum Domine, do pauperibus.* Pauperum auxilium temporum euincebat infortunia, & Zachæo honeſta parturiebat augmenta quibus reſplenderet copioſus, & cæleſtibus deſideriis nobilitatus. En Chriſtum ſuſcipit, & inter Abrahæ filios cooptatur, en ſalutem à Domino adipiſcitur, dum miſericors refertur: *Hodie ſalus domui huic facta eſt, eo quòd & ipſe filius ſit Abrahæ.* Quanta, & quàm honeſta fœnora ab eleemoſynis promanarunt! Diues fulſit, filius Abrahami reſplenduit, & domui toti ſalutem obtinuit. Notauit (Chryſol.) Chryſologus ſerm. 54. *Suſcepit illum gaudens: gaudet quia ſuſcipit ſuſceptorem ſuum: quia paſtorem ſuum paſcit: quia reus iudicem ſuffragio humanitatis inclinat, quia cibi & potus fœnore debitorem ſuum ſibi facit, & acquirit, & ſic fit vt quæſtum non perdat Publicanus iſte; ſed mutet.* Non amiſit quæſtum; ſed delictum, vt iam vndequaque beatus diuitias virtutibus annecteret, & facultates virtutibus ſuperadderet.

237. Petrum video obnoctantem, & piſcationi incumbentem, non tamen è mari lucrum aliquod (Lucæ 5. v. 5.) defatigatione captantem: *Per totam noctem laborantes nihil cepimus.* Quid tunc? Chriſtum pauperem comiter nauigio excipit, vt è terra reduxerit, adlaborat, & ob exiguum laborem ampliſſimam accipit mercedem: *Impleuerunt*, inquit, *ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur*: à miſericordia promanauit copioſa expiſcatio, non à laborioſa induſtria: nec ſolùm Petrus per miſericordiam piſcium lucratus eſt multitudinem; ſed miſericors & ſocrui impetrauit ſanitatem: *Surgens* (Lucæ 4. v. 3.) *Ieſus de Synagoga introiuit in domum Simonis: ſocrus autem Simonis tenebatur magnis febribus, & rogauerunt illum pro ea, & ſtans ſuper illam imperauit febri, & dimiſit illam.* Miſericordia diuitiarum & ſalutis fuit copioſa vena, piſcibus nauis repletur, & ægrotanti ſalus acquiritur: ad inſtar aquæ reſtinxit febrium ardorem, ad inſtar retis ingentem piſcium miſericordia attulit multitudinem. Qui anteà ſibi non habuit, Chriſtum intra nauim recipiens, quod aliis impertiretur, obtinuit: *Apud Petrum hoſpitio excipitur*, inquit (Theophyl.) Theophylactus ad Lucæ 4. *& ſanat eius ſocrum, vt & te inſtruat, ne reiicias pauperum modeſtiam & ſtudium.* Exceptus hoſpitio pauper, benignéque habitus ſecum attulit ſalutem, in medicos reſtituit eroganda, & febrium reſtinxit incendia. Adde eleemoſynam diabolicarum virium eſſe quodammodò excidium, & ſi fas eſt dicere, indignationi diuinæ obſtaculum: eleemoſyna inſtar caduceatoris eloquentiſſimi pacem concordiamque ſtabilit, & proſperitatem affert. Probemus vtrumque.

238. Ioſuë 11. prædicit Deus aduerſariorum validos equos ſubneruandos, & currus in cineres redigendos: (Ioſuë 11. v. 6.) *Equos eorum ſubneruabis, & currus igne combures.* Quo ferro ſubneruandi equi fuerint, Explicat Tilman. in allegor. ad Iudith 13. (Tilman.) *Subneruantur per eleemoſynam.* Ecce eleemoſyna falcatis dæmonum curribus pro ardentiſſimis flammis eſt, pro acutiſſimo chalybe ad ferocientes equos ſubneruandos, & eorum impetus repellendos: obarmat quidem dæmon varios tentationum equos, militares producit in campum contra virtutem falcatos currus; verùm obuians eleemoſyna, & currus redigit in fauillam, & eneruatis equis retundit audaciam. Imò, ne ſolùm ad dæmonum adſultus repellendos arctauerimus miſericordiam, ſcito Ioſuë tuliſſe per miſericordiam de hoſtibus prædam, & reportaſſe victoriam. Currus hoſtiles aduſſit, aduerſariorum equos ſubneruauit, vt placet Tilmano, miſericordiæ ferro, eleemoſynæque artificio.

239. Chriſtus Dominus apud Lucam conſulit miſſa legatione pacem deprecari, ſi venienti regi impetendus nequeat reſiſtere: (Lucæ 14. v. 32.) *Adhuc illo longè agente legationem mittens rogat ea, quæ pacis ſunt.* Pacem obtinet prouidus, qui nequibat pugnare inualidus: iam ſi quem caduceatorem ad pacem impetrandam miſerit, roges: reſpondebit D. Gregorius homil. 37. in Euangelia, eleemoſynam delegaſſe: ipſum audi: (Gregor.) *Speranda ſalutis remedium confert: quia qui per iram non poteſt ferri, per poſtulata pacis vult legationem placari.* Præmiſerat: *Cùm adhuc longè eſt rex, legationem mittat lachrymarum, eleemoſynarum, hoſtiarum munera offerat: vult enim placari precibus, qui ſcit, quia portari non poſſit iratus.* Pauperum miſericordiis diuinam iram edocet demulceri, & pacem eleemoſynis impetrari, quo eius protegaris armis, & arméris ſubſidiis.

§. LVI.

Inauſpicata eſt, ſi contingat peccatori fortuna, auſpicatior, ſi diuexarit miſeria.

240. Pietate plenum eſt cæcutientem aduerſitatum collyrio perſanare, & dolorum vinculis, ne in præceps prorſus ruerit, detinere: malè ſibi ominatur criminum ſordibus infectus, & ridenti fortunâ vſus: vt è contrà felix eſt, qui per captiuitatem ad dignitatis peruenit faſtigium, & per dolores ad lætitiæ, & ſanitatis augmentum: exteros à Romanis iure captiuos 12. variar. 9. deprædicabat Caſſiodorus rationabiliter fortunatos, quandoquidem & Romana ciuitate perfruebantur Afrorum priuilegiis donati, & nobilium cœtui inſerti: ipſum audi: (Caſſiodor.) *Miſeratione paſtus nunc paſcat & alios: felix illi contigit, & prædicanda captiuitas, Romana ciuitate perfrui, & Afrorum priuilegiis potuiſſe miſceri.* Vt ſæpè per plana deuenitur ad prærupta, ſic per prærupta inuolatur ad plana calamitas vtilis eſt, ſi mentem reluminet: infelix eſt fortuna, ſi voluptatum foueat ſtudium, & erroris perduxerit ad augmentum: *Quis magnus*, aiebat Plutarchus oratione de fortuna Alexandri (Plutarch.) *in poteſtate ſtolidus & flagitioſus? Detrahe felici virtutem, iam vndequaque paruus fuerit,* in

in beneficiis collocandis ob ſordes, in laboribus ob mollitiam, apud Deos ob ſuperſtitionem, apud bonos ob inuidiam, inter viros ob ignauiam, inter mulieres ob libidinem. Subdit rationem Philoſophus: *Nam quomodo imperiti artifices baſes ingentes puſillis ſimulacris ſubiiciendo produnt eorum humilitatem: proinde fortuna, quando ingenitum humile in locum amplum, & ſplendidum euehit, arguit magis, & maculas oſtendentem, & fluctuantem ex leuitate.* Fortuna ſine virtute præcipitium eſt, ſub perſonata felicitate latet durior calamitas, & irreparabilis ſæpè infelicitas. En Michas, quo plus ſe peccatorum ſordibus inquinabat, eò fortunatiorem ſentiebat: *Nunc ſcio quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* In Hebræo habetur: *Nunc ſcio quòd benefecit mihi Deus.* Habebat Sacerdotem Leuitici generis; ſed vt religionem violaret, vt idololatriæ errorem foueret: ergo dum delictis ſcatens bonis exuberat copiſior, lachrymis ſe irremediabilibus poterat deflere miſerior: omnia illis ſimul defuerunt, theraphim, ephod, idolum, Sacerdos, & ingemuit acri
Iudic. 18. v. 20. dolore perculſus, & meritò diſpoliatus: *Tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis: qui cùm pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos ac iumenta, & omne quod erat pretioſum, & iam à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes ſecuti ſunt.* In clamorem deſiuit felicitas, in miſeriam fortuna, in gemitus gaudium: felicior eſſet infortunatus, infelix fuit opulentus. *Nefaria ea omnia erant*,
Montan. ſcribit Arias Montanus, *quæ à Micha toto hoc in conſilio & facto admiſſa fuerant: eadem nunc falſa ſpecie ſanctitatis Deo cum primis grata, & rata, & ſibi, hominibuſque commoda probare ſtudet.* En Michas de fortunæ incrementis ſceleſtum approbat piaculum, & deluſus peccaſſe ſibi gratificatur, & ridenti fortuna illuditur: adeò abeſt ab erroris pœnitudine auro copioſus, vt errorem proſequatur grauiſſima cæcitate poſſeſſus. O quàm illi commodum fuiſſet flagellis cœlitus immiſſis corripi, ne poſteà ſummè infelix & miſerandus doleret: vna eademque die lachrymarum ingemuit copia, & auolauit nunquam reditura fortuna.

241. Ioſephi fratres fame adducti in Ægyptum deuenerunt, vtque eos frater agnouit, pia indigna-
Geneſ. 42. v. 17. tione perculit: *Tradidit illos cuſtodiæ tribus diebus*: hìc iam reluminatis oculis peccatum ſuum confitentur, & dolentes vulnus medicantur: *Locuti ſunt ad inuicem: Meritò hæc patimur: quia peccauimus in fratrem noſtrum.* Feliciora profectò fuerunt illis vincula, quàm ob iniquum contractum diuitiarum crementa: aucti ſunt pecuniis Ioſephum pro notho venditantes, cùm arrideret fortuna, perpetrati ſceleris non ſunt perculſi memoriâ; at dum timor viget, dum rigor premit, fatentur culpam, & Ioſephi merentur gratiam.
Tertullian. Huc voco Tertullianum de patientia capite 15. *Humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim adſignat; carnem regit, ſpiritum ſeruat.* Vbi fratres per patientiam eruditi ſunt, ad agnitionem criminis deuenerunt, & ſaluberrimis lachrymis culpam deplorarunt. Longiùs à Ioſepho diſtabant fortunati, proximiores erant vinculis compediti: quem à ſe depulerant inuidentia turgentes, & pecuniis inhiantes inuenerunt afflicti, & compedum ponderibus diuexati.

242. Peccarant duo Pharaonis eunuchi, cúmque viſa ſomnia Ioſepho retuliſſent diſſimillimos prædixit euentus: vidit alter in manu ſua calicem, alter opiparos, & omni arte conditos cibos: tunc Ioſephus calicem habenti ait, *Recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Geneſ. 40. v. 13. Deliciarum copia exundanti infauſta prænuntiat: *Auferet Pharao caput tuum, ac ſuſpendet te in cruce.* Coniectoris veritatem celeriter probauit euentus; ſed vnde tam diuerſa coniecerit, inquirere eſt animus: ſi ſomnia adeò ſimilia, ſi eadem vinculorum eſt cauſa nempè peccaſſe, cur alteri fauſta, & alteri denuntiat acerba? Quia in calice relucebat anguſtia, in caniſtris opulentia, & peccantis frequenter eſt infortunata fortuna, fortunata miſeria: peccarat vterque: ait enim textus: *Accidit, vt peccarent*: ergo dum peccator dulciſonis auium concentibus demulcetur, dum deliciis ad ſatietatem vtitur, ſibi ominatur peſſimè, vt è contrà qui afflictionibus attritus, fauſtè: ergo Ioſephus cæleſtis coniector, vbi vidit peccatis ſordidatum, bonorum affluentia copioſum, non indubiè coniectauit graue infortunium: vt etiam cum peccatorem vidit paſſionis calice diuexatum, coniecit amiſſæ dignitati reſtituendum. Itaque euentus oſtendit fortunatiorem peccatoris eſſe calamitatem, & fortunam infelicem. Huc refero Tertullianum iam datum: Tertull. *Cùm Spiritus Dei deſcendit, indiuidua patientia comitatur eum, ſi nos cum ſpiritu admiſerimus, in nobis morabitur ſemper; imò neſcio an diutiùs perſeueret ſine ſua comite ac miniſtra.* Vbi Ioſephus conſpicatus eſt patientiam gratiæ, & ſpiritus miniſtram, coniecit gratiæ pincernam reſtituendum; vbi diuitiarum conſpicatus eſt abundantiam, piſtorem prænuntiauit mulctandum, nil enim peccatori infeliciùs, quàm aduerſitate ad reſipiſcentiam non erudiri, & felicitate ad vlterius delinquendum quodammodò impelli. Adſtipulatur Hugo Cardin. *Calicem in manu habet, qui Christi paſſionem habet in ore. Canticorum S. Manus meæ diſtillauerunt myrrham.* Hugo. Myrrha adduxit gratiam, & qui remotus à calice, longè fuit à gratiæ reſtauratione. O fortunatum calicem, per quem deuenitur ad thronum! O infelix deliciarum caniſtrum, per quod tenditur ad ſupplicium! Patientiam præmittit Spiritus, cùm vult in nobis inhabitare, & ſordes peccatorum abſtergere.

Dum ſeuera falx ramos illius protenſæ ac ſuperbientis arboris præcidit, dum folia excuſſit, dum 243.
fructibus viduauit, cœlum intuetur Nabucho, qui floridus, & fructibus ſapotatis onuſtus ſopore iacebat ſepultus, & cæleſtium obliuione prægrauatus: Daniel 4. v. 1. *Quietus eram in domo mea, & florens in palatio meo. Somnium vidi, quod perterruit me.* Securis, dum repetitis ictibus ferit, oculos ſomno immerſos ad depellendas tenebras quodammodò cogit, & calamitate diuexatus leuauit Nabucho oculos, quos depreſſerat floribus redimitus: felix catena, quæ de bruto in hominem tranſtulit: infortunata floriditas, quæ de homine brutum reddidit. Totum hunc paragraphum debeamus Septimio: *Ille rex Babylonius*, inquit lib. de patientia cap. 13. *Offenſo Domino cum ſqualore, & pædore ſeptenni ab humana forma exulaſſet, immolatâ patientiâ corporis ſui, & regnum recuperauit, & quod optabilius homini eſt, ſatis Deo fecit.* Tertullian. Peccator florens, & fructibus prædiues regno mulctatus eſt, exul Deo ſatisfecit, & regnum recuperauit.

§. LVII.

§. LVII.

Nulli conſtabit, qui à virtute, & religione defecit.

244. HOmo verſipelle animal eſt; tam multiplices ſortitur vultus, vt vel aquilinus confundatur aſpectus: aliquando cui plus fidebas, experieris infidelem, & à quo indubiè ſperabas commodum, promanabit detrimentum: ob id rationabili admonitione cautelam armat propheta: *Maledictus homo, qui confidit in homine.* (Ierem. 17. v. 5.) Non ſolùm criminis retulit pœnam; ſed confidentiam denuntiauit fruſtrandam: ſuper arundineum baculum innixus, dum facillimè frangitur, non ſolùm auxilio corruit deſtitutus; ſed vulneratus: & quidem homo arundinis ſortitur ingenium, pro fortunæ adſpiratione inclinatur, & in contrariam partem citiſſimè vertitur: *Nullum animal*, aiebat Seneca lib. 1. de clementiâ cap. 17. (Seneca.) *moroſius eſt, nullum maiore arte tractandum, quàm homo.* Verùm etſi hoc in commune ſit certum, certiùs tamen eſt de homine à religione deficiente, & ad vitiorum caſtra inuolante: (Homo arte prouida tractandus eſt.) hic námque etſi ad ſpeciem inſeruiat officioſus, plagam ingeret fraudulentus. Michas Leuitæ à religione deficienti confidens, etſi aliquando cum illo omnia bona vbertim ad ſe confluxiſſe deluſus exiſtimarit: *Benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Non multò pòſt ſe deluſum ingemuit: nam Leuita, qui à religione deſciuerat, & ad idolorum tranſierat caſtra, eum bonis omnibus diſpoliauit, & ſe Danitis adiunxit: *Tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.* (Iudic. 18. v. 20.) Michas lachrymis exundans ab illo ipſo, cui ſe crediderat, & filij ad inſtar tractarat, queritur diſpoliatus, & illuſus. Notauit Theodoret. apud gloſſam ad Iudicum 17. *Vir iſte contrà legem fecit: fuit etiam ingratus in eum, qui ipſum coluerat: nam fraude acceptis inſtrumentis ſecutus eſt eos, qui erant ex tribu Dan.* (Theodor.) Qui idololatra, fuit etiam ingratus, & benefactori infidus: nec enim aliud ſperari poterat ab homine ſibi ipſi deficienti, & virtutibus aduerſanti.

245. Oſeas multiplicata idolorum teſtatur altaria: *Vitis frondoſa Iſraël, fructus adæquatus eſt ei: ſecundum multitudinem fructus ſui multiplicauit altaria, iuxta vbertatem terræ ſuæ exuberauit ſimulacris.* (Oſeæ 10. v. 1.) A vera religione deficientes iam hinc idolo ſtruxerunt altare, iam alij: dum vberiori, pinguiorique vti ſibi promittebant tellure: Sacerdos vno derelicto ad idolum tranſibat aliud, ſecutus commodum, & oblitus officium: quia ob vtilitatem iam huic, iam illi inſeruiebat, ſtatim ac alibi maior apparebat vtilitas, ad aliud ſe conferebat idolum exoculata infidelitas. Ita Theodoretus ad hunc locum. *Ne erga ea quidem ſtudium, & amorem ſeruauerunt; ſed nunc hoc, nunc illud idolum coluerunt.* (Theodoret.) A religione deficientes in idolis ſequebantur cupiditatem, & relicto, cui priùs ſe dicauerant, ad contrariam, ſi plus promittebat, partem tranſibant. Quàm alij ſunt virtutis & religionis cultores! vel alliciente voluptate, vel malè ſuadente timore, pro veritate ſtant, officium benemeritis rependentes, & omnem ab eis iniuriarum vmbram propulſantes. Habes Ioſephum huius veritatis teſtem.

246. A Domino ſeruis cæteris præfectus, & benignè habitus ei reuerenter præſtabat famulatum, non abuſus beneuolentiâ ad ignauiam; ſed ad ſtudioſiorem ſolertiam; verùm cum mira corporis habitudine excelleret, & pulchritudinis venuſtate micaret, Dominæ oculos in ſe traxit, quæ amore ſaucia, vt iuuenis conſtantiam euerteret, promiſſionum impetiuit oſcillis, adulationúmque machinis: Ioſephus verò quaſi ſtet Marpeſia cautes, conſtitit, & ſurdis protsùs auribus adulationes repudiauit: *Recuſabat ſtuprum.* (Geneſ. 39. v. 10.) Quàm ſecurus erat Domini honor apud Ioſephum! ab ipſo Domino elegit premi, ne iniuria benefactorem afficeret. Ita Philo Hebræus lib. de Ioſeph: *Capta adoleſcentis pulchritudine, & affectu indomito rabida de ſtupro eum tentauit repugnantem validè, ac ne audire quidem tale quicquam ſuſtinentem propter innatam ſibi, & continua meditatione confirmatam honeſtatem ac temperantiam.* (Philo.) Iacob iniuriam paſſus eſt à filio, Putiphar non eſt percuſſus à ſeruo: fuit ille patri iniurius ob deprauatos mores, iſte coluit Dominum ob innatas, & meditatione radicatas altè virtutes. Profectò qui vitiis ſordidos in obſequium, vel in amicitiam admittunt, ſibi ipſis imponunt, quandoquidem experientur fœdifragos, voluptatum ſectatores, diuitiarum erunt rapaces; at concinnis moribus exornati ab omni delicti ſpecie abſtinentes inoffensè præſtabunt officium, exercebúntque miniſterium.

247. Cùm ad alimenta ſibi comparanda opus eſſet Iacobi filiis Benjaminum ſecum ducere, pater tenero eius amore ſaucius detinebat: Ruben, vt dimittendum patri ſuaderet, ſic ait: *Duos filios meos interfice, ſi non reduxero illum tibi*; (Geneſ. 42. v. 37.) verùm paret prudentiſſimus. *Non deſcendet*, inquit, *filius meus vobiſcum*: ſed cùm durior vrgeret fames, ſic ad patrem Iudas: *Ego ſuſcipio puerum, de manu mea require illum, niſi reduxero, & reddidero eum tibi, ero peccati reus.* (Geneſ. 43. v. 9.) Iudæ ſenex tradidit; Ruben committere renuit: *Si ſic neceſſe eſt, facite, quod vultis.* Quærunt Sacri Interpretes cur Ruben diffidat, & Iudæ dilectum ſibi puerulum tradat: reſpondéntque ex vtriúſque benedictione rationem colligendam: *Effuſus es ſicut aqua, non creſcas*, aiebat de Ruben loquens: *quia aſcendiſti cubile patris tui, & maculaſti ſtratum eius*; de Iuda è contrà: *Ligans ad vineam pullum ſuum.* (Geneſ. 49. v. 34.) Ruben naturæ leges tranſgreſſus eſt libidinis œſtro agitatus, virtuti vixit honeſtis vinculis compeditus: ergo prouidentiſſimus ſenex ab ſceleſtato nil ſibi bonum credit, modeſto fidit, vt noſcamus quàm ſit fallax voluptati, crimínique inſeruientium fides, quàm ſecura virtutibus ſtudentium promiſſio: *Per Iacob patriarcham*, inquit gloſſa moralis, *Deus conuenienter poteſt intelligi; per Ruben autem primogenitum primus Angelus*: (Gloſſa.) ab apoſtatæ imagine ſibi cauit, & Iudæ credidit; ſed ne allegoriis vtamur, accipe Lyram ad Geneſ. 43. *Hic deſcribitur patris conceſſio: vidit enim quòd Iudas rationabiliter loquebatur: ideò aſſenſit.* (Lyra.) A virtute deficientem extimuit, à rationis ductum ſequenti ſperauit. Adde iuſtos fidem datam vel fraudulentis ſeruare, peſſimos vel ſolicitè aſſeruantibus ingratiſſimos dolos ſtruere.

248. Cùm Gabaonitis ipſum ſanè dolo decipientibus incolumitatem Ioſuè promiſiſſet, & confœderati hoſtes illos delere tentarent, ad eorum defenſionem in campum prodiit, & obuerſantibus regibus obuiauit: *Fecit Ioſue cum eis pacem.* (Ioſue 9. v. 15.) Non ſolùm acriter dimicauit, ſed ſtitit aſtra, vt Gabaonitæ

Digitized by Google

nitæ potirentur victoriâ. Tranſi modò ad Ceilitas, quos à grauiſſimo appetenti diſcrimine Dauid eripuit, videbíſque dolos in ipſum molientes: 1. Reg. 23. v. 5. *Abiit Dauid & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos, & abegit iumenta eorum, & percuſſit eos plaga magna, & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.* Putares Ceilitas magnis adeò beneficiis obſtrictos gratitudinem ſuam erga Dauidem commendaturos; Ioſuë verò deceptum pro Gabaonitis non pugnaturum; verùm Ioſuë, ne datam violarit fidem Solem retardat, & ni Dauid matura fugâ ſe ſubripuiſſet, à Ceilitis petitet traditus, & hoſti proditus: *Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceilæ, & viros qui ſunt mecum, in manu Saül? Et dixit Dominus: Tradent.* Quàm aliter ſe geſſerunt Ceilitæ, & Ioſuë: hic vel doloſè deceptus maluit quid vtilitati detrahere, quàm datæ fidei aliquam iniuriam inferre: illi vrgentiſſimo diſcrimine liberati ſummâ ingratitudine ſunt polluti: nec mirum cùm à religione diſcedentes adumbrarint, & criminibus infectos expreſſerint: ita Rabbanus apud gloſſam: Rabban. *Viri Ceilæ ingrati beneficiis Dauid, quos de manibus Philiſthinorum liberauit, Iudæorum infidelitatem ſignificant, & & inconſtantiam, qui redemptori ſuo ingrati apud ſæculi poteſtates inſidiantur.* Peccator ſuis ſolùm vtilitatibus conſulit, æquitati iuſtus inſeruit: ergo ab illo nihil ſperandum, & ab hoc nihil verendum.

§. LVIII.

Sacerdos preces, hoſtiáſque offerens eſt temporalis vtilitatis fæcunda vena, & ſalutis cuſtodia.

249. Sacerdos pro omnibus electus omnium vtilitati eſt proficuus, & quidem dum luci comparatur teſtante Domino: Matth. 5. v. 14. *Vos eſtis lux mundi*; dum ſalis exhibet ingenium, & vitam reparat, & ſalutem: lux viget ad opera, diſcutit tenebras exterminat inertiam, ſomnolentiam fugat: *Vos eſtis lux mundi*: ergo omnes in Sacerdote commoda agnouerint lucis, quo Sacerdos legis agnoſcatur cuſtodia, diabolici furoris frænum, miſerorúmque patrocinium. Nec Sacerdos lucis ſolum ſortitur elogium; ſed & Angeli officium, aſſerente Malachia: Malach. 2. v. 3. *Angelus Domini exercituum eſt.* Ergo dum Angeli ſortitus munus homines cuſtodit, Dæmones abigit. Audi quas Tobias ab Angelo vtilitates perceperit: Tobiæ 12. v. 3. *Me duxit, & reduxit ſanum, pecuniam à Gabello ipſe recepit, vxorem ipſe me habere fecit, & Dæmonium ab ea ipſe compeſcuit, gaudium parentibus eius fecit, me ipſum à deuoratione piſcis eripuit, te quoque videre fecit lumen cœli, & bonis omnibus per eum repleti ſumus.* Tot ab Angelo commoda promanarunt: ergo tot à Sacerdote fluant, vt dignitatem actionibus compleat, & inuerecundè gerat. Adeſt Gregor. homil. 6. in Euang. Greg. *Huius altitudinem nominis etiam vos, ſi vultis, poteſtis mereri: nam vnuſquiſque veſtrum in quantum ſufficit, in quantum gratiam ſupernæ aſpirationis accepit, ſi à prauitate proximum reuocat, ſi exhortari ad benè operandum curat, ſi æternum regnum vel ſupplicium erranti denuntiat, cùm ſanctæ denuntiationis verba impendit, profectò Angelus exiſtit.* Sacerdos eſt viſibilis Angelus per cuius orationes, & ſacrificia magna cunctis promanare noſcuntur commoda, & magna vrgere Dæmones detrimenta. Teſtatur expertus Michas, qui Aaronicæ tribus Sacerdotem ſortitus ita ſibi gratulatur: *Nunc ſcio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Vbi Sacerdotem pro ſe ſtare vidit, futuras ſibi non modicas vtilitates coniecit: Sacerdos námque eſt populi profugium, Dæmonum tormentum, ægritudinum myrothecium, & ad impetranda cœleſtia auxilium. Adeſt Arias Montanus: Montan. *Rectum conſilium iniiſſe ex eo oſtendere velit quod opportuno propoſiti ſui miniſtro non quæſito; ſed vltrò adducto & oblato fuerit à Deo donatus, & auctus.* Rebatur Michas bonorum ſibi copiam adaugendam, vt qui Sacerdotem pro ipſo hoſtias & ſupplicationes offerentem habebat: & quidem quod ille cæco errore, Chriſtianus populus experitur certiſſima veritate: Sacerdos námque immaculatas hoſtias offerens eſt populo contra hoſtes propugnaculum, & contrà temporales neceſſitates auxilium. Confirmemus Sacræ Scripturæ locis vtrúmque.

250. Cùm filij Iſraël in Maſphat conueniſſent, Satrapæ Philiſthinorum aſcenderunt opportunam ſibi prædam ſperantes, & indubiam fore victoriam ſibi promittentes; verùm ipſa ſpoliorum cupiditate obcæcati inidoneo ſatis ſibi tempore prælium inierunt: tunc námque Samuël pro Iſraëlitis ſacrificium offerebat: ergo ſacer ſacrificij vapor ad inſtar armatæ nubis fulmina inimicos contorſit, & ab Iſraëlitarum facie exterritos profligauit: 1 Reg. 7. v. 10. *Cùm Samuël offerret holocauſtum, Philiſthiim inire prælium contrà Iſraël: intonuit autem Dominus fragore magno in die illa ſuper Philiſthiim, & exterruit eos, & cæſi ſunt à facie Iſraël.* Sacrificij armis inimicos deuicerunt, & ſine labore, aut periculo profligarunt, vt noſcerent quanta illis ab offerente Sacerdote ſubſidia, quantáque per ipſum trophæa: *Super Philiſthæos Dominus intonat*, inquit Gregor. ſuper Reges ad hunc locum, Gregorius. *quia orantibus Doctoribus, & fidelibus ſubditis diuina gratia robur adminiſtrat.* Robur adminiſtratur, dum ſacrificium offertur, & qui ſine victimis caderent, victimarum auxilio deuicerunt.

251. Cùm reges amico fœdere copulati aciem contrà Moabitas inſtruxiſſent, aquæ penuriâ laborabant, ad Eliſæum neceſſitate cogente accurrunt, qui eis aquam, & victoriam contrà aduerſarios promiſit; ſed dum textus ſacrificij tempore effluxiſſe vndas teſtatur, Sacerdotem offerentem fuiſſe veluti indefeſſam aquarum ſcaturiginem profitetur: 4. Reg. 3. v. 20. *Factum eſt mane, quando ſacrificium offerri ſolet, & ecce aquæ veniebant per viam Edom, & repleta eſt terra aquis.* Non alio tempore; ſed dum ſacrificium offerri conſueuerat, vt notum omnibus fuerit holocauſtum in modum nubis torrentes eiaculatum neceſſitatibus occurriſſe, & impenſas largiſſimè compenſaſſe. Adeſt Caiet. Caiet. *Hebraicè habetur quando aſcendit munus, hoc eſt hora qua ſacrificium matutinum offertur Deo, vt intelligamus non ſolùm horam ſcribi; ſed etiam offerebatur in templo, cooperatum eſſe ad hoc miraculum.* Fors, ni Sacerdos tunc ſacrificium offerret, campus nullatenùs copioſis adeò torrentibus exundaret; at vapor ille in nubem coalitus terræ reſtituit ſacrificium, & ſitis exterminauit tormentum.

252. Cùm voraciſſima ignis flamma populum depaſceretur, & iam non exiguam partem voraſſet, Aaron quàm celeriter ſe ornamentis Pontificiis induit,

Digitized by Google

induit, & ignis ardoribus obuiauit: Tunc flamma non ſolùm veſtes ſacerdotales ceſſit reuerita, ſed adorauit ceruice ardoris curuata: *His ceſſit*, in-
Sapient. 18. v. 25. quit Sapiens, *qui exterminabat, & hæc extimuit.*
Impetus ardor corripitur, & ardoris impetus eneruatur. Ita Rabbanus apud Gloſſam. *Vera indu-*
Rabban. *menta veri Pontificis intellexit, & his ceſſit.* Certè Aaron pro ſaluberrimo illo ſerpente fuit: nam vt metallinus ſerpens ignitos ſerpentes incantabat, & viſus ſalutem periclitantibus refundebat; ita nunc Sacerdos, dum Chriſti Domini gerit imaginem, ignem ſopiuit, & retrocedere non ſine myſterio coëgit, vt iam ex tunc agnoſceremus quantam nobis ipſa veritas ſalutem attulerit, quando tantam veritatis vmbra vſtulandis ac perituris populis inſpirauit: mortuis & viuis profuit Aaron, dum vetuit, ne ignis depaſceretur cadauera, ne ſuperſtites priuaret vitâ. Itaque vno eodémque tempore à ſæculo expunctis profuit, & ſalutem viuentibus attulit, vt vtrique ſentirent ſibi à Sacerdote promanare commodum, & oriri beneficium. Aptè ſatis Iſidor. apud gloſſam: *Aaron thuribu-*
Iſidor. *lum accipiens occurrit quaſſationi, & ſtans in medio viuorum, & mortuorum lethalem plagam obiectu ſuo quaſi quidam murus excludit.* Pro muro fuerunt veſtes ſacerdotales pro rote thuribulum; pro vita halitus: iam cohibita receſſit à mortuis flamma, & iam extimuit diuexare viuentes ira. Adde Sacerdotes contactu ſuo naturam redintegrare, & ærumnas calamitatum ſæpè depellere.

253. Cùm Petrus & Ioannes templum peterent, in claudum inciderunt, qui repetitis anxiiſque clamoribus poſtulabat argentum; ſed integritatis accepit ſubſidium. Petrus claudum conſolidando ſimulacrum reſurrectionis excudit, & dum claudum reddidit ſanitati, implet reliquos ſtupore:
Actor 3. v. 6. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni*, aiebat, *ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dexterâ alleuauit eum, & protinus conſolidata ſunt baſes eius & plantæ.* Profectò cui contactus ſuperuacaneus videatur, quandoquidem verbo veluti telo percuſſit
Actor. 5. v. 5. Annaniam, vitâque mulctauit: *Audiens Annanias hæc verba cecidit, & expirauit.* Si verbo deiicit, cur manum adiicit? Etſi ſatis fuit prolatus ſermo, vt inferret mortem, cur ſatis non ſit, vt attulerit claudo ſalutem? Certè ni talis eſſet Petrus, exprompta eſſet quæſtionis enodatio: ruina, quàm ſalus, facilior eſt, & celeriores, expromptioréſque inueniuntur homines ad inferenda nocumenta, quàm ad procuranda ſubſidia: hîc verò Apoſtolus manum extendit, non vt ſalutem differat; ſed vt contactus ſacerdotalis efficaciam oſtendat. Notauit Baſilius Seleucienſis
Baſil. oratione 22. *Emiſit vocem, immiſit tangendi vim, & liberationem à malo imitatione quadam expreſſit.* Vim ad impertiendam ſalutem ſecum deferebat contactus, & quia manus extendebatur ad Domini ſacrificium, extenſa etiam naturæ attulit ſupplementum: vt nouerimus quot nobis per Sacerdotem obueniant vtilitates, quot roborentur ſalutes.

§. LIX.

Suſpirat ardentiſſimè Diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi.

Hominis cor veluti duplici alarum auxilio, ſpe ſcilicet & timore, mouetur: timor 254.
obſequium conſulit, ſpes meditatur officium: quod ſi ſpes, metúſque ceſſarint, & cuncta ſimul ceſſabunt: *Spes nobis proponenda eſt futurorum*, inquit Zeno Veronenſis ſerm. de ſpe, fide, & charit. *ſine qua nec præſentia quidem ipſa ſtare poſſe* Zeno.
perſpicimus. Adeò tolle ſpem, torpet humanitas tota. Humanitatem ſpes fouet, ad laborem erigit, & à quo obtinere præſumit, obſequioſis officiis colit. Nec aliter ſe gerit timor, vbi animum acri pulſatione percellit, in opera vehementer adurget. Ergo vaferrimus Dæmon beneficiorum ſe auctorem, ſuppliciorúmque reputari anhelat artificem, quo, dum ſpes falſa præſumit præmium, nociuum diligenter pendat officium, & dum timor refugit pœnam, amplectatur cæciſſimè inſaniam. Conſtructum à Micha idolum reddebat oracula, ob Leuiticum Sacerdotem ſibi adſcriptum ſe bonorum copiam dilargiturum, Michæ promiſit, vt non ſolùm non retractaret delictum; ſed deteſtabile auidiùs proſequeretur obſequium: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe: Nunc ſcio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Qui Deus? Non certè ille Summus, ac omnium parens: hîc enim, cùm ſuæ perſpicaciæ præuaricator non ſit, iuſtis præmia, & iniuſtis infert ſupplicia: ergo cùm à vero Deo Michas ob adulteratum Sacerdotium nequiuerit ſperare, exiſtimandus eſt idolo confidere. Ita Abulenſis q. 21. *Michas ſecundùm opinionem gentium* Abulenſ.
fortè putauit, quòd iſtud idolum haberet virtutem ad benefaciendum ei, & nocendum: poteſtatem ſe habere dilargiendi præmia, & inferendi ſupplicia idolum illud mentiebatur, id eſt, Dæmon per idolum, quo Michas, dum falſis ſpebus allicitur, pinguioribus victimis ſacrilegas onerauerit aras, & frequentiùs obtulerit victimas: vtque diſplicere refugeret anxiis timoribus irretitus, & ſuppliciorum metu deterritus: *Putauit quòd iſtud idolum haberet virtutem ad benefaciendum ei, & nocendum.* O quot in curia eiuſmodi inueniuntur idola ſpebus fallentia, & timoribus illigantia!

Chriſtum Dominum temerario auſu, imprudentiſſimo adnixu Dæmon aggreditur, & omni 255.
mundiali gloriâ oſtensâ ſe daturum promittit, ſi ei venerationem impendat: *Oſtendit ei omnia re-* Matth 4. v. 9.
gna mundi, & gloriam eorum, & dixit ei: Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me. Quid tunc Dominus? *Vade Sathana: Scriptum eſt enim: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſeruies.* Non ſolùm depulit; ſed Domini mancipium, & quidem viliſſimum declarauit, ne quis dum audit promiſſa, exhibere tentet obſequia: regna mundi oſtendit, & pro arbitrio ſuo dilargiri poſſe audacter iactauit: quia ſi bonorum auctor credatur, iniquiſſimis officiis coletur. Innuit Euthym. hîc: *Manifeſtiùs ait Lucas dixiſſe ei Diabolum: Tibi dabo poteſtatem hanc vniuerſam,* Euthym.
& gloriam eorum: quia mihi tradita eſt, & cuicumque volo, do eam. Affectat dominium, vt captioſum obtendat laqueum, ſpem inflammat cæcutientium

Digitized by Google

cæcutientium, vt ad impiam traxerit adorationem, & quod dolendum eſt, ei à plurimis deteſtabile præſtatur obſequium, quia largiturus putatur aurum: *Hac eſt ſumma delicti*, aiebat Tertull. in Apolog. cap. 17. *nolentium recognoſcere, quem ignorare non poſſunt*. Non poſſunt ignorare bona rem propriam Dei eſſe, inferre ſupplicia, iuſtitiæ opus; verùm adeò ſibi imponunt homines, vt à vitio, quò liberiùs deliquerint, ſperatint, & quò tenaciùs inhæreant, ſuperuacaneè timuerint. Tertull.

256. Geneſ. 49. v.12. *Fiat Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita*, aiebat Iacob, *mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro*. Tempus pro tempore appoſuit, id eſt,erit Dan in via ceraſtes vianti ſeſe opponens, ne recto itinere progrediatur; ſed retro cadens ab inceptis deſiſtat; dum timet fœdis ſquamis feriri, & hiante faucium voragine deuorari. Ceraſten ſe fingit, colubrum ſe ſimulat, vt inani timore ad terminum tendentem impediat. Huc adapto verba eleganti ſtylo à Zenone ſerm. de timore prolata: *Vianti itineri erectus in morſum, ardentibus ſquamis incenſus, tumidus ſeſe anguis opponit, aut dorſa fugientis affectans cadem vicino fremitu, ferina rabies onerare tentauerit*. Ferinam affectat rabiem, horrendè ſibilat, quo retractatis greſſibus, qui rectè incedebat, diffugiat, aut ardentium ſquamarum voluminibus detentus veſtigiis hæreat, nec ad vlteriora gradi præſumat. Itaque incauros ſic decipit, dum poſſe pro libiro inferre pœnam, aut fortunam ſubminiſtrare ſuadet. Zeno.

257. 4. Reg. 1. v.2. Ochozias per cancellos prolapſus grauem infirmitatem contraxit, nec ſine munerum commendatione Beelzebub Accaronitarum Deum, an de infirmitate conualeſceret, conſultum miſit: *Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac*. Idololatræ filius matris errores ebiberat, & dum eius conſilio imprudenter remedium quærit, infirmitatem auget, & mortem etiam accelerat. Elias nuntiis occurrit, &, ne Accaronitarum Deum aliqua frui poteſtate putarint, mortem prædicit, quantumvis conſulendus Deus contrarium ſuadeat: *Numquid non eſt Deus in Iſraël, vt eatis ad conſulendum Beelzebub Deum Accaron? Quamobrem hac dicit Dominus: De lectulo, ſuper quem aſcendiſti, non deſcendes; ſed morte morieris*. Pœnam intulit, quàm Accaronita nequear ſubleuare, vt conſtet nullâ poteſtate fulgere: fuit námque Eliæ curæ fallaces Deos poteſtatem ſibi conſictis oraculis vendicantes exaugurare, & commenta illorum clariſſimè oſtendere: nouerat námque ex hac falſa ſuſpicione, ineptáque fide errores plurimos dimanare, & Dæmonum cultum augeri: *In idolis* inquit Lyra ad hunc locum, *Dæmones dabant reſponſa, Deo permittente propter malitiam recurrentium ad idola, per quam demerebantur, vt in ſuo errore detinerentur*. Dum putat Ochozias Beelzebub mortis vitæque auctorem, & indubium futurorum interpretem, in modum ſupplicis per internuntios adorat, & addendo crimini crimen infandas aras amplis muneribus ditat. Itaque nil adeò eſt perniciosum, ac ſi bonorum, malorumque auctorem creaturam credideris, quandóquidem ſpes metuſque confœderati peſſima conſilia ſuggererent, & te à virtute prorsùs auertent. Lyra.

258. Ægyptij Apim in bouis formam adorabant, vt hoc emblemate & fructus augere, & vitam poſſe abſcindere declararent: bos terram vertit, recipiendis ſeminibus apparat, & aratrum ducens diſponit: taurus ſi quem cornibus impetat, ventilatum diſcerpit, & conculcatum occidit. Ergo dum Api ſuo & occidendi, & diuitias incrementandi poteſtatem deluſi adſcribunt, Ægyptij obſequenter inſeruiunt. Quem errorem dum Hebræi fugiunt, vitulum in Deum inaugurant, & ab eo felicitatem ſperant: *Surgentes manè obtulerunt holocauſta, & hoſtias pacificas*. Cur hoſtias obtulerint; ipſi proferunt, dum clamant: *Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti*. Dum ſe per illum libertatem exiſtimant conſecutos, dum ſperant recto itinere perducendos, ingeniculati adorant, & victimas execrandas miniſtrant. *Vt idolum*, inquit Oleaſter ad hunc locum, *ad ſequentem ducatum allicerent, præcedens beneficium liberationis, in eum referunt*. Deluſi liberatorem putant: ergo nouis erroribus hoſtias offerunt, & promereri eius beneuolentiam exhibitis muneribus geſtiunt. Exod. 32. v.6. Oleaſter.

§. LX.

Ea eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam.

DEi miſericordia in omnes ſufficit: ſic propriæ benignitati ſeſe impendit, vt ſua ſibi ad ſpeciem patientiâ detrahat; verùm iniqui diuinum beneficium in auxilium prauitatis conuertunt, & quia non dubitarunt miſericordem, deſpiciunt, ſi fas eſt dicere, iuſtum: ad miſericordiæ portum timentia vitiorum flatibus bella committentes feliciter ſe peruenturos præſumunt, audaci ſpe naufragij timorem ſopientes, & de præſumpta proſperitate ſibi adulantes. *Omnes præterea*, inquit Tertull. de pœnit. cap. 6. *cunctationis & tergiuerſationis erga pœnitentiam vitium præſumptio intinctionis importat: certi enim indubitatæ veniæ delictorum, medium tempus interim furantur, & & commeatum ſibi faciunt delinquendi; quàm eruditionem non delinquendi*. Itaque cùm delictis iram prouocent, ſibi promittunt veniam, auidiúſque in errores volutantur prolapſi: quia de intinctionis, hoc eſt, aquæ baptiſmalis indulgentia non dubij: *Commeatum ſibi faciunt delinquendi certi indubitatæ veniæ*. Baptiſmatis gratiam in occaſionem delinquendi conuertebant, & quia certi erant intinctos ab omni labe purgari, tempus ſuffurabantur virtuti, & in poſterum baptizari ſibi promittentes, de præſenti vitiis indulgebant, & in patrocinium delinquendi detorquebant veniam intinctis promiſſam, & gratiam renatis dandam. Ex horum grege ſugillandus venit Michas, qui idolum confingens, ædiculam fabricatus beneficia ſibi à Domino promittebat, vel dum deteſtandis criminibus prouocabat: *Nunc ſcio quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem*. Sacerdotem Leuiticum habebat; ſed quem ad idololatriam traxerat, quem à religione remouerat, quem pretio corruperat: vnde ergo beneficia ſperare potuit, dum cæleſtem indignationem deteſtandis criminibus prouocauit? Certè ab inſana præſumptione: *Quomodò poterat Michas intelligere*, ſcribit Abulenſis q.21. *quòd Deus benefaceret ei, cùm ipſe Deum offenderet, faciendo ſacrificia idolo per iſtum Sacerdotem Leuitam*. Offendebat, & offendendo ſperabat: tanta eſt enim delinquendi 259. Tertull. Abulenſ.

Digitized by Google

linquendi prurigo, vt non ſolùm conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut ignorantiam protelet in occaſionem, ſed confingat futuram ſibi miſericordiam, vt intrepidè exercuerit offenſionis audaciam. Medium tempus ſuffuratur Michas, & delinquendi commeatum ſibi facit, promittens ſibi miſericordiam, oblitus iram.

260. Cùm Chriſtus Dominus Bethſaidam intraſſet, ei offerunt cæcum, vt contactu cæcitatem depellens viſum reſtituat: Marci 8. v. 22. *Veniunt Bethſaidam, & adducunt ei cæcum, & rogabant eum, vt illum tangeret.* Intra Bethſaidæ terminos incluſus viſum ſuſpirat, & à Domino caliginem depellendam ſperat; verùm Chriſtus Dominus, vt miſericordiam impenderet, quis tenendus modus edocuit: *Apprehenſa manu cæci eduxit eum extra vicum.* Extra vicum reformauit oculos, reſtituit viſum, perfecit miraculum. Et quidem cùm cæcus iſte nouo ſanatus ſit modo, nos compellit inquirere, cur Dominus traxerit moras, nec ſtatim diſcuſſerit cæcitatem: foras eduxit, quaſi in Bethſaida cæcum curare non poſſit, aut qui vniuerſis contulit viſum loco eguerit ad perficiendum miraculum. Ad quid ergo mora? Quia in Bethſaida, inquit Chryſol. ſerpebat adhuc perfidia: ergo oſtendit inepta præſumptione, non pia ſpe Bethſaidæ ciues exigere beneficium, quibus erat animus perfidiæ non delinquere emporium: perſiſtit perfidus, & ſperat reluminandos oculos, vtque manifeſtiùs probetur cæcus, de ipſa ſpe ſibi procudit caliginem temerarius. Notauit Chryſol. florido acumine ſerm. 176. Chryſol. *Hæc eſt Bethſaida, cuius perfidiam Dominus exprobat dicens: Væ tibi Corozain, væ tibi Bethſaida: quia ſi in Tyro, & Sidone virtutes factæ fuiſſent, quæ in te factæ ſunt, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egiſſent.* Adnectit noſtro inſtituto ſatis opportunè: *Ergo apprehenſa manu eius de domo infidelitatis educit, leuat eum de perfidiæ ſeſſione, vt ante fidem, quàm oculos daret; ante menti quàm corpori redderet ſanitatem.* Deteriore cæcitate caligabat intellectus, quàm oculus, quandoquidem perfidiæ ſeſſione inſiſtens refundendam ſibi ſperabat lucem, & ſpe ipſa non ad pœnitudinis ac doloris vtebatur auxilium, ſed ad iniquæ perſeuerantiæ fomentum: non ſuadebat oculorum deſiderium perfidiam deſeri; imò ſpes oculorum trahebatur ad proſequendum delictum: ergo Dominus miſericordiam impertiturus de perfidiæ ſeſſione leuauit, & extra Bethſaidam conſtituit: quia ibi peccatoris vota altercabantur cum votis, dum perfidiam amat, & lucem nimis audacter ſperat.

261. Pater ille Lunatici Chriſto puerum offert querulus, quòd per diſcipulos non impetrauerit ſanitatem: Marci 9. v. 16. *Attuli filium meum ad te habentem ſpiritum mutum, qui vbicumque eum apprehenderit, allidit eum, & ſpumat, & ſtridet dentibus, & areſcit: & dixi diſcipulis tuis, vt eiicerent illum, & non potuerunt.* Neſcias, an pietatem pulſet, an iniuriam irroget: exaſperando iram, exambit miſericordiam, & ſperat accipere beneficium, largitori inferendo probrum: dum ait diſcipulos non depuliſſe, rectè Chriſti Domini virtutem carpit, eiúſque efficaciam ſugillat, cúmque his querelis Scribarum, ac Phariſæorum blandiatur liuori, curandum repræſentat filium pietati: Chriſtus ingemit, & hominis infidelitatem oſtendit, quò notum fuerit omnibus non tam quærere morbo medelam, quàm medico adſcribere iniuriam, adeóque deſipere, vt inferendo iniuriam ſperarit medelam. *O generatio incredula,* inquit, & iure, quandoquidem eiſdem precibus & miſericordiam arcebat, & poſtulabat. Accipe Chryſologum ſerm. 51. *Iſte non ad Deum venerat, ſed ad magiſtrum venerat, curam non à virtute exigens, ſed ab arte: tarditatem curæ non cauſæ deputans; ſed curanti: impoſſibilitatem diſcipulorum magiſtri imperitiæ aſſignans, Iudaico liuori, inuidia Scribarum talem ſatisfaciens per clamorem.* Chryſol. Clamat miſericordiam interpellans; ſed ipſo clamore non tam miſericordiam allicit, quàm offendit, viréſque infirmitati reſpondit: Si roges, cur filium afferat, reſpódebit, vt precum nummis miſericordiam emerit; verùm nummi erant ſcalpti, obærati, ac doloſitate pleni, quandoquidem eiſdem clamoribus, quibus miſericordiam nititur impetrare, inuenitur lædere: quòd ſalus dilata, queritur, & dum queritur, liuori Scribarum blanditur: itaque diuinum honorem innubilando audet ſibi miſericordiam promittere, & promittendo non deſinit dehoneſtare. *Quàm porrò ineptum,* aiebat Tertull. iam datus, *quàm iniquum pœnitentiam non adimplere, & veniam delictorum ſuſtinere,* Tertullian. *hoc eſt pretium non exhibere, ad mercem manum mittere: hoc enim pretio Dominus veniam addicere inſtituit, hac pœnitentiæ compenſatione redimendam proponit impunitatem. Si ergo qui venditant, prius nummum, quo paciſcuntur, examinant, ne ſcalptus, neve raſus, ne adulter, etiam Dominum credimus pœnitentiæ probationem prius inire, tantam nobis mercem, perennis ſcilicet vitæ, conceſſurum.* Qui ad mercimonium probatam afferimus monetam, Deo ad miſericordiam impetrandam ſcalptam pœnitentiæ offerre non dubitamus pecuniam; imò ipſa culpa negotiari prætendimus miſericordiam incrementantes iniquitatis audaciam.

Hanc adulteratam philoſophiam probatur didiciſſe Zachæus: publicanorum Princeps Adamaticam arborem, fatuam ficum inſcendit, vt inde 262. adſpexerit Dominum: *Præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum.* Lucæ 19. v. 4. Facta altercabantur cum deſideriis: currebat ad obſtacula, & ſibi promittebat viſionis præmia: Deum videre ſperat, cùm per Adamaticæ ficus ſteriles ramos inſcendat. Quid tunc Dominus plus deſiderio tribuens, quàm errori? *Zachæe,* inquit, *feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Opus erat deſcenſu, vt ſuſceperit Chriſtum: nec enim benè conueniunt Adami auſus & Domini aſpectus, & cùm diſcupiat videre, ad ſuperba non deſinit inuolare. Eleganter Chryſol. ſerm. 54. *Deſcende ante Dominum de Adamatica arbore: deſcende vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium Publicani, exactionis crudeliſſimæ principatum.* Chryſol. Hæc grauiſſima onera differebat deponere, & prægrauatus Dominico aſpectu diſcupit frui: ſibi promittebat miſericordiæ præmium, cùm per Adamaticam arborem tendebat ad furtum. Ergo opus fuit hoſpitio Chriſtum recepturo, raptum reſtituere, exuere cupiditatem, & nequiſſimam abominari exactionem: *Deſcende ante Dominum de Adamatica arbore, deſcende, vt deponas tanta fraudis onera:* nec enim poteris frui Domini viſu, & prægrauari iniuſtè poſſeſſo cenſu.

§. LXI.

Digitized by Google

§. LXI.

Modeſti, ſi qua felicitate fruantur, non propriis; ſed meritis adſcribunt alienis.

263. NIl diſtat à ſapiente longiùs, quàm ſuperbia: nam cùm noſcat tumorem tetram ſecum afferre caliginem, qua lux mentis hebetatur, & ratio obtunditur, ſuperbire refugit vt honeſtatis venenum, vt prudentiæ nubilum, vt reliquorum faſtidium. Superbi vel in media luce cæcutiunt, ſibi ipſis imponunt, & dum arrogantiæ vitio inflati aliorum ſibi ad plauſum applicant facta, conciliant tædia: quidquid obtigit vanis, ſuæ excellentiæ ſemper adſcribunt, & deberi ſibi credunt. *Quilibet arrogans*, aiebat Philo lib. de charit. *in-*
Philo. *ſana opinione inflatus non tam virum aut heroëm, quàm genium quemdam ſe exiſtimat, vt Pyndarus inquit tranſcendens naturæ humanæ terminos: eſt autem nec animi ſatis compos, nec corporis: toto habitu geſtúque morbum præ ſe ferens incedit ſummis pedum digitis, ceruicem in equi morem erigens, attolléntſque ſe ſuprà naturæ modulum.* Itaque vt modeſtia aliorum virtutes plurimi habet, & ob illas ſibi promanare commoda credit: ita arrogantia credit à ſe emanare aliis commoda, & maiora ſuis dotibus ſemper deberi incrementa. Michas, vt placet Abulenſi q.21. veri Dei imaginem fabricarat, & eius cultum nulli impendio parcens promouerat: cúmque Leuitam Sacerdotem ad ſacra miniſteria ſortitus eſſet, ob Sacerdotem ſibi proſperitatem contingere deprædicauit, & credidit: *Nunc ſcio, dicens, quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Et cur Sacerdoti adſcribat, quod ſibi applicare potuit? Ipſe ædiculam fabricarat, ephod effecerat, teraphim conſtruxerat, & quidquid ad numinis cultum pertinere, etſi deluſus, putauit, ſolicita cura peregit: *Ædiculam in ea Deo ſeparauit, & fecit Ephod, & teraphim*: ergo qua fruitur, felicitatem ſuæ virtutis æſtimet fructum, nec alienæ deprædicarit effectum. Sanè Michas modeſtiæ conſuluit: quidquid à ſe effectum, parui aut nihili æſtimauit Sacerdotis virtutem plurimi fecit: ergo ob Sacerdotem ſe deprædicat fortunatum, non ob virtutes proprias proſpera fortuna vſum. *Michas colebat Deum Iſraël; ſed in hoc errabat* (verba ſunt Abu-
Abulenſ. lenſis) *quia faciebat idolum ſibi ad ſignificandum Deum Iſraël, & coram illo faciebat ſacrificia.* Adnectit: *Et nunc cùm haberet Sacerdotem de Leuitis, credidit quòd obſeruabat regulam legis, & ob hoc quod Deus verus placaretur ei, & benefaceret ſibi: & iſte modus accipiendi eſt ſatis conueniens.* Sua facta verebatur, de Sacerdotis conſortio ſperabat: putabat Leuitam obſeruare regulam legis, & ob eius obſeruationem promanare ſibi commoda, & obtigiſſe diuitiarum augmenta: *Cùm haberet Sacerdotem de Leuitis, credidit quòd obſeruabat regulam legis, & ob hoc quod Deus verus benefaceret ſibi.* Humilitas nil ſibi adſcribit, arrogantia omnia ſibi.

264. Cùm Iacob repetere patriam cogitaſſet, ægrè Laban tulit, credebat námque ob Iacobi virtutem gregem auctum, & ſe à Domino benedictum:
Geneſ.30. v.27. *Inueniam gratiam in conſpectu tuo, experimento didici, quia benedixerit mihi Deus propter te.* Certè ipſe, dum profugum recipit, dum hoſpitio benigno fouet, eximias ob virtutes meretur præmia, & tamen ob Iacobi meritum teſtatur confluxiſſe ad illum diuitiarum augmenta: *Cùm audiſſet veniſſe Iacob filium ſororis ſuæ, cucurrit obuiam ei, complexúſque eum & in oſcula ruens duxit in domum ſuam.* Etſi hoſpitalitas, beneficentiáque ſit perennis bonorum ſcaturigo, & honeſtum fœnus, Laban non adſcribit exercitæ erga Iacob charitati numinis benedictionem; ſed obueniſſe ſibi credit ob profugi adoleſcentis virtutem: modeſtus, faſtúſque tenebris non cæcatus iuſtitiam ſuam non extendit; ſed Iacobi virtutem deprædicauit: & quidem ſi ſuperbiæ inflatus, diuitiarum copiam ſuæ virtuti adſcriberet, alienæ fructum non crederet: *Tamquam felix augurium*, inquit Caiet. *agnouerit aduentum Iacob in domum*
ipſius Laban. Cum Iacobo credidit aduentaſſe Caiet.
fortunam: nec ab humanitate erga hoſpitem, peregrinúmque promanaſſe, diuitiarum iactat affluentiam.

Nec aliter ſe geſſit Iacob: nam cùm Laban à 265.
Domino ſe retardatum, dum fugientem perſequeretur, aſſereret, Iſaaci virtuti Iacob adſcripſit euaſiſſe periculum: *Niſi Deus patris mei Abraham,* Geneſ.31.
& timor Iſaac affuiſſet mihi, forſitan modò nudum v.42.
me dimiſiſſes. Ac ſi dicat: Ni Iſaaci religioſus timor, quo Deum colit, mihi cæleſtes ſuppetias attuliſſet, omni ſubſtantiâ nudarer; verùm ea eſt patris mei virtus, vt mihi fuerit pro muro, cæleſtique cuſtodierit auxilio. Hunc eſſe penitiorem huius ſententiæ ſenſúm, tradit datus Caiet. *Pro-*
fitetur quod etiam meritum patris ſui apud Deum Caietan.
tanti eſt, quòd adiuuit eum, quòd meruit, vt Deus admoneret in ſomnis Laban, ne læderet Iacob. Ipſe benedictionem matri obſequens impetrarat, ipſe
humi cubans audire meruit: *Ero cuſtos tuus, quo-* Geneſ.28.
cúmque perrexeris. Ipſe ſuis meritis Angelum v.15.
gregem adaugentem perſpexerat; & tamen omnium ſuarum virtutum prorsùs oblitus alienis meritis ſuam adſcribit incolumitatem, & diſcrimine pulſo ſalutem: eſt enim ſolemnis hic Sanctis mos: cæteros exambiunt ſupergredi virtutum cumulo; ſed nullo turgeſcunt faſtu; imò cùm heroicis operibus florent, prorsùs ſibi marcent, etſi quid proſperitatis ſortiantur nunquam ob proprium, & ſemper accidiſſe ob meritum arbitrantur alienum. Iam quàm oppoſitam arrogantia ſectetur viam, audi à propheta Habacuc: *Ecce ego ſuſcitabo Chal-*
dæos gentem amaram, & velocem, ambulantem Habacuc.1.
ſuper latitudinem terræ, vt poſſideat tabernacula v.6.
non ſua. Caldæis non ob proprium meritum; ſed quia Hebræis Dominus decreuerat inferre ſupplicium, eorum bona tradidit; verùm Chaldæus propriæ ſagenæ, & virtuti triumphos adſcripſit: *Totum in hamo ſubleuauit, traxit illud in ſagena ſua, & congregauit in rete ſuum ſuper. Super hoc lætabitur & exultabit. Propterea immolauit ſagenæ ſuæ, & ſacrificauit reti ſuo.* Sagenæ, quia ſuæ vti diuinæ obtulit ſacrificium: victimas reti immolauit, quaſi reliqua omnium retia ſupergreſſum excelleret, & miris prærogatiuis præſtaret: nullum rete ſuo æquale arbitratus eſt Chaldæus; imò diuinam ſuam deprædicauit ſagenam, & propriis viribus adſcripſit partam victoriam. Ita Inter-
lineatis: Immolauit ſagenæ ſuæ idolo, quod fe- Interlin.
cit in campo Duran. Nabucho in Deorum ſe cenſum retulit, auream ſtatuam, vt ab omnibus adoraretur, in campo Duran ſuperbiæ terminos ſupergreſſus conſtituit, & ſibi victimas ſolemnes ipſe immolauit: teſtatum om-

nibus

Digitized by Google

nibus voluit propria valentia, & cœleſti quodammodò fortitudine hoſtes ſubegiſſe, & imperium amplificaſſe. Nabuchodonoſori victoriam contulerat Deus; ſed ille ſibi iam in Deum inaugurato adſcribebat, & copioſis victimis ac ſuffitibus celebrabat: nam vt humilitas, quæ ſunt propria, meritis adſcribit alienis; ira ſuperbiens arrogantia, & immetata ſuperbia quidquid aliena virtute factum, ab innata ſibi excellentia exiſtimat, deprædicatque profectum.

§. LXII.

Gaudet diabolus excellentiores ſibi vendicare, & à numinis cultu eripere.

266. Diabolus fraudis artifex, doli præſes, criminis adinuentor, mortis ianua omnes hydropica ſiti ſcelerum cupit inextricabilibus vinculis obligare, & prauitatis veneno inficere; verùm, etſi, vt Baſilius homil. de inuidia ait, *omnis ipſe mali promptuarium*, continuis ac doloſis technis omnes circumuenire dicatur, excellentiores tamen maiori auiditate ſubiicere ſibi adnititur: homines nullis dotibus conſpicuos, nullis ſanctitatis infulis exornatos calcat improbus; ſed non ſuperbis glorioſus; tunc verò ſe iactat, cùm virtute eximios, & omnibus dotibus exornatos iniquis vaframentis eluſit, & in vitiorum caſtra captiuos traxit. Conſtruxerat Michas idolum, filium in Sacerdotem conſecrarat: *Impleuit vnius filiorum ſuorum manum, & factus eſt ei Sacerdos*: & tamen cùm Leuites caſu ad ipſum diuerteret, non ſine pretio aris ſacrilegis adnixus eſt applicare, & crimine idololatriæ polluere: *Habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Leuitam virtuti eripuiſſe ſibi gratulatur, & ob id magnis cumulandum bonis ab idolo profitetur: *Nunc ſcio quòd benefaciet mihi Deus habenti Leuitici generis Sacerdotem.* Verùm ſi initiato filio vberem adeò bonorum copiam non ſperabat, cur modo ampliori ſpe ingentiſſima ſibi beneficia promittat, & munerandum cumulatiori fortunâ credat? Quia, etſi filius infandis fuerit ritibus conſecratus, Leuitica anteà dignitate non reſplendebat; at qui modò execrandis ritibus applicatur, cùm fuerit ab exordio ſacris Dei miniſteriis adſcriptus, & virtutibus mancipatus, maius idolo afferebat gaudium, ob idque Michas grandius ſperabat ab illo præmium. Ita Abulenſis quæſt. 21. *Michas ſecundum opinionem gentium fortè putauit, quòd iſtud idolum haberet virtutem ad benefaciendum ei, vel nocendum; & quia Deus Iſraël elegerat ſibi tribum Leui, vt illa miniſtraret coram eo, putauit Michas, quòd ſic acceptarent alij dij potiùs Leuitas in Sacerdotes, quàm viros aliarum tribuum: & ob hoc dixit, quòd ſciebat nunc quòd Deus, ſcilicet Deus ille, cui fecerat idolum benefaceret ei: quia habebat Sacerdotem de Leuitis.* Fortè cum idola dæmonum arte oracula redderent, iſtud promiſit Michæ, ſi Leuitam in Sacerdotem ſibi acquireret, ampliora beneficia & cumulatiora præmia: quaſi dum à ſacris altaribus diſtractum poſſidet, cumulatiore gaudio perfruatur, nihilque illi adeò iucundum ſit, ac micantes è cœlo ſtellas deiicere, ſanctioreſque fallere.

Baſil. Dæmon criminis promptuarium.

Abulenſ.

267. Diabolus, cùm ad tradendum Chriſtum Dominum morti, & ad concinnandam fraudem aliquem diſcipulorum potuiſſet impetere, auxiliumque mutuari, Iudæ Iſcariotæ intrauit arcana, & in cor illapſus deteſtanda iniuit cum illo fœdera, & execranda agitauit conſilia: *Cum diabolus*, inquit Ioannes, *iam miſiſſet in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iſcariotes.* Ioan 13. v. 2. Et cur in Apoſtoli cor, non in alicuius alterius diſcipuli irrepſit, cur aliquem è minoribus perpetrando facinori non aſciuit? Vt cumulatiori, inquit Chryſoſtomus malitiâ ſordeſcat, &, ſi fas eſt dicere, voluptate maiori gaudeat, dum non quemlibet è populo; ſed Apoſtolum ſacro ſuffuratus eſt numero. Audi ad illa verba Matth. 26. *Tunc abiit vnus de duodecim*, Chryſoſtomum in catena D. Thomæ: *Addit autem, vnus de duodecim: ac ſi diceret, de primo choro eorum, qui ſublimiter electi ſunt.* Chryſoſt. Ecce diaboli præcipuum gaudium, & ſtudium, de primo choro deiicere, & non iam credentem tantùm è media plebe, aut diſcipulum è plurimis; ſed Apoſtolum ex duodecim ad ſe trahere. Cum ab exordio Dei verbum magnus ſuperbiæ princeps æmulari affectarit: *Similis ero Altiſſimo*; electum cibum deſiderat, & magnos obſequium ſibi præſtare omnibus artibus adlaborat.

Ad Chriſtum Dominum fraudulentus accedit, 268.
& omnia regna mundi illi offert, ſi curuatis genibus adoraturus procumberet: *Hæc omnia tibi dabo, ſi cadens adoraueris me.* Matth 4. v. 9. Cùm plures bona ſingulis diuidendo fallere quiret, omnia non ſine ingenti fœnore impenſurum ſe credidit, ſi Chriſtum cœleſtibus virtutibus radiantem, deſertorum receſſibus abditum, ieiuniis iugibus innutritum, ac cœleſtium prorſus meditationibus deditum ſibi acquiſiuerit, ſuoque imperio ſubegerit. Princeps, & doli artifex, vt pleno ſuperbiret tumore, Chriſtum adorſus eſt: nec enim de aliorum caſu ita ſuperbit infeliciter glorioſus, ita gloriatur tumidus, vt cùm virtute eximios ſuis dolis irretit, & ad vitium ſectandum trahit: alios doli ſubiiciendo non adeò doloſitatis excellentiâ, & verſutiæ reluceret efficacia; at ſi in obſequium ſuum attraxerit dotibus excellentem, tunc ſe iactat præſulem, & tentationum artificem. Huc voco Tertullianum lib. de orat. cap. 8. Tertul. *Ipſe à diabolo tentatus præſidem, & artificem tentationis demonſtrauit.* Omnes artificij ſui vires in hoc collimat, ſi ſanctitate florentes fallat.

Habacuc capite 1. ſic ſcribit: *Super hoc lætabitur, & exultabit: proptereà immolauit ſagenæ ſuæ, & ſacrificauit reti ſuo: quia in ipſis incraſſata eſt pars eius, & cibus eius electus.* 269. Habac. 1. v. 16. Si electum aſſequatur cibum, lætatur, & gaudet, & qui oppleto piſcibus reti nihil ſe arbitrabatur habere, delicatis ac pretioſis eduliis ad voluptatem gloriatur veſci: communes vileſque faſtidit quodammodò cibos, ſitit raros, & de ſanctitatis vndis adductos. Appoſitè Hugo ad hunc locum ex Hieronymo: Hugo. *Ipſe lætatur, & immolauit non hamo, qui ſermo ſuus peruerſus intelligitur; ſed ſagenæ & reti, id eſt, diuerſis fallaciis ſuis, & ſuorum per quas pinguiſſimas hoſtias in ipſo comprehendit, & ſunt ſibi electi eius: quia etiam prophetas & Apoſtolos ſubuertere nititur.* Vt delicati communes faſtidiunt cibos, vt delicioſi pretioſos, & omni ſolicitudine conquiſitos, & longiſſimis de regionibus adductos auidiùs diſcupiunt, & ad oſtentationem menſis apponunt; ita diabolus piſciculos lutoſo ac fœtido cœno immerſos veluti faſtidit; at expiſcari gloriatur prophetas Apoſtoloſque culmine dignitatis conſpicuos, & virtutibus præclaros: vt

etiam è contra Dominus tunc ſuæ menſæ dignos cenſet, cùm Euangelici retis iactu magnos piſces è profundo vitiorum educit, lucique reſtituit.

270. Petrus Domini iuſſu rete iacit, & piſcium multitudinem iactu feliciſſimo includit: *Impleuerunt* Lucæ 5. v. 7. *ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur.* E tot piſcibus nec vnum refert Scriptura Domino oblatum, nec à Domino expetitum, fortè vt beneficium ſine vſuris largiendum edoceret pauperem ditando, & à iam diuite nil accipiendo. Tranſi modo cogitatione ad Ioannis 21. vbi cùm copioſam piſcium multitudinem Chriſto patentes Apoſtoli concluſiſſent, iubentur piſces offerre: *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc.* Et cur Ioan. 21. v. 10. ex modo prehenſis, cùm ex priùs captis non iuſſerit afferre; ſed labia ſilentio arcano ſignarit? Iam textus refert: *Traxit rete in terram plenum magnum piſcibus*: vbique piſcium captura Domino gaudium peperit, quandoquidem hominum, quorum ænigma piſces, ſalutem ſitienter amat; tunc verò ſpeciali ampliorique lætitia perfunditur, cùm magnus piſcis de vitiorum vorticibus Euangelico reti, & ſudore Apoſtolico trahitur: concluſit priùs Petrus ingentem piſcium multitudinem; ſed communium, ſed non eximiæ quantitatis; modò magnos expiſcatur: *Traxit rete,* inquit, *plenum magnis piſcibus*: ergo hos ſpecialiter gaudet afferri, & menſæ cœleſti ab Apoſtolis extractos apponi: *Afferte de piſcibus, quos prendidiſtis nunc*, id eſt, de faſtu turgidis, de vitiorum enormitatibus magnis, de raritate criminum celeberrimis: hic namque cibus ſapidior, & vti diuinæ miſericordiæ clariùs argumentum, & menſæ electior: *Vt hinc ſuam oſtendat potentiam*, inquit Euthymius, *ac beneuolè eos per cibum à labore re-* Euthym. *focillet, ait illis Ieſus: Afferte de piſcibus, quos nunc comprehendiſtis, vtpote ſciens quòd comprehendiſſent.* Nouerat piſcium magnitudinem: ergo ad littoris ſoliditatem extractos ad omnipotentiæ miſericordiæque diuinæ oſtentationem menſis cæleſtibus inferantur: erat enim omnipotentiæ brachio dignum, & auxilij cœleſtis efficaciæ argumentum virtutibus ad cœleſtem condiri menſam magnos piſces lutulentis olim luxutiæ, auaritiæ, ſuperbiæque vndis incluſos, & fœdis cupiditatum voluminibus merſos.

CAPVT XVIII.

Vers. I. IN diebus illis non erat rex in Iſraël, & tribus Dan quærebat
poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea: vſque ad illum enim
diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat. 2. Miſerunt
ergo filij Dan, ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos
de Saraa & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpi-
cerent: dixeruntque eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cùm pergentes veniſſent in
montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieuerunt ibi: 3. & agnoſcentes
vocem adoleſcentis Leuitæ, vtenteſque illius diuerſorio dixerunt ad eum: Quis te
huc adduxit? quid hîc agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti? 4. Qui reſpondit
eis: Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos.
5. Rogauerunt autem eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero
itinere pergerent, & res haberet effectum. 6. Qui reſpondit eis: Ite in pace: Domi-
nus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt
Lais: videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudi-
nem Sidoniorum, ſecurum, & quietum nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque
opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum. 8. Reuerſique ad fra-
tres ſuos in Saraa & Eſthaol, & quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt. 9. Surgite
aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam & vberem: nolite negli-
gere, nolite ceſſare eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor. 10. Intrabimus ad
ſecuros in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei
eſt penuria, eorum quæ gignuntur in terra. 11. Profecti igitur ſunt de cognatione Dan,
id eſt, de Saraa & Eſthaol, Sexcenti viri accincti armis bellicis. 12. aſcendenteſque
manſerunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore, caſtrorum Dan nomen
accipit, & eſt poſt tergum Cariathiarim. 13. Inde tranſierunt in montem Ephraim.
Cúmque veniſſent ad domum Michæ. 14. dixerunt quinque viri, qui priùs miſſi fue-
rant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus
iſtis ſit ephod, & teraphim, & ſculptile atque conflatile: videte quid vobis placeat.
15. Et cùm paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Leuitæ, qui
erat in domo Michæ: ſalutaueruntque eum verbis pacificis. 16 Sexcenti autem viri
ita vt erant armati, ſtabant ante oſtium. 17. At illi, qui ingreſſi fuerant domum iu-
uenis, ſculptile, & ephod, theraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & Sacerdos
ſtabat

ſtabat ante oſtium, Sexcentis viris fortiſſimis haud procul expectantibus. 18. Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile. Quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? 19. Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum: venique nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis Sacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu & familia in Iſraël? 20. Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis. 21. Qui cùm pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos, ac iumenta, & omne quod erat pretioſum, 22. & iam à domo Michæ eſſent procul, viri qui habitabant in ædibus Michæ conclamantes ſecuti ſunt, 23. & poſt tergum clamare cœperunt. Qui cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis? cur clamas? 24. Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt? 25. Dixeruntque ei filij Dan: Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas. 26. Et ſic cœpto itinere perrexerunt. Videns autem Michas, quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam. 27. Sexcenti autem viri tulerunt Sacerdotem, & quæ ſuprà diximus: veneruntque in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij: vrbemque incendio tradiderunt, 28. nullo penitus ferente præſidium, eò quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis ac negotij. Erat autem ciuitas ſita in regione Rohob: quam rurſum extruentes habitauerunt in ea, 29. vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ priùs Lais dicebatur. 30. Poſueruntque ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſam filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan, vſque ad diem captiuitis ſuæ. 31. Manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo: in diebus illis non erat rex in Iſraël.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. In diebus illis non erat rex in Iſraël, & tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea: vſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat.

1. DESCRIPTA iàm Michæ licentia transferendi ad idola cultum, initiandìque ſacrificulum, deſcribit etiam ſacer textus modò Danitarum audaciàm vtpotè ex iiſdem cauſis ortam, videlicet ex principis defectu, qui poſſet & religioni proſpicere & temeritatem frænare. Ex Ioſuë 19. conſtat Daniticæ tribui ſortem adſcriptam; hac tamen ſorte non anguſta; ſed ſatis ampla, & vrbibus nobili non contentus Danita prolatare terminos
Abulenſ. bellicis armis aut doloſis decreuit inſidiis. Abulenſis q. 4. exiſtimat Danitarum ſortem ab hoſtibus magna ex parte occupatam, ob idque opus illis fuiſſe commodiorem locum quærere, præcipuè cùm non auderent aduersùs hoſtes eorum ditionem occupantes inſurgere: quia nouerant & ad bella acerrimos, & bellandi experientia doctos.

Verſ. 2. Miſerunt ergo filij Dan, ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent: dixeruntque eis: Ite, & conſiderate terram. Qui cùm pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieuerunt ibi.

In Hebræo habetur: *Miſerunt filij Dan ex familia, cognatione, ac ſtirpe ſua quinque viros de* 2.
finibus ſuis, viros filios virtutis. Arias Montanus Montan.
omnes Danitarum familias Huſſin appellatas tradit: ergo ex familia Danitarum quinque ingenio, virtute, & robore præſtantes eliguntur: impar numerus deſignatus eſt, vt ſi diuerſis diſcreparent ſententiis, maior pars eſſe poſſet, quæ aliam in ſuum placitum traheret. Quinque viros miſſos etiam putat ex quauis familia vnum: quia fortè quinque, & non ampliùs erant Danitarum familiæ. De Saraa & Eſthaol referuntur miſſi; vnde apparet accepiſſe ſortem, non tamen totam de hoſtium manibus eripuiſſe. Exploratores per Ephraim montem iter carpebant, cúmque ibi Michas celebris eſſet, ob exhibitum peregrinis hoſpitium, ad illum diuerterunt: quos ille benignè excepit, & pauit.

Verſ. 3. Et agnoſcentes vocem adoleſcentis Leuitæ, vtenteſque illius diuerſorio dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? quid hìc agis? quam ob cauſam huc venire voluiſti?

Verſ. 4. Qui reſpondit eis: Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos.

Receptos hoſpites ad Leuitæ Sacerdotis diuer- 3.
ſorium duxit, vt ibi commodiùs requieſcerent: ergo dum verba cum Leuita texunt, illum ex proferendi modo eſſe Leuitam agnoſcunt. Ephraitis diuerſum in proferendo modum eſſe conſtat ex capite 12. ad Iordanis námque vada examinabantur, & ex prolatione agnoſcebantur. Ergo cùm alius eſſet Leuitæ modus, occaſionem præbuit hoſpitibus ſciſcitandi quid illic ageret, & quam ob cauſam ibi degeret. Leuita nullo rubore ſuffuſus Mi-

cham idolum, & reliqua in textu relata habere prodidit, ſeque non exigua mercede Sacerdotis officio fungi dixit.

Verſ. 5. Rogauerunt autem eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.

Verſ. 6. Qui reſpondit eis: Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.

4 Cùm Danitis Sacerdos deorum ſe oracula ibi prodere affirmaſſet, ac dignitatem ſuam extuliſſet ſtatim illi, vt qui rem arduam tentarent, de euentu ſoliciti eum humillimis precibus rogarunt, vt Deum conſuleret, & quem iter effectum ſortiturum, aperiret. Septuaginta habent: *Interroga* Septuag. *nunc in Deo.* Chaldæus: *Pete nunc in dicto Domi-* Chaldæus. *ni, & ſciemus an proſperabit viam noſtram.* Apud antiquos frequentiſſimum eſſe conſulere oracula, præſcientiam futurorum ab idolis quærere, notum ſatis omnibus eſt. Vnde Chryſolog. ſerm. 5. Chryſol. aiebat: *Occidebatur pecus, vt quod viuum nil ſcierat, diuinaret occiſum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum.* Sacerdos cùm ſe iactaſſet, & hoſpitibus gratum ſe exhibere affectaret, quàm à teraphim reſponſionem acceperat, reddidit, aut, quod interpretibus probabiliùs, finxit; eâ tamen arte reſponſum edidit, vt cuiuis apparetur euentui: vt olim illud: *Crœſus* Montan. *Halin ſuperans magnam peruertet opum vim.* Igitur ſupercilio ac vultus grauitate ſacrificulorum geſtum imitatus ſub obſcuris, & conciſis verbis reſpondit, aſſeruitque pacifico itinere deuenturos, & à Domino eorum viam inſpici. Arias Montanus legit: *Obuiat Dominus viam veſtram, quam ibitis in ea.* Illi ancipiti oraculo confiſi iter ſuum alacriter arripiunt, felix fauſtumque auſpicium credentes in huiuſmodi incidiſſe ſacrificulum.

Verſ. 7. Euntes igitur quinque viri venerunt Lais: videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.

5. Lais intra Danitarum ſortem iacere putat Abulenſis q. 5. alij aliter ſentiunt. Lais, Leſem, & Leſedam vocatam aliqui exiſtimant. Danitæ vrbem ingreſſi ſunt ſe Iſraëlitas eſſe diſſimulantes, & ſe artifices aſſerentes. Ergo cùm ibi aliquam exercerent artem, tutum erat commorari, & incolarum ingenia, & terræ conditionem inſpicere. Laienſes referuntur ſecuri, vt qui bellicos adſultus non timerent à cæteris longè ſeparati: quieti etiam degebant, cum omnium rerum copiâ exundarent, nec extra ſuos terminos diuagari ad neceſſaria vitæ quærenda illis opus eſſet. Iuxta conſuetudinem Sidoniorum viuebant, id eſt, eiſdem ferè legibus, Hebræus. moribúſque. In Hebræo habetur: *Et nemo exprobrans verbum in terra hæres interdicti.* Cuius ſententiæ ſenſus eſt Laienſes ea libertate vſos, vt licèt magiſtratibus ſubiicerentur, tamen nullum perpetuum dominum admitterent; ſed ipſi ſibi ſuffragiis aptos deligerent viros. Ita Arias Montanus ad hunc Montan. locum. Idem ſentit Abulenſis q. 10. In Hebræo cla- Abulenſ. riùs habetur: nam vbi nos dicimus: *Nullo penitus* Hebræus. *reſiſtente*, dicitur in Hebræo: *Nullo hæreditante regnum*: hanc verò ſententiam aliter explicat, ſcilicet hæredem regni adeò tunc eſſe paruulum, vt adminiſtrandis Reipublicæ rebus, aut depellendis hoſtibus ſatis non eſſet.

Verſ. 8. Reuerſique ad fratres ſuos in Saraa & Eſthaol, & quid egiſſent ſciſcitantibus reſponderunt.

Verſ. 9. Surgite aſcendamus ad eos, vidimus enim terram valde opulentam & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.

Verſ. 10. Intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria, eorum quæ gignuntur in terra.

Exploratores obſeruata ſtudioſè incolarum indole, inerti ſecuritate, agnitáque diuitiarum copia ad ſuos reuertuntur, qui plauſu illos excipientes, quia incolumes & ſalui, ſtatim de itineris euentu ſciſcitati ſunt: illi maturandum monent, quandoquidem nullo aut modico labore valeant poſſidere terram & latiſſimam, & vberrimam. In Hebræo habetur: *Nolite pigritari, vel non pigritemini.* Relata diuitiarum opulentia, capiendi facilitate, incolarum ignauia, vrgent reliquos, ne vel tantiſper ab incepto ceſſarint; ſed inuitantem propetantemque occaſionem prehenderint. Repetere poteras cum Horatio epod. 6 Hebræus. Horatius.

Nos manet oceanus circumuagus, arua beata,
Petamus arua, diuites & inſulas.

Contribules exploratorum oratione exciti, ſtatim de profectione egerunt.

---

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 11. Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Saraa & Eſthaol, Sexcenti viri accincti armis bellicis.

Verſ. 12. Aſcendenteſque manſerunt in Cariathiarim Iudæ: qui locus, ex eo tempore caſtrorum Dan nomen accipit, & eſt poſt tergum Cariathiarim.

ETſi non magnus Danitarum exercitus, probè tamen inſtructus, & ſexcentis viris ſtrenuis formatus celeriter arripuit iter, promittens ſibi de imparatis & bellorum indoctis facilem triumphum: prima militum caſtrametatio in Cariathiarim Iudæ, à qua pernoctatione nomen loco inditum eſt: nec nouum à caſtris nomina locis indi. Iacob locum, vbi Dei Angeli illi occurrerant, appellauit: *Mahanaim*, id eſt caſtra. Ergo hîc ſimiliter à caſtris loco nomen procreatum, & inditum. 7.

Verſ. 13. Inde tranſierunt in montem Ephraim. Cúmque veniſſent ad domum Michæ.

Verſ. 14.

verſ. 14. Dixerunt quinque viri, qui priùs miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus iſtis ſit ephod, & teraphim, & ſculptile atque conflatile: videte quid vobis placeat.

8. Fortaſſis licèt iter illac faciendum non eſſet, viri illi quinque, quibus ducendi auctoritas, decreuerunt per Michæ domum tranſire, fortè vt, ſicut priùs, felici auſpicio, & propitio numine ſecuras ſpes fouerant, ita etiam modo de ſecundo itinere per eumdem Sacerdotem conſulerent ſperantes auſpicatò etiam conſilia ſua modò perfecturos. Ergo quinque viri ibi teraphim & ſculptile, per quæ interrogare poſſent, eſſe denuntiarunt, & quid faciendum, à militibus requiſierunt. Ergo milites, etſi expreſsè non referatur, videntur decreuiſſe teraphim & idola ſecum ducere, vt quam in Michæ felicitatem demirabantur, ad ſe transferrent: arbitrabãtur námque quicquid boni atque ſplendoris Michæ domibus contigiſſet, à Sacerdote ephod, & teraphim promanaſſe: ergo decretum eſt omnia illa auferre, vtque animũ tegerent, quinque ſolùm illos viros iam Michæ notos delegarunt.

verſ. 15. Et cùm paululum declinaſſent, ingreſſi ſunt domum adoleſcentis Leuitæ, qui erat in domo Michæ: ſalutaueruntque eum verbis pacificis.

verſ. 16. Sexcenti autem viri, ita vt erant armati, ſtabant ante oſtium.

verſ. 17. At illi, qui ingreſſi fuerant domum iuuenis, ſculptile, & ephod, & tetheraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & Sacerdos ſtabat ante oſtium ſexcentis viris fortiſſimis haud procul ſpectantibus.

9. Cùm ſibi perſuaderent decretum poſſe à quinque Sacerdotis hoſpitibus facile perfici, noluerunt violenter irruere; quia tamen aliqua poſſent occurrere, quæ deſiderata tardarent, reliqui oſtentantes metum ſubſtiterunt; eâ tamen diſtantiâ, vt quinque ſi opus eſſet ferrent auxilium. Igitur quinque ad Sacerdotis diuerſorium properant, & pacificè ſalutant. Erant apud Sacerdotem omnia illa, quorum ille curam gerebat. Arias Montanus vult poſt feſtinam ſalutationem diſcedere ſimulaſſe, Sacerdotémque vrbanitatis causâ vſque ad portam ſecutũ fuiſſe. Ergo cùm è porta armatorum ordinem, & ſpeciem ſtudioſè attenderet, illi quinque ad domus interiora iterum inuolant, & omnia auferunt. Abulenſis q. 11. exiſtimat quinque viros animum ſuum aperuiſſe, Sacerdotémque teſtitiſſe decretis, portámque occupaſſe, vt egredi volentes impediret:

Abulenſ. *Sacerdos ſtabat ante oſtium, ſcilicet impediendo, ne quinque viri egrederentur, & ducerent iſta ornamenta omnia*: verùm cùm vnus nequiret quinque, præcipuè armatis, reſiſtere, illi cogitata, perfecerunt.

verſ. 18. Tulerunt igitur qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque cõflatile.

verſ. 19. Quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum, veníque nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis Sacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu & familia in Iſraël.

Sacerdos priùs vi furtum impedire conabatur, 10.
verùm cùm ſe inferiorem agnoſceret, oratione aggreditur, vt ab ineptis deſiſtant, perſuadere: plura enim illo verbo, *Quid facitis*? ſignificaſſe videtur: ac ſi dicat: Hanc vicem rependitis homini de vobis adeò benemerito, vt humanè exceperit, & lautè pauerit? Veſtrum ſanè erat, quidquid ad illum pertinet, defendere, & ſiquis inuaderet, pro viribus abigere; & vos beneficiari iniurij ingratique, quicquid pretioſum, aufertis. Verùm illi, cùm ſcirent Leuitam cupiditate olim ductum, vt ei ſilentium perſuaderent, cupiditatem obiecerunt, promittentes ſe illum ampliori honore habituros, ac ſingulare priuatumque munus non omittendum; ſed in publicum ac glorioſiùs commutandum, nec commodum, lucrumve minuendum, imò adaugendum ampliſſimè, quandoquidem ibi ab vno accipiebat mercedem, & à tota tribu ſumptuoſiùs, vt ſolet, ſtipendium foret aſſignandum, & dilargiendum. Felicior fuit Danitarum eloquentia, vtpote cui cupiditas & ambitio ſuffragabatur.

Verſ. 20. Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorũ, & tulit ephod, & idola ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.

Verſ. 21. Qui cùm pergerent, & ante ſe ire feciſſent paruulos ac iumenta, & omne quod erat pretioſum.

Verſ. 22. Et iam à domo Michæ eſſent procul, viri qui ſtabant in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt.

Verſ. 23. Et poſt tergum clamare cœperunt. Qui cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham.

Sacerdos ambitione iam & cupiditate inflam- 11.
matus opem tulit, & quæ deſiderabant, perfecit. Septuaginta habent: *Et factum eſt bonum cor Sacerdotis.* Hebræus textus: *Et iucundum fuit cor Sacerdotis*: Cùm iam Sacerdos annueret, viam carpere cœperunt: & ne, ſi paruulos ac iumenta poſt ſe relinquerent, Michæ ſerui, & amici manu factâ eos inuaderent, læderentque, omnia huiuſmodi præmiſerunt, parati irruentibus obuiare, ſeque, & quæ tulerant, defendere. Michas eiuſque ſerui, & amici, cùm abire Sacerdotem conſpicerent, & idola rapta agnoſcerent, à tergo Danitas ſecuti ſunt, clamoribuſque dolorem cõteſtabantur acerrimũ. Chaldæus ſic habet: *Viri qui in domibus, quæ cum domo Michah, congregati ſunt, & aſſecuti ſunt filios Dan.* In locis illis montanis nonnulli erant incolæ: ergo omnes vicino ſuccurrere inuolarunt, ſi iniuriam vindicare poſſent, parati pugnam inire. Danitæ clamoribus exaſperati facies verterunt, vt minis aut vi ora compeſcerent, & clamores frænarent.

Septuag. Hebræus. Chaldæus.

Verſ. 24. Quid tibi vis? cur clamas? Qui reſpondit: Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?

Verſ. 25. Dixerúntque ei filij Dan: Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.

Querimoniis, compellationeque Michas eos 12.
præ aliis inſequebatur, vt qui grauiori dolore exulceraretur. Igitur Danitæ quaſi nihil damni intuliſſent, clamoris cauſam rogant, & ipſa irriſoriâ interrogatione dirè diuerberant. Michas, quàm rationabiliter lugeat, exertis vocibus conteſtatur, & deſpo

Digitized by Google

deſpoliatum ſe omnibus pretioſis fatetur: nec quoſcumque Deos ait abſtuliſſe; ſed eos, quos ipſe ſummo ſtudio, & grandi ſumptu prouiderat, & omni veneratione coluerat. In Hebræo habetur: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem: & quid mihi præterea?* Eo affectu, eoque ſtudio, quæ ſacroſancta putabat, proſequebatur, vt iam ſibi nihil ſolatij fore ſperaret. Non diſſimile apud Iuuenalem ſatyra 8. Hebræus.

Nunc ſociis iuga pauca boum, & grex paruus equarum,
Et pater armenti capto eripietur agello,
Ipſi deinde lares, ſi quod ſpectabile ſignum,
Si quis in adicula Deus vnicus: hac etenim ſunt
Pro ſummis: nam ſunt hac maxima.

Danitæ rationibus preſſi, & manifeſtè redarguti ad violentas minas recurrerunt, teſtantúrque, niſi à clamoribus abſtinuerit, ipſum interempturos, euerſuros domum, & quicquid relictum dilapidaturos. In exemplari eſt: *Ne audiatur vox tua nobiſcum.*

§. III.

Commentarius Litteræ.

verſ. 26. Et ſic cœpto itinere perrexerunt: videns autem Michas quod fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.

verſ. 27. Sexcenti autem viri tulerunt Sacerdotem, & quæ ſuprà diximus: veneruntque in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.

13. CEſſit violentiæ Michas, & triſtitia oppletus domum repetiuit, & mœſtiſſimam vitam duxit. Danitæ fauſtis, vt rebantur, auſpiciis audaciores redditi, vt ad Lais peruenerunt omni ſecuritate quieſcentem, repentino impetu inermes adoriuntur ciues, qui ipſo inopino caſu impediti, & conſilio nudi nec vertere terga, nec inire potuerunt certamina. Ergo quàm celeriter obtruncatis incendio arſit ciuitas, & ipſa incolarum corpora flamma cōſumpſit, & quicquid impurum, purgauit.

verſ. 28. Nullo penitus ferente præſidium, eo quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quidquam ſocietatis ac negotij: erat autem ciuitas ſita in regione Rohob; quam rurſùs extruentes habitauerunt in ea.

verſ. 29. Vocato nomine ciuitatis Dan iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ priùs Lais dicebatur.

14. Cùm Laienſes omnibus ad vitam neceſſariis abundarent, nullius gentis amicitiam colebant, nec laborantibus ferebant auxilium, vtpote, vt rebantur nunquam poſtulaturi. Ergo reliqui, etſi ſuppetias ferre potuerint, maluerunt ſuis ſedibus commorari, quàm ad Laienſium defenſionem prælium inire. Non nouerant Laienſes ad tuendam fortunam aliâ fortunâ opus eſſe, úncque cupiditati, & ambitioni, inſidiiſque ciuitatem, aut priuatam domum periculoſiùs expoſitam, cùm ſplendere copioſiori auro, & ampliori felicitate conſtat ornatam: ergo diuites & inermes Danitarum cupiditatem inflammarunt, & inopinam calamitatem ſubierunt. Danitæ euerſam quàm citò ciuitatem reparatunt, & ad facinoris memoriam paternum nomen ei indiderunt.

verſ. 30. Poſuerúntque ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.

verſ. 31. Manſitque apud eos idolū Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo. In diebus illis nō erat rex in Iſraël.

Conſtructo iam decenti delubro idolum collocarunt, conſecrata priùs æde ſolemni ritu, & ſolitis ceremoniis, cúmque ad templi honorem ſpectaret plures miniſtros habere, Ionatham veluti reliquorum præſidem, & filios eius Sacerdotes conſtituerunt. Sacerdos hic Ionathas vocatur, dicitúrque filius Gerſam filij Moyſi: Chaldæus verò habet: *Gerſon filius Manaſſe.* Noſter Serarius q. 8. vtrumque nomen in Hebræo reperirii teſtatur: *In Hebræo vtrumque nomen eſt, Moyſis, & Manaſſes, & tam Moyſis, quàm Manaſſes filius Leuita iſte dicitur, & quidem vna eadémque dictione.* Rabbini in tractatu Barbatra c. 4. noſtram lectionē probant, monentque vocari Manaſſes filium non ortu, ſed imitatione. Græcus Scholiaſt. notat ſic ſcribi: *Filium Manaſſe, filium Rhecab, filij Moyſis.* Adnectit Serarius Moyſem, de quo hîc, fortaſſis non fuiſſe illum celebettimum; ſed alium quempiam: cui addo fortè binomium, ſcilicet Manaſſem & Moyſem. Quanto tempore manſerit idolū quærunt interpretes. Aliqui putant manſiſſe vſque ad vndecim tribuū captiuitatem per Aſſyrios. Ita Rabbi Salomon, cui videtur fauere Lyra: R. Dauid Kimhi exiſtimat ſolum permanſiſſe vſque ad Arcæ per Philiſthinos captiuitatem. Abulenſ. q. 19. idolū, & Sacerdotes manſiſſe in ciuitate Lais ante mortem Samuëlis affirmat, aitque captiuitatem, de qua hîc agitur: non poſſe eſſe per Salmanaſar introductā; ſed aliam, quàm capta iam Arca conuicini intulerunt Arcæ triumpho audaciores redditi, & vincere cupidi. 15. Serar. Rabbini. Scholiaſt. Serarius. R. Salom. Lyra. R. Dauid. Abulenſ.

§. IV.

Nihil tam commodum, quàm Superiorem virtutibus ornatum ſortiri; nil tam incommodum, quàm ſine honeſta ſubiectione vagari.

NVnquam ſibi nocentior homo, ac cùm ſui iuris eſt: audet deteriora perpetrare effrænata licentia: quia nulla cohibent temeritatem ſupplicia: non ſolùm iuuat ſubiectionis frænum ad effugiēda peccata; ſed ad nanciſcenda faciliùs corporis commoda: Superior opem fert miſeris, aufert violentū, promouet iuſta vota, complet æquiſſima deſideria. Quod ſi quis Superiore deſtituatur, congruo etiam ſibi auxilio deſtituetur. Quod præſtatur Superiori ſubiectionis obſequium temporale compenſat cōmodum, & ipſa ſaluti ſubiectione conſulitur. Huc voco Caſſiod. 12. var. 21. *Armarium ipſius* (Principis) *fortuna cunctorum eſt: & meritò refugium omnium dicitur, vbi vniuerſorum ſecuritas inuenitur.* Plures depopularentur incendia, nudaret alios furtiua ſubreptio, ni ſuperioris auctoritate & diligēter floreret virtutis cura, & ad delinquendum eneruaretur audacia. Poteſtatis armarium cunctorum ſecuritas eſt, & obſequens ab eo acquirit contrà inſolentiam remedium, cui ſubiectionis pendit tributum. Prudens æquúſque Superior non minus diligens eſt in alienis, quàm quiſque in proprijs: non admonitus facit, quod vix alius rogatus importuniſſimè impleret, nec poteſt denegare requiſitus, quod patrocinante iure clamat conuenire ſibi ſubiectus. 16. Caſſiod.

Digitized by Google

ἐctus. Dan tribus ab inimicis anguſtè arctata, &
arctè anguſta, quo poſſit commodiùs viuere, per
arma decernit ſibi terminos prolatare: *Dan quære-
bat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea: vſque ad il-
lum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acce-
perat.* Danitæ dum nullo contribulium auxilio fo-
uentur, non ſine periculis bella inferre hoſtibus ad
poſſeſſionem ſibi acquirendam moliuntur. Tranſi
modò ad Ioſuë 1. vbi Rubenitis, Gaditis, & dimi-
diæ tribui Manaſſe iubet imperator, vt fratribus
Ioſuë 1. v.14. opem ferant, & in aduerſarios irruant: *Tranſite ar-
mati ante fratres veſtros omnes fortes manu, & pu-
gnate pro eis, donec det Dominus requiem fratribus
veſtris, ſicut & vobis dedit.* Si reliqui Rubenitarum
Gaditarúmque fruuntur auxilio, quo poſſint ad
optatas ſedes feliciter peruenire, cur modò Danitæ
cogantur nullis ſuppetiis pugnare? Iam textus ra-
tionem reddit: *In diebus illis non erat rex in Iſraël
& tribus Dan quærebat poſſeſſionem ſibi.* Dum Reſ-
publica principis non ſortitur auxilium, alij contri-
bules detrectant Danitis ferre ſubſidia: quia nolunt
gerere bella: dum Ioſuë prouidentiſſimus princeps
clauum tenet, arma in fratrum auxilium arripere
coguntur, quò faciliùs commoda cæteri nanſciſcā-
tur. Notauit Abulenſis q.2. *Quæretur, quare dici-*
Abulenſ. *tur quòd non erat rex in diebus illis?* Iam reſpon-
det: *Quia tribus Dan quærebat poſſeſſionem, & ad
capiendum iuit vrbem Lais, & nulla tribus adiuuit
eam; ſed ſoli viri de tribu hac iuerunt illuc.* Dani-
tæ maiori tunc vtebantur licentiâ; ſed & maiora
etiam cogebantur ſuſtinere pericula: à reliquis de-
ſtituti, & ferociæ aduerſariorum inueniebantur
obiecti: ſi eſſet rex, debitæ penderent ſubiectionis
tributum; ſed ſuppetiarum ſortirentur etiam com-
modum: & quidem æquo Superiori, & virtutibus
ornato ſubiici eſt ſaluti, & temporalibus commo-
dis prouidere.

17. Lucæ 16. v. 6. *Centum cados olei* ſe debere reſpondit, qui inter-
rogabatur à villico: quod expendens ſolito ingenij
acumine Chryſol. ſerm. 126. inquit: *Quare non ar-*
Chryſol. *genti, vel auri pondus? Quare non decem aut nona-
ginta; ſed centum? Vt de debito & numero cæleſte
luceat Sacramentum. Debebat Iudæus oleum, quod
chirographo legis ad vngendos reges, prophetas, Sa-
cerdotes Chriſtiani Chriſmatis acceperat in figurā.*
Minus erat auri argentique accepiſſe pondera, plus
fuit reges accepiſſe, quandoquidē horum vigilantia
vel debiles nullis rapinis expoſiti, & ab hoſtili mu-
crone tuti. Ni audaciā ac rapaces manus cohiberet
iuſtitia, aurum periret, dum rapitur, & argentum in-
ſolentes acueret manus, dum habetur. Ergo ma-
gnum erat debitum reges habuiſſe, & iugum vtile
toleraſſe.

18. Iob 39. v.5. Dominus cum Iobo diſſerens ſic ait: *Quis dimi-
ſit onagrum liberum, & vincula eius quis ſoluit? Cui
dedi in ſolitudine domum, & tabernacula eius in ter-
ra ſalſuginis: contemnit multitudinem ciuitatis cla-
morem exactoris non audit.* Onager ſyluester aſinus
eſt: hîc ſubiici refugit: ergo Dei omnipotentiam
commendat, dum exacutos carniuoræ feræ fruſtra-
tur vngues: nam niſi eius Deus curam ageret, peri-
cula frequentiſſima incurreret, & qua campis exer-
rans vtitur, vagus libertatē ſanguine emeret impe-
ritus in ſalſuginis terrâ cōmorari refertur, quo ſu-
ſtinere plurima laborioſa noſcatur. Adeſt Lyra: *Hîc*
Lyra. *conſequenter oſtenditur diuina prouidentia, & poten-
tia in cōditionibus aliquorum animalium in ſpeciali,
& primo in onagro, qui eſt aſinus ſylueſtris.* Adne-
ctit: *In terrâ ſalſuginis, id eſt, in terrâ Solis ardori-
bus exuſta, propter quam aduſtionem videtur con-
uerti in ſalis amaritudinē.* Ipſa in licentia non deeſt
acris ſatis amaritudo, & quidem ni eluceret numi-
nis prouidentia, frequentiſſima onager ſubiret peri-
cula: aſinus domeſticus ſuſtinet laborē capiſtri; ſed
longius diſtat à feris à Domino cuſtoditus, & me-
liori cibo refectus: ſylueſtris aſinus exactoris voci
non obedit; ſed per montium prærupta, per ſylua-
rum latebras periculoſior diſcurrit. O quàm fuiſſet
plurimis ſatiùs honeſtæ ſubiectionis pependiſſe tri-
butum, quàm noxiæ ſibi libertatis adamaſſe vm-
bratile commodum. Minus gauderent; ſed dolerent
minus: non exequerentur multoties ſibi placita; ſed
apperentia vitarent etiam pericula. Profectò ſi æqua
rationis lance pendantur libertatis nulli ſubiectæ
commoda, & ſubiectionis honeſtæ lucra, dubitari
nequit ſatius eſſe vel ad temporalia ſubiici, quàm
liberum diuagari.

Dominus Hebræorum populum de ergaſtulo 19.
educens, & veluti regis temporalis munere vſus per
deſertorum errores lucidâ nube perduxit: *Dominus* Exod. 13.
præcedebat eos ad oſtendendā viam per diem in co- v. 21.
lumna nubis, & per noctem in colūna ignis. Ad nu-
bis placitum gradiebantur regentis voluntati ſubie-
cti, etſi fas eſt dicere, nec leuiter exorbitare permiſſi,
hæc tamen ſubiectio quam plurimis eſt vtilitatibus
compenſata, & multiplicibus beneficiis perſoluta.
Expendamus, etſi fuſiori tantiſper ſtylo commoda,
& ferè innumera beneficia: Per medios maris vorti-
ces ruptis vinculis incedebant, cùm anxiis lætitia
interturbatur periculis: Pharao cruentis iam ter-
gori inſiſtebat mucronibus; verùm nubes muri ad
inſtar texit Hebræos, & confuſis ruentium vorticū
voluminibus demerſit Ægyptios: *Tollens ſe Ange-* Exod. 14.
lus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël abiit poſt eos, v.19.
*& cum eo pariter columna nubis priora dimittens
poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorū & caſtra
Iſraël: & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem
ita vt ad ſe inuicem toto noctis tēpore accedere non
valerent.* Vides Angelo ſubiectos; ſed audis etiam
captiuitatis vinculis liberatos. Ni ductori ſubiicerē-
tur, captiuitatis experirentur iniuriā, & duriſſimam
paterentur catenam: ab illa nube ſenſibili actione
percutiuntur Ægyptij, vt ſalutem aſſequantur He-
bræi: *Inſinuatur quod ex illa columna nubis,* ſcribit
Caiet. *quæ erat in aëre inter Iſraël, & Ægyptios
ſenſibilis actio emanabat contrà Ægyptios perſe-* Caiet.
quentes Iſraëlem. Ductor, cui ſubiectionis præſta-
bant officium, contrà aduerſarios nubem produxit
in campum, ac liberauit ſibi ſubiectos, quos aliter
grauiſſimis Pharao catenarum nexibus incluſiſſet
captiuos. Adde quod dux ille, cui parebāt, oppanſa
nube candentis Solis arcebat æſtum, & blanda lu-
ce contrà noctis tenebras impendebat illis ſolatiū.
O quanta illis deeſſent, ſi ſubiectari renuiſſent.
Conſonat Zeno Veronenſ. ſerm. 3. de Exod. *Huic*
(populo) *non circulus Solis per diem; ſed columna* Zeno.
*nubis, non candida Luna; ſed ignis columna per no-
ctem iter pandebat ignotum.* Vitabant montium er-
rores, ſaltus laqueos, Solis candidiſſimos æſtus, hor-
rores noctis confuſos de ſubiectionis obſequio, &
de ducenti præſtito officio. Videamus iterum, quā
ſit vtile ſubiici, quàm non ſubiici ſit amarum.

Sicut aquila prouocans ad volandum pullos ſuos, 20.
& ſuper eos volitans expandit alas ſuas, & aſſum- Deuter. 32.
pſit eum, atque portauit in humeris ſuis: Dominus v. 11.
ſolus dux eius fuit. Super eos volitat ſuperior; ſed
humerum etiam ſubiicit ad portandum: gaudet
aquila dominio ſuper pullos volitans; ſed à ſagittis
arcet eos collocans ſuper alas. Ita Lyra: *Portat eos* Lyra.
*ſuper humeros ſuos: quia non timet à parte ſuperiori
ſed tantùm ab inferiori, ne emittantur ſagittæ.* Nō
volitant per aëra, dum humeris aſportantur; ſed nec
ſagittis feriuntur; verùm qui ſubiectionis experti
commoda recalcitrantes libertatis ſenſerunt dāna:

Digitized by Google

Num.21. v.6. *Dereliquit Deum factorem ſuũ & receſſit à Deo ſalutari ſuo.* Quid tunc? Audi ex Num. 21. *Miſit Dominus in populum ignitos ſerpentes.* Non tuliſſent ſerpentes, ſi aquilæ ſubiicerentur, nam teſte Plinio, acre eſt aquilæ cum ſerpente diſſidium: vbicumque viderit, roſtro rapit, & vnguibus in fruſta diſcerpit: Plinius. *Acrior eſt cum dracone pugna*(verba ſunt Plin.lib.10.hiſtor.c.4.) *multòque magis anceps,etiā ſi in aëre: oua hic conſectatur aquilæ auiditate malefica; at illa ob hoc rapit vbicumque viſum.* Ni ab aquila receſſiſſent ardentium morſus ſerpentum nullatenus toleraſſent; aſt dum diſcedentes ſubiici renuunt ſerpentino aduſti veneno ingemunt.

§. V.

Negligentia non ſolùm eſt egregiis faſcinoribus detergenda; ſed eximiis virtutibus compenſanda.

21. OTium criminis parens, culpæ magiſterium, & iniquitatis auxilium in plurimorum animos irrepſit,& ab honeſtis laboribus arcuit: fallaci placiditate, & noxia detinentur dulcedine: amant homines ligari, vel cùm diſcupiunt emergere, verùm etſi nobis nos furata fuerit inertia, poſſumus nobis amiſſum inertet tempus reſtituere,& egregiis operibus contractam ex otio maculam, & ignominiam abradere: *Interdum quies inquieta eſt*, aiebat Seneca epiſt. 56. *& ideò ad rerum actus excitandi, ac tractatione bonarum artium occupandi ſumus,* Seneca. Inertia ſui impatiēs eſt. *quoties nos malè habet inertia ſui impatiens.* Nos malè habet ſæpiſſimè inertia;honeſtis tamen laboribus non ſolùm illam poſſumus diſcutere; ſed quod fraudauerat compenſare. Qui in via oculos inerti ſomno commiſit, greſſum accelerat, vt quod ſomnus tempus abſciderat, celer volatus reſtituat: & otioſis moris aliquando detentus, citiùs ſolet ad terminum peruenire, dum erubeſcit tardari. Ecce Danitæ,qui aliquando damnabili inertiâ armis abſtinuerat,nec ſibi congruentem habitationem quæſiuerant,iam prolatare terminos inardeſcunt,& qui ni ſorduiſſent ignauiâ,præſcriptos ſolùm terminos occupaſſent, iam Leſem capiunt, & limites bellantes extendunt: *Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea:vſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat.* Ciuitatem Lais extra ſortem Danitarum iacere placeret interpretibus: ergo vbi textus inexpugnandis hoſtibus retulit negligentiam, deſcripſit etiam ad terminos prolatandos audaciam:quo eorum exemplis diſcas tempus amiſſum recuperare,& egregiis faſcinoribus maculam inertiæ depellere: *Niſi negligentia Danitarum interceſſiſſet,*inquit Caiet. Caiet. *nequaquam Scriptura diceret quod vſque ad diem illā non acceperat hæreditatem ſuā tribus Dan.* Negligentes poſſeſſione ſibi debita caruerāt;ſed modò indebita ciuitate fruuntur,& quàm ignauiæ contraxerant,notam deterunt virtutis hoſtes debellantes,& fortis terminos excedentes. Quòd ſi opponas hoc Danitarum ſtudium non adeò legi conſonum, reſpondebo ſæpè ſæpiùs in Sacra Scriptura quid virtutis ſtudioſi operari debeant, peccatorum actionibus declarari, & eis ad virtutem accendi. *Sorte diuino ex iudicio ſibi conceſſa* (verba ſunt Arias Montani) Montan. *ſatiſque ampla, & bonis vrbibus celebri non contentus Daniticus populus nouas prætereà ſedes vel inſidiis vſurpandas vel virtute expugnandas ea tempeſtate appetiuit.* Solicitudo deterſit inertiam, & ad noua extenſus Danita inaurauit ignauiam.

22. Pſal.118. v.62. Audio prophetam media nocte clamantem: *Media nocte ſurgebam ad confitendum tibi:*& ſponſam video inſomnes noctes ponere in quærendo dilecto: *Per noctes quæſiui,quem diligit anima mea.* Cantic.3. v.1. Et cur tempus ſibi,vt Pſalmiſta, non præſcribebat Sponſa? Quia aliquando dulci ſomno detenta, & ſtragulorum deliciis irretita ſponſo aperire diſtulit, & friuolas excuſationes obtendit: *Spoliaui me tunica mea,quomodò induar illa? Laui pedes meos quomodò inquinabo illos?* Canticor.5. v.3. Ergo quia aliquali otio tempus triuerat, nec pulſanti ſponſo reſponderat, iam indefeſſis vigiliis quærit, & inſomnes noctes ponit. Lucrum fuit,ſi fas eſt dicere, Sponſam tempus illud ignauè amiſiſſe,dum dolore perculſa noctes inſomnes ponit nec iam ſcit quieſcere: quia aliquando contigit dormitare. Innuit ad rem Gillibert. ſerm.1. in Cant. *Recedente ipſo illa recidit in lectum ſuper hunc tamen ſtratum memoratur dilecti* Gillibert. *& iam non in matutinis; ſed in nocte meditatur, in ipſo quærens quem diligit anima ſua: non pigrè agit in hoc lecto,ad quem relapſa eſt.* Erubuit ſe ignauia detentam oculos ſomno tradidiſſe ergo iam vigiliis continet indefeſſos,vt inſomnis deterat diligentia, quam maculam ſomnolenta tulit ignauia.

Huius fortaſſe exemplum imitatus filius,cùm ſe iacere ſenſit, non ſolùm decreuit ad patrem celeri greſſu inuolare; ſed & laborem etiam mercenarij 23.
ſubire: *Surgam & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenariis tuis.* Lucæ 15. v.18. Contentus non eſt otium diſcutere, & filij munus obire; ſed mercenarij ſuperaddit laborem, & laboris deuorat anxietatem: toto die iugi vult defatigatione deteri, & in patris gratiam indefeſſo ſtudio inſudare, quo tempus maleſuado impenſum otio ſibi reſtituat;imò cum vſuris à ſe ipſo dignis incumbendo operibus exigat: expendebat acutè Chryſol. ſerm.2. *Fac me ſicut vnũ de mercenariis tuis, vt locatione annua ſeruitus innouetur,* Chryſol. *vt labore iugi conditio conducta deteratur, vt die toto in opere ſuſpiret miſera verna mercedis: vt ſit ſemper venditor ſui, nec vnquam negare ſuam valeat ſeruitutem.* Iam ſemper obſequitur ſeruus, quia aliquando non filius, vtque ſe ſibi reſtituat, ſuus ſemper honeſtè venditor eſt, ab oculis fugit ſomnus, qui oculos aliquando detinuit,& inerti otio dicauit. O quàm pulchrum prodigus ignauis reliquit exemplum! Quàm edocuit reuocare tempus emiſſum ſolerti artificio, diligentique deſiderio.Filius tempus perdidit: ergo modò obſequitur filius, & inſuper adlaborat ſeruus, vt duplicatis operis recuperet,quod virtuti aliquãdo denegauit.

Ionas nauim Tharſos petituram inſcendit; ve- 24.
rùm vt ſapientes Dominus ſua in ſapientia comprehendit, vbi fugæ quærebat ſubſidium, ibi fugiendi inuenit impedimentum: mare námque nauim fluctibus obſidens nauigantes perturbat: vndarum montes repetito fremitu depoſcebant prophetam; qui in naui erant,cum tempeſtate depræliabantur, & aduerſum mare iactis oneribus naualem pugnam ſuſcipiebant; verùm ſi homines muneribus corrupti reos non inquirunt; imo effugiēdi opportunitatem cōcedunt, mare magnis oblatis diuitiis adduci nō potuit,vt ab inquiſitione ceſſaret Ionas interim otioſus, & negligens ſtertebat in naui: *Dormiebat ſopore graui.* Ionæ 1. v.5. Sorte deprehenſus è ligneo nauigio ad natatile ac viuum nauigium transfertur, & immani rictui, ac voragini feræ traditur: hîc propheta ad orationis confugit ſubſidium, & quem è naui iners excuſſerat ſomnus, è piſce eduxit orationis valida manus: *Erat Ionas in ventre piſcis tribus diebus, & tribus noctibus;* Ionæ 2. v.2. *& orauit Ionas ad Dominum Deum ſuum de ventre piſcis.* Noctes diēſque orando conſumpſit,

&

& iugi vigilia ſomni tempus ab oculis cum fœnore exegit, & non modicis vſuris recuperauit è tetro piſcis ventre euomitus Niniue ſtatim intrat, & nullo laborem recreans otio per diem integrum pœnitentiam inclamat: *Cœpit Ionas in-*
Ionæ 3. v.4. *troire in ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit.* Iam oculus ſomnum non agnoſcit, laſſitudinem greſſus non ſentit, nullum tempus in abſtergendis è viſceribus piſcis ſordibus contractis ponit; ſed totus eſt in clamando, quia aliquod tempus otioſè inſumpſerat in dormiendo. Opportunè
Hieron. Hieronymus ad hunc locum: *Statim Ionas, quod fuerat ſibi imperatum, opere perfecit; Niniue autem erat ad quam pergebat propheta, ciuitas magna & tanti ambitus, vt vix trium dierum poſſet itinere circumiri, at ille præcepti, & ſuperioris naufragij memor viam trium dierum vnius diei feſtinatione compleuit.* Pro exiguo ſomni ſpatio, pro inerti mora eam arripuit feſtinationem, vt tres dies in vnum operando concluſerit, & amiſſum tempus ingenti fœnore compenſauerit: lentis anteà paſſibus pergebat ad imperium; ſed iam imperium perficit non tam greſſibus, quàm volatibus, quo nos edoceat ignauia amiſſum tempus recolligere, & ſuperadditis actionibus inſtaurare.

§. VI.

Peccatores etiam calamitatibus diuexati, ne reſiliant ab erroribus, confictis ſibi blandiuntur ſpebus.

25. NOn ſolùm nos tenet error; ſed erroris amor: quem à ratione longè abduxit; imò profundè demerſit infelix peccatorem fortuna, non ſemel miſeratus Deus laborum nititur reluminare collyrio, vt pertinaci obſcuratus cæcitate oculos adaperiens ſua pericula expaueat, & ad vtiliora ſibi confugiat. Certè vexatio intellectum ſubminiſtrat: ergo quos beneficia inflarunt, infortunia ſæpiſſimè correxerunt, & excuſſerunt profundum ſomnum tormentis, quem contraxe-
Malach. 1. v.1. rant beneficiis: *Onus verbi ad Iſraël in manu Malachiæ.* Onere Iſraëlem prægrauatum afflixit; ſed vt ſe ad reſipiſcentiam conferret. Ita Hierony-
Hieron. mus ad hunc locum: *Onus & pondus ſuppliciorum grauiſſimum portare compellitur, vt grauiora peccata deponat, & ſentiat per tormenta, quæ non ſenſit per beneficia.* Dupliciter Deus in peccatorem armatur: blandè ſæpè allicere tentat beneficiis; quòd ſi non ſuccedere videat deſiderium, ſeueris adurget pœnis; aſt peccator ita ſibi inuidet, vt vtrumque remedium excutiat. Beneficiis inſoleſcit, pœnis inſanit, & pœnarum medicamine ad ſaniorem redierit mentem, falſis ac de induſtria confictis ſpebus emollire tentat calamitatem: ad patientiam pertinaciter eruditur falſis promiſſionibus, & confictis lætioris fortunæ ſpebus. Dan ab Amorrhæis refertur Arctatus *Ar-*
Iudic. 1. v.48. *ctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.* Arctatus adhuc coluber & ceraſtes mordet vngulas
Geneſ.49. v.17. equi: *Dan coluber in via, ceraſtes in ſemita, mordens vngulas equi, vt cadat aſcenſor eius retro.* Et coluber, & arctatus refertur: quòd ſi quæras quomodò ſerpentinam vafritiem non exuerit arctatus, & ab inimicis duriſſimè preſſus, reſpondebit noſter textus quæſiſſe ſibi poſſeſſionem non ſine ſpe lætioris fortunæ: *Dan quærebat poſſeſſionem ſibi vt habitaret in ea.* Non quæreret, ni ſperaret: ergo in via ceraſtes adhuc equi vngulas mordet, dum preſsè arctatus ad ſpes lætiores confugit. Quàm benè Seneca epiſt. 105. etſi aliorſum: *Spem* Seneca.
improborum vitabis. Se improbi deteſtandis armant ſpebus, vt cum ſupplicia reſipere cogunt ab ſceleribus, vacare perſeuerent criminibus.

Idumæa duriſſimis preſſuris afflicta, & vaſtitate proſtrata adhuc in ſpes vanas erigitur, vt vim ſuppliciorum eneruarit, nec prauitatem exuerit. 26.
Quòd ſi dixerit Idumæa: Deſtructi ſumus; ſed Malach. 1. v.4.
reuertentes ædificabimus, quæ deſtructa ſunt: hæc dicit Dominus exercituum: iſti ædificabunt, & ego deſtruam, & vocabuntur termini impietatis, & populus, cui iratus eſt Dominus vſque in æternum. Impietas cum Dei pietate pugnabat, & cùm ad reſipiſcentiam prouocaret verbera pientiſſima manu infligendo: ipſi ad infelicem ſe patientiam communiebant tempora fortunatiora expectando: *Reuertentes ædificabimus. Iudæi*, in- Gloſſa.
quit gloſſa, *falsò ſibi blandiuntur.* Aptiùs Lyra: Lyra.
Reuertentes ædificabimus, id eſt, terram noſtram meliùs, quàm Iudæi reuerſi ædificauerunt ſuam. Idumæi cùm ad meliora ſapiendum allicerentur, & collatis in Iudæos à Domino beneficiis, & inflictis ſibi verberibus ad vaniſſimas ſpes confugiebant, & ſupplicium inani promiſſione fruſtrabant. Quod & Sophonias peccatoribus eſſe ſolemne ſic teſtatur.

Moabitæ confuſis calamitatum vorticibus merſi iniqua confidentia euacuare nitebantur ſupplicia: experiebantur inuiſibilem manum cruento verbere diuexante: ciuitates intuebantur euerſas, & quæ olim excultæ, & copioſis hominibus inhabitatæ, iam beſtiarum erant ſtabula, ferarum cubilia: reluctabantur tamen pertinacia ſuppetias ferente iniquiſſima confidentia: *Accubabunt in me-* Sophon. 2. v.14. 27.
dio eius greges, omnes beſtiæ gentium, & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur, & vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari: quoniam attenuabo robur eius. Hæc eſt ciuitas gloriosa habitans in confidentiâ. Ad confidentiam recurrebant, vt ſibi ipſis imponerent; & detrimento ingentiſſimo fallerent. Ita Hierony-
mus ad hunc locum: *Dicitur Eccleſiam hæc,* Hieron.
paſſuram fore, vel eſſe perpeſſam, quòd in ſuperbiam ſe eleuauerit, & quaſi cedrus ſuum cacumen erexerit malis operibus dedita, & nihilominus futuram ſibi beatitudinem repromittens, & in corde ſuo cæteros deſpiciens. Vt infirmus febrium ardentiſſimis flammis aduſtus frigidam ſibi promittit, & vanis ardorem ſpebus fallit, ita hi inter calamitatum preſſuras in futurum extendebant fallaciſſimam confidentiam, & quia ſibi promittebant nitidiùs florere, detrectauere reſipere. Quòd quàm frequenter peccatoribus accidat, nullus ignorat: ad futura recurrunt, ſibi fucatis adulationibus imponentes, & fortunatiora ſperantes. Nec ſolùm indurantur ad verbera; ſed etiam ad beneficia: deteriori ingratitudinis genere non ſolùm pro acceptis beneficiis gratias non agunt; ſed obliuione affectata deſipiunt.

Deus in memoriam Hebræis refert, quanto eos proſecutus fuerit amore; illi verò altiſſimo quodammodo ſomno immerſi ſe quid accepiſſe non agnoſcunt; imò ingratis largitorem vocibus feriunt: *Dilexi vos, dicit Dominus, & dixiſtis: In* Malach. 1. v.2. 28.
quo dilexiſti nos? Proh humanam ingratitudinem!

beneficio

Digitized by Google

beneficiorum pelago penè obruuntur, & ſe beneficia ignorare ingratiſſima interrogatione teſtantur: Theodor. *Eorum ingratũ animũ reprehẽdis,* inquit Theodor. *quòd cùm tantoperè à Deo omnipotenti fuiſſent dilecti, non ſolùm ingrati in benefactorẽ fuerũt; ſed etiam hoc ipſum ignorarũt quòd dilecti eſſent: quare eorum animum ingratum arguit à principio demonſtrans ex maioribus dilectionis magnitudinem.* In Moſaïcis libris vel à pueritia verſati ignorare nequibant Eſaü naturâ ſuffragãte priùs ex vtero fuſum, & primogenituræ legibus antelatum, fuiſſe, diuino ſic decernente oraculo, fratri minori poſtpoſitum. Ergo cùm Deus Iacobæis fauens maiorem mulctauiſſet primatu, Iacobumque dignitatis luminibus exornaſſet, & in generis Principem extuliſſet, ſe nil accepiſſe ignoratione ingratiſſima aſſerebant, & quæ ipſa incunabula non permittebant ignorare, affectabant prorſus neſcire: ea erat illorum in vitia propenſio, vt in ſcelerum occaſionem ipſam conſcientiam corrumperent, ignorantiamque affectarent; & quidem obliuio ſummam eorum prauitatem arguebat, vt profuſam numinis liberalitatem deprædicabat: illos beneficiorum magnitudo adurgebat, vtque nihil debentium argumenta quærerent, ad obliuionis recurrebant ſubſidium, ignorantiæque teſtimonium: ergo dum oſtenduntur obliti, ſummè probantur ingrati. Adiice quas peccatoris technas explicuit Tertullianus Tertullian. libro de ſpectaculis cap. 1. *Tanta eſt vis voluptatum, vt ignorantiam protelet in occaſionem, & conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrumque.* Peccatores, ne à culpis diſcedant, corrumpunt conſcientiam, & mentiuntur ignorantiam: Malach. 1. v. 6. *Deſpicitis nomen meum, & dixiſtis: In quo deſpeximus nomen tuum?* Caini diſcipuli ipſum Deum adnituntur fallere, aut ſaltem ignoratione affectata eludere. Opportunè datus ſuper Malachiam Hieronym. Hieronymus: *Debueratis ad Dominum plena mente conuerti, & non ſolùm hoc non facitis; ſed imitantes Cain ſuperbis contra Deum vocibus reſpondentes ſciſcitamini ab eo, quem occulta non fallunt, & dicitis: In quo deſpeximus nomen tuum? vt diſſimulationis impudentiâ vulnus conſcientiæ protegatis.* Impudenter ignorant, vt auidiùs delinquant: vulnus protegunt non ſalubri verecundiâ; ſed deteſtandâ ignorantiâ.

---

§. VII.

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas.

29. SVbiectus Principi pendit tributum, non ſolùm vt teſtetur reuerentiam; ſed vt ſtudioſam remuneret curam: inuigilat namque Princeps Reipublicæ commodis, felicitatis augmentis, & pacis ſtudet lucris. Ergo digno laudabilique commercio, & ſubiectus pendit aurum, & Princeps vigilantiſſimum ſoluit ſtudium. Diſertè Caſſiodor. Caſſiodorus 6. var. 24. *Tributa quidem nobis annua deuotione perſoluitis; ſed nos maiori viciſſitudine decoras vobis reddimus dignitates, vt vos ab incurſantium prauitate defendant, qui noſtris iuſſionibus obſecundant: erit enim gaudium veſtra quies, ſuaue lucrum, ſi neſciatis incommodum.* Vt Principi, quia corporale ſolicitat commodum, gratanter exhiberi debes tributum, ita Sacerdotibus, quibus potiora curæ ſunt, nempe animarum ſalus, & quies, debentur primitiæ, & decimæ. Noluit Dominus nomine tributi exigere, vt inuidiam nominis declinaret, quandoquidem vel Athenienſes, teſte Rhodiginio lib. 17. cap. 9. Cæl. Rhod. *Tributorum exactionem ciuitatis regimen miti nomine indignitatem rei temperantes nuncuparunt.* Ergo Dominus non rei indignitatem, quæ nulla erat, temperans; ſed dulciori nomine rem nuncupans, pendi lege ſanciuit decimas, & primitias. Nec has exegit ſolùm in Dominij argumentum; ſed in offerentis commodum: *Quarto anno omnis fructus eorum ſanctificabitur laudabilis Domino.* Leuit. 19. v. 24. *Quinto autem anno comedetis fructus, congregantes poma, quæ proferunt.* Iam audis poma congreganda, ſi ritè ſoluantur impoſita à lege tributa. Quod nouit Philo lib. de charitate. *Ita demum decerpi permittitur, ſi non in priuatos vſus vertatur;* Philo. *ſed Deo ſacretur primitiarum nomine in teſtimonium gratitudinis, & in ſpem felicitatis futuræ.* Felicitatis ſpes arridet, ſi primitiæ offerantur Domino; ſin autem futura felicitas in calamitatem degenerabit, & fertilitas etiam fugiet. Et quidem qui Principem ſoluendis fraudat tributis, cùm eius lateat notitiam, ſibi non ſolutis addaggerat copiam; verùm cùm Deus omnia videat, cùm nihil eius perſpicaciam poſſit latere, qui indeuotè negat decimas, ſibi ſolicitat paupertatis ærumnas, quandoquidem æquiſſimo iure omnium delargitor nouem denegabit ei, qui offerre decimam renuit. Hinc noſces, cur Danitæ hoc in capite, vbi Leuites refertur mercede ob paupertatem conductus, referantur commoda habitatione carentes: *Dan quærebat poſſeſſionem ſibi, vt habitaret in ea.* Michæ hoſpitio Danitæ indigent, eodem ac Leuita vtuntur diuerſorio, vt ipſo in diuerſorio potuerint legere cauſam, ob quam habitationis paterentur inopiam: ibi erat Leuites, quia Hebræi decimas non ſoluebant: ergo & ibi non ſoluentes erant Hebræi, vt quam Leuites decimarum inopia ſuſtinebat paupertatem, & ipſi decimas non ſoluendo experirentur pauperiem: Iudic. 17. v. 8. *Egreſſus de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit, vbicumque ſibi commodum reperiſſet.* Lyra. Ad quæ Lyra: *Quia filij Iſraël iam declinauerant ad idololatriam, nec reddebant decimas ad ſubſtentationem Leuitarum, vt tenebantur, & ideò Leuita cogebantur quærere victum per alium modum.* Leuita propria habitatione carebat in domo Michæ receptus, quia decimæ non ſolutæ: ergo ob eamdem cauſam Danita habitatione indigens in domum Michæ recipitur: ſibi arctauit Danita habitationem, dum decimas non ſoluendo ad quærendam compulit habitationem Leuitam.

30. Ea Hebræos calamitas opprimebat, vt filios filiaſque pro pretio vendere cogitarent: 2. Eſdræ 5. v. 2. *Accipiamus pro pretio eorum frumentum, & comedamus, & bibamus.* Hanc extremam calamitatem, inexorabiliſque famis duritiem allatam aut certè fotam decimarum non prorogatione exiſtimat Hieronymus Hieron. ad Malachiæ cap. 3. *Leuitis decimas nolebant reddere, qui non habebant partem in hæreditate Iudææ; ſed primitiæ & decimæ erant hæreditas eorum.* Recuſarant decimas ex agris pendere: ergo cogebantur non ſolùm agros vendere; ſed & filios: frumenti namque pars iniuſtè denegata pro igne erat non ſolùm ad fructus reliquos exurendos; ſed ad ipſos agros fructibus viduandos: agri non pendebant Dominis vectigalia: quia agrorum Domini omnium largitori ſuis in miniſtris debita non exhibebant tributa.

Hinc

Digitized by Google

31. Hinc Eſdras, vt vniuerſali calamitati ſuccurreret, in domum Dei afferri decimas ſolerti ſtudio curauit tatus non imprudenter ablata cauſa depellendum duriſſimæ famis effectum: *Cognoui quòd
2. Eſdræ 13. v.10. *partes Leuitarum non fuiſſent datæ, & fugiſſet vnuſquiſque in regionem ſuam de Leuitis, & cantoribus, & de his qui miniſtrabant: & egi cauſam aduerſus magiſtratus, & dixi: Quare dereliquimus domum Dei? & congregaui eos, & feci ſtare in ſtationibus ſuis, & omnis Iuda apportabat decimam frumenti, vini, & olei in horrea.* Audiſti ſummam inopiam negatis decimis, vide iam apportatis vberem abundantiam: *In diebus illis vidi in Iuda calcantes torcularia*: iam erant vuarum acerui, iam graui onere brutorum humeri terebantur, iam ficus groſſos ſuos proferebat, & rubentes fructus reddebant malogranata. Ad quæ datus Hieronymus: *Vide clementiam Domini:
Hieronym. par pari repromittit, vt in qua menſura menſi fuerint, remetiatur eis.* Non exundaſſent torcularia muſto, non horrea copioſo grauarentur frumento, ni in Dei domum decimas intuliſſent: erant enim decimæ pro fœcundis laticibus ad fructus incrementandos, & ad copioſos ex agris reditus colligendos.

32. Promiſerat Dominus Iacobo dormienti rerum
Geneſ. 28. v.14. omnium abundantiam: *Dilataberis ad occidentem, & orientem, & ſeptentrionem, & meridiem.* Vt ſe cohiberet gratum, promiſit decimas: *Cunctorum, quæ dederis mihi, decimas offeram tibi*: verùm, vt de more eſt hominibus Deo promiſſa obliuiſci, aut in tempus futurum trahere; quaſi obliuioſum monet Deus Iacobum Bethel aſcen-
Geneſ. 35. v.1. dere, & promiſſis ſtare: *Aſcende Bethel, & habita ibi, facque altero Deo, qui apparuit tibi, quando fugiebas Eſaü fratrem tuum.* Deus largitatis theſaurum clauſum penes ſe habere neſcius, & ex alia parte ſuis magnificis promiſſionibus obſtrictus, vt quam Iacob tunc calamitatem patiebatur, leuaret, vt copioſis nobilitaret fructibus, decimas exhibere ſibi admonuit, & rectè forſitan ob non redditas oppreſſum laboribus indicauit: *Frequentiſſimè nos admonet gratitudinis ſupremus
Oleaſter. pater* (verba ſunt Oleaſtri hîc ad mores) *quòd nouerit nos ad ingratitudinem promptiſſimos, & vbi beneficia contulit, aut promiſit, illic nos gratos eſſe cupit.* Promiſerat ibi copioſa beneficia; ſed cùm Iacob nondum decimas perſoluiſſet, ſuam liberare fidem quodammodò impediebatur. Ergo vt Iacob, qua diuexabatur, calamitatem excutiat, vt promiſſam ſortiatur copiam, Bethel inſcendat, ibique reddat decimas, quibus ritè ſolutis plurimis fruetur commodis.

33. Iam oblatas decimas famem depellere, & fructus veluti fœcundis irrigatos vndis producere, Dei nomine tradit Malachias: *In penuria vos ma-
Malach. 3. v.9. ledicti eſtis, & me vos configitis gens tota. Inferte omnem decimam in horreum, & ſit cibus in domo mea, & probate me ſuper hoc, dicit Dominus, ſi non aperuero vobis cataractas cœli, & effudero vobis benedictionem vſque ad abundantiam, & increpabo pro vobis deuorantem, & non corrumpet fructum terræ veſtræ, nec erit ſterilis vinea in agro.* Decimæ ritè ſolutæ depellebant ſterilitatem, fructuum multiplicabant congeriem, & quia ſatis non eſt ſplendentes fructus è terrâ micare, ſi peſtilens locuſtæ dens arroſerit, deuaſtaueritque, promittit beſtias frænandas, & fruges copioſiſſimas demetendas. Ita Hieronymus ad hunc locum:
Hieron. *Quia mihi non redditis decimas & primitias: idcircò in fame & penuria maledicti eſtis.* Adnectit: *Pro decimis, & primitiis, quæ parua erant, ſi à vobis darentur, vbertatem poſſeſſionum veſtrarum, & omnem frugum abundantiam perdidiſtis; vt autem ſciatis me hoc iraſcente perfectum, quia fraudaſtis me in parte mea; hortor vos, atque commoneo, vt inferatis decimas in horrea, & probate me, ſi non tantas pluuias effudero, vt cataractæ cœli apertæ eſſe credantur.* Vt Elias in ore clauem cœlorum obtinebat, qua nubes aperiret, ac clauderet, ita decimæ ſolutæ aut denegatæ claues cœli ſunt, & ſoluunt ad abundantiam, aut concludunt ad inopiam.

---

§. VIII.

Superioris præſentia mores informat, vitiáque exarmat.

VT Sol dum præſens adeſt confuſas caligi- 34.
noſæ noctis diſpellit tenebras, vt homines blanda luce honeſtos ad labores allicit, vt inſidioſos ferarum adſultus inhibet, ita Princeps ſua præſentia ſordidas morum tenebras expungit, virtutes alit; & procaciam audentium reprimit: *Poſuiſti tenebras*, aiebat Pſaltes, *& facta eſt nox, in
ipſa pertranſibunt omnes beſtiæ ſyluæ: catuli leonum* Pſal. 103. v.26.
rugientes; vt rapiant, & quærant à Deo eſcam ſibi: Ortus eſt Sol, & congregati ſunt, & in cubilibus ſuis collocabuntur: exibit homo ad opus ſuum, & ad operationem ſuam vſque ad veſperam. Quàm alia eſt mundi facies de præſentia, aut abſentia Solis! Si abſit, ſæuit truculentia, feritas inſidiatur, vigent ſcelera, & honeſti labores ceſſant; at ſi adſit, ſolâ eius præſentiâ audax frænatur ſæuitia, iners diſcutitur ſomnolentia, & otioſa exterminatur ignauia. Nec aliter præſente aut abſente principe videas accidiſſe: dum adeſt, ſolo aſpectu honeſtatem nutrit, inconcinnitatem morum depellit, & omnia in officio continet: Opportunè Caſſiodorus 12. var. 18. *Regius apparatus ſicut
negligentibus affert periculum, ſic ſtrenuè laboran-* Caſſiodor.
tibus præſtat ornatum: quia præmium eſt vitæ domino vidente ſeruire, cui nec culpa celari, nec bonum poſſit abſcondi. Adnectit: *Militiam veſtram tranſcenditis, ſi rerum domino placere poſſitis.* De Principis aſpectu ſuguntur ad benè operandum vires, de abſentia vigor langueſcit, animus curatur, virtus torpet, ignauia viget. Quod Sol in orbe, princeps in vrbe: vtque ſine candida luce noctis prorogatur imperium, vt ſine placido venti flatu non arridet ſerenitas, vt ſine Solis exortu nec leuatur infirmitas, nec tenebratum fugit vmbroſitas: ſic niſi adſit princeps, proſperitas non arridebit, nec calamitas prorſus effugiet; at ſi aduenerit, commeantium viget frequentia, floret politia ciuitatum, & maior ſentitur componendis moribus efficacia. Hinc ſacer textus Iſraëlitarum execranda ſcelera relaturus regem non fuiſſe teſtatur: *In diebus illis non erat rex in Iſraël*: quaſi non tam mirandum ſit iniqua homines perpetraſſe quàm deficiente rege in deteriora ſcelera non proruiſſe. Innuit Abulenſis quæſt. 2. *Non fuit, qui tunc
iſta puniret, aut prohiberet, quia non erat rex, vel* Abulenſ.
iudex in Iſraël. Et etiam ponitur maximè pro audacia faciendi: quia ſcientes filij Dan quod nemo poſſet eos punire, aggreſſi ſunt hoc. Furta exercebantur, florebat luxuria, & quia viduata rege

reſpublica

Digitized by Google

Reſpublica, ſcelerum erat ingentiſſima copia: eſt enim rege carere grauiſſimum omnibus detrimentum, vt vigilanti æquóque principi ſubiici vniuerſaliſſimum commodum.

55. Cùm populus ingenti aquæ penuriâ laboraret, conſultus Dominus latices è ſilice elicere monuit. Moyſes virga illa omnipotentiæ æmulâ inſtructus cryſtallinas & copioſas vndas elicuit, & populus
Exod.17. v.6. ſitis ardentiſſimas flammas ſopiuit: *En ego ſtabo ibi coram te ſuprà petram Horeb, percutiéſque petram, & exibit ex ea aqua, vt bibat populus: Fecit Moyſes ita coram ſenioribus Iſraël.* Iterùm ſitis adurget, & iterum petra dulciſſimis vndis ſca-
Num. 20. v.7. tet: *Locutus eſt ad Moyſem*, dicens: *Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas.* Petra dedit aquas; ſed Moyſes pœnas: manus namque eleuata, virgáque inſtructa bis ſilicem verberat, quo non ſolùm ſequatur; ſed antecedat beneficium ingratitudo: vita & quidem iuſtiſſimè mulctatus eſt, quandoquidem fas erat benemerentem honorare, & repetitis ictibus non percutere. Sed cùm omnia myſteriis ad noſtram eruditionem ſint plena, inquirere iuuat, quid Moyſem à culpa priùs retardauit, & cur poſteà perculſus obturbatione deliquit? Vbique penuria aquarum, vbique petra, & vbique virga: ſi ergo priùs nec latum vnguem exceſſit præceptum, quid hîc adulterauit mandatum? O humanam fragilitatem! Qui heri miraculorum patrator, hodie deliquit criminis reus, & dum neceſſitati deprecatur ſubſidium, ipſo in neceſſitatis ſubſidio ſibi elaborauit ſcandalum: ſatius eſſet Moyſi penuria vrgeri, quàm copioſis aquarum torrentibus exundare: penuria & abundantia inſidiabantur virtuti: abundans Moyſes errat, ſitiens populus in Deum ipſum linguax obmurmurat; ſed peniriorem huius effectus cauſam textus indicauit, dum alibi præſentem Dominum retulit: ait enim: *En ego ſtabo ibi coram te*: alibi adfuiſſe non expreſſit: ergo vt noueris quantum conducat, nocéatve virtutibus Superioris aſpectus, vbi refertur præſentia, Moyſes non ſordeſcit culpâ; vbi verò præſentia ſilentio tegitur, deliquiſſe narratur. *Demonſtrantis eſt locus*, inquit Caiet. *& promit-*
Caiet. *tentis propriam præſentiam ſecundùm operationem fæcundam ad producendum ibi aquam ad ſimilitudinem viri ſtantis ibi*: vbi apparet ſtans, virga legem non tranſgreditur; ſed iubenti populóque inſeruit expromptè, & ſuccurrit ſine offenſione aliqua ardenti ſiti; at vbi Superioris aſpectus virgam non cohibet, repetitis ictibus audet.

56. Iam hoc idem nobis declarauit Sponſa: ciuitatem circuit ocyſſimis affectionis alis Sponſum quæritans: incidit in vigiles, quos inoffenſa prætertiit, & propè eos, quem quæſiuerat, adinuenit:
Cant.3. v.4. *Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululùm cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea.* Iterùm ſponſi abſentis amore repercuſſa itque reditque vias; verùm ciuitatis cuſtodes pallio nu-
Cantic.5. v.7. dant, & altas incutiunt plagas: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me: tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum.* Cùm bis in eoſdem cuſtodes inciderit, hæreo reperire cur priùs non ſolùm non vulnerarint, palliumve abſtulerint; ſed nec aſpero verbo offenderint, cùm poſteà & iniuriis affecerint, & violenter pallium abſtulerint: ſi priùs dimiſerunt innoxiam, cur modò percuſſam? Eius attendamus verba, vt diſcriminis nouerimus apertè cauſam: priùs non longè aberat cuſtodum dominus: ait enim: *Paululum cùm pertranſiſſem eos, inueni quem diligit anima mea*, poſteà longiùs diſtitit: *Dilectus meus*, reſpondit à Ieruſalem filiabus interrogata, *deſcendit in hortum ſuum ad areolam* Canticor. 6.
aromatum, vt paſcatur in hortis, & lilia colligat. v. 1.
Se receperat in rus ſponſus, vt honeſto otio tot laborum defatigationem leuaret; verùm cùm ipſe diſtans ſtudet liliis colligendis, cuſtodes ciuitatis, vt rapiant, infligendis ſtudent plagis: anteà præſentiam veriti omnem ab Sponſa abſtinuerunt iniuriam; modò verò abſentiæ auxilio diſpoliarunt ornamentis, & vulnerauerunt plagis: tantùm Reipublicæ tranquillitati, miniſtrorúmque rectitudini principis præſentia conducit, aut abſentia nocet. *Habuit certamen*, inquit Ambroſius in collectis, *ſed qua ratione ſupra non tulerint pallium, hæreo* Ambroſ.
reperire. Adnectit: *Non multum interualli fuit, cum tranſiuit ab eis, & inuenit Ieſum.* Erat exiguum interuallum inter principem & miniſtros, longior poſteà interceſſerat diſtantia, nec audentes animos manus auidas cohibebat præſentia: ergo hic quæritur Sponſa & percuſſa & denudata.

Si abſit princeps, facilè fragilitas corruit hu- 57.
mana; ſi adſit, iam honeſtus floret rubor, & ſe recolligit auſus: Chriſto Domino ab æmulis capto Petrus Caiphæ palatium intrat, & ancillæ interrogationibus perturbatus perfidè negat: *Ille ne-* Matth. 26.
gauit coram omnibus dicens: Neſcio quid dicis. v.70.
Firmiſſima petra nutauit; verùm cùm ab vna ad alteram partem, quod textui videtur congruentiùs, à miniſtris Chriſtus duceretur, prolapſum reſpexit diſcipulum, & iam aſpectus luce diffugiunt tenebræ, iam copioſæ promanant lachrymæ: *Conuer-* Lucæ 22.
ſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus forâs Petrus fleuit amarè. Dum conuerſus modò refertur, anteà auerſus innuitur: ergo vt noueris, quàm alius vel ipſe Petrus ſit, dum præſentem veretur, & dum non videri ſuſpicatur; viſus ad virtutem componitur, & ad vitia proruit ad ſpeciem non aſpectus. Innuit Chryſoſtomus apud D.Thomam in catenâ: *Nutu erigens ad lachry-* Chryſoſt.
mas prouocauit. Clariùs ibi Auguſtinus: *Quod quomodò accipiendum ſit, diligentiùs conſideran-* Aug.
dum eſt. Dicit enim Matthæus: Petrus enim ſedebat foris in atrio: quod non diceret, niſi ille cum Domino intus agerentur. Dum Petrus negat, intus Scribæ, Phariſæique cum Domino agunt: ergo cùm & Superior intus degeret, & ſubiectus foris cum miniſtris ageret, oculos non reueritus, veritatem abnegauit; poſteà verò oculis repercuſſus & occaſionem deſeruit, & ad pœnitentiam confugit.

---

§. IX.

Grauis labor pro caducis videtur exiguus, exiguus pro æternis magnus.

PRæfectus vigilum per offuſas noctium tene- 58.
bras prædones tenetur inquirere, imbri expoſitus, acri ventorum flatu ſubiectus; & tamen labor de honore dulceſcit, & facile obnoctare ei videtur, quia ſic gloriam nominis adipiſcitur. Ita Caſſiodorus 7. var. 8. *Tibi commiſſa eſt fortuna-*
rum ſecuritas, ciuitatis ornatus, vtilitas omnium, Caſſiod.
ſcilicet

ſcilicet vt circa domeſticos graſſatores bellum pacatum gereres, ſi quem ciuium lædendum eſſe ſentires: cuſtodi fortunas omnium: ſecurus ſomnus te vigilante carpitur, & moleſtia nulla ſentitur. Non ſolùm ciues ob alienam vigilantiam excuſabunt moleſtiam; ſed ipſe qui obnoctabat, nulla grauabatur moleſtiâ: quia præualebat nominis gloria. O ad quam incommodas vigilias, excubias periculoſas illud compellebat munus; & tamen dulceſcebat labor: quia de labore fulgebat honor. Ecce ciuitatis cuſtos vigilat, vt volaticam lucretur gloriam, cum Petrus nec admonitus vigilauerit, vt
Math. 16. v. 40. fugeret culpam dicente Domino: *ſic non potuiſtis vna hora vigilare mecum? vigilate & orate, vt non intretis in tentationem.* Expende illud *mecum*: quaſi vel vna hora vigilare cum Chriſto viſum fuerit Apoſtolis arduum, cum præfecto vigilum vigilibuſque plures noctes inſomnes ponere videatur facillimum. Non ignorabant hoc hominum ingenium Danitæ dum contribules ſuos ad Laienſes inuadendos adhortarentur: *Vidimus terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare: eamus & poſſideamus eam: nullus erit labor.* Armati proficiſcuntur; *Profecti ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Sara, & Eſthaol ſexcenti viri accincti armis bellicis.* Siue æſtiuo tempore, ſiue brumali iter carpſerint, opus illis erat ſub armis magnos labores ſubire, & temporis iniurias perferre; imo vt nobis liqueat per ardua montium aſcendiſſe, & ſub diuo pernoctaſſe, adnectit textus: *Aſcendentes manſerunt in Chariathiarim Iudæ, & inde tranſierunt in montem Ephraim.* Armis prægrauati per ardua montium inſcendunt, longo itinere diuexantur, in campo ſub diuo obnoctant, & tamen nullus aut exiguus, illis videtur labor: *Nullus erit labor*: imò nulla erit requies, veriùs dixiſſent: *Nemo miles*, aiobat Tertullianus libro ad
Tertullian. Martyras cap. 3. *ad bellum cum deliciis venit, nec de cubiculo ad aciem procedit; ſed de papilionibus expeditis, & ſubſtrictis, vbi omnis duritia, & imbonitas, & inſuauitas conſiſtit*; & tamen aiunt: *Nullus erit labor.* Et quare? Quia ſi opulentam & vberem nanciſcantur terram, de vbertate ac diuitiis omnis dulceſcet labor: imò non ſolùm non reſpuent ire ob incommoda; ſed ambibunt deſignati expeditionis ſitientes lucra. Ita Arias Mon-
Montan. tanus: *Vtilitatis ratione aſſeueranter declarata facultatem ſimul, & honeſtatem his adiunctam docent.* Adnectit: *Nihil in viis, nihil in expugnatione, & occupatione laboris, vel difficultatis, moleſtiæ, aut negotij futurum.* Vtilitas omnem leuabat moleſtiam, aurum vires refundebat, & itineris aſpera, expugnationis pericula ſic de cupiditatis, vtilitatiſque artificio minuebantur, vt labores nulli haberentur. O nimis verum!

39. Ionathæ manibus, & pedibus reptare opus per confragoſos ſcopulos, & acutiſſimos montium dentes; ſed gloriæ cupiditas ſic aſceſus ardua emol-
1 Reg. 14 v. 1. liebat, vt tranſitus facilis videretur: *veni, & tranſeamus ad ſtationem Philiſthinorum, quæ eſt trans locum illum.* Proreptare videbatur tranſire, ſcopuli plana itinera, pericula commoda: Ionatham compara cum Zachæo: hic vt videret Chriſtum, in
Lucæ 19. v. 4. ſycomorum inſcendit: *Præcurrens aſcendit in arborem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus.* Chryſologus ad arborem veluti ad crucem inſcendiſſe teſtatur, ob idque Dominum præcepiſſe deſcenſum, vt laboris temperarit duritiem: *ſi benè aſcenderat*, inquit Chryſol. ſerm. 54.
Chryſol. *quare ei dicitur: deſcende? ſuperius dixit: Præcurrens aſcendit arborem: præcurrit ſeruus Dominum, & ante Zachæus aſcendit arborem, quam crucem dominator aſcenderet. Hinc eſt, quod dicitur ei, Feſtinans deſcende.* Videbatur Zachæus ante Dominum inſcendiſſe crucem: quia vt videret Dominum, inſcenderat arborem: arbor crucis Zachæo moleſtiam afferat, Ionathæ per ſcopulos reptare facilis tranſitus videbatur: quia ſtudiorum diuerſitas difficultatem exaggerabat, aut diminuebat: aſcendit Ionathas humanæ laudis, triumphique ſtudio, Zachæus aſcendit virtutis deſiderio: ergo aſcendere arborem ob virtutem erat inſcendiſſe crucem, & proreptare per ſcopuloſa ad humanam gloriam Ionathæ videbatur tranſire per plana. *Ad gloriam vult videre*, addit ibi Chryſologus. Dominum videre vult Zachæus ad gloriam, Ionathas Philiſthæos inuadere mundialem ad famam; ergo huic ardua videbantur facillima, & illi ad noſtram eruditionem facillima apparebant ardua. Nonne arduum eſt aliquibus, & laborioſum audire Sacrũ? Nonne aſperrimũ ieiunare, & eleemoſynas dilargiri, cùm obnoctare ad infelicia libidinis captanda lucra, cùm ſiti fameque adurgeri in caſtris ad ambienda glorioſa nomina non ſolùm leuia; ſed de cupiditatis arte exambiantur vti iucunda. Profectò labores ob virtutem hominum ſunt, quos verò ambitio, & cupiditas affert, non ſunt labores hominum, ſed brutorum, & tamen ipſa cupiditas emollit, ambitio mellit.

In labore hominum non ſunt, inquit Pſaltes, *& cum hominibus non flagellabuntur.* Ab hominum 40. Pſal. 72. v. 5.
cenſu quodammodò expuncti brutorum labores ſubeunt, & tamen nullo ſe labore diuexari arbitrantur: quod acutè expendit Incognitus: *Voluptatibus, & deliciis vacant, & ſic in labore hominum,* Incognit.
ſcilicet iuſtorum non ſunt; ſed nũquid ideò ſunt ſine labore? Certè in labore ſunt peccatorũ: quinimo quãto in mũdo altior eſt gradus dignitatis, gradus voluptatis vel diuitiarum, tantò in illis magis anxiè laboratur: nam grauis labor eſt hanc ipſam præſentis vitæ gloriam quærere, quæſitam quandoque percipere, & perceptam cum omni circũſpectione cuſtodire. Adnectit moraliſſimus Doctor: *Grauis labor eſt hic cum magna fatigatione apprehendere, quod is, qui apprehenderit, nouerit ſe diu ſtare non poſſe.* In labore ſunt iumentorum, qui in hominum labore non ſunt, & tamen ſic obbruteſcunt, vt ſibi veluti nihil paſſis blandiantur, & de felicitate adulentur.

Prodigus mortalem vitam ingreditur, nudus 41.
porcis addicitur, & in illorum ſaginam fame diſcruciatur: *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret* Lucæ 15. v. 15.
porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant. Non inuenies prodigum Domino ſuo in memoriam retuliſſe, quæ paſſus eſt; non ait: Ecce defatigor variis porcorum excurſionibus, ecce fame lutidus tabeo, ecce lutulentus, nuduſque ſordeſco: quid ergo erit mihi? Imò ipſe dato pretio miſeræ ſe tradidit ſeruituti; at Petrus, vt ſequeretur Dominum, vilia retia deſerens obijciebat: *Ecce nos reliquimus omnia, & ſe-* Math. 19. v. 27.
cuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Angelorum regem ſequi magnum erat lucrum & commodum: reſplendebat Petrus ampliori honore Dominum ſecutus, quàm retibus implicatus, & tamen opus eſt illum promiſſo throno ſolari, & labores eius mollire: *ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim.* Longè diſtabat prodigi labor à labore Petri; at hic, quia Chriſtum ſecutus, exaggerat laborem, & amplam ſibi deberi cenſet mercedem, cum ille lutoſa paſcua percurrens, & ſub diuo in montibus degens non

non interroget: Quid ergo erit mihi? contentus porcos paſcere,& voluptatibus inſeruire: *Porcis addicitur*, inquit Chryſol. ſerm. 1. *porcorum traditur ſeruituti, porcorum paſcua lutulenta percurrit, inquieti gregis teritur, & maculatur excurſu.* Nihil prodigo videtur aſperum, vt inſeruiat porcis, cum Petro videatur laborioſum inſeruire virtutibus.

42\. Adde laborem pro caducis, & fallaci voluptate illitis non ſolùm haberi exiguum, ſed videri commodum: *Onus Babylonis*, aiebat propheta, *quod vidit Iſaias filius Amos: Super montem caliginoſum leuate ſignum, exaltate vocem, leuate manum, & ingrediantur portas duces.* Audis Babylonem laboribus prægrauatam, audi etiam quàm ſe felicitatibus exiſtimarit glorioſam: *In corde ſuo dicit: Sedeo regina, & vidua non ſum, & luctum non videbo.* Sibi de deliciarum copia blanditur, vel cum grauiſſimis laboribus premitur. Accipe Ælredum in allegoriis Tilmani ad Iſaiæ 13. *Babylon ſignificat mundum, cuius amor cupiditas eſt, qua reuera onus eſt graue multos premens, & ad inferiora incuruans. Tripliciter autem miſeros onerat labore, timore, dolore, cum labore ſiquidem peruenit homo ad id, quod cupit, cum timore poſſidet, cum dolore amittit*: In ipſa cupiditate eſt anxietas inſerta, quæ diſtorquet in ipſa poſſeſſione timor, qui ſolicitat in rei adamatæ amiſſione dolor qui exagitat; & cùm ipſæ deliciæ ſint contextæ acri dolorum ſtamine ſibi Babylon blanditur, & ſe fortunatiſſimam arbitratur. Sic cæcutiunt ambitioſi, ſic premuntur cæci.

Iſai. 13. v. 1.

Apoc. 18. v. 7.

Ælred.

---

§. X.

Id Sacerdotis eſſe debet eloquium, vt dignitatem non confuderit, ſed oſtenderit.

43\. VEl Ethnici terris vitiorum nebulis obſcurati labium animæ arbitrati ſunt pulſum: ex loquendi modo de internis ferebant ſententiã, & ex ore coniiciebant animam moribus ſordeſcere incomptis,aut virtutibus ornari politis. *Oratio*, aiebat Senec. epiſt. 115. *Vultus animi eſt, ſi circumtonſa eſt, & fucata,& manufacta, oſtẽdit illũ quoque non eſſe ſyncerum,& habere aliquid fracti.* Ex cordis abundantia lingua loquitur, & vti in pellucidis ſpeculis vultus ſpectantur, ſic ipſis in verbis, quæ animi ſpecula ſunt, affectiones deprehenduntur: Patris Verbum ſpeculum appellatur, & imago bonitatis illius: *Candor eſt lucis æternæ, & ſpeculum ſine macula Dei maieſtatis & imago bonitatis illius.* Bonitatem proferentis oſtendit verbum, vt hinc noſcamus verba eſſe animorum indices, & quodammodò imagines. Hinc cùm Sacerdotes vicarij Numinis ſint, &, ſi fas eſt dicere, Dei labia, is eorum ſermo eſſe debet, qui Dei ſanctitatem audientibus oſtenderit, & ſpeculi ad inſtar oculis præſentarit, verà lippientibus oculis agnoſci debet Sacerdotem Deo ſacratum, & à ſordibus prorsùs expunctum: ſic verba taxat, vt venerabilem faciant, & amabilem reddant. Cùm apud Micham Leuita degeret, & illac Danitæ ad Lais ciuitatem contenderent, eius diuerſorio vſi ſunt, & ex loquendi modo eſſe Leuitam deprehenderunt: quia quantumvis illum oculis denegaret cautela, auribus publicauit loquendi forma: *Cùm pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent domum Michæ, requieuerunt ibi, agnoſcentes vocem adoleſcentis Leuitæ, vtentéſque illius diuerſorio dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit?* In litterâ explicuimus diuerſum modum proferendi Ephraitis eſſe: erant enim blæſi: vnde facile fuit Danitis agnoſcere adoleſcentem illum ex Ephraitis non eſſe; verùm cùm textus indicet non ſolùm agnouiſſe Ephraitam non eſſe; ſed eſſe Leuitam, dum ait: *Agnoſcentes vocem adoleſcentis Leuitæ*, aliquid indicat in eius ſermone peculiare, quod eius dignitatem proderet: *Per vocem*, inquit Hugo, *cognoſcentes quòd eſſet Leuita: & hoc eſt notabile, quod ad vocem cognoſcitur Leuita.* Ea fortaſſe charitate verba reſplendebant, ea proferebantur modeſtia, vt indicarint hominem Deo ſacrum, & à ſæcularium ſtylo prorsùs alienum: vt nouerimus qualis Sacerdotibus, Deique miniſtris loquela competat, qui deceat ſermo, & is proferendi modus, vt reluceat dignitas, & muneris agnoſcatur maieſtas.

Seneca.

Oratio vultus animæ eſt.

Sapient. 7. v. 26.

Hugo.

Quæ verba in Sacerdotis ore debeant inueniri, 44.
iam veluti decreto ſanxit Malachias: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Repete caput Iſaiæ 6. & Angelos Domini exercituum diuinas proferre laudes, & peccatoris detergere ſordes inuenies: *Dicebant Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus exercituum.* Adnectit: *Et dixit: Ecce tetigit hoc labia tua, & auferatur iniquitas tua.* En in Angelorũ Dei exercituum ore ſolùm inuenitur Dei elogiũ, & peccatoris ſolatiũ. Ergo cùm Sacerdos Dei exercituũ Angelus ſit, ad ſæculariũ nugas è linguis ſolùm proferet diuina encomia, & quæ ad culparum purgamenta, & pœnitentis ſolatia. Vnde ſi in eius labiis degener ſermo, ſi profanus ſtylus, ſi adulteratus ſit prolationis modus, iam non habetur Angelus; ſed quodammodò ſacrilegus. Ita Hieron. apud Hugonem iam datum: *Verba Sacerdotis aut ſacra ſunt, aut ſacrilega.* In ſæcularium ore verba inueniri poſſunt nec ſacrilega, nec ſacra; at in Sacerdote, vt Hieronymo placet, ni fuerint ſacra, iam ſugillantur ſacrilega.

Malach. 2. v. 7.

Iſaiæ 6. v. 3.

Hieron.

De Leui tribu ita Malach. *Lex veritatis fuit in* 45.
ore eius, & iniquitas non eſt inuenta in labiis eius. Nihil interpoſuit inter veritatem & iniquitatem: quaſi omnia Sacerdotis verba, ſi doctrinæ veritatique promouendæ non proferantur, veluti ſordeſcentia iniquitatis maculis condemnentur. Hinc Bernard. lib. 3. de conſiderat. propè finem ſic aiebat: *Inter ſæculares nugæ nugæ ſunt in ore Sacerdotis blaſphemia: interdum tamen, ſi incidant, ferendæ fortaſſis, referendæ nunquam.* Itaque Sacerdos cum ſæcularibus conuerſans nugas gratis auribus nunquam excipiet, etſi aliquando prudenter diſſimularit; at à proferendis adeò erit alienus, vt à blaſphemiarum culpis intactus: In ore ſæcularium facetiæ mouent riſum; ſed Sacerdotis verba ſalubrem mouere debent ad planctum. Qui Sacerdotem audit, eius verbis inflammatus, & ſermone compunctus, repetat quod Iſaias Seraphim auſcultans: *Væ mihi, quia tacui, quia vir pollutus labiis ego ſum*: hic enim pulcher à ſacerdotali linguâ pullulat fructus, ſi Sacerdote dignus fuerit ſtylus. Adde Sacerdotum verba non ſolùm omni fulgore caſtitatis, ſanctitatiſque luce debere radiare, ſed proximorum pericula pellere, & eorum ſaluti ſtudioſè conſulere.

Malach. 2. v. 6.

Bernard.

Iſaiæ 6.

Sponſus, vt Sponſæ labia commendet, cocci- 46.
neo funiculo comparauit: *Sicut vitta coccinea labia tua, & eloquium tuum dulce.* Septuaginta ſic vertunt: *Sicut funiculus coccineus labia tua, & eloquium tuum decorum.* Noſter Delrius hîc allu-
di

Cantic. 4. v. 3.

Septuag.

Digitized by Google

Delrius. di ad funiculum coccineum Rahab teſtatur in littera: *Notus eſt funiculus coccineus Rahab quæ cùm iuſſa vt ſignum profeſſionis ſuæ de feneſtra ſuſpendiſſet ſalutem ſibi cognationique ſuæ attulit: hic funiculus figura fuit fili coccinei, de quo nunc agimus, nempè fidei profeſſionis, & charitatis Eccleſiæ.* In labiis profeſſio agnoſcitur, ſcintillat charitas, & virtutum vernat concinnitas. Iam Sacerdotes, prædicatoréſque in Sponſæ labiis deſignari tradit Gregor. Magnus ad Cantic. 4. *Prædicatores labia Eccleſiæ*

Greg. *dicuntur: quia dum fluxas cogitationes in cordibus hominum ſuis prædicationibus reſtringunt, quaſi ſparſos crines, ne immodicè diffluant, reprimunt.* Rahab eo funiculo ſuorum ſaluti prouidit, & exploratores ab imminenti periculo liberauit: ergo Sacerdotes, prædicatoréſque, qui Eccleſiæ labia ſunt, funiculum imitantur coccineum, audientibus inſpirando ſalutem, & ab omnibus depellendo anxietatem.

47. Cùm claudus in ipſa naturæ officina à natura iniuriam perpeſſus ad templi ſederet aditum eleemoſynam rogaturus, à Petri charitate obtinuit, quo natura illum fraudauit: miſeriam námque hominis commiſeratus Apoſtolus vocem emiſit, &

Actor 3. v. 6. infirmitatem abegit: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Petri labia fuerunt ſalutis officina, & Apoſtolus reformationem locutus eſt. Notauit Baſil. Seleucienſis orat. 21. *Emiſit vocem, im-*

Baſil. *miſit tangendi vim, & liberationem à malo imitatione quadam expreſſit.* Dum Petri labra Ieſum Nazarenum reſonant, claudus reformatur. O quàm nociuum Reipublicæ, Petróque indecorum eſſet vana verba protuliſſe! Si alia cum claudo verba texeret, tempúſque vanis colloquiis ad oblectamẽtum eluderet, nec reſurrectio Chriſti clareret, nec claudibus pedibus reformatis ad templum viam carperet: tantam ſalutem otioſum differret verbum tantam attulerunt vtilitatem labra, dum proferunt Chriſtum. Timet Diabolus vti præſentaneam peſtem Sacerdotum verba: nam ſi eorum, vt decet, ſermo reſplendeat, veluti acutiſſimis telis vitia feriuntur, & Diaboli commenta nudantur.

48. Ioannes Herodem arguens: *Non licet tibi habe-*

Matth. 14. v. 4. *bere eam*, ſæpiùs inclamabat: hac voce vitium vrebatur, & peccator confundebatur. Ita Seleucienſis Baſilius oratione 18. *Vocem emittebat, quæ*

Seleuc. *poſſent impuri illi affectus reſcindi: vocem emittebat ægram animam adurentem.* Et vnde voci tot flammæ? Iam ſubdit: *Vocem iacit temperantiæ fulgore coruſcantem.* Accelerauit Diabolus collum vocis officinam præcidere: quia dum Sacerdotis vox temperantiæ fulgore reſplendet, libidinoſos adurit: ergo ea ſit Sacerdotis vox, ea ſint verba, quæ dignitatem proferant, vitiúmque confundant.

§. XI.

Miniſtri à Republica electi non ſemel ſibi priùs conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt.

49. Caſſiodor. Omnis vtilitas publica, aiebat Caſſiodorus 7. variar. 32. *fideli debet actione compleri: quia totum vitioſum geritur, vbi conſcientiæ puritas non habetur.* Si ad generalitatis commodum electi conſcientiæ puritate non micant, non dicendi ſunt Reipublicæ miniſtri; ſed aduerſatij: ille ſolùm integro reſplendebit lumine dignitatis, qui ad cunctorum commoda electus ſuæ non priùs attendit vtilitati, quam vniuerſali ſaluti. *Quis patiatur*, aiebat datus Caſſiod. *vnius eſſe commodum diſpendia ſceleſta cunctorum, vt deteſtabile vitium venire poſſit ad pretium.* Cunctorum damno diteſcere, & de priuata vtilitate publicam generalémque anguſtare non eſt dignitatem gerere; ſed dignitatis hamo expiſcati: non negabo plures miniſtros in Reipublicæ ſalutem electos ſua commoda generalitatis vtilitati poſtponere, & ſe laudabiliter obliuiſci; ſed nec mihi inficiaberis nonnullos plus ſibi attendere, minùs Reipublicæ. *Nec hæc dicimus*, aiebat Hieronym. in ſimili caſu ad cap. 1. Aggæi, *quòd vniuerſos generaliter accuſemus; ſed* Hieronym. *quod in omni officio & gradu ſint alij, qui ædificent, & alij, qui deſtruant templum Dei.* Plures miniſtri actionum dignitate, vigilanti ſolertia, generalitatis zelo munus honorant; quia verò aliquando reperiuntur, qui à Republica electi munus adulterent, & priùs ſuis commodis proſpiciant, quàm Reipublicæ ſaluti attendant: ideò hos noſtra theſis carpit; imò non intendimus carpere; ſed corrigere. Ecce tribus Dan, cum anguſta poſſeſſione vteretur adminiſtros delegauit, qui Reipublicæ ſolicitauerint commoda, procuraríntque habitationis augmenta: *Dan quærebat poſſeſſionem ſibi vt, habitaret in ea: vſque ad illum enim diem inter cæteras tribus ſortem non acceperat. Miſerunt ergo filij Dan ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent.* Miſſi apud Micham diuerterunt, cúmque ibi notus Leuites Sacerdotio vteretur, rogauerunt, vt conſuleret, an itinere illo aliquid ipſi paterentur aduerſum, & an illis cõtingeret exoptatum. *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerẽt, & res haberet effectum.* Proſpero itinere vti ad quinque viros ſpectabat rem ſortiri effectum ad Reipublicæ cõmodum pertinebat: ergo miniſtri à Republicâ deſignati priùs ſibi proſpiciunt, & poſteà Reipublicæ attendunt. Quod acutè notauit Abulenſis q 7. *Iſtæ erant duæ quæſtiones diſtinctæ: prima pertinebat* Abulenſ. *ſolùm ad iſtos quinque viros, ſcilicet, an haberent proſperum iter inueniendo omnia neceſſaria, & non haberent aliquem aduerſantem: ſecunda pertinebat ad totam tribum Dan, ſcilicet an res intenta haberet effectum, ſcilicet quòd terram inuenirent, quàm capere poſſent, & ſuper vtróque conſuluerunt.* Super vtróque conſuluerunt delegati miniſtri; prima tamen eorum cura fuit circa ſibi cõmoda, & neceſſaria, poſteà circa generalitatis augmenta, vt hiſtoriæ coloribus nobis innoteſcat non ſemel miniſtros Reipublicæ curam ſuæ vtilitati poſtponere, & ſuis primùm commodis ſtudere.

Iam Dominus per Aggæum hoc improperauit 50.
miniſtris: *Numquid tempus, vobis eſt, vt habitetis in* Aggæi 1. v. 4.
domibus laqueatis, & domus iſta deſerta? Templum communis ſalutis promptuarium priùs ædificandũ erat, quàm particulares domus variis exornarentur flexuris, & pulchris ac ſolùm ad oculorum delicias ſpectantibus nodis venuſtarẽtur artificioſis; verùm quibus curæ eſſe debuit templum pro omnium vtilitate conſtruere, priùs curabãt domos ſibi pulcherrimas fabricare. Ita Hieron. ad cap. 1. Aggæi: *Hæc poſſunt de Eccleſiæ rectoribus intelligi, qui ædifican-* Hieron. *tes carnalem domum, liberíſque ſuis, & poſſeſſionibus prouidentes non curant vel in ſe ipſis extruere templũ Dei, vel Eccleſiã Domini, quæ infecta, & diruta eſt, inſtaurare.* Aggæi tempore Ieroſolymitanum templum ſordeſcebat dirutum prorſus ac inornatum,

cum miniſtrorum domus & ad pompaticum luxum ornatæ,& pretioſis ſupelectilibus plenæ:ergo Aggæus eos carpit, qui debuiſſent omnium aſylum conſtruere,domos ſibi laqueatas inſanis ſumptibus fabricare. O verum! videas aliquando Eccleſiæ miniſtros nepotibus diuites maioratus fundantes, palatia ſua pretioſis ſupellectilibus excolentes,cùm tamen Eccleſiæ eis commiſſæ ſordeant dirutæ, & nullis ſupellectilibus exornatæ: non in Eccleſiam conferunt, quos à Republica accipiunt fructus,vt inde veluti è copioſo fonte ad pauperes redundarint; ſed deliciis adaugendis impendunt, aut, vt dicam meliùs, prodigunt. Nec aliter de aliquibus miniſtris ſæcularibus cenſeas:circa commune bonum oſcitanter ſe gerunt, circa fortunam propriam ſolertiſſimè agunt: ergo ab his nihil ſperandum; ſed ſemper extimeſcendum. *Si te ad priuata retuleris*, aiebat Seneca epiſt. 19. ad miniſtrum variis muneribus præfectum, *minora erunt omnia;ſed affatim implebunt;at nunc plurima, & vndique ingeſta non ſatiant;vtrùm autem malis, ex inopia ſaturitatem, an in copia famem? Et auida felicitas eſt,& alienæ auiditati expoſita: quamdiu tibi nihil ſatis fuerit,ipſe aliis non eris.* Qui ſemper ſe adaugendi hydropica inardeſcit ſiti, non permittitur alienis vtilitatibus ſtudere:quia ſemper anhelat ardentiſſimæ ſiti ſuccurrere: ergo ni miniſtri honeſtè ſui curam abijciant, vtilitates Reipublicæ ignauè tractant. Seneca.

51. Poſt arcana illa ſomnia diuinitus immiſſa ad collectis prouidè frugibus famis incommoda minuenda Pharao Ioſephum Ægypto præfert, & ſimilem adminiſtrum inueniri non poſſe aſſerit: *Num inuenire poterimus talem virum, qui Spiritu Dei plenus ſit?* Et cur alius ad induſtriam frugum collectionem, & impertitionem æquam Ioſepho non ſimilis?Certè ſi in coiectoris munere aliis prætuliſſet,non mirum,quandoquidem in ſomnis enodandis & peritior,& verior;verùm in adminiſtranda Republica cæteris præpoſuiſſe mirandū, quandoquidem non deeſſent plures ſolertia vigilantiſſima præditi, & ad rerum congruam diſpoſitionem induſtrij: quid ergo eſt quòd Ioſephus Dei Spiritu probetur plenus, & iure cæteris antelatus? Ipſe Ioſephus ſuis actionibus indicauit: filium accepit primogenitum quem Manaſſem appellauit, & domum propriam ſe obliuiſci clariſſimè oſtendit: *Vocauit nomen primogeniti Manaſſes dicens: Obliuiſci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patriis mei.* Paternæ domus obliuio Dei erat donum,& Reipublicæ adminiſter,vt ſaluatoris nomen impleret, priùs curauit propriam obliuiſci domum, & omnium famis depuliſſe tormentum. Certè ni priùs propriæ obliuioni attenderet, Reipublicæ adeò vigilanter non ſtuduiſſet: vrgentiſſima fames depulſa eſt non ſolùm de frugum augmento;ſed de obliuionis beneficio: *Ioſeph interpretatur augmentatio, ſiue ampliatio,* dicit gloſſa; *ſed in illo Ioſeph ampliationem non habuit niſi ſola Ægyptus.* O felicem Ægyptum adminiſtrum ſortita ſui obliuionem, publicæ vtilitatis amplitudinem! ſola Ægyptus in illo amplitudinem ſenſit: quia paterna domus non ſenſerat amplitudinem. Geneſ. 41. v. 38. Gloſſa.

52. Sæculis celebrandus Moyſes miniſtrorum reſplenduit norma, dum propriis commodis generalitatis præpoſuit ſalutem, & ſui laudabiliter oblitus impensè exambiuit vtilitatem: ad populi ſalutem fuerat electus, cumque in montis vertice de condendis legibus cum Domino ageret, populus abſentiæ colore idololatriæ pruritū texit,& numen ad iracundiam erroribus prouocauit. Ergo Dominus Moyſi promittit ampliorem dignitatem,ni pro populo illo orauerit, & vindictam impediuerit: *Dimitte me, vt iraſcatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamque te in gentem magnam.* Ecce Exod. 32. v. 10. Moyſes, ſi Dominum dimittat, digna vltione populum abolere, maiori,excellentiorique donabitur dignitate; ſi ardentibus obſiſtat precibus, ſi vim Deo gratam intulerit, non ſolùm promiſſa priuabitur dignitate; ſed apud ſuos ingenti vexabitur anxietudine. Quid ergo faciet?Certè ſi aliquorum imitaretur ſtylum, populum alteri parui penderet, & dignitatem ſibi exambiret; at cœleſti luce illuſtratus Deoque proximus ſuam deſpexit, & populi vtilitatem anxiis ſuſpiriis ſolicitauit: *Moyſes autem orabat Dominum ſuum dicens:Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxiſti de terra Ægypti in fortitudine magna,& in manu robuſta?* O dignum Dei populique miniſtrum! Principis curat honorem, & vt curarit, decenter reſiſtit: nec ſolùm attendit Principis honori; ſed populi totius ſaluti: ſolum ſe oblitus eſt, vt honeſtâ ſui obliuione & munus impleret, & ſe miniſtrum omnibus ſuſpiciendum probaret.Certè ſi alius Moyſes eſſet, Principis plauderet voluntati, vt dignitatem expiſcaretur,nec recordaretur populi, vt conſuleret ſibi: *Niſi Moyſes meritis & precibus, tanquam detinens diuinæ iuſtitiæ executionem fuiſſet,* inquit,Caietanus,*non dixiſſet Deus: Nunc dimitte me, vt iraſcatur furor meus.* Furorem meritis detinebat, cùm poſſet dignitatibus adaugeri, malens generalitati proſpicere.

---

§. XII.

Hoſpitalitas hominem auertit à ruina, & ab eius domo impetrat depelli peccata.

Plutarchus lib.de conuiu. Periandri ſic verba refert. *Equidem laudo ciuitates earumque rectores, qui hoſpitibus primùm, deinde ciuibus vacant.* Virtutes ciuitatum ſunt fulcra, honeſtæ fortunæ oſſa, & calamitatum exilia, inter quas non infimo loco hoſpitalitas ponenda eſt, quæ nobiliſſimam agnoſcit progeniem nempe charitatem. Cleodemus apud Plutarchum iam datum menſam, quæ hoſpites admittebat, hoſpitijque præſidium, aram deorum amicitiæ vocauit: *Minimè, Cleodemus inquit, mihi videtur, ſi ex animi ſententia eſt loquendum, præſertim ad menſam,quam ſuſtollunt erepto cibo, cùm Deorum amicitiæ, & hoſpitij præſidum ara ſit.* Conuiuium vrbanè hoſpitibus exhibitum, indigens humanè receptus & fotus, veluti ara eſt, qua homines Dei beneuolentiam elucrantur, & cuius ſuffitu dæmones repelluntur. Michas vt qui diuitiis exundabat, & domi idolum habebat. *Fuit in domo Michæ*: Iudic. 17. v. 5. poſteà cùm prætereuntes Danitas humanè excepiſſet, comiterque tractaſſet, licèt inuito Micha, peſte domum nocentiſſima liberarunt, dum figmenta illa obtulerunt. *Cùm pergentes veniſſent in montem Ephraim, & intraſſent in domum Michæ, requieuerunt ibi.* Adnectit: *tulit Ephod & idola ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.* Sacerdos benignè antea hoſpitio exceptus. Danitæ humaniter modò tractati Micham diſpoliarunt non facultatibus; ſed erroribus: ipſa, quam exercuerat

53. Plutarch. Cleodem.

exercuerat in eos, miſericordia è domo expunxit idolum, vt iam careret errore, qui tanta in hoſpites vſus fuerat humanitate: *Iſte Michas*, inquit Abulenſis *q. 5. erat vir diues valde, & habens domos magnas: ideò ſuſcipiebat peregrinos: ſic ſuſceperat Leuitam, cum peregrinaretur, vt dicitur præcedenti capite: nunc etiam ſuſcepit iſtos viros quinque.* Peregrinorum ſuſceptor errori vacabat; verùm errandi occaſionem ipſi abſtulerunt peregrini, & domus caruit idolo, quæ tam humano nobilitabatur hoſpitio, vt hiſtoriæ penicillo delineauerit nobis Sacra Scriptura hoſpitalitatem non afferre diuitiis incommodum; ſed depellere nociuum figmentum. Omnia, quæ crimini Michæ erant, abſtulit hoſpitalitas, & purgauit miſericordia, vt ab illis, quibus humanum exhibebat officium, maius acceperit ipſe lucrum.

Abulenſ.

54 Multis virtutibus reſplendebat Abrahamus; tunc vero nobili ac legitima prole exornatus eſt, cùm peregrinos excepit, & alacriter pauit: per hoſpites gaudium illi denuntiatum eſt: nec enim ab ea domo quibat ſterilitas abigere Chriſtum, quam Sacrorum hoſpitum honorabat myſterium: *Reuertens veniam ad te tempore iſto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua.* Ni Iſaac habuiſſet, in quo ſemen illi vocandum erat, Chriſti pater non diceretur: ergo tunc Patris accepit elogium, cùm exhibuit peregrinis officioſum obſequium: aqua, quam abluendis pedibus miniſtrauit, ſterilem fœcundauit naturam, & quod denegabat ætas annorum prolixa, impenſæ hoſpitibus impetrauit miſericordia: *Apparuerunt ei tres viri ſtantes propè eum*: ad quæ Gloſſa Interlinearis: *ſtudio hoſpitalitatis.* Hoſpitalitatis ſtudium ad ſe Deum traxit, filiumque recepit. Conſonat gloſſa: *Ad hoſpitalitatis officia reuertitur.* Nec myſterio vacat hoſpitum interrgatio, nempe *vbi eſt Sara?* nam cum carnis, inquit Gregorius lib. 9. moral. cap. 51. citatus à gloſſa, typum geſſerit, dum hoſpitalitas exercetur, honeſtè fœcunda parit, non procaciter adurget: *Cura carnis, quam Sara ſignificat, foris ad iactantiam non appareat; ſed poſt tergum viri, id eſt, ſub diſcretione ſpiritus Solis neceſſariis intenta, neſciat procaciter detegi; ſed verecundè moderari.* Dum hoſpitibus exhibetur obſequium, caro procaciter non inſultat, quia de hoſpitum halitu elangueſcit ardor nociuus, & de impenſa miſericordia naſcitur generoſus conceptus: & expende Lot non antea ab imminenti ruina, & ab ſceleratorum conſortio ereptum, quàm peregrinis humanè exhibuerit officium: poterat quidem Deus alio modo Lotum eripere, voluit tamen hoſpitum manibus educi, & ab hoſpitibus munerari: *Diſſimulante illo apprehenderunt manum eius, & manum vxoris, & duarum filiarum eius, eo quod parceret Dominus illi.* O manus dignis muneribus ſubornatæ, quæ cæleſtem ignem arcuiſtis, & in tuto hoſpitante collocaſtis! Quanta contulit Loto hoſpitalitas! Conceſſit vitam, auertit flammam, adauxit gloriam, vt copioſiores de hoſpitalitate, quàm de fundo fructus colligeret, & excellentiores diuitias meteret: *Penè non eſt profectus, vt euaderet*, (verba ſunt Ambroſij lib. 2. de Abraham cap. 6.) *niſi vrgentibus Angelis, & tenentibus manus eius egredi coactus eſſet.* Lotus extendebat manus, vt hoſpitibus apponeret dapes: extendebant illi, vt ardentes auerterent ignes: accipiebant edulia; ſed auertebant detrimenta, vt notum eſſet omnibus ingentem eſſe negotiationem aliquid hoſpitibus impendere, quo maiora poſſint acquiri.

Geneſ. 18. v. 10.

Gloſſa.

Gregorius.

Ambroſ.

55 Omnibus certè fauet Dei profuſa miſericordia; ſed miſericordibus neſcio quo ſpeciali titulo maiorem pietatem impendit, & ad pœnitentiam trahit. Debebat quidam domino centum cados olei, quos habebat: debebat alter centum coros tritici, cumque œconomus, villicuſque eos conuocaſſet; *Dicebat primo. Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei: Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede cito, ſcribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu vero quantum debes? Qui ait: centum coros tritici. Ait illi: Accipe litteras tuas, & ſcribe octoginta. Et laudauit Dominus villicum iniquitatis, quia prudenter feciſſet.* Et quæ prudentia eſt æquales debitores inæquali exornaſſe indulgentia? ſi habenti oleum debiti pars dimidia remittitur, cur alius anguſtiori beneficio donatur? Ille iubetur ſcribere quinquaginta, octoginta iſte; & nihilominus à Domino laudatur decretum, vt eluceat nobis arcanum. Nullus ignorat in oleo miſericordiam ſignari: ergo habenti miſericordiam miſericordia maior impenditur, & priùs aliis cautionē abſoluitur. Quod ad mores adaptans Chryſologus ſerm. 126. ſic aureo ſcribit ſtylo: *Vides quia villicus non fraudem; ſed pœnitentiam ſuadet, ſolicitat ad acquirendam miſericordiam, non impellit ad falſum, cùm dicit: Accipe cautionem tuam, Sede citò, & ſcribe quinquaginta. Quinquageſimum numerum ad miſericordiam pertinere Dauid pandit, cùm Pſalmum quinquageſimum cantat clamans: Miſerere mei Deus ſecundum magnam miſericordiam tuam.* Qui oleū habebat, ad pœnitentiam vocatur, & debitum agnoſcere perſuadetur: eſt namque miſericordia mentis reluminatio, vtilis conſcientiæ ſtimulus, & ad impetrādam miſericordiam feliciſſimus patronus: qui miſericordiæ caruit ſymbolo, maiori obſtringitur debito, & donatur anguſtiori beneficio.

Luc. 16. v. 5.

Chryſol.

56 Zachæus, cùm Dominum ſuſcipit, ſycomoro relicta deſcendit, non cadit: *Zachæe, feſtinans deſcende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Et cur Chriſtum oporteat apud Zachæum manere, & ſalutem copioſam fundere? Quia Zachæus, vt teſtatur ipſe, dimidium bonorum largiebatur pauperibus: *Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus*: ergo miſericors, vt miſericordiæ percipiat fructus, non cadat; ſed deſcendat: vbi ad aliena manum extendit Adamus, inde trahitur ad miſericordiam accipiendam. Zachæus, & dum propria miniſtrat ad pauperum ſubleuandam miſeriam, vocatur ad percipiendam copioſiſſimam gratiam. Aptè Chryſologus ſerm. 54. *Deſcende ante Dominum de Adamatica arbore, vt pòſt crucē Dominica Paſſionis aſcendas.* Ad Chriſti Domini ſequenda veſtigia allicitur, quem miſericordia cæteris altiorem conſtituerat, veniam impetrat Zachæus, & quem hoſpitalitas tuebatur, non cadit vt Adamus; ſed ad copioſiorem gratiam ab hoſpite impendendam deſcendit: vbi hoſpitibus dignum exhibebatur conuiuium, & ſalutis fuit promptuariū, teſtante Domino: *Quia hodie domui huic Salus facta eſt, eo quod & ipſe filius ſit Abrahæ.* Zachæum filiis Abrahæ nobili progeniei inſeuit miſericordia, quem aliter adureret gehenna. *Inhumanus diues* (verba ſunt dati Chryſologi) *cùm eſſet filius Abrahæ, factus eſt gehennæ filius: iſte, cùm eſſet rapinæ filius, dando ſua, aliena reddendo Abrahæ adoptatur in filium.* Miſericordia attulit ſalutem, hoſpitalitas acquiſiuit illi nobilitatem, & Dominus reſpexit ad gratiam, vt impenſam miſeris compenſaret ipſe miſericordiam.

Luc. 19. v. 5.

Chryſol.

Digitized by Google

§. XIII.

Bonus Reipublicæ miniſter nulli parcet labori, vt omnium prouideat vtilitati.

57. VTilitas publica, generalis omnium commoditas, miniſtrorum curæ, ac ſolertiæ commiſſa eſt: ſi excubiæ ſtationes non deſerant; ſed vigilias agant, populus ſecuriùs dormit; verùm ſi inerti ſomno tradiderunt oculos, ipſo iam laboratur remedio, dum adhibita prouidenter cautela ingenerat confidentiam, & excubiarum ignauia felicitat aduerſariorum audaciam. Qui munus pro Republica ſubit, tenetur ſolertiſſimè inuigilare, nec labori parcere, vt prouideat omnium ſaluti. Audi Caſſiodorum 7.var.7. Vigilum præfectum ſic
Caſſiod. alloquentem: *Eris ſecuritas ſoporantium, munimen domorum, tutela clauſtrorum, diſcuſſor obſcurus, arbiter ſilentioſus, cui fallere inſidiantes fas eſt, & decipere gloria. Actus tuus venatio nocturna eſt, quæ miro modo, ſi non cernitur, tunc timetur: furta magis in furibus facis, dum illos circumuenire niteris, quos omnibus illudere poſſe cognoſcis.* Tanta à vigilibus promanauere ciuibus commoda; at ſi munus adulterarint, ſomnóque indulſerint, latro circumſpectus ad omnia, cautus ad futura, intrepidus ad inſidias, & qui more venti nullo ſitu probatur conſiſtere, faciliùs & dormientes opprimere, & liberiùs poterit diuagari: ſolers miniſter, incorruptus iudex, vigilans indefeſſus de labore proprio omnium incolumitatem procudit, & calamitatem depellit. Arctabantur Danitæ anguſtis, poſſeſſionis terminis clauſi: viros fortiſſimos delegant, qui diligenter terram inſpiciant, & quorum conſilio anguſtos terminos poſſeſſionis extendant: *Miſerunt filij Dan ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent.* Electi munere rectè obito ad fratres reuerſi eos non ſolùm alliciunt; ſed ſe comites etiam offerunt: *Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam, & vberem, nolite negligere, nolite ceſſare: eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.* Exploratorum hortatu Lais aggrediuntur, & capiunt, & originis nomine inſigniunt: *Habitauerunt in eo.* Quantum eſt exploratorum vigilantiæ debitum! Quàm ſe optimos miniſtros comprobarunt, dum labori nullatenus pepercerunt! Notauit Arias Montanus: *Surgite eamus ad eos: nos*
Montan. *vſque adeò rem iam confectam vobis pollicemur, vt præter animi promptitudinem, & iter nobiſcum pariter capeſſendum, nihil prætereà imperemus, adeò vt ne ipſi quidem conſiſtere, aut reſpirare aliquantulum velimus; ſed vobis, qui nihil laſſi; imò qui integri, & valentes eſtis, ſurgentibus tantùm nos, qui adhuc ſtamus, pariter viam remetiri ſumma animi alacritate cogitemus.* Optatis potiùs eſt populus, dum tales eſt ſortitus miniſtros: prolixis itionis, reditioniſque moleſtiis attriti non decernunt vires recreare; ſed vt erant laſſi, ad carpendum iter inueniuntur exprompti. O quàm aliam Reſpublica faciem indueret, ſi ſimiles adipiſceretur miniſtros, qui vt omnium commodis conſulerent, otio non indulgerent, nec laboribus vllis parcerent.

58. Quàm aliter huic tribui, aliiſque contigit, dum phylarchi, & tribuum clauum tenentes indulſerunt otio malentes frui deliciis, quàm aliorum conſulere commodis. Amorthæus filios Dan anguſtauit, dum nullâ diligentiâ, nulla circa mores vigilantiâ, nulla circa ſtatum tribus politia: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte.* Cau- Iudic.1.
ſam venatus Ioſephus ſic antiquitatum 5. ſcribit: v.34.
Bellum non libebat ſuſcipere: tum quod multa à
Chananæo perciperent commoda, tum quod ob lu- Ioſeph.
xum ad laborem non eſſent idonei deprauata iam Reipublicæ forma, & auctoritate optimatum inualida, dum nec Senatus, vt antè, legitur, nec magiſtratus ſolemnes creantur, dúmque relicta cura ſtatus publici omnes priuatis tantùm lucris ſunt dediti. Iam non magiſtratus illi ſolemnes muneri debitam gerebant curam, iam ſtudioſiùs attendebantur lucra, quàm edicta: ergo mutata politia, & inuerſa morum elegantia Amorthæus præualuit, & Danita arctatus ingemuit: tantùm Reipublicæ obeſt, aut intereſt miniſtros habere ſolertes, deſidéſve. In aliis rebus leuiùs peccatur, in hac graui incommodo delinquitur: ſi magiſtratus, ſi iudices, ſi miniſtri exactè munus obeant, floret Reſpublica, ſi premantur ignauia, & Reſpublica lugebit miſerè oppreſſa; verùm eò aliquando res deuenit, vt miniſtri omni labori ac ſollicitudini parcant, & ſolùm reditus fructúſque ob munus rectè obeundum procurarint colligere, & ſoluentem Rempublicam fallere.

Per Malachiam ſic quæritur Deus: *Offertis ſu-* 59.
per altare meum panem pollutum, & dicitis: In Malach. 1.
quo polluimus te? Propoſitionis panes ad Sacer- v.7.
dotes pertinebant; ea tamen iuxta traditiones Hebraicas conditione, vt ipſi ſererent, ipſi demeterent, ipſique coquerent: ergo Sacerdotes omnium horum curam amittentes circa panes ſibi applicandos non erant incurioſi; imò auidè ſibi debitos percipiebant panes; ſed requiſitos ad panes excuſabant labores. Quod aduertit Hieronymus ad
hunc locum: *Offertis ſuper altare meum panem* Hieron.
pollutum, panes videlicet propoſitionis, quos iuxta traditiones Hebraicas ipſi ſerere, ipſi demetere, ipſi molere, ipſi coquere debebatis: & nunc ſumitis quoſcumque de medio. Delicatè ſtudebant innutriri, renuebant defatigari: pendebat menſa Sacerdoti panem; ſed Sacerdos menſæ religioſum non impendebat laborem. Itaque circa colligendos fructus, circa propoſitionis accipiendos panes inueniebantur ſatis ſoliciti; circa ſationem & reliqua pro conformandis panibus requiſita ſatis ſugillabantur ignaui. Plures Sacerdotes ſunt, quibus ob verbi Dominici ſationem, ob doctrinæ ſparſum ſemen, ob excolendum cordis ſubiectorum fundum panis impenditur; inueniuntur tamen aliquando qui auarè fructus & colligant, & detineant, cùm nec vnicum Euangelij verbum in ſubiectorum cordibus ferant.

Adamus excolendo paradiſo à Domino prœpo- 60.
ſitus eſt: *Tulit Dominus Deus hominem, & poſuit* Geneſ. 2.
eum in paradiſo voluptatis, vt operaretur, & cu- v.15.
ſtodiret illum. Non laborioſæ culturæ, ſolertis cuſtodiæ fructus exuberans præmium erat: *Ex omni ligno paradiſi comede.* Vno excepto ligno Adamus in omnia poteſtatem accepit; ſed ſomno traditus culturæ non attendit, & tamen indebitis ſibi arboris foliis veſtitus, & lautiori cibo inuenitur paſtus. Quid tunc? Serpens mulieris calcaneo parat inſidias, animalia debitum confundunt ordinem, neceſſariúmque eſt Cherubinum adhibere cuſtodem, vt à cuſtode antiquo defenderit paradiſum: ad paradiſum colendum electus fuerat

at Adamus, & armatur, vt ab Adamo defenderit, Cherubinus: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Dum Cherubinus nulla obſcuratur ignauiâ, paradiſus nulla defœdatur rapinâ; at dum Adamus indulget otio, & fructus rapaci manu decerpitur, & Dæmon ſerpentis linguam mutuatur: vigilanti miniſtro omnia conſtiterunt integra, non vigilanti, aut dormiente deprauata.
Oleaſt. *Non vult*, inquit Oleaſter hîc ad mores, *Dominus hominem ſeruum otiari: nouerat enim quot mala docuit otioſitas: neque tamen laboribus vrgere voluit, & poſuit eum horti cuſtodem, qui ſe ipſum noluit cuſtodire.* Folia non eſt oblitus ab arbore mutuari; ſed oblitus eſt cuſtodiæ curam impendere, vt iam ab exordio conſtaret, quàm ſit vtilis miniſtrorum ſolertia, & quàm pernicioſa omnibus ſit ignauia. Electum pro Reipublicæ vtilitate, & pro ipſius miniſtri ſalute monebat vbi ſuprà Caſſiodor. *Eſto nunc ad iniuncta ſolicitus: venalitas tibi non adimat, quod concedit induſtria: nam licèt hæc ſub profunda caligine videantur geri; nullus tamen actus eſt, qui poſſit abſcondi.*

Caſſiodor. Iudicis venalitas, etſi induſtriè celetur rariſſimè abſconditur.

§. XIV.

Parum eſt tibi ſplendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire.

61. A Mandatis curis, & pulſis obſtrepentibus negotiis non ignauo ſed ſapienti otio vacare, philoſopho dignum. Vitanda eſt turba, à qua veluti ſcintillæ vitiorum reſiliunt, quæ etſi ſopitæ in incendium non flabellentur, aliquale ſemper afferunt damnum vanitatis flatu, aut prauitatis excitæ vento. *Sic eſt*, aiebat Seneca epiſt. 10. *non muto ſententiam, fuge multitudinem, fuge paucitatem, fuge etiam vnum.* Fugiendus eſt malorum conuictus, ne cupiditates improbas diſcas, ne oculis, quod pudore celandum, haurias; verùm etſi tener animus multitudini ſubducendus ſit, glorioſius eſt ſic animo inuiſceraſſe, ſic concatnatum eſſe virtuti, vt ſine tui detrimento valeas cum vitiis feliciter congredi, & plurimis ſubueniendo triumphare. Quidam apud Tertullianum lib. de pallio cap. 5. ſic aiebat: *Ego nihil foro, nihil campo, nihil curiæ debeo, nihil officio aduigilo, nulla roſtra præoccupo, nulla prætoria obſeruo, cancellos non adoro, ſubſellia non contundo, iura non conturbo, cauſas non elatro, non iudico, non milito, non regno: ſeceſſi de populo; imo vnicum negotium mihi eſt, nec aliud nunc curo, quàm, ne curem.* O felicem, ſi eò ſe contulit virtutis amore, vbi nequeat fortuna manum protendere, nec paſſionis fremitus conturbare: celebrandum laudibus otium cæleſtium contemplationi impenſum, & inertiæ prorsùs ignarum; verùm etſi laudabilis ſit iſte receſſus, laudabilius eſt aliorum etiam cauſas agere honeſtatis zelo, non cupiditatis ſtudio. Quod ibi eleganter adiecit Tertullianus: *Vita meliore magis in ſeceſſu fruare, quàm in promptu; ſed ignauâ, infamique: ſcilicet patriæ, & imperio, Reique publicæ viuendum. Errat olim iſta ſententia: Nemo alij naſcitur moriturus ſibi.* Imò, inquit Tertullianus quia quiſque naſcitur moriturus ſibi intereſt aliis prodeſſe, & aliis viuere. Errabat antiquitus illa ſententia, fortè ex ſchola profecta Epicuri, cui iners otium

Seneca.

Tertull.

omnis felicitas, & nihil agere totum negotium. Danitæ viros delegant, qui aliorum adlaborent commodis, & inuigilarint augmentis, & iam delecti fortiſſimorum aſſequuntur elogium: *Miſerunt ergo filij Dan ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa, & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent.* Fortiſſimi dilaudantur, cùm ad inimicorum ſe proripiunt caſtra, exploratores, non transfugæ, cùm Reipublicæ viuunt, cùm omnium ſaluti attendunt: periculum ſibi procreaſſent, ſi imbelles hoc ſibi munus rapuiſſent: amiſiſſent etiam fortiſſimorum elogium, ſi laudabile recuſarent miniſterium; verùm dum fortiſſimi hoc munus arripiunt, virtutis adaugent cenſum, & ſibi æternant elogium: *Iſti quinque viri*, inquit Abulenſis q. 4. *qui miſſi ſunt de tribu Dan, erant fortiſſimi, vt auderent ſe opponere laboribus, & periculis, & propter fortitudinem non tenerentur ab hoſtibus.* Abulenſ. Eximia quinque horum virorum laus ab hoſtibus non teneri, & pro omnium ſalute indefeſſis laboribus, ac vigiliis inſudare: minùs fortes probarentur, ſi ſolùm ſibi viuerent, nec alios ad altiora extendere procurarent.

Quàm alius à Chriſto Domino probatur Petrus. 62.
Seceſſerat in montem Dominus diſcipulos ſecum ducens, & vel demortuo Moyſi lumen impertiens, & Eliam à ſeceſſu felici ad feliciorum conſeſſum illum adducens: hîc Dominus de omnium ſalute ſtudioſè agebat, cùm Petrus veluti loco affixus & oblectatus quiete clamat: *Bonum eſt nos hîc eſſe.* Matth. 17. v. 4. Non Elias, non Moyſes reſonabant, *Bonum eſt nos hîc eſſe*; ſed ſolùm Petrus: fortè ſuſpicabatur ſe in palatiis negaturum: ergo illi bonum erat à turbis ſecedere, & periculis ſe eripere: Petrus gloriam intuitus eſt; ſed in maieſtate viſus non eſt, aſt Moyſes & Elias teſtante Luca maieſtate fruebantur: *Erant Moyſes & Elias viſi in maieſtate*: Lucæ 9. v. 30. quia ad aliorum ſalutem ſemper inuigilarunt, & proximis conſuluerunt: maieſtatis gloriâ fulgurat Moyſes, quia deſertis renuntians comprehensâ virgâ elementis imperauit, & educto populo veræ religionis hoſtes rapidis ruentis gurgitis voluminibus demerſit. In maieſtate videtur Elias, dum tantiſper ſequeſtrata deſertorum quiete ante Achabi rhedam accinctus currit: pluuiam ad generalitatis beneficium ieiunio impetrans, & audenti ferro prophetas Baalis trucidans: digni profectò famuli, qui in maieſtate cum Domino viderentur, vtpote qui cæleſti zelo inflammati religionis egerunt cauſam, & proximorum ſuſcepere tutelam. Demiſſior ac depreſſior remanſit Petrus, quia loco affigitur, nec ſaluti proximorum impenditur: *Quia videbat multam quietem* (verba ſunt Origenis in catenâ D. Thomæ) *& ſolitudinem cogitauit conuenientem illi ſtationem eſſe ex loci diſpoſitione, quod ſignificat dicens: Bonum eſt nos hîc eſſe.* Orig. Stultam hanc vocem iuſtè ſugillauit Lucas: *neſciens quid diceret*, quando ſuperioris locum ſortitus, & quietis ſibi commodæ ſtudioſus eâdem omnes exæquabat menſurâ, Chriſtum videlicet, Moyſem, & Eliam, cùm magna inter eos intercesſiſſet differentia: ergo eius proditur ſtultitia, quandoquidem Superior, etſi modeſtiâ ſubiectus recuſarit aliis diſſimilem apparere prudenti iudicio debet pro meritorum qualitate diſtinguere Diſcipulis ad conſpectum hoſtium pauitantibus meliùs erat, quàm in horto fugere, ibi manere; verùm Moyſi, Eliæque, & omnium Domino Chriſto ſatius erat cum hoſte congredi,

Digitized by Google

captiuitatis iugum diſrumpere, & homines in libertatem aſſerere: viuat ſibi Petrus ſui conſcius; ſed alios adſimiles non crediderit: ſecedat à turba Petrus, vt negotiationis euitarit delictum; ſed non ſecedat Chriſtus de hoſte reportaturus trophæum.

63. Adſpicio apud Ioannem in Apocalypſi ſeptem ſtellas manus Domini pro annulis exornantes: Apocal. 1. v. 16. *Habebat in dextera ſua ſtellas ſeptem.* Stellas dixit, non tamen aliquod epitheton illuſtre accidit, cùm Magi ſuam ſtellam digno præconio nobilitarint: *Vidimus ſtellam eius in oriente.* Profectò videtur hæc ab illis non modica luminis diuerſitate diſtare, quando ſpeciali elogio agnoſcitur refulgere: & quid non eius, vt, quod eſt commune, ſapientes Matth. 2. v. 2. ſyderi ſpecialiter applicauerint: *Vidimus*, inquiunt, *ſtellam eius.* Procul dubio hæc ſtella non modico ſplendorum cenſu illas ſuperabat; illæ námque manu reſplendebant inſertæ; non tamen tunc adducere proximos laborabant ſollicitæ; at luminoſum hoc ſydus & Domino adſtat: *Vſque dum veniens ſtaret ſuprà, vbi erat puer:* & Magos, vt traxerit, antecedit: *Antecedebat eos:* vtrúmque iunxit, adſtare Domino, & eſſe pro duce Mago: Ergo dum concinno errore diſcurrit, dum honeſtâ vagatione reſplendet, ſpeciale meretur elogium, & ſingulare ſortitur vocabulum: *Aliquando videt Magus*, inquit Chryſologus Chryſol. ſermone 156. *qui habet ſtellam*: vbi ſtella Magorum reluminat oculos, vbi depellit errores, Domini vocatur, & honorem peculiarem ſortitur: quia eius ductu & Magus videt & venit.

64. Expende, amabo te, differentiam inter Ioannem Baptiſtam, dum matris continetur aluo, dum deliteſcit deſerto, & dum Baptiſmum exercet. Lucæ 1. v. 44. Ibi aiebat mater: *Ecce vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo.* Voce exultat, dum ruptis culpæ vinculis pſallit; ſed adhuc infans, dum matris aluo includitur, & tenetur. Aliter retulit Euangeliſta, dum prædicat, dum baptizat, dum Chriſtum ignorantibus digito demonſtrat: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ* Lucæ 3. v. 3. *filium in deſerto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans Baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum.* Ibi voce rupit vincula, fugit humana, contendit ad deſerta; at dum cæteris prædicat, dum tortuoſa, & variis flexuris impedita deducit in planum, iam ab ipſo Deo Angelus nuncupatur, iam Dei verbo emicat diues, & virtutum cenſu celebris. Huc voco Chryſolog. ſerm. Chryſol. 137. etſi alio ſenſu, ſic ſcribentem: *Super vocem verbum.* Quaſi dicat: Aliquid voci additum eſt, dum prædicat: infans fruebatur vocis elogio, exultabat in receſſu infans; aſt dum prædicat, dum baptizat, dum omnium ſaluti ſtudet, dum Chriſtum demonſtrat, dum pro virtute valenter dimicat, pluſquam propheta, & Angelus nuncupatur, & Dei verbo plenus refertur: *Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium in deſerto, & venit in omnem regionem Iordanis prædicans.* Dum ſibi vixit, vox erat, dum prædicauit aliis, iam voci additum refertur verbum, & nouum ſanctitatis elogium: *Super vocem verbum.*

§. XV.

Malè ſibi ominatur, ſi crimen ſuum publicet inuerecundia; benè, ſi occuluerit pœnitentia.

VItiis medicina olim erat in medium proferri, 65. & rubore ſuffundi: illa latebra, in quam ſe timor & verecundia coniecit, patrocinabatur delictis, & ſimulata ſanitas imponens oculis fauebat erratis: *Omnia vitia*, aiebat Stoicus, epiſt. 56. *in aperto leuiora ſunt: morbi quoque tunc ad ſanita-* Senec. *tem inclinant, cùm ex abdito erumpunt, ac vim ſuam proferunt.* Hanc opportunam vitiis medelam ſic adulterauit procacia, ſic impudentia corrupit, vt ſæpè adoleſcentes ſua delicta retegant, quo miſerum plauſum acquirant. Vt olim è virtutibus petebatur gloria, ſic modò è criminibus. Delicta aperire animæ medico ſalutis deſiderio ad ſanitatem conducit, aggrauat infirmitatem multis referre impudenti vanitatis ſtudio. Iulius Atticus, vt refert Tacitus 1. Hiſtor. valentiam ſuam oſtentabat cædem etſi iniuſtam referens, & de ſcelere ſibi plaudens: *Iulius Atticus ſpeculator cruentum* Tacitus. *gladium oſtentans occiſum à ſe Othonem clamauit: & Galba: Commilito, inquit, quis iuſſit?* Mortem reclamante iure perpetratam vt fortitudinis referebat elogium, & temeritatis ſitiebat plauſum. Ecce in Michæ domo degens Leuita non iam diuinis ritibus mancipatus; ſed nefandis idoli ſacrificiis addictus: cúmque à Danitis illac tranſeuntibus quid illic ageret, rogaretur: *Quis te huc adduxit? Quid hîc agis?* Cùm poſſet honeſtis rationibus delictum tegere, & ſacrilegum Sacerdotium diſſimulare, apertè ſe idolo inſeruire retulit. *Reſpondit eis: Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos.* Sine vllo rubore ſe idolo retulit inſeruire, & eius altaribus miniſtrare: *Leuita peccabat miniſtrando,* Abulenſ. *quacumque intentione miniſtraret*, inquit Abulenſis q. 7. Non ignorabat graue eſſe ſcelus à vera religione ad falſam tranſiſſe: non dubitabat lege prohibitum, & grauiſſimis pœnis cautum; verùm imprudens adoleſcens omni expuncta verecundia gloriabatur ſe habere idolum, cui inſeruiret, & inſeruiendo peccaret. O quot iuuenes huius ſequuntur exempla! Sua peccata proferunt ad indignum plauſum, & quæ debuiſſent verecundè celare, inueniuntur audacter, & imprudenter referre. Leuita à Danitis incitatus grauiùs deliquit, & quod tectè tunc in domo Michæ, publicitùs poſteà in Lais exercuit: illa inuerecunda iactantia fuit occaſio noui & grauioris errati, vt iuſtiſſimam iactantiæ errando grauiùs ſolueret pœnam, & dignam ſubiret mulctam. E contra animæ vulnera mala verecundia occulere eſt infirmitati vires addere, peſtem fouere. Profectò cùm honeſtè ex abdito delicta erumpunt, ad ſanitatem inclinant, quæ ni erumperent, nullatenus inclinarent.

66. Latebat Lazarus peccatoris figuram gerens graui ſatis peccatorum mole oppreſſus, cùm cæleſtis medicus iubet lapidem elocari, & fœtentem proſilire: *Lazare veni foras.* Vt nociuam vince- Ioan. 11. v. 44. ret verecundiam, voluit prodire: nam vt delicta iactare eſt impudens inſolentia, ſic animæ medico occulere eſt peſtifera verecundia. *Medicina præſidium*, aiebat Tertullianus aduerſùs Gnoſticos c. 5. *plures*

Tertull. *plures qui refugiunt, plures ſtulti, plures timidi, & male verecundi.* Medico vulnus tegere eſt abegiſſe ſalutem; imprudenter propalare, ſaniem fouet, & periculum auget. Opportunè Gregorius in catena apud D. Thomam. Gregor. *Dicitur Lazaro, veni foras, & ab excuſatione, occultatione peccati ad accuſationem ſuam ore proprio exire prouocetur, vt qui intra conſcientiam ſuam abſconſus iacet per nequitiam, à ſemetipſo foras exeat per confeſſionem.* Peccatum malè tectum fœtet vermibus ſcatens; ſed Chriſto eiuſque diſcipulis lachrymabili confeſſione detectum tranſit ad ſalutem.

67. In ſycomori arborem proreptanti deſcendere quàm citò Zachæo Dominus imperauit, ſalutem ob hoſpitium refuſurus: Lucæ 19. v.9. *Hodie ſalus domui huic facta eſt.* Non anteà; ſed hodie: quia anteà celauerat Chriſto culpam, & modò iam aperit prauitatis offenſam: *Deſcende.* Ad quæ Chryſologus ſerm. 54. Chryſol. *Vt proſiliens in arborem veniæ miſericordiæ apprehenderet fructum, & de ſpecula confeſſionis indulgentiæ cerneret largitorem. Aſcendit in arborem ſycomorum: myſterio, non caſu aſcendit in arborem ſycomorum, vt vnde Adam texerat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret fœditatem auaritiæ.* Zachæus auaritiæ fœditatem inter condenſæ arboris ramos Chriſto celat, & vt Adamus erratum protegere foliis feſtinat. Ergo deſcendat, & ſe aliena rapuiſſe confiteatur, vt de confeſſionis myrothecio congruam vlceri acceperit medicinam, & fœdam abſterſerit plagam: celabat Chriſto; ſed cæteris non celabat: ergo inuertat ordinem, & dum aliis occultat, oſtenderit vtilem verecundiam, & dum Chriſto manifeſtat, ſalubrem aſſequatur medelam. Delicta Chriſto eiuſque miniſtris non ſunt celanda, nec aliis ſunt aperienda: & quidem, vt dicebam, malè ſibi ominatur, qui iactare crimina non veretur.

68. Gigas ille non minus ſuperbiæ elatione, quàm corporis magnitudine in campum proſiliens, Deo eiuſque agminibus apertè inſultabat; nec contentus deliquiſſe ſuperbiâ, inſolenti gloriabatur iactantia. Aiebat Philiſthæus: *Ego exprobraui agminibus Iſraël hodie.* Dauid dum iactantiam audit, victoriam ſibi promittit: 1.Reg.17. v.10. *Non concidat cor cuiuſquam in eo: ego ſeruus tuus vadam, & pugnabo aduerſus Philiſthæum.* Inermis pugnaturus non imprudenter ſibi promittebat trophæum, dum audiebat maledicam illam linguam ob crimina exambientem laudis elogium: *Ego exprobraui agminibus Iſraël hodie*, dicebat inſolentiæ plaudens, & criminis plauſum quærens. Ergo Dauid ſapiens rerum coniector, vt iactantem audiuit, prouocationem certaminis ad ſe rapuit, quaſi iam ſecurum haberet pignus victoriæ, ipſam ſcilicet iactationem ſuperbiæ: nec enim poterat infauſta ſibi non ominari, qui affectabat delicta ſua ad oſtentationem proferre. Opportunè Baſilius Seleucienſis nomine Dauidis orat. 15. Baſil. *Maledicam illam inimici linguam victoriæ pignus teneo.* Non dubium triumphi pignus habuit inſolentem gigantis iactationem: & quidem cùm ad impudentiam declarandam, perfrictam eſſe frontem dicamus myſterio non caruit gigantem fronte percuſſum decidiſſe, vt cunctaret omnibus non ſolùm crimen; ſed criminis impudentem iactationem infelicitatis fuiſſe magnetem. Certè Publicanus magnis criminibus grauabatur; verùm dum faciem abſcondit, dum frontem celat, ipſo rubore culpæ ad ſalutem appropinquat; Goliath verò, dum de crimine inſolentiſſimam quærit gloriam, inſtruit dextero lapide fundam.

Sophonias cap. 2. ſic ſcribit: *Ponet ſpecioſam in ſolitudinem, & in inuium & quaſi deſertum.* 69. Sophon.2. v.13.
Et accubabunt in medio eius greges, omnes beſtiæ gentium & onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur: vox cantantis in feneſtra, coruus in ſuperliminari: quoniam attenuabo robur eius. Hæc eſt ciuitas glorioſa. Coruus putredine ſaginatus de ſuperliminari cantat, & mala ſua profert: ergo dum ciuitas eiuſmodi impudenter cantibus gloriatur, dum in ipſis aditibus, portiſque delictorum inſignia collocat, vt virtutis quiret trophæa, ſibi præmaturat ruinam, & exibilandam cunctis tragœdiam: corui validiùs impetebatur inuerecundis vocibus, quàm hoſtilibus impeteretur adſultibus. Innuit Hieronymus ad hunc locum: Hieron. *Corui immundæ aues in portis eorum, vel in ore, vel in auribus, quo aut loquantur ſemper, aut audiant mala: poſt quæ infertur, & dicitur, ideò Eccleſiam hæc paſſuram fore vel eſſe perpeſſam, quod in ſuperbiam ſe eleuauerit.* Dum oſtentat ſcelera, dum in portis iactat crimina, in ſe infelicitatem armat, & ruit non tam culparum ponderibus, quàm ſtultis ob crimina laudibus, & ſuperbis iactationibus.

§. XVI.

Honeſtam erubeſcimus pauperiem, & iactamus diuitiarum ſordidam facultatem.

MEnander apud Stobæum cap. 115. aiebat: 70. Menander.
Homine paupere nihil fortunatius eſt. Verum dixit, ſi paupertas reluminatis oculis, & repurgatis affectibus ſuſcipiatur; at ſic diuitiarum fulgor, aurique ſplendor mentis aciem hebetauit, vt nihil paupertate ſordidius, nihil reputetur deterius: fugiunt homines animitus videri pauperes, cùm haberi non refugerint peccatores: pluſquam culpam, erubeſcunt inopiam. Errorem hunc quodammodò innatum, & ipſis naturæ viſceribus inditum ab Adamo eius traxerunt poſteri, cæca habendi cupiditate inflammantur, & ambitioſa ſplendendi ſiti aduruntur: non erubeſcent, ſi ſplendidam oſtentatione quiuerint pompam, ad illam ſordidam veniſſe per culpam. Teſtatur Leuita, qui paupertate preſſus Bethlehem reliquit, & ad Michæ domum peruenit: *Egreſſus de ciuitate Bethlehem peregrinari voluit, vbicumque ſibi commodum reperiſſet.* Iudic.17. v.8. In Michæ domo factus idoli Sacerdos argento diteſcit, & ornatu cultiori fulget: *Dixit Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem.* Lætus ibi degebat Leuites, cùm Danitis illac iter carpentibus, & ob quam illic cauſam degeret ſciſcitantibus apertè reſpondit, ſe ibi idoli Sacerdotio fungi, & plurimis commodis exundare: *Quis te huc adduxit? Quid hic agis? Quam ob cauſam huc venire voluiſti? Qui reſpondit eis: Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos.* Ob inopiam illuc aduentaſſe

Digitized by Google

Hugo. uentaſſe tradit Hugo Cardinalis ad Iudicum 17. *Peregrinari voluit, quia pauper erat*. Ergo aduentus cauſam rogatus, fuiſſe inopiam, & paupertatem occuluit, & quanta à Micha illic inſeruiendo idolo acceperit, glorianter iactauit: *Hæc & hæc præſtitit mihi Michas*. Profectò quam in Bethlehem ſuſtinebat, paupertas non aduerſabatur virtuti, præſens facultas idololatria ſordidata, & criminibus deturpabatur obſcura; & tamen Leuites referre honeſtam pauperiem erubuit, & diuitias, etſi idololatria acquiſitas, inuerecundè oſtentauit: *Hanc vel ſilentio prætermiſiſſe videtur iuuenis*, inquit Arias Montanus, *vel illo in primo reſponſi membro inuolutam exiſtimare licet*. Aduentus cauſam, ſcilicet pauperiem aut prætermiſit rogatus, aut ambagibus inuoluit confuſus, quia ſe erubuit pauperem, qui dum habeat, idololatram ſe non erubuit: ſic namque apud homines delicta de diuitiarum ſplendore inaurantur, ac de auri priuilegio immunitate quadam vtuntur, vt homines glorientur de diuitiis, licèt crimine partis, cùm refugiant ſe fateri pauperes, etſi habendi ſint innocentes. *Quæſierunt*, inquit Abulenſis quæſt.6. *de cauſa manendi, & de officio, & ad hoc reſpondit dicens: Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, id eſt præſtitit mihi veſtem duplicem, & decem argenteos per ſingulos annos, & omnia ad victum neceſſaria*. Quàm gloriabatur de obtentis idololatriâ diuitiis! quàm erubuit honeſtam pauperiem! reſpondere aduentus cauſam, videlicet inopiam fuiſſe recuſauit, diuitias, quas ob crimen poſſidebat, non rogatus oſtentare geſtiuit: quaſi dedignatus non ſit haberi criminoſus, & haberi erubuerit mendicus: nouerat apud ſæculum deſpici mendicum, & ſæpè ſæpiùs exiſtimari criminoſum: ergo crimen apertè confeſſus, pauperiem celauit induſtrius.

Montan.

Abulenſ.

71. Dum primi parentes plus iuſto exambiunt, quod poſſidebant, amittunt: ad aliena manum extendere, paupertate fuit diuexari: nudos ſe expertis, & infectos ſimul crimine primum ſtudium fuit non culpam expungere; ſed nuditatem depellere: *Cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata*. Sic degebant, cùm Domini voce è latebris ad tribunal producti paupertatem extitiſſe fugæ, ac timoris cauſam manifeſtiſſimè propalarunt: *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod nudus eſſem, & abſcondi me*. Et cur non eo quòd crimine obſcuratus; ſed eo quòd nudus? Quia latebratum auxilium non quæſiuit culpæ timore perculſus, ſed nuditatis confuſione vexatus: Adamum non ſolùm premebat tunc nuditas; ſed & criminis obſcurabat deformitas: & quamvis honeſtius fuerit ſe erubeſcere culpis maculatum, quàm inopia, nuditatéque oppreſſum; reſpondit non fugiſſe ſe ob criminis flagitium; ſed ob nuditatis tormentum: erubeſcebat videri pauper ac nudus, non crimine defœdatus. Profectò iam ex tunc hominibus, quàm prauitas, odioſior nuditas: non erubeſcunt homines criminibus obſcurari; ſed non exundare diuitiis. Adeſt Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 14. *Notandum quòd culpam ſuam tacuit, quæ cauſa ſibi erat pudenda nuditatis, & ita nudum ſe eſſe conqueſtus eſt*. Subiicit ingenioſus Doctor. *Non enim dixit, vocem tuam audiui in paradiſo, & timui, eo quod præceptum tuum preuaricatus eſſem; ſed timui, inquit, eò quòd nudus eſſem*. A primordio non tam erubuerunt homines maculis infici; ſed pauperes & egenos haberi: Ecce Adamus apertè fatetur arripuiſſe fugam, quia nudus, non quia præuaricationis reus: & quidem non latuiſſet, ſi ſplendidè ornatus; ſed fors adſtaret coram legem transgreſſus.

Gen.3. v.7.

Rupert.

72. Veritatem hanc prodigi confeſſio miris coloribus exornauit: fame luridus, inopia preſſus ſe in mercenariorum numerum referre ſtatuit, vt ſic poſſet panibus exundare, & tormentum famis ſopire: *In ſe reuerſus eſt dixit: Quanti mercenarij* Lucæ 15. v.17.
in domo patris mei, abundant panibus: ego autem hîc fame pereo. Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: Pater peccaui in cœlum, & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus, fac me ſicut vnum de mercenariis tuis. Audis verba meditatum, quibus patrem ad miſericordiam flecteret: attende modò clauſulam ſtudioſè intermiſſam, & ſilentio traditam: *Dixit ei filius: Pater peccaui in cœlum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus*. Et cur non addat: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*. Mercenarium eſſe non erat culpa, tot commiſiſſe ſcelera rubore perfundebat ora; & tamen adoleſcens hic non erubeſcit fateri plurimis ſe criminibus maculatum, cùm non referat ſe fame oppreſſum: quia fortaſſis grauius ei fuerit fateri inopiam, quàm culpam. Et ob id pientiſſimus pater quàm celeriter voluit veſtiri, ne à ſeruis, à quibus audiebatur peccator, nudus videretur: *Dixit pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius*. Quod acutè expendens Chryſologus ſerm. 3. ſic aiebat: *A ſeruis ante veſtiri voluit filium, quàm videri, vt ſoli patri nota eſſet nuditas*. Ne filius graue illud nuditatis ſuſtineret tormentum, quàm citiſſimè veſtiri voluit: quia nouerat prudentiſſimus parens, quàm ſit hominibus onerosum ſe pauperes confiteri, & oculis denotari: filius, qui profuſis lachrymis ſe peccatorem teſtatus eſt: famelicum ſe tacuit, nec in mercenarium admitti petiuit: quia mercenarium eſſe erat indigentiæ teſtimonium, & manifeſtum paupertatis indicium. Notauit opportunè Auguſtinus in catena apud D. Thomam: *Non addit quod in illa meditatione dixerat: Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis: cùm enim panem non haberet, vel mercenarius eſſe cupiebat*. In mercenariorum cenſum referri teſtabatur indigentiam: ergo qui non erubuit fateri coram omnibus admiſſam culpam, vel parenti hanc referre erubuit clauſulam: adeò homines auerſantur inopiam, cùm non adeo animitus fugiant culpam: norunt apud ſæculum nihil paupere vilius, nihil odioſius. Ergo paupertatem vti peſtem nocentiſſimam fugiunt, qui nec idololatriæ crimen erubeſcunt.

Chryſol.

Auguſt.

§. XVII.

Graue conſtat eſſe delictum, ſi ſeruientibus denegetur, aut differatur ſalarium.

SEruientibus niſi impendatur ſalarium, exigi nequibit laboris penſum: non ſolùm namque nutriunt artes præmia, ſed vires etiam egregia refundunt ad opera: nonnullos ſeruos 73.
in

in brutorum numero ponere, querebatur Stoicus epiſt. 47. *Tanquam iumentis abutimur.* Parum dixit: iumentis namque competens pabulum exhibetur; at ſeruis ſæpiſſimè denegatur: compelluntur vigilias agere, lautè ambitioſéque cœnantibus inſeruire, varia fercula inſerere; cùm tamen & muti perſtiterint & ieiuni. *Nocte tota*, præmiſerat Stoicus; *ieiuni mutique perſtant: ſic fit, vt iſti de Domino loquantur, quibus coram Domino loqui non licet.* Continuis querelis abrodunt Dominos ſerui, quia Domini continuè fraudant reditibus ſeruos. Quàm eſt inhumanum exiguam mercedem denegare, & laborem amplum exigere! Volunt ſeruos nitidè ac eleganter exornatos egredientem Dominum ſtipare, venientem poſt altiſſimam noctem ſtatim recipere, cùm ſalarium non pendant, quo exornandi ſunt, & alendi. Aduenerat Leuites in Michæ domum, & Michas, vt idolo miniſtraret, Leuitæ promiſit & victum & ornatum: *Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, & veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria. Acquieuit, & manſit apud hominem.* Michas, qui à religione defecerat, promiſſis ſtetit, nec ſeruientem mercede fraudauit. Ecquis hoc ait? Ipſe certè Leuites Danitas hoſpites allocutus: *Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos. Non ait:* Hæc promiſit, ſed hæc præſtitit: nam etſi idolis inſeruierit, de famuli mercede noluit ſacrificia litare aliis, & quidem grauiſſimis vitiis defœdatus à non ſoluendo mercedem abſtinuit, & quod promiſerat, adimpleuit. Innuit Abulenſis quæſt. 6. *Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, id eſt, præſtitit mihi veſtem duplicem, & decem argenteos per ſingulos annos, & omnia ad victum neceſſaria.* Promiſſa reddidit, nec fefellit ſpebus, vt qui nouerat grande eſſe piaculum ſeruum mercede fraudare, & ad victum neceſſaria differre. Profectò qui diuiti non ſoluit, violat iuſtitiam, at qui mercenario mercedem aut differt, aut negat, aut fraudat, non ſolùm æquitatis tranſgreditur legem; ſed ad laborandum vires præcidit, quandoquidem ſi labore attrito non ſuppetit alimentum, vitæ minitatur periculum.

Seneca. Iudic. 17. v. 10. Abulenſ.

74. *Non morabitur opus mercenarij tui*, monet oraculum, *apud te vſque mane*; cùm tam exiguam moram vetuerit, cogit ad inquirendam ſolicitè cauſam, quam, ni fallor, venatus eſt Philo lib. de charitate. Si mercenarius, ait, præmium laboris aſſequatur, alacriter domum tendit, & cœnatus placide dormit; at ſi mercede fraudetur, fame diuexante viribus deſtituitur, & otiari die ſequenti compellitur. Accipe Philonem: *Mercedem eadem die redde pauperi: non ob id ſolùm quia æquum eſt poſt exhibitam operam repræſentari pecuniam abſque dilatione; ſed etiam quia (vt quidam docent) opifex, aut baiulus, qui ſibi victum parat quotidie toto corpore laborans more iumenti, ſpem omnem in mercede collocat, quam ſi referat ſi mox & in præſens, gaudet, & in craſtinum redit ad opus alacrior; quòd ſi non referat, dolebit, atque inſuper laſſus præ triſtitia ſoluto labori non ſufficiet.* Itaque dilata ſolutio non ſolùm pecuniâ pauperem fraudat; ſed vitâ, dum ad parandum ſibi ſequenti die labore cibum vires abſcindit. Nec mercedis fraudatio mercenario ſolùm affert detrimentum; ſed differenti ingentiſſimum etiam damnum: nam merces fraudata, aut retenta graſſantiſſimæ ad inſtar peſtis voraciter omnia conſumit, & deperdit.

Leuit. 19. v. 13. Philo.

Laban Iacobi ſpes fallit Liam ad thalamum clanculum introducens; non tamen ob id eius gregum copia minuta, aut variis morbis infecta. Rachelem iam Iacob acceperat, & filij Laban ſubſtantiam omnem deperiiſſe queruntur: *Tulit Iacob omnia, quæ fuerunt patris noſtri, & de illius facultate ditatus factus eſt inclytus.* Et cur Labani facultas ad Iacobum auolarit, & Labanum deſeruerit? Quia decem vicibus eius immutauit mercedem: *Immutaſti mercedem meam decem vicibus.* Ergo, etſi mercenario patientiæ ſolùm fuerit relictum ſolatium, iuſtitiæ oculus, qui perſpicaciæ ſuæ præuaricator non eſt, recta æquitatis virga aliquantulum decorticata mercenarij laborem cumulatiſſimè compenſauit, & mercedem fraudantem dignè puniuit. Ecquis hoc dicit? Ipſe Iacob vxores ſuas alloquens: *Dixit Angelus Dei ad me in ſomnis: Iacob: & ego reſpondi: Adſum: Qui ait: Leua oculos tuos, &c. vidi enim omnia, quæ fecit tibi Laban.* Etſi vxorem non tradens iniquè fidem violarit, ditatus reſplenduit, & copioſis gregibus exundauit; at dum mercedem differt, dum concinnat contra pauperem fraudes, æquitatis virga diuitiis mulctat fraudulentum, & gregibus auget fraudatum: *Quia igitur Laban*, inquit Doctor Angelicus ad Geneſis 30. *iniuſtè & impiè circa Iacob ſe habebat, ideò dignum fuit in hoc aſtutè, & cautelosè procedi.* Adnectit: *Quod enim Deus artem prædictam de virgis ſibi reuelauerit, patet ex hoc quod ipſe refert.* Virga mirâ æquitate Labanum puniuit, non cùm promiſſæ vxoris violauit fraudulentus fidem; ſed cùm mercenarij retinuit artibus fraudulentis mercedem: erat námque merces detenta gregum Labani peſtis, & diuitiarum voraciſſimus ignis. Quod non ſolùm hoc Scripturæ teſtimonio probatur; ſed Malachiæ etiam ſtabilitur. 75.

Geneſ. 31. v. 1. & 41. D. Thom.

Audi ipſum Dei nomine ſic iniquos alloquentem: *Accedam ad vos in iudicio, & ero teſtis velox maleficis, & adulteris, & periuris, & qui calumniantur mercedem mercenarij.* Adnectit: *Et in penuria vos maledicti eſtis.* Mercedis defraudationem penuria ſequitur, & dum miſero, anxioque labore merenti differtur præmium, præmaturatur ſupplicium: mercedem denegant, vt auxerint copiam; ſed amittunt copiam, quia diſtulere mercedem: *Quanta formido iudicij*, inquit Hieronym. ad hunc locum, *cùm ipſe ſit teſtis, & iudex. Poſt maleficos ponuntur adulteri, poſt adulteros periuri, poſt periuros qui calumniantur mercedem mercenarij; & nolunt reddere pro operis labore quod debent.* Etſi diuites potentéſque coloratis cauſis mercenariis intulerint iniuriam, Deus pro illis iudex & teſtis eſt puniens ſordidæ auaritiæ culpam digno diuitiarum diſpendio, & egeſtatis ſupplicio. Adnecte ad noſtram eruditionem tunc homines copioſioribus donari beneficiis, cùm pecuniam expromptè ſoluunt mercenariis. 76.

Malach 3. v. 5. Hieron.

Raphaël ea charitate flagrabat, vt quo Tobiam à periculis liberauerit, mercenarij munus honeſtè ambierit: plura expertus fuerat Tobias, quæ ſocium homine maiorem indicarent; non tamen proſùs Angelum agnouit: domum reuerſus inſtat Tobias, & adhuc adſtat Angelus, cùm iam ad ſpeciem neceſſarius non videretur, quandoquidem omnia ſalua, & proſperrima: ergo ſi quæras cur immoretur Angelus: reſpondebo: vt beneficium cumulatiùs ornauerit, & felicitatem exornatiùs compleuerit: expectauit mercedis ſolutionem 77.

Digitized by Google

prompto, gratoque animo ab vtroque Tobia offerri, ne ſi merces mercenario non pendatur, felicitas obſcuretur: *Rogare cœperunt, vt dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere. Tunc dixit eis occultè: Benedicite Deum cæli, & ego enim ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Deum.* Expende illud *tunc*, id eſt, quando obtulerunt mercedem. Plura in illos contulerat; ſed modò maiora confert, dum præſtolatur mercedem offerri, quo poſſint myſteriorum cæleſtium agnitione, & Angelico aſpectu honorari: *Tunc dixit eis*, inquit, Lyra: *occaſio huius reuelationis fuit retributio mercedis, quam pater & filius Angelo facere voluerunt credentes ipſum hominem eſſe.* Merces exhibita cumulauit beneficium, Angelicum meruit colloquium, & vſque ad mercedis ſolutionem latuit arcanum. O quantis ſe fraudaſſent, ſi cæleſtis mercenarij præmium diſtuliſſent.

Tobiæ 12. v.5.

Lyra.

§. XVIII.

Sacerdos, vt viam laicorum poſſit dirigere, cæleſtibus ſtuduerit vacare.

ORatio ſcientiæ mater, ſapientiæ nutrix ad vitæ nauim per confuſos ſæculi vortices dexteritate aurigandam reſplendens Helice. Ni Sacerdos, qui Eccleſiaſticæ nauis deputatur nauclerus, oculos ad cælum leuarit, vt inde qua feliciter portum appellat, lucem mutuetur, difficultatum voluminibus implicabitur. Qui cæleſtia adſpiciens inſidet gubernaculo, ſcopuloſas vitabit ſyrtes, & ſecuros ad portum ducet nauigantes. Opportunè Baſilius Seleucienſis orat. 8. *Longa maria traijcientibus ad curſum regendum pro teſſera ſunt aſtrorum vndequaque ſplendentium motiones, & gubernator incumbens gubernaculo tollit in cælum oculos aſtrorum motibus aurigans nauim, curſumque per mare cæleſti lumine contorquens fertur in portum.* Naucleri aſpectus, dum ſtudioſiùs intuetur cælum, ſecuriùs dirigit ad certa nauigium: quod ſi motionum aſtrorum fuerit imperitus, aut incurioſus, iter per liquidum ignoratur, & naufragium non ſemel incurritur. Danitæ cùm arduam viam aggreſſi apud Micham diuertiſſent, de itineris euentu ſoliciti ad ſacerdotem confugerunt, quo Deum exorans euentum illis prædiceret, & quid faciendum, edoceret: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* A Sacerdote Deum conſulente notitiam requirunt, vt qui nouerant poſſe orationibus eorum greſſus dirigere, & ab imminentibus periculis liberare.

Baſilius.

79. Sacerdotes, Deique miniſtros, & columbas, & nubes eſſe oportere teſtatur Iſaias: *Qui ſunt hi, qui vt nubes volant, & quaſi columbæ ad feneſtras ſuas?* Fors alludit ad nubem illam Dei populum per deſertorum inuia ducentem, de qua ſic textus: *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore.* Securo, certoque itinere Hebraicus populus gradiebatur nube ducente, quin moleſtiis defatigaretur erroribus: caſtra nubes promouebat, hoſtes impugnabat, ac tandem & æſtus noxium ardorem, & confuſam noctium depellebat caliginem. Ergo Apoſtolici viri, populique doctores nubis ingenium imitentur, quo populi ad cæleſtia certiùs ducantur: columbarum ad inſtar vult in feneſtris ſortiri cantum, vt infirmitatis propulſetur periculum. Opportunè Gregorius apud gloſſam: *Vt nubes volant, pluunt verbis, coruſcant miraculis, ad cælum volant contemplatione mentis.* Iam columbæ gemitu reuocari vitam docuit Ezechias: *Meditabor vt columba.* Ergo ſi viri Columbæ è feneſtris gemitum ſalubrem emittant, ſi nubis ad inſtar ſecuram iter carpentibus viam oſtendant, Sacerdotale nobilitabunt faſtigium; aſt ſi nec gemitus columbinos edant, nec nubis lucidæ, quæ Chriſtum in Thabore demonſtrauit, & populum ad ſedes optatas duxit, munus adimpleant, non ſolum populum ſecurum non ducent per inuia; ſed errare facient per plana.

Iſai. 60. v.8.
Exod 13. v.21.
Gregorius.
Iſai 38. v.14.

80. Myſterio non caruit Petrum claudi ſolidaſſe plantas, & ad templum viam illi antè inſolitam oſtendiſſe, dum curſum ad orationem ſtudioſe capit: *Petrus autem & Joannes aſcendebant in templum ad horam orationis nonam*: Vides Apoſtolorum primores curſu celeri ad orationem contendiſſe: vide modo claudum reformatis greſſibus ſecum duxiſſe: *Intrauit cum illis in templum ambulans, & exiliens, & laudans Deum.* O quàm claudus ad dilaudandum Deum ignoraſſet viam, ni Petrus orationi ſtudens ſecum duxiſſet; at per Petri orantis manum curſuram dirigit, & viam ad Deum, quam anteà ignorabat, inuenit. Opportunè Baſilius Seleucienſis orat. 21. *Captus ad orationem curſus iacenti claudo inopinatum curſum attulit.* Sacerdos Deo Sacratus, orationibuſque intentus poſt ſe vel claudos trahet, & quam ante non didicerat, viam oſtendet. Forſitan plures modò claudicant vitiorum ægritudinibus illigati, & cæcis errorum nexibus illigantur oppreſſi: quia aliqui Sacerdotes ſtudioſiùs curſum, quàm ad templum, capiunt ad forum.

Actor. 3. v.1.
Seleucienſ.

81. Eximia Senis Tobiæ virtus meruit filij ſui ſocium adinuenire viæ gnarum, qui & ſine erroribus poſſet ducere, reducereque: *Ego ducam, & reducam eum ad te.* Quanta hoc in itinere Tobias pericula euaſerit, quanta beneficia acceperit, textus ſacer non tacuit: dum ſordes iuxta Tigrin abluit, immanis adoritur fera iuuenem, ſi non ad ſe abluendum; ſed ad orandum accederet, fors nullatenus inuaſura: diabolus namque in eos auidius bellum tentat, qui ſtudioſè maculas adnituntur emundare, quo faciliùs viam carpere, & ad cæleſtem terminum valeant peruenire. Ergo Angelus puero animos indit, quibus monſtrum valeat extrahere, extractumque diſcerpere, ac diſcerptum Sale condire. Poſteà Saram in ſponſam recuſantem hortatur accipere, dæmonem duris vinculis ligat, ac tandem quin vel vnico greſſu à recto itinere deuiarit, ſanum ac meliori fortunâ viſum iuuenem patri reſtituit. Iam ſi inquiras, vnde tanta vianti felicitas promanarit; ipſe ductor palàm reſpondet: *Ego ſum Raphaël Angelus vnus ex ſeptem, qui aſtamus ante Dominum.* Non ſolum ait: *Ego ſum Angelus*; ſed, *qui aſto ante Deum*; ni enim Deo adſtaret, Tobiam iuuenem, ac itineris prorſus ignarum nullatenus ſecurè duxiſſet; at dum Deo ſemper adſtat, & Sanctus, Sanctus, Sanctus cum reliquis adſtantibus alacri voce congeminat, gradientem ſine errore vllo ad deſiderata perducit, & ingentibus periculis eripit. Iam Sacerdotem munus Angeli exercere, docuit Malachias: *Angelus Domini exercituum eſt*; verùm, vt dicebam, ſatis non eſt Sacerdotem munus Angeli ſubire, ni

Iob. 5.
Tobiæ 12. v.5.
Malach. 2. v.7.

adſtans

Digitized by Google

adſtans coram Deo, & Raphaëlem imitatus iugiter Domino didicerit adhærere: ignorantes feliciter ducet, ductos proſperabit, & ſedibus optatis reſtituet Sacerdos Angelus. Opportunè Lyra: Lyra. *Raphaël fuit miſſus ad curandum Tobiam, & liberandum Saram; ſed hîc accipitur adſtare pro eſſe præſentem Deo.* Conſonat Beda: Beda. *Quis ſit, & quare venerit, & quò reuerſurus ſit, exponit.* Adnectit gloſſa moralis: Gloſſa. *Doctor bonus, vel prædicator per Angelum ſignificatur.* Bonus Doctor, ſi Deo adſtantis Angeli exercuerit officium, ſine errore ducet per ſecura itinera proximum, docebítque naturæ affectus reſcindere, humilia deſerere, & ad domum cæleſtis regni luminis pennis inuolare.

82. Dei Arca Philiſthinorum regionem intrat, vt de Philiſthinis aſportatit trophæa, Dagonem chimeram illam variis erroribus compactam è ſublimi loco detrudit, & mutilatam pedibus calcandam præbet. Poſt hæc ad ſuos regreſſura fœtantes vaccas ducit, & ab imis ad ſuperiora aſcendere cogit: 1. Reg. 6. v. 10. *Tollentes duas vaccas, quæ lactabant vitulos, iunxerunt ad plauſtrum, vitulóſque earum concluſerunt domi.* Adnectit: *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames.* Arca, quæ legem continet, quæ oraculo inſeruit, ſecum ducit è Philiſthinis nobilem prædam, & rectam edocet viam. Quod Diuus Gregorius Sacerdotibus ſic adaptat lib. 7. regiſtri epiſt. 30. Greg. *Omnipotenti Deo agimus: quia adhuc Arca Dei inſunt tabulæ teſtamenti: in quâ quia ſpiritualis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis iacent.* Dum Sacerdotis cor inuiſceratam ſibi legem cuſtodit, vel obbruteſcentes homines regit; dum Deo ſacratur, paſſionibus obbruteſcens ad itineris recta perducitur. Ergò Danitæ ad Sacerdotem prudenter confugerunt, vt viæ euentus ediſcerent, & docti ſecuriùs pergerent: & Sacerdos, quia Deum conſuluit, dubios dirigere nouit. Ridebat Chryſologus infelicem gentilium inſaniam, quandoquidem, vt ignota præſcirent, vt dubia prænoſcerent, vt actus ſuos dirigerent, ad ſacrificulos recurrebant, non qui à cæleſtibus ſcientiam mutuarentur; ſed qui brutorum inutili curioſitate rimarentur exta: Chryſol. *Occidebatur pecus*, inquit ſerm. 5. *vt qui vinum nil ſiterat, diuinaret occiſum, & loqueretur ex fibris mortuum, quod nunquam fuerat ore prolocutum.* Proh miſeram cæcitatem! brutis dicari, & oracula populis reddere, falſis populus reſponſionibus fallebatur, quia Sacerdos non ſtudebat diuinis; ſed dicabatur terrenis: & quidem vti eſt ingens Dei beneficium Sacerdos cæleſtium gnarus, ita eſt durum ſupplicium impetitus, & humanis fallaciis implicatus.

§. XIX.

Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce reſplendeat, nulla ſpecie auaritiæ ſordeat.

83. AVaritiæ vetuſtum malum, obſcurum nubilum, mortiferum venenum à cunctorum cordibus radicitus debet expungi, nec eius ſordibus coinquinari: *Reginam illam*, aiebat Caſſiod. 12. var. 1. Caſſiod. *procacium vitiorum auaritiam fuge, cui cuncta crimina deteſtabili deuotione famulantur, quæ dum* Auaritia vitiorum regina eſt. *pectus hominis ingreſſa fuerit, gregatim quoque maleſidas cohortes admittit: ferri non poteſt recepta, quia neſcit eſſe ſolitaria: agmen habet blandiſſimum, arma ſuſcipit ex talentis, & per dulcedinem ſuperat, quos amara deceptione captiuat.* Priuatum hominem auaritiæ ſordibus inquinari peculiare eſt incommodum; vniuerſale, ſi ſacerdos huic vitio inſeruiuerit, detrimentum, quandoquidem ſacerdos eſſe debet oppreſſorum refugium, miſericordiæ promptuarium: afflictorum auxilium: non poteſt Sacerdos, ſi ſtudeat cupiditati, proximorum ſtudere ſaluti, nec dignitas quiuerit pulchro radiorum ſplendore fulgere, ſi ſordidis auaritiæ nebulis contigerit obſcurari. Vbi Leuites, qui apud Micham degebat, ſe Sacerdotio ibi fungi Danitis confeſſus eſt, rogatus ab illis Deum conſuluit: *Rogauerunt eum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum, qui reſpondit eis: Ite in pace, Dominus reſpicit viam veſtram.* Reſponſum audis; ſed acceptam aliquam ob reſponſum mercedem non inuenies: humiles preces pro nummis fuerunt, nec Sacerdos ab interrogantibus quid accepit, ne dignitatem obſcuraret auarus, aut eius ſplendorem contaminauerit cupidus: *Ex hoc oſtenditur*, aiebat Hieron. ad Malach. 1. *acceptiorem eſſe Domino ſeruitutem, quæ mercedem impræſentiarum non poſtulat: vnde & Apoſtolus gratis prædicat Euangelium.* Hieron. Profectò Sacerdos ab omni ſpecie cupiditatis alienus cunctis inuenitur proficuus.

84. Simon Magus ſummam aureorum offert Apoſtolis, ſi illi Sanctum communicarint Spiritum, Petrus verò pecuniam vti peſtem nocentiſſimam reſpuit, & oblationem vti dignitati ſibique iniuriolam punnit: *Pecunia tua tecum ſit in perditionem, quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.* Actor. 8. v. 20. Dum Petrus pecuniam auerſatur vti ſpiritui contrariam, manum extendit pauperis auxiliatricem, eiúſque vmbra, dum rectus incedit, & cæleſtem lucem poſſidet, omnium depellit languores, & languentibus impertitur ſalutes. Ecce cùm ab omni cupiditate reſplendet alienus, vmbrâ etiam deprædicatur omnibus commodus: ſi cupiditate ſorderet, ſalutes non inſtillaret: *Argentum & aurum non eſt mihi*, aiebat, *quod autem habeo, hoc tibi do: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni, ſurge, & ambula. Et apprehensâ manu eius dextera alleuauit eum.* Actor. 3. v. 7. Si manum occupaſſet aurum, alleuare non poſſet infirmum. Opportunè Balduin. in allegor. Tilmani: *Digna vox principatu principis Apoſtolorum, principis Eccleſiæ. Quid Petro & auro? Nonne Petrus dixit: Nos reliquimus omnia?* Bald. Vides vocis ſplendorem: audi vmbræ miraculum. *Augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum, ita vt in plateas eiicerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro, ſaltem vmbra illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Actor. 5. v. 14. O quàm aſtutè Dæmon in omnium ſalutem aurum armauit, dum aggreſſus eſt Sacerdotem auaritia corrumpere, & virtutibus denudare! *Ipſe rectus*, inquit Beda ad Actor. 5. *incedit; ſed vmbra iacentes erigit.* Beda. Petri rectitudo iacentes erigit: nam ſuperior virtutibus exornatus infirmorum eſt fulcimentum, & infirmitatum exilium. Si Petrus, dum caput, dum Sacerdos ad aurum manum extenderet, quam plurimi eiularent infirmi, at dum auaritiam execratur, & ſalutem omnibus impertitur.

85. Cùm Sacerdos legis profert arcana, Angelus appellatur à Malachia: *Labia Sacerdotis cuſtodient ſcientiam, & legem requirent ex ore eius: quia Angelus Domini exercituum eſt.* Malach. 2. v. 7. Angelicos mores imitari tenetur Sacerdos: ergo Raphaëlis, qui Dei

medicina eſt, facta inſpiciamus, & inde exempla eruemus: copioſam mercedem oblatam reſpuit, & pro laboris mercede Deo copioſas reddi laudes exegit, ſibi nihil voluit: *Benedicite Deum cæli, & coram omnibus viuentibus confitemini ei: quia fecit vobiſcum miſericordiam ſuam.* O quanta in his verbis arcana! Raphaël propria non exambit elogia: retulerat vterque Tobias diſerta gratitudinis lingua, quanta ille feciſſet: nihil exciderat ex eorum memoria, vt debitum impenderent officium: ille labra ſignauit circa à ſe præſtita honeſto ſilentio, Deumque dilaudari curauit ſolerti ſtudio: oblatum non accepit aurum, & ne Tobiæ noceret, religauit inimicum. Quàm è contra ſolet accidere. Qui aliquod beneficium contulit, refert, vt vendicet ſibi inaniſſimam gloriam, qui accepit, è memoria delet, vt adaugeat ingratitudinem fœdam. Iam quanta iſte Angelus fuerit operatus expende: vt extraheret piſcem, hortatus eſt iuuenem, & quæ ibi mortem minabatur, bellua pro cibo fuit dum diſcerpta, & ſalſa: honeſtum matrimonium conſuluit, pecuniam recuperauit, ligauit dæmonem, & quem accepit, comitem non retulit diſpoliatum; ſed diuitiis laudabiliter onuſtum. Hunc ergo Angelum imitetur Sacerdos, huius exerceat officium, dum ſortitur vocabulum. Adeſt gloſſa moralis ad Tobiæ 12. *Per hoc quod pater & filius medietatem omnium bonorum dare voluerunt Angelo, docemur eſſe grati de beneficiis acceptis; per hoc autem quod Angelus nihil accepit; ſed eos ad Dei laudem induxit, ſignificatur quòd doctor bonus vel prædicator, qui per Angelum ſignificatur, eò quòd eſt nuntius verbi Dei, non debet prædicare propter quæſtum; ſed propter gloriam Dei, & ſalutem animarum.* Si ſibi attendat Sacerdos, ſi ſitiat aurum, ad diuinas laudes nequibit trahere, quia ſiti aduſtus ſolum cogitabit acquirere: & cui finis itineris eſt lucrum, nec diſcerpet monſtrum, nec alligabit diabolum.

Tobiæ 12. v. 6.

Gloſſa.

86. Iam amaris querelis, lachrymabilique voce ſe deſpectum teſtatur Dominus ore Malachiæ: *Filius honorat patrem, & ſeruus dominum ſuum: ſi ergo pater ego ſum, vbi eſt honor meus? & ſi dominus ego ſum, vbi eſt timor meus? dicit Dominus exercituum ad vos, O Sacerdotes.* Deum teſtabantur patrem, ne timerent; dominum, ne amarent, & cùm timorem, amoremque exigerent patris charitas, & domini dignitas, illi præuertentes omnia patrem vocitabant ſolum in audaciæ auxilium, dominum exhorreſcebant in amoris diſpendium: *Offertis*, inquit, *ſuper altare meum panem pollutum.* Quòd ſi quæras vnde tanta virtutum irrepſerit obliuio, tantus numinis deſpectus; reſpondet Malachias à cæca Sacerdotum auaritia promanaſſe, & ad laicos etiam effluxiſſe: *Quis eſt in vobis, qui claudat oſtia, & incendat altare meum gratuito? Non eſt mihi voluntas in vobis, dicit Dominus exercituum.* Ignem Sacrificiis ſupponebant; ſed ad partem ſibi obuenturam ſtudioſiùs attendentes, negligentiùs, & incurioſiùs Sacros ritus, & honorem diuinum curantes. Audi Hieronymum ad caput 1. Malachiæ: *Doctor Eccleſiæ, qui ſpiritualem conficit panem, & cum populis diuidit, ſi vel propter humanam gloriam, vel lucra ſæculi, quæ gloriam conſequuntur, loquatur in populis, & diuitibus blandiatur, & honoret peccatores... nomen Dei deſpicit, & panem polluit doctrinarum.* Cupiditas perſonas acceptare edocuit, peccata diſſimulare ſuaſit, diuitibus blandiri ſtuduit, & Deum nec vti patrem amauit, nec vti dominum timuit. Subjicit Hieronymus: *In peccatis priſtinis permanebant, Deum nec amore, nec timore venerantes.* Omnia auaritia corruperat, & quia Sacerdotes captiuarat cupiditas, nec ad virtutes alliciebat numinis amor, nec à vitiis refrænabat ſupplicij timor.

Malach. 1. v. 6.

Hieronym.

§. XX.

Sacerdos ſit & proximis conſecratus, & à proximis expeditus.

87. SAcerdos Angeli ſortitur munus populi ſaluti dicatus, & numini adſcriptus: ab vno Sacerdote & religioſus promoueri debet cultus, & concinnis moribus inſtrui populus. Magna Sacerdotis dignitas eſt. *Rogo dignitati*, aiebat Plinius minor 10. epiſt. 14. *Ad quam me prouexit indulgentia tua, vel auguratum, vel ſeptemuiratum, quia vacant, addicere digneris, vt iure Sacerdotij precari Deos pro te publicè poſſim, quos nunc precor pietate priuata.* Deos precari Sacerdotum venerabile munus eſt: pro omnibus in commune poſcunt, & impetrant omnibus. *Sacerdotibus* aiebat Plutarchus libro cum principe eſſe Philoſophandum, *reuerentiam & honorem ciuitates tribuunt, quod bona à diis immortalibus non ſibi tantùm, amicisque, & neceſſariis ſuis; ſed omnibus in commune poſcant ciuibus: licèt non efficiant Deos Sacerdotes bonorum largitores; ſed tales naturâ cient; illos verò, qui imperium tenent, qui agunt cum his Philoſophi, iuſtiores, moderatiores, atque ad beneficentiam reddunt alacriores.* Sacerdotis officium Deum ex ſe benignum ad hominibus benefaciendum ciere, & homines honeſtis moribus expolire. Quod totum decentius & vtilius fit, cùm Sacerdos nec ſe proximorum vtilitatibus ſubtrahit, nec importunè ſe proximis ingerit. Sacerdotem Danitæ rogant, vt Deum pro illis conſulat, quo iter ſuum felici nobilitarit euentu: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Quid tunc? Oraculum reddidit, & ſe ab illis expediuit: *Qui reſpondit eis: Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quò pergitis.* Pacem, quam deſiderabant, illis impetrauit, & quàm citò ab eis ſe expediuit: non defuit fundendis precibus, nec ſe vanis colloquiis immiſcuit. Quod Sacerdotibus. Deique miniſtris ſolerter curandum eſt: videlicet, ne ſe proximorum ſaluti ſubtrahant, & ne virtutem propriam, dum nimis ſe ingerunt, imminuant: *Supercilio, atque grauitate oris ac vultus* (verba ſunt ad hunc locum Arias Montani) *& verborum conciſione ac pondere Sacerdotis orationem ac geſtum imitatus videtur: quippe in exemplari legitur: Et dixit eis ille miniſter: atque ita Græci interpretes reddidere, vt Sacerdotali geſtu, & habitu reſpondiſſe exiſtimetur.* Quò Sacerdotis impleret munus, graui auguſtoque ore reſpondit, & reſponſione alacres ablegauit.

Plinius.

Plutarch.

Montani.

88. Vt nihil eſt in Sacro textu myſteriis vacuum, expendere oportet, quod Actorum 5. de Petro refertur: *Magis augebatur credentium in Domino multitudo virorum, ac mulierum*, inquit textus, *ita vt in plateas eijcerent infirmos, & ponerent in lectulis ac grabatis, vt veniente Petro ſaltem vmbra, illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur ab infirmitatibus ſuis.* Singula verba expende:

Actor. 5. v. 14.

Vt

Digitized by Google

Vt veniente, inquit, *Petro*: ſi Petrus publicum fugeret, languentium multitudo iaceret, ſi inter eos diu ſubſiſteret, forſitan non ſanaret: ergo ita ſacer Apoſtolus ad noſtram eruditionem ſe geſſit, vt in publicum prodiret, & ſanatis languentibus auolaret. Notauit ad hunc locum Beda: *Ipſe rectus incediti; ſed vmbra iacentes erigit.* Beda. Incedendo erigit, non ſtando: quos ſanat, fugit, & fugit, vt ſanet. Certè ſi ad terram inclinatus diu inter infirmos moraretur, citiùs ſors languores contraheret, quàm ſalutem ægris refunderet. Et nota vmbrâ miraculum fuiſſe patratum: vt vmbra tangat infirmum, aliquod requiritur interuallum: dum inter ægrotum, & Petrum intercedit, Petrum tantiſper ab ægrotante diſiungit, & ægroto medelam diſiunctus affert: pro infirmis erat Petri diſtantia, quia ſalubrem non proiiceret, niſi aliquantulum diſtiterit, vmbram.

89. Iam Chriſtus Dominus aſtra inſcenderat, cùm Apoſtoli oculis & affectibus ſequebantur, cœlum adſpicientibus cæleſtes ſpiritus adſunt: Actor. 1. v. 10. *Cùm intuerentur in cœlum euntem illum, ecce duo viri aſtiterunt iuxta illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: Viri Galilæi quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet, quemadmodum vidiſtis eum euntem in cœlum.* Vt Apoſtolos inſtruunt, ſe in cœlum ſtatim conferunt. Quod notauit in allegoriis Tilmanus: Tilman. *Mirum, & inquiſitione dignum videtur, cur tam pauci miſſi ſunt, cur tam pauca locuti, cùm & rei dignitas atteſtantium poſceret multitudinem, & Apoſtolorum deſolatio non modica conſolatione indigeret.* Adnectit: *Idcircò tam pauci venere, ne tam feſtis deeſſent ſolemniis; & qui venere, regreſſu celeri nouis ſe gaudiis ſauciarunt.* Oculis aſcendentis gloriam adſpexerant; ſed quia aliena gloria vel dum oculis perſpicitur, aliquando dubitatur, duo adſtant teſtes, in quorum ore teſtimonij veritas, & Apoſtolorum refulgebat vtilitas: vel tam feſtiuis gaudiis vocantibus, ad ſolandum mœſtos, ad erudiendum Apoſtolos deſcendere non renuerunt; ſed iam inſtructis, & ſolatio aliquantulum delinitis ad cæleſtem contemplationem celeriter remearunt, quo Dei edoceret miniſtros, proximorum honeſtis vtilitatibus ac commodis conſecrari; ita tamen vt ritè peracto munere ſe cæleſtibus reſtituant, ne immixti humanis ſordeſcant.

90. De mortuo ac fœtenti Lazaro refuſurus vitam cum Apoſtolis Chriſtus aduenerat: Domini vox vitæ reſtituit, & ſolui ab Apoſtolis imperauit: Ioann. 11. v. 34. *Soluite eum, & ſinite abire.* Accedere ligato voluit Apoſtolos, quo ruptis vinculis ſoluerent, ſed abire ſolutum iuſſit vt perfecta iam ſolutione ſe expedirent: *Sinite eum abire.* Ad quid iam Apoſtoli retinerent, niſi ad beneficij oſtentandam pompam, aut eluctandam à beneficiato gratiam? Ni accederent, Lazarus premeretur vinculis; ni ſe quam citò expedierint, ipſi fortè irretirentur reatibus: ergo & abſoluant & fugiant, quo Lazarus vinculorum neſciat impedimentum, & Apoſtolus nuper fœtentis & illigati fugiat conſortium: *Abire illum dicit*, ſcribit Theophylactus hîc, Theophyl. *ad fugiendam oſtentationem: non enim ducit illum ſecum, neque iubet, vt ſecum ambulet, vt ſic ſeſe oſtentet.* O quoties Dei miniſtri viros magnos ac nobiles detinent, vt aliquantulam gloriam ex eorum conſortio captent, cùm Chriſtus ſuo exemplo Apoſtolos inſtruens, & nos Apoſtolorum erudiens factis & abſolui iuſſerit, & dimitti.

91. Iob inter acres dolorum morſus de inquilinorum receſſu mœſtè ſatis querebatur: *Inquilini Domus meæ, & ancillæ ſicut alienum habuerunt me*: Iob. 19. v. 15. per ſeruas, inquilinóſque Diuus Gregorius lib. 14. moral. cap. 19. Sacerdotes, & Leuitas intelligit, qui cùm in Dei domo vti inquilini debeant immorari, foris vagantur negotiis à profeſſione ſua prorſùs alienis attendentes, & ſe proprio muneri denegantes: Gregor. *Inquilini domus Dei fuerunt Sacerdotes, quorum origo in Dei ſeruitio deputata iam per officium in conditione tenebatur; ancillæ autem non immeritò intelliguntur Leuitarum animæ ad ſecreta tabernaculi quaſi ad interiora cubiculi familiarius ſeruientes.* Qui olim domus Dei inquilini nondum iam hoſpites, & qui apud ſæculum olim hoſpites, iam per otium ſunt inquilini: ergo Iobus Chriſti ænigma duris doloribus adurgetur, & Diabolus quodammodò delectatur.

92. Sacerdotes Angelorum officio fungi, & elogio honorari frequens in Scripturâ eſt: ergo videamus qualiter ſe cum hominibus gerant Angeli. Vigilabant paſtores ſomni proprij diſpendio gregibus conſulentes, & lupinos ictus vigilantia frænantes, cùm Dei Angelus recens nati Saluatoris felicem eis notitiam ingerit, & iam ingeſta diſcedit: Lucæ 2. v. 12. *Inuenietis infantem pannis inuolutum, & poſitum, in præſepio. Et factum eſt vt diſceſſerunt ab eis Angeli in cœlum paſtores loquebantur ad inuicem.* Ecce ni Angelus Saluatorem denuntiaret, paſtores non inquirerent: ſi poſt denuntiationem verba cum eis texeret, non adeò citò ad adorandum puerum properarent; aſt cùm & ignorantiæ tenebras diſcutit, & diſcuſſis cœlum petit, implet Angelicum miniſterium, & paſtor ad cæleſte accurrit gaudium, & religioſum puero exhibere geſtit obſequium. *Vno Angelo*, inquit Beda in catenâ D. Thomæ, Beda. *vno euangelizante nuntio natum in carne Deum mox multitudo militiæ cæleſtis in laudem creatoris prorumpit, vt & Chriſto deuotionem impendat, & nos ſuo inſtruat exemplo.* Nos ſuo exemplo inſtruit docens & diſcedens: munus peregit ſolicitè Angelus, & peracto non eſt inter paſtores demoratus; ſed in cœlum receptus: reliquit cœlum, vt hominum ſaluti conſuleret; reliquit homines, vt cœlum peteret, quò Sacerdotes Angelica dignitate fulgentes inſtruat cum hominibus ad eorum ſalutem conuerſandum, & ab hominibus effugiendum.

---

§. XXI.

Grauiſſimi criminis reus conuincitur, qui nouit greſſus alienos dirigere, & patitur propriis erroribus implicari.

93. QVi rectoris munus gerit, reus conuincitur, ſi alios recta via dirigat, & ſe ipſum tricis laqueorum cæcis impediat: qui ſui rector fuerit, & alios planis itineribus ad optatas ſedes perduxerit, de dirigendi ſcientia grauiorem incurret reatum, quando errori nequit patrocinari ignorantia, quam aliis communicata non patitur allegari notitia: *Regalem habeat in actibus dignitatem*, ſcribit Caſſiod. 10. var. 3. Caſſiodor. *patiens in aduerſis, moderatus in proſperis, &, quod difficillimum eſt poteſtatis genus, olim rector ſui.* Quem deſiderabilis eruditio litterarum eximiè reddidit exornatum, quem prudente prodidit aliis impenſum conſilium, quē aliis viuaciorem clarum

clarum comprobauit ingenium, ni animi virtute reſplendeat, omni excuſationis colore carebit, quandoquidem mera conuincetur deliquiſſe ignauia, dum conſtat alios ad virtutem compoſuiſſe mira doctrinâ. Verùm etſi reliquos dignitatis honos, & ſcientiæ redarguat, ſi à virtute exorbitarint, ſplendor, præcipuè Sacerdotes, concionatoréſque: nam dum ad ſacerdotalis dignitatis faſtigium prouehuntur electi, omni virtutum concinnitate reſplendere debent conſpicui, clamante
1. Petri 2. v.9. Petro: *Vos autem genus electum, regale Sacerdotium.* Itaque opus eſt, vt regalem habeat in actibus dignitatem, qui dignitatis regalis obtinet ſplendorem: in aduerſis prælucere patientiâ, carere in proſperis debet arrogantiâ, & ſe ipſum regere, vt poſſit ſine rubore cæteris imperare. O quàm probroſum eſt lucem tenebrarum horroribus admiſceri, quæ tenetur caliginum voluminibus aduerſari, teſtante Sacra Scriptura: *Et diuiſit*
Geneſ. 1. v.4. *lucem à tenebris.* Lux, quæ vianti iter pandit, quæ latebrarum difficiles caſus oſtendit, ſi fœdus cum tenebris ineat, omni excuſatione carebit. Ecce Leuita Deum conſulit, vt Danitarum dirigat greſſum, cùm ipſe idololatriæ incurrat reatum: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Conſultus à Deo mutuatur notitiam, qua alienos dirigat greſſus, & ipſe proprios erroribus implicat paſſus: *Qui reſpondit eis: Ite in pace, Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.* Hanc notitiam à Deo quæſiuiſſe tradit Abulenſis quæſt. 9. *Dicendum quod licèt eſſet Leuita malus; quia tamen indutus fuit tunc veſtibus* Abulenſ.
Dei inſtitutis ab eo ad conſulendum eum, reſpondit. Vides Sacerdotem ephod indutum à Deo notitiam accipere, qua Danitas dirigat, cùm ipſe aliorum doctor ſe criminibus implicarit, & ephod indutus erroribus ſe immiſcuerit: vti Sacerdos alios dirigebat oraculis, cùm inſeruiret idolis. O miſerrimum Sacerdotem ſibi cæcum, & aliis inoculatum.

94. Profectò Sacerdos aliis vitam debet refundere;
Cantic. 4. v.3. ſed & ſibi procurare: *Labia tua*, aiebat: Sponſus, *ſicut vitta coccinea, & eloquium tuum dulce.* Alludit teſte noſtro Delrio ad funiculum Rahabæ coccineum: ipſum accipe in Littera: *Notus eſt*
Delrius. *funiculus coccineus Rahab, quem cùm iuſſa vt ſignum profeſſionis fidei ſuæ de feneſtrâ ſuſpendiſſet, ſalutem ſibi cognationique ſuæ attulit.* Non ſibi ſolùm, nec ſolùm cognationi attulit Rahaba ſalutem; ſed cognatis, & ſibi: Ioſuë exploratores è feneſtrâ per funiculum illum demiſit, & funiculum eadem in feneſtra illigauit, vtpote libertatis teſſeram, & futuræ ſalutis arrham: *Signum fuerit*
Ioſuë 2. v.18. *funiculus iſte coccineus, & ligaueris eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos.* Eadem feneſtra, qua cæteris parauit effugium, parauit etiam ſibi contrà bellicos adſultus remedium. Ergo prædicatoris labra coccineum funiculum debent imitari, nec ſibi ſolùm proſpicere, nec ſolùm aliis attendere; ſed aliis ſibíque conſulere: alios admoneant, vt ſibi elucrentur vitam, abs ſe mortem depellant, vt vitam aliis refundant: ſic námque erunt labia ſicut vitta coccinea, ſic erit eloquium dulce, aliter non ſolùm prædicanti erit amarum; ſed vertetur in abſynthium.

95. Elihu contrà ſocios iraſcitur, quod reſponſionem rationabilem non inueniſſent, manifeſtéque Iobum prædamnaſſent: contrà Iob etiam excanduit, quod ſe iuſtum pronuntiaſſet, & immunem culpâ dixiſſet: *Iratus, indignatúſque eſt Elihu filius Barachel Buzites de cognatione Ram: iratus* Iob. 32. v.3.
eſt autem aduerſum Iob, eo quod iuſtum ſe eſſe diceret coram Deo. Porrò aduerſum amicos eius indignatus eſt, eo quod non inueniſſent reſponſionem rationabilem. Minus prudenter reſpondentes arguit, eo tamen tumore, vt ſapientiam mixtam ructauerit arrogantia, eiſdem verbis & corripit, & delinquit: alios edocet eruditus; ſed intumeſcit de eruditione ſuperbus, ſicque ſibi non attendit; ſed alios erudit. Opportunè Gregorius lib. 33. moral. cap. 3. *Elihu modò beatum Iob, modò* Gregorius.
amicos eius increpare perhibetur: quia amatores vanæ gloriæ aliquando intra Sanctam Eccleſiam conſtituti & aduerſarios premunt, dum vera prædicant, & eiuſdem Sanctæ Eccleſiæ moribus contradicunt, dum de ipſa prædicatione gloriantur. Auidiùs audi quæ ſubdit: *Premunt aduerſarios virtute dicti, premunt Sanctam Eccleſiam qualitate dicendi; illos prædicatione veritatis, iſtam vitio elationis impugnant.* Elihu Sacerdotum, ac prædicatorum munus gerens aduerſarios Iob, vtpote æquitatis inimicos oppugnat, & armis correctionis debellat; verùm dum Iobi agit cauſam ſolicitus eius etiam prodiitur aduerſarius, quia de ipſa victoria vanitatis ſordeſcit culpa: in Iobum, hoc eſt in Chriſtum delinquit tumidus, & pro Iobo, hoc eſt, pro Chriſto decertat, dum arma vibrarat in aduerſarium, alios lucifera voce reluminat; ſe reluminando cæteros, ſordidat, & dum reportat de aliis trophæum, proprium ſceleri ſubdit collum.

Ioannes ex diſcipulorum cœtu ait aliquos prodiiſſe, qui ex eis non erant: *Ex nobis prodierunt;* 96. 1. Ioan. 2. v.19.
ſed non erant ex nobis. Diſcipulorum Chriſti gerebant nonnulli perſonam; verùm vt nutrirent arrogantiam; impugnabant peccatores virtutis ad ſpeciem magiſtri; ſed impugnando delinquebant ſuperbi, ſicque grauiori tenebantur reatu, dum alios dirigebant, & ipſi criminibus aberrabant. Audi datum ſuprà Gregorium: *Eſſe intra Sanctam Eccleſiam faſtu ſcientiæ inflati arrogantes cœperunt:* Greg.
cùm enim grauiora hoſtium prodiere certamina, tunc ſunt profectò ſubtiliora ſenſuum ſpicula requiſita; tunc argumentorum obſtacula, tunc perplexior indago verborum. Quæ ſæpè viri feruentes ingenio, dum congruè inueniunt, arroganter intumeſcunt, & quod per elationis vitium plerùmque contigit, eiſdem acutis ſenſibus, quibus hoſtem feriunt, proſternuntur, dum in iis, quæ rectè de Deo ſentiunt, non Dei, ſed ſuam gloriam quærunt. Delinquunt & proſunt, acutiſſimis ſubtiliſſimíſque ratiocinationibus fallaciarum diſcutiunt tenebras, mendaciorum euertunt machinas; verùm dum arrogant ſibi victoriam, fœdam de arrogantia recipiunt plagam, vnde ſibi cæci, & aliis probantur inoculati: hoſtilem arcent audaciam, ſed exambiunt ſibi gloriam.

Hanc miniſtrorum Dei non raram calamitatem 97.
expreſſerunt duo illi celebrandi ſæculis fratres: ardentiſſimis ſitis flammis aduſtus populus inclamabat, & aridis vocibus aures percellebat: Deus Moyſem iubet virgam tollere, & à ſilice aquam
petere: *Tolle virgam & congrega populum tu &* Numer. 20. v.8.
Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coram eis, & illa dabit aquas. Fratres multitudinem congregant, virgâ arripiunt, & cum vrbanis verbis cryſtallinas vndas elicere quirêt, repetitis ictibus extraxerunt: *Cùm eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt*

populus

Digitized by Google

populus biberet: & iumenta. Elicitæ vndæ à morte populum liberarunt; ſed elicientibus attulerunt: *Quia non credidiſtis mihi*, eos carpit oraculum, *vt ſanctificaretis me coram filiis Iſraël: non introducetis hos populos in terram, quam dabo eis.* En Moyſes, qua aliis inter ſtupentium volumina vndarum aperuit viam, qua magicos ſerpentes deuicit, qua contrà Amalec attonitis adeò rebus populo victoriam peperit, mortem ſibi virga conciliauit: & dum aliis miniſtrat vndas, ſibi ſollicitat pœnas: *Propter aquas contradictionis*, inquit Iſidorus in
Iſidor. Numer. cap. 33. *Moyſes offendit Deum, & prohibetur tranſire Iordanem.* Aquas elicit, ne populus ſiti tabeſcens immoretur detentus; ſed Iordanem tranſmiſerit expeditus; aſt aliis viaticum præbens ſe delinquẽdo impediuit, vt veluti in ſpeculo videremus plures Dei miniſtros propriis reatibus implicari, cum aliis viam veritatis conſtet oſtendere. Ergo Leuites, qui ephod vtitur ad aliorum viam dirigendam, à virtutis itinere ſic exorbitat, vt inſeruierit idolis, & ſe implicauerit culpis.

---

§. XXII.

Ni Sacerdos effloreat ſcientia, interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa.

98. Plutarch. OMnia bona, aiebat Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride, *ſunt ſanis, Clea, ab Diis contendenda, præcipuè notitiam eorum quatenus aſpirare mortales valent: affectantes optamus eam ab illis ipſis conſequi, quod nihil homini accipere grandius, vel largiri Deo veritate ſit auguſtius. Nam cætera quidem hominibus Deus, quorum ſunt indigni, donat: hanc poſſidet peculiarem, eâque vtitur. Nec enim argento numen, & auro beatum, vel tonitribus, & fulminibus eſt valens; ſed ſcientia, & intelligentia.* Auguſtius & ſacratius Deorum donum arbitratus eſt Plutarchus inſtruere homines veritate, ac cæleſtium agnitione. Ad has inquirendas antiquitas cæca conſulebat oraculum: Deorum ſuorum aras hoſtiis onerando, & per ipſa hoſtiarum exta de futuris conſulendo, errabat profectò delitans antiquitas, dum à fabuloſis numinibus veritatem inquirebat. Ergo Deus humanum genus miſeratus veritatis cæleſtis notitiæ ſacros conſtituit Interpretes, & Deorum vices gerere iuſſit, vt ab his deuotio perciperet, quod error ab
Pſal. 81. v. 6. idolis quæreret: *Ego dixi, Dij eſtis & filij excelſi omnes.* Præmiſerat: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant.* Dum Laici ſæcularéſque in tenebris ambulant, impingunt, & à peccatore, & peccatorum principe, Dæmone ſcilicet veluti captiui tenentur. Ergo ideò Deos vos conſtituo, quo abigatis tenebras doctrinæ, ac veritatis luminibus: *Non cognouerunt, neque intellexerunt*, exponit Euthymius hîc, *quidnam bonum*
Euthym. *atque honeſtum ſit, atque ideò ambulant in ignorantia iniuſtitia.* Anguntur Laici ſæpè ſæpiùs ſcrupulis irretiuntur conſcientiæ, difficultatibus: ergo ni Sacerdotes Dei locum tenentes ſciant tenebras conſcientiæ, diſcutere, & animos obturbatos diſſerenare, indebitè dignitatis infulis exornantur, & à populis adeuntur. Danitæ cutis erga iter, & itineris effectum ſoliciti Sacerdotem adeunt, vt nouerint an ſibi tentauerint proſpera vel aduerſa: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Sacerdos ſolicitudinem depulit, quia reſpondit: *Ite in pace Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.* Poſt reſponſum iam alacres viam carpunt, nec dubitationum ſtimulis adurgentur. Profectò ſi Sacerdos obmutuiſſet, nec ſciret difficultates enodare, aut detinerentur dubij, aut viam carperent moleſta dubitatione ſuſpenſi. *Ad Sacerdotis pertinet diſciplinam*, ſcribit Hieronymus ad Malach.
2. *interrogatum reſpondere de lege, qui ſi ignorantiam in cæteris diligentem, in Scripturis Sanctis obtenderit negligentem, fruſtrà iactat dignitatem, cuius opera non exhibet.* Ni Sacerdos ſcientiâ effloruerit inſtructus ab illo populum exiguum fructum percipiet; imò aliquando errorem nocentiſſimum hauriet. Hieronym.

Dauid timore perculſus, vt quid ipſi conueniat agnouerit, ad Abiathar Sacerdotem recurrit: *Dixit ad Abiathar Sacerdotem: Applica Ephod, & ait Dauid: Domine Deus Iſraël audiuit famam ſeruus tuus, quòd diſponat Saül venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me: ſi tradent me viri Ceilæ in manus eius, etſi deſcendet Saül?* Quid tunc? *Et ait Dominus: Deſcendet: tradent.* Ni Sacerdos anxium edoceret, periculum non euaderet; at dum rogatus veritatem aperuit, Dauid viríque eius reſpirauere ſaluati, & Saül, eiúſque aſſeclæ ingemuerunt deluſi: *Ephod illud erat*, inquit Hieronymus apud gloſſam, *quod Moyſes iubente Domino fecerat, in quo erat doctrina & veritas, in quo etiam conſuluit Sacerdos Dominum.* Sacerdos veritate, & doctrina ornatus opportuna tempori, & fruſtrando periculo protulit oracula: quæ proferre nequiret ni Ephod veritate ac doctrinâ ornatum haberet: accepit Dauid à Sacerdote doctrina & veritate exornato, quo captioſas peruerſi hoſtis poſſet inſidias eludere, & ad deſertorum ſecutas latebras inuolare. 99. 1. Reg. 23. v. 9. Hieron.

Quæſtionem agitabant aliquatenus implexam Hebræi, videlicet: *Si tulerit homo carnem ſanctificatam in ora veſtimenti ſui, & tetigerit de ſummitate eius panem, aut pulmentum, aut vinum, aut oleum, aut omnem cibum, numquid ſanctificabitur?* Itaque ignorabant, an de ſanctificatæ carnis attactu vinum & oleum ſugerent ſanctitatem, & reciperent ſanctificationis virtutem. Alia iterum angebantur etiam quæſtione: *Si tetigerit pollutus in anima ex omnibus his numquid contaminabitur.* Quid tunc Dominus? *Interroga Sacerdotes legem.* Interrogati quæſtionem Sacerdotes enodarunt, de illigatæque in veſtimento carnis attactu non ſanctificari reliqua reſponderunt: *Reſpondentes Sacerdotes dixerunt: Non.* Secundam iterum quæſtionem clararunt, & contaminati tactum dixerunt: *Reſpondentes Sacerdotes & dixerunt: Contaminabitur.* Profectò ſi legem ignoraſſent Sacerdotes quæſtiones corda diſtorquerent implexæ; at quia legis ornabantur notitia, ſcirè reſponderunt, & omnem affectatæ aut veræ ignorationis ſcrupulum reſponſis legitimis propulſarunt. Ad quæ Hieronymus: *Conſidera Sacerdotum eſſe officij de lege interroganti reſpondere: ſi Sacerdos eſt, ſciat legem Domini: ſi ignorat legem, ipſe ſe arguit non eſſe Domini Sacerdotem.* Itaque Sacerdos ſcientia & doctrina carens eſt veluti perſonatus Sacerdos dignitatis vmbra, miniſterij nebula: Sacerdos ineruditus non ſolùm implexas populi quæſtiones nequibit ſoluere; ſed aliquando ineptis reſponſionibus contingit vinculis inextricabilibus irretire. 100. Aggæi 2. v. 13. Hieron.

101\. Iſai. 56. v. 9. Iſaiæ 56. queritur Dominus ſpeculatores cæcitate laborare, & canes non loqui. *Omnes beſtiæ agri venite ad deuorandum vniuerſæ beſtiæ ſaltus, ſpeculatores eius cæci omnes, neſcierunt vniuerſi: canes muti non valentes latrare, videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia*: adnectit: *Ipſi paſtores ignorauerunt intelligentiam.* O vtinam malum hoc graſſantius non ſerpiſſet! Speculatores illi, vt qui ſe cæcos experirentur, ora cauto ſilentio ſignabant, nec latratum edere audebant; at (ô miſerum!) ne cenſeatur cæcus, reſponſum reddit veritati aduerſum ſpeculator: *Hæc omnia*, exponit Rupertus lib. 1. in Iſaiam cap. 10. Rup. *ad Scribas & Phariſæos, qui turbis perſuaſerunt, vt Dominum crucifigerent, relata conſtat.* Conſonat Oleaſter Oleaſt. ad hunc locum: *Hoc eſt prælatorum ac paſtorum munus ſcilicet ſpeculari, etſi quæ mala ac noxia viderint latrare: vtinam nunc tot cæcos ac mutos non haberet Eccleſia*: Subiicit: *Aduerte etiam quomodò debeat alicuius miniſterij artifex iis, quæ ex aduerſo opponuntur, muneri ſuo occurrere: debet enim ſpeculator cæcitatem maximè deteſtari, & qui munus obtinet canis, mutum eſſe abhorrere.* Speculator cæcus alta tenet non ad præconium; ſed ad iudicium, & mutus canis, dum caret lingua, non caret infamia.

102\. Quàm ſit rectori eruditio neceſſaria, accipe à Caſſiodoro 10. var. 3. Caſſiod. *Princeps veſter etiam eccleſiaſticis eſt litteris eruditus, à quibus ſemper, quidquid eſt pro homine, commonemur, indicare rectè, bonum ſapere, diuina venerari, futura cogitare indicta. Viderim quæ lectio acuat ingenium, diuina ſemper efficere nititur pium.* Scientia, dum mentem reluminat prauatum affectionum depellit tenebras, greſſus dirigit, affectus componit, vitat erratum, ſuggerit honeſtum: ergo tot bonis probatur orbus, qui fuerit ſacrâ eruditione nudatus.

§. XXIII.

Dæmon proferre affectat oracula, vt nocentiſſima inſerere valeat commenta.

103\. CVm homines rationali natura ſe nequeant exuere, non poſſunt veritatis prorſus ſtudium amandare: ergo nequiſſimus, ac vaferrimus Dæmon ad callidas ſe artes conuertit: affectat oracula, vt veritatis fuco inſerere poſſit commenta: ſagaci acuminis viuacitate ventura noſcens prædicit, vt de ipſa veritate in veritatem arma conflaret: pro hamo aliquando vtitur veritate, quo plures ad falſitatem traxerit, & à rectitudine auerterit: interrogatus oracula ambagibus implicata edebat, & quæ in vtrámque partem inclinarent, reſponſa dabat. Ita Plutarchus de Pythiæ oraculis: Plutarch. *Oracula inuoluebat allegoriis, & ambiguitatibus, quæ apud alios tegebant dictorum mentem: non fallebant alios, neque imponebant iis, quibus opus erat.* Alios ambiguis fruſtrabantur reſponſis, aliis veritatem aliquam propalabant; ſed vt veritate non minus quàm ambagibus deciperent, & à virtutis tramitibus deuiarent: *Vrbes*, addit datus Plutarchus, *præcipuè conſulunt Apollinem de frugum prouentu, de corporum valetudine, de pecoris fœtu; ibi verſus implicare, verborum fluxus, & linguarum diuerſitates inducere interrogationibus, quæ ſimplex, & conciſum reſponſum quærunt: id ambitioſi eſt ſophiſtæ oraculum ad gloriam fucantis.* De ipſo reſponſionis arcano, de cælato oraculi myſterio gloriam ſibi quærebat ſophiſta ſacrificulus, & vti Deum venerabatur Dæmonem, qui fuerat ſciſcitatus: ea homines deluſi tenebantur amentia, vt aras victimis onerarent, quo faciliùs falſam reſponſionem audirent. En Danitæ apud Micham diuerſati, vt nouerunt ibi teraphim per Leuitam conſuli, obnixis eum precibus rogarunt, vt de illorum via Deos conſuleret: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Sacrificulus teraphim conſuluit, & ambiguis verbis reſpondit: *Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quo pergitis.* Proſperitatem promiſit; ſed eis verbis, vt ſi aliter res accideret, effugium ſibi pararit. Ita Arias Montanus: *Quæſito oraculum datum eſt, quod prudentioribus animis* Montan. *non planè inſtinctu diuino afflatúque fuſum, ſed callido reſpondentis ingenio excogitatum ad exemplum eorum, quæ ancipiti ſententia edi ſolent.* Pacem promiſit, eo tamen artificio, vt contrarius euentus non oraculo poſſet in dedecus verti; ſed pergentibus adſcribi. Et quidem dum futura prædixit idolum in Deum, & ſe in Sacerdotem accipi perſuaſit: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan.* Fabricato ſumptuosè templo idolum, teraphimque, à quibus acceperant reſponſa ingenti extulerunt magnificentia. Quod intendebat Dæmon futura prædicens, & veritatem ambagibus obſcuris texens.

104\. Balaam ariolus veluti pro lingua erat Dæmoni, prædicebat plurima euentu non ſemel certiſſimo confirmanda, vt dum habebatur diuinus facilè traheret ad idolorum cultum, & venerationem aſtrorum: hic à Balac vocatus aras ſuaſit conſtruere, & vitulos immolare: *Dixit Balaam ad Balac:* Num. 23. v. 1. *Ædifica mihi hic ſeptem aras, & para totidem vitulos, eiuſdémque numeri arietes.* Aras ſacrificiáque cæleſtibus planetis dicata concors interpretum ſententia eſt, & numerus apertè ſuadet: *Ædifica mihi ſeptem aras*, inquit Lyra, *in veneratione ſeptem planetarum, quos colebant idololatræ, &* Lyra. *potiſſimè illi, qui erant aſtrologia imbuti, quantum ad hoc, quod omnia, quæ aguntur in humanis actionibus, deriuantur à ſtellis, de quibus erat iſte Balaam.* Balaam ſtellas pro Diis adorari fecerat, & omnium, ſi fas eſt dicere, mentes infatuarat. Quod ſi inquiras quomodò tantam ſibi opinionem, venerationémque conciliaret: reſpondebit Philo Hebræus lib. 1. de vita Moſis prædixiſſe multa de his, quæ ex cauſis naturalibus agnoſcuntur certè futura, vt dum veritate ipſa tenebat deluſos, à vera religione ſepararet tranſuerſos: *Erat illo tempore vates magnæ celebritatis in Meſopotamia* Philo. *peritus omnis diuinationis generum; ſed maximè augurali ſcientia ſibi auctoritatem parauerat, cuius multa ſæpè experimenta ediderat magna, & vix credibilia: nam aliquando imbres futuros prædicebat æſtate praeferuida: rurſum aliis ſiccitatem æſtúſque brumali tempore: aliquando vbertatem annonæ, rurſum alias famem, & penuriam.* Cùm ex cauſis naturalibus & annonæ vbertas, & varietas temporum pendeat, perfacile eſt Dæmoni huiuſcemodi futura prænoſcere: ergo dum Balaami ore prænuntiat, ſibi admirationem conciliat, & Balaamus, quos diuinationem oraculis in ſui venerationem traxerat, ad planetarum idololatriam facilè allexit, & erroribus imbuit. Et Dæmonis artes, veritate falſitatem fulcire, & futurorum prædictione mendacia ſerere.

Ochozias

Digitized by Google

105. Ochozias per palatij cancellos prolapſus, vitæque ſolicitus ad Beelzebub Accaronitarum Deum conſulendum legatos non ſine anxietate mittit: 4. Reg. 1. v. 2. *Miſit nuntios dicens ad eos: Ite, conſulite Beelzebub Deum Accaron, vtrùm viuere queam de infirmitate mea hac.* Beelzebub dæmonis erat inſtrumentum, prædicebat nonnulla, quo haberetur numen: ergo Ochozias eis oraculis deluſus veri Dei cultum omittens ad Beelzebub ſe per legatos contulit, & futura interrogauit. *Aliquando*, inquit Lyra, *in idolis dæmones dabant reſponſa Deo permittente propter malitiam recurrentium ad idola.* Dæmones vt in idolis latere diuinitatem ſuaderent, reſponſa edebant, de induſtriâque aliquando certo futura pænuntiabant, vt meliùs detinerent ipſa veritate deceptos, deceptioniſque auidos: ergo Ochozias non verum Deum; ſed Accaronitarum idolum conſuluit, quia aliquando ab eius ore futura prænouerat, & incerta humanis ſenſibus præmatura denuntiatione præſciuerat. Nec huius erroris vnica ſolùm erat ſpecies: ex auium volatu futura conjiciebantur, ex gannitu, ex halitu, ex aſtrorum aſpectibus, ex ortu & occaſu. *His omnibus*, Aug. aiebat Auguſtinus lib. 5. de ciuit. cap. 7. *Conſideratè non immeritò creditur, cùm aſtrologi mirabiliter multa vera reſpondent occulto inſtinctu fieri Spirituum non bonorum, quorum cura eſt has falſas, & noxias opiniones de aſtralibus fatis inſerere humanis mentibus, atque firmare.* Conſonat Tertullianus lib. de idololatria cap. 9. *Animaduertimus inter artes etiam profeſſiones quaſdam obnoxias idololatriæ. De aſtrologis ne loquendum quidem eſt; ſed quoniam quidem iſtis diebus prouocauit defendens ſibi perſeuerantiam profeſſionis illius pau-* Tertull. *cis putat. Non allego quòd idola honores, quorum nomina cælo inſcripſit, quibus omnem Dei poteſtatem addixit, quòd propterea homines non putant Deum requirendum præſumentes ſtellarum nos immutabili arbitrio agi.* Auſpices, mathematici interna animalium rimantes nonnulla prænuntiarunt euentibus comprobata, quò veris prænuntiis ſuſpicionem falſitatis depellerent, & iam nil timentes faciliùs fallerent.

---

§. XXIV.

Nonnulli deuorauere delicta, quo alij aſſequerentur augmenta.

106. Aliquali excuſatione inaurantur; quæ vtilitatis propriæ ambitu peraguntur: innata nobis noſtrorum charitas eſt, quam inſanus adulterat appetitus, & qua degener ſe tuetur affectus: Senec. *Amicus eſſe mihi cœpi*, aiebat Seneca epiſt. 6o. Facilius hoc, quam deſinatur, incipitur; verùm aliqualem, vt dicebam, colorem excuſationis ſortitur: illud & inſanius, & ſceleſtius, ſibi ſcilicet inimicum eſſe, vt quis aliorum ſe exhibuerit amicum, profectò honeſtati aliorum præponere inſanarum deliciarum impendioſa lucra, aut temporalia, & caduca diuitiarum commoda, ſibi aduerſari eſt. Tertull. *Nemo alij naſcitur*, aiebat Tertullianus de pallio cap. 5. *moriturus ſibi*: ſed deleta eſt hæc antiquorum ſententia, quandoquidem videntur plures ad aliorum cupiditates concinnandas nati, & ad occaſiones cupiditatibus procudendas producti. Non inepta illa Ouidij vox eſt 3. de Triſtib. 4.

Ouid. *Viue tibi, & longè nomina magna fuge.*

Sunt qui non ſibi, ſed aliis viuant, & ſanè nomina ſibi magna faciunt, ſed deteſtandæ notæ, & notiſſimæ infamiæ. Leuites neceſſitate preſſus in Michæ domum deuenit: ibi ob infame lucrum ſe deteſtandis idolorum cultibus vendidit: Iudic. 17. v. 10. *Mane apud me, & eſto mihi parens, ac Sacerdos, daboque tibi per annos ſingulos decem argenteos, ac veſtem duplicem, & quæ ad victum ſunt neceſſaria.* A Micha inuitatus non renuit; ſed eius inſanis erroribus inſeruiuit. Hic idem, cùm Danitæ in diuerſorio eius degerent, & anxiis curis ſolicitarentur poſſeſſionis ſuæ terminos exambientes prolatare, nefandiſque rogarent ſuffitibus idola conſulere fecit. *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & an res haberet effectum.* In Hebræo eſt *Elohim*: ita Caietanus: Caietan. *Dictio interpretata Deum eſt nomen Elohim. Parua iſtis cura fuit, an verum Deum, an opinatos Deos conſulerent.* Itaque idola conſulere rogauerunt, quod non ſine graui peccato fecit Leuites: & hoc totum, vt Danitæ proſpero itinere ad optata peruenirent, & terminos illicitè propagarent. Non leges Leuitam quid ſibi lucratum; ſed aliorum illicita fouere vota illi fuit pro ingentiſſimo lucro. *Reſpondit eis: Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quo pergitis.* Mentitis oraculis eorum exacuit audaciam, & alacriùs admonuit carpere viam: prudens timor illorum moraretur greſſum; ni ſacrificulus confictis artibus, vaniſſimis auguriis eis animos faceret, & metum omnem depelleret. Itaque idola conſuluit, vt proprio delicto Danitarum inuigilaret augmento. Ita Abulenſis quæſt. 9. Abulenſ. *Iſte Leuita non habuit aliquam reſponſionem à Deo; ſed finxit, quòd habuerat reſponſionem de proſperitate itineris eorum.* Non eſt veritus conſulere idola, confinxiſſe mendacia, & totum hoc, quo Danitæ Lais caperent, & iniuſtas diuitias ſibi adaugerent. Neſcias quo pruritu homines ad aliorum blandiendum voluptatibus alliciantur: occaſiones concinnant, ornamenta & pecunias ſæpè commodant, peſſimi internuntij ſcelerum opportunitates diſponunt, & hoc totum, vt alter illicitis voluptatibus perfruatur, aut iniquis facultatibus diuitetur. *Aſpice*, aiebat Tertullianus cap. 4. Tertullian. *Vel ſublimis, iam matronas videbis, cùm latrinarum antiſtes ſericum ventilat, & immundiorem loco ceruicem monilibus conſolatur, & armillas, quas ex virorum fortium donis ipſa quoque matrona temerè vſurpaſſent, omnium pudendorum conſcias manus inſerit, impuro cruri purum ac muleolum inducit calceum.* Vt religionis ſunt antiſtites, qui pro aliis Sacris aris inferant victimas, ſic turpitudinis impuriſſimi antiſtites, deteſtandique inueniuntur, qui ad fallacem decoris cultum ſubminiſtrent virias, armillas præbeant, & quidquid ad libidinem fouendam opus, ſolicito ſtudio diſponant. Non ſemel quæ infami hoc deſtitutæ auxilio pudoris vinculis tenerentur, antiſtitis eiuſmodi ope ornamenta demutant, vt pudicitiam proſtituant, & voluptatibus propudioſiſſimis ſeruiant.

Filiorum Heli ſeruulus carnem Dominis ne- 107.
gotiabatur nullo lucro, grandi periculo: *Veniebat* 1 Reg. 2. v. 12. *puer Sacerdotis, dum coquerentur carnes, & habebat fuſcinulam tridentem in manu ſua, & mittebat eam in lebetem, vel in caldariam aut in ollam, ſiue in cacabum, & omne, quod leuabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* Expende illud: *Omne quod leuabat fuſcinula, tollebat Sacerdos ſibi.* Nullo miniſter fruebatur lucro, diligentiſſimè tamen inſer-

uiebat ſordidiſſimo miniſterio: Sacerdos ſibi tollebat; ſed puer plus ſenſu, quàm ætate ingenti crimine procurabat. Innuit Lyra: *In Hebræo habetur: Da mihi carnem ad aſſandum Sacerdoti: propter hoc enim volebat accipere carnem crudam, vt coqueretur, & pararetur ad eorum voluntatem contra Dei legem.* Seruus ſolùm luctabatur periculum, cùm Dominus luctaretur commodum, & tamen non recuſabat auferre, & ablatum nouis condimentis ad delicias præparare: neſcias an miſſus, an ſponte ingeſtus aduentarit, cùm ſcias fuſcinula obarmari, & alienis voluptatibus inſeruire. (Lyra.)

108. Macie videbis filium regis tabeſcere, nec tamen cogitatus naturæ inimicos prodere, quouſque Ionadab emiſſatiis oculis interiora conjiciens rogat: *Quare ſic attenuaris macie, fili regis, per ſingulos dies?* (2. Reg. 3. v. 4.) Amnon animum non prodidit; ſed Ionadab venatus eſt importunis interrogationibus: non rogatus ſe ingeſſit, & iniquis conſiliis honeſti pudoris vinculis præpeditum, & naturam decenter reueritum ad ſtuprum impulit, & ad vim ſorori inferendam traxit: iniquis Ionadab monitis rupit Amnon verecundiæ ſepta, pudicitiæ obſtacula, & exectanda perpetrauit facinora: non leges aliquam ob conſilium accepiſſe mercedem, non audies redditum illi præmium, fortè quia præmij loco habuit iuuenem verecundiâ præpeditum impellere, & animos ad deteſtandum facinus addere: *Ad finem malum*, inquit Lyra, *ſciebat inuenire media opportuna.* (Lyra.) Prudens habebatur, quia opportuna iniquè media excogitabat indigni plauſus ambitione, & inhonneſtè gloriæ cupidine. Aliquali excuſatione, etſi non bona ſanguinarius Eſaü primogenita vendidiſſe inaurat, dum conditos cibos male ſuadæ fami procurat; at Ionadab exectatior proditur, dum lynceis oculis venatur animum, vt explendæ alienæ libidini peruerſum exhibuerit conſilium. Adde non ſemel iuſtiſſima Dei vindictâ eiuſcemodi criminum proxeneias ab eis ipſis, quorum affectibus propudioſè inſeruierant, dignam mercedem accipere, dignum ſcilicet culpis ſupplicium, & abiectionis meritum probrum.

109. Serpens Euæ blanditur, & arboris fructum commendat, quo manum ad decerpendum pomum vetitum prouitarit; & à muliere conteritur, proculcaturque: *Inimicitias ponam inter te & mulierem, & ſemen tuum & ſemen illius: ipſa conteret caput tuum.* (Geneſ. 3. v. 15.) Putares inter ſerpentem & mulierem ſtabilem fore amicitiam, quandoquidem ſerpens inter Euam, dæmonemque medius amicitiam illam infauſtam adeò diſpoſuit, & occaſionem concinnauit; verùm mulier dehoneſtata, ac eius vafritie deluſa non ſolùm digno iam odio ſerpentem proſequitur; ſed punire extremâ abiectione molitur: iam proculcat grauiter indignata, quem gratanter anteà audierat, dum criminis ſtudioſa. Nec ſolùm mulier in ſerpentem inſurgit irata; ſed eius etiam poſteritas illata Serpenti grauiſſima pœnâ ſatagit acceptam ſolari iniuriam. Adeſt Baſilius Seleucienſis orat. 3. (Baſil. Seleuc.) *Vocibus auditum ſubuertit, & rationem obſidet, vtque mens animi fluctuet, facit: percuſſit aurim, vt conſcientiam lædat.* Adnectit non longè à fine orationis: *Contra ſerpentem, qui in conſpectum venerat, fertur ſententia.* Profectò ſi mulier ſerpentem adiiſſet, vt delinquendi opportunitatem digereret, aliqualem, vt qui mulieri ſubiectus erat, excuſationem habuiſſet; verum cùm ipſe ſe ingeſſerit, cùm rogauerit, cùm delictum minuendo, & commoda exaggerando manum ad illicita prouitarit, ad errorenque allexerit, dignus fuit, qui à Domino terram pectore verteret maledictus, & qui à muliere premeretur calcatus: hanc enim artis ſuæ mercedem ſoleut accipere, qui ſceleribus perpetrandis operas ſuas locant, & occaſiones ſolicitant.

---

§. XXV.

Qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur; veridicus ſæpè ſpernitur.

Sicut pernicioſum eſt, aiebat Caſſiodorus 8. var. 12. *doctos praua ſuadere, ſic ſalutare munus; cum veritatis terminos diſertitudo neſcit excedere.* 110. (Caſſiodor.) Veridicus Reipublicæ eſt ſalus: decet enim ab illo audire doctrinam, quem conſtat omnem exhorruiſſe fallaciam; ea tamen eſt & magiſtrorum ambitio, & auditorum veritatis auerſio, vt hi placentia ſolùm velint audire, & illi ſolum grata deſiderent denuntiare. Iſraëlitæ in illud veritatis inciderunt faſtidium, vt ſolum eos videntes, id eſt Prophetas adirent, qui illis fauſta prædicerent, & grata auribus verba inſtillarent. *Populus ad iracundiam prouocans eſt*, aiebat Iſaias, *& filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus: nolite videre, & aſpicientibus: nolite aſpicere nobis ea, quæ recta ſunt: loquimini nobis placentia, videte nobis errores.* (Iſaiæ 30. v. 9.) Videntes, & diuinos conſulebant non ſine reſponſionum mercede: cumque conſulentes ambirent audire ſolùm errores; videntes pretio inhiantes prædicere detrectabant veritates. Itaque errorum illos tenebat amor, & hos lucri poſſidebat ſtudium: vnde videntes tetro ambitionis, cupiditatiſque fumo obſcurati vera non edebant oracula; ſed ad libitum reddebant reſponſa: *Curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominia dicentes; pax, pax, & non erat pax.* (Ierem. 6. v. 14.) Populus calamitatibus diuexatus, flagellis cælitus immiſſis afflictus, inquit Ieremias, ad videntes, Sacerdoteſque inuolabat, ſi fauſta prædicerent, & oracula grata proferrent; verùm Doctores illi, cùm non dubitarent populum prauitatem animitus ſectari, & veritatem ſpecie tenus inquirere, placentia loquebantur, vt tempus tererent, & aliquid ſibi acquirerent. Opportunè Hieronymus apud gloſſam ad Iſaiæ 30. (Hieronym.) *Interioribus auribus nolunt audire legem Dei; ſed prælatis dicunt: nolite nobis videre, quæ recta ſunt, nec minari gehennæ flammas, ſed promittite nobis regna cælorum: ad populum quoque Eccleſiæ negligentem, auſteritatem magiſtrorum fugientem, & adulationem quærentem hæc referuntur.* Reſpondebant videntes adulationes, quia interrogantem nouerant auerſari veritates. Hunc Michæ Sacerdos ſtylum ſecutus eſt. Decreuerant Danitæ contra fas hæreditatis terminos ampliare, cúmque eorum exploratores apud Micham diuertiſſent, & caſu Leuitam Sacerdotis ibi officio fungentem agnoſcerent, de itinere, euentuque conſuluerunt: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Qui inconſulto Domino iter aggreſſi non curantes, an legitimum, an æquitati ſtudium probaretur aduerſum; modò etiam non inquirunt, an viæ ſit inſiſtendum, retrocedendumve; ſed ſtatuti apud ſe

ſe itineris ſciſcitantur euentum, quia infelicem deſiderant triumphum, Quid tunc? Sacerdos eis placita reſpondet, quaſi oracula acceperit, & à Domino reſponſa retulerit: *Reſpondit eis: ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter quo pergitis.* Eorum deſiderio adulatus gratiam ſibi lucratus eſt, & illum filioſque eius perpetuo Sacerdotio donarunt, & in totius populi Sacerdotem extulerunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan.* Qui legis edicto nequibant Sacerdotali munere fungi, adulationis merito ſunt ad faſtigium dignitatis elati: Ionathas ergo non curauit accipere oracula; ſed grata ediſſe reſponſa: quia nouerat ſibi commodius adulationes fuco veritatis oblinire, quàm veritatem proferre: *Iſte*
Abulenſ. *Leuita*, inquit Abulenſis quæſt. 9. *Reſpondit ſic, vt placeret illis viris in præſenti: quia dato quòd mentiretur, non putabat, quòd poſteà erubeſceret.* Addit quæſt. 18. *Iſtum fecerunt eſſe Sacerdotem, & poſteros eius idola colentes.* Ni loqueretur ad placitum, nullatenus ad Sacerdotij faſtigium eluceret euectus: ergo oracula ſic compoſuit, vt dignitatem mentiendo obtineret, & interrogantes eluderet. O vtinam vni Leuitæ hoc accidiſſet; ſed quæ in plures ſerpit, peſtem huius hiſtoriæ coloribus nobis ſcriptura depinxit. Qui veritatis indices, qui vindices legis, vt propriæ adulantur ambitioni, reſponſa proferunt interroganti grata quia noſcunt adulationibus dignitatem adiri, & veritatem denuntiantes mulctari.

111. Vocatus Balaam, etſi Dei voluntatem non ignorarit, auguria ſtudioſiſſimè perquirebat: Dixit
Numer. 23. v. 3. Balaam ad Balac. *Sta pauliſper iuxta holocauſtum tuum, donec vadam; ſi fortè occurrat mihi Dominus, & quod cumque imperauerit, loquar tibi.* Planetis offerebat ſacrificia, & à Domino quærere affectabat oracula; verum Deus ſuorum ſtudioſiſſimus in ore Balaam verba ponebat, quæ etſi inuitus, prõnuntiaret: *Dominus poſuit verbum in ore eius.* Balac iterum inſtat, & locum demutare ſuadet: non tenuit propheta de placendi ſtudio, & de lucri deſiderio; verùm iterum Dominus illi occurrit, verbaque dictauit: loca adhuc mutat, & iterum cæleſtia compellitur proferre veritatis oracula. Quid tunc? Inhonoratus ex-
Numer. v. 11. pellitur, & irremuneratus abijcitur: *Reuertere ad locum tuum: decreueram quidem magnificè honorare te; ſed Dominus priuauit te honore diſpoſito.* Honor decretus erat adulationi, non veritati, cuius rei non inſcius propheta ſemel & iterum aggreſſus eſt totis viribus à dæmonibus accipere reſponſa, quæ diuina mentiretur oracula, & quidem, ni Deus pro poteſtate audacem ambitioſi frænaſſet linguam, regiam ſibi conciliaret gratiam confictis oraculis, falſiſque reſponſis: expulſus eſt ſine honore: quia, licèt inuitè; veridicus, mendax fulgeret honoribus muneratus. Ita Philo Hebræus lib. 1. de vita Moſis: *Rex maiore, quàm antè, indignatione percitus ait: vt hoſtes meos deuorares, vocatus iam tertiò illis benè precatus es: fuge quantocyùs, ne indignatione furens aliquid ſæuius in te conſulam: quantum auri, quantum gloria tibi inuidiſti homo inſane ac perdite. Redibis domum vacuis manibus, ipſe plenus opprobrijs: irriſus, illuſuſque cum iſta tua, quam tantopere iactas, ſcientiâ.* Ecce veritatis præmium, irrideri, fatuum deſpici, inſanum excludi. Ob id ergo totis niſibus ſatagebat propheta confinxiſſe mendacia, vt indubiè acciperet præmia; opuſque fuit Dei omnipotentia, vt vera protuliſſet reſponſa, quandoquidem nouerat ille, quàm eſſet periculoſum, vera reſpondere Principibus, & quàm vtile eorum aures pergratis demulcere adulationibus: ſi veritatis antiſtites, vt fas eſt, pollerent integritate, non attenderent, quid deſideraret conſulens; ſed quid ratio, veritas, & lex dictarent. Sed proh dolor! ambitio conſultum corrumpit prophetæ locum poſſidentem, & cupiditas obcæcat interrogantem.

Deſiderabat Pilatus Chriſtum Dominum, quem omninò innocentem nouerat, furentium aduerſariorum liuori eripere, cumque verba cum Chriſto texeret, & quis eſſet, interrogaret; Chriſtus ſe in veritatis teſtimonium natum apertè pro- 112.
feſſus eſt: *Ego in hoc natus ſum, & ad hoc veni in* Ioan. 18.
mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Tunc v. 37.
Pilatus curioſitate ductus: nondum enim veritatis guſtum acceperat, *Quid eſt veritas?* rogauit; ſed ſtatim veritatem quodammodò audire veritus, egreſſus eſt foras: quia de furentium manibus ſtudebat liberare: *Et cùm hoc dixiſſet, iterum exiuit ad Iudæos, & dicit eis: Ego nullam inuenio in eo cauſam.* Ne aliquam inueniret cauſam, audire recuſauit veritatem, quaſi qui principibus dixerit, malæ tractationis cauſam præbuerit. Si Tertullianum libro de Patient. cap. 3. conſulas, audies Chriſtum Dominum ad ſubeundam crucem aduentaſſe: *Taceo quòd figitur: in hoc enim venerat.* Tertullian.
Ecce Dominus in teſtimonium veritatis ſe natum aſſerit, & tamen Tertullianus ad crucem perferendam natum apertè dicit: quaſi idem ſit veritatem Magnatibus proferre, & in crucem à Principibus agi. Dum Pilatus diſcupit Chriſtum liberare, recuſat veritatem audire: quaſi audita veritas pro crimine ſit, & veridicus debeat puniri, cùm non didicerit adulari.

§. XXVI.

Nonnulli ipſa figmenta dicendi modo venditauerunt oracula.

Mendacium apud homines ab exordio & ſerpſit, & viguit, & valuit: nihil adeò 113.
frequens in hominibus reperitur, quàm doloſa fallacitas, fallax doloſitas: grandis eſt hypocritarum numerus: adductâ fronte, arcanorum ſimulatâ ſcientiâ non ſolum audent mentiri; ſed ipſa figmenta adnituntur pro oraculis venditare. *Plures* Philo.
habent magiſtros nequitiæ, aiebat Philo lib. quis Ridenda miramur.
rerum diuinar. *Nutrices, pædagogos, parentes, mores & leges receptas in ſingulis ciuitatibus, à quibus diſcunt mirari, quæ ridere debuerant.* Ridicula in miracula tranſeunt, & mendacio parum eſt fallere, niſi pro numinis reſponſo oraculoque contingat haberi. Plutarchus hanc hominum peruerſitatem expreſſit lib. de Pythiæ oraculis: *Vrbes præ-* Plutarch.
cipuæ conſulunt Apollinem de frugum prouentu, de pecoris fætu, & corporum valetudine, ibi verſus implicare, verborum flexus & linguarum diuerſitates inducere interrogationibus, quæ ſimplex & conciſum reſponſum quærunt: id ambitioſi eſt Sophiſtæ oraculum ad gloriam fucantis. Vulgus per Sacerdotes ſacrificuloſque conſulebat Apollinem de frugum ſterilitate aut prouentu, de pecorum vbertate, de hominum ſalute, & cùm interrogantes expeditam notitiam deſiderarent, ſacrificuli quæ è cerebro confingebant reſponſa, ſe accepiſſe ab Apolline mentien-

Digitized by Google

mentientes, verborum ambagibus implicabant, & ne mendacia elucerent, ſagaci cautelâ ambigua oracula edebant. Itaque eorum prædictiones contrarias partes eodem modo complectebantur, eo tamen oris geſtu proferebant mendacium, vt cæleſte exiſtimaretur reſponſum. Nec aliter idoli apud Micham culti ſacrificulo contigit: nam cùm Danitæ à Principibus delegati illuc diuertiſſent, & teraphim inſeruire noſcerent, occaſionem nacti, & itineris ſui exitum prænoſcere exambientes precibus, vt pro eis Dominum conſuleret, impetrarunt: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Sacerdos euanido honori conſulens, & mendax deprehendi timens, eo oris aſpectu, quod finxerat, oraculum prodidit, eâ vocum ambiguitate vſus eſt, vt, ſi fauſtus foret euentus, ab eo pateretur prædictus; ſi infauſtus, ſimiliter prænuntiatus: *Reſpondit eis: Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quo pergitis.* Arte excogitauit reſponſum pro vtraque parte ſatis ambiguum, ne deprehendi poſſet mendacium, & dum fallit mendax, numinis interpretem ſe oſtentat præſcientiam venditans, & reſponſum ipſa ambiguitate diuinum exaggerans.
Montan. Quod notauit appoſitè ad hunc locum Arias Montanus: *Supercilio, atque grauitate oris, ac vultus & verborum conciſione ac pondere Sacerdotis orationem ac geſtum imitatus videtur, quippe in exemplari legitur: Et dixit eis ille miniſter.* Itaque qui familiariter ſatis anteà cum illis agebat, interrogatus miniſtri faciem induit, alioque geſtu vultuque aſſumpto reſpondit, non quæ accepiſſet; ſed quæ accepiſſe ſe venditaret. Itaque ſe iactauit ſic teraphim ſibi familiaria, vt profunda Deorum ſcrutaretur ſecreta, & reddere poſſet reſponſa: Sacerdotalem ergo maieſtatem affectans, & oracula reddentis honorem amplians ea oratione vſus eſt, quæ prorſus timorem non depelleret; ſed aliquomodo ſpes nutriret: *Obſcurum oraculum*, addit
Montan. Arias Montanus, *reſpicit verbo, cuius quamquam ſecunda, & in bonam partem plerumque ſignificatio eſt; tamen quin aliam interpretationem in loco admittat, nihil prohibet: vt, Reſpice nunc alia, & diuerſa pericula noctis.* Ipſum ab interprete vſurpatum verbum interpretatione indigebat, & cum futura interrogantes diſcuperent clarè præſcire, cogebantur diuinare. O quoties reſponſum redditur ambiguum, vt quod ignoratur, arcanum exiſtimetur! Reddunt miniſtri non ſemel reſponſa fallacia, & ignoratione plena; eâ tamen oris grauitate, frontiſque rugis, vt putaris arcana oracula; quo fit, vt mendacio illudant, & ad ſui venerationem, ac ſi proferant oraculum, cogant.

114. Quàm aliter à numine datum reſponſum omnem dubitationem depellit! Conſulebat Dauid per Abiathar Dominum ſic precatus: *Domine*
1. Reg. 23. v. 10. *Deus Iſraël, audiuit famam ſeruus tuus, quòd diſponat Saül venire in Ceilam, vt euertat vrbem propter me: Si tradent me viri Ceila in manus eius, & ſi deſcendet Saül, ſicut audiuit ſeruus tuus?* Interrogationi ſine vlla Dominus ambiguitate reſpondit: *Et ait Dominus: Deſcendet. Dixitque Dauid: Si tradent me viri Ceila, & viros, qui ſunt mecum, in manus Saül? Et dixit Dominus: Tradent.* Si Abiathar Sacerdos ex cerebro ſuo reſponſum redderet, variis verborum flexibus, ac ſententiarum obſcuritatibus implicaret, vt huiuſcemodi interpres haberetur diuinus, nec deprehendi quiret doloſus; at cùm verus Dei eſſet interpres, clariſſimè, paucisque verbis ad interrogata reſpondit: rogauerat Dauid: *Si deſcendet Saül?* Et Abiathar Dei nomine inquit: *Deſcendet*: rogauerat: *Si tradent me viri Ceila?* & reſponſum fuit: *Tradent*: manifeſtis verbis, & quæ aliam interpretationem non reciperent, dubitanti ſatisfecit, vt notum fuerit implicata oracula, plena ambiguitate reſponſa à veritate non promanare; ſed à dolo & ambitione ſæpè confingi. Prodeſt Rabbanus apud gloſſam: *Si hic ſteteris, deſcendet Saül, & tradent te viri Ceila in manus eius: ergo voluntatem eorum indicauit.* Concinit Hieronymus ibi: *Ephod illud erat, quod Moyſes iubente Domino fecerat, in quo erat doctrina & veritas, in quo etiam conſuluit Sacerdos Dominum*, Dauid per Ephod conſuluit: *Dixit ad Abiathar ſacerdotem: Applica ephod.* Michæ ſacrificulus Ephod etiam ſortiebatur; at vel cæciſſimis apparebat per Abiathar ephod Dominum reddidiſſe reſponſa, quandoquidem omni expuncta dubietate conſpicua, & conſpicuitate clara; vt è contra per ſacrificuli Ephod non veritatem haberi; ſed obſcuritatem incremētari: per Ephod, in quo erat doctrina, & veritas, reſponſum redditum eſt & breuiſſimum & clarum; per Ephod aliud & confictum & obſcuratum: quia ſacrificulus quæ excogitabat figmenta, venditare moliebatur oracula.
Rabban.
Hieron.

115. *Pythia*, aiebat datus Plutarchus, *cum ſua ſponte generoſis eſt moribus, tum quando illuc deſcendit, & apud Apollinem agit: tunc maior ei veritatis cura eſt, quàm gloriæ, & laudationis, vel vituperationis hominum. Itidem nos comparatos eſſe oportebat. Nunc verò quaſi æſtuantes, & trepidantes, ne trium millium gloriam annorum hic locus effundat, atque oraculum, velut ſophiſtæ ſcholam, relinquant contemptu, vindicamus id, cauſáſque confingimus & rationes de iis, quæ neque ſcimus, neque noſtrum eſt ſcire, vt leniamus, & placemus obtrectantem, non ſalutem ei dicamus.* Comparat mirè Plutarchus Pythiam cum aliis Sacerdotibus, aitque Pythiam, vt quæ cum Apolline ageret, clara veráque reſponſa reddidiſſe; alios verò ſacrificulos, quò cum Apolline familiaritatem mentirentur, affectaſſe ſecretiora præſcire, reddidiſſéque reſponſa ambagibus plena, & ambiguitatibus implicata: vnde qui inquirebat oraculum, Sacerdoti pendebat pretium, & nouum antiquo ſuperinducebat dubium. Sic Sacerdotes illi reſpondebant, vt anxios eluderent, obtrectantéſque placarent, cùm nullatenus eis oraculum verum proferrent. Profectò in curia, etſi non Pythiam, Apollinémque reperias, eumdem experieris ſtylum: ſunt miniſtri, qui vera, & clara reſponſa ediderint: ſunt qui ad elucrandam gloriam, & peculiam mentiantur omnia præſcire, & ſecretiora rimari.
Plutarch.

116. Cùm Balac dubiis timoribus angerentur, diuinum per internuntios conſuluit, Balaam ſcilicet: ille vt vidit diuinationis pretium, etſi non ignoraret Dei voluntatem regis deſiderio aduerſam, ſic ſe geſſit, vt legatorum ſpes aliquomodo fouerit, pretiúmque acceperit: *Perrexerunt ſeniores Moab, & maiores natu Madian habentes diuinationis pretium in manibus ſuis.* Prohibitus à Domino ire detractarat; ſed, vt videtur, inuitus: cúmque miniſtri regis iterum inſtarent, nec diuinationis pretio carerent, cum eis pergere permiſſus eſt; ita tamen vt prorſus maledictis abſtinuerit: *Surge, & vade cum eis, ita dumtaxat, vt quod tibi præcepero,*
Num. 22. v. 7.

Digitized by Google

præceperò, faciat. Iam Dominus clariſſimè Balaamo dixerat: *Ne maledicas populo, quia benedictus eſt*; verùm ille, etſi veritatis non ignarus, ne amitteret diuinationis pretium, aut prophetæ plauſum, ſuſpenſas legatorum ſpes diu tenuit, & oraculum fauſtum promiſit. Si diceret ſe prohibitum, priuaretur lucro: ſi clarè populum maledicendum promitteret, indubio exponeretur mendacio: ergo verba reddidit ambigua, vt ſic adularetur cupiditati, & euanido blandiretur honori: *Quòd inobediens Deo*
Rupert. *fuerit*, inquit Rupertus lib. 2. in Numeros c. 16. *quòd munera deſideraverit, quòd Iſraël maledicere cupierit, ratio manifeſta conuincit.* Adnectit: *Non dixit: Abſit hoc à me, non maledicam populo huic, pecunia tecum ſit in perditione; ſed explorat improbus Dei ſecreta ſemel & iterum, ſi fortè permitteret Dei patientia, quod vt faceret, ſuadebat ardens cupiditas.* Conditione, qua permiſſus ire cum eis fuerat, ſuppreſſa, ſibi iam pergere licere reſpondit, & ſpes vocantium eluſit; quod vtinam vni ſolummodò Balaam contigiſſet, nec tot Balaamos eius exemplum veritatem armaſſet.

§. XXVII.

Falsò exiſtimata ſecuritas grauior peccatoris calamitas.

117. SOlemnis ab exordio eſt conſtans inconſtantia, & volubilis ſemper fortuna: mundus hic vicibus eſt temperatus, & variationibus conformatus. Opportunè Tertullianus lib. de Pallio cap. 2. *Diuerſitatis diſcordiam vices fœderant; ita mutando erit mundus omnis, qui & di-*
Tertul. *uerſitatibus corporatus, & vicibus temperatus.* Verſiforme eſt totum, dies nocte pellitur, nox aurorâ extruditur, Sol aliquando ſiſtitur, aliquando ad horologium retrahitur, Luna menſtrua variat: mutant & beſtiæ formam, & nihil in rerum natura protſus inuenitur ſtabile. Ita ſanè; virtute attamen exornatus, etſi aliquas ſuſtineat vices, conſtantior relucet, & firmior, vt impius confuſis vitiorum vorticibus ſemper iactatur, & in morem raptorum fertur: *Homo*
Eccli 17. v. 12. *Sanctus in ſapientia manet ſicut Sol*, aiebat Eccleſiaſticus: *nam ſtultus ſicut Luna mutatur.* Sol ſemel in anno nouus, alia duodecies Luna: cumque hoc ratum adeò ſtatutumque ſit, ſic peccatores deſipiunt, vt ſe permanſuros diu crediderint, & falſam ſibi ſecuritatem ſpoponderint: vt auidiùs deliquerint, cogitant vitam citò finiendam, ne pœnituerit diuturnam. Itaque ad ſeſi piſcendum remotus eſt ab illorum mentibus caſus, mors diſtans. Teſtantur hanc veritatem Laienſes, quos Danitæ eorum terminis propiuquantes, vtpotè ſecuros repererunt inermes: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum, & quietum.* Iam appetebat calamitas, iam hoſtiles obtendebantur inſidiæ, iam exploratores diſponebant excidium, & tamen Laienſes nullo agitati timore, imò falſa ſecuritate confiſi otiabantur, ac ſi ab omni infortunio exempti: *Se-*
Hugo. *curitas & otium pariunt negligentiam*, inquit Hugo ad hunc locum: ſi prudenti timore agitarentur, ciuitatis aditus præmunirent, & excubias agerent; verùm eam Sidonios ſecuti pacem ac ſecuritatem ſibi promittebant, vt nullam fortunæ varietatem cogitarint, nec ſibi ab hoſtibus cauendum crediderint: *Securitas & otium pariunt negligentiam.*

Haienſibus bellum repræſentat Ioſuë; illi animos aduerſus periculum reſumentes in campum prodeunt, & hoſtem feliciter abigunt: 118.
Percuſſi ſunt à viris vrbis Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines. Haienſes deſpexerat Iſraëlita, nec quid verebatur aduerſum; imò ſibi ſecurum adeò præſumpſit triumphum, vt hoſtes non laturos eius aſſpectum crederet. Ioſuë 7. v. 4.
Non aſcendat omnis populus; ſed duo vel tria millia virorum pergant, & deleant ciuitatem, Quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos? Confidentior, audaciorque modò inſultat, qui paulò ante Iericho obſidens, & excubiis obnoctauit, & ad clamores confugit. Rogabis: ſi ibi promiſſa à Domino victoriâ, omni ſolicitudine ciuitatem circuit cur modò victoria non promiſſa; imò ſtrage appetente ſecurus præſumpſit? Iam reſpondet textus, ob admiſſum videlicet, & perpetratum peccatum: *Filij Iſraël preuaricati ſunt mandatum.* Mandatorum præuaricatio ſtultam ſecum attulit confidentiam, & obnoxiam caſibus peperit arrogantiam: hoſtilibus mucronibus ſtatim feriendi plaudebant ſibi veluti indubia coronandi victoria, & ingenti diuitandi præda: Cùm Iericho obſidione cingerent: admiſſo crimine non obſcurabantur: ergo vtili timore ſibi præcauebant, & ſtragem ipſa cautela vitabant; aſt dum criminibus polluuntur, & falſæ ſecuritatis tenebris obcæcantur. Nec aliter criminis auctori contigit: audit reum non fallaci ſorte inueſtigandum, nec timet, quia cum ipſo delicto ebiberat ſtupiditatem, & obliuionem: foſſam aperiebat ad occultandos ſiclos, purpuram, aurum, & cùm ſepulchrum mortis memoriam ingereret, ipſo puluere ſic obcæcabantur oculi, vt à ſe longiſſimè periculum ſuſpicarentur diſtare; imò indubiè crederent fortunam ſibi feliciſſimam arridere: *Voluit Deus*, inquit Theodoretus quæſt. 9. in Ioſuë, *& hunc* Theodor.
reprehendere, & omnibus incutere metum. Dum incuſſit metum, ſtultam illorum condemnauit confidentiam, & horum exemplo edocuit peccatorem, quò proximior inuenitur ſtragi, plus diſtare à metu: aliqualis ſalutis teſſera metus eſt: nam tunc plus à timore peccator ſolet diſtare, cùm conſtat iam iam procellam aduerſitatis irruere.

Video Philiſthinos dum Arcam timent, ab 119.
Dei Arca non percuti: *Timuerunt Philiſthiim dicentes: Venit Deus in caſtra: & ingemuerunt dicentes: Væ nobis.* Acceptâ iam victoriâ de Iſraëlitis Arcam non verentur; ſed iuxta Dagon ſtatuunt, ſibi de infelici triumpho plaudentes, ſed modò Dagon iacuit dilaceratus, & Azotius ingemuit durè percuſſus: *Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios, & demolitus eſt eos.* 1. Reg. 4. v. 5.
Rationabiliùs videbatur hoſtes anteà percuſſiſſe, quàm plagis modò ingentibus afflictaſſe: ſi anteà ijdem ſunt Philiſthini, ſi eadem Arca, cur modò vires exerat, & anteà contineat? O vtilem nobis eruditionem! Sceleribus anteà denigrabantur peruerſi; timore tamen ingemiſcebant perculſi; at modò otiabantur nullo timore

more agitati, & grauioris culpæ rei. Ergo dum ad timorem recurrunt, aliquod ſibi ſubſidium prouidenter inueniunt; dum verò omnem timoris opem ab ſe abijcientes exarmantur: en dum grauiùs delinquentes, nullas timoris ſortiuntur ſuppetias, inopinas coguntur ſuſtinere ruinas: *Captâ ab allophylis Arca Domini*, inquit Rupertus lib. 1. in Reges cap. 14. *victoriam de victoribus verſa vice exigit: primumque in Deum ipſorum Dagon, deinde ſuper homines aggrauantur manus Domini.* Quo paſſu creuerunt crimina, eo timor depulſus eſt, & timore depulſo & culpa grauior, & calamitas oppreſſit durior: anteà in Arcam non delinquerant; modo, dum veluti trophæum Dagonis humiliori loco collocant, dum eius non verentur potentiam, & ſibi ſecuriùs plaudunt de victoria, triſtiùs ac miſerabiliùs repentina & inexcogitata ingemunt oppreſſi ruina. Profectò miris Sacra Scriptura coloribus, & veriſſimis lineamentis in Philiſthinis veluti in dolatis tabulis depinxit, quod peccatoribus accidit. Initio etſi culpis inſeruiant, ſalutarem tamen timorem prorſus non abiiciunt; vbi verò culpa adaugetur, timor minuitur, & eius loco ſtupida inoleſcit confidentia, & infauſtè ſecura audacia: vnde cùm inclamant: pax, pax, venit illis repentinus interitus, & lamentabilis opprimit caſus.

Rup.

120. Sophonias futuram ſtragem denuntians habitatores Ieruſalem durè mulctandos teſtatur: *Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem.* Denuntiatâ iam ſtrage eorum vices commiſeratus propheta conſulit, vt ad timorem ſalutarem ac tutelarem maturè confugiant: *Silete à facie Domini Dei: quid iuxta eſt dies Domini.* Hieronymus ex Septuaginta vertit: *Timete. Septuaginta tranſtulerunt, timete*, inquit ad hunc locum. Verùm ſi dies Domini adeò erat propinqua, quis eorum timore non concuſſus, & præ timore attonitus. Ergo alias virtutes arripere conſulat: nam opportunius fit timoris acerrimos ictus delinire, quàm exacuere. O verum! diſtantior ab eorum cordibus inueniebatur metus, quia proximior miſerabilis caſus: ergo conſulit propheta ad timorem confugiant, quo aliquantulum deuitarint procellam: alioquin ſi impauidos extenta manus inueniat, dum ſibi pacem promittunt extremam calamitatem patientur: *Si quis voluerit*, inquit Hieronymus ad cap. 1. Sophoniæ, *iuxta interpretationem nominum Iuda & Ieruſalem ſuper anima vniuſcuiuſque hoc ipſum intelligere, non errabit, quod auferat Dominus vniuerſa quæ diximus.* Adnectit: *Et extendat manum ſuam ſuper eum, qui Dominum non confitetur, & ſuper eum, qui ſenſum pacis ſe habere iactat, vt auferat atque diſperdat de tali Ieruſalem omnem ſuperbiam, & falſos in Deum cultus.* Ieruſalem idem eſt quod viſio pacis: ergo iſti cum pace coniungebant idola, & cum denigrarentur deteſtabili impietate veluti in pace conſtituti nullo premebantur angore: ergo diuinæ indignationis erunt infeliciſſima exempla, dum repetitis ſtragibus deletur culpa. O vtinam timerent, qui fragiles delinquunt, nec Ionæ ad inſtar naufragio vicini dormirent ignaui! O quàm ſtertunt multi perſtrepentibus diuinæ indignationis ventis. O quam arbitrantur alios tempeſtatem inquirere! Ecce qui cum Iona nauigant peccatores, de timore ſibi ſubueniunt, cùm Ionas, dum ſine timore, dormiat ſorte prodendus, & à piſce deuorandus.

Sophon 1. v.4.

Hieron.

Hieron.

§. XXVIII.

Quo maior peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas.

NVllum oſtendes varietatibus intactum, exemptumque; omnia ſuſque deque feruntur non fortunæ, quam antiqui deam, etſi cæcam putabant, arbitrio; ſed cæleſti ac prouidenti decreto: varietatis alternationibus ad depellendam cæcitatem noſtram Deus vtitur pro collyrio. Hinc non ſemel nuptialis thalamus in feretrum verſus eſt: ex eis penatibus immatura aſpicimus duci funera, ad quos demirabamur confluxiſſe omnium felicitatum augmenta. Diſertè Eurpides apud Stobæum de inconſtantia fortunæ cap. 110. *Vides tyrannos longo tempore confirmatos, quàm exigua res offendat, & vna dies aliquem diu in ſublimi conſtitutum deiecit: illos item, quibus aliquando diuitiæ celeriter auctæ fuerant, à ſpe ſua ſupinos cadere video.* Diuitiæ proſperitateſque rapti torrentis mutuantur ingenium eodem, quo accedunt, impetu fugiunt: dum putas manu prehendi, per ipſas digitorum rimulas experietis elabi; verùm etſi omnium domos hæc conſtans varietas concutiat, illas præcipuè, quæ non virtutum ſolidis fundamentis innixæ; ſed fallaci peccatorum cæmento eminent ad ſpeciem ſuperbæ. Duplici hanc veritatem hoc cap. 18. confirmabit exemplo. Michas montis cacumine ſitam domum inhabitabat, quo ſimul vertex eueheret, & ſoliditas montis omnem ruinæ ſolicitum timorem abigeret: nec ſolùm montis cacumine eminebat excelſus; ſed etiam diuitiis ad ſe confluentibus exundabat copioſus; verùm de idoli cultu omnia iſta in lachrymas verſa ſunt: *Deos meos*, clamabat, *quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo.* Non ſolùm Danitæ in Michæ domum lachrymas intulerunt; ſed Lais quieſcentem populum omnibus felicitatibus fortunatum repentina ſtrage proſtrarunt: cùm Lais videbatur floridior, illam calamitas oppreſſit acerbior: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Lais ſingularitate famoſa, rerum omnium abundantia conſpicua, pace & tranquillitate ſecura, temporis momento inopinis cædibus luget mœſta, & exundanti ciuium ſanguine defœdata. *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt.* Iam campus, vbi Lais fuit, iam eius arua non cryſtallinis vndarum riuulis irrigantur, ſed ſanguinis torrentibus obruuntur. Ita Arias Montanus: *Populares inermes, ac repentino impetu oppreſſos armati aggreſſores magna celeritate iugularunt, eademque opera, & vno codemque tempore vrbis domibus ac templis flammas admouere, & cædi operam dare, ac ſatagere, vt turbatis vtróque periculo ac malo ciuibus nulla vel conſilij, vel defenſionis, vel ſaltem fugæ ſupereſſet copia.*

121.

Euripid.

Montan.

Digitized by Google

copia. Securitatis clauſula mors inſperata fuit, & mortem vorax excepit flamma, totúmque hoc à Danitis, id eſt, iudicibus perfectum: iuſto námque Dei iudicio iniquorum felicitas citiſſimè ſolet euerti: nec ſolùm vrget miſerà cæde calamitas; ſed voraci igne augetur aduerſitas: vt noueris quàm non ſit inuidendum iniquorum felicitati, quandoquidem ſubitò diſparet, & in modum fulguris, dum perſtringit oculos, fugaci ſplendore eludit.

122. Non ſine myſterio cùm iam Eſaü ferè totus fuſus videretur ad familiæ principem natus, & magnarum diuitiarum copia refertus, à Iacobo ſup-
Geneſ. 25. v. 25. plantatur: *Protinus alter egrediens plantam fratris tenebat manu, & idcircò appellauit eum Iacob*. Non tenebat manum; ſed plantam: plantæ námque ſunt hominibus pro baſibus, fundamentíſque: ergo ſi adſpicias Eſaü, cenſebis omni felicitate adornatum, quandoquidem generis princeps eminet naturæ primatu, ac magno diuitiarum prouentu; verùm totum hoc nequiuit ſubſiſtere, dum planta, qua innitatur, aliena manu ſubruitur. Iacobum alius non ſequitur, qui eum ſupplantet; Eſaü verò ſanguinarium, hiſpidum, & omnis prauitatis imaginem manus valida inſequitur, & de primatu ad ſeruitutem adducitur: *Concupiſcentia carnis marceſcit, hoc eſt, Eſaü*, inquit Hugo Victorinus apud
Hugo. Tilmanum: *à poſt genito Iacob ſupplantatur*. Adnectit: *Et benè piloſus in carne radicem figit*. Piloſus, carnalis, ſanguinolentúſque radicem videbatur habere, ſed quæ nequibat perſeuerare: ſupplantatus citiſſimè ruit, & dum reſplendebat, ſorduit. Et vide Sacræ Scripturæ proprietatem: ſupplantatum dixit, vt violentiùs ruentem indicaret, nec quid illi remanſiſſe inconcuſſum oſtenderet: à plantà, hoc eſt à fundamento incepit ruina, & à fundamentis miſeria: peruerſi námque euertuntur, & ſupplantantur, vel cùm illos cæteris præferendos partus effundit, & fallax omnium gratulatio plauſibus excipit.

123. Iob impiorum felicitates enumerans ſic aiebat:
Iob. 21. v. 7. *Subleuati ſunt, confortatique diuitiis, ſemen eorum permanet coram eis, propinquorum turba, & nepotum in conſpectu eorum, domus eorum ſecuræ ſunt, & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos*. Relatis tot felicitatibus addit: *Lucerna impiorum extinguetur, & ſuperueniet eis inundatio*. Lucerna, etſi radiorum pulchritudine niteat, leuiſſimo oris flatu extinguitur: ergo impiorum felicitas lucis ad inſtar eſt, dum oculos grato ſplendore allicit, ipſo oculos leuiſſimo flatu extincta fugit, ne vel fumus præteriti ſplendoris ingratum veſtigium, aut teſtimonium memoriam excitet, addit Iobus hoc miſerum præteriti fulgoris teſtimonium, & antiquæ felicitatis veſtigium inundatione ſuperueniente prorsùs extinguendum, & ab hominum memoriâ exterminandum. Et ne extincta lucerna ſpe reluminationis ſibi blandiatur, immenſis aquarum torrentibus ſepelitur: *Sæpè impius*, ſcribit Gregor. lib.
Gregor. 15. moral. cap. 29. *opes terrenæ ſubſtantiæ adeſſe ſibi quaſi magnam luminis lucernam putat; ſed cum irruente damno diuitias, quas plus ſe amabat, perdiderit, quid iſte aliud, quàm lucernam, in cuius lumine gaudebat, amiſit?* Leui flatu omnis lucernæ ſplendor extinctus eſt, & cithara, quæ admirationem pariebat cantu, ad ſtuporem cogit conuerſa in luctum. Quàm diſertè Seneca felicem meliori fundamento innixum, ne ſuperbiret, epiſt. 19. ad-
Seneca. monuit: *Tulit te longè à conſpectu vita ſalubris rapida felicitas, prouincia, & procuratio, & quid-*

quid ab iſtis promittitur; maiora deinde officia te excipient, & ex aliis alia: quis exitus erit? O percellentem animos interrogationem! Te interroga, In freto viximus moriamur in portu. vtrùm meliùs ſit ex inopiâ tranſire ad ſaturitatem, an ex ſaturitate ad inopiam? Sed eſto alienæ auiditati tua fortuna expoſita non ſit. Certè ipſa felicitas alis perniciſſimis inſtructa eſt. Ergo Stoici conſilium cape: *Satis multum temporis ſparſimus, incipiamus in ſenectute vaſa colligere: in freto viximus, moriamur in portu*. Oppones fortè validiſſimis te fulcris communiri, inniti fundamentis adeò ſolidis, vt facile non ſit aduerſitatum adſultibus euelli; imò nec acribus flatuum inſidiis concuti. O quàm egregiè falleris! nihil adeò eſt intactum à fortunâ, nil diu inconcuſſum, ni virtute innitatur! Quid flammæ adeò, quàm vnda, contrarium? & tamen ignem videbis valere in aquam, & ad peccatoris ſupplicium res ipſas non ſolùm immutare naturas; ſed contrariis ſuis ferre ſuppetias.

Apocalypſis 17. mulier conſpicitur omni felici- 124.
tate circumdata, & multis aquis defenſa: *Sedet* Apoc. 17. v. 1.
ſuper aquas multas. Iam vide exitum: *In vna die venient plagæ eius, mors, & luctus, & fames, &* Apoc. 18. v. 8.
igne comburetur. Mira res torrentibus aquarum ſtipata comburitur, & vnda ſemper flammæ aduerſa ad vrendum tranſit in flammam. *Impij*, inquit Ambroſ. ad hunc locum, *qui rationis bonum in malum peruertentes, hóſque corporis ſenſus luxuriæ, &* Ambroſ.
cæteris vitiis ſeruire coëgerunt, iram nihilominùs iuſti iudicis incurrerunt. Quàm citò deciderunt à fallacibus gaudiis! Quàm ingemiſcent amariſſimis, nec vnquam finiendis incluſi pœnis.

§. XXIX.

Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat, calamitatem aſciſcat.

ANtiquitùs ab homine homini quotidianum 125.
periculum erat, iam homini à ſe ipſo periculum frequentius, & grauius: dum plus de ſe præſumit, & vires ſuas auctiores credit, difficultatibus inextricabilibus ſe committit: ſi ſe nonnulli numeraſſent, lætiùs ac diutiùs vixiſſent; verùm dum quiſque, vnus cùm ſit, helluationi, ſalacitatique plures eſt, dum ſuprà vires ardua tentat, miſeram ſibi ſortem conciliat: *Venit mihi in mentem*,
aiebat Seneca epiſt. 54. *in hoc ſene & adoleſcentem* Seneca.
eſſe. In mentem venit aliquibus in ſenectute adhuc adoleſcentiam degere, & dum ſe, vt adoleſcentes gerunt, ætatis beneficium amittunt. Si ſe æqua lance Nabucho penſaſſet, ſe diuinum non credidiſſet; aſt dum ab auro diuinitatem mutuatur, catenis duris conſtringitur: non minùs laudabile eſt cordatè timere, quàm audacter in inimicos irruere. Vnus homo cunctando reſtituit, quæ perdidiſſet audendo. Prouerbium illud: *Noſce te ipſum*, non ſolùm animo; ſed & corpori prodeſt: nos nobis ipſis imponimus, & ingenti detrimento nos fallimus: grata nobis, quæ nos extollit, fallacia eſt, & malum eò ſerpit peſtilentiùs, quò blandiùs. Danitæ, dum vires ſuas conferunt, dum prudenter in aduerſarios irruunt, nomen ſibi faciunt, & terminos ditionis extendunt: *Miſerunt filij Dan ſtirpis & familiæ ſuæ quinque viros fortiſſimos de Saraa & Eſthaol, vt explorarent terram, & diligenter inſpicerent*. Exploratores nulli labori pro communi vtilitate par-

centes, Lais intrarunt, & facilè poſſe capi aduerterunt. *Reuerſi ad fratres ſuos in Saraa & Eſthaol, & quid egiſſent, ſciſcitantibus reſponderunt: Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valdè opulentam, & vberem, nolite negligere, nolite ceſſare.* Quærit Abulenſis q. 5. quare non pugnabát contrà hoſtes videlicet Amorrhæos, qui erant in ſorte ſua, cùm proximiores eſſent, & diuites. Reſpondétque Danitas vires ſuas cum aduerſariorum viribus contuliſſe, inueniſſéque, ſi in Amorrhæos irruerent, vtpote diligenter intentos, & certaminibus doctos, nil aliud eſſe quàm ſtragem ſibi maturare, in Laienſes verò mouere arma felicitatem aſciſcere: ergo hos impetunt, ab illis Abulenſ. abſtinent in vtróque non incurioſi: *Quia hoſtes, qui erant in circuitu illius partis, quam ipſi tenebant, erant fortiſſimi, & exercitati ad bella, & cauentes vigilanter, ne Iſraëlitæ contrà eos inſurgerent; ideo deſperabant Danitæ ſe poſſe præualere contrà illos, & ob hoc voluerunt ſcire, an in aliis partibus ſortis ſuæ procul inde diſtantibus eſſet aliquis populus non tantùm inſtructus ad bella, vel vigilans ad cuſtodiam ſuam, vt contrà illum pugnarent.* Si contrà Amorrhæos pugnaſſent, eorum fierent præda; Laienſes inuadendo ſunt coronati victoriâ: tantùm intereſt vires proprias rationabili lance, expendere, & alienas prudenti etiam iudicio taxare: ſibi nocet, qui alienam potentiam ſuperbiæ adulatus imminuit, vt etiam qui propriam conſiliis vanitatis adauget: in ſe plures prouocauere fortunam, dum duplici errore innixi & de ſe maiora credunt, & aliorum vires imminuunt.

126. Moab, dum elatè ſuperbit, & fortitudinem ſuam blandienti fallacia exaggerat, miſerabiliter vlulat: *Audiuimus ſuperbiam Moab,* inquit Iſaias: Iſai. 16. v. 6. *ſuperbus eſt valdè: ſuperbia eius, & arrogantia eius, & indignatio eius pluſquam fortitudo eius: idcircò vlulabit Moab ad Moab, vniuerſus vlulabit.* Non ſic Moabitis nocuit verum aduerſariorum robur, ac quod ſibi adſcripſit fallax præſumptio: non tam vlulat aliena victoriâ impetitus, quàm propria arrogantiâ falſus: dum iniquo iudicio vires ſuas exaggerat, hoſti ſuo militat: non periret, ſi robur rationabili lance expenderet. Ita Hugo Cardin. ad hunc locum: Hugo. *Superbus eſt valdè putans omnibus præualere, licèt modicus populus ſit propter terræ munitionem. Superbia eius, quâ tumet, & arrogantia eius, quâ ſibi attribuit geſta ſua; ſuperbia, elatio de his quæ habet; arrogantia de his quæ non habet; ſed habere fingit: & indignatio eius pluſquam fortitudo eius, id eſt ſuprà fortitudinem ſuam ſuperbit.* Fingebat Moab inuictas ſibi ineſſe vires, inſuperabiles arbitrabatur munitiones: Ergo dum plus audet, miſerandis vlulatibus ingemit. O ſi plures ingenij vires, & virtutis robur, ſi nobilitatis ſplendorem imperturbatis oculis adſpexiſſent, pericula quanta fruſtraſſent! Verùm dum arrogantiæ alis qui ſapientia caret, alta conatur inſcendere; dum de propria virtute temeritas plus præſumit, dum de nobilitate ingenita vltra modum innubilare cæteros audet, miſerabiliter obſcuratur, & ruit.

127. Expendebat non ſine lepore Richardus in allegoriis Tilmani ad Danielis 4. proceram illam arborem, dum in ramis conuerſantur volucres, & ſubter eam inhabitant beſtiæ, repetitis ictibus corruiſſe; non verò prægrauatam pondere teretes ad terram Daniel 4. v. 9. ramos inclinaſſe: *Subter eam habitabant animalia & beſtiæ, & in ramis eius conuerſabantur volucres cœli. Et ecce vigil & Sanctus de cœlo deſcendit: clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, & præcidite ramos eius.* Dum in ramis volucres, dum ſubter ramos beſtiæ, opus fuit ad arborem extirpandam violentia; ſi verò, inquit Richard. inuerſo ordine præſumptionis alis beſtiæ inſcenderint ramos, & volucres teneant ima, vigil quieſcere, & ſecuris poteſt feriari, quia arbor prægrauata pondere ruet: *Quid quæſo, hoc genus monſtri eſt, quòd* Richard. *noſtri temporis arbores vrſos & leones portant in ramis; volucres verò cœli, & quælibet animalia pen-* Immeritum erigere ad alta eſt maturare ei præcipitia. *nata contrà conditionis iura premunt in ramis? Quid, quæſo, eſt quod facitis, qui eiuſmodi bruta, & beſtialia corda in ſublime attollitis, & velut in aëre ſuſpenditis? Si verè eos diligitis, cur eis non parcitis: nam dum eos ad alta ſuſpenditis, eis ruinam vtique preparatis.* Si ramuſculus auiculam ſuſtineret, leui pondere non prægrauatus duraret; at dum bos poſſe ramuſculo ſuſtentari confidit, ſua ſibi fiducia nocet: opus non erit vigilis labore, vt prægrauis beſtia ſimul cum ramuſculo corruat, ſi ipſe ſe volucribus præferens arboris alta conſcendat: non aduerſa nos fortuna deiicit; ſed noſtra ſæpiſſimè audacia: plus iuſto præſumimus, & ob id iuſtiſſimè cadimus.

Ioſephus & Azarias non bona æmulatione Iudam imitari manus cum hoſte conſerere ſatagunt, 128.
& ſua ipſa ſolicitudine ruunt: *Audiuit Ioſephus* 1. Machab. 5. v. 56. *Zachariæ filius, & Azarias princeps virtutis res benè geſtas & prælia; quæ facta ſunt; & dixit: Faciamus & ipſi nobis nomen, & eamus pugnare aduerſus gentes, quæ in circuitu noſtro ſunt.* Gloriæ ambitione ducti, dum vires non meditantur, aduerſariis præda obiiciuntur: *Fugati ſunt Ioſephus & Azarias vſque in fines Iudææ.* Sua eos compulit fugere audacia: ſi conſideratiùs robur expendiſſent, hoſti nullatenus militaſſent; verùm dum ambitio malè ſuadet, dum vires ſibi præſumptio attribuit, non ſine dedecore ab aduerſariis vincuntur, & ad extrema terræ fugantur. O quàm ſapienter Haymo apud Hugonem ſuprà datum. *Præcipitata audacia plus audet, quàm poſſit.* Haymo. Non præcipitaretur ab aduerſariis audacia, ni rationis limites exceſſiſſet, & præſumptionis alis ad aduerſarios volaſſet.

Expendebat Chryſologus Petrum, dum plus 129.
de ſe præſumpſit, corruiſſe, Ioannem verò, dum cordatè timuit, periculum declinaſſe: *Si omnes* Matth. 26. v. 33. *ſcandalizati fuerint in te; ego nunquam ſcandalizabor.* Vt cæteri Petrus fugiſſet, ſi minus auderet; at dum ſibi fidens Pontificis intrat domum, dum ſe aulicis inſerit, dum intrepidè ad ignem cum peruerſitatis miniſtris ſedet, iterata negatione imbecillis confunditur, & confuſus effugatur: *Petrus,* inquit Chryſol. ſerm. 150. *quia fugere noluit, abnegauit: Ioannes, ne abnegaret, aufugit.* Ioannes, Chryſol. dum ſibi minus adſcribit, declinat negationis periculum; Petrus verò, dum plus iuſto ſibi fidit, incurrit deteſtationis naufragium, vt licèt ſerò, nouerit ſatiùs illi fugere, quàm audere. Corruunt miſerabiliter plures non aduerſæ ſortis malignitate; ſed infauſtâ præſumptione, queis nudantur, inuictas ſibi vires adſcribunt, & ſe maiora tentantes hoſtili mucroni obiiciuntur temerarij, & ſanguine tingunt miſerrimi: ſi Petrus recordaretur ventorum olim flatibus impetitum trepidaſſe, & naufragium ferè incurriſſe, acriores inuidentiæ vereretur adſultus, & ambitionis exoculatos timeret auſus; verùm dum ſingularitatis expertus detrimentum turbulentius pelagus, intrat, dum auxiliarem ſibi negatione impedit dexteram, & miſeram experitur ruinam.

§. XXX.

Digitized by Google

§. XXX.

Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio.

130. SOlitus Deus ſibi ſat eſt, nullius indigus, in omnia ſufficiens ſuper vices temporum varias immotus, & ex ſe ipſo cumulatè fortunatus, verùm ſic aliquando arrogans intumuit ſuperbia, vt ineſſe etiam ſibi hanc, vnius numinis ſingularem exiſtimarit prærogatiuam, & maturarit ſtulta, & audaci præſumptione miſeriam, ingentiſſimè erraſſe crede, quiſquis ſe ſibi ſatis fore præſumpſit: nam ſi florenti vtatur fortunâ, opus erit auxliares mutuari manus contra lynceam cupiditatis audaciam, & inſidiatricem ſemper inſolentiam: ſi aduerſa prematur ſorte, opus erit opportuno ſubſidio, auxiliarique brachio: ob id prudens ſibi aduerſus fortunæ varietates parat auxilium, & honeſtum exambit amicorum conſortium. *Ita ſapiens,* aiebat Senec. epiſt. 9. *Se contentus eſt, non vt velit eſſe ſine amico.* Certè hominem homini conciliauit natura non ſolum ad honeſtum amoris exercitium; ſed etiam ad ſupplementum: non eſt quærendus amicus vtilitatis cauſâ; ſed amicus quærendus eſt. *Sapientem*, diſertè aiebat Chryſippus, *nulla re indigere, & tamen multis illi rebus opus eſſe.* Prudentiſſimè dixit: nam quantumuis ſapiens ſe extra inuidiæ limites conſtituat, & quo fortuna manum nequeat porrigere, ſtatuat, opus illi erit munimine contra malignitatis adſultus, & varios temporum caſus. Qui ſe à reliquis omnino ſeiunxit, ſibi non ſolum conciliauit inuidiam; ſed fortunam prouocauit etiam aduerſam. Lais populus diuitiarum cumulo fortunatus, camporum vbertate conſpicuus, & numeroſa ciuium frequentia opulentus Danitarum in ſe cupiditatem armauit: ergo Danitarum exploratores, etſi varios terrarum tractus excurriſſent, vt Lais à reliquorum conſuetudine ac conſortio agnouerunt ſemotam, facillimè promiſerunt contribulibus capiendam, & detriumphandam: *Surgite, aſcendamus ad eos: vidimus enim terram valde opulentam, & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſideamus eam, nullus erit labor.* Et cur facilem adeò ſibi victoriam promiſerint, quando Lais & ciuium numero copioſa, & diuitiis opulenta? Iam textus explicuit: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Proſperâ fortuna vſi, & omnibus ad vitam delicioſam ſpectantibus aucti vti ſibi ſufficientes à reliquorum Laienſes ſeiungebantur conſortio, nec ſibi opus aliquando fore arbitrabantur auxilio: ergo dum proſperiori fortunâ vſi rapaces exacuunt manus, omni auxilio deſtituti, opima fiunt hoſtilis mucronis victima, & cupiditatis audentis præda: *Venerũt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium, eo quòd procul habitarent à Sidone, & cum nullo hominum haberent quicquam Societatis ac negotij.* Ni aliorum auxilio noſcerentur deſtituti, forſitan hoſtilem cohibuiſſent audaciam, & refrænaſſent cupidam militum inſolentiam, verùm dum ſemoti, dum ſingularitate disiuncti, ceruices præbuerunt audenti gladio, & ciuitas inc[illegible] exardi incendio. Ita Abulenſis quæſt. 16. *Quando cremabant vrbem, non adiuuit quiſquam Laiſenos contra Danitas: nam faciliter adiutorio habito potuiſſent Laiſeni repellere Danitas, cùm eſſent pauci Danitæ, ſcilicet ſolùm ſexcenti viri, vt patet in littera, & tamen nullus adiuuit eos.* Adnectit: *Dato quòd aliæ gentes de finitimis cognouiſſent bellum inſurgere contra Laiſenos, non iuiſſent ad auxiliandum eis: quia non habebant cauſam faciendi hoc, ſcilicet quia Laiſeni non habebant Societatem cùm alia gente.* Non continuit finitimas gentes irruentium militum copioſa manus; ſed factus Laienſium inſidioſus: ſingularitate gloriabantur, felicitate tumebant: adeò ergo reliqui à præſtando auxilio abfuerunt, vt potiùs gauiſi ſint ab hoſtibus premi, & ciuitatem flammis anhelantibus vſtulari. Singularitas ſibi eſt aduerſa, & ſuperbia ſuis commodis exitioſa.

Abulenſ. — Seneca. — Chryſipp.

Pſalmiſta Pſalmo 112. aiebat ſuperbiam carpens: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat?* Bernardus ſerm. 2. de verbis Iſaiæ nomine Michaëlis hæc verba à Pſalmographo exiſtimauit prolata: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habitat, & humilia reſpicit in cælo, & in terra. Vide autem ne fortè Michaëlis verbum ſit ſuperba illa dicenti, ſimilis ero altiſſimo, in faciem reſiſtentis.* Alludit Bernardus ad Iſaiæ 14. vbi miſer Luciferi caſus ſingularitatis ac ſuperbiæ refertur clariſſimè effectus. Audi Iſaiam: *Cecidiſti de cælo lucifer, qui mane oriebaris.* Sol fons indefeſſus luminis ſtellas reluminat; Lucifer verò adeò præſumpſit, vt reliquarum ſtellarum manè exortus faſtidierit conſortium, & ſolis reſpuerit etiam auxilium: dum ſimilitudinem diuinitatis affectat: *Similis ero altiſſimo,* dum ſolarem dedignatur ſplendorem, miſeram ſuſtinuit ſtragem ab ſtellis diuiſus, & ſoli periit aduerſus: ſe ſibi ſatis fore ſtolidus ac ſuperbus præſumpſit, & dum ſuperbiùs præſumpſit, miſeriùs corruit. Addit ſerm. 5. Bernardus: *Solus ſedere volens tanquam fulgur cecidiſti de cælo non habiturus aliquando ſubleuantem.* Solitaria præſumptio, præſumptuoſa ſingularitas accelerauit ruinam, & irreparabilem conciliauit ſibi miſeriam: Dei titulo inſignitus Moyſes adhuc fratris exambiuit conſortium, plus veritus quàm inimicorum multitudinem, odioſam omnibus ſingularitatem. Frater à fratre adiutus quaſi ciuitas fortis, ſolùm væ manet, præcipuè ſi ſolus non ob calamitatis ærumnam; ſed ob turgidam & arrogantem ſuperbiam: conciliat ſibi turgidus odium, & dum ſolus, in aduerſis non ſortitur vllum ſubſidium. 131. Pſal. 112. v. 5. Bernard. Iſaiæ 14. v. 12.

Ezechieli obijcitur quadriga illa toties repetita, & ſæculis celebrata: in hoſtes animalia armabantur, & licèt fulminum copia diteſcerent, & in aduerſarios flammas ardentiſſimas dexterrimo iactu vibrarent, ſibi referuntur vnita, & alarum nexibus fœderata: *Iuncta erant pennæ eorum alterius ad alterum.* Satius videbatur, quàm arctiſſimis nodis coniungi, expeditis alis celeriùs aduerſarios impetere, & tamen referuntur innexæ, vt noſcas vnionem matrem eſſe felicitatis: dum in hoſtem prodeunt, referantur his vinculis non impeditæ; ſed fortiùs ac validiùs obarmatæ: vt ab hoſtibus indubiè reportarint ſemper trophæa, militant vnione validiſſima fultæ: ſors ni ala alterius fulciretur ala, non adeò ſtrenuè dimicaſſet, nec inimicos adeò celeriter deuiciſſet; dum verò ſibi ſunt auxilio pennæ, quævis alij refundit vires, & validiùs proſternit hoſtes: *Quia* 132. Ezechiel 1. v. 9.

Interlin. *mature incedunt*, inquit Interlinearis, *fortes ac diſcreti ſunt*. Conſonat gloſſa: Gloſſa. *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur, quæ verè iunguntur: amant enim, quæ ſperant, & ſperant, quæ amant.* Amant triumphos: ergo de vnione ſperant: nec ſpes feſellit, quæ rationabili ſocietate innixa, & amico fœdere roborata: fors ſi aquila in altum erecta, bouis dedignaretur conſortium, & aſpernaretur auxilium, doloſis pateret inſidiis aut tardiùs coronaretur trophæis. Ergo amico fœdere intertexantur alæ, vt inuincibili quodammodo robore armatæ de hoſtibus reportarint victoriam, & æternauerint ſibi famam: ergo fuge præſumptuoſam vanitatem, & vaniſſimam ſingularitatis præſumptionem: ſic namque quos propriis nequires, alienis viribus eludes caſus, & hoſtiles poteris repellere adſultus. Si Laienſes Societatem non reſpuiſſent, contra Danitas vtile ſubſidium haberent; verùm, dum periculoſa ſingularitate gloriantur, ab hoſtibus penitus atterũtur.

§. XXXI.

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia.

133. Fortuna non ſolùm eſt auida; ſed & auiditati alienæ eſt expoſita. Tibi dare potes tranquillè viuere, ſed ſi ad naturam vixeris: hilaritas horum, quos felices putas, ficta ſæpè eſt, ſolicita & anxia ſemper: *Et auida felicitas eſt*, aiebat Seneca epiſt. 19. *Et alienæ auiditati expoſita.* Qui felici plaudunt, inſidias ſæpè illi oſtendunt: amicitiâ fortunatis perſonata blandiuntur, & reuera deprædantur: infelicem exitum pluribus ſplendidior fortuna attulit: quæ ſuſpirabatur vt commodorũ vena inuenta eſt laborũ officina: vacuos lares latro non obſeruitat, opulentos deprædari deſiderat: hinc eſt, quod diuitiæ, quæ videbantur eſſe contra calamitates tutela, vertuntur in calamitatum auxilia; verùm etſi cunctis felicibus hoc commune; plus cæteris trepidarint, opus eſt, qui fortunatiori ſorte reſplenduerunt euecti, & ſingulari fortuna cæteris antelati: viuunt namque improbæ malignitati, ac inuidentiæ ſpecialiter obiecti, & ni alia fortuna fortunam ſuam tueantur, inuidentium machinis euertuntur. Probant hoc Laienſes: nam cum exploratores à Danitis delegati varios terrarum tractus excurrerint, Lais decreuerunt oppugnandam, & armorum vi ſubigendam: *Nolite negligere*, contribules hortantur, *Nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eum.* Si cur in Lais vrbem præ aliis irruant, rogaueris, ipſe textus reſpondebit: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum, & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarúmque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Si communi cum aliis fortuna ille populus vteretur, & commnnem etiam ſubiret fortunam; at dum de ſingularitate famoſus, de auro opulentus, de omni ad vitam commoditate præclarus, rapaces manus viuidiùs exacuit, & validiùs oculos aduerſariorum allexit: ſingulariter periit, quia ſingulariter luxit, & dum alias gentes felicitate, & ſtrage etiam miſeranda anteceſſit. *Feliciſſimam depingere videri poſſint vel ciuitatem vel Rempublicam*, exponit ad Montan. hunc locum Arias Montanus, *hoc eſt, amœnus cùm primis, ac ſaluber vrbis ſitus, populus frequens, diues, & quietus, eiſdemque artibus tantùm deditus, quæ iucundiorem, cultiorem, atque elegantiorem vitam efficere poſſunt.* Lais aliis ditior, multis lubrior, camporum ſitu placidè amœnior; ſed ipſa felicitate infelix, dum patitur voraciſſimas flammas, & doloſas aduerſariorum inſidias. Amat ambitio infelix ſingularitatis elogium, cupit culminibus reſplendere; ſed quia non aduertit fulminibus proximare.

134. Petrus vti prudentiſſimus miraculũ patraturus ſingularitatem vitauit manum porrexit claudo, reſurrectionis ſimulacrum excuſurus; verùm & ſi ſolus manum extenderit, ſingularem laudem non exambiuit: *Reſpice in nos*: & cur non: *Reſpice in me?* Actor. 3. v. 5. Si manum non extendunt ambo; ſed vnicus Petrus: *Apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum*: ſibi vendicet laudem, vt laborẽ. O quanta nos docuit Apoſtolus! Frequenter homines laboris amant conſortes; gloriæ plauſuſque reſpuerunt ſemper participes; at Petrus laborem ſibi vendicans, plauſum partitus eſt. Benè, ſed dum miraculum vtrique voluit adſcribi, non vni ſibi applicari, ſingularitatem prudenter extimuit, ne, dum vnicus reſplendet, in ſe vnum multorum manus armarit. Si oculos claudus ad vtrumque direxerit, ab vtroque profecta gratia, dum communior, & tutior erit: ergo felicitatis quæſiuit conſortem, ne dum ſingularis reſplendet, de ſingularitate inuidiam aduerſariorum acriùs inflammet: qui intra templum erant, aduerſarios non expauit; ſed ſingularitatem extimuit: Notauit Seleucienſis Baſilius orat. 21. *Reſpice in nos. O Petri ſapientiam! ô audaciam! Intus in templo Iudæi, & crucifixi reſurrectionem* (falſus) *reſurrectionis ſimulacrum procudit claudum conſolidando.* Baſil. Sibi inſidiati intus degentium in templo Phariſæorum rabiem agnouit, & tamen reſurrectionis ſimulacrum procudit: vidit, ſi ſolus operetur miraculum, poſſe elucrati plauſum; ſed ſingularitatis ſubire periculum: ergo adæquè prudens & audax Phariſæorum ſpreuit truculentiam, ſingularitatis pertimuit gloriam. O prudentiam! ô audaciam!

Cùm Ioſephus à Pharaone ſingulari honore 135. eſt donatus, comâ refertur detonſus: *Protinus ad* Geneſ. 41. *regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt.* v. 14. Origenes lib. 1. in Iob exiſtimat Ioſephum Iobumque non ſine myſterio detonſos: Orig. *Totondit comam capitis ſui, ſicut Ioſeph, cùm de carcere à Pharaone educeretur.* Scrutemur huius Doctoris profundum ſenſum. Quid vni cum alia tonſura commune? Iob comam totondit, dum iaculis aduerſariorum expoſitus, dum dæmonis poteſtati ad tempus ſubiectus, & commodis omnibus viduatus; at Ioſeph, cùm è carcere educitur, Reipublicæ adminiſtrationem ſubit, & ab omnibus ſingulariter adoratur decernente Pharaone: *Tu eris ſuper domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantùm regni ſolio te præcedam.* Geneſ. 41. v. 40. Ergo ſi tonſura habitus lugubris eſt, cur detondeatur Ioſephus? & ſi eſt felicitas indicium, quid eum habitum induat Iobus? Certè Ioſepho ſingularis artiſit proſperitas, & miranda cæteris eum extulit ſingularitas: adeóque ſingulariter reſplendere ominoſum eſt, vt Ioſeph comam totonderit de ſingularitate fortunæ, vt Iobus de auerſitatis atrocitate. Imò, ſi aduertas, Iobum ſingularitas inuidentiæ obiecit dæmonis, & procellas adduxit calamitatis: *Numquid conſideraſti ſeruum meum Iob, quòd non ſit ei ſimilis in terra?* Iob 1. v. 8. Optanda ſingularitas, quæ dæmonem diſcruciauit; ſed dum refertur inflammata inuidia, dum & felicitatis ſingularis denotatur excellentia, nos edocet ſacer textus inuidentiam ſingularitatis eſſe vmbram, in certiſſimam conſequentiam. Ergo ſi ſingulares

Ioſeph

Digitized by Google

Ioſeph Ægyptiis reſplendet, eundem habitum ac Iobus induat, nam vt ille, dum laudabili, exambiendaque virtutum ſingularitate reſplenduit, in ſe dæmonum inuidentiam exciuit: ita etiam Ioſephus Ægyptiorum in ſe inuidentiam prouocabit, dum ſingulariſſimus lucet: adeò ſingularitas inſidiatrices manus obarmat, adeò ſpecialis proſperitas inimicos conciliat.

136. Moyſes Virga omnipotentiæ æmulâ inſtructus. O ad educendum populum delegatus varias excuſationes prætendit, quouſque Aaron legationis ei ſocius datur, & virgam vtriuſque fore prædicitur: *Aaron frater tuus Leuites ſcio quod eloquens ſit: ecce ipſe egredietur in occurſum tuum, videnſque te lætabitur corde.* Iam virgam eſſe communem, ipſum teſtatur oraculum: *Cum dixerit vobis Pharao: Oſtendite ſigna, dices ad Aaron: Tolle virgam tuam & proijce eam coram Pharaone, ac vertetur in colubrum.* Cùm virga & Dei, & Moyſis, & Aaronis eſt, iam intrepidè Moyſes cum Pharaone aggreditur decertare, quaſi plus extimeat ſingularitatem, quàm Pharaonem & quidem ſi vnicus, ſingulariſque miraculorum gloria frueretur, contribules experiretur aduerſos, & aduerſos etiam Ægyptios, & fors illum acriùs æmulationis furor impeteret, quàm duritia diuexarit: dum Aaron operatur prodigia, iam eſt miraculorum communis gloria, & dum inuidentia diuiditur, integro ariete non impetitur, & periculum aliquomodò declinatur: *Non acquieuit ſanctus vir Deo*, ſcribit Oleaſter ad mores explicans Exod. 4. *quouſque ei ſocium in legatione daret.* Nouerat in ſolum ſingularemque væ fulminari, teſtante Scriptura; *Væ ſoli*: ergo ſi comprehenſa virgâ maiori miraculorum copia ſolus reſplendeat, plus timebit, nos edocens quàm ſit periculoſum ſingulari gloria micare, & maiore reliquis fortuna vti.

Exod. 4. v. 14.

Exod. 7. v. 9.

Oleaſt.

§. XXXII.

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prudenti celeritate completa.

137. Conſilium præ viribus aduerſus fortunæ vultus valere non dubites: *Conſilium ſapiens*, aiebat quidam apud Plutarchum lib. an Seni ſit tractanda, *multas vnum manus ſuperat*: quæ cæcis oculis tentantur, etſi felici effectu imprudentiæ notam non fugiunt: quæ cordatè, infauſto etiam euentu linguas mordaces occludunt. Verùm ſatis non eſt ſapienter decernere, ſi contingat ignaua moroſitate fruſtrari: Iſocrates ſerm. admonitor. ad Dæmonicum: *Delibera*, aiebat, *tardè: perfice autem citò, quæ viſa ſunt.* Cunctatio tarda, & in exequendis rebus ignaua moroſitas, dum tempus protrahit, conſilium eneruat, & properantem occaſionem nunquam redituram fruſtrat. *Amplectenda occaſio eſt*, aiebat Tertullianus lib. 1. ad vxor. cap. 7. *Quæ ademit, quod neceſſitas imperabat.* Aliquando neceſſitas imperat; ſed fugit occaſio: ergo amplectenda eſt prudenti celeritate: minus ſibi nocuerunt nonnulli exoculata temeritate, plus inutili cunctatione. Hinc Danitæ terminos dictionis ſuæ tunc ſatis anguſtos extendere diſcupientes exploratores delegant, qui ſagacibus oculis rem explorent, nec explorationis tempus definiunt: ergo conſulto Domino per Sacerdotem, & accepto proſpero oraculo, & ſolicitè peracto explorationis negotio accelerandam expeditionem incalamant, & omnem tarditatem condemnant. Sine oraculo conſulto rem non tentant perficere, & poſtquam Sacerdos illis felicem denuntiarat exitum: *Ite in pace: Dominus reſpicit viam veſtram, & iter, quo pergitis*: adhuc ſolicita inquiſitione, quid iuuare, & quid nocere poſſit inſpiciunt; aſt poſt felix auſpicium, proſperum oraculum, poſt inquiſitionem non ſegnem: Lais namque ditionem attentiſſimis oculis perluſtrarunt: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore*, alacriter properandum decernunt: *Surgite, aſcendamus ad eos.* Abulenſis plures dies poſuiſſe in indagandis hoſtium ingeniis, terræ munimentis, & armis teſtatur q. 9. *Forte iſti oſtenderunt ſe operatores alicuius artificij, & ibi de eo victum quærere, & ſic poterant manere in vrbe aliquot diebus, & cognoſcerent quicquid vellent in vrbe, & modum capiendi eam.* Vides per otium ciuitatem contemplatos, audi modò maxima celeritate ciuitatem aggreſſos: *Surgite aſcendamus ad eos*, (contribules monent) *Vidimus enim terram valde opulentam, & vberem, nolite negligere, nolite ceſſare, eamus & poſſideamus eam, nullus erit labor... Profecti igitur ſunt de cognatione Dan, id eſt, de Saraa, & Eſthaol ſexcenti viri accincti armis bellicis.* Nec per inſtans temporis rem differri permittunt, qui non exiguo tempore apud Laienſes diuertunt: & quidem in vtroque ſe exhibuerunt prudentes, dum per otium conſulunt, & prudenter conſulta decretaque implenda ſine cunctatione decernunt. Et quidem politicam nobilitauit euentus: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt, nullo penitus ferente præſidium.* Si re inexplorata in inimicos irruerent, fortaſſis iacerent oppreſſi, & ab inimicis deuicti: ſi è contra re attentè iam explorata moras necterent, rumor aduerſarios fortè obarmaret, & fortunam tarditas inuitantem eluderet; at dum per otium conſulunt, & celeriter poſt conſilium irruunt, ſine labore naciſcuntur diuitem prædam, & optatam aſſequuntur victoriam. Pro *Nolite ceſſare*, habetur in Hebræo: *Nolite pigritari*: quaſi exploratores plus veriti fuerint pigritiam, quàm aduerſariorum copiam: *Quaſi dicant* exponit Abulenſis q. 10. *Eundo ad inquirendum terram, & videndo conditionem eius, iam magnam partem laboris impendimus: ideò ſi nunc non iremus, ceſſaremus ab incepto opere.* Poſitum laborem amitterent, ſi tempus tererent negligentia, & lucrati ſunt vigilantia.

Plutarch.

Conſilium manus ſuperat.

Iſocrat.

Tertull.

Abulenſ.

Abul.

Moyſi Deus rubo ardenti obijcitur, & imperio veluti data teſſera contra Ægyptios refractarios obarmat, Moyſes varias difficultates opponit, ſigna quærit, quæſtionibus ſciſcitatur reſponſa, Deus miraculis & reſponſis illum obarmat. *Reſpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus. Dixit ergo ad eum: Quid eſt, quod tenes in manu tua? Reſpondit: virga, Dixitque Dominus: Proijce eam in terram, & verſa eſt in colubrum.* Adhuc Moyſes inſtat, & Dominus adhuc inſtantem patienter tolerat. Non multò poſt ſtricto gladio in diuerſorio commoranti mortem minitatur: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Inquires cur modò gladium ſtringat mandatis obtemperantem, cùm anteà ſuſtinuerit tot excuſationibus imperium 138.

Exod. 4. v. 1.

extrahentem. Reſpondeo, antea de futuris conſuluiſſe,& quæ poſſent aduerſa occurrere ſtudioſè examinaſſe; poſteà verò lento gradu perrexiſſe: ergo minatur poſt longam conſultationem lento, non circa difficultates ſolicito. Ibi inquirebat, ne poſteà pæpediretur, hic rebus iam omnibus inquiſitis detinebatur: ergo iras in motoſum fulminat: nam quæ prudenti conſilio iam fuerat, deliberata, debuerunt videri ſolicitudine impleta *Quidam aiunt*, inquit Theodoret. q. 4. in Exod.

Theodor. *id in cauſa fuiſſe, quod Moyſes miſſus ad liberandos gentiles ſuos coniugem itineris ſociam habere voluit.* Itineris lentitudo eſt punita, difficultatum diſcuſſio patienter lata. Ita Rupertus lib. 1. in Exod.

Rup. cap. 16. *Iuſta Dei expectatio: nam veridica eſt, & ſana hac hominis oppoſitio: non credent, inquit, mihi, ſubauditur, niſi ſigna viderint. Ergo Dominus hac opponentem placidè ſuſtinens: Proijce, inquit, Virgam, quam tenes in terram.* Placidè ſuſtinuit conſulentem, aduerſit non properantem: vt oſtenderet momenti negotia fore prudenti moroſitate penſanda; ſed poſt conſilium celeriter perficienda.

139. Chriſtus Dominus in montis ſeceſſu cum Moyſe Eliaque ad noſtram eruditionem de paſſione

Lucæ 9. v. 30. ſua per otium diſſeruit: *Ecce duo viri loquebantur cum illo: erant autem Moyſes & Elias viſi in maieſtate, & dicebant exceſſum eius, quem completurus erat in Ieruſalem.* Prudenti, ſi fas eſt dicere, conſultatione peracta, Dominus namque conſilio non indigebat; ſed ad noſtram eruditionem omnia ordinabat: moras non nectit, imò ad locum Iudæ cognitum pergit, vt tarditatem vitaret: *Egreſ-*

Ioan. 17. v. 1. *ſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe, & diſcipuli eius: ſciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum.* Ni locus agnitus eſſet à Iuda variis fortaſſe erroribus, circuitionibuſque tempus tereret, & ſic Chriſtus Dominus mortem ſapientiſſimè decretam aliquantulum protelaret. Ergo qui conſultationis locum vetuit à Iuda ſciri, poſt conſilium traditionis locum noluit ignotari; ſed paſſionem citiſſimè perfici. Notauit Theophylactus ad Ioannis 18. *Feſtinat, vt veniat in locum proditori*

Theophyl. *notum, ſeipſum permittens homicidis, vt oſtendat quòd ſponte ad paſſionem veniat, & laborem minueret Iudæis ſe quærentibus: nam ne fatigarentur huc & illuc obambulantes quærentes eum, abiit ipſe ad eos.* Si loco Iudæ incognito latitaret, tempus inimici tererent erroribus attriti, & laboribus diuexati; ea tamen charitate refulſit Dominus, vt vel iniquorum labori pepercerit, & eorum commodis ſtuduerit eo ipſo tempore, quò viuidius eius Sanguinem ſitiebant, & ad necem properabant. Itaque celeriter perfecit, quod prudenti deliberatione tractauit: quod nos edoceat inconſultè nil tentare, & conſultum rationabili celeritate adimplere. Ergo Danitæ per otium rem examinant; ſed examinatam perficere properant.

140. Iſaac cæcutiens Eſaü iubet edulium ſibi parare, quo larga benedictione pium remuneraret officium: ille nil circa executionis difficultates, etſi ingentes, diſcutiens in agrum tendit, cùm Rebecca oraculi non ignara Iacob præferre fratri diſcupiens opimos afferre celeriter hœdos iubet; aſt Iacob obedire non renuens; ſed rem prudenti priùs ratione diſcutiens difficultates affert, quibus

Geneſ. 27. v. 11. negotium illud videbatur impediendum, nec allaturum commodum; ſed periculum: *Noſti quòd Eſaü frater meus homo piloſus ſit, & ego lenis: ſi attrectauerit me pater meus, & ſenſerit, timeo, ne putet me ſibi voluiſſe illudere, & inducam ſuper me maledictionem pro benedictione.* In adeò anguſto tempore cunctatur, & cum matre diſſerit, ac rem conſulit; verùm cum mater metum depuliſſet, adeò citò prudenter decretum perfecit, vt ipſe pater, qui deſiderabat edulium, miratus ſit breuiſſimum temporis ſpatium: *Quomodo*, inquit, *tam citò inuenire potuiſti fili mi?* Prudens cunctationis tarditas, & matura celeritas felicitatem Iacobo pepererunt, & Eſaü, dum inconſulta ſecuritate venationibus dat operam, benedictionis amittit gratiam. Ergo in Eſaü quàm noceat imprudens denotatur ſecura tarditas, & in Iacob quàm interſit poſt prudentem conſultationem celeritas: *Cùm induxiſſet Eſaü illum* (inquit Philo lib. de ſacrific. Philo.

Abel & Caini.) *cui nomen eſt ab imprudentia, antiquiorem natu, minori nomen habenti ab honeſto exercitio tribuit prærogatiuam generis.* Imprudens, dum nil diſcutit, dum moras nectit, generis prærogatiuam amittit: Iacob inuitantem occaſionem rapuit, in negotium diſcutiendo moratus, & in perficiendo celerrimus. Generis prærogatiua ab honeſtate tribuenda.

---

§. XXXIII.

Infelix augurium eſt læta ſemper vti fortunâ, & nulla diuexari miſeriâ.

Deliciæ, quas anhelo deſiderio diſcupimus, nos ſæpè intetiunt, & calamitatibus tradunt: 141. felicitas enorme virtutis faſcinum prudentiam eneruat, mouet cerebrum, & fouet vitium, dum reſoluit animum. Lacedæmonij liberos ſuos, vt experirentur indolem duris verberibus exercebant, adhortabanturque flagellorum ictus fortiter ferre, vt qui cenſerent virtutem laboribus colligi, & voluptatibus eneruari. Scies, ſi expenderis, plures honeſta malorum patientia eruditos extra fortunæ iacula ſe collocaſſe, & ſuſtinendo calamitatem viciſſe. Quam benè Seneca lib. de prouident. cap. 4. *Fugite delicias, fugite eneruatam felicitatem, qua animi permadeſcunt: niſi aliquid interuenerit, quod humanæ ſortis admoneat, velut perpetua ebrietate ſopiti. Quem ſpecularia ſemper ab afflatu vindicarunt, cuius pedes inter fomenta ſubinde mutata tepuerunt, cuius cœnationes ſubditus, & parietibus circumfuſus calor temperauit, hunc leuis aura non ſine periculo ſtringet.* Omnia quæ modum non tenuerunt, nocent: ob id periculoſiſſima felicitas eſt, quia ridenti fortuna rarus prudenter vtitur, nec efferatur. Laienſes, vt qui nullis aduerſariorum inſultibus exerciti, & diuitiarum copioſis prouentibus aucti, facilè paucis militibus ceſſerunt imbelles: opus non fuit copioſis armis ad circumfuſos ſubiugandum deliciis: inopinus & totus ſimul illos caſus oppreſſit, quia infauſta proſperitas, & improſpera effecerat molles felicitas: *Vidimus*, referunt Danitarum exploratores, *terram valde opulentam: & vberem: nolite negligere, nolite ceſſare, eamus, & poſſideamus eam: nullus erit labor, intrabimus ad ſecuros in regionem latiſſimam, tradetque nobis Dominus locum, in quo nullius rei eſt penuria eorum, quæ gignuntur in terra.* Laienſium animi non permaduiſſent, ſi laboribus exerciti, & indurati, aſt dum nunquam bellis incumbunt, ad claſſicum obſtupeſcunt inexperti, & ab hoſtibus gemunt capti: *Venerunt in*

Seneca. Felicitas animum eneruat.

Lais

Digitized by Google

Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt. Securitas nutriuit ignauiam, felicitas fouit inertiam, & frequentiſſimus populus à ſexcentis militibus ſubiugatur: quia ad arma ineruditus,& ad certamina inuenitur indoctus: *Viri Lais*, Abulenſ. inquit Abulenſis q. 9. *erant ſine timore, ſicut conſuetum erat Sidoniis, qui nullos timebant hoſtes, & opulentiſſimi erant.* Opulentia abegit timorem, & incauta felicitas ſibi ipſi aduerſata eſt: fortaſſis hoſtes abigerent laboribus attriti, & victi ſunt fortunati.

142. Iob 21. v.9. Iob infeliciſſimam proſperitatem depingens ſic aiebat: *Domus eorum ſecura ſunt & pacatæ, & non eſt virga Dei ſuper illos: bos eorum concepit, & non abortiuit: vacca peperit, & non eſt priuata fœtu ſuo: egrediuntur quaſi greges paruuli eorum & infantes eorum inſultant luſibus: tenent tympanum, citharam, & gaudent ad ſonitum organi.* Filiorum gregibus fœcundi, & deliciis circumſepti in bonis dies ſuos ducebant; ſed malè adeò fortunatis ipſa ominabatur felicitas, quandoquidem momentanea ruina, & proceſſoſa ſic eos abſorbuit miſeria, vt nec veſtigium antiquæ felicitatis reliquerint, ſed breue gaudium prolixis gemitibus compenſarint. Ecquis hoc ait? Ipſe certè Iob: *Ducunt in bono dies ſuos, & in puncto ad inferna* Gregor. *deſcendunt.* Quod expendens Gregorius lib. 5. moral. cap. 34. ſic aiebat: *Amicis beati Iob, qui idcircò hunc iniuſtum eſſe crediderunt, quia flagellatum viderunt, rectè euſdem Sancti viri voce de iniquorum flore, & perditione oſtenſum eſt: quia præſentis vita, proſperitas innocentiæ teſtis non eſt: quia multi ad perennem vitam per flagella redeunt, & plerique ad infinita ſupplicia perducendi ſine flagello moriuntur.* Nonnulli, dum caſtigationibus erudiuntur, fallacibus deluſi ſcelera perpetrarant deliciis, amaris compenſauere lamentis: & iam de calamitatis collyrio inoculati virtuti ſe reſtituunt, verè infortunio felices, qui ridenti fortuna miſerandi; ad quos fortunæ impetus confluxit, quos diuitiarum cumulus quodammodò oppreſſit quos filiorum numeroſitas hilarauit, repentinus caſus deleuit, & diſperierunt calamitatum torrente abſorpti, dum felicitatum veluti congeminatis manibus eleuati. Ecce plures ſunt, quibus copioſæ diuitiæ, quibus ampli honores, & filiorum ac nepotum greges nocuerunt, dum à virtute alienarunt: dum nullo verbere caſtigati inſoleſcunt, dum tumidiùs inflantur, dum inflatiùs efferuntur, repentina ſolent corruiſſe ruina, & irreparabili premi miſeria: ergo dum tantò ampliùs proficiunt in culpa, quantò minùs incuſſa frænantur plagâ: malè ſibi ominantur, nec eſt eorum proſperitati inuidendum: quia infauſtum de ipſa proſperitate relucet auſpicium.

143. Pſal.72.v.5. *In labore hominum non ſunt*, aiebat Pſaltes, *& cum hominibus non flagellabuntur: ideò tenuit eos ſuperbia: operti ſunt iniquitate, & impietate ſua.* Infelix eſt eorum felicitas, quos nulla ad virtutem erudiuit aduerſitas: plus illis, quàm à miſeriâ, cauendum fuiſſet, à lætiori fortunâ: tum quia in futurum duriſſima illos manebunt tormenta: tum quia in hoc mundo inopina eos abſorbere ſolent Incognit. naufragia. *Aduertant*, ſcribit Incognitus, *quod ſcribitur: Cùm dixerint pax & ſecuritas, tunc repentinus eis ſuperueniet interitus:* plagæ, calamitatéſque veluti facta manu ſecurum ſolent opprimere, & in momento res verti. Videbantur ab omni labore exempti, & ab omni calamitate remoti; verùm eorum paci, proſperitatique nullatenus inuidendum, quandoquidem repentinus interitus omnem gloriam innubilabit, & memoriam omnem ſepeliet. Pſaltes iniquorum veretur pacem, vt qui nouerit deteſtandam, non expetendam. Ecce Laienſibus fortunatis repentinus ſuperuenit interitus: & inextinguibilis poſteà rogus.

Nabuchodonoſorem variis caſtigationibus animaduerto eruditum: dum micans ictu lapidis aurum cineréſcit, dum ſuperbiam plantam pia falx præcidit: *Ecce vigil & Sanctus de cœlo deſcendit: clamauit fortiter, & ſic ait: Succidite arborem, &c.* Succidit arborem, vt ſeruaret; at Balthaſar nulla plaga correptus, nullis verberibus caſtigatus ad eam deuenit inſaniam, vt conuiuiis indulſerit, & lapideos Deos laudauerit: lautiori menſa, & amplis ſcyphis vtebatur, cùm diram, licèt meritam ſententiam ſcripſit cæleſtis manus: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minus habens. Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus.* Non ſuper eum immutata ſunt tempora; ſed tempora nullatenus immutanda: non veſcebatur inſipido fœno; ſed exquiſito, & pretioſo edulio: non ferreis, æreiſque vinculis ſorduit illigatus; ſed miſerè occiſus. O quàm infauſtum omen erat nulla fuiſſe calamitate pulſatum, labore nullo correptum! Ridenti ſemper vſus fortuna vitam finiuit violenta plaga: & dum minùs habens in ſtatera leuatur vaniſſimus & ſuperbus, orco traditur miſerandus. Vtile illi fuiſſet è regno etiam expungi, cum feris partem habere, & catenis duriſſimis illigati: inauſpicatum fuit omni infortunio caruiſſe, & deliciis ſemper vacaſſe. Nabucho ſoluit per partes, Balthaſarem tota ſimul oppreſſit mulcta, & totum abſorbuit pœna. Huc voco quod aiebat Gregorius lib.31.moral. cap.17. *Multos peius ſua felicitas ſtrauit, multos diuturna pax inertes reddidit, eóque illos inopinatus hoſtis grauius perculit, quo longo quietis vſu negligentes inuenit.* Balthaſar longo felicitatis vſu negligens dum indulget voluptatibus lautiùs, & periit miſerabiliùs. Hinc Sancti cùm ſuſpectam habeant mundialem felicitatem, ſibi gratulantur, ſi in labores & aduerſitates inciderint.

144. Daniel.4. v.10. Daniel.5. v.27.& 30. Gregor.

Ille Dei gloriæ equus à Iobo eleganti penicillo depictus ſibi plauſit, cùm odoratus bellum congreſſurus in campum prodiit: *Vbi audierit buccinam, dicit vah.* Illud *vah* plaudentis ſibi eſt: quia licèt variis ſe laboribus agnouerit circumſeptum, copioſum ſperat metendum de ipſis laboribus fructum: ergo pro bono omine habet laboribus adurgeri, & cum hoſtibus congredi. Vah dicit odoratus calamitatem proſperam, & proſperitatem aduerſam. Adeſt datus ſuprà Gregorius: *Sancti viri cùm multa ſe proficere virtutum proſperitate conſiderant, quodam diſpenſationis ſuperba moderamine exerceri ſe etiam tentationibus exultant: quia tanto robuſtiùs acceptam virtutum gloriam cuſtodiunt, quanto tentationis impulſu concuſſi infirmitatem ſuam humiliùs cognoſcunt: equus ergo audita buccina vah dicit: quia videlicet prœliator Dei, cùm vim tentationis incumbere conſpicit, vtilitatem ſuperna diſpenſationis conſiderans ex ipſa validiùs aduerſitate confidit.* Aduerſitate confidunt iuſti veluti felici augurio, & proſpero auſpicio, vt qui norint proſpera mouere cerebrum, & cum ratione habere diſſidium.

145. Iob. 39. v.25. Gregorius.

§. XXXIV.

Sæpè domeſticorum garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minùs prudenter denuntiat.

146. VT flamma, ſi terræ profundis viſceribus inclusa erumpere anhelat, & montium ponderibus colluctata viam ſibi parat, qua ad æthera exurgat: ſic notitia præcordiis occluſa geſtit effundi, & cum difficultatibus colluſtrari. Tria ſapienti difficilia erant; ſed quartum ſanè addere potuiſſet, ſcilicet an quis poſſit tacenda occulere, & occultanda celare; verùm etſi omnibus pruritus occulta effundendi ſit innatus; domeſticis omnia tacenda propalandi, & frequentior vſus, & viuidior eſt appetitus: *Habet hoc primum magna fortuna*, aiebat Plinius in paneg. *quod nihil tectum,*
Plinius. *nihil occultum eſſe patitur; principum verò non modò domos; ſed cubilia ipſa, intimóſque receſſus*
Magnatum facta omnia oculis expoſita. *recludit, omniáque arcana noſcenda proponit fama.* Magna fortunâ fruitus dum ampliori ſatellitio, & copioſiori ſeruorum numero circumdatur, nil agit, quod famæ non ſit expoſitum: quia innata garrulitate ſerui in lucem effundunt, ſi quid arcanum. Michas idolum confinxerat, domíque habebat; verùm dum ædiculam fabricaſſe ſeparatam
Iudic. 17. v 4. refertur, occuluiſſe etiam innuitur: *Fuit in domo Micha, qui ædiculam quoque in ea Deo ſeparauit.* Cautè ſe geſſit; quinque tamen Danitæ ibi idolum eſſe nouerunt, & ſexcentis denuntiarunt, ac tandem abſtulerunt. *Cùm veniſſent in domum Micha, dixerunt quinque viri, qui priùs miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus iſtis ſit Ephod, & teraphim, & ſculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.* Quærunt Interpretes, quomodò nouerint Danitæ, quòd Michas ſtudioſè celabat, & in domus abditis cuſtodiebat, reſpondéntque à domeſtico Leuita notitiam accepiſſe, quàm aliis communicarunt, & quorum ope abſtulerunt: audi Lyram: *Patet quòd ſciebant*
Lyra. *quinque viri ſupra dicti idola eſſe in domo Micha per Leuitam, qui eis indicauerat, aliter non aliis potuiſſent hoc indicaſſe.* Michas in ſeparata ædicula occuluit idolum; ſed Leuites, cuius miniſterio vtebatur, Danitis prodidit, & Danita in populum ſtatim effudit: ab vno acceperunt quinque, à quinque ſexcenti, vt probarint quod aiebat Stoi-
Seneca. cus epiſt. 105. *Nihil æquè proderit, quàm quieſcere, & minimum cum aliis loqui, plurimum ſecum:*
Secretum ſi vni committatur, iam rumor eſt. *eſt quædam dulcedo ſermonis, quæ irrepit, & blanditur, & non aliter, quàm ebrietas aut amor ſecreta producit: nemo quod audierit, tacebit, nemo quantum audierit, loquetur. Qui rem non tacuerit, non tacebit auctorem. Habet vnuſquiſque aliquem, cui tantùm credit, quantùm ipſi creditum eſt, vt garrulitatem ſuam cuſtodiat, & contentus ſit vnius auribus, populum faciet: ſic quod modò ſecretum erat, rumor eſt.* Rumor eſt iam in Michæ domo teraphim: & idolum eſſe: quia domeſticus dulcedine allocutionis nonnullis Danitis prodidit, & illi ſibi creditum eodem iure in cæteros transfuderunt, & euulgarunt. Quid ex illa domo auferre poſſent, per Domeſticum Danitis innotuit, & domeſticus, vt pœnam proditionis vitaret, comitem ſe rapientium adiunxit: *Tulerunt, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile.* Non ſolùm qui intrauerant, tulerunt; ſed & domeſticus ſe ſocium ad raptum præbuit, & cum raptoribus abiit: *Tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.* Ni garrulus ibi idolum eſſe manifeſtaſſet, Danitæ non concupiſſent; at dum imprudens denuntiat, audaces manus obarmat. Adde idem eſſe quid à ſeruo agnoſci, ac in plurimos effundi.

Chriſtus Dominus non timidus; ſed magnanimus inſtanti periculo trans torrentem Cedron ſe- 147.
ceſſit, & ibi ad noſtram eruditionem occultus latuit: *Egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem* Ioann. 18. v. 1.
Cedron, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Iudas latentem prodidit: quia domeſticus ſecretum locum nullatenus ignorabat: *Sciebat autem & Iudas, qui tradebat eum, locum, quia frequenter Ieſus conuenerat illuc cum diſcipulis ſuis.* Proditor, vt qui de diſcipulorum cenſu ſæpè ſæpiùs illuc conuenerat, ſecretúmque nouerat: ergo non ſolùm vbi erat tunc Dominus hoſtibus aperuit; ſed pecunia corruptus duxit: Theophylactus Chriſtum in locum domeſtico notum ſeceſſiſſe teſtatur, vt certum fuerit non voluiſſe latere; ſed faciliùs inueniri: *Ne exiſtimes*, inquit ad hunc locum Theophylactus, *quòd deliteſcendi gratia illuc ſe contulerit, ſubdit Euangeliſta quòd* Theophyl.
& Iudas nouerat locum, atque ita magis manifeſtari, quàm occultari voluit in locum illum veniens. Mortem ſitiebat Dominus: ergo tempus redemit, dum ad locum Iudæ notum ſe contulit, quandoquidem domeſtici ſecretiora aperiunt, & innato malignitatis pruritu effundunt. Non ſine lepore teſtatur Theophylactus manifeſtari ſe voluiſſe Chriſtum, dum ad locum domeſtico notum deuenit: quaſi idem fuerit ſecretum aliquod à domeſtico ſciri, & in plurimos effundi. Adde eas eſſe ſeruorum fraudes, vt mundi carníſque doloſitatis geſſerint vmbram. Modus inuentus eſt, quo imminentia per hoſtes redimerentur pericula; ſed quo ſeruorum fraudes vitarentur, huc vſque nullatenus repertus eſt modus.

Ecce Hazaël rex Syriæ caſtra mouet in Ieruſa- 148.
lem, & Ioas periculum auro redimit, & imminens belli periculum fugit: *Direxit faciem ſuam, vt aſ-* 4 Reg. 12. v. 17.
cenderet in Ieruſalem: quamobrem tulit Ioas rex Iuda omnia ſanctificata, quæ conſecrauerat Ioſaphat, & Ioram, & Ochozias patres eius reges Iuda, & quæ ipſe obtulerat, & vniuerſum argentum, quod inueniri potuit in theſauris templi Domini, & in palatio regis, miſitque Hazaëli regi Syriæ, & receſſit ab Ieruſalem. Vides ab aduerſariis liberum adſpice modò à domeſticis morti traditum: *Surrexerunt ſerui eius, & coniurauerunt inter ſe, percuſſerúntque Ioas in domo Melo in deſcenſu Sella.* Hazaëlis copioſis phalangibus cinctus, & armorum copiis obſeſſus modum inuenit Ioas, quo periculum eluderet, & hoſtiles adſultus frænaret; verùm qui ab hoſtibus illæſus, à domeſticis iacuit occiſus: grauius illi periculum fuit à gemino ſeruo, quàm ab hoſtium copioſo numero. Diſertè noſter Sanctius ad hunc locum: *Cùm regni tem-* Sanctius.
plíque theſauris vitam ſuam à Syris redemiſſet Ioas; non tamen diu illius vſura conceſſa eſt: nam à ſeruis in lecto, in quo decumbebat ægrotus, interfectus fuit. Stephanus in allegoriis Tilmani putat hos ſeruos mundi & carnis perſonas geſſiſſe: ipſum audi:
Duo ſerui ſunt mundus & caro, qui interficient te, Stephan.
licèt habeas memoriam Domini, & multa ſcias, niſi caueas tibi. Tot mundi fraudes, tot carnis bella in duplici domeſtico inueniuntur adumbrata:

quid

quid enim aptius ad dolos fraudéſque repræſentandas, quàm ſeruus. Itaque vt arduum eſt carnis gratos dolos non pati, & mundi fraudibus non irretiri, ita difficile eſt ſeruorum technis non falli, & multiplici doloſitate non circumueniri. In ſeruis mundi, carniſque adumbrantur fallaciæ; quia vt nihil inuenitur carne intimius, nec doloſius, ſic nil tam ſeruo neceſſarium, nil tam aduerſum: *Duo ſerui ſunt mundus & caro.* Vis noſſe quàm tibi caro inſidietur, & mundus? Cogita eſſe ſeruos; imò cogita dæmonem domeſticorum ope ſibi dubia indagare, & ab eis notitiam accipere.

149. Cùm Dominus Adamo ſecretam legem ieiunij impoſuiſſet, & de arbore ſcientiæ boni & mali, ne comederet, imperaſſet; dæmon cur ad illam ſatis venuſtam pulchramque plantam manum non extenderet, ſeire cupiens ſerpentis facie perſonatus Euam alloquitur, & abſtruſa eruere aggreditur:

Geneſ. 3. v. 1.

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi? Mulier tacendi impatiens ſecretum reſerauit, & quod diabolus neſciebat, aperuit: *De fructu lignorum, quæ ſunt in paradiſo, veſcimur; de fructu verò ligni, quod eſt in medio paradiſi, præcepit nobis Deus, ne comederemus, & ne tangeremus illud, ne fortè moriamur.* Hac dæmon notitiâ armatus dolos concinnat, vanis ſpebus inflammat, diuinitatem offert, ac tandem omnem hominis felicitatem euertit. Serpentina aſtutia, vt quod ignorabat, noſſet, Adami domeſticos adiit, & euentus, quàm facilè à domeſticis ſecreta effundantur, oſtendit:

Baſil.

Exarmaſti te mulier, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 3. *Dei voce diabolo creditâ.* Ecce à domeſtica perſona accepit notitiam, qua Adamum impeteret, & deuinceret. O quoties domeſtici aut innato loquacitatis pruritu, aut ſubornati auro abſtruſiora venari diſcupientibus produnt, & inſidias ſtruunt! Diabolo potuit Adamus præcepti occulere legem, donec domeſtica & nouit, & agnitum reſerauit.

---

§. XXXV.

Nonnulli ſecum reluctantia coniungunt, & ſibi oppoſita interpolare contendunt.

150. HOmo, dum indutum veritatis lumen nequit extinguere, & peſtilentem deliciarum amorem non vult de intimis viſceribus euomere, vtrumque adlaborat fœdere amico aſſociare, videlicet delicias & virtutem, ſæculum & Deum, in vtramque partem claudicat arbitratus ſtultè poſſe Deum promereri, & voluptatem adulari.

Seneca.

Suberant illis, inquit Seneca epiſt. 120. *multa vitia, quæ ſpecies alicuius conſpicui facti, fulgorque celabat: hæc diſſimulauimus: natura iubet augere laudanda, nemo non gloriam vltra verum tulit.* Vitia ſectabantur; ſed aliquo virtutis fulgore celata, quo & debitam virtuti laudem furarentur vitioſi, & vitium exercerent laudati. Laudanda vituperandis miſcebant, & obſcura aliquo ſplendore inaurabant, vt nec à veritate prorſus viderentur diſiungi, nec deſinerent vanitatem ſectari. Michas vt qui veræ religionis notitiam haberet, ab illa verebatur prorſus deſciſcere; cumque idolis etiam cuperet inſeruire, vtrumque iunxit, ephod videlicet & idolum: *Cùm veniſſent ad domum Michæ, dixerunt quinque viri, qui priùs miſſi fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus iſtis ſit ephod & teraphim, & ſculptile, atque conflatile.* Ephod veſtis erat ſacerdotalis veri numinis cultui dicata, teraphim & ſcuptile religioni agnoſcebantur aduerſa: ergo Michas eadem in domo duo hæc ſe ad inuicem excludentia coniunxit, nempè ephod religionis indicium, & teraphim religionis venenum. Notauit Hugo de Foilcto in allegoriis Tilmani:

Hugo.

Inueniunt ibi quandoque ephod, id eſt, habitum religionis, & cum eo ſculptile peruerſi operis, & conflatile confabulationis. Itaque Michæ error, quod plurimis accidit, expreſſit: religioſum aſſumunt habitum; ſed adhuc retinent ſæcularis conuerſationis ſtylum: micant nonnulli exteriùs pietatis ſpecie, exundant interiùs iniquitate. Itaque volunt videri à mundialibus inquinamentis exempti, & eiſdem ſordeſcere maculati.

151.

Sophon. 1. v. 4.

Diſperſurum ſe minatur Dominus eos, qui iurant in Domino, & in Melchon: *Extendam manum meam ſuper Iudam, & ſuper omnes habitantes Ieruſalem, & diſperdam de loco hoc reliquias Baal, & nomina ædituorum cum Sacerdotibus, & eos qui adorant ſuper tecta militiam cæli, & adorant & iurant in Domino, & iurant in Melchon.* Videbatur aut in Melchon, aut in Domino iurandum, quandoquidem iurare in Domino eſt Melchon aduerſari, & iurare in Melchon erat veram religionem expungere: & tamen vt ſibi ſapiens videretur humana aſtutia, & aſtuta delirantium ignorantia, aggreſſa eſt vtrumque coniungere, & contraria labore inutili conciliare. Notauit Hieronymus ad hunc locum:

Hieroni.

In tantam Iudas & Benjamin venerant impietatem, vt in templo Domini iuxta quod ſcribit Ezechiel, & regnorum quartus liber oſtendit, ſtatuam Baal, quam imaginem cæli Dominus vocat, ſtatuerint, & in eodem Sanctuario idola & Dominum pariter venerati ſint: vnde ſignanter idolorum Sacerdotes non Sacerdotes; ſed ædituos, vel phanaticos appellauit. Adnectit poſt aliqua: *Adorant Dominum & Melchon, qui ſæculo pariter, & Domino putant ſe poſſe ſeruire, & duobus dominis ſatiſfacere, Deo & mammonæ, qui militantes Chriſto obligant ſe negotiis ſæcularibus, & eandem imaginem offerunt Deo & Cæſari.* Sunt qui nec Cæſaris gratiam amittere, nec religionis laudem velint deperdere: ergo pro rerum opportunitate iurant aut in Domino, aut in Melchon: ſi arbitrentur ſibi conducere ad hoc aut illud expiſcandum ſæculares mores referre, in Melchon iurant, hoc eſt ſæcularibus ſe accommodant inſtitutis, magnatum ſtudia ſecuti, & conuerſationem, vt blandiantur, imitati; cùm hi ipſi in Domino iurarint, ſi ſpecies ſanctitatis illis fuerit vtilior, & ſanctitatis vmbra fructuoſior. Numiſma illud Chriſto Domino exhibitum Cæſaris ſolùm imaginem referebat ſculptam; iſti verò eidem numiſmati duplicem ſculpunt faciem, ex vna parte Melchon, & ex altera Domini, vt pro rerum opportunitate, & temporis conditione eam proferant imaginem, quæ ſibi videtur vtilior, & cupiditatum inſaniis aptior: ſi cum Melchon miniſtris egerint, in Melchon iurabunt, vt illorum gratiam eluceſcentur; ſi cum Chriſtum ſequentibus, ſancti-

tatis

tatis aſſument laruam, & virtutis mentientur vmbram.

152. Iacob morti proximus futura filiis prædicens, dum ad Iſſachar deueniret, ſic aiebat: Geneſ. 49. v. 14. *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos: vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factuſque eſt tributis ſeruiens.* Requiei commodis illectus, terræ prouentibus incitatus inter terminos accubuit, vt vtriuſque obtineret commoda, & coniungeret vtilia. Nolebat amittere virtutis requiem, nec deliciarum fallaciſſimam voluptatem: ergo ſic accubuit, vt vtrique parti videretur adhærere, ſic inter duos conſtitit terminos, vt neſcias, an amplectatur veram virtutis requiem, an ſequatur negotiationis doloſam fraudem: vtrique parti ſoluere tributa decreuit, & penſis vectigalibus inſeruiuit: dum virtutis termino immoratur, ſanctitatis apparet ſtudioſus; aſt ſæcularibus etiam inuenitur immixtus, quia & ſæculi terminum tangit fraudulentus. Itaque ſi ex vna parte contempleris inuenies virtutis alumnum, ſi ex alia ſæculo mancipatum, quia accubans inter terminos conatur oppoſita ſibi coniungere, & vtriuſque partis vtilitatibus ſtudere: non tributum; ſed tributa pendit, quia nec virtutis ditionem prorſus relinquit, nec vanitati prorſus inſeruit: quo fit vt iumenti ad inſtar deſipiat, & duplicatis oneribus humeros deterendos ſupponat: *Et ſuppoſuit*, inquit, *humerum ſuum ad portandum*, videlicet virtutis diſciplinam, & voluptatum inſaniam: *Eſt ergo perfectus huius benedictionis ſenſus* (verba ſunt Oleaſtri in explicatione lit- Oleaſter. teræ) *Iſſachar eſt veluti aſinus fortè dorſum ad portandum habens: iacens, id eſt quieſcens inter duos ordines, ſeu ſarcinas.* Duabus ſarcinis prægrauatur, quia dum æternam requiem cogitat, & terrenas delicias amat, iacet ſarcinis duplicatis oppreſſus, & inter duos terminos commoratus: en qui ſupplicij timore detinetur, & mundialium amore trahitur, dum meliora videt, probatque, & ſequitur deteriora, nec conſcientiæ fruitur ſereno, nec infelici voluptatis gaudio: quia hinc metus retrahit, & voluptas hinc attrahit. O quot Iſſachar imitantur ingenium! timent à virtute recedere, diſcupiunt voluptatibus ſaginari: ergo ingeminatis tributis inſeruiunt onere attriti, & luctamine fatigati.

153. Neſcio an primi parentes hanc laborioſam artem inuexerint. Circa ficum præuaricati oculos aperiunt, & nihilominus ab ipſa ficu folia aſpera mutuantur, & aſperitate plectuntur: Geneſ. 3. v. 7. *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Eidem ficus folio ineſſe videas viriditatem, & aſperitatem: ergo ſic ad pœnitentiam accurrunt, vt virore retento velint florere, & ſic virent, vt aſperitatem arbitreris ſectari: vetitæ arboris aliquid retinent ad pœnitentiam accurrentes, & ſic ad pœnitentiam accurrunt, vt retineant quid viroris: Ergo Dominus, qui plagam curaturus aduenerat, foliis denudat, & pellibus induit, ne ipſo ſqualoris habitu, ipſo ad ſpeciem pœnitentiæ cultu carnis foueat pruritum, & voluptatis peruerſa via ſectetur negotium: Irenæus. *Per ſuccinctorium in facto oſtendit ſuam pœnitentiam*, (verba ſunt Irenæi lib. 3. aduerſus hæreſ. cap. 27.) *foliis ficulneis ſemetipſum contegens, exiſtentibus & aliis foliis multis, quæ minus corpus eius vexare potuiſſent.* Opportuniùs Hippolytus martyr apud gloſſam: Hippolyt. *Huius arboris folia, ſi corpus tetigerint, pruritum gignunt.* Dei vocem timens carnem decernit vexare; ſed eis foliis, quæ pruritum gignunt, & appetitum quodammodò accendunt: quid à vetita arbore retinuit, & de virore foliorum vanitati blanditus, de aſperitate videtur etiam pœnitentiæ deuotus: ergo ornatum eiuſmodi aufert Dominus pellibus contegens, & quid erat viriditatis, præcidens.

§. XXXVI.

Non ſuſtinent homines delicti occaſionem prolabi; virtutis ferunt amitti.

Voluptatis amor, lucri cupiditas, digni- 154. tatis ambitio vrgentiſſimis nos timoribus inquietat, ſolicitudinibus vigilantiſſimis onerat: quidquid vitio inſeruit, ac ſi honeſtum ſit, auidis manibus prehendimus; quidquid ad virtutem ſpectat, ac ſi eſſet fœdum, è manibus labi, ſi non curamus, ad minus ſinimus: nulla virtutis cura eſt: quia tota mens voluptatibus applicatur, & erroribus addicitur: *Hæc*, aiebat Seneca de Philoſophia locutus epiſtola 16. *adhortabitur, vt Deo libenter pareamus, vt fortunæ* Seneca. *contumaciter reſiſtamus: hæc docebit, vt Deum ſequaris, feras caſum.* Adnectit: *Illò nunc reuertor, vt te moneam & exhorter, ne patiaris animum tuum delabi, & refrigeſcere.* A virtutibus exercendis refrigeſcit animus; ſi quas vel leuiter delibauit, ſatis ſuperque ſe feciſſe exiſtimat, & requieſcit veluti defatigatus; cùm à mundialibus rebus inquirendis nunquam ferietur affectus; imò ipſa poſſeſſione viuidior inardeſcat conatus. Audi ab ipſo Stoico: *Congeratur in te quidquid multi locupletes poſſederunt: vltra priuatum pecuniæ modum fortuna te proueh at, auro tegat, purpurâ veſtiat, & eò deliciarum, opumque perducat, vt terram marmoribus abſcondas, & non tantùm habere tibi liceat; ſed calcare diuitias: accedant ſtatuæ, & picturæ, & quidquid ars vlla luxuriæ laborauit: maiora cupere ab his diſces.* Malum noſtrum prolatis cupiditatis terminis includi non patimur; ſed ad vlteriora, quæ retro ſunt, peruersè obliti ſemper extendimur: inſaniendi diſcupimus occaſiones, errandi opportunitatem venamur, & viribus totis inſequimur. Cùm in Michæ domo teraphim idolaque aris, & flamine colerentur, Danites non latuit, vt qui hoſpitio illo aliquando vſi: hi cùm poſteà ad Lais ciuitatem illac contenderent, contribulibus indicarunt, & idola rapuerunt: *Cùm veniſſent ad domum Michæ, dixerunt quinque viri, qui miſſi priùs fuerant ad conſiderandam terram Lais, cæteris fratribus ſuis: Noſtis quòd in domibus iſtis ſit ephod, & teraphim, & ſculptile, atque conflatile: videte quid vobis placeat.* Vix interrogorant, cùm domum ingreſſi idola auferre nituntur: *Illi, qui ingreſſi fuerant domum iuuenis, ſculptile, & ephod, & teraphim, atque conflatile tollere nitebantur, & Sacerdos ſtabat ante oſtium, ſexcentis viris fortiſſimis haud procul ſpectantibus.* Si inquirunt, quid contribulibus placeat, cur audire placitum non expectant? aut ſi non ex-

Digitized by Google

pectant, quid rogant? Interrogatio ignotam voluntatem oſtendit: executio manifeſtam iam prodit: vnde ergo nouerunt, ſi interrogarunt? O arcanum ſcripturæ ſilentium! Cæteris oſtenderunt opportunam ibi occaſionem eſſe furandi idolum, auferendi theraphim: adeóque certum eſt cupiditatis criminiſque occaſionem non prætermitti, vt ſatis fuerit ad noſcendum cæterorum placitum indicari. Si ad virtutem allicerentur, reſponſum expectandum eſſet; at dum inuitantur ad prauitatem, quia non dubitatur ſententia, nulla interponitur mora: Abulenſ. *Omnes ſexcenti viri armati* (inquit Abulenſis q.11.) *qui ibant in Lais, erant cum armis ſuis apud oſtium, vt ſi fortè Leuita nollet venire, & dare ephod, & idola, ipſi intrarent, & raperent.* Eadem interrogantibus, & interrogatis voluntas erat: nullus fuit in ſexcentis viris, qui in aliam iret ſententiam: auidè adeò delinquendi occaſio ab omnibus rapta eſt, vt opus non fuerit expectare reſponſum, quia non dubitabatur ſtudium.

155. Puellæ virgines Sacerdotis Madian filiæ; cùm ouibus, quas agebant, potum non ſine labore paraſſent, canalibus iam impletis ſuperuenere ruſtici, ac inciuiles paſtores, qui paratam adaquandi greges ſuos occaſionem rapere tentarunt, & imbecillatum laboribus frui inuerecundè voluerunt: Exod.2. v.17. *Impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui. Superuenere paſtores, & eiecerunt eas.* Moyſes, qui eo tempore Ægyptum fugerat, iniuriam indignè ferens ſubmoueri virgines paſſus non eſt; imò audentium frænauit inſolentiam, & carpſit inuerecundiam: *Surrexit Moyſes, & defenſis puellis adaquauit oues earum.* Non lego gratias ob repulſam iniuriam egiſſe benefactori; ſed fortaſſis non inciuilitate obſcuratæ; ſed modeſtiâ ſunt præpeditæ, quandoquidem debebat virgines cum extero non miſcere colloquia: ergo ad patrem redeunt, qui re cognita filias reprehendit, & ad quærendum hominem mittit: *Quare dimiſiſtis hominem? Vocate eum, vt comedat panem.* Eodem tempore vides puellas gratificandi officium occaſionem nactas tacuiſſe; paſtores verò adaquandi excuſatis laboribus greges opportunitatem non elabi procuraſſe: opus fuit violentia, vt paſtores abſtinerent ab iniuria, & paternis iuſſis fuit opus, vt properantem occaſionem raperent puellæ: acceptum beneficium non gratificarentur, ni à patre compulſæ: paſtores vndas abſtuliſſent, niſi violenter abacti. Opus fuit ad eluctandam virtutis occaſionem admonitione paternâ, & violentiâ opus fuit, vt paſtores abſtinerent ab iniuria: adeò facilè ferunt homines virtutis occaſionem prolabi, ſic ardent criminis nullam amitti. Philo. *Obiurgabat*, inquit Philo lib.1. de vita Moſis, *earum ingratitudinem: Cur demiſiſtis hominem? quin adduxiſtis? & ſi fortè recuſabat, exoraſtis etiam?* Subiicit? *Reuerſa ad fontem in propinquo eum inueniunt, & patris verbis perſuaſum domum deducunt.* Iam virtutis auolarat occaſio, ni gratus, prodenſque ſenex inquirendam admoneret, paſtoribus greges adaquandi non elaberetur, niſi Moyſes viribus præualens obſtitiſſet.

156. Sapientia firmâ ædificatâ domo, opiparâ inſtructa menſâ ancillas mittit, quæ grato faciei decore, & mellitis verbis conuiuas allexerint, & grata violentiâ traxerint: *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem, immolauit victimas ſuas, miſcuit vinum, & propoſuit menſam ſuam: miſit ancillas ſuas, vt vocarent ad arcem, & ad mœnia ciuitatis.* Prouerb.9. v.1. Ne tantas delicias prætetire paterentur aliquo periculi timore illigati, menſæ docet locum ab omni hoſtili prorſus incurſione munitum, & ab omni periculo exemptum, vt videlicet qui ſit arx fortiſſima mœnibus cincta, foſſiſque vallata; verum ancillas mittere ſatis non fuit; ipſa Sapientia cogitur inclamare, quia homines ſurditatem clamoribus affectabant opponere: Prouerb.8. v.1. *Numquid non ſapientia clamitat, & prudentia dat vocem ſuam? In ſummis excelſiſque verticibus ſupra viam in mediis ſemitis ſtans iuxta portas ciuitatis in ipſis foribus loquitur dicens: O viri, ad vos clamito, & vox mea ad filios hominum.* Diſſimulabant ſe audire, quia nolebant reſpondere. Procacem vide mulierem iuueni occurrentem, & ad voluptatem facillimè prolectantem: Prouerb.7. v.21. *Irretiuit eum multis ſermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum. Statim eam ſequitur quaſi bos ductus ad victimam, & quaſi agnus laſciuiens.* Quam ſtatim iuuenis ſecutus eſt meretricem! Quam raucæ factæ ſunt fauces ſapientiæ! Illic veluti impellentem occaſionem ſpernit ignauia; hîc ſequitur & lucratur infeliciter ſtultitia: eſt enim ſolemne hominibus virtutis occaſionem contemnere, vitiorum ambire: *Hoc capitulum*, inquit Hugo, *reſpondet per antiphraſim præcedenti: in illo enim actum eſt de muliere fornicaria iuuenem ſeducente; in hoc agitur de cæleſti ſapientia clamante.* Clamat ſapientia, vt reuocet à perditionis via, nec tamen auditur; meretricis verò fallacia ſtultiſſimè ſuſpiratur.

§. XXXVII.

Miles non ſemel deprædatur ciues, antequam inuaſerit hoſtes.

157. Militia pacis mater; & felicitatis eſt nutrix: ſi inſolentes reprimat aduerſariorum adſultus, & aduerſos exterminauerit caſus; verùm adeò peruerſa militia eſt, vt inſolentiam nutriat; criminum impunitatem exambiat, rapinam ſitiat. *Planè*, aiebat Tertullianus de corona militis cap.11. Tertull. *ſi quos militia preuentos fides poſterior inuenit, alia conditio eſt, vt illorum, quos Ioannes admittebat ad lauacrum, vt centurionum fideliſſimorum, quem Chriſtus probat, & quem Petrus catechizat, dum tamen ſuſcepta fide atque ſignata aut deſerendum ſtatim ſit, vt multis actum, aut omnibus modis cauillandum, ne quid aduerſus Deum committatur, quæ nec ex militia permittuntur.* Rationem adnectit: *Neque enim delictorum impunitatem, aut martyriorum immunitatem militia promittet.* Militia, inquit Tertullianus, ſi geratur, vt Ioannes prædixit, vt Chriſtus, & Petrus docuit, ſolicitas arcet inimicorum inſidias, Reipublicæ pacem, & tranquillitatem conſeruat; at ſi militiam profeſſus Chriſtianos mores exuerit miles, iam militia, quæ Reipublicæ ſalus, erit ſalutis venenum, paciſque & tranquillitatis exilium, quandoquidem experietur Reſpublica aduerſantes ſibi præ hoſtibus milites. Quod Michæ contigiſſe ſacer

textus

Digitized by Google

textus, apertè edocuit. Danitæ copioſam manum armauerant in Laienſes, cumque milites per Michæ domum tranſirent, quin eos humanum ſatis hoſpitium demulſerit, quidquid illi pretioſum, abſtulerunt, & furtum merces hoſpitij fuit. *Tulerunt, qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile.* A militibus paſſus eſt Michas rapinam, & multò antequam adorirentur hoſtes, iam deprædati ſunt ciues: [Montan.] *Iniuria,* inquit Arias Montanus, *compluribus nominibus ac rationibus exaggeratur: primùm quòd illi, qui & communione generis, & vicinitate regionis, & hoſpitij iure prodeſſe, & commodare ſibi debuiſſent, vehemente contra obeſſe, & nocere voluerint ablatione, & rapina, atque abductione, & quaſi captiuitate.* Danitarum milites de militiæ iure arbitrati ſunt omnia ſibi licere, & iam veluti feriata lege quidquid ſibi collibitum, poſſe: Contra Laienſes pergebant armati; ſed ipſo in itinere conciues ſuos contribuleſque deprædantur iniuſti. Ecce nec Deo ſacrata ab illorum temeritate reſeruabantur immunia. Plus Michæ timendum fuit à ſuorum militum phalange, quàm ab acerrimo aduerſariorum ariete. Quàm rationabiliter monebat Caſſiodorus 6. variar. [Caſſiod.] 22. *Non permittas milites eſſe poſſeſſoribus inſolentes*, vt qui nouerat cum armis induere milites inſolentiam, impietatem, & arrogantiam. Audi datum Tertullianum: *Apud hunc* (Chriſtum) [Tertullian.] *tam miles eſt paganus fidelis, quàm paganus eſt miles infidelis. Non admittit ſtatus fidei allegationem neceſſitatis. Nulla eſt neceſſitas delinquendi, quibus vna eſt neceſſitas non delinquendi.* Sic delinquunt milites, ac ſi neceſſariò delinquerent, ad omnem audaciam & rapinam inueniuntur exleges, quaſi militiæ adſcribi ſit omni chriſtianitate denudari, & paganiſmo quodammodò adſcribi: Sacra temerant, aliena furantur, oblectamenti causâ neces inferunt, & quidquid in peſſimis inueneris diſperſum, experieris non rarò in milite coadunatum.

158. Vitâ Chriſtum Dominum iam functum adhuc noua dilacerauit iniuria, quem æmuli inuidentiâ aduſti, & iudex timore corruptus in crucem egerant, miles transfodit, & paſſionem Domini conſummauit: [Ioann. 19. v. 34.] *Vnus militum lanceâ latus eius aperuit, & continuò exiuit ſanguis & aqua.* Lancea, quæ in rationis, & æquitatis ſubſidium elaborata fuerat, contra æquitatem conuerſa eſt, & miles non iuſſus in demortuum corpus exarſit, & pro illuſtri facinore cuſpide pectus transfixit; contentus non fuit inconſutilem tunicam rapuiſſe, vt placet Drogoni de Sacramento Domin. Paſſion. ni vulnus etiam intulerit, & iniuriam irrogarit: [Auguſt.] *Iudicante Pilato,* inquit Auguſtinus in catena, *milites, qui ei parebant, crucifixerunt Ieſum.* Adnectit ibi [Theophyl.] Theophylactus: *Vt Iudæis complaceat, lanceant Chriſtum, circa corpus exanime contumelias inferentes.* Quod non audebat inuidia, militis tentauit audacia, & à milite eſt perpetratum quidquid paſſionis fuit acerbiſſimæ complementum.

159. Sichimitæ dum inimicitias cum Abimelech gerunt, milites ad inſidias diſponunt. Sed quid ab inſidiis actum, auſculta: [Iudic. 9. v. 25.] *Exercebant latrocinia agentes prædas de prætereuntibus.* Contenti non ſunt milites ex rapto viuere, ni aggreſſi etiam fuerint fructus ſine vtilitate deperdere: *Egreſſi ſunt in agros vaſtantes vineas, vuaſque calcantes.* Ad Sichimitarum defenſionem armati milites Sichimitarum vineas perdebant, vuaſque calcabant: illis illa detrimenta pro oblectamentis erant, & à quibus arcenda fuiſſet iniuria, iniuria inueniebatur illata. Huc voco Caſſiodorum 1. var. 11. [Caſſiod.] *Militantibus officiis aſſueti ciuilitatem premere dicuntur armati, & ob hoc iuſtitiis parere deſpiciunt: quoniam ad bella Martia ſemper intendunt, dum neſcio quo pacto aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram:* Ciuilitas à militibus defendenda premitur, & antequàm hoſtilis impetatur ditio, prouincia propria vaſtatur: hoſpitio humaniter excepti inſoleſcunt exquiſitam menſam requirentes, & cibos hoſpiti ignotos arrogantiſſime poſtulantes: rapiunt quidquid obuium, & temerare ſolent quidquid pudicum: vnde dum deſudant bella, non tam hoſtes impetunt arma, quàm conciues diſpoliant furta. In ipſum Deum audebit militia, nihil ab eius temeritate exemptum, nihil à procacia liberum. Audi Valerium Maximum lib. 1. cap. 2. *Mileſia Ceres Mileto ab Alexandro captâ, milites, qui* [Valer. Max.] *templum ſpoliaturi irruperant, flamam obiecta priuauit oculis.* Exoculata temeritas, temeraria rapacitas nec religioni pepercit; ſed omnia execrandis manibus polluit: iure miles, quem deteſtanda cupiditas obcæcatat, oculos amiſit: & quidem ni oculis captus, ſacra non deſineret diripere, & in religionem ipſam ſacrilegè audere.

160. Pilatus timore victus, & potentium minis obturbatus in Chriſtum Dominum iniquam ſententiam tulit, & aduerſariorum voluntati tradidit. Quid tunc? Audi à Matthæo: *Tunc milites præſidis ſuſcipientes Ieſum in prætorium* [Matth. 27. v. 27.] *congregauerunt ad eum vniuerſam cohortem, & exuentes eum chlamydem coccineam circumdederunt ei, & plectentes coronam de ſpinis poſuerunt ſuper caput eius.* Tertullianus factum putat, vt Chriſti Domini exaturaretur patientia inhoneſtis ludibriis ſaginata, & contumeliis audaciſſimis innutrita: ni interfuiſſent paſſioni milites, macra, ſi fas eſt dicere, patientia diſcederet, nec ſe contumeliis omnibus ſaginaret; aſt dum cohorti militum traditur, vel infinita, voraxque laborum patientia, quodammodò oppletur & ſaginatur. Accipe Tertullianum lib. de Patientia cap. 3. [Tertull.] *Saginari voluptate patientiæ diſceſſurus volebat: deſpuitur, verberatur, deridetur, fœdis veſtitur, fœdioribus coronatur.* A militibus denudatur, acutiſſimis ſentibus transfigitur: munus eſt, quod cogitatio potuit præſumere, quàm quod illi attentauerunt implere: contumelia, rapina, plaga, & quidquid à furiis excogitatum, per milites videtur impletum. Ergo qui in Michæ domum hoſpitio recepti, abſtulerunt ſacra, & attulerunt lamenta.

§. XXXVIII.

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo rapiant aliena, & inuideant aliis peccata.

161. REipublicæ miniſtri, iudiceſque ni vna cum poteſtate amplectantur iuſtitiam, legum erunt amici perſonati, hoſtes viri. Iudex, ni omnibus fulgeat virtutibus, in Reipublicæ detrimentum dignitatis infulis claret, quia poteſtate abuſus, & obtẽto iuſtitiæ colore iniquam exercebit

Digitized by Google

exercebit prædam, & correctionem criminis in criminis vertet occaſionem: *Non dignantur*, aiebat Philo lib. de iudice, *gratis ferre ſententiam pro cau-*
Philo. *ſa meliore venales mercenariique iudices: quod ſi quis queratur, negant ſe præuaricatos: vicisſe enim lites, quos oportuit, & victam partem aduerſariam.* Diuitiis inhiantes vendunt ſententiam, & exercent meram rapinam. Auaritia omnium iniquitatum fons ſub iuſtitiæ faſcia oculos fallit, & cum acquirendi hydropica ſiti inardeſcat animus, fucatus extrinſecè reſplendet zelus. Vbi in domo Michæ teraphim, Ephod, ſculptileque eſſe nouerunt Danitæ auferunt: *Tulerunt qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile.* Iudicium: ſic enim Dan interpretatur, ingreditur; ſed vt domum Michæ peruertat iudicium: idolum aufert, non vt deterat vitandi erroris ſtudio; ſed ſibi applicandi deſiderio. *Significat Dan*, inquit Oleaſter, in ex-
Oleaſter. poſitione litterali 49. Geneſis, *iudicare.* Ecce iudicium à Michæ domo aufert idolum legibus prohibitum, religioníque aduerſum; verùm non atterit, vt Moyſes fecit; ſed ſibi colendum tollit: *Poſuerunt ſibi ſculptile.* O quàm viuis coloribus textus expreſſit, quod nonnullis iudicibus accidit! Vti Danitæ abſconſa inquirunt idola, de domo adoleſcentium extrahunt pulchellas; delictum tamen non minuitur; ſed mutatur. Ita Abulenſis q. 15.
Abulenſ. *Cùm arguitur quòd merebantur, quia impediebant Micham peccare, dicendùm quòd non agebant hac intentione, vt non peccaret Michas; ſed potiùs vt ipſi facerent peiora, quàm faciebat Michas; ſi tamen abſtuliſſent Michæ idola, & Sacerdotem non intentione abutendi eis: ſed tollendi Michæ occaſionem peccandi, & delerent idola, non peccarent.* fas erat Danitis, hoc eſt, iudicibus auferre idolum, vt deterent; non vt colendum ſibi applicarent; aſt dum aſſeruant ablatum, clariſſimè oſtendunt vmbratilem prætexuiſſe zelum, & exercuiſſe meriſſimum furtum. Et quidem quod in figura ſemel Danitis accidit, accidiſſe pluries populus ingemiſcit, & experientia clariſſimè oſtendit. Circitores, inferioreſque miniſtri, ne dicam maiori auctoritate fulgentes, ſi aliquam criminis vmbram (quàm ſtudioſiſſimis inueſtigant oculis) deprehenderint; tragœdias excitant, culpam aggrauant, læſam æquitatem vociferantur, munere ſuo, ne quid diſſimulent; adurgeri fatentur; & hoc totum, vt rapiant, vt ſibi acquirant, vt ablata aliquando alterius pulchra pellice ſuæ adulentur libidini.

162. Pilatus Chriſtum Dominum, vt ambitioni ſuæ conſuleret, damnaturus aqua mundiſſima manus exteriùs lauit: gerebat perſonam teſte Hieronymo eorum iudicum miniſtrorúmque, qui in manus interiori abſcondunt vnguem, exteriùs verò ſatagũt
Matth. 27. mentiri munditiem: ***Accepta aqua lauit manus co-***
v. 24. ***ram populo dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius.*** Quàm innocens erat à ſanguine iuſtum damnans & innocentem condemnans! affectabat ſtudere iuſtitiæ, cùm ſolum conſuleret prauitati. Adeſt Hieron. ad Malach. 1. *Aquis Pilatus manus,*
Hieron. *lauare conatus eſt, ne Iudæorum blaſphemiis conſentiret, de quibus Pſalmiſta lætatur dicẽs: Super aquas refectionis educauit me. De hac aqua per prophetam Dominus pollicetur: Aſpergam vos aqua mundiſſima qui autem peccator eſt, inebriatur calice Babylonico, & dicitur de eo: Spinæ naſcuntur in manu ebrioſi:* Itaque vtrúmque Pilatus coniũxit, Babylonis ebrietatem, & aquæ cæleſtis mũditiem: vt de illo dictum exiſtimes: *Vinum tuum mixtum eſt aqua.* De foris manus reſplendebãt mundæ; ſed interiùs ſordeſcebant ſpinis plenæ: videbatur rem æquitatis agere, cùm ambitus negotium iniquis artibus gereret. Mirè expreſſit Pilatus aliquorum mores: ſi miniſtrorum aliquorum exteriùs manus inſpicias, aqua mũdiſſimâ nitent lotæ; ſi interiora examines, ſpinis ſordeſcunt plenæ: nolunt iuſtitiam colere; ſed cultores eius videri.

Zachæus publicanorum princeps videndi Dominum deſiderio arborem inſcendit, Adami veſtigia ſecutus ſycomorũ tenebat, & videre Chriſtum 163.
Dominum ſuſpicabat: *Præcurrens aſcendit in arbo-* Lucæ 19.
rem ſycomorum, vt videret eum, quia inde erat tranſiturus: Sycomorum fatuam ficum, & quæ primò homini prudentiam infatuarit, Zachæus inſcendit, exteriùs auaritiam celabat, non tamen corde expungebat. Audi Chryſol. ſerm. 54. *Myſterio, non caſu aſcendit in arborem ſycomorum, vt, vnde Adam te-* v. 4. Chryſol.
xerat nuditatem corporis, Zachæus inde velaret fœditatem auaritiæ. Itaque vti Adamus à ficu folia mutuatur, quibus rapinæ fœditatem texerit, ita Zachæus ſycomorum inſcendit, vt rapinarum auaritiam velaret Zachæus, vti Adamus, non delet delictum; ſed mutuatur auaritiæ integumentum: inhiat rapinis; ſed videri vult ab omni ſpecie cupiditatis alienus, & auaritiæ nullatenus ſordibus maculatus. Aſt iuſtitiæ oculus, quem nequibat artibus fallere, de arbore quàm citò iubet deſcendere: *Zachæe feſtinans deſcende.* Ad quid? Ad cupiditatis onera deponenda, ad expungenda fraudum ſtudia. Ita Chryſolog. *Deſcende, vt deponas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis, vſurarum molem, magiſterium Publicani, exactionis crudeliſſima principatum.* Principatus poteſtate abuſus ad crudeliſſimas exactiones detorquebat, criminabatur aliquos detraxiſſe tributis, fraudaſſe iura, & in fiſci regalis iniuriam cautè exercuiſſe commercia: & cùm hæc omnia fucato zelo coloraret iuſtitiæ, reuera ſtudebat rapacitati: affectabat non violandam legem, vt miſeros diſpoliaret, ſibique acquireret. Ergo vt Adam apertè omnibus nocuit ambitioſus, ita hic in eadem arbore nocebat velatus.

Sophonias portarum limina ericiis teſtatur exundatura, ſeu, vt Septuaginta legunt, præſepia: 164.
Onocrotalus, & ericius in liminibus eius morabuntur. Septuaginta habent: *Chamæleontes & ericij* Sophon. 2.
in præſepibus eius cubabunt, & beſtiæ clamabunt in foueis ſuis. Clamabant beſtiæ, quia videbantur v. 14.
duci præſepi alendæ, & ferebantur ab ericiis diſpoliandæ: ſpecies erat æquitatis, res diſpoliationis: iudices in portarum liminibus adſtabant, vt ingredientium fraudes vitarent, vt ſententiam (nam olim in portis erant tribunalia) dicerent; verùm vt ericius totus eſt manus, quibus vulneret, & rapiat, ita illi portarum cuſtodes, & forſitan populi iudices, vt diſpoliarent miſeros, iuſtitiæ prætendebant zelum, & rapacem veſtitam zelo occultabant manum. Innuit Hieron. ad hunc locum: *In his, qui ſimulant ſe eſſe de Eccleſiâ Dei, & operibus negant,* Hieron.
auditoreſque legis ſunt, & non factores, accipi poteſt, qui fruſtrà ſpecioſos ſe eſſe iactant, cùm habitent in eis greges, vitiorum ſcilicet multitudo. Vt Chamæleon variis coloribus ſuffunditur, & pro locorum ac temporum qualitate mutatur, ita huiuſmodi miniſtri ad ſpeciem caſtitati ſtudentes ſuæ adulantur luxuriæ: videntur integritatis patroni, cùm auaritiæ ſint ſerui. Ericij ad inſtar in præſepibus latebant cruentantes vulneribus; rapientes ſpinarum vnguibus vt ſi beſtiæ clamarint, præſepè obiiciant, & illas paviſſe reſpondeant,

Digitized by Google

pondeant. Itaque cùm nullum colorem Chamæleontis more reuera haberent, tot ſe coloribus induebant, quot pro temporum articulis congruere ſibi iudicabant. Vt ruminarent Chamæleontes ventum ad pompam vanitatis alendam ericij alios diſpoliabant, & æquitatis zelo rapinam tegebant: ipſis in præſepibus latitabant, vt ibi velaretur vnguis dolus, vbi præſtabatur paſtus mentitus.

165. Amos 8. v. 4. Has hominum technas ſic Amos refert: *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces, & ſabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.* Statera inſtrumentum æquitatis, veritatis index omnem amouet fallaciæ ſuſpicionem, dum æqua trutina ponderat mercem, ergo ibi texerunt fraudem: trutina vſi æquitati incorruptæ videbantur conſulere, cum adulterata iniuſtitiam ſatagerent exercere: ſub mentito iuſtitiæ fuco mera exercebatur rapina, & ipſa colorata æquitas erat iniquitatis Hieron. patrona. Adeſt Hieron. ad hunc locum: *Dei ſolemnitates turpis lucri gratia in veſtra compendia vertitis, qui minorem in vendendis mercibus menſuram facitis, & maiora pondera in accipiendis, ſtaterámque iniquam, vt poſſideatis pecunia pauperes.* Apertè furari erat indecorum, non furari videbatur illis detrimentum. Ergo quo nec incurrant furti infamiam, nec amiſerint rapinam, ſtateram conſtruunt; ſed doloſam, qua vſi videantur iuſtitiæ legem exactiſſimè obſeruare, cùm reuera nil aliud ſit, quàm æquitatis leges infringere.

§. XXXIX.

Nihil ambitoribus demiſſius, nihil, ſi iam aſſecuti, ſuperbius.

166. AMbitio res humilis, dum pendet: ſuperbiſſima, ſi obtinuit: curuabitur obſequio, & ad ſeruulorum decreſcet occurſum, dum ad optata perueniat: non illam pudet in cauſa votorum ſuorum ſordidè deiici, indecorè proculcari; at ſi iam ambitus ceſſauit, nihil ambitoribus elatius, nihil tumidius: *Seruus fit ex ingenuo*, aiebat Philo lib. de Philo. Ioſeph, *propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris dominis.* Tot dominis ambitor inſeruit, quot in cauſa deſideriorum ſuorum ſibi vtiles adſpicit: obſequitur, humiliatur, deiicitur officiũ nullum recuſabit, ſe ad qualiacumque expromptiſſimum offeret, hoc tamen totum, dum ambit, dum pendet: nam ſi voti compos, inſoleſcit, & ſuperbiæ limites rumpit. Diſertè Seneca epiſt. 118. Seneca. *Quàm putas eſſe iucundum tribubus vocatis, cùm candidati in templis ſuis pendeant, & alius nummos pronuntiet alius per ſequeſtrum agat, alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt: omnes attoniti vocem præconis expectant, ſtare otioſum, & ſpectare illas nundinas, nec ementem quidquam, nec vendentem.* Manus oſculis ambitor conterit, qui aſpectum dignitate nobilitatus negabit. Danitæ, vt agnouerunt in domo Michæ Leuitam obnixis precibus rogarunt, vt pro eis Dominum conſuleret: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Leuites conſulto Domino, aut mentito oraculo proſperitatem prædixit: cúmque ad ſuos regreſſi copioſam militum armaſſent manum, domum Michæ repetierunt, & humaniſſimi hoſpitij merces fuit idolum, teraphim, & Ephod auferre: Sacerdos idem rapinæ obſiſtebat, cui imperioſis vocibus ac ſuperbo vultu non ſolùm præceperunt tacere; ſed & ori manum imponere: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile; quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum.* Quàm aliter cum Sacerdote modò ac anteà ſe gerunt! ibi in modum ſupplicum rogabant, hîc imperant; quod ſi diſcriminis cauſam quæras, expende ibi ambiſſe reſponſum, hîc iam opus illis non eſſe oraculum: à Sacerdote pendentes humiliter deprecantur, non pendentes audacter, & inſolenter loquuntur. *Tace: quaſi dicant*, inquit Abulenſis q. 12. *non oportet te clamare: quia ſi clamaueris, occideris, pone* Abulenſ. *digitum ſuper os tuum. Iſtud dixerunt ad ſignificandum, quòd deberet tacere.* Ibi fundebant preces, hîc minantur mortes: ibi rogabant; hîc imperant: ſic ambitores à ſe ipſis diſtant, dum vota ſolicitant ſtudioſi, & dum poſſident adepti. Videbis ambitores limina terere, miniſtrorum domos circumcurſare, & ingredientibus, egredientibúſque vſque ad faſtidium aſſiſtere, ſi tamen dignitatis inſcenderunt faſtigium, & turgent obliti, & obliuiſcũtur ſuperbi.

Oſeas hoc ambientium vitium ſic refert: *Me* 167. *inuocabunt: Deus meus cognouimus te Iſraël: proie-* Oſee 8. *cit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum: ipſi re-* v. 4. *gnauerunt, &c. Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola.* Si Deum ſuppliciter inuocabant, quomodò idola confingunt? aut ſi idola confingunt à vera religione deſciſcentes, quomodò ad Deum inuolabant humiliter deprecantes? Quia dum Oſeas refert preces, nondum retulerat diadematis coronatos; poſtquam verò retulit ad regale culmen euectos, & ipſius, qui regnum dederat, prodidit ingratiſſimos aduerſarios: idola conflabunt, à numinis religione plures auertent; & qui anteà affectabant pietatem, obedientiámque, iam affectabunt inimicitiam. Huc voco Stephan. in allegoriis Stephan. Tilmani: *Cauſa promotionis prece vel pretio ſibi fauorem acquiſierunt.* Opportuniùs Hieron. ad Oſee 8. *Quando captiuitas venerit, me inuocabunt, & di-* Hieron. *cent: Deus meus, cognouimus te Iſraël: nos, qui appellamur Iſraël, ſcimus te atque cognoſcimus, & nomen Iacob, quòd tibi placuit, ſeruamus antiquum, vt dicamur Iſraël.* Adnectit: *Sed illi abſque voluntate Dei Principes extiterunt, & non eis ſuffecit hoc ſcelus niſi maiori impietate facinus duplicarent, vt argentum ſuum & aurum, quod acceperant ad diuitias & ornatum, in idola verterent: ergo Saül non ex voluntate Dei; ſed ex populi errore rex factus, quia radicem pietatis non habuit, ſtatim vt regnare cœpit, impietate ſuccenſus eſt.* Antequam Ieroboam, Saülque regnarent, Iſraëlis nomine gloriabantur, vt Deo hac nobili ſeruitutis nota religioſum exhiberent obſequium; at vbi, ſi non approbante; permittente tamen Deo, regno potiti ſunt, alter idola conſtruxit, & pietatem alter violauit. Et quidem horum actiones pro coloribus nobis ſunt ad ambitionis repræſentandam imaginem: qui adire dignitatem deſiderat, titulum noménque, quod ſeruitutem, aut antiquam familiaritatem innuat, opportunè, importunéque proferet, & iactabit; obtentis verò iam votis nomen exuet, & ad inimicos tranſibit.

Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingre- 168. *ditur ſuper limen in die illa, qui complent domum* Sophon. 1. *Domini Dei ſui iniquitate, & dolo*, minatur v. 9. Dominus per Sophoniam. Stephanus apud Tilmanum

manum in allegoriis locum applicat ambitinſis, qui cùm ante limen humiles ſteterint, ſi iam contingat optatum adire, arrogantiſſimè inflantur, & inflati ingrediuntur: *Dignitates Eccleſiaſticas*, inquit, *vel ordines aſſumunt, imitantes Sacerdotes Dagon, qui limen templi calcare nolebant.* Vt ad ſæculares, eccleſiaſticaſue dignitates perueniant, ſe calcandi limen affectant indignos, & mentita humilitate, ac perſonata virtute, nihil illis demiſſius nihil modeſtius; at ſi dignitatem expiſcentur, arroganter ingrediuntur: nec iam ſolum calcabunt, quæ verebantur, tumidè limina, ſed exhiberi ſibi compellent obſequia: *Arroganter ingreditur ſuper limen in die illa.* Qua die? Promotionis videlicet: nam vbi quis ad dignitatem promotus, omni prorſus comitate, affabilitatéque appatet exutus: iam calcat, quos ſuſpiciebat, & qui Sacerdotum Dagon ad inſtar ſe indignum, qui limen premeret, teſtabatur, obtenta dignitate attentabit limen calcare, & ſuperbo veſtigio premere.

169. Iob. 30. v. 2. Iob ambientium mores deſcribens ſic aiebat: *Vitâ ipsâ putabantur indigni, egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas, & arborum cortices.* Ab omni conuictu ſegregatos, exiguo victu contentos, & antiquorum Patrum exempla imitantes, ſe exhibuiſſe teſtatur diſcipulos: & hoc totum ambitus ſuaſu, dignitatiſque deſiderio. Audi Gregorium lib. 20. moral. cap. 15. Gregor. *Sunt nonnulli, qui dum præſentis mundi gloriam eiuſdem mundi actionibus adipiſci non poſſunt, ſpeciem ſanctitatis appetunt, habitum venerationis ſumunt; imitatores antiquorum Patrum videri concupiſcunt.* Addit poſt aliqua: *Ad rerum temporalium ambitum ſeruiunt.* Vidiſti ambientium modeſtiam, etſi fucatam, demiſſionem confictam, adulteratam pœnitentiam, affectatas ſordes, & adumbratas virtutes: vide iam quàm inſoleſcant: *In eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium: abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Qui, vt aliquid aſſequerentur, ſeruiebant officioſiſſimi, qui obſequi mentiebantur deuoti, poſteà in faciem conſpuent, & ſummis contumeliis afficient: nihil ambientibus demiſſius, ſed poſteà nihil inflatius: digni maioribus videbantur dignitatibus, dum ambiebant, indigni minimis etiam dignitate obtenta apparuerunt, quia mores prorſus demutarunt. Alius iam aſpectus, lingua diuerſa, & actio penitus appatet contraria. Antiquum prouerbium erat: *Honores mutant mores*; ſed iam ipſam naturam comprobatur demutare, & indolem omnino peruertere.

170. Chriſtus Dominus inferni mortiſque deſtructor diſcipulis rediuiuus apparet, cùmque nec illapſu per fores clauſas perſuaderentur, nec ipſis oculis crederent, quam olim dederat, pacem repetiuit, & ſeipſum, non alium aſſeruit: *Pax vobis, ego*
Lucæ 24. v. 36. *ſum, nolite timere.* Adiecit: *Ego ipſe ſum, palpate & videte.* Mellitis verbis eos fuerat allocutus, cum tenderet hoſtibus offerendus: pacem eis obtulerat, antequam reſurrectionis adiret gloriam:
Ioan. 14. v. 27. *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ergo Apoſtoli de ſæculi vſu inde obturbabantur dubij, vnde videbantur firmandi: *Conturbati & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Intuebantur eodem ſtylo vſum, eadem oris affabilitate ac antè felicem illum ſtatum: ergo exiſtimabant ſe falli, quandoquidem qui apud ſæculum ad celſiorem aſcenderunt ſtatum, diuerſum oris habitum aſſumunt, & diuerſum affectauerunt ſtylum: vanitatis artificio adeò ſe transfigurant, vt non videantur ijdem, ſed diuerſi: verùm ſi illis vniformitas erat ſuſpecta, eà Dominus vſus eſt, vt ſe probaret non ſolum humanum; ſed diuinum: *Indicat eis ſe Filium Dei eſſe*, inquit Theophylactus apud D. Thomam in catena: Ecce diuinitatis argumentum, eſſe ipſiſſimum poſt faſtigium.

§. XL.

Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerius, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare.

Aliquod doloris ſolatium eſt eliquare per oculos anxietatem, per voces manifeſtare 171.
ægritudinem, vt duriſſimum cogi ad deglutiendum acrem dolorem. O quàm eſt calamitoſum ſuſpiria è præcordiis miſſa ab ipſis labiis reuocare, & iterum præcordiis altiſſimè premere. Hanc extremam quodanimodò calamitatem expendebat acutè Seneca epiſt. 80. *Horum; qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis & ſuppurata triſtitia, & quidem grauior, quia interdum non licet palam eſſe miſeros; ſed inter ærumnas cor ipſum excedentes neceſſe eſt agere felicem.* Seneca. Miſerum eſt in miſeria felicem agere. Opus eſt aliquando pro iniuriis gratias reddere, & maioris detrimenti metu acceptum probrum veluti beneficium habere, & nullam linguæ quærelam permittere. Apud Micham humaniter excepti Danitæ de auferendo idolo ſacerdotalique veſte cogitarunt, cúmque à praua cogitatione nihil aut parum diſtet executio, idem fuit cogitare; & exequi: manus, quas acceptum debuiſſet ligare beneficium, audacter extenderunt ad ſuffurandum idolum: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile.* Sacerdos rei nouitate perculſus inclamare cœpit, & repetere: *Quid facitis?* Sed tunc raptores: *Tace, & pone digitum ſuper os tuum.* Non licebat iam diſpoliato querela, & cùm ad grauiſſimum dolorem rapinis cogerent, nec tenuem vocem permittebant emittere, nec aliquo ſigno dolorem præcordia vrentem leuare. Opportunè Arias Montanus: *Antequam vel clamare vel alias longiorem Sermonem pronuntiare poſſit, terrore occupatur.* Montan. Iniuria exulcerabat animum; ſed terror imperabat ſilentium, quo vno eodemque tempore duplicem ſuſtinuerit offenſam, & alteram altera grauiorem iniuriam.

Neque ſolùm Sacerdos compulſus eſt ad ſilentio ora ſignanda; ſed Michas ipſe: nam cùm non 172.
ſolùm inſalutatum peſt accepta tot beneficia fugerent, & quidquid illi pretioſum ablatum ferrent, eos à tergo lachrymoſis clamoribus inſequentem: *Quid tibi vis? Cur clamas?* interrogant: quaſi nullam illi occaſionem clamoris dederint, affectant neſcire, nec erubeſcunt interrogare. Michas acri dolore perculſus reſpondit: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Iuſtam clamoris cauſam attulit Michas; ſed audi quid ad illum Danitæ: *Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Clamore offenſi minabantur clamanti, nec permittebant dolorem promere, nec idolum volebant reddere. Itaque Michas coactus eſt tacere veluti elinguis, & peperciſſe clamori grauioris detrimenti timore impeditus, miniſque perterritus. Ita Abulenſis q. 16. *Caue ne vltra loquaris ad nos, ſcilicet* Abulenſ.
clamando

Digitized by Google

clamando ſuper hac re, & veniant viri ad te animo concitati, id eſt, irati nimis, & non miſerebuntur tibi. Duriora minantur, ſi iniuriam ſe accepiſſe inclamarit, & dolorem cordis protulerit.

173. Hanc duriſſimam calamitatem Hebræis ſic denuntiat propheta Nahum: (Nahum 2. v.7.) *Miles captiuus abductus eſt, & ancillæ eius minabantur gementes vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis.* In cordibus murmurabant, quia murmurare labiis non permiſſum; imò duris verberibus caſtigatum, quo acerbior vreret calamitas,& grauior diuexaret captiuitas: columbas imitabantur, quibus pro cantu gemitus: ergo cùm ad altiſſimos cogerentur gemitus opus erat promere ad ſpeciem cantus. Itaque dolor altiſſimè inſidens adurebat præcordia, & ne amplius recrudeſceret infortunium, prudentia perſuadebat riſum oſtentare labra: à præcordiis exibant doloroſi gemitus; ſed in ore faciem aſſumebant cantus: (Lyra.) *Gementes*, inquit Lyra, *non audentes altè clamare præ timore.* Conſonat Theophylact. (Theophyl.) apud gloſſam: *In cordibus ſuis gementes, hoc eſt, clanculum murmur, & gemitum columbarum imitantes.* Cantus erat gemitus, & gemitus erat cantus: quia hoſtes lachrymis irritati,& gemitu offenſi grauiorem incuterent pœnam, acerbiorémque mulctam: ergo opus erat miſertimis iniurios cantibus demulcere, & altiſſimè gemitus deuorare. Iam quàm grauis, quàm non ferenda hæc fuerit ærumna, Sancti Iobi hiſtoria reſtatur.

174. Diaboli malignitas inuidentiæ flammis armata Iobo Sanctiſſimo nocendi facultatem à Domino impetrat; ea tamen conditione, vt vita non priuarit; imò cuſtodem agat, cùm ardentiùs euertiſſe deſiderat: (Iob 2. v.6.) *Dixit Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua eſt; verumtamen animam illius ſerua.* Vix facultatem acceperat, cùm Iobum peſſimis implet vlceribus: *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* In hac dolorum procella, & calamitatum illuuie intacta labia reſeruati videbis: (Iob 10. v.10.) *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & relicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Mira res, ſi carnes dolorum flammis veluti liquefactæ putreſcunt, ſi exulceratæ carnis foramina vermes non capiunt,ſi peſtilens ſanies à planta pedis vſque ad verticem exundat, cur labia reſeruentur illæſa, nec furenti rabie impetita? An quia ſperat iniquiſſimus aduerſarius fore ſibi auxilio linguam, dum doloribus adurget patientiam? Benè, ſed crediderim labia reliquiſſe, quia iuſſus vitam ſeruare: nam doloribus adurgere, & vocem lachrymabilem intercludere, facultatem eſſet tranſgredi, quandoquidem ni doloribus exæſtuanti liceret calamitatem gemitibus expromere, & ardorem animi eliquatis lachrymis temperare, mortem ſubiiſſet, & intercluſus ſine ſpiraculo gemitus calamitatem incrementaſſet. Aliquod ſolatij genus eſt explicare quod ſentias; vt dura tyrannis occultare quod doleas: ergo Diabolus dum iuſſus eſt vitam aſſeruare, (Gregorius.) erubuit linguam attingere. *Labia tantammodò circa dentes derelicta ſunt*, inquit Gregor. apud gloſſam. (Beda.) Conſonat ibi Beda: *Ad hoc Diabolus conſumptis carnibus Sancti Iob labia eius integra dereliquit, vt haberet poſitus in tormentis.* Si Iobus in tormentis poſitus labiis cogeretur non vti: Diabolus Dei iuſſis videretur aliquomodò contraire, quandoquidem grauius ipſa morte eſſet lingua priuari,& dolorum flammis aduri. Ergo ne abſtulerit vitam, auſus non eſt impedire querelam. Adde aliquando eò prorupiſſe malitiam, eò audaciam, vt ſatis non ſit infelici iniuriiſque diuexato tacere; ſed opus ſit non ſolùm non gemere; ſed cantare.

175. Cùm Babylonij durâ captiuitate Iſraëlitas prenerent, illi à delicioſa & chara patria, à dulciſſimis laribus abducti vberibus lachrymis ſolabantur dolorem: (Pſal. 136. v.1.) *Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus, cùm recordaremur tui Sion.* Solitudine vtentes vberes fundebant lachrymas, & cordis ſibi manifeſtabant anguſtias. Verùm iniquiſſimi hoſtes ne hoc ſolatio vterentur, eos iubebant organa pulſare, & tyrannorum illos prementium aures concentibus demulcere: *Illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum, & qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Vt benemerentibus, vt beneficiis cogebantur blandiri, & cantionibus oblectare. Itaque opus erat lætis cantionibus alacritatem mentiri,& cordis dolorem premere: Babylonij, quo nouam acerbitatem calamitatibus adderent, captiuis imperabant non gemere, ſed cantare. Quàm erat vincto iniuriiſque affecto acerbum oblectare inimicum cantus melodia, & blandiri dulciſſima cantilena: *Iuſſerunt nos canere*, exponit Euthym. ad hunc locum, (Euthym.) *cupientes nimirùm cantu noſtro delectari.* O feralem truculentiam! O artificioſè excogitatam nequitiam! iugo oppreſſos, violentia diuexatos, catenis incluſos cogere ad procuranda oppreſſoribus oblectamenta, & ad exhibenda vt benefactoribus obſequioſiſſima officia.

§. LXI.

Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam; diſcedet, ſi aſſequatur maiorem copiam.

176. DVlciſſimum eſt amicitiæ vinculum: amicus amico, ſi fidelis, copioſa felicitatum vena, ſcatens indeſinenter bonorum copia. Habet certè amicitiæ vſus eximiam voluptatem; ſed tunc ſolùm,cùm purus amor vnit corda, & nihil adulterinum affectiones obſcurat: (1. Reg. 18. v.1.) *Anima Ionathæ conglutinata eſt animæ Dauid.* Quæ conglutinantur, ſtrictiſſimè, quin aliquid intercedat, vniuntur: non eſſet ſæculis in exemplum Ionathæ cum Dauide amicitia, ſi aliud præter amoris gluten animas coadunaſſet,& corda vinxiſſet: nam amicitiæ, quas temporarias vocant,fallunt ſpecioſo vocabulo, & imponunt credulo. Qui cauſa vtilitatis præſtitit obſequium, ſi plus diſſenſio promittat, non dubitabit exhibere ſe contrarium. Opportunè Seneca epiſt. 9. (Seneca.) *Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei aliquod pretium contra amicitiam, ſi vllum in illa placet pretium præter ipſam.* De ſe ipſo queratur, qui non ignorans acceſſiſſe ob vtilitatem, amicum in amicitiam recepit, quando debuiſſet agnoſcere pretium ſolummodò attendiſſe, & ſtaturum pro parte ſibi vtiliore. Micham videbis copioſis lachrymis exundantem; quia Sacerdos in patrem filiúmque admiſſus teraphim, Ephod, & idola rapuit, & cum Daniris in Lais ciuitatem ſe recepit. Danitæ ſic illum alloquuntur: *Veni nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem. Quid tibi melius eſt, vt ſis Sacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu, & familia in Iſraël?* Vbi ſibi commodius eſſe coniecit, ceſſit, & ſculptile profectus tulit: *Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus*

eſt

Digitized by Google

eſt cum eis. Luget Michas: conclamans raptores ſecutus; ſed luget inutiliter, quia Sacerdotem admiſerat imprudenter: *Et poſt tergum clamare cæperunt.* Si prudens eſſet, non ploraſſet, quia luctus cauſam in domum non admiſiſſet. Declinarat in eius domum Leuita ille, & de itinere rogatus reſpondet: *Vado vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero. Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Vtilitate perſuaſus familiaris manſit, & amicus; imò cenſum filiorum redactus: *Fuit illi quaſi vnus è filiis.* Quàm Michas cæcutiuit incautus, quando ex ipſis Leuitæ verbis & futura conìicere, & indubiè poterat diuinare. Nil expectandum fuit ab homine vtilitate ſolùm conſulente, & ob illam ipſam religionem violante. Opportunè Arias Montan. *Leuita iuuenis iſte ventris, & gloriæ gratia Sacerdotium immeritus, atque indignus prorſúſque ineptus oblatum ſibi vſurpauerat; magis adeò mercedis & quæſtus, quàm religionis aut pietatis rationem habiturus. Quare nil mirandum, ſi nunc pinguioris, vt dici ſolet, ſacerdotij opinione, & ſpe non modò eum, à quo beneficium acceperat, deſerat; ſed & ſpoliari, ac diripi patiatur.* Pinguior ſpes ſpebus ſtudentem allexit, & iniuriam benefactori, & amico irrogare perſuaſit.

Montan.

117\. Aliter veræ honeſtæque amicitiæ vinculo confœderatis accidiſſe videbis: nullis incommodis fraudulenter ſeparantur; imò quaſi vnus ſpiritus duo corpora informet, idem ſentiunt, idem amant, diſſidiorum contentionibus non diſiuncti, nec doloſis cupiditatibus alienati. Sponſus ſibi gratulabatur hanc cum Eccleſia amicitiam contraxiſſe: *Quàm pulchra es amica mea! Quàm pulchra es!* Et iterùm: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & decora, ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Adhuc impetita pecuniæ, aurique adſultibus acies ordinata ſtabit, nec vllam cupiditatis irruptionem admittet: adhuc expugnata crebris laboribus perdurabit amica: quia omnibus ſe degeneribus concupiſcentiis denudans ſolùm amat, vt amet, nec falſatò amore blanditur; honeſtum quærit puriſſimi amoris commercium, non indignum quæritat lucrum. Ita Gregor. ad 6. Cantic. *Charitate conglutinatur, vt nihil extra Chriſtum diligat, & eum ſibi familiariter fide & amore inſeparabilem teneat: ideò ſubiungit: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Subnectit: *Iam amicam factam, iam ſponſam ſibi coniunctam ſponſus alloquitur congratulans, & dicens: Pulchra es amica mea, & ſuauis & decora.* Vt perfectus amor reſplendeat, ſponſa ſolum ſponſum diligit, nec quid ſibi præter tenerè dilectum quærit. Vide quid dicat: *Ego dilecto meo,* id eſt, non illum mihi amo; ſed me illi: ergo vbi nec vtilitas quæritur, nec aliud præter amicitiæ honeſtatem adamatur, inſuperabilis amor relucet, vt quem nec vtilitas de ſtatione deiiciat, nec adulteret propria commoditas, nec captioſa mentiatur falſitas.

Cant. v. 1.
Cantic. 6. v. 7.
Gregor.

118\. Ex illorum grege, qui ſectantur lucrum, erat Iudas Domini amicitiam profeſſus, dum loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat, & ſibi clanculum ſubripiebat; aſt cùm Magdalena pretioſiſſimo vnguento magiſtri pedes vnxiſſet, indignans tulit officium, quod in ſuum arbitrabatur diſpendium: *Quare vnguentum hoc non veniit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Adnectit Ioannes: *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum; ſed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat.* Chriſti adhærebat lateri; ſed vt inſeruiret exoculatæ auaritiæ: affectabat conſortium; ſed amabat lucrum. Quod & effectus manifeſtiſſimè oſtendit: vt enim Sacerdotes, populique Principes argenteorum promiſſione impetierunt, facillimè amicitiam expugnarunt: *Conſtituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat opportunitatem, vt eum traderet.* Expende illud *exinde:* id eſt, vt nouit poſſe maius adipiſci lucrum ad inimicorum caſtra ſe proripiens, quàm lateri Chriſti adhærens, arma contrà ipſum conuertit, quod Chriſtus Dominus amicum vocans manifeſtauit: *Dixit illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti?* Amicum appellat, vt amicitiam ſugillet: ex his erat amicis Iudas, qui amicitia pro hamo vtuntur, vt commoda expiſcentur: ergo maius pretium de amico conſtituit proditorem, de ſocio aduerſarium, de collaterali inimicum. Quàm aptè dixit datus iam Seneca! *Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum cœpit, ſic deſinet. Ea ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat: qui cauſa vtilitatis aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit.* Se ipſum ſpectabat Iudas, dum amicitiam colebat: ergo ſic deſiuit: vbi maius interceſſit pretium, diſruptum eſt amicitiæ vinculum. Vt in lapide Lydio probatur aurum, ſic in auro probatus Iudas agnitus eſt amicus ſubæratus, & verè cupidus. *Ecce Iudas vnus de duodecim venit,* inquit Rhemig. apud D. Thomam ad Matth 26. *vnus videlicet numero, non merito: hoc autem dixit ad oſtendendum immane facinus illius, qui de Apoſtolicâ dignitate factus fuerat proditor.* Erat amicus numero, ſed non merito: carebat prorſùs amicitiâ, vtebatur menſâ.

Ioan. 12. v. 5.
Matth. 26. v. 15.
Matth. 26. v. 49.
Seneca.
Rhemig.

119\. Mihi crede, niſi omne ſpe denudetur amicus, ad amicitiæ culmum non perueniet, nec amicitiæ generoſam merebitur laudem. Hinc diſces, cur Dominus Abrahamum tentarit, & Iſaacum tot annorum tractibus expectatum iugulare præceperit: *Tentauit Deus Abraham.* Tentauit, non vt ipſe aliquid ſciret; ſed vt conſuleret tentato: opus erat vt ab omni prorſùs labe cupiditatis reſplenderet immunis, qui elogium mereretur amici: ergo purget his tentaminibus probatus, dum offert ſpem, quam anteà ad ſpeciem pectoribus fouerat. Apparuerat illi Deus protectionem ſuam, auxiliúmque offerens: *Ego protector tuus ſum, & merces tua magna nimis.* Abraham, vt videtur, vltra ipſum amicum aliquid concupiuit, & deſiderium expreſſit: *Domine Deus meus quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis.* Colebat amicitiam; ſed ſuſcipiendi filium ſpebus: ergo, ne malignitas non verum criminaretur amicum; ſed lucri ſpecioſo amicitiæ nomine ſtudioſum, oportuit filium poſtponere, & Deo ſolummodo attendere. Fuiſſe hanc tentationis cauſam teſtatur Oleaſt. in litterâ ad 15. Geneſ. *Domine Deus quid dabis mihi? Verba videntur eſſe diffidentis verbis Domini, à quibus poſteà fidens, & credens purgatur.* Annectit in eodem capite ad mores: *Mihi non dediſti ſemen: verba videntur anxietate plena.* Aliquid vltra ipſum amicum optauit, filium ſcilicet: ergo ni filium, hoc eſt, ſpem iugulet temporalem, perfecto amici reſplendere nequibit elogio, ſed ambito ad ſpeciem obſcurabitur lucro. Itaque vt in Abrahamo veræ amicitiæ nos edoceret leges, filium, quem deſiderarat, iugulari præcepit, & tunc verè amicum dixit, cùm ſpem in amici obſequium præcidere non dubitauit.

Geneſ. 22. v. 1.
Geneſ. 15. v. 1.
Oleaſter.

§. XLII.

Non ſemel, quem contrà ius fáſque quis ad dignitatem euexit, ſibi peſtem infenſiſſimam tulit.

180. ELectio de meritis veniens eſt eligentis hone-ſtum lucrum, & ſumptuoſiùs electi præco-nium: de electi moribus pro eligente fertur, iudicium, & in proprium cedit probrum alienum erratum: *Per milites ſuos*, aiebat Caſſiod. 11. var. 1. Caſſiodor. *iudex intelligitur, & ſicut diſcipuli magiſtri ſcientiam produnt, ſic nos obſequentium mon mores aperiunt.* Addit: *Periclitamur, fateor, in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis: quod nulli accidit veſtrum, alienum vitium, noſtrum celebratur opprobrium.* Miles à iudice electus, iudex à Principe deſtinatus morum eligentium indices, & vocaliſſimi ſunt præcones. At contrà indignè electus non ſolùm eligentis mores obſcurat; ſed & errorem in eligendo non ſemel digna animaduerſione compenſat. Peregrinabatur Leuita, cúmque ad Michæ domum diuertiſſet, contrà ius fáſque in idoli Sacerdotem euexit: Iudic. 17. v. 12. *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Sacerdos à Micha electus eius mores indicabat, & vocali dignitate, qualis eſſet Michas, omnibus referebat. Sacerdos hic non multo poſt Danitarum conſiliis acquieſcens, omnia ſecum tulit, & Micham penitus diſpoliauit: *Tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.* Ab ipſo, quem elegerat, ingentiſſimum tulit damnum, & electum expertus eſt inimicum. Notauit Theodor. apud gloſſam. Theodor. *Vir iſte contrà legem fecit: nam cùm Deus fixiſſet tabernaculum in Silo, in alio loco fungebatur ſuo munere præter legem. Prætereà manufactis idolis offerebat ſacrificia... Lex prohibuit Leuitis, ne ſacerdotali munere fungerentur; ſed miſit eos miniſtrare Sacerdotibus: fuit etiam ingratus in eum, qui ipſum coluerat: nam fraude acceptis inſtrumentis ſecutus eſt eos, qui erant ex tribu Dan.* Omnia diripuit, abſtulitque contrà legem electus, & idolis iniquè adſcriptus, quò dignam Michas tulerit electione pœnam, & illata pœnâ ambitionis puniuerit electus meritiſſimè culpam. Per iniqui miniſtri manus iniquè voluit gratiam ſibi idoli conciliare, & contigit idolum ipſum per eaſdem illas manus amittere: indignis mediis vſus elaborauit ſibi dolorem, & inopinam maturauit calamitatem: ab illo ipſo grauiſſimum ſupplicium tulit, quem contrà ius fáſque ad Sacerdotij culmen euexit. Opportunè Arias Montanus hîc: Montan. *Sacerdotium immeritus, atque indignus, prorſúſque ineptus oblatum ſibi vſurpauerat.* Subjicit: *Quare nil mirandum, ſi nunc pinguioris, vti dici ſolet, Sacerdotij opinione, & ſpe non modò eum, à quo beneficium acceperat, deſerat; ſed & ſpoliari, ac diripi patiatur.* Electus contrà ius fáſque pœnam intulit electori Deo prouidente, vt ipſa fuerit ambitio dura ambitionis mulctatio.

181. Non ſine arcano myſterio exiſtimo vitulum in cineres redactum Moyſem delinquentibus propinaſſe: brutum & quidem inter animalia tardigradum in Deum inaugurauerant, fors, vt plus ſuæ adſcriberet poteſtati, quo diſtantior erat vitulus à Exod. 32. v. 4. Deitatis ſplendore: *Dixerunt: Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Ergo ipſum vitulum conſtituit Moyſes carnificem, & ad mortem deſignatorem. Vitulum dediſſe in iudicium teſtatur Rupert. lib. 4. in Exodum cap. 27: *Aiunt quidam quòd aureum vitulum in puluerem redactum in potu illis in indicium dederit: & hoc* Rupert. *facto qui auctores fuerunt ſceleris, aureis prominentibus labiis publicati vel deprehenſi.* Vitulus qui ad ſpeciem præbere tenebatur auxilium, electores vocali puluere publicabat ad tormentum, & qui videbatur patronus, extitit accuſator, vt ab eo ipſo experirentur criminis pœnam, à quo ambitioſam electionis experiuerant gloriam. Serpentes venenatis linguis flammanti halitu in murmuratores deſæuiunt, nec tot referuntur veneno infecti, vt publicante vitulo iugulari: *Ceciderunt*, inquit textus, *in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Nullum venenum adeò lethale fuit vt indignè electus, & ſpretis legibus ad lumina dignitatis elatus.

Sibi in principem apoſtatæ Angeli elegerunt 182. draconem variis multiplicibúſque diadematis redimientes, & omni ſtudio eius poteſtatem conclamantes: *Ecce draco magnus rufus habens capita* Apoc. 12. v. 3. *ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem.* Nondum audis ab apoſtatis Angelis coronatum, & vides cauda Stellas obſcurare, & in terram lumine viduatas proijcere: *Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum cœli, & miſit eas in terram.* Serpens quouſque coronaretur, aſtutia allexit, alliciendóque traxit; ſed iam diadematis coronatus in ipſas Stellas eius partes ſecutas armatur ſæuus! arbitrabantur ſydera lucem ſuam de Luciferi auxilio promouendam, nec tenebrarum caliginibus deturpandam: ergò dum Luciferum in principem eligunt vanâ lucendi ſpe, miſerando labuntur caſu: ab eo ipſo Lucifero truculentiam draconis affectante in terram ingemunt proculcatæ ac deiectæ, à quo arbitrabantur ampliſſimis auxiliis contrà tenebrarum caligines fore ſuffulciendas, & nouis ſuperadditis ſplendoribus munerandas. *Hiſtorialiter*, inquit Anſelm. ad hunc locum, *erit quod Anti-Chriſto adhærebunt decem reges, quibus cæteri reſpondebunt.* Anſelm. Et Ambroſius hîc: *Diademata regiam eius poteſtatem deſignant: ipſe eſt enim rex, ſicut dicit Scri-* Ambroſ. *ptura ſuper omnes filios ſuperbia*: filij ſuperbiæ draconem extulerunt, à quo receperunt ſuperbiæ pœnam paſſi abiectionem turpiſſimam. Quàm aliter contigit Stellis illis mulieris caput radiis candidiſſimis redimientibus! Non obſcurantur caliginoſæ noctis turbinibus; ſed placido Solis iubare emicant circumfuſæ, & auguſtiori oculos pulchritudine alliciunt ſemper ſplendidæ. Quod notauit Bernardus de ſigno magno ſerm. 100. *Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſa* Bernard. *longè clariùs micans ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quid ni coronent ſydera, quam Sol veſtit?* Dum coronati digniſſimam laudabiliter ambitioſis aſtra ſplendoribus redimiunt, caſibus producuntur exempla: non trahuntur ſerpentina cauda, non tumida iactantur ſuperbia; ſed rutilant ipſo vertice, quem coronant. Quàm alius fuit harum, & illarum ſtatus! Illæ, dum indignum Luciferum promouent, deturpatæ ſordibus lugent; hæ nouis ſplendorum reditibus fulgent: tantùm intereſt inter eligere dignum, aut inaugurare immeritum.

Hebræorum Reſpublica, etſi Romano imperio 183. ſubiugata varijs fuerit turbinibus calamitatum oppreſſa, tunc demum miſerabilior luxit, cùm indignum ſibi principem conclamauit: aiebat Pila-

tus;

Digitized by Google

Ioan. 19. v. 10. tus: *Ecce rex veſter*: illi autem reclamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem.* Quem hucuſque patiebantur inuiti, ſpreto modò digno in ſibi Principem conclamarunt Cæſarem Spontanei: ergo qui ante hanc electionem, etſi laboribus preſſi, non modicis dignitatum luminibus vtebantur, iam poſt electionem euerſi, & calamitatibus prorſus referuntur attriti: quem clamabant regem, teſte Christo Domino experti ſunt inimicum: *Venient dies* Luce 19. v. 42. *in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te.* Quem illi teſtabantur tunc regem, prædixit Chriſtus Dominus fore truculentiſſimum inimicum; & qui ante electionem aliquomodò ſtabant, poſteà ab ipſo electo iacuerunt non ſolùm laboribus onerati; ſed cædibus etiam oppleti: vt ab electo rege electionis conſequerentur præmium, qui repulerant dignum. Apte Theophylactus ad Ioannis 19. *Vide quomodò* Theophyl. *alium regem præter Cæſarem non agnoſcunt, voluntariè ſe Romanorum imperio ſubijcientes, & Dei regnum repellentes: ideò & Deus Romanis tradidit, quos ſibi reges ſalutarant.* A ſe iniuſtè electum truculentiſſimum paſſi ſunt aduerſarium; & Romani, qui Hebræos vi armorum ſubiectos mitiùs anteà tractabant, poſteà voluntariè ſubditos omni cladium genere diuexarunt, & extremis illatis cladibus attriuerunt.

§. XLIII.

Vltra fortunæ ditionem opus eſt degere, ſi volueris conſtanti fortunâ vti.

184. PArum intereſt nobilibus laribus ortri, ſi te tibi indecorè ſubieciſti: effœminatus animus: dum otij ſui & cupiditatis non rumpit vincula, ſeruitutis, & quidem abiectæ ſugillatus incedit nota, mancipium generoſo ac libero anima vtens, nobiliter (quod paucis contigit) degenerat, ac ſui dominus eſt: vis noſſe quantum inter huiuſmodi ſeruum & illum interſit dominum? Iſte eſt reuera Dominus, & perſonatus ſeruus; ille reuera ſeruus, & perſonatus eſt dominus: quem mortis percellit metus, quem dolor territat, quem cupiditas inflammat, meliore ſui parte caret, dum fucatis fallitur, aut inanibus adurgetur. Quàm benè Seneca epiſt. 82. *Philoſophia circumdandâ eſt inexpugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. Inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit: non habet, vt putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, niſi hærentem ſibi.* Cupiditas, ambitio, voluptas, vanitas, libido infortuniis ſubiacent, intra calamitatis ditionem degunt, & ad volubilis rotæ caſum, acri etiam timore angantur neceſſum eſt: qui ab his ſiluit, viuit, ſi non ſecurus, intrepidus, nec cupiditatum experitur inſaniam, nec ambitionis & timoris ſæuitiam: falſa eſt ſecuritas, quam virtutis non muniuit cognitio, & cupiditas depreſſa firmauit. Michas ſibi conſtruxit idolum, & licèt tantiſper malè ſecura tranquillitate ſit vſus, tandem ingemuit cupiditatis ſtimulis agitatus, & idolo ſuo nudus: *Tulit Ephod, & idola, ac ſculptile & profectus eſt cum eis. . . & cùm iam à domo Michæ eſſent procul, viri, qui habitabant, in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt, & poſt tergum clamare cœperunt.* Inſeruiebant idolo: ergo dum potuit auferri, Michas & eius partes ſecuti potuerunt ablatione diuexari: *Michas cum viris ſuis,* inquit Abulenſis quæſt. 16. *Cœperunt clamare* Abulenſ. *poſt tergum illorum.* Aliquo tempore vſus eſt Michas fallaci fortunâ; ſed modò graui dolore exulceratus ingemit idolo ac teraphim obſecutus: diu nequibat anxietate carere: quia illa non poterant diu ſtare: fallax gaudium lamentum peperit, & qui in idoli poſſeſſione ſuam collocarat fortunam, largis ſingultibus deficiente idolo irreparabilem doluit miſeriam. O quam benè Seneca datus: Seneca. *Cùm ſecuros aliquis caſus expertus eſt, exprimitur ſera confeſſio.* Non eſt vera felicitas, quam raptor poteſt auferre, quam iratus poteſt interturbare, quæ ab alieno arbitrio potuit pendere; ſed quam ſibi elaborauit vera rerum cognitio, & ſibi ipſi ſatis liber ac fallaciis exemptus animus.

Ezechieli obijcitur quadriga illa tot ſæculis celebrata, cuius iugo feliciter ſubdiderant animalia collum, quæ ſic propheta refert diſpoſita: 185. *Facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum* Ezechiel. 1. 10. *quatuor: facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Pungit ſtatim difficultas, cur videlicet aquila ſuper cætera ceruicem exerat, & emineat. Profectò homo nobilior, nec ignobilior Leo: eſto boui præponatur ruris laboribus addicto, & ſeruituti hominum mancipato; at homini videbatur non præferenda, vtpote qui à Deo fuerit omnium animalium nobilitatus imperio: cur ergo facies aquilæ ſemper vel cùm tota circumuoluitur, & animalium ſitus mutatur? Iam textus explicuit: homo Leóque, etſi imperio donati, partem dexteram ſunt ſecuti: bos tenuit ſiniſtram, aquila verò nec ſiniſtram nouit, nec dexteram: ergo ſuper omnia volitat, dum nec proſperis intumeſcit, nec aduerſis dolet. O quàm omnes fortunæ vultus deſpexit, dum ignara ſiniſtræ, & dextræ ſua ſe arce cælum intulit vindicauit, & infra illam omne varietatis telum cecidit. Ad rem Greg. homil. 4. ſuper Ezechiel. *Quæſtio oritur, cur homo & Leo à* Gregorius *dextris ipſorum quatuor eſſe perhibeatur: nec enim ſine mira ratione eſt, cur duo illa à dextris, & vnum hoc eſſe à ſiniſtris dicitur. Et rurſum quærendum, cur aquila non à dextris, vel ſiniſtris; ſed deſuper ipſorum quatuor memoratur?* Quæſtioni ſibi obiectæ iam reſpondet: *Homo igitur & Leo à dextris, vitulus verò à ſiniſtris eſſe perhibetur: à dextris enim læta; à ſiniſtris verò triſtia habemus: vnde & ſiniſtrum nobis eſſe dicimus hoc quod aduerſum eſſe deputamus.* Dum Leo homoque læta ſequitur, dum hos aduerſis vexatur, nequeunt caput attollere: bouem pluſquam iugum deprimit & timor & dolor: nec homo, Leove principatu poſſunt liberè vti, dum conſtat dextris ſtudioſè applicari: ibi namque, etſi proſperæ fortunæ arrideat gaudium; timetur aduerſæ ſortis lamentum; at aquila eodem licèt iugo colla ſubdiderit, dum ſiniſtrum & dextrum neſcit, caput exerit nullis quodammodò vinculis preſſa, nec perturbationibus vllis perculſa.

Dum Apoſtoli euntem ad ſuperos Dominum 186. intuentur, ſtare referuntur: *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Actor. 1. v. 11. Dum adſpiciunt cœlum, ſtant, nec ſtare poſſent, ſi ad aliud præterquam cœlum adſpectum dirigerent. Certè non ſtetit, cùm verticis cupidus aiebat; *Bonum eſt nos hîc eſſe*, teſtante

Matth. 17. v.4. Euangeliſta: *Ceciderunt in faciem ſuam*: hic verò ſtat quia ſolùm cælum attendit: qui cælum adſpicit, qui omnia ſua vota illus dirigit, iam fortunæ limites transgreſſus, & cælitum mores imitatus nequit cadere, quia feriri nequit. Notauit Bernard. Bernard. apud Tilmanum in allegoriis: *Stare eſt in nullam partem declinare, qui ſtatus velut quadrus lapis inuenitur quadriformis, id eſt, ſuperiùs amando cæleſtia, inferiùs contemnendo terrena, à dextris vilipendendo proſpera, à ſiniſtris æquanimiter ſuſtinendo contraria.* Qui ſic ſtant, iam, etſi aliquatenus nube lucida obtectum, intuentur Dominum, iam cæleſtia delibant, iam cum Sacris conuerſantur ſpiritibus, iam nullis concutiuntur aduerſis caſibus: ſtant, quia ſe ſubduxerunt varietatis telis, & male ſecuris proſperitatis gaudiis: Adde vel manu omnipotentiæ æmulâ auxiliante nullum ſtare poſſe, ſi cupiditatis pondus deprimat, ſi terrenorum amor detineat.

187. Aſcendebant templum Ioannes & Petrus, cùm in deſidioſum claudum inciderunt; ille miſeriam exaggerans, nouercæ naturæ diritatem ponderans, repetitis clamoribus eleemoſynam rogabat accipere, cùm Petrus in eos iubet totis viribus intendere: Actor. 3. v.4. *Reſpice in nos.* Adhuc admonitus nondum cupiditate eſt exutus: *At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis*: negat Petrus aurum, aut argentum ſe habere, & hac præmiſſa confeſſione manum extendit, & pauperem alleuauit: *Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Omnia myſteriis ſunt plena: pro Ioanne etiam reſpondit Petrus, dum ſibi nec aurum, aut argentum eſſe affirmauit: nam qualis Princeps, tales & ſubiecti ſunt: ſperabat ab eis claudus; ſed omnem ſpem excluſit, dum pauperiorem ſe oſtendit, à Ioanne nil temporale ſperandum, ſi Petrus auro careat, ſi non grauetur argento; verùm inquiramus, cur omnem pauperis ſpem excluſerit, anteaquam greſſum pauperis reformarit: ſi manus eius ſalutem infundit, quid oberit ſtipem ſperauerit pauper? Ad hæc cur imitatus magiſtrum pedes noxâ preſſos non tangit; ſed dexteram apprehendit? Certè Dominus cæleſti collyrio cæci iniunxit oculos, vt refunderet viſum: ergo Petrus pedes tangat, vt præſtiterit etiam greſſum. O cæleſtem doctrinam! Omni prius cupiditate denudat, vt ſtare poſſit: dexteram, quam ſolent pauperes ad accipiendum extendere, occupat, orbitatem auri & argenti profeſſus deſiderium reprimit, & omni cupiditate expulſa iam claudus ad inſtar ceruorum ſalit. Expendit miro Baſil. ingenio Baſilius Seleucienſis orat. 21. *Deſidioſum claudum iubet nonnihil lucelli curam remittere: Ne, inquit, obolos modò quæſieris.* Timuit ſi cum Apoſtolica manu congrederetur cupiditas, hominem pondere oppreſſum, ſolo affixum remanſurum: ergo vt Apoſtolica manus leuarit, cupiditas non depreſſerit: nec enim poteſt non iacere, qui humana nunquam deſiuit ſitire.

§. XLIV.

Deo priuatus, etſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet, & nudus.

188. Adeò hominem vitium à veritatis tramite auertit, ſic à mentis arce deturbauit prudentiam, ſic rationem infatuauit, vt ſolidæ felicitatis viam ignorarit, aut ad illam peruenire metuerit. Antiquitus in hortulorum aditu legebatur: *Hoſpes hic benè manebis, hic ſummum bonum voluptas eſt.* Epicurus, dum voluptatem commendat, virtutem amandat: auro onuſtum, & honoribus nobilitatum vulgus deprædicat beatum, ac demiratur feliciſſimum: & quidem eiuſmodi errores intruſit ignorantia, aut affectauit malitia, quo virtutis tædium, & deliciarum innutriet ſtudium: quòd & contigit, quandoquidem nil minus curant, quàm quod ſtudioſiùs ſolicitare mortales debuiſſent: nempe ſe ſibi reddere, & virtutibus exornari: quia rationis lumen nequeunt prorſus extinguere, probant honeſta; ſed quia ſe vitiis dediderunt, ſectantur voluptuoſa. Eo peruenit non ſolùm error; ſed errandi amor, vt virtuti vereantur accedere, ne à fucata felicitate contingat Senec. abiungi. Benè Senec. epiſt. 21. *Cum propoſuiſti tibi illam ſecuritatem, ad quam tranſiturus es, retinet te huius vitæ, à qua receſſurus es, fulgor tamquam in ſordida & obſcura caſurum: Erras Lucili: ex hac vita ad illam aſcenditur: quod intereſt inter ſplendorem & lucem, cùm hæc certam originem habeat, ac ſuam, ille niteat alieno; hoc inter hanc vitam, & illam.* Honores, voluptates, diuitiæ ſic grato oculis fulgore imponunt, vt quiſquis hæc fuerit ſortitus, ab omnibus deprædicetur beatus, cum ſola virtus felicem ac beatum poſſidentem efficiat. Cogita innumeris diuitiis plenum, voluptatibus fruitum, honoribus nobilitatum, Deo tamen carentem: hic profectò miſer & infelix eſt: è contra ſi pannoſus & nudus animum virtutibus excultum poſſideat, inuidendus emicat & prædicandus. Teſtatur hanc veritatem exertis clamoribus Michas: cùm hoſpitio Danitas humaniſſimè recepiſſet, vt ſolent milites, rependerunt mercedem, auferentes ſcilicet Ephod, Teraphim, imagunculas, & quidquid ad religionis cultum pertinebat: ille furti conſcius profuſis eos inſequebatur lachrymis & querelis: cauſam rogarunt, quaſi nullius delicti conſcij: *Qui cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis, cur clamas?* Ille dolore perculſus in has erupit voces: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Nihil tulerant ex Michæ reliquis facultatibus; verùm ſe omnibus diſpoliatum deplorabat, vt qui noſſet auri diuitiarumque copiam felicitatem non afferre Deo carentibus, & quidem, ſi vero Deo fuiſſet priuatus; iuſtiſſima ingemiſceret cauſa, & pulſaret cælum quærelâ, quandoquidem reliqua omnia parui reſpectu numinis æſtimanda, imò nihili ſunt Abulenſ. habenda. Ita Abulenſis quæſt. 16. *Et omnia, quæ habeo: ſcilicet ablatis iſtis non habeo alia bona: multa alia bona maioris valoris habebat Michas; reputabat tamen omnia bona ſua eſſe in idolis illis.* Deluſus putabat idolum Deum: ergo eo priuatus nihil ſibi credidit remanere, quandoquidem cætera fucata & extrinſeca, & nullatenus permanentia. Profectò Michæ error noſtram ſtupiditatem condemnat, dum edocet, ſine Deo cætera, quantumuis plenis fortunæ manibus dilargita, parui æſtimanda, nec ad veram ac ſolidam felicitatem vllatenus exambienda.

Miris coloribus, elegantique penicillo hanc veritatem expreſſit Ioannes Euangeliſta 12. Apoca- 189.
lypſis: ibi draconem depingit quantitate magnum, multis diadematis redimitum, & ſtellarum Apocal. 12. v.3.
fulgoribus quodammodò inſertum: *Ecce draco*

magnus

Digitized by Google

magnus ruſus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli. Profectò ſecum reluctantia ad ſpeciem coniunxiſſe videatur Apoſtolus, quandoquidem diadematis coronari, ſtellarum luminibus refulgere ad fortunæ cumulum ſpectat: cùm ex alia parte ſerpens maledictis, execrationibuſque, ac turpi proreptationi fuerit addictus, & condemnatus. Si Dominus ſerpentem maledictis onerat: *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: quomodò mitis ſplendoribus fulget redimitus, & coronis ferè innumeris ad ſpeciem nobilitatus? O profundam nobis eruditionem! Lucifer coronis exundat regalibus, luminoſis dominatur ſyderibus; at Deo caret: ergo ſerpentis facie depingitur, quò maledictus & ſordidus agnoſcatur: vtrumque ad noſtram eruditionem coniunxit Ioannes, ſerpentinam ſcilicet ſpeciem, & luminum ſplendorem; vt noſceremus etiam feliciſſima fortuna vſos, diuitiis, & honoribus exteriùs nobilitatos, ſi Deo caruerint, eſſe infortunatos & maledictos: ſerpens exteriùs nitet; ſed interius ſordet: ergo ſummè infelix eſt, quandoquidem nec ſententiam numinis poteſt euadere, nec diuitiarum aut ſplendorum cumulo maledictionem minuere: *Habens capita ſeptem*, exponit Anſelmus, *principes vniuerſos, per quos operatur, & cornua decem, id eſt, decem regna.* Adnectit: *Vel decem cornua dicantur diuitiæ, quibus potentes decalogum impugnant.* Dum legem violat, dum cælo, & numini bellum parat, prolabitur maledictus, quantumvis niteat diuitiis, & honoribus fugaciſſimis exornatus.

Geneſ. 33. v. 14.

Anſelm.

Diuitiæ legem oppugnant.

190. Moyſes populum intuetur flagris inhumaniſſimè proſciſſum, æſtuantis fornacis fumo ſordidatum, nec tamen deſpicit vti vile mancipium; ſed honorat veluti numinis primogenitum: *Hæc dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſraël.* Profectò Ægyptiæ execrationes, obſcuræ laterum ſordes, altiſſimæ flagellorum plagæ non primogenitum teſtabantur; ſed viliſſimum mancipium. Sanè primogeniti ad generis dominatum inueniuntur editi, & duplicem diuitiarum partem ſortiti: ſi ergo Iſraël tantum diſtat à primogeniti honore, cur primogenitus nuncupetur, & honoris titulis inſigniatur *Primogenitus meus Iſraël.* Ad hæc: ſi Moyſes ſuſpicit hic populum vti primogenitum, cur Exodi 32. diuitiis plenum, trephæis onuſtum, auro diuitatum contemnat vt nudum, & reputatit miſerrimum: *Videns Moyſes populum, quòd eſſet nudatus.* Inaures, annuloſque obtulerant; ſed adhuc in vitiolo illo perſeuerabant; imò licèt eis caruerint, multis & copioſiſſimis diuitiarum cumulis exundabant: quomodo ergo ſic ſtylum peruertit, vt iugo oppreſſum primogeniti honoribus ſuſpiciat nobilitatum, & hic honoribus, & ſpoliis nobilitatum deſpiciat vt ſordeſcentem & nudum? ſolutio facilis: quia in Ægypto carebat externis facultatibus; ſed internis emicabat virtutibus; in deſerto verò internis nudatus erat virtutibus, & externis fulgebat auri ſplendoribus. Ergo Moyſes, qui vt fas erat, de rebus tulit ſententiam, Deo adhærentem ſuſpexit honoratiſſimum, ſine Deo inter diuitiarum copias aſpernatus eſt ſordidum & abiectum: *Spoliauerat eum Aaron,* inquit Lyra, *in ignominiam ſordis, id eſt fabricationem vituli, quod nomine ſordis & ignominiæ appellatur in Scriptura Veteris Teſtamenti.* Vitulum ſortitus aureum ignominiâ ſordeſcit plenus, qui inter verbera & Ægyptiorum iniurias reſplendebat primogeniti nobilitate honoratus: vt noueris ſine Deo reliqua omnia nullius eſſe valoris, cum eoque, etſi cætera deſint, ſortiti homines ſolidam felicitatem, & ſplendidam fortunam. Verùm ea, vt dicebam, homines tenet amentia, vt ab externis felicitatem metiantur, & cui maior diuitiarum, honorumque copia, & ſplendidior familia, prædicent fortunatum: & crediderint feliciſſimum.

Exod. 4. v. 22.

Exod. 32. v. 25.

Lyra.

Malachias ob iniquam de rebus à populo ſententiam Deum teſtatur grauiſſimè offenſum, quandoquidem felicitatem metiebantur non de virtute; ſed de honorum diuitiarumque quantitate: *Laborare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris.* Videbant gentes commodis omnibus exundantes, & idolis inſeruientes: ergo ſe deplorabant miſeros, & vicinos extollebant beatos: nullam namque virtutis rationem habentes fortunam taxabant ex auro, ex honore, ex ſalute: ergo iniquo iudicio Deum affligebant, & ad iram prouocabant. Audi Hieronymum ad hunc locum: *Reuerſus populus de Babylone & videns cunctas in circuitu nationes, ipſoſque Babylonios idolis ſeruientes abundare diuitiis, vigere corporibus, omnia, quæ bona putantur in ſæculo, poſſidere; ſe verò qui habeat notitiam Dei, ſqualore, inediâ, ſeruitute coopertum, Scandalizatur, & dicit: Non eſt in rebus humanis prouidentia, omnia caſu feruntur incerto.* Si æquâ rationis lance res humanas expenderent, inter ſqualores, & ærumnas ſe arbitrarentur beatos, Babylonioſque inter affluentias miſeros; adeò tamen iudicio errabant, vt felicitatem metirentur externis, cùm vera felicitas ſit, etſi cætera deſint, Deum poſſidere, vt infortunium, ſine Deo reliquis omnibus exundare. 191.

Malach. 2. v. 17.

Hieronym.

§. XLV.

Deus non eſt, qui violenter potuit auferri, nec valuit anxiis clamoribus reuocari.

VEra felicitas extra fortunæ limites iacet, rapacitati virtus ſubiecta non eſt. Magnanimos nos natura produxit, & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pauidum, ita nobis glorioſum, & excelſum Spiritum: quem, ſi volumus, & honeſtiſſimè, & tutiſſimè licet poſſidere: ſapiens omnium eſt Dominus, nec ſolum dominatur ſublunaribus; ſed ſyderibus: nulli ſe rei: quæ violenter eripi poſſit, ſubmittit: vnde ſapiens ille: *Omnia bona mea*; aiebat, *mecum porto.* Dominus fuit tyrannus vitæ; ſed etſi auferre potuerit vitam, iùs in virtutem non habuit: *Vides*, aiebat Seneca de Catone loquens epiſt. 104. *Honorem & notam poſſe contemni, eodem, quo repulſus eſt die in comitio; pilâ luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum: Pompeium, & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat; niſi vt alterum demereretur, ſimul prouocauit, Vides tam mortem poſſe contemni, quam exilium.* Si liberet nobis collum infami cupiditatis iugo ſubducere: ſi enerui renuntiaremus voluptati, ſi effœminatis opibus, quæ auctoramenta ſunt ſeruitutis, ſi faſtigium & aurum, & quidquid aliud felices ad ſpeciem domos onerat; relinqueremus, frueremur inconcuſſa libertate 192.

Seneca.

nulli

nulli fortunæ ſubiecta, nec adſultibus inimicorum expoſita. Clamantem audiet Micham idolis diſpoliatum, quos demens pro Deo colebat: *Quid tibi vis? Cur clamas?* rogant Danitæ: ad quod ille: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Factitius erat Deus, qui potuit ab aduerſariis violenter auferri, & quem Michas non valuit tot clamoribus reuocare. O miſerum Micham, qui pro Deo colebat, quod ipſo inuito in aduerſariorum manus poterat deuenire, nec ſemel amiſſum licebat anxiis clamoribus reuocare. Profectò ſi vera virtute ornaretur prædatrices non vereretur manus; imò ſi fortè amiſſum, debitis reuocaret clamoribus: *Ecce*, aiebat Abulenſis quæſt. 16. *quàm impudicè*
Abulenſ. *Michas, & inſipienter locutus eſt: nam ſi dij erant, non erant facti, vel ſi facti erant, non erant dij: cur ergo ſtolidè ſic loqueris neſciens quid expoſcas? Rectè enim fruſtra clamanti tibi obijcere poteſt turba Danitarum, nullos Deos ſuſcepiſſe: ſi ergo aliquid petis, ſimulacra pete, & incommunicabile Dei nomen ſimulacro non communices, præſertim cùm in verbis tuis contradictionem apertiſſimam innuas dicens, Deos à te factos ablatos fuiſſe.* Amaris lachrymis Michæ ad inſtar lugemus ſæpè idola noſtra rapta; ſed dum lugemus rapta, eſſe oſtendimus idola: falſi colimus vti diuina, quæ reuera, & volatica, & alienæ auiditati inueniuntur expoſita: virtus ſui iuris eſt, ni tu ipſe eam tibi ſubripias, cordéque depellas, nullus auferet. Sapiens, qui virtutem colit, nunquam ſe inuitè fraudatum dolebit, quandoquidem ſola virtus eſt violentiæ exempta, & nullius audaciæ, aut rapacitati expoſita.

193. Cùm Deum Magdalena quæreret, & amiſſum copioſis fletibus deploraret, ab Angelis interroga-
Ioan. 20. v. 13. tur cur ploret: *Mulier, quid ploras?* Illa: *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum*, reſpondit: verùm vt Deum auferri violenter non poſſe, noſceret, iuxta ſe, quem ablarum deplorabat, inuenit: *Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Fidem Deum poſſe inuitè auferri credens aliquomodò confundebat; ſed dum credit ablatum, prudenter recurrit, vt inuenerit, ad lamentum: nam licèt exulârit depulſus, rediit facilè vberrimis lachrymis inuitatus. *Perturbationem mulieris reprimunt*, inquit Theophylactus ad hunc locum, *manſuetè ac pla-*
Theophyl. *cidè dicendo: Mulier quid ploras?* Ac ſi dicant: Turbata es, dum fateris diuinum, & credis ablatum; aſt prudenter doles, dum ablatum credis: nam dum acri dolore ob amiſſionem ingemiſcis perculſa, non poteris diſtare à Domino ſeparata, quandoquidem ipſis lachrymis, quas dolenter effundis, tibi præſentiſſimum habes. Deus non rapitur, ſed amittitur, &, ſi contigit amitti, dubium non eſt veris ſingultibus reuocari.

194. Eliſæus, dum Eliam ſuperna aſcendentem aſpicit, abeſſe dolet, & dolore ſibi ſpiritum acquirit:
4 Reg. 2. v. 12. *Videbat, & clamabat.* Dum anxietate ictus nudatur, dum lamentis repletur, dubium non eſt, inquit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. ſpiritum ſortiri, & ſubductum quodammodò reuocare: *Du-*
Drogo. *plex ſpiritus duplò clamat.* Quantumvis ignei equi prophetam tulerint, ſi clamet Eliſæus, ſpiritum non auellent: quia clamor ipſe ſibi reproducit, & trahit. Iam Eliæ ſpiritus remanet Eliſæo inuiſceratus, & doloroſis clamoribus quodammodo reproductus; clamando recuperat, dum amiſſum dolenter clamat. Ergo Michas ſibi imponit, dum arbitratur diuinum, quod clamoribus non reuocauerit perditum.

Iure Diuus Paulus ſeductam atteſtatur mulie- 195.
rem, non Adamum: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Falſa, & 1. ad Timoth. 2. v. 13.
ſerpentina doloſitate decepta impoſſibilia credidit, & tentauit. Repetamus hiſtoriam: Cùm arbor illa vetita ſplendido, ac ſapido fructu diteſceret, ſerpens mulieri ſuaſit poſſe diuinitatem furari, & Deo ſimilem furto fieri: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* Geneſ. 3. v. 5. O quanta iniquiſſimus dæmon huic prolectationi inſeruit! Si deliquerit, poſſe felicitatem conſequi, fœminæ perſuaſit, & quod mireris adhuc fœminæ fidem habet; delinquendo fore ſe felices ſtulta temeritate præſumunt, & vetitæ arbori accedunt. Certè ſi fructus arboris eſſet diuinitas, ab arbore nequiret rapi, nec audenti manu auferri: ipſa dæmonis verba arborem nullatenus diuinitate exornatam oſtendebant, quando poſſe diuinitate nudari, vaferrimè aſſeuerabant: & quidem ni mulier paſſionum fumo obcæcaretur deluſa, & ambitione obturbata, lucens deprehendiſſet mendacium: audi Baſilium orat. 3. *Quid fugis mulier plantam, cuius ope* Baſil.
Deus eris? Quid cibum, per quem pares cum imperante ſitis, repudiatis? His vocibus auditum ſubuertit, & ſubuerſam, ac falſam riſit. Adnectit: *Ridebat Diabolus, cùm dedecore Dei conſpurcaſſet imaginem.* Profecto ridenda, & erat mulier, quæ ad diuinitatem inhiabat, & à poſſidente ſe furari poſſe credebat, quandoquidem quidquid virtutis, ita poſſidentis eſt proprium, vt extra arbitrium maneat alienum: aurum, ſalus, filiorum copia continuis ſubiacent varietatibus, & diuerſis mutantur vicibus; virtus verò, ni poſſeſſor depulerit, nullus abſtuliſſe poterit.

Sibi ad ſpeciem contraria prodigus ille pœni- 196.
tentium emblema loquitur: *Pater peccaui in cœ-* Lucæ 15. v. 21.
lum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus. Si non eſt dignus vocari, nec dignus erit eſſe: cur ergo non ait: Non ſum dignus eſſe; ſed appellari? quia ipſa lachrymabili confeſſione, inquit Chryſologus, amiſſum recuperabat, & dum ingemiſcebat amiſſum, iam poſſedit inſtauratum: *Confeſſio*, inquit ſerm. 2. Chryſologus, *patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo: Peccaui in* Chryſol.
cœlum, & coram te. Peccatum diuinum Patrem abſtulerat, ſed pœnitudo iterum conciliauit, & Pœnitentia quod amiſſum dolet, reſtaurat.
dum vberibus lachrymis ſe filium denegat, ipſa denegatione ſe filium eſſe manifeſtè confirmat: hæc eſt enim mira pœnitentiæ proprietas, quod dolet amiſſum, ipſo dolore iam poſſidet inſtauratum: pœnitudo ergo reddidit patrem filio, & quem culpa in brutorum cenſum redegerat, intimus dolor in hominem mirabili metamorphoſi transformauit, & filiationis gloriam reſculpſit: *Confeſſio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.* Se amiſiſſe quæ erant filij, acri dolore lamentatur perculſus: *Non ſum dignus vocari filius tuus*, ſed lamentis patrem pronuntiat verus: ipſa patris appellatione ſe probat filium, aſtruens quod negat, & negans quod ipſa honeſta negatione ineſſe ſibi confirmat.

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur.

197. Mirum eſt, quàm patienter ſe homines gerant, ſi potentiam vereantur humanam: deglutiunt iniurias, gemitus deuorant, ſuſpiria pectoribus intercludunt: metu grauioris detrimenti ora ſilentio ſigillant, vt patientiâ patientiam redimant. *Sapiens*, aiebat Seneca epiſt. 14. *Nunquam potentium iras prouocabit; imò declinabit, non aliter, quàm in nauigando procellam.* Vt nauis procelloſis vndis impetita, & actiòs adſpirantium ventorum flatibus agitata, ni in portum ſe recipiat, miſero naufragio abſorbetur, & pelago deglutitur: ita qui inſanas potentium iras non declinat, ſibi inuidet, & ſua ſibi audacia nocet. Verùm cùm ora poſt acceptas iniurias ob humanæ potentiæ timorem frænentur; ſic delirat humana mens, vt diuinam, ſi non parui pendit potentiam, timore honeſto non colat; ſed effrænis audeat. Deum fatetur omnipotentia præditum; ſed aliter non auderet, ſi prorſus crederet imbecillum. En dum armatorum manus inſtat, dum militum copia ferrum ſtringit, continet ora Michas, & grauioris damni metu vertit acceptis iniuriis terga. Milites ab ipſo humaniter hoſpitio excepti eum diſpoliarunt, & quam ſolent milites, mercedem hoſpitij retulerunt; & compulſus eſt abſtinere à querela timens vlteriora damna. Non ignorabat vti Ephraimita Deum Hebræorum ornatum omnipotentia, & tamen conflauit idolum, conſtruxit teraphim, peruertit Leuitam, initiauit ſacrilegè Sacerdotem: *Fecit ephod, & teraphim, id eſt veſtem Sacerdotalem, & idola*: aſt cùm hæc omnia armata Danitarum manus abſtulerit, & ipſe raptores clamoribus proſecutus vrgeret; illi, ni tacuerit, graues minitantur pœnas: *Caue, ne vltrà loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Minis deterritus obmutuit, ſilentio ora ſigillauit, & domum, etſi mœſtus repetiuit: *Videns autem Michas quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.* Ecce auſus non eſt ſua repetere humanam potentiam veritus; qui attentauit idola conſtruere diuinum brachium oblitus; longiſſimis interuallis numinis robur humanas euincebat vires, & tamen Michas ab inceptis deſtitit reueritus militarem audaciam, & non deſtitit noſcens numinis infinitam eſſe potentiam: *Quia erant ſexcenti viri armati*, inquit Abulenſis quæſt. 16. *Et ipſe paucos famulos ſecum habebat, non auſus eſt pugnare contra eos. Reuerſus eſt in domum ſuam, ſcilicet timens, quòd ſi plus clamaret, occideretur.* Humanus timor imperauit ſilentium, diuinus non diſſuadebat idolum.

Seneca. Iudic. 17. v. 5. Abulenſ.

198. Cùm Daniel cibos regios ſibi ac ſociis conſtitutos non edere decreuiſſet, eunuchorum principem obnixè deprecatus eſt, vt ſibi ſociiſque liceret leguminibus ali: ille etſi lucro alliceretur, reſtitit regis iram extimeſcens, quandoquidem, ſi conſtitutam ipſis, non exhiberi annonam agnoſceret, capite forſan damnaret: *Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum regi.* O quot miniſtrorum modò capita præcidenda, ſi ad id eſſet ſatis vultus pendentium macilenti, & fame conſumpti. Itaque magnus ille Princeps vel mancipiorum vultus attendebat, vt ſi ineſſet dolus, ex aſpectibus venaretur: & ob id miniſtri ſummopere verebantur non ſolùm fraudem texere; ſed vel petentibus legumina annuere. Tranſi modò ad eiuſdem prophetæ cap. 14. Vbi cùm populus quam plurima in numinis à ſe culti alimentum penderet, Sacerdotes miniſtrique idoli omnia inſumebant, ac fraudulenter vorabant: *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Quid tunc? *Sacerdotes ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt.* Quàm aliter ſe regius miniſter, & Bel ſe Sacerdotes gerebant! Ille vel cibos renuntiantibus ingerebat, iſti doloſis fraudibus deuorabant: ille verebatur regem, deſpiciebant iſti numen: ille timebat poteſtatem in ſe concitare humanam, iſti aſpernabantur potentiam, quam deluſi arbitrabantur diuinam, vt actionum colore nobis depinxerit Sacra Scriptura, quam homines obliuiſcantur diuinam potentiam, quàm poteſtatem vereantur humanam. *Ait princeps*, inquit Hugo, *eunuchorum ad Danielem: quaſi faceret, quid rogas; ſed timeo ego Dominum meum regem.* Lucrum cum timore pugnabat, & timor cupiditatem ſopiebat; aſt Sacerdotibus non perſuaſit timor non furari, cùm aulico perſuaſerit ſine experimentis miraculiſque ſupplicationem ſibi vtilem non audire.

Daniel 1. v. 10. Daniel 14. v. 2. Hugo.

Deus hominem de originis loco exterminat, quippe deliquerat, & ne iterum audaci manu paradiſi plantas temeret, cuſtodem flammeo armatum gladio conſtituit: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Vt exterminare è paradiſo Adamum æquitati erat conſonum, ita Cherubim obarmare videri potuit ſuperfluum. Si Adamus Domini potentiam non ignorans ad pomum vetitum manum extendit, & timorem audaciſſimè proculcauit, minus creaturam timebit, quandoquidem Cherubini non immerata potentia, & potentia numinis infinita: timorem oppoſuerat Dominus audaciæ frænum, virtutis retinaculum, temperantiæ neruum, & nihilominus Adam timoris clauſtra prærupit, & contempta morte venenatæ arbori acceſſit: ergo & accedet modò, quantumuis gladius igneus vitæ minitetur, ſuperfluumque erit ante paradiſi fores Cherubim ſtatuere, quando nihil profuit ipſo in paradiſo degentem mortis timore frænare. O ſapientiam immortalem! Profectò ſi homo æqua rationis lance res penderet, plus caueret numinis potentiam, quàm Cherubini timeret flammam; adeò tamen ab exordio creatam potentiam homines timent, vt, ne iterum Adamus in paradiſum irrumperet, creaturam appoſuerit igne obarmatam, & acuto gladio munitam: & quidem euentus oſtendit quàm aliter homines creatam, & potentiam reuereantur diuinam: non leges Adamum Cherubini timore perculſum tentaſſe paradiſum ingredi, cum dubium non fuerit præcipientem Dominum aſpernari. Huc voco Baſilium Seleucienſem orat. 3. *Excuſſo timore pœnaque ſublata contra Deum bellum conflat.* Bellum contra Deum conflat Adamus, etſi timore deterritus, non tamen conflauit bellum in Cherubinum eius timore 199.

Geneſ. 3. v. 24. Baſil.

Digitized by Google

more perculſus, eoſéque fugatus: eſt enim creaturis ſolitum creaturam extimeſcere, creatorem deſpicere: exhorreſcere gladium, vulnus infligentem, & deſpicere iuſtitiam animas æternis ignibus vſtulantem.

200. Geneſ.4. v.15. Cainum audies occurrentium manus trepidantem: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Non audet timore præpeditus obambulare, qui auſus eſt fratrem occidere: illi aiebat Deus: *Nonnè ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* & tamen Dei oculos non reueritus; fratrem doloſè occidendum duxit in campum. Rogabis: Si Cain hominum facies extimeſcit, quomodò numinis vultum non extimuit? Si, vt in facinus prolaberetur, & morti ianuam aperiret, fraternum ſanguinem fundens numinis proculcauit timorem, cur modò timoris acrem è pectore non expulerit anxietatem; Sanè quia hic metuebat homines: ea eſt namque amens peccatoris vecordia, & vecors temeritatis audacia; vt ibi non trepident, vbi prudenti timore fuiſſent exagitandi; & vbi timor, aut paruus, aut nullus eſt, totis artubus contremiſcant. Cain vel hominum veretur vmbras, cùm deſpexerit numinis iras. Vbi noſter textus habet: *Vagus, & profugus eris ſuper terram*: Septuaginta verterunt: *Tremens & gemens eris ſuper terram*: quod opportunè Stephanus in allegoriis Tilmani interpretatus ait: *Per Cain, qui interpretatur poſſeſſio, intellige diuites huius mundi, qui timent amittere ſe, & ſua: vnde illis trepidauerunt timore, vbi non erat timor; id eſt, pro amiſſione temporalium, non æternorum.* Timebat diſpoliari caducis, nihili faciebat nudari æternis: ad humanam trepidabat potentiam, audax deſpexit diuinam: cuius exemplum ſecutus Michas idolum reliquit armatos veritus, non reliquerat diuinam potentiam imprudenter aſpernatus.

Septuag.

Stephan.

§. XLVII.

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas.

201. PErſonata felicitas plurimum diſtat à verâ argentum etiam in matrice vena nondum repurgatum limatúmve pretioſum eſt, vt è contrà ſubæratum licèt nitidum oculis imponat, non eſt argentum ſed dolus, nec aliter ſors, quæ non vera virtutis progenies, quantumvis ſplendeat, perſonata eſt; virtute verò innixa etiam ſine ſplendore eſt pretioſa. Verùm ea eſt mortalium cæcitas, vt pro argento habeant æs ſplendidum, túncque ſe deprædicent auctiores fortunatis diuitiis, cùm plus doloſis exundarint fallaciis. Qui reluminatos habent oculos, res metiuntur non ab exteriori fulgore; ſed à ſolida, & interna veritate. Quàm diſertè Tertullianus lib. de teſtim animæ cap.3. *Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui propè Chriſtianum pronuntiauerit, cùm ſi quid prudentiæ aut ſapientiæ affectauerit ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſæculum reuincens pro Chriſtiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſæ felicitatis, cui in falſo potius creditur, quàm in vero.* Felicitas habebatur virtutibus contraire, diuitiis exundare, & libidinibus ſtudere; erat tamen proſperitas perſonata, miſeria vera: infelices arbitrabantur Chriſtianos voluptatibus renuntiantes, & virtutibus inſeruientes; verùm Chriſtiani vt qui cruſtatam nouerant, & veram felicitatem, virtutem amplectebantur, quamvis ab Ethnicis deriſi, qui adeò delirabant, vt pro virtute haberent felicitatem. *Nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſæ felicitatis.* Peruerſa erat Laienſium fortuna, quæ in nigros deſiuit cineres, quæ flammas attulit pro fictis, ac fucatis ſplendoribus: *Viderunt populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxtà conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum nullo ei penitùs reſiſtente, magnarúmque opum; & procul à Sidone; atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Felicitatem audiſti, finem adſpice: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij; vrbémque incendio tradiderunt.* Iam celſa ædificiorum moles, cœlóque coæquata ſordeſcit, iam ciuitatis pulchra varietas confuſio eſt, vt repetat Gregorius Nazianzenus epiſt 68. *Hic eſt humanæ proſperitatis; ſeu felicitatis finis.* Quàm erat Lais omnibus miranda ob diuitiarum copiám, ob populi frequentiam, ob camporum vbertatem, ob aërem ſalubrem! Verùm vbi omnia virtute deſtituta leui flatu fruſtrarunt oculos diſſipata. Quàm benè ex Philoſophis refert Plutarchus lib. de audiend. poët. *Felicitatem & beatitudinem pecuniarum cumulo; neque rerum faſtu, neque vllis magiſtratibus; aut potentia; ſed vacuitate ægritudinis, manſuetudine metuum; atque animi affectu terminos natura ſequente.* Vera ſolidáque felicitas eſt cruſtatam felicitatem agnoſcere, & ſplendorem oculos fallentem deſpicere.

Tertull. Nazianz. Plutarch.

Nahum ſic Niniuè felicitatem deſcribit: *Niniue quaſi piſcina aquarum aqua eius; ipſi verò fugerunt: ſtate; & non eſt, qui reuertatur: diripite argentum, diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum, ſicut nigredo ollæ.* Ad inſtar aquæ ſuperuenientium impetu pulſæ fuit Niniuitarum felicitas; effloruit, vt marceſceret; congregauit vt acriùs diſpoliata indoleret: reſplenduit, vt ignominioſiùs ſordeſceret. O quàm benè epiſtol. 57. Nazianzenus! *Tranſeamus hinc, euadamus in viros, proiiciamus omnia, prætervolemus vmbras, relinquamus aliis vitæ huius delicias; imò magis mœſtitiàs. Alios fatigent, iactent, & irritent inuidentia ſæculi; & euentuum curſus.* Adnectit: *Magnæ huius ſcenæ ludicra, & inania ſpectra prætereбimus; locóque omnium Deum eligemus, qui ſolus bonum eſt per omnia ſufficiens, & noſtrum; vt in hac vita inclareſcamus, qui adhuc puſilli ſumus, vitaque huius claritatem quærimus.* Vel ad huius vitæ claritatem oportet amplecti virtutem: nitent cætera exteriùs, inani ſplendore oculos aliquantulum detinent; ſed quos modò demirabamur beatos, citiſſimè ſtupemus miſerrimos.

201. Nahum 2. v.8. Nazianz.

203. Iob trigeſimo nono capite equum illum Deo ſeſſore honeſtè ſuperbientem, odorem ait belli à longè percipere, & exhortationem ducum, & exercitus vlulatum agnoſcere: *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Sapienti naſo diſcernit odores, noſcitque quid apud duces excelſum, quid reuera ſolidum, & quid miſeris vlulatibus demptum. Sunt capitalia vitia, quæ vitiis aliis ducatum præſtent, hæc ad bella in virtutem concitant, animoſque cient;

Iob. 39. v. 25.

verùm

Digitized by Google

verùm diſertus equus mauult Deo ſeſſori ſubiici, quàm clamorem Ducum audire. Ita Gregorius Magnus lib.31.moral. cap.17. *Benè Duces exhortari dicti ſunt, exercitus vlulare: quia prima vitia decepta menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt; ſed innumera, quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt: inanis námque gloria deuictum cor, quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Debes maiora appetere, vt quo poteſtate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodeſſe.* Adnectit poſt aliqua: *Miles Dei quia ſolerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur: exhortationem Ducum naris ſagacitate deprehendit, & quia longè præſciendo ſubſequentium iniquitatum confuſionem conſpicit, quaſi vlulatum exercitus odorando cognoſcit.* Prudenti perſpicacia quid ſub pulchra faſcia, lateat, deprehendit: & quia Ducum allicientium plauſum iam percipit in vlulatum deſinere, & aures mellitis vocibus demulſas confuſaneis miſeri clamoris ſonitibus verberare, armatur in pugnam, ne falſo deluſus plauſu, vero & amariſſimo volaticum gaudium compenſet gemitu. Imprudentes externis falſi interna non penetrant, nec rerum finem examinant, beatum dicunt populum ouibus fœtantibus copioſum, mole diuitiarum oppreſſum, ſplendoribus fugaciſſimis exornatum, cùm ſub illa faſcia & ſordes lateant, & vermes.

Gregor.

104 *Præteriit*, aiebat Paulus, *figura huius mundi*; Alij legunt; *Scena huius mundi*: In ſcena regem agit pauperculus, nobiliſſimum ſordidus, & diu pannoſus ad horam imponit oculis exornatus: ergo agnoſcamus, inquit Paulus, hanc mundi ſcenam; nec reuera exigua, fucis oblita, alienis ornata magni pendamus, aut æſtimemus; imò noſcamus humanis rebus adhuc caducum illum ſplendorem de ſuo non ineſſe; ſed de foris adductum, & mutuatum: vt enim comœdi luminoſam illam pompam ad horam oſtentantes ex ſe non habent; ſed à ſcenæ præſule accipiunt mutuatā & citiſſimè reddendam; ita humana beatitudo de foris nitens illum adhuc caducum ſplendorem proprium non ſortitur; ſed alienum mutuatur. Opportunè Seneca epiſt.80. *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis, & ſuppurata triſtitia.* Adiicit: *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit:*

1. Cor.7. v.31. — Seneca.

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Vrgetur iſthmos.

Seruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios: ille qui ſuperbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:

Quod niſi quieris Mentle, hac dextra occides,

Diurnum accipit, in cœnaculo dormit: idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſuprà capita hominum, ſupráque turbam delicatos lectica ſuſpendit: omnium iſtorum perſonata felicitas eſt: contemnes illos, ſi diſpoliaueris. O quàm aliud iudicium ferres de Lais ſine cognito, aut ignorato: ſi ſolùm externis crederes, ciuitatem feliciſſimam prædicares, videlicet omni ad delicias, voluptatéſque rerum copia exundantem, & placida quiete vrentem; at ſi faſciam abſtuleris, aſpicies ardentibus flammis vſtulatam, riuulis cruoris madentem, & cadauerum aggeribus grauem. Ergo felicitatem non meriatis à vitiorum fallaciis; ſed à ſolidis virtutum fulcris, inconcuſſíſque honeſtatis fundamentis.

Mundialis felicitas perſonata eſt.

§. XLVIII.

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita, ſed contrà ius reportata.

NOn eſt idem ſpolium & trophæum: qui alienā cæca cupiditate inflammatus non rapuit, qui potentia non abutitur, qui æquitate armatus vicit, trophæum adeptus eſt. Alexander mundi clauſtra rupit, & extra clauſtra iacens videre tentauit. Se Herculi quàm ſimilem gloriabatur, verùm magnū inter eos erat diſcrimen, quandoquidem Herculem iuſtitiæ inflammabat amor, Alexandrum felicis temeritatis ſplendor. Audi Senec.lib.1.de benef. c.13. *Quid illi ſimile habebat veſanus adoleſcens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil ſibi vicit, orbem terrarum tranſiuit non concupiſcendo, ſed vindicando. Quid vinceret malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum, maríſque pacator? At hic à pueritia latro gentiúmque vaſtator, tam hoſtium pernicies, quam amicorum, qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus, oblitus non ferociſſima tantùm; ſed ignauiſſima quoque animalia timeri ob virus malum.* Parum intereſt æqualia poſſideas, ſi titulus inæqualis: non eſt grande robur & audax militum copia cincta poteſtas ad triumphandum ſatis, etſi ſatis ſit ad premendum: quod æquitas & iuſtitia acquiſiuit, triumphus eſt, & contrà varios fortunæ vultus perſtat ipſa æquitate ſuffultum; quod verò effrænis audacia, & audax inſolentia diripuit, roborem affert; etſi felicem temeritatem euulget: tunc fortè videatur alicui verum gaudium; ſed iam ſibi auſpicatur amarum gemitum. En Danitæ armorum potentiā Laienſes nullatenus iniurios illegitimè inuadunt, occidúntque: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij vrbémque incendio tradiderunt.* Nondum plena fruebantur victoriā, cùm iam inter execrādæ victoriæ plauſus, futuræ ſonat captiuitatis catena, & inſeritur, ſi fas eſt dici, calamitoſiſſima ærumna: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.* Expende in ſacro textu victoriam & captiuitatem coniungi: tunc prænuntiantur captiui, cùm referūtur ciuitatem deprædati: nec enim quæ inhoneſta erat rapina, durare quiuit victoria. *Aliquæ gentes,* inquit Abulenſ.q.19. *de continuis pugnauerunt contra habitatores Lais de tribu Dan, & captiuos eos duxerunt, atque tulerunt inde idolum, & omnes apparatus eius, & reliquam prædam vrbis.* Violenta oppreſſio, iniqua expugnatio, etſi tantiſper ſpoliis fuerit potita, armatorum copiam in ſe concitauit, & captiuitate perſoluit, quod iniquitate diripuit. Cedunt violentiæ imbecilles; verùm qui infelici vtuntur potentiā, dura etiam gemunt fortuna, quandoquidem violenta oppreſſio, & iniqua depopulatio eſt infortunij præſagium, & calamitatis illicium. 105

Seneca. — Abulenſ.

Væ denuntiat Iſaias violenter deprædanti, & armorum potentiā contrà fas & ius abutenti, quandoquidē qui poſt certaminis labores infelici coronatur victoriā, erit iuſtiſſima aliorum præda: *Væ qui prædaris; nonne & ipſe prædaberis: & qui ſpernis nonne & ipſe ſperneris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis.* Aliquando auis rapax inſidiis auiculam capit; ſed cùm iam iniquæ violentiæ gaudebat ſpoliis, venatrix etiam aquila impetit infauſtè diuitem, & vngues patitur alienos, 106

Iſai. 33. v.1.

quia ſimplicis auiculæ ſanguine maculauerat proprios: ni prædam inferior auis tuliſſet, aquilam nullatenus prouocaſſet; at laboris fructus fuit eſſe aquilæ ſpolium, & quæ ſibi iniuſtè prouidit, & improuidè nocuit, in ſe potentiam armauit. Prophetæ vaticinium de Sennacherib intellexerunt interpretes: nam cùm armis potentiſſimus de populo ſpolia tuliſſet, Dei in ſe indignationem prouocauit, & infauſta coronatus victoria Iſraëlitici populi fauſta fuit præda; *Væ qui prædaris*, exponit

Lyra.

Lyra, *Scilicet populum Domini; nonne & ipſe prædaberis? quaſi diceret: ſic: quia exercitu eius percuſſo ab Angelo 4. Reg. 11. Populus Ezechiæ exiuit ad colligendum ſpolia.* Redierat Sennacherib de Ægypto ſpoliis plurimis violenter ablatis onuſtus & ditatus; verùm dum ampliora ſitit, & armorum potentiâ fretus, ac pro iure vſus Dei populum ſubiugare aggreditur, infauſta ſibi ominatur, quandoquidem Angelico enſe percuſſo exercitu timoris alas aſſumpſit, & Hebræos raptis ſpoliis præter opinionem ditauit, fuitque meritiſſimè Hebræorum ſpolium, quod per Sennacherib ab Ægyptiis fuerat direptum, & aſportatum. Cæca cupiditas alienis vſibus inſeruiuit, & cui inhiauerat cupidus, aliis prædam iuſtè reliquit effugatus: diuitiæ iniuſtè partæ dilabuntur, & quicquid iniquitas acquiſiuit, non ſibi, ſed aliis rapuit. Ecce Danitas, dum intra ditionis ſuæ terminos continentur, dura catena non opprimit; aſt cùm aliena contra fas inuadunt, iam captiuitas dura prædicitur, & deprædantes, vt verbis vtamur Scripturæ, fiunt hoſtium præda. Per anxia pericula, & hoſtiles mucrones ad diuitias inuolarunt; ſed inutili labore defatigati ſolummodò poſſederunt, vt poſſeſſas perderent, & acrioribus amittendo doloribus æſtuarent.

207. Amraphel innocuum Lot, nulli iniurium, paceque florentem captiuitatis iugo premit, & à

Geneſ. 14. v. 11.

propriis ſedibus violenter abducit: *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuerſa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt; necnon & Lot, & ſubſtantiam eius.* Dum iniuſta præda lætantur, non defuit, qui Abrahamo rem denuntiarit: ille vt Lot captum audiuit, expeditis vernaculis manum inſtruit, & ſecuros ac incautos felici adeò euentu inuadit, vt victores vicerit, & deprædatores nudarit: *Percuſſit eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci, reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum.* Ni Lot diſpoliaſſent, & captiuitati addixiſſent, Abraham in campum vernaculorum non produceret manum; verùm dum non tam coronantur victoriâ, quàm opimâ diteſcunt prædâ potentiam in ſe Abrahami concitarunt, & qui nuper prædæ magnitudine onuſti, iam catenis ingemunt compediti. O quàm infauſtum omen fuit Lot iniuſtè diſpoliatus, & immeritò oppreſſus! Inauſpicatior fuit illis victoria, quàm foret hoſtilibus mucronibus præbuiſſe terga, quandoquidem vitæ conſulerent fuga, & mortem ſibi maturauere victoriâ: meritiſſimam ſibi conciliarunt ſtragem, dum adaggerant iniuſtam prædarum molem: *Capto ab hoſtibus Lot*, inquit Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 11.

Rupert.

Abrahami aſſumptis copiis, & diuiſis ſociis ſubauditur Aphor, & Eſcol, & Mambre, ſuper hoſtes irruit, victorque propinquum liberum reducit. Abrahami gloriæ militauerant reges, & quo eorum copioſior fuerat rapina, eo plenior fuit Abrahami victoria: ad exiguum tempus acceptis ſibi plauſerunt ſpoliis; ſed ob accepta ſpolia vltoris gladij extiterunt digniſſima victima: nil adeò illis infauſtum potuit contingere, vt Lotum nullam ad captiuitatem cauſam præbentem potentia armorum deuiciſſe, & iniquè ſubiugaſſe. O quoties latet infortunium victoriæ fuco obtectum! O quoties gaudium eſt perſonatum, & non indubium luctus auſpicium! Quam æquitas non firmauit, quam iuſtitia non acquiſiuit, ſtabilis non eſt victoria; imò eſt calamitatis prænuntia.

Eodem tempore ſerpentem video acceptis ſpoliis coronatum, & cælo ſimul depulſum. Draco 208.
diadematis redimitus in ſtellas audet, cæloque detrudit: *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.*

Apocal. 12. v. 3.

Ablatis diadematis coronatus adhuc ſitit dominari ſyderibus; imò iam aſtris dominatur puerum recens natum deuorare etiam aggreditur; verùm dum infelicibus triumphis, dum infauſtis victoriis extollitur, è cælo victus detruditur: Michaël namque impudenti audacia irritatus bellum inſtruit, & ſerpentem è cælo abigit: *Proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.*

Lyra.

Antiquus ſerpens, dum inſidiis hominem aggreditur, eum coronâ diſpoliat; ſed dum vincit, in ſe cæleſtes copias exacuit. Ecce draco ablato ab homine diademate redimitur; ſed dum iniquo reſplendet triumpho, digniſſimo diſcruciatur tormento. Iam proiectus turpiter adrepit, & de iniuſta victoria grauior infligitur pœna: vt acriùs doleat, dum coronatur, & coronatus proijcitur. *Hic conſequenter deſcribitur* (verba ſunt Lyræ) *Coſdroë perſecutio, & Eccleſiæ liberatio. Viſum eſt aliud ſignum, id eſt Coſdroë rex Perſarum, qui dicitur in cælo militantis Eccleſiæ viſus tamquam grauis perſecutor ipſius.* Adijcit: *Habens capita ſeptem, id eſt, ſex reges ſibi ſubditos, & ipſe erat ſeptimus.* Diademata non tam erant diademata, quàm infortunia: iniquis ditatus triumphis ingemuit dignis attritus ſuppliciorum tormentis, vt notum fuerit infauſta ſibi ominari, cui contigit ſpoliis indigniſſimis redimiri.

§. XLIX.

Securior degit inter hoſtes ſolicitus, quàm ab hoſtibus diſtans ignauus.

MVltæ difficultates obſident; ſed minus negotij externæ afferunt: ſi ſibi animus conſtet, rarò in alienum veniet arbitrium: athleta 209.
victoriis coronatus, ſi minus diligenter aliquo ſe in certamine gerat, gloriam triumphorum obſcurabit, & in aduerſarij poteſtatem deueniet; qui verò vel ſub aduerſa fortuna non ceſſit, qui ſpiritus reſumpſit ad omnem contrarij motum ſolicitè attentus & indefeſſe ſolicitus, hic fortunam reuocabit, & aduerſarium euincet. *Qui ſupplantatus*, aiebat Senec. epiſt. 13. *Aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam: ergo, vt ſimilitudinem iſtam proſequar, ſæpè iam fortuna ſupra te fuit, nec tamen tradidiſti te; ſed ſubſiliiſti, & acrior reſtitiſti: multum enim adijcit ſibi virtus laceſſita.* Si laceſſita virtus aduerſus fortunam inſurgat,

Seneca.

Se roborat virtus laceſſita.

non

non ſemel obtinebit victoriam: vt è contrà, qui à nullo competitus ignauè ſtertit, miſeram aliquando experitur ruinam. Exemplo Laienſes ſunt. Diſtabant à Danitis, & diſtantia muniti pereunt, dum aduerſariorum audaciam nutriunt: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum & quietum nullo ei penitus reſiſtente, magnarúmque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* A cunctis hominibus ſeparatus quieſcebat; ſed quietus occubuit, & horrendùm perſtrepentibus flammis arſit: *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Audis longiſſimis interuallis diſtantes periiſſe: audi modò Amorrhæos Danitis non ſolùm proximos;

Iudic. 1. v. 34.

ſed quodammodò immixtos detriumphaſſe: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.* Cùm Danitæ locorum ſitu adeò ſuperiores exiſterent, nihilominus referuntur arctati, cùm Laienſes pereant occiſi. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt?

Abulenſ.

Audi ab Abulenſi quæſt. 5. *Hoſtes, qui erant in circuitu illius partis, quam ipſi tenebant, erant fortiſſimi & exercitati ad bella, & cauentes vigilanter, ne Iſraëlitæ contrà eos inſurgerent: ideò deſperabant Danitæ ſe poſſe præualere contrà iſtos, & ob hoc voluerunt ſcire, an in aliis partibus ſortis ſuæ procul inde diſtantibus eſſet aliquis populus non tantùm inſtructus ad bella, vel vigilans ad cuſtodiam ſuam, vt contrà illum pugnarent: Et perrexerunt iſti quinque viri luſtrantes ſortem Dan, & in extremitate eius ad aquilonem inuenerunt viros vrbis Lais, quæ ciuitas ſecura erat, non accedens ad bellum.* Amorrhæus, dum periculis ſolicitus ſe præmunit, & hoſtiles adſultus cohibet; Laienſis verò dum longa diſtantia fiſſus ſtertit otioſus, fit aduerſariorum præda, & irreparabili perit ruinâ: vt his apertiſſimis exemplis noſtræ theſis veritas confirmetur, videlicet ſecuriùs degere vel inter hoſtes ſolicitum, quàm diſtantem longiſſimis interuallis ignauum.

210. In præceptis accipit Elias anxiè ab idololatria rege quæſitus illi occurrere, & ſe palàm oſtendere:

3. Reg. 18. v. 1.

Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ. Paruit Elias nullo exteriùs Angelo cinctus: *Venit Achab in occurſum Eliæ.* Poſt hæc cùm celebrem de prophetis Baal triumphum egiſſet, & Iezabel in ſe animum concitaſſet, fugit in deſertum: iam diſtans timori aliquantulum me-

3. Reg. 19. v. 5.

debatur ſomnum ſub arbore capiens: *Proiecit ſe, & obdormiuit in vmbrâ iuniperi.* Angelus non ſine ſtomacho dormientem excitat, & accelerare greſſum ſine intermiſſione imperat: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* Si humana ratione res metiendæ forent, opportunior videbatur Angelus, dum irato regi occurrit, quàm dum fœminæ terga vertit: ſi ibi regi adſtans Angelico exteriùs non minuitur auxilio; cur hîc à fœmina diſtans ad profectionem adurgetur præcepto? Quia per ſomnum illum, inquit gloſſa, ignauia, torpórque deſignatur: ergo ad noſtram eruditionem, quia Elias grauiùs periclitabatur dormiens, diſtantiáque fiſſus, quàm Achabo occurrens ſolers ſolicitúſque, Angelus excitauit dormientem, neque

Gloſſa.

exteriùs comitatus eſt vigilantem: *Tepor*, inquit gloſſa moralis ad hunc locum, *aliquando nominatur in Scripturâ ſopor: Angelus cuſtos hominis eum excitat ad bonum exercitium dicens: Surge per mentis vigilantiam.* O quoties dum dormimus ad ſpeciem diſtantes grauiùs periclitamur, quàm dum periculis proximi parati bellum aggredimur.

Hoſtis viribus præualens cautela adhibita frænatur, quæ ſi deſit, infirmus triumphum reportabit inimicos aggreſſus: Deſcendens Samſon in Thamnatha integris viribus à Thamnathæis exceptus eſt placido vultu; ſed cautelâ adhibita ſibi prouident, & obſequij ſpecie contrà inopinos

Iudic. 14. v. 11.

ſucceſſus cauent: *Cum ciues loci illius vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, vt eſſent cum eo.* Poſteà cùm iam exoculatus, vinculis attritus, & ferè decapillatus (ſolùm námque incipiebant germinare capilli) puerulo committunt, elocatis à Samſone ædificij columnis miſerè pereunt:

Iudic. 16. v. 30.

Cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat. Quàm alia fuit Philiſthinorum ſors, cùm Samſon, ſi dici liceat, à ſe ipſo quodammodo omnino fuerit diuerſus: in Thamnatha prolixis capillis exornatus, viribus integris munitus, licèt ſecreti proditione fuerit exaſperatus, graue adeò detrimentum non intulit; hic verò templum cum Philiſthinis euertit. Quod ſi huius diſcriminis inquiras cauſam, inuenies iam decapillato Samſone, iam exoculato nullam ab aduerſariis cautelam adhibitam: ergo qui adhibitis cuſtodibus in Thamnatha refrænarunt audaciam; hîc, dum puero, quem decipere haud arduum fuit, hoſtem tradunt, ruinâ miſerabili pereunt, fortiſſimis ſodalibus circumſeptus Samſon iram in Thamnathæos vel exaſperatus initio cohibuit, & ab eis ſolùm receſſit; hic verò, dum nil verentur, facillimè Philiſthini euertuntur: ergo vbi cautela adhibita, exiguum à validiſſimo detrimentum paſſi, vbi verò nulla cura, vel à deuicto, & quodammodò languenti penitus interierunt attriti. Adeſt opportunè Lyra:

Lyra.

Dederunt ei ſodales, vt ſi Samſon vellet aliquid agere contrà eos, iſti reſiſterent ei. Politici ſub ſpecie honoris exhibuerunt ſodales prouida cautelâ vtentes, & cautelam ipſam honoris ſpecie diſſimulantes: ergo Samſon, etſi exaſperatus diſceſſerit, in eos tunc non irruit; hîc verò puerulo commiſſus templum Principis, vulgúſque proſtrauit, & factis pro coloribus vſus nobis delineauit, quantum interſit ſolers vigilantia, & quantum noceat iners ſomnolentia, & incautiſſima ignauia. Plures in hoſtili regione, dum ad leuem etiam ſtrepitum ceruicem circumegerunt ſolicitè, vt ſibi cauerent, pericula eluſerunt, & hoſtilem rabiem fruſtrarunt; cùm alij, dum omni cautela inueniuntur nudi, acerbos tulerint caſus, & inter ſuos miſeros inuenerint luctus.

211. Dauid ad Gethæos ſibi olim infenſiſſimos excurrit, ſed ſexcentis viris armatus: *Surrexit Dauid,* 1. Reg. 27.

v. 2.

& abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch regem Geth; & habitauit Dauid cum Achis in Geth ipſe, & viri eius. Inter hoſtes habitabat, ſed ſolicita cuſtodia cinctus, & militibus ſtrenuis ſtipatus. Tranſi modò ad 2. Reg. 4. vbi cùm Iſboſeth ſuper lectum ſuum meridie dormiret, adhibitâ ferè nullâ cautelâ periit: *Dormie-*

2. Reg. 4. v. 5.

bat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit. Rhecab & Banaa caput auferunt dormientis, & falſa ſecuritate cubantis: *Sublato capite eius abierunt per viam deſerti noctè.* Mira res: Dauid inter hoſtes degit illæſus, Iſboſeth inter ſuos iacet occiſus: cuius diſcriminis cauſam innuiſſe videtur Sacra Scriptura, dum refert Dauidem ſolertiſſimis militibus cinctum, & Iſboſeth debili cuſtodia

pondeant. Itaque cùm nullum colorem Chamæleontis more reuera haberent, tot ſe coloribus induebant, quot pro temporum articulis congruere ſibi iudicabant. Vt ruminarent Chamæleontes ventum ad pompam vanitatis alendam eiicij alios diſpoliabant, & æquitatis zelo rapinam tegebant: ipſis in præſepibus latitabant, vt ibi velaretur vnguis dolus, vbi præſtabatur paſtus mentitus.

165. Amos 8. v. 4.

Has hominum technas ſic Amos refert: *Audite hoc, qui conteritis pauperem, & deficere facitis egenos terræ dicentes: Quando tranſibit menſis, & venumdabimus merces, & ſabbathum, & aperiemus frumentum, vt imminuamus menſuram, & augeamus ſiclum, & ſupponamus ſtateras doloſas.* Statera inſtrumentum æquitatis, veritatis index omnem amouet fallaciæ ſuſpicionem, dum æqua trutina ponderat mercem, ergo ibi texerunt fraudem: trutina vſi æquitati incorruptæ videbantur conſulere, cum adulterata iniuſtitiam ſatagerent exercere: ſub mentito iuſtitiæ fuco mera exercebatur rapina, & ipſa colorata æquitas erat iniquitatis patrona. Adeſt Hieron. ad hunc locum: *Dei ſolemnitates turpis lucri gratia in veſtra compendia vertitis, qui minorem in vendendis mercibus menſuram facitis, & maiora pondera in accipiendis, ſtaterámque iniquam, vt poſſideatis pecunia pauperes.* Apertè furari erat indecorum, non furari videbatur illis detrimentum. Ergo quo nec incurrant furti infamiam, nec amiſerint rapinam, ſtateram conſtruunt; ſed doloſam, qua vſi videantur iuſtitiæ legem exactiſſimè obſeruare, cùm reuera nil aliud ſit, quàm æquitatis leges infringere.

Hieron.

§. XXXIX.

Nihil ambitoribus demiſſiùs, nihil, ſi iam aſſecuti, ſuperbius.

166. AMbitio res humilis, dum pendet: ſuperbiſſima, ſi obtinuit: curuabitur obſequio, & ad ſeruulorum decreſcet occurſum, dum ad optata perueniat: non illam pudet in cauſa votorum ſuorum ſordidè deiici, indecorè proculcari; at ſi iam ambitus ceſſauit, nihil ambitoribus elatius, nihil tumidius: *Seruus fit ex ingenuo*, aiebat Philo lib. de Ioſeph, *propter honores, quos videtur accipere, addicens ſe innumeris dominis.* Tot dominis ambitor inſeruit, quot in cauſa deſideriorum ſuorum ſibi vtiles adſpicit: obſequitur, humiliatur, deiicitur officiũ nullum recuſabit, ſe ad qualiacumque expromptiſſimum offeret, hoc tamen totum, dum ambit, dum pendet: nam ſi voti compos, inſoleſcit, & ſuperbiæ limites rumpit. Diſertè Seneca epiſt. 118. *Quàm putas eſſe iucundum tribubus vocatis, cùm candidati in templis ſuis pendeant, & alius nummos pronuntiet alius per ſequeſtrum agat, alius eorum manus oſculis conterat, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt: omnes attoniti vocem præconis expectant, ſtare otioſum, & ſpectare illas nundinas, nec ementem quidquam, nec vendentem.* Manus oſculis ambitor conterit, qui aſpectum dignitate nobilitatus negabit. Danitæ, vt agnouerunt in domo Michæ Leuitam obnixis precibus rogarunt, vt pro eis Dominum conſuleret: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum, vt ſcire poſſent, an proſpero itinere pergerent, & res haberet effectum.* Leuites conſulto Domino, aut mentito oraculo proſperitatem prædixit: cúmque ad ſuos regreſſi copioſam militum armaſſent manum, domum Michæ repetierunt, & humaniſſimi hoſpitij merces fuit idolum, teraphim, & Ephod auferre: Sacerdos idem rapinæ obſiſtebat, cui imperioſis vocibus ac ſuperbo vultu non ſolùm præceperunt tacere; ſed & ori manum imponere: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile; quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum.* Quàm aliter cum Sacerdote modò ac anteà ſe gerunt! ibi in modum ſupplicum rogabant, hîc imperant; quod ſi diſcriminis cauſam quæras, expende ibi ambiſſe reſponſum, hîc iam opus illis non eſſe oraculum: à Sacerdote pendentes humiliter deprecantur, non pendentes audacter, & inſolenter loquuntur. *Tace: quaſi dicant*, inquit Abulenſis q. 12. *non oportet te clamare: quia ſi clamaueris, occideris, pone digitum ſuper os tuum. Iſtud dixerunt ad ſignificandum, quòd deberet tacere.* Ibi fundebant preces, hîc minantur mortes: ibi rogabant; hîc imperant: ſic ambitores à ſe ipſis diſtant, dum vota ſolicitant ſtudioſi, & dum poſſident adepti. Videbis ambitores limina terere, miniſtrorum domos circumcurſare, & ingredientibus, egredientibúſque vſque ad faſtidium aſſiſtere, ſi tamen dignitatis inſcenderunt faſtigium, & turgent obliti, & obliuiſcũtur ſuperbi.

Philo. Seneca. Abulenſ.

167. Oſee 8. v. 4.

Oſeas hoc ambientium vitium ſic refert: *Me inuocabunt: Deus meus cognouimus te Iſraël: proiecit Iſraël bonum, inimicus perſequetur eum: ipſi regnauerunt, &c. Argentum ſuum, & aurum ſuum fecerunt ſibi idola.* Si Deum ſuppliciter inuocabant, quomodò idola confingunt? aut ſi idola confingunt à vera religione deſciſcentes, quomodò ad Deum inuolabant humiliter deprecantes? Quia dum Oſeas refert preces, nondum retulerat diadematis coronatos; poſtquam verò retulit ad regale culmen euectos, & ipſius, qui regnum dederat, prodidit ingratiſſimos aduerſarios: idola conflabunt, à numinis religione plures auertent; & qui anteà affectabant pietatem, obedientiámque, iam affectabunt inimicitiam. Huc voco Stephan. in allegoriis Tilmani: *Cauſa promotionis prece vel pretio ſibi fauorem acquiſierunt.* Opportuniùs Hieron. ad Oſee 8. *Quando captiuitas venerit, me inuocabunt, & dicent: Deus meus, cognouimus te Iſraël: nos, qui appellamur Iſraël, ſcimus te atque cognoſcimus, & nomen Iacob, qui tibi placuit, ſeruamus antiquum, vt dicamur Iſraël.* Adnectit: *Sed illi abſque voluntate Dei Principes extiterunt, & non eis ſuffecit hoc ſcelus niſi maiori impietate facinus duplicarent, vt argentum ſuum & aurum, quod acceperant ad diuitias & ornatum, in idola verterent: ergo Saül non ex voluntate Dei; ſed ex populi errore rex factus, quia radicem pietatis non habuit, ſtatim vt regnare cœpit, impietate ſuccenſus eſt.* Antequam Ieroboam, Saülque regnarent, Iſraëlis nomine gloriabantur, vt Deo hac nobili ſeruitutis nota religioſum exhiberent obſequium; at vbi, ſi non approbante; permittente tamen Deo, regno potiti ſunt, alter idola conſtruxit, & pietatem alter violauit. Et quidem horum actiones pro coloribus nobis ſunt ad ambitionis repræſentandam imaginem: qui adire dignitatem deſiderat, titulum noménque, quod ſeruitutem, aut antiquam familiaritatem innuat, opportunè, importunéque proferet, & iactabit; obtentis verò iam votis nomen exuet, & ad inimicos tranſibit.

Stephan. Hieron.

168. Sophon. 1. v. 9.

Viſitabo ſuper omnem, qui arroganter ingreditur ſuper limen in die illa, qui complent domum Domini Dei ſui iniquitate, & dolo, minatur Dominus per Sophoniam. Stephanus apud Til-

manum

manum in allegoriis locum applicat ambitioſis, qui cùm ante limen humiles ſteterint, ſi iam contingat optatum adire, arrogantiſſimè inflantur, & inflati ingrediuntur: *Dignitates Eccleſiaſticas*, inquit, *vel ordines aſſumunt, imitantes Sacerdotes Dagon, qui limen templi calcare nolebant.* Vt ad ſæculares, eccleſiaſticaſue dignitates perueniant, ſe calcandi limen affectant indignos, & mentita humilitate, ac perſonata virtute, nihil illis demiſſius, nihil modeſtius; at ſi dignitatem expiſcentur, arroganter ingrediuntur: nec iam ſolum calcabunt, quæ verebantur, tumidè limina, ſed exhiberi ſibi compellent obſequia: *Arroganter ingreditur ſuper limen in die illa.* Qua die? Promotionis videlicet: nam vbi quis ad dignitatem promotus, omni prorſus comitate, affabilitatéque apparet exutus: iam calcat, quos ſuſpiciebat, & qui Sacerdotum Dagon ad inſtar ſe indignum, qui limen premeret, teſtabatur, obtenta dignitate attentabit limen calcare, & ſuperbo veſtigio premere.

169. Iob.30. v.2. Iob ambientium mores deſcribens ſic aiebat: *Vitâ ipsâ putabantur indigni, egeſtate, & fame ſteriles, qui rodebant in ſolitudine, ſqualentes calamitate & miſeria, & mandebant herbas, & arborum cortices.* Ab omni conuictu ſegregatos, exiguo victu contentos, & antiquorum Patrum exempla imitantes, ſe exhibuiſſe teſtatur diſcipulos: & hoc totum ambitus ſuaſu, dignitatiſque deſiderio. Audi Gregorium lib. 20. moral. cap. 15. (Gregor.) *Sunt nonnulli, qui dum præſentis mundi gloriam eiuſdem mundi actionibus adipiſci non poſſunt, ſpeciem ſanctitatis appetunt, habitum venerationis ſumunt; imitatores antiquorum Patrum videri concupiſcunt.* Addit poſt aliqua: *Ad rerum temporalium ambitum ſeruiunt.* Vidiſti ambientium modeſtiam, etſi fucatam, demiſſionem confictam, adulteratam pœnitentiam, affectatas ſordes, & adumbratas virtutes: vide iam quàm inſoleſcant: *In eorum canticum verſus ſum, & factus ſum eis in prouerbium: abominantur me, & longè fugiunt à me, & faciem meam conſpuere non verentur.* Qui, vt aliquid aſſequerentur, ſeruiebant officioſiſſimi, qui obſequi mentiebantur deuoti, poſteà in faciem conſpuent, & ſummis contumeliis afficient: nihil ambientibus demiſſius, ſed poſteà nihil inflatius: digni maioribus videbantur dignitatibus, dum ambiebant, indigni minimis etiam dignitate obtenta apparuerunt, quia mores prorſus demutarunt. Alius iam aſpectus, lingua diuerſa, & actio penitus apparet contraria. Antiquum prouerbium erat: *Honores mutant mores*; ſed iam ipſam naturam comprobâtur demutare, & indolem omnino peruertere.

170. Chriſtus Dominus inferni mortiſque deſtructor diſcipulis rediuiuus apparet, cùmque nec illapſu per fores clauſas perſuaderentur, nec ipſis oculis crederent, quam olim dederat, pacem repetiuit, (Lucæ 24. v.36.) & ſeipſum, non alium aſſeruit: *Pax vobis, ego ſum, nolite timere.* Adnectit: *Ego ipſe ſum, palpate & videte.* Mellitis verbis eos fuerat allocutus, cum tenderet hoſtibus offerendus: pacem eis obtulerat, antequam reſurrectionis adiret gloriam: (Ioan.14. v.27.) *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Ergo Apoſtoli de ſæculi vſu inde obturbabantur dubij, vnde videbantur firmandi: *Conturbati & conterriti exiſtimabant ſe ſpiritum videre.* Intuebantur eodem ſtylo vſum, eadem oris affabilitate ac antè felicem illum ſtatum: ergo exiſtimabant ſe falli, quandoquidem qui apud ſæculum ad celſiorem aſcenderunt ſtatum, diuerſum oris habitum aſſumunt, & diuerſum affectauerunt ſtylum: vanitatis artificio adeò ſe transfigurant, vt non videantur ijdem, ſed diuerſi: verùm ſi illis vniformitas erat ſuſpecta, eâ Dominus vſus eſt, vt ſe probaret non ſolum humanum; ſed diuinum: *Indicat eis ſe Filium Dei eſſe*, inquit Theophylactus apud D. Thomam in catena: Ecce diuinitatis argumentum, eſſe ipſiſſimum poſt faſtigium.

§. XL.

Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerius, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare.

Aliquod doloris ſolatium eſt eliquare per oculos anxietatem, per voces manifeſtare ægritudinem, vt duriſſimum cogi ad deglutiendum acrem dolorem. O quàm eſt calamitoſum ſuſpiria è præcordiis miſſa ab ipſis labiis reuocare, & iterum præcordiis altiſſimè premere. Hanc extremam quodammodò calamitatem expendebat acutè Seneca epiſt. 80. *Horum, qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis & ſuppurata triſtitia, & quidem grauior, quia interdum non licet palam eſſe miſeros; ſed inter ærumnas cor ipſum exedentes neceſſe eſt agere felicem.* Opus eſt aliquando pro iniuriis gratias reddere, & maioris detrimenti metu acceptum probrum veluti beneficium habere, & nullam linguæ quærelam permittere. Apud Micham humaniter excepti Danitæ de auferendo idolo ſacerdotalique veſte cogitarunt, cúmque à praua cogitatione nihil aut parum diſtet executio, idem fuit cogitare; & exequi: manus, quas acceptum debuiſſet ligare beneficium, audacter extenderunt ad ſuffurandum idolum: *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile.* Sacerdos rei nouitate perculſus inclamare cœpit, & repetere: *Quid facitis?* Sed tunc raptores: *Tace, & pone digitum ſuper os tuum.* Non licebat iam diſpoliato querela, & cùm ad grauiſſimum dolorem rapinis cogerent, nec tenuem vocem permittebant emittere, nec aliquo ſigno dolorem præcordia vrentem leuare. Opportunè Arias Montanus: *Antequam vel clamare, vel alias longiorem Sermonem pronuntiare poſſit, terrore occupatur.* Iniuria exulcerabat animum; ſed terror imperabat ſilentium, quo vno eodemque tempore duplicem ſuſtinuerit offenſam, & alteram altera grauiorem iniuriam. 171.

(Seneca. — Miſerum eſt in miſeria felicem agere. — Montan.)

Neque ſolùm Sacerdos compulſus eſt ad ſilentio ora ſignanda; ſed Michas ipſe: nam cùm non ſolùm inſalutatum poſt accepta tot beneficia fugerent, & quidquid illi pretioſum ablatum ferrent, eos à tergo lachrymoſis clamoribus inſequentem: *Quid tibi vis? Cur clamas?* interrogant: quaſi nullam illi occaſionem clamoris dederint, affectant neſcire, nec erubeſcunt interrogare. Michas acri dolore perculſus reſpondit: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Iuſtam clamoris cauſam attulit Michas; ſed audi quid ad illum Danitæ: *Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Clamore offenſi minabantur clamanti, nec permittebant dolorem promere, nec idolum volebant reddere. Itaque Michas coactus eſt tacere veluti elinguis, & pepercisse clamori grauioris detrimenti timore impeditus, miniſque perterritus. Ita Abulenſis q. 16. *Caue ne vltra loquaris ad nos*, ſcilicet 172. (Abulenſ.)

Digitized by Google

clamando ſuper hac re, & veniant viri ad te animo concitati, id eſt, irati nimis, & non miſerebuntur tibi. Duriora minantur, ſi iniuriam ſe accepiſſe inclamarit, & dolorem cordis protulerit.

173. Hanc duriſſimam calamitatem Hebræis ſic de-
Nahum 2. v.7. nuntiat propheta Nahum: *Miles captiuus abductus eſt, & ancilla eius minabantur gementes vt columbæ murmurantes in cordibus ſuis.* In cordibus murmurabant, quia murmurare labiis non permiſſum; imò duris verberibus caſtigatum, quo acerbior vreret calamitas, & grauior diuexaret captiuitas: columbas imitabantur, quibus pro cantu gemitus: ergo cùm ad altiſſimos cogerentur gemitus opus erat promere ad ſpeciem cantus. Itaque dolor altiſſimè inſidens adurebat præcordia, & ne amplius recrudeſceret infortunium, prudentia perſuadebat riſum oſtentare labra: à præcordiis exibant doloroſi gemitus; ſed in ore faciem aſſume-
Lyra. bant cantus: *Gementes*, inquit Lyra, *non audentes altè clamare præ timore.* Conſonat Theophylact.
Theophyl. apud gloſſam: *In cordibus ſuis gementes, hoc eſt, clanculum murmur, & gemitum columbarum imitantes.* Cantus erat gemitus, & gemitus erat cantus: quia hoſtes lachrymis irritati, & gemitu offenſi grauiorem incuterent pœnam, acerbiorémque mulctam: ergo opus erat miſerrimis iniurios cantibus demulcere, & altiſſimè gemitus deuorare. Iam quàm grauis, quàm non ferenda hæc fuerit ærumna, Sancti Iobi hiſtoria teſtatur.

174. Diaboli malignitas inuidentiæ flammis armata Iobo Sanctiſſimo nocendi facultatem à Domino impetrat; ea tamen conditione, vt vita non priuarit; imò cuſtodem agat, cùm ardentiùs euertiſſe
Iob 2. v.6. deſiderat: *Dixit Dominus ad Sathan: Ecce in manu tua eſt; verumtamen animam illius ſerua.* Vix facultatem acceperat, cùm Iobum peſſimis implet vlceribus: *Egreſſus igitur Sathan à facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* In hac dolorum procella, & calamitatum illuuie intacta labia reſeruari videbis: *Pelli*
Iob 20. v.10. *meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & relicta ſunt tantummodò labia circa dentes meos.* Mira res, ſi carnes dolorum flammis veluti liquefactæ putreſcunt, ſi exulceratæ carnis foramina vermes non capiunt, ſi peſtilens ſanies à planta pedis vſque ad verticem exundat, cur labia reſeruentur illæſa, nec furenti rabie impetita? An quia ſperat iniquiſſimus aduerſarius fore ſibi auxilio linguam, dum doloribus adurget patientiam? Benè, ſed crediderim labia reliquiſſe, quia iuſſus vitam ſeruare: nam doloribus adurgere, & vocem lachrymabilem intercludere, facultatem eſſet tranſgredi, quandoquidem ni doloribus exæſtuanti liceret calamitatem gemitibus expromere, & ardorem animi eliquatis lachrymis temperare, mortem ſubiiſſet, & interclusſus ſine ſpiraculo gemitus calamitatem incrementaſſet. Aliquod ſolatij genus eſt explicare quod ſentias; vt dura tyrannis occultare quod doleas: ergo Diabolus dum iuſſus eſt vitam aſſerua-
Gregorius. te, erubuit linguam attingere. *Labia tantammodò circa dentes derelicta ſunt*, inquit Gregor. apud
Beda. gloſſam. Conſonat ibi Beda: *Ad hoc Diabolus conſumptis carnibus Sancti Iob labia eius integra dereliquit, vt haberet poſitus in tormentis.* Si Iobus in tormentis poſitus labiis cogeretur non vti: Diabolus Dei iuſſis videretur aliquomodò contraire, quandoquidem grauius ipſâ morte eſſet lingua priuari, & dolorum flammis aduri. Ergo ne abſtulerit vitam, auſus non eſt impedire querelam. Adde aliquando eò prorupiſſe malitiam, eò audaciam, vt ſatis non ſit infelici iniuriiſque diuexato tacere; ſed opus ſit non ſolùm non gemere; ſed cantare.

Cùm Babylonij durâ captiuitate Iſraëlitas pre- 175.
merent, illi à delicioſa & chara patria, à dulciſſimis laribus abducti vberibus lachrymis ſolabantur dolorem: *Super flumina Babylonis illic ſedimus &* Pſal. 136. v.1.
fleuimus, cùm recordaremur tui Sion. Solitudine vtentes vberes fundebant lachrymas, & cordis ſibi manifeſtabant anguſtias. Verùm iniquiſſimi hoſtes ne hoc ſolatio vterentur, eos iubebant organa pulſare, & tyrannorum illos prementium aures concentibus demulcere: *Illic interrogauerunt nos, qui captiuos duxerunt nos, verba cantionum, & qui abduxerunt nos: Hymnum cantate nobis de canticis Sion.* Vt benemerentibus, vt beneficiis cogebantur blandiri, & cantionibus oblectare. Itaque opus erat lætis cantionibus alacritatem mentiri, & cordis dolorem premere: Babylonij, quo nouam acerbitatem calamitatibus adderent, captiuis imperabant non gemere, ſed cantare. Quàm erat vincto iniuriiſque affecto acerbum oblectare inimicum cantus melodia, & blandiri dulciſſima cantilena: *Inſſerunt nos canere*, exponit Euthym. ad hunc lo-
cum, *cupientes nimirùm cantu noſtro delectari.* O Euthym.
feralem truculentiam! O artificioſè excogitatam nequitiam! iugo oppreſſos, violentia diuexatos, catenis incluſos cogere ad procuranda oppreſſoribus oblectamenta, & ad exhibenda vt benefactoribus obſequioſiſſima officia.

---

§. LXI.

Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam; diſcedet, ſi aſſequatur maiorem copiam.

DVlciſſimum eſt amicitiæ vinculum: amicus 176.
amico, ſi fidelis, copioſa felicitatum vena, ſcatens indeſinenter bonorum copia. Habet certè amicitiæ vſus eximiam voluptatem; ſed tunc ſolùm, cùm purus amor vnit corda, & nihil adulteri-
num affectiones obſcurat: *Anima Ionathæ conglu-* 1. Reg. 18. v.1.
tinata eſt animæ Dauid. Quæ conglutinantur, ſtrictiſſimè, quin aliquid intercedat, vniuntur: non eſſet ſæculis in exemplum Ionathæ cum Dauide amicitia, ſi aliud præter amoris gluten animas coadunaſſet, & corda vinxiſſet: nam amicitię, quas temporarias vocant, fallunt ſpecioſo vocabulo, & imponunt credulo. Qui cauſa vtilitatis præſtitit obſequium, ſi plus diſſenſio promittat, non dubitabit exhibere ſe contrarium. Opportunè Seneca epiſt.
9. *Qui amicus eſſe cœpit, quia expedit, placebit ei* Seneca.
aliquod pretium contra amicitiam, ſi vllum in illa placet pretium præter ipſam. De ſe ipſo queratur, qui non ignorans acceſſiſſe ob vtilitatem, amicum in amicitiam recepit, quando debuiſſet agnoſcere pretium ſolummodò attendiſſe, & ſtaturum pro parte ſibi vtiliore. Micham videbis copioſis lachrymis exundantem; quia Sacerdos in patrem filiúmque admiſſus teraphim, Ephod, & idola rapuit, & cum Danitis in Lais ciuitatem ſe recepit. Danitæ ſic illum alloquuntur: *Veni nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem. Quid tibi meliùs eſt, vt ſis Sacerdos in domo vnius viri, an in vna tribu, & familia in Iſraël?* Vbi ſibi commodius eſſe coniecit, ceſſit, & ſculptile profectus tulit: *Quod cùm audiſſet, acquieuit ſermonibus eorum, & tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt*

Digitized by Google

eſt cum eis. Luget Michas: conclamans raptores ſecutus; ſed luget inutiliter, quia Sacerdotem admiſerat imprudenter: *Et poſt tergum clamare cœperunt.* Si prudens eſſet, non plorasset, quia luctus cauſam in domum non admiſiſſet. Declinarat in eius domum Leuita ille, & de itinere rogatus reſpondet; *Vado vt habitem, vbi potuero, & vtile mihi eſſe perſpexero. Dixitque Michas: Mane apud me, & eſto mihi parens ac Sacerdos.* Vtilitate perſuaſus familiaris manſit, & amicus; imò cenſum filiorum redactus: *Fuit illi quaſi vnus è filiis.* Quàm Michas cæcutiuit incautus, quando ex ipſis Leuitæ verbis & futura coniicere, & indubiè poterat diuinare. Nil expectandum fuit ab homine vtilitate ſolùm conſulente, & ob illam ipſam religionem violante. Opportunè Arias
Montan. Montan. *Leuita iuuenis iſte ventris, & gloriæ gratia Sacerdotium immeritus, atque indignus prorſúſque ineptus oblatum ſibi vſurpauerat; magis adeò mercedis & quæſtus, quàm religionis aut pietatis rationem habiturus. Quare nil mirandum, ſi nunc pinguioris, vt dici ſolet, ſacerdotij opinione, & ſpe non modò eum, à quo beneficium acceperat, deſerat; ſed & ſpoliari, ac diripi patiatur.* Pinguior ſpes ſpebus ſtudentem allexit, & iniuriam benefactori, & amico irrogare perſuaſit.

117. Aliter veræ honeſtæque amicitiæ vinculo confœderatis accidiſſe videbis: nullis incommodis fraudulenter ſeparantur; imò quaſi vnus ſpiritus duo corpora informet, idem ſentiunt, idem amant, diſſidiorum contentionibus non disiuncti, nec doloſis cupiditatibus alienari. Sponſus ſibi gratulabatur hanc cum Eccleſia amicitiam contraxiſſe:
C... v. 1. *Quàm pulchra es amica mea! Quàm pulchra es!* Et iterùm: *Pulchra es amica mea, ſuauis, & de-*
Cantic. 6. v. 7. *cora, ſicut Ieruſalem, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Adhuc impetita pecuniæ, aurique adſultibus acies ordinata ſtabit, nec vllam cupiditatis irruptionem admittet: adhuc expugnata crebris laboribus perdurabit amica: quia omnibus ſe degeneribus concupiſcentiis denudans ſolùm amat, vt amet, nec falſatò amore blanditur; honeſtum quærit puriſſimi amoris commercium, non indignum quæritat lucrum. Ita Gregor. ad 6. Cantic.
Gregor. *Charitate conglutinatur, vt nihil extra Chriſtum diligat, & eum ſibi familiariter fide & amore inſeparabilem teneat: ideò ſubiungit: Ego dilecto meo, & dilectus meus mihi, qui paſcitur inter lilia.* Subnectit: *Iam amicam factam, iam ſponſam ſibi coniunctam ſponſus alloquitur congratulans, & dicens: Pulchra es amica mea, & ſuauis & decora.* Vt perfectus amor reſplendeat, ſponſa ſolum ſponſum diligit, nec quid ſibi præter tenerè dilectum quærit. Vide quid dicat: *Ego dilecto meo,* id eſt, non illum mihi amo; ſed me illi: ergo vbi nec vtilitas quæritur, nec aliud præter amicitiæ honeſtatem adamatur, inſuperabilis amor relucet, vt quem nec vtilitas de ſtatione deiiciat, nec adulteret propria commoditas, nec captioſa mentiatur falſitas.

118. Ex illorum grege, qui ſectantur lucrum, erat Iudas Domini amicitiam profeſſus, dum loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat, & ſibi clanculum ſubripiebat; aſt cùm Magdalena pretioſiſſimo vnguento magiſtri pedes vnxiſſet, indignans tulit officium, quod in ſuum arbitrabatur diſpen-
Ioan. 12. v. 5. dium: *Quare vnguentum hoc non venit trecentis denariis, & datum eſt egenis?* Adnectit Ioannes: *Dixit autem hoc non quia de egenis pertinebat ad eum; ſed quia fur erat, & loculos habens ea, quæ mittebantur, portabat.* Chriſti adhærebat lateri; ſed vt inſeruiret exoculatæ auaritiæ: affectab t conſortium; ſed amabat lucrum. Quod & effectus manifeſtiſſimè oſtendit: vt enim Sacerdotes, populique Principes argenteorum promiſſione impetierunt, facillimè amicitiam expugnarunt: *Con-*
ſtituerunt ei triginta argenteos, & exinde quærebat Matth. 26. v. 15.
opportunitatem, vt eum traderet. Expende illud *exinde:* id eſt, vt nouit poſſe maius adipiſci lucrum ad inimicorum caſtra ſe proripiens, quàm lateri Chriſti adhærens, arma contrà ipſum conuertit, quod Chriſtus Dominus amicum vocans manifeſtauit: *Dixit illi Ieſus: Amice, ad quid veniſti?* Matth. 26. v. 49.
Amicum appellat, vt amicitiam ſugillet: ex his erat amicis Iudas, qui amicitia pro hamo vtuntur, vt commoda expiſcentur: ergo maius pretium de amico conſtituit proditorem, de ſocio aduerſarium, de collaterali inimicum. Quàm aptè dixit datus iam Seneca! *Qui ſe ſpectat, & propter hoc ad amicitiam venit, malè cogitat: quemadmodum* Seneca.
cœpit, ſic deſinet. Hæ ſunt amicitiæ, quas temporarias populus appellat: qui cauſa vtilitatis aſſumptus eſt, tamdiu placebit, quamdiu vtilis fuerit. Se ipſum ſpectabat Iudas, dum amicitiam colebat: ergo ſic deſiuit: vbi maius interceſſit pretium, diſruptum eſt amicitiæ vinculum. Vt in lapide Lydio probatur aurum, ſic in auro probatus Iudas agnitus eſt amicus ſubæratus, & verè cupidus. *Ecce Iudas vnus de duodecim venit,* inquit Rhemig. apud D. Thomam ad Matth 26. *vnus vi-*
delicet numero, non merito: hoc autem dixit ad Rhemig.
oſtendendum immane facinus illius, qui de Apoſtolicâ dignitate factus fuerat proditor. Erat amicus numero, ſed non merito: carebat prorſus amicitiâ, vtebatur menſâ.

Mihi crede, niſi omne ſpe denudetur amicus, ad 179.
amicitiæ culmum non peruenies, nec amicitiæ generoſam merebitur laudem. Hinc diſces, cur Dominus Abrahamum tentarit, & Iſaacum tot annorum tractibus expectatum iugulare præceperit:
Tentauit Deus Abraham. Tentauit, non vt ipſe Geneſ. 22. v. 1.
aliquid ſciret; ſed vt conſuleret tentato: opus erat vt ab omni prorſus labe cupiditatis reſplenderet immunis, qui elogium mereretur amici: ergo purget his tentaminibus probatus, dum offert ſpem, quam anteà ad ſpeciem pectoribus fouerat. Apparuerat illi Deus protectionem ſuam, auxiliúmque
offerens: *Ego protector tuus ſum, & merces tua* Gene. 15. v. 1.
magna nimis. Abraham, vt videtur, vltra ipſum amicum aliquid concupiuit, & deſiderium expreſſit: *Domine Deus meus quid dabis mihi? Ego vadam abſque liberis.* Colebat amicitiam; ſed ſuſcipiendi filium ſpebus: ergo, ne malignitas non verum criminaretur amicum; ſed lucri ſpecioſo amicitiæ nomine ſtudioſum, oportuit filium poſtponere, & Deo ſolummodo attendere. Fuiſſe hanc tentationis cauſam teſtatur Oleaſt. in litterâ ad 15.
Geneſ. *Domine Deus quid dabis mihi? Verba vi-* Oleaſter.
dentur eſſe diffidentis verbis Domini, à quibus poſteà fidens, & credens purgatur. Annectit in eodem capite ad mores: *Mihi non dediſti ſemen: verba videntur anxietate plena.* Aliquid vltra ipſum amicum optauit, filium ſcilicet: ergo ni filium, hoc eſt, ſpem iuguler temporalem, perfecto amici reſplendere nequibit elogio, ſed ambito ad ſpeciem obſcurabitur lucro. Itaque vt in Abrahamo veræ amicitiæ nos edoceret leges, filium, quem deſiderarat, iugulari præcepit, & tunc verè amicum dixit, cùm ſpem in amici obſequium præcidere non dubitauit.

Digitized by Google

§. XLII.

Non ſemel, quem contrà ius fáſque quis ad dignitatem euexit, ſibi peſtem infenſiſſimam tulit.

180. ELectio de meritis veniens eſt eligentis hone-ſtum lucrum, & ſumptuoſiùs electi præconium: de electi moribus pro eligente fertur, iudicium, & in proprium cedit probrum alienum erratum: *Per milites ſuos*; aiebat Caſſiod. 12. var. *index intelligitur, & ſicut diſcipuli magiſtri ſcientiam produnt, ſic nos obſequentium mon mores aperiunt.* Addit: *Periclitamur; fateor, in actionibus veſtris, ſi vos mala intentione tractetis: quod nulli accidit veſtrum; alienum vitium, noſtrum celebratur opprobrium.* Miles à iudice electus, iudex à Principe deſtinatus morum eligentium indices, & vocaliſſimi ſunt præcones. At contrà indignè electus non ſolùm eligentis mores obſcurat; ſed & errorem in eligendo non ſemel digna animaduerſione compenſat. Peregrinabatur Leuita, cúmque ad Michæ domum diuertiſſet, contrà ius fáſque in idoli Sacerdotem euexit: *Impleuit Michas manum eius, & habuit puerum Sacerdotem apud ſe.* Sacerdos à Micha electus eius mores indicabat, & vocali dignitate, qualis eſſet Michas, omnibus referebat. Sacerdos hic non multo poſt Danitarum conſiliis acquieſcens, omnia ſecum tulit, & Micham penitus diſpoliauit: *Tulit Ephod, & idola, ac ſculptile, & profectus eſt cum eis.* Ab ipſo, quem elegerat, ingentiſſimum tulit damnum, & electum expertus eſt inimicum. Notauit Theodor. apud gloſſam. *Vir iſte contrà legem fecit: nam cùm Deus fixiſſet tabernaculum in Silo, in alio loco fungebatur ſuo munere præter legem. Prætereà manufactis idolis offerebat ſacrificia...Lex prohibuit Leuitis, ne ſacerdotali munere fungerentur; ſed miſit eos miniſtrare Sacerdotibus: fuit etiam ingratus in eum, qui ipſum coluerat: nam fraude acceptis inſtrumentis ſecutus eſt eos, qui erant ex tribu Dan.* Omnia diripuit, abſtulitque contrà legem electus, & idolis iniquè adſcriptus, quo dignam Michas tulerit electione pœnam, & illata pœnâ ambitionis puniuerit electus meritiſſimè culpam. Per iniqui miniſtri manus iniquè voluit gratiam ſibi idoli conciliare, & contigit idolum ipſum per eaſdem illas manus amittere: indignis mediis vſus elaborauit ſibi dolorem; & inopinam maturauit calamitatem: ab illo ipſo grauiſſimum ſupplicium tulit, quem contrà ius fáſque ad Sacerdotij culmen euexit. Opportunè Arias Montanus hîc: *Sacerdotium immeritus, atque indignus, prorſúſque ineptus oblatum ſibi vſurpauerat.* Subjicit: *Quare nil mirandum, ſi nunc pinguioris; vti dici ſolet; Sacerdotij opinione, & ſpe non modò eum, à quo beneficium acceperat, deſerat; ſed & ſpoliari, ac diripi patiatur.* Electus contrà ius fáſque pœnam intulit electori Deo prouidente, vt ipſa fuerit ambitio dura ambitionis mulctatio.

Caſſiodor. Iudic. 17. v. 12. Theodor. Montan.

181. Non ſine arcano myſterio exiſtimo vitulum in cineres redactum Moyſem delinquentibus propinaſſe: brutum & quidem inter animalia tardigradum in Deum inaugurauerant, fors, vt plus ſuæ adſcriberet poteſtati, quo diſtantior erat vitulus à Deitatis ſplendore: *Dixerunt: Hi ſunt Dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terrâ Ægypti.* Ergo ipſum vitulum conſtituit Moyſes carnificem, & ad mortem deſignatorem. Vitulum dediſſe in iudicium teſtatur Rupert. lib. 4. in Exodum cap. 27. *Aiunt quidam quod aureum vitulum in puluerem redactum in potu illis in indicium dederit: & hoc facto qui auctores fuerunt ſceleris, aureis prominentibus labiis publicati vel deprehenſi.* Vitulus qui ad ſpeciem præbere tenebatur auxilium, electores vocali puluere publicabat ad tormentum, & qui videbatur patronus, extitit accuſator, vt ab eo ipſo experirentur criminis pœnam, à quo ambitioſam electionis expetiuerant gloriam. Serpentes venenatis linguis flammanti halitu in murmuratores deſæuiunt, nec tot referuntur veneno infecti, vt publicante vitulo iugulati: *Ceciderunt*, inquit textus, *in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Nullum venenum adeò lethale fuit vt indignè electus, & ſpretis legibus ad lumina dignitatis elatus.

Exod. 32. 4. Rupert.

Sibi in principem apoſtatæ Angeli elegerunt draconem variis multiplicibúſque diadematis redimientes, & omni ſtudio eius poteſtatem conclamantes: *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem.* Nondum audis ab apoſtatis Angelis coronatum, & vides cauda Stellas obſcurare, & in terram lumine viduatas proijcere: *Et cauda eius trahebat tertiam partem Stellarum cæli, & miſit eas in terram.* Serpens quovſque coronaretur, aſtutia allexit, alliciendóque traxit; ſed iam diadematis coronatus in ipſas Stellas eius partes ſecutas armatur ſæuus! arbitrabantur ſydera lucem ſuam de Luciferi auxilio promouendam, nec tenebrarum caliginibus deturpandam: ergò dum Luciferum in principem eligunt vana lucendi ſpe, miſerando labuntur caſu: ab eo ipſo Lucifero truculentiam draconis affectante in terram ingemunt proculcatæ ac deiectæ, à quo arbitrabantur ampliſſimis auxiliis contrà tenebrarum caligines fore ſuffulciendas, & nouis ſuperadditis ſplendoribus munerandas. *Hiſtorialiter*, inquit Anſelm. ad hunc locum, *erit quod Anti-Chriſto adhærebunt decem reges, quibus cæteri reſpondebunt.* Et Ambroſius hic: *Diademata regiam eius poteſtatem deſignant: ipſe eſt enim rex, ſicut dicit Scriptura ſuper omnes filios ſuperbiæ*: filij ſuperbiæ draconem extulerunt, à quo receperunt ſuperbiæ pœnam paſſi abiectionem turpiſſimam. Quàm aliter contigit Stellis illis mulieris caput radiis candidiſſimis redimientibus! Non obſcurantur caliginoſæ noctis turbinibus; ſed placido Solis iubare emicant circumfuſæ, & auguſtiori oculos pulchritudine alliciunt ſemper ſplendidæ. Quod notauit Bernardus de ſigno magno ſerm. 100. *Dignum planè ſtellis coronari caput, quod & ipſa longè clariùs micans ornet eas potiùs, quàm ornetur ab eis. Quid ni coronent ſydera, quam Sol veſtit?* Dum coronati digniſſimam laudabiliter ambitioſis aſtra ſplendoribus rediminut, caſibus producuntur exempla: non trahuntur ſerpentina cauda, non tumida iactantur ſuperbia; ſed rutilant ipſo vertice, quem coronant. Quàm alius fuit, harum, & illarum ſtatus! Illæ, dum indignum Luciferum promouent, deturpatæ ſordibus lugent; hæ nouis ſplendorum reditibus fulgent: tantùm intereſt inter eligere dignum, aut inaugurare immeritum. 181.

Apoc. 12. v. 3. Anſelm. Ambroſ. Bernard.

Hebræorum Reſpublica, etſi Romano imperio ſubiugata varijs fuerit turbinibus calamitatum oppreſſa, tunc demum miſerabilior luxit, cùm indignum ſibi principem conclamauit; aiebat Pila- 183.

tus;

Digitized by Google

Ioan. 19. v. 10. tus: *Ecce rex veſter*: illi autem reclamabant: *Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem veſtrum crucifigam? Reſponderunt Pontifices: Non habemus regem niſi Cæſarem.* Quem hucvſque patiebantur inuiti, ſpreto modò digno in ſibi Principem conclamarunt Cæſarem Spontanei: ergo qui ante hanc electionem, etſi laboribus preſſi, non modicis dignitatum luminibus vtebantur, iam poſt electionem euerſi, & calamitatibus prorſus referuntur attriti: quem clamabant regem, teſte Chri- Lucæ 19. v. 42. ſto Domino experti ſunt inimicum: *Venient dies in te, & circumdabunt te inimici tui vallo, & circumdabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te.* Quem illi teſtabantur tunc regem, prædixit Chriſtus Dominus fore truculentiſſimum inimicum; & qui ante electionem aliquomodò ſtabant, poſteà ab ipſo electo iacuerunt non ſolùm laboribus onerati; ſed cædibus etiam oppleti: vt ab electo rege electionis conſe- Theophyl. querentur præmium, qui repulerant dignum. Aptè Theophylactus ad Ioannis 19. *Vide quomodò alium regem præter Cæſarem non agnoſcunt, voluntariè ſe Romanorum imperio ſubijcientes, & Dei regnum repellentes: ideò & Deus Romanis tradidit, quos ſibi reges ſalutarant.* A ſe iniuſtè electum truculentiſſimum paſſi ſunt aduerſarium; & Romani, qui Hebræos vi armorum ſubiectos mitiùs anteà tractabant, poſteà voluntariè ſubditos omni cladium genere diuexarunt, & extremis illatis cladibus attriuerunt.

---

§. XLIII.

Vltra fortunæ ditionem opus eſt degere, ſi volueris conſtanti fortunâ vti.

184. PArum intereſt nobilibus laribus oriri, ſi te tibi indecorè ſubieciſti: effœminatus animus: dum otij ſui & cupiditatis non rumpit vincula, ſeruitutis, & quidem abiectæ ſugillatus incedit nota, mancipium generoſo ac libero anima vtens, nobiliter (quod paucis contigit) degenerat, ac ſui dominus eſt: vis noſſe quantum inter huiuſmodi ſeruum & illum interſit dominum? Iſte eſt reuera Dominus, & perſonatus ſeruus; ille reuera ſeruus, & perſonatus eſt dominus: quem mortis percellit metus, quem dolor terrirat, quem cupiditas inflammat, meliore ſui parte caret, dum fucatis fallitur, aut inanibus adurgetur. Quàm benè Se- Seneca. neca epiſt. 82. *Philoſophia circumdanda eſt inex-* Inſuperabilis eſt, quia externa deſeruit. *pugnabilis murus, quem fortuna multis machinis laceſſitum non tranſit. Inſuperabili loco ſtat animus, qui externa deſeruit, & arce ſe ſua vindicat: infra illum omne telum cadit: non habet, vt putamus, fortuna longas manus, neminem occupat, niſi hærentem ſibi.* Cupiditas, ambitio, voluptas, vanitas, libido infortuniis ſubiacent, intra calamitatis ditionem degunt, & ad volubilis rotæ caſum, acri etiam timore angantur neceſſum eſt: qui ab his ſiluit, viuit, ſi non ſecurus, intrepidus, nec cupiditatum experitur inſaniam, nec ambitionis & timoris ſæuitiam: falſa eſt ſecuritas, quam virtutis non muniuit cognitio, & cupiditas depreſſa firmauit. Michas ſibi conſtruxit idolum, & licèt tantiſper malè ſecura tranquillitate ſit vſus, tandem ingemuit cupiditatis ſtimulis agitatus, & idolo ſuo nudus: *Tulit Ephod, & idola, ac ſculptile & profectus eſt cum eis... & cùm iam à domo Michæ eſſent procul, viri, qui habitabant in ædibus Michæ, conclamantes ſecuti ſunt, & poſt tergum clamare cœperunt.* Inſeruiebant idolo: ergo dum potuit auferri, Michas & eius partes ſecuti potuerunt ablatione diuexari: *Michas cum viris ſuis*, inquit Abulenſis quæſt. 16. *Cœperunt clamare* Abulenſ. *poſt tergum illorum.* Aliquo tempore vſus eſt Michas fallaci fortunâ; ſed modò graui dolore exulceratus ingemit idolo ac teraphim obſecutus: diu nequibat anxietate carere: quia illa non poterant diu ſtare: fallax gaudium lamentum peperit, & qui in idoli poſſeſſione ſuam collocarat fortunam, largis ſingultibus deficiente idolo irreparabilem doluit miſeriam. O quam benè Seneca datus: Seneca. *Cùm ſecuros aliquis caſus expertus eſt, exprimitur ſera confeſſio.* Non eſt vera felicitas, quam raptor poteſt auferre, quam iratus poteſt interturbare, quæ ab alieno arbitrio potuit pendere; ſed quam ſibi elaborauit vera rerum cognitio, & ſibi ipſi ſatis liber ac fallaciis exemptus animus.

Eyechieli obijcitur quadriga illa tot ſæculis ce- 185. lebrata, cuius iugo feliciter ſubdiderant animalia collum, quæ ſic propheta refert diſpoſita: *Facies hominis, & facies Leonis à dextris ipſorum* Ezechiel. 1. 10. *quatuor: facies autem bouis à ſiniſtris ipſorum quatuor, & facies aquilæ deſuper ipſorum quatuor.* Pungit ſtatim difficultas, cur videlicet aquila ſuper cætera ceruicem exerat, & emineat. Profectò homo nobilior, nec ignobilior Leo: eſto boui præponatur ruris laboribus addicto; & ſeruituti hominum mancipato; at homini videbatur non præferenda, vtpote qui à Deo fuerit omnium animalium nobilitatus imperio: cur ergo facies aquilæ ſemper vel cùm rota circumuoluitur, & animalium ſitus mutatur? Iam textus explicuit: homo Leóque, etſi imperio donati, partem dexteram ſunt ſecuti: bos tenuit ſiniſtram, aquila verò nec ſiniſtram nouit, nec dexteram: ergo ſuper omnia volitat, dum nec proſperis intumeſcit, nec aduerſis dolet. O quàm omnes fortunæ vultus deſpexit, dum ignara ſiniſtræ, & dextræ ſua ſe arce cælum intuita vindicauit, & infra illam omne varietatis telum cecidit. Ad rem Greg. homil. 4. ſuper Ezechiel. *Quæſtio oritur, cur homo & Leo à* Gregorius. *dextris ipſorum quatuor eſſe perhibetur: nec enim ſine mira ratione eſt, cur duo illa à dextris, & vnum hoc eſſe à ſiniſtris dicitur. Et rurſum quærendum, cur aquila non à dextris, vel ſiniſtris; ſed deſuper ipſorum quatuor memoratur?* Quæſtioni ſibi obiectæ iam reſpondet: *Homo igitur & Leo à dextris, vitulus verò à ſiniſtris eſſe perhibetur: à dextris enim læta; à ſiniſtris verò triſtia habemus: vnde & ſiniſtrum nobis eſſe dicimus hoc quod aduerſum eſſe deputamus.* Dum Leo homóque læta ſequitur, dum hos aduerſis vexatur, nequeunt caput attollere: bouem pluſquam iugum deprimit & timor & dolor: nec homo, Leovè principatu poſſunt liberè vti, dum conſtat dextris ſtudioſè applicari: ibi namque, etſi proſperæ fortunæ arrideat gaudium; timetur aduerſæ ſortis lamentum; at aquila eodem licèt iugo colla ſubdiderit, dum ſiniſtrum & dextrum neſcit, caput exerit nullis quodammodò vinculis preſſa, nec perturbationibus vllis perculſa.

Dum Apoſtoli euntem ad ſuperos Dominum 186. intuentur, ſtare referuntur: *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Actor. 1. v. 11. Dum adſpiciunt cœlum, ſtant, nec ſtare poſſent, ſi ad aliud præterquam cœlum adſpectum dirigerent. Certè non ſtetit, cùm vertícis cupidus aiebat; *Bonum eſt nos hîc eſſe*, teſtante

Digitized by Google

Matth. 17. v. 4. Euangeliſta: *Ceciderunt in faciem ſuam*: hic verò ſtat quia ſolùm cælum attendit: qui cælum adſpicit, qui omnia ſua vota illuc dirigit, iam fortunæ limites transgreſſus, & cælitum mores imitatus nequit cadere, quia feriri nequit. Notauit Bernard. Bernard. apud Tilmanum in allegoriis: *Stare eſt in nullam partem declinare, qui ſtatus velut quadrus lapis inuenitur quadriformis, id eſt, ſuperiùs amando cæleſtia, inferiùs contemnendo terrena, à dextris vilipendendo proſpera, à ſiniſtris æquanimiter ſuſtinendo contraria.* Qui ſic ſtant, iam, etſi aliquatenus nube lucida obtectum, intuentur Dominum, iam cæleſtia delibant, iam cum Sacris conuerſantur ſpiritibus, iam nullis concutiuntur aduerſis caſibus: ſtant, quia ſe ſubduxerunt varietatis telis, & male ſecuris proſperitatis gaudiis: Adde vel manu omnipotentiæ æmulâ auxiliante nullum ſtare poſſe, ſi cupiditatis pondus deprimat, ſi terrenorum amor detineat.

187. Aſcendebant templum Ioannes & Petrus, cùm in deſidioſum claudum inciderunt; ille miſeriam exaggerans, nouercæ naturæ diritatem ponderans, repetitis clamoribus eleemoſynam rogabat accipere, cùm Petrus in eos iubet totis viribus intendere: Actor. 3. v. 4. *Reſpice in nos.* Adhuc admonitus nondum cupiditate eſt exutus: *At ille intendebat in eos ſperans ſe aliquid accepturum ab eis*: negat Petrus aurum, aut argentum ſe habere, & hac præmiſſa confeſſione manum extendit, & pauperem alleuauit: *Argentum, & aurum non eſt mihi; quod autem habeo, hoc tibi do: in nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Et apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum.* Omnia myſteriis ſunt plena: pro Ioanne etiam reſpondit Petrus, dum ſibi nec aurum, aut argentum eſſe affirmauit: nam qualis Princeps, tales & ſubiecti ſunt: ſperabat ab eis claudus; ſed omnem ſpem excluſit, dum pauperiorem ſe oſtendit, à Ioanne nil temporale ſperandum, ſi Petrus auro careat, ſi non grauetur argento; verùm inquiramus, cur omnem pauperis ſpem excluſerit, anteaquam greſſum pauperis reformarit: ſi manus eius ſalutem infundit, quid oberit ſtipem ſperauerit pauper? Ad hæc cur imitatus magiſtrum pedes noxâ preſſos non tangit; ſed dexteram apprehendit? Certè Dominus cæleſti collyrio cæci iniunxit oculos, vt refunderet viſum: ergo Petrus pedes tangat, vt præſtiterit etiam greſſum. O cæleſtem doctrinam! Omni priùs cupiditate denudat, vt ſtare poſſit: dexteram, quam ſolent pauperes ad accipiendum extendere, occupat, orbitatem auri & argenti profeſſus deſiderium reprimit, & omni cupiditate expulſa iam claudus ad inſtar ceruorum ſalit. Expendit miro Baſil. ingenio Baſilius Seleucienſis orat. 21. *Deſidioſum claudum iubet nonnihil lucelli curam remittere: Ne, inquit, obolos modò quæſiueris.* Timuit ſi cum Apoſtolica manu congrederetur cupiditas, hominem pondere oppreſſum, ſolo affixum remanſurum: ergo vt Apoſtolica manus leuarit, cupiditas non depreſſerit: nec enim poteſt non iacere, qui humana nunquam deſiuit ſitire.

§. XLIV.

Deo priuatus, etſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet, & nudus.

188. Adeò hominem vitium à veritatis tramite auertit, ſic à mentis arce deturbauit prudentiam, ſic rationem infatuauit, vt ſolidæ felicitatis viam ignorarit, aut ad illam peruenire metuerit. Antiquitus in hortulorum aditu legebatur: *Hoſpes hîc benè manebis, hic ſummum bonum voluptas eſt.* Epicurus, dum voluptatem commendat, virtutem amandat: auro onuſtum, & honoribus nobilitatum vulgus deprædicat beatum, ac demiratur feliciſſimum: & quidem eiuſmodi errores intruſit ignorantia, aut affectauit malitia; quo virtutis tædium, & deliciarum innutriet ſtudium: quòd & contigit, quandoquidem nil minus curant, quàm quod ſtudioſiùs ſolicitare mortales debuiſſent: nempe ſe ſibi reddere, & virtutibus exornari: quia rationis lumen nequeunt prorſus extinguere, probant honeſta; ſed quia ſe vitiis dediderunt, ſectantur voluptuoſa. Eo peruenit non ſolùm error; ſed errandi amor, vt virtuti vereantur accedere, ne à fucata felicitate contingat Senec. abiungi. Benè Senec. epiſt. 21. *Cum propoſuiſti tibi illam ſecuritatem, ad quam tranſiturus es, retinet te huius vitæ, à qua receſſurus es, fulgor tamquam in ſordida & obſcura caſurum: Erras Lucili: ex hac vita ad illam aſcenditur: quod intereſt inter ſplendorem & lucem, cùm hæc certam originem habeat, ac ſuam, ille niteat alieno; hoc inter hanc vitam, & illam.* Honores, voluptates, diuitiæ ſic grato oculis fulgore imponunt, vt quiſquis hæc fuerit ſortitus, ab omnibus deprædicetur beatus, cum ſola virtus felicem ac beatum poſſidentem efficiat. Cogita innumeris diuitiis plenum, voluptatibus fruitum, honoribus nobilitatum, Deo tamen carentem: hic profectò miſer & infelix eſt: è contra ſi pannoſus & nudus animum virtutibus excultum poſſideat, inuidendus emicat & prædicandus. Teſtatur hanc veritatem exertis clamoribus Michas: cùm hoſpitio Danitas humaniſſimè recepiſſet, vt ſolent milites, rependerunt mercedem, auferentes ſcilicet Ephod, Teraphim, imagunculas, & quidquid ad religionis cultum pertinebat: ille furti conſcius profuſis eos inſequebatur lachrymis & querelis: cauſam rogarunt, quaſi nullius delicti conſcij: *Qui cùm reſpexiſſent, dixerunt ad Micham: Quid tibi vis, cur clamas?* Ille dolore perculſus in has erupit voces: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Nihil tulerant ex Michæ reliquis facultatibus; verùm ſe omnibus diſpoliatum deplorabat, vt qui noſſet auri diuitiarumque copiam felicitatem non afferre Deo carentibus, & quidem, ſi vero Deo fuiſſet priuatus; iuſtiſſima ingemiſceret cauſa, & pulſaret cælum quærelâ, quandoquidem reliqua omnia parui reſpectu numinis æſtimanda, imò nihili ſunt Abulenſ. habenda. Ita Abulenſis quæſt. 16. *Et omnia, quæ habeo: ſcilicet ablatis iſtis non habeo alia bona: multa alia bona maioris valoris habebat Michas; reputabat tamen omnia bona ſua eſſe in idolis illis.* Deluſus putabat idolum Deum: ergo eo priuatus nihil ſibi credidit remanere, quandoquidem cætera fucata & extrinſeca, & nullatenus permanentia. Profectò Michæ error noſtram ſtupiditatem condemnat, dum edocet, ſine Deo cætera, quantumuis plenis fortunæ manibus dilargita, parui æſtimanda, nec ad veram ac ſolidam felicitatem vllatenus exambienda.

Miris coloribus, elegantique penicillo hanc ve- 189.
ritatem expreſſit Ioannes Euangeliſta 12. Apocalypſis: ibi draconem depingit quantitate magnum, multis diadematis redimitum, & ſtellarum Apocal. 12. v. 3. fulgoribus quodammodò inſertum: *Ecce draco*

magnus

Digitized by Google

magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli. Profectò ſecum reluctantia ad ſpeciem coniunxiſſe videatur Apoſtolus, quandoquidem diadematis coronati, ſtellarum luminibus refulgere ad fortunæ cumulum ſpectat: cùm ex alia parte ſerpens maledictis, execrationibuſque, ac turpi proreprationi fuerit addictus, & condemnatus. Si
Geneſ. 3. v. 14. Dominus ſerpentem maledictis onerat: *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ: ſuper pectus tuum gradieris, & terram comedes cunctis diebus vitæ tuæ*: quomodò mitis ſplendoribus fulget redimitus, & coronis ferè innumeris ad ſpeciem nobilitatus? O profundam nobis eruditionem! Lucifer coronis exundat regalibus, luminoſis dominatur ſyderibus; at Deo caret: ergo ſerpentis facie depingitur, quò maledictus & ſordidus agnoſcatur: vtrumque ad noſtram eruditionem coniunxit Ioannes, ſerpentinam ſcilicet ſpeciem, & luminum ſplendorem; vt noſceremus etiam feliciſſima fortuna vſos, diuitiis, & honoribus exteriùs nobilitatos, ſi Deo caruerint, eſſe infortunatos & maledictos: ſerpens exteriùs nitet; ſed interius ſordet: ergo ſummè infelix eſt, quandoquidem nec ſententiam numinis poteſt euadere, nec diuitiarum aut ſplendorum cumulo maledictionem minuere: *Habens capita ſeptem*, ex-
Anſelm. ponit Anſelmus, *principes vniuerſos, per quos operatur, & cornua decem, id eſt, decem regna.* Ad-
Diuitiæ legem oppugnant. nectit: *Vel decem cornua dicantur diuitiæ, quibus potentes decalogum impugnant.* Dum legem violat, dum cælo, & numini bellum parat, prolabitur maledictus, quantumvis niteat diuitiis, & honoribus fugaciſſimis exornatus.

190. Moyſes populum intuetur flagris inhumaniſſimè proſciſſum, æſtuantis fornacis fumo ſordidatum, nec tamen deſpicit vti vile mancipium; ſed honorat veluti numinis primogenitum: *Hæc*
Exod. 4. v. 22. *dicit Dominus: Filius meus primogenitus Iſraël.* Profectò Ægyptiæ exetrationes, obſcuræ laterum ſordes, altiſſimæ flagellorum plagæ non primogenitum teſtabantur; ſed viliſſimum mancipium. Sanè primogeniti ad generis dominatum inueniuntur editi, & duplicem diuitiarum partem ſortiti: ſi ergo Iſraël tantum diſtat à primogeniti honore, cur primogenitus nuncupetur, & honoris titulis inſigniatur *Primogenitus meus Iſraël.* Ad hæc: ſi Moyſes ſuſpicit hic populum vti primogenitum, cur Exodi 32. diuitiis plenum, trephæis onuſtum, auro diuitatum contemnat vt nudum, & reputa-
Exod. 32. v. 25. tit miſerrimum: *Videns Moyſes populum, quòd eſſet nudatus.* Inaures, annuloſque obtulerant; ſed adhuc in vitiolo illo perſeuerabant; imò licèt eis caruerint, multis & copioſiſſimis diuitiarum cumulis exundabant: quomodo ergo ſic ſtylum peruertit, vt iugo oppreſſum primogeniti honoribus ſuſpiciat nobilitatum, & hic honoribus, & ſpoliis nobilitatum deſpiciat vt ſordeſcentem & nudum? ſolutio facilis: quia in Ægypto carebat externis facultatibus; ſed internis emicabat virtutibus; in deſerto verò internis nudatus erat virtutibus, & externis fulgebat auri ſplendoribus. Ergo Moyſes, qui vt fas erat, de rebus tulit ſententiam, Deo adhærentem ſuſpexit honoratiſſimum, ſine Deo inter diuitiarum copias aſpernatus eſt
Lyra. ſordidum & abiectum: *Spoliauerat eum Aaron,* inquit Lyra, *in ignominiam ſordis, id eſt fabricationem vituli, quod nomine ſordis & ignominia appellatur in Scriptura Veteris Teſtamenti.* Vitulum ſortitus aureum ignominiâ ſordeſcit plenus, qui inter verbera & Ægyptiorum iniurias reſplendebat primogeniti nobilitate honoratus: vt noueris ſine Deo reliqua omnia nullius eſſe valoris, cum eoque, etſi cætera deſint, ſortiti homines ſolidam felicitatem, & ſplendidam fortunam. Verùm ea, vt dicebam, homines tenet amentia, vt ab externis felicitatem metiantur, & cui maior diuitiarum, honorumque copia, & ſplendidior familia, prædicent fortunatum: & crediderint feliciſſimum.

Malachias ob iniquam de rebus à populo ſen- 191.
tentiam Deum teſtatur grauiſſimè offenſum, quandoquidem felicitatem metiebantur non de virtute; ſed de honorum diuitiarumque quantitate: *La-* Malach. 2. v. 17.
borare feciſtis Dominum in ſermonibus veſtris. Videbant gentes commodis omnibus exundantes, & idolis inſeruientes: ergo ſe deplorabant miſeros, & vicinos extollebant beatos: nullam namque virtutis rationem habentes fortunam taxabant ex auro, ex honore, ex ſalute: ergo iniquo iudicio Deum affligebant, & ad iram prouocabant. Audi
Hieronymum ad hunc locum: *Reuerſus populus* Hieronym.
de Babylone & videns cunctas in circuitu nationes, ipſoſque Babylonios idolis ſeruientes abundare diuitiis, vigere corporibus, omnia, quæ bona putantur in ſæculo, poſſidere; ſe verò qui habeat notitiam Dei, ſqualore, inediâ, ſeruitute coopertum, Scandalizatur, & dicit: Non eſt in rebus humanis prouidentia, omnia caſu feruntur incerto. Si æquâ rationis lance res humanas expenderent, inter ſqualores, & ærumnas ſe arbitrarentur beatos, Babylonioſque inter affluentias miſeros; adeò tamen iudicio errabant, vt felicitatem metirentur externis, cùm vera felicitas ſit, etſi cætera deſint, Deum poſſidere, vt infortunium, ſine Deo reliquis omnibus exundare.

§. XLV.

Deus non eſt, qui violenter potuit auferri, nec valuit anxiis clamoribus reuocari.

VEra felicitas extra fortunæ limites iacet, ra- 192.
pacitati virtus ſubiecta non eſt. Magnanimos nos natura produxit, & vt quibuſdam animalibus ferum dedit, quibuſdam ſubdolum, quibuſdam pauidum, ita nobis glorioſum, & excelſum Spiritum: quem, ſi volumus, & honeſtiſſimè, & tutiſſimè licet poſſidere: ſapiens omnium eſt Dominus, nec ſolum dominatur ſublunatibus; ſed ſyderibus: nulli ſe rei: quæ violenter eripi poſſit, ſubmittit: vnde ſapiens ille: *Omnia bona mea*; aiebat, *mecum porto.* Dominus fuit tyrannus vitæ; ſed etſi auferre potuerit vitam, ius in virtutem non habuit: *Vides*, aiebat Seneca de Catone
loquens epiſt. 104. *Honorem & notam poſſe con-* Seneca.
temni, eodem, quo repulſus eſt die in comitio, pilâ luſit. Vides poſſe non timeri potentiam ſuperiorum: Pompeium, & Cæſarem, quorum nemo alterum offendere audebat, niſi vt alterum demereretur, ſimul prouocauit, Vides tam mortem poſſe contemni, quam exilium. Si liberet nobis collum infami cupiditatis iugo ſubducere: ſi eneruí renuntiaremus voluptati, ſi effœminatis opibus, quæ auctoramenta ſunt ſeruitutis, ſi faſtigium & aurum, & quidquid aliud felices ad ſpeciem domos onerat; relinqueremus, frueremur inconcuſſa libertate

nulli

Digitized by Google

nulli fortunæ ſubiecta, nec adſultibus inimicorum expoſita. Clamantem audiet Micham idolis diſpoliatum, quos demens pro Deo colebat: *Quid tibi vis? Cur clamas?* rogant Danitæ: ad quod ille: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Factitius erat Deus, qui potuit ab aduerſariis violenter auferri, & quem Michas non valuit tot clamoribus reuocare. O miſerum Micham, qui pro Deo colebat, quod ipſo inuito in aduerſariorum manus poterat deuenire, nec ſemel amiſſum licebat anxiis clamoribus reuocare. Profectò ſi vera virtute ornaretur prædatrices non vereretur manus; imò ſi fortè amiſſum, debitis reuocaret clamoribus: *Ecce*, aiebat Abulenſis quæſt. 16. *quàm impudicè* Abulenſ. *Michas, & inſipienter locutus eſt: nam ſi dij erant, non erant facti, vel ſi facti erant, non erant dij: cur ergo ſtolidè ſic loqueris neſciens quid expoſcas? Rectè enim fruſtra clamanti tibi obijcere poteſt turba Danitarum, nullos Deos ſuſrepiſſe: ſi ergo aliquid petis, ſimulacra pete, & incommunicabile Dei nomen ſimulacro non communices, præſertim cùm in verbis tuis contradictionem apertiſſimam innuas dicens, Deos à te factos ablatos fuiſſe.* Amaris lachrymis Michæ ad inſtar lugemus ſæpè idola noſtra rapta; ſed dum lugemus rapta, eſſe oſtendimus idola: falſi colimus vti diuina, quæ reuera, & volatica, & alienæ auiditati inueniuntur expoſita: virtus ſui iuris eſt, ni tu ipſe eam tibi ſubripias, cordéque depellas, nullus auferet. Sapiens, qui virtutem colit, nunquam ſe inuitè fraudatum dolebit, quandoquidem ſola virtus eſt violentiæ exempta, & nullius audaciæ, aut rapacitati expoſita.

193. Cùm Deum Magdalena quæreret, & amiſſum copioſis fletibus deploraret, ab Angelis interrogatur cur ploret: *Mulier, quid ploras?* Illa: *Quia* (Ioan. 20. v. 13.) *tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum*, reſpondit: verùm vt Deum auferri violenter non poſſe, noſceret, iuxta ſe, quem ablatum deplorabat, inuenit: *Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Fidem Deum poſſe inuitè auferri credens aliquomodò confundebat; ſed dum credit ablatum, prudenter recurrit, vt inuenerit, ad lamentum: nam licèt exularit depulſus, rediit facilè vberrimis lachrymis inuitatus. *Perturbationem mulieris reprimunt*, inquit Theophylactus ad hunc locum, *manſuetè ac placide* Theophyl. *dicendo: Mulier quid ploras?* Ac ſi dicant: Turbata es, dum fateris diuinum, & credis ablatum; aſt prudenter doles, dum ablatum credis: nam dum acri dolore ob amiſſionem ingemiſcis perculſa, non poteris diſtare à Domino ſeparata, quandoquidem ipſis lachrymis, quas dolenter effundis, tibi præſentiſſimum habes. Deus non rapitur, ſed amittitur, &, ſi contigit amitti, dubium non eſt veris ſingultibus reuocari.

194. Eliſæus, dum Eliam ſuperna aſcendentem aſpicit, abeſſe dolet, & dolore ſibi ſpiritum acquirit: (4 Reg. 2. v. 12.) *Videbat, & clamabat.* Dum anxietate ictus nudatur, dum lamentis repletur, dubium non eſt, inquit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. ſpiritum fortiri, & ſubductum quodammodò reuocare: Drogo. *Duplex ſpiritus duplo clamat.* Quantumvis ignei equi prophetam tulerint, ſi clamet Eliſæus, ſpiritum non auellent: quia clamor ipſe ſibi reproducit, & trahit. Iam Eliæ ſpiritus remanet Eliſæo inuiſceratus, & doloroſis clamoribus quodammodo reproductus; clamando recuperat, dum amiſſum dolenter clamat. Ergo Michas ſibi imponit, dum arbitratur diuinum, quod clamoribus non reuocauerit perditum.

Iure Diuus Paulus ſeductam atteſtatur mulie- 195.
rem, non Adamum: *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* (1. ad Timoth. 2. v. 13.) Falſa, & ſerpentina doloſitate decepta impoſſibilia credidit, & tentauit. Reperamus hiſtoriam: Cùm arbor illa vetita ſplendido, ac ſapido fructu dileſceret, ſerpens mulieri ſuaſit poſſe diuinitatem furari, & Deo ſimilem furto fieri: *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut* (Geneſ. 3. v. 5.) *dij ſcientes bonum & malum.* O quanta iniquiſſimus dæmon huic prolectationi inſeruit! Si deliquerit, poſſe felicitatem conſequi, fœminæ perſuaſit, & quod mireris adhuc fœminæ fidem habet; delinquendo fore ſe felices ſtulta temeritate præſumunt, & vetitæ arbori accedunt. Certè ſi fructus arboris eſſet diuinitas, ab arbore nequiret rapi, nec audenti manu auferri: ipſa dæmonis verba arborem nullatenus diuinitate exornatam oſtendebant, quando poſſe diuinitate nudari, vaferrimè aſſeuerabant: & quidem ni mulier paſſionum fumo obcæcaretur deluſa, & ambitione obturbata, lucens deprehendiſſet mendacium: audi Baſilium orat. 3. *Quid fugis mulier plantam, cuius ope* Baſil. *Deus eris? Quid cibum, per quem pares cum imperante ſitis, repudiatis? His vocibus auditum ſubuertit*, & ſubuerſam, ac falſam riſit. Adnectit: *Ridebat Diabolus, cùm dedecore Dei conſpurcaſſet imaginem.* Profectò ridenda, & erat mulier, quæ ad diuinitatem inhiabat, & à poſſidente ſe furari poſſe credebat, quandoquidem quidquid virtutis, ita poſſidentis eſt proprium, vt extra arbitrium maneat alienum: aurum, ſalus, filiorum copia continuis ſubiacent varietatibus, & diuerſis mutantur vicibus; virtus verò, ni poſſeſſor depulerit, nullus abſtuliſſe poterit.

Sibi ad ſpeciem contraria prodigus ille pœni- 196.
tentium emblema loquitur: *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius* (Lucæ 15. v. 21.) *tuus.* Si non eſt dignus vocari, nec dignus erit eſſe: cur ego non ait: Non ſum dignus eſſe; ſed appellari? quia ipſa lachrymabili confeſſione, inquit Chryſologus, amiſſum recuperabat, & dum ingemiſcebat amiſſum, iam poſſedit inſtauratum: *Confeſſio*, inquit ſerm. 2. Chryſologus, *patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo: Peccaui in* Chryſol. *cælum, & coram te.* Peccatum diuinum Patrem abſtulerat, ſed pœnitudo iterum conciliauit, & (Pœnitentia quod amiſſum dolet, reſtaurat.) dum vberibus lachrymis ſe filium denegat, ipſa denegatione ſe filium eſſe manifeſtè confirmat: hæc eſt enim mira pœnitentiæ proprietas, quod dolet amiſſum, ipſo dolore iam poſſidet inſtauratum: pœnitudo ergo reddidit patrem filio, & quem culpa in brutorum cenſum redegerat, intimus dolor in hominem mirabili metamorphoſi transformauit, & filiationis gloriam reſculpſit: *Confeſſio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.* Se amiſiſſe quæ erant filij, acri dolore lamentatur perculſus: *Non ſum dignus vocari filius tuus*, ſed lamentis patrem pronuntiat verus: ipſa patris appellatione ſe probat filium, aſtruens quod negat, & negans quod ipſa honeſta negatione ineſſe ſibi confirmat.

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur.

197. MIrum eſt, quàm patienter ſe homines gerant, ſi potentiam vereantur humanam: deglutiunt iniurias, gemitus deuorant, ſuſpiria pectoribus intercludunt: metu grauioris detrimenti ora ſilentio ſigillant, vt patientiâ patientiam redimant. Seneca. *Sapiens*, aiebat Seneca epiſt. 14. *Nunquam potentium iras prouocabit; imò declinabit, non aliter, quàm in nauigando procellam.* Vt nauis procelloſis vndis impetita, & acriùs adſpirantium ventorum flatibus agitata, ni in portum ſe recipiat, miſero naufragio abſorbetur, & pelago deglutitur: ita qui inſanas potentium iras non declinat, ſibi inuidet, & ſua ſibi audacia nocet. Verùm cùm ora poſt acceptas iniurias ob humanæ potentiæ timorem frænentur; ſic delirat humana mens, vt diuinam, ſi non parui pendit potentiam, timore honeſto non colat; ſed effrænis audeat. Deum fatetur omnipotentia præditum; ſed aliter non auderet, ſi prorſus crederet imbecillum. En dum armatorum manus inſtat, dum militum copia ferrum ſtringit, continet ora Michas, & grauioris damni metu vertit acceptis iniuriis terga. Milites ab ipſo humaniter hoſpitio excepti eum diſpoliarunt; & quam ſolent milites, mercedem hoſpitij retulerunt; & compulſus eſt abſtinere à querela timens vlteriora damna. Non ignorabat vti Ephraimita Deum Hebræorum ornatum omnipotentia, & tamen conflauit idolum, conſtruxit teraphim, peruertit Leuitam, initiauit ſacrilegè Iudic. 17. v. 5. Sacerdotem: *Fecit ephod, & teraphim, id eſt veſtem Sacerdotalem, & idola*: aſt cùm hæc omnia armata Danitarum manus abſtulerit, & ipſe raptores clamoribus proſecutus vrgeret; illi, ni tacuerit, graues minitantur pœnas: *Caue, ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Minis deterritus obmutuit, ſilentio ora ſigillauit, & domum, etſi mœſtus repetiuit: *Videns autem Michas quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.* Ecce auſus non eſt ſua repetere humanam potentiam veritus; qui attentauit idola conſtruere diuinum brachium oblitus; longiſſimis interuallis numinis robur humanas euincebat vires, & tamen Michas ab inceptis deſtitit reueritus militarem audaciam, & non deſtitit noſcens numinis Abulenſ. infinitam eſſe potentiam: *Quia erant ſexcenti viri armati*, inquit Abulenſis quæſt. 16. *Et ipſe paucos famulos ſecum habebat, non auſus eſt pugnare contra eos. Reuerſus eſt in domum ſuam, ſcilicet timens, quòd ſi plus clamaret, occideretur.* Humanus timor imperauit ſilentium, diuinus non diſſuadebat idolum.

198. Cùm Daniel cibos regios ſibi ac ſociis conſtitutos non edere decreuiſſet, eunuchorum principem obnixè deprecatus eſt, vt ſibi ſociiſque liceret leguminibus ali: ille etſi lucro alliceretur, reſtitit regis iram extimeſcens; quandoquidem, ſi Daniel 1. v. 10. conſtitutam ipſis, non exhiberi annonam agnoſceret, capite forſan damnaret: *Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum regi.* O quot miniſtrorum modò capita præcidenda, ſi ad id eſſent ſatis vultus pendentium macilenti, & fame conſumpti. Itaque magnus ille Princeps vel mancipiorum vultus attendebat, vt ſi ineſſet dolus, ex aſpectibus venaretur: & ob id miniſtri ſummopere verebantur non ſolùm fraudem texere; ſed vel petentibus legumina annuere. Tranſi modò ad eiuſdem prophetæ cap. 14. Vbi cùm populus quam plurima in numinis à ſe culti alimentum penderet, Sacerdotes miniſtrique idoli omnia inſumebant, ac fraudulenter vorabant: *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies* Daniel 14. v. 2. *ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Quid tunc? *Sacerdotes ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt.* Quàm aliter ſe regius miniſter, & Bel ſe Sacerdotes gerebant! Ille vel cibos renuntiantibus ingerebat, iſti doloſis fraudibus deuorabant: ille verebatur regem, deſpiciebant iſti numen: ille timebat poteſtatem in ſe concitare humanam, iſti aſpernabantur potentiam, quam deluſi arbitrabantur diuinam, vt actionum colore nobis depinxerit Sacra Scriptura, quam homines obliuiſcantur diuinam potentiam, quàm poteſtatem vereantur humanam. *Ait princeps*, inquit Hugo, *eunuchorum ad Danielem: quaſi facerem, quod rogas; ſed timeo ego Dominum meum regem.* Hugo. Lucrum cum timore pugnabat, & timor cupiditatem ſopiebat; aſt Sacerdotibus non perſuaſit timor non furari, cùm aulico perſuaſerit ſine experimentis miraculiſque ſupplicationem ſibi vtilem non audire.

Deus hominem de originis loco exterminat, 199.
quippe deliquerat, & ne iterum audaci manu paradiſi plantas temeret, cuſtodem flammeo armatum gladio conſtituit: *Eiecit Adam, & collocauit* Geneſ. 3. v. 24. *antè paradiſum voluptatis Cherubim; & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Vt exterminare è paradiſo Adamum æquitati erat conſonum, ita Cherubim obarmare videri potuit ſuperfluum. Si Adamus Domini potentiam non ignorans ad pomum vetitum manum extendit, & timorem audaciſſimè proculcauit, minus creaturam timebit, quandoquidem Cherubini non immetata potentia, & potentia numinis infinita: timorem oppoſuerat Dominus audaciæ frænum, virtutis retinaculum, temperantiæ neruum, & nihilominus Adam timoris clauſtra prærupit, & contempta morte venenatæ arbori acceſſit: ergo & accedet modò, quantumuis gladius igneus vitæ minitetur, ſuperfluumque erit ante paradiſi fores Cherubim ſtatuere, quando nihil profuit ipſo in paradiſo degentem mortis timore frænare. O ſapientiam immortalem! Profectò ſi homo æqua rationis lance res penderet, plus caueret numinis potentiam, quàm Cherubini timeret flammam; adeò tamen ab exordio creatam potentiam homines timent, vt, ne iterum Adamus in paradiſum irrumperet, creaturam appoſuerit igne obarmatam, & acuto gladio munitam: & quidem euentus oſtendit quàm aliter homines creatam, & potentiam reuereantur diuinam: non leges Adamum Cherubini timore perculſum tentaſſe paradiſum ingredi, cum dubium non fuerit præcipientem Dominum aſpernari. Huc voco Baſilium Seleucienſem orat. 3. *Excuſſo timore pœnaque ſublata contra Deum bellum conflat.* Baſil. Bellum contra Deum conflat Adamus, etſi timore deterritus, non tamen conflauit bellum in Cherubinum eius timore

more perculſus, ſeſeque fugatus: eſt enim creaturis ſolitum creaturam extimeſcere, creatorem deſpicere: exhorreſcere gladium, vulnus infligentem, & deſpicere iuſtitiam animas æternis ignibus vſtulantem.

200. Cainum audies occurrentium manus trepidan-
Geneſ.4. tem: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Non
v.15. audet timore præpeditus obambulare, qui auſus eſt fratrem occidere: illi aiebat Deus: *Nonnè ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* & tamen Dei oculos non reueritus; fratrem doloſè occidendum duxit in campum. Rogabis: Si Cain hominum facies extimeſcit, quomodò numinis vultum non extimuit? Si, vt in facinus prolaberetur, & morti ianuam aperiret, fraternum ſanguinem fundens numinis proculcauit timorem, cur modò timoris acrem è pectore non expulerit anxietatem; Sanè quia hic metuebat homines: ea eſt namque amens peccatoris vecordia, & vecors temeritatis audacia, vt ibi non trepident, vbi prudenti timore fuiſſent exagitandi, & vbi timor, aut paruus, aut nullus eſt, totis artubus contremiſcant. Cain vel hominum veretur vmbras, cùm deſpexerit numinis iras. Vbi noſter textus habet: *Vagus, & profugus eris*
Septuag. *ſuper terram*: Septuaginta verterunt: *Tremens & gemens eris ſuper terram*: quod opportunè Ste-
Stephan. phanus in allegoriis Tilmani interpretatus ait: *Per Cain, qui interpretatur poſſeſſio, intellige diuites huius mundi, qui timent amittere ſe, & ſua: vnde illis trepidauerunt timore, vbi non erat timor; id eſt, pro amiſſione temporalium, non æternorum.* Timebat diſpoliari caducis, nihili faciebat nudari æternis: ad humanam trepidabat potentiam, audax deſpexit diuinam: cuius exemplum ſecutus Michas idolum reliquit armatos veritus, non reliquerat diuinam potentiam impudenter aſpernatus.

---

§. XLVII.

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas.

201. PErſonata felicitas plurimum diſtat à verâ argentum etiam in matrice vena nondum repurgatum limatúmve pretioſum eſt, vt è contrà ſubæratum licèt nitidum oculis imponat, non eſt argentum ſed dolus, nec aliter ſors, quæ non vera virtutis progenies, quantumvis ſplendeat, perſonata eſt; virtute verò innixa etiam ſine ſplendore eſt pretioſa. Verùm ea eſt mortalium cæcitas, vt pro argento habeant æs ſplendidum, túncque ſe deprædicent auctiores fortunatis diuitiis, cùm plus doloſis exundarint fallaciis. Qui teluminatos habent oculos, res metiuntur non ab exteriori fulgore; ſed à ſolida, & interna veritate. Quàm di-
Tertull. ſertè Tertullianus lib.de teſtim animæ cap.3. *Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui propè Chriſtianum pronuntiauerit, cùm ſi quid prudentiæ aut ſapientiæ affectauerit ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſaculum reuincens pro Chriſtiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſæ felicitatis, cui in falſo potius creditur, quàm in vero.* Felicitas habebatur virtutibus contraire, diuitiis exundare, & libidinibus ſtudere; erat tamen proſperitas perſonata, miſeria vera: infelices arbitrabantur Chriſtianos voluptatibus renuntiantes, & virtutibus inſeruientes; verùm Chriſtiani vt qui cruſtatam nouerant, & veram felicitatem, virtutem amplectebantur, quamvis ab Ethnicis deriſi, qui adeò delirabant, vt pro virtute haberent felicitatem. *Nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſa felicitatis.* Peruerſa erat Laienſium fortuna, quæ in nigros deſiuit cineres, quæ flammas attulit pro fictis, ac fucatis ſplendoribus; *Viderunt populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxtà conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum nullo ei penitùs reſiſtente, magnarúmque opum; & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Felicitatem audiſti, finem adſpice: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Iam celſa ædificiorum moles, cœlóque coæquata ſordeſcit, iam ciuitatis pulchra varietas confuſio eſt, vt repetat Gregorius Nazianzenus epiſt 68. *Hic eſt humanæ proſperitatis, ſeu felicitatis finis.* Quàm erat Lais Nazianz.
omnibus miranda ob diuitiarum copiam, ob populi frequentiam, ob camporum vbertatem, ob aërem ſalubrem! Verùm vbi omnia virtute deſtituta leui flatu fruſtrarunt oculos diſſipata. Quàm benè ex Philoſophis refert Plutarchus lib. de au-
diend. poët. *Felicitatem & beatitudinem pecunia-* Plutarch.
rum cumulo; neque rerum faſtu, neque vllis magiſtratibus; aut potentia; ſed vacuitate ægritudinis, manſuetudine motuum, atque animi affectu terminos natura ſequente. Vera ſolidáque felicitas eſt cruſtatam felicitatem agnoſcere, & ſplendorem oculos fallentem deſpicere.

Nahum ſic Niniue felicitatem deſcribit: *Ni-* 202.
niue quaſi piſcina aquarum aqua eius; ipſi verò fu- Nahum 2.
gerunt: ſtate; & non eſt, qui reuertatur: diripite v.8.
argentum, diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus, & facies omnium eorum, ſicut nigredo ollæ. Ad inſtar aquæ ſuperuenientium impetu pulſæ fuit Niniuitarum felicitas; effloruit, vt marceſceret; congregauit vt acriùs diſpoliata indoleret: reſplenduit, vt ignominioſiùs ſordeſceret. O quàm benè epiſtol. 57. Nazian-
zenus! *Tranſeamus hinc, euadamus in viros,*
proiiciamus omnia, prætereuolemus vmbras, re- Nazianz.
relinquamus aliis vitæ huius delicias; imò magis mæſtitias. Alios fatigent, iactent, & irritent inuidentia ſæculi, & euentuum curſus. Adnectit: *Magnæ huius ſcenæ ludicra, & inania ſpectra prætèribimus; locóque omnium Deum eligemus, qui ſolus bonum eſt per omnia ſufficiens, & noſtrum, vt in hac vita inclareſcamus, qui adhuc puſilli ſumus, vitaque huius claritatem quærimus.* Vel ad huius vitæ claritatem oportet amplecti virtutem: nitent cætera exteriùs, inani ſplendore oculos aliquantulum detinent; ſed quos modò demirabamur beatos, citiſſimè ſtupemus miſerrimos.

Iob trigeſimo nono capite equum illum Deo 203.
ſeſſore honeſtè ſuperbientem, odorem ait belli à longè percipere, & exhortationem ducum, &
exercitus vlulatum agnoſcere: *Procul odoratur* Iob. 39.
bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exer- v. 25.
citus. Sapienti naſo diſcernit odores; noſcitque quid apud duces excelſum, quid reuera ſolidum, & quid miſeris vlulatibus demptum. Sunt capitalia vitia, quæ vitiis aliis ducatum præſtent, hæc ad bella in virtutem concitant, animoſque cient; verùm

Digitized by Google

verùm diſertus equus mauult Deo ſeſſori ſubiici, quàm clamorem Ducum audire. Ita Gregorius Magnus lib. 31. moral. cap. 17. *Benè Duces exhortari dicti ſunt, exercitus vlulare: quia prima vitia deceptæ menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt; ſed innumera, quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt: inanis námque gloria deuictum cor, quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Debes maiora appetere, vt quo poteſtate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodeſſe.* Adnectit poſt aliqua: *Miles Dei quia ſolerter prævidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur: exhortationem Ducum naris ſagacitate deprehendit, & quia longè præſciendo ſubſequentium iniquitatum confuſionem conſpicit, quaſi vlulatum exercitus odorando cognoſcit.* Prudenti perſpicacia quid ſub pulchra faſcia, lateat, deprehendit: & quia Ducum allicientium plauſum iam percipit in vlulatum deſinere, & aures mellitis vocibus demulſas confuſaneis miſeri clamoris ſonitibus verberare, armatur in pugnam, ne falſo deluſus plauſu, vero & amariſſimo volaticum gaudium compenſet gemitu. Imprudentes externis falſi interna non penetrant, nec rerum finem examinant, beatum dicunt populum ouibus fœtantibus copioſum, mole diuitiarum oppreſſum, ſplendoribus fugaciſſimis exornatum, cùm ſub illa faſcia & ſordes lateant, & vermes.

Gregor.

204. *Præterit*, aiebat Paulus, *figura huius mundi*: Alij legunt: *Scena huius mundi*: In ſcena regem agit pauperculus, nobiliſſimum ſordidus, & diu pannoſus ad horam imponit oculis exornatus: ergo agnoſcamus, inquit Paulus, hanc mundi ſcenam; nec reuera exigua, fucis oblita, alienis ornata magni pendamus, aut æſtimemus; imò noſcamus humanis rebus adhuc caducum illum ſplendorem de ſuo non ineſſe; ſed de foris adductum, & mutuatum: vt enim comœdi luminoſam illam pompam ad horam oſtentantes ex ſe non habent; ſed à ſcenæ præſule accipiunt mutuatã & citiſſimè reddendam; ita humana beatitudo de foris nitens illum adhuc caducum ſplendorem proprium non ſortitur; ſed alienum mutuatur. Opportunè Seneca epiſt. 80. *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis, & ſuppurata triſtitia.* Adiicit: *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit:*

1. Cor. 7. v. 31.

Seneca.

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Vrgetur iſthmos.

Seruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios: ille qui ſuperbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:

Quod niſi quieris Menela, hac dextra occides,

Diurnum accipit, in cœnaculo dormit: idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſuprà capita hominum, ſupráque turbam delicatos lectica ſuſpendit: omnium iſtorum perſonata felicitas eſt: contemnes illos, ſi diſpoliaueris. O quàm aliud iudicium ferres de Lais ſine cognito, aut ignorato: ſi ſolùm externis crederes, ciuitatem feliciſſimam prædicares, videlicet omni ad delicias, voluptatéſque rerum copia exundantem, & placida quiete vrentem; at ſi faſciam abſtuleris, aſpicies ardentibus flammis vſtulatam, riuulis cruoris madentem, & cadauerum aggeribus grauem. Ergo felicitatem non metiaris à vitiorum fallaciis; ſed à ſolidis virtutum fulcris, inconcuſſíſque honeſtatis fundamentis.

Mundialis felicitas perſonata eſt.

§. XLVIII.

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita, ſed contrà ius reportata.

NOn eſt idem ſpolium & trophæum: qui aliena 205.
cæca cupiditate inflammatus non rapuit, qui potentia non abutitur, qui æquitate armatus vicit, trophæum adeptus eſt. Alexander mundi clauſtra rupit, & extra clauſtra iacens videre tentauit. Se Herculi quàm ſimilem gloriabatur, verùm magnũ inter eos erat diſcrimen, quandoquidem Herculem iuſtitiæ inflammabat amor, Alexandrum felicis temeritatis ſplendor. Audi Senec. lib. 1. de benef. c. 13. *Quid illi ſimile habebat veſanus adoleſcens, cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil ſibi vicit, orbem terrarum tranſiuit non concupiſcendo; ſed vindicando. Quid vinceret malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum, mariſque pacator? At hic à pueritia latro gentiúmque vaſtator, tam hoſtium pernicies, quam amicorum, qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus, oblitus non ferociſſima tantùm; ſed ignauiſſima quoque animalia timeri ob virus malum.* Parum intereſt æqualia poſſideas, ſi titulus inæqualis: non eſt grande robur & audax militum copia cincta poteſtas ad triumphandum ſatis, etſi ſatis ſit ad premendum: quod æquitas & iuſtitia acquiſiuit, triumphus eſt, & contrà varios fortunæ vultus perſtat ipſa æquitate ſuffultum; quod verò effrænis audacia, & audax inſolentia diripuit, ruborem affert; etſi felicem temeritatem euulget: tunc fortè videatur alicui verum gaudium; ſed iam ſibi auſpicatur amarum gemitum. En Danitæ armorum potentiâ Laienſes nullatenus iniurios illegitimè inuadunt, occidúntque: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij vrbémque incendio tradiderunt.* Nondum plena fruebantur victoriâ, cùm iam inter execrãdæ victoriæ plauſus, futuræ ſonat captiuitatis catena, & inſeritur, ſi fas eſt dici, calamitoſiſſima ærumna: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.* Expende in ſacro textu victoriam & captiuitatem coniungi: tunc prænuntiantur captiui, cùm referũtur ciuitatem deprædati: nec enim quæ inhoneſta erat rapina, durare quiuit victoria. *Aliquæ gentes*, inquit Abulenſ. q. 19. *de conuicinis pugnauerunt contra habitatores Lais de tribu Dan, & captiuos eos duxerunt, atque tulerunt inde idolum, & omnes apparatus eius, & reliquam prædam vrbis.* Violenta oppreſſio, iniqua expugnatio, etſi tantiſper ſpoliis fuerit potita, armatorum copiam in ſe concitauit, & captiuitate perſoluit, quod iniquitate diripuit. Cedunt violentiæ imbecilles; verùm qui infelici vtuntur potentiâ, dura etiam gemunt fortuna, quandoquidem violenta oppreſſio, & iniqua depopulatio eſt infortunij præſagium, & calamitatis illicium.

Seneca.

Abulenſ.

Væ denuntiat Iſaias violenter deprædanti, & ar- 206.
morum potentiâ contrà fas & ius abutenti, quandoquidẽ qui poſt certaminis labores infelici coronatur victoriâ, erit iuſtiſſima aliorum præda: *Væ qui prædaris; nonne & ipſe prædaberis: & qui ſpernis nonne & ipſe ſperneris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis.* Aliquando auis rapax inſidiis auiculam capit; ſed cùm iam iniquæ violentiæ gaudebat ſpoliis, venatrix etiam aquila impetit infauſtò diuitem, & vngues patitur alienos,

Iſai. 33. v. 1.

non ſemel obtinebit victoriam: vt è contrà, qui à nullo competitus ignauè ſtetit, miſeram aliquando experitur ruinam. Exemplo Laienſes ſunt. Diſtabant à Danitis, & diſtantia muniti pereunt, dum aduerſariorum audaciam nutriunt: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum & quietum nullo ei penitus reſiſtente, magnarúmque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* A cunctis hominibus ſeparatus quieſcebat; ſed quietus occubuit, & horrendùm perſtrepentibus flammis arſit: *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Audis longiſſimis interuallis diſtantes periiſſe: audi modò Amorrhæos Danitis non ſolùm proximos;
Iudic. 1. v. 34. sed quodammodò immixtos detriumphaſſe: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.* Cùm Danitæ locorum ſitu adeò ſuperiores exiſterent, nihilominus referuntur arctati, cùm Laienſes pereant occiſi. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt?
Abulenſ. Audi ab Abulenſi quæſt. 5. *Hoſtes, qui erant in circuitu illius partis, quam ipſi tenebant, erant fortiſſimi & exercitati ad bella, & cauentes vigilanter, ne Iſraëlitæ contrà eos inſurgerent: ideò deſperabant Danitæ ſe poſſe præualere contrà iſtos, & ob hoc voluerunt ſcire, an in aliis partibus ſortis ſuæ procul inde diſtantibus eſſet aliquis populus non tantùm inſtructus ad bella, vel vigilans ad cuſtodiam ſuam, vt contrà illum pugnarent: Et perrexerunt iſti quinque viri luſtrantes ſortem Dan, & in extremitate eius ad aquilonem inuenerunt viros vrbis Lais, quæ ciuitas ſecura erat, non accedens ad bellum.* Amorrhæus, dum periculis ſolicitus ſe præmunit, & hoſtiles adſultus cohibet; Laienſis verò dum longa diſtantia fiſſus ſtetit otioſus, fit aduerſariorum præda, & irreparabili perit ruinâ: vt his apertiſſimis exemplis noſtræ theſis veritas confirmetur, videlicet ſecuriùs degere vel inter hoſtes ſolicitum, quàm diſtantem longiſſimis interuallis ignauum.

210. In præceptis accipit Elias anxiè ab idololatria rege quæſitus illi occurrere, & ſe palàm oſtendere: *Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam*
3. Reg 18. v. 1. *ſuper faciem terræ.* Paruit Elias nullo exteriùs Angelo cinctus: *Venit Achab in occurſum Eliæ.* Poſt hæc cùm celebrem de prophetis Baal triumphum egiſſet, & Iezabel in ſe animum concitaſſet, fugit in deſertum: iam diſtans timori aliquantulum medebatur
3. Reg. 19. v. 5. ſomnum ſub arbore capiens: *Proiecit ſe, & obdormiuit in vmbrâ iuniperi.* Angelus nôn ſine ſtomacho dormientem excitat, & accelerare greſſum ſine intermiſſione imperat: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* Si humana ratione res metiendæ forent, opportunior videbatur Angelus, dum irato regi occurrit, quàm dum fœminæ terga vertit: ſi ibi regi adſtans Angelico exteriùs non minuitur auxilio; cur hîc à fœmina diſtans ad profectionem adurgetur præcepto? Quia per ſomnum illum, inquit gloſſa, ignauia, torpórque deſignatur: ergo ad noſtram eruditionem, quia Elias grauiùs periclitabatur dormiens, diſtantiáque fiſſus, quàm Achabo occurrens ſolers ſolicitúſque, Angelus excitauit dormientem, neque
Gloſſa. exteriùs comitatus eſt vigilantem: *Tepor*, inquit gloſſa moralis ad hunc locum, *aliquando nominatur in Scripturâ ſopor: Angelus cuſtos hominis eum excitat ad bonum exercitium dicens: Surge per mentis vigilantiam.* O quoties dum dormimus ad ſpeciem diſtantes grauiùs periclitamur; dum periculis proximi parati bellum aggredimur.

Hoſtis viribus præualens cautela adhibita frænatur, quæ ſi deſit, infirmus triumphum reportabit inimicos aggreſſus: Deſcendens Samſon in Thamnatha integris viribus à Thamnathæis exceptus eſt placido vultu; ſed cautelâ adhibita ſibi prouident, & obſequij ſpecie contrà inopinos
ſucceſſus cauent: *Cùm ciues loci illius vidiſſent* Iudic. 14.
eum, dederunt ei ſodales triginta, vt eſſent cum v. 11.
eo. Poſteà cùm iam exoculatus, vinculis attritus, & ferè decapillatus (ſolùm námque incipiebant germinare capilli) puerulo committunt, elocatis à Samſone ædificij columnis miſerè pereunt:
Cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram Iudic. 16.
multitudinem, quæ ibi erat. Quàm alia fuit Phili- v. 30.
ſthinorum ſors, cùm Samſon, ſi dici liceat, à ſe ipſo quodammodo omnino fuerit diuerſus: in Thamnatha prolixis capillis exornatus, viribus integris munitus, licèt ſecreti proditione fuerit exaſperatus, graue adeò detrimentum non intulit; hic verò templum cum Philiſthinis euertit. Quod ſi huius diſcriminis iniquitas cauſam, inuenies iam decapillato Samſone, iam exoculato nullam ab aduerſariis cautelam adhibitam: ergo qui adhibitis cuſtodibus in Thamnatha refrænarunt audaciam; hîc, dum puero, quem decipere haud arduum fuit, hoſtem tradunt, ruinâ miſerabili pereunt, fortiſſimis ſodalibus circumſeptus Samſon iram in Thamnathæos vel exaſperatus initio cohibuit, & ab eis ſolùm receſſit; hic verò, dum nil verentur, facillimè Philiſthini euertuntur: ergo vbi cautela adhibita, exiguum à validiſſimo detrimentum paſſi, vbi verò nulla cura, vel à deuicto, & quodammodò languenti penitus interierunt attriti. Adeſt opportunè Lyra: *Dede-*
runt ei ſodales, vt ſi Samſon vellet aliquid agere Lyra.
contrà eos, iſti reſiſterent ei. Politici ſub ſpecie honoris exhibuerunt ſodales prouida cautelâ vtentes, & cautelam ipſam honoris ſpeciè diſſimulantes: ergo Samſon, etſi exaſperatus diſceſſerit, in eos tunc non irruit; hîc verò puerulo commiſſus templum Principis, vulgúſque proſtrauit, & factis pro coloribus vſus nobis delineauit, quantum interſit ſolers vigilantia, & quantum noceat iners ſomnolentia, & incautiſſima ignauia. Plures in hoſtili regione, dum ad leuem etiam ſtrepitum ceruicem circumegerunt ſolicitè, vt ſibi cauerent, pericula eluſerunt, & hoſtilem rabiem fruſtrarunt; cùm alij, dum omni cautela inueniuntur nudi, acerbos tulerint caſus, & inter ſuos miſeros inuenerint luctus.

Dauid ad Gethæos ſibi olim infenſiſſimos ex- 212.
currit, ſed ſexcentis viris armatus: *Surrexit Dauid,* 1. Reg 27.
& abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo ad Achis fi- v 2.
lium Maoch regem Geth; & habitauit Dauid cum Achis in Geth ipſe, & viri eius. Inter hoſtes habitabat, ſed ſolicita cuſtodia cinctus, & militibus ſtrenuis ſtipatus. Tranſi modò ad 2. Reg. 4. vbi cùm Isboſeth ſuper lectum ſuum meridie dor-
miret, adhibitâ ferè nulla cautelâ periit: *Dormie-* 2. Reg 4.
bat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus v 5.
purgans triticum obdormiuit. Rhecab & Banaa caput auferunt dormientis, & falſa ſecuritate cubantis: *Sublato capite eius abierunt per viam deſerti nocte.* Mira res: Dauid inter hoſtes degit illæſus, Isboſeth inter ſuos iacet occiſus: cuius diſcriminis cauſam innuiſſe videtur Sacra Scriptura, dum refert Dauidem ſolertiſſimis militibus cinctum, & Isboſeth debili cuſtodiâ

Digitized by Google

obarmatum. Si præmuniſſet oſtium acri milite, frænaretur audacia; at prorupit, dum fragilis & correpta ſomno iacet ante oſtium cuſtodia: vt viderunt nulla cautela, aut exigua dormientem, quæ iniquè cogitarant, implerunt. Adeſt Rabbanus apud gloſſam: *Oſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitiis ſeparat: quæ ſi obdormierit, in mortem proprij Domini inſidiatores admittit: quia cùm diſcretionis ſolicitudo ceſſauerit, ad interficiendum animam malignis ſpiritibus iter pandit.* Aditum conceſſit in propria domo inſidiantibus ſocordia; in hoſtili regione Dauidis tutata eſt vitam ſolertiſſima vigilantia: vt noueris ſecuriùs degere inter hoſtes vigilantem, quàm inter proprios dormientem.

Rabban.

§. XL.

Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela, inopina premet ruina.

213. VT ciuitatum cuſtodia, vt cordis eſſloreat munditia; aditus aduerſus hoſtiles adſultus muniendus, ac ſeruandus eſt ſolertiſſima diligentia, ſi ciuitatis oſtia indiſcriminatim omnibus pateant, amici habitu inſidias intrabit obtenturus aduerſarius, & corruet incautus populus, nec aliter continget internis: ad cor nociuæ hoſtiléſque cogitationes ſe proripient, ſi nullo examine liber ſit aditus, & incurioſè omnibus tentamentis pateat ingreſſus. Qui aliquando admiſit hoſtem incautè, ſi poſteà diligenti cura examinet, negligentiamque caſtiget, ſpes incolumitatis fouebit; at ſi diſcincta mens, aut ciuitatis cuſtodia ſe tradiderint ſomnolentiæ, ſoluetur otioſa ignauia miſerabili, & inopina ruinâ. *Si peccato*, inquit Plutarchus, lib. quemadmodum ſentias, &c. *quamuis exiguo, non amplius veniam des; ſed caues omnia, & deſlectis: vt enim illi qui diuites fieri ſe diffidunt poſſe, exiguos ſumptus nauci faciunt nihil rati efficere magnum, quod exiguo ſit adiectum; caterùm ſpes quanto propiùs finem peruenit, tantum cum diuitiis pecuniæ cupiditatem auget. Itidem in negotiis ad virtutem pertinentibus, qui non ſibi ſæpè indulget, vt dicat quid hoc ad illud? & nunc hoc modo, aliàs rectius; verùm qui omni in re eſt intentus, & ſi quanto vel minimi ſuſcepti delicti malitia gratiam fecit, cruciat ſe, & ingemiſcit, hic aliquid ſe comparaſſe ſibi puri oſtendit, neque vllo velle inquinari modo.* Virtutis ſtudioſus quid corde admiſerit, ſolerter examinat, vt quidquid rationi contrarium, diligenter depellat; at iners, dum indiſcriminatim has aut illas cogitationes admittit, oppreſſus calamitate proſternitur, & triumphatur. Lais copioſa ciuitas diuitiarum cumulis aucta, & deliciis plena iam decineraſcit in tumulum: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt.* Miſerandæ huius ſtragis cauſa fuit quinque Danitas in ciuitatem admiſiſſe nullo examine adhibito; ſed incurioſè patenti aditu: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem ſidoniorum ſecurum ac quietum.* Danita exploraturus aduentabat, cumque ciuitatis portas nulla cuſtodia munitas adſpexit, ſibi victoriam promiſit: en ingreſſi Danitæ exploratores, omniaque ſagaciſſimis oculis contemplati, vbi ad ſuos reuerſi, quod cogitauerant, conſummarunt, & ciuitatem flammis anhelantibus tradiderunt. Notauit Abulenſis quæſt. 9. *Ingreſſi ſunt iſti viri quinque in vrbem Lais fingentes ſe non eſſe Iſraëlitas; ſed de aliis gentibus, & non aduerterunt eos ciues vrbis, ideò potuerunt iſti videre ciuitatem, & conditionem ciuium.* Si Laienſes ciuitatis introitum ſoletti milite præmunirent, ſi aduentantium qualitates ſtudio ſolicito examinarent, inopinam calamitatem non ſuſtinuiſſent; at dum patuit aditus, dum amicis, inimiciſque facilis indiſcriminatim ingreſſus, ad ſuos Danitæ ſe receperunt, & armatam manum vocarunt.

Plutarch.

Abulenſ.

Fortaſſis prouidentiſſimus ſponſus Canticor. 8. muro ſuperponere curauit propugnacula argentea, & oſtio cedrinas aſſulas, ne dum rimulæ interna inueſtigandi occaſionem aduerſariis præbent, animos aſſumant, & inopinis auſibus irruant: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Non patebat ſponſæ cor ventis vnde quaque reflantibus, aut indiſcretis cogitationibus: muro animum munierat, quem hoſtes non irrumperent: portis occluſerat, quas audax arietis temeritas non infringeret; nihilominus tamen ſponſus prudenter cautus, & cautè ſolertiſſimus, dum portis aſſulas ſuperimponit nullam curioſitati occaſionem relinquit indagandi, & dum muro propugnacula ſuperſtruit, omnem aufert hoſtibus opportunitatem, accedendi: contentus non eſt muro has diuitias cingi, ſi poſſit hoſtis appropinquare: ergo propugnacula conſtruit, è quibus poſſit audentes iaculis eminus contortis arcere, & aditum cuſtodire. Quòd ſi per varios caſus acceſſiſſe portæ contigerit, nullam permittit rimulam, qua admiſſa adſpicientis curioſitas, quid intus agatur, nouerit, & notitia inſidias obtendetit. Adeſt Gregorius ad Cantic. 8. *Ad reſiſtendum aduerſariis impenetrabiliter roboratur.* Adnectit poſt aliqua: *Super quam propugnacula ædificantur: quia vt non tantummodò ſe defendat; ſed vt & impugnantes reſiſtendo proſternat, miracula ei facere conceditur.* Expende illud: *Ad reſiſtendum aduerſariis impenetrabiliter roboratur.* Quàm erat aduerſariis arduum in huius cor irrumpere, quando non ſolùm altiſſimus arcebat murus; ſed contorta è propugnaculis ſpicula impediebant etiam acceſſum. Quàm erat difficilis ſtudiorum notitia, quando ſi fortè per pericula acceſſit audacia, nec rimula patebat, qua quid intus ageretur, poſſet venari, & notitia dolos diſponere. Profectò ſi Laienſes hac vſi fuiſſent cautela, non perirent occiſi, nec decineraſcerent vſtulati. Aſt quia patebat aditus, quia hoſtibus non præpediebatur ingreſſus, aduolauere Danitæ, & aëre rubentes regionem depopulatæ ſunt flammæ.

214.

Cantic. 8. v. 9.

Gregor.

Dormientibus ſatoribus inimicus, quæ cogitarat, impleuit: *Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Parum profuit omni ſtudio terram vertiſſe, & profundis ſulcis ſiligineum granum commendaſſe, dum vigilans cautela inimici non arcuit acceſſum, nec impediuit ſtudium. Profectò aliter contigit ad ad nuptias fraudulenter intranti: *Intrauit*, inquit, *rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodò*

215. Matth. 13. v. 25.

Matth. 22. v. 11.

quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem? Vt nocturnus ille inimicus meſſem vitiauit, ita & hic gaudia peruerteret; at dum ſolers diligentia attendit, dum prudens cautela explorat, quis ad interiora intrauerit, deprehendit fraudulentiam, & impedit perturbari lætitiam. Profectò ni prudens oculus iam receptos examinaſſet, fraudulentus nuptiarum gaudia impediſſet.

Hieronym. *Arguit impudentia*, inquit Hieronymus in catena D. Thomæ, *quod veſte ſordida munditias polluerit nuptiales.* Itaque vtrobique impudentia eodem conabatur animo frugum impedire prouentum, & nuptiarum gaudium; at etſi idem animus, diuerſiſſimus fuit euentus: vbi ſomnolentia patentem permiſit acceſſum, inimicus eſt aſſecutus ſtudium: vbi verò cura ſolerter inuigilauit, parum profuit diſſimulata cautela. Adde miraculo opus eſſe aliquando ad euertendam hoſtilem ciuitatem, ſi ſolers inuigilauerit cura, & ab olim victis ciuitatem aduri, ſi patuerit omnibus porta.

216. Contrà Iericho Ioſuë Domini præcepto inſurgit, & nihilominus dum timore clauſa cuſtoditur, dum ſolertibus ſpeculatoribus coronatur, opus eſt non exiguo tempore, & pluribus circuitionibus, vt intretur: *Ecce dedi in manu tua Iericho, & regem eius, omneſque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus.* Ioſuë 8. v. 16. Poſt tot circuitus adhuc ire, circuire, & clamare opus: *Die ſeptimo diluculo conſurgentes circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.* Adnectit: *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis; poſtquam in aures multitudinis vox ſonituſque increpuit, muri illico corruerunt.* In vrbe à Deo ſibi tradita expugnanda & dies plures inſumuntur, & armati circuitionibus fatigantur; cùm Hai oppidum à Deo iam traditum, Hebræi, etſi priùs fugati, facillimè ſubiugarint, & in cineres redegerint: *Cùm receſſiſſent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſraël (ſicut eruperant, aperta oppida relinquentes) dixit Dominus ad Ioſuë: Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contrà vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Iam ſeſe difficultas ingerit: ſi cùm Hai à Domino traditur, vel clypeum leuando euertitur, quomodò Iericho à Deo etiam tradita tantis militibus cincta non corruit, quouſque miraculosè labeſcit? Quia, etſi Domino facillimum fuerit eodem modo vtramque tradere ciuitatem, diuerſimodè voluit ad noſtram eruditionem accidere. Audi quid de Iericho textus referat. *Iericho clauſa erat atque munita timore filiorum Iſraël, & nullus egredi audebat, aut ingredi.* Vt noueris quantum iuuet ſolertia, quantum diligentia proſit, vbi Iericho aditus omni ſedulitate cuſtoditur, opus eſt miraculo, vt euertatur; vbi verò Hai ingreſſus omnibus relinquitur paruulus, à victis anteà & fugatis hoſtibus iam euertitur. Audi Chaldæum Paraphra-

Chaldæus. ſtem: *Erat Iericho clauſa foribus ferreis, & obſerata vectibus alienis ante filios Iſraël.* Diſce ab allophylis cordis aditum obſerare, & hoſtiles cogitationes arcere.

§. LI.

Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari, ſed iniquus, dum moritur, premi.

Virtutis aſſeclæ, ſectatores æquitatis, alumni rationis externis ſolent ærumnarum duris vinculis illigari, & calamitoſam ad ſpeciem vitam traducere: exilium patiuntur, amittunt filios, ſolùm viuere cenſeas ad patientiæ exemplum & tolerantiæ miraculum; vera tamen bona ſub horrido calamitatis cortice latent, & delibutos inuenies gaudio, cùm putabas afflictari tormento. Audi Tertullianum de Spectacul. cap. 29. *Quid iucundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio,* quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retro criminum venia? Adiicit diſertiſſimus Doctor: *Quæ maior voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis, quàm ſæculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conſcientia integra, quàm vita ſufficiens, quàm mortis timor nullus?* Iuſti ſub ſordida cruſta margaritum aſſeruant, & quidem pretioſum: iniqui gaudiis vtuntur fallacibus, & externis, cùm interiùs exutantur anxietatibus, & timoribus. Adde: iuſtos, qui confuſis irruentium ad ſpeciem calamitatum vorticibus obuoluti agitabantur, ſecurò in littore quieſcere, dum moriuntur, leniter expoſitos, & feliciter appulſos; at qui amaris vitiorum vſuris fruebantur, qui placidiſſima vtebantur nabigatione; dum mors appetit, eis circumdati coarctantur anguſtiis, vt effugium nullum inueniant, & miſerrimè vitam claudant. Danitæ ab Amorrhæis referuntur arctati: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte.* Dum hi anguſtiſſimis terminis concluſi, Laienſes ſpatioſis limitibus fruebantur protenſi; verùm vt facilè in hoc mundo rerum facies immutatur, & quod fixum videbatur, conuoluitur, iam Danitæ amplioribus terminis dilatantur, & Laienſes morte appetente ſpatiis breuiſſimis ac arctiſſimis includuntur: *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Qui intra domum, ſi ſe foras proriperent, in inuolantes gladios incurrebant: qui, vt gladium fugerent, repetebant domum, horrendum perſtrepentibus flammis ſuſtinere cogebantur incendium: nullum miſeris elucebat effugium, dum hinc gladiis, & hinc arctantur incendiis. Quàm exiguo incarcerati ſpatio ſtupebant attoniti, dum gladium fugientes inueniebant flammas, & euadentes flammas incurrebant in gladij iras. Expendebat Arias Montanus acutè: *Incendia extinguere parantibus hoſtilis gladius nocebat; arma verò ſumere volentibus ignis intra publicas ac priuatas ædes graſſabundus obſtabat.* Inter gladios ignéſque obſtupefacti hærebant miſeriæ obiecti Laienſes, qui antè & floridis campis, & exundantibus diuitiis vſi: ex vna parte mucro ſanguine madens ingeminabat timorem, ex alia vorax & inexorabilis flamma anxietatem: vt nullum in morte inuenirent effugium, quibus in vità nullum defuerat ad delicias commodum, nullum, etſi fallax, gaudium. Danitarum moleſtias celebris compenſauit victoria: Laienſium felicitatem amara exterminarunt lamenta. 217. Tertull. Iudic. 1. v. 34. Montan.

Fugerat Dauid feralem Saülis excandeſcentiam & attonitus quodammodò obſtupeſcebat ob collata in Saülem ingentiſſima beneficia, ſibi non 218.

licere viuere, & ad latitandum ferarum ſpecubus cogi; imò nec in antris latitare licere, quandoquidem lynceis oculis vel confuſas tenebras perluſtrabat inuidia, & infelix rimabatur ſolertia: exiguo ſatellitio ad tenebratum profugium confugerat, cùm Saül neſcio qua neceſſitate compul-
1.Reg.24. v.4. ſus ſpelæum ipſum ingreditur: *Erat ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saül, vt purgaret ventrem; porrò Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.* Vel anguſtam ſpeluncam non licebat Dauidi inhabitare; ſed compellebatur anguſtiori ſinu conſtringi: Saül ſpatioſo regno fruebatur, quocumque collibitum eſſet, pergebat militibus cinctus, & aulicorum ſatellitio copioſus; verùm cùm in Gelboë manus cum inimicis conſereret, toto Saül prælij pondere premitur, & in modum coronæ cingitur, vltrice arctatus periit corona, qui coronæ abuſus fuerat licentiâ. Iam quantis hîc anguſtiis fuerit circumdatus, ab Amalecita
2.Reg.1. v.6. auſculta: *Porrò currus & equites appropinquabant ei, & conuerſus poſt tergum ſuum, videnſque me vocauit: cui cùm reſpondiſſem, adſum, dixit mihi: Quiſnam es tu? & aio ad eum: Amalecites ego ſum; & locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me anguſtiæ.* Quàm omnibus modis arctatur! gladius pectus tranſuerberat, ſi ab anteriori parte ceruicem ad poſteriora reflectit, in Amalecitam culpâ ſuâ ſuperſtitem incidit: ſi ad anteriora aſpectum dirigat, hoſtiles currus approximant, imber ſagittarum ruit, quin vel leue appareat effugium, aut remanſerit ſolatium. Qui tot facinora perpetrauit, ne coronam perderet, caput & coronam amiſit: vndique anguſtiis afflictatur in morte, qui lato adeò imperio vtebatur in vitâ: Dauid in abditiſſimo ſpecu aliquando delituit incluſus; ſed
Interlin. in morte cecinit fortunatus: *Fatigatus*, inquit Interlinearis, *ſuſtentabatur*: Saül vitam morte ipſâ duriorem ſuſtinere cogebatur, dum vndequaque cinctus, & vndequaque confoſſus: nullum inuenit in morte effugium, qui amplum in vita potiebatur imperium.

219. Haienſes, qui de Ioſuë victoriam egerant, ſuperbi triumpho vlteriori ſtudebant etiam trophæo: ſimulauit Dux fortiſſimus decoram fugam, vt dum hoſtes improuidi celerrimis volatibus arripere conarentur victoriam, ſibi, vt accidit, maturarint miſeriam: vbi conſpicati ſunt aduerſarij Ioſuë terga vertere, tergis fugientium inſiſtunt, ſibi immaturis plauſibus gratulantes, & propera gratulatione plaudentes; verùm vbi inſidiæ ciuitatem occupant flammis tradentes, vbi, qui ſimulauerant fugam, arma in perſecutores conuertunt, medij inter hoſtes ſtupent, quin liceat ſe in ciuitatem recipere, quia ardentiſſimis flammis occupata; nec inuolantes aduerſariorum gladios effugere, quia duriſſima illos cingebat corona, immaturam lætitiam maturis compenſauere lamentis, cùm gladius prohibuerit proſequi, & ignis
Ioſuë 8. v.20. regredi: *Viri ciuitatis, qui perſequebantur Ioſuë reſpicientes, & videntes fumum vrbis ad cælum vſque conſcendere, non potuerunt vltra huc illúcque diffugere, præſertim cùm hi, qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſimè reſtitiſſent.* Adnectit textus: *Et illi qui ceperant, & ſuccenderant ciuitatem, egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt.* Haienſes omni ſubſidio deſtituti pereunt: nam ſi faciem ad ciuitatem conuertant, in flammas incidunt; ſi ciuitati verterint terga, inimicos gladios inueniunt: quod mirè peccatorum in morte anguſtias depingit, quandoquidem tunc & gehennali flammâ deterrentur, & diuina ſeueritate premuntur: *Effugium*, inquit Maſius, *patere* Maſius.
nulli potuit, quod vndequaque ab hoſte eſſet interclusum: atque hinc palàm videmus verum eſſe, quod nuper monebamus, puniri à Deo pios ad ſalutem; impios verò, & ſceleratis ſuam ſibi, quæ apparet, felicitatem eſſe exitio. Expende illud: *Effugium patere nulli potuit.* Iuſti præſentes ægritudines melioris vitæ ſpe ſolantur, inter ſæuas etiam carnificis manus ingemiſcentes interno gaudio fruuntur: Stephano inter lapidum grandinem patet cœlum. Iniqui verò omni ſolatio deſtituti mortem perhorreſcunt, conſcientiam expauent gehennam delibant, & qui viuentes nihil timuerunt, omnes timendi cauſas inueniunt in die iræ theſaurizatas.

Iuſtus, aiebat Pſaltes, *vt palma florebit*; de 220.
peccatoribus ait: *Cùm exorti fuerint peccatores,* Pſal.91.v.13. & 8.
ſicut fœnum. Incognitus ſic explicat: *Poſtquam* Incognit.
creuerint in temporalibus, ſicut fœnum ſcilicet erunt: quia in hyeme huius ſæculi virent; ſed in æſtate futuri iudicij areſcent. Virent & florent impij; ſed flammis candentibus vſtulandi; nec ſolùm clibani reſeruantur ardoribus; ſed vel dum de foris nitent, internis diſcruciantur anxietatibus, at iuſti è contrà palmæ ad inſtar arctantur in terrâ; ſed ſuperiùs florent dilati, & ſaporatiſſimo fructu onuſti. Opportunè iterum Incognitus: *Habet aliud palma, quo à cunctis generibus arborum differt: omnis námque arbor in ſuo robore iuxta terram vaſta ſubſiſtit; ſed creſcendo ſuperiùs anguſtatur, palma verò minoris altitudinis, vel amplitudinis ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit.* Dum finitur palma, dilatatur; dum iuxta terram, conſtringitur. Aliæ plantæ iuxta terram florent prolatæ; ſed acuminantur in fine. His ſymbolis quid iuſtis & iniquis accidat, edocet Scriptura. Iuſtus habet in vita tormentum, in morte ſolatium; iniquus in vita ſolatium; ſed in morte durum tormentum.

§. LII.

Diſplicebit, ſi tota ſimul, peccatoris fortuna; iuſti placebit, ni per partes fuerit inſpecta.

EXigis à me cur ſic demiremur potentiam di- 221.
uitum, cur beatos exiſtimemus pompâ nitidos, & ſcintillantis margariti fulgoribus claros: cur beatum animum deſpiciamus, ſi pannis obtectum, & mendacitate vexatum, Dicam, ſi liberis auribus velis excipere: quia non ſpectamus totam peccatoris fortunam, nec de tota iuſti ſorte iudicium ferimus: iniquo iudicio alium vocamus beatum, & alium miſerum: culta ſeruorum pompa, dignitatem curulibus impoſitam, & ſuccollantibus hominibus vectam dum cupimus, demiramur: virtutem calamitate oppreſſam laboribus diuexatam vti ardentiſſimam peſtem fugimus: quia nobis non placet, quod naturæ conſonum; ſed quod vanitati ambitionique gratum: *Vt ali-*
quid peſtiferi, aiebat Seneca epiſt. 118. *Conſe-* Seneca.
quantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda: cui enim affectanti ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? non

Digitized by Google

non eſt, vt exiſtimat homines, auida felicitas; ſed pusilla; ; *itaque neminem ſatiat; tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis iaces; ei verò, qui ad illa peruenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc quærit aſcendere.* Auri fulgor perſtringit oculos, quia non videmus quid ſub fallaci illa ſpecie lateat; ſed citò accedimus opinioni, & noſtræ credimus cupiditatis inſaniæ. Non poteris inuenire, quanta ſit alicuius fluminis latitudo, ni inſpexeris limitem, cum ripa ſua dimetiendus eſt. Redeat iterum darus Seneca, quia appoſitiſſimè redit: *Iſtud, quod tu ſummum putas gradus eſt; omnes autem malè habet ignorantia veri, tanquam ad bona feruntur decepti rumoribus, deinde mala eſſe, aut inania, aut minora, quàm ſperauerint, adepti ac multa paſſi vident: maiorque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgo magna pro bonis ſunt. Hoc ne nobis quoque eueniat, quæramus, quid ſit bonum.* Si de initiis tantum rerum non feramus iudicium, ſed expectauerimus finem, verius cenſebimus; ſed erramus, quia non totum circumſpicimus; ſed in parte florida hæremus.

222. Iudic. 1. v. 34. Ab Amorrhæis arctatos leges Danitas: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent*: Laienſes omni rerum abundantiâ fortunatos refert textus: *Viderunt populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum, & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone, atque â cunctis hominibus ſeparatum.* Si Laienſium non reſpexeris finem, demiraberis feliciſſimos: ſi Danitas anguſtis terminis, arenti, infrugiferoque monte contempleris incluſos, nullatenus deprædicabis beatos; verùm ſi non per partes iudicium feras; ſed de toto iudices, dubium non erit feliciorem Danitarum ſortem, & Laienſium eſſe infelicem. Audi quid vtriſque acciderit: *Percuſſerant eos* (Laienſes) *in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt. Quam rurſum extruentes habitauerunt in ea.* Iam Danitæ amplis poſſeſſionibus vtuntur, ſi priùs arctati; Laienſes verò, ſi priùs fortunati, & copioſi, iam duro ferro trucidati, & anhelantibus flammis aduſti: fer modò ſententiam de vtriſque & indubiè Danitas aſſeres fortunatos, Laienſes miſeros: *Breuiter*, inquit Arias Montanus, *Vtroque ſtragis genere, & loco & voto potiti Danitæ occiſorum corpora, & quidquid impurum erat, incendio abſumpſerunt.* Impuri omni rerum copiâ exundabant, omni fortunâ, quæ reliquis inuidiam faceret, præcellebant; verùm infeliciſſima clauſula præcedentis felicitatis ſplendorem expunxit, & admirationem in metum vertit; Danitæ verò, ſi aliquando terminis anguſtis conſtricti iam ampliſſima fruuntur regione victoria celebri coronati. — Montan.

223. 1. Reg. 5. v. 1. Dei Arca ab Allophylis capitur, & infami deteſtandoque Dagoni veluti trophæum appenditur: *Philiſthim tulerunt Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon; & ſtatuerunt eam iuxta Dagon.* Qui Arcam victam quodammodò, Dagonique ſubiectam intueretur, cenſeret miſeram, & è contra chimæram illam homini piſcem, aut piſci hominem inaudito ſæculis triumpho reſplendentem feliciſſimam; verùm ſi aſpectus futura proſpectarit, Dagonem miſerum, & Arcam aſſereret fortunatam: ſuo malo Dagon ad ſpeciem triumphauit: nam qui ante triumphum manibus & capite ornatus, poſt triumphum iam mutilus & deiectus: *Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam in terra coram Arca Domini; caput autem Dagon & duæ palmæ manuum eius abſciſſæ erant ſuper limen.* Capta Arca triumphos de captoribus egit, & quæ Azotum veluti ſpolium intrarat, triumphali pompâ & exuuiis ditiſſima egrediens ad lucis domum peruenit: *Poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum: ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames.* Dagon cithara verſa eſt in luctum, & Arcæ luctus in citharam. Arca exiguum captiuitatis tempus triumpho nunquam ab hoſtibus obſcurando compenſauit: Dagon ad breue tempus triumphum æterna trucidatione perſoluit: fortunatior erat captiuitas in triumphum deſinens, quàm triumphus in captiuitatem. *Grande ſpectaculum*, inquit Rupertus lib. 1. in reges cap. 14. *Grande miraculum; tranſlata ab Iſraël gloria Domini, capta ab Allophylis Arca Domini victoriam de victoribus verſa vice exigit, primumque in Deum ipſorum Dagon, deinde & ſuper homines aggrauantur manus Domini.* Dum vices mutantur, finis fallacem illam felicitatem oſtendit, & breuem captiuitatem celebri triumpho decoratam monſtrauit. — Rupertus.

Spectaculum facti ſumus, aiebat Paulus, *mundo, & Angelis, & hominibus.* Non ſolùm ait eſſe iuſtos ſpectaculum mundo & hominibus; ſed Angelis etiam: ac ſi dicat: Modò nos homines deridens, & quas patimur, ignominiis, plagiſque oblectantur; erit tamen tempus, cùm verſis vicibus & nos ſpectaculis aſſideamus, & qui modò aſſident, cum feris decerpendi ſemper decertarint; ſicque finis & illorum oſtendet infortunatam fortunam, & noſtram fortunatiſſimam eſſe miſeriam. 224. 1. Cor. 4. v. 9.

Huc voco Tertullianum de ſpectaculis cap. 29. *Aſpice impudicitiam deiectam à caſtitate, perfidiam cæſam à fide, ſæuitiam à miſericordia contuſam, petulantiam à modeſtia adumbratam; & tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronamur.* Adnectit cap. 30. *Quale ſpectaculum in proximo eſt aduentus Domini iam indubitati, iam ſuperbi, iam triumphantis. Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reſurgentium Sanctorum, quale regnum exinde iuſtorum, qualis ciuitas noua Ieruſalem... tunc ſpectandus auriga in flammea rota totus rubens, tunc Xyſtici contemplandi non in gymnaſiis, ſed in igne iaculati.* Modò ſpectaculum iucundum eſt impudicis flagellata caſtitas, fides afflicta, irriſa miſericordia; tunc verò reges, qui in cœlo recedit nuntiabantur, cum ſuo Ioue ad gemitus æternos trahentur, & ſtulii demirabuntur virtutem ſic coronandam depretiaſſe, & improbitatem acerbis adeò pœnis debitam, dum falsâ luce oculis imponebat, extuliſſe. — Tertullian.

225. Mulier illa, quæ Thamaris partui aſſiſtebat, vt Zara brachium protulit, quin expectauerit finem, Phares prætulit, & beatiſſimum deprædicauit: *Vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.* Si expectaſſet, falſam adeò ſententiam non protuliſſet. Phares non protulit manum coronatam; ſed accepit totus effuſus coronam; Zaræ dum ſola manus reſplendet, fratri ſubiectionis tributum ſoluit. Opportunè Rupert. lib. 8. in Geneſ. cap. 31. *Vnus ille qui primò manum protulit, Iudæus eſt, qui primus legem accepit; & cui primum oportebat loqui verbum Dei; at ille repulit illud.* Manus rubet; ſed totus ardebit; Phares exiguo tempore habetur ſecutus, & ſecundus; ſed longiſſimis interuallis fulgebit Dominus. — Geneſ. 38. v. 27. — Rupert.

Digitized by Google

§. LIII.

Plus curant homines, quàm implere honeſtis factis, deprædicari nominum linguis.

226. GLorioſa ſunt poſteris nomina, quæ ſtatim maiorum celebranda denotant facta: dignitas, quæ natalibus acquiritur, venerandis nominibus intimatur, eâ tamen eſt multorum ſocordia, vt de ſolis parentum glorientur factis, & prædeceſſorum turgeſcant elogiis, cùm ſe ſocios, aut imitatores præſtitiſſe non curent, nec geſtorum imitationem anhelent: nomen in ſucceſſore reſplendebit glorioſum, ſi diſſimilibus factis non confunditur obſcuratum. *Profeſſio nominis*, aiebat in Apolog. cap. 3. Tertullianus, *cum inſtitutione*
Tertull. *tranſmiſſa ab inſtitutore*. Nobilibus exortum fuiſſe natalibus, ſucceſſorem laudandis cogit ſpleneſcere operibus: *Qui non iuſtus eſt*, aiebat Eu-
Euripid. ripides apud Stobæum cap. 86. *licèt à patre meliore, quàm Iupiter ſit, genus ducat, ignobilis mihi*
Ignobilis eſt vitiorum nula, licèt nobili exortus proſapiâ. *cenſetur*. Nomen vocali ſilentio prodit, quid de moribus ſit cenſendum; ſed plures nominis ſitiunt elogium, cùm nominis non impleuerint exercitium. Ecce Danitæ Laiſenos vltra ſibi aſſignatos terminos poſitos, vt interpretibus placet, cupiditatis ſtimulis agitati aggrediuntur, & contrà ius faſque potentiâ abuſi prædantur; & cùm à paternis moribus clarè deſciuerint, originis vocabulum amplificare contendunt; & obliuioni eximere ſitiunt: *Erat ciuitas ſita in regione Rohob, quam rurſum extruentes habitauerunt in ea vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ prius Lais dicebatur. Poſueruntque ſibi ſculptile.* Dan vera religione nobilitatus eluxit, iuſtitia ornatus reſplenduit: ergo filij cum impietate degeneres, cum rapinâ ignobiles paternos mores prodantur obliti, ciuitatem Dan appellant ampliandi nominis ſtudioſi: inſculpto vrbi nomine temporum obliuioniſque aduerſari conantur iniuriis, non attendentes maiorum ſe gloriam tumulare contrariis factis: *Quidquid in illius vrbis rationibus fuerit*, inquit Arias
Montanus, *nec proprium, nec legitimum, nec ho-*
Montan. *neſtum contigiſſe animaduertimus, nec religionem, nec Sacerdotium, atque adeò nec poſſeſſionem ac nomen aliud, quàm temeritatis, cupiditatis, atque inſolentiæ, ambitioniſque humanæ initium habuiſſe.* Nobile paterni nominis ſtemma magnis, & qui ab omnibus legi poſſent characteribus in vrbis aditu inſculpebant; ſed delendam nunquam nominis iniuriam eiſdem litteris exarabant, quandoquidem cùm à Dan, qui interpretatur iudicium, originem duxerint, iudicium rectum non exercebant; ſed rapinis inuigilabant. Itaque nomen æternare curarunt; ſed à patriis moribus deſciuerunt: quod ſatis frequens noſtro in ſæculo reperitur: plures inſanis ſubſtructionibus, ſuperbiſſimis ædificiis parentum nomina, ac maiorum ſtemmata inſculpunt; ſed paternos mores non referunt: gloriantur regiis atauis orti; factis verò denegant, quod nominibus claris affirmant. Origo non tam ſplendet nomine, quàm virtute; imò ſi virtus deſit, nomen gerentem arguit, & omnibus inglorium oſtendit.

227. Pſalm. 48. v. 12. *Tabernacula eorum*, aiebat Pſaltes, *in progenie, & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis:* Non curant nomina inſculpi in cœlis; ſed in terris plaudi, & in futura ſæcula extendi. Inſanæ ſubſtructiones originis gloriam oſtentant, atria fumoſis plena imaginibus antiquitatem proclamant; ſatis tamen non eſt nobiliſſimum venis fouere ſanguinem, ni poſteri æmulentur etiam virtutem. Qui maiorum nomina nunquam arrodendis temporis dente ſaxis inſculpunt, generis claritatem non innubilare moribus deprauatis tenentur. Huc voco Stephanum in allegor. Tilmani ad Exodi 1.
Soli boni habent nomen, vnde diues non nominatur, Stephan.
quaſi ignotus Domino; pauper verò tamquam familiaris Lazarus nominatur. De malis dicitur: Soli boni nomen habent.
Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis: è contrario de bonis: Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Qui peſſimis moribus infecti, inardeſcere ſolent ambitione gloriæ inflammati: ergo maiorum iactant facinora, celebrant nomina, inſculpunt trophæa, & cum ſordidis diffidant factis, glorioſis ſuperbiunt titulis: *De malis dicitur: Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Conſonat Eu-
thymius ad Pſalmum 48. *Inuocauerunt nomina* Euthym.
ſua in terris ſuis. Conſidera aliud prauitatis genus: inanis enim gloria cupiditate ducti certis locis nomina ſua indidere, perpetuam inde memoriam aucupantes... cùm tamen eos magis oportuiſſet non inanium nominum; ſed animarum ſuarum fuiſſe ſolicitos. Foris curant nitere, cùm interiùs non dubium ſit obſcurari: *Quis non hodie*, aiebat Ter-
tullianus de teſtimonio animæ cap. 4. *memoria poſt* Tertul.
mortem frequentanda ita ſtudet, vt vel litteratura operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſeruet? Simplicem morum laudem veluti mediam poſuit inter vanitatem, & ambitionem: quia frequentius eſt apud homines nomen ambire, quàm moribus exornati: de animarum nobilitate nulla illis cura eſt, de euanido ingenuitatis ſplendore ingens ſolicitudo. Non verentur moribus eſſe mancipia; ægrè tamen ferunt, ni in omnium ore maiorum ſuorum reſonuerint nobilitatis elogia.

Eua mortis ianua, fraudis inuentrix, ante- 228.
quam filios parturiret, occidit, & tamen viuentium appellatur mater: *Vocauit Adam no-* Geneſ. 3. v. 20.
men vxoris ſuæ Eua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium. In puluerem reuertendos, ad gemitus damnatos, ſpinis tribuliſque audiunt addictos, & tamen quo vxoris mœſtitudinem leuet, matris viuentium elogio nobilitat, & inter anxias exilij curas, & nuditatis miſerias huic vni rei ſtudioſè Adamus vacat, vt nouerimus ab exordio inſitam mortalibus magnorum nominum ambitionem, ambitioſamque cupidinem: Eua occiſorum, & quidem à ſe, eſt mater; mater tamen appellitatur viuentium, & quamvis nominis encomium factis non poſſit implere, viuentium geſtit parentem dici: maior Adamo cura fuit erga mulieris appellationem, quam fuerat erga virtutem: non impediuit cum ſerpente colloquium, non vetuit venenati pomi raptum, non violare præceptum; paſſus tamen non eſt appellari morientium matrem, iniuriam ducens, ſi eius vxor honorificis non reſplenderet nominibus, licèt indecoris ſorduerit actionibus. Notauit Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 26. *Mira narran-*
tis digreſſio: necdum ſententia terminata eſt tanta Rup.
calamitatis, vt vacet hinc diuertere ad dicendum nobis, quo nomine reus iam conuictus, & pendens ſub iudicis manu ſuam vxorem nuncupauit. Adnectit:

nectit: *Mira peccatoris ſimul & contemptoris ſurditas, & ſuperba mentis eius duritia breuiter deprompta eſt: quid enim inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam?* Multa Adamum ab hac modò cura auertebant, quàm plurima interpellabant: à iudice pronuntiata ſententia adhuc pulſabat aures, nuditas & extrema calamitas oculos ad lachrymas compellebat, & tamen quaſi omnia pacata, tranquillàque eſſent, Euæ ſuæ blandiri ſatagit, & placere: ſuperbus & miſerandus magnum adhibuit ſtudium, vt grandi vxor reſplendeat nomine, cùm nullum adhibuerit, ne innubilaretur crimine: tunc vocauit vitam, cùm mera mors erat, vt ab exordio hanc in filios Adam peſtem agnoſcas graſſatam grandiſonis videlicet nominibus ſplendeſcendi deſiderium; adimplendi verò factis aut exiguum, aut nullum ſtudium. Adde non ſolùm homines nomina factis non implere; ſed apertè actionibus contraire: contraria prorſus inueniuntur factis nomina, & nominibus facta.

229. Veritatem hanc ſatis confirmauit Zara: nil omiſit, vt grandi nomine fulgeret nobilitatus, etiam cùm nondum effuſus: accepit nomen, & iam aſſecutus deſiderium, retraxit ad matris
Geneſ. 38. v. 27. vterum brachium: *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero; at in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior: illo verò retrahente manum egreſſus eſt alter.* Nomen priùs egredi compellebat; Zara verò fratri inuenitur ſecundus nomine ſolo contentus. Ferè omnes exambiunt nominum honoribus cæteros anteire, cùm factis vereantur nullatenus cedere: *Appellauit Zaram*, inquit Lyra, *quod reſonat*
Lyra. *refulgentiam.* Nominis refulgentiam ambiuit; ſed operam detrectauit.

---

§. LIV.

Qui à reliquorum conuictu remotus, ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratus.

230. FVgienda eſt turba; ſed ſocietas proborum amanda: nam ſicut vitiis inficitur, qui vulgi erroribus admiſcetur; ita pericula aduocat, qui à iuſtorum conſortio, & communione ſeiungitur: pudet inter bonos optima exempla non ſectari, & moribus degeneribus inſeruire.
Tertull. *Corpus ſumus*, aiebat Tertullianus in apologet. cap. 39. *de conſcientia religionis, & diſciplina vnitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes.* Dum in vnum corpus cogebantur Chriſtiani diuinarum litterarum contemplatione inſtructi, & exemplis optimis excitati vim criminibus inferebant, & ſe de conſortio contra iniquas linguas, & hoſtiles impetus obarmabant. Imò vtile erat vel ipſis ethnicis apud Chriſtianos degere, quandoquidem Chriſtianus de ſuo occurſu vitia ſuffundebat, & factis loquaciſſimis prædicabat: *Hoc primum philoſophia promittit*, aiebat Seneca
Seneca. epiſt. 5. *ſenſum communem, humanitatem, & congregationem, à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparabit.* Adde, & ſeparatio diſſimilitudinem efficiet. A iuſtorum collegio, à philoſophorum conuictu, à cœtu optimis legibus inſtructo recedendum non eſt: nam ipſe receſſus, dum ab oculis remouet honeſtatis exempla, ingerit prauitatis ſtudia. In domo Michæ idolum ſecretè conflatur, & colitur, quod poſteà in Lais publicè expoſitum Danitæ nefando ritu, ſacrilegis aris, damnandis hoſtiis coluerunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile*: inquirit Abulenſis, quomodò impunè adeò in Lais viguerit idololatria, cùm ſatis fuerit ædificaſſe Rubenitas & Gaditas altare, vt populus in Silo conueniens prælium inferre tentarit, & ni præuaricationem abfuiſſe noſceret, intuliſſet: reſpondetque quæſt. 5. ad 17. Iudicum, hoc accidiſſe, quia Lais à cæterorum habitatione diſtabat plurimum; vnde eius incolæ, vt loco, à cæterorum etiam moribus diſſidebant, & idololatriæ vacabant. *Licet cæteri Iſraëlitæ colerent Deum, iſti* Abulenſ.
colebant idola, quia erant ſeparati. Diſtantia patrocinabatur criminibus, & quantum diſtabant ab exemplis, approximabant peccatis: eſt namque ingens detrimentum à iuſtorum conuictu recedere, vt commodum proximare.

Video in paradiſo Euam ſerpentis ſibilo in- 231.
fectam, & ardenti veneno æſtuantem: *Dixit* Geneſ. 3.
ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte morie- v. 4.
mini. Video Syrophœniſſam ſequenti Chriſtum turbæ immixtam diuturno ac pudendo morbo
ſanatam: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſti-* Lucæ 8.
menti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius. v. 34.
Ecce mulier in paradiſo condita citò adeò ab æquitate diſſideat, & fœmina morbo iam veluti in naturam conuerſo quàm citò libera gratias agat? Quia Eua, reſpondet hic Rupertus, ab Adami conſortio & ſocietate diſceſſit; at Syrophœniſſa ſequentibus Chriſtum ſe adiunxit: ergo illi diſtantia vitium ſuaſit, & hanc Chriſtum quærere piorum cœtus edocuit: pudebat Syrophœniſſam inter tot ſalute fruentes obſcuris morbis infici, & ſanguineis fluxibus defœdari: ergo acceſſit veluti ſequentium impetu pulſa, &, ſi fas eſt dicere, ad ipſam ſalutem tracta: *Mulier*, inquit lib. 3. in Geneſ.
cap. 2. *corpore & oculis vaga, dum incontinenter* Rupert.
deambulat, fortè proſpectans qualis extra paradiſum mundus haberetur, & ſerpens vipere aſtutus, dulcedini terræ propiùs vel ambitioſius innititur, locus diabolo datus eſt. Si à latere iuſti non receſſiſſet, ſerpens inſidias prætendere non valeret, inuenit tamen fallendi occaſionem, dum vagantem vidit. E contra, inquit Titus Boſtrenſis apud D. Thomam in catena, Syrophœniſſa de ipſo ſequentium Chriſtum conſortio roborata morbum valuit depellere, & ſalutem elu-
crari. *Quæ viribus extinctis corporeis ob continuum* Tit Boſtr.
ſanguinis fluxum tanto populo concurrente circa illum affectu roborata, & fide petierat populum, & retro latens tetigerat fimbriam veſtimenti. Expende illud: *Tanto populo concurrere circa illum affectu roborata.* Ac ſi dicat Titus Boſtrenſis: Mulierem puduit langoris, & populo inſerta cauſæ approximauit ſalutis: ergo acceſſit, & ſe ſaluti inter proximantes reſtituit. Adeò eſt vtile iuſtorum cœtibus inſeri, & à Chriſtum ſequentibus ad virtutem, ſi fas eſt dicere impelli: plures, dum iuſtis conuiuunt, virtutem colere didicerunt: tracti ſunt ad ſectandam iuſtitiam felici impulſu, & fortunata violentia.

Iob 39. aquilam inducit prædis inhiantem, 232.
& cadauera depaſcentem: *Inde contemplatur* Iob 39. v. 29.
eſcam

Digitized by Google

nulli fortunæ ſubiecta, nec adſultibus inimicorum expoſita. Clamantem audiet Micham idolis diſpoliatum, quos demens pro Deo colebat: *Quid tibi vis? Cur clamas?* rogant Danitæ: ad quod ille: *Deos meos, quos mihi feci, tuliſtis, & Sacerdotem, & omnia, quæ habeo, & dicitis: Quid tibi eſt?* Factitius erat Deus, qui potuit ab aduerſariis violenter auferri, & quem Michas non valuit tot clamoribus reuocare. O miſerum Micham, qui pro Deo colebat, quod ipſo inuito in aduerſariorum manus poterat deuenire, nec ſemel amiſſum licebat anxiis clamoribus reuocare. Profectò ſi vera virtute ornaretur prædatrices non vereretur manus; imò ſi fortè amiſſum, debitis reuocaret clamoribus: *Ecce*, aiebat Abulenſis quæſt.16. *quàm impudicè* (Abulenſ.) *Michas, & inſipienter locutus eſt: nam ſi dij erant, non erant facti, vel ſi facti erant, non erant dij: cur ergo ſtolidè ſic loqueris neſciens quid expoſcas? Rectè enim fruſtra clamanti tibi obijcere poteſt turba Danitarum, nullos Deos ſuſcepiſſe: ſi ergo aliquid petis, ſimulacra pete, & incommunicabile Dei nomen ſimulacro non communices, præſertim cùm in verbis tuis contradictionem aperiſſimam innuas dicens, Deos à te factos ablatos fuiſſe.* Amaris lachrymis Michæ ad inſtar lugemus ſæpè idola noſtra rapta; ſed dum lugemus rapta, eſſe oſtendimus idola: falſi colimus vti diuina, quæ reuera, & volatica, & alienæ auiditati inueniuntur expoſita: virtus ſui iuris eſt, ni tu ipſe eam tibi ſubripias, cordéque depellas, nullus auferet. Sapiens, qui virtutem colit, nunquam ſe inuitè fraudatum dolebit, quandoquidem ſola virtus eſt violentiæ exempta, & nullius audaciæ, aut rapacitati expoſita.

193. Cùm Deum Magdalena quæreret, & amiſſum copioſis fletibus deploraret, ab Angelis interrogatur cur ploret: (Ioan. 20. v. 13.) *Mulier, quid ploras?* Illa: *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum*, reſpondit: verùm vt Deum auferri violenter non poſſe, noſceret, iuxta ſe, quem ablatum deplorabat, inuenit: *Hæc cùm dixiſſet, conuerſa eſt retrorſum, & vidit Ieſum ſtantem.* Fidem Deum poſſe inuitè auferri credens aliquomodò confundebat; ſed dum credit ablatum, prudenter recurrit, vt inuenerit, ad lamentum: nam licèt exulárit depulſus, rediit facilè vberrimis lachrymis inuitatus. *Perturbationem mulieris reprimunt*, inquit Theophylactus ad hunc locum, *manſuetè ac placidè dicendo: Mulier quid ploras?* (Theophyl.) Ac ſi dicant: Turbata es, dum fateris diuinum, & credis ablatum; aſt prudenter doles, dum ablatum credis: nam dum acri dolore ob amiſſionem ingemiſcis perculſa, non poteris diſtare à Domino ſeparata, quandoquidem ipſis lachrymis, quas dolenter effundis, tibi præſentiſſimum habes. Deus non rapitur, ſed amittitur, &, ſi contigit amitti, dubium non eſt veris ſingultibus reuocari.

194. Eliſæus, dum Eliam ſuperna aſcendentem aſpicit, abeſſe dolet, & dolore ſibi ſpiritum acquirit: (4 Reg. 2. v. 12.) *Videbat, & clamabat.* Dum anxietate ictus nudatur, dum lamentis repletur, dubium non eſt, inquit Drogo de Sacram. Domin. Paſſion. ſpiritum ſortiri, & ſubductum quodammodò reuocare: (Drogo.) *Duplex ſpiritus duplò clamat.* Quantumvis ignei equi prophetam tulerint, ſi clamet Eliſæus, ſpiritum non auellent: quia clamor ipſe ſibi reproducit, & trahit. Iam Eliæ ſpiritus remanet Eliſæo inuiſceratus, & doloroſis clamoribus quodammodo reproductus; clamando recuperat, dum amiſſum dolenter clamat. Ergo Michas ſibi imponit, dum arbitratur diuinum, quod clamoribus non reuocauerit perditum.

195. Iure Diuus Paulus ſeductam atteſtatur mulierem, non Adamum: (1. ad Timoth. 2. v. 13.) *Adam non eſt ſeductus, mulier autem ſeducta in præuaricatione fuit.* Falſa, & ſerpentina doloſitate decepta impoſſibilia credidit, & tentauit. Repetamus hiſtoriam: Cùm arbor illa vetita ſplendido, ac ſapido fructu diteſceret, ſerpens mulieri ſuaſit poſſe diuinitatem furari, & Deo ſimilem furto fieri: (Geneſ. 3. v. 5.) *In quocumque die comederitis ex eo, aperientur oculi veſtri, & eritis ſicut dij ſcientes bonum & malum.* O quanta iniquiſſimus dæmon huic prolectationi inſeruit! Si deliquerit, poſſe felicitatem conſequi, fœminæ perſuaſit, & quod mireris adhuc fœminæ fidem habet; delinquendo fore ſe felices ſtulta temeritate præſumunt, & vetitæ arbori accedunt. Certè ſi fructus arboris eſſet diuinitas, ab arbore nequiret rapi, nec audenti manu auferri: ipſa dæmonis verba arborem nullatenus diuinitate exornatam oſtendebant, quando poſſe diuinitate nudari, vaferrimè aſſeuerabant: & quidem ni mulier paſſionum fumo obcæcaretur deluſa, & ambitione obturbata, lucens deprehendiſſet mendacium: audi Baſilium orat. 3. (Baſil.) *Quid fugis mulier plantam, cuius ope Deus eris? Quid cibum, per quem pares cum imperante ſitis, repudiatis? His vocibus auditum ſubuertit*, & ſubuerſam, ac falſam riſit. Adnectit: *Ridebat Diabolus, cùm dedecore Dei conſpurcaſſet imaginem.* Profectò ridenda, & erat mulier, quæ ad diuinitatem inhiabat, & à poſſidente ſe furari poſſe credebat, quandoquidem quidquid virtutis, ita poſſidentis eſt proprium, vt extra arbitrium maneat alienum: aurum, ſalus, filiorum copia continuis ſubiacent varietatibus, & diuerſis mutantur vicibus; virtus verò, ni poſſeſſor depulerit, nullus abſtuliſſe poterit.

196. Sibi ad ſpeciem contraria prodigus ille pœnitentium emblema loquitur: (Lucæ 15. v. 21.) *Pater peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus.* Si non eſt dignus vocari, nec dignus erit eſſe: cur ergo non ait: Non ſum dignus eſſe; ſed appellari? quia ipſa lachrymabili confeſſione, inquit Chryſologus, amiſſum recuperabat, & dum ingemiſcebat amiſſum, iam poſſedit inſtauratum: *Confeſſio*, inquit ſerm. 2. Chryſologus, *patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo: Peccaui in cælum, & coram te.* (Chryſol.) Peccatum diuinum Patrem abſtulerat, ſed pœnitudo iterum conciliauit, & dum vberibus lachrymis ſe filium denegat, ipſa denegatione ſe filium eſſe manifeſtè confirmat: (Pœnitentia quod amiſſum dolet, reſtaurat.) hæc eſt enim mira pœnitentiæ proprietas, quod dolet amiſſum, ipſo dolore iam poſſidet inſtauratum: pœnitudo ergo reddidit patrem filio, & quem culpa in brutorum cenſum redegerat, intimus dolor in hominem mirabili metamorphoſi transformauit, & filiationis gloriam reſculpſit: *Confeſſio patrem pandit, genitorem loquitur pœnitudo.* Se amiſiſſe quæ erant filij, acri dolore lamentatur perculſus: *Non ſum dignus vocari filius tuus*, ſed lamentis patrem pronuntiat verus: ipſa patris appellatione ſe probat filium, aſtruens quod negat, & negans quod ipſa honeſta negatione ineſſe ſibi confirmat.

§. XLVI.

Digitized by Google

§. XLVI.

Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur.

197. Mirum eſt, quàm patienter ſe homines gerant, ſi potentiam vereantur humanam: deglutiunt iniurias, gemitus deuorant, ſuſpiria pectoribus intercludunt: metu grauioris detrimenti ora ſilentio ſigillant, vt patientiâ patientiam redimant. *Sapiens*, aiebat Seneca epiſt. 14. *Nunquam potentium iras prouocabit; imò declinabit, non aliter, quàm in nauigando procellam.* Vt nauis procelloſis vndis impetita, & acriùs adſpirantium ventorum flatibus agitata, ni in portum ſe recipiat, miſero naufragio abſorbetur, & pelago deglutitur: ita qui inſanas potentium iras non declinat, ſibi inuidet, & ſua ſibi audacia nocet. Verùm cùm ora poſt acceptas iniurias ob humanæ potentiæ timorem frænentur; ſic delirat humana mens, vt diuinam, ſi non parui pendit potentiam, timore honeſto non colat; ſed effrænis audeat. Deum fatetur omnipotentia præditum; ſed aliter non auderet, ſi prorſus crederet imbecillum. En dum armatorum manus inſtat, dum militum copia ferrum ſtringit, continet ora Michas, & grauioris damni metu vertit acceptis iniuriis terga. Milites ab ipſo humaniter hoſpitio excepti eum diſpoliarunt, & quam ſolent milites, mercedem hoſpitij retulerunt; & compulſus eſt abſtinere à querela timens vlteriora damna. Non ignorabat vti Ephraimita Deum Hebræorum ornatum omnipotentia, & tamen conflauit idolum, conſtruxit teraphim, peruertit Leuitam, initiauit ſacrilegè Sacerdotem: *Fecit ephod, & teraphim, id eſt veſtem Sacerdotalem, & idola*: aſt cùm hæc omnia armata Danitarum manus abſtulerit, & ipſe raptores clamoribus proſecutus vrgeret; illi, ni taceret, graues minitantur pœnas: *Caue, ne vltrà loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Minis deterritus obmutuit, ſilentio ora ſigillauit, & domum, etſi mœſtus repetiuit: *Videns autem Michas quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.* Ecce auſus non eſt ſua repetere humanam potentiam veritus; qui attentauit idola conſtruere diuinum brachium oblitus; longiſſimis interuallis numinis robur humanas euincebat vires, & tamen Michas ab inceptis deſtitit reueritus militarem audaciam, & non deſtitit noſcens numinis infinitam eſſe potentiam? *Quia erant ſexcenti viri armati*, inquit Abulenſis quæſt. 16. *Et ipſe paucos famulos ſecum habebat, non auſus eſt pugnare contra eos. Reuerſus eſt in domum ſuam, ſcilicet timens, quòd ſi plus clamaret, occideretur.* Humanus timor imperauit ſilentium, diuinus non diſſuadebat idolum.

Seneca.

Iudic. 17. v. 5.

Abulenſ.

198. Cùm Daniel cibos regios ſibi ac ſociis conſtitutos non edere decreuiſſet, eunuchorum principem obnixè deprecatus eſt, vt ſibi ſociiſque liceret leguminibus ali: ille etſi lucro alliceretur, reſtitit regis iram extimeſcens, quandoquidem, ſi conſtitutam ipſis, non exhiberi annonam agnoſceret, capite forſan damnaret: *Timeo ego Dominum meum regem, qui conſtituit vobis cibum & potum: qui ſi viderit vultus veſtros macilentiores præ cæteris adoleſcentibus coæuis veſtris, condemnabitis caput meum regi.* O quot miniſtrorum modò capita præcidenda, ſi ad id eſſent ſatis vultus pendentium macilenti, & fame conſumpti. Itaque magnus ille Princeps vel mancipiorum vultus attendebat, vt ſi ineſſet dolus, ex aſpectibus venaretur: & ob id miniſtri ſummopere verebantur non ſolùm fraudem texere; ſed vel petentibus legumina annuere. Tranſi modò ad eiuſdem prophetæ cap. 14. Vbi cùm populus quam plurima in numinis à ſe culti alimentum penderet, Sacerdotes miniſtrique idoli omnia inſumebant, ac fraudulenter vorabant: *Erat idolum apud Babylonios nomine Bel, & impendebantur in eo per dies ſingulos ſimilæ artabæ duodecim, & oues quadraginta, vinique amphoræ ſex.* Quid tunc? *Sacerdotes ingreſſi ſunt nocte iuxta conſuetudinem ſuam, & vxores, & filij eorum, & comederunt omnia, & biberunt.* Quàm aliter ſe regius miniſter, & Bel ſe Sacerdotes gerebant! Ille vel cibos renuntiantibus ingerebat, iſti doloſis fraudibus deuorabant: ille verebatur regem, deſpiciebant iſti numen: ille timebat poteſtatem in ſe concitare humanam, iſti aſpernabantur potentiam, quam deluſi arbitrabantur diuinam, vt actionum colore nobis depinxerit Sacra Scriptura, quam homines obliuiſcantur diuinam potentiam, quàm poteſtatem vereantur humanam. *Ait princeps*, inquit Hugo, *eunuchorum ad Danielem: quaſi faceret, quod rogas; ſed timeo ego Dominum meum regem.* Lucrum cum timore pugnabat, & timor cupiditatem ſopiebat; aſt Sacerdotibus non perſuaſit timor non furari, cùm aulico perſuaſerit ſine experimentis miraculiſque ſupplicationem ſibi vtilem non audire.

Daniel 1. v. 10.

Daniel 14. v. 2.

Hugo.

199. Deus hominem de originis loco exterminat; quippe deliquerat, & ne iterum audaci manu paradiſi plantas temeret, cuſtodem flammeo armatum gladio conſtituit: *Eiecit Adam, & collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium, atque verſatilem ad cuſtodiendam viam ligni vitæ.* Vt exterminare è paradiſo Adamum æquitati erat conſonum, ita Cherubim obarmare videri potuit ſuperfluum. Si Adamus Domini potentiam non ignorans ad pomum vetitum manum extendit, & timorem audaciſſimè proculcauit, minus creaturam timebit, quandoquidem Cherubini non immerata potentia, & potentia numinis infinita: timorem oppoſuerat Dominus audaciæ frænum, virtutis retinaculum, temperantiæ neruum, & nihilominus Adam timoris clauſtra prærupit, & contempta morte venenatæ arbori acceſſit: ergo & accedet modò, quantumuis gladius igneus vitæ minitetur, ſuperfluumque erit ante paradiſi fores Cherubim ſtatuere, quando nihil profuit ipſo in paradiſo degentem mortis timore frænare. O ſapientiam immortalem! Profectò ſi homo æqua rationis lance res penderet, plus caueret numinis potentiam, quàm Cherubini timeret flammam; adeò tamen ab exordio creatam potentiam homines timent, vt, ne iterum Adamus in paradiſum irrumperet, creaturam appoſuerit igne obarmatam, & acuto gladio munitam: & quidem euentus oſtendit quàm aliter homines creatam, & potentiam revereantur diuinam: non legés Adamum Cherubini timore perculſum tentaſſe paradiſum ingredi, cum dubium non fuerit præcipientem Dominum aſpernari. Huc voco Baſilium Seleucienſem orat. 3. *Excuſſo timore pœnaque ſublata contra Deum bellum conflat.* Bellum contra Deum conflat Adamus, etſi timore deterritus, non tamen conflauit bellum in Cherubinum eius timore

Geneſ. 3. v. 24.

Baſil.

more perculſus, enſeque fugatus: eſt enim creaturis ſolitum creaturam extimeſcere, creatorem deſpicere: exhorreſcere gladium, vulnus infligentem, & deſpicere iuſtitiam animas æternis ignibus vſtulantem.

200. Genef. 4. v. 15. Cainum audies occurrentium manus trepidantem: *Omnis, qui inuenerit me, occidet me.* Non audet timore præpeditus obambulare, qui auſus eſt fratrem occidere: illi aiebat Deus: *Nonnè ſi benè egeris, recipies; ſin autem malè, ſtatim in foribus peccatum aderit?* & tamen Dei oculos non reueritus; fratrem doloſè occidendum duxit in campum. Rogabis: Si Cain hominum facies extimeſcit, quomodò numinis vultum non extimuit? Si, vt in facinus prolaberetur, & morti ianuam aperiret, fraternum ſanguinem fundens numinis proculcauit timorem, cur modò timoris acrem è pectore non expulerit anxietatem? Sanè quia hic metuebat homines: ea eſt namque amens peccatoris vecordia, & vecors temeritatis audacia, vt ibi non trepident, vbi prudenti timore fuiſſent exagitandi, & vbi timor, aut paruus, aut nullus eſt, totis artubus contremiſcant. Cain vel hominum vererur vmbras, cùm deſpexerit numinis iras. Vbi noſter textus habet: *Vagus, & profugus eris ſuper terram*: Septuaginta verterunt: *Tremens & gemens eris ſuper terram*: quod opportunè Stephanus in allegoriis Tilmani interpretatus ait: *Per Cain, qui interpretatur poſſeſſio, intellige diuites huius mundi, qui timent amittere ſe, & ſua: vnde illis trepidauerunt timore, vbi non erat timor; id eſt, pro amiſſione temporalium, non æternorum.* Timebat diſpoliari caducis, nihili faciebat nudari æternis: ad humanam trepidabat potentiam, audax deſpexit diuinam: cuius exemplum ſecutus Michas idolum reliquit armatos veritus, non reliquerat diuinam potentiam imprudenter aſpernatus.

Septuag.

Stephan.

§. XLVII.

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas.

201. PErſonata felicitas plurimum diſtat à verâ argentum etiam in matrice vena nondum repurgatum limatúmve pretioſum eſt, vt è contrà ſubæratum licèt nitidum oculis imponat, non eſt argentum ſed dolus, nec aliter ſors, quæ non vera virtutis progenies, quantumvis ſplendeat, perſonata eſt; virtute verò innixa etiam ſine ſplendore eſt pretioſa. Verùm ea eſt mortalium cæcitas, vt pro argento habeant æs ſplendidum, túncque ſe deprædicent auctiores fortunatis diuitiis, cùm plus doloſis exundarint fallaciis. Qui reluminatos habent oculos, res metiuntur non ab exteriori fulgore; ſed à ſolida, & interna veritate. Quàm diſertè Tertullianus lib. de teſtim animæ cap. 3. *Hactenus ſapiens & prudens habebitur, qui propè Chriſtianum pronuntiauerit, cùm ſi quid prudentiæ aut ſapientiæ affectauerit ſeu ceremonias deſpuens, ſeu ſæculum reuincens pro Chriſtiano denotetur. Iam igitur nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſa felicitatis, cui in falſo potiùs creditur, quàm in vero.* Felicitas habebatur virtutibus contraire, diuitiis exundare; & libidinibus ſtudere; erat tamen proſperitas perſonata, miſeria vera: infelices arbitrabantur Chriſtianos voluptatibus renuntiantes, & virtutibus inſeruientes; verùm Chriſtiani vt qui cruſtatam nouerant, & veram felicitatem, virtutem amplectebantur, quamvis ab Ethnicis deriſi, qui adeò delirabant, vt pro virtute haberent felicitatem. *Nihil nobis erit cum litteris, & doctrina peruerſa felicitatis.* Peruerſa erat Laienſium fortuna, quæ in nigros deſiuit cineres, quæ flammas attulit pro fictis, ac fucatis ſplendoribus: *Viderunt populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxtà conſuetudinem Sidoniorum, ſecurum, & quietum nullo ei penitùs reſiſtente, magnarúmque opum; & procul à Sidone; atque à cunctis hominibus ſeparatum.* Felicitatem audiſti, finem adſpice: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Iam celſa ædificiorum moles, cœlóque coæquata ſordeſcit, iam ciuitatis pulchra varietas confuſio eſt, vt repetat Gregorius Nazianzenus epiſt 68. *Hic eſt humanæ proſperitatis; ſeu felicitatis finis.* Quàm erat Lais omnibus miranda ob diuitiarum copiám, ob populi frequentiam, ob camporum vbertatem, ob aërem ſalubrem! Verùm vbi omnia virtute deſtituta leui flatu fruſtrarunt oculos diſſipata. Quàm benè ex Philoſophis refert Plutarchus lib. de audiend. poët. *Felicitatem & beatitudinem pecuniarum cumulo; neque rerum faſtu, neque vllis magiſtratibus; aut potentia; ſed vacuitate ægritudinis, manſuetudine motuum; atque animi affectu terminos natura ſequente.* Vera ſolidáque felicitas eſt cruſtatam felicitatem agnoſcere, & ſplendorem oculos fallentem deſpicere. Naziana. Plutarch.

Tertull.

Nahum ſic Niniuè felicitatem deſcribit: *Niniue quaſi piſcina aquarum aqua eius; ipſi verò fugerunt: ſtate; & non eſt, qui reuertatur: diripite argentum, diripite aurum, & non eſt finis diuitiarum ex omnibus vaſis deſiderabilibus. Diſſipata eſt, & ſciſſa, & dilacerata, & cor tabeſcens, & diſſolutio geniculorum, & defectio in cunctis renibus; & facies omnium eorum, ſicut nigredo ollæ.* Ad inſtar aquæ ſuperuenientium impetu pulſæ fuit Niniuitarum felicitas; effloruit, vt marceſceret; congregauit vt acriùs diſpoliata indoleret: reſplenduit, vt ignominioſiùs ſordeſceret. O quàm benè epiſtol. 57. Nazianzenus! *Tranſeamus hinc, euadamus in viros, proiiciamus omnia, prætervolemus vmbras, relinquamus aliis vitæ huius delicias; imò magis mæſtitias. Alios fatigent, iactent, & irritent inuidentia ſæculi; & euentuum curſus.* Adnectit: *Magnæ huius ſcenæ ludicra, & inania ſpectra prætetebimus; locóque omnium Deum eligemus, qui ſolus bonum eſt per omnia ſufficiens, & noſtrum, vt in hac vita inclareſcamus, qui adhuc puſilli ſumus; vitaque huius claritatem quærimus.* Vel ad huius vitæ claritatem oportet amplecti virtutem: nitent cætera exteriùs, inani ſplendore oculos aliquantulum detinent; ſed quos modò demirabamur beatos, citiſſimè ſtupemus miſerrimos. 202. Nahum 2. v. 8. Nazianz.

Iob trigeſimo nono capite equum illum Deo ſeſſore honeſtè ſuperbientem, odorem ait belli à longè percipere, & exhortationem ducum, & exercitus vlulatum agnoſcere: *Procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & vlulatum exercitus.* Sapienti naſo diſcernit odores, noſcitque quid apud duces excelſum, quid reuera ſolidum, & quid miſeris vlulatibus demptum. Sunt capitalia vitia, quæ vitiis aliis ducatum præſtent, hæc ad bella in virtutem concitant, animoſque cient; 203. Iob. 39. v. 25.

verùm

verùm diſertus equus mauult Deo ſeſſori ſubiici, quàm clamorem Ducum audire. Ita Gregorius
Gregor. Magnus lib.31.moral.cap.17. *Benè Duces exhortari dicti ſunt, exercitus vlulare: quia prima vitia decepta menti quaſi ſub quadam ratione ſe inſerunt; ſed innumera, quæ ſequuntur, dum hanc ad omnem inſaniam pertrahunt, quaſi beſtiali clamore confundunt: inanis námque gloria deuictum cor, quaſi ex ratione ſolet exhortari, cùm dicit: Debes maiora appetere, vt quo poteſtate valueris multos excedere, eo etiam valeas multis prodeſſe.* Adnectit poſt aliqua: *Miles Dei quia ſolerter præuidere vitiorum certamina nititur, bellum procul odoratur: exhortationem Ducum naris ſagacitate deprehendit, & quia longè præſciendo ſubſequentium iniquitatum confuſionem conſpicit, quaſi vlulatum exercitus odorando cognoſcit.* Prudenti perſpicacia quid ſub pulchra faſcia, lateat, deprehendit: & quia Ducum allicientium plauſum iam percipit in vlulatum deſinere, & aures mellitis vocibus demulſas confuſaneis miſeri clamoris ſonitibus verberare, armatur in pugnam, ne falſo deluſus plauſu, vero & amariſſimo volaticum gaudium compenſet gemitu. Imprudentes externis falſi interna non penetrant, nec rerum finem examinant, beatum dicunt populum ouibus fœtantibus copioſum, mole diuitiarum oppreſſum, ſplendoribus fugaciſſimis exornatum, cùm ſub illa faſcia & ſordes lateant, & vermes.

204. 1. Cor.7. v.31. *Præterit*, aiebat Paulus, *figura huius mundi*: Alij legunt; *Scena huius mundi*: In ſcena regem agit pauperculus, nobiliſſimum ſordidus, & diu pannoſus ad horam imponit oculis exornatus: ergo agnoſcamus, inquit Paulus, hanc mundi ſcenam; nec reuera exigua, fucis oblita, alienis ornata magni pendamus, aut æſtimemus; imò noſcamus humanis rebus adhuc caducum illum ſplendorem de ſuo non ineſſe; ſed de foris adductum, & mutuatum: vt enim comœdi luminoſam illam pompam ad horam oſtentantes ex ſe non habent; ſed à ſcenæ præſule accipiunt mutuatã & citiſſimè reddendam; ita humana beatitudo de foris nitens illum adhuc caducum ſplendorem proprium non ſortitur; ſed alienum mutuatur. Opportunè Seneca epiſt.80. *Horum qui felices vocantur, hilaritas ficta eſt, aut grauis, & ſuppurata triſtitia.*
Seneca. Adiicit: *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hac reſupinus dicit:*

En impero Argis, regna mihi liquit Pelops,
Qua ponto ab Helles, atque ab Ionio mari
Vrgetur iſthmos.

Seruus eſt, quinque modios accipit, & quinque denarios: ille qui ſuperbus atque impotens, & fiducia virium tumidus ait:

Quod niſi quieris Menela, hac dextra occides,
Mundialis felicitas perſonata eſt. *Diurnum accipit, in cænaculo dormit: idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſuprà capita hominum, ſupráque turbam delicatos lectica ſuſpendit: omnium iſtorum perſonata felicitas eſt: contemnes illos, ſi diſpoliaueris.* O quàm aliud iudicium ferres de Lais fine cognito, aut ignorato: ſi ſolùm externis crederes, ciuitatem feliciſſimam prædicares, videlicet omni ad delicias, voluptatéſque rerum copia exundantem, & placida quiete vrentem; at ſi faſciam abſtuleris, aſpicies ardentibus flammis vſtulatam, riuulis cruoris madentem, & cadauerum aggeribus grauem. Ergo felicitatem non meriatis à vitiorum fallaciis; ſed à ſolidis virtutum fulcris, inconcuſſiſque honeſtatis fundamentis.

§. XLVIII.

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita, ſed contrà ius reportata.

NOn eſt idem ſpolium & trophæum: qui aliena 205.
cæca cupiditate inflammatus non rapuit, qui potentia non abutitur, qui æquitate armatus vicit, trophæum adeptus eſt. Alexander mundi clauſtra rupit, & extra clauſtra iacens videre tentauit. Se Herculi quàm ſimilem gloriabatur, verùm magnũ inter eos erat diſcrimen, quandoquidem Herculem iuſtitiæ inflammabat amor, Alexandrum felicis temeritatis ſplendor. Audi Senec.lib.1.de benef.
c.13. *Quid illi ſimile habebat veſanus adoleſcens,* Seneca.
cui pro virtute erat felix temeritas? Hercules nihil ſibi vicit, orbem terrarum tranſiuit non concupiſcendo; ſed vindicando. Quid vinceret malorum hoſtis, bonorum vindex, terrarum, mariſque pacator? At hic à pueritia latro gentiúmque vaſtator, tam hoſtium pernicies, quam amicorum, qui ſummum bonum duceret terrori eſſe cunctis mortalibus, oblitus non ferociſſima tantùm; ſed ignauiſſima quoque animalia timeri ob virus malum. Parum intereſt æqualia poſſideas, ſi titulus inæqualis: non eſt grande robur & audax militum copia cincta poteſtas ad triumphandum ſatis, etſi ſatis ſit ad premendum: quod æquitas & iuſtitia acquiſiuit, triumphus eſt; & contrà varios fortunæ vultus perſtat ipſa æquitate ſuffultum; quod verò effrænis audacia, & audax inſolentia diripuit, ruborem affert; etſi felicem temeritatem euulget: tunc fortè videatur alicui verum gaudium; ſed iam ſibi auſpicatur amarum gemitum. En Danitæ armorum potentiâ Laienſes nullatenus iniurios illegitimè inuadunt, occidúntque: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij: vrbémque incendio tradiderunt.* Nondum plena fruebantur victoriâ, cùm iam inter execrādæ victoriæ plauſus, futuræ ſonat captiuitatis catena, & inſeritur, ſi fas eſt dici, calamitoſiſſima ærumna: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.* Expende in ſacro textu victoriam & captiuitatem coniungi: tunc prænuntiantur captiui, cùm referũtur ciuitatem deprædati: nec enim quæ inhoneſta erat rapina, durare quiuit victoria. *Aliqua gentes*, inquit Abulenſ.q.19. *de conuicinis*
pugnauerunt contra habitatores Lais de tribu Dan, Abulenſ.
& captiuos eos duxerunt, atque tulerunt inde idolum, & omnes apparatus eius, & reliquam prædam vrbis. Violenta oppreſſio, iniqua expugnatio, etſi tantiſper ſpoliis fuerit potita, armatorum copiam in ſe concitauit, & captiuitate perſoluit, quod iniquitate diripuit. Cedunt violentiæ imbecilles; verùm qui infelici vtuntur potentiâ, dura etiam gemunt fortuna, quandoquidem violenta oppreſſio, & iniqua depopulatio eſt infortunij præſagium, & calamitatis illicium.

Væ denuntiat Iſaias violenter deprædanti, & ar- 206.
morum potentiâ contrà fas & ius abutenti, quandoquidē qui poſt certaminis labores infelici coro-
natur victoriâ, erit iuſtiſſima aliorum præda: *Væ qui* Iſai. 33.
prædaris, nonne & ipſe prædaberis: & qui ſpernis v.1.
nonne & ipſe ſperneris? Cùm conſummaueris deprædationem, deprædaberis. Aliquando auis rapax inſidiis auiculam capit; ſed cùm iam iniquæ violentiæ gaudebat ſpoliis, venatrix etiam aquila impetu infauſtè diuitem, & vngues patitur alienos,

Digitized by Google

quia ſimplicis auiculæ ſanguine maculauerat proprios: ni prædam inferior auis tuliſſet, aquilam nullatenus prouocaſſet; at laboris fructus fuit eſſe aquilæ ſpolium, & quæ ſibi iniuſtè prouidit, & improuidè nocuit, in ſe potentiam armauit. Prophetæ vaticinium de Sennacherib intellexerunt interpretes: nam cùm armis potentiſſimus de populo ſpolia tuliſſet, Dei in ſe indignationem prouocauit, & infauſta coronatus victoria Iſraëlitici populi fauſta fuit præda; *Væ qui prædaris*, exponit Lyra, *Scilicet populum Domini; nonnè & ipſe prædaberis? quaſi diceret: ſic: quia exercitu eius percuſſo ab Angelo 4. Reg. 11. Populus Ezechiæ exiuit ad colligendum ſpolia.* Redierat Sennacherib de Ægypto ſpoliis plurimis violenter ablatis onuſtus & ditatus; verùm dum ampliora ſitit, & armorum potentiâ fretus, ac pro iure víſus Dei populum ſubiugare aggreditur, infauſta ſibi ominatur, quandoquidem Angelico enſe percuſſo exercitu timoris alas aſſumpſit, & Hebræos rapiis ſpoliis præter opinionem ditauit, fuitque meritiſſimè Hebræorum ſpolium, quod per Sennacherib ab Ægyptiis fuerat direptum, & aſportatum. Cæca cupiditas alienis vſibus inſeruiuit, & cui inhiauerat cupidus, aliis prædam iuſtè reliquit effugatus: diuitiæ iniuſtè partæ dilabuntur, & quicquid iniquitas acquiſiuit, non ſibi, ſed aliis rapuit. Ecce Danitas, dum intra ditionis ſuæ terminos continentur, dura catena non opprimit; aſt cùm aliena contra fas inuadunt, iam captiuitas dura prædicitur, & deprædantes, vt verbis vtamur Scripturæ, fiunt hoſtium præda. Per anxia pericula, & hoſtiles mucrones ad diuitias inuolatunt; ſed inutili labore defatigati ſolummodò poſſederunt, vt poſſeſſas perderent, & acrioribus amittendo doloribus æſtuarent.

Lyra.

207. Amraphel innocuum Lot, nulli iniurium, paceque florentem captiuitatis iugo premit, & à propriis ſedibus violenter abducit: *Tulerunt omnem ſubſtantiam Sodomorum & Gomorrhæ, & vniuerſa, quæ ad cibum pertinent, & abierunt; necnon & Lot, & ſubſtantiam eius.* Dum iniuſta præda lætantur, non defuit, qui Abrahamo rem denuntiarit: ille vt Lot captum audiuit, expeditis vernaculis manum inſtruit, & ſecuros ac incautos felici adeò euentu inuadit, vt victores vicerit, & deprædatores nudarit: *Percuſſit eos, & perſecutus eſt eos vſque Hoba, quæ eſt ad læuam Damaſci, reduxitque omnem ſubſtantiam, & Lot fratrem ſuum cum ſubſtantia illius, mulieres quoque & populum.* Ni Lot diſpoliaſſent, & captiuitati addixiſſent, Abraham in campum vernaculorum non produceret manum; verùm dum non tam coronantur victoriâ, quàm opimâ diteſcunt prædâ potentiam in ſe Abrahami concitarunt, & qui nuper prædæ magnitudine onuſti, iam catenis ingemunt compediti. O quàm infauſtum omen fuit Lot iniuſtè diſpoliatus, & immeritò oppreſſus! Inauſpicatior fuit illis victoria, quàm foret hoſtilibus mucronibus præbuiſſe terga, quandoquidem vitæ conſulerent fuga, & mortem ſibi maturauere victoriâ: meritiſſimam ſibi conciliarunt ſtragem, dum adaggerant iniuſtam prædarum molem: *Capto ab hoſtibus Lot*, inquit Rupertus lib. 5. in Geneſ. cap. 11. *Abraham aſſumptis copiis, & diuiſis ſociis ſubauditur Aphor, & Eſcol, & Mambre, ſuper hoſtes irruit, victorque propinquum liberum reducit.* Abrahami gloriæ militauerant reges, & quo eorum copioſior fuerat rapina, eo plenior fuit Abrahami victoria: ad exiguum tempus acceptis ſibi plauſerunt ſpoliis; ſed ob accepta ſpolia vltoris gladij extiterunt digniſſima victima: nil adeò illis infauſtum potuit contingere, vt Lotum nullam ad captiuitatem cauſam præbentem potentia armorum deuiciſſe, & iniquè ſubiugaſſe. O quoties latet infortunium victoriæ fuco obtectum! O quoties gaudium eſt perſonatum, & non indubium luctus auſpicium! Quam æquitas non firmauit, quam iuſtitia non acquiſiuit, ſtabilis non eſt victoria; imò eſt calamitatis prænuntia.

Geneſ. 14. v. 11.

Rupert.

Eodem tempore ſerpentem video acceptis ſpoliis coronatum, & cælo ſimul depulſum. Draco diadematis redimitus in ſtellas audet, cæloque detrudit: *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem, & in capitibus eius diademata ſeptem, & cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit eas in terram.* Ablatis diadematis coronatus adhuc ſitit dominari ſyderibus; imò iam aſtris dominatur puerum recens natum deuorare etiam aggreditur; verùm dum infelicibus triumphis, dum infauſtis victoriis extollitur, è cælo victus detruditur: Michaël namque impudenti audacia irritatus bellum inſtruit, & ſerpentem è cælo abigit: *Proiectus eſt draco ille magnus ſerpens antiquus, qui vocatur diabolus & Sathanas, qui ſeducit vniuerſum orbem.* Antiquus ſerpens, dum inſidiis hominem aggreditur, eum coronâ diſpoliat; ſed dum vincit, in ſe cæleſtes copias exacuit. Ecce draco ablato ab homine diademate redimitur; ſed dum iniquo reſplendet triumpho, digniſſimo diſcruciatur tormento. Iam proiectus turpiter adrepit, & de iniuſta victoria grauior infligitur pœna: vt acriùs doleat, dum coronatur, & coronatus proijcitur. *Hic conſequenter deſcribitur* (verba ſunt Lyræ) *Coſdroæ perſecutio, & Eccleſiæ liberatio. Viſum eſt aliud ſignum, id eſt Coſdroë rex Perſarum, qui dicitur in cælo militantis Eccleſiæ viſus tamquam grauis perſecutor ipſius.* Adijcit: *Habens capita ſeptem, id eſt, ſex reges ſibi ſubditos, & ipſe erat ſeptimus.* Diademata non tam erant diademata, quàm infortunia: iniquis ditatus triumphis ingemuit dignis attritus ſuppliciorum tormentis, vt notum fuerit infauſta ſibi ominari, cui contigit ſpoliis indigniſſimis redimiri. 108.

Apocal. 12. v. 3.

Lyra.

§. XLIX.

Securior degit inter hoſtes ſolicitus, quàm ab hoſtibus diſtans ignauus.

MVltæ difficultates obſident; ſed minus negotij extremæ afferunt: ſi ſibi animus conſtet, rarò in alienum veniet arbitrium: athleta victoriis coronatus, ſi minus diligenter aliquo ſe in certamine gerat, gloriam triumphorum obſcurabit, & in aduerſarij poteſtatem deueniet; qui verò vel ſub aduerſa fortuna non ceſſit, qui ſpiritus reſumpſit ad omnem contrarij motum ſolicitè attentus & indefeſſe ſolicitus, hic fortunam reuocabit, & aduerſarium euincet. *Qui ſupplantatus*, aiebat Senec. epiſt. 13. *Aduerſarium toto tulit corpore, nec proiecit animum proiectus, qui quoties cecidit, contumacior reſurrexit, cum magna ſpe deſcendit ad pugnam: ergo, vt ſimilitudinem iſtam proſequar, ſæpè iam fortuna ſupra te fuit, nec tamen tradidiſti te; ſed ſubſiliiſti, & acrior reſtitiſti: multum enim adijcit ſibi virtus laceſſita.* Si laceſſita virtus aduerſus fortunam inſurgat, non 109.

Seneca.

Se roborat virtus laceſſita.

non ſemel obtinebit victoriam: vt è contrà, qui à nullo competitus ignauè ſtetit, miſeram aliquando experitur ruinam. Exemplo Laienſes ſunt. Diſtabant à Danitis, & diſtantia muniti pereunt, dum aduerſariorum audaciam nutriunt: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum & quietum nullo ei penitus reſiſtente, magnarúmque opum, & procul à Sidone, atque à cunctis hominibus ſeparatum.* A cunctis hominibus ſeparatus quieſcebat; ſed quietus occubuit, & horrendùm perſtrepentibus flammis arſit: *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Audis longiſſimis interuallis diſtantes periiſſe: audi modò Amorrhæos Danitis non ſolùm proximos;
Iudic. 1. v. 34. ſed quodammodò immixtos detriumphaſſe: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent.* Cùm Danitæ locorum ſitu adeò ſuperiores exiſterent, nihilominus referuntur arctati, cùm Laienſes pereant occiſi. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt?
Abulenſ. Audi ab Abulenſi quæſt. 5. *Hoſtes, qui erant in circuitu illius partis, quam ipſi tenebant, erant fortiſſimi & exercitati ad bella, & cauentes vigilanter, ne Iſraëlitæ contrà eos inſurgerent: ideò deſperabant Danitæ ſe poſſe præualere contrà iſtos, & ob hoc voluerunt ſcire, an in aliis partibus ſortis ſuæ procul inde diſtantibus eſſet aliquis populus non tantùm inſtructus ad bella, vel vigilans ad cuſtodiam ſuam, vt contrà illum pugnarent: Et perrexerunt iſti quinque viri luſtrantes ſortem Dan; & in extremitate eius ad aquilonem inuenerunt viros vrbis Lais, quæ ciuitas ſecura erat, non accedens ad bellum.* Amorrhæus, dum periculis ſolicitus ſe præmunit, & hoſtiles adſultus cohibet; Laienſis verò dum longa diſtantia fiſſus ſtetit otioſus, fit aduerſariorum præda, & irreparabili petit ruinâ: vt his apertiſſimis exemplis noſtræ theſis veritas confirmetur, videlicet ſecuriùs degere vel inter hoſtes ſolicitum, quàm diſtantem longiſſimis interuallis ignauum.

210. In præceptis accipit Elias anxiè ab idololatria
3. Reg 18. v. 1. rege quæſitus illi occurrere, & ſe palàm oſtendere: *Vade, & oſtende te Achab, vt dem pluuiam ſuper faciem terræ.* Paruit Elias nullo exteriùs Angelo cinctus: *Venit Achab in occurſum Eliæ.* Poſt hæc cùm celebrem de prophetis Baal triumphum egiſſet, & Iezabel in ſe animum concitaſſet, fugit in deſertum: iam diſtans timori aliquantulum me-
3. Reg. 19. v. 5. debatur ſomnum ſub arbore capiens: *Proiecit ſe, & obdormiuit in vmbrâ iuniperi.* Angelus non ſine ſtomacho dormientem excitat, & accelerare greſſum ſine intermiſſione imperat: *Surge, comede: grandis enim tibi reſtat via.* Si humana ratione res metiendæ forent, opportunior videbatur Angelus, dum irato regi occurrit, quàm dum fœminæ terga vertit: ſi ibi regi adſtans Angelico exteriùs non minuitur auxilio; cur hîc à fœmina diſtans ad profectionem adurgetur præcepto? Quia per ſomnum illum, inquit gloſſa, ignauia, torpórque deſignatur: ergo ad noſtram eruditionem, quia Elias grauiùs periclitabatur dormiens, diſtantiáque fiſſus, quàm Achabo occurrens ſolers ſolicitúſque, Angelus excitauit dormientem, neque
Gloſſa. exteriùs comitatus eſt vigilantem: *Tepor*, inquit gloſſa moralis ad hunc locum, *aliquando nominatur in Scripturâ ſopor: Angelus cuſtos hominis eum excitat ad bonum exercitium dicens: Surge per mentis vigilantiam.* O quoties dum dormimus ad ſpeciem diſtantes grauiùs periclitamur, quàm dum periculis proximi parati bellum aggredimur.

Hoſtis viribus præualens cautela adhibita frænatur, quæ ſi deſit, infirmus triumphum reportabit inimicos aggreſſus: Deſcendens Samſon in Thamnatha integris viribus à Thamnathæis exceptus eſt placido vultu; ſed cautela adhibita ſibi prouident, & obſequij ſpecie contrà inopinos ſucceſſus cauent: *Cùm ciues loci illius vidiſſent eum, dederunt ei ſodales triginta, vt eſſent cum eo.* Poſteà cùm iam exoculatus, vinculis attritus, & ferè decapillatus (ſolùm námque incipiebant germinare capilli) puerulo committunt, elocatis à Samſone ædificij columnis miſerè pereunt: *Cecidit domus ſuper omnes principes, & cæteram multitudinem, quæ ibi erat.* Quàm alia fuit Philiſthinorum ſors, cùm Samſon, ſi dici liceat, à ſe ipſo quodammodo omnino fuerit diuerſus: in Thamnatha prolixis capillis exornatus, viribus integris munitus, licèt ſecreti proditione fuerit exaſperatus, graue adeò detrimentum non intulit; hic verò templum cum Philiſthinis euertit. Quod ſi huius diſcriminis inquiras cauſam, inuenies iam decapillato Samſone, iam exoculato nullam ab aduerſariis cautelam adhibitam: ergo qui adhibitis cuſtodibus in Thamnatha refrænarunt audaciam; hîc, dum puero, quem decipere haud arduum fuit, hoſtem tradunt, ruinâ miſerabili pereunt, fortiſſimis ſodalibus circumſeptus Samſon iram in Thamnathæos vel exaſperatus initio cohibuit, & ab eis ſolùm receſſit; hic verò, dum nil verentur, facillimè Philiſthini euertuntur: ergo vbi cautela adhibita, exiguum à validiſſimo detrimentum paſſi, vbi verò nulla cura, vel à deuicto, & quodammodò languenti penitus interierunt attriti. Adeſt opportunè Lyra: *Dederunt ei ſodales, vt ſi Samſon vellet aliquid agere contrà eos, iſti reſiſterent ei.* Politici ſub ſpecie honoris exhibuerunt ſodales prouida cautelâ vtentes, & cautelam ipſam honoris ſpeciè diſſimulantes: ergo Samſon, etſi exaſperatus diſceſſerit, in eos tunc non irruit; hîc verò puerulo commiſſus templum Principis, vulgúſque proſtrauit, & factis pro coloribus vſus nobis delineauit, quantum interſit ſolers vigilantia, & quantum noceat iners ſomnolentia, & incautiſſima ignauia. Plures in hoſtili regione, dum ad leuem etiam ſtrepitum ceruicem circumegerunt ſolicitè, vt ſibi cauerent, pericula eluſerunt, & hoſtilem rabiem fruſtrarunt; cùm alij, dum omni cautela inueniuntur nudi, acerbos tulerint caſus, & inter ſuos miſeros inuenerint luctus. 211.
Iudic. 14. v. 11.
Iudic. 16. v. 30.
Lyra.

Dauid ad Gethæos ſibi olim infenſiſſimos excurrit, ſed ſexcentis viris armatus: *Surrexit Dauid, & abiit ipſe, & ſexcenti viri cum eo ad Achis filium Maoch regem Geth; & habitauit Dauid cum Achis in Geth ipſe, & viri eius.* Inter hoſtes habitabat, ſed ſolicita cuſtodia cinctus, & militibus ſtrenuis ſtipatus. Tranſi modò ad 2. Reg. 4. vbi cùm Isboſeth ſuper lectum ſuum meridie dormiret, adhibitâ ferè nullâ cautelâ periit: *Dormiebat ſuper ſtratum ſuum meridie, & oſtiaria domus purgans triticum obdormiuit.* Rhecab & Banaa caput auferunt dormientis, & falſa ſecuritate cubantis: *Sublato capite eius abierunt per viam deſerti nocte.* Mira res: Dauid inter hoſtes degit illæſus, Isboſeth inter ſuos iacet occiſus: cuius diſcriminis cauſam innuiſſe videtur Sacra Scriptura, dum refert Dauidem ſolertiſſimis militibus cinctum, & Isboſeth debili cuſtodiâ 212.
1. Reg 27. v. 2.
2. Reg 4. v. 5.

obarmatum. Si præmuniſſet oſtium acri milite, frænaretur audacia; at prorupit, dum fragilis & correpta ſomno iacet ante oſtium cuſtodia: vt viderunt nulla cautela, aut exigua dormientem, quæ iniquè cogitarant, implerunt. Adeſt Rabbanus apud gloſſam: *Oſtiaria triticum purgat, cum mentis cuſtodia diſcernendo virtutes à vitiis ſeparat: quæ ſi obdormierit, in mortem proprij Domini inſidiatores admittit: quia cùm diſcretionis ſolicitudo ceſſauerit, ad interficiendum animam malignis ſpiritibus iter pandit.* Aditum conceſſit in propria domo inſidiantibus ſocordia; in hoſtili regione Dauidis turata eſt vitam ſolertiſſima vigilantia: vt noueris ſecuriùs degere inter hoſtes vigilantem, quàm inter proprios dormientem.

Rabban.

§. XL.

Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela, inopina premet ruina.

213. VT ciuitatum cuſtodia, vt cordis efflorеat munditia; aditus aduerſus hoſtiles adſultus muniendus, ac ſeruandus eſt ſolertiſſima diligentia, ſi ciuitatis oſtia indiſcriminatim omnibus pateant, amici habitu inſidias intrabit obtenturus aduerſarius, & corruet incautus populus, nec aliter continget internis: ad cor nocuæ hoſtiléſque cogitationes ſe proripient, ſi nullo examine liber ſit aditus, & incurioſè omnibus tentamentis pateat ingreſſus. Qui aliquando admiſit hoſtem incautè, ſi poſteà diligenti cura examinet, negligentiamque caſtiget, ſpes incolumitatis fouebit; at ſi diſcincta mens, aut ciuitatis cuſtodia ſe tradiderint ſomnolentiæ, ſoluetur otioſa ignauia miſerabili, & inopina ruinâ. *Si peccato*, inquit Plutarchus, lib. quemadmodum ſentias, &c. *quamuis exiguo, non amplius veniam des; ſed caues omnia, & deflectis: vt enim illi qui diuites fieri ſe diffidunt poſſe, exiguos ſumptus nauci faciunt nihil rati efficere magnum, quod exiguo ſit adiectum; cæterùm ſpes quanto propiùs finem peruenit, tantum cum diuitiis pecuniæ cupiditatem auget. Itidem in negotiis ad virtutem pertinentibus, qui non ſibi ſæpè indulget, vt dicat quid hoc ad illud? & nunc hoc modo, aliàs rectius; verùm qui omni in re eſt intentus, & ſi quanto vel minimi ſuſcepti delicti malitia gratiam fecit, cruciat ſe, & ingemiſcit, hic aliquid ſe comparaſſe ſibi puri oſtendit, neque vllo velle inquinari modo.* Virtutis ſtudioſus quid corde admiſerit, ſolerter examinat, vt quidquid rationi contrarium, diligenter depellat; at iners, dum indiſcriminatim has aut illas cogitationes admittit, oppreſſus calamitate proſternitur, & triumphatur. Lais copioſa ciuitas diuitiarum cumulis aucta, & deliciis plena iam decinereſcit in tumulum: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt.* Miſerandæ huius ſtragis cauſa fuit quinque Danitas in ciuitatem admiſiſſe nullo examine adhibito; ſed incurioſè patenti aditu: *Euntes igitur quinque viri venerunt Lais, videruntque populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem ſidoniorum ſecurum ac quietum.* Danita exploraturus aduentabat, cumque ciuitatis portas nulla cuſtodia munitas adſpexit, ſibi victoriam promiſit: en ingreſſi Danitæ exploratores, omniaque ſagaciſſimis oculis contemplati, vbi ad ſuos reuerſi, quod cogitauerant, conſummarunt, & ciuitatem flammis anhelantibus tradiderunt. Notauit Abulenſis quæſt.9. *Ingreſſi ſunt iſti viri quinque in vrbem Lais fingentes ſe non eſſe Iſraëlitas; ſed de aliis gentibus, & non aduerterunt eos ciues vrbis, ideò potuerunt iſti videre ciuitatem, & conditionem ciuium.* Si Laienſes ciuitatis introitum ſolerti milite præmunirent, ſi aduentantium qualitates ſtudio ſolicito examinarent, inopinam calamitatem non ſuſtinuiſſent; at dum patuit aditus, dum amicis, inimiciſque facilis indiſcriminatim ingreſſus, ad ſuos Danitæ ſe receperunt, & armatam manum vocarunt.

Plutarch. Abulenſ.

Fortaſſis prouidentiſſimus ſponſus Canticor.8. muro ſuperponere curauit propugnacula argentea, & oſtio cedrinas aſſulas, ne dum rimulæ interna inueſtigandi occaſionem aduerſariis præbent, animos aſſumant, & inopinis auſibus irruant: *Si murus eſt, ædificemus ſuper eum propugnacula argentea: ſi oſtium eſt, compingamus illud tabulis cedrinis.* Non patebat ſponſæ cor ventis vndequaque reflantibus, aut indiſcretis cogitationibus: muro animum munierat, quem hoſtes non irrumperent: portis occluſerat, quas audax arietis temeritas non infringeret; nihilominus tamen ſponſus prudenter cautus, & cautè ſolertiſſimus, dum portis aſſulas ſuperimponit nullam curioſitati occaſionem relinquit indagandi, & dum muro propugnacula ſuperſtruit, omnem aufert hoſtibus opportunitatem, accedendi: contentus non eſt muro has diuitias cingi, ſi poſſit hoſtis appropinquare: ergo propugnacula conſtruit, è quibus poſſit audentes iaculis eminus contortis arcere, & aditum cuſtodire. Quòd ſi per varios caſus acceſſiſſe portæ contigerit, nullam permittit rimulam, qua admiſſa adſpicientis curioſitas, quid intus agatur, nouerit, & notitia inſidias obtenderit. Adeſt Gregorius ad Cantic. 8. *Ad reſiſtendum aduerſariis impenetrabiliter roboratur.* Adnectit poſt aliqua: *Super quam propugnacula ædificantur: quia vt non tantummodò ſe defendat; ſed vt & impugnantes reſiſtendo proſternat, miracula ei facere conceditur.* Expende illud: *Ad reſiſtendum aduerſariis impenetrabiliter roboratur.* Quàm erat aduerſariis arduum in huius cor irrumpere, quando non ſolùm altiſſimus arcebat murus; ſed contorta è propugnaculis ſpicula impediebant etiam acceſſum. Quàm erat difficilis ſtudiorum notitia, quando ſi fortè per pericula acceſſit audacia, nec rimula patebat, qua quid intus ageretur, poſſet venari, & notitia dolos diſponere. Profectò ſi Laienſes hac vſi fuiſſent cautela, non perirent occiſi, nec decinereſcerent vſtulati. Aſt quia patebat aditus, quia hoſtibus non præpediebatur ingreſſus, aduolauere Danitæ, & aëre rubentes regionem depopulatæ ſunt flammæ. 214.

Cantic.8. v.9. Gregor.

Dormientibus ſatoribus inimicus, quæ cogitarat, impleuit: *Cùm dormirent homines, venit inimicus homo, & ſuperſeminauit zizania in medio tritici, & abiit.* Parum profuit omni ſtudio terram vertiſſe, & profundis ſulcis ſiligineum granum commendaſſe, dum vigilans cautela inimici non arcuit acceſſum, nec impediuit ſtudium. Profectò aliter contigit ad ad nuptias fraudulenter intranti: *Intrauit*, inquit, *rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodò* 215.

Matth.13. v.25. Matth.22. v.11.

Digitized by Google

quomodò huc intraſti non habens veſtem nuptialem ? Vt nocturnus ille inimicus meſſem vitiauit, ita & hic gaudia peruerteret; at dum ſolers diligentia attendit, dum prudens cautela explorat, quis ad interiora intrauerit, deprehendit fraudulentiam, & impedit perturbari lætitiam. Profectò ni prudens oculus iam receptos examinaſſet, fraudulentus nuptiarum gaudia impediſſet.
Hieronym. *Arguit impudentiæ*, inquit Hieronymus in catena D. Thomæ, *quod veſte ſordida munditias polluerit nuptiales.* Itaque vtrobique impudentia eodem conabatur animo frugum impedire prouentum, & nuptiarum gaudium; at etſi idem animus, diuerſiſſimus fuit euentus: vbi ſomnolentia patentem permiſit acceſſum, inimicus eſt aſſecutus ſtudium: vbi verò cura ſolertet inuigilauit, parum profuit diſſimulata cautela. Adde miraculo opus eſſe aliquando ad euertendam hoſtilem ciuitatem, ſi ſolers inuigilauerit cura, & ab olim victis ciuitatem aduri, ſi patuerit omnibus porta.

216. Contrà Iericho Ioſuë Dominí præcepto inſurgit, & nihilominus dum timore clauſa cuſtoditur, dum ſolertibus ſpeculatoribus coronatur, opus eſt non exiguo tempore, & pluribus circuitionibus, vt intretur:
Ioſuë 8. v. 16. *Ecce dedi in manu tua Iericho, & regem eius, omneſque fortes viros. Circuite vrbem cuncti bellatores ſemel per diem: ſic facietis ſex diebus.* Poſt tot circuitus adhuc ire, circuire, & clamare opus: *Die ſeptimo diluculo conſurgentes circuierunt vrbem, ſicut diſpoſitum erat, ſepties.* Adnectit: *Igitur omni populo vociferante, & clangentibus tubis, poſtquam in aures multitudinis vox ſonitúſque increpuit, muri illico corruerunt.* In vrbe à Deo ſibi tradita expugnanda & dies plures inſumuntur, & armati circuitionibus fatigantur; cùm Hai oppidum à Deo iam traditum, Hebræi, etſi prius fugati, facillimè ſubiugarint, & in cineres redegerint: *Cùm receſſiſſent à ciuitate, & ne vnus quidem in vrbe Hai, & Bethel remanſiſſet, qui non perſequeretur Iſraël (ſicut eruperant, aperta oppida relinquentes) dixit Dominus ad Ioſuë: Leua clypeum, qui in manu tua eſt, contra vrbem Hai, quoniam tibi tradam eam.* Iam ſeſe difficultas ingerit: ſi cùm Hai à Domino traditur, vel clypeum leuando euertitur, quomodò Iericho à Deo etiam tradita tantis militibus cincta non corruit, quouſque miraculosè labeſcit? Quia, etſi Domino facillimum fuerit eodem modo vtramque tradere ciuitatem, diuerſimodè voluit ad noſtram eruditionem accidere. Audi quid de Iericho textus referat. *Iericho clauſa erat atque munita timore filiorum Iſraël, & nullus egredi audebat, aut ingredi.* Vt noueris quantum iuuet ſolertia, quantum diligentia proſit, vbi Iericho aditus omni ſedulitate cuſtoditur, opus eſt miraculo, vt euertatur; vbi verò Hai ingreſſus omnibus relinquitur patulus, à victis anteà & fugatis hoſtibus iam euertitur. Audi Chaldæum Paraphraſtem:
Chaldæus. *Erat Iericho clauſa foribus ferreis, & obſerata vectibus alienis ante filios Iſraël.* Diſce ab allophylis cordis aditum obſerare, & hoſtiles cogitationes arcere.

§. LI.

Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari, ſed iniquus, dum moritur, premi.

VIrtutis aſſeclæ, ſectatores æquitatis, alumni 217.
rationis externis ſolent ærumnarum duris vinculis illigari, & calamitoſam ad ſpeciem vitam traducere: exilium patiuntur, amittunt filios, ſolùm viuere cenſeas ad patientiæ exemplum & tolerantiæ miraculum; vera tamen bona ſub horrido calamitatis cortice latent, & delibutos inuenies gaudio, cùm putabas afflictari tormento. Audi Tertullianum de Spectacul. cap. 29. *Quid iucundius, quàm Dei Patris & Domini reconciliatio,* Tertull.
quàm veritatis reuelatio, quàm errorum recognitio, quàm tantorum retro criminum venia? Adiicit diſertiſſimus Doctor: *Quæ maior voluptas, quàm faſtidium ipſius voluptatis, quàm ſaeculi totius contemptus, quàm vera libertas, quàm conſcientia integra, quàm vita ſufficiens, quàm mortis timor nullus?* Iuſti ſub ſordida cruſta margaritum aſſeruant, & quidem pretioſum: iniqui gaudiis vtuntur fallacibus, & externis, cùm interiùs excruciantur anxietatibus, & timoribus. Adde: iuſtos, qui confuſis irruentium ad ſpeciem calamitatum vorticibus obuoluti agitabantur, ſecurò in littore quieſcere, dum moriuntur, leniter expoſitos, & feliciter appulſos; at qui amaris vitiorum vſuris fruebantur, qui placidiſſima vtebantur nauigatione; dum mors appetit, eis circumdati coarctantur anguſtiis, vt effugium nullum inueniant, & miſerrimè vitam claudant. Danitæ ab Amorrhæis referuntur arctari: *Arctauit Amorrhæus filios Dan* Iudic. 1. v. 34.
in monte. Dum hi anguſtiſſimis terminis concluſi, Laienſes ſpatioſis limitibus fruebantur protenſi; verùm vt facilè in hoc mundo rerum facies immutatur, & quod fixum videbatur, conuoluitur, iam Danitæ amplioribus terminis dilatantur, & Laienſes morte appetente ſpatiis breuiſſimis ac arctiſſimis includuntur: *Percuſſerunt eos in ore gladij, vrbémque incendio tradiderunt.* Qui intra domum, ſi ſe foras proriperent, in inuolantes gladios incurrebant: qui, vt gladium fugerent, repetebant domum, horrendum perſtrepentibus flammis ſuſtinere cogebantur incendium: nullum miſeris elucebat effugium, dum hinc gladiis, & hinc arctantur incendiis. Quàm exiguo incarcerati ſpatio ſtupebant attoniti, dum gladium fugientes inueniebant flammas, & euadentes flammas incurrebant in gladij iras. Expendebat Arias Montanus acutè: *Incendia extinguere parantibus* Montan.
hoſtilis gladius nocebat; arma verò ſumere volentibus ignis intra publicas ac priuatas ædes graſſabundus obſtabat. Inter gladios ignéſque obſtupefacti hærebant miſeriæ obiecti Laienſes, qui antè & floridis campis, & exundantibus diuitiis vſi: ex vna parte mucro ſanguine madens ingeminabat timorem, ex alia vorax & inexorabilis flamma anxietatem: vt nullum in morte inuenirent effugium, quibus in vitâ nullum defuerat ad delicias commodum, nullum, etſi fallax, gaudium. Danitarum moleſtias celebris compenſauit victoria: Laienſium felicitatem amara exterminarunt lamenta.

Fugerat Dauid feralem Saülis excandeſcentiam 218.
& attonitus quodammodò obſtupeſcebat ob collata in Saülem ingentiſſima beneficia, ſibi non licere

licere viuere, & ad latitandum ferarum ſpecubus cogi; imò nec in antris latitare licere, quandoquidem lynceis oculis vel confuſas tenebras perluſtrabat inuidia, & infelix rimabatur ſolertia: exiguo ſatellitio ad tenebratum profugium confugerat, cùm Saül neſcio qua neceſſitate compul-
1.Reg.24. v.4. ſus ſpelæum ipſum ingreditur: *Erat ibi ſpelunca, quam ingreſſus eſt Saül, vt purgaret ventrem; porrò Dauid, & viri eius in interiore parte ſpeluncæ latebant.* Vel anguſtam ſpeluncam non licebat Dauidi inhabitare; ſed compellebatur anguſtiori ſinu conſtringi: Saül ſpatioſo regno fruebatur, quocumque collibitum eſſet, pergebat militibus cinctus, & aulicorum ſatellitio copioſus; verùm cùm in Gelboë manus cum inimicis confereret, toto Saül prælij pondere premitur, & in modum coronæ cingitur, vltrice arctatus periit corona, qui coronæ abuſus fuerat licentiâ. Iam quantis hîc anguſtiis fuerit circumdatus, ab Amalecita
2. Reg.1. v.6. auſculta: *Porrò currus & equites appropinquabant ei, & conuerſus poſt tergum ſuum, vidéſque me vocauit: cui cùm reſpondiſſem, adſum, dixit mihi: Quiſnam es tu? & aio ad eum: Amalecites ego ſum; & locutus eſt mihi: Sta ſuper me, & interfice me: quoniam tenent me anguſtiæ.* Quàm omnibus modis arctatur! gladius pectus tranſuerberat, ſi ab anteriori parte ceruicem ad poſteriora reflectit, in Amalecitam culpâ ſuâ ſuperſtitem incidit: ſi ad anteriora aſpectum dirigat, hoſtiles currus approximant, imber ſagittarum ruit, quin vel leue appareat effugium, aut remanſeris ſolatium. Qui tot facinora perpetrauit, ne coronam perderet, caput & coronam amiſit: vndique anguſtiis afflictatur in morte, qui lato adeò imperio vtebatur in vitâ: Dauid in abditiſſimo ſpecu aliquando delituit incluſus; ſed
Interlin. in morte cecinit fortunatus: *Fatigatus*, inquit Interlinearis, *ſuſtentabatur*: Saül vitam morte ipſâ duriorem ſuſtinere cogebatur, dum vndequaque cinctus, & vndequaque confoſſus: nullum inuenit in morte effugium, qui amplum in vita potiebatur imperium.

219. Haienſes, qui de Ioſuë victoriam egerant, ſuperbi triumpho vlteriori ſtudebant etiam trophæo: ſimulauit Dux fortiſſimus decoram fugam, vt dum hoſtes improuidi celerrimis volatibus arripere conarentur victoriam, ſibi, vt accidit, maturarint miſeriam: vbi conſpicati ſunt aduerſarij Ioſuë terga vertere, tergis fugientium inſiſtunt, ſibi immaturis plauſibus gratulantes, & propera gratulatione plaudentes; verùm vbi inſidiæ ciuitatem occupant flammis tradentes, vbi, qui ſimulauerant fugam, arma in perſecutores conuertunt, medij inter hoſtes ſtupent, quin liceat ſe in ciuitatem recipere, quia ardentiſſimis flammis occupata; nec inuolantes aduerſariorum gladios effugere, quia duriſſima illos cingebat corona, immaturam lætitiam maturis compenſauere lamentis, cùm gladius prohibuerit proſequi, & ignis
Ioſuë 8. v.20. regredi: *Viri ciuitatis, qui perſequebantur Ioſuë reſpicientes, & videntes fumum vrbis ad cœlum vſque conſcendere, non potuerunt vltra huc illúcque diffugere, præſertim cùm hi, qui ſimulauerant fugam, & tendebant ad ſolitudinem, contra perſequentes fortiſſimè reſtitiſſent.* Adnectit textus: *Et illi qui ceperant, & ſuccenderant ciuitatem, egreſſi ex vrbe contra ſuos, medios hoſtium ferire cœperunt.* Haienſes omni ſubſidio deſtituti pereunt: nam ſi faciem ad ciuitatem conuertant, in flammas incidunt; ſi ciuitati verterint terga, inimicos gladios inueniunt: quod mirè peccatorum in morte anguſtias depingit, quandoquidem tunc & gehennali flammâ deterrentur, & diuina ſeueritate premuntur: *Effugium*, inquit Maſius, *patere* Maſius. *nulli potuit, quod vndequaque ab hoſte eſſet interclusum: atque hinc palàm videmus verum eſſe, quod nuper monebamus, puniri à Deo pios ad ſalutem; impios verò, & ſceleratis ſuam ſibi, quæ apparet, felicitatem eſſe exitio.* Expende illud: *Effugium patere nulli potuit.* Iuſti præſentes ægritudines melioris vitæ ſpe ſolantur, inter ſæuas etiam carnificis manus ingemiſcentes interno gaudio fruuntur: Stephano inter lapidum grandinem patet cœlum. Iniqui verò omni ſolatio deſtituti mortem perhorreſcunt, conſcientiam expauent gehennam delibant, & qui viuentes nihil timuerunt, omnes timendi cauſas inueniunt in die iræ theſaurizatas.

Iuſtus, aiebat Pſaltes, *vt palma florebit*; de 220.
peccatoribus ait: *Cùm exorti fuerint peccatores,* Pſal.91.v.13. & 8.
ſicut fœnum. Incognitus ſic explicat: *Poſtquam* Incognit.
creuerint in temporalibus, ſicut fœnum ſcilicet erunt: quia in hyeme huius ſæculi virent; ſed in æſtate futuri iudicij areſcent. Virent & florent impij; ſed flammis candentibus vſtulandi; nec ſolùm clibani reſeruantur ardoribus; ſed vel dum de foris nitent, internis diſcruciantur anxietatibus, at iuſti è contrà palmæ ad inſtar arctantur in terrâ; ſed ſuperiùs florent dilati, & ſaporatiſſimo fructu onuſti. Opportunè iterum Incognitus: *Habet aliud palma, quo à cunctis generibus arborum differt: omnis námque arbor in ſuo robore iuxta terram vaſta ſubſiſtit; ſed creſcendo ſuperiùs anguſtatur, palma verò minoris altitudinis, vel amplitudinis ab imis inchoat, & iuxta ramos ac fructus ampliori robore exurgit.* Dum finitur palma, dilatatur; dum iuxta terram, conſtringitur. Aliæ plantæ iuxta terram florent prolatæ; ſed acuminantur in fine. His ſymbolis quid iuſtis & iniquis accidat, edocet Scriptura. Iuſtus habet in vita tormentum, in morte ſolatium; iniquus in vita ſolatium; ſed in morte durum tormentum.

§. LII.

Diſplicebit, ſi tota ſimul, peccatoris fortuna; iuſti placebit, ni per partes fuerit inſpecta.

EXigis à me cur ſic demiremur potentiam di- 221
uitum, cur beatos exiſtimemus pompâ nitidos, & ſcintillantis margariti fulgoribus claros: cur beatum animum deſpiciamus, ſi pannis obrectum, & mendacitate vexatum, Dicam, ſi liberis auribus velis excipere: quia non ſpectamus totam peccatoris fortunam, nec de tota iuſti ſorte iudicium ferimus: iniquo iudicio alium vocamus beatum, & alium miſerum: culta ſeruorum pompa, dignitatem curulibus impoſitam, & ſuccollantibus hominibus vectam dum cupimus, demiramur: virtutem calamitate oppreſſam laboribus diuexatam vti ardentiſſimam peſtem fugimus: quia nobis non placet, quod naturæ conſonum; ſed quod vanitati ambitionique gratum: *Vt aliquid peſtiferi*, aiebat Seneca epiſt. 118. *Conſe-* Senec.
quantur, per mala nituntur in malum, petuntque mox fugienda, aut etiam faſtidienda: cui enim aſſecuto ſatis fuit, quod optanti nimium videbatur? non

Digitized by Google

non eſt, vt exiſtimat homines, auida felicitas; ſed puſilla; itaque neminem ſatiat; tu iſta credis excelſa, quia longè ab illis iaces; ei verò, qui ad illa peruenit, humilia ſunt. Mentior niſi adhuc querit aſcendere. Auri fulgor perſtringit oculos, quia non videmus quid ſub fallaci illa ſpecie lateat; ſed citò accedimus opinioni, & noſtræ credimus cupiditatis inſaniæ. Non poteris inuenire, quanta ſit alicuius fluminis latitudo, ni inſpexeris limitem, cum ripa ſua dimetiendus eſt. Redeat iterum darus Seneca, quia appoſitiſſimè redit: *Iſtud, quod tu ſummum putas gradus eſt; omnes autem malè habet ignorantia veri, tanquam ad bona feruntur decepti rumoribus, deinde mala eſſe, aut inania, aut minora, quàm ſperauerint, adepti ac multa paſſi vident: maiorque pars miratur ex interuallo fallentia, & vulgo magna pro bonis ſunt. Hoc ne nobis quoque eueniat, queramus, quid ſit bonum.* Si de initiis tantum rerum non feramus iudicium, ſed expectauerimus finem, verius cenſebimus; ſed erramus, quia non totum circumſpicimus; ſed in parte florida hæremus.

222. Iudic. 1. v. 34. Ab Amorrhæis arctatos leges Danitas: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt ad planiora deſcenderent:* Laienſes omni rerum abundantiâ fortunatos refert textus: *Viderunt populum habitantem in ea abſque vllo timore iuxta conſuetudinem Sidoniorum ſecurum, & quietum, nullo ei penitus reſiſtente, magnarumque opum, & procul à Sidone, atque â cunctis hominibus ſeparatum.* Si Laienſium non reſpexeris finem, demitaberis feliciſſimos: ſi Danitas anguſtis terminis, arenti, infrugiferoque monte contempleris incluſos, nullatenus deprædicabis beatos; verùm ſi non per partes iudicium feras; ſed de toto iudices, dubium non erit feliciorem Danitarum ſortem, & Laienſium eſſe infelicem. Audi quid vtriſque acciderit: *Percuſſerant eos* (Laienſes) *in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt. Quam rurſum extruentes habitauerunt in ea.* Iam Danitæ amplis poſſeſſionibus vtuntur, ſi priùs arctati; Laienſes verò, ſi priùs fortunati, & copioſi, iam duro ferro trucidati, & anhelantibus flammis aduſti: fer modò ſententiam de vtriſque & indubiè Danitas aſſeres fortunatos, Laienſes miſeros: *Breuiter*, inquit Arias Montanus, *Vtroque ſtragis genere, & loco & voto potiti Danitæ occiſorum corpora, & quidquid impurum erat, incendio abſumpſerunt.* Impuri omni rerum copiâ exundabant, omni fortunâ, quæ reliquis inuidiam faceret, præcellebant; verùm infeliciſſima clauſula præcedentis felicitatis ſplendorem expunxit, & admirationem in metum vertit; Danitæ verò, ſi aliquando terminis anguſtis conſtricti iam ampliſſima fruuntur regione victoria celebri coronati. Montan.

223. Dei Arca ab Allophylis capitur, & infami deteſtandoque Dagoni veluti trophæum appenditur: *Philiſthim tulerunt Arcam Dei, & intulerunt eam in templum Dagon; & ſtatuerunt eam iuxta Dagon.* Qui Arcam victam quodammodò, Dagonique ſubiectam intueretur, cenſeret miſeram, & è contra chimæram illam homini piſcem, aut piſci hominem inaudito ſæculis triumpho reſplendentem feliciſſimam; verùm ſi aſpectus futura proſpectarit, Dagonem miſerum, & Arcam aſſereret fortunatam: ſuo malo Dagon ad ſpeciem triumphauit: nam qui ante triumphum manibus & capite ornatus, poſt triumphum iam mutilus & deiectus: *Inuenerunt Dagon iacentem ſuper faciem ſuam, in terra coram Arca Domini; caput autem Dagon & due palmæ manuum eius abſciſſe erant ſuper limen.* Capta Arca triumphos de captoribus egit, & quæ Azotum veluti ſpolium intrarat, triumphali pompâ & exuuiis ditiſſima egrediens ad lucis domum peruenit: *Poſuerunt Arcam Dei ſuper plauſtrum, & capſellam, quæ habebat mures aureos, & ſimilitudines anorum: ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames.* Dagon cithara verſa eſt in luctum, & Arcæ luctus in citharam. Arca exiguum captiuitatis tempus triumpho nunquam ab hoſtibus obſcurando compenſauit: Dagon ad breue tempus triumphum æterna trucidatione perſoluit: fortunatior erat captiuitas in triumphum deſinens, quàm triumphus in captiuitatem. *Grande ſpectaculum*, inquit Rupertus lib. 1. in reges cap. 14. *Grande miraculum; tranſlata ab Iſraël gloria Domini, capta ab Allophylis Arca Domini victoriam de victoribus verſa vice exigit, primumque in Deum ipſorum Dagon, deinde & ſuper homines aggrauantur manus Domini.* Dum vices mutantur, finis fallacem illam felicitatem oſtendit, & breuem captiuitatem celebri triumpho decoratam monſtrauit. 1. Reg. 5. v. 1. Rupertus.

224. 1. Cor. 4. v. 5. *Spectaculum facti ſumus*, aiebat Paulus, *mundo, & Angelis, & hominibus.* Non ſolùm ait eſſe iuſtos ſpectaculum mundo & hominibus; ſed Angelis etiam: ac ſi dicat: Modò nos homines deridént, & quas patimur, ignominiis, plagiſque oblectantur; erit tamen tempus, cùm verſis vicibus & nos ſpectaculis aſſideamus, & qui modò aſſident, cum feris decerpendi ſemper decertarint; ſicque finis & illorum oſtendet infortunatam fortunam, & noſtram fortunatiſſimam eſſe miſeriam. Huc voco Tertullianum de ſpectaculis cap. 29. *Aſpice impudicitiam deiectam à caſtitate, perfidiam cæſam à fide, ſæuitiam à miſericordia contuſam, petulantiam à modeſtia adumbratam; & tales ſunt apud nos agones, in quibus ipſi coronamur.* Adnectit cap. 30. *Quale ſpectaculum in proximo eſt aduentus Domini iam indubitati, iam ſuperbi, iam triumphantis. Quæ illa exultatio Angelorum, quæ gloria reſurgentium Sanctorum, quale regnum exinde iuſtorum, qualis ciuitas noua Ieruſalem... tunc ſpectandus auriga in flammea rota totus rubens, tunc Xyſtici contemplandi non in gymnaſiis, ſed in igne iaculati.* Modò ſpectaculum iucundum eſt impudicis flagellata caſtitas, fides afflicta, irriſa miſericordia; tunc verò reges, qui in cœlo recedi nuntiabantur, cum ſuo Ioue ad gemitus æternos trahentur, & ſtulii demirabuntur virtutem ſic coronandam depretiaſſe, & improbitatem acerbis adeò pœnis debitam, dum falsâ luce oculis imponebat, extuliſſe. Tertullian.

225. Mulier illa, quæ Thamaris partui aſſiſtebat, vt Zara brachium protulit, quin expectauerit finem, Phares prætulit, & beatiſſimum deprædicauit: *Vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior.* Si expectaſſet, falſam adeò ſententiam non protuliſſet. Phares non protulit manum coronatam; ſed accepit totus effuſus coronam; Zaræ dum ſola manus reſplendet, fratri ſubiectionis tributum ſoluit. Opportunè Rupert. lib. 8. in Geneſ. cap. 31. *Vnus ille qui primò manum protulit, Iudæus eſt, qui primus legem accepit, & cui primum oportebat loqui verbum Dei; at ille repulit illud.* Manus rubet; ſed totus ardebit; Phares exiguo tempore habetur ſeruus, & ſecundus; ſed longiſſimis interuallis fulgebit Dominus. Geneſ. 38. v. 27. Rupert.

§. LIII.

Plus curant homines, quàm implere honeſtis factis, deprædicari nominum linguis.

226. GLorioſa ſunt poſteris nomina, quæ ſtatim maiorum celebranda denotant facta: dignitas, quæ natalibus acquiritur, venerandis nominibus intimatur, ea tamen eſt multorum ſocordia, vt de ſolis parentum glorientur factis, & prædeceſſorum turgeſcant elogiis, cùm ſe ſocios, aut imitatores præſtitiſſe non curent, nec geſtorum imitationem anhelent: nomen in ſucceſſore reſplendebit glorioſum, ſi diſſimilibus factis non confunditur obſcuratum. *Profeſſio nominis*, aiebat in Apolog. cap. 3. Tertullianus, *cum inſtitutione tranſmiſſa ab inſtitutore.* Nobilibus exortum fuiſſe natalibus, ſucceſſorem laudandis cogit ſpleneſcere operibus: *Qui non iuſtus eſt*, aiebat Euripides apud Stobæum cap. 86. *licèt à patre meliore, quàm Iupiter ſit, genus ducat, ignobilis mihi cenſetur.* Nomen vocali ſilentio prodit, quid de moribus ſit cenſendum; ſed plures nominis ſitiunt elogium, cùm nominis non impleuerint exercitium. Ecce Danitæ Laiſenos vltra ſibi aſſignatos terminos poſitos, vt interpretibus placet, cupiditatis ſtimulis agitati aggrediuntur, & contrà ius faſque potentiâ abuſi prædantur; & cùm à paternis moribus clarè deſciuerint, originis vocabulum amplificare contendunt; & obliuioni eximere ſitiunt: *Erat ciuitas ſita in regione Rohob, quam rurſum extruentes habitauerunt in ea vocato nomine ciuitatis Dan, iuxta vocabulum patris ſui, quem genuerat Iſraël, quæ prius Lais dicebatur. Poſuerúntque ſibi ſculptile.* Dan vera religione nobilitatus eluxit, iuſtitia ornatus reſplenduit: ergo filij cum impietate degeneres, cum rapinâ ignobiles paternos mores prodantur obliti, ciuitatem Dan appellant ampliandi nominis ſtudioſi: inſculpto vrbi nomine temporum obliuioniſque aduerſari conantur iniuriis, non attendentes maiorum ſe gloriam tumulare contrariis factis: *Quidquid in illius vrbis rationibus fuerit*, inquit Arias Montanus, *nec proprium, nec legitimum, nec honeſtum contigiſſe animaduertimus, nec religionem, nec Sacerdotium, atque adeò nec poſſeſſionem ac nomen aliud, quàm temeritatis, cupiditatis, atque inſolentiæ, ambitioniſque humanæ initium habuiſſe.* Nobile paterni nominis ſtemma magnis, & qui ab omnibus legi poſſent characteribus in vrbis aditu inſculpebant; ſed delendam nunquam nominis iniuriam eiſdem litteris exarabant, quandoquidem cùm à Dan, qui interpretatur iudicium, originem duxerint, iudicium rectum non exercebant; ſed rapinis inuigilabant. Itaque nomen æternare curarunt; ſed à patriis moribus deſciuerunt: quod ſatis frequens noſtro in ſæculo reperitur: plures inſanis ſubſtructionibus, ſuperbiſſimis ædificiis parentum nomina, ac maiorum ſtemmata inſculpunt; ſed paternos mores non referunt: gloriantur regiis atauis orti; factis verò denegant, quod nominibus claris affirmant. Origo non tam ſplendet nomine, quàm virtute; imò ſi virtus deſit, nomen gerentem arguit, & omnibus inglorium oſtendit.

Tertull. Euripid. Ignobilis eſt vitiorum nula, licèt nobili exortus proſapiâ. Montan.

227. *Tabernacula eorum*, aiebat Pſaltes, *in progenie, & progenie: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis:* Non curant nomina inſculpi in cœlis; ſed in terris plaudi, & in futura ſæcula extendi. Inſanæ ſubſtructiones originis gloriam oſtentant, atria fumoſis plena imaginibus antiquitatem proclamant; ſatis tamen non eſt nobiliſſimum venis fouere ſanguinem, ni poſteri æmulentur etiam virtutem. Qui maiorum nomina nunquam arrodendis temporis dente ſaxis inſculpunt; generis claritatem non innubilare moribus deprauatis tenentur. Huc voco Stephanum in allegor. Tilmani ad Exodi 1. *Soli boni habent nomen, vnde diues non nominatur, quaſi ignotus Domino; pauper verò tamquam familiaris Lazarus nominatur. De malis dicitur: Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis: è contrario de bonis: Gaudete, quia nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis.* Qui peſſimis moribus infecti, inardeſcere ſolent ambitione gloriæ inflammati: ergo maiorum iactant facinora, celebrant nomina, inſculpunt trophæa, & cum ſordidis diffidant factis, glorioſis ſuperbiunt titulis: *De malis dicitur: Vocauerunt nomina ſua in terris ſuis.* Conſonat Euthymius ad Pſalmum 48. *Inuocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Conſidera aliud prauitatis genus: inanis enim gloriæ cupiditate ducti certis locis nomina ſua indidere, perpetuam inde memoriam aucupantes... cùm tamen eos magis oportuiſſet non inanium nominum; ſed animarum ſuarum fuiſſe ſolicitos.* Foris curant nitere, cùm interiùs non dubium ſit obſcurati: *Quis non hodie*, aiebat Tertullianus de teſtimonio animæ cap. 4. *memoriæ poſt mortem frequentandæ ita ſtudet, vt vel litteratura operibus, vel ſimplici laude morum, vel ipſorum ſepulchrorum ambitione nomen ſuum ſeruet?* Simplicem morum laudem veluti mediam poſuit inter vanitatem, & ambitionem: quia frequentius eſt apud homines nomen ambire, quàm moribus exornari: de animarum nobilitate nulla illis cura eſt, de euanido ingenuitatis ſplendore ingens ſolicitudo. Non verentur moribus eſſe mancipia; ægrè tamen ferunt, ni in omnium ore maiorum ſuorum reſonuerint nobilitatis elogia.

Pſalm. 48. v. 12. Stephan. Soli boni nomen habent. Euthym. Tertul.

228. Eua mortis ianua; fraudis inuentrix, antequam filios parturiret, occidit, & tamen viuentium appellatur mater: *Vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Eua, eo quòd mater eſſet cunctorum viuentium.* In puluerem reuertendos, ad gemitus damnatos; ſpinis tribuliſque audiunt addictos, & tamen quo vxoris mœſtitudinem leuet, matris viuentium elogio nobilitat, & inter anxias exilij curas, & nuditatis miſerias huic vni rei ſtudioſè Adamus vacat, vt nouerimus ab exordio inſitam mortalibus magnorum nominum ambitionem, ambitioſamque cupidinem: Eua occiſorum, & quidem à ſe, eſt mater; mater tamen appellitatur viuentium, & quamvis nominis encomium factis non poſſit implere, viuentium geſtit parentem dici: maior Adamo cura fuit erga mulieris appellationem, quam fuerat erga virtutem: non impediuit cum ſerpente colloquium, non vetuit venenati pomi raptum, non violare præceptum; paſſus tamen non eſt appellari morientium matrem, iniuriam ducens, ſi eius vxor honorificis non reſplenderet nominibus, licèt indecoris ſorduerit actionibus. Notauit Rupertus lib. 3. in Geneſ. cap. 26. *Mira narrantis digreſſio: necdum ſententia terminata eſt tanta calamitatis, vt vacet hinc diuertere ad dicendum nobis, quo nomine reus iam conuictus, & pendens ſub iudicis manu ſuam vxorem nuncupauit.* Adnectit:

Geneſ. 3. v. 20. Rup.

Digitized by Google

nectit: *Mira peccatoris ſimul & contemptoris ſurditas, & ſuperba mentis eius duritia breuiter deprompta eſt: quid enim inſanius, quàm in tali articulo Euam dicere eam, quæ non habet vitam?* Multa Adamum ab hac modò cura auertebant, quàm plurima interpellabant: à iudice pronuntiata ſententia adhuc pulſabat aures, nuditas & extrema calamitas oculos ad lachrymas compellebat, & tamen quaſi omnia pacata, tranquilláque eſſent, Euæ ſuæ blandiri ſatagit, & placere: ſuperbus & miſerandus magnum adhibuit ſtudium, vt grandi vxor reſplendeat nomine, cùm nullum adhibuerit, ne innubilaretur crimine: tunc vocauit vitam, cùm mera mors erat, vt ab exordio hanc in filios Adam peſtem agnoſcas graſſatam grandiſonis videlicet nominibus ſplendeſcendi deſiderium; adimplendi verò factis aut exiguum, aut nullum ſtudium. Adde non ſolùm homines nomina factis non implere; ſed apertè actionibus contraire: contraria prorſus inueniuntur factis nomina, & nominibus facta.

229. Veritatem hanc ſatis confirmauit Zara: nil omiſit, vt grandi nomine fulgeret nobilitatus, etiam cùm nondum effuſus: accepit nomen, & iam aſſecutus deſiderium, retraxit ad matris

Geneſ. 38. v. 27. vterum brachium: *Inſtante autem partu apparuerunt gemini in vtero; at in ipſa effuſione infantium vnus protulit manum, in qua obſtetrix ligauit coccinum dicens: Iſte egredietur prior: illo verò retrahente manum egreſſus eſt alter.* Nomen priùs egredi compellebat; Zara verò fratri inuenitur ſecundus nomine ſolo contentus. Ferè omnes exambiunt nominum honoribus cæteros anteire, cùm factis vereantur nullatenus cedere: *Appellauit Zaram*, inquit Lyra, *quod reſonat*

Lyra. *refulgentiam.* Nominis refulgentiam ambiuit; ſed operam detrectauit.

§. LIV.

Qui à reliquorum conuictu remotus, ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratus.

230. FVgienda eſt turba; ſed ſocietas proborum amanda: nam ſicut vitiis inficitur, qui vulgi erroribus admiſcetur; ita pericula aduocat, qui à iuſtorum conſortio, & communione ſeiungitur: pudet inter bonos optima exempla non ſectari, & moribus degeneribus inſeruire. *Corpus ſumus*, aiebat Tertullianus in apologet.

Tertull. cap. 39. *de conſcientia religionis, & diſciplinæ vnitate, & ſpei fœdere. Coimus in cœtum, & congregationem, vt ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus orantes.* Dum in vnum corpus cogebantur Chriſtiani diuinarum litterarum contemplatione inſtructi, & exemplis optimis excitati vim criminibus inferebant, & ſe de conſortio contra iniquas linguas, & hoſtiles impetus obarmabant. Imò vtile erat vel ipſis ethnicis apud Chriſtianos degere, quandoquidem Chriſtianus de ſuo occurſu vitia ſuffundebat, & factis loquaciſſimis prædicabat: *Hoc primum philoſophia promittit*, aiebat Seneca

Seneca. epiſt. 5. *ſenſum communem, humanitatem, & congregationem, à qua profeſſione diſſimilitudo ſeparabit.* Adde, & ſeparatio diſſimilitudinem efficiet. A iuſtorum collegio, à philoſophorum conuictu, à cœtu optimis legibus inſtructo recedendum non eſt: nam ipſe receſſus, dum ab oculis remouet honeſtatis exempla, ingerit prauitatis ſtudia. In domo Michæ idolum ſecretè conflatur, & colitur, quod poſteà in Lais publicè expoſitum Danitæ nefando ritu, ſacrilegis atis, damnandis hoſtiis coluerunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile*: inquit Abulenſis, quomodò impunè adeò in Lais viguerit idololatria, cùm ſatis fuerit ædificaſſe Rubenitas & Gaditas altare, vt populus in Silo conueniens prælium inferre tentarit, & ni prævaricationem abfuiſſe noſceret, intuliſſet: reſpondetque quæſt. 5. ad 17. Iudicum, hoc accidiſſe, quia Lais à cæterorum habitatione diſtabat plurimum; vnde eius incolæ, vt loco, à cæterorum etiam moribus diſſidebant, & idololatriæ vacabant. *Licet cæteri Iſraëlitæ colerent Deum, iſti colebant idola, quia erant ſeparati.* Diſtantia patrocinabatur criminibus, & quantum diſtabant ab exemplis, approximabant peccatis: eſt namque ingens detrimentum à iuſtorum conuictu recedere, vt commodum proximare. Abulenſ.

Video in paradiſo Euam ſerpentis ſibilo infectam, & ardenti veneno æſtuantem: *Dixit ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Video Syrophœniſſam ſequenti Chriſtum turbæ immixtam diuturno ac pudendo morbo ſanatam: *Acceſſit retro, & tetigit fimbriam veſtimenti eius, & confeſtim ſtetit fluxus ſanguinis eius.* Eccur mulier in paradiſo condita citò adeò ab æquitate diſſideat, & fœmina morbo iam veluti in naturam conuerſo quàm citò libera gratias agat? Quia Eua, reſpondet hic Rupertus, ab Adami conſortio & ſocietate diſceſſit; at Syrophœniſſa ſequentibus Chriſtum ſe adiunxit: ergo illi diſtantia vitium ſuaſit, & hanc Chriſtum quærere piorum cœtus edocuit: pudebat Syrophœniſſam inter tot ſalute fruentes obſcuris morbis infici, & ſanguineis fluxibus defœdari: ergo acceſſit veluti ſequentium impetu pulſa, &, ſi fas eſt dicere, ad ipſam ſalutem tracta: *Mulier*, inquit lib. 3. in Geneſ. cap. 2. *corpore & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè proſpectans qualis extra paradiſum mundus haberetur, & ſerpens vipere aſtutus, dulcedini terræ propius vel ambitioſius innititur, locus diabolo datus eſt.* Si à latere iuſti non receſſiſſet, ſerpens inſidias prætendere non valeret, inuenit tamen fallendi occaſionem, dum vagantem vidit. E contra, inquit Titus Boſtrenſis apud D. Thomam in catena, Syrophœniſſa de ipſo ſequentium Chriſtum conſortio roborata morbum valuit depellere, & ſalutem elucrari. *Quæ viribus extinctis corporeis ob continuum ſanguinis fluxum tanto populo concurrente circa illum affectu roborata, & fide petierat populum, & retro latens tetigerat fimbriam veſtimenti.* Expende illud: *Tanto populo concurrere circa illum affectu roborata.* Ac ſi dicat Titus Boſtrenſis: Mulierem puduit langoris, & populo inſerta cauſæ approximauit ſalutis: ergo acceſſit, & ſe ſaluti inter proximantes reſtituit. Adeò eſt vtile iuſtorum cœtibus inſeri, & à Chriſtum ſequentibus ad virtutem, ſi fas eſt dicere impelli: plures, dum iuſtis conuiuunt, virtutem colere didicerunt: tracti ſunt ad ſectandam iuſtitiam felici impulſu, & fortunata violentia.

231. Geneſ. 3. v. 4. Lucæ 8. v. 34. Rupert. Tit. Boſtr.

232. Iob 39. v. 29. Iob 39. aquilam inducit prædis inhiantem, & cadauera depaſcentem: *Inde contemplatur eſcam*

eſcam, & de longè oculi eius proſpiciunt: pulli eius lambunt ſanguinem, & vbicumque cadauer fuerit, ſtatim adeſt. Ezechiel aquilam Dominico iugo colla inſerentem, & ſpiritus vocibus, ac impulſibus refert obtemperantem: *Facies aquilæ deſuper ipſorũ quatuor.* Si interroges cur aquila ſupernis hic oculos reluminarit ſplẽdoribus, & ibi fœtidis inhiauerit cadaueribus, cum idem vtrobique innatum aquilæ ingenium: reſpondebit Iob ſumotam ibi à ſacrorum animalium conſortio, alibi eorum conuixiſſe collegio: ergo de conuictu cæleſtis, de ſolitudine inſidiatrix: *In arduis ponet nidum ſuum, in petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus: inde contemplatur eſcam.* A cæteris ſeparata, longéque ſeiuncta liberiùs cupiditates exercet, prædas agit, & ſanguinem ſitit; at dum myſticis animalibus aſſociata diſcurrit, iam non cogitat putrida; ſed cæleſtia: librabat in ſilicibus commorans pro libito pennas; hîc verò aliis intexere cogebatur, teſtante Ezechiele: *Duæ pennæ ſingulorum iungebantur*: ergo dum penna pennæ coniungitur, ab altera quodammodò trahitur; nec liberum eſt vagari; ſed opus obſequi: dum aquilæ pennæ aliorum pennis texuntur, dum colla felici iugo animalia ſubdere edocentur, aquila de honeſto conſortio inſeruit virtuti, ſi abrupta incolens ſtudebat olim rapacitati. Innuit Lyra. *Nutritur morticinis: ideo ſubditur: Et vbi cadauer fuerit, ſtatim aduolat.* Seiuncta morticinis innutritur, & effuſo ſanguine paſcitur; at in iuſtorum conuentu ad prædas dedidicit inuolare, & nouit felici iugo collum inſerere.

Ezechiel 1. v.10.

Lyra.

233. Petrus Pontificis domum ingreſſus, & ancillulæ voce obturbatus magiſtrum negauit: exiſtimo plus deliquiſſe imprudenti videndi finem deſiderio, quàm improbo timoris conſilio; verùm cùm à Chriſto non diſtaret, eius aſpectu facilè correptus eſt: *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum, & recordatus eſt Petrus verbi Domini, ſicut dixerat: Quia priùs quàm gallus cantet, ter me negabis. Et egreſſus foras Petrus fleuit amarè.* Cecidit; ſed adeò citò ſurrexit, vt vicinaretur innocentiæ feſtinata correctio. Prodigus ille, dum in villam mittitur, dum longiſſimis à patre interuallis ſeparatur, diu iacuit & indignis cupiditatibus inſeruiuit. *Miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos, & cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant.* Regionis primario curæ fuit adoleſcentem iuuentutis ardore æſtuantem à rationabili hominum conſortio ſeparare, quò faciliùs lutulentis gregibus perſuaſerit inſeruire: quò plus à domo paterna diſtitit, ignauiùs iacuit, & indigniùs ſorduit: dum ſeruorum deſiderauit victum, & conſortium, redditus eſt ſibi: *In ſe reuerſus eſt*, inquit Chryſologus ſerm.2. *in ſe antè rediit, vt rediret ad patrem, qui à ſe ante receſſerat, cùm receſſit à patre.* Cùm ſe à patris ſeruorum collegio ſeiunxit, à ratione diſceſſit: erat enim illis conuiuere inſanæ appetitionis obſtaculum, verecundiæ ſubſidium, honeſtum ad virtutem proritamentum. Ergo qui ſenſerat perniciosam ſibi diſtantiam, ſe ſeruorum cenſui annumerans, & ad genua patris deuolutus: *Fac me ſicut vnum de mercenariis tuis*: teſtatur vtiliſſimam illorum eſſe præſentiam. Petrus peruerſis aſſociatus miniſtris negat; prodigus pecori immundo inſeruiens in

Lucæ 22. v.6.

Lucæ 15. v.15.

Chryſol.

Iuſtorum conſortium ad virtutem eſt incitamentum.

beſtiam migrat; aquila inter animalia ſacra mutat ingenium, & inuolare diſcupit ad empyreum: vt hinc noueris, quàm ſit vtile iuſtis & religioſis conuiuere; & quàm periculoſum diſtare.

---

§. LV.

Si culpam arceat, fauſtior eſt felicitate infelicitas.

Nil habent, quo de Deo queri poſſint, quibus recta placuerunt, licèt calamitate vexati, & aduerſâ fortuna vſi, falſa eſt fortuna, infelix felicitas, quæ inanes animos parit, & veluti longo ac fallaci ſomno deluſos tenet: quibus mens conſtat non ab argento eboréque metiuntur felicitatem, quandoquidem miſeri ſunt, qui culpis ſordidi, quantumvis exteriùs reſplenduerint fortunati: vt è contra ſub infelicitatis horrore, quibus licuit virtutibus exornari, verè ac ſolidè ſunt beati. Audi Senecam de prouident. cap.6. Dei nomine virtutis aſſeclas alloquentem: *Permiſi vobis metuenda contemnere, cupienda faſtidire: non fulgetis extrinſecus, bona veſtra introrſus obuerſa ſunt.* Iuſtus ſuæ conſcientiæ teſtimonio lætus, etſi prematur inopia, etſi doloribus diuexetur, ſolidiſſimè eſt fortunatus: peccatoris felicitas fugaci, fallacíque ſplendore veram fœditatem abſcondit, & dum abſcondit, eludit. Pro vtraque parte adſunt teſtes Danitæ. Arctati ab Amorrhæis anguſtis terminis continebantur, nec fas illis ad vmbroſa vallis deſcendere: *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte, nec dedit eis locum, vt in planiora deſcenderent.* Audis anguſtiſſimis terminis Danitas incluſos, vide iam prolatis ditionibus ampliatos: *Venerunt in Lais ad populum quieſcentem, atque ſecurum, & percuſſerunt eos in ore gladij, vrbemque incendio tradiderunt.* Captâ iam ciuitate, victoriaque potiti idolum ſibi adorandum conſtituerunt, & deteſtandis aris nobilitarunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile.* Inquiramus ſi placet, an victoriâ feliciores, an beatiores infortunio. Profectò ſi externam cruſtam ſolùm aſpicias, fortunatiores aſſeres latiore fortunâ vſos, & prolatis terminis ampliatos; at ſi rem pro dignitate expenderis, fortunatiores inuenies ab aduerſariis oppreſſos, monticolaſque, quandoquidem arctati ad vitia non prolabebantur, cùm ampliati fœdiſſima idololatriâ obſcurentur. Huc voco Tilmanum in allegor. ad 1. Iudicum. *Arctauit Amorrhæus filios Dan in monte: tunc amariſcanus arctat hominem in monte, quando perſecutiones faciunt eum proficere, nec de monte ad planitiem permittunt deſcendere.* Perſecutionibus profecit, victoriis deliquit: felicior erat Danita infelix, & dum felix, fuit infelicior; quandoquidem ridenti fortunâ vſus à vera religione deſciuit, arctatus virtutem coluit: deliciarum, diuinarumque copia mentis obcæcauit obtutum, & colere perſuaſit idolum; aſt dum Amorrhæus arctat, Danita colit excelſa, nec deſcendit ad delictorum humilia.

234.

Seneca.

Iudic. 1. v.34.

Tilman.

Sæpe hominem anguſtiæ reddunt felicem.

Saül itineris variis erroribus diuexatus, & de amiſſo grege ſolicitus prophetam adiit, & regnum inuenit: *Acceſſit Saul ad Samuelem in* 235. 1. Reg. 9. v.18.

medio portæ, & ait: Indica, oro, mihi, vbi eſt domus videntis? Et reſpondit Samuël Saüli dicens: Ego ſum videns, aſcende ante me in excelſum. Pauperculus tenet excelſa, prophetæ ſocius, & à propheta honoratus: hic ipſe poſteà victoriis auctus, ac diuitiis onuſtus Dei præceptum violat, & Samuël illum pio ſupercilio ac libera voce ob-
1.Reg.15. v.19. iurgans ſic ait: *Quare non audiſti vocem Domini; ſed verſus ad prædam es, & feciſti malum in oculis Domini?* Iam Samuël felicem fugit, qui pauperem adierat: *Conuerſus eſt Samuël, vt abiret.* Pecoribus deſtitutus regnum inuenit, pecoribus auctus amiſit, infelicitate fortunatus, & fortuna infeliciſſimus: ſatius illi foret, quàm vincere, ſubiugari: nam duris catenarum nexibus incluſus Dominicum non violaſſet præceptum, cùm victor contemnere non erubuerit mandatum. Quod expendens Diuus Gregorius lib. 6. in Reges cap. 2.
Gregor. ſic ait: *Quid verò eſt parcere veſtibus, niſi damnatæ iam menti immunda delibare? Si enim aureus veſtitus ſponſæ virginalis gloria eſt, quæ ſunt veſtes Amalec, niſi fœda inquinamenta luxuriæ?* Dum Amalec vicit, veſtibus pepercit ſplendidis, & iam veſtis deſiderium luxuriæ procurauit negotium: felix eſſet, ſi infelicior, & infelicior fuit triumpho coronatus: periit ditatus, & non periret captiuus. O quanta nobis imponunt, dum felicitatem mentiuntur! Felix eſt ſub ſordeſcenti & pannoſo habitu virtute excultus, & perpolitus: infelix, quantumvis ſplendeat, qui virtute denudatus.

236. Dauid fame luridus, montium latebris tectus ad Dei tabernaculum ſe confert, & ſanctificato
1.Reg.21. v.1. nutritur pane: *Venit Dauid in Nobe ad Achimelech Sacerdotem:* Fame compulſus ad numinis inuolauit refugium, & à Sacerdote ſalubre impetrauit alimentum; præmiſſa tamen munditiei confeſſione, & ab omni inquinamento munditie: *Non habeo laicos panes ad manum; ſed tantum panem ſanctum; ſi mundi ſunt pueri, maximè à mulieribus. Et reſpondit Dauid Sacerdoti: Si de mulieribus agitur, continuimus nos.* Famelicus caſtitati ſtuduit, perſecutionibus diuexatus dignus inuentus eſt, qui ſanctificatum acciperet panem; verùm cùm iam multis ac celebrandis victoriis fulgeret redimitus, & vndequaque reſplenderet fortunatus: eo tempore, quo ad bella reges ſolent procedere, otio ac deliciis in regali aula fruitus ſuo ipſe aſpectu percuſſus eſt: Bethſabee ſe abluentem vidit, & impudicè adamauit; *Accidit, vt ſurge-*
2.Reg 11. v.2. *ret Dauid de ſtrato ſuo poſt meridiem, & deambularet in ſolario domus regiæ; viditque mulierem ſe lauantem ex aduerſo ſuper ſolarium ſuum.* Regiè epulatus, otio indulgens in adulterium prolapſus eſt: felicior erat ſubterraneis ſpecubus deliteſcens, quàm pollucibili menſa vtens: è culmine vſque ad infima ac ſordida prolapſus eſt ipſa felicitate infelicior. Ita Baſilius Seleucienſis orat. 17. *Illuſtrem*
Seleucienſ. *propugnatorem, qui anteà ſæpè diabolo fauces eliſerat, vulneratum quoque nobis ſcriptura repræſentat.* Adnectit poſt aliqua: *Cùm enim regiè Dauid epulatus eſſet, ac pollucibili menſa emollitus animo meridiana ſeſe oblectaret obambulatione; tunc diabolus, tunc animi, curæque neruum remiſſum conſpicatus, & mentem paſſionum aurigam indiligenter frænis ſuccinctam, ac paruula quadam ſui parte nudatam ab armis optimatem furtim cecidit ipſis iuſti oculis vſus pro telo, & momento à via virtutis abreptum in adulterij præcipitium deturbauit.* Vides inter triumphorum lauros, inter regiæ menſæ delicias, inter collucentis purpuræ ſplendores præcipitatum, quem demirabaris inter ærumnas, & ab ipſo dæmone immiſſa tela inuulneratum, & infracto animo ſupra fortunam erectum. Metire ergo huius portus ſtationem cùm illis procelloſæ tempeſtatis flatibus, ac obſtinatis laborum adſultibus, inueniesque infelicitate fortunatum, fortuna deiectum: ac noſtram veriſſimam eſſe theſim, ſcilicet proſperius eſſe infortunium, ſi virtutis ducat ad portum, & fauonium infeliciorem; ſi blandis flatibus conciliarit naufragium: nobis imponimus, dum fallacibus integumentis res non denudamus: non expendimus, qualis lateat animus ſub purpurea faſcia, aut ſub ſordida ærumna, cùm vera felicitas ſit culpis non infici, & virtutibus exornari.

Iſaac Eſaü benedicendum curabat, Iacobum 237.
concinnis moribus prælucentem arcanæ quodam-
modo obliuioni tradebat: *Fac mihi inde pulmen-* Geneſ.27. v.4.
tum, ſicut velle me noſti, & affer, vt comedam, & benedicat tibi anima mea, antequam moriar. Rebecca non vnius tantùm, ſed vtriuſque pignoris ſolicita Eſaü fratri ſubiicere procurauit, & Iacob maioris veſtibus expoliuit: *Parauit illa cibos, ſicut velle nouerat patrem illius, & veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habebat domi, induit eum.* Philo apud Lippomanum diſſerens cur Philo.
Iacobum benedicere pater non curauerit, ſic reſpondet: *Nouerat Iſaac bonum filium bonitate propria ſibi ipſi ſatis auxilio fore.* Diſertus pater virtutem externis bonis præferebat, & feliciorem virtute ſola Iacobum, quàm Eſaü externis rebus adauctum exiſtimabat: quod & mater ſuis factis approbauit: nam Eſaü poſtponi curauit, non vt diſpoliaret diuitiis, ſed vt auerteret ab offenſis. Opportunè Ambroſius libro 2. de Iacob & vita beata
cap. 2. *Apud matrem piam myſterium pignori præ-* Ambroſ.
ponderabat, illum non tam fratri præferebat, quàm offerebat Domino, quem ſciebat collatum ſibi munus poſſe ſeruare, in quo & alteri conſulebat, quem diuinæ ſubducebat offenſæ, ne grauioris implicaretur reatu, ſi acceptæ gratiam benedictionis amitteret. Pia mater infelicem ad ſpeciem filium eſſe curabat: quia nouerat, ſi poteſtate careret, virtutibus exornandum; ſi fulgeret, criminibus inficiendum: ergo teneriorem præ patre erga Eſaü amorem teſtata eſt, quando maluit iugo oppreſſum virtutibus inſeruire, quàm offenſis obſcuratum externis luminibus refulgere: eſt enim, ſi culpas arceat, infelicitas ipſa felicitate felicior, & ſi adduxerit, fortuna infortuniis ipſis luctuoſior.

§. LVI.

Fides ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur, quæ ob virtutem, non rarò eluditur.

SI quæras quæ fides, aut nunquam, aut rarò 238.
fruſtretur reſpondebo, quæ data eſt ob aliquod crimen: probro vertunt homines eiuſmodi promiſſa violare, & à fide oppignerata recedere; ſi vanitati plauſerint, & criminibus inſeruierint; Deo promiſſa, ſi non fruſtrantur, in prolixum ſaltem tempus differuntur; quod comprobauere Danitæ. Sacerdoti, ſi taceat, ſi Michæ idola eis ſuffurari diſſimulando permittat, Sacerdotio ſpondent fore honorandum, vbi arriſerit opportunitas: *Tulerunt,*
qui

Digitized by Google

Iudic. 18. v. 18. *qui intrauerant, ſculptile, ephod, & idola, atque conflatile, quibus dixit Sacerdos: Quid facitis? Cui reſponderunt: Tace, & pone digitum ſuper os tuum, venique nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem.* Tacuit ſacerdos, & vt Lais poſſederunt Danitæ, non ſolum adimpleruntpromiſſa; ſed ſuperaddiderunt auctaria. Ecquis hoc ait? Ipſe expreſsè textus: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan filij Moyſi, & filios eius Sacerdotes in tribu Dan.* Promiſerant Ionathæ Sacerdotij inſulis honorandum, ſi permitteret idola auferri, & modo fidem ſuam citiſſimè liberarunt, & inſuper filios etiam ad Sacerdotij culmina in argumentum gratitudinis euexerunt: *Iſtum fecerunt*, inquit Abulenſis quæſt. 18. *eſſe Sacerdotem, & poſteros eius idola colentes: quia iſte Ionathas erat Leuita, quem habebat Michas, & quem tulerant Danitæ.* Quo faciliùs idolum quirent auferre, Sacerdotium promiſerant: ergo modo fidem ſuam cumulatiſſimè liberarunt, quandoquidem non ſolum ipſum; ſed & filios etiam in Sacerdotes habuerunt. Quàm aliter cum Domino ſe gererent, ſi ei aliquid promiſiſſent.

Abulenſ.

239. Populus Ieremiæ accedens ſe obſeruaturum ad vnguem quidquid per ipſum Dominus ei obſeruare præciperet, ſpopondit, ſeque promiſſis obſtrinxit: *Sit Dominus inter nos teſtis veritatis, & fidei, ſi non iuxta omne verbum, in quo miſerit te Dominus Deus tuus ad nos, ſic faciemus*: fidem oppignerant, & ipſum Deum in teſtem aduocant; verùm cùm non multò pòſt Ieremias Dei eos nomine conueniret, ſic impudenti ore reſpondetunt: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus Reginæ cœli, & libemus ei libamina.* Illa clauſula: *Verbum, quod egredietur de ore noſtro*, denotat aliquod ab eis votum emiſſum reginæ cæli, dum calamitatibus vrgerentur: nec ignorabit lector illo verbo, *Quod egredietur*, ſignificari iam emiſſum, cùm frequentiſſimum ſit in ſcriptura per futurum denotari præteritum: ergò cum ſe duabus promiſſionibus obſtrictos ſentirent; nec vtramque adimplere poſſent, ſeriò ſtatuunt datam reginæ cœli fidem nullatenus infringendam; Domino autem oppigneratam violandam. Opportunè noſter Sanctius ad hunc locum: *Duo hìc vota occurrunt Iudæorum genti: alterum, quo promiſerunt Deo verò cap. 42. præſtituros ſe omnino quicquid per Ieremiam ſignificaret Dominus ſibi placere: alterum, quo ſe, aut cùm de Ægyptia profectione cogitarent, aut cum in Ægyptum ingreſſi ſunt, obſtrinxerunt de ſacrificando reginæ cæli.* Expende attentiùs quæ adiecit: *De priori dicunt ſibi nihil eſſe curæ, poſterius nullo modo permittendum fore.* Nequibant fidem ſuam reginæ cæli datam non violare, ſi oppigneratam numini cuſtodirent: vt è contra non poterant datam numini cuſtodire, ni Dianæ habitæ cæli reginæ datam fidem eluderent: ergo nihili faciunt Deo violare promiſſa, & plurimi facta reginæ cæli adimplere vota. O nimis verum! Quod veneri, quod paraſito, quod hiſtrioni promittitur, ſine tergiuerſatione adimpletur; Deo vero promiſſa, aut vanis interpretationibus euertuantur; aut in poſterum differuntur.

Ierem. 42. v. 5.

Ierem. 44. v. 16.

Sanctius.

240. Iacobum Chriſti Domini perſonam geſſiſſe, dum ad Labanum Rachelem ducturus contendit, concors Patrum ſententia eſt. *Iacob in hoc loco*, inquit Bernardus in allegor. Tilmani ad cap. 27. Geneſ. *typum Chriſti habuiſſe Chriſtiana pietas non ignorat.* Et vnde colligitur non tam propriam, quàm Domini geſſiſſe perſonam? Ex ipſo profectò rerum euentu, reſpondebit Bernardus. Repetamus hiſtoriam, vt eruamus doctrinam: Iacob Labano offert pro Rachel ſeptem ſe annos greges curaturum ea ſolicitudine, ea ſolertia, quam exercere ſolet, qui diſcupit complacere: *Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore ſeptem annis.* Annuit Laban, & ſe filiam in vxorem Iacobo traditurum promiſit: *melius eſt vt tibi eam dem, quàm alteri viro. Mane apud me.* Quod Labano promittitur, incunctanter impletur: *Seruiuit ergo Iacob pro Rachel ſeptem annis.* Fides Iacobo data violatur: *Veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum.* Vides fidem Iacobo præſtitam nullo negotio violatam: ergo non dubites Domini perſonam geſſiſſe; quandoquidem Labanus homini fidem infringere non auderet; Chriſto tamen cuſtodire nullatenus procurauit: ni Dei hominiſque perſonam repræſentaret Iacobus, timuiſſet Laban honori ſuo detrahere, ſi promiſſum conſtet non præſtitiſſe: ergo dum non veretur, Iacobum repræſentaſſe Chriſtum probatur. Quàm aliter ſe nobiſcum gerit Deus! En Iacob promiſſum implet, & præ amoris magnitudine ſeruitutis labor videtur exiguus, & iterum ſeruit promiſſis fraudatus. Profectò erga hominem ſe Deus gerit, vt homo ſe deberet gerere erga Deum: oppigneratam nobis fidem liberat, vel cum homo promiſſa numini, aut non recordatur ingratus, aut contemnit implere iniurius. Quàm vrgent homines Deum, ſi vel tantillum promiſſum diſtulerit, & datam fidem ad ſpeciem ſtatim non liberauerit.

Bernard.

Geneſ. 29. v. 18.

241. Parobolam inducit Dominus, in qua homo nil in craſtinum reliquerat, Dominicis præceptis obſecutus: hic cùm inopinè aduentaſſet hoſpes, ad Dei domum contendit, & promiſſionis ſuæ fidem conuenit: *Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo, quod ponam ante illum.* Amicus, vt perſeuerantiæ occaſionem exhiberet, tantillum diſtulit: *Noli mihi moleſtus eſſe*: ille verò iterum fores grata importunitate pulſauit, & fidem Chryſologo teſte, conuenit: ipſum audi ſerm. 39. *Æſtimo hoc dixiſſe pulſantem, aut fortè taliter conueniſſe: Feci quod iuſſiſti, redde quod promiſiſti: tibi credidi dicenti: Nolite ſolliciti eſſe in craſtinum: vnde externo hoſpiti quod apponerem, non reliqui.* Ecce adurget, ecce fidem conuenit, ecce ſibi promiſſum dari, ſi dici liceat, compellit. Vide modò quàm aliter ſe cum Chriſto gerant, qui ſe illi in ſponſas promiſerant, & dicarant: clamore excitæ ad olei venditores contendunt, & vt mundum inquirant fallacem, relinquunt ſponſum amantiſſimum perquirentem: *Dum irent emere, venit ſponſus.* Ille ſponſarum teneritudini conſulens inuolar, ne adeuntes ſponſum fatigarentur; illæ verò ſponſionis oblitæ non ſolùm dormiunt; ſed ad mundiales adulatores traſfugiunt: *Vendunt*, inquit Auguſtinus in catena Diui Thomæ, *adulatores oleum, qui ſiue falſa, ſiue ignota laudando animas in errores mittunt; & eis vana gaudia tanquam fatuis conſiliando, aliquam ab eis mercedem commodi temporalis accipiunt.* Promiſerant ſponſo fidem; ſed ad adulatores contenderunt gloriæ mundialis ambitioſæ, & ſponſi prorſus oblitæ. Ecce amicus vrget Dominum, vt reddiderit oblata, cùm vel vrgente clamore virgines obliuiſcuntur promiſſa: Solemne eſt hominibus

Lucæ 11. v. 6.

Chryſol.

Digitized by Google

datam Deo fidem violare, & ſibi datam exigere.

242. Samſon Deo conſecratus, & ipſa conſecratione de capillis non reſecandis obligatione conſtrictus, vt appetitus inſeruiret delirio, non ſtetit implicito voto: non ignorabat Samſon qua teneretur lege, quandoquidem ipſe Dalilæ faſſus eſt:

Iud. 16. v. 17. *Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Sibi aſciuit periculum, dum reſerauit arcanum. Hic idem, cum iuuenibus, ſi problema ſoluerent, dona obtuliſſet, etſi agnouerit illatam ſibi fraudem, oppigneratam violare pertimuit fidem: *Ablatas veſtes dedit iis, qui problema ſoluerant.* Promiſſis ſtetit vel fraude circumuentus, cùm Nazaræorum non obſeruarit legem Domino conſecratus: *Vidit ſibi nunc Samſon*, inquit Abulenſis

Abulenſ. q. 15. *imminere neceſſitatem ſoluendi triginta tunicas, & totidem ſindones, & non habebat, vnde ſolueret: ideò iratus nimis, & neſciens quid ageret, deſcendit in Aſcalonem, & occidit triginta viros, quorum veſtes rapuit.* Expende illud: *Vidit imminere neceſſitatem ſoluendi triginta tunicas.* Soluendi hominibus promiſſa neceſſitate vrgebatur, qui Deo promiſſa ſoluere, ſi non contempſit, non curauit: ſic ſe homines gerunt erga Deum, ſic erga ſæculum ſe gerunt.

§. LVII.

Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur, virtus ſine pompa colitur.

243. IDolorum ſolemnia, aiebat Tertullianus lib. de Baptiſmo cap. 2. *vel arcana de ſuggeſtu, & apparatu, deque ſumptu fidem & auctoritatem ſibi*

Tertull. *extruunt.* Pudet homines vitiis ſine apparatu inſeruire, & ſine pompâ erroribus famulari: virtus aliquando colitur; ſed ſine ſumptu, ſine pompâ, ſine apparatu. Benè Seneca epiſt. 94. *Ambitio &*

Seneca. *luxuria, & impotentia ſcenam deſiderant.* Nonnullis fructus vitiorum eſt oſtendere, & infelicem plauſum elucrari. Hinc plures apparatum vitiorum ſuorum pro numero turbæ ſpectantis expandunt. Olim vitia fugiebant aſpectum, ſed iam impudenter exambiunt plauſum: diſcupit laſciuia erga pellicem generoſa videri, in menſâ ſplendeſcere cupit gula, in ſumptu prodiga vanitas: quicquid virtuti reddendum, & taxatur, & circumciditur: admiratores & conſcios noſtrorum vitiorum quærimus, & irritamentum eſt infauſtum circumſpicientium elogium, aut, vt meliùs dicam, allaudantium delirium: virtutis cultor contentus eſt, ſi ei in ſinu ſuo inſeruiat, cupiditatis vernula non erit contentus, ni ei famuletur pomparicè & ſumptuosè. Danitæ idolum, quod à Micha abſtulerant, in ciuitate à Laienſibus erepta conſtituerunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filii Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ, manſitque apud eos idolum Micha omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* In Silo Iſraëlitæ eodem tempore Arcam Dei venerabantur; ſed tabernaculo obtectam non marmoreo templo extructo, aut mole inſanæ magnitudinis nobilitatam, cùm Danitæ ſumptuoſum idolo fanum conſtruxerunt, & omni cultu exornarint, quod illo verbo *poſuerunt*, ab Scripturâ denotatum putat Arias Montanus cum ſimili voce apud profanos denotetur ſuperba conſtructio, & fabrica ſumptuoſior: *Optimo verbo, atque planè* Montan. *ad hanc rem à poëtis vſurpato rem interpres noſter expreſſit, vt illud: Poſuitque immania templa. Et: Templum de marmore ponam.* Vt immane templum conſtruxiſſe, vt nullis pepercisse ſumptibus ad idolorum ſolemnia, ad portenta luxuriæ inſinuet ſacer textus, vſus eſt illa phraſi apud profanos celebri: *Poſuerunt*, cùm teſte Pſalmiſta, in Silo humile Arcæ domo extructum ſit tabernaculum: *Repulit tabernaculum Silo, tabernaculum* Pſal 77. v. 60. *ſuum, vbi habitauit in hominibus.* Proh dolor! inter homines tot beneficiis obſtrictos, & captiuitate duriſſima ereptos Deus tabernaculum inhabitauit, cùm apud Danitas idolum templum ſuperbum tenuerit: pudore ſuffunderentur Danitæ, ſi exiguum idolo ſuo tabernaculum fabricaſſent, nec inſanam ſubſtructionem pro habitaculo parauiſſent; cùm nullum ſcias ardenti ſtudio templum Arcæ vſque ad Salomonem extruxiſſe; imò vſque ad Dauidem excogitaſſe. O verùm! Miſericordiæ aliquando impenditur obolus; ſed copioſus luxuriæ cenſus: aurum profunditur ad Veneris cultum, auarè taxatur ad virtutis obſequium: anguſta manu ſemper erogatur virtuti, ampliſſima crimini.

Sicli pro hominis libertate ſactis altaribus offeruntur: *Ab vno menſe vſque ad annum quintum* 244. Leuit 27. v. 6. *pro maſculo dabuntur quinque ſicli, pro fœmina tres*: cum Phariſæi, Scribæque vt ſuæ vanitati adularentur, vt blandirentur mendacio, copioſam pecuniam cuſtodibus obtulerint, odióque ardentiſſimo plauſerint: *Pecuniam copioſam dederunt* Matth. 28. v. 12. *militibus dicentes: Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Quàm ſine taxa mendacium emitur! quàm exiguo pretio adimpletur votum, & redemptionis ſoluitur beneficium! pro homine quinque offeruntur ſicli, pro mendacio innumeri quodammodò argentei: dum Phariſæi Principéſque inſanis paſſionibus obſequuntur, copioſam pecuniam prodigunt nec impendioſis ſumptibus parcunt. Caro emitur vanitas, grandi impendio mendacium conſtat, virtus ad manum eſt, gratis ſpernitur, & faſtidioſè deſpicitur: *Emitur*, inquit Hilar. apud D. Thomam, *reſurrectionis ſilentium, & mendacium furti* Hilar. *argento: quia honore ſcilicet ſæculi, qui in pecunia* Sæculi honor à pecunia eſt. *eſt, & cupiditate, Chriſti gloria denegatur.* Vt æmuli honor doloſis technis, factitiis mendaciis obſcuretur, aurum generoſiſſimè depretiatur: vt inſana carnis expleantur delitia, pecunia offertur copioſa, at pro redemptione animarum pauci ſicli exhibentur, & vt exhibeantur, taxantur.

Elias à Sareptana illa vidua aquæ vas, & exiguum panem poſtulat: *Da mihi paululum aquæ* 245. 3. Reg. 17. v. 10. *in vaſe, vt bibam*: non renuit vidua: quia, vt placet Baſilio Seleucienſi, reuelationem acceperat: aliter námque fortè aut renueret, aut greſſum tardaret: Vide iam quanta Leuiathan montes ſpontè offerant; imò & ingerant: *Huic montes herbas fe-* Iob. 40. v. 15. *runt. Omnes beſtiæ agri ludent ibi, ecce abſorbebit fluuium, & non mirabitur, & habet fiduciam quod influat Iordanis in os eius.* Leuiathan gehennæ filius epulo ſumptuoſus ad aduſtæ ſitis refrigerium, ad aridæ linguæ ſubſidium non guttulam depoſcit; ſed Iordanis totus in eius os patulum influit: pro voraciſſimi Leuiathan ſatianda fame montes ferent ſapidas herbas, & Iordanis chryſtallinas affert vndas, quin ipſe aut quæſiuerit aut exegerit: non contendit celeri greſſu ad Iordanem Leuiathan, vt eius latices auidis viſceribus hau-

riat; ſed Iordanis ipſe faſtidioſo vndas propinat, etſi fas eſt dicere, bibere nolentem ſolicitat: *Amatores vitæ mortalis*, inquit Gregorius lib. 33. moral. cap. 4. *à bonis actibus quaſi à fructibus aluntur, tantò illi arctius inhærent, quantò eos largius delectatio tranſitoria voluptatis infundit.* Vt Leuiathan pertinaciter adhæreant, vt obſtinatè iungantur, dormientem excitant, & eius gratiam muneribus ingeſtis ſolicitant: Elias multis paſſibus, multiſque precibus paulùm aquæ impetrauit, & opus fuit cæleſti reuelatione, vt vidua ſitienti Prophetæ aquam non denegarit; ſed exhibuerit: *Euidens eſt*, inquit Baſilius orat. 11. *Quòd per reuelationem prophetæ præſentia viduæ nuntiata ſit.* Ni Deus viduæ prophetam anteà oſtendiſſet, & dilargiri aquam imperaſſet, prompto adeò animo non offerret: imò poſt reuelationem etiam Elias aquæ paululum poſtulauit. Videas algentibus, mendicis, ægrotantibus exigua ſubſidia aut denegari, aut differri, cùm tamen in fœminæ annulum grande expendatur patrimonium, & luxuria per ſingulos digitos de copioſo cenſu ludat, & pompaticus, ac ſuperfluus ornatus ſummam excedat.

(Gregor.) (Baſilius.)

246\. Adde non ſolùm virtuti impendendum taxari; ſed & debitum differri, cùm quidquid excogitauit vanitas, celeriter adimpleatur. Aſſuerus rex, vt gloriæ ſuæ diuitias oſtenderet, vt potentiam ſuam iactaret, opiparum, regiumque inſtruxit conuiuium: *Fecit grande conuiuium cunctis Principibus, & pueris ſuis fortiſſimis Perſarum, & Medorum inclytis, & præfectis prouinciarum coram ſe.* (Eſther. 1. v. 3.) Huius conuiuij intentum audi: *Vt oſtenderet diuitias gloriæ, regni ſui, ac magnitudinem, atque iactantiam potentiæ ſuæ multo tempore centum videlicet, & octoginta diebus.* (Vanitati exprompté inſeruitur, iuſtitiæ ſolutio differtur.) Poſteà popularibus in veſtibulo horti menſas exhiberi præcepit, & ne vel ſolaris radius offenderet, vela miris coloribus intertexta pendebant: *Pendebant ex omni parte tentoria aërij coloris, & carbaſini, ac hyacinthini ſuſtentata funibus byſſinis, atque purpureis, qui eburneis circulis inſerti erant, & columnis marmoreis fulciebantur. Lectuli quoque aurei, & argentei ſuper pauimentum Smaragdino, & pario ſtratum lapide diſpoſiti erant, quod mira varietate pictura decorabat.* Non ſine arcano myſterio prolixè adeò retulit Scriptura lautum conuiuium, & mira ſuppellectilia ad potentiæ oſtentationem, gloriæque iactantiam: *Vt oſtenderet*, inquit, *iactantiam potentiæ ſuæ.* Vidiſti iactantiæ pompam: audi modò ſpecialem Dei prouidentiam, vt Mardochæo Bagathan, & Thares inſidias in regem fideliter aperienti præmium redderetur: *Voluerunt inſurgere in regem, & occidere eum, quod Mardochæo non latuit, ſtatimque nuntiauit reginæ Eſther, & illa regi ex nomine Mardochei.* Eximiæ adeo fidelitati nullum redditum eſt præmium, quouſque non ſine ſpeciali prouidentia ſomnus fugit regem, qui vt vigiliarum faſtidium alleuaret, annotata ſibi referri iuſſit, & Mardochæum impræmiatum agnouit: *Quid pro hac fide honoris ac præmij Mardochæus conſecutus eſt? Dixerunt ei ſerui illius, ac miniſtri: Nihil omnino mercedis accepit.* (Eſther. 6. v. 3.) Inquires, cur rex adeò liberalis Mardochæum irremuneratum tantò tempore reliquerit cùm inſidiarum proditione & regi vitam largitus ſit & coronam. Si ibi adeò lautum conuiuium, quomodò hìc vel exiguum dilatum eſt præmium? ſolutio facilis: quia hìc præmium exigebat æquitas, ibi ſumptus conſuluit vanitas: ad potentiæ oſtentationem, ad euanidæ gloriæ plauſum nulli parcetur ſumptui, nulli apparatui; aſt vt obſequium, officiumque dignam mercedem accipiat, opus erit ordinem rerum inuerti, & ſomnum non ſine Dei prouidentia ſpeciali fugere: *Noctem illam duxit rex inſomnem, quod à Deo factum eſt*, inquit Lyra: (Lyra.) Ne queratur iuſtitia, opus eſt vigiliarum tormento, cùm inuitentur conuiuæ, cùm opiparæ immeritis diſponantur menſæ, cum ſudet ad ornatum ars, ad pompam defatigetur ingenium, & totum hoc quia ad vanitatis elogium. Hiſtoria pro penicillo vſus ſacer textus in præmio exprompté non reddito, & in conuiuio ex promptiſſimè exhibito quod frequenter ſatis accidit, ad noſtram eruditionem expreſſit: vt repetat Tertullianus: Conuiuiorum ſolemnia de apparatu, deque ſumptu vanitati adulantur; at debita virtuti præmia in poſterum differuntur.

§. LVIII.

Delicta malè ſibi ominantur, ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant.

Vitia omni tempore nocent naturæ oppoſita, & virtuti ſemper aduerſa; ſed licet non poſſint effugere conſcientiæ tormentum, externum tamen eludere ſolent ſupplicium; verùm ſi in publicum audeant, ſi iam omnem verecundiam excutiant, non diſtabit calamitas; ſed propetabit aduerſitas. Exodi 21. iubet oraculum: *Si quis aperuerit ciſternam, & foderit, & non operuerit eam, cecideritque bos, aut aſinus in eam, reddet dominus ciſternæ pretium iumentorum.* Non tenetur ad pretium, qui etſi aperuerit ciſternam, operit: quia operiendo vitauit caſum. Humana fragilitas ciſternas ſibi, & quidem quæ non valeant continere aquam, ingenti aliquando labore aperit; ſed prudens cautela cooperit: ſibi inuidet, qui, quod malè aperuit, ad aliorum caſum apertum relinquit. *Qui ciſternam fodit*, inquit Gregorius lib. 17. moralium cap. 14. *Cooperiat, ne illuc bos, vel aſinus ruat ... per ſilentium tegat, ne per ſcandalum mentis aut fidelem paruulum, aut infidelem, qui credere potuiſſet, interimat: ex morte enim iumentorum debet pretium.* Pretium, & quidem ingentiſſimum debet, qui ruinæ aliis occaſionem exhibuit. In Michæ domo latens idolum captiuitatem non attulit; verùm dum Danitæ inuerecundè colunt, dum publicè ei obſequuntur, iam miſeræ captiuitati dicantur: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.* Potentiâ, auctoritateque fiſſi de crimine gloriabantur, idolum publicè colentes, & impiis ſolemnitatibus celebrantes; verùm iam imminebat captiuitas, & iam properabat captiuitatis calamitas: eſt enim ſcandalum infortuniorum illicium; infauſtum potentiæ elogium, & calamitatum aucupium. Adeſt Arias Montanus. *Ea fuit* (ſcilicet captiuitas) *cum ob incolarum culpam atque noxam Reipublicæ illius facies omnis inuerſa fuit.* Danitæ ab Amorrhæis arctari, dum idola non coluerunt, aut ſaltem ſagaciter occultarunt, captiuitate dura non premuntur; imò Amorrhæis ipſis dominantur; at cùm iam terminos cautelæ egreſſi, verecundiæque limites tranſilientes, idolum aris, flaminibus, & thuris ſuffitu colunt, in ſe manus aduerſariorum obarmant,

(247. — Exod. 21. v. 33. — Gregor. — Montan.)

obarmant, durâ captiuitate premuntur, & diuitiis d ſpolianrur. Idolum publicè cultum catenas duriſſimas inſeruit, & aduerſarios vocauit.

248. Geneſ. 31. v. 19. In Iacobi familia non modica idolorum phylacteria; imò & idola aſſeruantur: *Rachel furata eſt idola patris ſui*: nec ſolùm Rachël idola, vt textus innuit, colebat; ſed & familia figmenta Deos eſſe putabat: *Dederunt ei*, inquit textus, *omnes Deos alienos, quos habebant, & inaures, quæ erant in auribus eorum.* (Geneſ. 35. v. 4.) Nullus mortem hîc oppetit, etſi infandis idololatriæ ritibus defœdentur, cùm populus ob idolum vnicum, nempe vitulum, pios gladios cruentarit, vitamque amiſerit: *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* (Exod. 32. v. 28.) Vnicus vitulus tot hominum millia perdidit, cùm tot idola violentam familiæ Iacobi mortem non attulerint. Certè grauius videbatur piaculum, quàm vnico inſeruire, idolis plurimis famulari: ſi ergo armatorum cincta agminibus Iacobi familia non periit, cur copioſus adeò idololatrarum numerus ibi ruit? Iam rationem reddit textus: *Ignorabat* (Iacob) *quòd Rachel furata eſſet idola.* Addit textus: *Illa feſtinans abſcondit idola ſubter ſtramenta cameli.* Rachel nulli aperuit ſe idola colere, ſecumque deferre: quod miraculi ad inſtar fuit, quandoquidem fœmina neſcit vel delictum abſcondere; ſed geſtit omnibus propalare. Itaque nec ſciuit ſponſus, nec commiſit alicui è patris familia, nec manifeſtauit cui ex ſequentium copia: ergo etſi delictum polluerit conſcientiam, dum ſcandalum abfuit, dum omni circumſpectione tectum delituit, armatorum iram fruſtrauit; at vbi, etſi vnicus, publicè vitulus plauditur, vbi ſe idolo addictum iactare nullus veretur, chalybis aciem exacuit, & miſerabiliter ruit. Omnis profectò culpa debet ſolertet vitari; verùm ſi fragilis incideris in delictum, vita prudenter ſcandalum: Hæc peccata, inquit Hugo ad Geneſ. 31. (Hugo.) *quæ ſæculares faciunt in aperto, faciunt in occulto.* Eadem Rachel, quæ populus, peccata committit, dum adorat idolum, ei tamen quodammodò patrocinatur ſecretum: eſt namque aliqualis criminis deteſtatio ipſum abſcondere, & ab hominum notitia retrahere: vt è contrà publicè iactare delictum, eſt omnem verecundiam exuiſſe, & culpam incrementaſſe.

249. Balaam, cùm domi ſuæ execranda exerceret auguria, & fallacia redderet reſponſa, diuinam adhuc non defatigauit patientiam: ambitionis & cupiditatis alis properabat inſtructus, cùm in Angelum incidit, qui etſi ſtricto gladio mortem minitaretur, ipſis minis, ne inferret, amantiſſimus conabatur: *Vidit Angelum ſtantem in via euaginato gladio.* (Numer. 22. v. 31.) Cui Angelicus gladius pepercit, Moyſis interemit gladius: *Percuſſit Moyſes eum cum Principibus Madian*: &c. *& Balaam filium Beor ariolum occiderunt filij Iſraël gladio.* (Ioſuê 13. v. 21.) O quàm vtilius eſt in Angelicas manus, quàm in hominum iras incidere! Ecce homo trucidat, quem Angelus deterruit, ne trucidaret; verùm inquiramus, ſi placet, cur Angelus mortem non intulerit, cùm cæca cupiditas greſſibus ocyſſimis inuolaret: & cur Moyſis gladius meritam intulerit plagam? Iam Chryſologus reſpondet: quia videlicet dum quærit auguria, ad deſertorum ſe conferebat abſtruſa oculos fugiens, & calculatoriam artem ſecretò exercens. *Sta pauliſper*, aiebat Balac alloquens, *iuxta holocauſtum tuum, donec vadam, ſi fortè occurrat mihi Dominus*; aſt poſteà quod incantamentis nequibat efficere deteſtandis, iniquiſſimis perfecit conſiliis, puellas lenociniorum fallaciis excultas, & floridis veſtibus exornatas libidinis negotia apertè conſuluit agere, & patria Iſraëlitarum religionem euertere: *Dabo conſilium, quid populus tuus populo huic faciat extremo tempore.* (Numer. 24. v. 14.) Ergo dum ſcandala concinnat, dum iniqua conſilia publicè iactat, mortem ſibi aſciſcit in pœnam: plus nocuit conſiliis, quàm nocuerat incantamentis, quandoquidem quod Diabolicis fieri nequiuit incantamentis, iniquis eſt abſolutum conſiliis: ergo qui ſecretò dæmones conſulens Angelicum non ſuſtinuit gladium, ſcandala coram populo ferens religioſum Moyſis ſuſtinuit cultrum: vt periret publico ſcandalo, qui augurio non diſperierat ſecreto. Grauius quidem erat Diabolum conſulere, quàm in virtutem temperantiæ peccare; verùm dum omni rubore expuncto humanæ fragilitati obiecit ſcandalum, tulit ſeuerum ſupplicium. Audi Chryſologum (Chryſolog.) ſerm. 27. *Scandalum populo Iſraëlitico Balaam diuinator obiecit, quando bellatoribus non cum ferratis viris; ſed cum puellis toto lenocinio fucatis occurrit, vt arma verteret in luxum, triumphum mutaret in infamiam, & in reatum reatus deuocaret vltores, & ad ſummam profanaret totam de turpitudine ſanctitatem.* Adjicit Chryſologus: *Hinc eſt quòd eum Moyſes tali notauit ſententia, cùm puniret: Et Balaam inquit, diuinum occidite: quià hic miſit ſcandalum ante filios Iſraël.* Expende non dixiſſe: Balaam ſcandala diſſeminantem trucidate: quia incantator, & diuinus; ſed diuinum, quia miſit ſcandala: nam etſi miſera cum dæmone familiaritas turpitudinis culpam ſupergreſſa fuerit longiſſimis interuallis, dum ſecreto peragitur, aliquomodo ipſa ſecreti verecundia defenditur; at luxuria, etſi criminis qualitate fuerit inferior, de ſcandalo, de publicitatéque inuenitur audacior. Periuit Balaam Moyſis gladio, dum publica molitur ſcandala, non periuit Angelico enſe, dum abſtruſis ſpecubus, dum caliginoſis noctium tenebris conſulere demens aggrediebatur dæmonia: vt diſcamus quanta ſit ſcandalorum ad diuinam vltionem prouocandam nequitia, & quàm in ſe gladium cæleſtem armet oculos non timens procacia. Iam Danitis captiuitas imminet, quia idolum publicè conſtructis aris reſplendet.

§. LIX.

Ingens generi dedecus, ſi filius ab honeſtis maiorum moribus degenerarit, ſed grandius, ſi ad falſam religionem tranſierit.

Filij aut parentum eximia gloria, aut grandis infamia: natura, vt ſe quodammodò æternaret, filios edidit veros patrum characteres, & imagines: nullum maius filiis gloriæ compendium, quàm laudibus ſucceſſiſſe maiorum: nulla eximior parentum laus, quàm à poſteris honeſtè vinci, & radicis ad inſtar grata in fructibus vbertate florere. 250. *Hinc eſt*, aiebat Attalaricus apud Caſſiodorum 9. var. 13. (Caſſiod. Meliùs aditur hæreditas honeſtate, quàm iure.) *Quòd Patritium Venantium ſub admiratione penſemus, & fœcunda prole gaudentem, & tot Conſularibus parem.* Adnectit: *Iactent ſe alij poſſeſſione locupleti, ſummumque* putent

putent bonum ſolas eſſe diuitias: in hac autem domo non tantùm patrimonia; ſed & virtutibus aditur hereditas. Vt rerum cauſæ relucent in ſemine, & fructus editus prodit auctorem, ſic parentes reciprocantur in filios, nec tantùm moribus degeneribus vexatur amor; ſed & obcuratur honor: nam ſicut quid parentes meſruerint, de felici prole colligitur, ſic de filiorum vitiis parentum meritum ſordidatur. Hinc Ionatham, cùm à vera religione deſciuerit, & ad idolorum cultum transfuga declinarit, alij Moyſis teſtantur filium, alij à Menaſſe dicunt exortum: *Poſuerunt ſibi ſculptile*, inquit textus, *& Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan.* Arias Montanus putat librariorum errore *Moyſi* pro *Menaſſe* poſitum, aut fortaſſe Hebræos Moyſis gloriam obſcurare contendentes illi adſcripſiſſe poſteros contraria religione ſordidatos, vt ſic parentis gloriam prorſus expungerent, & penitus tumularent. Montan. *In noſtris Latinis codicibus Moyſi pro Menaſſe ſuſpenſa littera N. non ſine myſterio habeat, & Chaldaica atque Græca verſiones idem referant.* Abulenſis aliter meditatur, videlicet Hebræos pro dictione Moyſi Menaſſe ſubrogaſſe, ne eximia adeò Moyſis gloria infelicis poſteritatis crimine ſordeſceret inrubilata, aut innubilaretur obſcura: ipſum audi q.18. Abulenſ. *Hebræi ad tollendam verecundiam Moyſi, ſcilicet quòd cùm ipſe fuerit doctor legis, & lator, & tanta ſeueritate vetuerit idololatriam, nepotes ſui illam exercerent, mutauerunt nomen.* Nullum grandius beneficium de ſe benemerenti Moyſi exiſtimarunt Hebræi poſſe conferre, quàm Ionatham eius poſterum denegare, & aliud nomen infercire: adeò graue maiorum eſt dedecus ſortiri poſteros falſæ religioni addictos, & ſordidis moribus inquinatos. Vt è contra in Moyſem ardentiſſimo odio deſæuientes, inquit Montanus, illi poſteros adſcripſerunt moribus ſordidatos, & religionis iniuria obſcuros.

251. Epulonem illum gehennæ filium in Abrahami gloriam machinam hanc obarmaſſe ſolito acumine expendebat Chryſologus: à longè vidit Abrahamum, & in eius ſinu Lazarum placidiſſimè quieſcẽtem, & inuida rabie inflammatus in vtriúſque gloriam inſurgere conatur doloſus, Lazarum ad infernum nititur trahere, & ſe Abrahami filium vocibus exertis referre: Lucæ 16. v.24. *Ipſe clamans dixit: Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Hoc huius clamoris fuiſſe intentum audi à Chryſologo ſerm.123. Chryſol. *Voco filium, vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna; ſed iſte fratres intelligit ſe non eſſe filium, qui fatetur.* Dum ad patris domum remitti Lazarum deprecatur, ſe Abrahami non filium indubiè fatetur; patrem tamen vocat, vt inuidus obſcurauerit gloriam, aut detorſerit ſaltem patientiam: & quidem ſi ſtatus ille, quo Abrahamus vtebatur patientiæ capax, acri Abrahamus percelleretur dolore, dum ſordidatum diuerſis adeò moribus adſpiceret filium.

252. Deus primos parentes, ſi contrà edictum manum ad inſipidam arborem extenderint, morte mulctauit: Geneſ. 2. v.17. *In quocumque die comederis ex eo, morte morieris.* Poſt præcepti præuaricationem vitam non abſtulit; ſed fortè quia morte grauius ſupplicium intulit, videlicet Cainum dedit, mortis magiſtrum, innoxij Abelis fratricidam, & totius impietatis ſcholam: Geneſ. 4. v.1. *Concepit, & peperit Cain.* Cain impatientiæ filius, orci ianua, dæmonis lingua, fratris interemptor pro dira morte parentibus fuit: & neſcias an mitiùs cum parentibus ageretur, ſi mortem paſſi, an duriùs Cainum filium ſortiti. Innuit Tertull.lib.de patient.cap.5. *Illa* (impatientia) *ſemine diaboli concepta malitiæ fœcunditate iram filium procreauit, editum ſuis artibus erudiit: quod enim ipſum Adam & Euam morti immerſerat, docuit & filium ab homicidio incipere.* Tertull. Expende illud: Quod Adam & Euam morti immerſerat: id eſt, cùm culpa, cùm impatientia Adamum, Euámque morti damnaſſet; imò vt in ipſa morte quodammodò includeret, & vitam morte amariorem pati cogeret, Cainum produxit miſerum fœcunditatis elogium, & parentis verum tormentum. Deum ſe poſſe fugere arbitratus immenſitati infert iniuriam delictum celans ſapientiam taxat: ergo dum ſic à veritate peruerſus diſtat, parentes intimo dolore ſauciat.

253. Abrahamus, nil tam cauit, quàm ne Iſaac Chananæam aliquam in vxorem aſſumeret. Geneſ. 24. v.2. *Dixit ad ſeruum ſeniorem domus ſuæ, qui præerat omnibus, quæ habebat pone manum tuam ſubter femur meum,* vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito. Præuidebat poſſe Chananæam fideliſſimũ filium ad falſam religionem deflectere, & periculum expauens Sacramento ſeruum conſtringit, ſponſámque aliunde quærere perſuaſit. Adeſt Ambroſ.lib.1.de Abraham cap.9. Ambroſ. *Sæpe illecebra mulieris decepit etiam fortiores maritos, & à religione fecit diſcedere: & ideò tu vel amori conſule, vel errorem caue: primùm ergo in connubio religio quæritur: ideò Abraham proximam quæſiuit dare vxorem filio ſuo.* Qui non dubitat celeri greſſu ad montem contendere, filiúmque ſacris ignibus imponere, ſolicitè cauit, ne filius falſæ religionis aliquale ſubiret periculum, ſi degeneris admiſiſſet conſortium. Ecce acerbius eſſe poteſt, quàm ſi filius falſa ſe religione polluerit, aut inconditis moribus ſordidauerit: ergo Abraham, qui flammam non extimuit filium abſumpturam, timet, ne in errorem ſpecie illectus inciderit, & paternæ religionis gloriam blanditus voluptati obſcurauerit.

254. Noë, dum nudus iacet, Chriſti Domini paſſionem teſtantur Patres expreſſiſſe: Geneſ. 9. v.21. *Bibens vinum inebriatus eſt, & nudatus in tabernaculo ſuo.* Stephan. in allegoriis Tilmiani ſic ait: Stephan. *Benè dicit: inebriatus, quod non facit vna potatio, ſed plures, & Chriſtus pro nobis multiplices ſuſtinuit paſſiones.* Itaque Chriſti figuram gerit nudus: quia quiſquis paupertate premitur, omnium riſui, contemptuique obiicitur; vel à ſuis irridetur nudus, cùm ab exteris ſuſpiciatur diuitiatus. Sed rem altiùs ſcrutemur: quid commune Noë cum Chriſto, quando Chriſtus Dominus rapidis dolorum vorticibus quodammodo doluit abſorptus clauiſque transfixus: Noë nudus iacet, & Chriſtus nudus; ſed Noë flagris non poſcinditur, Chriſtus ſentibus duriſſimis verberatur. Ergo eius paſſionem non referet, qui dolores non ſuſtinet. O expende (amabo te) Noë vidiſſe Cham, Chanaámque vitiis lutulentos, & paternis moribus denudatos: ergo graue adeò eſt parentibus degeneres conſpicere filios, vt Noë Chriſti paſſionem retulerit, dum degeneres poſteros ſpectauit. O quàm illi durum fuit, ô quàm acerbum chariſſimos ſibi poſteros criminum tenebris deturpatos aſpicere, & ab auitis moribus degeneraſſe ſpectare.

Duriſſimas

Digitized by Google

255. Duriſſimas ob perpetratum flagitium pœnas Dauidi Dei nomine propheta denuntiat : 2. reg. 12. v. 10. *Non recedet gladius de domo tua in ſempiternum, eo quòd deſpexeris me. Tollam vxores tuas in oculis tuis, & dabo proximo tuo.* Verùm cùm prædicere etiá quiuerit poſteros ad deteſtandum idolorum cultum tranſituros, tacuit. Et quidem Salomonem infami figmentorum cultu pollutum conſtat : *Ædificauit Salomon fanum Chamos idolo Moab in monte,* 3. reg. 11. v. 1. *qui eſt contra Ieruſalem, & Moloch idolo filiorum Ammon.* Si ergo non tacet Thamaris iniuriam, ob ſtuprum illatam mulctam, ſi non recuſat, licèt generali nomine contectam, prædicere exoculatam Abſalonis audaciam, libidinis inſolentiam, cur non etiam denuntiarit filios abiurata vera religione idolorum cultui addicendos, & aras pietati aduerſas erecturos, quandoquidem hoc grauiùs exulceraret animum, & dolorem induceret ſæuum? Certè ob id ipſum : ſupplicia denuntiata impleri oportebat ad prædictionis veritatem, & ad criminis expiationem. Ergo ſi filium adeò Dauidi dilectum, & aliis antelatum contraria religione prædiceret attaminandum, piiſſimus pater acri dolore interiret citò perculſus, nec alia ſupplicia ſortiri quirent effectus : ergo cùm non vita Dauid eſſet mulctandus; ſed ærumnis affligendus, duriſſima prænuntiauit; ſed circa religionem præuaricandum : reticuit : Baſil. *Diſcamus,* aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 1. *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* Dum propheta de erga religionem præuaricatione tacet, dolorem patri non ferendum nos edocet : nec enim parentem religioſum adeò vel conglobati calamitatum fluctus ſic diſtorquerent, ac religio temerata vexaret.

§. LX.

Amant homines ſuperiorem, qui delicta non carpat; ſed ori manum imponat.

256. IS ineſt hominibus errandi amor, vt omnia auerſentur impedimenta, & anxiè diſcupiant erroris auxilia : nolunt vitium carpi: quia deſiderant ſemper extolli : ergo illis ille placebit ſuperior, qui delicta non corrigat; ſed peccatis diſſimulanter indulgeat. Omnem culpam ſeuerè punire cenſetur imprudentia; omnem diſſimulare, damnanda ignauia : nimia eſt diſtrictio, quam præcedens admonitio non commendauit, quam non oſtendit patientia iuſtam; vt nimia eſt patientia, quam nulla delicta exaſperant, & ad ſupplicium infligendum inſtigant. Opportunè Theodoricus 4. Caſſiodor. var. 28. *Nos quibus cordi eſt poſt primam culpam non ſtatim deſiderare vindictam, ad monitionem potiùs iuſſa conuertimus, ne ſit noſtra diſtrictio nimia, quam lenis patientia non præcedat.* Subijcit: *Quia non habet veniæ locum, qui delinquit ad monitus.* Sibi aufert veniam, qui admonitus delinquit : ergo ſatagunt homines non admoneri, vt veniam ſemper quiuerint impetrare. Superior Princeſque, ſi delicta corrigat, liuido dente abroditur, & à ſubditis faſtiditur : placet ille, qui caligantibus de induſtria oculis errata diſſimulat, & diſſimulatione protelat. Danitæ ad Sacerdotij ſuperioriſque dignitatem extulerunt Ionatham : quia in Michæ domo ſibi iam fuerant experti commodum, & delictis impiè benignum. *Poſuerunt ſibi ſculptile & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan.* Iam ſi Ionathæ eximias dotes, & ad dignitatem honeſtas inquiſieris virtutes; ſolùm inuenies manum ori impoſuiſſe, & dum furarentur idolum, ora ſilentio ſignaſſe. Blanda voce illos carpebat; imò non tam in eos inuehebatur rigidus, quàm quid facerent, ſcrutabatur curioſus : *Quid facitis?* Tacere iuſſus quàm cito paruit, linguamque continuit : ergo in Sacerdotem, extulerunt, & ſuperioris munus gerere procurarunt : *Tulerunt, qui intrauerant, ſculptile, Ephod & idola, atque conflatile, quibus dixit Sacerdos : Quid facitis? Cui reſponderunt : Tace, & pone digitum ſuper os tuum, venique nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem.* Quid tunc? *Acquieuit ſermonibus eorum.* Expende illud : *Tace, vt habeamus te patrem :* Ac ſi dicant ſi vis à nobis ſuperior coli, in patremque ac Sacerdotem haberi, quæ delicta vides, diſſimula, & ora ſilentio fræna : ſic namque taciturnitatis merito non ſine omnium plauſu inſcendes dignitatis faſtigium, & ſuperioris habebis locum. Appoſitè Arias Montanus : *Imprudentioris ætatis iuuenis animo nondum conſilio & ratione firmatus, atque iam alieno cibo citra laborem & otio aſſuetus, eadem vitæ ratione cum maiore vtilitatis atque dignitatis opinione, & ſpe facilè in fraudem pellectus, adductus eſt.* Facilè adductus eſt, vt taceret; dignitatis opinione & ſpe ineſcatus, & à Danitis comiter, ac liberaliter cultus.

257. Dauid ſe zelaſſe ait ſuper iniquos, dum peccatorum pacem contemplabatur : Pſal. 72. v. 3. *Zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns.* Nomine illo *iniquos* ſuperiores arbitror denotare : quos ſubiectorum peccantium ora, dum laudibus extollunt : condemnant : peccatores pacem cum ſuis Principibus ſuperioribuſque conſeruantes illiſque plaudentes regiminis nota ſunt : ni enim iniquâ tolerantiâ diſſimularentur, Superiorem non dilaudarent, nec cum illo pacem haberent : Incognit. *Eſt pax otioſa,* inquit incognitus ad hunc locum, *& hæc nihil aliud eſt, quam quædam negligentia punitionis : quando enim prælatus videt delictum puniendum, & diſſimulat, nec punit, tunc à ſubditis vocatur pacificus.* Impunitas ſuperiorem laudat, & miris exornatum dotibus prædicat. Qui perpetratis ſceleribus indulget, qui diſſimulat culpam, qui neſcit erratorum vindictam dignus, qui cæteris præponatur, habetur; aſt ſi pia rigiditate, ſi honeſta ſæuitia, ſi laudabili impatientia corrigat ſubiectorum errata, iam audiet tyrannus, & in perniciem hominum genitus.

258. Phariſæi populis imperabant, dignitatẽ ambientes, & indignis artibus procurantes : ergo vt induces ſuperioreſque eligerentur, ad cæcitatem recurrebant, cuius auxilio aſſequebantur ſuffragia, & adipiſcebantur dignitatum faſtigia. Audi Chriſtum Dominum : Matth. 15. v. 14. *Cæci ſunt, & duces cæcorum :* & ob id cæcorum duces, quia cæci. Innuit Euthymius : *Cæcos vocat eos tamquam animæ oculo à fluxu affectionum excæcatos, & quaſi non potentes oculos intendere in lucem veritatis : nec ſolùm hos; ſed & duces eorum.* Euthym. Duces, ne ducatu priuarentur, fluxu ambitionis obcæcabantur, non dubitabant ſubiectos à rationis tramite deuiare; malebant tamen diſſimulare, quàm ad ſemitam æquitatis reducere : quia cæcitatis ſuffragio fruebantur dignitatis faſtigio. Nolunt homines ſu-

periorem inoculatum; ſed cæcum, nolunt qui culpas abigat; ſed qui aut foueat, aut diſſimulanter prætereat.

259. Hinc diſces, cur Chriſto Domino aduerſarij regnum offerant, ſi de crucis ligno deſcendat: *Si rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, & credimus ei.* Regem ſe credituros, habituroſque promittunt, ſi è cruce corpus liberum clauis excutiat, & quidem aliquod hic latere myſterium indubium eſt, quandoquidem inſipienter putauerint imbecillum, quem nouerant fœtentem Lazarum è ſepulchro reuocaſſe, demortuámque puellam, ac viduæ filium vitæ reſtituiſſe. Ergo dũ cupiunt deſcendere non tam ironicè inſultant, quàm affectum cordis indicant: & quidem ſi Chriſtus Dominus crucem patiatur, Principem delictorum, vitiúmque exterminabit, teſtante ipſo Domino: (Ioan. 12. v. 31.) *Nunc Princeps huius mundi eiicietur foras: & ego ſi exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipſum*; ſi verò è cruce deſcendat, florebunt vitia, nec abolebuntur peccata: ergo qui in crucem egerant piâ indignatione carpentem, hoc pacto ſpondent admiſſuros ſe in Principem, videlicet ſi peccata non aboleat, nec Principem mundi pellat: reſpuunt námque peccatores vtilem correctionis medicinam, impiam diſſimulationis deſiderant tolerantiam, & iniquam ambiunt patientiam: ergo in regem admittent, è cruce deſcendentem, adlaborabúntque obnixè regnum de cruce delere, dum in vitia agnoſcunt de cruce pugnare: *Mihi videtur*, inquit Hieronymus (Hieron.) in catenâ Diui Thomæ, *hoc Dæmones immittere: ſtatim enim vt crucifixus eſt Dominus, ſenſerunt virtutem crucis, & intellexerunt fractas vires ſuas eſſe, & hoc agunt, vt de cruce deſcendat; ſed Dominus ſciens aduerſariorum inſidias, permanet in patibulo, vt Diabolum deſtruat.* Mitè nos edocet Scriptura & diuinam prouidentiam & humanam malitiam: malitiam, dum offerunt regnum è cruce deſcendenti, dum oſtendunt quàm ament ſuperiorem in vitia non pugnantem, & dum in cruce vitia delentis regnum abolere totis viribus adnituntur. (Ioan. 19. v. 21.) *Noli ſcribere rex Iudæorum*: his vocibus quàm totis conatibus reſpuant Principem in voluptates ac delicias militantem teſtantur; verùm vt notum fuerit aduersùs omnium inimicorum adſultus dignitate frui, qui virtutis cauſam tuetur, nec ambitioſè blanditur, licèt cum hominibus confœderatus infernus titulum de cruce auferre tentarit, non potuit: *Quod ſcripſi ſcripſi*, aiebat Pilatus. A ligno regnauit Dominus, vt ſuo exemplo inſtrueret iuſtitiam, & rectam muneris adminiſtrationem eſſe validiſſimam arcem aduersùs hoſtiles prauitatis adſultus, & infernorum conatus. Itaque Phariſæorum clamor edocuit ambire homines Superiorem delictis parcentem, refugeréque animitus caſtigantem. Adde quantumuis Superior ſubiectos muneribus ornet, quantumuis eorum commoda inuigilanter ſolicitet, ni culpas diſſimularit, ab ipſis beneficiatis abhorreri, & mordaci dente abrodi.

260. (Lucæ 19. v. 13.) Ecce mnas dilargitur Dominus: *Dedit eis decem mnas*, & tamen exertis vocibus clamant ciues: *Nolumus hunc regnare ſuper nos.* Et quare auerſentur munificum, panes ad ſubleuandam indigentiam multiplicantem, ſalutem ægrotis refundentem? Quia eorum delicta benigna ſæpeſæpiùs auſteritate carpebat, & iniquitatem frænabat: ergo quantumuis generoſitate floreat, quantumuis ſalutem infundat, quantumuis commodis ſubiectorum attendat, odio habebitur, ni culpa cæcis oculis prætereatur. *Hoc eſt*, inquit Cyrillus in catenâ D. Thomæ, (Cyrill.) *quod Chriſtus improperauit Iudæis dicens: Nunc verò viderunt, & oderunt me, & Patrem meum; renuerunt autem regnum eius dicentes Pilato: Non habemus regem, niſi Cæſarem.* Non inuehebatur Cæſar, nec Pilatus in innocentiam crucifigentes; imò annuebat eorum petitionibus. Ergo hunc ſuperiorem deſiderant, & aduersùs Chriſtum clamant.

---

§. LXI.

Vitium, ſi ex eo temporale reſultet commodum, adhærebit quodammodò inuiſceratum.

QVidquid nobis honeſtè vtile, futurum eſt, 261. neſcio quo tædio auerſamur: quicquid nociuum, ſiti inardeſcenti diſcupimus: animum addicimus voluptati, quæ omnium malorum radix eſt: ambitione trahimur, vanis, & inanibus ſtudemus: ferè nullum videas, quem non aliqua ex his peſtibus infecerit: temporum malignitati vitia adſcribimus, cùm vitia non temporum; ſed hominum ſint. Profectò homines ſic vitiis inhærent, vt virtutibus fas eſſet inſeruirent. Verùm etſi nulla delicta reſpuant; ea tamen, quæ aliquam temporalem afferunt commoditatem, ſtudioſiùs perquirunt, & intimiùs inuiſcerant. *Spernè voluptates*, (Horat.) aiebat Horatius lib. 1. epiſtol. ad Lolium, *nocet empta dolore voluptas.* (Voluptas dolore emitur.) Etſi voluptas dolorem ingerat, etſi magnas anxietates ambitio pariat, etſi aurum pericula creet, voluptatem neſciunt homines auerſari, aut ſaltem effugere. *Interdum aſſidui labores*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 12. (Caſſiod.) *etiam ipſas ingratas faciunt dignitates, dum imbecillitas humana citò ſolet ſuſtinere faſtidia, & quod prius ambiiſſe creditur, poſteà vitare velle ſentitur.* (Labor ingratas facit dignitates.) Ingens Dei beneficium eſt, ſi vitia dolorem pariant, ſi ambitio & cupiditas faſtidium enutriant; verùm ſi allexerint fugaci lucro, ſi euanido animum fefellerint commodo, fixè hærebunt; & licet prudentia conetur obſiſtere, cupiditatem lucrúmque non dubium eſt detriumphare. Danitæ teraphim & idolum, quæ Michas non ſine ſumptu conſtruxerat, abſtulerunt: *Tulerunt, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile.* Capta iam ciuitate Lais ſacrilegam idolo aram conſtruxerunt, & diu ſacrificulis, hoſtiiſque nobilitarunt: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ. Manſitque apud eos idolum Micha omni tempore quò fuit domus Dei in Silo.* Quod idolum tulerant, conſeruarunt: ſi inquiras, cur tulerint, cur diu coluerint, reſpondebit Abulenſis q. 12. arbitratos fuiſſe magna ſibi ex teraphim commoda prouentura, ideoque ambitioſo errore decreuiſſe teraphim ſtudioſè ſeruare: (Abulenſ.) *Fuit motiuum, quia ipſi indigebant valdè hoc ad conſulendum Dominum ſuper bellis, quæ eis ingruebant, & ſuper ſtatu patriæ, & ſuper multis aliis, cùm nunc noui incolæ in terram illam venirent.* Deluſi putabant poſſe ſe à teraphim oracula accipere, quibus aduerſariorum dolos eluderent, & res ciuiles pacatè regerent: ergo dum ſperabatur commodum, & conſeruabatur delitium.

Chananæa

Digitized by Google

261. Chananæa anxiis volatibus contendit ad Chri-
ſtum, filiam ab improbo dæmone liberari obſe-
crans, & miſerabili fletu ad commiſerationem
Matth. 15. v. 22. prolectans: *Miſerere mei Domine fili Dauid,*
filia mea malè à dæmonio vexatur: nec ſolùm
mater innato affectu dolori medelam quærit,
ſed & centurio compaſſione ſtimulatus ſeruo
Matth. 8. v. 6. ſolicitat medicinam: *Domine puer meus iacet in*
domo paralyticus, & malè torquetur. Vides in
quærendis leuamentis ſolicitudinem: audi quan-
tam in Diuum Paulum indignationem conce-
perint puellæ malo ſpiritu exagitatæ domini,
quia dæmonem depulerit, & miſeram liberarit:
Actor. 16. v. 19. *Videntes Domini eius quia exiuit ſpes quæſtus eo-*
rum, apprehendentes Paulum & Sillam perduxe-
runt in forum ad Principes, & offerentes eos ma-
giſtratibus dixerunt: Hi homines conturbant ci-
uitatem noſtram, cùm ſint Iudæi. Si Chananæa
tot ſuſpiriis è filia depelli dæmonem ſolicitat, ſi
herus pro ſeruo rogat, cur ſpiritui puellæ domi-
ni patrocinantur, & ab Apoſtolo liberatam non
ſine dolore queruntur? Erant hi gentiles; ſed &
Chananæa, & centurio gentiles erant: cur ergo
adeò diſſimiles mores? Iam retulit textus: Cha-
nanææ filia malè torquebatur, & malè etiam
torquebatur centurionis ſeruus: ergo vexatio de-
dit intellectum, & labor ingratum reddidit vi-
tium; at dæmon à Paulo depulſus puellam non
adeò diuexabat, & magnum dominis quæſtum
afferebat, teſtante Scriptura: *Quæſtum magnum*
præſtabat dominis ſuis diuinando: Ergo vitium
lucroſum amplectebantur ſtudioſè; laborioſum
verò expellere nitebantur auidiſſimè. O quanta
Dei miſeratio eſt ſpinas è voluptatibus exoriri,
dolores ex ſceleribus procreari: tunc namque fa-
cilius faſtiditur voluptas, & ſuſcipitur veritas; at
vbi lucrum prudentiam faſcinât, vbi vtilitas
cupiditatem inflammat, eâ ſolicitudine vitium
colitur, eo ſtudio exambitur, quo debuiſſet ex-
pungi, & prorſus eradicari: *Vbique malorum*
cauſa, inquit Chryſoſtomus apud gloſſam ad
Chryſoſt. Actor. 16. *Pecunia: ô paganorum inhumanita-*
tem! vt augeant pecuniam, puellam à dæmoniis
vexari volunt. Non inquirebant remedium; ſed
protrahi diutiùs curabant damnum: dæmon vti-
lis amabatur, & puellæ herus, quod & parenti-
bus videas contigiſſe, abigi recuſabat dæmo-
nium, ne infame amitteret lucrum.

263. Saül à dæmone exagitabatur, cúmque de
quærendo medicamine admoneretur, annuit:
1. Reg. 16. v. 16. *Dixerunt ſerui Saül ad eum: Ecce Spiritus Dei*
malus exagitat te: iubeat Dominus noſter & ſer-
ui tui, qui coram te ſunt, quærent hominem ſcien-
tem pſallere cithara, vt quando arripuerit te ſpi-
ritus Domini malus, pſallat manu ſua, & leuius
feras. Et ait Saül ad ſeruos ſuos: Prouidete ergo
mihi aliquem benè pſallentem. Poſteà cum Da-
uidem ſui regni ſuſpicaretur ſucceſſorem, eo li-
uore inſectatus eſt, vt licèt voce Ionathæ placa-
tus aliquando inducias cum otio fecerit, ad mor-
tem vſque præcordiis fouerit: citiùs deperiit vi-
ta, quàm inuidentia. Quòd ſi inquiras, cur adeò
maleuolentiæ ſe animitus tradiderit, vt mede-
lam non receperit, cùm lyram ad expellendum
dæmonem non repudiarit: reſpondebit ipſe è
Dauidis interitu ſibi commodum promanare,
tormentum à dæmone prouenire. Ergo exagita-
tus Dauidem adduxit, ambitioſus ab eius cæde
procuranda non deſtitit: *Omnibus diebus*, allo-
quebatur Ionatham, *quibus filius Iſaï vixerit*
ſuper terram, non ſtabilieris tu, neque regnum 1. Reg. 20.
tuum. Itaque iam nunc mitte, & adduc eum ad v. 31.
me: quia filius mortis eſt. Vbi à cæde ſperat am-
bitionis ſtabilimentum; depellere non vult
odium: vbi patitur à dæmone calamitatem, non
repudiat, vt depellatur, medelam; imò per ſer-
uos ſibi ſolicitat medicinam: *Non retinuit iram*
Saül, inquit Ioſephus apud gloſſam; *ſed blaſ-* Ioſephus.
phemauit filium: natumque de muliere vltro vi-
rum appetente, & hoſtem proprium dixit, & ſo-
cium Dauid, & cooperatorem eius, & nec ipſum
erubeſcere, nec eius matrem talia facientes. Sub-
dit rationem: *Nec volentes intelligere, donec*
Dauid viueret, regnum eorum eſſe incautum. Vbi
ſperabat ab odio regnum, vſque ad mortem ani-
mitus fouit odium.

Prodigo non video, ne à patre receſſerit, in- 264.
terceptam viam; mulieri tamen illi adulteræ ab
Oſea relatæ audio præpeditam: *Sepiam eam ma-* Oſee 2.
ceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Si via mu- v. 6.
lieris structa maceria impeditur, cur filij iter op-
poſitis etiam parietibus non impediatur? Quia
filius, inquit Chryſologus, à voluptatibus nudi-
tatem demetens redibit; hæc verò mulier, dum
ob voluptatem pompatico amictu reſplendet,
vitiis agglutinari curabit: *Vadam poſt amatores*
meos, qui dant panes mihi, & aquas meas, la-
nam meam, & linum meum, & potum meum.
Vbi opipara menſa, vbi lætior cultus alliciebat,
ni via ſepta diſceſſum impediſſet, de reditu nul-
latenus cogitaſſet: ergo opus fuit doloribus
viam ſerere, & inuolantem frænare: *Et ſemitas*
ſuas non inueniet; at prodigus, quia lurida fame,
& carnifice inedia diſtorquetur, vitium deſeret,
& ſe ſibi meliora ſapiens reſtituet: *Hic fame*
pereo: ſurgam, & ibo ad patrem meum. Accipe
Chryſologum ſerm. 2. *Fames reuocat, quem* Chryſol.
ſaturitas exularat: fames illi patrem dedit ſape-
re. Alliciebat voluptas; ſed perurgebat fames:
ergo vt ſenſit nuditatem, inopiam, laboremque
à carnis deliciis procreari, voluptatem auerſatus
patrem adiuit; at fœmina, ſi ſemel vtilitate ineſ-
cata, ſic adhærebit vitio, vt reditum auerſetur:
ideoque facilius fuerit illam impedire, quam ſe-
mel vitiis deditam reuocare. Certè miſericordia
Dei eſt vitiis inhiantem labore premi, vt ipſum
doceat auerſari vitia tormentum: nam ſi ex ip-
ſis reſultet commodum, vt relinquantur, opus
quodammodò erit miraculum.

---

§. LXII.

Dei miniſtri munus exercent ignauè; mi-niſtri ſæculi ſtudioſiſſimè.

SÆculo, ambitioni, errorique quàm ſolerter 265.
inſeruitur, Deo perfunctoriè quodammodò
officium à ſeruulis exhibetur, ſtat ſeruulus in-
ſomnis, ac dominum obnoctat expectaturus: le-
uiſſimus defectus vitatur, ne dominus indigne-
tur, vtcumque pietati & altaribus miniſtratur.
Audi à Caſſiodoro qua lege conſtringantur, qui
ſplendentem regum purpuram pretioſo muricis
rubore imbuunt. *In illis*, ait 1. var. 2. *rubicundis* Caſſiodor. Purpura refugit immunditiam.
fontibus cùm albentes comas ſerici doctus mode-
rator intinxerit, habere debet corporis puriſ-

 ſimam

In regum ornatu peccare quodammodò ſacrilegium eſt.

ſimam caſtitatem : quia talium rerum ſecreta refugere dicuntur immunda. Hac ſi omnia conſtiterunt, ſi nulla parte prætermiſſa videatur eſſe ſolemnitas, miramur tua te pericula minimè cogitaſſe, dum ſacrilegij ſit reatus negligenter in tali veſte peccare. Vel leuiter peccare in regis veſte, omni curioſitate non tingere, omnem mentis intentionem huic operi non impendere, grauiſſimum haberetur peccatum, & durum admiſſam culpam ſequeretur ſupplicium. Ob id fortè ſponſæ comam abſtergendis ſponſi pedibus eo ſtudio ac regis purpura tingi ſolet, mirabatur Salomon
Cantic 7. v.5. in Canticis applicatam : *Coma capitis tui ſicut purpura regis vincta canalibus.* Fortè Magdalenam intuebatur Domini pedes fragranti vnguento delibutos comis abſtergentem, vtque eius piam ſedulitatem dilaudaret, eo ſtudio ait officium pedibus exhibuiſſe, quo regia purpura ſolet intingi, & rubenti murice ſaginari. Noſter
Delrius. Delrius in tropologia ſic ait : *Coma capitis animæ ſunt cogitationes mentis, quæ ſunt ſicut purpura regis, quia ſemper meditantur, qualis fuerit paſſio Chriſti æterni regis.* Quaſi dicat : Eà ſolicitudine Chriſti paſſionem meditaris, qua poſſes regiam purpuram ſanguineo ſplendore intingere. O quàm rarò hac vti poſſumus ſimilitudine, cùm Domino inſeruiamus oſcitanter, & ſæculo diligenter!

266. Fortè vt hanc veritatem textus exprimeret, confert idoli cultum in ciuitate Dan cum arcæ veneratione in Silo. *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan : manſitque apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Dum arcæ in Silo mentionem facit, nos veluti manducit ad 1. Reg. caput ſecundum. In Silo Heli eiuſque filij arcæ inſeruiebant; ſed adeò negligenter, vt obſequium degenerauerit
1.Reg.2. v.12. in delictum : *Filij Heli filij Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum :* Sacros filij Heli ritus neſciunt, ipſe caligat, puer ſacrificia temerat: ſimile aliquid ab idoli Sacerdotibus perpetratum non leges; imò vt teſtatur Abulenſis quæſt.13. Ionathas apprimè ritus nouerat, & omni curioſitate exercebat :
Abulenſ. *Sacerdos ille nouerat artem inquirendi in ephod, & teraphim illo, atque ſculptili.* Non ignorabat Ionathas, nec filij eius ſacrificiorum ritus, holocauſtorum ceremonias, Heli verò filij neſciebant, quia ſcire nullatenus procurabant : filiis Leui ſatis videbatur, ſi arcæ quomodolibet inſeruirent, verebatur Ionathas in ritibus deteſtandis peccare.

267. Cùm Chriſtus Dominus inferni mortiſque triumphator cautam inimicorum verſutiam eluſiſſet, ac verſutam ſolicitudinem reſurgendo fruſtraſſet, ad mendacia aulici ſolita ſibi profugia confugerunt, & non ſine ingenti pretio perſuaſerunt cuſtodibus, vt credulo vulgo teſtarentur ſe defatigatos obdormiſſe, Chriſtique diſcipulos ad auferendum corpus è ſepulchro ſolertiſſimè
Matth.28. v.12. inuigilaſſe : *Pecuniam copioſam dederunt militibus dicentes : Dicite quia diſcipuli eius nocte venerunt, & furati ſunt eum nobis dormientibus.* Cryſoſtomus quo ſolet acumine, de mendacio manifeſtè coarguit, quandoquidem principibus obſequentes nullatenus dormitarent, nec imperfecti tunc diſcipuli, vt præſtarent Domino obſequium, ab oculis excuterent ſomnum : *Qualiter*, inquit in catena D.Thomæ, *furarentur diſcipuli homines pauperes & idiotæ, & neque apparere audentes : ſi enim adhuc Chriſtum viuum videntes fugerunt, qualiter mortuo eo non timuiſſent tot militum multitudinem? Propter quid autem non furati ſunt prima nocte, quando nullus ſepulchro aſſuit : ſabbatho enim penè petierunt à Pilato cuſtodiam.* Conſonat Rhemigius ibi : *Si cuſtodes dormierunt, quomodò furtum viderunt?* Facilè perlucebat mendacium, quandoquidem nec ſæculo ſeruientes ignauo ſomno oculos commiſiſſent, nec diſcipuli inuigilaſſent. Certè cuſtodes exterritos teſtatur Matthæus : *Præ timore eius* (Angeli) *exterriti ſunt cuſtodes.* Timor proſtrauit, non ſomnus ſepeliuit. Adde Pontifices, vt ſedarent ſolicitos, addidiſſe ſe apud præſidem militum cauſam acturos : *Si hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus,* O miſeram Rempublicam, vbi de mendacio ſecuritas! vbi præſes plus credebat magnatibus, quàm virtutibus: ergo acri adeò timore percellebantur milites, ſi dormitaſſe præſes ſuſpicaretur, vt opus fuerit Principibus timorem ſedare & auctoritatem apud præſidem interponere. Notauit gloſſa D. Thomæ : *Ne timore Principis à mendacio reuocarentur timentes propter negligentiam puniri ſubdunt : Etſi hoc auditum fuerit à præſide, nos ſuadebimus ei, & ſecuros vos faciemus.* Timebant, ſi de ſomno apud præſidem interpellarentur, dura puniendos ſententia, quia nouerant, quanta inſeruiatur ſæculo vigilantia. O nos miſeros, quorum inertiam accuſat ſæculum, quorum ignauiam ſugillat principibus aſſiſtentium officium.

Chryſoſt. Rhemig. Gloſſ.

Ea ſolertiâ, ea cura mundialibus dominis præſtatur officium, vt Chriſtus Dominus ſeruos ſuos remuneret, ſi mundialibus ſimiles, etſi non æqua- 268.
les : *Sint lumbi veſtri præcincti,* aiebat, *& lucernæ ardentes in manibus veſtris, & vos ſimiles hominibus expectantibus Dominum ſuum.* Lucæ 12. v.35.
Serui dominum ſuum expectantes non imitantur diſcipulos, vt aduenienti domino præſtiterint officioſum obſequium; at contentus eſt Dominus, ſi diſcipuli ſæculi imitati ſint ſeruulos : *Homines ſunt,* inquit Chryſologus ſerm.22. *qui more debitæ ſeruitutis indefeſſis excubiis aduentum ſui domini præſtolantur.* Nec minus eleganter ſerm. 161. nam cùm Dominus Lucæ 17. hæc protuliſſet : *Quis veſtrum habet ſeruum arantem, qui regreſſo ab agro* Chryſol.
dicat : Statim tranſi, recumbe : & non dicit ei : Para quod cœnem, & præcingere, & miniſtra mihi. Subiicit auteo, & eleganti ſtylo : *Seruus poſt vigilias antelucanas, poſt totius diei varios, & duros labores, poſt trepidantes, & anxios concurſus, & parat domino ſuo cœnam, & cinctus quod parauerat, ſubminiſtrat : non eſt elatus, quia fecit ; ſed cum deuotione ſingula faciens, contremiſcit, & apponit domino ſuo cibos multiplices : arte tota totius ſaporis conditos; ipſe autem ſemicoctam, nec ſalitam forſitan cœnulam guſtaturus, porrigens crebra pocula, varios calices, vina mutat ad longiſſimi conuiuij fabulas longiores ſtat, fixus ſtat moueri neſcius, ſtat cui laſſeſcere non licet ſeruituti.* Profectò ſi hunc Dei ſerui imitarentur, amplum aſſequerentur præmium, & vt fas eſt, exhiberent Domino officium. Verùm ſic debitum inuertimus ordinem, vt Domino inſeruiamus incurioſè, ſæculo nimis ſolicitè. Si qua ſolertia ambitioni,

&

& cupiditati inſeruiunt, famularentur Domino, ſeruitutem grato vultu acciperet, & laudaret; ea tamen eſt hominum ſocordia, vt cùm infinitum ſit hos inter Dominos interuallum, mundialibus ſolertiſſimis curis, vigiliis indefeſſis præſtiterint miniſterium; cæleſti tamen Domino ſatis negligenter officium.

269. Hominem collocauerat Deus intra paradiſi ſepta, vt topiarum illud deliciis exundans non anxio; ſed labore placido coleret: *Plantauerat autem Dominus Deus paradiſum voluptatis à principio, in quo poſuit hominem, quem formauerat.* Iam rationem ſubdit: *Vt operaretur, & cuſtodiret illum.* Poſteà præcepti iam tranſgreſſione pollutum de paradiſo exterminat, & quos labores exantlare opus declarat: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram de qua ſumptus eſt.* Non audies Adamum extra paradiſum ſomno correptum, nec intra paradiſum culturæ, vel ad delicias addictum: terram excolit, vti mancipium poſſet auri fodinis damnatum; intra paradiſum affectat otium, & vtilem negligit cultum: *De originis loco exterminat*, inquit Tertullianus lib. de Pallio cap. 3, *quippe deliquerat: pellitus orbi vt metallo datur.* Lucem anteuertit, imbres ſuſtinet, ardentiſſimos Solis æſtus, canas hyemis niues patitur, vt terram percolat, à qua, etſi aliquibus ſaporatis fructibus innutriatur cruentiſſimis etiam ſentibus refertur; at in paradiſo, vbi nullæ ſpinæ, & vberes deliciarum prouentus, operi non leges admouiſſe manum; cepiſſe tamen inuenies ſomnum, vt his veluti coloribus nobis innoteſcat, quàm aliter homines apud ſæculum miſera pro mercede inſeruiant, cùm in Dei domo præmio remunerandi ingentiſſimo torpeant.

Geneſ. 2. v. 8.

Tertull.

---

§. LXIII.

Vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, & inaurat ſæpè peccatum.

270. QVod à Tertulliano de voluptate eleganti calamo ſcriptum, & cupiditati inuenitur adaptatum: tanta enim eſt cupiditatis vis, vt ignorantiam protelet in occaſionem, aut conſcientiam corrumpat in diſſimulationem, aut vtrúmque: fœdi parietes ſuperinducto colore imponunt oculis, peccatorum fœditas fuco vtilitatis animis: ob lucrum pullulans diſſimulatur delictum; imò exiſtimatur honeſtas, quæ mera comprobatur vtilitas: *Iſti, quos pro felicibus aſpicitis*, aiebat Seneca lib. de prouid. cap. vlt. *ſi non quà occurrunt; ſed quà latent, videritis, miſeri ſunt, ſordidi, turpes ad ſimilitudinem parietum ſuorum extrinſecus culti: non eſt iſta ſolida, & ſyncera felicitas; cruſta eſt, & quidem tenuis.* Verum dixit; plures tamen cruſta falluntur, & extrinſecùs ſplendentibus ſubiugantur. Vanus ſplendor quæritur, nec origo diſcutitur. Danitæ in domum Michæ hoſpitio recepti ibi teraphim eſſe nouerunt; cúmque futura prænoſcere, & oracula ab eis excipere arbitrarentur deluſi, in Lais ciuitate iam capta deteſtandas eis aras extruxerunt, & victimis onerarunt: *Manſit apud eos idolum Michæ omni tempore, quo fuit domus Dei in Silo.* Quod ſi inquiras, cur idolum teraphímque ſecum tulerint, & à vera religione deſciuerint, reſpondebit Abulenſis quæſt. 14. inauratum vtilitate delictum, & ob vtilitatem ſopitum conſcientiæ morſum. *Non credebant ſe peccare, quia non ferebant idola damnata; ſed aliquid, quod pertinebat ad cultum Dei, & hoc colligebant, quia hic erat Ephod.* Adnectit: *Aliter poteſt dici, quod dato quod Iſraëlitæ ſcirent iſtam eſſe idololatriam, non multum curarent, quia conſequebantur inde vtilitatem ſcilicet, quod reſponſum habebant ad dubia per illud Ephod & teraphim.* Quam ſperabant, vtilitas illis perſuadebat habere teraphim eſſe licitum, aut ſaltem leue religioni aduerſum exiſtimabant peccatum, ſibi imponebant, & reclamantem conſcientiam vtilitatibus ſubornabant: eſt námque vtilitas ſapiens ad ſpeciem argumentatrix, vt conſcientiæ timorem mitiget, & artifex ſubdolus, vt culpam ignoret.

Seneca.

Abulenſ.

Cùm Ieremias idololatris delicta ſua, vt fas erat, exprobraret, ſic reſponderunt: *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cœli, & libemus ei libamina, ſicut fecimus nos, & patres noſtri, reges noſtri, & principes noſtri in vrbibus Iuda, & in plateis Ieruſalem, & ſaturati ſumus panibus, & benè nobis erat, malúmque non vidimus. Ex eo autem tempore, quo ceſſauimus ſacrificare reginæ cœli, & libare ei libamina, indigemus omnibus, & gladio, & fame conſumpti ſumus.* Sibi perſuadebant Ieremiæ non parendum; ſed reginæ cœli libandum: de felicitate colligebant cui offerenda libamina, & quia deluſi arbitrabantur à regina cœli promanare illis proſperitatem, ſtatuerunt ei impendere ſacrificia, quaſi ipſa ratio exigeret, gratitudóque cogeret. Nequibant dubitare Hebræi à paternis moribus ac religione deſciſcere, legémque à numine exaratam violare; verùm vtilitas ſic ſanctificabat delictum, vt reginæ cœli ſacrificare, aut nullum aut leue fore exiſtimarint peccatum: ad lucem affectatè cæcutiebant, & pro vtilitate ſtabant: *Confitentur eum loqui in nomine Domini,* inquit gloſſa, *& non acquieſcunt; ſed ſequuntur prauitatis ſuæ conſilium.* Adſtipulatur noſter Sanctius: *Impiè religioni tribuebant Iudæi, quod rebus omnibus abundarent.* Itaque religionis putabant effectum ad vitam commodiùs ducendam pertinentibus exundare: ergo eam religionem aduerſus Ieremiam tuebantur vtilitatis argutiis, & cupiditatis fallaciis. 271.

Iſai. 44. v. 16.

Gloſſa.

Sanctius.

Iacobi filij, vt ſororem ſuam in matrimonium principi darent, ab auita religione ſtatuerunt diſcedendum, & ad Hebræorum religionem emigrandum: *In hoc valebimus fœderari, ſi volueritis eſſe ſimiles noſtri, & circumcidatur in vobis omne maſculini ſexus, tunc dabimus, & accipiemus mutuò filias veſtras ac noſtras.* Rem ſanè difficilem poſtulabant; verùm Hemor & Sichem admiſerunt pactum, vtque ſubiectis ſuaderent, ad vtilitatis confugerunt patrocinium. Sichimitis ob religionis mutationem perſuaſerunt magna illis lucra obuentura, tantúmque vtilitas apud illos valuit, vt circumciſionem admiſerint, & quos colebant ritus abiurarint: *Si circumcidamus maſculos noſtros* 271.

Geneſ. 34. v. 15.

ſtros ritum gentis imitantes, & ſubſtantia eorum & pecora, & cuncta quæ poſſident, noſtra erunt. Quid tunc? *Aſcenſi ſunt omnes circumciſis cunctis maribus.* Miraberis adeò citò ritum mutare, & alienam religionem ſuſcipere, cùm ab atauis veluti hæreditario iure, quam tunc habebant, receperint, & vſque ad illud tempus ſtudioſè aſſeruarint; verùm ſic religionis mutationem inaurauit vtilitas, vt Sichimitarum nullus repugnarit; ſed ſanctum, licitúmque mutare religionem crediderint. Aſſenſi ſunt omnes non prolixa oratione perſuaſi; ſed lucri cupidi: vbi audierunt: Subſtantia eorum, & pecora, & cuncta, quæ poſſident, noſtra erunt, ad alienam religionem tranſire non dubitarunt. [Oleaſt.] *Quàm facilè*, inquit hîc Oleaſter ad mores, *propter mandatum principis ſubditi religionem mutent, nouámque amplectantur, optimè docet locus iſte.* Nullus reſtitit, cauſas, quibus negotium adeò graue diuriùs conſiderandum aſſereret, attulit nullus: quia omnes vtilitate ſubornati honeſtum cenſebant principi parere, & ad religionem aliam tranſire: [Rupert.] *Sancta & vtilia*, aiebat Rupertus lib. 8. in Geneſ. cap. 11. *locuti ſunt.* Filij Iacob, vt perſuaderent ſancta, loquebantur vtilia, nec aliter Hemor & Sichem ſancta & vtilia locuti ſunt, id eſt verba ſuſceperunt Sichimitæ vt ſancta, quia illis erant ad ſpeciem vtilia.

273. Hinc apud me cogitabam Leuitam illum in Michæ domo degentem nullo ſuffuſum robore, dum rogatus à Danitis quid illic ageret, ſe idolorum Sacerdotem reſpondiſſe: [Iudic. 17. v. 3.] *Dixerunt ad eum: Quis te huc adduxit? Quid hîc agis? Quam ob cauſam huc venire voluiſti?* Putares ad interrogationem hærere, munus celare, rubore ſuffundi; ſed audies perfricta fronte reſpondentem: *Hæc, & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos.* Vtilitas omnem ruborem expunxit, non veritus eſt Leuites fateri Sacerdotium quod tanta vtilitate reſplendebat inauratum: nec eum ſua fefellit opinio: Danitæ námque veluti numinis amicum, vt pro eis Dominum conſuleret, obnixè ſupplicatunt: *Rogauerunt eum, vt conſuleret Dominum.* Idololatram audiunt, & Domino charum credunt: *Mirati nouitatem rei, inquirere, cognoſceréque auent, & rogant*, [Montan.] inquit Arias Montanus: *primùm igitur aduentus, atque commorationis in illo loco auctorem petunt: deinde munus & officium, cui vacare illa in domo contingat: poſtremò commodum & compendium, quo detineatur cognoſcere cupiunt: tripartitam rogationem totidem membris conſtanti reſponſo abſoluit: Hæc & hæc præſtitit mihi Michas, & me mercede conduxit, vt ſim ei Sacerdos:* ac ſi vtilitas inaurare poſſet delictum, non erubuit fateri delictum, quia ſimul retulit vtilitatis augmentum. Merces ampla omnem conſcientiæ morſum expunxerat, & omnem verecundiæ ſtimulum hebetarat imò dum de munere gloriatur, à Danitis nullatenus reprehenditur.

274. Ionas, quem ſolum bona illa expetebat tempeſtas, vt nauigantibus perſuadeat ipſum furentibus vndis tradere, non recurrit ad arcanum myſterium; ſed ad tranquillitatis confugit lucrum: [Ionæ 1. v. 12.] *Tollite me, & mittite in mare, & ceſſabit mare à vobis: ſcio enim ego quoniam propter me tempeſtas hæc grandis venit ſuper vos.* Nauigantes adhuc timent, & ad terram reuerti ſtudio caſſo adlaborant: *Remigabant viri, vt reuerterentur ad aridam, & non valebant.* Mira res, virtuti adeò ſtuduiſſe, vt nec tranquillitatis moti ſint commodo, vt Ionam tradiderint fluctui: & quidem niſi nauis in virtutis iam ſcholam fuiſſet conuerſa, virtutis opus arbitrarentur, vnde tantum ſibi promanare nouerunt commodum: [Seleucienſ.] *Religionis ſcholam nauem fecit*, inquit Baſilius Seleucienſis oratione 13. Ni religionis ſchola nauis iam facta eſſet, ob vtilitatem ſolicitaſſent naufragium, nec ad terram remeandi illos adurgeret, quandoquidem vtilitas eſt pro virtute quàm plurimis.

CAPVT XIX.

VERS. I. FVIT quidam vir Leuites habitans in latere montis
Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda: 2. quæ
reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Beth-
lehem, manſitque apud eum quatuor menſibus. 3. Se-
cutuſque eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque
blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum,
& duos aſinos: quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui. Quod cùm
audiſſet ſocer eius, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus, 4. & amplexatus eſt homi-
nem. Manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens cum eo & bibens
familiariter. 5. Die autem quarto de nocte conſurgens proficiſci voluit: quem te-
nuit ſocer, & ait ad eum: Guſta priùs pauxillum panis, & conforta ſtomachum,
& ſic proficiſceris. 6. Sederuntque ſimul ac comederunt, & biberunt. Dixitque
pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te, vt hodie hîc maneas, pariterque læte-
mur. 7. At ille conſurgens cœpit velle proficiſci Et nihilominus obnixè eum ſo-
cer tenuit, & apud ſe fecit manere. 8. Mane autem facto, parabat Leuites iter.
Cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, paululum cibi capias, & aſſumptis viribus, do-
nec increſcat dies, poſteà proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul. 9. Surrexítque
adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer:
Conſidera quòd dies ad occaſum decliuior ſit, & propinquat ad veſperum: mane
apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris vt vadas in domum
tuam. 10. Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius: ſed ſtatim perrexit, & venit
contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ieruſalem, ducens ſecum duos aſinos
onuſtos, & concubinam. 11. Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem:
dixitque puer ad dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæo-
rum, & maneamus in ea: 12. Cui reſpondit Dominus: Non ingrediar oppidum
gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël, ſed tranſibo vſque Gabaa. 13. & cùm illuc
peruenero, manebimus in ea, aut certè in vrbe Rama. 14. Tranſierunt ergo Iebus,
& cœptum carpebant iter, occubuitque eis Sol iuxta Gabaa, quæ eſt in tribu Benia-
min: 15. diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi. Quo cùm intraſſent, ſedebant
in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio. 16. Et ecce apparuit homo
ſenex, reuertens de agro & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim,
& peregrinus habitabat in Gabaa: homines autem regionis illius erant filij Iemi-
ni. 17. Eleuatiſque oculis, vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis in pla-
tea ciuitatis: & dixit ad eum: Vnde venis? & quò vadis? 18. Qui reſpondit ei: Pro-
fecti ſumus de Bethleem. Iuda, & pergimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere
montis Ephraim, vnde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei,
nulluſque ſub tectum ſuum nos vult recipere, 19. habentes paleas & fœnum in
aſinorum pabulum, & panem ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri qui
mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio. 20. Cui reſpondit ſenex: Pax tecum
ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantùm, quæſo, ne in platea maneas.
21. Introduxítque eos in domum ſuam, & pabulum aſini præbuit: at poſtquam
lauerunt pedes ſuos, recepit eos in conuiuium. 22. Illis epulantibus, & poſt labo-
rem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius, filij
Belial (id eſt, abſque iugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt,
clamantes ad dominum domus, atque dicentes: Educ virum, qui ingreſſus eſt do-
mum tuam, vt abutamur eo. 23. Egreſſuſque eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite
fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, &
ceſſate ab hac ſtultitia: 24. habeo filiam virginem, & hic homo habet concubi-
nam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tan-
tum, obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum. 25. Nolebant ac-
quieſcere ſermonibus illius: quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, &
eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.

Digitized by Google

26. At mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus
ſuus, & ibi corruit. 27. Mane facto, ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam
expleret viam: & ecce concubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.
28. Cui ille putans eam quieſcere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil
reſpondente, intelligens quòd erat mortua; tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſ-
que eſt in domum ſuam. 29. Quam cùm eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & ca-
dauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens miſit in om-
nes terminos Iſraël. 30. Quod cum vidiſſent ſinguli, conclamabant: Nunquam
res talis facta eſt in Iſraël, ex eo die quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, vſque
in præſens tempus: ferte ſententiam, & in commune decernite quid facto opus ſit.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda.

Verſ. 2. Quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus.

1. De huius caſus tempore, vt de antecedentis dubium. Abulenſis quæſt. 1. exiſtimat poſt mortem Ioſuë, & ante Caleb mortem, & Othonielis inſtitutionem cõtigiſſe: quod probat, quia tunc Ieruſalem Iebuſæis inhabitabatur, quam ab eis eripuit Caleb, vt ex primo capite huius libri conſtat. Leuitam iſtum fuiſſe apud Micham degentem ſunt qui ſuſpicentur; hanc tamen opinionem reprobat Abulenſis quæſt. 2. Habitaſſe dicitur in latere montis Ephraim, id eſt, in aliqua ex ciuitatibus in montis latere ſitis: ſors namque Ephraim cùm eſſet montuoſa, ſemper vocatur mons Ephraim. An fuerit ibi peregrinus, vel inde oriundus ſatis non conſtat; conſtat tamen accepiſſe vxorem de Bethlehem: quomodo autem ex diuerſa tribu matrimonia inita, ſuprà declaratum eſt. Hebræus. Vxorem dicitur accepiſſe, legitimo videlicet matrimonio copulatam licèt textus Hebræus Septuag. concubinam appellarit: *Qui accepit fœminam concubinam.* Septuaginta interpretes ſic habent: Chaldæus. *Et fuit quidam vir Leuites incolens in femoribus montis, & iuit ab eo concubina eius.* Ferè idem Chaldæus: *Fuit vir Leuites habitans in finibus montis domus Ephraim, & contempſit ſuper eum concubina eius.* Cùm noſtro in textu iam vxor, Lyra. iam concubina appelletur, & in aliis concubinæ nomine deſignetur, putat Nicolaus & legitimam vxorem concubinam eſſe, etſi non Abulenſ. concubina ſit vxor: quaſi concubina dicatur à concubando. Abulenſis q. 4. exiſtimat inter vxores legitimo fœdere copulatas excellentiorem dilectioremque vxoris nomine decorari, alias verò aliquando concubinarum nomine exprimi. Quod autem intercederet diſcrimen inter concubinam, & vxorem, diſputant interpretes. Datus Abulenſis teſtatur in hoc differre quòd vxoribus dabantur quædam munera, quæ appellabantur *caduſſin*, & nos dicimus *arrhas*; aliis autem non dabantur, quæ interdum vxores, interdum dicebantur concubinæ: quæ verò *caduſſin* acceperat, nunquam concubina; ſed ſemper vxor. Qualis inter filios differentia, diſputat ibi Abulenſis. Igitur huius Leuitæ vxor ab eo diſceſſit, & in paternam domum ſe contulit, vt quæ ſibi à marito præcaueret toro violato. Ita Caietan. *Deficit ante hanc clauſulam vna clauſula: Et fornicata eſt ſuper eum concubina eius: hæc eſt cauſa quare receſſit à marito, quia fornicata eſt.* Caietan. Ioſephus 5. antiq. cap. 2. aliam diſceſſus cauſam exiſtimat videlicet ob expoſtulationes & frequentes mariti querelas: nam cum nimis eſſet vxorius, querebatur ſibi vxorem non reſpondere. Ergo hac aut illa cauſa mulier diſceſſit & ad parentes rediit.

Verſ. 3. Secutuſque eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum, duos aſinos: quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui. Quod cùm audiſſet ſocer eius, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus.

Verſ. 4. Et amplexatus eſt hominem. Manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter.

Leuitæ iter videtur Ioſephi opinioni fauere 2. quandoquidem ſi maritus iniuria fuiſſet affectus non tenderet blanditurus. Igitur vxoris deſiderio ſtatuit eius inconſultæ fugæ, & leuitari parcendum, ad illámque reconciliandam tetendit. Aſellorum par, & iuuenem duxit, vt honeſtiùs & liberaliùs, quàm ſperabat reconciliandam, deduceret; & forſitan vt aliqua munera, quibus placaret, deferret. Mulier deferueſcente iam indignatione, & ipſa mariti abſentia meliora ſapiens, gauiſa eſt aduentante marito, cúmque hilati vultu excepit, & in paternam domum introduxit. Socer generi vrbanitate permotus, & fortaſſe filiā grauatus omnia pietatis humanitatiſque officia hoſpiti exhibuit, quò diſſidia faciliùs componeret. Igitur lautiori conuiuio pauit, & magis erga eum argumentis ſecum retinuit.

Verſ. 5. Die autem quarto de nocte conſurgens proficiſci voluit: quem tenuit ſocer, & ait ad eum: Guſta priùs pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris.

Verſ. 6. Sederuntque ſimul ac comederunt, & biberunt. Dixitque pater puel-

Digitized by Google

læ ad generum ſuum: Quæſo te, vt hodie hîc maneas, pariterque lætemur.

Verſ. 7. At ille conſurgens cœpit velle proficiſci Et nihilominus obnixè eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.

3. Leuites voti iam compos vxoréque reconciliata redire ad propria diſponebat: fortè ne ſocero præberet faſtidium, aut quia aliquod vocabat negotium; at ſocer non ſolùm omnem faſtidij ſuſpicionem amouit; ſed nullam officioſitatem prætermiſit, qua retinere diu apud ſe generum poſſet. Igitur ille roganti paruit, & viam in ſequentem diem diſtulit.

Verſ. 8. Mane autem facto, parabat Leuites iter. Cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, paululum cibi capias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſteà proficiſcaris. Comederunt ergo ſimul.

Verſ. 9. Surrexitque adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera quòd dies ad occaſum decliuior ſit, & propinquat ad veſperum: mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris vt vadas in domum tuam.

4. Leuites, vt opportunè viam conficeret, lucem præuerterat; aut ſaltem primo mane proficiſci tentabat; verùm ſocer retinendi apud ſe generum ſolicito ſtudio de nocte etiam ſurrexit, & ne ieiuni proficiſcerentur, curauit. Ita Septuaginta: *Et factum eſt die quarta, & ſurrexerunt mane: & ſurrexit ad eum, & dixit pater adoleſcentulæ ad generum ſuum: Firma cor tuum buccellâ panis, & poſt hoc ibitis.* Parum Chaldæus diſcrepat: *Et fuit in die quarta, anticipauerunt in aurora: & ſurrexit ad eum, & dixit pater ipſius puellæ genero ſuo: Fulci, cor tuum fruſto panis; & poſt ſic ibitis.* Cùm non ſolum beneuolētia; ſed etiam vrbanitas videretur exigere, ne impranſi diſcederent, parandum cibum ſocer aſſeruit: ergo dum conditur, dum diſponitur, non exigua dici pars elabitur; cumque iam tempus viæ perficiendæ opportunum non videretur, ſocer inſtitit, & obnixis precibus manere ſuaſit. Annuit Leuites, & manſit. Sequenti die ferè idem accidit; verùm licèt ſocer eiſdem rationibus morari tentauerit, Leuites acquieſcere renuit.

Septuag.

Chaldæus.

Verſ. 10. Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius: ſed ſtatim perrexit, & venit contra Iebus, quæ altero nomine vocatur Ieruſalem, ducens ſecum duos aſinos onuſtos, & concubinam.

Verſ. 11. Iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæorum, & maneamus in ea.

5. Licèt viam poſſet Leuita remetiri vno die, cùm aliquam partem in ſumēdo cibo inſumpſiſſet, & ex altera ſocer, ne remitteret filiam, generumque vacuum, aſinos muneribus oneraſſet, iter lentiori veſtigio peractum eſt: cúmque Iebuſæorum ciuitati proximarent, tempuſque adueſperaſcens viam impediret, pedes ſeruulus itinere defatigatus manendum apud Iebuſæos conſuluit.

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 12 Cui reſpondit Dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël, ſed tranſibo vſque Gabaa.

Verſ. 13. Et cùm illuc peruenero, manebimus in ea, aut certè in vrbe Rama.

Verſ. 14. Tranſierunt ergò Iebus, & cœptū carpebāt iter, occubuitque eis Sol iuxta Gabaa, quæ eſt in tribu Benjamin.

Verſ. 15. Diuerteruntque ad eam, vt manerent ibi. Quo cùm intraſſent, ſedebant in platea ciuitatis, & nullus eos recipere voluit hoſpitio.

Cum Iebuſæi aliena religione inficerentur, Leuites ſpeciali titulo veræ religionis ſtudioſus, eique dicatus, ibi nec tantiſper commorari voluit, præſertim cùm ſibi perſuaderet poſſe, antequam lux protſus extingueretur, peruenire ad Gabaa; vbi ſperabat commodius inter ſuos hoſpitium. Innuitur hîc apud antiquos celebre adeò eſſe hoſpites recipere, aleréque, vt communia diuerſoria, vtpotè otioſa, in oppidis non eſſent. Igitur Leuites cum vxore, vbi Gabaa ingreſſus eſt, in platea ſperabat ab aliquo inuitādum, hoſpitioque recipiendum; eum tamen ſua fefellit opinio: nec enim ab aliquo ciuium inuitatus eſt; imò in platea manere compulſus. 6.

Verſ. 16. Et ecce apparuit homo ſenex, reuertēs de agro, & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa: homines autē regionis illius erāt filij Iemini.

Verſ. 17. Eleuatiſque oculis, vidit ſenex ſedentem hominem cum ſarcinulis ſuis in platea ciuitatis, & dixit ad eum: Vnde venis? & quo vadis.

Filij Iemini vocantur incolæ, id eſt, Benjamin, fortè, vt eorum inconditi mores duriùs ſugillentur, quandoquidem à paternis moribus degenerantes auerſabantur peregrinum, quem ad maiorem illorum confuſionem aduena illic degens, nec commodis fruens vrbaniùs inuitauit, & ad hoſpitium ſuum duxit. Rure aduentaſſe deſcribitur, & quamvis laboribus defatigatus, vt vidit viatorem, acceſſit, neſcias an curioſus, an hoſpitalitatis exercendæ cupidus. 7.

verſ. 18. Qui reſpondit ei: Profecti ſumus de Bethlehem. Iuda, & pergimus ad locum noſtrum, qui eſt in latere montis Ephraim, vnde ieramus in Bethlehem: & nunc vadimus ad domum Dei, nulluſque ſub tectū ſuū nos vult recipere.

verſ. 19. Habentes paleas & fœnum in aſinorum pabulum, & panem ac vinum in meos, & ancillæ tuæ vſus, & pueri qui mecum eſt: nulla re indigemus niſi hoſpitio.

Digitized by Google

8. Interrogauerat ſenex, vnde venirent, & quò tenderent: fors vt ſi quid noui aliis in ciuitatibus, ſciret: Leuites vnde profectus, & quò tenderet, declarauit. Adnexuit, vt ad commiſerationem moueret, ad domum Dei pergere, & ſeà nullo ciuitatis intra tectum admitti, licet nullo diſpendio fieri poſſet: cùm ipſe quidquid opus, ſecum haberet. Per panem & vinum alia ad paſtum opportuna exprimi tradit Abulenſ. q. 11. notatque Leuitam vxorem ſuam ſenis ancillam appellaſſe, vt ad dandum ſibi hoſpitium faciliùs alliceret: neceſſitas namque ſemper vrbana blanditur, & blandiùs ſæpè adulatur.

Verſ. 20. Cui reſpondit ſenex: Pax tecum ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt: tantùm, quæſo, ne in platea maneatis.

Verſ. 21. Introduxítque eos in domum ſuam, & pabulum aſini præbuit: ac poſtquam lauerunt pedes ſuos, recepit eos in conuiuium.

9. Senex ex ſe hoſpitalis, dum contribulem agnouit, omni vrbanitate inuitauit ſeque neceſſaria liberaliter conceſſurum ſpopondit. Igitur domum tulit, aquam pedibus abluendis exhibuit, & conuiuium præparauit.

Verſ. 22. Illis epulantibus, & poſt laborem itineris, cibo & potu reficientibus corpora, venerunt viri ciuitatis illius, filij Belial (id eſt, abſque iugo) & circumdantes domum ſenis, fores pulſare cœperunt, clamantes ad dominum domus, atque dicentes: Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo.

Verſ. 23. Egreſſuſque eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meũ & ceſſate ab hac ſtultitia.

verſ. 24. habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, & veſtram libidinem compleatis: tantum, obſecro, ne ſcelus hoc contra naturam operemini in virum.

10. Cùm hoſpites inter cœnandum variis ſe colloquiis oblectarent, & iucundè verba texerent, lætitiam, cœnamque interturbauit inopinus, & ſubitaneus ſtrepitus: nam cum aliqui iuuenes adoleſcentem Leuitam libidinoſis oculis aſpexiſſent, & mulierem forma excellentem notaſſent, deteſtabili inter ſe concordia vniti rem tẽtarunt omnes audaciæ, procaciæque limites ſupergredientẽ, videlicet vxorem conſtuprare, & Leuita abuti, adeoque commune tantum nefas illi ciuitati fuiſſe videtur, vt palàm intentum confeſſi fuerint non erubeſcentes aggredi publicè, quod ipſa natura & horrendũ docuit & celandum. Illa clauſula *filij Belial*, quod *abſque iugo* ab interprete exponitur, filiorum videtur improbitatem parentibus adſcribere, quandoquidem eam licentiam adoleſcentibus filiis fecerunt, vt laxatis in omnem libidinem habenis nullum ſupplicium fuerint veriti; ſed omni impunitate, & procaciã vſi. Igitur fores validè pulſabant, & quo animo aduentaſſent, omni verecundia poſita proferebant. Quærunt interpretes, an Leuita, an eius vxore abuti tentarint. Ioſeph 5. antiq. c. 2. Fœminæ deſiderio inarſiſſe tradit. *Gabaëni quidam iuuenes, qui mulierculam in foro viderant, mirati eius formã, poſtquam ad ſenem illum diuertiſſe cognouerunt, contempta imbecillitate, & ſolitudine venerunt ad ianuã.* Ioſepho ad ſpeciẽ aſſentitur Lyra. Item ipſe Leuites pro hac opinione videtur: nam miſerandum caſum referens dixit: *Homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes.* Abulenſ. q. 14. opponit litteram eorum animum clarè exprimentem: & ad hæc, ſi vxorem expeterẽt, non offerret ſenex & concubinam & filiam. Septuag. habent: *Ecce filia mea virgo & cõcubina eius, educam eas, & humiliate eas, & viro huic ne faciatis verbum imprudentia huius.* Conſonat Hebræus textus: *Viro autem huic, ne faciatis rem ignominioſam.* Senex portam egreſſus etſi breui ſermone efficaci ſatis exoculatum perditorum hominum impetum refrænare conabatur, videlicet in ſuum, & quidem maximum probrum cedere, hominem in ſuam fidem receptum iniuria afficere, nec leui; ſed propudioſiſſima, & quam tentare nec ſtultis aut inſanis liceret; verùm licèt ſapienter ſatis argueret, ſermonibus non attendebant; imò furore perciti in domum irrumpere iam tentabant.

Ioſephus. Lyra. Abulenſ. Septuag. Hebræus.

verſ. 25. Nolebant acquieſcere ſermonibus illius: quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam: qua cum tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.

verſ. 26. At mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.

Leuites cùm turbam illam libidinis agnoſceret agitatam procella, nec vitare poſſe detrimentũ agnoſceret, leuius malũ elegit, videlicet concubinam eis tradere, procaciæque cadere. Iuuenes capta prædã, & ardore libidinis ſtimulati non longè à domo abductam ſub diuo forſan eã abuti cœperunt; cũque eſſent plures, ſibique ſuccederent, turpiſſime, & flagitioſiſſimè miſeram fœminam diuexarunt, nec vllũ quietis ſpatiũ permiſerunt. Dixi abductã non longè à domo, alioquin ipſa redire non poſſet viarum ciuitatis ignara. Ergo illuceſcente iam mane libidine ſaturata dimiſerunt, fortaſſe illam exibilantes, & probroſis verbis illudentes. Illa vt potuit, ad mariti hoſpitium contendit; ſed deficiente iam ſpiritu ad oſtium corruens expirauit. 11.

verſ. 27. Mane facto, ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam: & ecce concubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.

verſ. 28. Cui ille putans eam quieſcere, loquebatur: Surge, & ambulemus. Qua nihil reſpondente, intelligens quòd erat mortua; tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſque eſt in domum ſuam.

Leuites amaro animo inſomnem noctem ducens, quòd tardaret, lucem culpabat: nondum illuceſcebat, cùm de vxore ſolicitus, & ex eo loco fugiendi auidus oſtium aperuit. Cui ſtatim vxor obiecta eſt ſuper faciem ſuam iacens manibus extenſis: ille 12.

Digitized by Google

ille quieſcere ſuſpicatus eam excitabat blādis verbis dolorem leniens, & omnem timorem, ac ſuſpicionem depellens. Verùm cùm demortuam agnoſceret, expauit; acerrimum tamen dolorem ex grauiſſima iniuriâ acceptum, & ex tenerè amatæ vxoris morte procreatum corde repreſſit, ne hoſpiti ſatis anxio obturbatóque nouam adderet mœſtitiam. Ergo lugubri voce vale hoſpiti dicto defunctamque iumento imponens viam confecit, & domum triſtiſſimo aſpectu intrauit.

verſ. 29. Quam cùm eſſet ingreſſus, arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens miſit in omnes terminos Iſraël.

verſ. 30. Quod cum vidiſſent ſinguli, conclamabant: Nunquam res talis facta eſt in Iſraël, ex eo die quo aſcenderunt patres noſtri de Ægypto, vſque in præſens tempus: ferte ſententiam, & in commune decernite quid facto opus ſit.

13. Cum Leuites inſolitam atrocemque adeò iniuriam per ſe vindicare nequiret, nec inulham ſini intimus angor, dolorque pateretur, in raram cogitationem incidit, videlicet cadauer in fruſtra pro tribuum numero diſſecare, & per nuntios, qui totam rei ſeriem referrent, mittere: nouerat verum eſſe illud Horatij de Arte poëtica: Horatius.

Segniùs irritant animos demiſſa per aurem,
Quam quæ ſunt oculis ſubiecta fidelibus.

Ergo partem miſit, qua inſpectâ ad mariti commiſerationem efficaciùs mouerentur, & ad infligendum flagitioſis adeò hominibus dignam pœnam viuidiùs ſtimularentur. Quod è ſententia ceſſit: nam raro illo in ſpectaculo ſic omnes commoti ſunt, vt in clamores effuſi quoduis aliud perpetratum nefas à die exitus de Ægypto longè inferius ac diſſimile pronuntiârint; nec ſolùm tragœdias excitarunt; ſed, vt innuitur, dignas irrogare pœnas communi conſenſu decreuerunt.

§. III.

Ad turbandam coniugum pacem domeſtica inueniuntur ſæpè ſcandala, & concordiæ impedimenta.

14. PLura ſunt, quæ optabilem inter coniuges pacem diſturbent: aniculæ inuolant peſſimæ conſiliatrices: fouent non ſemel vicinæ, & amicæ audaciam, ſolicitant procaces luxuriam: vnde oritur inſidioſum litigium, & inter coniuges bellum. *Nunquam, nunquam*, aiebat Euripides in Androm. (*non enim tantum ſemel dicam*) *mentem habentes permittere oportet, quibus vxor eſt, vt domum ad ipſam ingrediantur aliæ mulieres: docent enim res malas.* Iam documenta ſubijcit: *Alia quæſtus gratia matrimonium corrumpit; alia cum peccauerit, multas morbi ſui vellet habere ſocias: multa autem ex ſtultitia. Hinc eſt quòd domus virorum malè habeant.* A vicinis, à mulieribus criminum proxenetis imminet inter coniuges concordiæ periculum, à ſuſurronibus ſeruis, & famulabus oritur diſſidiorum fomentum: iam ſi ſocer ſocruſve ſint, continuis expoſtulationibus pax interturbatur, & tranquillitas frequentiſſimis litibus impeditur. Hinc cordati ab eorum conſortio ſeparantur, ne ab affectibus ſeparentur. Leuites vxorem de Bethlehem Iuda ducens ad montem Ephraim habitaturus contendit: *Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda.* Noluit cum ſocero habitare, vt concordiam quietiùs cuſtodiret: *Spatium fuit inter eos*, inquit Hugo Cardinalis: *Non ſimul habitabant.* Ad concordiam tuendam vſus eſt Leuites aliquali diſtantia; nec tamen ſatis fuit; quia vxoris pater Dæmonis inſtar, & eius perſonam gerens improbis conſiliis pacem interturbare curauit; & qui anteà filiam locarat in matrimonium, iam inter coniuges architectatur diſſidium. Adnectit textus: *Quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* Hugo rem moribus adaptans, ſic ait: *Vadit in domum patris ſui, id eſt, Diaboli, qui dicit ei: Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum viri tui.* Fortè puella querelas dabat patri, non licere videlicet ſibi è domo egredi, nec cum vicinis lætari, nec feſtiuitatibus intereſſe. Ergo pater imprudenti affectu perſuaſit oculos paſcere, domum egredi, & ſi maritus refragetur, ſe in paternam domum recipere: ergo filia patris monitis didicit à marito diſcordare; imò & monita mariti contemnere. Itaque ex Hugonis ſententia ad Diaboli pacis inter coniuges inimici repræſentandam perſonam nullo ſocero aptior, nec expromptior, *Vadit in domum patris ſui, id eſt, Diaboli*: quæ enim deteriora Diabolus præberet conſilia, quàm quæ à parente filiæ dictata. *Audi filia, & vide, & inclina aurem tuam, & obliuiſcere populum tuum, & domum viri tui.* Si pater audacem filiam correxiſſet, ſi vultus aſperitate frænaſſet, vitium non fugeret, nec miſeram adeò ſtragem libidinis deturpata ſordibus ſuſtineret; aſt dum allicit, dum eius blanditur querelæ, dum vanitati adulatur, diſcordiam ſeminat, ac infamiam cædemque præparat. Hugo.

Euripid.

Iacobus apud auunculum Labanum humaniſſimè exceptus degit, Rachelis pulchritudine captus dari ſibi in matrimonium depoſcit, annuit Labanus, ſed nuptiarum exordium fallaciâ à ſocero concinnata fuit; poſt coniugij fraudem iterum coloratis cauſis immutatur laboris præmium, ac tandem cùm à Deo admonitus patriam repeteret, exaſperatus ſocer non modica militum manu properat impediturus, imò caſtigaturus ſtudium: *Noluit Iacob confiteri ſocero ſuo quod fugeret*: Timuit prudenter Iacob ſocerum impedimento fore, ne Dei filiæ exequerentur mandatum, dum violenter detinet, aut in poſterum profectionem differt. Vti concordiæ paciſque impedimentum fugit ſocerum, & reuera opus fuit cœleſti inhibitione, ne itineris fuerit obſtaculum: vti quiret hoſtem, fugit Iacobus ſocerum: quod notauit acutè ſatis Rupert. *Benè diſceſſus eius fuga dicitur*, inquit l. 7. in Geneſ. c. 42. *Cùm protinus ſubditur: noluitque Iacob indicare ſocero ſuo quod fugeret.* Fugit ſocerum vti pacis aduerſarium, ne, ſi Iacobi ſtudium prænouerit, filiabus diſſuaderet profectionem, aut inter ipſas maritumque diſſeminauerit litem. Quàm ſe Iacobus prudenter geſſerit, ipſe teſtatur euentus: nam cōperta fuga manū cogit, & ingenerū vti hoſtē quiret, armatur, Deus furenti obſtitit, ab iniuriiſque abſtinere iuſſit: *Caue ne quid durius loquaris cōtra Iacob*, & tamen 15.

men à Domino admonitus, & deterritus ſocerum ſe exhibuit & aſperrimis verbis Iacobum carpſit, & arirpuiſſe viam ſtultam ſugillauit audaciam: *Stultè operatus es, & nunc quidem vales manus mea reddere tibi malum; ſed Deus patris veſtri heri dixit mihi. Caue ne loquaris contra Iacob quidquam durius.* Duta loqui prohibitus adhuc vocat ſtultum: *Stultè operatus es*, vt coniicias quid faceret non frænatus: vt inter ſocerum generumque ſtabiliretur pax, opus fuit ſpeciali Dei auxilio, & non modico interuallo: *Non audiuit hic Deum vocantem ſe ex nomine, vt vocare ſolitus erat Iacob: nec enim eius erat meriti, propter quod noſſet eum Deus ex nomine; ſed tantummodò vidit, ſcilicet iratum, comminantem, & dicentem · C... ſic & propter Iſaac Abimelech corripuit, & propter Abrahamum Pharaonem flagellauit: iuxta Pſalmiſtam* (audis Rupertum cap. 43.) *Dicentem: Non reliquit hominem, ſubauditur Laban, nocere eis*, &c. Si Laban ſibi relictus, Iacobi familiam, domúmque perturbaſſet, & ad propria iter à Deo præceptum impediuiſſet: adeò frequenter à ſoceris ingeruntur bella, & ſeminantur diſſidia: cæleſti auxilio opus fuit, vt gener, ſocerque in concordiam redigerentur, vtque pax floreret, diſtantia congruit. Expende ad tuendum à Leonibus Danielem ſatis fuiſſe Angelum; ad tuendum verò à ſocero Iacobum aduentaſſe Deum.

16. Chriſtus Dominus, vt qui vitam hominibus dilargiturus aduenerat, hominem à patre, à matre filiam, & à ſocru nurum ſeparauit non loci diſtantia; ſed inordinati affectus abſentia: *Veni ſeparare hominem aduerſus patrem ſuum, & filiam aduerſus matrem ſuam, & nurum aduerſus ſocrum ſuam.* Similis; ſed diuerſo principio orta ſeparatio ſocrus & parentum: parentes namque, filiique ob inordinatum amorem ſubeunt periculum; ſocrui verò ac nurui non amor nimius nocet; ſed odij periculum imminet, & ne nobis libera interpretandi relinqueretur occaſio, ipſe explicuit textus ſententiam: *Qui amat patrem aut matrem pluſquam me*, inquit, *non eſt me dignus.* Amorem erga patrem virtuti aduerſantem corrigit. Et iterum: *Qui amat filium, aut filiam ſuper me, non eſt me dignus*: nimium patris erga prolem corripuit etiam affectum: at cùm tertiæ illi clauſulæ videlicet: *Et nurum aduerſus ſocrum ſuam*, explicatio tertia deberetur, ibi non appoſuit: Qui amat nurum, aut ſocrum ſuper me, non eſt me dignus; ſed *qui non accipit crucem ſuam, & ſequitur me, non eſt me dignus*: vt qui benè nouerat huic cognationi non ab amore periculum; ſed ab odio ſæpiſſimè obſtaculum: ergo qui inordinatum patris erga filium, & filij erga parentes compoſuit affectum, nurus erga ſocrum, & ſocrus erga nurum patientiam edocens maleuolentiam expunxit: quia vt illis ab amore periculum, ſic iſtis ab odio obſtaculum. Crux eſſe ſolet nurui, & quidem grauiſſima ſocrus, & è contra ſocrui nurus: ergo hanc crucem quæuis tollat, vt pacem habeat: *Veni ſeparare nurum aduerſus ſocrum ſuam*: Separauit; ne frequentius altercationibus diſſiderent, ſibi, virtutique bellum inferentes, & pacem interturbantes: *Hoc dicit*, inquit gloſſa D. Thomæ: *Quaſi dicat: Non ad hoc inter homines veni, vt carnales affectus confirmem; ſed ſpirituali gladio diſſecem: vnde rectè dicitur: Et inimici hominis domeſtici eius.* Vt virtuti nociua ſcindi debuit parentum, & filiorum dilectio; ſic & frequens inter nurum & ſocrum altercatio, & diſſenſio. Ergo inter patrem filiumque inordinatam dilectionem inhibuit, inter ſocerum verò & nurum lites continuas amandauit: ſeparari voluit, vt veræ pietatis, ac virtutis impedimenta reſcinderet. Quia ſocer, ſocruſque domeſticæ pacis non ſemel exilia, & ad concordiam inueniuntur obſtacula inimicos appellauit domeſticos: *Et inimici hominis domeſtici eius*, vt qui benè nouerat à domeſticis oriri occaſiones ſæpè diſcordiæ, & foueri cauſas inimicitiæ.

Matth 10. v. 35.

Gloſſa.

---

§. IV.

Qui ob ineundum coniugium deuorat culpam s in ipſo inuenire ſolitat pœnam.

MAtrimonia ſanctè ritéque celebrata honeſtam afferunt voluptatem, & ſæculo 17.
ædificando vtiliſſimam filiorum meſſem. Hierocles lib. de nuptiis domum coniugibus orbam mancam vocauit: nam vt mancus vnica tantùm manu vtitur alterius deſtitutus auxilio, ita domus ſine coniugio deſtituta luget ſolatio: *Non errabit aliquis domum ſine nuptiis mancam eſſe dicens: vtile eſſe nuptias aſſero, primum quia diuinum re vera fructum producunt liberorum generationem, qui nobis & valentibus adhuc, vtpote conſanguinei in omnibus negotiis opem ferunt, & ætate confectis, ſenióque preſſis boni ſunt auxiliares: familiares quidem in ſecunda fortuna lætitiæ ſocij, in aduerſa verò condolentes.* Multa equidem ex nuptiis pullulant bona, ſi tamen eorum radix integra, nec alicuius veneni ardore vitiata; verùm dum cæcè homines matrimonij inhiant vtilitatibus, nec ſapienter attendunt honeſtis legibus, ab ipſo matrimonio demetere ſolent lachrymas, dum ſperabant delicias: ex eadem ſtirpe, ſi illæſa, protruditur dulciſſima vua, ſi vitiata, labruſca amara: ergo ex matrimonio ritè ſanctéque peracto non modica pullulant commoda: ex illo verò cæcè & cupidè inito emanare ſolitant detrimenta. Cognati non ſemel tranſeunt in hoſtes, aduerſa ſibi coniugum ingenia decertant, & genialis torus Martialis eſt campus. Quæ ob contrahendum matrimonium pudicitiæ legem violauit, ab ipſo coniuge deſpecta luget, aut à cognatis ſpreta dolet: maritus ſibi etſi matrimonij ſpebus proſtitutam, habet ſuſpectam, & ſuſpicione premit afflictam. Qui legibus refragatus eſt, vt quam diſpetibat, acciperet, non ſemel honoris peſtem; & commoditatis inuenit luem. Leuites quidam de Ephraim tribu vxorem accepit Bethlehemitem, quæ illum & citò deſpexit, & dereliquit: *Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* Non defuit, qui apud Abulenſem infra dandum exiſtimarit matrimonium hoc vtpote contra legem illicitum fuiſſe; non probo, ſicut nec Abulenſ. ſententiam hanc; verum eorum opinione admiſſa, ex ea deduco præfixam theſim, dum audio vxorem in paternam domum ſe recepiſſe. Caietanus exiſtimat iram declinaſſe mariti, vt quæ coniugij fidem violaſſet, & mariti torum polluiſſet: *Hæc eſt cauſa quare receſſit à marito: quia fornicata eſt.* Vbi ob matrimonium legitur lex violata, & violationis

Hierocl.

Caietan.

tionis refertur, pœna tenebatur Leuites non Iudæam; ſed Ephraimitam iuxta horum placitum accipere; ergo dum plus ſtuduit voluptati adulari, quàm legi obſequi, ab ipſa coniuge mercedem accepit: ipſa namque tori violatione violationem legis vindicauit, & de regia tribu exorta maritum non adeo nobili ſtirpe prognatum ſuperba ac faſtidioſa deſpexit: *Quæretur circa hoc*, inquit Abulenſis q. 5. (Abulenſ.) *An licuerit iſti Leuitæ accipere vxorem de Bethlehem? Aliquis dicet quod non; quia Deus iuſſerat quòd viri acciperent fœminas de tribubus ſuis in vxores, & mulieres acciperent viros de tribubus & familiis ſuis Numer. 36. capite: ergo Leuita non poterat accipere vxorem niſi de ſtirpe Leui; Bethlehem tamen erat ciuitas de ſorte Iuda, vt hic dicitur, & ſic acciperet vxorem de progenie Iuda.* Dum nobiliorem ſe duxit, non habuit ſponſam; ſed ſuſtinuit feram: nuptiæ legis iniuria initæ, qua maritus defœdaretur, produxerunt infamiam, & dum fœmina virum deſpiciens paternos repetiit lares, Leuites nec matrimonij habuit ſolatium, nec dedecoris vitauit probrum. Dignum fuit, vt inde acciperet pœnam, ſi contra legum ſancta perpetrauerat culpam.

18. Paulus viduis facultatem facit bigamiæ; monet tamen ne contra legem infidelem ſponſum ducant, & hoc non tantùm in legis reuerentiam; ſed in ipſarum etiam nubentium gratiam: (1. Cor. 7. v. 39.) *Mulier alligata eſt legi, quanto tempore vir eius viuit, quòd ſi dormierit vir eius, liberata eſt, cui vult nubat, tantùm in Domino.* Nubat, inquit, in Domino, ſi nuptiarum dulciſſimum percipere exoptat fructum: nam ſi contra Dominum nupſerit, ſuſtinebit frequens & amariſſimum tædium: *Habes cauſam*, inquit Tertullianus lib. 2. (Tertull.) ad vxorem cap. 7. *Qua non dubites nullum huiuſmodi matrimonium proſperè decurri: à malo conciliatur, à Domino verò damnatur.* Geſtit dæmon paranymphum pronubumque huiuſmodi eſſe nuptiarum, vt qui ſibi deſideratam præuideat copioſam ærumnarum meſſem parturas Quæ ex matrimonio ſanctè inito commoda, & quæ ex illegitimè celebrato pullularint detrimenta acutè ſatis recenſet ſupra datus Tertullianus: *Quale iugum fidelium duorum; vnius ſpei, vnius voti, vnius diſciplinæ; eiuſdem ſeruitutis? Ambo fratres, ambo conſerui, nulla ſpiritus, carniſue diſcretio. At quin verè duo in carne vna, vbi caro vna, vnus & ſpiritus: ſimul orant, ſimul voluntantur, & ſimul ieiunia tranſigunt, alterutrò ducentes, alterutrò hortantes, in Eccleſia Dei pariter, in connubio Dei pariter, in anguſtiis, in refrigeriis, neuter alterum celat, neuter alterum celat, neuter alterum vitat, neuter alteri grauis eſt.* Vbi virtus coniuges vniuit, vbi honeſtas aſſociauit, neuter alteri grauis eſt: quia quidquid ad ſpeciem moleſtum, amor dulcorat, & beneuolentia alleuat. Audiſti matrimonij honeſti fructus: audi modò quos promat coniugium legum violatione fundatum: *Domino certè non poteſt pro diſciplina ſatisfacere.* (de nupta aduerſus legem cum infideli loquitur cap. 4.) *Habens in latere Diaboli ſeruum procuratorem domini ſui ad impedienda fidelium ſtudia & officia, vt ſi ſtatio facienda eſt, maritus de die condicat ad balneas: ſi ieiunia obſeruanda ſunt, maritus eadem die conuiuium exerceat; ſi procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio adueniat: quis enim ſinat coniugem ſuam viſitandorum fratrum gratia vicatim alienæ, & quidem pauperiora quæque tuguria circuire? quis nocturnis conuocationibus, ſi ita oportuerit, à latere ſuo eximi libenter feret? Quis denique ſolemnibus Paſchæ obnoctantem ſecurus ſuſtinebit? Quis ad conuiuium Dominicum illud, quod infamant ſine ſua ſuſpicione dimittet?* Qui expertus eſt fœminam in ſui gratiam legem tranſgreſſam, ſuſpectam habet, vel cùm accedit ad Euchariſtiam: quia honeſtam non credit ſuſpicionibus ductus, fucatam virtutem exiſtimat, & cunctis eius votis refragatur vti viliſſimam ſeruam tractat.

Samſon patrias leges oblitus (vt nonnulli cenſent nuptias iniuit cum Philiſthæa, opiparè inſtructo ad nuptiarum celebritatem conuiuio, 19. quæ ſeſe conuiuæ ad riſum, & ingenij plauſum dicaci ſale percellerent, occaſionem miniſtrauit problema afferens non ſine pretio ſoluendum: quod cùm enodare nequirent ſodales ſponſæ perſuaſerunt, vt ſecretum illis proderet, quod & fecit: cumque Samſon iniuria exaſperatus paternam domum repetiiſſet, puellæ pater probro Samſonis diſceſſum in ipſis nuptiarum exordiis vertens pronubo in vxorem tradidit: *Iratus nimis aſcendit in domum patris ſui; vxor autem eius accepit maritum vnum de amicis eius & pronubis.* (Iudic. 14. v. 20.) Oris venuſtas, quæ Samſonem violare legem ſuaſit, & pronubo iniuriam Samſoni inferre conſuluit: matrimonium crimine ab exordio infectum copioſum miſeriarum attulit fructum: ipſa vxoris pulchritudo marito fuit & illicium & ſcandalum, vt repetat Anaxander: (Anaxander.) *Duxit aliquis turpem, non amplius ei iucunda eſt vita, neque omninò domum ingredi libet. Formoſa ducitur, non eſt illa magis mariti ſui, quàm vicinorum.* Pronubi fuit pulchella, & paranymphus, quia ſolicitauerat matrimonium, à puellâ poſtulauit indignum pretium. Philiſthæa ipſa in nuptiarum pompa fidem violauit ſecreti, violatura poſtmodum tori. Quod ſi quæras, cur tot mala ex hoc connubio pullulauerint; reſpondebit Lyra fuiſſe (Lyra.) contra legem initum. *Prohibitum eſt Deuteronomij 7. ne contrahant matrimonia cum alienigenis.* Alienigena virtutibus non informata, inſtitutionibus non exculta; ſed decore ſuperba pœnas violatæ legis à Samſone ſumpſit: in ipſo gaudiorum limine exaſperatus diſceſſit, & vix diſceſſit, cùm honoris etiam iniuriam tulit: Philiſthæa venaticos oculos allexit pulchra, & patuit ſalaci omnis virtutis ignara. Si Samſon ſui generis vxorem duxiſſet, ipſa origine virtuti quodammodò obſtrictam, & parentum ſolicita eruditione inuiolatam ſeruare fidem marito edoctam nec ingemuiſſet deſpectus, nec abſceſſiſſet exaſperatus; at dum agit cauſam voluptatis, meſſem inuenit angoris: vindictam ſumere aggreſſus, à patria extorris delituit, & ni cæleſte adeſſet auxilium, Philiſthinis tunc à ſuis illigatus & traditus inſeruiſſet, & vinculis conſtrictus lugeret. Quod Tertullianus, vt fideles ab cum infidelibus connubio arceret, attulit, illud, ſcilicet Matthæi 7. *Ne mittatis margaritas veſtras ante porcos, ne* (Matth. 7. v. 6.) *forte conculcent eas pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos*, eis non poſſumus fœminis adaptare, quæ, vt vanitati ſuæ plaudant, aut maiorem licentiam voluptatis exerceant, margaritas ſuas, hoc eſt, ditiſſima patrimonia compris exhibent, & ſalacibus, quos poſteà non tam ſponſos, quàm carnifices experiuntur acerbos: *Suſtinent quidem*, inquit cap. 5. lib. 2. ad

vxorem, *ſed vt inculcent, vt illudant huiuſmodi fœminis, quarum arcana in periculum, quod credunt, ſeruient, ſi fortè lædantur, ipſi ſuſtinent, quarum dotes obiectione nominis mercedem ſilentij faciant, ſcilicet apud arbitrum ſpiculatorem litigaturi. Quod pleraque non prouidentes aut re excruciata, aut fide perdita recenſuerunt.* Tertul. Infidelis fideli iugatus eam habet, ſed vt illudat, vt periculo deſtinet, dotis etſi ampliſſimæ dignam compenſationem reputat apud iudices, eam non prodere; ſed tacere: hinc eſt, vt improuida mulier excruciata ingemat, aut quod peius eſt, virtutis detrimento à ſe ipſa delirij pœnas repoſcat. Videas maritos poſt ampliſſimæ dotis iacturam magni ducere, ſi continuis diſceptationibus vxores non anxerint, ſi aſperis ſuperciliis non percuſſerint; ſi inflictis, quod marito indignum eſt, plagis non læſerint: itaque meritam ſuſtinere coguntur pœnam, quæ vt nuberent, conſilium non expectarunt virtutis; ſed placitum voluptatis.

§. V.

Si coniuges diſſideant ingenio, frequenti laborabunt & iurgio.

20. INter reliquas ad coniugum concordiam requiſitas virtutes præcipuæ ſunt tolerantia & prudentia: nimius aliquando amor offendit, dum frequentibus expoſtulationibus arguit: leuiſſimæ offenſiunculæ, ni patienter ferantur, non ſemel magnis materiam præbuere diſſidiis, & quæ initio exigua ardoris ſcintilla, impatientiæ, iracundiæque flatibus innutrita in magna tranſiuit incendia. Amor, ſi intemperans, & nimius nutrit odium, quibus ſolicitare videbatur adfectum. Gentian. Ad rem Gentianus ad 2. lib. pædag. *Tam frequentes, & tam ardentes cum vxoribus coniunctiones efficiunt, vt ſint mariti ſuarum quodammodò vxorum adulteri. Non diu quidem certè durat huiuſmodi coniugum beneuolentia; ſed vel ſimul cum libidine flacceſcit & marceſcit, vel cum ſeneſcente corpore conſeneſcit, vel potiùs præſeneſcit, & interit. Amantium amor non eſt ſemper ſtabilis, & ſæpè poſt ſatietatem vertitur in odium.* Hanc comprobat veritatem Leuitæ vxor, quæ nimio viri amore exaſperata; & excogitatis ab amante expoſtulationibus offenſa decreuit eum fugere, & ad paternam domum reuerti: *Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* Nequiuit puella virum nimis vxorium ſuſtinere, & tulit impatienter imprudentes ſemper querelas audire: ergo Leuitem reliquit, vt moleſtum vitaret faſtidium, & nimio creatum amore tædium. Ioſephus. Hanc fugæ fuiſſe cauſam tradit Ioſephus 4. antiquit. cap. 2. *Vir è plebe Leuitica in Ephramitarum ditione habitans duxit vxorem natam in oppido Bethlehemis, quod ad tribum Iuda attinet; hanc cùm vehementer ob formam amaret, parum reſpondere in amore ægrè ferebat. Hinc orto diſſidio mulier continuas expoſtulationes non ferens relicto marito menſe quarto ad parentes reuertitur.* Si amor prudentior temperatiorque continuis expoſtulationibus non attuliſſet faſtidium, mulier nullatenus relinqueret domum; aſt dum genijs amborum non concordat, lites diſſeminat, & ſponſam à domo fugat. Conſonat Ambroſius lib. 3. officior. c. 14. Ambroſ. *Leuita acceperat ſibi iugalem (quàm à concubitu concubinam appellatam arbitror) quæ aliquantò poſt quibuſdam, vt fieri ſolet, offenſa rebus ad patrem ſe contulit.* Perpetuis offenſa querelis ſe ad patrem contulit, quia illi pro odio erat nimius amor, & amans furor. *Qui ſunt ex viris effœminati* (verba ſunt Clementis Alexandrini lib. 2. pædag,) Clem. Alex. *Inſano quodam amore feruntur ad immoderationem.* Immoderatus amor parit faſtidium, & faſtidium ingenerat odium. Adde aliquando coniugum ingenium non conformari, tuncque florere non poſſe pacem, ſi mulier viri ſententiæ obſtiterit querula: vt etiam ni vir adlaboret errata emendare prudenti & vtili tolerantia.

Quem fructum gignendum putas ex coniugibus ſemper diſſidentibus, & continuis diſceptationibus altercantibus? 21. Profectò ſi Rebecca cum Iſaac ob benedictionem altercaretur, ſi ſe illi opponeret; & corrigere cæcutientem maniſeſtè tentaret, forſitan pax interturbata periret, & Iacob ditatus benedictionibus non maneret, at dum prudentiſſimè ſponſi non refragatur decreto; ſed errorem vitat ſagaci conſilio pax illæſa conſeruatur, & benedictio benemerito redditur: Geneſ. 27. v. 6. *Dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſaü fratre tuo, & dicentem ei. Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequàm moriar. Nunc ergo fili mi, acquieſce conſiliis meis, & pergens ad gregem affer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis eſcas patri tuo, quibus libenter veſcitur, quas cum intuleris & comederit, benedicat tibi priuſquam moriatur.* Rebecca oraculi, *Et maior ſeruiet minori*, præſcia, & oraculo refragantem patrem intuita nec excitauit tragœdias, nec querulis vocibus carpſit cæcutientem; ſed prudentiſſima arte oraculo pacique conſuluit: vt pacem conſeruet, apertè non refragatur decretis, vt oraculum impleat, Iſaaci voluptatem corrigit ſaporatis ferculis, & gratis officiis. O quàm edocuit Rebecca fœminas concordiam conſeruare non virtutis iniuria, ſed ſagacitatis prudentiâ! *Quis eſt in iſta benedictione percipienda*; inquit Auguſtinus lib. 16. de ciuit. cap. 37. Auguſt. *Dolus hominis ſine dolo? Quis eſt dolus ſimplicis? Quæ fictio non mentientis, niſi profundum myſterium veritatis?* Profundo myſterio adimpletum eſt oraculum, vt fœminis opportunum exhiberetur exemplum: non eſt concordia virtutis iniuria aſſeruanda; ſed diſcordiæ cauſa debet vitari prudentiâ. Rebecca Iacob manus texit pelliculis & dum arcano dolo filium benedicendum ſubiecit, à marito oraculum fecit impleri, & omnem diſcordiæ occaſionem præcidit.

Baptiſtæ parentes, vt omni iuſtitia effloreſcerent ornati, ab omni abſtinebant querela: *Erant* 22. Lucæ 1. v. 6. *iuſti ambo ante Deum incedentes in omnibus mandatis, & iuſtificationibus Domini ſine querela: & non erat illis filius, eo quòd eſſet Eliſabeth ſterilis.* Dum Zacharias non conqueritur, nec vxori infœcunditatem obijcit; de patientiæ myrothecio ſterilitatis curat defectum, & de tolerantia nobiliſſimum adeptus eſt filium. Qui vxorem exiſtimat, nullo defectu obſcurandam, ſed omni virtute & prærogatiua exultum, non nubat: creaturis namque frequentiſſimum eſt defectibus deturpari,

Digitized by Google

deturpari, & prærogatiuis carere. Certè cùm Eua Adamum accepit in ſponſum, iam aliquid ei deerat; coſta videlicet, vt vel ab exordio noſſent ſponſæ viros non adeò fore perfectos, vt nil in eis quiuerint deſiderare, & prudenti amore ſupplere. Huc voco Gregorium 3. paſtoral. c.28. Gregor. *Admonendi ſunt coniugiis obligati, vt cum viciſſim quæ ſunt alterius, cogitant, ſic eorum quiſque placere ſtudeat coniugi, vt non diſpliceat conditori.* Adnectit poſt aliqua: *Admonendi ſunt coniuges, vt ea, in quibus ſibi aliquando diſplicent, & patientes inuicem tolerent, & exhortantes inuicem ſaluent.* Sibi pacique Zacharias conſuluit, dum vxoris ſterilitatem non redarguit querulus; ſed ſuſtinuit cordatus: ſponſam diligens naturæ inaucauit defectum, & quod non poterat medicari frequenti ac faſtidioſa querelâ, medicatus eſt prudentiſſima tolerantiâ.

23. Ad Galat. 6. v. 2. Huc ſpectat, quod monebat Paulus: *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Christi.* Adſpiciebat Paulus quemlibet benignum ſuarum actionum interpretem, alienarum verò cenſorem rigidum, & ſeuerum: ergo ne quis exiſtimaret nullatenus ſe materiam alteri exhibere patientiæ, ſupponit omnes aliorum patientiæ exhibere materiam, vt & ipſi didicerint tolerantiam. Vnuſquiſque, inquit Apoſtolus, alienis humeris onera imponit. Ergo ſi vult ſua onera ab aliis patienter ferri, diſcat & alienis non prægrauari: ſic enim pax conſeruatur, & lex Euangelica impletur: *Sic adimplebitis legem Christi.* Queritur ſponſus aliquando mulierem erga domeſticam diſciplinam minus ſolicitam, minus queritur actuoſam; nec recordatur ſe eius patientiam onerare, dum patrimonium dilapidat, dum prudenter ſibi credita adminiſtrare non curat. Profectò ſi quiſque quanta ab aliis toleranda habeat, fideli rationis lance penſaret, & alterius onera patienter ferret; verùm dum nullus quàm aliorum patientiam oneret, animaduertit, & quidquid ſibi moleſtum impatienti humero excutit, oritur frequenter periculoſum diſſidium; imò concordiæ ac pacis reſultare ſolet naufragium. Adeſt datus ſuprà Gregorius: Gregor. *Admonendi quoque ſunt & coniuges, vt eorum quiſque non tam quæ ab altero tolerat, quàm quæ ab ipſo tolerentur, attendat: ſi enim ſua, quæ portantur, conſideret, ea, quæ ab altero ſuſtinet, leuius portat.* Viri aſperitatem leuiùs portabit vxor, ſi quanta ſemper ægrotans, & medicamentis vſa exhibeat viro portanda; conſideret: & vir vxoris aliqualem ægrè non ſuſtinebit defectum, ſi penſet quàm graue onus patientiæ eius diuexauerit humerum.

§. VI.

Qui Deum ob creaturas relinquit, meritam in ipſis pœnam inueniet.

24. IN hominis manu creaturam Deus poſuit, & natura conſeruum gratiæ beneficio ad dominij faſtigium extulit, quo dum ſibi ſubiecta adſpicit animalia, dum continentem illi tributum expetitur pendere, diſcat creatori inſeruire. Itaque quorum non fuerat conditor, fit homo poſſeſſor. Verùm licèt Deus veluti parturiens magnificentiæ ſuæ dona tot tantiſque dilargitis beneficiis contentus non fuerit; ſed nouis ſemper additamentis innatæ ſuæ generoſitati in hominis commodum aduletur, illius ingratitudo in tanta rerum affluentia cum liberalitate diuina pugnat, & creatore obliuioni tradito creaturas adeò impudenter amore proſequitur, vt non vereatur à creatore diſcedere, quo acceſſerit creaturis. Sed ne differetur digna huius amentiæ pœna, dum ipſe erga creatorem delinquit ingratus, erga illum ingratum ſe exhibet etiam mundus; & vti Dominus ab ipſis hominibus, quos impensè dilexerat, immeritam mortem accepit; ſic homo ab ipſis, quas diligit, creaturis meritiſſimas pœnas pertulerit. In exemplum eſt Leuites, qui vxorem legis, vt nonnullis placet, oblitus accepit, à qua luxit derelictus, & vt pœnas tranſgreſſionis ſolueret, adulterio omnibus noto infamatus: *Fuit quidam vir Leuites habitans in latere montis Ephraim, qui accepit vxorem de Bethlehem Iuda, quæ reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* Hugo Cardinalis ad mores hiſtoriam adaptans iure ait Leuitam, cuius tota pars Deus eſſe debuerat, ab vxore fuiſſe derelictum, vt cupiditatis pœnam in ipſa cupiditate inueniret, & ob ipſam, quam dilexerat fœminam, toleraret: *Iſte vir fuit Leuites non habens partem in terrâ; ſed* Hugo. *Dominus pars hæreditatis eius fuit. Eccleſ. 7. dicitur: Inueni quòd fecerit Deus hominem rectum; ſed ipſe infinitis ſe miſcuit quæſtionibus: Rectus eſt homo, qui non eſt diſtortus per iniuſtiam, nec curuus per concupiſcentiam terrenorum: ideò ſpiritus dicitur Leuites nihil habens in terrâ, erectus ad cæleſtia per amorem.* Itaque Leuita perſonam gerit eorum, qui per cupiditatem ad terrena curuantur, cùm inhærere cæleſtibus tenerentur. Ergo Leuites, dum Dominum, vt concubinæ adhæreat, reliquit, ab ipſa luget ſpretus, & derelictus. Ita Hebræus textus: *Fornicata eſt apud eum.* Audi Lyram: Lyra. *Receſſit ab eo cum adultero.* Deum derelinquens derelictus eſt, & tulit infamiam, vt meritiſſimam ſoluat pœnam. Dixi Leuitem perſonam gerere Dominum relinquentium: quia licèt vxorem ducere nec fuerit illicitum, nec lege condemnatum, ipſo nomine adumbrabat non habentes in terrâ partem, ſed cæleſtibus conſecratos, & obſequio Domini addictos. Ergo dum ad terrena curuatur, à terrenis etiam deſpicitur: *Receſſit ab eo cum adultero.*

Babylon illa ad omnem procacitatem compoſita, & ad omnem libidinem exornata beſtiæ in- 25.
ſidebat multiplicibus cornibus inſtructæ, vt bellum inferret agno: *Hi cum agno pugnabunt.* Quid Apoc. 17. v. 14.
tunc? Audi à Ioanne: *Decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam; & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.* Non fuit carnifice opus, ab ipſis ſui amatoribus, quibus pro armis contra Deum vtebatur, accepit pœnam, & ardentem ſuſtinuit flammam: ſplendenti meretricem murice veſtiebant reges, candido ac delicatiſſimo byſſino expoliebant amatores; ſed hi ipſi duriſſimo puniuere tormento, vt quorum deliquerat cauſa, exiſterent ſupplicij inſtrumenta: *Pro defenſione falſorum deorum,* inquit ad hunc locum Ambroſius, *Deum creatorem ſuum perſequebatur: decem itaque cornua odio habuerunt fornicariam.* Ambroſ. Ab ipſis, quibus parabat delicias, periit flammis ardentibus vſtulata, & mordaci dente diſcerpta.

Samſon moleſtis Dalilæ querelis, & doloſis 26.
blanditiis ceſſit, ſecretúmque, quod celare debuerat

Iudic.16. v.17. buerat, præuaricatione violauit: *Aperiens veritatem rei dixit ad eam: Ferrum nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ. Si raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea.* Mulier arcani conſcia, dum Samſon ſomnum incautus caperet, Philiſthinos ad inſidias abſcondit, & qui cæſariem radat, aſciſcit tonſorem: decapillatum iam Samſonem faſtidio abegit, & eneruem hoſtibus tradidit: *Vocauit tonſorem, & raſit ſeptem crines eius, & cœpit abigere eum.* Quæ paulò anteà, vt arcanum erueret, blanditiis deliniebat, quæ demulcebat illecebris, quæ blandimentis ſomnum conciliabat, decapillatum dedehoneſtat, & eneruem probroſè abigit. *Illa*, inquit Ambroſius lib.3. epiſtolarum epiſt.23. *me-*
Ambroſ. *retriciis delinimentis feſſum amoris in ſoporem compulit, & tonſore adhibito ſeptem crines capitis eius admota nouacula abſcidit, continuóque interdicti præuaricatione vires minutæ.* Vires imminuit, abactum tradidit, debilitatum abegit ipſa, cui vt complaceret Samſon, hauſit periculum, & temerauit legis præceptum, vt ibi inueniret pœnam, ob cuius obſequium non detrectauerat culpam.

27. Matth.7. v.6. Margaritas ante porcos proiicere vetat Dominus: *Nolite dare ſanctum canibus, neque mittatis margaritas veſtras ante porcos.* Subdit rationem: *Ne fortè conculcent eam pedibus ſuis, & conuerſi dirumpant vos.* Si diceret: Nolite propinare venenum, non miraret furore concepto in propinatorem inſurgere & feralem rabiem mutuatos voraci dente diſcerpere; verùm ſi margaritis, hoc eſt, pretioſiſſimis rebus cibant, ſi ad eorum ſaginam nullis ſumptibus parcunt, cur in ipſos poſt ſaginam efferentur? Ob id ipſum, inquit
Tertull. Tertullianus lib. 2. ad vxorem cap. 5. *Suſtinent quidem*, inquit, *ſed vt inculcent, vt includant huiuſmodi fœminis, quarum arcana in periculum, quod credunt, ſeruent.* Agit hîc Tertullianus de fœminis, quæ cum Ethnicis lege contemptâ celebrauere connubia, vt liberiùs voluptatis exercerent periculoſa commercia. Ergo hi ipſi, quorum beneuolentiam ſe & diuitias tradendo ſolicitarant, rabido furore perciti eas dilaniebant, & de religione apud tribunalia expoſtulatas pœnis grauiſſimis affligebant. Dedit aliquando mater filiam crinito, quo ſumptuoſiùs viueret, & ſplendidiùs luceret; ille verò vxoris tormentum fuit, vt ibi inueniret mulier ſupplicium, vbi perpetrarat reatum, & inueniret anguſtias per eum ipſum per quem carnis ſuſpirarat illecebras: ipſemet, cuius causâ lex violata ingemuit, violationis pœnas depopoſcit: & vti porcus animal alioquin non ferum cum truculentiſſimis beſtiis aliquando commutat ingenium, ſic iſte ferali ingenio punit delictum.

28. Pſal.77. v.58. Pſaltes, dum idololatrarum refert culpam, ſubiungit & pœnam: *In iram concitauerunt eum in collibus ſuis, & in ſculptilibus ſuis ad æmulationem eum prouocauerunt.* Tangit Pſaltes hiſtoriam illam fuſilis vituli, quem in cineres redactum & aqua mixtum in potum Moyſes dedit: hauſtus vitulus criminis accuſator, & teſtis fuit: prominentibus námque labiis idololatræ publicabantur, vt vltor gladius occideret, nec iniquus pœnam effugeret. Itaque ſumptuoſis conclamatus elogiis in Deum inauguratus holocauſtis, ignominiæ notis reos inſigniuit, & meritiſſimæ morti obiecit: vt qui criminis fuerat occaſio, ad pœnam eſſet vocaliſſimus etiam præco: neſcirentur fortè delinquentes, ni ipſe vitulus manifeſtaret delictum, & magnetis ad inſtar vindex attraheret ferrum: *Dicit Rabbi Salomon*, inquit Lyra ad Exodi 32.
quòd iſta aqua potata erant nociua culpabilibus Lyra.
cauſando in eis inflationem & languorem, per quem poterant ab eis diſcerni. Ecce Deus ad iuſtam vindictam ardet offenſus, ecce Moyſes pio ferro fetit armatus; non tamen adeò illis numinis nocebat ira, vt adorati vituli nocuit materia: iam potus vires eneruarat, iam languorem enutrierat, cùm Leuitarum acceſſit ferrum, vt dilucidè conſtaret omnibus dignam ibi inueniri criminis mulctam, vbi ob creaturam perpetrarant cæciſſimè offenſam: *Iſta aqua potata erant nociua culpabilibus cauſando in eis inflationem, & languorem.*

---

§. VII.

Exiguo tempore ad prauitatis apicem peruenitur, ad virtutis tardiùs acceditur.

CÆca cupiditas aquilinas alas mutuata ocyſ- 29.
ſimè inuolat: ambitio actuoſiſſima, & inoculatiſſima eſt: ad voluptuoſa citiſſimè peruenitur, quia celeri greſſu contenditur: ad virtutem lentiori paſſu tendimus, & moroſiùs peruenimus: exiguo tempore totus orbis à cupiditate peragratur, quin ſcopuloſæ ſyrtes impediant, quin cæca & confuſa maris itinera arceant: ad periculoſas voluptatis delicias inhiamus, ad caras diuitiarum fallacias excurrimus: in virtutis, & honeſtatis veſtibulo hæremus; imò vix limina tangimus: *Rerum natura ſacra ſua ſimul non tradit*, inquit
Seneca lib.7.natur.quæſt.cap.31. *initiatos nos credimus in veſtibulo eius hæremus, illa arcana non* Seneca.
promiſcuè, nec omnibus patent, reducta & in interiore ſacrario clauſa ſunt; ex quibus aliud hæc ætas, aliud, quæ poſt nos ſubibit, aſpiciet: quando ergo iſta in notitiam noſtram perducentur? Attende ſtudioſiùs, quæ adnectit: *Tardè magna proueniunt, vtique ſi labor ceſſat: id quod vnum toto agimus animo, nondum perfecimus; vt peſſimi eſſemus.* Vitiis immergimur, & cùm intimè eorum labe ſimus inf. cti, plus infici diſcupimus, quaſi ſolummodò ſimus leuiter tincti. Semper ad vlteriora vitia indefeſſo conatu tendimus, ad apicem non perueniſſe perſuaſi, & perueniendi percupidi. Satis nobis non eſt eſſe vitiorum alumnos, niſi infelix peccandi conſuetudo nos effecerit artifices, & magiſtros, & hoc non longo annorum interuallo, quia citiſſimè per decliuia deſcendimus; imò ruimus. *Facilis*, aiebat quidam, *deſcenſus auerni. Sed reuocare gradum, ſuperáſque euadere ad auras, hoc opus, hic labor eſt.* Ecce Leuitæ vxor eius conſortium faſtidiens, in paternam ſe domum contulit: *Reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus.* Hugo Cardinalis hiſtoriam allegoricè ad mores adaptans, in his quatuor menſibus putat ad eum vitiorum cumulum perueniſſe, vt vltra quò progrederetur, quodammodò non haberet: ipſum audi: *Manſit apud eum quatuor menſibus, id eſt,* Hugo.
per quatuor genera peccatorum, quæ per quatuor menſes ſignificantur: primum eſt conſenſus peccati ſecundum

Digitized by Google

ſecundùm opus, tertium conſuetudo : hi ſunt etiam quatuor dies, quibus Lazarus fuit in ſepulchro. In breui quatuor menſium ſpatio ad eam vitiorum conſuetudinem mulier peruenit, vt iam Lazari ad inſtar deſperauerit medicinam, & decreuerit pertinaciam : & ne quatuor menſes exiguum arbitreris ad vitia ſpatium, aduerte Lazarum, dum peccatoris perſonam gerit, quatuor diebus ad vitiorum culmen perueniſſe, &, ni ſtupendo miraculo vitæ fuiſſet reſtitutus, vitiorum maneret in extricabilibus vinculis compeditus,& illigatus. Ridebat Diabolus virtutis alumnum ad honeſta pedetentim accedere, & prolixis annorum tractibus nondum peruenire ; cùm adeò ſe vixerit vitiorum vernula, vt ad profundiora deueniat torrentibus, & quidem rapidiſſimis inuolutus & merſus.

30. Cùm nulla ſint in Scriptura myſteriis vacua, lubet componere celebrem virtutis amatorem cum ambitioſiſſimis vitiorum vernulis. Abrahamum iubet Deus de filio ſibi hoſtiam parare feſtinam : ille, vt ſeruum ſe oſtenderet, patrem neſciuit : omni celeritate obedire diſpoſuit ; non tamen vſque ad tertium diem ad cacumen montis Geneſ. 22. v. 4. peruenit : *Die tertio eleuatis oculis vidit locum procul.* Qua diei hora viderit, non exprimitur, qua ad montis culmen peruenerit, non ſine myſterio tacetur : *Venerunt*, inquit, *ad locum, quem oſtenderat ei Deus, in quo ædificauit altare.* Ex textu colligitur iam procedente die altare conſtruxiſſe, & aram ædificaſſe, quandoquidem illuceſcente aurora locum procul anhelis oculis ſpectarat. Profectò mira celeritas, & ſæculis ſtupenda ſenis agilitas, quam Veronenſis Zeno ſic lau- Zeno. dat ſerm. 1. de Abraham. *De filio hoſtia parabatur feſtina : denique implere ſacrificium, ne mora faciat peccatum, neceſſarius Sacramentis protinus præparatur, aſcenditur in montem.* Stupenda Abrahami promptitudo, ſi cùm aliorum virtuti famulantium conferatur ignauia ; aſt ſi cum delinquendi velocitate comparetur, fors videatur tarditas, non celeritas. Prætereo vitulum conflatilem, & fuſilem fingi : quia temporis ſtudebatur compendio : prætereo in diem ſequentem celebritatem indici, & holocauſtum primo manè ſa- Exod. 32. v. 5. crilegis aris offerri : *Ædificauit altare coram eo, & præconis voce clamauit dicens : Cras ſolemnitas Domini eſt : Surgentéſque mane obtulerunt holocauſta.* Nondum è conflatorio educto calentique vitulo altare conſtitui vides, ne careat vſque in diem craſtinum aris ; ſed delibet aliqualem cultum, dum pompatior inſtruitur ſolemnitas, & ſolemnior indicitur deteſtanda feſtiuitas : coram eo ludere, & voluptati audies propudioſè ſatis vacare : non in diem tertium dilatum eſt ſacrificium ; ſed in proximiorem indicta feſtiuitas eſt, ſicque perficere impia vota geſtierunt, vt auroram anteuerterint, Sólque iam idololatras inueniret. Sed miſſa vituli adoratione tranſi ad Regem Moab, qui, cùm dura vrgeretur obſidione murum in- 4 Reg 3. v. 27. ſcendit, & primogenitum iugulauit : *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* Expende Abrahamum filium tuliſſe, Moab regem arripuiſſe, quod maiorem innuit celeritatem : quod ſi inquiras differentiam, inuenies alterum puerum in planetarum cultum ſacrari, alterum in honorem numinis aris imponi. Accipe Lyram : *Immolauit* Lyra. *eum Deo ſuo, ſcilicet Soli, quem pro Deo colebat.* Filius errori deuouendus rapitur, ſacris offerendus aris deſeritur : celeriùs námque, & viuidiùs geritur, quidquid deſeruit errori, quàm quod applicatur virtuti.

31. Zachæus, vt videret Chriſtum Dominum, ramoſam altámque ſycomorum inſcendit ; ſed Dominus deſcendere feſtinanter iubet : *Feſtinans* Lucæ 19. v. 5. *deſcende.* Chryſologus igenioſus arcanorum indagator plura ad noſtram eruditionem in arbore, & in deſcenſu adinuenit : deliquerant primi parentes circa ficum : ergo vnde Adamus rapuerat pomum inde Zachæus præſtare nitebatur obſequium ; magna tamen inter crimen & officium erat differentia : nam ad delictum opus non fuerit ſcandere ; ſed ſolùm manum extendere : ad officium Zachæus inſcendit, ad delictum Adamus ruit : quia virtus lentè perficitur ; ſed crimen celerrimè perpetratur : ergo Dominus ad virtutem feſtinanter deſcendentem videre diſcupit, vt ſe erga virtutem geſſerit Zachæus, vt erga præuaricationem Adamus : *Si benè aſcenderat* (verba ſunt Chryſologi ſerm. 54.) *quare ei dicitur, Deſcende?* Chryſol. Addit : *Si ſapis, feſtinans deſcende : deſcende ante Dominum de Adamatica arbore.* Ad quid deſcendat, iam exponit : *Vt expeditus intres paupertatis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pietatis vſum, patientiæ diſciplinam.* Quaſi dicat : Virtutem ſectaris ; ſed per ardua proreptans ipſius arboris ramis præpeditus, & difficultatibus quodammodò retardatus : ergo cùm Adamus celeriùs pomum decerpſerit, ne moras traxeris aſcendendo ; ſed deſcende feſtinanter, vt ſemel virtuti liceat ſpectare ad propria pauperi dilargienda feſtinum, ſi indoluit ſpectaſſe ad rapinam feſtinantem Adamum. O quàm arduum eſt hominibus ad virtutem properare, cùm ſit facillimum ad vitia manibus, & pedibus ire.

32. Noſtræ theſis veritatem mirè ſacer textus confirmat, parentum præuaricationem referens : Eua ſerpentinum ſibilum per aures ſuſcipiens, & per oculos fallaciam pulchritudinis hauriens peſtiferum tulit fructum, Adamóque propinauit etiam venenum : anteà auditur caſus, quàm ad arborem accedentis audiatur greſſus : vitium námque eſt ſemper ad manum : *Vidit igitur mulier, quod* Geneſ. 3. v. 6. *bonum eſſet lignum ad veſcendum, & pulchrum oculis, aſpectúque delectabile ; & tulit de fructu illius & comedit, dedítque viro ſuo, qui comedit.* Poſteà Dei voce perculſi ad confuſas latebras confugerunt : *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi* : opúſque fuit, vt vocanti adſtarent, è latebris prodire, & non modicum interuallum peragrare. Ecce Adam, Euáque lento ac trepido greſſu, vt qui aſpectum verebantur, accedunt : *Vocem tuam audiui in paradiſo, & timui* : cùm vt fugerent timore alas miniſtrante inuolarint : verſus Dominum greſſum repigrat, vt qui metuit, à Domino recedit propero curſu, vt qui fugit. Arbori Eua, vt delinqueret, inueniebatur vicina, vt vocanti Domino obediret, ſatis remota. Ab exordio primi parentes ſuis actionibus oſtenderunt quàm breuiter perueniatur ad vitium, & quàm lentè procuretur remedium. *Illi terrore perculſi,* inquit Seleucienſis Baſilius orat. 3. *ſe ipſos tranſgreſſionis accuſatores ac teſtes exhibentes exilio ſuo* Seleucienſ. *ſuffragantur.* Exilio ſuo ſuffragantur celerem fugam arripientes, & à Domino diſtantes : cùm verò pœnitere oportuit, opus fuit, vt accederent, humaniſſimè interpellari, & repetitis vocibus adurgeri : *Oſtende medico*, adnectit Dei nomine

Seleucienſis

Digitized by Google

Seleucienſis, *tranſgreſſionis vlcus, oſtende plagam nuditatis: medicamenta habeo vulnere potiora, habeo ſubſidium, qui ſerpentis morſum curem.* Serpenti inueniuntur ad fallaciam proximi, ad medicinam à medico ſatis diſiuncti: vt Deo præſententur, non modicum tempus inſumitur: quia iter lentiſſimis paſſibus peragratur: ad ſerpenti accedendum greſſu opus fuiſſe non legitur, ad recedendum à Domino ſatis velox fuga indicatur.

---

§. VIII.

Leuis voluptas duriſſimas affert pœnas, & & inextricabiles parit non ſemel anguſtias.

33. CAro noſtra de ſe imbecilla, & ad lapſum prona à nouis adinuentionibus irritatur: *Inuenit*, aiebat Seneca lib. 7. natural. quæſt. cap. 31. Seneca. *luxuria aliquid noui, in quod inſaniat: inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi, inuenit deliciarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius molliuſque, quo pereat: nondum ſatis robur omne proiecimus: adhuc quidquid eſt boni moris, extinguimus lenitate & politura corporum.* O quàm prudenter diſſolutioni tabem coniunxit: nam vt tabes vires eneruat, ægritudinem affert, & dolorem fouet; ita diſſolutio, & voluptatis cæcitas ad fallacias in detrimentum honoris prona ſibi architectatur anguſtias, & creat imprudentiſſimè pœnas. Verùm etſi hoc omni crimini ſit proprium, ſpeciali titulo eſt adulterio applicandum: nunquam maritata torum violauit, ſine graui conſcientiæ morſu, ſine publicitatis metu: non poteſt res hæc ſine aliquo ſtrepitu fieri: ſeruus nouit, familiaris coniecit, ſuſpicax præſumpſit: ergo impudica cogitur non ſemel nouo errore errori mederi, vtque mariti vitarit ſupercilium, proiecti honoris ſubire naufragium. En Leuitæ vxor cùm fidem impudenter violaſſet verita mariti notitiam eum deſeruit, & ad paternam domum celeri greſſu inuolans illatam marito publicauit iniuriam, & ſuam teſtationem fecit infamiam: *Reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* In causâ fuiſſe adulterium, tradit textus Hebræus: *Fornicata eſt apud eum concubina.* Ad quæ Lyra: *In Hebræo* Lyra. *videtur tangi cauſa receſſus, vtpote quia propter fornicationem vir eius eiecit eam, vel quia ipſa ignorante viro receſſit ab eo cum adultero, & poſteà non fuit auſa reuerti ad maritum ſuum, & ideò iuit ad domum patris ſui.* Ob exiguum oblectamentum in magnas hæc mulier ſe coniecit anguſtias, maritum verita expoſuit famam, ne amitteret vitam: exilium paſſa eſt, familiâ domóque interdicta, & ab omnibus luxit deſpecta: & hoc totum, vt pœnitendis frueretur deliciis, & cariſſimis voluptatis fallaciis.

34. Iob 15. v. 21. Iob annexos propudioſis deliciis dolores ac ſolicitudines oſtendens ſic habet: *Sonitus terroris ſemper in auribus illius, & cùm pax ſit, ille ſemper inſidias ſuſpicatur.* Quæ tori violauit fidem, ſemper terroribus exagitata torquetur, & licèt fraus mariti notitiam effugerit, nequit non percelli ipſa conſcientia, & imminere ſibi ſuſpicari digna ſupplicia: fucata deliciarum facies riſu ad ſpeciem grato hominem, fœminámque à virtutis tramite auertit, ſed aliquantulum iam diſtantem cæcis itineribus, implicatiſque circuitionibus, ac inextricabilibus erroribus obuolutum circumagit, & angoribus etiam replet. Nihil non ſæuum præſumit fœdifraga, & quia ſe iniuriam marito intuliſſe non ignorat, ſtrictum ſibi iam imminere gladium perculſa pauore exiſtimat: *Nihil ſimplici corde felicius*, inquit Gregorius lib. 12. moral. cap. 21. *quia quo innocentiam erga alios exhibet,* Gregor. *nihil eſt quod pati ab aliis formidet: habet enim quaſi arcem quamdam fortitudinis ſimplicitatem ſuam, nec ſuſpectus eſt pati, quod ſe feciſſe non meminit: vnde benè per Salomonem dicitur: In timore Domini fiducia fortitudinis.* Adiicit ſtatim: *At contra mens praua ſemper eſt in laboribus: quia aut molitur mala, quæ inferat, aut metuit, ne hæc ſibi ab aliis inferantur, & quidquid contrà proximos excogitat, hoc contra ſe excogitari à proximis formidat.* Adultera ſemper angitur pauida, ſemper moleſtis ſuſpicionibus repercuſſa: quas illi exhibet maritus blanditias, doloſas veretur technas, & captioſas ſemper inſidias: vnde fit vt aſperum vultum trepidet, & ſibi blandientem etiam formidet: quaſi in altero delicti ſui agnouerit teſtimonium, & in altero obtectum vitæ periculum. O quantis anxietatibus, ô quàm inquietis timoribus fugax compenſatur voluptas! quandoquidem etſi contigerit criminis fruſtraſſe notitiam, nunquam contigit timidam ſopiuiſſe conſcientiam.

Oſeas maritatam amatores ſequentem depin- 35.
gens cruentos inueniſſe tribulos docet: *Vadam* Oſee 2.
poſt amatores meos. Propter hoc ecce ego ſepiam v. 5.
viam tuam ſpinis, & ſepiam eam maceria, & ſemitas ſuas non inueniet. Cogita mulierculam hanc ſponſum derelinquentem non vni; ſed amaſiis plurimis adhæſiſſe: nec enim didicit voluptas gradum ſiſtere, ſed præceps ex vno in alios errores cadit: ergo in medio poſita nec ad ſponſum reuerti quibat timore iniuriæ perculſa, nec amantium deliciis frui ſanguinolentis tribulis lacerata: exiſtimo ſe interrogaſſe ſtupore attonitam: *Quomodo huc veni?* Cæcis ſe vinculis non poterat expedire, nec gordianos nodos explicare. Multo auro emeret ſecuritatem antiquam, illibatam fidem, blandientem ſibi mariti amorem; verùm iam nec honori ſuo conſulere, nec periculis ſe quibat ſubtrahere. Audi quæ ſequuntur: *Et nunc reuelabo ſtultitiam eius in oculis amatorum eius, & vir non eruet eam de manu mea: & ceſſare faciam omne gaudium eius.* Fulgebat anteà honoris luce, ſcintillantibus emicabat lapillis, pretioſis veſtiebatur ornamentis, copioſa vtebatur familia, differta menſa; ſed tot licitas ſpreuit delicias, vt noxias ac deſpicabiles ſequeretur cupedias: *Cùm idolis fornicata eſt*, inquit ad hunc locum Hieronymus, *à quibus bellorum tempore,* Hieron. *& prementibus malis fruſtra ſperauit auxilium.* Dum amaſij ſibi cauent, & honori maritus conſulit, adultera ob hoc ad necem quæritur, & ab illis ſæpè diſcrimini obiecta relinquitur. Iam ſordeſcit maceria clauſa, iam nulla ad tricis ſe explicandum inuenitur via, & ob breuiſſimum malæ mentis gaudium diuturnum cogitur ſuſtinere tormentum: *Prementibus malis fruſtra ſperauit auxilium.* Omnia deficiunt auxilia, cùm duriſſima premunt mala. Si nonnullæ fœminæ expenderent, quantis difficultatibus, periculis, & ſpinis quantis indecoræ voluptatis ſepiatur via; ſine dubio deliciis adeò caris renuntiaſſent, & pudicitiæ venerabili conſuluiſſent, at dum cæco libidinis

feruntur

feruntur æſtu, dum exoculatè cupiditati blandiuntur, vitæ honoríſque magni habenda amiſerunt commoda, & ſibi maturauere pericula.

36. Ezechiel ſponſi nomine ſic Ooliba, & Oollam nefarias, adulteráſque condemnat: *Adduc ad eas multitudinem, & trade eas in tumultum, & in rapinam, & lapidentur lapidibus populorum, & confodiantur gladiis eorum, filios, & filias earum interficient, & domos earum igne ſuccendent.* Diuitiis exundabant ſplendido ornatu floridæ, & famulitio nobili cinctæ; verùm dum formæ pulchritudine, fucorúmque lenociniis, & vnguentariorum lecythorum fallaciis ſe ipſas incitantes, & venaticos procacium oculos allicientes adulteriis propudioſiſſimè vacant, ab omnibus deſpectæ vltrici obiiciuntur gladio, & poſt gladium ardentiſſimo cineraſcunt incendio. O infelicem amentiam! O propudioſam inſaniam! Vt liberiori carnis vſu fruerentur, ſe inextricabilibus difficultatibus mancipaturt, & quæ poſſent, ſi pudicitiam colerent, caſtitatis honore micare, & copioſa pompâ frui, vrgentiſſimos ſibi procrearunt dolores, & cæciſſimas intexuerunt difficultates. Videas aliquando fœminam à marito dilectam ampla domo, & ſplendenti familia vſam, auro gemmíſque exornatam œſtro libidinis agitari, & iacturam omnium temerario auſu ſubire: vnde contigit, vt à marito deſpecta, & ab amaſiis etiam derelicta paupertate ſordeſcat oppreſſa, & ingemat periculis cincta: *Trade eas in tumultum, & in rapinam*, inquir Interlinearis, *primum ſcilicet diripiatur vniuerſa ſubſtantia, & deinde lapidentur.* Pro ſcintillantibus margaritis ab Sponſo acceptis duriſſimis feriuntur ſaxis, aut, ſi feliciùs contingat, pro ampla domo vtuntur ſordido tuguriolo, & pro ſplendido ornatu, famulitióque extrema vrgentur inopiâ, & notâ omnibus innubilantur infamia. Nec tamen plures alieno ſupplicio meliora ſapiunt; imò eâ exagitantur luxuriæ inſaniâ, vt cùm digna adulterij ſupplicia audiant, ſimilem pœnam ſubire non timeant, aut deluſæ ſibi contingere poſſe non credant.

Ezech. 23. v. 46.

Interlin.

§. IX.

Nil fœmina adeò curandum, vt iniquæ ſuſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam.

37. SAtis non eſt fœminæ pudicitiam ſtudioſè excolere, ſi contingat iniquis ſuſpicionibus denigrari: quidquid ad ſplendorem pudicitiæ pertinet, prudentiæ tolerantiæque nummis emendum eſt, ne dum impatientia imprudenter excutit iugum, audaci ſuſpicione patiatur dehoneſtamentum: *Difficile tibi dico*, aiebat Anaxander apud Stobæum cap. 74. *& arduum, ô filia, iter eſt ad patrem abire, domum à marito cuivis honeſtæ mulieri: reciproca enim iſta via infamis eſt.* Delicatiſſimus pudicitiæ flos ſuſpicionis oculo faſcinatur, & eius decor audacis linguæ flatu deperditur: ſatis non eſt ad plenam eius venuſtatem, ſi iniquis ſuſpicionibus detur occaſio, non denigrari delicto in aliis rebus iniqua ſuſpicio non læditi in hac vel iniqua aliquomodo nocet. Veſtalis vi go nomine Claudia in ſuſpicionem ſtupri venerat, cúmque ſimulacrum matris Idææ in vado Tyberis hæreret, illa conſcientiæ teſtimonio fidens ad comprobandam pudicitiam nauim, quam multa millia hominum inutili conatu trahere conati fuerant, cingulo traxit, & illibatam pudicitiam prodigio oſtendit. Et nihilominus quidam non indoctus teſtatus eſt ſatiùs illi fuiſſe ſuſpicionem vitaſſe, quàm pudicitiæ teſtimonium habuiſſe. Audi Hieronymum lib. 1. in Iouinianum. *Meliùs, inquit Lucani poëtæ patruus, cùm illa eſſet actum, ſi hoc, quod euenit, ornamentum potius explorata fuiſſet pudicitia, quàm dubia patrocinium.* Ob id maritatæ; imò & nubiles vitare debuiſſent, ne impatientia ſua maledicis occaſionem exhibeant: nonnullæ námque actiones liberam interpretandi facultatem relinquunt, & in peius homines frequenter interpretantur. Leuitæ vxor domeſticis, vt Ioſepho placet, diſſidiis offenſa maritum dereliquit, & in paternam ſe domum contulit: *Reliquit eum, & reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem.* Argumentum eſt ex leuibus cauſis ortum fuiſſe diſſidium virum, qui aliter honori conſuluiſſet, ad ſoceri domum contendiſſe, vt illam blanditiis reduceret, & placaret: *Secutúſque eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere*: Eo verbo *reconciliari ei*, aliquam virum occaſionem fœminæ innuitur præſtitiſſe: *Cùm vehementer*, inquit Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. *ob formam amaret, parum reſpondere in amore agrè ferebat: hinc orto diſſidio mulier continuas expoſtulationes non ferens relicto marito menſe quarto ad parentes reuertitur.* Itaque hæc abſentiæ, ſi Ioſepho credas, fuit cauſa; at ſi interpretes alios conſulas, inuenies mulierem vti adulteram ſugillari, & ad vitandum vitæ periculum arripuiſſe fugam pro certo haberi. Audi Caietanum: *Deficit ante hanc clauſulam vna clauſula, videlicet: Et fornicata eſt ſuper eum concubina eius: hæc eſt cauſa quare receſſit à marito.* Ambroſius 3. officior. cap. 14. arbitratur ipſam marito offenſam non irrogaſſe; imò acceptâ à marito offenſa ad parentes ſe contuliſſe: *Quibuſdam offenſa rebus ad patrem ſe contulit.* Verum dum quiſque de abſentiâ ſententiam fert, fama minuitur, & pudicitiæ honor denigratur. Profectò ſi prudens mulier patientiâ excuſaſſet fugam, ob fugam ſuſpicionis vitaſſet etiam infamiam; verùm dum fuga expreſsè refertur, & cauſa ſilentio traditur, libera ſuſpicandi occaſio, vt apparet, exhibetur. Ergo fœminæ opinionem ſuam patientia redimant, ne dum refugiunt leuem ſuſtinere moleſtiam ſibi imprudenter creauerint audacis temeritatis iniuriam.

Anaxander. Hieron. Ioſeph. Caiet. Ambroſ.

Defenderat Moyſes puellas Iethro filias, quas labore fraudare tentarat paſtorum ruſtica ignauia, & impudens inſolentia: *Erant Sacerdoti Madian ſeptem filiæ, quæ venerunt ad hauriendam aquam, & impletis canalibus adaquare cupiebant greges patris ſui: ſuperuenere paſtores, & eiecerunt eas: ſurrexitque Moyſes, & defenſis puellis adaquauit oues earum.* Statim ac textus oues adaquatas retulit, ad parentem puellas reuerſas tradit: *Quæ cùm reuertiſſent ad Raguel patrem ſuum, dixit ad eas: Cur velociùs veniſtis ſolito?* 38.

Exod. 2. v. 16.

ſolito? Moyſes ab iniuria eas defendit virgines, nec ſine periculo, quandoquidem in plures ſolus inſurgit, oues ingenti ſolicitudine adaquat, & tamen nec verbum gratitudinis redditur, nec acceptum beneficium patri à filiabus, quovſque eas vrget interrogatione, narratur. Ad hæc: ſi aliis diebus tardiùs reuertebantur ad patrem, cur modò gradum accelerarint, & benefactorem, ſi fas eſt dicere, fugerint? O profundam nobis eruditionem! Puellæ non ingratæ; ſed pudicæ à verbis abſtinuerunt, & ſtatim inuolarunt, ne alij paſtores colorem haberent eas calumniandi, & audacibus ſuſpicionibus arrodendi. Citato gradu ſe receperunt in domum, ne abſoluto perfectóque munere ſe in agro cum homine, à quo acceperant beneficium manerent, aliqualem ſuſpicionem ingenerarent, aut clauſuræ ſe faſtidioſas aliquomodò oſtenderent. Ergo quò noſcamus virginum pudicitiam, textus refert ad domum ſtatim ac muneri ſatisfactum, inuolaſſe, non tamen refert vel verbum vnicum protuliſſe: eſt enim pudicitia elinguis, & virginitas non ſolùm blæſa; ſed muta. Quid agerent puellæ extra domum, cùm iam expleto officio nihil extra domum agerent? Redeundi celeritas, & laudabilis taciturnitas ſic Moyſi illarum commendauit modeſtiam, vt quamdam ex eis acceperit in vxorem: nec veritus eſt latere fallaciam expertus ſingularem adeò modeſtiam. *Diſcamus*, aiebat Baſilius Seleucienſis orat. 1. *Scripturam, dum tacet, audire, & dum loquitur, erudiri.* O quanta pro pudicitia audiuntur ab hoc ſilentio! O quanta virgines edocet ille celerior reditus, & ad paternam domum volatus! Non ignorabant puellæ poſſe ingratitudinis ſubire notam, ſi benefactori gratias non redderent, nec ad paternam domum remunerandum adduxerint; ſed nec ignorabant poſſe paſtores earum pudicitiam iniquis linguis ſi texuiſſent verba, infamare. Ergo maluerunt videri ingratæ: eſt enim in virgine taciturnitas pudicitiæ elogium, non ingratæ vrbanitatis indicium. O vtinam plures vel poſt acceptum beneficium honorabili ſilentio labia ſugillarent, nec longum ſermonem texerent; aſt dum nimis vrbanæ, diſertæque volunt nonnullæ videri, anſam præbent ſuſpicandi.

Baſil.

39. Prodigioſum eſt quantum in hac parte cæca temeritas audeat, & audacia exoculata præſumat: ad impoſſibilia malitia extenditur, & nullo vel leuiſſimo fundamento inſanam fabricam conſtruit, & honorem ſæpiſſimè deſtruit. Eua ab Adami latere tantiſper diſceſſit in paradiſo obambulans, & quid extra paradiſum iaceret, proſpectans: ſerpens, qui, vt Ruperto placet lib. 3. in Geneſ. cap. 2. dulcedini terræ adhærebat, acceſſit, & colloquia cum Eua miſcuit, & fefellit: *Dixit ſerpens ad mulierem: Nequaquam morte moriemini.* Cui in mentem veniat caſtitatem à ſerpente paſſam iniuriam, quando & ipſa natura aduerſatur, & paradiſi clauſtris ſerpens arcetur? & tamen ſic audet delirans inſania, ſic malitiæ ac temeritatis contra honorem præſumit cæca impudentia, vt non defuerint qui Euæ pudicitiam violatam à ſerpente dictitauerint: *In Thalmud Iudæorum habetur*, inquit Abulenſis quæſt. 1. *quod ſerpens ille cum Eua coiuit; ſed hoc turpiſſimum dictum eſt, & natura non patitur.* Magnum hoc eſſe Hebræorum delirium, nullus dubitat: prodeſt tamen vel delirium ipſum, vt diſcant fœminæ, quantâ ſe debeant præmunire cautela, quandoquidem quia Eua tantiſper à mariti oculis ſe ſubtraxit, & ſermonem cum ſerpente texuit, non defuerunt, qui dubitarint imprudenter, & infamarint audacter.

Geneſ. 3. v. 4.

Abulenſ.

Satis fuit munus fœminæ mitti, vt vel ruſticani appellarint meretricem: referamus hiſtoriam: Thamar non voluptatis ſtudio; ſed prolis deſiderio ſe expinxit, & lætiori habitu ornauit: in itineris biuio ſedens ſuſpicionem Iudæ fecit, & meretricem exiſtimauit: *Suſpicatus eſt eſſe meretricem*: cumque poſteà per manum ſerui munus mitteret, abſente iam fœmina ciuitatis incolas rogauit, an ſcirent, vbi eſſet fœmina, quæ paulò ante ſedebat in biuio: illi verò ſe ibi meretricem non vidiſſe reſpondent: *Interrogauit homines loci illius: vbi eſt mulier, quæ ſedebat in biuio? Reſpondentibus cunctis. Non fuit in loco iſto meretrix; reuerſus eſt ad Iudam.* Multa expendenda veniunt: primum ſerui fidelitas, qui cum poſſet rem celare, & munuſculum ſibi arripere, quandoquidem mulieri incertæ, nec domino notæ miſſum, legationem ritè obiit, nec mentitus eſt tradidiſſe, quod profectò in ſeruo, vt dicebam, mirum: ſecundum quod notandum venit eſt cur interrogati de muliere ſedente in biuio, meretricem ſe non vidiſſe reſponderunt: vnde in illorum mentem venit meretricem quæri à ſeruulo munus afferente, & interroganti? Certè ipſum munus occaſio fuit, quaſi idem fuerit donum ſcire miſſum, & in ſuſpicionis incidiſſe dehoneſtamentum. Interrogabat munus afferens: Vidiſtiſne mulierem hîc ſedentem? Et illi reſponderunt: Non vidimus meretricem: donum ſuſpicionem ingenerauit, & ob aliam cauſam mitti vel ruſticanus non credidit. Profectò ea eſt in peius res interpretandi conſuetudo, vt idem ſit donum mitti, & ſuſpicionem ingenerari. Adeſt Abulenſis hîc: *Nullus eorum viderat eam.* Mulierem non viderant; munus tamen mitti videbant: ergo meretricem ſuſpicantur quæri, & muneribus allectari. 40.

Geneſ. 38. v. 15. & 21.

Abulenſ.

§. X.

Princeps ſuperiorque curet ab omnibus diligi, & ad muneris ſolùm vtilitatem beneuolentiam lucrari.

SÆpè ſuperioris comitas & facilitas ſuaſit, quod rigida feueritas non obtinuit: facilè colitur, qui impensè amatur. *Tunc obſequitur*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 7. *quando pro nobis vota funduntur.* Cauſam reddens, cur in moneta imago Principis videatur inſculpta, adnectit: *O magna inuenta prudentum! ô laudabilia inſtituta maiorum! vt & imago principum ſubiectos videretur paſcere per commercium, quorum conſilia inuigilare non deſinunt pro ſalute cunctorum.* Monetæ quodammodò inſeritur princeps, vt cunctorum amor, dum fertur erga monetam, erga principis feratur etiam perſonam: & totum hoc, quo faciliùs poſſit lites componere, 41.

Caſſiod.

Digitized by Google

componere, & moribus concinnandis non ſine cunctorum lucro ſtudere. O quàm videntur ardua præcepta, ſi iubentis non diligatur perſona. O quàm extenuantur aſpera, ſi erga præcipientem emolliat beneuolentia. Studeat amare qui ſubiectos cupit corrigere. Fugerat puella, & ſe in paternam domum receperat derelicto marito: ille errantem ouem reducere cupiens, eius priùs gratiam ſibi ſolicitauit blanditiis, & iam, vt reduceretur, opus non fuit rigidis minis, nec ſeueris præceptis: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri & ſecum reducere.* Facilè aſſecutus eſt, quæ tentauit, quia priùs affectum ſibi deuinxit. Samſon flammis omnia adurens, & ciuitates euertens non obtinuit, vt Sponſa meliora ſaperet: quia difficiliùs corrigit ſubiectum terror, quàm amor. *Difficile eſt*, aiebat Gregorius 2. paſtoral. cap.8. *vt quamlibet recta*
Gregor. *denuntians prædicator, qui non diligitur, libenter audiatur: debet ergo qui præeſt, & ſtudere ſe diligi, quatenus poſſit audiri.* Amor ad virtutis commercium quærendus eſt, ſubiectorum animos ſibi ſuperior acquirat, quò faciliùs eos ad virtutem quiuerit expolire, & præceptis informare.

42. Christus Dominus princeps paſtorum, norma principum, Superiorum idea, ne Petrus recuſet tot oues paſcere, ſolicitas ad arcendos lupos ſubire vigilias, anxias ad per montium ardua errantes reducendum moleſtias, erga ſe ſemel & iterum ſolicitauit amorem, inflammauítque charitatem. Iam conuiuium exhibuerat, iam reti copioſo ditarat, cùm Petri affectionem pulſat: *Cùm ergo prandiſſent, dicit* (Ioan. 21. v. 15.) *Simoni Petro Ieſus: Simon Ioannis diligis me plus his? Dicit ei: Etiam Domine: tu ſcis quia amo te. Dicit ei: Paſce agnos meos.* Interrogationem iterat, vt Petrus in dilectione iterum inardeſcat: & tunc iubet: *Paſce agnos meos.* Tertiò amorem conuenit, vt laborioſius opus iniungeret. *Paſce oues meas.* Dum paſcit agnos, dum oues curat, dum fœtibus opus eſt prouidere, & ſtudioſiùs matres curare, non poteſt moleſtias ingentiſſimas non ſubire: ergo impensè diligat, vt amor laborem emolliat. O quàm excellens nobis hîc demonſtratur politice! quàm regiminis lucet ars! Beneficiis dilargitis amorem inſeruit pectori, & amantem laborioſo iuſſit inſeruire muneri: nec inuenies Petrum vt olim Moyſem reſtitiſſe: quia amor & laborem omnem leuabat, & parere expromptè ſuadebat. Largitas eſt amoris nutrix, beneficentia dilectionis officina, amor obedientiæ efficacia: ergo quem vberi piſcium captura nobilitarat, quem vocarat ad prandium, laborioſum ſubire iuſſit officium, & Petrus, dum tenerè diligit, excuſationem non affert. Ergo ſi Chriſtus, qui propter ſemetipſum debet amari, beneuolentiam ſibi beneficiis ſolicitat, diſcant præſules amorem ſibi conciliare, vt poſſint laborioſa præcipere. Ecce Dominus Petri amorem ſibi ſolicitat; ſed vt ad puſillorum conuerterit commodum, agnorúmque leuamentum: imitentur ergo Dominum Superiores, & amari diſcant, quò faciliùs ſubiectus iniuncti muneris ſubierit laborem, & vigilantiorem habuerit ſolicitudinem. *Diſcipulos dicit agnos ſuos*, exponit Euthymius
Euthym. ad hunc locum, *tamquam paſtor eorum, quos*

etiam oues rurſum vocat: quærit ergo dilectionis erga ſe demonſtrationem, puta curam eorum. Vt mandata non detrectarit, præcipientem dilexerit: affectio námque non ſolùm difficultates emolliet; ſed vires adminiſtrabit. Ergo voluit amari, quò faciliùs quiuerit obediri.

Paulus ad Corinthios ſcribens contraria videtur innectere: *Ego per omnia omnibus placeo* 43. 1. Cor 10. v. 33.
non quærens quod mihi vtile eſt; ſed quod multis, vt ſalui fiant. Audi iterum ipſum: *Si adhuc hominibus placerem, Chriſti ſeruus non eſſem.* (Ad Galat. 1. v. 10.) Mira res: ſi omnibus diſcupit placere, ait enim: *Per omnia placeo omnibus*: quomodò placere refugit, & ſibi apertiſſimè contradicit? Iam Paulus ipſe ſui interpres nodum diſſoluit: Si amorem, inquit, hominum mihi elucrarer, eiſque in meam vtilitatem placere diſcuperem, Chriſti ſeruus non eſſem; ſed eius gloriæ fur, quandoquidem beneuolentiam non in virtutis commodum; ſed in meum temporale verterem lucrum; aſt dum omnibus cupio placere, vt ſalui fiant, Deique præcepta gratis excipiant auribus, virtutis, ac muneris mei ago cauſam, non euanidam de acclamationibus quæro gloriam. Ergo amari cupio; ſed beneuolentiam in ipſorum amantium vtilitatem verto. Mirè Gregorius iam datus. *Placet ergo Paulus, & non placet: quia in eo quod placere appetit, non* Gregor.
ſe; ſed per ſe hominibus placere veritatem quærit. Diligi ſolicitabat; ſed vt tradenda à ſe veritas gratis ſuſciperetur auribus, ac beneuolis cordibus: aliter námque placere hominibus in veritatis verteretur periculum, & placentis detrimentum. O ſi hanc philoſophiam diſcerent Præſules & rectores! Si affectus ſubiectorum ad virtutum ſolùm augmentum ſolicitarent, nec Abſalonis ad inſtar corda ſibi quærerent, vt immaturis dignitatibus fulſerint, & inſaniam appetitionum expleuerint. Iam quantum oporteat Præſulem, Superiorémque odio à ſubditis non haberi teſtatur Ieremias cap.44.

Promiſerant Hebræi præceptis Domini pa- 44.
rituros; verùm obliti promiſſionis reginæ cœli libabant. Ieremias religioſo aduſtus zelo niſus eſt errones ad tramitem veritatis reducere, & inſanientes frænare; aſt dum erga illum exæſtuant odio, ſalubri reſiſtunt etiam conſilio, & occludunt aures Domini verbo: *Sermonem* (Ierem. 44. v. 16.) *quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te.* Dum addunt *ex te*, innuunt non diſplicere doctrinam; ſed perſonam; & quia malè affecti ſint erga perſonam, non ſuſcepturos doctrinam malè erga Ieremiam affecti gratulabantur ſibi de reſiſtendi occaſione, & aduerſandi opportunitate. Ita Hugo Cardinalis: *Sermonem, quem locutus es, non* Hugo.
audiemus ex te; quaſi ab alio audiremus, & hoc quia oderant eum. Irrationabili odio in prophetam ſanctiſſimum debacchabantur; ſed dum à ſibi ingrato ſalubria præcepta non audiunt, quàm ſit Præſulibus amari neceſſarium oſtendunt. Si ea ipſa præcepta ab alio traderentur, fors auſcultarent, & obedirent; dum verò Ieremias, quem licèt ſine cauſa oderunt, eos cupit inſtruere, contigit exaſperare: *Non audiremus ex te; quaſi ab alio audiremus, & hoc quia oderant eum.*

Digitized by Google

45. Hebræorum populus adhuc poſt retrò inuiſa miracula noxias Ægypti delicias anhelo deſiderio ſuſpirat. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis.* Contrà tot duriſſima flagra ab Ægyptis inflicta depugnabant ſtultiſſima deſideria: valentiùs eos retrahebat fallax carnium voluptas, quàm ad proſequendum iter impelleret ſolida promiſſæ telluris vbertas. Ergo afflictum Moyſem ſolatur Dominus, vtque faciliùs in promiſſam terram populares quiuerit turbas inducere, monet ſe ad modum nutricis gerere: *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum, & defer in terram, &c.* Nutrix, dum nectareum lac propinat infantulo, ſic eius ſauciat amorem, vt vel ipſam refugiat matrem, vt ſtudioſiùs hæreat nutrici. Ergo Moyſes, quo munus impleat, & populos in promiſſam terram deducat, impensè curet amari: nam ſi populi fuerit venatus affectum, gratis auribus eius auſcultabit mandatum, & ſequetur ductum: prodeſt enim quamplurimum præceptorem à ſubiectis diligi ad facilem audientiam præſtandam, & ad diſciplinam altis præcordiis condendam. *Prælati*, inquit Abulenſis quæſt. 22. *ad infirmos, & adhuc teneros in manſueta, & materna tractatione & ſupportatione ſe habere debent, ne deficiant, vel ſcandalizentur: & teneré eos diligere: ſic enim Paulus eos, quibus prædicabat, filios vocat dicens: Filioli mei, quos ego ſemper parturio, donec formetur in vobis Chriſtus.* Ecce Paulus cupit vt patet diligi; ſed quò faciliùs Chriſtus in viſceribus diligentium quiuerit efformari. Ecce Moyſes gerulæ ac nutricis gerit officium, vt populus ad terminum inuolarit optatum: prodeſt námque Superiorem à ſubiectis diligi, quo non detrectauerint eius præceptionibus obſequi.

Numer. 11. v. 4.

Abulenſ.

§. XI.

Matrimonium patientiæ non ſemel præbet materiam: & ideò magnam exigit tolerantiam.

46. PAtientia teſte Paulo, omnibus hominibus neceſſaria eſt: plura ſunt, quæ moleſtias afferant, quæ dolorem inferant, quæ rationem exaſperent, quæ ni patientia leniantur, totum hominem in profundum trahant: *Patientia vobis neceſſaria eſt, vt voluntatem Dei facientes reportetis promiſſionem.* Aliæ virtutes neceſſariæ adeò non ſunt, vt promiſſio reportetur: nam licèt virginitas iam cæleſtis vitæ ſit arrha, neceſſaria non eſt, quia matrimonio aſſociatus poteſt promiſſa conſequi, & hæreditatem adire: pœnitentia corporiſque maceratio congruit quamplurimum ad repellendos carnis frequentes adſultus, & Diaboli captioſos dolos; ſed qui infirmis viribus nequit exercere rigidam pœnitentiam, valet adipiſci gloriam: miſericordia in pauperes expeditum eſt ad cœlum iter. Sed Petrus, licèt auro diuitiiſque caruerit, perfectionis cacumen tenuit; at patientia panis ad inſtar omnibus eſt neceſſaria: quia cùm plures virtuti inſidientur difficultates, & iram exaſperent occaſiones, ni patientiæ clypeo protegamur, ruemus, *Id eſt*, exponit Anſelmus ad hunc locum, *neceſſe eſt, vt nunc patienter aduerſa toleretis pro Deo, ſi cum eo poſtmodùm regnare vultis.* Verùm etſi patientia pro omni ſtatu neceſſaria ſit, coniugaris, vt promiſſionem aſſequantur, præcipuè, quandoquidem ſub eodem vinculo diuerſum reluctari ſolet ingenium: alter coniux recalcitrat à recto rationis tramite deflectens, & conſorti copioſam meſſem patiendi afferens: iam ſententiarum diuerſitas, iam continua adurget infirmitas, iam varij filiorum caſus, iam tenuis premit ad alendam familiam cenſus. Ergo ampliori patientia neceſſum eſt coniuges obarmari, & aduersùs inſultus frequentiſſimos communiri. Probat hanc veritatem Leuites, qui ab vxore relictus, vt eam reduxerit (ad paternam námque domum ſe contulerat) puerum, & duos aſinos ſecum tulit: *Secutus eſt eam vir ſuus, volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum, & duos aſinos.* Hugo Cardinalis in gemino iumento ingeminatam deſignari patientiam tradit: *Duplex patientia neceſſaria eſt volenti carnem ſuam reducere & ad ſe ipſum: vna in perferendo moleſtias laborum: alia in ſuſtinendo defectus neceſſariorum.* Abrahamo ſatis fuit vnicus aſinus, vt ad montem filium dicaturus aris properarit: ait námque facer textus: *De nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Leuitæ duplici iumento opus, vt vxoris impatientiam tolerarit, & blanditiis delinitam reduxerit. Cenſeres Abrahamum maiori patientiâ indigere ad holocauſtum, quàm Leuites indigeat ad matrimonium, quandoquidem ille ſenex properate iubetur in montem, vnicum ac dilectum ſibi filium tot ſæculis ſperatum, & futuræ prolis ſubſidium rogo traditurus, & carnificis munus impleturus; & tamen vnica (ſi ita loqui fas eſt) patientia refertur munitus cùm Leuita congeminata inceſſerit ad vxorem reducendam armatus. Nec mirum, quandoquidem Leuites cogebatur acceptam iniuriam diſſimulare, & fœdifragæ vxori blandiri, ne dedecus publicarit redire cunctata. Itaque prudens vir grauius incommodum minori redemit, vtque fugientem adduceret, viam carpere, &, ſi contingeret, ſupercilium ſoceri compulſus eſt ſuſtinere: ergo quia ad hoc ampliſſima patientia opus, duplex ſecum tulit iumentum: *Duplex patientia neceſſaria eſt volenti carnem ſuam reducere ad ſe ipſum.* Conſule aliquos coniuges ingenio, & moribus diſſidentes, & diſces quantus tolerantiæ cenſus ſit neceſſarius. Grauiſſimum ad ſpeciem erat vnicum ac dilectum pignus amittere, & ſpes longo tempore ienutritas ferro truncare: minus tamen erat, quàm vxorem querulam ſemper audire, & in viri honorem machinantem non ſolùm alere; ſed vt ab iniuria abſtineat, demulcere. Iam quali patientia opus ad vxorum in ornatu euanidam & inſidioſam honori pompam, quis exprimat? Nec vxori minor patiendi materia, ſi ſortita maritum, qui vnico talorum iactu amplum patrimonium profundat, qui nobilem, & prauidentem in ancillarum numerum referat, qui in eius oculis ſcorto plaudat: ergo ſacer textus geminato patientiæ emblemate Leuitem inſtructum

Ad Hebr. 10. v. 36.

Anſelm.

Hugo.

Geneſ. 22. v. 3.

Digitized by Google

ctum deſcribat, vt quam neceſſaria ſit coniugatis patientia, edoceat.

47. Deus, quo Adamum à vetita arbore exterrue-rit, vtilem mortis metum obiecit; imò duplicem mortem minatus eſt, ſi ad inſulſum fructum manum extenderit: *De ligno ſcientiæ boni & mali ne comedas: in quocumque enim die comederis ex eo, morte morieris.* (Geneſ. 2. v. 17.) Non ſum Hebrææ phraſis prorſus ignarus; verùm cùm repetitum mortis vocabulum aliqualem nobis anſam exhibeat, lubet inquirere, cur ingeminatam, ſi fas eſt dicere, mortem præuaricatori Dominus minitetur, aut cur violato iam præcepto ſententia non impleatur. Baſilius Seleucienſis exiſtimat ingeminaſſe metum, quo præſtiterit grandius virtuti ſubſidium, quandoquidem rationabilis metus neruus virtutis eſt. Benè; ſed ego pro concinnandis moribus exiſtimem, dum compulſus eſt Adam vitam agere cum Eua, cuius causâ de ditiſſimo tranſiuit in pauperem, de feliciſſimo in vrgentiſſimis ærumnis oppreſſum, intentatam mulctam ſoluiſſe: nonne mortis angoribus vrgebatur aratro addictus, ſulcorum puluere ſordidatus, ſpinis acutiſſimis punctus; & totum hoc quia Eua nouas exambiuit delicias, & auſcultauit fallacias. Oculos vertens ad paradiſæas ſedes ingemiſcebat copioſis lachrymis, & veluti duplice mucrone indolebat transfoſſus, dum cogebatur à paradiſo exulare, & terram vertere ad alendam fœminam, quæ ab eo diſceſſerat, & cum ſerpente colloquia miſcens ſibi & poſteris acerbam adeò calamitatem parauerat. Et fortaſſis verba illa: *Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, ſciens bonum & malum*, (Geneſ. 3. v. 22.) arcanum hunc ſenſum continent: id eſt: ecce iam Adam vni ex nobis ſimilis factus eſt, nempè filio crucem acerbiſſimam ſubituro, & omni patientiæ genere ſaginando: dum mulieris occaſione iam bonum & malum ſcit, Filium repræſentat patientiæ elogium, & calamitatibus diuexatum: *Reiecit homo*, inquit Richardus de S. Victore in allegoriis Tilmani ad Geneſ. 3. *ad quam formatus eſt, ſimilitudinem diuinam, Deus è veſtigio conformauit ſe ad illam, quam homo transformauerat, ſimilitudinem humanam.* (Richard.) Itaque vt Chriſtus Dominus ad omnem patientiam natus beneficia conferens ſpinas ingratiſſimas meſſuit: ſic Adamus coſtam, vt formetur Eua, miniſtrans inſidias ſuſtinuit multiplici anxietati ſubiectus, & graui labore attritus: magno patientiæ cenſu opus habuit, vt mulierem ſuſtineret, cuius causâ honorem, vitam, paradiſúmque amiſit, & opprobrium, gemitum, & tormentum adinuenit. Ergo blandiri huic Euam vocando, hanc alere terram vertendo, ipsâ morte durius, & ad ſpeciem vltra exaggerationem grauius.

48. Vt Oſeas Chriſtum Dominum opprobriis ac doloribus ſaturatum retulerit, ſic ad illum oraculum: *Vade, ſume tibi vxorem fornicationum, & fac tibi filios fornicationum: quia fornicans fornicabitur terra à Domino. Et abiit, & accepit Gomer filiam Debelain.* (Oſee 1. v. 2.) Hieronymus ad hunc locum Chriſti geſſiſſe perſonam ait: *Gerit figuram Chriſti, qui ex fornicatione gentium accepit in corpore ſuo Eccleſiam.* (Hieronym.) Mulier in concinnis moribus deturpata, & nociuæ libertati aſſueta non erat exigua crux prophetæ modeſtiſſimo, & virtutibus exornato: ergo, vt Chriſtum Dominum cruce diſcruciatum, dum Eccleſiam ex gentibus ſibi ſponſam accipit, Oſeas referat, ſortiatur ſponſam ingenio à viro diſſidentem, & moribus diſcordantem. Video Iacob ſocero, dum apud illum manſit, nil obiicere mercede fraudatum, video ardentis Solis caloribus tacuiſſe æſtuantem, & frigore niuium ora ſigillaſſe rigentem; dediſſe tamen audio querelas, dum Liam lippis oculis ſemper laborantem in ſponſam ducere quodammodò cogitur, & à ſocero fallitur: *Quare impoſuiſti mihi?* (Geneſ. 29. v. 25.) Hugo Cardinalis exiſtimat connubium Liæ præceſſiſſe Rachelis nuptias, vt ſic nos edoceat Scriptura opus eſſe labores præcedere ad gloriam conſequendam, & coronam elaborandam. Accipe Hugonem: *Maior priùs debet tradi: quia actio præcedere debet contemplationem, & labor gloriam.* (Hugo.) Vt laborum, quibus Sancti gloriam obtinuerunt, epitomem nobis ederet Scriptura, Iacob propoſuit Liam ſemper ægrotantem, & quam non dilexerat, ſuſtinentem: quaſi nil adeò martyria Sanctorum valeat exprimere, & adumbrare.

---

§. XII.

Superior reſipiſcentem hilari vultu recipiat, & cum illo humaniſſimè ſe gerat.

49. AB exordio hæc infelix contigit humanæ naturæ hæreditas, vt in peius quotidie ruat paſſionibus oturbata, & à ratione deſciſcat voluptatis incantamentis deluſa: venuſtas pompaticæ arboris vagum Euæ allexit aſpectum, & dum fucata venuſtate audacem proritat manum, peſtiferum ad poſteros tranſmiſit etiam venenum, quo faſcinata mens ad virtutem torperet, & ad delicias fallaciſſimas inuolaret. Verùm Deus humanum genus miſeratus manum porrigit, peccatori cæleſti lumine oculis reluminatis vitiorum fœditatem oſtendit, & ad ſaniorem mentem reducit. Huic ergo prudens Superior dexteram benignè porriget, & noxiæ verecundiæ impedimenta diſrumpet: aliter non aget cauſam virtutis; ſed contumacis nouam occaſionem ingeret prauitatis. *Deus*, aiebat Tertullianus lib. de Pœnitent. cap 2. *poſt tot ac tanta delicta humanæ temeritatis à principe generis Adam auſpicata, poſt condemnatum hominem cum ſeculi dote, poſt eiectum paradiſo, mortique ſubiectum, cùm rurſus ad ſuam miſericordiam maturauiſſet, iam inde in ſemetipſo pœnitentiam dedicauit reſciſſa ſententia irarum priſtinarum, ignoſcere pactus homini, & imagini ſuæ. Itaque & populum ſibi congregauit, & multis bonitatis ſuæ largitionibus fouit.* (Tertull.) Peccatorem humanè puniuerat ad pœnitentiam erudiens; eruditum verò, & reſipiſcentem non repulit dedignatus; ſed multis bonitatis ſuæ largitionibus fouit benignus; Superiores edocuit accedentem pœnitentiam hilari vultu ſuſcipere, & benignitate fouere. Hanc politiam benè nouerat Leuitæ ſocer: nam cùm ille vxorem exaſperaſſet, & occaſionem ad patrem ſe conferendi præbuiſſet, vt tradit apud gloſſam Ioſephus, cuius hæc ſunt verba: *Lites frequentes inter eos eueniebant. Ad vltimum verò mulier his grauata relinquens virum abiit ad parentes*: (Ioſeph.) & vxoris abſentiam dolens blanditiis reconciliare ſtatuit, & ad ſoceri domum celeri greſſu contendit: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, &*

Digitized by Google

ſecum reducere. Quid tunc? *Quod cùm audiſſet ſocer eius, eúmque vidiſſet, occurrit ei lætus & amplexatus eſt hominem, manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus comedens cum eo, & bibens familiariter.* Ecce non repulit iracundus; ſed excepit humanus: nec ſine myſterio ſocer Bethlemites exprimitur, vt intelligas ibi Chriſtum naſci, vbi conſtat Superiorem ſe cum reſipiſcente humaniſſimè gerere, nec ſuperbo affectu ferire. *Occurrit ei lætus*, inquit Abulenſis q.4. *Illud fuit gaudium pro reconciliatione viri ad vxorem: & amplexatus eſt hominem, ſcilicet præ gaudio amplexatus eſt illum.* Dum reſipiſcentem amplexatur reconciliationem fouet, & virtutis negotium agit. O vtinam omnes Superiores huiuſmodi ſequerentur exemplum, ne reſipiſcentes exaſperaſſent, & imprudentes pœnitentiæ ſcandalum oppoſuiſſent! inueniuntur tamen nonnulli, qui intempeſtiua ſeueritate, & immaturo rigore potiùs videntur obſtacula, quàm ad reſipiſcendum illicia.

Abulenſ.

50. Eſther 15. v.9.

Eſther contrà regale edictum ad regem ingreditur: *Ingreſſa cuncta per ordinem oſtia ſtetit contrà regem*: ille iniuſſam ingredi intuitus eis oculis animi furorem indicauit, vt Eſther metu tremefacta corruerit: *Cúmque eleuaſſet faciem, & ardentibus oculis furorem pectoris indicaſſet, regina corruit.* Qui ne contrà edictum progrederetur, deterruit, iam laſſam throno exiliens vlniſque ſuſtentans ſolatur blanditiis ſpiritum refouens, metúmque depellens: *Exiliuit de ſolio, & ſuſtentans eam vlnis ſuis, donec rediret ad ſe his verbis blandiebatur.* Eſther ſibi iam reddita, *Vidi te Domine*, inquit, *quaſi Angelum Dei, & conturbatum eſt cor meum præ timore gloriæ tuæ.* Plura veniunt hîc diſcutienda: ſi laſſam, trepidámque ſolatur blanditiis, cur ardentibus percuſſit oculis? Etſi torruo vultu pectoris indicauit furorem, cur modò affectet humanitatem? Quia Angeli munus gerens ſe tempori accommodauit: diuerſus fuit pro rerum diuerſitate: ardentibus oculis impediuit, ne contemneretur edictum, humanitate fouit cor anxium: ne contrà legem progrederetur, deterruit ad ſpeciem audentem, humaniſſimè ſolatus eſt pauitantem: intuitus arſit in culpam, & humanitas fouit perſonam, quo Superiores ſuo edocuerit exemplo, ſcilicet cum timido ac reſipiſcente ſe humanè gerere; audentem verò contrà legem aſperitate ferire. Opportunè noſter Sanctius: *Sedebat rex eo habitu, vt ſuam maieſtatem diuinæ ſimilem aliis oſtenderet.* Dum diuinæ maieſtatis gerit imaginem, ſcintillantibus oculis Eſtherem contrà legem progredi impediuit, aſt dum iam ſubſiſtit timore perterrita, vlnis eleuat humanè blanditur, etſi anteà vtili indignatione deterruerit iratus.

Sanctius.

51. Deliquerat Achab, & qui priùs ſolùm vineæ cupiditate pollutus, iam ſanguinis, & periurij, iniuſtitiæque ſordeſcebat reus: connexa ſunt quodammodo ſecum delicta, vtque vnus catenæ nexus alium ſibi illigatum trahit; ſic culpæ nox aliam profundiorem inducit noctem, & cupiditas ardentiorem parit cupidinem. Litteræ regis annulo ſignatæ proceribus perſuaſerunt teſtes inducere falſos, per quos expoſtulatus Naboth de ingenti crimine non ſolùm priuaretur vinea; ſed vita etiam mulctaretur & fama; verùm cùm diuinæ perſpicientiæ nullus dolus poſſit illudere, commeritam in Achabum ſententiam protulit, & innocentiæ ſanguinem honorauit: O quàm forti fortior eſt alius, & potenti inuenitur potentior! Achabus dura ſententia percellitur, nec vita finienda; ſed vltra ipſos mortis limites protelanda: *In loco hoc, in quo linxerunt canes ſanguinem Naboth, lambent quoque ſanguinem tuum.* His Achab perterritus ad pœnitentiæ confugit patrocinium, & confitetur erratum: *Cùm audiſſet Achab ſermones iſtos, ſcidit veſtimenta ſua, & operuit cilicio carnem ſuam, ieiunauitque, & dormiuit in ſacco, & ambulauit demiſſo capite.* Quid tunc? Ipſe Dominus accedentem ſuſcipit pœnitentiam, & humaniter occurrere Eliæ ſuadet: *Et factus eſt ſermo Domini ad Eliam Theſbytem dicens: Nonne vidiſti humiliatum Achab coram me?* Quæ verba explanans Cyrillus Ieroſolymitanus catecheſi 2. ſic ſcribit: *Achab rex Samariæ erat iniquiſſimus idololatra, excellenti improbitate, procul ab omni pietate, concupiſcens agros & vineas alienas; ſed cùm Nabuthe per ſuam Ieſabel occidiſſet, & Elias propheta tantummodò illi comminatus eſſet, diſcidit veſtimenta, & induit ſaccum.* Subiicit noſtræ theſi opportunè ſatis: *Quid autem dicit benignus Deus ad Eliam? Vidiſti quomodo humiliatus eſt Achab ante faciem meam? quaſi perſuadens irâ accenſo propheta, vt ſubueniret pœnitenti.* Elias adhuc inardeſcebat exaſperatus, & adhuc religioſa indignatione commotus; verùm Deus pœnitentibus blandiendum edocuit, ne deſperarint repulſi, aut ad vomitum redeant ſupercilio exaſperati. Et vide optimam diuinæ ſapientiæ politicen. Summus ille parens ac ſapientiſſimus gubernator, cùm futuram pœnitentiam patienter tulerit prauitatem ob futuram prauitatem præſentem non contempſit pœnitudinem. Notauit Cyrillus, eum audi: *Quamuis etiam poſt hanc indulgentiam iſte non erat à ſua improbitate ceſſaturus; remittens tamen Deus ignoſcebat, non ignorans quid eſſet futurum; ſed conſentaneam pœnitentiæ præſenti concedens indulgentiam.* Humaniſſimus Deus ob futuram pœnitentiam inſtigatam criminibus frænauit iram non tamen contempſit reſipiſcentiam, etſi futuram prænouerit contumaciam. Eliam iubet ſe cum Achabo humaniſſimè gerere, cæteros inſtruens, & reſipiſcentes ſummâ benignitate tractandos docens.

3.Reg 21. v.27.

Cyrill.

52. Inter cæteros Apoſtolos ſolus Petrus execrabili deteſtatione Dominum denegarat: verùm quàm timiditas maculam intulit, exuberans lachrymarum fons diluit, & penitus aboleuit: *Egreſſus foras fleuit amarè.* Ergo cùm deuicta iam morte Dominus ſurrexiſſet, qui pias fœminas ſolatur Angelus reſurrectionis myſterium ſpecialiter Petro denuntiandum admonuit: *Ite, dicite diſcipulis eius, & Petro, quia præcedet vos in Galilæam.* Nec ſolùm Angelus, ſed ipſe Angelorum Dominus erga Petrum humanitatem oſtendit: nam poſtquam trina amoris confeſſione trinæ negationis fœditatem inaurauit, cæteros Apoſtolos ei commiſit, dignitatéque prætulit: *Paſce oues meas.* Ecce pœnitentem ad dignitatem Dominus extulit, & Angelus præ cæteris honorauit, vt apud Superiores pœnitentia ſuſpiciatur, & culpâ acri iam expuncta dolore pœnitens honoretur: *Si hunc Angelus*, inquit Origenes apud D. Thomam in catenâ ad Marci 6. *non nominatim exprimeret, qui magiſtrum negauerat, venire inter diſcipulos non auderet: vocatur ergo ex nomine, ne deſperet ex negatione.* Conſonat ibi Hieron. *Dicit ſpecialiter, Et Petro: quia ſe indignũ iudicauit diſci-*

Matth.26. v.75.

Mar.16. v.7.

Ioan 21. v.17.

Origen.

Hieron.

pulatu,

pulatu, cùm ter negauit magiſtrum; ſed peccata præterita non nocent, quando non placent: O mirам cœleſtis œconomiæ eruditionem! Petrus negationis memor indignum ſe, qui inter cæteros nominetur, reputat; Angelus verò ſpecialiter nomen proferens verè pœnitentem honorat. Diſcant hinc ſuperiores ſuperbo oculo afflictum non reſpicere, nec toruitate vultus, aut aſperitate verborum exanimem contriſtare: qui lugentem exaſperat, nec virtutis gerit negotium, nec Chriſti Domini imitatur ingenium. Non inhæreat ſuperioris animo indelebili charactere ſuſpicio, ſi culpa pœnitudine iam prorſus abolita, & virtus aſcita. Apud nonnullos qui ſemel aliquo crimine infectus, nunquam probus; cùm cæleſti aduerſetur politicæ antiquam non reſtitui æſtimationem, ſi reſipiſcentia pœnitudóque ab animo penitus expunxerit prauitatem. Adde pœnitenti commiſſum non inculcandum delictum, nec ad ſolum ruborem iterum atque iterum ingerendum erratum. Ecce Leuitæ iam reſipiſcenti ſocer nec fugæ occaſionem dediſſe obiecit, nec lites antiquas in medium attulit: veritus eſt, & quidem prudenter, ne reſipiſcentiæ fructus amitteret, ſi reſipiſcentem de anteactis defectibus ſugillaret.

Peccata præterita, ſi diſpliceãt, non nocent.

---

§. XIII.

Bonus Superior curet pluſquàm peccatorem punire, peccatum tollere.

13. PLura ſunt, quæ optimum Præfectum, & Superiorem conſtituunt. Pro rerum diuerſitate Prothei ad inſtar varios debet induere vultus: non tot Æſculapio, non tot Pæonio neceſſaria fuerunt medicamenta, vt diuerſis mederentur morbis, ac ſuperior debet ſcire, vt diuerſis medeatur ingeniis. Sæpe ſæpiùs pulſat ex leuibus orta cauſis grauis ſubiectorum querela, & ſupplicio iuſto correptus aduerſus moderantem querulus inſurgit, & alios in querelarum ſubſidium trahit. Expertus Theodericus 1. var. 30. ſic fatur: *Animum noſtrum P. C. Reipublicæ curis calentem, & diuerſarum gentium conſilia perſcrutantem pulſauit ſæpiùs querela populorum, orta quidem ex cauſis leuibus; ſed graues erũctauit exceſſus: deplorat enim pro ſpectaculorum voluptate.* Spectaculorum voluptas cruentum erat gladium, inhumanum oblectamentum, ferale delirium, & tamen quia ſpectacula præcidebat ratio, querula populorum principem accuſabat eruptio. Opus fuit furentibus cedere, & quodammodo in erroris partem venire, vt à ratione aberrantes humanitas traheret indulgendo, quos æquitas exaſperarat ſpectacula vetando. *Quod illis humanitas noſtra*, addit Theodericus, *lætitiæ cauſa præſtitit, in triſtitiam audacia plectenda conuertit; quod nos clementia noſtra ſolita prouiſione comprimimus, ne paulatim ſinendo grauiorem vindicare cogamur offenſam.* Deſiderabat optimus Princeps ſagaci prouiſione vitare pericula, clementi humanitate impedire inhumana gaudia, ne dum ignaua remiſſio audaciæ præbet occaſionem diſſimulando, cogatur grauiùs deſæuire puniendo; verùm eis populorum querelis percuſſus eſt, vt opus fuerit grauius periculum minori comprimere, & effrænes tantiſper indulgendo frænare. Theoderici ſententiam ſecutus eſt Leuites, cuius vxor leuibus cauſis offenſa ſe ad partem contulit, Leuites reſipiſcentiæ conceſſit ſpatium, & humanitati muliebri blanditus ingenio: quia nouerat optimi ſuperioris eſſe malle delicta tollere, quàm punire, ad ſoceri domum contendit, & vxorem blanditiis, quod decebat, perſuaſit: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* Leuites id eſt cæleſtia ſolùm attendens, ac ſi ipſe præſtitiſſet offenſionis cauſam, reconciliationem curauit, & dum ad ſpeciem quid dignitati detrahit, eximium ſplendorem addidit dignitati: *Ideò*, inquit Hugo *ſpiritus dicitur Leuites nihil habens in terra, erectus ad cæleſtia per amorem.* O quàm erat ad cæleſtia erectus, qui, vt inferiorem reduceret, inferiori ſe laudabiliter deiecit, nec ſuperciliosus intumuit.

Caſſiod.

Caſſiod.

Hugo.

Vt eleganti pencillo, actionúmque coloribus Sacer textus ſuperiores erudiat, Balaami hiſtoriam proponit. Tendebat Balaamus fumo cupiditatis cæcus, & ambitionis ſtimulis agitatus, cùm Dei Angelus vianti occurrit, vt ſupplicij terrore ſupplicium euacuet, ſplendenti gladio, ne feriat perſonam, impedire conatur viam. *Stetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vinea cingebantur*: cur anguſto adeò tramite vianti obuiarit, iterque impedierit, explicuit: *Ego veni, vt aduerſarer tibi: quia peruerſa eſt via tua, mihique contraria, & niſi aſina declinaſſet de via dans locum reſiſtenti, te occidiſſem.* O humaniſſimum aduerſarium! ô piiſſimum inimicum! Aduerſaturus occurrit, non tamen cæco odio; ſed humanitatis ſtudio. Ni Angelus anguſto in tramite ſubſtitiſſet, forſitan aſina verberibus inſtigata viæ illac inſiſteret, & occidendi prophetam occaſionem daret: ergo Angelus, qui malebat, quàm punire, omnem puniendi occaſionem auferre, in ea itineris parte ſubſtitit, qua gladium intuita aſina illac vereretur tendere, & alio quam citò ſatageret declinare. *Niſi aſina declinaſſet de via*, inquit Angelus, *dans locum reſiſtenti, te occidiſſem*: & addere poſſet: Sed ne te occidam, anguſto adeò tramite me illi oppoſui, vt coacta ſit declinare, nec viam tibi periculoſiſſimam proſequi. Huc voco, quod aiebat Caſſiodorus ſupra datus: *Benigni principis eſt non tam delicta velle punire, quàm tollere, ne aut acriter vindicando æſtimetur nimius, aut leniter agendo putetur improuidus.* Angelica politice, ne remiſsè agendo putetur improuida, gladium opponit, & ne intulerit pœnam, pientiſſimam oſtentat iram, quò ſuperiores edoceat cæleſtis præſulis eſſe malle delicta tollere, quàm punire. 14.

Numer 22. v. 24.

Caſſiod.

Eandem regiminis formam vtpotè à Deo in regem electus Dauid imitatus eſt ob ingentiſſima in Saülem collata beneficia ardentiſſima demeſſuit odia: in regem iam iunctus, & à ſubditis incitatus, etſi opportunam nactus fuerit Saülem puniendi occaſionem, à cæde abſtinuit, & ſruſtulo præciſo de periculo admonuit, & vtilem terrorem incuſſit: non prætermiſit vllam de Saüle benemerendi occaſionem, benefaciendique nullam opportunitatem; imò Lyram non ſegniter apprehendebat, vt triſtem deliniret, & ſpiritum imputatum depelleret: Saüli pepercit; ſed dum pepercit, admonuit: *Surrexit Dauid, & præcidit oram chlamydis Saül ſilenter.* Cæleſtem electionem factis commendauit eligens quod dignitati detrahere, vt opportuniùs ægritudini medelam quiret apponere. Si alius eſſet Dauid 15.

1. Reg. 24. v. 5.

Dauid offenſis exaſperatus, & furore percitus cædem intuliſſet, & de illata pœna dignitatis potentiam commendaſſet; verùm quia nouerat glorioſiùs eſſe principi ſubiectum corrigere quàm acribus ſuppliciis atterere, ad lachrymas admonendo compulit, occidendo non ſuſtulit: *Leuauit Saül vocem ſuam, & fleuit, dixitque ad Dauid: Iuſtior tu es, quàm ego.* Quod expendens Chryſoſtomus homil. de Dauid & Saüle ſic
Chryſoſt. ait: *Egreſſus eſt Dauid liberis oculis cœlum intuens, & magis exultans, quàm cùm Goliath deieciſſet: ſiquidem hæc illâ magnificentior erat victoria.* Ibi infixo lapide deiecerat peccatorem, hic deplorare edocuit peccatum. Ergo hæc illâ magnificentior erat victoria, quandoquidem glorioſius eſt principi ac ſuperiori peccatum tollere, quàm peccatorem euertere: fas non eſt nimiâ licentiâ vt inſoleſcat permittere culpæ; ſed nec fas eſt nimia diſtrictione ſubiectum cogere ad aures referiendas querela: ergo Superior medici ad inſtar pro rerum circumſtantiis conſilium capiet, & conuenientem perſonam induet.

56. Semel & iterum peccatricis audaciam Dominus diſſimularat, ſuæ quodammodò perſpicientiæ præuaricator; at dum abuſam indulgentiâ vidit, dignam pœnam infligere procaci decreuit:
Iſai. 57. v. 12. *Mentita es, & mei non es recordata, neque cogitaſti in corde tuo: quia ego tacens & quaſi non videns, & mei oblita es.* Patientia oculos quodammodò auertebat, ne ſi vidiſſe conſtaret iniuriam, cogeretur inferre pœnam: diu diſſimulauit peccatum, ne durum peccatrici inferret ſupplicium; ſi poſſet patientia reprimere audaciam, & edocere reſipiſcentiam; verùm dum ipſa vrbanitate, comitate ipſa abutebatur ad nutriendam inſolentiam, duriſſimam decreuit
Iſaiæ 47. v. 1. mulctam: *Deſcende*, aiebat, *ſede in puluere, virgo filia Babylon, ſede in terra; non eſt ſolium filiæ Chaldæorum: quia vltra non vocaberis mollis & tenera. Tolle molam, & mole farinam.* Ipſa tolerantia commendauit ſupplicium, & ſupplicium probauit dilationem non exortam ab ignauiâ; ſed à prudentiâ. Opportunè Gregorius 6. paſtoral. cap. 10. *Sciendum eſt*
Gregor. *quòd aliquando ſubiectorum vitia prudenter diſſimulanda ſunt; ſed quia diſſimulantur, indicanda; aliquando & apertè cognita maturè toleranda; aliquando ſubtiliter, & occultè perſcrutanda; aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda.* Prudentia eſt aliquando ſtulteſcere, & oculos alíorſum dirigere; at ſi culpa excreuerit, ne tolerantia incrementarit malitiam, opus eſt, vt diſtrictio ſeueram inferat pœnam.

57. Pſal. 128. v. 3. *Suprà dorſum meum*, aiebat Pſaltes Dei nomine, *fabricauerunt peccatores prolongauerunt iniquitatem ſuam: Dominus iuſtus concidit ceruices peccatorum.* Cùm Deus totus ſit mens, totus oculus, peccata, etſi dorſo fabricata, non poterat ignorare; at, ne peccatores puniret, ad tolerandum ſuppoſuit humerum, ſubtraxit aſpectum: quaſi non videret ſcelera, vtpote à tergo poſita, patienter ſuſtinebat; verùm cùm peccatores ipſam tolerantiam pro fundamento iacerent, vt fabricam malignitatis attollerent, collum erexit, & ſuprà dorſum fabricantes præcipitauit: *Concidit ceruices peccatorum*: præcipitio inopinoque caſu obcæcatam audaciam, & audacem inſolentiam puniuit, ceruices peccatorum confregit iuſtus, poſteaquam ſubiecerat dorſum, vt ſuſtineret cordatus: *Secta immaturè vulnera* (verba ſunt dati iam Gregorij) *deteriùs inferueſcunt, &* Gregor. *niſi cum tempore medicamenta conueniant, conſtat procul dubio, quòd medendi officium amittant; ſed cùm tempus ſubditis ad correptionem quæritur, ſub ipſo culparum pondere patientia præſulis exercetur: vnde benè per Pſalmiſtam dicitur: Suprà dorſum meum fabricauerunt peccatores.* Exercita priùs Superioris patientiâ congruenter ingeruntur ſupplicia, ne ſubiectus, dum omnia ſibi licere cogitat, in deteriora imprudenter ruat.

§. XIV.

Prudentis eſt non exaſperare, quem poſteà opus eſt, ſi exaſperetur, allicere.

Nonnulli non ſine dedecore, & prudentiæ iniuria ſuæ vanitati adulantur: eos à ſe exaſperatos repellunt, ſine quibus non poſſunt viuere, vnde poſteà coguntur humiliter exorare. Prudens non ſolùm adſpicit præſentia; ſed prouidos extendit etiam oculos in futura, & ne poſteà indignis demiſſionibus cogatur allicere, prudenter didicit ſuſtinere. Leuites vxoris ingenio offenſus eam à ſe retulit, & paternos repetere lares compulit: *Reuerſa eſt in domum patris ſui.* Lyra à marito eiectam, ſe in parentum domum recepiſſe teſtatur: *Eiecit eam.* Nec multò pòſt, quam Lyra exaſperatam abiecerat, blanditiis aggreditur delinire, & iterum ſibi reconciliare; *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere habens in comitatu puerum, & duos aſinos.* Honeſtiùs fuiſſet ab offenſis abſtinere, quàm in modum ſupplicis vxoris gratiam iterum exambire. Ad ſoceri domum contendit modò rogaturus, qui leui fortè occaſione repulerat anteà iratus. Prudens, ne demiſsè exoret, iræ ſuæ parcit, non rapitur cæco furoris æſtu; ſed ſecum expendit, an ſine aliquo poſſit viuere, ne, ſi exaſperet, contigerit delinire, & non ſine periculo contemptus rogare. *Diogeni ſeruus vnicus fugit,* inquit Seneca de tranquill. animi cap. 8. *nec eum reducere, cùm monſtraretur, tanti putauit. Turpe* Seneca. *eſt, inquit, Manem ſine Diogene poſſe viuere, Diogenem ſine Mane non poſſe.* Deriuiſſet, ſi aliter non poſſet viuere: eſſet námque dignius patienter ſuſtinere, quàm ſeruiliter placare. Non potuit Leuites repetere quod Diogenes, quandoquidem vxor fugiens viuere potuit ſine Leuite: Leuites tamen nequiuit viuere ſine vxore. *Coactus deſiderio*, inquit Ioſeph. 5. antiq. cap. 2. *& ipſe venit ad ſoceros.* Non ſine rubore ſoceri domum in- Ioſeph. trauit, qui imprudenter vxorem repulit.

Samſon ob ſecreti præuaricationem in vxorem 59. ſtomachatus illam reliquit: *Iratus nimis aſcendit* Iudic. 14. v. 20. *in domum patris ſui.* Abſentia viri peſſimus fœminis conſiliarius vxori derelictæ ſuaſit in mariti honorem machinari: exiguum temporis fluxerat, cùm iam Samſon vxorem placaturus munera attulit, & allectus deliciis rediit: *Poſt aliquan-* Iudic. 15. v. 1. *tulum autem temporis, cùm dies triticeæ meſſis inſtarent, venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris.* Quærit Abulenſis, cur Samſon redierit, cùm adeò indignans aufugerit? reſpondétque q. 2. iuuenili ardore æſtuaſſe, & quia viuere ſine vxore non poterat, rediiſſe: *Iuuenilis enim flamma vrebat; ad tempus autem* Abulenſ. *ira*

Digitized by Google

ira præualuit amori, & receſſit ab ea; nunc autem creſcente priſtina flamma Samſonis, cæpit tenerè diligere uxorem ſuam, cupiens denuò eius frui amplexibus, & ob hoc ad eam rediit. Iuuenis; imò & puer apparuit, dum fugit rogaturus: ſatius namque eſſet non fugere, quàm rogare. Profectò ſi homines, dum iracundiæ corripiuntur ardore, attenderet quantis indignitatibus ſe ſubijciant, quam poſteà illis opus ſit ſe abiectè demittere, & indecorè rogare, ab iracundia abſtinerent, eligerentque aliquali patientia redimere indecoram abiectionem, & probroſam (ſi fas eſt dicere humilitatem.

60. Pharaoni Moyſes à Domino delegatus populum depoſcebat exolui; ſed quia ſæuo decreto Hebræos ſtatuerat extinguere, obſtinatus diſtulit reddere: elementa in pertinacem armantur, grando cum igne conferta ruebat, in modum imbrium inuiolabant locuſtæ, exundabat fluuius ranis, quæ ingratis, rauciſque clamoribus inceſſanter aures referiebant; verùm immiſſis à Deo plagis non reſipuit eruditus; ſed indurauit ſibimet Pharao oppoſitus, & aduerſus. Moyſem, qui vnicum eius remedium erat, à ſe repulit, ſi apparuerit, iterum, mortem minitatus:

Exod. 1. v. 28. *Recede à me, & caue, ne vltrà videas faciem meam: quocumque die apparueris mihi, morieris. Reſpondit Moyſes: Ita fiet, vt locutus es, non videbo vltra faciem tuam.* Iam Moyſes faciem ſubtraxerat, cum Pharao primogenitorum morte perterritus iterum Moyſem Aaronemque arciri ſollicitat, & obnixè in modum

Exod. 12. v. 3. ſupplicis Ægyptum egredi rogat: *Vocatos Pharao Moyſe & Aaron nocte ait: Surgite & egredimini à populo meo vos, & filij Iſraël: ite, immolate Domino, ſicut dicitis.* Ecce à ſe paulò ante expulſum, & cui minitatus fuerat ſæuam mortem, iam adnititur placare, & propitium ſibi reddere. Profectò ſatius eſſet non depellere, quàm precari; verùm imprudens, & obſtinatus à ſe abegit minis non territum; ſed exaſperatum, quem modo ſibi

Caietan. anhelat fore propitium. *Non obſtante*, inquit Caietanus *inhibitione ſcripta in calce capitis decimi vocauit ad ſe Pharao Moyſem, & Aaron nocte illa non expectato mane.* Iam vocat, allicit, obſecrat, quem anteà exterminauerat, & depulerat: vt vanitas durum ſibi deiecta architectaretur tormentum, & imprudentia ſupplicatione ingeminaret ſupplicium. O quàm depreſſo tumore ingemiſcebat Pharao, dum coactus eſt delinire exaſperatum, & conciliare ſibi repulſum.

61. Saulis animum nactus impuratiſſimus Dæmon eum accerrimè diuexabat, oculi tranſuerſim agebantur, conſumebantur præ triſtitudine ſpiritus, vultus pallebat, & cùm plurimis exteriùs circumfunderetur deliciis, grauiſſimis interius exagitabatur tormentis. O quantum mali ſub regiis faſciis latebat! Qui intuebantur purpuram marino collucentem flore, & ſplendenti rubentem murice, demirabantur beatum; interna verò agnoſcentes deplorauere miſerrimum. Dauid adeſt, cantu bellum ſpiritui infert, & triumphum melodiâ gerit; verùm Saül ab ægritudine paululum leuatus in Dauidem, quem præſentem nouerat, ſpiculum contorquens cædem obtulit curationis mercedem.

1. Reg. 18. v. 10. *Dauid pſallebat manu ſua, ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saül lanceam, & miſit eam putans, quòd configere poſſet Dauid cum pariete. Et declinauit Dauid à facie eius ſecundò.* Vnicum ægritudinis remedium erat lyra, & leuamentum ſingulare melodia: cumque iterum Saül anguſtiis arctiſſimis vrgeretur, ad Dauidem nuntios mittit, & preces fundit: Dauid, vt erat manſuetudinis idea adeſt impurato cum ſpiritu congreſſurus: *Factus eſt ſpiritus Domini malus in Saül: ſedebat autem in domo ſua, & tenebat lanceam. Porrò Dauid pſallebat manu ſua.* 1. Reg. 19. v. 10. Baſilius Seleucienſis agnoſcit prudentiam de mentis arce prorſus deturbatam, quandoquidem ni laboraſſet inſania, poſteà vocandum, alliciendumque nullatenus exaſperaſſet, & expuliſſet. Si Saül abſque Dauidis melodia quiret viuere, non adeò mirandum eſſet depellere, at per ſummam inconſiderantiam, imprudentiâmque à ſe repulit, quem poſtea per ſequeſtros ſeruos rogauit: *Prudentia,* inquit Baſilius oratione 14. *De mentis arce deturbabatur, tranſuerſim agebantur oculorum pupilla.* Basil. Adnectit: *Legati deſtinati pro donis hortamenta tunc deferunt.* Ipſa hortamenta pro donis oblata ſugillabant imprudentiam, quandoquidem rogandus non debuit depelli, nec ad ſalutem neceſſarius exaſperari. Nonnulli ad futura proſpectum non extendentes, nec varias rerum vices penſitantes, poſteà ſibi opportunum; imò neceſſarium exulcerarunt iniuriis, exaſperarunt verbis, cùm non ſine deiectione compellantur humillimis obſequiis placare, quem ridenti fortunâ, inſtigante indignatione cunctati non ſunt repellere. Profectò Leuites, ni vxorem minùs prudenter abegiſſet; itineris non ſubijſſet moleſtias, & poſt moleſtias non tuliſſet iniurias. Imprudentis depulſionis dignum ſupplicium fuit blandiri, & reconciliationem rogare. Si epulo ille gehennæ filius varias rerum vices crederet, ardentiſſima ſiti adductus, & gehennalibus flammis infeliciter purpuratus Lazarum, cuius ope ad ſopiendum ardorem ſe indigere clamauit, ſupercilio non percuſiſſet, nec limis oculis ſpectaſſet: Lucæ 16. v. 24. *Pater Abraham miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam.* Opus illi fuit à ſe deſpectum rogare, & tardè didicit euanidæ proſperitati non credere.

§. XV.

Sunt qui quærant maritare virtutis plauſum, & vitiorum commodum.

62. SVnt qui carnis negotium agant, & proculcatæ carnis plauſum ardenter ſitiant: oſtentant ſe ſpiritui prorſus dicatos, & à carnis ſordibus longè abiunctos, cùm reuera nimium ſibi indulgeant, & carnis negotium agant: nomen factis contrarium ſortiuntur, & ſibi oppoſita maritare conantur. Itaque deliciarum gerunt animo ſtudium, & ſpecie tenus delicatum affectant extrinſecus odium. *Lego*, aiebat Tertullianus in Tertull. Apolog. cap. 46. *Partem ſententia Attica in Socratem corruptorem adoleſcentium pronuntiatam. Sexum nec fœmineum mutat Chriſtianus: noui & Phrynem meretricem Diogenis ſupra recubantis ardorem ſubantem.* Diogenes, qui rerum omnium contemptum mentiebatur, qui vel fictili vaſi renuntiarat, & cui ampla domus, & ſupellex erat dolium, cum impudica, etſi tectum, habuit commercium. Admirantium eius virtutem vocabat concionem, & ſecreto fœdam exercebat libidinem, Socrates ad modeſtiæ ſpeciem totus compoſitus;

poſitus ; ſed quos docuit , etiam adoleſcentes
corrupit : adeo verſutum eſt humanum inge-
nium, vt diſcupiat à virtute laudem, & ab appe-
titu venerem. Leuites, cuius Deus pars, concubi-
nam fugientem ſecutus blanditiis allicit, ſecum-
que adducit : *Secutus eſt eam vir ſuus volens re-
conciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.*
Hugo Cardinalis in Leuita (nomen namque à
mundialibus rebus ſeparatum ſonat) agnoſcit
ſpiritum, in concubina carnis delicias, & appe-
titus illecebras. Ergo Leuites, inquit, concubi-
nam ſequitur : quia non ſemel adlaborant ho-
mines ſibi oppoſita coniungere, & contraria ami-
co fœdere copulare, videlicet carnem, & ſpiri-
tum : oſtentant omnibus renuntiaſſe, & ſub hac
abdicationis larua inuenitur omnia exambiens
Hugo. concupiſcentia : *Spiritus dicitur Leuites nihil ha-
bens in terra, erectus ad cæleſtia per amorem.* Ad-
nectit : *Secutus eſt eam vir ſuus : ſic ſpiritus ſe-
quitur carnem.* Vtrumque iunxit, carni blandiri,
& ſpiritum omnibus oſtentare : & vtinam vnus
tantùm fuiſſet Leuites : ſunt tamen plures qui
præciſis ad ſpeciem oblectamentis venditant ſan-
ctitatem, cùm tamen ſub hoc renuntiationis fu-
co cupiditatis contegant flammam, & nutriant
inſanam concupiſcentiam.

63. Zachæus per extenſos ramoſæ ſycomori pro-
reptans ramos Dei videndi affectauit ardentiſ-
ſimum deſiderium ; eodem tamen tempore fœ-
nebre curabat lucrum, & inhoneſtum diuitiarum
ſolicitabat augmentum : affectabat cruci inſeri,
nolebat auro nudari : ſi exteriora adſpicias, cen-
ſebis omnibus renuntiaſſe ; ſi interiora ſcruteris,
reperies auro incubuiſſe : ergo Dominus præpro-
perè iubet deſcendere, & periculum lapſus vita-
Lucæ 19. v.5. re : *Zachæe feſtinans deſcende, quia hodie in domo
tua oportet me manere.* Chryſologus ſolito acu-
Chryſol. minis lepore rogat ſermone 54. *Si benè aſcende-
rat, quare ei dicitur : Deſcende ?* Vtque quæſtio-
ni ſatisfaciat, ſubdidit : *Deſcende ergo, vt depo-
nas tanta fraudis onera, pondera cupiditatis,
vſurarum molem, magiſterium publicani, exactio-
nis crudeliſſimæ principatum, expeditus intres pau-
pertatis ſcholam, diſcipulatum miſericordiæ, pie-
tatis vſum, patientiæ diſciplinam, ſtudia virtu-
tum.* Inſcendit arborem, vt quanto in Chriſtum
amore raperetur, oſtenderet ; ſed ſecum tulit
diuitiarum pondera, vſurarum ſtudia. Ergo Chri-
ſtus Dominus deſcenſum imperat, ne virtutis ha-
beatur diſcipulus, dum cupiditatis eſt ſeruus. O
quot virtutis fuco oblinunt mundi cupiditatem,
principatus ambitionem ! peruerſâ viâ ad cupidi-
tatis, ambitioniſque terminum properant, &
crucem affectant : ſatagunt ſibi conciliare plau-
ſum, vt facilius ambitionis aſſequantur inten-
tum : ſub pulchra faſcia degenerem vitam abſ-
condunt, oculis imponentes, & fœditatem ſpe-
cioſâ cruſtâ inaurantes.

64. Iob pulchro ænigmate cupiditatem virtutis
Iob. 3. v.9. fuco oculis imponentem ſic pingit : *Obtenebren-
tur ſtellæ caligine eius.* Futurum pro præſenti
poſuit ; ſenſus tamen eſt in nocte illa errorum ca-
liginibus plena, & terræ vmbræ voluminibus di-
uitata inueniri obtenebratas ſtellas, quæ retento
ſolum nomine terrâ ſordeſcunt deturpatæ caligi-
ne : ad ſpeciem ſcintillant radiorum luminibus ;
ſed reuera vitiorum obtenebrantur cupiditatibus :
videntur exteriùs aſtra ; ſed interiùs obſcuriſſima
deprehenduntur cupiditatum incendia. Accipe
Gregor. Gregorium libro 4. moralium cap. 14. *Sunt non-
nulli, qui ante humanos oculos velut magnis operi-
bus lucent ; ſed quia hæc ipſa opera à mundo cor-
de non prodeunt, capti in occultis cogitationibus
noctis huius tenebris obſcurantur. Præmiſerat : Bo-
na, quæ faciunt, ad percipiendas laudes hominibus
oſtendunt.* Chimæram, hircoceruoſque ad impoſ-
ſibilium argumentum excogitatos ſupergreſſa eſt
prauitatis malitia. Ecce ſtellas tenebris, lucem ca-
ligine ambitionis artificium copulauit, & vanita-
tis ingenium iunxit.

Cauda eius, ſcilicet draconis, inquit Ioannes, 65.
trahebat tertiam partem ſtellarum cæli, & miſit Apocal.12.
eas in terram. Cœli ſtellæ nominantur, & ad v. 4.
terram iactæ voluuntur. Inquires, quomodò ap-
pellentur cæleſtia aſtra, cum ſordeſcant mundiali
cœno : quandoquidem aſtrorum proprium eſt
æthere refulgere, non mundi ſordibus coinqui-
nari ? Quia exteriùs, reſpondebit datus Gregorius
ſtellarum ſplendorem, vt aſpicientes fallant, con-
ſeruant, & draconis caudam ſequuntur, vt cupi-
ditates terrenas foueant : *Si inter eos, qui recta* Gregor.
*agere videntur, quidam de actione ſua retributio-
nem fauoris humani non quærerent, nequaquam
ſtellas Ioannes ruere à cæleſtibus videret, dicens :
Miſit draco caudam & traxit tertiam partem
ſtellarum.* De foris ſplendent ſtellæ, intus dra-
conis adhærent caudæ : obijciunt mentitum, &
euanidum oculis ſplendorem ; ſed ſequuntur pra-
uitatem : ad ima ruunt, & ambiunt vti aſtra, te-
nere ſuprema.

Ex hac ſchola erat ſenex ille, qui Dei viro 66.
conuiuium exhibuit : charitatis laruâ ambitionis,
cupiditatiſque exercuit vafer negotia : menſa te-
ſtabatur erga peregrinum pietatem ; ſed ficta cha-
ritas inſeruiebat ambitioni ; eleemoſyna ad vitio-
rum detorquebatur auxilium, & ſpecie virtutis
inferebatur virtuti bellum : *Ego propheta ſum ſimi-* 3. Reg 13.
lis tui, & Angelus locutus eſt mihi in ſermone Do- v. 18.
*mini dicens : Reduc eum tecum in domum tuam, vt
comedat panem, & bibat aquam.* Affectabat vir-
tutis ſpeciem, vt virtutis expungeret veritatem :
quia verus propheta regis miſertus eſt : *Orauit vir
Dei faciem Domini, & reuerſa eſt manus regis ad
eum* : hic etiam commiſerationem mentitur ; ſed
vt prophetam ſpecioſo dolo fallat, & regis gra-
tiam acquirat : miniſtrauit panem, vt inferret pro-
phetæ mortem : de ipſa virtute contra virtutem
procudit arma, & mentitus charitatis obſequium
dignitatis ardenter exambiebat faſtigium : *Abijt,
vt eum ſeduceret,* inquit Lyra, & *peccare faceret,* Lyra.
& prophetiam eius irritam perſuaderet. Timuit
vaferrimus ſenex ſe vitulorum Sacerdotij honore
priuandum, ſi rex miraculo, miniſque perculſus
veram religionem ſuſciperet, & impietatem ab-
iuraret : ergo de ambitionis conſilio eleemoſy-
nam exhibuit, & dum exhibuit, fefellit : exter-
nis eleemoſynis prophetarum mores videbatur
ſecutus ; cùm interiùs eſſet vitulis dedicatus. Au-
di Abulenſem ad 13. cap. lib. 3. Reg. quæſt. 12.
Ad quid deſiderabat iſte propheta ſenex fallere vi- Abulenſ.
rum Dei ? Iam quæſito reſpondet : *Credidit iſte
propheta ſenex, quòd ſi oſtenderet, vel ſaltem per-
ſuaderet verba viri Dei fuiſſe falſa, ita vt rex ma-
neret ſecurè in ſua idololatria, mereretur magnum
honorem apud regem.* Impenſa viro Dei eleemo-
ſyna, exhibitum obſequium, & procuratum non
ſine moleſtia hoſpitium fraudi deſeruiebant, am-
bitionique militabant : à Deo ſibi factas reuela-
tiones, & cum Angelis mentiebatur colloquia ;
ſed vt euanido frueretur plauſu, & dignitatis
reſplenderet

Digitized by Google

reſplenderet ſuggeſtu: in ſenili ſtropha delineauit Sacra Scriptura ambitionis, & cupiditatis vaſtitiem: mulierculas inuenies pannoſis indutas, ab omni mundiali ſtrepitu ad ſpeciem remotas, quæ dum reuelationes confingunt, dum piè credulos fallunt, ſolicitant ſibi plauſum, & commoditatum augmentum. Senex reuelationem cæleſtem finxit, vt pium falleret, & hoſpitio officioſè excepit, vt expiſcaretur à magnatibus dignitatum honorem, & vitæ commoditatem.

---

§. XVI.

Vera patientia alienos defectus portat, & dum portat, proximum amat.

67. Vitia non ſemel virtutis nomine obrepunt,& externum eius colorem induta aſpicientibus illudunt: æſtuantis cordis iram non virtus ſopit; ſed alia cauſa ad tolerantiam ſæpè compellit; verùm licet fucata virtus virtutis habeat opinionem, non aſſequetur mercedem. Tertull. *Quod neceſſitas præſtat*, aiebat Tertullianus lib. 1. ad vxorem c. 3. *Depretiat ipſa*: virtus ignorat coactionem, ſuis ſemper libera diuagatur ſpatiis: nequit vinciri, nec vllus vnquam tyrannus ei poterit dominari. *Seruitus quædam animæ, quædam corporis dicitur* inquit Philo Iudæus lib. quòd omnis probus) Philo. *Corporibus dominantur homines, animis affectus & vitia.* Corpora potentioribus ſæpè ſubiecta ſunt, virtus libera ſemper eſt: vt lux nequit tranſire in tenebras refragante natura, ita virtus nequit degenerare, nec ad aliena caſtra tranſire: facilè mendacium, ſi perſpexeris, deprehendes. Virtus ſibi integrè conſtat: vitium, quantumuis virtutis fuco coloretur, ſuis ſe factis prodit, & detegit. Si corde geritur patientia, & quem ſuſtines, amaueris, virtus eſt; ſi ſuſtines, quem animitus oderis, coactio eſt. Lydius lapis, ad quem examinatur patientia, charitas eſt: ſi tibi iniurium amas, eximiâ patientiâ micas; aſt ſi æſtuante indignatione in perſonam neceſſitas tolerare iubet iniuriam, non eſt vera patientia, ſed impatiens tolerantia. Se Leuitæ vxor ſubduxerat neſcio quibus iurgiis exaſperata: ille eam ſibi reconciliare ſtuduit aſperum vxoris ingenium diſſimulans, & impensè amans: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* In hoc Leuita virum ſpiritualem agnoſcit Hugo Cardinalis delineatum, vt qui non ſolùm munitus fuerit ad defectus ſuſtinendos infractâ tolerantiâ; ſed ad corrigendos beneuolentiâ. Hugo. *Vera patientia eſt, quæ ipſum amat, quem portat: nam toleraſſe & odiſſe non eſt virtus manſuetudinis; ſed velamentum furoris. Si igitur hanc patientiam habeat ſpiritus humilitate, vel cum Dei gratia, poteſt vxorem ſuam reducere, aliter non.* Inferior ſæpè auerſatur, quem ſuſtinere dominum cogitur: ardet interiùs odio, & exteriùs blanditur obſequio: portat, quia excutere nequit iugum; ſed excutiendi gerit pectore ardentiſſimum deſiderium: hoc ergo, vt dicebat Hugo, non eſt vera patientia; ſed tecta ira. Ergo vt patientia ſibi conſtet, opus eſt alienos defectus tolerare, & omnem ab animo indignationem expungere; imò proximum diligere. Si non diligit, quem portat, *Non eſt virtus manſuetudinis; ſed velamentum furoris.*

68. Paſtor ille paſtorum forma, & patientiæ idea ab erronea oue relictus eam non ſine ingenti labore quærit, & inuentam humero imponit: *Cum inuenerit eam, imponit in humeros ſuos gaudens.* Lucæ 15. v. 5. Expende illud *gaudens*, non mœrens aut furens. Ephraim vitula iugum aliquando tulit; ſed quia ferre non gaudebat; confregit: hic verò optimus paſtor onus ferebat; & ferendo ouem amabat: ferebat virtutis ſtudioſus, non vi coactus: ergo ipſa latione ſuam commendabat patientiam, inſtruebat noſtram, quæ ni charitate ſcintillet, à perfectione degenerabit patientiæ: *Erroneam ouem patientia paſtoris requirit*, inquit Tertullianu s de patient. cap. 12. Tertull. *Et inuenit: nam impatientia vnam facilè contemneret; ſed laborem inquiſitionis patientia ſuſcipit, & humeris inſuper aduehit baiulus patiens peccatricem derelictam.* Amando portat, & portando amat: nam vt charitas patiens, ſic & diligens eſt patientia. Aliquando ouis baiulatur; ſed non ſuſcipitur: aliquando offenſa ſuſtinetur; ſed offendenti non parcitur: aliquando deglutitur aſperum verbum; ſed ardet interius odium: aliquando comprimitur dextera, & infamat lingua. Ergo hæc tolerantia non eſt virtutis filia; ſed impotentiæ, & neceſſitatis malitia colore patientiæ diſſimulata, & veſtita: Huius virtutis vt penitiùs noſcas ingenium, audi ſupra datum Tertullianum: *Fidem munit, pacem gubernat, dilectionem adiuuat, humilitatem inſtruit, pœnitentiam expectat, exomologeſim adſignat: carnem regit, ſpiritum ſeruat, linguam frænat, manum continet, tentationes inculcat, ſcandala pellit, Martyria conſummat.* Patiens non obmurmurat, quidquid laborioſum, & aſperum, ſerenâ facie diſſimulat, & quem odio putares habendum, amat.

69. Homo quidam, Adam ſcilicet, cuius hic gerebat perſonam, dum aliena appetit, propria amittit: à Ieruſalem in Iericho deſcendebat: nec enim rapto pomo, vt præſumpſerat inſcendit; ſed vt non ſperabat, ruit: à latronibus deſpoliatum, altiſſimiſque plagis confeſſum Sacerdos & Leuita deſpexerunt, & quamuis accedere ſuaderet affinitas, recedere perſuadebat iacentis neceſſitas. Samaritanus vt à viante Iacobo oleum in erectione lapidis effuſum ſolueret, oleum & vinum infudit: *Infundens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum duxit in ſtabulum, & curam eius egit.* Lucæ 10. v. 3. In iumentum ſuum impoſuit: quia ſi Adam diuinitatem exambiens in iumentorum ſe cenſum quodammodò retulit, teſtante propheta: *Homo cùm in honore eſſet, non intellexit, & comparatus eſt iumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt illis.* Pſal. 48. v. 13. Supernus Samaritanus factus eſt velut iumentum, vt ab homine infirmitatem auferret, & ſibi laudabili furto applicaret. Audi Auguſtinum in catena, *Iumentum eius eſt caro, qua ad nos venire dignatus eſt.* Auguſt. Conſonat ibi Ambroſius: Ambroſ. *Iumento imponit, dum peccata noſtra portat, & pro nobis dolet: homo enim iumento ſimilis factus eſt: & ideò ſupra iumentum ſuum nos impoſuit, ne nos eſſemus, ſicut equus & mulus.* Expende illud: *Portat, & pro nobis dolet.* Portare & eius curam non gerere, non eſſet adeò conſummata patientia: portare, & diligere fuit perfectiſſima tolerantia. Hæc eſt vera patientia de charitatis conſortio perfecta, & de amoris vena nobilitata. Portant ſæpè homines grauiſſima onera; ſed degeneri ſufferentia obærataque tolerantiâ: quandoquidem iræ indignatione inardeſcunt, dum

ſubdunt

Digitized by Google

ſubdunt colla, & inuito ac reluctanti animo ferunt iuga.

70. Numer. 11. v. 12. Dominus Moyſem ad veram patientiam inſtruens ſic ait: *Porta eos in ſinu tuo, ſicut portare ſolet nutrix infantulum.* Aliter baiulus portat onus, aliter infantulum nutrix: deſiderat ille humeros liberare, pondusque excutere; ponderi ſuo iſta iucundè blanditur, & anhelis brachiis amplectitur: lac propinat nutrix dulciſſimum, quo iucundum ſibi onus nutriuerit, & nutriendo incrementarit: ergo Dominus Moyſem admonet nutricis imitari patientem charitatem, quo ſuam nobilitarit patientiam. Non lucent, qui inuitè alienos defectus ſuſtinent, nobili patientiâ; ſed inuita diſcruciantur tolerantia. *Arbitrabatur Sanctus Moſeh*, inquit Oleaſter hic ad mores, *rectè demandatum munus peregiſſe, ſi genitoris ad eos affectum oſtenderet, & vix hoc poterat: præcipitur autem ei, vt veluti mater paruulum non ſuper humeros, non ſuper brachia, aut crura; ſed in ſinu ſuo, & ſuper cor portet eos.* Satis non erat diligere, ni portaret: ſatis non erat portare, ni diligeret: ergo portet amanter, & amet patienter. Quanta patientiâ gerula infantem vagientem ſolatur? quanta ſuffert tolerantia? quanto illi alludit amore? Ergo hanc Moyſes patientiam induat, cuius faciem ſic datus Tertullianus deſcribit cap. 15. *Vultus illi tranquillus, & placidus, frons pura, nulla mæroris aut iræ rugoſitate contracta, remiſſa æquè in lætum modum ſupercilia, oculis humilitate, non infelicitate deiectis, os taciturnitatis honore ſignatum, color quaſi ſecuris, & innoxiis, motus frequens capitis in Diabolum, & minax riſus: cæterum amictus circum pectora candidus, & corpori impreſſus, vt qui nec inflatur, nec inquietatur.* Hæc patientiæ effigies, diuerſa inuitæ tolerantiæ eſt; minax videlicet in quem ſuffert, vultus triſtis, frons indignationis rugis contracta, ſupercilia dolore deiecta, labra rabidis dentibus lacerata, color qualis preſſis, ac violentiam paſſis. Ergo ex ipſo vultu diſcernes, an ſuſtinentia proles ſit generoſa virtutis, an opus neceſſitatis: qui quem portat, odit, non virtute patientiæ ornatur; ſed ignobili neceſſitate compellitur. Ergo Leuites vxoris defectum portat, & portando vxorem amat: quia, vt charitas omnia ſuffert de patientiæ adiutorio, ſic patientia omnia diligit de charitatis auxilio.

Oleast.

Tertull.

---

§. XVII.

Inueniuntur plures laudabilis tolerantiæ expertes, & patientiæ indignæ conſortes.

71. Diabolus Dei æmulus patientiam adulterans alumnos ſuos ad indignam tolerantiam erudiuit, & onera grauiſſima pati edocuit: ſuaue Chriſti iugum impatienti humero excutiunt, confringúntque qui ſæpè indignis oneribus curuantur attriti, nec ſolùm ad omnem tolerantiam ſtultè compoſiti; ſed quadam etiam inſenſibilitate muniti: honeſta patientia eſt, quæ electo ritè Superiori præſtatur, laudabilis obedientia, quæ maioribus exhibetur. *Saluberrimmam patientiam commodate*, aiebat Caſſiodor. 7. var. 27. *vt cauſis veſtris ferat remedium, & iuſſionibus publicis procuret effectum.* Salubris eſt patientia iuſtis iuſſionibus obedire, & honeſta virtutis onera ſupportare; at collum ſubdere infami iugo, humeros terere excutienda oneris grauitate, non eſt patientiæ elogium; ſed damnandæ ſufferentiæ delictum. Fugerat Leuitæ vxor, & in paternos lares ſe receperat violatæ fidei conſcientia ſtimulata; ille verò nimis vxorius eam ſecutus blanditúſque eſt, & ne voluptate careret, tulit patienter probroſam notam, & notam infamiam: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* Fugiſſe ob adulterium Hebræus textus indicat, & interpretes apertè tradunt: inter alios audi Lyram: *Secutus eſt eam, ſicut frequenter contingit, quòd viri ſcientes vxores ſuas malè egiſſe contrà legem tori, adhuc eas reuocant.* Secum adhuc retinere voluit fœdifragam infelici patientia appetitui blanditus, non vera laudabilique patientiâ exornatus: *Sequitur carnem*, inquit Hugo, *volens eam reducere ad ſe, & reconciliare ſibi.* Contentus fuit adulterum deeſſe adulteram non repudians; ſed blandimentis prolectans. Repetere poſſet Plinius iunior quod lib. 6. epiſtolar. epiſt. 31. de Tribuno militum cui vxor centurionis amori parens iniuriam intulit. *Cæſar excuſſis probationibus Centurionem exauthorauit, atque etiam religauit. Supererat crimini, quod niſi duorum eſſe non poterat, reliqua pars vltionis, ſed maritum non ſine aliqua reprehenſione patientia amor vxoris tardabat, quam quidem etiam poſt delatum adulterium domi habuerat, quaſi contentus æmulum remouiſſe.* Quàm eleganter Tertullianus lib. de patientia cap. 16. *Patientia gentium terræ falſa & probroſa: nam vt in iſto quoque Domino Diabolus æmuletur, quaſi planè ex pari (niſi quòd ipſa diuerſitas mali & boni æqualiter magnitudine par eſt) docuit & ſuos patientiam propriam: illam dico quæ maritos dote venales, aut lenociniis negotiantes vxorum poteſtatibus ſubiicit, quæ aucupandis orbitatibus omnem coacti obſequij laborem mentitis adfectionibus tolerat, quæ ventris operariis contumelioſis patrociniis, ſubiectione libertatis gulæ addicit.* Ob gulam, ob libidinem ea homines perpeti non dedignantur, quæ pati hominibus eſt indignum: pati non recuſant; imò aliquando exambiunt ob vitium dura, ob virtutem ſuſtinere nequirent leuia.

Caſſiod.

Lyra.

Hugo.

Plinius.

Tertull.

Video Euam vnica ſe priuatam arbore indolere, & manum ad veſtitum porrendere: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Apud Zachariam lego mulierem amphora incluſam, vt iam Diogeni dolium inhabitanti inuidiam faciat: *Et proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius.* Anguſtiſſimis ſpatiis hæc mulier tacet incluſa, & libertate lautiſque menſis priuata, cùm Eua non ſuſtinuerit arbore vna interdici, nec paradiſi ſpatioſis limitibus contineri. Et quæ huius diſcriminis cauſa eſt? Iam textus explicuit: Euæ patientia militabat virtuti, huius mulieris tolerantia prauitati: *Hæc eſt impietas*: ergo ob prauitatem ſuſtinentur, quæ impoſſibilia ob virtutem cenſebantur. *Vſque adeò*, inquit Tertullianus de patientia cap. 5. *Nunquam omninò peccaſſet, ſi diuino interdicto patientiam perſeruaſſet.* Prolatus paradiſus Euæ carcer eſt; mulieri amphora paradiſus. Eua vnico pomo interdici non ſuſtinet, iſta tacet ferè omnibus interdicta, & ipſa luce priuata. 72. Geneſ. 3. v. 6. Zachar. 5. v. 8. Tertul.

Iacob filiis benedicens, & illorum ingenia prodens, cùm ad Iſſachar deueniſſet, ſic ait: *Iſſachar* 73.

Digitized by Google

Geneſ.49. v.14. *Iſſachar aſinus fortis accubans inter terminos vidit requiem quòd eſſet bona, & terram quòd optima, & ſuppoſuit humerum ſuum ad portandum, factúſque eſt tributis ſeruiens.* Contraria ſibi coniunxiſſe videtur: nam ſi onere prægrauatus inter terminos iacet: *Accubans inter terminos*, quomodo erectus ad portandum ſupponit humerum? *Et ſuppoſuit*, inquit, *humerum ſuum ad portandum.* Vide amabo te, quando ſubiiciat humerum, nempè cùm vidit terram: *Vidit terram quòd optima*: felici ac leui virtutis onere ſuccubuit oppreſſus, vires ad portandum exeruit, & patienter onera tulit, deliciarum fallentium & terræ cupidus: *Iſſachar*, exponit ad litteram Oleaſter, *aſinus dorſi, iacuit inter cacabos, id eſt, permiſit ſe in loco vili eſſe propter requiem.* En infelici patientia apponit dorſum ſibi vileſcens, ne amiſerit condimentorum lautitias, dapes menſarum, ferculorum cupedias. Quàm benè infelicem vocauit hanc aliquorum patientiam Seneca lib. 1. natur.quæſt. cap.16. *Aliquid, quo infelix patientia lateat, obtendunt.*

Oleaſt. Seneca.

74. Senes illi ſalaciſſimi, dum in Suſannæ amorem inardeſcunt, debitæ ſibi ipſis reuerentiæ obliti, riuales conueniunt: *Venerunt in vnum, & ſciſcitantes ad inuicem cauſam confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam; & tunc in communi ſtatuerunt tempus, quando eam poſſent inuenire ſolam.* Deteſtabili patientia eorum quiſque alterum ſuſtinebat riualem, & ne priuaretur voluptate delirus, miſſa omni grauitate iniuriam diſſimulabat obſcœnus. *Talia nationes*, inquit Tertullianus iam datus cap.16. *patientia ſtudia nouerunt, & tanti boni nomen fœdis operationibus occupant, patientes riualium, & diuitum, & inuitatorum, impatientes ſolius Dei viuunt.* Ob virtutem ſenilem calorem, & langueſcentem tempore appetitum patienter non frænarunt; at ob libidinem probroſam patientia adulterata riualitatem tulerunt. Conſonat lib.15.annal. Tacitus: *Nomen mulieris Arria Galla: priori marito Domitius filius: hic patientia, illa impudicitia Piſonis infamiam propagauere.* Patiebatur filius matrem inhonoratam, & libidinibus obſcuratam ob lucrum fortè, aut ignobilis honoris vſuram. Sunt qui de matrum libidine aucupentur dignitatum munia, ſunt qui de impudicitiâ ſororum; imò & vxorum turpiſſima expiſcentur ſibi commoda: ob virtutem leuem ſuſtinere iniuriam, frænare interdictam edicto cæleſti iram videtur intolerandum, cùm infame ſuſtinere, & deglutire grauiora perſuadeat lucrum.

Daniel 13. v.14. Tertull. Tacitus.

75. Duo Pharaonis ſerui arcana viderunt ſomnia, indubia futurorum præſagia: putabat alter Pharaonis ſe calicem in manu habere: *Calicémque Pharaonis in manu mea*: alter triplici caniſtro variis dapibus referto humerum prægrauari: *Et ego vidi ſomnium, quòd tria caniſtra farinæ haberem ſuper caput meum, & in vno caniſtro, quod erat excelſius, portare me omnes cibos, qui fiunt arte piſtoria, auéſque comedere ex eo.* Hugo Cardinalis putat omnem Chriſti paſſionem calice adumbratam: *Calicem in manu habet*, inquit, *qui Chriſti paſſionem habet in opere.* Mira res: cùm ex vnica tantùm vitæ tribus propaginibus prolata fructus liquetur in calicem, integra Chriſti paſſione manus premitur, & grauatur, pincerna verò graui adeò oneri humeros ſubiiciens, nec cruce grauatur, nec Chriſti paſſione premitur. Ecquæ huius diſcriminis cauſa eſt? Quia iſte, inquit Hugo, ferebat caniſtra, vt aues paſceret, vt voluptatibus inſeruiret; ille, vt muneri, obligationique ſatisfaceret: ergo leue virtutis onus, & quod manu vnica ferri quibat, ac ſi eſſet integra Chriſti paſſio grauabat; caniſtrum verò paſcendis auibus humeros nequaquam premebat: quia vitium lapideam adminiſtrabat tolerantiam, & ignauia exaggerabat patientiam: *Tria caniſtra farinæ tria peccata generalia, per farinam ſubtiles adinuentiones in peccatis.... aues, id eſt, Dæmones, qui ſuperbia delectantur, & reficiuntur.* Alter ob virtutem ſuſtinet calicem, alter ad nocturnas aues, Dæmonéſque paſcẽdos tria caniſtra humeros prægrauantia ſuſtinet; & tamẽ iſte ſe pati non cogitat; ille verò tota Chriſti paſſione ſe prægrauari ſuſpirat. O nimis verum! Ea pati conſuluit vanitas, ea ſuſtinere edocuit ambitio, quæ elephantorum requirant humeros, & tamen ferunt ambitores, & voluptuoſi læto vultu & celeri greſſu; at ſi virtus calicem vnius tantum vitis liquore plenum manu ferre ſuaſerit, iam ingemiſcent humeri, iam defatigatæ ſudabunt vires, iam nimio onere premi ſe queretur deſidia, & leuari conabitur ſtudioſiſſimè ignauia. Ecce qui inſeruit auibus, etſi caniſtra plurima humeros terant paſſione prægrauari non dicitur cùm virtuti, & obligationi inſeruiens cruce diuexari dicatur: *Qui calicem in manu habet, paſſionem Chriſti habet in opere.* Miraberis vires pro diuerſitate materiæ aut deficere, aut inualeſcere: virtutis leue onus nequit ſuſtineri, quaſi omne robur expectorarit; vitiorum ingentiſſima pondera facillimè tolluntur: quaſi vires appetitus auxerit, & indiderit.

Geneſ.40. v.11. Hugo.

---

§. XVIII.

Nonnulli cùm mundialibus renuntiarint deliciis, ad eas redire ſolitant ardentiſſimis deſideriis.

AB exordio præ ipſa virtute hominibus placuit virtutis elogium, & admirantium ambierunt plauſum: nolunt videri tabe vitiorum infici; ſed dum externam affectant virtutis ſpeciem non refugiunt criminis prauitatem. Peruerſa via ſibi blanditur ambitio, & dum vanitatem videtur fugere, inuenitur ipſa fugâ ſubdolè quærere. *Mimicè*, aiebat Tertullianus in Apologetico cap.4. *philoſophi affectant veritatem, & affectando corrumpunt, vt qui gloriam captant.* Adnectit: *Ecce lutulentis pedibus Diogenes ſuperbos Platonis toros alia ſuperbia deculcat.* Itaque in ipſo ad ſpeciem virtutis exercitio deprauantur, & corrumpuntur, & vti mimici ſolent viros omni virtute excultos, omni ſanctitate exornatos repræſentare, cùm interiùs vitiis ipſos dubium non ſit ſcatere. Sic ij ambitionis & vanitatis chamæleontes ventum ruminant, & fucum ſanctitatis oſtentant. Conſonat Diogenes Laërtius Tertulliano de Socrate agens; *Calcans aliquando Platonis ſtratum dixit: Calco Platonis inane ſtudium. Ad quem Plato: Quanto, inquit, ô Diogenes faſtu tumes, dum ſuperbiam te calcare putas.* Affectabat virtutem; ſed vt lucraretur plauſum, vt admirationem ſibi conciliaret, & calcando faſtum gloriam ambiret. Nec hìc malum noſtrum ſiſtitur. Si aliquando virtus verè colitur, citiſſimè faſtiditur, & honeſtè antè abiuratum repe- 76.

Tertull. Diogen.

titur,

titur. Leuites, quam ſibi comparauerat, concubinam repulit, vt expeditius virtuti viueret, verùm exiguo interuallo ad illam rediit, vt eius frueretur deliciis, & tempus amiſſum compenſaret illecebris. *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* In Leuite agnoſcit Hugo Cardinalis ſpiritum, in vxore carnis delicias: ergo etſi Leuites breui tempore à voluptate abſtinuerit, & à ſe repulerit, virtutis quodammodò pœnitentiam agens ſtudioſiùs rediit, & ardentiùs requiſiuit: (Hugo.) *Iſte vir fuit Leuites non habens partem in terra: ſed Dominus pars hæreditatis eius fuit.* Adnectit: *Ideò ſpiritus dicitur Leuites nihil habens in terrâ, erectus ad cæleſtia per amorem: vxor eius caro eſt.* Conſonat Lyra: (Lyra.) *Vir eius eiecit eam, ideò iuit ad domum patris ſui.* Eiectam quæſiuit, & quæſitam ſibi vinculo arctiſſimo, ſi dici liceat, reaſſociauit.

77. Iſaias neſcio an malè ominetur Iſraëlitarum virtuti, dum ſic cap.17. ait: (Iſai.17. v.7.) *In die illa inclinabitur homo ad factorem ſuum, & oculi eius ad Sanctum Iſraël reſpicient, & non inclinabitur ad altaria, quæ fecerunt manus eius, & quæ operati ſunt digiti eius, non reſpiciet lucos, & delubra.* O quàm fauſtum virtutis elogium, ni addidiſſet: *In die illa erunt ciuitates fortitudinis eius derelictæ ſicut aratra.* Iam Iſraëlitæ meliora ſapientes, & virtutum caſtra ſecuti hoſtibus Dei laudabiliter vertebant terga, ne inhoneſta penderent illis tributa; verùm dum ſe fugæ commendant, lucos, & delubra, quæ propugnacula erant ad tuenda vitia fortiſſima, vt aratra reliquerunt. Proh ominoſam ſimilitudinem! Agricola aratrum, quo terram vertit ſole ardentiſſimis candente tediis ſuſpendit; non tamen vt Eliſæus flammis ardentibus trudit: ergo exiguo tranſacto tempore iterum reſumit aratrum, & ad telluris culturæ reuertitur exercitium. (D.Thom.) *Crebri*, inquit D. Thomas in catena ad Lucæ 9. *Intuitus eorum, quæ deſeruimus, propter conſuetudinem trahunt ad retroacta: violentum enim quid vſus eſt ad retinendum ſibi: nonne habitus ex vſu, ex habitu verò natura innaſcitur? naturam verò amouere, vel alterare difficile: nam etſi pauliſper declinet coacta, redit ad ſe ipſam velociter.* Dum candidior cæleſtis ſolis radius animos noſtros peruadit, mentéſque illuſtrat vitiorum delubra deſerimus, & ad virtutem confugimus; verùm vt agricola opportuniori aduentante tempore reſumit aratrum, ſic nos ignauiæ nebulis cæleſti ardore ſopito repetimus terrenam culturam, & laborioſam fallaciam.

78. Hinc Paulus, vt eximiam erga ſe Dei commendauerit gratiam, aiebat: (Ad Philip.3. v.13.) *Vnum autem quæ quidem retro ſunt, obliuiſcens, ad ea verò, quæ ſunt priora, extendens me ipſum.* Humiliter gloriatus fuerat ſe Chriſti morti configuratum: *Configuratus morti eius.* Et hoc addidit quaſi peregrinum & vnicum, videlicet anteriora ſuſpiraſſe, nec pedem verſus relicta retuliſſe: *Vnum quæ retro ſunt, obliuiſcens*: Adeò frequens eſt relicta non ſolùm memoria retinere; ſed affectione etiam colere: (Anſelm.) *Vnum autem*, exponit Anſelmus, *hoc me non arbitror apprehendiſſe: multa habeo; ſed vnum nondum apprehendi. Porrò vnum eſt neceſſarium: vnam petij à Domino, hanc requiram. Et quæ eſt illa? vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: ipſum eſt vnum, quod nondum apprehendi, & in quantum mihi hoc deeſt, in tantum nondum perfectus ſum: quia nondum æqualis Angelis.* Ac ſi dicat Paulus: Angelus adeò fixè à ſe decretis hæret, vt nunquam à ſententia dimoueatur: hanc ergo æmulari diſcupio naturam, vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ: quandoquidem vereor, ne Domini hoſpitio vſus terrenum repetam habitaculum, & ſapienter relictorum iterum foueam ſtudium. Addit Anſelmus: *Quid ergo agis? Quid agendum exemplo tuo doces? Ea quidem quæ ſunt retro, id eſt, terrena, quæ reliqui, obliuiſcens, id eſt, à memoria cogitationis auferens.* O cæleſtem vtiliſſimamque doctrinam! Qui à ſe relicta adhuc mente reuoluit, nondum dereliquit: fortaſſis pullulabunt iterum, & quæ putabantur reſecta, ſementis adinſtar exurgent noxiis incrementis multiplicata. Qui diſcupit vitare periculum, imitetur Apoſtolum: à memoria expungat quidquid reliquit, ne dum memoria viget, iterum adulетur appetitui, & approximet caſui.

Inter Apoſtolos video Petrum ad piſcationem 79.
rediiſſe: *Vado piſcari*: & Dominum audio abnegaſſe: (Ioan.21. v.3.) *Iterum negauit Petrus*: (Ioan.18. v.27.) propter Chriſtum derelicta memoriâ retinuit, & ſe quodammodo de abnegatis iactauit: (Matth.19. v.29.) *Ecce nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te.* Reliquiſſe oporteret relictorum etiam memoriam; ſi Pauli ad inſtar quæ retro, oblitus virtutibus acquirendis ſolùm inuigilâſſet intentus, piſcationem non iteraſſet, nec à Domino audiſſet: *Pueri numquid pulmentarium habetis?* Dum recordatur, adhuc puer eſt, & repetens retia reuertitur ad pericula, vt ſuos nos caſu inſtruat, & relictorum memoriam relinquendam etiam edoceat. *Quia virili robore*, inquit Chryſologus Serm.78. (Chryſol.) *inuenerat perdeiectos, arguit tales, pueros nuncupando, tum dicit: Pueri numquid pulmentarium habetis? Ibi enim erat Petrus, qui negauerat.* Quia ad piſcationem rediit, & iterum reti incubuit, puer audit Petrus, non quod fuerit piſcari illicitum, ſed quia (vt Chryſologo placet) ab illa perfectione tantiſper alienum: qui diſcupit ſe penitus expedire, à memoria abigat retro poſita: & aliquando relicta.

Recordamur piſcium, aiebant Hebræi, poſt- 80.
quam Ægypto renuntiauerant, (Numer.11. v.5.) *quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia.* Non longè diſtabant à reditu, qui memoriam non expunxerant; ſed ſeruarant: illos audi: (Numer.14. v.5.) *Dixerunt alter ad alterum: Conſtituamus nobis Ducem, & reuertamur in Ægyptum*: De repetendis aliis cogitant: quia memoria reuoluebant: nam cum voluntas memoriaque grandi non diſtent interuallo, facilè memoria exuſcitat affectionem, & anteà faſtidita adamantur, & derelicta quæruntur. *De reprobis dicitur*, inquit Gregorius hom.3. ſuper Ezechielem, (Gregor.) *quia reuerſi ſunt corde in Ægyptum.* Adhuc inter deſertorum ſolitudines memoriâ Ægyptum inhabitabant: ergo alliorum memoriâ voluntatem accendit: cùm deſertis de errarent corpore, incolebant Ægyptum mente.

Hoc vt vitarent periculum myſtica illa Eze- 81.
chielis animalia, nullatenus ad locum, vnde exierant, reuertebantur; ſed recto ſemper itinere contendentia coram facie ſua proficiebant ſine impedimento ambulantia: (Ezech.1. v.9.) *Non reuertebantur, cum incederent; ſed vnumquodque ante faciem ſuam gradiebatur.* Quod Gregorius ſuprà datus exponens ſic ait: (Gregor.) *Ante faciem ſuam gradiuntur ſancta animalia: quia & ea quæ reliquerunt, nullo iam*

appetitu

Digitized by Google

appetitu reſpiciunt, & in æternis, quæ appetunt, ſub contemplationis ſuæ oculos boni operis pedem ponunt: quiſquis itaque iam ante faciem ſuam ambulare decreuit, magna ei conſideratione penſandum eſt, quod aliter retro reſpicitur ex opere, atque aliter ex cogitatione. Ac ſi dicat Gregorius: aliter reditur ex opere, cogitatione aliter: ſed ſancta animalia à ſe derelicta nec cogitatione repetunt, ne, ſi relicta obuerſentur iterum menti, adulentur affectioni. En Leuites delicias abegit; ſed paulò pòſt repetiuit: fortè quia dum iterum pinxit phantaſia, amoris eſt ſuſcitata ſcintilla

§. XIX.

Facilè per ſe ipſum Superior obtinebit, quod difficiliùs, aut nunquam per adminiſtros perficiet.

82. DOcti artificis manus mirâ facilitate, & concinnitate elaborat, quæ diſcipulus & tardiùs, & operoſiùs: ipſa materia, ac ſi ſenſu prædita eſſet, manum operantis agnoſcit, ſicque pro dexteritate artificis decentiùs obedit. Nec aliter principi, aut ſuperiori contingit: per ſe ipſos facilè perficiunt, quod per adminiſtros internuntióſque aut tardiùs, aut operoſiùs. Hinc Senatus Præfectus miſſis ad inopiæ leuamentum centum auri libris ſic Ligurum Præſulem admonet 11. var.
Caſſiod. 15. *Iudicio veſtro, quibus eſt cauſa notiſſima, tantâ vnuſquiſque huius muneris participatione lætetur, quanta neceſſitate grauatus eſſe cognoſcitur, ne quod afflictis datum eſt, vſurpet illæſus; ſed illi reparatis viribus conſurgant, qui damnorum ſarcina premente corruerant.* Ne ſi per inferiorum miniſtrorum manus aurum tranſeat, ad egentium manus non perueniat, iubet à Præſule diuidi, quia ſic poterit inopia miſerorum leuari. Si Præſules, ſi Superiores per ſe ſubiectorum cauſas attenderent, feliciter prouenirent vota; nec lachrymabilis reſultaret querela; aſt dum miniſtris quibuſlibet committunt, oleum, & operam perdunt. Huius veritatis teſtis eſt Leuites, cuius vxor neſcio quibus exaſperata iurgiis in paternam domum ſe receperat, diuque ſeiuncta perſeuerarat: *Reuerſa eſt in domum patris ſui in Bethlehem, manſitque apud eum quatuor menſibus.* Quis dubitet, ſi verum eſt, quod Ioſephus tradit, Leuitem ſcilicet nimio erga vxorem amore vrgeri, adeò longo ſpatio vxoris reditum ſolicitaſſe, & per internuntios expertiuiſſe; ſed ſine effectu: ergo ipſe vxorem reducturus contendit, nec iam internuntium ſeruum delegauit: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum, & duos aſinos.* Alienâ induſtria vti noluit; ſed per ſe ipſum negotium non exigui momenti perficere aggreſſus eſt: & quidem euentus comprobauit, quàm faciliùs, feliciúſque negotia prouenіant per ipſum Superiorem geſta, quàm internuntiis ſeruis commiſſa. En ſtatim ac peruenit Leuites grato vultu ab vxore exceptus, & à ſocero humaniſſimè eſt habitus: *Quæ ſuſcepit eum, & introduxit in domum patris ſui: quod cùm audiſſet ſocer eius, eúmque vidiſſet, occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem.* Feliciter omnia ſucceſſerunt, cùm ipſe adfuit; non ita cùm per ſeruum reconciliationem diſpoſuit: *Suſcepit, ſcilicet vxor eum, id eſt, virum*, inquit Hugo Cardinalis, *quando ſic eſt, tunc benè eſt domus.* Benè eſt domui, quando Dominus domus per ſe ipſum res familiares curat, quando domeſtica negotia diſponit, nec ſeruulis, aut adminiſtris committit. Hugo.

83. Video pro extrahendo Hebræorum populo Moyſem Aaronémque delegatos, quibus etſi dexterè rem tractantibus & pertinacia obſtitit, & in poſterum libertatem remiſit: *Noluit dimittere eos.* Quid tunc? *Adhuc vna plaga*, inquit Dominus, *tangam Pharaonem, & Ægyptum: & poſt hæc dimittet vos, & exire compellet.* Hinc oritur difficultas: Si tot verberibus afflictus, ſi tot plagarum imbribus penè obrutus diſſimulauit, & tenuit, & diſtulit, quomodo vna plaga remittet tactus, quos tot tantiſque retinuerit percuſſus? Iam textus reſpondit: *Factum eſt autem in noctis medio: percuſſit Dominus omne primogenitum in terra Ægypti.* Quid tunc? *Vrgebant Ægyptij populum de terra exire velociter.* Cùm populi princeps propria manu libertatem ſolicitat, tempus redimit, & populum vrgentibus iam, qui reſtiterant, educit. Moyſes & Aaron omni ſtudio, omni ſedulitate, omni ſolicitudine pro educendo populo laborauerant; at quia adminiſtri erant, Pharao variis tergiuerſationibus rem diſtulit, & tempus traxit: feliciter, citiſſiméque abſoluta eſt res difficultatibus plena, dum per ipſum Dominum geritur, aſt per ſeruos, quantumvis induſtrios procraſtinatur. *Deus*, inquit Theodoretus apud gloſſam, *primogenita Ægyptiorum occidi voluit.* Dum ipſe ſeuero gladio illatâ primogenitis morte expeditionem ſolicitat, iam omnia ceſſant obſtacula, iam cedunt impedimenta: vt nouerint ſuperiores, principéſque, quàm ſit alius rerum euentus, dum per ſe ipſos, aut per miniſtros res gerunt. Exod. 1. v.28. Exod 11. v. 1. Exod 12. v. 29. Theodor.

84. Contendebat Petrus cum Ioanne aſſociatus ad templum, cùm incidit in deſidioſum claudum, cui in ipſa formationis officina fuerat natura nouerca, commiſeratione motus Apoſtolus claudum iuſſit in eos dirigere aſpectû: *Reſpice in nos.* Quàm illos non reſpiceret, ſi non reſpice et in illos! His dictis manû Petrus extendit, & pedes claudo procudit: *Apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat.* Rogabis, cur Petrus Ioanni manum extendere non commiſit, cùm in ambos intendiſſe claudo præceperit? Reſpondeo deſideraſſe citò ſalutem infundi, greſſúſque reformari: ergo noluit adminiſtro; quantumvis ſolerti, committere; ſed per ſe manum extendere: adſit Ioannes Petri Coapoſtolus, Petróque ſubiectus: in ambos reſpiciat claudus, quia aliquid Ioannis præſentia conferet; Petrus verò manum apponat, quo pedes citiùs ſolidentur, & antiquis vinculis diſſoluantur. Prodeſt Baſilius Seleucienſis orat. 21. *Protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ. Oblitus es quid negotij natura præbuiſſet, per Petri manum curſuram didiciſti, cuius prius ſpectator, & cupiẽs eras, nec adſequebaris.* Clamabat ad Ioannem, repræſentabat quantas tuliſſet moleſtias; verùm nil inſtantiis aſſequebatur, dum Petrus curationi manum non apponit; extenſa tamen Petri dextera ex templo greſſus dirigitur, & ſalus redintegratur: de Superioris præſentia eas vires claudus accepit, vt, ſi ante explicare nequibat paſſum, iam lætus acceleret curſum: facilè depellit morum ægritudines Superior, facilè ad virtutem Actor. 3. v. 4. Seleucienſ.

 Nn

virtutem perſuadet curſum, celeriter abſoluit negotium multâ difficultate implicatum: per miniſtrorum manus lentiùs negotia abſoluuntur, & veſtigia reformantur. Adde ſpeciali fauore, peculiarique auxilio Deum Superiori adeſſe, ſi manum extendat, ac per ſe negotiis incumbat.

85. Ægrotanti ad mortem Eliſæo Ioas rex Iſraël copioſas coram eo lachrymas diffundebat, eiúſque mortem amariſſimis gemitibus deplorabat. Eliſæus quam ſemper populi curam geſſerat, in morte non omiſit; imò arcum iubet afferri, regémque manum ad ſagittas eiaculandum imponere: *Affer arcum, & ſagittas: cúmque attuliſſet ad eum arcum & ſagittas, dixit ad regem Iſraël: Pone manum tuam ſuper arcum: & cùm poſuiſſet ille manum ſuam, ſuperpoſuit Eliſæus manus ſuas manibus regis, & ait: Aperi feneſtram orientalem: cúmque aperuiſſet, dixit Eliſæus: Iace ſagittam: & iecit. Et ait Eliſæus: Sagitta ſalutis Domini, & ſagitta ſalutis contrà Syriam: percutiéſque Syriam in Aphec, donec conſumas eam.* (4. Reg. 13. v. 15.) Plura his factis latere noſcuntur arcana: ſi iuſſit manum apponere: *Pone manum tuam ſuper arcum*, quomodò regis manibus manus ſuas ſuperimpoſuiſſe refertur? Ad hæc, ſi Eliſæus, dum aufert, & reddit aſpectum, Syrios non conſumit, quomodò vnica ſagitta rex vulneratos conſumet, & confoſſos euertet? Ibi Eliſæus retrò inuiſum patrans miraculum Syrios ab irruptionibus arcuit; ſed penitùs non conſumpſit: *Vltrà non venerunt latrones Syriæ in terram Iſraël*: (4. Reg. 6. v. 23.) & hîc iactus conſummationem perficiet? *Percuties Syriam in Aphec, donec conſumas eam?* Vnica reſponſio duplici ſatisfaciet quæſtioni: dum rex arma in Syrios non apprehendit, etſi Eliſæus miracula patret, non conſumuntur, etſi arceantur; aſt vbi princeps ipſe arma prehendit, dum ſagittas iacit, ad aduerſariorum excidium neceſſarium non eſt miraculum. Eliſæus frænauit miraculo audaciam; ſed plenam non eſt aſſecutus victoriam: Ioas, dum eiaculatur ſagittam, adipiſcitur victoriam. Adeſt Hugo Cardinalis hîc (Hugo.): *Per hanc ſagittam indicatur, quòd Dominus faciet ſalutem in Iſraël contrà Syriam.* Expende illud: *Per hanc ſagittam*, ſcilicet manu regia contortam, & contrà aduerſarios miſſam, vt notum fuerit quàm citò per Principem obtinetur, quod per alios tardè perficitur. Benè; ſed reſtat adhuc illa difficultas, ad quid videlicet Eliſæus manus ſuas manibus ſuperpoſuit regis. Sed reſpondebit Baſilius Seleucienſis Chriſti vmbram fuiſſe Eliſæum, ſuperpoſuiſſéque manum, vt hoc facto denotaret, ſi Principes, Superioréſque, quæ muneris ſunt, per ſe ipſos obierint negotia, ſpecialia obtenturos auxilia: Superimponit Deus manum manui regiæ, dum in hoſtes apprehendit arcum: & fortè non ſuperponeret, ſi arcum prehenderet miniſter, quantumvis ſolicitus, & ſtetteret Superior otioſus (Seleuc.): *Eliſæus*, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 10. *Chriſti figuram gerit.* Cæleſte adeſt auxilium ſuperiori inuigilanti, & quæ muneris ſunt, exercenti.

86. Nouerunt hanc veritatem malefici illi Pharaonis: in arenam cum Aarone Moyſéque deſcendentes: Aaron virgam ſuam in terram proiicit, ſuas etiam proiiciunt Magi: quæ omnes in dracones verſæ prælium adoriuntur: circa illum primum ſinuoſis orbibus plures voluebantur; verùm licèt flammiuomis oculis & ardentibus mortem minitarentur ſquamis, triumpho aduerſarij militarunt, & vnicus, ille coluber veluti obiectos piſciculos magicos dracones abſorbuit, & detriumphauit: *Deuorauit virga Aaron virgas eorum.* (Exod. 7. v. 12.) Adhuc victi non deſiſtunt malefici; ſed inſtaurato certamine, iterum in Arenam proſiliunt: Aaron virga manum tenens ſcyniphum imbrem de puluere educit: *Extendit Aaron manum virgam tenens, percuſſitque puluerem terræ, & facti ſunt ſcyniphes in hominibus, & iumentis.* (Exod. 8. v. 17.) Malefici educere ſcyniphes aggrediuntur, nec poſſunt: & hîc Dei digitum fatentur adeſſe: *Digitus Dei eſt hîc.* Iam pungit ſcrupulus: Si digitus Dei hîc relucet, cur dum virga dracones deuorat, à maleficis non agnoſcitur, nec hoſtes impugnare deprædicatur? Quia ibi Aaron proiecit virgam; hîc manu tenuit: ergo dum traditam à Deo ſibi virgam manu gerit, Deus contrà inimicos digitum etiam apponit, & appoſito cedent: qui teſtiuerant, dum ſpecialem non agnouerant efficaciam, & ad ipſos impugnandos valentiam. Adeſt Iſidorus apud gloſſam: & Auguſtinus epiſt. 119. *In tertio ſigno Magi deficiunt, dicentes: Digitus Dei eſt hîc.* (Iſidor.) Vbi Superior apponit manum, Deus ſuperapponit digitum, & inimicus deuictum ſe confitetur: vt nouerint principes, ſuperioréſque, quàm interſit per ſe ipſos gubernationi attendere, nec ſolùm adminiſtris committere.

---

§. XX.

Diſcant parentes, propinquique concordiam inter coniuges fouere, & lites non ſeminare.

87. Eſt pax, inquit Dionyſius lib. de diuin. nominib. cap. 11. (Dionyſ.) *quæ omnia coniungit, atque inter omnia concordiam, connexionémque & gignit, & abſoluit. Itaque eam omnia expetunt, quod diuiduam ipſorum multitudinem ad totam coniunctionem traducat: inteſtinúmque bellum huius diuerſitatis ad eiuſdem generis domicilium coniungit.* Pax diſſidiorum exilium, charitatis fomentum, felicitatis elogium eſt: vnde Tertullianus lib. de Pallio cap. 1. Carthaginienſibus gratulatur pace frui, cæleſti quidem ad vitam annona, & laudabili à tergiuerſationibus otio à numine hominibus impertito, & veluti ſummo ex humanis bono teſtamento legato: *Pacem*, aiebat, *relinquo vobis, pacem meam do vobis.* (Ioan. 14. v. 2.) Iam quod dignum numine donum ſit accipe ab Africano: *Principes ſemper Africæ, viri Carthaginienſes vetuſtate nobiles, nouitate felices, gaudeo vos tam proſperos temporum, cùm ita vacat, ac iuuat, habitus denotare pacis. Hæc & annona & otia ab imperio, & à cælo.* (Tertull.) Itaque pax eſt cæleſtis annona, ſine qua difficilis vita; verùm etſi omnibus pace ſit opus, præcipua ac neceſſaria coniugibus, quæ ſi deſit, iam matrimonium vertitur in ſtadium; ea tamen nonnullos parentes cognatóſque vanitatis amentia poſſedit, aut ſtulta honoris præſumptio occupauit, vt leuiſſimas cauſas inter coniuges in grauiſſimos exceſſus fouerint, & pericula ingentiſſima ex eis creauerint. Offenderat Leuites vxorem aſpero fortè ſupercilio, illa recurrit ad patrem, & quidem prudentem: nam cùm Leuites de reconcilianda ſibi vxore ageret, non ſupercilio offendit,

Digitized by Google

offendit; ſed concordiam amplexatus generum fouit: *Cum audiſſet eius ſocer, eumque vidiſſet, occurrit ei lætus, & amplexatus eſt hominem, manſitque gener in domo ſoceri tribus diebus comedens cum eo, & bibens familiariter.* Lite inter virum, vxoremque iam compoſita pax refloruit: & quidem ſi ſocer aſpero vultu generum excepiſſet, & diſſidij cauſas exaggeraſſet, forſitan reuocata reconciliationis ſententia in odium degeneraret affectus, & in contrariam partem tranſiret animus; at placidus vultus, hoſpitij comitas vxorem maritumque ad concordiam reduxit, & negotium difficultatibus plenum feliciſſimè abſoluit. Opportunè Arias

Montan. Montanus: *Omnes pietatis, & humanitatis, atque hoſpitalitatis partes præſtare ſategit, non qui vel filiam retineret, quod n fas putabat, nec qui eodem loci habitare vtrumque oraret; ſed qui quamdiu poſſet, ambos conuiuiis, & lætitia exhilararet, curaretque quantum poſſet, & ageret, vt quod moleſtia puella viro diſcedendo dederat, ipſe indulgendo compenſaret.* Curauit ſedulè ſocer non filiæ partes defendere, & generum culpis onerare; ſed ambos ad concordiam grato vultu, blandóque ſermone reducere; imò ſi quid filia errauerat, amplis erga generum officiis exhibitis & inaurare & ſupplere. Adſtipu-

Ioſeph. latur etiam Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. *Ipſe venit ad ſoceros, quorum operâ miſſis querelis cum vxore in gratiam reuertitur.* Expende illud: *Quorum operâ*: nec enim ſoceri tales erant, vt lites nouis querelis fouerent; ſed qui in concordiam pacemque coniuges miſſis querelis reducerent. Et quidem ſi ſoceri hoc exemplum ſequerentur, grauia vitaſſent incommoda, & periculoſa certamina; at dum imprudenter dant querelas, viuidiùs non ſemel inflammant iras: vnde implacabiles oriuntur lites, & miſeræ emergunt non ſemel etiam ſtrages.

88. Nimia iracundia commotus ob arcani reſerationem diſceſſit Samſon ſponſam relinquens, & ſe ad parentum domum conferens:

Iudic. 14. v. 19. *Iratus nimio aſcendit in domum patris ſui.* Puellæ parentes non leges iuſtam diſcedentis iram leniuiſſe; nec in gratiam cum vxore reducere procuraſſe; imò cum deferueſcente iam indignationis ardore vxoris domum repeteret cauſas indignationis oblitus, & allato munere, ſiquid exceſſerat, recompenſandi ſtudioſus; ſocer repulit, nec ad vxorem intrare permiſit:

Iudic. 15. v. 1. *Venit Samſon inuiſere volens vxorem ſuam, & attulit ei hœdum de capris. Cumque cubiculum eius ſolito vellet intrare, prohibuit eum pater illius.* Puellæ pater, qui reconciliare coniuges debuiſſet, indignatione imprudenter offenſus, & abſentiâ indignatus non ſolùm redeuntem non ſuſcepit humano vultu; ſed prohibuit ſeuero, & aſpero ſupercilio. Quanta hinc oborta mala, textus non tacuit: Samſon namque qui benignè exceptus, & comiter tractatus ardentiori amoris vinculo compenſaſſet abſentiam, repulſa offenſus de ſponſo tranſiuit in aduerſarium, de genero in inimicum: *Ab hac die non erit culpa in me contra Philiſthinos: faciam enim vobis mala.* Iam maturæ meſſes flammis vſtulantibus pereunt, iam vineas oliuetaque ignis conſumit, iam Philiſthini iacturæ dolore perculſi, occaſioniſque non ignari mulieris patriſque ſanguine dolorem ſolantur: *Aſcenderunt Philiſthiim, & combuſſerunt tam mulierem, quàm patrem eius.* Domus euerſa eſt; pater filiaque crepitantibus flammis aduſti, diuitiæ deperditæ ob ſoceri imprudentem aſperitatem. Quanta vitaſſet, ſi querelis miſſis redeuntem benigno vultu excepiſſet? *In hoc facta fuit Samſoni iniuria*, inquit, Lyra. Lyra, *quia non repudiauerat vxorem; ſed tantùm ad horam receſſerat ab ea, quod erat ſibi licitum.* Dum parens filiæ cauſas agit; nouam ſuperaddit offenſam, & Samſonem prouocat ad vindictam: prohibitus namque & repulſus amorem conuertit in odium, & ipſa, qua reuertebatur facilitas, non exiguum fuit ad iram incrementandam fomentum. Nouerint hinc parentes, ſi quid gener peccauerit in filiam, diſcordiæ cauſas non fouere; ſed in concordiam, pacemque reducere; alioquin & leuibus, ſi parentum fauore flabellentur, cauſis implacabilia iurgia, & Martia conſurgent bella.

Moyſis ſoror, fraterque, dum fratrem Æthiopiſſam duxiſſe obmurmurant, diſcordiam etiam 89.
diſſeminant: ſi enim alius Moyſes, fratrum ſententiâ permotus vxorem gratis oculis non adſpiceret, ſed nigredinem abhorreret: *Locuta eſt Maria & Aaron contra Moyſem propter vxorem eius Æthiopiſſam.* Numer. 12. v. 3. Moyſes, vt qui virtutem ſtudioſè coleret, ab amore vxori debito non refrixit; verùm ſoror non tulit impunè litium occaſionem coniugibus exhibuiſſe: iratus namque Dominus abiit, & dum nubes tabernaculo incubans recedit, ſerpens lepra loquacem fœminam citiſſimè defœdauit: *Iratus contra eos (Dominus) abiit, nubes quoque receſſit, quæ erat ſuper tabernaculum, & ecce Maria apparuit candens leprâ, quaſi nix.* Leuem ad ſpeciem culpam grauiſſima ſequitur pœna: conſtruxerat Aaron vitulum, bellum indixerat cœlo, denudarat populum auro, & tamen nec nubes recedit, nec lepra viget; aſt dum inter coniuges diſſeminatur diſcordia, grauis diurnáque infligitur pœna, & recedente deſuper tabernaculum nube inardeſcit numinis ira: grauiora certè crimina, quibus Hebræi tenebantur, diſſimulauerat Dominus; ſed cùm Æthiopiſſæ nigredo ſugillatur, & diſcordiæ inter coniuges occaſio præbetur, fœdiſſimâ leprâ exeſa à cæterorum conſortio ſoror expungitur: quaſi grauiſſima Reipublicæ peſtis ſit lites inter coniuges diſſeminans, & concordiæ paciſque ſcandala imprudenter concinnans. Igitur, vt nouerint homines quantis obnoxij ſint pœnis harum auctores litium, etſi alia crimina numinis diſſimularit patientia, hoc ſeuera puniuit iuſtitia: *Signum iræ*, inquit Oleaſter hic ad mores, *receſſus Domini: timendum ergo valde eſt, ne Dominus contra te iraſcatur, & à te recedat: quam primum enim receſſit ille, apparuit illa candens ſicut nix, & leproſa facta eſt.* Oleaſt. Numinis iram in ſe commouit, lepram aſciuit, quæ coniugibus diſſidij integrique cauſas adminiſtrauit.

Digitized by Google

§. XXI.

Vitium, vt deueniat ad vlteriora, initio tentat exigua.

90. Geneſ. 3. v. 1. VItium, ſerpentis facie ab exordio perſonatum ſenſim illabitur, repitque: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus.* Et in quo præcipua hæc ſerpentis aſtuta calliditas, & doloſa peruerſitas? In eo exiſtimem, quod alia animalia tota ſimul oculis obiiciuntur; aſt coluber ſpiris inuolutus, & contractus videtur recula; ſed dum paulatim ſe explicat, & ſpiras turpes enodat, ingentis magnitudinis deprehenditur, qui exiguæ quantitatis reputabatur: ſerpens ſe paulatim trahit; ſed compenſat actuoſitate veneni, quas poſuit moras in dimetiendo ſpatium, & in accedendo ad terminum. Ad hæc: alia animalia, quia tota ſimul, ſe per rimulas non inſinuant; aſt coluber per leues ſciſſuras irrepit, & viſum fallit: ergo Dæmon vitiumque ſerpentis induit vafritiem, paulatim ſe inſinuando, & ſenſim irrependo: *Serpentis facie perſonatus*, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 3. *inſidioſè meditata aggreditur.* Itaque vitium non ad virtutis euertendos muros arietatur initio, non deterret manu facta; ſed illabitur ſenſim per rimulas, & cum putabas omnia obſerata, ſerpenti inuenies aperta. *Adhuc in proceſſu vitia ſunt*, aiebat Seneca 6. natur. quæſtion. cap. 31. *inuenit luxuria aliquid noui, in quod inſaniat; inuenit impudicitia nouam contumeliam ſibi: inuenit deliciarum diſſolutio & tabes aliquid tenerius, molliuſque, quo pereat.* Venerem teſtudini inſidentem, lentiſſimiſque greſſibus finxit Phidias ambulantem: ad vlteriora graditur ſemper contendens, ipſaque greſſus lentitudine fallens: *Eliorum Phidias* (Scribit Plutarchus in præcept. connub. *Venerem teſtudini inſidentem finxit.* Molli greſſu, lentiſſimo gradu illabitur; ſed ſi ſemel illapſa, grande malum eſt, & violentum. *Iuxta venerem veteres* (verba ſunt eiuſdem Plutarchi) *Mercurium vno in ſacello collocauere, quod voluptas genialis præcipuè, ſermonem poſtulet, ſuadamque, & Gratias, blandimentis, vt imperent, à ſe mutuò ea, quæ fert animus, non certamine, neque contentione.* Venus initio blandis verbis contenta eſt; at ſecum ſuadam Gratiaſque affert, quæ noua impetrent, non contendendo; ſed ambulando. Sirenes illæ, quæ in miraculum antiquitati habebantur, ſuauiſſimis concentibus aures tantùm demulcebant; ſed, vt per aures animos deuincerent, & naufragio miſero traderent. Prudens Vlyſſes ſolicitatorem auditum obſerauit, ne ſi vocis fallacem dulcedinem admitteret, naufragium vitare non poſſet: *Solus Ithacus euaſit*, inquit Caſſiodorus 2. var. 40. *qui nautis ſolicitatorem protinus obſtruxit auditum contra noxiam dulcedinem.* Cogitauit vir prudentiſſimus Syrtes non facilè vitandas, ſi vox auribus adularetur: ergo ne, reliqua concederet, auditum denegauit, & feliciter naufragium eluſit. Non ſic Leuites, qui, cùm apud ſocerum aliquantum diuertiſſet, ad propria redire tentabat; verùm ſocer, vt detinuerit, hac vſus induſtria eſt: ſuaſit confortandum ſtomachum, nec in hoc viantem tempus terere; ſed lucrari: Leuites annuit, & iam non exigua diei parte conuiuio impenſâ totum diem ibi manere conſuluit, & obtinuit: *Guſta prius pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris: ſederuntque ſimul, & comederunt, & biberunt.* Quid tunc? *Apud ſe fecit manere.* Initio totum ibi diem inſumendum non tentauit, ne gener renueret; imò exiguum tempus in confortando ſtomacho ponendum aſſeruit, horâque impetratâ ibi per totum diem manere rogauit, & gener prandio delinitus conceſſit. Socerum diaboli perſonam geſſiſſe iam vidimus ex Hugone Cardinali: audiamus modò ex Abulenſi quæſtione 6. quale fuerit ſoceri ſtudium: *Cœpit proficiſci finito cibo: nam non ſederat ad cibum animo manendi die illa apud ſocerum; ſed recedendi: nam ſic ſocer dixerat: ſtans autem ſocer in menſa orauit, vt gener maneret ibi die illa.* Initio oportere confortare ſtomachum ad carpendum alacriùs viam ſuaſit: aſſenſit gener, & iam maiora tentauit: & ſi Hebræorum textum conſulas qui initio ſuaſit prandium, poſtea inuitauit ad ſomnum. Accipe datum iam Abulenſem: *In Hebræo dicitur: Ecce deſcendit, vel ſedit dies: dormi hîc, & quieſcat cor tuum, & antelucabis cras ad iter veſtrum, & ambulaueritis ad tentorium tuum.* Initio celerius ac facilius viam arripiendi fuco detinuit ad prandium, iam pranſo ſuadebat ſomnum: vitia namque ſenſim illabuntur, & in virtutem ſine ſtrepitu obarmantur.

Seleucienſ. Seneca. Plutarch. Caſſiodor. Abulenſ.

91. Vitiorum, diaboliſque ingenium mirè expreſſit ſacer textus Iobi triumphos & pugnas referens: perculſus Dæmon Iobi innocentia in tam exundanti abundantia veluti præpilato telo petit manum paululum extendi, & quæ poſſidebat, tangi: *Extende paululùm manum tuam, & tange cuncta, quæ poſſidet, niſi in faciem benedixerit tibi.* Si ardenti flammeſcit inuidiâ, ſi plus quàm gehenna, liuore torquetur, cur non petat totam manum extendi, & Iobum omnibus denudari. Ad hæc: ſi in eius carnem, ſalutemque facultatem exoptat, cur modò non petat? & cur diuerſo vtitur ſtylo: dum cupit vermium diſcruciari tormento? *Pellem pro pelle, & cuncta, quæ habet homo, dabit pro anima ſua: alioquin mitte manum tuam, & tange os eius, & carnem.* Priùs aiebat: *Extende paululum*; modò: *Mitte manum tuam*: priùs: *Tange cuncta, quæ poſſidet*; modò: *Tange os eius, & carnem.* Temperauit anteà petitionem non de commiſerationis ſtudio; ſed de malignitatis ingenio: non ſtatim auſus eſt omnium perniciem moliri; ſed ſenſim irrepſit, vtque poſteà peteret manum mitti, priùs ſolum petiuit paululùm extendi: *Hæc Sathan*, inquit Gregorius lib. 2. moral. cap. 16. *Deo dixiſſe eſt, de his tabeſcendo doluiſſe. Sequitur: ſed extende paululùm manum tuam.* Petitionem anguſtauit, ne nihil aſſequeretur, ſi omnia euertere ſimul tentarit: ergo vafer coluber moroſè graditur, vt ad vlteriora deueniat. Notauit Gregorius lib. 3. moral. capite 2. *Superiùs dixerat: Tange cuncta, quæ poſſides, & tunc videbis, quod in faciem benedicat tibi: nunc quaſi prioris propoſitionis oblitus factus* de

Iob. 1. v. 11. Iob. 2. v. 4. Gregor.

Digitized by Google

de aliis alia poſtulat. Expende illud: *De aliis alia poſtulat*: quaſi dicat: Priùs minora poſtulauit, vt obtineret, poſtquam obtinuit, ad maiora iam tendit; ſicque gradatim virtutes nititur oppugnare, ne, ſi repentinis auſibus omnia ſimul aggrediatur euertere, omnia contingat amittere. Adde vitium leuiora petere initio ab homine virtutibus eximiè ornato, & ornatiùs exculto.

92 Huc, ni fallor, ſpectat petitio illa diuitis epulonis: de purpuræ rubore ad flammarum ruborem tranſlatus, & pro ſplendenti murice obſcuris flammis veſtitus oculos inhumanitatis ſuæ teſtes leuauit, & ab Abrahamo Lazarum, qui extremum digiti in aquam tingeret, lachrymoſis clamoribus expetiuit: *Mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* (Lucæ 16. v. 24.) Chryſologus huius petitionis latentem nequitiam acuminis perſpicacia deprehendens deſideraſſe ait Lazarum ad ſuos deuocare cruciatus: *Adhuc tu in Lazarum ſic crudelis*, inquit ſerm. 122. *Lazarum mitte. Quo? Ad infernum de gremio, de ſolio ſublimi ad profundiſſimum chaos, ad tormentorum ſtridorem de ſancta quiete, de tanto ſilentio beatorum. Vt video, quod agit diues, non eſt nouelli doloris; ſed liuoris antiqui?* (Chryſol.) Benè: ſed ſi plus liuore, quàm gehenna exæſtuat, cur aquæ poſtulet guttulam? Sanè vt adulꞇetur liuori: Lazarum non præſumpſit cocyti aquâ manũm infecturum, vt qui virtute excultus micabat, & perfectione fulgebat: ergò extremum digiti petiuit inſici, vt, ſi exiguum impetrarit, manum poſteà rogarit immergi, quo ſic totum Lazarum nigris obtineat vorticibus obrui: exiguum poſtulat, quaſi parum interſit aquæ guttulam perdere, vitióque blandiri; at latebat dolus: nam ſi ſemel aquæ guttulam prodigere obtinuiſſet, ſcyphum poſteà amplum dari ſibi procax tentaſſet. En vitiorum ingenium: facillima exigunt, exigua depoſcunt, ibique deſiderium ſiſtendum fingunt; ſed poſteà vlteriùs procedunt. Ergo, ſi vis non falli, vitio, appetituique nil concede: nam ſi quid conceſſeris, audaciam eius innutries. Iam maioris perfectionis colore ruinam ſæpè tegi, & ad nequitiam aditum colorati, de quo anteà loquebamur, ſerpens edocuit: nec enim perſuaſit Euæ appetitui parere, contraire virtuti, ſed diuinitati propiùs accedere: *Eritis ſicut Dij*: diuinitatem offert, vt abſtulerit virtutem. Profectò, ſi Eua euaderet in diuinam, maiori, quàm anteà cenſu ſanctitatis fulgeret. Ergo doloſa vafrities maioris perfectionis obtentu parat ruinam, & tegit veneno plenam fallaciam. Notauit clarus ſuprà Baſilius: *Quid ergo fugis mulier plantam, cuius ope Deus eris? Quid cibum, per quem pares cum imperante ſitis, repudiatis?* (Baſil.) Itaque non eſt aggreſſus bellum apertæ prauitatis armis; ſed doloſis maioris ſanctitatis promiſſis, vt mulieri dum ſeducta reputat diuinitati propiùs comedendo accedere, irremedialibus contingat ruere.

§. XXII.

Anguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus & delicioſus eneruant.

Lautior menſa dulces vitæ ac ſaluti tendit inſidias: titillatus ferculorum deliciis appetitus ſtomacho ſuadet plus recipere, quàm valeat perfectè coquere. 93 Hinc reumata, hinc vomitus, hinc ægritudines: ab exordio cibus mortem ingeſſit, & adhuc ingeſtam fouet: parcus, temperatúſque victus vigorem conſeruat, vires alit, nutrit ſalutem. *Reclamatum id quoque fuit*, inquit Plutarchus in præcept. ſalubrib. *vt quodque maximè eſt parabile, ita corpori eſſe ſaluberrimum.* (Plutarch.) Adnectit: *Ex noſtra memoria Rigli pancratiaſta, qui vocatus ſummo diluculo à Tito Cæſare in balneum, venit, lauitque cum eo, atque poſtquam ſemel bibit, vt fama eſt, correptus apoplexia extemplo expirauit.* Qui capacioribus ſcyphis bibunt, ſtomachi calorem vini diluuio obruunt; ſi temperantiùs, frugaliúſque biberent, plus biberent, quia plus durarent. Ob id cùm Leuites cum reconciliata iam ſibi vxore domum vellet repetere: ſic ad illum ſocer: *Guſta priùs pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris.* Quia vianti opus erat ſtomachum confortare, pauxillo panis ſuadet roborari, non lautis ferculis premi: *Stomachus*, inquit Abulenſis quæſtione 6. *confortatur ſumpto cibo.* (Abulenſ.) Quanto cibo? Pauxillo panis: itaque ſocer duo conſuluit, ieiuno ſcilicet ac vacuo ſtomacho viam non carpere, ne humidum radicale conſumeretur excitato viuidiùs calore; & roborandum anguſto cibo, ne ingluuies patrocinaretur infirmitati; ſed temperantia ſaluti.

94 *Eduxit eos*, aiebat Pſaltes, *cum argento & auro, & non erat in tribubus eorum infirmus.* (Pſal. 104. v. 37.) Captiui, miſeri, exiguo cibo alti morbis caruerunt; imò vegeti ac integris viribus ſatis prolixum iter arripere non dubitarunt: vtque noueris, quàm ſalubris ſit abſtinentia, audi ab octauo Deuteronomij: *Afflixit te penuria, & dedit tibi cibum manna, quod ignorabas tu, & patres tui, vt oſtenderet tibi, quod non in ſolo pane viuit homo; ſed in omni verbo, quod egreditur de ore Dei.* (Deuter. 8. v. 3.) Adnectit: *Pes tuus non eſt ſubtritus: en quadrageſimus annus eſt.* Afflixit cibo taxato appetitum; ſed ipſa taxa vigorem infudit animo: non laborauit pes podagra: quia parcus cibus humoris redundantiam non ingenuit; imò humores noxios conſumpſit: *Afflixit te penuria*, inquit Nicolaus de Lyra, *id eſt, defectu cibi & potus, vt habetur in Exodo, & lib. Numeri in pluribus locis; hoc tamen ceſſit ad bonum eorum.* (Lyra.) Sani vegetique perdurabant manna, aquâque contenti, & quod ſubtrahebatur appetitui; addebatur robori: edacitas vitæ inſidiatur blandiſſimè, opulenta menſa morborum eſt officina, & ex quo inuenti ſunt coqui, qui mille paraturis cibos condirent, mors frequentior, & infirmitas eſt prolixior.

95 Non ſine arcano myſterio Pſaltes coturnicum imbrem pulueri, arenæque comparauit: *Pluit ſuper eos ſicut puluerem carnes, & ſicut arenam maris volatilia pennata.* (Pſal. 77. v. 27.) Non ſolum aſſimilauit pulueri; ſed arenæ, vt duplex exundantis victus de-

trimentum exprimeret, videlicet cibos nimios arenæ ad inſtar prægrauare ſtomachum, & maturare ſepulchrum: nimius cibus vitæ nociuus eſt, & edacitas exigua voluptate ſibi aſciſcit immaturam ſæpè mortem, aut grauem infirmitatem. Audi Drogonem de Sacram. Domin. Paſſion. *Ne pluas*
Drogo. *ſuper nos, ſicut puluerem carnes: quia caro puluis eſt, & in puluerem deducit: talis eſt omnium voluptatum carnalium finis, gaudet edacitas, pennulas mouet; ſed mox in arenam maris conuertitur.* Lauta menſa pro arena eſt: cum ipſis namque cibis colluctatur natura, & de inter ſe altercantibus diuerſorum ciborum qualitatibus exoritur grande prælium, & de prælio frequens vitæ ac ſalutis periculum: *Sicut nauis oneraria*, inquit Chryſoſtomus ſerm. contrà luxuriam & crap. *quæ*
Chryſoſt. *ſupra ſuam magnitudinem vehenda carpit, oneris magnitudine grauata ſubmergitur, ita anima & corporis noſtri natura, ſi plures acceperit cibos, quàm ferat natura ſua, impletur, & in perditionis pelagus demergitur.* Ciborum cruditates corpori pro tempeſtate ſunt, quarum procella obruit ſtomachum, & dum menſa lautior, ſaluti inuenitur periculoſior.

96. In hoc ſolummodò apparuerunt prudentes, qui gulæ ventríque vacabant, quod ſe citò perituros crediderint, mortíſque limina ſe iam terere exiſti-
Iſai. 22. v. 13. marint: *Ecce gaudium & lætitia occidere vitulos, & iugulare arietes, comedere carnes, & bibere vinum: comedamus, & bibamus: cras enim moriemur.* Appetentem iam mortem intuentur, dum lautitiis indulgent, & palato exquiſitos materia, aut conditura cibos diſponunt. Opportunè Chry-
Chryſoſt. ſoſtomus iam datus: *Hinc incurabilibus, & difficillimis implicantur morbis, qui perpetuo in voluptate viuunt.* Conſonat Seneca epiſt. 95. *Medi-*
Seneca. *cina quondam paucarum fuit ſcientia herbarum, quibus ſiſteretur fluens ſanguis, vulnera coirent paulatim, deinde in hanc peruenit tam multiplicem varietatem: nec eſt mirum tunc illam minus negotij habuiſſe firmis adhuc ſolidíſque corporibus, & facili cibo, nec per artem voluptatémque corrupto: qui poſtquam cœpit non ad tollendam; ſed ad irritandam famem quæri, & inuenta ſunt mille conditura, quibus auiditas excitetur, quæ deſiderantibus alimenta erant, onera ſunt plenis.* Adnectit
Frequentior ex cruditatibus, quàm ex fame macies eſt. ſtatim Philoſophus: *Inde pallor, & neruorum vino madentium tremor, & miſerabilior ex cruditatibus, quàm ex fame, macies.* Vera dixit: nam cum ſimplici cibo vtimur, conſtat valetudo, nouos & antiquis ignotos morbos auiditas multis ferculis procreauit, & per gulam terræ maríſque vaſtatricem mortem intempeſtiuam adduxit: tam diuerſis ſtomachum prægrauamus, vt aliis alio nitentibus nec poſſint digeri, nec ſtomacho retineri.

97. Hæc voracis luxuriæ tormenta, ſuppliciáque
Eccli 37. v. 31. ſic Eccleſiaſticus tradit: *In multis eſcis erit infirmitas, & auiditas appropinquabit vſque ad choleram: propter crapulam multi obierunt; qui autem abſtinens eſt, adiiciet vitam.* Abſtinentia corpora reddit robuſtiora, capitis ignorat vertigines, cerebri ardentibus vini vaporibus æſtuantis depellit vertiminationes. E contrario nimio cibo, potúque nutant incerta veſtigia oculorum exerrant lumina, præpedita titubant labia. Hinc lurida ſuffuſio vilis, decolor vultus, & fœda tabes elaborantur, & non ſine ingenti pretio in ipſius perniciem naturæ quæruntur. Huc voco quod aiebat Boëtius de
Boëtius. conſolat. lib. 2. proſa 2. *Natura quidem paucis, & minímque contenta eſt, cuius ſatietatem ſi ſuperfluis vrgere velis, aut iniucundum, quod infuderis, fiet, aut noxium.* Ipſo remedio laboramus, & contrà vitam vitæ alimenta imprudenter detorquemus: lætiori, vegetiorique vultu Daniel, eiúſque ſocij micuerunt, non ſolùm cæleſti auxilio; ſed abſtinentiæ priuilegio. Exiguum ſatis naturæ eſt, & cùm ad manum quod ſatis eſt, prouidentiſſimus rerum conditor poſueritque nos anxiis curis maris ſcrutamur profunda, terrarum abdita, latebrarum ignota; & totum hoc vt mortem acceleremus, & infirmitates nutriamus.

Adde grauiora aliquando pericula emerſiſſe à lautis conuiuiis, quàm ab hoſtilibus gladiis: Annibal hoſtium domitor voluptate & deliciis victus eſt, quem infractum reddiderant niues, mollem & eneruem reddiderunt voluptates. *Ne comprimaris in conuiuio*, monet Eccleſiaſticus, vt qui nouerat lautæ menſæ dulciſſima eſſe pericula, vt è contra à frugalitate reſultare plurima animæ & ſalutis commoda. Ipſum audi: *Somnus ſuauitatis in homine parco: dormiet vſque mane, & anima illius cum ipſo delectabitur.* Frugalitas humores concoquit, ſuperfluitates conſumit, dulciſſimum conciliat ſomnum, & reluminat intellectum: Dauid, qui contorta in ipſum fruſtrarat tela, timuit ſi Saülis adeſſet menſæ, pericula. Audi aureum Chryſologi ſtylum ſerm. 41. *Bella gentium legimus ſuperaſſe quàm plurimos, quos tamen pugnas carnis legimus non viciſſe: aduerſas acies contriuiſſe ieiunos, & crapulatos ſuarum caſtra diſſoluiſſe virtutum, iacuiſſe effuſo vino, qui iacere effuſo ſanguine neſcierunt. Vnde eſt hoc? Quia hoc non eſt ratio, ſed languor, non vita, ſed febris, phrenæſis, non natura. Nam quoties ciborum cruditas vitalia deiicit, infirmat ſtomachum, corrumpit ſanguinem, vitiat humores, ſuccendit choleram, extremum febris gignit incendium.* Profectò phrenæſis eſt inguigitari epulis, vt nutriueris vitam, & mortis ipſis epulis egiſſe cauſam, & inopinam maturauiſſe miſeriam. Ergo à gratis ciborum inſidiis caue, & temperantiâ vitam ſuffulci.

98.

Eccli. 31. v. 48.

Chryſol.

§. XXIII.

Diabolus non ſuadet aliquando pœnitentiam omittere; ſed procraſtinare, & differre.

NVllus eſt, qui à culpis, maliſque, etſi ſpecioſis occupationibus recedendum fore ignorarit; ſed quando id fieri debeat, non facilè decernitur: quia cum mollitie & voluptate conſulitur: vigilantis eſt occaſionem obſeruare properantem, vt ignaui hanc, ſi nanciſcantur, amittere, & in futurum ſemper differre: totis viribus vitiis immergimur, virtutis nec leui vndâ tingimur: in virtutis via greſſum potius, quam ponamus ſuſpendimus. *Iſta quæ dici ſolent*, aiebat Seneca aliorſum epiſt. 22. *falſa ſunt: non potui aliter.* Aliter poſſumus; ſed ne aliter poſſimus, nos implicamus, & cum affectemus littus petere, æſtui committimur; & ab ipſo quod velle mentiebamur, recedimus. *Ab his*, addit Stoicus, ſcilicet vitiis, *inuiti homines recedunt, & mercedem miſeriarum amant, ipſas execrantur. Sic de ambitione, quomodo de amica queruntur, id eſt ſi verum affectum eorum inſpicias, non oderunt, ſed litigant.*

99.

Seneca.

Paucos ſeruitus, plures tenent ſeruitutem.

tigant. Excute illos, qui quæ cupiere, deplorant, & de earum rerum loquuntur fuga, quibus carere non poſſunt. Videbis voluntariam eſſe illis in eo moram, quod ægrè ferre ipſos, & miſerè loquuntur. Ita eſt, mi Lucili, paucos ſeruitus, plures ſeruitutem tenent. Non poſſunt plures ſe relinquere, nec ſe ferre: inter vitiorum cupiditates, & diſcriminis angores ſecum litigant, & dum litigant, occaſionem opportunam non ſine diſcrimine protelant: non audent reſilire, nollent occupationibus ſordidis immorari. Ergo vaferrimus conſiliarius adeſt, qui nec pœnitentiam manumittendam, nec ſtatim conſulit honorandam: in poſterum, nec tamen longè ſpem mittit: vt vocantem pœnitudinis opportunitatem eludat, promittit in craſtinum pœnitendum, & de proxima ſpe ſopiens conſcientiam de fallacia confirmat culpam. Manſerat Leuites apud Socerum tribus diebus, cumque iam ad Dei domum, vt teſtatur ipſe, redire pararet, non diſſuaſit profectionem; ſed illo die ibi commorari rogauit: *Die autem quarto de nocte conſurgens proficiſci voluit, quem tenuit ſocer, & ait ad eum: Guſta prius pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris. Sederuntque ſimul ac comederunt, & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te, vt hodie hic maneas, pariterque lætemur.* Non petiuit per menſem immorari; ſed in craſtinum ſolum iter differre, vtque facilius ſuaderet, conuiuium exhibens non exiguam diei partem conſumpſit, vt tempus profectioni congruum iam non videretur; ſicque neceſſitate pateret compulſus, qui conuiuiis remanſerat implicatus. Hugo Cardinalis ſocerum dæmonis perſonam gerentem in craſtinum profectionem diſtuliſſe ait, quo diutiùs retineret, & proficiſci vetaret. Hugonem accipe: Hugo. *Hæc eſt vox diaboli ſemper pœnitentiam procraſtinantis.* Vide ſubtiles diaboli technas: neceſſarium ad carpendam viam ſtomachum confortare ſuaſit, inſumptáque non modica diei parte in parandis menſis tempus iam non opportunum oppoſuit, & ſic dum de die in diem via differtur, ad Dei domum, quo tendere propoſuerat, perueniſſe non dicitur.

100. Quam nos confundit malitia! in futurum non differt, ſtatutum tempus non expectat; ſed infelici prouidentia tempus anteuertit, & delinquendi occaſiones ſtatim rapit: in crucem iam egerat Chriſtum Dominum rabidus furor, & licet poſt tres dies audierit reſurrecturum, non diſtulit impedimenta ſuo videri opponere; ſed ſtatim ſolicita cautela ſepulchrum milite ſatagit communire. Matth. 27. v. 63. *Altera autem die, quæ eſt poſt paraſceuem, conuenerunt principes Sacerdotum, & Phariſæi ad Pilatum dicentes: Domine recordati ſumus, quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam: iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium, ne fortè veniant diſcipuli eius, & furentur eum, & dicant plebi: Surrexit à mortuis; & erit nouiſſimus error peior priore.* Ecce ſtatuunt vſque ad diem tertium reſurrectionem non futuram, & tamen contenti non ſunt eo ipſo die, vt ſibi caueant, obſtacula opponere; ſed quo omnem ſuſpicionis metum depellant, tempus properant anteuertere: ſtatim ac Pilatus facultatem illis fecit, miles ſepulchrum cuſtodiit: *Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam, ite, cuſtodite, ſicut ſcitis: illi autem abeuntes munierunt ſepulchrum ſignantes lapidem cum cuſtodibus.* Factam ſibi facultatem non diſtulerunt; ſed celeri greſſu ſepulchrum communire inuolarunt: *Non ſuffecerat Principibus Sacerdotum*, inquit Hieronymus in catena Diui Thomæ, Hieronym. *crucifixiſſe Dominum Saluatorem, niſi ſepulchrum cuſtodirent, & quantum in illis eſt, manus imponerent reſurgenti: vnde dicitur: Altera autem die, quæ eſt poſt Paraſceuem, conuenerunt principes Sacerdotum*, &c. Ea die, qua conuenerunt, non imminebat, quod verebantur periculum; imò poſt ſequentem diem reſurrectionem teſtantur prædictam, & tamen non patitur peruerſitas ſtatutum, certumque reſurrectionis tempus expectare; ſed ſtatim adlaborat anteuertere. Non dicunt, differamus in craſtinum, etſi certi ſint vſque in diem craſtinum reſurrectionem protelandam, & differendam; ſed ſtatim omnes dilationis moras præcidunt, & præmaturè morem criminibus gerunt. O nos miſeros qui de craſtino incerti in craſtinum remedium differimus, & de præſenti diſcriminibus implicamur!

Reuertenti Iacob luctator occurrit: *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* 101. Geneſ. 32. v. 24. Cõmunis ferè omnium opinio eſt hanc celebrem ſæculis Luctam à Domino cum Iacobo initam, nec optimos athletas deſcendiſſe in arenam affectibus diſcordes; ſed amoris flammis inardeſcentes: non deeſt tamen, qui diabolum luctatorem putarit. Ita noſter Pereira in comment. huius loci refert ex Procopio: Pereira. *Procopius Gazæus in commentario huius loci refert accepiſſe ſe ex docto quodam viro proditum eſſe à nonnullis cum Iacob certaſſe diabolum in ſpecie Eſaü.* Profectò ſi diabolus fuit luctator de peruerſitatis ſtylo Iacobo non perſuaſit Dominicis præceptis reſiſtere; ſed tantiſper immorari, vſque mane luctam producit, ſperans ea morâ ſtudium euigorandum, & iter nouis obſtaculis impediendum: exiguam moram illi tunc perſuadebat ſperans ampliorem ſuperaddendam, & ſic tendentis ſolicitudinem eneruandam: tantiſper diſcupit retardare, vt facilius poſſet peruertere; diabolus ab exordio ſerpentis ingenium mutuatus ſenſim prolabitur, paulatim ſerpit, quò blandè ſemel intruſus, animos faſcinarit, ſi dicere liceat, violentus. Serpens non irruit ſæpè; ſed illabitur: quia nouit homines facilius decipi, ſi ſpe quodammodò illuſi blandiantur cupiditatibus, & prauis immorentur affectibus: de ſpe contra ſpem elaborat arma, & dum pœnitentia procraſtinatur, eluditur. Ecce ſocer diaboli perſonam gerens profectionem ad Dei domum in ſequentem tantùm diem differre conſulit, & quia viſa eſt Leuitæ exigua mora non renuit, & iam voti compos immorandum iterum perſuadet: *Cœpit velle proficiſci, & nihilominus obnixè eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.* Leuites aſſenſit obnixè deprecanti, & ſuadenti, cumque iam ſequenti die profectionem pararet, iterum ad defatigationis ſubſidium menſam apponit, & iam adulto die proficiſci non oportere ſuadet: *Manè autem facto parabat Leuites iter cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, vt paululùm cibi capias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſtea proficiſcaris:* paruit etiam Leuites: *Comederunt ergo ſimul: ſurrexitque adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua, & puero.* Quid tunc? *Cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera quod dies ad occaſum declinior ſit, & propinquat ad veſperum: manè apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris, vt vadas in domum tuam.* Quàm eleganti hiſtoriæ penicillo diabolicas fraudes, aſtutas technas textus depinxit! Dum cibos

Digitized by Google

offert, ad carpendam alacriùs viam vianti videtur conſulere; ſed ipſa in edulijs parandis ſumendiſque mora ſatagit detinere: vires ait reparandas ad viam, vt via impediatur conſumpto tempore, & ipſa dilatione ſopito ardore. Quàm verè aiebat Hugo: *Hæc eſt vox Diaboli ſemper pœnitentiam procraſtinantis.*

102. Gauderem, ſi diaboli non ſequereris conſilium; ſed imitareris mutata materia ingenium. Diabolus ad captioſos tendendos laqueos breuitate ſe temporis vrget, cùm illum manet prolixum ſæculum, & perſuadet homini prolixum manere ſæculum, cùm maneat & incertum tempus & exiguum. Audi Ioannem Apocalypſis 12.
Apoc. 12. v. 12. *Væ terræ & mari, quia deſcendit diabolus ad vos habens iram magnam, ſciens quòd modicum tempus habet. Et poſtquàm vidit draco quòd proiectus eſſet in terram, perſecutus eſt mulierem, quæ peperit maſculum.* A mundi exordio proiectus vſque ad mundi finem tempus ad dolos obtendendos ſortitur, & tamen nec in diem craſtinum captioſos obtendere virtuti laqueos diſtulit; ſed ſtatim in mulierem technas armauit: *Perſecutus eſt mulierem.* Et cur tantiſper non quieſcat è cælo proiectus, & caſu defatigatus? Iam textus reſpondet: *Sciens quia modicum tempus habet.* Prolixa ſæcula ſortitus, exigua exiſtimat, & ſe vrget, ne vel exiguam morulam terat. O exiguum tempus noſtram cæcitatem arguens, & condemnans! Audi quid ſibi promittat diues vberè prouentu lætus, & ipſa lætitia falſus:
Lucæ 12. v. 19. *Anima habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce, comede, bibe, epulare.* Vt ſectetur otia, vt lauta inſtruxerit conuiuia, vitam ſibi prolixam remanere cogitabat, & cùm diabolus ad nocendum longiſſima ſæcula ſibi exiſtimarit anguſta, homini anguſtum noctis ſpatium prolixa fore ſæcula perſuaſit. Accipe Chryſologum ſerm. 104.
Chryſol. *Euidenter apparuit, qui latebat.* Adnectit: *Miſer diues ignarus de præſentibus, diſputas ſtultiſſimus de futuris.* Quàm eſſet diues fortunatus, ſi diaboli non ſuſciperet corde conſilium; ſed mutata materiâ imitaretur ingenium.

§. XXIV.

Optimus Reipublicæ adminiſter otioſis gaudiis, conuiuiiſque occupatus tempus non fraudabit; ſed publicis negotiis impendet.

103. QVi vtilitati publicæ inſeruit, ſibi quodammodò ſe ſubripuit: non eſt iam priuatus, qui ad publicas agnoſcitur vtilitates electus. Vacent lætioribus conuiuiis, diffuſioribus gaudiis; qui ſibi viuunt, inuigilent ab eiuſmodi euanidis occupationibus liberi, qui Reipublicæ clauum gerunt, intelligantque graui populi incommodo, & politices detrimento omne tempus ſuffurari, quod his rebus probantur inſumere: nonnulli ob id ſolùm videntur dignitatis apicem inſcendiſſe, vt profuſiùs quiuerint propriis commodis indulgere. Tolonicus ad dignitatem electus ſe adeò Reipublicæ vtilitati deuouerat, vt iam præmaturè ageret, quod ad Reipublicæ bonum pertinere cognoſceret: *Cum ipſo prælia, cum ipſo negotiorum æquabilia diſponebat*, inquit Caſſiodor. 8.
Caſſiod. var. 10. *Et in tantam ſe ſimilitudinem eius cogitationis adiunxerat, vt cauſis recognitis, quod ille velle poterat, iſte ſua ſponte peragebat. Defenſorem omnium ſuis tractatibus adiuuabat, & miniſtrando conſilium regebat ipſe rectorem.* Rectorem regebat Tolonicus non imperio, ſed conſilio: eſſet namque miſer Reipublicæ ſtatus, ſi omnium rector à ſubdito regeretur, ipſeque imperator eſſet ſolummodo imperantis larua, & alter adminiſtraret imperia. Ergo Tolonicus rectori opportunum ſalubreque modeſtè præbebat conſilium, quin furaretur ſolicitudini debitæ vel momentum. Dixi ſolicitudini debitæ, ne videar omne otium regenti interdicere, & omne oblectamentum negare. Fas eſt Reipublicæ curis æſtuantem animam recreare, vireſque oblectamento honeſto reficere; non tamen eſt fas omne tempus euanidis, ac volaticis gaudiis: impendere, & à negotiis ſeriis ceſſare: Quod imitatus videtur leuites pro omnium vtilitate templo addictus, & miniſteriis ſacris initiatus: hic, cùm eius vxor neſcio quibus cauſis exaſperata ſe in paternam domum recepiſſet, prudenter ſtuduit quàm citò diſcordiæ cauſas auferre, ne ſi diuturna inter coniuges durarit diſcordia, facilè componi nequeant diſſidia. Ergo poſtquam tres dies firmandæ paci prudenter impenderat, poſtquam ad ſoceri vrbanas preces quarto etiam immoratus eſt die, quinto ad propria perrexit, quin detineretur blanditiis, aut alliceretur gaudiis: *Surrexit adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua, & puero. Cui rurſum locutus eſt ſocer: Conſidera quod dies ad occaſum declinior ſit, & propinquat ad veſperum, mane apud me etiam hodie, & duc lætum diem, & cras proficiſceris, vt vadas in domum tuam.* Quid tunc? *Noluit gener acquieſcere ſermonibus eius; ſed ſtatim perrexit.* Quo perrexit! Iam ipſe indicauit: *Nunc vadimus ad domum Dei.* Miniſtrabant Leuitæ in templo: ergo abſtinuit gaudiis, ne publicis deficeret miniſteriis: *Poterat iſte Leuita,* inquit Abulenſis q. 11. *Ire ad domum Dei ad mi-* Abulenſ.
niſtrandum: quia ex tempore Moyſi Leuitæ miniſtrabant in ſanctuario. Ecce Leuitam ex vna parte allicit conuiuium, & gaudium: *Duc diem lætum:* vocabat ex altera miniſterium: ergo qui vtilitati publicæ tenebatur in templo ſeruire, nullis precibus adduci potuit, vt dici partem exiguam etiam voluptatibus ac deliciis impenderet; ſed maluit quam ſocero adulari, muneris obligationem implere: reputauit nefas indulgere conuiuiis, & templi deficere miniſteriis. Diſcant ab hoc Leuita, quid faciendum ſit pro rebus publicis adminiſtrandis ad dignitatem euecti, & Reipublicæ ſumptibus, ſi dicere liceat, conducti.

Bonus princeps, ſuperiorque ad gaudia & celebritates vel importunè rogatus non pergit, 104
prohibitus verò laboribus ac vigiliis incumbit: Abſalon quo ſororis iniuriam fratris aboleret effuſo ſanguine, conuiuium inſtruxit, regemque obnixè, vt gaudium illud ſuâ præſentia compleret, rogauit: *Venit ad regem, & ait ad eum: Ecce ton-* 2. Reg. 13. v. 24.
dentur oues ſerui tui: veniat, oro, rex cum ſeruis ſuis ad ſeruum. Dauid oratione inuitatus ad conuiuium ire renuit, & in curia ad expedienda negotia manſit: *Dixitque rex ad Abſalom Noli fili mi, noli rogare, vt veniamus omnes, & grauemus te.* O laudandum principem, qui, ne grauaret ſubiectum, opiparum renuntiauit conuiuium: ſubiectorum conſuluit commodis, non propriis ſtuduit oblectamentis. Abſalon ſemel repulſus iteratis precibus inſtitit, & quodammodò regem coëgit,

Digitized by Google

coëgit, à priori tamen ſententia non dimouit: *Cùm cogeret eum, & noluiſſet ire, benedixit ei.* Vides conuiuiis renuntiantem: ad prælia pro populi pace ſaluteque animaduerte egredientem: 2 Reg. 18. v. 2. *Dixit rex ad populum: Egrediar & ego vobiſcum.* Quid tunc? *Reſpondit populus: Non exibis:* rationémque attulit: *Quia tu vnus pro decem millibus computaris: melius eſt igitur, vt ſis nobis in vrbe præſidio.* Verùm Dauid, licèt populi non ſpreuerit preces, poſteà contrà Philiſthinos in campum prodiens grandi ſubiacuit periculo, opúſque fuit Sacramentum interponere, vt à certaminibus abſtineret: 2. Reg. 21. v. 17. *Tunc iurauerunt viri Dauid dicentes: Iam non egredieris nobiſcum in bellum, ne extinguas lucernam Iſraël.* Nonne vides quàm ſolicitè ſuorum procurauit ſalutem? Importunis precibus à filio rogatus laurum non admiſit conuiuium, & ni Sacramento impeditus proſiliret in prælium: *In iſto bello,* inquit Lyra, Lyra. *videntes ſerui Dauid ipſum viribus debilitatum, ordinauerunt, & iuramento firmauerunt, quod de cætero non iret ad prælium in propria perſona.* Nec debilitas perſuadebat otium, nec importunitas perſuaſit conuiuium: nam Dauid, vt qui à Deo electus, & ad dignitatis culmina elatus, principibus ac ſuperioribus ſuis factis oſtendit tempus omnium ſaluti impendendum ſolicitè, & non terendum ignauè. Qui dignitatis faſtigium inſcendens otium & voluptatem ſectatur, omnium fabula, & regiminis eſt iniuria.

105. Iob 34. v. 17. *Qui dicit regi, apoſtata,* ſcribit Iob, *qui vocat duces impios.* Cùm apoſtata propriè ſit, qui à religione deſciuit, & in partem contrariam tranſit, dubitabis, cur rex vti apoſtata ſugilletur: ſed reſpondebit Gregorius Magnus appellari apoſtatam, qui Luciferum imitatus culmen inſcendit, vt ſectetur otium, & deiectis ſyderibus turbet cœlum. Vide quid dixerit Lucifer ille apoſtata: Iſai. 14. v. 13. *Super aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Sedere voluit, non inuigilare: ergo apoſtata ruit, & qui eius exemplum in dignitatis apice conſtitutus imitatur, apoſtata iure dicitur. Opportunè Gregorius lib. 24. moral. cap. 14. Gregor. *Vnuſquiſque ſuperbus rector toties ad culpam apoſtaſiæ dilabitur, quoties præeſſe hominibus delectatus honoris ſui ſingularitate lætatur: ſub quo enim ſit, non conſiderat, & coæqualibus, quaſi non ſit æqualis, exultat: vnde autem hæc vitiorum radix pullulat in corde regentium, niſi ex imitatione illius qui deſpectis Angelorum ſocietatibus dixit: Aſcendam ſuper altitudinem nubium, & ſimilis ero Altiſſimo.* Vtinam ſimilis eſſet Altiſſimo, quandoquidem ſi eius informaretur exemplo, ſubiectorum curam ageret vigilantiſſimo ſtudio, nec inerti ac ignauo ſorderet otio; verùm ſimilitudinem affectauit non ad ſolicitudinis vigilantiam; ſed ad maieſtatis pompam. Ergo ruit apoſtata, vt etiam qui eius greſſus ſecuti, ruent, & licèt à dignitate in hoc ſæculo non gemant deiecti, ad pœnas poſteà ingemiſcent detruſi. Sibi non viuit, qui culmen dignitatis inſcendit: priuato fas eſt otiari; ſed regenti non datur quieſcere.

106. Cantic. 5. v. 1. Sponſus ad ſuaues horti fragrantias, honeſtáſque delicias ſic inuitabat Sponſam: *Veni in hortum meum ſoror mea ſponſa: meſſui myrrham meam cum aromatibus meis, comedi fauum cum melle meo, bibi vinum meum cum lacte meo, comedite amici, & bibite, & inebriamini chariſſimi.* Verùm cùm hæc ipſa alibi obnixis precibus ſponſum rogaret, vt ſibi quietis, & oblectationis locum oſtenderet: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie,* audiuit: Cantic. 1. v. 6. *Egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Inquires: ſi ibi ad campi, topiariique delicias blando ſermone alliciebatur, cur modò honeſtum ſuſpirans otium repellitur? Quia ibi, reſpondet Ambroſius, regno non præerat; hîc verò ſubiectis populorum gregibus imperabat: ergo poteſtate exornata gregibus attendat, etſi dum priuatam gerit perſonam, deliciis conuiuij ſtudeat: *Paſce hædos tuos in tabernaculis paſtorum,* inquit Ambroſius in collectis ad 1. Cantic. Ambroſ. *quia per greges regnum intelligitur, eo quòd poteſtatis ſit in gregibus præſidere.* Populis præſidenti pro otio debet eſſe vigilia, & pro conuiuiis ſolertia. Ergo ſponſa ad poteſtatis regimen egrediatur, nec meridianis oblectamentis otietur. Dum aliis non præeſt, hortum adeat, & florum varietate, odoréque ſenſus recreet: eſt enim honeſtum otium agrum petere, & tantiſper animum hilarare.

§. XXV.

Pœnitentiam iam arripienti vanitatis dies in noctem vertitur, & color rerum mutatur.

107. Vti corporis cæcutientibus oculis rerum imponunt ſpecies; claris verò vti ſunt, apparent, ſic humana oculis animi peruerſo vitiorum humore ſuffuſis apparent ſplendida, pœnitentiæ verò collyrio ſanis non ſine admiratione deprehenduntur obſcura. Teſtatur hoc cæcus ille, quem ad noſtram eruditionem bis Dominus tetigit, vt ſanaret: rogatus, an videret, cùm nondum perfecta luce frueretur aſpectus, reſpondit ſe proceros, ac florentes homines ſpectare: Marci 8. v. 24. *Video homines velut arbores;* aſt cùm perfecto poſteà iam vteretur aſpectu, homines non proceræ magnitudinis; ſed exiguæ aſpiciebat quantitatis. Notauit Chryſologus ſerm. 176. Chryſol. *Imperfectis oculis grandeſcunt forma, turbantur ſpecies, res falluntur ipſæ: quia non iam viſionem capiunt; ſed adhuc vmbram ſuſtinent viſionis.* Animæ oculus prauis humoribus repurgatus, intuitus depulſis obſcuritatibus veritatiſque lumini reſtitutus diuerſiſſimam de rebus ſententiam ferunt, & ſe adeò deerraſſe mirantur: cui voluptatis præſtigiis deluſo ſæculi res grandeſcebant magni æſtimandæ, iam repurgato ſanóque adſpectu videntur paruipendendæ. En accedenti Leuitæ cum vxore, pueróque ac duobus aſinis onuſtis Iebus, dies in noctem mutatur, & rerum color aufertur: *Venit contra Iebus quæ altero nomine vocatur Ieruſalem ducens ſecum duos aſinos onuſtos, & concubinam; iamque erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem.* Hugo Cardinalis hiſtoriam ad mores allegoricè adaptans ait pœnitentiæ appropinquanti dulcia in amara, in obſcura ſplendida conuerti, & magni olim habita videri iam deſpicienda: Hugo. *Iebus interpretatur conculcata, & ſignificat humilitatem pœnitentiæ. Rectè dicitur quòd Iebus vertitur dies in noctem, id eſt, delectatio peccati in amaritudinē, & gloria temporalis in contemptum.* Antequam Leuites Iebus accederet, videbatur illi iucundum carnis oblectamenta perquirere, ſortiri familiam, & diuitiis exundare; at vbi de pœnitentiæ collyrio vera ocu-

lis

Digitized by Google

lis lux adfuit, iam omnia apparuerunt prorſus inuerſa, iam mundialis dies culparum tenebris horridus, iam amara voluptas, iam diuitiæ ſtercora: quia ſanus aſpectus fucatis rerum ſpeciebus non fallitur; æger verò peſtilenti deliciarum humore imaginibus fictis illuditur: *Delectatio peccati in amaritudinem, & gloria temporalis in contemptum vertitur.*

108 Iob. 3. v.5. Iob in diem illum piè exaſperatus ſic aiebat: *Obſcurent eum tenebræ, & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine.* Reſplendebat olim dies ille placido iubare, & gratiſſimo oculis nitore, at vbi vmbra mortis exterruit, vbi lux cæleſtis animum excantauit, iam tenebris apparet prorſus defœdatus, & amaritudinibus inuolutus. Quam opportunè Gregorius 4. moral. Gregor. li. cap. 18. *Hinc peccati diem caligo occupet, id eſt, blandimentum nequitiæ, afflictio pœnitentiæ digno mœrore perturbet: vnde & aptè ſubiungitur: Inuoluatur amaritudine: dies enim amaritudine inuoluitur, cùm ad cognitionem mente redeunte peccati blandimenta cruciatus pœnitentiæ ſequitur: diem amaritudine inuoluimus, cùm prauæ delectationis gaudium quæ ſupplicia ſequantur, aſpicimus, & aſperis hoc fletibus circumdamus.* Vt ægris inſipida ſunt redeunte ſalute grata, vtque ab infirmis repudiantur antidota vti venena; ita mundialis dies, fallax voluptatis lætitia animis paſſionibus obturbatis videntur gaudia, ſed habentur iam ſaluti reſtitutis lamenta. Alius eſt peccatorum dies, pœnitentium alius: reluminatis cæleſti lumine intellectus res, vt ſunt, imperturbatè intuetur, & pro luce tenebras ſe habuiſſe miratur.

109. Ad Rom 6. v.20. Paulus ad Romanos ſcribens doctrinali interrogatione vitam delicioſam redarguit, & ferit: *Cum ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ: quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? nam finis illorum mors eſt.* Dum voluptatum catenis, cupiditatum nexibus vincti arctiſſimè tenerentur, adeò à veritate aberrabant, vt ſe arbitrarentur liberos, nec preſſuris vllis ſubiectos; imò quos virtutis adſpiciebant alumnos, cenſebant miſeros, & calamitatibus infeliciter dicatos; verùm vbi cæleſtis lux affuit, & fallaciarum caligo fugit, mens ſibi reſtituta veritatem agnouit, & honeſtè confuſa erubuit: nullum ex anteacta vita fructum, niſi confuſionem, vidit demetendum, & ſperabat ſecurum gaudium. Ergo vt naufragium paſſus ad maris nomen expaueſcit periculi memoria obturbatus, & totis artubus contremiſcit adhuc ſecurus; ſic qui arrepta pœnitentia è profundo æternæ calamitatis, & nunquam illuſtrandæ noctis ad littoris ſoliditatem deuenit, ſtupet præteritam cæcitatem, & quibus anteà lætabatur, confunditur: *Pulchritudo & delectatio iuſtitiæ tanta eſt*, inquit Anſelmus ad hunc Anſelm. locum, *Vt cuicumque amorem ſuum perfectè inſpirauerit, faciat eum contemnere non ſolum quicquid in hoc mundo delectabat; ſed & quid terret, quidquid cruciat.* Iam felicitas eſt pati, ſi anteà reputabatur fortuna ſalubria tormenta euadere, & gaudia fallaciſſima poſſidere. In noctem vertitur dies, & quæ confuſis tenebrarum voluminibus nox putabatur horrida, iam deliciis, veriſque gaudiis inuenitur plena.

110. Pſal. 138. v.11. Expertus fuerat Pſaltes hanc veritatem, cùm aiebat: *Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis: quia tenebræ non obſcurabuntur à te, & nox ſicut dies illuminabitur: ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Subdit rationem propheta: *Quia tu poſſediſti renes meos.* Ac ſi dicat: Cùm ratio parum diligenter ſuccincta appetitui permiſit habenas, voluptatem carniſque delicias lucem nitidiſſimam æſtimaui, & ab his malæ mentis gaudiis abſtinere exhorrui; cum verò tu renes meos iterum poſſediſti, caſtitatis luce illuſtratus, & pœnitentiæ armis munitus inanes timores & delicias fallaciſſimas deprehendi: delirus anteà libidinis phreneſi putabam gaudia, quæ meriſſima erant pericula: itaque in tenebris collocato, imò ſepulto delicioſiſſima ac innoxiis gaudiis videbantur mihi plena, quæ modò reluminata mente experior fuiſſe amariſſima, & anxietatibus exundantia: *Et dixi: Forſitan tenebræ conculcabunt me, & nox illuminatio mea in deliciis meis.* Iam in eximium gaudium vertitur, quod plenum horroribus putabatur: & vnde adeò diuerſa ſententia? *Quia nox ſicut dies illuminabitur; ſicut tenebræ eius, ita & lumen eius:* id eſt, quem horridas noctis arbitrabar vmbras, inueni luminoſas delicias, & quam diei illi adſcribebam lætitiam, reperi in duriſſimam verti pœnam: *Nox ſicut dies illuminabitur*: & è contra dies ſicut nox obtenebreſcet: lumen namque huius diei deprehendi obſcuriſſimas eſſe tenebras, & amariſſimas mortis vmbras: *Sicut tenebræ eius, ita & lumen eius.* Opportunè Euthymius: *Me*, Euthym. inquit, *deliciis vacante nox illa nigroris illuminatio lætitiæ mihi effecta eſt.* Horrida me angebat pœnitentiæ nox, delectabat placidus ac ſerenus voluptatum dies; verùm me prorſus falſum edocuit experientia, quandoquidem pœnitentiæ nigroribus afflictus veras, & ſolidas inueni delicias, cùm delicias diei ſæculi plangendas nouerim eſſe fallacias. Addit Euthymius ex Greg. Theologo aliam interpretationem, quam ſubdo: *Gregorius* Nazianz. *Theologus alter hoc dictum expoſuit: Me, inquit, deliciis vacante nox illa deliciarum, quæ mentem obtenebrat; viſa mihi eſt, quædam eſſe illuminatio: nox enim, inquit, vndique mihi miſero erat, & ignorabam: arbitrabar enim delicias lucem eſſe.* Præſtigiatrix voluptas ſic hominum mentes infatuat, vt veram felicitatem expaueſcant, & veram infelicitatem optandam reputarint fortunam. Quod acutè notauit Tertullianus in Apolog. cap. 3. *Quid? quod ita plerumque clauſis oculis in* Tertull. *odium eius impingunt, vt bonum alicui teſtimonium ferentes admiſceant nominis exprobrationem. Bonus vir Caius ſeius, tantùm quòd Chriſtianus. Item alius: Ego Lucium ſapientem virum repentè factum Chriſtianum.* Commiſeratione dolentes deplorabant Lucium & Caium, quia Chriſto nomen dederant, quaſi infelices eſſent virtutum caſtra ſecuti, fortunatique forent ab eius caſtris manumiſſi & ablegati, dum inſeruirent inſidioſis carnis voluptatibus, & cæciſſimis ethnicorum erroribus habebantur ſapientes feliceſque; miſeri, cum ad caſtra tranſierunt virtutis.

§. XXVI.

Ignominioſam ſæpè ſuſtinuit infamiam, qui vocante gratiâ amplecti diſtulit pœnitentiam.

EX anguſtiſſimo ac rapido tempore maiorem 111.
partem in vanum mittimus, obliti nobis conſulere,

conſulere, ſolùm ſatagimus oblectari: delictorum conſcientiâ pio carnifice vrgemur, & tamen nugis dediti in futurum pœnitentiam mittimus, & dum differimus, rapimur. Quamvis prolixum nobis tempus natura dediſſet, nihil ex eo perdendum erat, & tamen plurimum fruſtra ponimus, & amittimus; nec ſolùm nos fallacia oblectamenta detinent; ſed ſalubris doloris ac pœnitentiæ horror retardat: pœnitentiam fugimus quaſi in præceps, ſi ei accedamus, nobis ruendum ſit: ſecurum declinamus portum, nobis miſerabile maturamus naufragium: Seneca. *Parare, inquit, vnde viuam, volo* aiebat Seneca epiſt. 17. *Simul & parare diſce: ſi quid te vetat benè viuere, benè mori non vetat: non eſt quod paupertas nos à Philoſophia reuocet, ne egeſtas quidem: toleranda eſt enim ad hoc properantibus vel fames, quam tolerauere quidam in obſidionibus. Et quod aliud erat illius patientiæ præmium, quàm in arbitrium non cadere victoris? Quanto hoc maius eſt, quo promittitur perpetua libertas, nullius nec hominis, nec Dei timor.* O quanta gentilis docuit Philoſophus! Expende illud: *Si quid te vetat benè viuere, benè mori non vetat.* Ac ſi dicat: ſi te ad virtutem recipias, virtus laxè delicateque te viuere vetabit; ſed dum vetat lautè viuere, non vetat benè mori O quantum gaudium eſt Deum non trepidare, hominem non vereri! Non vetat philoſopus laudabilem, honeſtumque Dei timorem; ſed monet illum degenerem, ſubæratumque, qui prauos comitatur, depellendum; verùm dum nonnulli, vt dicebam, pœnitentiam vti venenum fugiunt, lamentabilem ſæpè ſibi calamitatem, & tragœdiam aſciſcunt. Deuenerat Leuites cum puero ad Iebus, die iam ad occaſum properante, & puer manendum in Iebus prudenter conſuluit; Leuites verò ſalubri ſpreto conſilio noluit accedere; ſed tranſire: *Erant iuxta Iebus, & dies mutabatur in noctem, dixitque puer ad Dominum ſuum: veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæorum, & maneamus in ea. Cui reſpondit dominus: Non ingrediar oppidum gentis alienæ.* Hugo. Hugo Cardinalis hiſtoriam ad mores adaptans ſic ait: *Iebus interpretatur conculcata, & ſignificat humilitatem pœnitentiæ, per quam caro conculcatur, & concupiſcentia eius. Ad hanc vrbem obſecrat puer ingredi, id eſt, gratia; ſed non conſentit Leuita.* Vocanti gratiæ renuit Leuita, & licet iam dies in noctem verteretur, noluit exiguo illo tempore vtiliter quieſcere; ſed deſiderio periculoſo adulari. Quid tunc? Gabaa properat, ibique vxore, honoreque luget diſpoliatus, & ſerâ pœnitentiâ confuſus: à Gabaënis adoleſcentibus impetitus coactus fuit concubinam illudendam tradere, & iniuriam ſuſtinere: *Eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam.* Si conſentiret gratiæ, vitaſſet in honorationem, mortémque ſponſæ; at dum occidente iam die pœnitentiam differt, magnis ſe calamitatibus inſerit, & doloribus tradit. O quot admoniti à gratia Dei mortem iam appetere, tempus finiti, arripere pœnitentiam detrectauere, & dum ſalubria eius reſpuunt conſilia, inopina ſibi aſciſcunt tormenta, & inhoneſtiſſima probra! timent à fucatis ac fallacibus gaudiis diuelli; ſed inſanus eorum timor depulit ambita gaudia, & miſera maturauit ſupplicia: ſi gratiæ Leuita annuiſſet; ſi ad Iebus, hoc eſt, ad pœnitentiæ habitaculum declinaſſet, non tuliſſet infame adeò probrum, nec ſpectaſſet miſerum caſum; at dum timet gradum ſiſtere, inuentus eſt ad calamitates ingentiſſimas properare.

112. Achan auri ſplendore obcæcatus, & ſplendenti purpuræ nigiore illectus, quid de anathemate contra Dei præceptum ſubripuit: *Tulit aliquid de anathemate.* Ioſue 7. v. 1. & 25. Populi ſtrages ab Haienſibus illata Deum teſtabatur offenſum: ergo in diem ſequentem delinquentis condicitur inquiſitio: *Accedetis mane ſinguli per tribus veſtras*; & tamen Achan ſui conſcius, cùm opportuna poſſet confeſſione iram Dei reſtinguere, pœnamque vtili pœnitentia anteuertere, ne exiguo illo tempore auro priuaretur & purpura, diſtulit peccatum plangere, & confiteri; verùm dum differt medelam, ſibi adaggerat ignominiam, & ſtabilit infamiam: *Lapidauit eum omnis Iſraël, & cuncta, quæ illius erant, igne conſumpta ſunt. Congregaueruntque ſuper eum aceruum magnum lapidum, qui permanet vſque in præſentem diem.* Si pœnitentiæ accederet, ſi Ioſue confiteretur delictum, verecundiæ ſuſtinuiſſet ruborem; ſed ardentem vitaſſet ignem; at dum rubori parcit, & flammam ſibi acquirit & ignominiam. Omnes infami agnouerunt obſcurari Achamum rapinâ; vnus tantùm ſciret, ſi opportunè confeſſus fuiſſet delictum: ergo vt vitaret, adauxit ſibi pudorem, & amiſit etiam ſalutem. Huc voco Tertullianum de Pœnitentia cap. 10. Tertull. *Pleroſque hoc opus vt publicationem ſui aut ſuffugere, aut de die in diem differre præſumo, pudoris magis memores, quam ſalutis: velut illi, qui in partibus verecundioribus corporis contracta vexatione conſcientiam medentium vitant, & ita cum erubeſcentia ſua pereunt.* Nonnulli, vt apud chirurgum vitent erubeſcentiam, vires morbo addunt, & ampliori, ac fœtidiori plaga ſerpente, & ſe per omnium nares inſinuante ſtultam ſuſtinent verecundiam, & mortiferam etiam plagam: vt vnius vitarint notitiam, publicam ſuſtinere coguntur erubeſcentiam. Ecce Achan ſcelus poſt mortem etiam aceruo lapidum loquaci criminis indice proditur, & voraci flamma punitur. O quàm ſapienter Nazianzenus orat. 10. Nazianz. *Quantum ſtudium à nobis adhiberi conueniebat, vt morbum medicis detegeremus, tantum ad medicinam fugiendam adhibemus, atque in noſtram perniciem fortes ſumus, & aduerſus ſanitatem noſtram periti.* Imprudenter periti calamitatibus noſtris patrocinamur, & ſalutem ſubterfugimus: horreſcimus pœnitentiæ ſqualorem, ſalubrem delictorum confuſionem, honorabilem pœnitentiæ erubeſcentiam; & dum malè verecundi fugimus, adaugemus, & pudore pudorem incrementamus.

113. Iudas execrandus magiſtri proditor iniquo commercio eius ſanguinem venditat, & remedio vnico ob exiguum lucrum renuntiat; magiſter vero pientiſſimus exhibitâ allicit offâ, & prænuntiatâ deterret pœnâ: Matth. 26. v. 24. *Væ homini illi, per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei, ſi natus non fuiſſet homo ille.* Conſcientiæ timor pius carnifex apponitur; verùm Iudas omnium hominum infeliciſſimus nec pœnitentiæ pharmacum ſibi applicuit, nec, quod anxiè ſuſpirauerat, aurum poſſedit: argenteos retulit exoculato deſperationis conſilio, ſuique grauiſſimo tædio ſuſpenſus viſcera effudit cupiditate æſtuantia, & infami deperijt notâ: *Pœnitentia ductus retulit triginta argenteos principibus ſacerdotum, & ſenioribus dicens: Peccaui tradens ſanguinem iuſtum.* O ſi præmonitus cupiditatibus renuntiaſſet, quantis

ſe

Digitized by Google

ſe malis exuiſſet; at dum monentem contemnit, ſibi infamiam, & æternam inuenit pœnam: *Sceleſtior omnibus, Iuda, & infelicior extitiſti*, inquit Leo Magnus ſerm. 3. de Paſſione Domini, S. Leo. *Quem non pœnitentia reuocauit ad Dominum; ſed deſperatio traxit ad laqueum... Cùm conſcientiam tuam tot Domini miracula, tot dona torquerent, illa ſaltem te à præcipitio tuo Sacramenta reuocaſſent, quæ in Paſchali cœna iam de perfidia tua ſigno diuinæ ſcientiæ deteꝅus acceperas.* Conſcientia tortor vtiliſſimus Iudam auertebat, clementiſſima denuntiatio ardorem auaritiæ æſtuantem mitigabat; at Iudas, dum ſalutarem auerſatur pœnitentiam, vltimam incurrit infamiam. Suſpenſus interiit fuſis viſceribus crepuit, vt qui delictum vni domino noluit confiteri, & vtilem, opportunamque pœnitentiam arripere, deteſtandum in mundo probrum, & extra mundum gehennale pateretur tormentum. Grande illi lucrum fuiſſet fallaci lucro, euanido gaudio renuntiaſſe; at diabolo accedens in caput ſuum ipſum, quod exambiebat, lucrum armauit, & ob volaticum ac breue gaudium ac prolixum inuoluit tormentum. Patibulum torſit plures, quos cæleſtis gratia alliciebat, & ipſa conſcientia ab infelicitate auocabat; aſt dum obſurdeſcunt, dum vtilem conſcientiæ morſum ſuſtinent deteſtabili tolerantiâ, æternâ lugent ac inutili anguſtiâ.

§. XXVII.

Domini nullâ ſeruorum commiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur.

114. CVm homines nobis conducamus in ſeruos, obliuiſcimur ſeruos eſſe homines; imò eis vti iumentis vtimur, & vti hoſtes auerſamur. Vulgò circumfertur, totidem eſſe hoſtes quot ſeruos. Et verum eſt, non quia illi hoſtes ſint, ſed quia hoſtes eſſe compellimus, dum nulla humanitate tractamus: nil illis ex his, quæ natura nobis impoſuit, licet: mouere labra virgâ compeſcitur, & fortuita etiam reprehenſione non carent: tuſſis, ſternutamentum, ſingultus, ſomnus, vt illata nobis poſſet iniuria, carpitur, & pœna ingenti punitur. Notauit Seneca epiſt. 47. *Serui ſunt? imò homines. Serui ſunt? imò contubernales: ſerui ſunt? imò humiles amici: ſerui ſunt? imò conſerui; ſi cogitaueris tantumdem in vtroſque licere fortunæ.* Seneca. Adnectit poſt aliqua: *Non habemus illos hoſtes; ſed facimus: alia interim crudelia & inhumana prætereo, quòd nec tamquam hominibus quidem; ſed tanquam, iumentis abutimur.* Iumentis onus imponitur; ſed miniſtratur pabulum; ſeruis verò in futurum ſæpè ſæpiùs differtur pabulum, cùm onus de præſenti diuexarit humerum. Leuiten fugerat vxor, ſe in paternam recipiens domum: tetendit ille, vt blanditiis delinitam reconciliaret, adduceretque: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere, habens in comitatu puerum, & duos aſinos.* Apud ſocerum humanè refertur gener exceptus, & opiparâ menſâ paſtus: *Manſit gener in domo ſoceri tribus diebus, comedens cum eo, & bibens familiariter*: Non inuenies pueri mentionem, quouſque via iterum carpitur, & ad propria reditur, *Surrexit adoleſcens, vt pergeret cum vxore ſua & puero*: in itinere de puero mentio, in hoſpitio nulla memoria eſt: puer itinere defatigatus, cùm iam appetente nocte, vbi greſſum poneret, non videret, humiliter Dominum precatur, vt apud Iebus diuertat, & eius labori tantiſper indulgeat: *Dies mutabatur in noctem: dixitque puer ad Dominum ſuum: Veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæorum, & maneamus in ea.* Quid tunc Dominus? viæ inſiſtere ſeruum compellit, nec defatigatum audit: *Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël; ſed tranſibo vſque Gabaa.* Non attendit peditem puerum equitantes ſequi, non curauit, an impeditus tenebris inæquali itinere offenderet; ſed defatigatum traxit, & incedere iuſſit. *Nobis*, aiebat Tertullianus lib. de Patientiâ cap. 10. de ſeruis loquens, *patientiam obtulerint ſuam.* Ad omnem Tertull. patientiam eruditi ſeruum neceſſum eſt, quandoquidem Dominus ad omnem contumeliam exercet, & ærumnis obiicit: *Nos*, aiebat Saluianus lib. 3. de Gubernatione, *qui homunculi imbecilli* Saluian. *ſumus, contemni tamen à ſeruis nolumus, quos etſi nobis ſeruitutis conditio inferiores, humana tamen ſors reddit æquales.* Adnectit lib. 4. *Miramur, ſi peccantes nos Deus verberat, cùm ipſi peccantes ſeruulos verberemus.* Inhumanè cum ſeruis agimus, & ad inſtar numinis à ſeruis coli diſcupimus.

115. Dominus apud Lucam dominorum ingenium, & miſerum ſeruulorum iugum miris ſic coloribus exprimit: *Quis veſtrum habens ſeruum arantem,* Lucæ 11. v. 7. *aut paſcentem, qui regreſſo de agro dicat illi: ſtatim tranſi, recumbe.* Ac ſi dicat: Eſtne aliquis, qui redeunti ab agro ſeruo à rationis laboribus diuexato, niuium algoribus afflicto, & famis inediâ oppreſſo aliqualem requiem exhibeat, & qualecumque ſolatium præbeat? Adnectit, pro ſolatio eſſe ſeruis, ſi defatigati, laboribuſque attriti ad nouos labores, vigiliuſque bon cogerentur; ſed adeò inhumanè erga eos ſe dominos gerere, vt poſt anxios diei labores ad ſolicitas cogant etiam vigilias, & anxias ſuperinducant moleſtias. Audi quid adijciat: *Et non dicat ei: para quod cœnem, & præcinge te, & miniſtra mihi, donec manducem, & bibam, & poſt hæc tu manducabis, & bibes.* Quæ expendens Chryſologus ſerm. 161. ſic aiebat: *Seruus poſt vigilias antelucanas, poſt* Chryſol. *totius diei varios, & duros labores, poſt trepidantes & anxios concurſus, & parat Domino ſuo cœnam, & accinctus quod parauerat, ſubminiſtrat: non eſt elatus, quia facit; ſed cum deuotione ſingula faciens contremiſcit.* Et cur contremiſcat ſolicitus, & deuotus? Quia etſi gratiam mereatur deuotum ſeruientis officium, verbera decernit aliquando aſperum & intractabile dominantis ingenium: quas ab aliis dominus accepit offenſas, ſeruulorum gemitibus redimit, & plagis compenſat: vt iam non ſolùm quidquid domini delirant; ſed quidquid inſaniunt alij, ſerui perſoluant.

116. Dominus, vt qualiter cum hominibus Dæmones ſe gerant, expreſſerit, parabolam prodigi inducit: ergo à patre ſeiunctus, fameque oppreſſus primario adhæſit regionis, à quo porcis paſcendis præficitur: *Adhæſit vni ciuium regionis illius, &* Lucæ 15. v. 15. *miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos:* non ſolùm à patre, ſed à ſe etiam receſſerat, cùm magnati, villæque domino, vt famem ſolaretur, adhæſit, quandoquidem de ſæculi vſu ignorare

nequibat

Digitized by Google

nequibat magnati inſeruiendo famem non ſolandam; ſed adaugendam, quod illi ſapere dedit experientia, dum veſte nudus, & fame tabidus per montium abrupta gregem inſequitur, & fœdatur: *Ego autem hic fame pereo.* Expende illud *hic*: ac ſi dicat: ſi priuato cui ſeruirem, fors quo famem ſolarer, acciperem; aſt cùm mea ſcelera punienda fuerint, inſeruire compulſus ſum principi, in cuius obſequium ſaginandis immundis libidinum victimis, diu, noctúque allaborando conſumor, cùm mihi neceſſaria non præbeatur ad laborandum annona, nec veſtis valeat nuditatem tegere attrita: *Hic fame pereo.* Primarium regionis Diaboli perſonam geſſiſſe tradit Auguſtinus in catenâ D. Thomæ. Auguſtin. *Vnus ciuium regionis illius aliquis aëreus princeps eſt ad militiam Diaboli pertinens, cuius villa eſt modus poteſtatis ipſius.* Aëreus dominus cùm nullam ſolueret mercedem ad duriſſimam cogebat prodigum ſeruitutem: & quis aptior, quàm primarius ad Dæmonis gerendam vmbram, cùm magnates in ſeruulos ſæpè furant, & furore acti deſæuiant? Quàm ſe aliter cæleſtis Dominus cum ſeruulis gerat, ipſe prodigus explicat, dum apud eum mercenarios annonis exundantes exclamat: *Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus!* Et quis eſt pater? Certè Deus, reſpondebit Auguſtinus: *Hic homo habens duos filios, Deus habens duos populos intelligitur.* Deus adeò humaniter ſe cum ſeruulis gerit, vt illorum non Dominus videatur; ſed pater: ſi ei obſequereris famulus, haberetis vt filius: panibus exundares, nec ad inſtar prodigi fame luridus diſperires.

117. 1. Cor. 7. v. 23. Ob id fortè Apoſtolus monebat Corinthios: *Pretio empti eſtis: nolite fieri ſerui hominum.* Non prohibet Apoſtolus honeſtum famulatum; ſed quibus ſeruus hominum ærumnis ſubiaceat, exprimit: *Nolite fieri ſerui hominum*, inquit Anſelmus hîc: Anſelm. *Hi ſunt enim ſerui hominum, qui humanis ſuperſtitionibus ſe ſubijciunt, qui tantùm hominibus placere cupiunt, & Deo ſeruire negligunt.* Expende illud: *Humanis ſuperſtitionibus ſe ſubijciunt.* Ac ſi dicat Anſelmus: Homines ad inſtar numinis coli volunt, & præmia ad inſtar idoli reddunt: oculos habent, & miſerias ſeruulorum non vident: aures habent, & clamores non audiunt; ad ſe verò adorandos vaniſſimis, ac indigniſſimis ſuperſtitionibus cogunt. Videas magnatum ſeruos, vt eos alloquantur, genu ponere, coram eis videas procidere, & cùm ſeruus moleſtas vanitatis cæremonias cogatur ſtudioſè afflectare, ei non exhibetur, quo poſſit viuere.

118. Ochoziæ, dum per anfractus cancellorum cupit feſtinantiùs aſcendere, miſerabiliter contigit labi: ægrotus conſulere ſe mentitur ſaluti, cùm ſtuduerit ſolummodò vanitati, à muſcarum Deo, à Beelzebub turpitudinis præſide exorat vitam, vt qui ſolùm exambiat viuere, vt impuratis poſſit affectibus famulari. Ergo dum miſſis nuntiis Elias occurrit, mortem infeliciſſimam prædicens, illique ad domum redeunt, eo in veracem prophetam furore inſanit, vt quinquagenarium ad Dei hominem comprehendendum quantocyùs miſerit & armarit; verùm cæleſtis flamma principem, & ſubiectos adusſit milites, nec horrendo adeò ſupplicio furens deſtitit contumacia; ſed alium delegauit obſtinatior proteruia. Eluctantes flammæ quinquagenarium eiúſque milites nigros in cineres redegerunt; nec adhuc ira frænata eſt. Tertius mittitur, qui regis edicto parens ab Elia humillimis precibus precatur miſericordiam, & exorat ſibi concedi vitam: *Iterum miſit principem qui quagenarium tertium, & quinquaginta, qui erant cum eo: qui cùm veniſſet, curuauit genua ſua contra Eliam, & precatus eſt eum, & ait: Homo Dei, noli deſpicere animam meam, & animas ſeruorum tuorum, qui mecum ſunt. Ecce deſcendit ignis de cœlo, & deuorauit duos principes quinquagenarios primos, & quinquagenos, qui cum eis erant; ſed nunc obſecro, vt miſerearis animæ meæ.* 4. Reg. 1. Multa hîc expendenda veniunt: ſi vidit Ochozias ſeruos voraci flamma depaſtos, cur miſit ſecundos? etſi eadem ſecundi ſuſtinuerunt ſupplicia, cur tertium mittere non detrectauit proteruia? Ad hæc: ſi quinquagenarius tertius ab Elia miſericordiam implorat, cur principis ſe delegantis auſus non eſt detrectare iuſſionis audaciam. Opponat præcipienti tot ſeruos flammis conſumptos, precetúrque ſibi concedi vitam, ne ſi miſſus, ardentem ſuſtineat flammam. O vtilem nobis doctrinam! Ea magnates, ſi ſemel quid diſcupiant, poſſidet pertinacia, vt contrà omnia impedimenta luctentur; adeóque ſeruulorum infelix conditio eſt, vt facilius fuerit ab aliis impetrare miſericordiam, quàm obſtinatæ effugere iuſſionis ſententiam. Quàm parui æſtimabat Ochozias ſuorum vitam, cùm ne audacem immutauerit amentiam ad ſemel & iterum inuolantem miſerit flammam. Notauit Abulenſis q. 21. *Quæritur vlteriùs de tertio quinquagenario,* Abulenſ. *quomodò ille ire auſus eſt, combuſtis duobus primis quinquagenariis, & ipſo hoc ſciente? Reſpondendum quòd quantum ad regem eadem cauſa mittendi eum fuerunt.* Subiungit poſt aliqua Abulenſis: *Iuit iſte quinquagenarius ad vocandum Eliam, quia præceptum regis vrgebat valdè: ideò poſuit ſe in manu Domini, & iuit ad vocandum Eliam.* Principis famulus temporalem exponit vitam, & cæleſtem ſuſtinere cogitur flammam, eáque eſt inſeruiendi magnatibus cæca aliquorum cupido, vt malint, quàm eis reſiſtere, flammas pati, vt ea eſt etiam cæca Dominorum ſuperbia, vt ingentibus ſeruulorum periculis ſuis adulentur inſanis votis. En quinquagenarius præcipienti ſubire periculum adeò graue, nihil opponit & impius rex ad manifeſtum diſcrimen ſeruientem mittit.

§. XXVIII.

Ambitio cupiditáſque mentem obtenebrant, & cæleſtem lucem fugant.

MAlè coëunt ſapientia & ambitio: non poſſunt ſimul eodem in animo cohabitare, nec 119. ſecum aliquomodò conuenire: ambitio, cupiditas, voluptáſque non tam benignè ac liberaliter ſibi tēpus arbitrantur conceſſum, vt aliquid ex illo vacet deperdere, ſicque diligentiſſimè collocant; ſed reuera puerilibus nugis, & euanidis oblectamentis. Adiice quod omnem philoſophiæ, virtutíſque memoriam expungunt, & quidquid virtuti debitum, ab ſpecioſis, fucatíſque occupationibus præripitur labefactandum: *Stuprum cum Marte Veneris indicare Solem iactant*, inquit Plutarch. de audiendis Plutarch. poëtis. Fugit Venus lucem, inhoneſtis deliciis vacans; exoriente Sole confunditur, & ad infamiam proſtitutionis detegitur: ergo tenebrarum ſemper amica molitur Solem tardare, & oculos caliginibus impedire. Voluptati, ambitioni, & huiuſmodi peſtibus innatum eſt lucem fugere, & prudentiam innubilare.

nubilare. En Leuites,vbi Ieruſalem approximat,luce fruitur;at dum Gabaa Veneris emporium,& inſatiabilis voluptatis peruerſum intrat miraculum, Sol iam refertur occaſu occumbens,& tenebris tẽpus concedens:*Tranſierunt Iebus & cœptum carpebant iter occubuitque eis Sol iuxta Gabaa,quæ eſt in tribu Beniamin.*Adnectit textus:*Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial,id eſt,abſque iugo,& circumdantes domum ſenis fores pulſare cœperunt,clamantes ad Dominum domus, atque dicentes : Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutatur eo.* Vbi voluptatis commercium , vbi nullum iugum ; ſed luxuriæ, & iniquitatis regnum , confuſæ inſident tenebræ, & tenebroſæ caligines. Notauit Hugo Cardinalis : *Hic notabile eſt , quòd tranſeunte Iebus occubuit Sol : ſic tranſeunti pœnitentiam & appetenti dignitates occumbit Sol iuſtitiæ : quia dum gradus dignitatis appetitur , gratia minuitur , vel penitus amittitur.* Ambitio dignitatis noctis cognata eſt ; luxuria ſic tenebrarum amica , vt mentem obtenebrarit , vt omnem veritatis, ac virtutis ſplendorem à Gabaa prorſus abegerit : ambitioſus cæleſtium deſipit prorſus oblitus, quia totus negotiis dignitatum impenſus: apud Gabaa lux languet , & ſi qua erat, citiſſimè occumbit : quia Veneris ſpurcitiis immerſi , & cæleſti inueniuntur luce priuati. Si Leuita apud Iebus : hoc eſt, Ieruſalem maneret, ſole frueretur; at dum tendit ad Gabaa, luce refertur priuatus,& noctis tenebris cęcus:*Occubuit eis ſol iuxta Gabaa.*

Hugo.

120. Cùm Pharao diuitiarum cupidus, & imperium extendendi ambitioſus fugientes Iſraëlitas inſequitur, tenebroſa refertur nube impeditus : *Tollenſque ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël, abijt poſt eos, & cum eo pariter columna nubis priora dimittens poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël, & erat nubes tenebroſa , & illuminans noctem.* Vno eodemque tempore & fallaces Ægypti delicias fugiens clariſſima luce vtitur, & Pharao prolatandi imperium cupidus tenebris denſiſſimis obcæcatur. Iſraëlita luce illuſtratus cæleſti greſſum dirigebat ſolidum ; Pharao tetris cupidinis, & ambitionis caliginibus occupatus imprudentiſſimè inuolat ad profundum : ambitio nubem denſiſſimam texuit, & oculos tenebris obſcuriſſimis deturpauit : ignorat Pharao inopinum aſciſcere ſibi naufragium, dum extendere cupit contra æquitatem imperium: quia tetra impeditus caligine nec poterat oculos ad cæleſtia leuare , nec appetens periculum præuidere. *Nubes*, inquit Strabus apud gloſſam , *tenebroſa erat Ægyptiis , lucida Hebræis.* Sereno lucis fruebantur ſplendore, quia fugiebant Ægyptum , vt qui aiebat , adulatus cupiditati : *Perſequar & comprehendam, diuidam ſpolia:implebitur anima mea* . Sibi maturauit naufragium. Non ſunt adeò confuſæ noctis tenebræ, vt ambitionis, & cupiditatis caligines:ambitioſus Pharao deuius à littore aberat, & profundo cæcus approximat.

Exod 14. v.19.

Strabus.

Exod. 15. v. 9.

121. Iob , ſi de vtero tranſlatus eſſet ad tumulum, ſe principibus , conſulibuſque ſibi ſolitudines extruentibus fore ſimilem atteſtatur : *Nunc dormiens ſilerem, & ſomno meo requieſcerem cum regibus, & conſulibus terræ , qui ædificant ſibi ſolitudines. aut cum principibus, qui poſſident aurum, & replent domos ſuas argento , aut ſicut abortiuum abſconditum non ſubſiſterem , vel qui concepti non viderunt lucem.* Mira & arcana equidem comparatio : conceptis lucem non aſpicientibus ; ſed ſepulchro incluſis abortiuis ſe abortiuum etiam exæquet ; ſed ſolitudines extruentibus, aurumque adaggerantibus non contulerit ; quandoquidem ad inſanas ſubſtructiones moliendas oculis opus eſt : abortiuus de vtero tranſlatus ad loculum lucem non vidit : aurum ad ſuperba ædificia adaggerans vitâ fruitur : ergo alter longiſſimè diſtat ab altero. O profundam nobis eruditionem ! Dum ſtudioſiùs aurum quæritur, dum viuidiùs dignitatis faſtigium exambitur,ſic cæleſtium obliuio ſubrepit, ſic mentis ad profutura caligat oculus , ſic ad ſolida obcæcatur obtutus , vt nullum videatur intercedere diſcrimen inter abortiuos luce priuatos , & ambitioſis tenebris cæcos. Veræ luci moritur , qui ſæculi voluptatibus, cariſque ac volaticis gaudiis illuditur. Ergo arcanè Iobus, ſi de vtero tranſlatus fuiſſet ad tumulum , ſe ſimilem teſtatur fore ambitioſis, & cupidis, quandoquidem nequeunt oculos ad veram lucem expandere , vt nec illi immaturis tenebris occupato contigiſſet aperire : *Cum principibus: qui poſſident aurum*, inquit Lyra, *id eſt, cum illis, qui in præſenti vita magis ſtuduerunt ad bonum vtile.* Adnectit gloſſa moralis : *Abortiuum dicitur ortum non recto tempore ; tempus verò non rectum fuit tempus naturæ lapſæ,in quo omnis caro corrupit viam ſuam.* Carnis negotia ſecuti lucem non viderunt : quia de paſſionum procellis,de cupiditatum vaporibus nubem denſiſſimam ſibi elaborarunt. Ergo his verâ luce priuatis ſe fatetur ſimilem : nam vt abortiuus huius lucis flore priuatur , ſic auro inhians, ambitioni cupiditatique inſeruiens, reſpectu cæleſtium in cenſum defunctorum debet referri , & cum abortiuis annumerari.

Iob. 3. v. 13.

Lyra.

Gloſſa.

Non ſine myſterio mendicus ille apud Iericho 122.
ſedens cæcus refertur ; *Factum eſt autem cum appropinquaſſet Iericho , cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans.* Adami geſſiſſe imaginem tradit Gregorius , & iure : nec enim poterat oculis non carere, qui immodicæ ſtuduit ambitioni inſeruire. Et expende Dominum , vt oculos inderet , adduci iuſſiſſe : *Iuſſit illum adduci ad ſe* : quaſi opus fuerit à Iericho recedere, vt oculos mereretur accipere. Iericho Luna interpretatur : ergo vt videat , à mundialibus tenebris longè recedat. Audi Gregorium apud Diuum Thomam in catena : *Cæcum eſt genus humanum, quod in parente primo claritatem ſupernæ lucis ignorans damnationis ſuæ tenebras patitur.* Quòd ſi opponas non benè Adamum in hoc cæco adumbrari , quandoquidem Adamus aperuit oculos : *Aperti ſunt oculi amborum* : & hic oculis inuenitur orbatus : ob id ipſum Adami geſſiſſe perſonam reſpondebit Gregorius : primus namque homo, dum ambitione inflammatus aperuit oculos, vt videret humana, clauſit,vt intueretur cæleſtia : ergo referatur cæcus, quia videre nequiuerat ambitioſus : dum à Iericho diſcedit, dum Chriſto approximat, iam obſcuram depellit ambitionis caliginem , & cæleſtis lucis aſpicit florem. Adde mundum per Iericho optimè deſignari:nam vt Lunæ ſplendor nocturnis caliginibus intertexitur, & obſcuris vmbris opprimitur ; ſic exigua mentis lux ambitionis noctibus obtenebreſcit, & prudentiæ ſplendor tetris voluptatibus preſſus occumbit. Cæcus erat,qui Iericho proximus gaudia volatica emendicabat.

Lucæ 18. v. 35.

Gregor.

Dominus apud Ioannem cæcam teſtatur huius 123.
mundi ſapientiam , & inoculatam feliciter ignorantiam : *In iudicium ego in hunc mundum veni, vt qui non vident , videant , & qui vident , cæci fiant. Et audierunt quidam ex Phariſæis, qui cum*

Ioan. 9. v. 39.

ipſo

ipſo erant, & dixerunt ei: Numquid & nos cæci ſumus? Phariſæi, qui primos diſcupiebant accubitus in cænis, & ſalutationes in foro, veritatis ac veræ lucis depellebant conſcientiam, & plauſibilem ſequebantur ignorantiam: erant cæci, & ad ſpeciē inoculati: quia dum inoculatiùs ad ſpeciem ad ambitionē inuolabant, cæciùs. & infeliciùs impingebant Accipe Galfrid. in allegor. Tilmani. *Vident, & cæci fiunt, qui dum viſibilia ſola reſpiciunt, ad inuiſibilia bona contemplationis oculum non attollunt. Illi verò non vident, vt videant, qui inuiſibilium amore deuincti nunquam ad rerum viſibilium ſpeciem affectum ſuæ conſiderationis inclinant, vt tanto perinde ſpiritualium deſideriorum efficiātur compotes, quanto ſe ſtudioſiùs ſeruant corporeæ claritatis expertes.* Ambitioſa] perſpicacia mera eſt cæcitas, vt ad humana, & volatica cæcutire eſt acutâ perſpicientia videre: vt videntes humana feliciter obcæcarentur, aduentauit Chriſtus: nam dum prorſus ad fallentia exoculati, deprehēderent cæleſtia clariùs intuiti. Ergo noſtra theſis veriſſima eſt, ſcilicet ambitionem, & terreſtrium cupiditatem denſiſſimam eſſe ac infelicem caliginem: vt è contrà fulgentiſſimam patere menti lucem fortunatam erga humana cæcitatem.

Galfrid.

§. XXIX.

Patriæ, conterraneóque peculiaris debetur affectus, ſi vagetur peregrinus.

124 CONciuibus, conterraneiſque ipſa nos natura ſpeciali nexu coniunxit, & quodammodò nouam cognationis ſpeciem ad fouendam charitatem inſeruit: eadem patria adulti, eodem ſolo geniti ſtrictiori debent amicitia coniungi, & ſibi mutuo, ſi extra patriam degerint, auxiliari. Homo homini ſi indigeat, ipſius naturæ iure tenetur obſtrictus; conciui tamen, & conterraneo, ſpeciali lege inuenitur obligatus: peregrinanti debetur obſequium, & ad miſeriam ſubleuandam auxilium. Patria ciueſque ipſa naturâ edocente tenerrimè diliguntur, & vel magno diſpendio aſſeruantur. Audi Chyſernum in 2. hiſtor. Perſic. *Cùm Perſæ vaſtarent Græciam, & indigenæ omnes perturbati eſſent, Pauſanias Lacedæmoniorum Dux quingentis auri talentis acceptis à Xerxe Spartam proditurus erat. Cæterùm interceptis epiſtolis Egeſilaus eius pater, cùm rem intellexiſſet ab illis, qui in epiſtolas inciderant, perſecutus eſt filium ad templum vſque Mineruæ, quæ Calciœcos ab æde ænea cognominatur: ibi foribus templi obſtructis per lateres vnà cum vxore ſua Pauſaniæ matre introitum cuſtodiuit, & proditorem fame necauit, quem mater mortuum ſublatum extra fines Spartæ proiecit.* Amor erga conciues, patriámque de naturali erga filium amore honeſtè triumphauit, & qualis patriæ conciuibúſque affectus impendi debeat, oſtendit. Et quidem, etſi erga conciues tener verſetur affectus, tunc præcipuè viget, cùm extra patriam degunt, & veluti extorres viuunt. Deuenerat in Gabaa Leuites, nec tamen mercede oblatâ, aut prece importunâ à Gabaënis impetrare potuit hoſpitium: in platea ciuitatis peregrinum inuenit ſenex, qui & ipſe in Gabaa deuenerat peregrinus: cúmque cognouiſſet Leuitam ex eadem tribu ortum, patriáque natum libenter exhibuit officium: *Ecce apparuit homo ſenex reuertens de agro, & de opere ſuo veſperi, qui & ipſe de monte erat Ephraim, & peregrinus habitabat in Gabaa.*

Chyſern.

Ephraimita Ephraimitam recepit, & quia titulo ſpeciali coniunctus, neceſſaria præbuit deuotus. Notauit Ioſephus 5. antiq. cap. 2. *Senex quidam è rure domum repetens Ephraimita genere; ſed Gabæ habitans caſu repertum interrogat, quiſnam ſit, & cur crepuſculo demum cœnam è foro peteret: ille ſe Leuitam ait, & vxorem à parentibus domum reducere, & in Ephramitarum ditione ſe habere domicilium: tum ſenex reſpectu cognationis ac tribus, & quod fortè oblatus hoſpes viſus eſt, ad ſe deducit hominem.* Expende illud: *Reſpectu cognationis ac tribus.* Quaſi ipſi cognationi, patriæque irrogaret iniuriam, ni contribuli, conterraneóque exhiberet miſericordiam. Conſonat Abulenſis q 12. *Quæretur, quare ſenex iſte voluit dare hoſpitium iſti Leuitæ, & in tantum motus habuit ad eum ex affectione quòd oraret ne maneret in platea? Reſpondendum, quod iſte Leuita erat de terra illius ſenis.* Adnectit: *Solent autem compatriotæ, cùm ſe cognoſcunt mutuò in terra aliena, inuicem ſibi auxiliari valdè præ deſiderio originis, & naturalis patriæ.* Viuidior ciuis erga conciuem in aliena regione incandeſcit affectus: & de ipſo quodammodò exilio ardentior amor animos coniunxit, & ad ſibi auxiliandum traxit.

Ioſeph.

Abulenſ.

125 Quàm ab humanitate alienus videatur, patriæ ac conciuium oblitus, & quàm impensè veluti cæco naturæ impetu in proprios feratur affectus, vel ex hoc conijci poteſt, quòd Chriſtus Dominus edocuerit rationabiliter temperandum, & honeſtè corrigendum: *Omnis qui reliquerit domum vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.* Vitæ æternæ obtulit præmium, vt nimiam erga patriam poſſeſſioneſque temperauerit affectionem: & quidem qui erga eodem ſolo natos & innutritos cæco non ducitur amore; ſed honeſtâ ſolùm pietate, iam extra mundum videtur degere, & cæleſtia inhabitare. Notauit Clemens Alexandrinus 4. Stromatum: *Cognitionem ſignificat ſcientia nominis, & intelligentia Euangelij; ſed non nudam, ac ſimplicem appellationem relinquere quidem genus mundanum; relinquere autem facultates, & omnem poſſeſſionem, propterea quòd viuat citra vllam ad ea affectionem. Dicitur quidem certè patria mater, & nutrix allegoricè.* Dum inordinatos nimióſque erga patriam & conciues affectus niſus eſt Dominus reſecare, allegoricè matrem appellauit, vt Alexandrino placet: nam vt à natura inſitum eſt matrem diligere; ſic erga patriam & conciues ferri eſt innatum: *Dicitur quidem certè patria mater & nutrix allegoricè.* Itaque dum opus eſt virtutis falce reſcindere immoderatum erga patriam conciueſque affectum naturæ vis denotatur, & quàm indecorum fuerit cognatis conciuibúſque extra patriam poſitis, & indigis honeſtam denegare affectionē oſtenditur.

Matth. 19. v. 29.

Clem. Alex.

126 Tobias ad Niniuem tranſlatus erga ſuos ea commiſeratione tangebatur, vt concaptiuos quæreret, & ad eorum miſeriæ ſubleuationem facultates ſuas generoſa manu impertiret: *In captiuitate poſitus viam veritatis non deſeruit, ita vt omnia quæ habere poterat, quotidie concaptiuis fratribus, qui erant ex eius genere, impertiret.* Expende illud: *Qui erant ex eius genere.* Tobiæ pietas in omnes ſe miſeros extendebat: erga concaptiuos verò fratres inuigilabat & copioſior, & ſolicitior: nec ſibi videbatur beneficium dilargiri; ſed debitum origini patriæque tributum pendere: *Concaptiuis*

Tob. 1. v. 3.

Digitized by Google

Interlin. *captiuis fratribus, id eſt, Iudæis*, inquit Interlinearis. Iudæi captiuitatis ærumnis oppreſſi, & paupertate ſordeſcebant afflicti: ergo Tobias ſibi viſus eſt viā veritatis relinquere, ni probaretur erga cognatos contribuléſque charitatem miſericordiamque ſtudioſè exercere. Ab homine tranſiuit in feram, qui erga ſibi cognatos, & eodem ſolo exortos compaſſionis non mouetur affectu, ſi eos inuenerit à natiuis laribus diſtantes, & indigentes.

117. Hinc Dominus, cùm variis calumniis, & factioſis cauſis impetitus tacuerit, vbi interpellatus eſt de duriori erga conciues affectu, eam à ſe ſuſpicionem repulit, & in ciues accuſationem contorſit. Patrauerat in Capharnaum miracula retro ſæculis inaudita: ergo ſui liuore tacti, aut, vt putabant ipſi, deſpectu percuſſi, non rectè de ipſo (Luc. 4. v. 23.) querebantur: *Vtique dicetis mihi hanc ſimilitudinem: Medice cura te ipſum: quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua.* Ex ipſis miraculis pietatem læſam arguebant, quandoquidem naturali iure miſericordiam ſuis præ alienis tenebatur impendere, & eorum afflictionibus ſubuenire: cumque non deeſſent in patria, qui variis morborum afflictationibus laborarent, miracula in aliorum ſalutem patrata calumniabantur, vt quæ non eſſent ſanctitatis indicia; ſed incuriæ, inciuilitatiſque manifeſta teſtimonia. Ergo Dominus pro omnifaria ſua ſapientia: *Amen dico vobis, quia nemo propheta acceptus eſt in patria ſua,* reſpondit in ipſos accuſationem contorquens, & eos ipſa accuſatione conuincens. Coram Pilato, accuſatus de ſeditione tacuit, audiens Samaritanus ad probrum obijcientibus non reſpondit; hîc tamen conciues ſuos à ſe ſalutem repuliſſe, & miſericordiæ oppoſuiſſe obſtacula demonſtrauit, ne aliqua impietatis erga patriam vel leui ſuſpicione denigraretur, ſi ſuis, cùm poſſet, non impertiretur auxilium, & ad leuandam calamitatem ſolicitaret remedium. Adeſt Ambroſius (Ambroſ.) ad hunc locum: *Non mediocris inuidia proditur, quæ ciuicæ charitatis oblita in acerba odia cauſas amoris inflectit.* Subjicit opportunè Ambroſius: *Non otioſè itaque Saluator excuſat, quòd nulla in patria ſua miracula virtutis operatus ſit, ne fortaſſis aliquis viliorem patriæ nobis eſſe debere putaret affectum: Nec enim ciues poterat non amare, qui amaret omnes; ſed ipſi ſe charitati patriæ, dum inuident, abdicarunt.* Non otioſè excuſat Chriſtus ibi miracula non patraſſe; imò ſummam eorum redarguit malitiam, quando ſe priuabant pietate in omnium vtilitatem procliui; ſed in ſuos teneriùs ſtudioſiori. Itaque ipſa excuſatio pro doctrina nobis eſt, vt nouerimus miſeris conciuibus, præcipuè dum à patria diſtant, tenerum deberi affectum, & exhibendum, prout occaſio tulerit ad leuandas ærumnas accuratè ſubſidium.

128. Saül in Dauidem ipſis beneficiis exaſperatus furebat; ſed Dauid ipſius mortis contemptor erga patriam ſuoſque nunquam peccaſſe manifeſtare adlaborat, & honeſtè ſui ipſius laudator inculcat. (1. Reg. 26. v. 20.) *Egreſſus eſt rex Iſraël, vt quærat pulicem vnum, ſicut perſequitur perdix in montibus.* Vt à venatoribus perdix in montibus ſtudioſè conquiritur, & obtenſis laqueis capitur, ſic ait ſe à Saule perquiri, & ſine cauſa ad mortem inueſtigari. Quòd ſi inquiras, cur ſe potiùs perdici, quàm aliis auibus compararit, reſpondebit Caſſiodorus 2. var. 14. perdices erga congeneres eſſe pientiſſimas, ab aliis relicta oua ſolicitè incubando fouere, & (Caſſiod.) iam fœta nutricare: *Perdicibus etiam mos eſt oua perdita per alterius matris damna ſarcire, vt adoptione alienæ ſobolis incommoda ſua reparent orbitatis.* Oua ab alia perdice per matris damna derelicta perdices confouent, vt hanc generi pietatem impendant, & orbitatis damna pia incubatione reſarciant. Ergo Dauid perdicis ſe teſtatur imitatum fuiſſe naturam, ſuiſque exhibuiſſe ſemper auxilium, & ſtudioſè quæſiſſe commodum, ne ſi fortè multiformibus inſidiis ceſſerit vita, pietatis læſa decumbat fama, quandoquidem eſſet æterna nota ſuis in neceſſitate poſitis auxilium non præſtitiſſe, nec ærumnam ſubleuaſſe.

§. XXX.

A Deo quodămodò ob ipſum Deum oportet aliquando recedere, vt tibi commiſſos ad virtutem cures reducere.

A virtute nunquam recedendum eſt, vt aliis 129. conſulueris; à ſacro tamen contemplationis ſilentio, ab orationis lucro, à corporis maceratione oportet aliquando abſtinere, vt tibi commiſſos greges valeas ab erroribus reuocare, & munus paſtoris, ſuperioriſque accuratiùs, & ſolicitiùs implere. *Negotiatio eſt*, aiebat Tertullianus ad (Tertul.) Martyr. cap. 2. *Aliquid amittere, vt maiora lucreris.* Maiora aliquando acquiruntur de orationis interdicto, de pœnitentiæ feriatione, de honeſta interturbatione ſilentij: ergo tunc quodammodò deſerendus eſt Deus, vt plus Deo inſeruias, & tuo muneri ſatisfacias. Ecce Leuites ſacris ritibus dicatus, & templi miniſteriis addictus à domo Dei recedit; vt vxorem minus prudenter à ſe recedentem reduxerit: *Secutus eſt eam vir ſuus volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* Reducta iam vxore ad Dei domum tendebat Leuites: *Nunc vadimus ad domum Dei.* Ad Dei domum tendebat: quia vti Leuites tenebatur ſacris aſſiſtere, & miniſtrare. Ita Abulenſis quæſt. 11. *Poterat iſte Leuita ire ad domum Dei* (Abulenſ.) *ad miniſtrandum: quia ex tempore Moyſi Leuitæ miniſtrabant in ſanctuario.* Quòd ſi inquiras, cur à domo Dei receſſerit, & aliquot diebus apud ſocerum manſerit, cùm munus adeſſe exigeret, & miniſtrare in ſanctuario expoſceret: iam textus difficultati reſpondit: *Secutus eſt*, inquit, *eam vir ſuus volens reconciliari ei, & ſecum reducere.* Vxor viro vti capiti ſubiecta ab eo receſſerat, & variis abducta cauſis reliquerat. Ergo vir in partem deerrationis venit, vt errantis curam gereret, & virtutibus reſtitueret.

Paſtori cùm ouicula ſe ſubtraxiſſet, veritus ne 130. in luporum rictus incideret, deſertum deſeruit, & per ardua montium excurrit: *Quis ex vobis ho-* (Luc. 15. v. 4.) *mo, qui habet centum oues, & ſi perdiderit vnam ex illis, nonne dimittit nonaginta nouem in deſerto, & vadit ad illam, quæ perierat, donec inueniat eam: & cùm inuenerit, imponit in humeros ſuos gaudens, & veniens domum conuocat amicos.* Perpende expreſſam hîc optimi Superioris ideam: deſertum relinquit, ne erronea perierit; ſed diſcedit à deſerto non mente, ſed corpore: & hoc donec inueniat eam: inuenta namque ſtatim ſe, vnde diſceſſerat, reſtituit, nec immoratur detentus; ſed repetit arcanum otium feſtinus. Ambroſius ad hunc locum in paſtore Chriſtum agnoſcens ſic ait: *Chriſtus paſtor.* Adnectit: *Diues igitur paſtor, cuius* (Ambroſ.) *omnes nos centeſima portio ſumus: habet Angelorum, habet Archangelorum, Dominationum,*

Poteſtatum

Poteſtatum, Thronorum, aliorúmque innumerabiles greges, quos in montibus dereliquit. Paſtoris munus conſulebat ouem quærere, & , ne ferarum vnguibus diſcerperetur, reducere: ergo ab Angelis Patréque quodammodò diſceſſit, vt ſolerter muneri ſatisfaciat, & nos ſuo exemplo edoceat, debere patres familias, paſtores, ſuperioréſque ſacra otia, etſi fas eſt dicere, cæleſtia gaudia relinquere, vt ſibi iniunctos à via perditionis ad ſemitam virtutis reduxerint, & ouile Domini adauxerint.

131. Mar. 16. v. 15. Iam Apoſtolis Chriſtus Dominus hominum delegauerat curam: *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ*, cùm candida ſplendentíque nube obequitans in cœlum cæleſti luce circumfuſus aſcendit: hilari mœrore, & triſti hilaritate magiſtrum oculis, affectibúſque comitabantur diſcipuli, ſtabántque quodammodò abſorpti, & ſtupefacti, dum mirantur gloriam, doléntque abſentiam. Quid tunc? Stantes Angeli reprehendunt, & abſentiæ tempus finiendum dicunt: *Quid ſtatis aſpicientes in cœlum?* Non aſpiciebant terram; ſed cœlum; & tamen Angeli vrgent proficiſci, & à gloria illa oculos remouere. Ecqua huius ratio? Quia licèt oculos cæleſte detineret gaudium, vrgebat animarum periculum: ergo, vt iniunctum ſibi munus perficiant, & ad Deum oberrantes homines trahant, oportet oculos à gloria auertere, & lucroſo labori incumbere. A cæleſtium contemplatione docent Angeli modò abſtinendum, & in reducendis hominibus inſudandum: nec enim cæleſtium eſt contemplationi incumbendum muneris querela, & ſalutis proximorum iniuriâ: *Angeli dicunt eis* (inquit Hugo) *quid hîc ſtatis aſpicientes in cœlum?* Vera enim contemplatio eſt, tibi commiſſis conſulere, & eorum ſalutem diligentiſſimè procurare. Hugo.

132. Cantic. 1. v. 6. *Indica mihi*, aiebat Sponſa, *quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Otiari in ſibi impenſiſſimè dilecti conſortio ſuſpirabat meridiana contemplationis luce perfrui exambiebat, cæleſtique epulo ſaginari, quin interpellaretur curis, aut humanis diſturbaretur negotiis, ardentiſſimis affectibus depoſcebat; verùm Sponſus ad greges paſcendos mittit anxiam, & cæleſtibus vacare ſollicitam: *Egredere & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hædos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Hœdis, capriſque paſcendis præerat paſtoritio muneri addicta, & ſaluti gregum dicata: ergo monet Sponſus ab illo loco, in quo ipſe meridianis oblectamentis ſuos paſcit, recedendum, & ſuper hœdorum cuſtodiam inuigilandum: *Paſce hædos tuos.* Ac ſi dicat: neceſſarium eſt egredi, abiréque; verùm licèt te locorum tractus abſentent, & iis otiis gaudiiſque interdicant, à me non diſtabis; imò vt ſigillum tui cordis, & operationum ſemper habebis. Opportunè Ambroſius: *Pulchrè ait ad animam: Exi, id eſt, exi à ſeruitio, exi à carnis imperio, atque dominatu.* Attentiùs audi quæ annectit: *Et exi non in carne; ſed in ſpiritu; exi ad regimen poteſtatis.* Plures ſunt, inquit Sponſus, qui ſpecioſo muneris obtentu exeunt; ſed in carne: tegunt hœdos non vt poteſtati conſulant; ſed vt ſibi eo fuco liberiùs indulgeant, vagentúrque: tu verò quæ inter mulieres pulcherrima, non exeas carnalibus commodis impulſa, aut aliis vtilitatibus prolectata; ſed exi in ſpiritu ad regimen poteſtatis, credéque, ſi eiuſmodi aggrediaris, virtutum pulchritudinis nil amittendum ob laborioſas anxiáſque in gregibus curandis vigilias; imò ingenti lucro perfectionis venuſtatem augendam, & erga me adfectionem incrementandam: ergo egredere, & abi: quia negotiatio eſt hoc otium amittere, vt maiora virtutum incrementa lucreris, & petulcorum præcipitia vitaueris. *Abi poſt veſtigia gregum tuorum*: quia ſic meis oculis gratior, & formoſior: quod ſi times aliquali itineris puluere ſordidari, & nimio Solis æſtu tantiſper vri, grandius tibi de gregum cuſtodia erit lucrum, quàm ſit de puluere detrimentum, aut de occupationibus damnum: *Exi non in carne, ſed in ſpiritu, exi ad regimen poteſtatis.* Ambroſ.

Matthæum ad telonium ſedentem Dominus vocat, Petrum & Andream piſcationi incumbentes allicit; patrem verò, cuius filio vitam ſalutémque indiderat, non detinet; ſed abire in domum iubet: *Vade filius tuus viuit.* Et cur *vade*, nonne ſatius *veni*? Si alios ab vndis euocat: *Venite poſt me, & faciam vos fieri piſcatores hominum*: cur miraculo ineſcatum, & filij ſalute allectum non iubeat ſequi; ſed abire: *Vade*: & cur non, *Sequere me*? O ſapientiam immortalem! Hunc filium, ſeruos, familiámque habere conſtabat, teſtante Ioanne: *Serui occurrerunt ei.* Ergo vadat, & à Chriſti latere non affectu; ſed paſſu diſcedat, vt gesſerit familiæ curam, & ad Chriſtum adducere ſtudeat familiam. Profectò intimiùs adhærebit virtuti, ſi ſatisfacere procurarit à Deo ſibi impoſitæ obligationi: *Oſtenditur*, inquit Origenes in catenâ, *eius dignitas, & officium ex eo quod ſeruientes illi occurrunt.* Erat in dignitate conſtitutus vt regulus, ſubiectum ſibi populum, vt pater tenebatur regere filium: ergo accedat ad Dominum, & à Domino diſcedat: accedat, vt filio, & ſibi ſubiectis obnixis precibus impetrauerit ſanitatem, diſcedat, vt impetratam tueatur ſalutem: ſi ad Dominum non accederet humiliter oraturus, munus dedecoraſſet, etſi Domino ſemper adhæreret, non impleuiſſet. Ergo quò diſcant principes, ſuperioréſque opportunum acceſſum, & receſſum opportunum, hunc regulum contemplentur, quandoquidem hîc ad Chriſtum pro ſuorum ſalute deprecaturus inuolauit, & ad ſuos, vt eorum ſaluti vigilanter conſulat, rediit: vt Leuites etiam à Dei templo receſſit, quò vxorem reduceret, & iam reductâ templum iterum repetiuit. 133. Ioan. 4. v. 50. Matth. 4. v. 9. Origen.

§. XXXI.

Ciborum oblectamentis ſæpè capimur, & à virtutis itinere auertimur.

CIborum deliciæ, ſaporata gulæ irritamenta non ſolùm ſtomachum prægrauant; ſed mentem hebetant: inaurato illo calice pro hamo vtebatur meretrix illa, præſtigiatrixque Babylon, quò ratio ſopita dormiret, & appetitus vini ardore exæſtuaret: *Habens poculum aureum in manu ſua plenum abominatione, & immunditia fornicationis eius.* Plenus dicitur calix libidine: quia dum generoſiùs, nobiliúſque vinum propinat, eloquentiùs ac viuidiùs cauſas turpitudinis tractat: *Operoſum eſt*, aiebat Plutarch. in præcept. ſalubrib. *in conuiuiis, & inuitationibus aſſuetam ſuam temperantiam retinere, niſi omnibus velis cum nimia toruitate odioſus, & importunus haberi: ne igitur ignis igni, quod aiunt, gula gulæ, crapula crapulæ addatur.* 134. Apoc. 17. v. 4. Plutarch.

Addit poſt pauca: *Memini ex vetuſtate Alexandri, qui a magna potatione denegare erubuit Midio inuitanti, & conycientes ipſum denuo in vinum, vnde periyt.* Salus ingluuie deperit, temperantia exulat, mentis lux obtenebreſcit, & ingeminatus torpor externos inuadit oculos & internos. Diuerterat apud ſocerum Leuites, qui ad vxorem ſibi reconciliandam aduenerat, & vt teſtatur ipſe, ad Dei domum contendere properabat: *Nunc vadimus ad domum Dei.* Honeſtum adeò iter vno & altero die eſt dilatum: quia ſocer opiparo conuiuio properantem detinuit, otiatique perſuaſit: *Die quarto de nocte conſurgens proficiſci voluit: quem tenuit ſocer, & ait ad eum: Guſta prius pauxillum panis, & conforta ſtomachum, & ſic proficiſceris: ſederuntque ſimul ac comederunt, & biberunt. Dixitque pater puellæ ad generum ſuum: Quæſo te, vt hodie hîc maneas, pariterque lætemur. At ille conſurgens cœpit velle proficiſci. Et nihilominus obnixe eum ſocer tenuit, & apud ſe fecit manere.* Conuiuio tardat, vtque iterum detineat, opiparum inſtruit conuiuium iterum. *Mane autem facto parabat Leuita iter; cui ſocer rurſum: Oro te, inquit, vt paululum cibi copias, & aſſumptis viribus, donec increſcat dies, poſteà proficiſcaris: comederunt ergo ſimul.* Gulæ oblectamentis detinebat, & ne ad Dei domum pergeret, retardabat: conuiuia namque & lautitiæ ſunt enorme virtutis faſcinum, & grande ad virtutis curſum impedimentum. Panis nomine omne obſonium intelligi

Abulenſ. tradit Abulenſis q. 6. *Nomine panis intelligitur, quidquid comedi poteſt.* Additque: *Intentio ſoceri erat detinere generum aliquot diebus: quia gaudebat videns eum apud filiam, & ob hoc quærebat occaſionem detinendi eum, & ſic ſedit cum eo ad comedendum.* Ad Lauta conuiuia recurrit ſocer, vt apud ſe generum detineret, & ad Dei domum iter impediret, vt qui benè nouerat, quàm menſæ deliciæ virtutis enigorarent ſtudium, & quàm auerterent opiparè paſtum.

135. Elias Iezabelem fugiens deſertum ingreditur, cumque laſſus ſubter iuniperum vires ſomno aliquantulum recrearet, cæleſtis Angelus inuolat, &

1. Reg. 19. v. 6. auguſto cibo recreat: *Ecce ad caput ſuum ſubcinericius panis, & vas aquæ.* Subcineritio pane, aquaque pacto præcipitur ſtudioſè properare, & prolixum ſatis ac laborioſum iter arripere: *Surge, comede; grandis enim tibi reſtat via.* Verba profectò ab ſtudio diſſidere videntur: ſi Elias cùm in deſertorum receſſibus immoratur, pane carnibuſquè bis paſcitur, cur modò aqua, & collyrida ſuſtentetur, quandoquidem ad longum iter opportunior videbatur lautior menſa, quàm anguſta & limitata? Cur ergo Angelus cibum imminuit, dum prolixum iter alacriter carpendum monet: Certè ob id ipſum. Textum audi: *Ambulauit in fortitudine cibi illius quadraginta diebus, & quadraginta noctibus vſque ad montem Dei Horeb.* Si aliò tenderet, inſtructior menſa nullatenus impediret; ad Dei verò montem tendenti anguſta erat opportunior, & ad viam alacriùs capiendam aptior. Ecce Elias miniſtrantibus coruis, opiparéque paſcentibus ad noſtram eruditionem otiatur, & ad Dei montem celeri greſſu contendit, cum xerophagiis veſcitur: opiparâ namque menſa innutritus ad Dei montem perueniſſe non refertur; anguſto verò cibo altus inuolaſſe declaratur, vt hiſtoriæ penicillo nobis oſtenderit ſacer textus, quàm celeres alas verſus Dei montem præſtet ieiunium, & quàm grauet lautum conuiuium: quia grandis reſtat via, pane & aqua propheta victitet: ſic namque illam metietur expeditior, & aliter immorabitur grauior. Adeſt Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 6. *Minantem Iezabel fugiens, poſt vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipſe quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb.* Tertull. Illud expende: *Vacuo ventre, arido ore*: quaſi ventris vacuitas, ariditaſque oris pro alis fuerint, quibus peruenerit citiùs, & viam carpſerit properantiùs: & quidem à coruis bis paſtus tardiùs fortè perueniret, & viam lentiùs carperet.

Hinc diſces, cur Deus in modum eſcatilis pluuiæ manna demittens intra modum colligendam 136.

imperauerit: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* Exod. 16. v. 16.

Præ panis copia anguſtatur eremus, & cibus nihilominus circumſcribitur, vt notum fuerit taxam à prudentia, non ab auaritia poſitam, quandoquidem ad promiſſionis terram tendentibus noceret copia, prodeat taxa: coturnicum ingluuie prægrauati Ægyptum ſuſpirabant, & lento, tardoque greſſu ad promiſſionis terram tendebant: quod acutè expendebat Baſilius Seleucienſ. orat. 33. *De* Seleucienſ.

cælo manna quondam Iſraëlitis dabatur; ſed quia miraculi adminiſter ſeruus erat, neceſſitati quoque domum ſeruiebat, quodque reſiduum, euaneſcebat. Adnectit: *Intra modum gratia cohibebatur.* Vt ad promiſſa velociùs tenderent, manna intra modum cohibebatur, non de auaritiæ ingenio; ſed de prouidentiæ ſtudio: tendentibus namque ad Dei domum; ad perfectionis faſtigium lauta fercula pro vinculis ſunt, & quos aliquando gladius furorque hoſtilis non retardauit, opipara menſa detinuit.

In Dei virum impia regis manus extenditur, & 137.

præceptum obarmatur: futura idololatræ ſupplicia prædixerat, vt ad pœnitentiæ profugium ſe conferens prænuntiata euacuaret ſupplicia, & ſopiret incendia; verùm impiiſſimus rex, cùm ſalubribus minis eſſet deterrendus, exarſit inſanior, & prophetam apprehendi iuſſit ſtultior: *Extendit ma-* 1. Reg. 13. v. 4.

num ſuam de altari dicens: Apprehendite eum. Et exaruit manus eius, quam extenderat contra eum, nec valuit retrahere eam ad ſe. Plura hîc miracula inuenio, regis manum ariditate tabidam, prophetæ precibus ſanitati reſtituram; neſcio tamen an auguſtius, grandiuſque portentum fuerit inclamante rege: *Apprehendite eum*, è miniſtris nullum accurriſſe, & prophetam illigaſſe, quando quidem apud magnatum miniſtros, apud aulicos, ambitioſoſque plus valet regis imperium, quàm rationis valeat edictum: ergo propheta patrato miraculo ad ſua reuertitur, cùm veternoſus ſenex ciborum oblectamentis â via reuocat, & vita oblectatum mulctat: *Fefellit eum, & reduxit ſecum. Comedit ergo panem in domo eius, & bibit aquam: cùmque ſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad prophetam, qui reduxerat eum*, &c. Cibo detentus eſt, qui furente rege non captus, plus ipſe ſibi nocuit prandens & inobediens, quàm rex furens: *Ab alio mox ſene mentito prophetiam*, inquit datus Tertullianus cap. 16. *Temerè paſtus ſecun-* Tertull.

dum verbum Dei ibidem factum ſuper menſam non eſt in paternis ſepultus. Ciborum deliciis illectus retroacto itinere rediit, & quò debuit tendere, non peruenit: adeo nocent ad virtutem tendenti conuiuia, adeò ſaporata mentem infatuant fercula, adeò fragrantia virtuti aduerſantur vina.

§. XXXII.

§. XXXII.

Deo ſacratis non ſolùm culpa fugienda; ſed culpæ proximitas declinanda.

138. COgnata vitio, voluptati vicina non ſolùm lubrica ſunt; ſed tanta illis fallendi eſt ſubtilitas, vt, ni attentiſſimè acies humana perſpiciat, nequeat fraudem deprehendere, & contingat ſæpiſſimè falli. Quæ vitiorum labe non infecta, conſcientiæ morſum effugiunt, quia licita; ſed ad vitium facilè trahunt, quia vitio adhærentia, aut proxima. Tendebat Leuita ad Dei domum, vt ipſe teſtatus eſt: *Nunc vadimus ad domum Dei.* Huic puer itineris labore defatigatus ad Iebuſæorum ciuitatem declinandum, ibique aliquantulum requieſcendum ſuadet: *Veni, obſecro, declinemus ad vrbem Iebuſæorum, & maneamus in ea.* Leuites verò nec pueri conſilio, nec laboris incommodo perſuaſus eſt, vt apud Iebuſæos immoraretur, vt qui nouerat cum Iebuſæis amicitiam inire edicto prohibitum, & cæleſti oraculo vetitum: *Non ingrediar oppidum gentis alienæ, quæ non eſt de filiis Iſraël; ſed tranſibo vſque Gabaa.* Inquirunt Interpretes, cur Leuita apud Iebuſæos pernoctare detrectauerit, cùm eſſet defatigatis commodum, nec lege vetitum: nam licèt, ne amicitias quis Iſraëlitarum cum Iebuſæis iniret, lege eſſet ſtudioſè cautum; vianti ibi quieſcere, nullis legibus erat prohibitum: cur ergo Leuita reſpuit ibi quieſcere, & vires ad proſequendos itineris labores colligere? O vtilem nobis eruditionem! Leuites vtpote Deo ſacratus, nec tantiſper ibi immorari paſſus eſt, veritus, ne, dum humanè excipitur, dum comiter ab hoſpite habetur, occaſio familiaritatis fuerit: ergo reſpuit licitis frui, ne ad illicita traheretur excipientis beneuolentiâ, aut exhibitæ humanitatis causâ. *Non peccaſſet Leuita, ſi iuiſſet,* inquit Abulenſis q. 6. *ad hoſpitandum inter Iebuſæos in Ieruſalem: quia Iſraëlitis non erat vetita communicatio Chananæorum, niſi quantum ad amicitias magnas contrahendas, ſcilicet communicando in comedendo, & bibendo: quia tunc poterat Iſraëlita ire ad comedendum cum amico ſuo Chananæo, & ille daret ei cibos conſecratos idolo, Exodi* 34. Hoſpitium non erat prohibitum; ſed amicitiæ commercium: quia tamen, ſi humaniter, benignéque à Iebuſæis Leuites exciperetur, videbatur occaſio amicitiam contrahendi, ne incurreret culpam; reſpuit omnem amicitiæ occaſionem, & familiaritatis cauſam; nos edocens tendentes ad Dei domum ſæpè impediti licitis commodis, ſi ab illicitis fuerint non diſtantia; ſed coniuncta, aut ſaltem proxima. Abulenſ.

139. Euam ſerpens veteraoſus & aſtutus ingenti humani generis detrimento fefellit; verùm cùm, vt Ruperto placet, extra paradiſum ſerpens degeret, quærunt Patres, quomodò fuerit fallendi occaſionem nactus; exiſtimántque Euam paradiſi ſepta non tranſiluiſſe; ſed eius limitibus proximaſſe: ergo dum vaga quid extra paradiſum eſſet, proſpectat, dum ad eius limites curioſa accedit, aſtuto Dæmoni occaſionem fallendi exhibuit: *Serpens erat callidior cunctis animantibus terræ, quæ fecerat Dominus Deus: Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis de omni ligno paradiſi?* Colloquia cum muliere non miſceret ſerpens, ſi Eua diſtaret; nec paradiſi terminis acceſſiſſet; aſt dum limiti proxima, & à ſerpente inuenitur falſa. Audi Rupertum lib. 3. in Geneſ. cap. 2. *Libera nobis relinquitur facultas aſſerendi, quod non ſerpens præſertim à Diabolo corporaliter inuadente poſſeſſus in paradiſo fuerit; ſed mulier corpore, & oculis vaga, dum incontinenter deambulat, fortè proſpectans, qualis extra paradiſum mundus haberetur, & ſerpens vtpote aſtutus dulcedini terræ propius vel ambitioſus innititur, locus Diabolo datus eſt, & occaſio porrecta, vnde tentaret.* Si Eua longè à paradiſi limitibus inhærentem nunquam incideret; aſt dum mundo proxima, dum vno tantùm gradu, vt dicitur, à mundialibus rebus diuiſa, locus Diabolo datus eſt, & tentandi occaſio porrecta: ſi ſæculo cautè veretur proximare, è paradiſo non exterminatur depulſa, nec luget miſerè exterminata; verùm lubricis adhærens corruit, & luxit: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* Facilè tranſitur ad plures, & dum oculis eorum hauritur ſpecioſa ac fucata vanitas, titillatur animus, & madeſcit inſanis motibus appetitus. Geneſ. 3. v. 1. Rupert.

Samſon, dum ferrum eius capiti non approximat, fraudulentæ mulieris dolos, & aduerſariorum feliciter eludit conatus: *Rupit vincula, quomodò ſi rumpat quis filum de ſtuppa tortum putamine, cùm odorem ignis acceperit*: verùm cùm iam amore delinitus paſſus eſt crines licio plecti, & clauo telluri infigi, caſui inuenitur proximus, & ad clauum extrahendum quodammodò euigoratus: *Conſurgens de ſomno extraxit clauum cum crinibus & licio.* Expende verbum illud *extraxit*, quod vim adhibitam denotat, & nexus rumpendi difficultatem non obſcurè nobis indicat: rupit anteà vinculum; ſed extraxit modò clauum: nam dum caput non longè à ferro, & proximum inuenitur delicto. *Ferrum*, aiebat, *nunquam aſcendit ſuper caput meum: quia Nazaræus, id eſt, conſecratus Deo ſum de vtero matris meæ: ſi raſum fuerit caput meum, recedet à me fortitudo mea, & deficiam.* Licèt clauus ſuper caput non aſcenderit, dum in terra figitur, caput proximum ferro probatur: ergo iam iam miſera imminebat calamitas, vbi & ferri erat proximitas: circumligatus aliis vinculis vicit, licio verò intertextus crinis, clauóque defixus infauſtum auſpicium fuit. Adeſt Ambroſius epiſtolar. epiſt. 24. *Tertiò tamquam de myſterio deprompſit, iam lapſuro propior, ſi diſſoluti eſſent crines ſeptem capitis ſui, & quaſi in cubitum intexti, deſcenderet ab eo virtus ſua.* Dum appropinquauit ferro, appropinquauit & lapſui: citò cecidit, qui ferrum capiti approximare permiſit. 140. Iudic. 16. v. 9. Ambroſ.

Olim impatientia legum occaſionibus fruebatur, oculum pro oculo repetens, aurem pro aure: ergo Dominus cæleſtis patientiæ magiſter, dum iniuriam edocet remittendam, ſic ait: *Ei qui vult tecum iudicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium.* Quàm longè alumnum ſuum à diſceptationibus collocauit, dum tunicam auferenti auferendum docet & pallium! Ecqua huius conſilij ratio eſt? Ne ſcilicet, ſi tunicam defenderit, impatientiæ ſe criminibus polluat, & modeſtiæ limites tranſeat: ne, ſi diſceptet, tranſeat à defenſione ad vindictam; maluit alumnum virtutis diſpoliari, quàm ſi diſceptarit, aliquali crimine infici. Ergo diſtet longiſſimè à iurgio, vt diſtiterit à peccato. Adde prohibuiſſe iram, vt 141. Matth. 5. v. 21. & 40.

arceret plagam: *Omnis qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit iudicio; qui autem dixerit fratri ſuo Racha, reus erit concilio: qui autem dixerit, fatue, reus erit gehennæ ignis.* Verbo laceſſere prohibuit, ne, dum verbis flabellatur impatientia, manus cruentetur vindictâ: à verbis abſtinendum fuit, vt manus comprimeretur, & ne petulans lingua mortiferum euomat venenum, verbum etiam frænauit otioſum. Opportunè Tertullianus lib. de Patien-

Tertul.

tiâ cap. 6. *Gratiam fidei patientia compoſuit, iam nec verbo quidem laceſſere, nec fatue quidem dicere ſine iudicij periculo licet.* Adnectit: *Prohibita ira, reſtricti animi, compreſſa petulantia manus, exemptum linguæ venenum: plus lex, quàm amiſit, inuenit, dicente Christo: Diligite inimicos veſtros.* Amare iuſſit, vt iracundiam abigeret, animi compreſſi iram, ne inferre manus tentauerit plagam. Audi Chryſoſtomum in catenâ D. Tho-

Chryſoſt.

mæ ad verba illa: *Dimitte ei & pallium*, theſim noſtram mirè ſtabilientem: *Omne iudicium irritatio cordis eſt, & cogitationum malarum: nam ſi videris quòd cauſa tua fraudibus, aut pecuniis expugnetur, & ſimiliter tu cauſæ tuæ adeſſe feſtinas.* Itaque quia eſſe ſolet occaſio fraudis, à iudicio auertit, & cordis iracundiam prouidenter impediuit, docuitque omnem criminis fugiendam proximitatem, ſi velis omni carere piaculo, & cæleſti parere edicto.

---

§. XXXIII.

Vbi viget auri cupiditas, exulare noſcitur charitas.

142. Avaritia, aurique amor ſocietatem diſiungit, fraternitatem temerat, & leges cognationis ignorat: qui auarus aurique cupidus viſcera cum rupibus commutauit: *Pro bonis mala elegit*, inquit Nazianzenus in metaphraſi Eccleſiaſtica cap.

Nazianz.

2. *& malitiam pro bonitate, laboréınque pro tranquillitate variis perturbationibus iactatus, noctéſque ac dies indeſinenter occupatus, denique laboribus corpus fatigantibus, & curis animi indeſinentibus, & corde propter res abſurdas diſcruciato miſerè affectus exercuit.*

Fatale quodammodò malum auaritia eſt.

Adnectit: *Fatalibus malis impulſus, ac morbo auaritiæ correptus multa congerere ſatagis.* Totus eſt auarus in colligendo, totus in officia charitatis venditando: quidquid deſiderat, ab illo impetrabit aurum, nil pauperis lamentum. Iter faciens Leuites in Gabaa deuenit, & quamvis humilibus precibus hoſpitium ſibi ſolicitaſſet, nullus exhibuit: *Nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere.* Cauſam huius repudij tradit Abulenſis, ſcilicet, cùm mos eſſet neceſſaria hoſpitibus liberaliter exhibere, omnes detrectaſſe ſubuenire hoſpiti, vt adularentur cupidini: *Cauſa eſſe poteſt*, inquit q. 9. *quia fortè in tempore illo*

Abulenſ.

erat conſuetudo quòd peregrini reciperentur gratis, & nemo pecuniam pro hoſpitio reciperet. Si pecuniam obtuliſſet, non careret hoſpitio: impetraſſet namque pecunia, quod illis non perſuaſit miſeria: amabant aurum: ergo peregrino denegauerunt hoſpitium; apud illos flocci erat virtus, magni pecuniarum cenſus.

143. Vbi maior filius totam patris inhiauit ad ſubſtantiam, erga fratrem humanam exuit naturam: ſerui geſtiunt nudum veſtire, cibos famelico accelerant præparare, ſolus frater fœdis indignationis exæſtuat flammis, & patris pietatem arrodit dentibus liuidiſſimis: *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* Et quæ indignationis cauſa? Non

Lucæ 15. v. 28.

quidem quam ad auaritiam, inuidiámque colorandam ipſe retulit; ſed quàm pater omnia ſua illi offerendo indicauit: *Frater credidit damnum*, inquit Chryſologus ſerm. 4. *qui rediiſſe conſpicit cohæredem: & quando inuidus non auarus?*

Chryſol.

Vidit ſaginatum vitulum in fratre paſcendo inſumi, & auaritiæ hydrope doluit expendi, quæ remanſerant patri bona inter ambos iterum diuidenda veritus, exarſit in parentem fratrémque cæcâ indignatione inflammatus: fame mallet fratrem perire, quàm exiguo fruſtulo panis carere: fratri doluit aliquid obuenire, qui auaritiæ ſiti agnoſcitur laborare: *Credit damnum qui rediiſſe conſpicit cohæredem: & quando inuidus non auarus.*

Deſcenderat quidam minus cautè ab Ieruſalem 144.
in Iericho, fortè diuitiæ inſidiantium graſſatorum cupiditatem armarant, & dum plus onuſtus auro, & proximior iter carpebat periculo: diſpoliatus veſtibus, veſtitus plagis extremum ſpiritum iam agebat: & quidem ſpectaculum erat commiſeratione digniſſimum; verùm licèt illac iter Sacerdos fecerit, ne miſero opitularetur, celeriter inuolauit. Sacerdotem Leuita imitatus eſt, & quando inferior prauum maioris non eſt ſecutus exemplum: *Accidit vt Sacerdos quidem deſcenderet eadem via, & viſo illo præteriuit. Similiter & Leuita cùm eſſet ſecus locum, & videret eum, pertranſiit.*

Lucæ 10. v. 31.

Samaritanus alienus genere, & peregrinus *miſericordia motus eſt, & appropians alligauit vulnera eius.* Si inquiras cur Leuita Sacerdóſque ferreis viſceribus, ſaxeiſque oculis extremam adeò miſeriam intuiti non ſubuenerint: laboraſſe reſpondebo cæca auaritia: ergo vbi ſpoliatum viderunt, ne quid expenderet, accedere detrectarunt: aſſiderent ægrotanti, ſolarentur afflictum, ſi aliquod affulgeret lucrum, & diuitiarum ſperaretur augmentum. Huc voco Galfridum in allegor. Tilman. ad Exodi 32. *Quæ eſt ſubuerſio*

Galfrid.

maxima populorum? Nonne auaritia Sacerdotum? Inde ſtudium hoc & cura vehementiùs terrena colendi, & immoderatiùs incumbendi eiuſmodi lucris augendis. Quàm ſe exhiberent officioſos viatores illi, quàm comiter tractarent vulneratum, ſi ſperarent copioſum aurum, & grande lucrum! Rixa quidem inter eius eſſet cognatos, dum quiſque aſſidere vellet infirmo: defuit verò debita cognato charitas, quia ſordida efflorèſcebat in cordibus tranſeuntium cupiditas: Samaritanus, quem degener hic affectus non deprauarat miſericordiâ motus acceſſit, vulnera ligauit, in ſtabulum duxit, ac denarios expendit: ſolus reſplenduit miſericordiâ, qui ditari non ſtudebat pecuniâ: malè námque inter ſe conueniunt auaritia & miſericordia.

Diues ille, quem diſtorquebat anxium vberrimus agrorum prouentus, cùm dies poſuerit in 145.
fructibus colligendis, noctes etiam non minus laborioſè ponebat in aſſeruandis: longa ſibi temporis ſpatia promiſerat, eadem nocte moriturus: *Hac nocte animam tuam repetunt à te:* Animam

Lucæ 12. v. 20.

à Dæmonibus vti ſibi debitam repeti tradit Chryſologus ſerm. 104. *Tartarei miniſtri repetunt, & pertrahunt animas impiorum.* Et quæ huius repetitionis eſt culpa? Iam enumerat Chryſologus:

Chryſol.

Catena horreorum tuorum ſtrinxerunt fauces pauperum, vinxerunt hoſpitum colla, eſurientium viſcera contriuerunt. Adeò longè fuit à ſubuenien-

do

Digitized by Google

do pauperibus, vt eos denudarit, quo diuitiarum cenſus excreuerit. Addit Chryſolog. nocte animam eius raptam, vt qui omnem lucem miſericordiæ fuerit animitus auerſatus, tenebris auaritiæ torqueretur prorſus addictus: *Conuenienter hac nocte, quia fugiens miſericordiæ lucem auaritiæ tenebris ſe mancipatat.* Profectò lucem fugit, qui ſubueniendi pauperi occaſionem arripere non contendit: auarus auget pecuniam; ſed miſericors auget gloriam. Auarus, quantumvis diuitiæ affluant, ſemper diſtorquetur anxius, placidiſſima fruitur quiete generoſus: animam alloquebatur auarus: *Anima mea habes multa bona:* quia vt anima cognationis eſt expers, ita eſt conſanguinitatis expers auaritia. Proh deteſtanda lues, quæ ab omnibus auarum ſeparat, & quæ omnes cognationis leges abiurat.

146. Pſal. 81. v. 4. Pſaltes vt homines initientur in Deos, egeno ſubuenire: *Eripite pauperem, & egenum de manu peccatoris liberate: neſcierunt, neque intellexerunt, in tenebris ambulant, mouebuntur omnia fundamenta terræ. Ego dixi: Dij eſtis.* Ac ſi dicat: Auari denſis oppleri tenebris neſciunt honeſtè ſuperbire, & laudabili diuinitatem ambitu rapere. Promiſit fraudulentiſſimus ſerpens diuinitatem hominibus, ſi fructum ſibi præriperent, ne acquirerent, ſi præberent. Pſaltem auſculta: *Ego dixi, Dij eſtis.* Quibus artibus? *Eripite pauperem & egenum.* Deus eris participata numinis dignitate, ſi pauperi benefeceris generoſus! homo appellari non mereris, ſi manum claudas auarus. Accipe Nazianzenum orat. de paupert. fouenda: *Non ſubſtantia ſolùm diteſcas; ſed & pietate: non ſolum auro; ſed & virtute: vel ideo melior appareas, quo propinquo honorabilior fias: fias infortunato Deus miſericordiam Dei imitando: nihil enim adeò diuinum habet homo, quàm benefacere.* Quàm longè præſtantior eſt pietas auaritia! Auaritia hominem relinquit terrenum, conſecrat miſericordia in diuinum: malè ſibi conſulit, ominatur peſſimè auarus, dum in ſe Dei imaginem obliterat, & in proximo naturam ſimilem non honorat: ærugini ciborum copias, rapacitati adaggerat frequenter diuitias, ibique inuenire ſolet dolorem, vnde venari crediderat voluptatem. Vis ſcire quid aurum ſit? Inimicus gratus, & amicus inſidioſus: aurum eſt charitatis tinea, auari infamia: tellus hominum mater diuitias altiſſimè abſcondit: quia nouerat charitatem oppugnare; & ſatiandam nunquã ſitim ingerere: quia in Gabaa auri regnabat cupiditas, exulauit charitas; & dum miſericordiæ muris non defenditur armata, miſerandis, digniſque ſtragibus inuenitur euerſa. Qui auaritiæ tenebris obcæcantur, deſpicere non valent, quàm ſit aurum impendioſum lucrum, quàm ſit miſericordia lucroſum impendium.

Nazianz.

147. Cæteris virtutibus intra creaturæ limites, (vt dicebam) manebis; de miſericordiæ verò priuilegio limites terrenos tranſibis. Ecce Aaronis virga licèt miraculosè florida, & grata viriditate veſtita, nomine non denudatur humano: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Quod ſi inquiras, cur virga illa paſtoritia, quam Moyſes manu geſtabat, Dei dicatur, & ſingulari titulo commendetur: *Portans virgam Dei in manu ſua:* reſpondeo, hanc ad pauperum auxilium mare ſcidiſſe, & dracones deuoraſſe. Ergo euecta eſt ad diuinitatis excellentiam, quæ pauperum depellebat anguſtiam, quæ verò ſibi florida humanam non eſt ſupergreſſa menſuram. *Vocatur virga Dei*, inquit Abulenſis quæſt. 10. ad Exodi 4. *quia Deus in illa miracula facturus erat, ſcilicet conuertendo illam in colubrum coram Hebræis, & coram Pharaone, & poſteà vertendo fluuium in ſanguinem ad tactum eius, & aperiendo mare rubrum percutiente ipſa.* Magna illa virga, quæ venuſtam fructuum protulit copiam; ſed numinis virga, quæ repulit miſerorum anguſtiam. Ob id fortè Paulus petram illam cryſtallinos ſitientibus latices miniſtrantem Chriſti Domini retuliſſe deprædicauit imaginem: *Petra autem erat Chriſtus.* Plures tunc editiori verrice eminebant petræ quantitate maiores, nec tamen eo reſplenduerunt elogio nobilitatæ, aut titulo illuſtri inſignitæ: quia hæc diuina ſimilitudo non de quantitate oritur; ſed de miſeridordia procuditur.

Numer. 17. v. 8.

Exod. 4. v. 20.

Abulenſ.

1. Cor. 10. v. 4.

§. XXXIV.

Quam longiſſimè diſtant à charitatis officiis, qui voluptatum ſe dedidere fallaciis.

148. Tertull. CAlor eſt omnis affectus, aiebat Tertullian. lib. de pallio cap. 4. *verùm cùm in affectationem flabellatur, iam de incendio gloriæ ardor eſt.* Libidinis affectus inſanum tranſit in ardorem, qui in incendium occaſionibus flabellatus totum hominem deuorat, quin in eo efflorescere charitatem permittat: libidinoſus omni virtuti videtur aduerſus; verùm neſcio quas ſpeciales inimicitias cum miſericordia, commiſerationéque exercet oppoſitus; cùm nouerit eleemoſynam aquæ ad inſtar peccata extinguere, animitus auerſatur remedium, quia amat impenſiſſimè damnum. Profectò libido eſt inhumanitatis filia, truculentiæ ſoror, feritatis cognata: *Tantum Lydia placularia licuit*, inquit Tertullianus iam datus, *vt Hercules in Omphale, & Omphale in Hercule, proſtitueretur. Vbi Diomedes, & cruenta præſepia? Vbi Buſyris, & buſtuaria altaria? Vbi Geryon ter vnus? Cerebris adhuc eorum claua fœtere malebat, cùm vnguentis offunderetur. Vetus iam Hydra, centaurorumque ſanguis in ſagittis pumice ſpiculi excludebatur inſultante luxuria, vt poſt monſtra transfixa, coronam forſitan fuerent.* Hercules leonina indole, & leonum exuuiis veſtitus in eadem claua & meretricia vnguenta; & hominum coniungebat excidia: nec enim qui luxuriæ vacabat, quibat feritati non ſtudere, & humano ſanguini parcere; imò quantò erga fœminas indignè mollior, tantò erga homines efferatior: hoc namque luxuriæ proprium animos effetare, & ab omni miſericordiæ ſpecie longiſſimè abducere. En Leuita omnium ſaluti dicatus, itinere defeſſus, rectò ſolùm indigens à nullo Gabaa ciue hoſpitio recipitur; ſed in platea, ni ſenex peregrinus etiam affuiſſet, manere compellitur: *Nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere.* Nullus compatiebatur humanus, quia non libidinoſus nullus: *Mali homines*, inquit Lyra, *vagi & inſolentes non habebant hoſpitia*

Tertull.

Lyra.

Abulenſ. *hoſpitia ad recipiendum tranſeuntes.* Conſonat Abulenſis q.9. *Nullus recipere volebat eos: quia fortè gens illius loci erat valde immiſericors nõ habens viſcera charitatis, & ob hoc erant circa peregrinos valde crudeles.* Adnectit: *Viri ciuitatis huius erant nequiſſimi circa vitium Sodomiticum.* Regnabat in Gabaa portentoſa luxuria: ergo ab illa omnis exulabat miſericordia, quandoquidem, non bene conueniunt, nec in vna ſede morantur miſericordia & luxuria.

149. Caïnum poſt incolumitatis teſſeram occiſum legi; ſed à Lamech duas iam vxores habenti, & carnis voluptatibus liberius vacanti: *Dixit*
Geneſ. 4. v.23. *Lamech vxoribus ſuis Ada & Sella: Audite vocem meam vxores Lamech, auſcultate ſermonem meum, quoniam occidi virum in vulnus meum, & adoleſcentulum in liuorem meum.* Profuſiori voluptate ſordidatus, & effuſo inuenitur ſanguine tinctus; imò cùm Cain inuidentiæ flammis ſtimulatus vnum tantummodò virum occiderit, Lamechus malum duplicauit, & geminum in-
Procop. teremit. Ita Procopius apud gloſſam: *Ex oratione Lamechi certo coniicitur ab eo duos caſos eſſe viros.* Lamech virum, adoleſcentemque interficit, cùm Cain dæmonis primogenitus, & impatientiæ alumnus Abelum tantummodo occiderit, quaſi feritas ſæuitiáque melius in voluptatis doceatur ſchola, quàm in ipſius dæmonis officina. Conſonat Iſidorus ibi: *Lamech primus contra morem, contra naturam per bigamiam adulterium commiſit.* Ecce adulter ſæuit, & humanum ſanguinem fundit, quaſi voluptuoſus non eſſe nequiuerit ſanguinarius.

150. Epulo ille ſexu vir, fœmina ornatu, quandoquidem delicatiſſima byſſo reſplendebat indutus, & purpurâ nigreſcebat ſplendidus, adeo lapideis erat viſceribus, vt nec continuis Lazari fuerit emollitus clamoribus, nec aſpectis perculſus ad commiſerationem vlceribus; imò videtur de aliena miſeria oblectamentum cepiſſe, quandoquidem in limine iacere non vetuit: Lazaro nec panis mica concedebatur, & cùm tot fruſta è menſa auido proiicerentur cani, nil
Lucæ 16. v.19. cadebat homini: *Homo quidam erat diues, qui induebatur purpura & byſſo, & epulabatur quotidie ſplendidè, & erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* Duriora præ ferro, ferrea præ ſaxo produntur huius epulonis viſcera: quod ſi inquiras cur adeò extiterit ferreus & inhumanus, reſpondebit Caietanus fuiſſe ſenſualitati prorſus deditum, & addictum;
Caietan. *Signa animi dediti totaliter vitæ ſenſuali, quæ iuncta cum inhumanitate verſus Lazarum.* Purpuræ ſubniger ſplendor, delicatiſſimæ byſſi mollities, nimius epularum luxus, hominem teſtabantur ſenſualitatis vernulam, appetitus captiuum, luxuriæ ſeruum: ergo inhumanus ſic deſæuiebat in Lazarum, vt non ſolùm non aleret micis; ſed eius oblectaretur lamentis. Libidine crudelitas frequenter coniuncta; imò feritas innata: oculos paſcebat diues Lazari ſanie, aures oblectabat clamore, quia totus ſacratus veneri, vt etiam in Gabaa peregrino non fuit hoſpitium, quia Gabaa libidinis erat emporium: inde omnis exulabat humanitas, quia ſalax omnes poſſidebat cupiditas.

151. Samſon è carcere educitur, vt dum cæcus ludit, in parietes impingat, ac effuſo ſanguine intuentium lætitiam alat: *Adductus de carcere ludebat ante eos.* Ex Samſonis miſeria Philiſthini Iudic.16. v.25.
oblectabantur, & quo ſanguis effluebat copioſior, ſpectantibus erat iucundior: *Cæcus erat,* inquit Lyra, *& ideò impingebat aliquando ad parietem, aliquando ad columnam, & aliquando cadebat, ex quibus ridebant Philiſthini.* Audis inhumanos; ſed non miteris, quandoquidem inter duas columnas, quibus innitebatur domus, exercebantur ludibria, & in miſerum iactabantur dicteria: *Fecerunt eum ſtare inter duas columnas.* Iam ſi cupias noſſe, quibus columnis peruerſitas & inhumanitas innitatur, audi ab Stephano in allegor. Tilmani: *Iſta duæ columnæ ſunt luxuria & cupiditas, quibus innitebatur domus:* Stephan.
quia conuerſatio peccati maximè his duobus ſubſiſtit. Quibus non erat probris illudendus, qua inhumanitate non erat tractandus, qui luxurioſis & cupidis oblectabatur miſerrimus? Si alij eſſent, fluentem ſanguine, cæcum & miſerrimum intuiti, commiſeratione mouerentur; verùm luxurioſi ipſis miſeriis oblectabantur, & quo ſanguis profuſior, & riſus illis vberior: eſt enim hoc turpitudinis ingenium non ſolùm miſeris non ſubuenire; ſed de eorum ludibriis, & calamitatibus congaudere.

Hanc veritatem expreſſit Ioannes Apocal.17. 152.
dum mulierem pingit ſuper beſtiam coccineam ſedentem: *Vidi mulierem ſedentem ſuper beſtiam* Apocal.17. v.3.
coccineam. Eſſe luxuriæ portentum ſtatim tradit *Mater fornicationum.* In coccineo beſtiæ colore effuſum truculenter ſanguinem nouit hic Ambroſius: *Beſtia, ſicut ipſe in ſequentibus exponit,* Ambroſ.
diabolum ſignificat; coccus autem colorem ſanguinis habet, & per ſanguinem ſæpè mors deſignatur: diabolus itaque ſanguineus eſt: quia auctor eſt mortis & omnis perditionis. Dæmon homines olim viuos condiderat in ſepulchris; aſt cùm libidinoſæ adhæret, iam humano ſanguine madet. Ecce iam dæmon totus ſanguine infectus, & mortibus proditur adipatus. O quot cædes inuexit libido! ô quot hominum vitas præcidit luxuria violento ſpiculo, aut ipſo voluptatis veneno! Non erit Leuitæ hoſpitium in Gabaa; ſed pro hoſpitio ingentiſſimum probrum, & copioſum ſatis lamentum.

§. XXXV.

Felix, qui inter peruerſos probus; infelix qui inter probos peruerſus.

RAritas vt in bonitate pretioſa, ſic in malitia inuenitur obſcura: mirandus eſt, qui 153.
inter improbos pietatem ſtudioſè coluit, deteſtandus, qui inter probos malitiæ cæciſſimè ſtuduit. Proxima exempla aut admirationem conciliant, aut ſeueriori pœna condemnant, quandoquidem ſingulare eſt inundanti peruerſitatis non inquinari torrente, vt etiam prodigioſum culta ab omnibus non informari virtute: *Caſtitatem dilige,* aiebat Caſſiodor. 7. var. 10. *cui ſub-* Caſſiodor.
iacent proſtituta, vt magna laude dicatur, virtutibus ſtuduit, qui voluptatibus miſcebatur. Antiquitus, ne lubricæ artes honeſtos mores oppugnarent aduerſæ, & ne in totum exularent, quod aliquod ſenſibus oblectamentum videbantur afferre, tribunus decretus eſt, ſub cuius diſciplina

Digitized by Google

diſciplina ita exhiberetur voluptas, vt honeſtati nimia diſſolutione non opponeretur aduerſa, & adularetur ſenſibus prudentiæ coërcitione frænata. Ergo tribunum monet Caſſiodorus, vt modeſtiæ caſtitatique ſtuduerit inter ſcænicas fœminas, quarum ſtudium eſt publicæ inſeruire lætitiæ: de harum namque mulierculatum impudicitia illuſtrior effulgebit modeſtia, quandoquidem eximiæ caſtitatis erit elogium præſentaneum intemperantiæ deſpexiſſe incentiuum. Hinc laudandus eſt ſenex Gabaa ciuis, qui reliquis peregrino Leuitæ denegantibus hoſpitium, humanè inuitauit, liberaliterque recepit: *Nullus*, inquit Leuita, *Sub tectum ſuum nos vult recipere: nulla re indigemus niſi hoſpitio.* Cui reſpondit ſenex: *Pax tecum ſit: ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt.* A reliquis videt faſtidioſè repelli, & tamen inuitat comiter: & ad hæc, cum cæteri fores pulſarent, & tumultuoſis clamoribus ſuam libidinem palàm profiteri non erubeſcerent, caſtitatem tuitus communem inſaniam ſatagit impedire, rabiémque placare. *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc.* Quam probus erat, qui contra ictum libidinis conabatur! Quàm laudandus, qui generalibus non trahebatur inſaniis; imò aduerſabatur deliriis: *Hominum inhoſpitalium ruſticitas, & inhumanitas*, inquit Arias Montanus ad hunc locum, *Illaque obſtinata vel ceſſatio, vel diſſimulatio non ſuſpicionem tantum; verùm etiam metum iniuria, aut improbitatis aliàs cuiuſpiam Leuitæ feciſſe videbatur; quod vel querela illa, ſine admiratio indicabat: nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere: huiuſmodi verò ſuſpicionem tollere, in ſecuritatémque mutare bonus vir ſenex primùm ſtudens ſalutatione præmiſſa hoſpitij officium omne vltro offert.* Officium offert ſenex cùm cæteri excogitant probrum, vnicuique exhibere ſtudet miſericordiam, cùm reliqui excogitarent iniuriam: quod eximium fuit virtutis elogium, & reuerenda canitie dignum: inter inhoſpitales exhibuit miſericordiam, inter ſalaces ſtuduit non ſolùm colere; ſed defendere pudicitiam.

Montan.

154. Ad Philip. v. 14. *Omnia facite ſine murmurationibus, & hæſitationibus*, inquit Paulus, *vt ſitis ſine querela, & ſimplices filij Dei ſine reprehenſione in medio nationis prauæ & peruerſæ, inter quos lucetis ſicut luminaria in mundo.* Inuenio apud Matthæum iuſtos lucernis comparatos: *Neque accendunt*, inquit, *lucernam, & ponunt eam ſub modio; ſed ſuper candelabrum, vt luceat omnibus, qui in domo ſunt. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona.* Si hic lucernæ exæquantur, cur ibi ampliori elogio cælorum non quibuſuis aſtris; ſed luminaribus comparentur: *Sicut luminaria in mundo?* Sol longè lucernâ præſtantior eſt: ſi ergo ſolis æmuli, cur lucernæ ſimiles: aut ſi lucernæ, cur ſplendidiſſimi ſoles? Numquid blanditur Paulus: aut agitur liuore Matthæus? Minimè; ſed de conſortio nationis prauæ, & peruerſæ ſic puritatis lux candidior reſplenduit, & ſplendidior reluxit, vt qui inter probos lucerna eſſet, Sol inter peſſimos ſit. Ergo Paulus quos vidit obſcuris aliorum moribus non infici, voluptatibus non trahi; imò veritatis ſplendore, doctrinæ lumine tenebras depellere, & impuratis auſibus conſtanter reſiſtere; luminaria iure appellauit, vt qui iam non tam in mundo, quàm in cælo viderentur lucere, dum conſtabat ab reliquorum peruerſis moribus alienari: Opportunè Anſelmus

Matth. 5. v. 15.

ad hunc locum: *In medio nationis, id eſt, gentilium, qui non ſunt renati: ſed ſicut nati ſunt carnaliter, ita viuunt. Nationis dico praua per opera & peruerſæ per diuerſas ſectas, inter quos gentiles lucetis exemplo bona vita, ſicut Luna & ſtella.* Adnectit: *Lucetis ſicut luminaria cæli: quia ſicut Luna & ſtellæ non amittunt lucem ſuam propter noctem; ſed magis lucent; ſic vos mente in cælo fixi, licet inter tenebroſos & infideles ſit veſtra conuerſatio, non obſcuramini; ſed magis lucetis benè operando.* Vicinæ tenebræ nitorem luci adaugebant, & virtutis ſplendorem obſcuritate propria ſumptuoſiùs commendabant: nam vt inſerta cælis aſtra caliginibus noctis ſplendent nullatenus temerata, imò de vicinis tenebrarum maculis pulchriora; ita cæleſti iubare videntur lucere, quibus inter tenebroſos culparum vortices non contingit maculari. E contra peruerſitatis exaggeratio eſt inter ſanctos delinquere, & inter iuſtiſſimos deprauari.

Anſelm.

Lucifer ſerpentis ignominia à Ioanne proditur obſcuratus: *Viſum eſt aliud ſignum in cælo, & ecce draco magnus rufus.* Signum vocat: erat namque prodigioſum ambitione in cælo inflammari, & ſanguinolentis maculis aſpergi: Diabolus inter Diabolos conuerſatus, etſi immundus, vocatur ſpiritus: *Exi ſpiritus immunde ab homine.* Inter ſepulchri fœtores, inter homines inſanientes mirum non eſt, ſi ſpiritus ſic degeneratit, vt videatur fœtidus, & inſanus; at inter Solares radios, inter Lunam humiliter deoſculantem veſtigia, inter ſtellas luminibus redimientes mulieris tempora ei aduerſari, erat in brutorum cenſum tranſire, & ingenium ſerpentinum induere: nequiſſimus erat, qui tot exemplis reſtitit, qui cùm reliqua aſtra ſtudioſè viderit famulari ſtupendo malignitatis ardore conabatur reſiſtere, iam non videtur ſpiritus perſpicaci ornatus intellectu; ſed brutum, & malignitatis miraculum: à numero intelligentium debuit excludi, qui tot allicientibus exemplis obſtinatè perſtitit indurari. *Draco iſte*, inquit Ambroſ. *Diabolum ſignificat.* Diabolus naturæ dotibus non priuatur, cùm extra cælum malitia inficitur; ſed ſtupenda metamorphoſi videtur tranſiſſe in brutum, cùm nec Angelorum frænatur conſortio, nec ſyderum reſipiſcit exemplo. 155. Apocal. 12.

Mar. 5. v. 8.

Ambroſ.

Petrus Chriſtum negat in domo Caiphæ inter Pontificis ſeruos inſertus, & depellendi frigoris ſtudioſus: eum tamen Dominus benignè reſpicit: *Conuerſus Dominus reſpexit Petrum.* Adhuc conſeruat nominis honorem, cum factis labefactauerit firmitatem. Tranſi ad Ioannis 6. Vbi Iudas Iſcariotes non Iudas, ſed diabolus appellatur: *Nonne ego vos duodecim elegi, & ex vobis vnus diabolus eſt? dicebat autem Iudam Simonis Iſcariotem: hic enim erat traditurus eum, cùm eſſet vnus ex duodecim.* Si Iudas diabolus appellatur, dum ſtatuit magiſtrum prodere, cur Petrus diabolus non appelletur, dum conſtat ſemel & iterum abnegare? Quia Iudas, inquit Theophylactus, inter Apoſtolos degens decernit Dominum tradere; Petrus verò inter principis ſeruos auſus non eſt confiteri: ergo Petrus paſſus eſt quid humanum; ſed Iudas ingenium eſt mutuatus diabolicum. Petri culpa de circumſtantium peruerſitate quodammodò leuabatur, Iudæ ſcelus creſcebat de reliquorum obſequio, & exhibito reuerenter officio: illum decreuit Iudas vendere, cui intuebatur cæteros inſeruire: ergo hic iam non homo, ſed Diabolus eſt, quandoquidem nec illuſtria virtutum allexerunt 156. Lucæ 22. v. 61.

Ioan. 6. v. 71.

runt exempla, nec Sanctorum profuerunt conſortia. Ideò, inquit Theophylactus ad Ioannis 6.
Theophyl. *& Euangeliſta quaſi admirans dixit: Cùm eſſet vnus ex duodecim: quamvis enim, inquit, eſſet è Sancto illo Choro; attamen mala ſua voluntate indignus inuentus eſt.* Inter Apoſtolos cupiditati inſeruiebat: ergo dum inter tot, támque eximias virtutes degenerauit peruerſus, aut malitia ſupergreſſus eſt Diabolum, aut diabolicum induit ingenium.

---

§. XXXVI.

Eleemoſyna ſordeſcit faſtu elationis impenſa; nitet cum charitate & hilaritate coniuncta.

157. NOn omnes ad ſpeciem benefici norunt beneficia conferre, & egentibus ſubuenire: ille tantùm munificentiam exercet, & complet, qui ſic dat vt vellet accipere. Ingratum eſt beneficium, quod deſiderantis ſpem diu torſit, & dantis manibus hæſit. Iam qui in quæſtionem attulit beneficium, iniurio eſt ſimilis: ſunt qui quod in beneficio pretioſiùs, ſcilicet hilari vultu & exprompta manu dediſſe, moroſitate corrumpant & aſperitate vultus, & verborum cariſſimè vendant. Tardi, cunctabundíque, ſi non prorſus amittunt donum, deuenuſtant ſaltem beneficium. Gratiſſima relucénſque beneficentia eſt, quàm nullæ anteceſſerunt preces: quæ verò onerauit accipientis verecundiam, non ſubuenit; ſed torſit. Illa eſt cumulata gratia, quam tacenti; imò ignoranti ingeſſit largitoris honeſta quodammodo prophetia. Graue, & oneroſum verbum eſt, *rogo*; verùm etſi plura ſint quæ beneficentiam innubilent, præ reliquis deuenuſtat aſperum ſupercilium dilargientis, & ſuperba exprobratio dantis. Quàm benè
Seneca. Seneca 2. de Benef. cap. 4. *Plerique ſunt, qui beneficia aſperitate verborum, & ſupercilio in odium adducunt, eo ſermone vſi, ea ſuperbiâ, vt impetraſſe pœniteat.* Quàm benè dixit! Ingentia quorumdam beneficia aut tarda manu, aut audaci lingua non ſolùm ſorduerunt corrupta; ſed pœnitentiam attulerunt etiam impetrata dolet beneficiatus accepiſſe, quia grauiùs exulceratus eſt verbis, vulnúque animus, quàm leuatus ſit famis morſus. Ergo ſic da, vt accipere vis. Benefaciendi formam præſcripſiſſe videtur ſenex non ſolùm canitie venerandus, ſed in exemplar benefaciendi admittendus. Intrarat Leuites ciuitatem Gabaa, in plateáque manere compellebatur à nullo ciuium hoſpitio exceptus, cùm grandæuus ſenex è ruris laboribus reuertens acceſſit ad peregrinum ab omnibus reiectum, & ea humanitate, comitatéque diffluentibus verbis hoſpitium obtulit, quibus poſſet efflagitare: ipſum audi: *Pax tecum ſit: ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt, tantùm quæſo, ne in platea maneas*: Non ſupplicat, qui accipit; ſed qui tribuit. Adeſt Arias
Montan. Montanus ad hunc locum: *Hoſpitium non modò hilaritate animi; ſed officiis ornauit.* Quàm exornatum, quàm ſplendidum præſtitit beneficium, cùm non exoratus acceſſit, cùm non faſtidientis vultu miniſtrauit, cùm hilariter, expromptéque hoſpitium obtulit, cùm peregrinum humaniſſimis verbis allexit, & introduxit.

158. *Fili*, aiebat Eccleſiaſticus, *in bonis non des querelam, & in omni dato non des triſtitiam verbi mali: nonne ardorem refrigerabit ros? Sic & verbum meliùs, quàm datum.* Eccli. 18. v. 15. Nouerat Eccleſiaſticus eſſe nonnullos, quorum pietas plus læſerit, quàm ſubueniat. Exprobrant petiiſſe, indagant petitionis cauſas, opponunt ignauiam in operando, & cùm tribuant exiguam eleemoſynam, ampliſſimam iam irrogauerunt iniuriam. Ita Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Quaſi dicat: Sicut ros de cœlo veniens Solis ardorem expellit à ſegetibus: ſic & verbum dulce & benignum refrigerabit pauperem melius quàm datum ſolum, vel cum iurgio datum: vnde Prouerb. 17. Melior eſt buccella ſicca cum gaudio, quàm plena domus victimis cum iurgio. Item Prouerb. 15. Melius eſt vocari ad olera cum charitate, quàm ad vitulum ſaginatum cum odio.* Hugo. Olera humanitate condita, hilari vultu miniſtrata, & exprompta manu porrecta ingens beneficium ſunt: beneficentiæ námque quantitas non tam deſumitur, quàm ab animo, à pretio: vndè vitulus, quantumvis ſaginatus, tenerrimúſque, ſi exhibeatur odientis vultu, non tam cogit ad reddendas gratias, quàm deſeruiat ad excitandas querelas. Nonnulli dum largiuntur obolum, grande excitant iurgium, & eo vultu, eáque verborum aſperitate indigenti ſubueniunt, vt videantur oſores, non liberales.

Iob cognatam ſecum miſericordiam conteſtatur, omnis videlicet ſuperbiæ expertem, hilaritatéque diuitem: 159. *Ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Si deſpexi pereuntem, eo quòd non habuerit indumentum, & abſque operimento pauperem.* Iob. 31. v. 18. Hoc à Domino, inquit, accepi beneficium, ſcilicet viſcera pietate erga pauperem exundantia, nec acceptum à Deo munus dehoneſtaui vultus ſuperbiâ, aut inſultanti pauperi linguâ; imò quò miſericordiam cumulatiùs augerem, humilitate exornaui, & hilaritate exercui. Adeſt opportunè D. Gregor. lib. 21. Moral. cap. 14. *Duæ quippe iſtæ virtutes ita ſibimet eſſe connexæ debent, vt vicario ſemper opere fulciantur, quatenus nec humilitas cùm veneratur proximum, largitatis gratiam deſerat, nec pietas, cùm intumeſcat.* Gregor. Adnectit poſt pauca: *Sunt nonnulli, qui mox vt ab egenis fratribus fuerint neceſſaria poſtulati, pòſt dona largituri in eos priùs contumelioſa verba iaculantur. Qui etſi rebus miniſterium pietatis perficiunt, verbis tamen gratiam humilitatis perdunt; ita vt plerúmque videantur, quia illata iam iniuria ſatisfactionem ſoluunt, cùm poſt contumelias dona largiuntur.* Beneficium corrumpunt, dum largiuntur beneficium, ſic verbis accipientem exulcerant, ſic tumenti ſupercilio exaſperant, vt iam non ſolùm innubilarint miſericordiam; ſed donis ſatis non ſit ad illatam redimendam iniuriam. Iob, ne beneficium adulteraret, hilariter, & humiliter exhibebat, edocens benefaciendi modum, quia nouerat nonnullos inſipienter liberales dilargiri beneficium & perdere, dum licèt egentis ſubleuarint inopiam, verbis intulerunt offenſam.

Stultus acriter improperabit, inquit Eccleſiaſticus, 160. *& datus indiſciplinati tabeſcere faciet oculos.* Eccl. 18. v. 18. Agit de benefactore acriter improperante, quem ſtulti nomine ſugillat, aptius tamê quàm ſtultum, denotaſſet ad ſpeciem ſuperbum, quandoquidem dilargita poſſunt denigrari intumeſcente ſuperbia, non tamen in pauperis ſinum congerere eſſe poterit ſtultitia. Dicat ergo, Datus ſuperbi, non, inſipientis datus. Imò ob id, inquit Hugo Cardinalis,

lis, vocat & iure inſipientem: quia beneficium tribuens obiurgationis tabe corrumpit, & ſuperbia perdit. Stultus eſt, qui dilargitur aurum, & exprimit ab accipiente ſingultum, cùm iam beneficium degenerarit in probrum. Accipe Hugonem Cardinalem: *Cùm dederis, ne improperes: ita enim facit Dominus Iacob 1. Qui dat omnibus affluenter, & & non improperat. Et datus indiſciplinati, id eſt, dantis eum iurgio, tabeſcere facit oculos recipientis præ pudore, vel tabeſcere, id eſt, in lachrymas reſoluere præ dolore.* Durior apparet calamitas, quàm de inopiæ tormento, de exorato beneficio: mallent enim aliquando miſeri fame tabeſcere, quàm tumidis verbis, & aſpero ſupercilio diuerberari. Ergo ſapiens beneficium ſuum hilaritate nobilitat, & facilitate commendat. Et expende verbo illi *Pax tecum*, adiunxiſſe ſenem: *Ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt*: ſunt enim nonnulli, qui blandis verbis; ſed vacuis ſolantur, nec ſubſidium elargiuntur: commiſerationem affectant; ſed viſcera indurant. Ergo vt abſtinendum eſt in benefaciendo à verborum iniuria, ſic verborum ſolamina deſtitui non debent impenſa miſericordia. — Hugo.

161. 1. Ioan. 3. v. 18. *Filioli mei*, aiebat Ioannes, *non diligamus verbo, nec linguâ; ſed opere, & veritate.* Non prohibet linguæ verborúmque dilectionem; ſed ſuadet opere miſericordiam exhibere, nec miſerum pauperem verbis ſolummodò conſolari. Notauit datus ſuprà Gregorius: *Dilectio noſtra ſemper exhibenda eſt & venerationi ſermonis, & miniſterio largitatis.* Vtrúmque iunxit, egenorum videlicet dilargitis rebus miſeriam leuare, & blandis ſermonibus confouere: ſermo enim miſericors ſine opere, dum facultas adeſt, eſt pietatis larua, opus ſine affabili blandóque eloquio illata probatur iniuria. Ergo qui miſericordiæ opus conſummare deſiderat, imitatus ſenem noſtrum verbis pietate diffluentibus alliciat, & ad egentis ſubſidium manum liberalis extendat. — Gregor.

§. XXXVII.

Neſcias an plus debeat beneficus beneficiato, an beneficiatus benefico.

162. QVidquid miſericordia impenditur: fertili fundo committitur: vberrimos producit charitas fructus, & copioſos affert prouentus. Qui beneficium accipit, aliquale experitur commodum; ſed ipſum impendiſſe ad cumulatiùs ſpectat largitoris augmentum: vnde neſcias, an plus debeat beneficus beneficiato, an beneficiatus benefico. *O miſerum*, aiebat Seneca lib 7. de benef. cap. 10. *ſi quem delectat ſui patrimonij liber magnus, & vaſta ſpatia terrarum colenda per vinctos, & immenſi greges pecorum per prouincias ac regna paſcendi, & familia bellicoſis nationibus maior, & ædificia priuata laxitatem vrbium magnarum vincentia.* Adnectit: *Ego regnum ſapientiæ noui ſecurum; ego ſic omnia habeo, vt omnium ſint.* Ecce honeſtum fœnus habita ſic impertiri, vt ad Dominum lucroſè redeant, & alia plurima ſecum trahant. *Sic omnia habeo.* Quomodò? *vt omnium ſint*: at ſi dicat Philoſophus: dum auarè nil detineo; ſed in omnium vtilitatem poſſeſſa dilargior omnia mihi, & honeſtiùs, & ſecutiùs acquiro: — Seneca. — Regnum ſapientiæ ſecurum.

eſt enim beneficentia elucrandi ars, fœnus honeſtum, & lucrum multiplicatum: Nouerat hanc veritatem miſericors ſenex, qui cùm peregrinum Leuitem in platea ab omnibus reiectum, & hoſpitio deſtitutum vidiſſet, vrbanè acceſſit, eiúſque intrare tectum rogauit: *Pax tecum ſit: ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt; & tantùm quæſo, ne in platea maneas.* Vultu accipientis dedit, ne adulterauerit beneficium: illibata liberalitas eſt, quam nec præſumptio corrupit, nec porrecta ſuperbè dextera defœdauit. Nonnulli ſic beneficia largiuntur, vt rubore accipientem onerent, & dando exaſperent: ſenex ſic hoſpitium obtulit, vt gratiam videretur accipere, non præſtare! nouerat námque miſericordiam eſſe vtiliorem, quàm accipienti, præſtanti. Hanc ſenis comitatem notauit Abulenſis q. 11. *Ecce hactenus Leuita orabat, vt ſuſciperet eum aliquis in domum ſuam: nunc verſa vice ſenex precabatur eum quòd vellet ire in domum ſuam.* Rogabat anteà Leuites ſibi dari hoſpitium: quia ſub tectum recipi vianti erat commodum; modò verò ſenex obnixè rogat hoſpitium acceptari, quia magnum ſibi exhibere fore reputabat augmentum: & quidem impenſa miſericordia accipientem leuat; ſed dilargientem cumulatiùs nobilitat. — Abulenſ.

Abrahamo candente Sole tres obijciuntur peregrini, quos vbi intuitus eſt, hoſpitium oblaturus feſtino greſſu cucurrit, & in ſupplicis modum vrbanis verbis allexit: *Domine, ſi inueni gratiam in oculis tuis, ne tranſeas ſeruum tuum.* Hoſpites rogantur, & offerre peregrinis hoſpitium pro maxima gratia habetur. Iam ſi inquiras, cur ſenex candente Sole, meridianóque tempore, cùm cæteri ſomno indulgent, lynceis oculis in vias intenderit, reſpondebit Procopius apud gloſſam honeſto ambitu inuigilaſſe, & venationi occurriſſe. *Quare hunc laborem ſubibat? Quia grauem iacturam facere ſe putabat, ſi ſe inſcio, & oſcitante prætериſſet viator aliquis.* Expende illud: *Iacturam grauem facere ſe putabat*: & quidem cæleſti ſapientia inſtructum docuit effectus: nam cùm vitulum obtuliſſet: *Tulit butyrum & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis*: filium recepit: *Habebit filium Sara vxor tua.* Peregrini ſunt ferculis recreati; ſed areſcentis ſucco miſericordiæ viſcera reuixerunt, & hæredem ſæculis celebrem procrearunt. Ergo diſertè Abraham gratiam ſibi fieri teſtatur, cùm hoſpitalitas à peregrinis accipitur, in grandius Abrahami lucrum ceſſit miſericordia; quàm in peregrinorum commodum differta menſa. Laudabili cupiditate accipientes exorat, quia humaniter exceptus peregrinus eſt excipienti lucroſum emolumentum. — 163. — Geneſ. 18. v. 3. — Procopi.

Apoſtoli in deſerto homines faciunt diſcumbere, & quos ſibi habebant, impertiunt eſurientibus panes: poſt prandium copioſè adeò colliguntur reliquiæ, vt quos vnus cophinus capiebat integros, duodecim opus fuerit ad diſtributos: *Tulerunt reliquias duodecim cophinos fragmentorum plenos.* Panes pro fœcundo erant ſemine, & diuiſi pariebant panes: vbi hæc panum multiplicatio facta fuerit, inquirit Abulenſis, exiſtimatque accipientium manus pro vberibus fundis fuiſſe, & panes egentibus diſtributos rediiſſe ad Apoſtolos ab ipſis accipientium manibus multiplicatos: *Iſta augmentatio fiebat*, inquit quæſt. 104. *in manibus turbarum rurſus frangentium.* Conſonat ad Lucæ 9. Ambroſius ab Abulenſi allatus: *Videres incompre* — 164. — Matth. 14. v. 20. — Abulenſ.

Ambroſ. *comprehenſibili quodam rigatu inter diuidentium manus, quas non fregerant, fructificare particulas, & intacta frangentium digitis ſponte ſua fragmenta ſubrepere.* Quod ſi ab accipientium manibus multiplicata recepturi erant fragmenta, lucrum fuit ſtudioſe turbas paſcere, paneſque famelicis impertiri, quandoquidem redibat ad Apoſtolos multiplicatum, quod accipientis manui fuerat ingeſtum. Dextera ſuſcipientis fœcundiſſimum erat ſolum, & impertitus panis ſeminis ad inſtar multiplex reddebat lucrum, & honeſtum incrementum. Vtilius erat Apoſtolis panes famelicis impertiri, quàm ipſis fameſcentibus dilargitis panibus ſaturati: egenus accepit, quo famem ſemel ſedaret; ſed demeſſuit Apoſtolus, quo diu viueret: *Videres incomprehenſibili quodam rigatu inter diuidentium manus, quas non fregerant, multiplicare particulas.* Expende miraculo opus fuiſſe ad particulas, quas non fregerant, multiplicandas: nam fractæ diſtributæque famelicis veluti naturali iure creſcebant, & miſericordiæ commoda publicabant.

165. Adde miſericordiam non ſolùm bonorum temporalium afferre copiam; ſed, quod plus eſt, ſpiritualium donorum pro reditu impetrare à Domino copioſam gratiam. Audi Paulum ad Corinthios ſcribentem: *Scitis gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti, quoniam propter vos egenus factus eſt, cùm eſſet diues, vt illius inopiâ vos diuites eſſetis.* (2 Cor. 8. v. 9.) Profectò maior videbatur gratia, ſi copioſè diues largiretur abundanter aurum, quàm paupertatem colere, vt ſuis reſultauerit lucrum, ſi diues eſt, cur Dominus, vt multiplicarit diuitias, ſuſceperit paupertatis miſerias. O hydropicam benefaciendi hominibus ſitim! Si Deus in omnes diues impertiatur diuitias, accipiens non merebitur acceptione gratiam, nec illi debebit Deus nouam diuitiarum copiam; aſt cum egenti Chriſto diues dilargitur quid, honeſtum ſibi multiplicat fœnus, nouam videlicet diuitiarum copiam, & pro impenſa egenti Chriſto miſericordia copioſam gratiam. Itaque à diuite Domino vnicum quodammodo hominibus accipientibus reſultaret commodum, à paupere accipiente multiplex lucrum ergo arcanum diuitiæ liberalitatis ingenium paupertatem coluit, vt occaſionem præberet felicitatis hominibus: dum egeno ſubueniunt, occaſionem nanciſcuntur diteſcendo & cæleſtes gratias multiplicandi. Nazianz. *Deo dare*, inquit Nazianzenus orat. de paupertate fouenda, *accipere eſt.* Ergo, vt homo accipiat, fiat egenus Dominus: quia de exhibitis creſcit & virtutum pulchritudo, & copia diuitiarum. Conſonat Anſelm. Anſelmus ibi: *Scitis quantum gratiam vobis Dei Filius contulit, quàm miſericorditer erga vos egit, qui pauper pro vobis temporaliter fieri voluit, vt vos permanentium diuitiarum participes efficeremini.* Accipit, vt adauctam reddat pecuniam, & cumulet gratiam, cumque pretioſior ſit auro gratia, plus accipit à paupere eius neceſſitati ſubueniens, quàm pauper ſubſidium egeſtatis accipiens. Adde inſuper miſericordiam fortiſſimum eſſe caſtrum, quod diruere inimicus non valeat adſultus. Extenſa pauperibus manus impenetrabili munitur ſcuto, & hoſtes exhibita eleemoſyna proſternit veluti contorto ſpiculo, & ardentiſſimo miſſo globulo.

166. Pugnabat Ioſuë contra Amalec populum quidem lambentem, & quò illecebroſius, duriùs Iſraëlitas oppugnantem: Moyſes in montis receſſu Dei virgâ orabat armatus: *Ego ſtabo in vertice collis habens virgam Dei in manu mea.* (Exod. 17. v. 9.) Pro manus eleuatione, remiſſioneve victoria in Ioſuë partes concedit, aut inimicis contingit: *Cùm leuaret Moyſes manus, vincebat Iſraël; ſin autem paululùm remiſiſſet, ſuperabat Amalec.* Non ſine myſterio virga contra aduerſarios munitur: nam populo fuerit veluti panis horreum, veluti dulcis aquarum ſcaturigo, dum Moyſes manum extendit ad virgam, celebranda ſæculis coronatur victoriâ, & pro remiſſione manus creſcit exercitibus inualentia. Notauit Petrus Damianus lib. 7. epiſtolar. epiſt. 13. *Sicut Scriptura perhibet, cùm remitteret Moyſes manus, ſuperabat Amalec, cùm verò manus erigeret, corruebat Amalec, & vincebat Iſraël. Hinc propheta dicit: Leuate corda veſtra cum manibus ad Deum: cor quippe cum manibus ad Deum leuat, qui dum orationum vota Deo perſoluit, ei quoque vel ad ornamenta Eccleſiarum, vel ad ſubſidia pauperum rerum ſuarum dona tranſmittit. Induamus ergo nobis loricam bonorum operum, & iacula non timebimus impiorum.* (Damian.) Hoſtes viſibiles inuiſibileſque miſericordiæ iaculis proſternuntur, & quo quis ſtudioſiùs ad beneficentiam manum leuarit, inimicos facilius vincet.

Ne paueas, inquit Salomon, *repentino terrore, & irruentes tibi potentias impiorum: Dominus enim erit in latere tuo, & cuſtodiet pedem tuum, ne capiaris: noli prohibere benefacere eum, qui poteſt; ſi vales, & ipſe benefac.* 167. (Prouerb. 3. v. 25.) Ecce in latere habet Dominum benefactor, & ſortitur contra irruentes hoſtes de beneficientia auxilium. Adeſt datus Damianus: *Vnde debeamus hanc audaciam mente concipere, preſtò ſubiunxit: Noli prohibere benefacere eum, qui poteſt: ſi vales & ipſe, benefac. Confidendum eſt ergo non in ferro, vel armis; ſed in operibus pietatis.* (Damian.) Impenſa pauperi miſericordia cæleſtes affert ſuppetitas, quibus aduerſas eneruare valebis copias. Ergo manum extende pauperi, quo præualeas hoſti.

§. XXXVIII.

Pauper ſubuenit ſæpè ſæpiùs generoſus, diues manum comprimit auarus.

Diuitiæ hydropem diuitiarum ingerunt, & ipſa copia viuidiùs ſitim inflammant: qui plus poſſidet, & plus diſcupit: aliorum neceſſitatibus ſubuenire neſcit opulentus, cùm ſuccurrere norit indigus. 168. Diuiti cum diuitiarum copia etiam inuiſceratur auaritia, & ſi priuetur obolo, ſe deſtitui reputat Deo: diuitibus namque pro Deo eſt aurum teſtante Paulo: *Mutauerunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem imaginis corruptibilis hominis.* (Ad Rom. 1. v. 23.) Balduinus in allegor. Tilmani locum Pauli auaris adſcribit, qui pro nummo, in quo inſculpta eſt corruptibilis hominis imago, gloriam Dei commutant: ipſum audi: *Hoc auari faciunt, qui auaritiam ſectantes poſtpoſita imagine Dei amant & colunt imaginem nummi, cuius pretium in errore, & ſtulta hominum opinione conſiſtit: quid enim ſunt argentum & aurum publica moneta charactere ſignata, niſi quædam ſimulacra regum, & opera manuum hominum.* (Balduin.) Deum auari faciliùs prodigent, & in homine eius ſimulacrũ deſpicient, quàm hominis imaginem pro alendo paupere

impendant,

Digitized by Google

impendant, & ad ſubleuandam miſeriam tribuāt: pauperiores generoſâ manu ſolent impertire, quia ipſa egeſtate docti aliorum egeſtati ſatagunt ſubuenire. Leuita peregrinus nullum in Gabaa inuenit, qui eum hoſpitio reciperet, quouſque ſenex pauper ibique peregrinus, quique de agriculturæ laboribus defatigatus domum repeteret, ad eum acceſſit, verbiſque humanitate diffluentibus ad hoſpitium inuitauit anguſtum quidem loci ſpatiis, ſed amplum charitatis officiis: *Nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere*, aiebat Leuites. *Cui reſpondit ſenex. Pax tecum ſit: ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt.* Si quæras, cur à nullo ciuium peregrinus, & inſuper Leuites hoſpitio fuerit receptus, cum tot diuitiarum copia exundarent, reſpondebit Abulenſis, detrectaſſe hoſpitem recipere, ne quid impenderent. Abulenſem accipe quæſt. 9. *In tempore illo erat conſuetudo, quòd peregrini receperentur gratis, & nemo pecuniam pro hoſpitio reciperet.* Itaque diuites Dei imaginem, Leuitam ſcilicet deſpexerunt, & hominis imaginem impensè amarunt. E contra aduena ſenex & peregrinus recepit & pauit. Audi Arias Monta-
Montan. num ad illa verba: *Introduxit eum in domum ſuam*, ingenioſo ſtylo ſcribentem: *Quamquam aduena ſenior, ac pauperior, tamen hoſpitium non modò hilaritate animi; ſed officiis ornauit, quæ laſſis ex via commoda opportunáque habentur.* Pauper peregrinum recipit: liberaliter quidquid opus fuerit promittit, cum ciuitatis opulenti, vt excuſarint aliquale diſpendium, debitum Leuitæ exhibere recuſarint officium.

169. Cùm amicus inopinè ad amici domum aduentaſſet, humanè excepit, & licèt alta nox domum egredi diſſuaderet, ad amici tamen diuitis domum inuolauit, & panes ſibi commo-
Lucæ 11. v.32. dari iteratis precibus requiſiuit: *Amice commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Amicus moleſtè tulit aſſurgere, & amico panes mutuare. *Noli mihi moleſtus eſſe: iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili, non poſſum ſurgere, & dare tibi.* Iam quæres: ſi amicus, vt hoſpiti exhibeat conuiuium, non veretur mutuum petere, cur amicus ille diues ſic recuſauerit amico, quos petebat panes commodare. Sed textus reſpondet alium fuiſſe pauperem, alium diuitem. O quantas excuſationes diues prætendebat! Oppoſuit altam noctem, clauſum oſtium, quieſcentes pueros, ac tandem ſe non poſſe ſurgere, & dare; cùm tamen pauper pulſanti hoſpiti citiſſimè occurrerit, & humaniſſimè exceperit: Amicus pauper panes hoſpiti non mutuare; ſed liberaliter exhibere geſtiebat, quo eius labores ſolaretur; amicus verò diues renuit petenti amico mutuare, & eius neceſſitatibus ſubuenire. Innuit Chryſol.
Chryſol. Serm. 39. *Inducit in hac humanitate geminam neceſſitatis ſpeciem petentis, & dormientis, vt illum petere hoſpes, dare compellat hunc ſomnus, vtpote qui propterea ſe daturum ei dicat in tempore, quod non occurrere amico, ſed recurrere videatur ad ſomnum, & vt ei magis dormire liceat, quam dare libeat ſic petenti.* Non libebat diuiti dare commodatum, & libebat pauperi quærere in gratiam hoſpitis expendendum: quaſi frequentius, ſolemniuſque ſit pauperiores laxiorem miſericordiæ ſinum expandere, ditiores occludere.

Cùm fames prohibitis, ne pluerent, nubibus 170.
inualeſceret, Eliæ prophetæ curam geſſit ipſe Deus, & ad viduam Sareptanam alendum miſit, cùm plures eſſent viduæ in illa ditione diuites: *Surge & vade in Sarepta Sidoniorum, & ma-* 3. Reg. 17.
nebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat v. 9.
te. Duplex hîc quæſtio oritur: ſi erant eo tempore in Iſraël plures viduæ teſtante Luca: *Multæ viduæ erant in diebus Eliæ in Iſraël*: cur ad nul- Lucæ 4. v. 25.
lam illarum mittitur, & eſto in Sareptam mittatur, cur ad viduam adeò alimenti inopem, vt buccellam panis ſibi filióque tantummodò habuerit: *Non habeo panem, niſi quantum pugillus capere poteſt farinæ in hydria?* Nonne ſatius ad diuites Sareptanos mittere, quam ad viduam & inſuper pauperem? Imò quia pauper, ad illam propheta mittitur, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 11. ne, ſi ad diuites Iſraëlis viduas, aut ad Sareptæ opulentos delegetur, propheta ediâ prematur, quandoquidem diuites viſcera metallina ſortiri ſolent: nam cùm illorum corda diuitiis incubent, earum ſugunt duritiem, nec amplectuntur charitatem: *viduam, &* Baſil.
pauperem, ac præterea gentilem nominat, vt vel eius mendicitate commoueatur. Vt iter celeriùs arripiat, vt futuræ ſibi menſæ ſpem foueat, pauperem nominauit, & viduam pauperem alere prophetam iuſſit, vt qui benè nouerat pauperiores faciliùs indigenti opitulari, ægriùs ac tardiùs diuites ſubuenire. O nimis verum! Panis buccellam partiri ſolet pauper cum egeno, diues vel micam denegat Lazaro. Adde diuites rapacitati ſemper expromptos, à largitate prorſus alienos.

Amphoram intuetur Zacharias, per cuius 171.
patens os talentum plumbi eſt receptum, & os
poſt receptionem occluſum: *Ecce talentum plum-* Zachar. 5. v. 7.
bi portabatur, & ecce mulier vna ſedens in medio amphoræ, & dixit: Hæc eſt impietas: & proiecit eam in medio amphoræ, & miſit maſſam plumbeam in os eius. Vides amphoram occluſam; vide modò incluſinis alis elatam: *Ecce duæ mulieres egredientes, & ſpiritus in alis earum, & habebant alas, quaſi alas milui.* Gregorius ad mores omnia hæc adaptans lib. 14. moral. cap. 26. ait deſignari hoc emblemate auaros ad benefaciendum ſemper occluſos, & ad adquirendum intentos: *Auaritia velut amphora eſt.* Adnectit poſt ali- Gregor.
qua: *Miluus ſemper natura ſtudet inſidiari pullorum: iſtæ ergo mulieres alas habent, quaſi alas milui.* Talento ditata amphora ore iam ad effundendum priuatur; ſed ad rapiendum miluinis alis inſtruitur. Et quidem opportuno Symbolo quod multis diuitiarum talentis exundanti contingere ſolet, exprimitur. Videas nonnullos ad recipiendum ore patulo ſemper inhiantes; ad dilargiendum occluſos: dum copioſiori auro diteſcunt, ſoliciriùs ſe, ne quid elargiantur, auaritiæ ſeris communiunt: milui ſunt, vt rapiant, obſerata amphora, ne quid tribuant. Nihil habent auari ad egeno opitulandum, & ad pauperi ſubueniendum; vnguibus tamen non carent, quibus aut rapta tenaciter poſſideant, aut aliena ſtudioſè rapiant.

Vitis tribus tantùm propaginibus inſtructa 172.
palmites pro manibus extendit, quibus ad leuandam incarcerati miſeriam fructus ſaporatiſſimos miniſtraret: *Videbam coram me vitem, in* Geneſ. 40. v. 10.
qua erāt tres propagines, creſcere paulatim in gemmas, & poſt flores vuas matureſcere: tuli ergo vuas,

Digitized by Google

& expreſſi in calicẽ, quem tenebam. Vitem adſpicis palmitum pauperem; ſed ad miſeri ſubleuandã calamitatẽ fructu ſaporato prædiuitem. Tranſi modò ad ficulneam, quæ eſurienti Domino fructum denegauit: Matth. 21. v. 19. *Videns fici arborẽ vnam ſecus viã, venit ad eam, & nihil inuenit in ea, niſi folia tantùm.* Non ſine myſterio ficulnea denegat, vitis ad dilargiendum exundat: ficum namque à reliquis arboribus inuenies vſu diſcretam; nam cùm reliquæ vnico exornentur fructu, hæc arbor diteſcit gemino: ergo quæ inter arbores ditior, & pauperi fuit auarior: nihil habuit, quod fameſcenti præberet, cùm vitis vna nocte fructum extruſerit, & paulatim ſe creuiſſe exiſtimarit: *Creſcere paulatim in gemmas.* Optimum auſpicium fuit vitem plurimis propaginibus non diteſcere, nec palmitibus plurimis luxuriare: nam pauperior cenſu inuenta eſt pietate copioſior: vt ficus dum fructibus copioſior egeno inuenitur pauperior: *Si diligenter inquiras*, ſcribit Ambroſius in collect. ad 1. Cantic. Ambroſ. *diſcretam ab vſu arborum cæterarum conſuetudinem naturæ huius inuenies: namque aliæ florem ferunt, antequam fructum, pomaque ventura prænuntio ſui flore deſignant. Hæc ſola ab initio germinat poma pro floribus.* Inter arbores ditior nil habuit, vitis pietatis rigatu vuas celeriter protulit. Ergo Gabaënus diues hoſpitem non admiſit auarus, pauper aſpexit, & inuitauit.

§. XXXIX.

Exhibitum indigenti ſubſidium eſt præbentis amplum commodum, ſecurumque propugnaculum.

173. Caſſiodor. HAbent, aiebat Caſſiodorus 6. var. 20. *& boni pauperes diuitias ſuas: illud ergo à te quæritur, quod in pectore humano naſcitur: non naſcitur, quod terræ viſceribus continetur: quantò melius triumphare ex animi theſauro, vnde nunquam naſcitur pœnitudo: quia nec tenuis efficeris, cùm plura concedis, quinimo tantùm locupletior redderis, quantum te bona conſcientia ſparſiſſe cognoſcis.* Diuitias ſua habent pauperes: nam licèt effundere nequeat manus, valet impendere orationem effectus: nec ſolùm diuitias habet diues, dum eas miſero prorogarit; ſed & miſer diuitias ſuas habet, quas fauenti cumulatiùs rependerit: ſibi conſuluit, qui pauperi benefecit: nam quod de ipſis impenſis oriri videbatur periculum, ad benefici tranſit augmentum, & propugnaculum. Ecce ſenex commiſeratione allectus, dum vianti Leuitæ humanè exhibet hoſpitium, beneficium ſe accepiſſe fatetur. *Pax tecum ſit, ego præbebo omnia, quæ neceſſaria ſunt, tantùm quæſo, ne in platea maneas. Introduxitque eum in domum ſuam.* Peregrinum introduxit, vtque officium acceptaret, humillimis allexit precibus; verùm dum ad menſam recumbunt, honeſta gaudia iuuenes procaciſſimi interpellarunt, foreſque impudicis manibus pulſare cœperunt: *Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo.* Senex clamoribus obturbatus, vt iniuriam hoſpitis auerteret, & inſaniam exoculatam reprimeret, filiam virginem, quam habebat, promiſit, proprium contemnens probrum, vt defenderit peregrinum. *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam: educam eam ad vos, vt humilietis eas.* Verùm cùm ardentiùs inſanirent, educta concubina omnem Leuites ab hoſpitio iniuriam auertit, & ſenis filia intra domus ſepta virgo permanſit: *Nolebant acquieſcere ſermonibus illius: quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam.* Mira res: libidine debacchantur, & tamen in domum non irrumpunt: illudenda eis virgo offertur, & ſola concubina Leuitæ illuditur. Ecqua huius cauſa eſt? Impenſa profectò miſericordia, domui namque fuit tutiſſimum propugnaculum, & à filia quod imminere videbatur, depulit probrum: de ipſa pietate inuenitur virginis iniuria repulſa, & abacta à ſenis domo violentia; nil contra virginem molitur libido; quia quam impenſa defendebat pietas, non potuit ardens dedecorare cupiditas. *Non recordati* Abulenſ. *ſunt*, inquit Abulenſis q. 27. *aliquid vltra petere, ſcilicet nec filiam ſenis, nec Leuitam*: ipſa miſericordia induxit obliuionem, & ſenex, qui ob miſericordiam videbatur incurſurus periculum, ab ipſa miſericordia accepit contra diſcrimina tutamentum: à domo, à filia, à ſene abſtinuerunt, cùm videbatur domus violenter inuadenda, & omnia libidine conſpurcanda: *Non recordati ſunt aliquid vltra petere, ſcilicet nec filiam ſenis, nec Leuitam.*

174. Moyſes ad afferendam miſeris opem delegatus grandi decoratur elogio, quòd ſortitus non eſt regnum contemnens, nec paſtorem agens: *Ecce*, inquit, *conſtitui te Deum Pharaonis, &* Exod. 7. v. 1. *Aaron frater tuus erit propheta tuus. Tu loqueris ei omnia, quæ mando tibi, & ille loquetur ad Pharaonem, vt dimittat filios Iſraël de terra ſua.* Ægyptus depoſcente Moyſe populum exolui, immiſſis vapulabat flagellis, fluuius purpuraſcebat, Solis lumen intempeſtiuæ euincebant tenebræ, aër denſis caliginibus veſtiebatur, & ipſa demirabatur natura, cumſtatas leges ſpectaret non ſolùm violatas; ſed prorſus, ac omnimodè inuerſas: nec tamen inuenies Pharaonem aliquam Moyſi plagam inflixiſſe, non ad illum comprehendendum manum miſiſſe, non miniſtros obarmaſſe; cùm tamen idololatra ille rex Dei virum minas piiſſimas proferentem iuſſerit, & circuitorum manus impatienter non expectarit: *Extendit manum ſuam de altari di-* 3. Reg. 13. v. 4. *cens: Apprehendite eum.* Si impius ille rex comminatione perculſus irâ adeò efferbuit, vt manum in prophetam extenderit, quomodò Pharao tot flagellis diuexatus nec manum mittit, nec armare milites audet? Quia dum Moyſes miſerorum curam agit in Deum quodammodò tranſlatus impaſſibilitatem induit, & omne periculum à ſe propellit: ſolicitudo, quæ videbatur conciliatura ingentiſſimum detrimentum, erat validiſſimum contra detrimenta obſtaculum, & ſecuriſſimum munimentum; numinis ad inſtar viuebat ſecurus, qui videbatur à carnificibus dilaniandus; *Vnica ſecuritas*, inquit Nazianzenus orat. de paupert. ſoluen. *cùm carnis, tum corporis noſtri eſt conſtanda, vt erga illos* Nazian. (pauperes) *humanitate vtamur.* Salus corporis animæque eſt miſericordiæ proles, & à ſe ſæpè ſæpiùs corporeæ ſalutis depulit detrimentum, qui pauperi ſolicitauit auxilium! plures dum indurant viſcera, immiſſa diuinitus experiuntur flagella, pro ſalutis amuleto habent à pauperibus

Digitized by Google

peribus tabe diffluentibus longè diſtare; ſed falluntur: quia ſæpe ſæpiùs incurrunt periculum ob diſtantiam, & repellerent ob impenſam miſericordiam.

175. De paſtorali pera non ſine myſterio eductus lapis Dauidicam fundam inſtruit, & aduerſarium proſternit; plurima exercitui erat armorum copia, & tamen monſtri terrore perculſus indecoræ ſe fugæ commendabat, & ante certamen aduerſario triumphum concedebat: venit Dauid in caſtra ſubſidium fratribus allaturus, & quamvis fortis manu (hæc enim eſt eius nominis interpretatio) è pera
1. Reg. 17. v. 49. eduxit, quo feram illam proſterneret: *Miſit manum ſuam in peram, tulitque vnum lapidem, & funda iecit, & circumducens percuſſit Philiſthæum in fronte.* Nec mirum, inquit Rabban. apud gloſſam, referatur Dauidis trophæum, vbi allatum proditur fratri ſubſidium, cùm ipſa miſericordia vires eneruarit hoſtis, & in triumphum fecerit tranſire
Rabban. periculum: *Dauid ephi polenta, id eſt trium modiorum menſuram fratribus detulit.... Golias in fronte percuſſus ruit.* Dum fratribus ſubuenturus venit, Dei quodammodò fortitudinem induit: ibi miſericors tulit triumphum, vbi incurriſſe videbatur periculum: miſericordiâ munitus approximauit hoſti, & immortali eſt redimitus trophæo, cùm putares obruendum periculo. Addiderim non ſolùm miſericordem fruſtare pericula, non ſolùm aſciſci diuitiarum augmenta; ſed à defunctorum animabus opportuna etiam ſortiri auxilia, & futura impedire incendia.

176. Propheta Abdias, vt Dei ſeruos prophetas paſ-
3. Reg. 18. v. 13. ceret, mutuum, vt videtur, accepit: *Numquid non eſt indicatum tibi Domino meo, quid fecerim, cùm interficeret Iezabel prophetas Domini, quòd abſconderim de prophetis Domini centum viros quinquagenos in ſpeluncis, & pauerim eos pane & aqua?* Hic ab impio rege miſſus, quas alij vltrices ſuſtinuerant flammas euaſit, vt vides, & cùm iam morte correpto creditor vxorem adurgeret, & filios in ſeruos ob ſibi d. bitam pecuniam depoſceret, illa ad prophetam Eliſæum inuolans petiuit auxilium, nec falſa eſt: nam exiguum olei multiplicatum extinxit debitum, & fuit pro alendis filiis ſub-
4. Reg. 4. v. 5. ſidium: *Illi offerebant vaſa, & illa infundebat:* adeò excreuit oleum, vt cùm anteà opus fuerit ad alendos prophetas mutuam accepiſſe pecuniam, iam & debitum manſerit ſolutum, & periculum abactum: *Vende oleum, & redde creditori tuo: tu autem, & filij tui viuite de reliquo.* Expende oleum miraculi materiam fuiſſe, vt quæ impenſa prophetis miſericordia attuliſſe videbatur ſeruitutis detrimentum, non ſolùm depulerit; ſed & vitæ etiam attulerit commodum: de ipsâ miſericordia ſolutum eſt debitum, & filiis ac matri non modicum excreuit lucrum, vt iam inde haberent abundantiam, vnde incurriſſe videbantur inopiam: *Secundùm Doctores Hebraicos*, inquit Lyra, *& Latinos*
Lyra. *iſta mulier fuit vxor Abdiæ, qui ad paſcendum prophetas tempore perſecutionis Iezabel, vt habetur 3. libro 18. contraxit debita.* Qui anteà habuit opus contrahendi debitum, vt prophetis exhiberet ſubſidium, iam ipſa, quam exercuit, miſericordia reliquit filiis ſubſidium, & ſoluit debitum. Quod ſi quæras, quæ fuerint illæ vicinæ, quæ vaſa ampliſſima commodarint, reſpondebit Tilmanus fuiſſe Angelos, & prophetarum iam defunctorum ani-
Tilman. mas: ipſum audi in allegoriis: *Vicina mulieres Angelicæ poteſtates, & ſanctorum animæ.* Sancti illi neceſſitatis tempore paſti mulieri filiiſque vaſa ampliſſima mutuarunt, vt opportuna ſortiretur auxilia ab iis, quibus miſericorditer præſtiterat alimenta.

---

§. XL.

Virtus ſingularem aliquando patronum, voluptas copioſum ſortitur contrà virtutem tutelarium exercitium.

Erras, ſi exiſtimas noſtri ſolùm temporis luxuriam, & procaciam vitium eſſe; cùm eadem 177.
ab exordio fuerit natura, elapſis etiam ſæculis nec diſſimiles hominum mores fuerunt. Olim etiam coram Catone peccabatur apertè: Iudices auro corrumpebantur: nec ſolùm diſſimulabant peccatum; ſed quod deterius eſt oblata ſibi & promiſſa occaſione libidinis omni pœnâ eximebant reum. Virtutem vnius aut alter ſequitur, in vitium catervatim itur: pauculos homines arca illa à diluuio aſſeruit, cataclyſmus cæteros hauſit. Non ſolùm nos in vitium trahit naturæ noſtræ procliuitas, ſed ſociorum etiam armata in bonos mores peruerſitas, quod vnicum in malis bonum erat, verecundia ſcilicet igniculos ad delinquendum inducit, dum coæqualium veſtigia non ſectari iam erubeſcit, & pœnitentiam virtutis agit. *Ad deteriora faciles ſumus*, aiebat Seneca epiſt. 97.
quia nec Dux poteſt, nec comes deeſſe, & res etiam Seneca.
ipſa ſine Duce, ſine comite procedit: non pronum Ad ſcelus
eſt tantum ad vitia; ſed praeceps. Vt pluribus ho- nunquam
minibus ad aliquod ſpectaculum rapidè confluen- deeſt ſocius.
tibus alij ſuperuenientium turbine deijciuntur impulſi, & impelluntur deiecti; ſic ad vitia alij alios ſuperuenientes trahunt, & ne pudore impediantur, omnem verecundiam extinguunt. Deuenerat Leuites in Gabaa, ſolicitè quæſito carebat hoſpitio: *Nullus*, inquit ſenem è ruris laboribus redeuntem allocutus, *ſub tectum ſuum nos vult recipere.* Senex commiſeratione allectus in hoſpitium recepit, neceſſariàque miniſtrauit: *Introduxit eum in domum ſuam, & pabulum aſinis præbuit.* Adhuc menſæ incumbebant, cùm plures iuuenes ſenis domum obſederunt fores pulſantes, peregrinúmque, vt eo abuterentur, temeraria procacitate expetentes: Perculſus metu ſenex, vt obturbatos hoſpites fœda ac repentina irruptione tueretur, pudicitiæ cauſam patronus ſuſcepit, ſi fortè quiret audaciam ſalacitatis reprimere, & hoſpites ab iniuriâ illæſos ſeruare: *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc.* Ecce vnicus ſenex caſtitati patrocinatur, plurimi impugnant: caſtitati aduerſantium erat numeroſus exercitus, ſingularis & ſenex erat pro virtute miles: vnicus fuit qui reprimeret, plures qui auderent. *Gabaëni*, inquit Ioſephus 5. antiq. cap. 2.
quidam iuuenes, qui mulierculam in foro viderant Ioſeph.
mirati eius formam, poſtquam ad ſenem illum diuertiſſe cognouerunt, contempta imbecillitate & ſolitudine venerunt ad ianuam rogante ſene, vt abirent, & vim abſtinerent; ac iniuriam. Vnicus in virtutis caſtris pro ratione militat, pro libidine ſtabat manus numeroſa: quaſi fatum virtutis ſit eius partes ab omnibus ferè deſeri, vt vitiorum etiam ad illorum caſtra plures confluere.

Sacrificium offert Abrahamus, & iam irrepens 178.
ſopor manus & oculos blandis ac gratis vinculis ligat,

ligat, & vigilantiam quodammodo exarmat: *Sopor irruit ſuper Abraham*; verum etſi lux iam decedens auibus receptui caneret, etſi ardentiſſima diſcurrens inter diuiſas animalium partes flamma terreret, volucres carnis odore illectæ cateruatim irruebant vnguibus ſacrificium laceraturæ; *Deſcenderunt volucres ſuper cadauera, & abigebat eas Abraham.* Genef. 15. v. 10. Vnicus Abraham abigit, turmatim aues deſcendunt, in auibus ſacrificium impetentibus obſcœnitatis aſſeclas intelligit Hugo Cardinalis: *Volucres deſcendentes ſunt dæmones.* Hugo. Adnectit: *Per vaccam humilitatis ſubiectio, per capram pœnitentia, per arietem fortitudo, per turturem caſtitas, per columbam charitas.* En caſtitas vnicum defenſorem ſortitur, aduerſarios plurimos patitur: Abraham abigit, multitudo impetit: ſuſtinet vigilantiſſimos aduerſarios, lynceos, & pennatos; pro ſe habet patronum; ſed quem ſopor inuadit, & aliquomodo impedit. O nimis verum! Caſtitatis propugnatores, defenſoréſque inueniuntur pauciſſimi, oppugnatores frequentes: & rarò patroni non tepeſcunt, cùm inimici inardeſcant fœdiſſimis appetitus flammis, & inuolent ocyſſimis pennis. Adde ſic corruptos eſſe mores, vt vitium libera fronte & palàm pro ſe milites ſortiatur, cùm virtus, ni cæleſtem defenſorem naneiſcatur, tectè & ignauè ab hominibus adiuuetur.

179. Dei paradiſus ſortitur Cherubinum propugnatorem; ſed ſuſtinuerat hoſtem multiplicem: ſerpens diaboli vagina illi commodauit linguam, vt hominibus perſuaderet rem procreabilem diuinitate pollere. Eua ſeducta diſcerpit pomum, vtróque blandienti vultu obtulit. Adam accepit, ne officioſam contriſtet manum: *Tulit de fructu illius, & comedit: deditque viro ſuo, qui comedit.* Geneſ. 3. v. 6. Dei arborem vterque coniux denudat: *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata.* Vides vnicam manum, eamque Cherubicam gladium in paradiſi defenſionem ſtringere manus plurimas, vt deuenuſtarint, armari. *Collocauit ante paradiſum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium.* Notauit Baſilius Seleucienſis orat. 3. *Ipſi nudati nudant arbores, circa arborem præuaricati ab arbore tegumentum mutuantur.* Baſil. O quot arbor manus deprædatrices eſt paſſa, cùm vnicus Cherubim flammeum apprehenderit, vt ferat auxilium, Dæmon, Serpens, Eua, Adamus pro vitio ſunt; quo noueris animalia etiam ab exordio crimini ſuppetias tuliſſe, & in virtutem bello, vt poterant, militaſſe. Iam peccatores omnem verecundiam exuiſſe doluit Seneca ſuprà datus: *Pudet dicere: nunquam apertius, quam coram Catone peccatum eſt.* Adnectitque poſt aliqua: *Omnium aliarum artium peccata artificibus pudori ſunt, offenduntque deerrantem, vitæ peccata delectant.* O verum! Gabaëni non tectè tractabant vitium; ſed exertis vocibus pudendum publicabant deſiderium omni verecundia expuncta, honeſtatéque abacta.

180. Suſanna illa caſtitatis flos, pudicitiæ honor, coniugatorum exemplum vel in domus ſuæ receſſu captioſas patitur technas, & doloſas experitur inſidias. Quod ſi ſola, & oculis denegata in domus receſſu ſubiit periculum, quale putas in publico ſubiiſſet naufragium. Senes prodigioſa libidine aduſti occaſionem ſibi concinnarunt, & caſtiſſimam, vt ad ſpuream voluptatem traherent, variis circumuentionibus obſederunt. De ipſo honore contra honorem arma deſumpta ſunt, pudica de adulterij teſtimonio impugnabatur, & ipſo pudicitiæ decore, vt pudicitiam proderet, cogebatur: Suſanna verò pro caſtitate ſtetit malens, quàm infici crimine, criminis denigrari opinione. Iudices non ſolum in angulo impudici; ſed in publico etiam peruerſi condemnationis ſignum, velamen ſcilicet retegi iuſſerunt, & ipſa retectione innocentem præter opinionem vulgarunt: *Iuſſerunt, vt diſcooperiretur: erat enim cooperta, vt vel ſic ſatiarentur decore eius.* Hoc in rerum ſtatu vnicus Daniel caſtitatis ſuſcepit patrocinium, & ſenum declarauit commentum: *Cum duceretur ad mortem, ſuſcitauit Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit voce magna: Mundus ego ſum à ſanguine huius.* Daniel 13. v. 32. Vnicus Daniel mundus eſt à ſanguine, cum duo contra pudicitiam ſteterint ſenes: patronum habuit pudicitia; ſed ſpiritus de cœlo allato; ſed ſingularem, & vnicum. *Remanſerat*, inquit Chryſoſtomus homilia de Sancta Suſanna, *caſta mulier moritura, niſi adeſſet, qui videbat.* Chryſoſt. Conſonat Auguſtinus Sermone 242. de tempore: *Suſanna caſta duobus falſis teſtibus vrgebatur.* Auguſt. Vnico caſtitas milite defendebatur, vrgebatur duobus, & cùm geminatum eſſet contra caſtitatem conrortum telum, vnicum & ſingulare eſt ſortita ſubſidium.

---

§. XLI.

Populi eſt ſalus diligens circa erudiendos pueros ſolertia, vti pernicies ignauia.

181. PVerorum educatio Reipublicæ pernicies, aut ſalus eſt: ſi ſolertia parentum ſtudioſè mores excolat, ſi ad virtutem accuratè informet, ſi animos teneros ad ſanctitatem diligenter erudiat: iuuentus ſolido fundamento innixa, etſi acri voluptatum impulſui tantiſper cedat, penitus collapſa non ruit: ſolidis inſtitutionis cæmentis fundata reſiſtit, & fallaciarum adſultus deſpicit: ſi pueri cum lacte optimam ſugant inſtitutionem, diu mores retinent, & rationi parent: vt è contra ſi nimis indulgentes, incurioſéque à parentibus enutriantur, pernicioſa deliria cupiditatum ſequuntur. *Natura*, aiebat Plutarchus de inſtituend. liber. Plutarch. *citra diſciplinam cæca eſt, ſine natura manca diſciplina, exercitatio ſine ambabus rudis: ſicut autem in agricultura primum ſuppeditet ſolum bonum oportet, deinde peritus cultor, mox ſemen probum: ita æmulatur ſolum indoles, præceptum agricola, proba ſemina doctrinæ præcepta & præſcripta.* Natura ſine diſciplina manca eſt. *Hæc ego omnia conſtanter affirmem in animis concurriſſe, conſpiraſſéque eorum, qui vbique celebrantur, Pythagoræ, Socratis, Platonis.* Pythagoras ſuæ Reipublicæ decus, Socrates ſuæ gentis elogium extiterunt: quia à teneris vnguiculis optima doctrina imbuti, & ad mores honeſtos ſtudioſè efformati. E contra vitiis, peſtiferiſque moribus poſteà exundarunt in ſuorum perniciem, qui in pueritia nullo eruditionis ſapore conditi; ſed ad vitia ſemper detorti. Probant hoc Gabaëni iuuenes, qui Leuitæ vxore abuſi non ſolùm ſuæ ciuitati excidium: ſed toti tribui miſerandum attulere lamentum, effrænem horum procaciam, & exoculatam libidinem ignauæ inſtitutioni videtur ſacer textus adſcribere, dum ait: *Venerunt viri ciuitatis illius filij Belial, id eſt, abſque iugo, & circumdantes*

cumdantes domum ſenis fores pulſare cœperunt. Non tritis; ſed ſuperbis ceruicibus adulti hac occaſione ſuis tragœdiam aſciuerunt, qui ſi à iuuentute doctrinæ ac virtutis iugo aſſuefacti rem adeò obſcœnam non tentaſſent, nec ſuis luctuoſam adeò calamitatem attuliſſent. Ita Arias Mon-
Montan. tanus ad hunc locum: *Tantam verò morum corruptelam parentum negligentiæ, atque improbitati adſcribendam, nomen illud indicat, filij Belial, quod vel interpres noſter, vel interpretationis explicator abſque iugo reddidit; quod verò filiorum nomen præponatur, ad culpam pertinet parentibus præfigendam, qui cùm & ipſi improbiſſimi fuerint, non ſolùm indulgentiam; ſed licentiam omnem pueris & adoleſcentibus filiis, laxaſque in omnem nequitiam habenas permiſerint.* Vbi ætas inualuit, vitiumque vires acquiſiuit, iam habenas paſſi non ſunt; ſed diſruptis fiænis nequitiæ modum tranſgreſſi, ſuis æternam pepetunt notam, & miſerandam tragœdiam, cùm vltor gladius omnes occiderit, & in nigtos cineres flamma redegerit.

182. Neſcio, an Ioannes id ſignificare voluerit, dum ſecurim iam arboris radicibus minitatem, & vipe-
Matth. 3. v.7. & 10. reos paitus coniunxit: *Progenies viperarum, quis demonſtrauit vobis. Fugere à ventura ira? Iam enim ſecuris ad radicem arborum poſita eſt.* Radici ſecuris imminet, quia fructus venenatus, & peſtifer: arborem editus fructus condemnabat, & quia radix gratum non condiuit ad ſaporem, ſecurim, ſibi aduocauit, & ignem: *Securis eſt acutiſſima ira conſummationis,* inquit Chryſoſtomus
Chryſoſt. apud D. Thomam in catena, *quæ totum præciſura eſt.* Vt nobilis & ad omnem ſuauitatem conditus fructus radicem nobilitat, ſic aſper, & inconditus infamat. Ergo ſeuero radix ferro præciditur, dum fructus vipeeum induiſſe ingenium probatur. Sibi, filiis, totique Reipublicæ, inuident parentes, dum vtili ſuperba filiorum colla atterere iugo omittunt, & ignauia extremam calamitatem, & inopinam ciuitati euerſionem pariunt.

183. Sichem filius Hemor peregrina Dinæ pulchritudine captus adeò impatienti ardore inſaniuit, vt vi raptam conſtuprauerit, & oppreſſerit.
Geneſ. 34. v. 2. *Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi Princeps terræ illius, adamauit eam & rapuit, & dormiuit cum illa vi opprimens virginem.* Qualiter Sichem fuerit à patre inſtitutus, vel ex eo conijci poteſt quod omni miſſo rubore ad patrem perrexerit, & vi raptam in vxorem ſibi accipere poſtularit: *Pergens ad Hemor patrem ſuum, accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem.* Non leges patrem illatam carpſiſſe violentiam, nec periculoſam reprehendiſſe audaciam; imò vt filij obſequatur cupiditati, in vxorem Dinam date ſolicitat. Iam quantam toti ciuitati, Reipublicæque, calamitatem Sichem attulerit, Scriptura non tacuit. *Arreptis duo filij Iacob Simeon & Leui fratres Dinæ gladiis ingreſſi ſunt vrbem confidenter, interfectiſque omnibus maſculis Hemor & Sichem pariter necauerunt.* Tota ciuitas exundauit ſanguinis riuulis: pater, filiuſque vltore mucrone confeſſi iacuerunt, alter ob raptus iniuriam, alter ob inſtitutionis ig-
Hugo. nauiam: *Hemor*, inquit Hugo Cardinalis, *Diabolus, Sichem filius eius.* Vt Diabolus inſtigat ad culpam: ſic fortè Hemor inſtigauerat ad rapinam, & qui debuiſſet frænare adoleſcentis inſaniam, conſuluit exoculatam luxuriam: ergo filius peruerſis moribus educatus ſtragem attulit toti ciuitati, & parenti, vt dignum inſtitutionis eſſet præmium totius Reipublicæ excidium. O quantam filij nimia indulgentia habiti, & imprudenti licentiâ vſi toti familiæ attulere infamiam, & extremam conciliauere miſeriam! Dum parentes filiorum vitiis blandiuntur, & appetitionibus adulantur, pariter cum illis diſpereunt, quia vltores gladios exacuunt. Tota ciuitas ob adoleſcentis flagitium periit, & pater, quia Diaboli ad inſtar peſſimum refouebat ingenium, dignum inſtitutionis præmium accepit. Vexiſſet Hemor, potiretur imperio filius, ſi ſalubri edomuiſſet iugo, & vtili puniuiſſet flagello; aſt dum peruerſis filij moribus oblectatur, vindice ferro interimitur.

Cùm Moyſes pergeret populum liberaturus, 184.
Exod. 4. v. 24. inopinum in diuerſorio incurrit metum: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Quæ fuerit huius periculi cauſa, quærunt interpretes, exiſtimantque filium Hebraicis ritibus non informatum, neque ad virtutem excultum parentibus periculum attuliſſe; quod & innuere videtur textus, dum ait: *Tulit illico Sephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: ſponſus ſanguinum tu mihi es. Et dimiſit eum, poſtquam dixerat ſponſus ſanguinum ob circumciſionem.* Itaque puer circumciſus parentibus periculum procreauit: & licèt remedium opportunè fuerit adhibitum, nihilominus induxit inter parentes, ſi dici liceat, diuortium. *Cur Angelus voluerit interficere Moyſem*, rogat Theodoretus q. 4. in
Theodor. Exodum, reſpondetque: *Vxor Moyſis arbitrabatur ob id factum eſſe, quia puerorum alter non eſſet circumciſus ſecundum legem Hebræorum, vnde protinus eum circumcidit:* Filius legibus non conformatus, nec ad virtutem compoſitus in ſe ac parentes Angelicum ferrum culpæ magnete traxit, & ſeparationis occaſio extitit. Quod ad noſtram eruditionem accidiſſe quis dubitet? Expreſſit enim ſacer textus hiſtoriæ penicillo quantam parentes calamitatem ſibi imprudenter aſciſcant, dum teneros filios optimis moribus non informant, & patriis legibus non coaptant: grandius ob filium incurrit Moyſes periculum, quàm mari fiſcellâ commiſſus, & vndarum voluminibus traditus: ibi à parentibus circumciſus, & virtute armatus vicit ſæuitiam, & ſibi eſt elucratus coronam; hîc verò dum filio dolorem vtiliſſimum inferre tardat, numinis in totam familiam prouocat iram: nullum enim venenum adeò toti familiæ, Reipublicæque actuoſum eſt, vt adoleſcentia legibus non ſubiecta, & ingenuis moribus non exculta. Ergo Gabaëni adoleſcentes, dum indomiti neſciunt iugum, totius tribus ciuitatiſque extiterunt grauiſſimum detrimentum.

Video filios Heli familiæ extitiſſe peſtem; imò 185.
toti populo attuliſſe perniciem: *Ceciderunt de* 1 Reg. 4. v. 10.
Iſraël triginta millia peditum, & Arca Dei capta eſt, duo quoque filij Heli mortui ſunt. Nurus expirat in partu, Heli grandæuus fractis occumbit ceruicibus: Dei honor apud allophylos innubilatur, & populus ingenti plagâ percutitur. Quod ſi horribilis adeò ſtragis cauſam inquiras, inuenies fuiſſe patris ignauiam circa filiorum inſtitutionem: pro libito errabant nullo fræno coërciti: quia à pueritia nullo eruditionis ſale conditi, nullo ad virtutes ſtudio informati: ergo effrænis inſolentia omnibus fatalis fuit plaga. Audi oraculum:
Prædixi ei quòd iudicaturus eſſem domum eius in 1 Reg. 3. v. 13.
æternum propter iniquitatem, eo quòd nouerat indi-

gnè agere filios ſuos, & non corripuit eos. Quanta diſcrimina à negligenti eruditione emerſerunt! Senex, dum blandè alludit filiis, dum eorum audaci genio oblectatus laxas permittit habenas, ſibi familiæ, & toti populo imprudenter architectatur ruinas. Adeſt Caietanus: *In hoc peccauit Heli, quòd quamuis arguerit filios, non tamen ſic vt honorem Dei præpoſuerit honori filiorum: noluit enim confundere filios, vt ſuperiùs dicta per prophetam ad Heli teſtantur.* Nullus hoſtis magnam adeò excogitare poſſet ſtragem Heli domui, totique Iſraëli, vt ipſe ſenex, dum filiorum amore ſauciatus eis imprudenter indulget, & nullo virtutum ſapore condit. Caietan.

§. XLII.

Senem dedecet vitiis infici, cùm in exemplum debeat virtutis proponi.

186. SEnectus veluti generoſum, & defæcatum vinum nec dolio efferueſcere, nec feruore debet inſanire: concupiſcentiæ maturior ætas terminos iam tranſiluit, & ad ſecurum prudentiæ portum appulſa turbulentos ardentis iuuentutis fluctus euaſit: *Ætas ſenectutis,* aiebat ſapiens, *vita immaculata.* Sap 4. v. 9. Senibus competit verecundiam adoleſcentibus conciliare, & modeſtiam non ſolùm verbis; ſed & factis edocere. Senectus deſpicabilis habetur, ſi mores iuuenum imitatur; inueniuntur tamen ſenes repueraſcentes, & iuuentutem ipſa in ſenectute ſectantes. *Senex, etſi altiorſum,* aiebat Plato apud Clementem Alexandrinum lib. 6. ſtromat. Plato. *Vt dicitur, bis fuerit puer,* Non tamen multoties. Inueniuntur tamen, qui pueritiam ſenectuti ingerant; imò qui ſenectam prorſus exuant. Qui honorabili decorantur canitie, virtutum eſſe tenentur exempla, & cupiditatum exilia: Timeant iuuenes ætate feruentes ſenem, ſuiſque experiantur deliciis aduerſum & inſaniæ ſemper oppoſitum: eſſet enim indecorum iuuenilibus maculis denigrari, quos longæuæ ætatis conſtat candore veſtiri: Gabaëni iuuenes libidini indulgebant, verecundiæ prorſus obliti, & audaciæ terminos ſupergreſſi: ergo Leuita peregrino abuti tentant, & hoſpitij fores pulſantes clamant: *Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo.* Senex furori reſiſtit, & mutare vota ſuadet. *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc.* Poſt ſenis monita, etſi ſententiam prorſus non demutarint, videntur aliquomodo ſe continuiſſe, & contra naturam deſiderium retractaſſe, quandoquidem exinceps virum non poſtulauerunt, ſed vxorem acceperunt. Senex moribus iuuenum ſtudiis contrarius vel furentes repreſſit, & quid obtinuit. O quàm grauitatem dedecoraſſet ætatis, ſi eſſet iuuenilis incentiuum erroris! Repetere poſſet hic, quod aiebat Ambroſius lib. 2. de Iacob & vita beata cap. 10. Ambroſ. *Nequaquam contingat mihi, vt fiam ſenex incentiuum iuuenilis erroris.* Proh dolor! ſi ſenex ſit erroris fomentum, & libidinis iuuenum incentiuum! Inuenies nonnullos ſic à ſenili prudentia deſciſcere, vt adoleſcentiæ ſequantur vitia, aut ſaltem exhibeant deteſtanda ad negotium carnis obſequia: noſter hic ſenex adeo alienus erat à iuuenili procacia, vt repreſſerit graui ſenecta.

Scribis contra me, aiebat Iob, *amaritudines, & conſumere me vis peccatis adoleſcentiæ meæ.* Et cur non peccatis ſenectutis; ſed adoleſcentiæ? 187. Iob. 13. v. 29. Quia, etſi dum iuuenis, inquit, iuuentuti ceſſerim; ſenex tamen anteactæ vitæ actiones non proſequor; ſed deteſtor; immò audeo iudicem meum interpellare, & ſenectutis grauitatem in iuuenilis leuitatis compenſationem opponere. Dum ſenectutis culpas non refert, maturis iam annis virtuti prorſus innuit deſeruiſſe, nec ſe iuuenili cæcitate fœdaſſe. Adoleſcentiæ culpis oppoſuit ſenectam immaculatam, nec excuſationem poſſet adducere, ſi candicante canitie vixiſſet adoleſcentiæ. *Rectè nunc,* inquit Gregorius lib. 11. moral. cap. 24. *Per ſancti viri vocem adoleſcentiæ peccata formidantur: quod ſi ad ipſam litteram eſt tenendum, hinc conſiderandum eſt, quantum ſint grauia peccata iuuenum & ſenum, ſi ei illud ſic iuſti metuunt, quod in infirma ætate deliquerunt.* Expende illud *iuuenum; & ſenum*, id eſt, ſenes iuuenes grauiori reatu delinquunt, quandoquidem abſque ætatis incentiuo iuuenum exercent amentiam, & ætate refragante labuntur in culpam. Iob, dum adoleſcentiæ peccata veretur, ſenectutem honorat, quam ab adoleſcentiæ erroribus alienam prorſus ipſa exceptione declarat.

Dei vir regi idololatræ dum prædicit imminere, pœnam nititur impedire: apertiſſimis miraculis idola victimis, & altaribus culta comprobant meriſſima eſſe figmenta, quandoquidem verbo ſolum propheta euertere poteſt aram, nec valent euitaſſe ruinam: rex terrore concutitur, & populus viſis miraculis obſtupefactus cunctatur; verùm cùm iam Dei propheta repeteret propria, ſenex idolorum ſacrificulus, qui neſcio qua occaſione tunc affuit, re cognita per adoleſcentes filios impranſus properat, vt Dei virum fraudibus charitatis ſpecie fallat: 188. *Prophetes autem quidam ſenex habitabat in Bethel, ad quem venerunt filij ſui, & narrauerunt ei omnia opera, quæ fecerat vir Dei illa die in Bethel.* 3. Reg. 13. v. 11. Senem, ne à regis gratia caderet, ſi veritati oculos aperiret, dolos texuiſſe tradit Abulenſis quæſt. 12. Abulenſ. *Credidit iſte propheta ſenex, quod ſi oſtenderet, vel ſaltem perſuaderet verba viri Dei fuiſſe falſa, ita vt rex maneret ſecurè in ſua idololatria, mereretur magnum honorem apud regem.* Filij iuuenes ardenti adeò ambitionis œſtro non agitabantur, quandoquidem captioſos non obtenderunt laqueos, nec ſpecioſos recurrerunt ad dolos; at ſenex ſepulchri limina attingens, vitaque ferè excedens ardenti adeò flamma cupiditatis, & ambitionis exarſit, vt nihil omiſerit, quo infelicem ſtabiliret honorem; imò impranſus, & defatigatus ad Dei virum fallendum celeri volatu contenderit. Ambitioni addicitur, cùm vitâ priuatur, & ſenectutem hæreditatem prudentiæ improbus adſcripſit inſaniæ. O verum! Senes inueniās ſenectutis probrum, libidinis magiſterium, ambitionis delirium, tunc validioribus appetitionum flatibus conſtat iactari, cùm fas eſſet in littoris ſoliditate quieſcere, & exiguum vitæ tempus virtutibus reſtituere.

189. Quàm grauem mereantur pœnam, qui in frigida ſenectute libidinis indulgent deliriis, teſtantur duo illi ſenes Reipublicæ clauum obtinentes annorum ſolùm ſpatio, non virtutum merito: *Conſtituti ſunt de populo duo ſenes iudices in illo anno.* Pulcherrimæ Suſannæ amore capti captio-
ſas

Digitized by Google

ſas ei tendiculas diſpoſuerunt; ſine effectu tamen: Suſanna námque fœminarum decus, licèt internis adoleſcentiæ inſidiis impetita, & externis adulationibus circumuenta, maluit vitam honeſtè deſpicere, quàm turpiter conſeruare. Ergo ſenes dignâ pœnâ mulctantur, & lapidum grandine durâ obruuntur: *Interfecerunt eos.* Cùm Iudices iſti libidini ſtudioſè anteà vacarint, & fœminas plures fefellerint, quin malitiæ præmium tulerint, inquires cur modò ſeuera pœnâ mulctentur, & lapidibus opprimantur: *Sic faciebatis*, inquit Daniel, *filiabus Iſraël, & illæ timentes loquebantur vobis.* Non attulerant pœnam tot commiſſa flagitia, & modo mortem, & quidem infamem conſciuerunt deſideria. Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Iam textus indicauit: *Duo ſenes*, inquit, *Iudices*: adoleſcentia, iuuentúſque aliqualem excuſationem perpetratis libidinibus afferebant: cùm iuuenilis ardor, & æſtuans adoleſcentiæ furor mentem quodammodò præpediat, & (ſi dici liceat) reluctantem animum trahat. Ergo anteà perpetrata aliqualem de ætatis præiudicio ſortiebantur excuſationem, in ſenectute verò cùm iam & prudentiæ lux candidior, & carnis æſtus nullus aut temperatior, iuueneſcere, & Veneris cauſas ſectari digniſſimum erat graui ſupplicio, & ingentiſſimo probro. *Hìc conſequenter deſcribitur*, inquit Lyra, *tentantium ſtatus, quia erant ſenes maturitate ætatis, Iudices ſublimitate auctoritatis, Preſbyteri apparentia ſanctitatis.* Deliquerant anteà; ſed impulſi ardore iuuenili, modò natura quodammodò refragante, & ipſâ ætate obſiſtente: ergo modo pereunt, quaſi nequitiæ conſummatio ſit ſenectutem peruertere, & ad aliud tempus trahere.

Lyra.

190. Quæ ſit decora ſenectus explicat Seneca epiſt. 12. *Debeo hoc ſuburbano meo, quod mihi ſenectus mea, quocumque aduerteram, apparuit: complectamur illam, & amemus, plena eſt voluptatis, ſi illa ſcias uti.* Adnectit: *Hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere.* Quàm dulce eſt cupiditatem fugaſſe, ac reliquiſſe. Qui voluptatibus addicitur, ſenectutis bonum amittit, deliciis videlicet ac voluptatibus non falli, cùm matura ætas impuratis affectibus non vigeatur; imò extra obſcœnitatis, & cupiditatis limites degat pacatè, ſi quid iuuentus minùs cordatè geſſerit, de inſaniente ætate excuſatur; at probrum incrementat error ſuſpicienda canitie perpetratus, & affectus extraneus ætati admiſſus.

Seneca.

Voluptate non egere magna voluptas eſt.

§. XLIII.

Honorabilis ac venerandæ ſenectutis eſt proprium iuuenum audaciam frænare, & vel aſpectu mores componere.

191. SEnectus, quæ non ſolum de ætate venit; ſed de virtute etiam nitet, cunctis venerabilis eſt, & dum cum tempore creſcit meritis de annorum excurſu reuerentiam, & de virtutum concinnitate comparaſſe ſibi probatur gloriam: *Curſus annorum*, aiebat Attalaricus Cyprianum Patritium virum allocutus 8 var. 21. *laudis tibi procurat augmentum. Seneſcis quidem corpore; ſed laude iuueneſcis: meritò tibi prolixior ætas optatur, in quâ fama ſemper robuſtior inuenitur.* Suſpici debet ſenectus virtutum augmentis nobilitata, & annorum lapſibus iam matura; verùm licèt omni debeat ſenectus relucere virtute, præcipuè tamen eius videtur proprium pudicitiæ patrocinari, & iuuenum inſaniam arcere: non eſt perfectè ſenex, qui licèt non repueraſcat ad vitium, adoleſcentium permittit auſum. Vt dignum canities aſſequatur præconium, patrocinari debet virtuti, & iuuenili refragari temeritati. Senis laudem meruit qui peregrinum hoſpitio excepit, quique cùm ciuitatis iuuenes procaciſſimo auſu libidinis cauſam palàm non vererentur agere, prudenter reſtitit, & quantum in ſe fuit, ad ſaniorem mentem reducere procurauit: *Educ virum, qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo*: exertis vocibus proclamabant iuuenes Gabaëni; ſed ſenex canitie reuerendus niſus eſt iuuenum compeſcere audaciam & conſulere pudicitiam: *Egreſſus eſt ad eos ſenex & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia.* Fugiendum, imò deteſtandum cenſebat prudens ſenectus, quod inſanienti, & libidinis fumo obcæcatæ iuuentuti videbatur procurandum: dum ſenex petulantiæ obſiſtit, ſe dignè gerit. *Gabaëni*, inquit Ioſephus 5. antiq. 2. *quidam iuuenes, qui mulierculam in foro viderant, mirati eius formam, poſtquam ad ſenem illum diuertiſſe cognouerunt, contempta imbecillitate & ſolitudine venerunt ad ianuam, rogante ſene, vt abirent, & vim obſtinerent ac iniuriam.* Non traxit ſenem iuuenum petulantia in procacitatis auxilium; imò ne honorem ſenectutis amitteret, pro caſtitate pugnauit: ſenem ſe exhibuit, dum fuit pudicitiæ ſcutum, & libidinis inſanientis obſtaculum: decebat námque eius venerabilem canitiem iuuenum procacitati reſiſtere, & pudicitiam ſuadere. Ioſeph.

Caſſiod.

Mirum eſt quot in bonos mores doloſæ obtendantur inſidiæ, & quàm diuerſis calumniarum generibus factioſæ in pudicitiam armentur cauſæ. Ecce Suſanna pudicitiæ decus à ſenibus impetita maluit, quàm ipſam pudicitiam apud homines pudicitiæ amittere famam. O quot ſolùm curant externam vitare notam, cùm deperierint conſcientiam! Ergo cum in iudicio oppreſſa condemnaretur mendaciis ad ſuppliciúmque durâ lapidum grandine ferienda raperetur, Daniel honeſtatis ſuſcepit cauſam, ac detexit prodigioſam ſenum impudiciam. Quid tunc populus? *Veni, & ſede in medio noſtrum, & indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem ſenectutis.* En cur modo ſenectutis fruatur honore, qui anteà ob edita mirabilia non eſt prædicatus ſenex? Quia modò quod ſenectutis proprium impleuit: ſenectutis námque proprium eſt virtuti patrocinari, & impotenti procacium cupiditati reſiſtere: cùm libidinoſos reprimit, cùm tuetur pudicitiam, venerando ſenectutis inſignitur elogio, & quid ſenectutem deceat, ſuo nos erudiuit exemplo: *Sermo grauis*, ſcribit Ambroſius lib. 2. de Abel, & Cain cap. 3. *& quidem ſenilis plenus prudentia ſtabilire vniuſcuiuſque animam, & confirmare mentem ſolet.* Non erant ſenes, qui tori maritalis iniuriam conſulebant, qui infamiæ ariete pudicitiæ muros tentabant. Vbi Daniel ſenis nobilitatur elogio, caſtitatis inuenitur patronus, & libidinis aduerſarius. *Quàm gaudeo*, præmiſerat clarus Ambroſius, *cùm aliquos mites ac ſapientes diu viuere video, cùm virgines caſtas, viduas graues aſpicio longæuas, velut quamdam incanam Eccleſiæ curiam prætendant, ipſo quodam* 192. Daniel 13. v. 50. Ambroſ.

Digitized by Google

quodam vultu, & ſpecie grauitatis, quod reuereantur, quod imitentur, quo ad omnem morum gratiam colorentur: non enim ipſe gaudeo, cum viuendo multa ſubeant tædia ſaeculi huius; ſed quia proſunt pluribus. Similiter cùm aliquis huiuſmodi decidit, quamvis longa ſenectute depoſitus, afficior, quia deſtituitur grex iuuenum muro ſenili. Senex eſſe debet virtutis murus, grauitatis arx, pudicitiæ patronus, & iuuenilis ardoris faſcinum: ergo Daniel ſenectutem refert, & implet, cùm tuetur pudicitiam, cùm frænat procaciam: & ſenes honorabili denudantur elogio, dum moribus repueraſcunt, dum libidinibus inardeſcunt.

193. Vel inter facetias vult Clemens Alexandrinus 2. pædag. cap. 6. ſenem canitiem ſuam honorare adoleſcentium mores informando, & facete corrigendo: *Senes adoleſcentes tamquam filios reſpicientes rariſſimè quidem; ſed aliquando tamen cum eis luſerint, falſum aliquod dictum in eos torquentes, quod eos decorum doceat, cum taciturno & verecundo facetè & vrbanè poteſt hoc modo agere: Meus filius (de eo loquens, qui tacet) non ceſſat loqui.* Itaque vel inter facetias, ſenis proprium eſt edocere virtutem, & in ipſis laudis honorabilem præ ſe ferre grauitatem: *Senes quidem maximè decet grauis ſermo*, inquit ibi Heruetus Gentianus; *poſſunt tamen nonnunquam cum iuuenibus ludere vtendo verbis ſalſis & vrbanis.*

Clem. Alex.

Heruet.

194. Si ſenex intereat, grande populi ſupplicium eſt, quandoquidē effrænis tunc iuuentus ſalacitati viuidiùs ſtudet, & in bararrū inſanæ cupiditatis miſerabiliùs corruit: *Ecce Dominator Dominus exercituum auferet à Ieruſalem, & à Iuda validum & fortem, &c. & ſenem.* Quid tunc? *Agnitio vultus eorum reſpondebit eis, & peccatum ſuum quaſi Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt.* Vbi ſenectus graui oculorum aſpectu ferit, procacia timet, & veluti fræno cohibita parciùs inſanit, & moderatiùs furit; at ſi veneranda canities deſit, iam libido non ſolùm exercetur; ſed omnes verecundiæ limites tranſilire gloriatur: *Peritura vrbis aut malorum imminentium* (Ambroſium iterum audis) *vel futura labis hoc primum indicium eſt, ſi decedant viri conſultores vel etiam grauiores fœminæ. Hinc primum ingruentium porta aperitur malorum. Sicut ergo vrbs tota ſolidatur, atque augetur cœtu ſapientium vel obitu labefactatur, ita ſermo grauis, & quidem ſenilis plenus prudentia ſtabilire vniuſcuiuſque animam, & confirmare mentem ſolet.* Senilis ſermo canorum grauitas ipſo habitu ipſo vultu caſtitatem debet inſpirare, & ardorem iuuentutis reprimere: ni enim tranſeat in ferociam exoculata cupiditas, ſenectutem veretur, & licèt inuitè, frænatur.

Iſai. 3. v. 1.

Ambroſ.

195. In grege Petro commendato hœdos diuagari, non audio: *Paſce agnos meos*: in commendato Sponſæ reperiri video: *Paſce hœdos tuos.* Ecqua diſcriminis cauſa eſt? Ambroſius in Collectis ad Canticorum primum exiſtimat de paſtoris Chriſtum ſequentis exemplo ad gregem concinnos mores dimanaſſe, & agninam innocentiam ſuxiſſe: ipſum audi: *Sequendo Petrus in dextera meruit collocari: ideóque ei dicitur: Paſce agnos meos.* Petrus qui ſenuit, qui ſtrictè præcinctus agnis præeſt: quia vel laſciuiens petulcus ſenili aſpectu frænatur, & exemplo Superioris in agnum mutari cogitur. Licèt petulci innato ardore geſtiant laſciuire, de aſpectu ſenis, de morum concinnitate, de oris grauitate quodammodò præpèdiuntur, & agnorum mores imitantur: vbi ſenectus non præfuit; ſed quæ gerebat curam, vbi Sponſus meridie paſceret, ignorabat, & ſe diſſitam aliquantulum ipſa ignoratione pandebat, inuenti ſunt hœdi laſciuientes, & liberè diuagantes: vt ſenectutem noueris eſſe laſciuiæ frænum, & virtutis incentiuum. Et expende admoneri Sponſam iuxta tabernacula paſtorum hœdos paſcere: quaſi ibi facilius ſit audaciam reprimere, vbi ſenectutem concinnis conſtat moribus relucere. Vel hœdus fit moribus agnus ſenectutis maturitate conſpecta, eiúſque exemplis frænata, cùm proprium ſit ſenectutis agere virtutis cauſam, & reprimere inſolentiam. *Sequendo Petrus in dextera meruit collocari: ideóque ei dicitur: Paſce agnos meos.*

Ioan. 21. v. 16.
Cantic. 1. v. 7.

Ambroſ.

§. XLIV.

Senectus eximium bonum, dum morti propinquior, inuolet ad virtutes celerior.

Senectus, dum corporis ſedat æſtum, dum 196.
carnis adſultus non ſentit, dum reluminatos oculos iam temporis collyrio habet, optimam de rebus ſententiam fert, captioſos voluptatis laqueos eludit, & quòd anteà æſtimabat delicioſum, agnoſcit amarum. *Mihi*, aiebat Seneca epiſt. 12. *ſenectus mea quocumque aduerteram, apparuit: complectamur illam, & amemus: plena eſt voluptatis, ſi illa ſcias vti.* Adnectit: *Illam quoque in extrema tegula ſtantem iudico habere ſuas voluptates, aut hoc ipſum ſuccedit in locum voluptatum, nullis egere. Quàm dulce eſt cupiditates fugaſſe, ac reliquiſſe!* Senectutem voluptates fugiunt, carnis non inſectatur inſania, cupiditatum ſecum altercantium non perturbat inſolens pugna: veluti in Olympo rationis, ac prudentiæ viuit ſenectus, quin vlla paſſionum flabra acti impulſu ſolicitent, aut importuna titillatione diuexent: habet maturior ætas ante oculos mortem & de ſepulchri puluere reluminata & perſpicaciùs videt & acutiùs. Ecce ſenex ruris laboribus defatigatus domum repetebat, cùm in Leuitem incidit hoſpitio deſtitutum, & à Gabæis cunctis reiectum: ergo acceſſit, & benefaciendi occaſionem nactus arripuit; cúmque ciuitatis iuuenes libidinis inſaniâ furentes inuerecundè tumultuoſéque iniuriam hoſpitibus conarentur inferre, niſus eſt oſtendere quam exambiebant toto conatu voluptatem vti feliciorem, & iucundiorem fortunam, ſtultitiam eſſe, & inſaniam: *Ceſſate ab hac ſtultitia.* Ecce ſeni videtur ſtultum, quod iuuenibus pergratum. Ecce ſenectute pergrauatus, & laboribus agri attritus: ait enim textus: *Apparuit homo ſenex reuertens de agro, & de opere ſuo veſperi*: hoſpiti accedit, & humanitate in domum perducit: *Ego præbebo omnia quæ neceſſaria ſunt.* Nonne vides quantum illi bonum attulerit matura ſenectus, quandoquidem voluptas iam illi ſtultitia apparebat, & caſtitatis hoſpitalitatiſque cauſam ſtudioſè ſolicitéque tractabat. Huc voco quod aiebat Ambroſius lib. 1. Hexamer. cap. 8. *Quid naturam accuſas, ô homo? Habet illa velut impedimenta quædam ſenectutem, & infirmitatem; ſed ſenectus ipſa in bonis moribus dulcior, in conſiliis vtilior, ad conſtantiam ſubeundæ mortis paratior, ad reprimendas libidines firmior.* Firmior eſt ad virtutem ſenectus, quieſcit in portu confuſis cupiditatum verticibus non impetita

Seneca.

Dulce eſt cupiditates fugaſſe.

Ambroſ.

Digitized by Google

petita; ſed prudentiæ gubernaculo naufragiis frequentibus iam exempta, deterſo iam paſſionum fumo, libero aſpectu fruitur, & inoculatior tricis non capitur. Caret quodammodo corpore ad paſſionum fallacias ſenex; ſed dum caret viribus, doloſis etiam ſubducitur voluptatibus: *Non igitur* (verba ſunt diui Ambroſij) *Ab extraneis eſt nobis, quàm à nobis ipſis maius periculum: intus eſt aduerſarius, intus auctor erroris, intus, inquam, clauſus in nobis metipſis.* Iuuenilis ætas ardentis ſanguinis flammis exæſtuans per varios errores trahitur, & confuſis, ac ſecum altercantibus cupiditatum voluminibus mergitur. Hoc ergo periculo carent ſenes, quandoquidem ſenectute corpus attritum, & annexis morbis euigoratum iam non recalcitrat, rationem carnis ſeditionibus non impugnat. Veram de rebus ſententiam mens profert, vt quæ appetitus blanditiis non ſubornatur, nec fallaciis cupiditatis deluditur. Vide Gabæos iuuenes ad errorum occaſionem hiantes, vide ſenem vti ſtultitiam & inſaniam voluptatem auerſantem, & hoſpitalitatis opportunitatem arripientem.

197. Video apud Abrahamum Dominum hoſpitio receptum; video ibi familiam totam honeſtè occupatam, Saram ſubcinericios panes accelerantem, & ſimilæ ſata ad delicias hoſpitum commiſcentem, laboris præmium filius fuit Deo gratus dignaſque moribus expolitus: (Geneſ. 18. v. 10.) *Habebit filium Sara vxor tua: quo audito Sara riſit poſt oſtium tabernaculi: erant autem ambo ſenes, prouectaque ætatis.* De emortuo iam corpore, voluptatiſque prorſus experte fructus naſcitur dulciſſimus, & ſenectus dum à cupiditatis deliciis remotior, virtuti inueniebatur fœcundior. (Zeno.) Notauit Zeno Veronenſis ſerm. 1. de Abraham. *Sara vxor eius non inferior vita longe tranſactis curſibus qualem filium ediderit, partus effuſione percepit.* Percepit Sara qualem fructum ſenectus ediderit, & quæ iuuentutis flore extiterat infœcunda, iam digno partu in ſenili ætate copioſa. Apud ſenes refrigerat Deus, & qui verſus mundum nequibat centenarius mouere greſſum, ob idipſum verſus Dominum Abrahamus cucurrit, & accelerauit volatum. Videbat iam mortem inſtare: ergo noluit hoſpitalitatis occaſionem præterire, & quia à mundo ferè expunctus, virtute nitidiùs floridus, & quo enerui corpore grauior, ſanctitati inueniebatur expromptior. Quàm bene Nazianzenus de corpore loquens oratione de paupertate fouenda! (Nazianz.) *Inimicus eſt mihi beneuolus, & amicus inſidioſus. Proh copulam, & diſſidium! Quod timeo foueo, & quod amo, timeo: priuſquam bellare incipio, concilior, & antequam pax fiat, diffideo.* Hanc corporis moleſtiſſimam controuerſiam ſenex effugit, & in tuto quodammodò degit. Quàm diuerſis voluptas veſtitur coloribus, ſi adoleſcentium cupiditatis tetro fumo caligantibus oculis obiecta, & ſenilis prudentiæ luminibus ſpectata! Senex, vt qui prudentiæ collyrio reluminatos oculos habeat, cenſet inſaniam, quod iuuenis obcæcatus delicioſam æſtimat vitam: ergo ingens à Deo beneficium accepit, ſi, vt fas eſt, eâ vtatur, qui ad ſenectutem peruenit.

189. Pſaltes gratias Deo agit, quòd ſalutis pignus ei conceſſerit à iuuentutis eripiens vorticibus, & ad ſenectutis aurigans portum: *Ne proiicias me,* aiebat, *in tempore ſenectutis: cum defecerit virtus mea, ne derelinquas me.* Non ſolum orat; ſed futura denuntiat. Ita Euthymius: *Tu, inquit, Deus, qui à iuuentute mea adiutor mihi fuiſti, non proiicies me in tempore ſenectutis.* Itaque Dauid, cùm ſe voluptatis fuiſſe aliquando recordaretur captiuum, nec eo tempore à morte raptum, ſpes fouebat, & gratiam ſibi factam exertis gratiſque clamoribus publicabat, Et alibi: *Dirupiſti vincula mea.* Quæ vincula? Non ſolum voluptatis; ſed iuuentutis: iuuentus namque eſt blandum vinculum, grande ad virtutem obſtaculum. Ergo inquit Dauid, cùm me ſenectutis ſereno frui conceſſiſti, vbi nec inſanientium appetitionum fluctus iactat, nec voluptatum æſtus prudentiam impugnat, ſpem incolumitatis largitus es. Ob id, inquit à iuuentutis periculis eripuiſti meque in longæuam ſenectutem protelaſti, vt me non proiiceres, ſed à periculis ereptum, virtutibus benignè reciperes exornatum.

199. (Numer. 11. v. 16.) Deus Numer. 11. Spiritus ſui opportunam ſedem ſenes delegit: *Congrega mihi ſeptuaginta viros de ſenioribus Iſraël, quos tu noſti, quod ſenes populi ſint ac magiſtri, & duces eos ad oſtium tabernaculi fœderis, faciéſque ibi ſtare tecum, vt deſcendam, & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis.* Superuacaneum certè videtur illud addidiſſe: *Quos tu noſti, quòd ſenes populi ſint.* Si iuſſerat ſenes congregari: *De ſenioribus Iſraël*; omnibus erunt noti candicante canitie, & contracti vultus rugoſitate: cur ergo addidit: *Quos tu noſti quòd ſenes ſint?* Quia ſenectus, inquit Origenes, non ſolùm conſtat annorum longæuitate; ſed morum etiam canitie. (Origen.) *Nomen hoc preſbyterorum*, inquit homil. 4. in Geneſ. cap. 18. *Non longæuitatis ratione; ſed maturitatis adſcribitur.* Certè aliqui ſenes ſunt ſenectutis probrum, non virtutum magiſterium, pro maturis fructibus flores referunt, & ſi in adoleſcentibus naturæ viuacitas in campum contra prudentiam prodiit, in his etiam gliſcens intempeſtiuè cupiditas contra ipſam ſurgit naturam: cùmque in ſenibus, vt tradit Plutarchus lib. de virtute, & vitio deficiant paſſionum irritamenta, & pro irritamentis ſuccedant matura animi imperturbati conſilia, ſic nonnulli repueraſcunt, vt ætatis amiſerint beneficium. (Plutarch.) *Iuuenes præcipites & temerarij ſunt, atque in appetitibus ardentes rabidique ſanguinis copiâ, & feruore; in ſenibus cupidinum fons, qui ſedem habet in iecore, extinguitur, deteritur, & langueſcit. Inualeſcit verò ratio quod pars animi perturbationibus patens vnà cum corpore tabeſcat.* Senes eliguntur ad populi regimen, ad iuuentutis frænum; quia ſenectus eſt quodammodò Sancti Spiritus habitaculum: inualeſcente namque ratione, & deficiente fallaciarum turbine æqua lance de rebus iudicium fertur. Vnde eximium eſt Dei beneficium ad ſenectutem peruenire, & paſſionum perturbationes euadere.

---

§. XLV.

Libera fronte in vitia armatur inuectus, quiſquis ab illis non ſordeſcit inquinatus.

200. SErmo non tam nititur verbis, quàm factis: erubeſcit lingua, ſi contradixerit dextera. Optimè Tertullianus lib. de patientia cap. 1. *Confiteor ad Dominum Deum ſatis temerè me, ſi non etiam impudenter de patientia componere auſum,*

ſum,

Digitized by Google

ſum, cui præſtanda idoneus omnino non ſim, vt homo nullius boni. Subijcit diſertiſſimus Doctor: *Quando oporteat demonſtrationem, & commendationem alicuius rei adortos ipſos priùs in adminiſtratione eius rei deprehendi, & conſtantiam commonendi propria conuerſationis auctoritate dirigere: ne dicta factis deficientibus erubeſcant.* Certè dicta factis deficientibus erubeſcunt infirma, aut audent temeritate procacia: quid enim impudentius, quàm tenaciſſimum, auarumque liberalitatem ſuadere, quid ineptius, quàm fœdis æſtuantem libidinibus ad caſtitatem alios arctare. Gabaëni iuuenes peregrinæ Leuitæ vxoris venuſtate allecti, & propria temperantiâ inflammati rem prorſus fœdam tentabant; verùm ſenex, qui peregrinos humanè hoſpitio receperat, procaciam coarguit, & abſtinendum à libidine edocuit. *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc, quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia: habeo filiam virginem,* &c. Quàm libera fronte corripuit audaciam ſenex ab omni impuritatis ſuſpicione alienus, & inſuper ſuorum caſtitatis ſtudioſus: filiam habebat inter Gabaënos omnes luxuriæ terminos excedentes Virginem: quia aſſeruabat ſtudioſa vigilantia, & vigilanti ſolertiâ: ergo hic audentes frænare non metuit, & carpere non erubuit: deficerent illi profectò verba, aut deeſſet verbis efficacia, ſi ſenectus venerabilis ab omni impuritate non teſtaretur alienum, & filia virgo domeſticæ caſtitatis non proclamaret amicum; aſt dum ſuos ab omni inquinamento conſeruat intactos, dum mores pectore fouet odore virtutum fragrantes, in audentes potuit inuehi, & procaces reprehendere. Huc voco Ambroſium lib. 2. de offic. cap. 12. *Quis in cœno fontem requirat? Quis è turbida aqua potum petat? Itaque vbi luxuria eſt, vbi intemperantia, vbi vitiorum confuſio: quis inde ſibi aliquid hauriendum exiſtimet, quis non deſpiciat morum colluuionem. Quis vtilem cauſæ alienæ iudicet, Quem videt inutilem vitæ ſuæ?* Aqua turbida ægrè maculas alienas emundat; imò quas emundandas accipit, de innato cæno coinquinat. Ergo ſenex, & virginitatis cultor liberè conſulit, & liberè reprehendit. Ambroſ.

201. Zacharias ille magnus, qui virtutum cenſum vel effœta ſenectute Baptiſtam meruit obtinere, dum ab Angelo ſuperno munere donatur, tantillum hæſit, & interrogando deliquit: *Vnde hoc ſciam? ego enim ſum ſenex, & vxor mea proceſſit in diebus ſuis.* Plus videtur naturæ adſcripſiſſe, quàm gratiæ. Opponebat tempus temporum Domino: allegabat ſenectam, cùm Dominus ornare poſſet nobili prole vetuſtam: ergo vſum perdidit linguæ: ab Angelo mulctatus tacuit ſermone: *Ecce eris tacens, & non poteris loqui vſque in diem, quo hæc fiant, pro eo quod non credidiſti verbis meis, quæ implebuntur in tempore ſuo.* Si non poteſt loqui, quid mirum taceat? Ergo Angelus ſuperuacaneè annexuit: *Eris tacens*, dicturus: *Non poteris loqui?* Eſtne magnatibus adeò innatum impoſſibilia aggredi, vt ſuperfluum non fuerit taciturnitatem prædicere, etſi linguæ vſum conſtet auferre? *Non poteris loqui*; eſto tamen tacens, inquit diuinam ſententiam acceptans, vt ipſa taciturnitas proſit ad meritum, etſi ademptum vocis fuerit exercitium: *Eris tacens*: vt de conformitate, quæ fuerat pœna, iam videatur prærogatiua. Sed nos theſi noſtræ teſtituamus, inquiramuſque, cur priuetur lingua, dum aliquali (Lucæ 1. v. 18.) diffidentiæ polluitur macula? non poterat viſu interdicere, ſalute mulctare? Cur ergo priuet ſermone, dum aliquali fœdatur crimine? O vtilem nobis eruditionem! Zacharias vtpote Sacerdos ſalutaria monita populis inſtillabat. Ergo dum labia infecit reatus, iam ad populum exiit mutus: nec enim liberè poterat aliorum errata carpere, qui lingua probatur delinquere: *Egreditur Pontifex*, in Chryſol. ſerm. 9. *Geſtans in ore ſterilitatis indicium portans in pectore conceptionis figuram.* Muta lingua erat ſterilitatis indicium, nec edocere potuit, quouſque nobili fœtu depulit infœcunditatis reatum: iam geſtabat pectore conceptionis figuram: non tamen poterant labia non eſſe ad admonendum effœta, dum probabantur proprij reatus aliquali macula ſordidata: dum peccat Sacerdos, inuenitur elinguis, qui à culpa exemptus contra culpam verbis inueniebatur armatus. Chryſol.

Hinc noſces, cur propheta Eliſæus Naamanum ad Iordanem miſerit: repurgandum, curque Naamanus indignanter audierit, tergaque verterit: *Miſit ad eum Eliſæus nuntium dicens: Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua, atque mundaberis.* Quid tunc? *Numquid non meliores Hauana, & Pharphar fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraël, vt lauer in eis, & munder?* Profectò ex eodem capite proceſſit prophetæ iuſſio, & Naamani indignatio. Ad Iordanem luteum fluuium mittit, vt dum impertitur munditiem, nullus ambigat fuiſſe miraculum, & Naamanus, quia ibi miraculum non credebat, de ſalute deſperabat: iubebatur Iordanis aquis mundari ad puritatem corporis recipiendam; ſed cùm lutoſam mouerit aquam, deſpiciebat medicinam. Prodeſt Abulenſ. q. 9. *Quod miſerit eum intra terram Iſraël ad fluuij Iordanis, potius quàm ad aliam aquam, fortè fecit hoc, quia minus veriſimile erat de aqua Iordanis, quòd ſanare poſſet, quàm de alia aqua, eo quòd fortè erat turbida, & lutulenta.* Vt commendaret Eliſæus miraculum, lutulentam aquam voluit impertiri munditiem, & conferre ſanitatem; verùm vbi audiuit Naamanus, quodammodò deſperauit, tergaque vertit. Adeò rarum eſt maculis inquinatum propriis, alienis poſſe mederi. Et quidem ni grande intercesſiſſet miraculum. Naamanus è lutulentis Iordanis vndis non emergeret puritati teſtitutus; ſed nouis maculis defœdatus: quandoquidem à lutulento fluuio ſecurius erat ſordibus defœdari, quàm puritati reſtitui; at, vt notum fuerit Deum ſæpiſſimè ſordidis ac ineptis ad ſpeciem inſtrumentis aliorum ſanitatem operari, ad Iordanem voluit remitti. Si Iordanis per ſe ſolùm attendatur, puritati ſalutique impertiendæ videtur aduerſari; ſi verò vti Dei inſtrumentum conſideretur, ſalutem poterit impertiri: ergo Naaman in Iordane lauetur, vt & ſanitas miraculoſa habeatur, teſtatumque maneat aquam munditiam non conferre propria qualitate, ſed indita diuina virtute: ſi defœdaris leprâ, ne refugias ad ſacerdotem, quem peccatis ſordidum noueris, pro munditie impetranda accedere: nam quiſquis ille ſit, ſi tu ritè acceſſeris, ſine dubio etiam mundaberis, Sacerdos licèt ſibi ſcateat ſordibus, tibi puritatem conferet, & ſanitatem impertiet. Itaque ex hoc facto duplex nobis reſultauit eruditio, videlicet ſordeſcentem culpis ſine miraculo ſanitatem aliis non afferre, & Deum, vt quos ſalutis miniſtros eſſe voluit, ſanitatem impertiant, operari miraculum. 202. (4. Reg. 5. v. 10.) Abulenſ.

Non audio Cainum fraterno ſanguine defœdatum 203.

tum

tum à parentibus aſperâ obiurgatione correptum, nec ſupercilij auſteritate perculſum: nec audio in fratricidæ inuidiam diſſimulantes à numine proferri ſententiam, cum Heli filios blandè corripiens acrem ob ignauiam tulerit mulctam: *Magis honoraſti filios tuos, quàm me.* Si Heli domus ſacerdotio interdicitur, ſi fractis ceruicibus expirat ſenex grandæuus, licet filios aliqualiter obiurgarit, cur Adamo non obiiciatur Cainum non corripuiſſe, & fratricidium diſſimulaſſe? O arcanum Sacræ Scripturæ ſilentium! Adamus Euaque deliquerant, numinis diuinitatem exambientes, & eius edicta temerario auſu calcantes: ergo nil mirum ſi filij ſcelus non reprehenderint proprio delicto impediti, & delicti rubore tardati: aſt Heli ſenectutis beneficio à filiorum culpis diſtabat, & ſacerdotium ſine querela exercuerat: ergo cum libera fronte in filios potuerit inuehi, culpabili ignauia eorum probatur diſſimulaſſe delicta, blandéque corripuiſſe ſcelera. Ergo mulctetur qui culpabiliter tacuit, non qui proprij reatus impeditus conſcientia ſiluit, quandoquidem hoc ſilentium edocuit confuſa ob crimen proprium conſcientia, illico negligens ſolùm ignauia. Adeſt Chryſoſto-
Chryſoſt. mus apud gloſſam: *Cum vita Heli eſſet irreprehenſibilis, tamen quia filios calcantes Dei legem non cum ſeueritate corripuit, cùm illis etiam iure punitus eſt, & graue ſubiuit ſupplicium.* Dum irreprehenſibilis Heli non carpit filios, delinquit; aſt dum reprehenſibilis ora rubore ſigillat Adamus, quàm culpa linguam retardarit, oſtendit.

---

§. XLVI

Stultum eſt, vt aliena vites incommoda, propriâ ſordidari culpâ.

204. Nihil glorioſius, quàm alienis commodis ſtudere, & incommodis refragari: miſericordia, pietaſque ſunt Sanctitatis nutrices, ſi non parentes: fides de charitate reſplendet; religio de impenſa miſericordia viuidiùs lucet; verùm ſic miſericordia exercenda eſt, vt à charitatis regula non diſcrepet aliena, nec à ratione exorbitet veræ pietati contraria: eſſet enim prorſus ſtultum, vt alios aſſerueris à pœna, própria inſici, ſordidaríque culpa. Subærata miſericordia eſt, quæ impugnat gratiam, & quæ adulterat legis normam. Leuites cum vxore venerabilis ſenis hoſpitium intrarat; verùm cum Gabaëni iuuenes in vxorem Leuitæ venaticos oculos conieciſſent, contempta ſenis debilitate fores effringere pertentabant, & inuerecundis vltra modum auſibus expetebant: ſenex acri obiurgatione amouère iniuriam ſtuduit, vtque imminens hoſpitibus propulſaret periculum, propriæ filiæ, quam furentibus obtulerat, deſpiciebat peccatum: *Habeo filiam virginem, & hic homo habet concubinam, educam eas ad vos, vt humilietis eas, vt veſtram libidinem compleatis.* Abulenſis quæſt. 17. grauiter teſtatur deliquiſſe ſenem, quandoquidem filiam obiiciebat exoculatæ libidini, & audaci procacitati. Ipſum audi: *Cum*
Abulenſ. *iſte homo traderet filiam ſuam, & concubinam Leuitæ, offendebat Deum, quia iſtud malum erat.* Subiicit: *Faciebat hoc ſenex ad euitandam pœnam Leuitæ.* Senex quos in ſuam tutelam exceperat, hoſpites pro viribus ab omni incommodo eripere ſatagebat honoris ſui vanè ſtudioſus, aut obærata miſericordia erga peregrinos propenſus: propria culpa incommoda repellere nitebatur aliena, & imprudenter miſericors amplectebatur peccatum, vt alienum vitauerit detrimentum.

Amnon Dauidis filius, cùm interna amoris de- 205.
paſceretur flamma, vultus macie, virium defectu commiſerationem ſuadebat: erat illi amicus Ionadab, qui iuuentutis eius miſertus conſilium ſatis pernicioſum dedit: *Cuba ſuper lectum tuum, & languorem ſimula: cúmque venerit pater tuus, vt viſitet te, dic ei: Veniat, oro, Thamar ſoror mea, vt det mihi cibum, & faciat pulmentum; vt comedam de manu eius.* (2 Reg. 13. v. 5.) Conſiliarius eò tendebat, vt Amnon ſaluti proſpiceret, & ab illa pœna ſatis dura liberaret; verùm impia miſericordia deſipuit, cùm, vt alienum leuarit incommodum, non timuit proprium admiſiſſe reatum. Ionadab ab omnibus colebatur diſertus: *Vir prudens valde,* cùm ſolùm eſſet aſtutus, quandoquidem non eſt vera prudentia; ſed meriſſima ſtultitia alieno prouidere commodo proprio delicto. Ita Theodoretus hîc quæſt. 29. *Non eſt vſus ingenio ad id, quod oportebat; imò verò Amnonis libidini opem tulit, & particeps fuit nefarij ſceleris, quod ipſe eſt auſus.* (Theodor.) Præmiſerat: *Cur Ionadab filium Samaa nominauit prudentem, cum dederit eiuſmodi conſilium?* Quæſtioni reſpondet: *Etiam ſerpentem Moſes dixit eſſe ſapientiſſimum omnium beſtiarum, quæ ſunt ſuper terram. Sciendum eſt enim, quod non vbique ponat ſcriptura ſapientem in laude: ſunt enim ſapientes, vt malè faciant.* Stultus probatur Ionadab, dum animi admiſit languorem, vt alienam depulerit maciem; dum propriam læſit conſcientiam, vt alienam ſopiuerit flammam. O quot ſibi crudeles, erga alios inueniuntur ſtultè miſericordes! Sacramenti fidem violant, vt quæ aliis impendet, calamitatem auertant, mendacio alienum dolorem redimunt, & obſequium imprudentes exiſtimant Deo ſe præſtitiſſe, ſi quiuerint, interuenienti etiam graui peccato, gemitum alienum vitaſſe. Prudens eſſet Ionadab, ſi cæcam illam libidinis flammam dignis conſiliis temperaſſet, & ab iniuria abſtinendum ſuaſiſſet; aſt alienæ prouidere ſaluti inferendo iniuriam legi, non fuit prudentia; ſed ſtultitia.

Hoc miſericordiæ genere errauit Saül: à Do- 206.
mino præceptum acceperat de Amalecitis omnibus interſitiendis, vtque facilia ſunt quæ Domino duce bella geruntur, hoſtes deuicit, & ni ipſe ſibi inuideret, celebrandum ſæculis triumphum reportauit. Verùm, dum Agag regi parcit, diuinam indignationem incurrit. Intuitus hominem oris grauitate conſpicuum, vittis regalibus corohatum, miſericordia commotus eſt; nec timuit inſici culpa, vt Agag frueretur vita: *Pepercit Saül, & populus Agag.* (1 Reg. 15. v. 9.) Et quidem à Domino iure abiicitur, qui crudeli miſericordia defœdatur: *Proiecit te Dominus, ne ſis rex ſuper Iſraël.* Diuinæ ſententiæ cauſa erga Agag fuit impenſa miſericordia. Prodeſt Theodoret. q. 33. *Tantum eum condemnauit ea, qua præter legem vſus eſt, miſericordia, quantum auaritia.* (Theodor.) Non minus ſorduit miſericordia, quàm auaritia, dumque aliena detrimenta proprio ſcelere redimit, regno mulctatus proiiciatur, & ſtultiſſimus declaratur: nec enim eſſe quibat miſericordia, quæ præceptis Dominicis comprobatur aduerſa. Solùm commiſerationis ſortitur elogium, quod à crimine inuenitur alienum: nam benefacere delinquendo eſt manifeſta nequitia, fucatâ miſericordia; dum falſa compaſſione mouentur plures, ne alter à iudice comprehendatur, damnetúrve, execrandum perpetrauere periurium, &

& grauiſſimum admiſerunt peccatum: officioſa mendacia, & quæ in aliorum vtilitatem nouerunt vergere, arbitrantur miſericordiæ inſeruire; cùm reuera non debeat leuiſſima admitti culpa, vt grauiſſima depellatur miſeria.

207. Malè de Eliſæo cogitauerat Naaman, dum credidit lepræ locum prophetica manu, vt expelleretur, tangendum; aduentarat adæquè leproſus ac turgidus, & qui debuiſſet de lepræ fœditate erubeſcere, de apparatu, ſumptúque contigit vaniſſimè ſuperbire. Ad oſtium propheta acceſſerat pompaticè ſtipatus, nitida ac copioſa familia cinctus, cùm Eliſæus aſpicere noluit, & ad Iordanem remiſit: *Vade & lauare ſepties in Iordane, & recipiet ſanitatem caro tua.* (4. Reg. 5. v. 10.) Ille & princeps & tumidus ægrè tulit prophetam coram ipſo non adſtare, & manu lepram contingere: *Iratus Naaman recedebat dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me.* Prophetam ſtare voluit, non vt deuotiùs preces funderet; ſed vt reuerentiam ſibi exhiberet: eam ſibi etiam leproſo voluit reuerentiam haberi, quam Abrahamus hoſpiti Deo antiquitùs contigit impertiri. Et quidem ſi locum lepræ tangeret propheta, legem violaſſet: ergo licèt de ſæculi more ægrè tulerit Naamanus prophetam recuſaſſe culpam in ſui obſequium: Eliſæus de cæleſti politica maluit principibus diſplicere, quàm edictis cæleſtibus contraire; ſuóque exemplo nos docuit nullatenus alieno eſſe prouidendum corporali commodo, proprio animæ damno, & ſtultè plures ſibi de impenſa miſericordia blandiri, ſi conſtet conſcientiæ reatibus denigrari. Redeat iterum Theodoretus q. 19. & apud gloſſam: (Theodor.) *Ipſum quidem Naaman videre, vt qui eſſet leproſus, non ſuſtinuit, legem ſeruans, vt qui ſub lege viueret.* Eliſæus optimum impendendæ miſericordiæ modum præſcripſit: leproſi miſertus eſt ad Iordanem remittens; ſed ita eius ſtuduit commodis, vt nullis ipſe defœdaretur peccatis: nec enim ſe exhibuiſſet prophetam, ſi animæ detrimento alieni corporis conſuleret commodo: ergo diſce misereri, & alienæ vtilitati conſulere.

208. Diues ille inhumanitatis miraculum, cuius ferrea viſcera Lazari non emolliebat miſeria, Abrahamum repetitis clamoribus pulſat, & ſuæ misereri calamitatis obnixè rogat: *Pater Abraham miſerere mei.* (Lucæ 16. v. 24.) Egenti filio ſubuenire, ſitibundum refrigerare, aquæ guttulam expendere, opus videbatur miſericordiæ; ſed eſſet vera culpa, & miſericordia falſa, quandoquidem Lazari non modico damno linguæ ſuccurreretur incendio: *Mitte Lazarum.* In Lazarum cupit eſſe crudelem, quo Abrahamus ſordeat admiſſa culpa, & obtenta tegit dolum ſpecioſa miſericordia: *Miſerere mei.* O gehennalem miſericordiam! vt ſubueniat ſiti, contraire pietati. *Crudelis fili*, inquit Chryſol. ſerm. 66. (Chryſol.) *quam miſericordiam petis?* Id eſt, cùm infernorum vernulæ nullius tangantur veræ deſiderio virtutis, quam petis, miſericordia non eſt pietati conſentanea; ſed inimica: ſibi exiſteret Abraham ſæuus, ſi exiſteret tibi pius, quandoquidem non eſt miſericordia, licèt miſericordiæ videatur vmbra, ſubuenire alienæ ſiti, & deficere æquitati.

§. XLVII.

Peccator, quo paſſu deterior, & infeliciter degit ſecurior.

INfauſta lamentabiliſque peccati proprietas eſt reddere homines ſtupidos, & veluti ſenſibus denudatos: vnde Pſaltes aiebat de idolorum cultoribus: *Oculos habent, & non videbunt: aures habent, & non audient: ſimiles illis fiant, qui faciunt ea:* id eſt, fient prorſus ſimiles, ac ſi trunci: nam 209. (Pſal. 113. v. 8.) vt ſtipites ſenſu carentes non pulſantur metu, non anguntur periculo, ita peccatores execrabili ſceletis metamorphoſi de hominibus tranſeunt in ſtuporem, ſeque ipſos ſibi ipſis furantur, vt iam cenſeas ibi eſſe hominis ſolummodò laruam, non veram naturam. Adeſt Euthym. ad hunc locum: *Qui ea colunt, vt diximus, ſunt fatui:* vti amentes ſe mortales non cogitant; ſed omnes audaciæ (Euthym.) limites deteſtanda animoſitate tranſilire pertentant: noſciunt timere, cùm didicerunt peccare; imò quo plus huius ſcientiæ per ti, omni ini eniuntur metu nudati. Hanc veritatem confirmant Gabaëni: Leuitæ vxorem rapiunt, ſuámque libidinem deſpumantes occidunt, & placidè, ac ſi nihil perpetraſſent, quieſcunt: *Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane*: fortè petierunt cubitum, & ſe tradiderunt ſomno: mulier, vt vidimus dolore acri perculſa vitam finiuit, & licèt non volens; ſed rapta & inuita à marito diſceſſerit, nihilominus ſic indoluit, vt expirarit, cùm raptores non ſolùm metu non vrgerentur perculſi; ſed ſibi veluti de celebrando fuerint facinore gratulati. Nec mirum, quandoquidem infelix peccati progenies eſt ſtupiditas mentiſque cæcitas. Sparſis manibus iacebat mulier iniuriam paſſa veluti implorans miſericordiam, & dormiebat violentus illatam deſpiciens iniuriam. Ita Arias Montanus: *Iacebat ſparſis manibus, quem habitum, atque geſtum ſpectare ſolemus in iis, qui alterius vel fidem, vel miſericordiam, vel auxilium implorant.* (Montan.) Mulier ad miſericordiam confugit metu perculſa, cùm nebulones omni iniquitate repleti ſibi plauſerint, nec timuerint.

Diues ille, quem infelicem fecerunt diuitiæ, 210. quem inſomnem copia, & auarum reddidit abundantia, cum plus cupiditati indulſit, plures ſibi annos ſpopondit: *Habes multa bona poſita in annos plurimos, requieſce.* Ad quietem ſe hortatur, (Lucæ 12. v. 19.) quaſi temporis ſit diſpenſandi arbiter, & omnis periculi expers: appetebat iam mors, & qui inuigilabat diuitiis congregandis, dormiebat periculis euadendis: de ſecuritate ſibi plaudebat cæcus, & annos plurimos promittebat ſibi delirus. Huc voco Tertullianum de Pœnit. cap. 6. *Præſumptor, cùm ſibi repromitteret ſecurus ſcilicet timere non potuit, ſic nec pœnitentiam impleuit: quia inſtrumento pœnitentiæ, id eſt metu caruit.* (Tertull.) Vt Ioabus, quò altius vulnus infligeret, ſecuritatis, & amoris ſigna oſtentauit, ſic peccatum ſecuritatem promittit, & ferrum adigit: diues pœnitentiæ recordatus non eſt, vtpote ſecutus, & nulla diſcriminis anxietate obturbatus; ea tamen nocte, qua ſibi longum promiſit annorum tractum, expertus eſt adurgere periculum; vt noueris grauiſſimam peccati pœnam eſſe falſam, quam inducit ſecuritatem, & quam affert, hebetudinem.

Iob;

Digitized by Google

211. Iob, quod hominibus crebro accidere conſpexit, in ſe ipſo, vt nos erudiret, depinxit. Ergo cum Domino loquens ſic ait: *Reuerſus mirabiliter me crucias.* Reuerſus, inquit: quia dum peccator timore cruciatur, iam Dominum adeſſe ſentitur: nullo tangebatur metu Domino recedente; ſed iam percellitur propinquante: nam peccator, quo à Deo diſtantior, eò ſtupidior, & ſine ſecuritate ſecurior. Prodeſt Gregorius lib. 9. moral. cap. 34. *Cum ab auctore relinquimur, nec ipſa vllatenus deſtitutionis noſtræ damna ſentimus: quò enim longè nos conditor deſerit, eò mens noſtra inſenſibilius obdureſcit: nulla, quæ Dei ſunt, diligit: nequaquam ſuperna concupiſcit; & quia amoris intimi calorem non habet, frigida deorſum iacet.* Percipe attentiùs quæ ſubiicit: *Ac miſerando modo fit quotidie tantò ſecurior, quantò peior: cùmque vnde ſit lapſa, non meminit, & ſupplicia ſecutura non metuit, quantùm lugenda ſint, neſcit.* Itaque mens, quò in peius proficit, à metu longiùs recedit: iam propinquare Dominus neſcitur, ſi peccatoris conſcientia acri timore pulſatur: ergo reuerſus mirabiliter cruciat, qui fugiens ſtupida inſenſibilitate caſtigat. Demiraris peccatores aliquos criminum procellis circumuolutos, naufragióque proximos adinſtar Ionæ ſtertere, & obdormire; ſed contrarium eſſet veluti miraculum, quandoquidem hæc cæcitatis ſtupiditas, & ſtupiditatis cæcitas peccati eſt legitima proles, & innata lues. Videbis eximios virtutis cultores ob leuiſſimam culpam acri timore pulſari, & totis artubus contremiſcere, cùm à virtutum caſtris longè diſcedentes nullo metu concutiantur; imò falſa ſecuritate lætentur; eſt námque, vt dicebam; ſtupiditas; imò inſenſibilitas criminis conſequentia, & proles delictorum legitima.

Iob 10. v. 16.

Gregor.

212. E contrario videas ſanctitate exornatos, & omni virtute excultos plus timere, cùm plus à diſcriminibus conſtat diſtare. Cùm Elias ille magnus religioſo zelo inflammatus, ac pio ferro munitus Baalis aram deſtruxerit, & ſacrificulos occiderit, Iezabel indignatione furens in ſequentem diem illi mortem comminata eſt: *Miſit Iezabel nuntium ad Eliam dicens: Hæc mihi faciant dij, & hæc addant, niſi hac hora cras poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis. Timuit ergo Elias, & ſurgens abiit.* Si in diem craſtinum ſententiæ executio differtur, cur ſtatim Elias fugam arripiat metu ſolicitatore vexatus, & anxietate percùlſus? Adde non ſolùm diem; ſed periculi horam deſignatam fuiſſe: *Hac hora*, inquit. Qua hora? Vltra meridianam profectò: eo námque tempore Elias ſacrificulos occiderat: *Poſtquàm tranſiit meridies; & illis prophetantibus venerat tempus, quo ſacrificium afferri ſolet, &c.* Si ergo tempus præſcribitur, ſi hora ſignatur, quid propero veſtigio excurrat, & immaturum ad ſpeciem Elias timorem foueat? Non timuit quinquagenarium, non expauit Achabum omni ſolicitudine ad mortem inquirentem; ſed occurrit illi, & modò occurrere detrectat fœminæ? O amabo te, expende tunc Eliam contrà Baalis prophetas in campum non proceſſiſſe, nec pro religione adeò intrepidè militaſſe; modò iam Domini curarat altare, iam Baalis occiderat ſacrificulos, iam ad veram religionem adduxerat ſtultè diſtractos: ergo quo paſſu excreuit virtus, & culpæ etiam excreuit metus: Iezabel námque non tam exhorruit poteſtate præditam, quàm criminis gerentem perſonam: *Per hoc*, inquit gloſſa moralis, *quòd Elias fugit à facie Iezabel ſignificatur, quod bonus diſcipulus fugere debet concupiſcentiam carnis, quæ ſignificatur per Iezabel, eo quòd interpretatur fluxus ſanguinis, ex cuius abundantia excitatur carnis concupiſcentia.* Iezabel, hoc eſt, carnis concupiſcentia animæ diſponit periculum: ait námque: *Niſi poſuero animam tuam ſicut animam vnius ex illis*: ergo Elias, quia modò excellentiori virtute reſplenduit, plus timuit, & carnis ſolùm minis deterritus ad rigidum adeò auſterúmque confugit ieiunium, vt vires ſalubriter fregerit, carnes exſiccarit, ad Deique montem anhelo greſſu contenderit. Intrepidus conſtitit Elias, cùm armata militum manus inſidiabatur ſaluti, cùm iratus Achabus ardebat auferre vitam; expauit tamen, cùm Iezabel inſurgit in animam: *Niſi poſuero animam tuam, ſicut animam vnius ex illis.* Occiſorum animæ æternis deputatæ ſuppliciis à Deo exulabant, & virtuti aduerſæ gemebant. Ergo Elias vel ſeparationis à Deo expauet vmbram, & propiùs accedere ſatagit, quò eluſerit contingentiam. Expende quàm timeat, Elias concupiſcentiam ſolùm minantem, dum virtutem pectore fouet ſingulariter reſplendentem; ad ieiuniorum, ad orationis arma ſe contulit minis perculſus, vt poſſet vitiis teterrimis defœdatus: vt enim eſt criminis proprium ſecuritas periculoſa; ſic & proprium eximiæ virtutis eſt timiditas ſecura. Accipe Tertullianum aduerſ. Pſychic. cap. 6. *Quadraginta diebus & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb, vbi cum in ſpelunca diuertiſſet, quàm familiari Dei congreſſu exceptus eſt.* Tertull. Nec tantiſper immoratus eſt, vt ſumeret cibum, nec quieuit poſt longiſſima interualla, ni addiderit latere cauerna.

3. Reg. 19. v. 2.

3. Reg. 18. v. 29.

Gloſſa.

Moyſes in Deum conſtitutus, & Domini viſione, etſi à longè recreatus cum Pharaone diſceptare recuſat; imò acri metu angitur, & timore duro percellitur; vtque noueris non recuſare legationis laborem; ſed pauere delicioſæ regionis propinquitatem, pedes denudat, & tribulis ſcatentem tellurem calcat: honeſtè trepidat, vbi non eſt timor: perfectiſſimi námque eſt extra periculi terminos adhuc expaueſcere, & trepidare: non extrahebat dictionem ob ignauiam; ſed ob relucentem conſcientiam: ſecurus timuit, & quia timuit, detriumphauit: *Obſecro, Domine, non ſum eloquens.* Loquendi opponebat inſcitiam: quia deliciarum exhorreſcebat fallaciam: conſtitutus Deus timebat Ægyptum: & cùm populus iam extractus; ſed peccatis ſatis infectus inclamaret: *Reuertamur in Ægyptum.* Moyſes orat: *Mitte quem miſſurus es*: illam enim ſtupiditatem induxerat cordis cæcitas, hunc timorem ſanctitatis procreauerat puritas: *Neque ex viuendi inſtitutione*, inquit Baſilius Seleucienſis de Moyſe oration. 9. *animi vitium traxit vllum, aut per tempus mores alios; ſed amans erat diuini cultus, deditque Paulo occaſionem hæc de ſe loquendi, magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem.* Moyſes, qui ab omni peccatorum ſorde defæcatus, refugit Ægyptum intrare, cùm peccatores nullo metu ſolicitati Ægyptum ambiant repetere. Vt certa ſit noſtra theſis, videlicet peccatores fallaci ſecuritate inniti, dum conſtat in deteriora peccata labi.

213.

Exod. 4. v. 10.

Numer. 14. v. 4.

Baſil.

§. XLVIII.

Nullus egentem videt, vt ſubueniat, ſed habentem nullus non videt, vt quid auferat.

114. VIſus pro obiectorum differentiâ aut obtenebratur, aut exacuitur: de cupiditatis tenebris multum offunditur inter egentem & ſubuenturum caliginis; & quod mireris ab eadem cupiditate inter venaticè intuentem poſſeſſorémque multum intercedit lpminis: ſi quid habeas quod à te poſſit auferri, lynceis oculis plures intuentur, ſi quid tibi conferendum ſit ad egeſtatis ſubſidium, aſpicientium protsùs oculi caligabunt. *Video ferrum*, aiebat Seneca lib.7. de benef. c. 10. *Ex eiſdem tenebris eſſe prolatum, quibus aurum & argentum.* Seneca. Aurum, argentum, ferrúmque ſuis viſceribus tellus ſolicitè abſconderat, verùm cupiditatis oculus, vt quæ inde occulebantur, erueret, abditiſſima penetrauit inuiſibilis eadem refertur tellus, dum inanis Geneſ. 1. v. 2. & vacua, aſſerente ſcriptura: *Terra autem erat inanis & vacua.* Tertullian. lib. de Baptiſmo c.3. legit: Tertull. *Terra erat inuiſibilis, & incompoſita.* Vaſtum adeò corpus inuiſibile erat: nullus enim vacuam, quam repleret, aſpexit. Probat hanc veritatem Leuites, qui cùm Gabaa intraſſet cum vxore, hoſpitióque indigeret, nullus egentem vidit vt humanè exciperet, & commoda procuraret: *Nullus ſub tectum ſuum nos vult recipere*: poſteà cùm iam apud ſenem diuertiſſent, domum circumuallarunt, & hominis concubinam aſpectu pulchram non ſine violentia abſtulerunt: *Nolebant acquieſcere ſermonibus illius: quod cernens homo eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam.* Tenebris retardantibus, clauſis foribus viderunt fœminam pulchram, vt auferrent, qui media in platea ſtantem non viderant, vt egenti ſubuenirent: quaſi aſpectus, viſúſque cum obiectis ipſis mutetur, & ad aliquid auferendum nec tenebris fuerit impeditus; ad præbendum verò nec diuina luce illuſtratus. Adeſt Arias Montanus: *Nemo in publica & frequenti platea fuerat, qui hominem vel* Montan. *eo appellentem, vel appulſum non conſpexiſſet; verùm omnes videre ſe diſſimulabant, aut limis aſpicientes, aut conſpectum negligentes.* Addit, illa verba, *Diuerteruntque ad eam*, interpretatus: *In platea publica nimirum ac frequenti nemo ſibi viſos diſſimulauit poſtea.* Itaque vt auferrent pulchram, ſpecioſámque concubinam, nemo non vidit Leuitem; vt verò hoſpitio exciperet, & neceſſaria præberet, nullus non ſe vidiſſe diſſimulauit. Et vtinam ſolùm Gabaënis hoc proprium; aſt adeò hoc malum ſerpſit, vt vbique terrarum, in qualibetque ciuitate contingat idem: ſi quis extat, nemo videbit, omnes ignoraſſe affectabunt; ſi tamen diuitiis exundet, non erit ſatis eas tenebris ſepelire: quia cupidus oculus diſcet ſolerter inueſtigare.

15. Expendebat Chryſologus ſolita ingenij floriditate diuitem illum omnis humanitatis expertem oculos non habuiſſe, vt ad ianuam iacentem Lazarũ ſpectaret, cùm immenſum chaos eius aſpectum Lucæ 16. v. 2. non impedierit. Audi Euangeliſtã: *Erat quidã mendicus nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens ſaturari de micis, quæ cadebant de menſa diuitis, & nemo illi dabat.* Ingredienti, egredientíque diuiti miſerandum illud ſpectaculum occurrebat, & tamen ignorabat, cùm in Abrahami gremio cubantem adſpexerit, & clamarit: *Eleuans autem oculos ſuos, cum eſſet in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in ſinu eius.* Inquires, ſi Lazarum modò videt à longè, quomodò anteà adeò proximum non ſpectarat? etſi non vidit ad ianuam iacentem, quomodo intuetur adeò diſtantem? Quia modò, reſpondet Chryſolog. etſi vanis ſpebus, ſibi promiſit aliquod à Lazaro obtinere poſſe refrigerium; aſt cùm iacebat ad ianuam, opus erat aliquod exhibere ſubſidium. Ergo idem non erat oculus, quia diuerſus erat affectus. Accipe Chryſologum mirè expendentem ſerm. 124. *Reſpicit ibi ſurſum, quem deſpexerat hic deorſum, & videt eum de inferno in ſinu* Chryſol. *Abrahæ, quem iacentem ſe coram ſuperbo de ſigmate non videbat.* Idem erat Lazarus; ſed ſtatus erat diuerſus: dum opus erat aliquid impertiri, coram poſitum ignorabat, dum quid ſperat, diſſitiſſimum à ſe vidit. Itaque coram ſe poſitum non vidit præſtiturus; & à ſe diſtantiſſimum quid ablaturus adſpexit: vt noueris quàm ſit certum de neceſſitatis tenebris indigentes non videri, cùm de cupiditatis venatico aſpectu, ſiquid poſſit auferri, nulla caligo valeat oculos impedire.

Ob hoc fortaſſe Agar, etſi terga ſolùm viderit, 216. Deum ſecum fuiſſe allocutum agnouit: fugam inierat, ſolitudine exerrarat; cúmque ad fontem aquæ deueniſſet, mœſtam ſolatur Angelus, reuerti conſulit, & vt Abulenſi placet, filio intra viſcera fugæ fatigatione iam demortuo vitam reſtituit. Ergo Agar exertis verbis Deum confeſſa eſt: *Tu* Geneſ.16. *Deus, qui vidiſti me*: quaſi humanæ naturæ termi- v.13. nos fuerit ſupergreſſus, dum ſolitudine exerrantem vidit, & indigenti ſubuenit. Filias Iethro iuxta puteum viderant paſtores, dum adaquare cupiebant greges; ſed vt auferrent aquam, non vt releuarent miſeriam: *Superuenere paſtores, & eiece-* Exod.2. *runt eas.* At qui Agar vidit, eius eſt mœſtitiam ſo- v.17. latus. Ergo Agar Deum eſſe agnouit, vt quæ experientia nouerat, homines ſolùm videre, dum quid poſſunt ab habente tollere, non cùm opus eſt, quid indigenti præſtare. Ergo repetat: *Tu Deus, qui vidiſti me*: nam ſi ſolùm eſſet homo, aut non videret, aut non vidiſſe affectaret: *Rectè nomen eius ita vo-* Gloſſa. *cauit*, inquit gloſſa: *quia gratuitò, conſulit miſeris, & humiles conſolatur.* Gratuitò ſubuenire miſeris, afflictos ſolari, egentes ad impendendam miſericordiam videre, tam ab homine alienum, quàm Deo eſt proprium. Ergo opus non fuit Agar faciem adſpicere, vt Deum deprædicaret, quia ipſa actio non poterat non oſtendere: *Tu es Deus, qui vidiſti me. Rectè nomen eius ita vocauit: quia gratuitò conſulit miſeris.* Nil miſera ab ancilla expectare poterat, & tamen ſubueniebat: ergo etſi faciem tegeret ſe ſubueniendo gratuitò manifeſtauit, cùm homines ſpe ſublata & cæcutiant, & torpeant.

Cùm Pſalmiſta Deo teſtetur pauperem dere- 217. lictum: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris* Pſal.9. *adiutor*, ſtatim quaſi è memoria exciderit, homines v. 14. adſerit reſpicere & diligentiſſimè pauperem: *Oculi eius*, inquit, *in pauperem reſpiciunt.* Si ergo ſolus Deus pauperem videt, quomodo humani oculi reſpexerunt: *In pauperem reſpiciunt.* Et ſi humanus pauperẽ reſpexit oculus, quomodò ſolus Numinis attendit aſpectus? Lege ambo te, totũ hemiſtichiũ, & diſcrimen facilè inuenies: *Oculi eius*, inquit, *in pauperem reſpiciunt, inſidiatur in abſcondito, quaſi leo in ſpelunca ſua.* Ac ſi dicat Dauid: ſi pauper quid habeat quod poſſit auferri, tunc humanus aſpectus, vt prædam egerit, intuetur; at vbi miſeria premitur, ſoli tũc Deo ſubleuãdus relinquitur: *Tibi derelictus eſt pauper, orphano tu eris adiutor.* Dum adiutorio indiget,

indiget, Deum ſolum patronum habet: ſi verò
aliquas à patre orphanus diuitias accepit, iam aua-
ritiæ oculus in illum reſpicit, & leoninis vnguibus
Euthym. rapit. *Irruit* (verba ſunt Euthymij hic) *vt prædam
rapiat, vt ad latebras trahat: nec enim inſidiatur,
vt feram aliquam pernicioſam capiat, ſed vt pau-
perem.* Adnectit ad illa verba: *Tibi derelictus eſt
pauper*, quæ ſequuntur: *Omnes à paupere auerſi
ſunt, vnde tuo tantùm auxilio relictus eſt.* Pauper,
ſiquid habeat, quod auferri poſſit, inuaditur: ſi
prorſus egeat, relinquitur: vnde pro fortunæ diſ-
crimine videtur, aut ignoratur. Cupidis oculis il-
lum ſpes manifeſtat; è contra miſeria tenebrarum,
& quidem profundarum ad inſtar inuolutum ſem-
per occultat: Itaque ſoli Deo relinquitur ad ſub-
ſidium, cùm pateat plurimis ad ſpolium.

218. Chriſtus Dominus diſcipulis aſſociatus in cæ-
cum à natiuitate incidit, benignéque adſpexit:
Ioan. 9. v. 1. *Præteriens Ieſus vidit hominem cæcum à natiuitate,
& interrogauerunt eum diſcipuli eius: Rabbi, quis
peccauit, hic aut parentes eius, vt cæcus naſcere-
tur?* Iam ſe ingerit difficultas: ſi ſtipatus plurimis
incedit Chriſtus, vt allata ab illis teſtatur quæſtio,
cur cæcus à ſolo Domino refertur viſus: *Ieſus*, in-
quit, *vidit hominem cæcum*. Profectò & cæteri etiam
viderunt, quando cæcitatis cauſam interrogarunt:
ergo ſi conſtat ab omnibus aſpectum, cur Euan-
geliſta ab omnibus non retulerit viſum? Quia
Chriſtus Dominus aſpexit, vt ſubueniret; ſed diſ-
cipulus protulit dubium, vt obſcuraret. Innuit
Theophyl. Theophylactus: *Dedita operà ad cæcum venit;
non ille ad ipſum: proinde & diſcipuli cùm vidiſ-
ſent eum tam intentè ſpectantem cæcum, interro-
gant: Quis peccauit, hic, aut parentes eius?* Ad
Dominum oculos direxerunt diſcipuli, ad paupe-
rem Dominus: quaſi ſolus Deus, vt ſubueniat,
adſpiciat pauperem: miſeriæ caliginibus obte-
ctum; imò & tenebris calamitatis ſepultum vide-
bat diſcipulorum nullus; ſolus miſerum, vt ocu-
los inderet, vidit Dominus.

§. XLIX.

Aliorum ingloria memoriâ permanent fixa, glorioſa faciliùs obliuione deleta.

219. MEmoria rerum theſaurus: quæ temporis
lapſu videbantur abolita, de eius ſcriniis
producuntur aſſeruata; difficilè eruitur, quod te-
Caſſiodor. nacitate apprehenditur: *Difficilè poteſt erui*, aiebat
Caſſiodorus lib. de anima cap. 1. *quod memoriæ fini-
bus radicatum conſtat infigi.* Memoriæ priuilegio
elapſum tempus reproducitur, & quod notitiæ
ſubtrahebat antiquitas, iterum repræſentat tenaci-
tas; verùm neſcio quo pacto ingloria intimiùs ag-
glutinentur, & glorioſa facilius ſæpè elabantur.
Quod alteri conciliat famam citiſſimè elabitur,
quod ignominiam, impreſſum ſemper tenetur.
Leuites domum repetens, cùm Sol procliuior ad
occaſum vergeret, Gabaa ciuitatem intrauit: *Oc-
cubuit eis Sol iuxta Gabaa*: ibi à Gabaënis gran-
dem recepit iniuriam, nec ſolum patienti; ſed in-
ferentibus indecoram: *Cùm tota nocte abuſi eſſent*
(Leuitæ vxore) *dimiſerunt eam mane.* Hæc eadem
ciuitas vocata eſt aliquando Gabaa Saülis, vt quæ
1. Reg. 11. v. 4. virum cæteris tunc eminentiorem produxerit: *Ve-
nerunt nuntij in Gabaa Saülis.* Hoc tamen nomen
rarò inuenies repetitum, nomen verò Gabaa Be-
niamin ſæpiùs vſurpatum. *Ithai filius Ribai de Ga-* 2. Reg. 23. v. 22.
baath filiorum Beniamin. Et iterum: *Surrexit Sa-* 1. Reg. 13. v. 15.
muel, & aſcendit de Galgalis in Gabaa Beniamin.
Cùm Saül poſt Leuitæ caſum regnarit, & ab ad-
uerſariis populum ſtrenuè defenderit, videbatur
hæc ciuitas potiùs Saülis, quàm Benjamin appel-
landa, quandoquidem infamia antiquior, & glo-
ria recentior, cur ergo Saülis nomen veluti obli-
uioni traditur, & Benjamin vocabulum retinetur?
Quia aliud nomen, reſpondebit Abulenſis q. 6. ad
Iudic. 19. denotat infamiam, & aliud gloriam. Ergo
illuſtre nomen, quantumvis recentius, obliuioni
inuenitur traditum, & infelix Benjamin elogium
frequentiùs, etſi antiquiſſimum, repetitum. Accipe
Abulenſem: *Vocata eſt nunc iſta ciuitas Gabaa* Abulenſ.
*Benjamin ad infamiam: & poſteà vocata eſt Gabaa
Saülis ad honorem, vt patet 2. Regum 21. & iſtud
nomen manſit ei ſemper apud omnes poſteros.* Poſteri
affectabant Gabaa Benjamin appellare, cùm Saülis
potuerint dicere: quia de malignitatis ingenio in-
fixa tenaciùs memoriæ conſeruantur ingloria, cùm
glorioſa facilius, aut ſtudioſiùs videantur elapſa.

Iacob ob arcanam illam luctam, & ob ſine dolo 170. Geneſ. 27. v. 36.
dolum Iacob nomen ſortitus eſt: *Iuſtè vocatum eſt
nomen eius Iacob: ſupplantauit enim me en altera
vice.* Hic ſtrenuus luctator, cum Deo congreditur,
& certaminis præmium fuit benedictio copioſior, Geneſ. 32. v. 28.
nomenque illuſtrius: *Nequaquam*, inquit, *Iacob
appellabitur nomen tuum; ſed Iſraël: quoniam ſi
contra Deum fortis fuiſti, quanto magis contra
homines praualebis?* Nomen Iacob, etſi arcanam,
ad ſpeciem fraudem denotabat, Iſraël nomen in-
uictam animi valentiam, & ſæculis celebrandam
luctam prodebat: ergo cenſeres Iſraëlis ſemper
inſigniendum elogio, Iacobi nomine obliuioni im-
merſo, & detrito; verùm non ita accidit; imò cùm
Iſraël appellatur, & Iacob dicitur, vt quod minus
glorioſum eſt, ſi dici poteſt, alterius nominis glo-
riam aut infuſcauerit, aut minuerit. Audi ad no-
ſtram eruditionem textum: *Ipſe verò claudicabat* Geneſ. 34. v. 6.
*pede, quam ob cauſam non comedunt neruum filij
Iſraël, qui emarcuit in fæmore Iacob.* Ad hæc: *Ele-
uans Iacob oculos ſuos.* Et iterum: *Egreſſo Hemor
patre Sichem, vt loqueretur ad Iacob.* Vides fre-
quentiùs Iacob vocari, quàm Iſraël, cùm Iacob
nomen ſemel impoſitum, & Iſraëlis bis inditum.
Apparuit iterum Deus Iacob, poſtquam reuerſus eſt Geneſ. 35. v. 9.
*de Meſopotamia Syriæ, benedixitque ei dicens:
Non vocaberis vltra Iacob; ſed Iſrael erit nomen
tuum: & appellauit eum Iſraël.* Iacob nomen à
memoria hominum videbatur deterendum, & ad-
huc refloret. *Habitauit*, inquit, *Iacob in terra Cha-
naan.* Profectò cùm nihil myſterio in ſcriptura va-
cet, poſt bis inditum Iſraëlis nomen toties Iacobi
titulum audiri huic edocendæ veritati deſeruit: ſe-
mel inditum nomen, ſi aliqualem ignominiam
concernat, immortale conſeruabitur, cùm inditum
ſemel & iterum videatur memoriâ elabi ſi glorio-
ſum: *Iſraël*, inquit Hugo ad Geneſ. 32. *principem* Hugo.
*ſonat: quaſi non vocabitur nomen tuum ſupplanta-
tor, id eſt, Iacob, ſed Princeps cum Deo, id eſt, Iſraël.*
Nomen gloriam publicans non ſine myſterio tace-
tur, fraudem ad ſpeciem denotans ſæpiùs inſcribi-
tur. Conſonat Abulenſis q. 4. ad Geneſ. 35. *Quæri-*
tur, quomodo dicitur hic: Et non vocaberis vltrà Abulenſ.
*Iacob; ſed Iſraël: quia ſæpè reperitur infrà in iſto
libro, & in omnibus aliis libris Sacræ Scripturæ eum
vocatum fuiſſe Iacob? Reſpondetur quòd non fuit
poſteà vocatus Iacob tanquam nomine principali; ſed
nomine ſecundario.* Nomen Iacob erat ſecũdarium.

Iſraël præcipuum; ſed obliuioni quodammodò præcipuo tradito ſecundarium memoriâ viguit, & per omnium ora ſonuit.

221. Iterum hanc veritatem ipſe Iacob, Iſaácque teſtantur: in lucta accepto vulnere Iacob claudicat: Geneſ. 32. v. 32. *Ipſe verò claudicabat pede.* Quàm citò pedem ſanitati reſtitutum tradit Abulenſis ad hunc locum: Abulenſ. *Poſt fuit ſanatus, licèt Scriptura de hoc non faciat expreſſam mentionem: & hoc fuit ſatis citò poſt ortum Solis: quia quando venit Iacob ad Eſaü in eadem die, non erat claudus; ſed rectiſſimè ambulans.* Audis ab Abulenſi exiguo tempore claudicaſſe: audi modò ab Scriptura Iſaac oculos non Geneſ. 27. v. 1. prorſus cæcos, ſed caligantes: *Senuit autem Iſaac, & caligauerunt oculi eius.* Horum alter etiam poſt multa ſæcula abſolutè claudus vocatur, & alter cæcus habetur: Nam cùm Dauid Ieruſalem à Iebuſæis tunc occupatam oppugnaret, audiuit: 2. Reg. 5. v. 6. *Non ingredieris huc, niſi abſtuleris cæcos, & claudos.* Hîc per cæcos claudóſque intelligi Iſaac & Iacob, quorum imagines conſeruabant, tradit ex Rabbi Salomone Lyra: Lyra. *Rabbi Sa. dicit, quòd iſti cæci & claudi erant duæ imagines, quarum vna repræſentabat Iſaac, qui in fine fuit cæcus, vt habetur Geneſ. 27. & alia Iacob, qui claudicabat ex lucta cum Angelo, vt habetur Geneſ. 32.* Vnus erat cæcus, & vnus claudus; ſed ingeminantur, & iam pro multis habentur. Non inquiunt cæcum & claudum; ſed cæcos, & claudos. Ad hæc: imago Iſaac non illum repræſentabat iuuentute floridâ ſub patris gladio lubenti animo collum præbentem, non longo tempore oculis vſum; ſed ſenectute, & exiguo tempore oculis captum: nec Iacob referebat imago vincentem, ſed claudicantem, & quamvis exiguo adeò tempore rectos non explicauerit greſſus, poſt tot ſæcula & ſimulacro exprimitur, & memoriâ profertur claudus: adeò tenaciter inhærent minùs illuſtria, cùm citiſſimè glorioſa elabantur. Si quid aduerſum alicui familiæ contigit, apud omnes memoriâ retinetur nec elabi vllo temporum tractu permittitur; quæ ad famam, quæ ad gloriam ſpectant, tempus citò ſepelit, aut è memoria liuor detrudit.

222. Video Dauid neruos prænſantem, & citharæ melodiâ Dæmonem abigentem, ab ipſo Saüle, 1. Reg. 17. v. 55. & 55. Abneróque prorſus neſciri: *Eo tempore, quo viderat Saül Dauid egredientem contrà Philiſthæum, ait ad Abner principem malitiæ: De qua ſtirpe deſcendit hic adoleſcens?* Non nouerat iam imputati ſpiritus depulſorem, recordatus non eſt cantu abegiſſe Dæmonem, vt confideret; ſed oppoſuit imperitiam, vt deterreret: *Non vales reſiſtere Philiſthæo iſti, nec pugnare aduerſus eum, quia puer es.* In gloria ſe ſe oculis ingerebant, è memoria glorioſa exciderant. Tranſi ad caput 25. huius libri: vbi cùm vrgente neceſſitate in modum ſupplicis omni vrbanitate comitatéque præmiſſa aliquid in penuriæ ſubſidium à ruſtico, agreſtique Nabal per nuntios peteret, non ſolùm perita denegauit; ſed proauorum ignobilitatem obiecit: *Quis eſt Dauid, & quis eſt filius Iſraël?* Dauid genus duxerat à Ruth Moabitide, abegerat Dæmonem, proſtrauerat gigantem, ſubegerat Philiſthæos, Nabal tamen ſolùm agnoſcebat Iſai filium quia hoc ad ſpeciem inglorium. Ita Lyra: Lyra. *Quaſi dicat: Nullius valoris: quia deſcendit de alienigena muliere, ſcilicet de Ruth Moabitide.* Adhuc vigebat Ruth in Nabalis notitia, adhuc ignobilitas contrà temporum lapſus memoriæ aſſeruabatur ſcriniis; cùm tamen Saül eius non recordaretur victoriæ, quantumvis recens eſſet, & florens. Redeat iterum Lyra: *Poteſt dici quòd Saül ex Dæmonis afflictione habebat memoriam, & phantaſiam perturbatam & impeditam à cognitione.* O quàm de vaferrima Dæmonis calliditate promanabat celebrandi facinoris memoriam extingui, & antiquæ ignobilitatis retineri! fixum erat aduerſus temporum lapſus inglorium quàm citò è memoriâ quidquid glorioſum, abraſum. Vt noſtræ theſis veritas clariſſimè luceat, videlicet ſi quæ obſcura, fixa memoriâ aſſeruari; ſi quæ verò laudanda obliuione citiſſimè ſepeliri.

§. L.

Non eſt muneris labor excuſandus, etſi laboris fructus non expectetur metendus.

SAtis non eſt vt tuo muneri & obligationi deficias, ingratos non reſpondere, & ſalutem im- 223.
prudenter reſpuere. Ob id Apoſtolus Timotheum admonebat: 2. Ad Timot. 4. v. 3. *Erit tempus, cùm ſanam doctrinam non ſuſtinebunt; ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi magiſtros prurientes auribus, & à veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac Euangeliſtæ, miniſterium tuum imple.* Non ignorabat Apoſtolus Timotheum ſurdis auribus canere, quandoquidem doctrinam repellendam prædixerat; verùm licèt auditores affectata ſurditate deprauatum ſequerentur affectum, adimplendum docuit officium: *Opus fac Euangeliſtæ miniſterium tuum imple.* Ac ſi dicat Apoſtolus: Tu, vt qui Euangeliſtæ munus obis, teneris muneri ſatisfacere: illi veritatem patulis auribus deberent audire; at affectatè obſurdeſcunt; ſatis tamen non eſt illorum ſurditas, vt à prædicatione abſtinueris; imò attendere debes ſolerti vigilantia, & indefeſsâ ſolertiâ. Audi Anſelmum ad hunc locum: Anſelm. *A veritate quidem auertent auditum, id eſt, fugient audire ſermonem veritatis, quæ illis erat aſpera, quia non mulcebit eos in nequitiis ſuis.* Adnectit: *Sed tu vigila prudenter attendendo veritatem, & repellendo omnem errorem.* Euangeliſtæ munus ſuadet enuntiare veritatem, & expungere errorem: ergo quantumvis te ſubſannarit auditor iniquitate obcæcatus, & prauitatibus ſurdus, munus imple, & vitiis bellum inferre proſequere. Hanc regulam ſecutus videtur ſenex canitie venerandus, & virtutibus iuueneſcentibus floridus: hoſpitio benignè receptis Leuita & vxore eius Gabaëni iuuenes obſtinato adeò animo libidinis cauſam agebant, vt ſenis domum circumuallarent, & inuerecundis clamoribus animi inſaniam protulerint. Quid tunc? Senex domum egreditur, furentes corripere tentat, & reducere ad ſaniorem mentem ſolicitat: *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: Nolite fratres, nolite facere malum hoc: quia ingreſſus eſt homo hoſpitium meum, & ceſſate ab hac ſtultitia.* Subiicit textus: *Nolebant acquieſcere ſermonibus illius.* In caſſum laborabat, laborabat tamen, vt quæ ſui erant muneris, adimpleret, & hoſpitio exceptos pro viribus defenſaret. Ita Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. Ioſeph. *Volens quantum in ſe erat, tutos ab iniuriâ præſtare, quos exceperat.* Suarum partium erat, quos in ſui tutelam receperat, protegere, & ab omni iniuriâ illæſos ſeruare; ergo partes

tes ſuas pro viribus egit, etſi in caſſum ceſſerit labor, ſuo nos exemplo edocens nil muneri obligationique ſubtrahendum, etſi ſucceſſus non reſpondeat, & ſpes marceat. Qui comitia celebrant, aliiſque concurrunt, ſententiam ſuam ſolent demutare, aut ſilentio tegere eo prætextu quod nullum ſequendum fuerit emolumentum, quando reliqui adnituntur in contrarium; oportet tamen aures Apoſtolo commodare dicenti: *A veritate auditum auertent, ad fabulas autem conuertentur.. .Tu verò miniſterium tuum imple, opus fac Euangeliſtæ.*

224. Ieremias Dei verbum diſſeminabat, & peccantes rationibus efficaciſſimis arguebat. Quid illi? *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine Domini, non audiemus ex te.* Cenſeres Ieremiam à corripiendis vitiis ceſſaturum, & ora ſilentio ſigillaturum; ille verò honeſta pertinacia inſtitit, & quæ ſui erant muneris, adimpleuit: *Dixit Ieremias ad omnem populum aduerſus viros, & aduerſus mulieres, & aduerſum vniuerſam plebem, qui reſponderant ei verbum, dicens: Numquid non ſacrificium, quod ſacrificaſtis in ciuitatibus Iuda, & in plateis Ieruſalem vos & patres veſtri, reges veſtri, & principes veſtri, & populus terræ: horum recordatus eſt Dominus, & aſcendit ſuper cor eius?* Si nihil ab eius ore gratis auribus ſe excepturos teſtantur; imò refragaturos profitentur, quid Ieremias iterum ſermonem inculcat, & obturatis auribus prædicat? Quia veritatem edocere, ſupplicia prædicere, comminationibus refrænare erat prophetici muneris: ergo inſtitit, & quantum in ſe fuit ſatisfacere muneri procurauit: *Super hoc mulieres reprehendit*, inquit Hugo Cardinalis: *Quæ quia dicebant, quod non ſine viris hoc faciebant: ideò & viros ſuper hoc arguit.* Viros arguit, muliebrem ſtultitiam confundit, & quamuis nullus ab illis fructus demetendus, pro fructu fuit prophetæ ſuo muneri ſatisfacere, & numinis cauſam tueri.

Ierem. 44. v. 16.

Hugo.

225. Moyſes Pharaonis Deus conſtitutus legationem nitebatur extrahere, opponebat nullum ſequendum emolumentum, Deique monita non ſolùm repellenda ab Ægyptiis cupiditatum tenebris prorſus obcæcatis; ſed etiam ab Hebræis de ſocietatis contagio infectis, & quodammodò ſurdis: *Reſpondens Moyſes ait: Non credent mihi, neque audient vocem meam; ſed dicent: Non apparuit tibi Dominus.* Quid tunc Dominus? *Perge & ego ero in ore tuo.* Moyſes à Deo delegatus debebat pro veritate pugnare, contribules admonere, tyranno reſiſtere: ergo pergat, & virtutis cauſam ſuſcipiat: nec enim aliena ſurditas, & vafrities ei vertetur culpæ; ſi verò verba manumque ſubtraxerit, polluetur crimine: ergo ſibi conſulat, & numini inſeruiat: *Vox ferebatur* (inquit Baſilius Seleucienſis orat. 9.) *Quæ Moyſem contra Ægyptios armabat imperatoria pro populo data teſſera, quibus Moyſes rebus incitatus populum depoſcebat exolui.* Indurabatur Pharao, & quo plus Moyſes adlaborabat, plus nequitia obdurata reſiſtebat: quia tamen à Domino didicerat ab effectu non pendere, virgam prehendit, & populum depoſcebat exolui.

Seleucienſ.

Baſil.

226. Fallar, ni hanc doctrinam tradiderit Chriſtus Dominus apud Matthæum parabolam agricolæ ſeminantis inducens: *Ecce exijt qui ſeminat, ſeminare*, inquit, *& dum ſeminat, quædam ceciderunt ſecus viam, & venerunt volucres cæli, & comederunt ea: alia autem ceciderunt in petroſa, vbi non habebant terram multam, & continuò exorta ſunt, quia non habebant altitudinem terræ; ſole autem orto æſtuauerunt, & quia non habebant radicem, aruerunt: alia autem ceciderunt in ſpinas, & creuerunt ſpinæ, & ſuffocauerunt ea.* Agricolam hunc Chriſtum Dominum fuiſſe tradit Euthymius: *Qui ſeminabat, erat Chriſtus docens, ſemen verò ſunt ſermo doctrinæ illius: exiuit ergo in ciuitates, & vicos Iudææ ad ipſum ſeminandum in terram intellectualem animarum humanarum, ſiue in mentem illorum.* Mira res, & quæ iure ab Euangeliſta verbo illo *Ecce* denotetur. Si Chriſtus eſt agricola, cur terræ petroſæ, & ſpinis horridis plenæ cæleſtis verbi commiſerit ſemen? cùm ſuæ perſpicaciæ præuaricator non ſit, videatur cui inutili labore conſumi, & ſemen perdere. Si infelicem præſcit euentum, ſi reddendum nullum agnouit fructum, cur ſeminare antelucanus exeat, granaque ſiliginea telluri ingratæ committere? Iam Matthæus tacitè reſpondit: *Exit*; inquit, *qui ſeminat, ſeminare.* Ac ſi dicat: huius agricolæ munus erat telluri grana mandare: ergo impleuit officium, quantumuis prænotauerit granum inter ſpinas ſuffocandum, & in petroſis perdendum. Quæ ſua erant, perfecit, tellus vti ingrata non reſpondit: fœcundum ſemen non committere muneris eſſet offenſa, fructum non metere fuit telluris culpa: ergo nouerint omnes agricolam in nullo defeciſſe, quantumuis ſpinæ ſtrangulauerint granum, & tellus negarit fructum. Si alius eſſet agricola, indulgeret otio, & propriam ignauiam inauraret alienâ culpâ. Ergo Chriſtus Dominus arcanâ ſatione oſtendit non ceſſandum à muneris exercitio, etſi nullum reſpondeat fructum, & nullum laboris emolumentum.

Matth. 13. v. 3.

Euthym.

---

§. LI.

Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſteà indecorè exibilatur.

Voluptas & homine, & viro digna eſt voluptatibus renuntiare, nec ſe fallacibus deliciis credere. Virtus eſt æqualis, prudenter intrepida ſui nunquam patitur tædium, quia ex ipſa naſcitur gaudium; at voluptas & trepida & inæqualis: quiſquis fœdis voluptatibus gaudet, ex futuro pendet: nihil habent deliciæ firmum, quidquid eas ſequitur, inuenitur cæcis difficultatibus implicatum. Nunquam ſeruat fidem; ſed fallit: in locum promiſſi gaudij dolor ſuccedit, & obſequium degenerare ſolet in probrum. Verùm licet hoc omnibus voluptatis ſectatoribus ſit commune, fœminis contingit frequentius: alliciuntur blanditiis, muneribus, promiſſionibus; ſed voluptate iam prætеritâ indecorè abijciuntur; imò probroſiſſimè exibilantur. O ſi plures non ſolùm præſentia attenderent, ſed ſequenda cogitarent! profectò ſera pœnitudine ſe non deplorarent falſas, & ignominiosè relictas. Dum ſtudent homines voluptati, blandè alliciunt, ſed appetitu iam ſedato obſequium non ſemel degenerat in ludibrium. *Non ipſi voluptatem*, aiebat Seneca lib. de vita beata cap. 14. *Sed ipſos voluptas habet, cuius aut inopia torquentur, aut copia ſtrangulantur. Miſeri, ſi deſeruntur ab illa; miſeriores, ſi obruuntur, ſicut deprehenſi in mari Syrtico modò in ſicco relinquuntur, modò torrente vnda fluctuantur;* 227.

Senecā.

tur. Euenit autem nimia intemperantia, & amore cæco rei: nam mala pro bonis petenti periculoſum eſt aſſequi. Vti torrente vnda intumeſcens littora abluit, elapſo verò retrahitur, ſiccaque relinquit, ſic homines, dum æſtuant voluptatis ardore, blandiuntur & adulantur; impetu verò iam deferueſcente videntur ſibi prorſus diſſimiles; imò & alij. Peregrinam Leuitæ vxorem peregrina oris venuſtate pollentem Gabaëni iuuenes deperierunt, & ſtudioſè à mariti latere abducere cogitarunt: vehemens adeò adurgebat inſtantia, vt opus fuerit violentiæ cedere, & fœminam illis tradere: *Eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam.* Miraberis illudendam tradi, quam ſummo ſtudio conſtabat experi: & quomodò illudetur, quæ blanditiis, ac mellitis verbis allicitur? Quia pro diuerſo tempore & allicitur, & exibilatur: dum voluptati ſtudent, fœminam blanditiis allicient; aſt exatiata iam libidine deſpicient, probriſque denigratam contemnent: quod expreſsè comprobauit euentus: *Quæ cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam manè.* Non vrbanè reduxerunt, qui vrbanè adduxerant; ſed dimiſerunt paruipendentes, faſtidioſéque exterminantes. Quod
Montan. ſatis acutè notauit Arias Montanus: *Nec enim, inquit, Sicut omnes rapuerant pariter, & abduxerant, ita omnes rurſus, vel aliqui ſaltem ex illis ad hoſpitij vſque oſtium reduxere; ſed illuſam, & afflictam exibilantes eo tempore miſerunt.* Ignominioſa exibilatione eſt dimiſſa, quæ blanditiis fuerat allata: ſibi ipſis prorſus diſſimiles quam ad deliciarum vſum ſtudioſè ſolicitarunt, voluptate iam tranſacta ignominioſè repulerunt: iam fallax gaudium in verum tranſierat tædium: ergo exibilant modo faſtiditam, quam anteà blanditiis fallere conabantur illectam. O quàm deſpicerent fœminæ cara obſequia, ſi iam auribus futura ſibilorum perciperent probra! ſed quia nulla, dum audit ſe tenerè & impensè dilectam, meminit exibilandam, ſerâ pœnitentiâ dolent probroſum ſibilum, & experiuntur fucatum ſolum obſequium.

228. Ezechiel Dei populum ſub adulteræ ænigmate
Ezech.16. v.38. alloquens ſic ait: *Dabo te in ſanguinem furoris & zeli, & dabo te in manus eorum, & deſtruent lupanar tuum & demolientur proſtibulum tuum, & denudabunt te veſtimentis tuis, & auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam, plenamque ignominiâ.* Quam blande, quâm humanè allexerunt ad voluptatis commercium! Quam durè ſe poſtea cum adultera geſſerunt eius ignominiam pubiicantes, & ornatum, quem dederant, auferentes: *Auferent vaſa decoris tui, & derelinquent te nudam.* Iam alget nuda, quæ anteà reſplendebat ornatu culta, & margaritis ornata: voluptatis aucupium erat obſequium; ſed elapſa iam opportunitate conuertebatur in ſibilum: *Hæc captiuitatis tempore euenerunt*, inquit Theodoretus apud
Theodor. gloſſam, *Quæ per tranſlationem deſumit ab adultera muliere, quæ lapidibus oppreſſa lapidabatur, comburebaturque.* Ipſiſſimi, qui illam blanditiis adulationibuſque ad culpam incitarant, poſteà non ſolùm exibilantes euulgarunt infamiam; ſed & intulerunt pœnam. *Denudabunt te*, inquit, *veſtimentis tuis.* O malum experientiâ ſæpiſſimè comprobatum! Homines dum libidine adurgentur, nihil non offerunt, nihil non promittunt; verùm abſoluto iam crimine fœminis illudunt, & quæ dilargita, coloratis fallaciis auferunt: remanetque miſerabilis fœmina honore ac decore nuda, ignominiaque ſolùm plena.

Aliquando cogitabam apud me Babylonem il- 229.
lam circumdatam purpura, & lapillorum luminibus fulgurantem coccineæ beſtiæ inſediſſe; ſed
diu lamentis, & calamitatibus exundaſſe: *Ego di-* Apocal.17. v.9.
cam tibi Sacramentum mulieris, & beſtiæ quæ portat eam, quæ habet capita ſeptem, & cornua decem. Profectò quæ beſtia multicorni ad ſumptuoſiorem pompam vſa, & multis etiam vulneribus refertur confoſſa: inſidebat aliquando meretrix beſtiæ valido dorſo ad ſpeciem firmæ, & cornibus plurimis ad defenſionem armatæ; ſed Angelus quàm mentitis gaudeat, quàm euanidis refulgeat, ſic declarat: *Decem cornua, quæ vidiſti in beſtia, hi odient fornicariam, & deſolatam facient illam, & nudam, & carnes eius manducabunt, & ipſam igni concremabunt.* Dorſo cornibúſque videbatur ſtabilienda, & ſeruanda; ſed beſtia ipſa, quæ, dum brutali ferebatur appetitu, humerum præualidum ad onera ſubijciebat; ſeque infeliciter patientiſſimam oſtentabat, poſteà voluptatis faſtidio, & grauiſſimi oneris tædio onus excutit, nec ſolùm pedibus elatam dorſo conculcat; ſed cornibus etiam dilacerat: iam pro illecebris ſunt tædia, pro blanditiis probra: eſt enim appetitus inurbaniſſimus, ſi exſatietur. Miſera illa mulier, dum ſuperba equitabat, felicitati fugaciſſimæ obcæcata, & deluſa credebat: gloriabatur de purpuræ ſplendore, de margaritarum pretio, de exhibito ab amaſiis inani plauſu; verùm ornatus deſiuit in nuditatem, plauſus in ſibilum, gaudium
in tormentum: *Fornicariam ſuam odiſſe dicuntur,* Rupert.
inquit Rupertus lib. 10. in Apocal. *cum qua ipſi fornicantur. Ipſi námque & non alij ſunt reges, de quibus ſuprà, cum dixiſſet: Veni oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas; addidit: Cum qua fornicati ſunt reges terræ.* Cum qua iam fornicati ſunt ignominioſè proijciunt, & probroſè contemnunt. Addit Rupertus: *Ipſi ergo, qui cum illa fornicantur, illam odiſſe, & deſolatam nudámque facere, & carnem eius manducare, & ipſam igni concremare dicuntur. Mirum hoc; attamen verum eſt.* Mirum videtur eos ipſos, qui tenero amore videbantur flagrare, qui varijs multiplicibuſque adulationibus conabantur allicere, ſic teneros cum duriſſimis odiis commutaſſe affectus, vt iam & probroſè abiecerint, & abiectam dehoneſtauerint. O quàm non crederent fœminæ viris, ſi cogitarent, qualiter ſe geſturi ſint voluptate iam fruiti, & deſiderio potiti! Verùm blanditiis delinitæ, & promiſſionibus credulæ ſe ſubijciunt, & vt ſe ſubijciant, ſe fallunt. Quis dubitet Amnonem ſpecioſiſſimam ſororem ſuam blandimentis ac mellitis verbis allexiſſe; & tamen breuiſſimo temporis interuallo hic ipſe, qui eam ardenter adeò deperibat, vt iam mortis anguſtias intraret; vbi inſanum deſiderium
expleuit, tædio abiecit, & nauſea faſtidiuit: *Vo-* 2. Reg.13. v.17.
cato puero, qui miniſtrabat ei, dixit: Eijce hanc à me foras, & claude oſtium poſt eam. Non ait: eijce ſororem, Thamar eijce; ſed hanc, proſtitutione ſordidam, & ſordibus faſtiditam. Audis repellentis verba: verba audi inuitantis: *Veniat, obſecro, Thamar ſoror mea, vt faciat in oculis meis duas ſorbitiunculas, & cibum capiam de manu eius.* Quæ venit Thamar, quæ obſecrationibus allecta eſt ſoror, iam ſine nomine reijcitur: *Eijce hanc à me*: & ne iterum redeat, oſtium clauditur: *Claude oſtium poſt eam.* Vti meretricem deſpexit, & ſatiato appetitu in locum amoris ſucceſſit tædium; imo & odium: *Magnum eſt hoc malum,*

inquit

inquit Lyra nomine Thamar, *ſcilicet me expellendo confuſibiliter ſicut meretricem.* Quàm vera tragœdia, & quàm vſu comprobata. [Lyra.]

---

§. LII.

Fœminam, ni domus penetralibus lateat, aut adurgebunt pericula, aut dehoneſtabit non bona nota.

230. VEnuſtas tener flos eſt, viſus faſcino elanguet, ipſa aurâ perit: fœmina, dum in domus penetralibus deliteſcit, fructum profert honeſtatis dulciſſimum, mariti inuenitur adiutorium, & familiæ ſubſidium, aſſerente propheta: *Uxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ.* [Pſal. 127. v. 3.] Non extrà; ſed in lateribus domus vitis eſt honoris, & honeſtatis: domus clauſtrum pro fertili fundo eſt: *In quibus fertilis eſt?* rogat incognitus ad hunc locum. [Incognit.] Et reſpondet: *In lateribus, vel parietibus domus tuæ.* Ibi fructum non decerpunt viatores, ibi audax oculus non inſidiatur, ibi palmes inuenuſtè non præciditur: *Ornamentum eſt*, inquit Crates Philoſophus apud Plutarchum in præceptis connubialibus, [Crates.] *quod ornat; ornat autem, quod mulierem ornatiorem reddit: id efficit non aurum, non Smaragdus, non coccus; ſed quæ grauitatis, modeſtiæ verecundiæ imaginem exhibent.* Grauitas, modeſtiáque præcipuum fœminarum ornamentum eſt; hanc tamen grauitatem & modeſtiam domus ſæpta cuſtodiunt illæſam: fora & compita inſidiæ ſunt. *Fœminis Ægyptiis*; inquit Plutarchus iam datus, *quo domi ſe continerent, non erat vti calceamentis moris.* [Plutarch.] Adnectit: *Pleriſque mulieribus, ſi calceos detraxeris curatos, armillas, periſcelidas, purpuram, & vniones, domi manebunt.* [Ornatus fœminæ caſtitatis hoſtis eſt.] *Theano obiter nudauit manum cùm circumiiceret ſtolam: ibi cùm diceret quidam: O brachium pulchrum! verùm non publicum, inquit: at qui decet non brachium modò; ſed ne ſermonem quidem publicum eſſe fœminæ caſtæ; imò vocem vt corporis detectionem vereri eam; & cauere apud extraneos.* Fœmina veluti elinguis eſſe debet ſermonis parciſſima, oculorum inſidiis ſubtracta, & domi quantum fas fuerit, incluſa. Dices te publicum tunc ſolùm adire, cum marito aut fratribus egredieris ſtipata, & decoro ſatellitio defenſa. Fateor; verùm cum intuentium oculus libidine ſufflammatus ardorem inſpiret, cùm procaciæ auſus violentiam inferre tentet, etſi deſit ex parte fœminæ culpa, non deerit illi & familiæ ſæpè miſeria. Ecce vxor Leuitæ marito aſſociata ad proprios lares tendebat; verùm cùm in Gabaa opus eſſet quieſcere, & pernoctare, à libidinoſis, ſalaciſſimiſque hominibus viſa violentiam paſſa eſt, ingentiſque calamitatis & ſuis & Gabaënis occaſio fuit: *Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane.* Extra domum periit, & licèt ſtipata marito incederet, dum audaces non fugit oculos, honoris fecit iacturam, & luctuoſam attulit cunctis tragœdiam: *Gabaëni quidam iuuenes, qui mulierculam in foro viderant* (inquit Ioſephus 5. antiq. cap. 2.) [Ioſeph.] *mirati eius formam, poſtquàm ad ſeuem illum diuertiſſe cognouerunt, contempta imbecillitate & ſolitudine venerunt ad ianuam.* Aſſociata marito erat in foro; ſed dum in foro libidinoſis iuuenum oculis conſpecta, paſſa eſt rapinam, & honoris tulit iniuriam. Verecunda ſtudebat modeſtiæ; ſed dum publicatas venuſtatem venaticis oculis oſtendit, cupiditatem inflammat, & iuuenilis audacia iniuriam infert, & vitam aufert.

Antiqui, quò fœminas domus abditis abſcondendas edocerent, & longo tempore exiguum ſatis ſpatium excurſuras, teſtudini inſidentes finxerunt: nam vt teſtudo lentiſſimè graditur, imò non tam explicat gradum, quàm ſignat, ita pudica mulier non multa ſpatia debet excurrere; ſed gradibus teſtitudineis intra domum etiam incedere: *Eliorum Phidias*, inquit datus Plutarchus; *Venerem teſtudini inſiſtentem finxit, domi manendum ſignificans, & ſilendum fœminis: debet enim loqui vel ad virum, vel per virum.* Teſtudo vagationis ignara anguſtum ſpatium longiſſimo tempore metitur: ergo mulier etiam prolixis menſibus debet exigua metiri interualla, quo oculorum fugiat pericula. Adde teſtudinem armatam incedere, quo inſidens fœmina nouerit ſibi eſſe pro armis non obambulare; ſed gradum figere. 231. [Plutarch.]

Pia fœmina ad Eliſæi pedes deuoluta cordis explicuit anguſtias, & copioſas à creditore diuexata effudit lachrymas: *Ecce creditor venit, vt duos filios meos ad ſeruiendum ſibi.* Galfridus in allegoriis Tilmani in creditore Dæmonem agnoſcit: *Creditor improbus, & crudelis exactor Diabolus erat.* Quid tunc propheta? Domi admonet manere, oſtiúmque claudere: *Ingredere, & claude oſtium tuum, cùm intrinſecus fueris tu & filij tui, & mitte inde omnia vaſa hæc, & cum plena fuerint, tolles.* Intra domum debita ſoluit, quæ extra domum fortè contraxit: non poteſt fœmina ab huiuſmodi debitis liberari, niſi ſtuduerit abſcondi: nil accipit mutuum à Diabolo domi abſconſa, plura quæ pompaticè incedere, & oculos diſcupit intuentium allicere. *Monetur mulier*, addit ibi Galfridus, *ingredi domum, ne foris maneat cum filio ſeniori, & claudere oſtium, ne exteriùs rurſus vagari incipiat.* Humanos oculos fugiens diabolicas eludit calumnias, & doloſas fruſtratur technas: ergo domum repetat, vt eius creditoris lites euadat. A vicinis vaſa petenda monuit propheta: *Pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca*, id eſt, ab Anglis vt interpretatur Tilmanus: conuerſatur námque cum vicinis ſibi ſpiritibus mulier lucem fugiens, & decorem abſcondens: ergo, ne mulier culpabiliter timeat, ne ſeruiliter amet, domum repetat, vbi Angelis aſſociata interiora ſua noſcat, & vafritiem exactoris eludat. Audi Tilmanum: *Duo filij animæ amor, & timor, & væ miſeræ, cuius filios ad ſeruiendum ſibi creditor tulerit, vt ſeruiliter, & culpabiliter timeat, & amet, vt vtráque eius affectio crudeliſſimo ſeruiat creditori: exigua ſiquidem fœneratur, & magna recipit: pro tranſitoria voluptate perpetuos exigens cruciatus.* Subiungit: *Vicinæ mulieres Angelicæ poteſtates, & Sanctorum animæ.* Mulieri domum habitanti Angeli approximant, animæ Sanctorum aſſiſtunt, amor æternis impenditur, timor plangendis culpis dicatur. Vnde contigit, vt quæ domum intrauit exactori nequiſſimo obnoxia, latitans debita ſoluerit, & virtutis crementa inuenerit. Sed expende non ſolùm domum petiiſſe; ſed & occluſiſſe oſtium: inutile námque eſſet oculos 232. [4. Reg. 4. v. 1.] [Galfrid.] [Tilman.]

oculos fugere, ſi alicui pateret aditus, & abſtruſiora audax penetrauerit greſſus. *Claude*, inquit Tilmanus, *vt nec tuorum quiſquam exeat, nec ſe aliquis ingerat externorum.* Ita domus eſt inhabitanda, vt non admittat externos; parum enim iuuabit fœminam latere, ſi neſciat claudere.

233. Quidquid Iobi erat, rabies diabolica deuaſtauit, mulierem autem reliquiſſe exiſtimo, non ad ſolatium; ſed ad anxietatis crementum:
Iob. 2. v. 9. *Dixit illi vxor ſua: Adhuc tu permanes in ſimplicitate tua: benedic Deo, & morere.* In greges armauit hoſtes, in ſeruos, & oues flammas, in filios procellas, contrà vxorem tamen nil armat; imò in Iob vertit mulierem: nam cùm opus eſſet vxorem circuire ciuitatem, ire redireque, vt in ſterquilinio ſedenti neceſſaria quæreret, & quæſita miniſtraret, vaferrimus Dæmon diuagari non vetuit, ſi queat inſidiari vagatione vxoris pudicitiæ, & mariti famæ: conſtitit illa cæleſti auxilio adiuta; nec temerauit pudorem; aſt Dæmon cùm per plateas, & compita curſitare non impedit, quantum fœminis extra domum verſari periculum ſit, oſtendit; ipſáque vxor callidas Dæmonis inſidias apud Origenem lib. 2. ſic explicat: *Non tantùm Ægyptios illæ plurimæ excitauerunt plagæ, ſicut te multiplex ſuſcitat putredo, poſt quæ vniuerſa, & ego, inquit, vt vaga, & habitu ancillæ obambulans de loco in locum, & de domo in domum operis cauſa.* Adnectit Origenes: *O malignitas aduer-*
Origen. *ſarij! ô calliditas Diaboli!* Vagam & ſine domo, reliquit, vt virum diriùs torqueret, & vxorem virtutibus denudaret. Eluſus eſt Dæmonis aſtus de cæleſti auxilio; ſed nobis magnum aſtus attulit documentum.

234. Quæ columbinam expreſſit puritatem ſponſa, quæ nec leui veſtigium macula defœdauit,
Cantic. 2. v. 14. ipſo teſtante ſponſo: *Columba mea in foraminibus petræ in cauerna maceriæ*: Dum adit publicum, iam luget amiculo diſpoliata & acceptis
Cantic. 5. v. 7. plagis infirma: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me.* Non egreſſa eſt, vt vagum oblectaret aſpectum; ſed vt dilectum quæritaret ſponſum & tamen quæ in petræ foraminibus inſidiantis accipitris aſtum eluſerat, in publico ab audacibus ſuſtinuit plagam, & à vagantibus tulit iniuriam. Opportunè Caſſiodorus apud N. Del-
Caſſiod. rium in littera: *In his foraminibus moratur Eccleſia, quia totam ſpem ſalutis ſuæ in paſſione ſui Redemptoris conſtituit: ibi ab inſidiis malignorum ſpirituum, quaſi à raptu accipitris ſecura deliteſcit: ibi nidificat, id eſt, fœtum bonorum operum congerit.* In petræ foraminibus oculos fugiens multiplici virtutum fœtu diteſcit; ſi egrediatur foras, plumis diſpoliata luget, & acceptis plagis languet.

§. LIII.

In grauiſſimas difficultates ſolet incidere, qui leues patientiæ occaſiones detrectauerit ſuſtinere.

235. QVis credat patientiâ patientiam anteuerti, & patiendi occaſiones eludi? O quoties, dum fugimus parua, nobis procuramus acerba, eo tamen exoculatæ impatientiæ furore corripimur, vt à patientia fugientes in grauiorem patientiam incidamus: patientiam voco occaſionem ſuſtinendi, & laborem aliquem tolerandi. Itaque grauiori incommodo incommodum leuius redimimus, & patimur, ne patiamur: *Patientia vobis*, aiebat Paulus, *neceſſa-* Ad Heb. 10
ria eſt. Non ſolùm neceſſariam exiſtimes ad au- v. 36.
gendum virtutis cenſum; ſed ad vitandum etiam ipſius vitæ temporalis incommodum. *Ego*, aiebat Tertullianus lib. de patient. cap. 1. *ſemper æger caloribus impatientiæ, quam non obti-* Tertull.
neo patientiæ ſanitatem, & ſuſpirem, & inuocem, & perorem neceſſe eſt. Impatientiæ adſcripſit ægritudinem, ſanitatem patientiæ: & quidem iure, quia non ſolùm tolerantia prodeſt virtuti; ſed ſanitati: impatientiæ calor ægritudines creat, dum humores interturbat: patientia, dum diſſerenat animum, ſanitatis affert & commodum. Negotiatio eſt quid aſperum ſuſtinere, vt duriora vitaueris: ſibi inuidet, qui, ne ſuſtineat doloris punctiunculam, altiſſimam imprudenter aſciuit plagam. Ecce Leuitæ vxor leuibus, & quidem ab amore ortis diſſidiis exaſperata Sponſi domum reliquit, & ad paternam domum ſe contulit: *Secutus eſt illam vir ſuus*, inquit textus: *volens reconciliari ei, atque blandiri, & ſecum reducere.* Non parum amabat, qui derelictus quærebat; cúmque ſaluo amore aliæ inter virum, & vxorem querelæ parui momenti ſint, fœmina de impatientiæ conſilio videtur effugiſſe, & maritum exaſperaſſe; ille verò maturiori iudicio illam allexit, & miſſis iam querelis domum repetere perſuaſit; aſt cùm Gabaëni peregrinæ venuſtatem demirarentur, eam rapuerunt, & abuſi diuexarunt: *Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam manè.* Quæ blandum ſuſtinere renuit diſſidium; modò non ſine contumelioſa confuſione cogitur pati grauiſſimum probrum, vt vel tardè ſentiat, quàm ſit amarum maritum reliquiſſe, & leuis patientiæ labores prudenter non toleraſſe. Audi Ariam Montanum: *Nihil ægrius, miſe-* Montan.
rúmque magis depingi poſſit, quàm mulieris illius animus tot modis afflicta tanta contumelia per totam noctem vexata, quàm relictæ ſemel domini ſui domus & perpetuò meminiſſe, & pœnituiſſe oportet cogitantem ſuo ipſi merito malum illud allatum, quo carere poterat, niſi leui acerbitate commota domum ac dominum reliquiſſet anteà. Tardè reuoluit animo, quantò apud maritum fruebatur honore, quàm impensè amata, quàm ab omnibus fuerit vt Leuitæ vxor veneratione ſuſpecta, quæ omnia non ſolùm fuga illa turbauit; ſed contumeliam, nuditatem, & exhibilationem aſciuit. Expende illud: *Quo carere poterat, niſi leui acerbitate commota domum ac dominum reliquiſſet anteà.* Si oculos ad vlteriora plures extendiſſent, faciliùs labores aliquos toleraſſent, verùm dum impatienter ſuſtinere detrectauerunt exigua, grauiſſima ſibi adinuenerunt tormenta.

Sub ſponſæ ænigmate populum allocutus 236.
Dominus ſic arguit per Ieremiam: *Arguet te* Ierem. 2.
malitia tua, & auerſio tua increpabit te: ſcito & v. 19.
vide quia malum & amarum eſt reliquiſſe te Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. A ſæculo confregiſti iugum meum, rupiſti vincula mea, & dixiſti: Non ſeruiam. Quæ ſponſa honorabili iugo ſubiacebat, dum amatiſſimam reputat ſeruitutem

Digitized by Google

rutem rationabilibus præceptis conſtringi; & ſalubertimis monitis detineri, vincula rupit cæca impatientia; ſed quia rupit durioribus, ignominioſiſque vinculis ingemuit conſtricta, & tormentis grauiſſimis diuexata. Audi ipſum Dominum: *Quomodò confunditur fur, quando deprehenditur, ſic confuſi ſunt domus Iſraël.* Fur inutili iam confuſione erubeſcit deprehenſus, & ferreis ingemit vinculis illigatus, ac teterrimo carcere incluſus. Ergo quæ rupit ſericas vinculi matrimonialis vittas, ferreas coacta eſt ſuſtinere catenas. Ecce includitur anguſtiſſimo loco, & confunditur ignominioſiſſimo ſibilo: ſi ſuſtinuiſſet patienter leuia, vitaſſet ſine dubio grauiora. Plures ſunt, qui patientia ſæuum redemiſſent dolorem, & impatientiâ ſibi aſciuerunt intolerandam calamitatem: *A ſæculo confregiſti iugum. Quaſi ad meretricem loquitur,*
Interlin. inquit Interlinearis, *Rupiſti vincula mea coniugii, & dixiſti: Non ſeruiam Domino, vel marito.* Detrectauerat vtile marito exhibere obſequium; ſed dum recedit, ferreum ſuſtinere cogitur vinculum, & ignominioſiſſimum probrum: quæ anteà ab omnibus honorata, modò furis ad inſtar erubeſcit comprehenſa, & anguſto termino incluſa. Profectò quod ſub vxoris emblemate adumbratur, plurimis conuenire cognoſcitur. Qui ne careret lautitiis, ad aliena manum extendit, carcere detentus intabuit; & qui ad leue verbum furibundus exarſit, duriſſima verba non ſemel audiuit. Prudens, ne ſuſtineat probroſa, ſurdeſcit ad leuia.

237. Non eſt commodum ab humeris excutere onus, ſi, dum excutitur, recrudeſcens calamitas ingrauatur: cariſſimum otium eſt, quod emitur grandi & ignominioſo tormento. Dum Dei Arca de domo Abinadab deferretur, & omnis ciuitas plauſibus reſonaret, ad aream Nachon deuenit: Oza ibi manum extendit, quia bobus calcitrantibus arca ad ſpeciem mutabat; ſed ibi tulit mortis ſententiam, vbi inclinari putauit arcam. *Iratus eſt indi-*
2. Reg. 6. v. 7. *gnatione Dominus contra Ozam, & percuſſit eum ſuper temeritate, qui mortuus eſt ibi iuxta arcam Dei:* Huius ſupplicij cauſam quærunt interpretes, pluresque conueniunt Ozam tuliſſe mortis ſententiam; quia cùm ſuis humeris debuiſſet arcam ferre, excuſato illo nobili labore boum tergis impoſuit, & cùm ſibi retinuerit dignitatis lucrum, altis humeris laboris impoſuit penſum; ergo dum excuſat laborem, incurrit cædem, & qui patientibus humeris arcam deferens vel ab ipſis regibus reſplenderet honoratus, excuſato laboris cenſu, à Domino occubuit percuſſus: morte redemit patientiam, qui patientia redimeret mortem. *Ipſe David*
Caietan. *poſtea manifeſtauit, Paralipom. 15.* inquit Caietan. *Ex abſentia capitum Sacerdotum Sanctificatorum ad portandum Arcam Domini erratum fuiſſe vehendo arcam ſuper plauſtrum; & ideò iratum eſſe*
Theodor. *Deum.* Conſonat Theodoretus quæſt. 20. *Delicti luit pœnas: nam cùm Deus iuſſiſſet, vt Sacerdotes arcam ſuis ferrent humeris, præter legem eam tulit in plauſtro.* Se toto pretioſiorem habuit humerum, & vt indulgeret ſcapulis, ignominioſæ mortis ſe tradidit duris pœnis: commodum erat humerum aliquantulum prægrauare; grande fuit detrimentum onus excutere.

238. Semei celeriùs ſibi mortem concinnauit impatientia, quàm alia culpa: poſt iactas in Dauidem tot execrationes, poſt contortos lapides adhuc veniam obtinuit; ea tamen conditione, vt ædificatâ in Ieruſalem domo non egrederetur; ſed ibi protractis pro libito terminis quiret expatiari, & curiæ commodis vti: *Ædifica tibi domum in Ieruſalem,* inquit Salomon, *Et habita ibi, & non egre-* 3. Reg. 2. v. 36.
dieris inde huc atque illuc: quacumque autem die egreſſus fueris, & tranſieris torrentem Cedron, ſcito te interficiendum: ſanguis tuus erit ſuper caput tuum. Blanda ſeueritas in curia habitare permiſit maledicum; ſed quando maledici non habitarunt curiam? Sententiam gratanter admiſit: *Bonus ſermo: ſicut locutus eſt Dominus meus rex, ſic faciet ſeruus tuus:* Pacatè degebat; ſed cùm illum ſerui fugerent, impatientiæ indignatione inflammatus, & vindictæ ardore ductus præſcriptos ſibi terminos tranſiliuit, & mortem ſibi maturauit: *Iuſſit rex Banaiæ filio Ioiadæ, qui egreſſus percuſſit eum; & mortuus eſt.* Terminos tranſiluit, ſeruos adduxit; ſed mortem ſibi conſciuit: ni vindictam arderet, ni impendioſâ ſibi cupiditate fugientes ſeruulos inquiſiſſet, vitam ſine dubio protelaſſet; at dum præceptum tranſgreditur, iuſtiſſimè occiditur. Huc voco Tertullianum lib. de patient. cap. 4. *Ne tamen vt ex-* Tertull.
traneum de obſequio videamur intericciſſe, ipſum quoque obſequium de patientia trahitur: nunquam impatiens obſequitur, aut patiens quis obluctatur. Impatiens Semei non obſequitur; ergo dum ardet exercere vindictam, mortis cogitur ſuſtinere ſententiam. Quàm benè Cyprianus de bono patient. *Tolerandum, & perſeuerandum eſt, fratres dile-* Cyprian.
ctiſſimi, vt ad ſpem libertatis & veritatis admiſſi ad veritatem, & libertatem ipſam peruenire poſſimus. Patiendo procuditur libertas, ſuſtinendo elaboratur felicitas: impatientia namque eſt cæcitatis mater, erroris nutrix, calamitatum officina, ægritudinum vena.

Iam à mundi primordiis hanc veritatem infelici 239.
comprobatam experientia quis dubitet: vna arbore, eaque inſipida prohibitus homo patienter non ſuſtinuit; ſed audacem manum extendit: *Tulit de* Geneſ. 3. v. 6.
fructu illius & comedit, deditque viro ſuo, qui comedit. Si ieiunaſſet, exigua oblectatione caruiſſet; manum contra legem extendens copioſam laborum, ærumnarum, & dolorum meſſem acquiſiuit: *Multiplicabo ærumnas tuas, & conceptus tuos, in dolore paries filios.* Grauis dolor exiguæ voluptatis fuit fructus: nec impunè tulit Adamus, vt fœminæ morem gereret, edictis Dominicis, contraire: *Maledicta terra in opere tuo, in laboribus comedes ex ea omnibus diebus vitæ tuæ: ſpinas, & tribulos germinabit tibi.* Vnius pomi eſum geminus; imò multiplex dolor comitatur, ſpinis exulceratur, tribulis refertur. Quanta mala patientia vitaſſet! Quot impatientia calamitates ingeſſit! Iam extortis, qui nuper paradiſi incola, iam pellitus, qui innocentiæ candore ornatus: iam inops, qui nuper ditiſſimus, vt compertum fuerit impatientiam eſſe copioſam infelicitatis venam, & doloris ac gemitus vberrimam copiam. Accipe Tertull. lib. de patientia cap. 5. *Conuenta ſtatim illi mulier, non temerè* Tertull.
dixerim, per colloquium ipſum eius afflata eſt ſpiritu impatientia infecto. Vſque adeò nunquam omnino peccaſſet, ſi diuino præcepto patientiam perſeruaſſet. Aliquali patientiâ opus erat; ſed qua ingentiſſima redimebatur calamitas, & depellebatur aduerſitas; verùm dum Eua impatienter tulit vnico pomo priuari, omnibus interdicta indoluit, & quam vitare exambierat, ſubiectionem etiam adauxit.

§. LIV.

Digitized by Google

§. LIV.

Voluptatis aſſecla à riualibus adurgetur, à vindicibus punitur.

240. Tertull. QVàm ſapiens argumentatrix ſibi videtur ignorantia humana, inquit Septimius lib. de ſpectac. cap. 2. *Praſertim cùm aliquid eiuſmodi de gaudiis, & de fructibus ſaculi metuit amittere.* Pro voluptate varia argumenta concinnat ſibi ſapiens ſtultitia, rapitur oblectamentis phantaſiæ penicillo depictis, & cum omni ex parte effinxerit magna, ſtatuit nullatenus omittenda. Plures denique inueniat, addit Tertullianus, quos magis periculum voluptatis, quàm vitæ auocet à veritatis ſemita: nam mortem etiam ſtultus vt naturæ debitum non extimeſcit; voluptatem etiam ſapiens vt tantam non contemnit, cùm alia non ſit & ſtulto & ſapienti vitæ gratia, niſi voluptas. Mundiali ſapienti ſtultoque omnis vitæ gratia in voluptate collocatur; verùm ipſa ſapientia, qua ſectandam perſuadere nititur voluptatem, eos, quibus ſuadet, priùs excæcat, & in cæciſſimos errores prolapſos probat: nam cùm ab omnibus vitæ, & commoditatis gratiâ fallax inquiratur voluptas, ſæpe ingens eam ſequitur; aut comitatur pœnalitas: nullus ea per otium fruitur, quandoquidem nunquam competitor deeſt, qui vt fruatur voluptate, fruentem vrget, & gaudium in amaritudinem vertit: vt fluminis vnda à ſuperueniente vnda detruditur, & vrgetur, nec facile eſt conſiſtere, quia violenter conſtat impelli, ita qui voluptatibus indulget, diu eis potiri nequit: quia ab aliis eiuſdem farinæ vrgetur & truditur: nec ſolùm fallax voluptas felle inuenitur plena; ſed ſtragibus etiam cincta. Itaque quamuis ſibi ſapiens videatur ſtultitia, dum deliciarum ſibi occaſiones architectatur, hæc ſcientia ſtultiſſima eſt, & quo fortunatior infelicior, quandoquidem à voluptatis ſectatoribus ſectatores excluduntur, & à virtutis vindicibus caſtigantur. Gabaëni iuuenes eò inſanæ cupiditatis ardore furunt, vt Leuitæ vxorem ore ſanè venuſtam rapiant: *Venerunt viri ciuitatis illius. . . Eduxit ad eos concubinam ſuam, & eis tradidit illudendam.* Dum plures ſunt voluptatis aſſeclæ, ſe impediunt, & falſatum deliciarum tempus anguſtant: eorum quilibet vrgebat alium; & vel exigua, breuique voluptate non ſuſtinebat imperturbatè potiri, quia impatienter propria ferebat libidinoſa flamma adurgeri. Et ad hæc ob perpetratum ſcelus procaces tandem attriti, & à pudicitiæ vindicibus morte duriſſimâ caſtigati. Capita populi Gabaa ciuium ſcelere offenſi coacto exercitu Gabaënos omnes occiderunt, & ciuitatem flammis ardentibus condonarunt: *Omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt.* Fer modo ſententiam an videlicet ſit ſequenda voluptas, quæ tot habeat vindices; tot riuales? Profectò arctiſſima morula eorum quiſque oblectatus eſt, & longo tempore ingemuit omnibus diſpoliatus, & anguſtiis impetitus. Vnius noctis ſpatium inter plures diuiſum eſt; bellorum tempus ſatis laborioſum fuit, & prolixum: ergo ſtulti ſe obiecerunt longo ſupplicio, breuiſſimo gaudio. *O homo* aiebat Tilmanus in allegor. ad cap. 1. Habac. *Si inimicus odio eſſet habendus, nemo magis tibi inimicus te ipſo.* Verum dixit: quis enim adeò inimicus homini vt homo ipſe dum cæcè voluptatem ſectatur, de cuius poſſeſſione ab altero citiſſimè eſt expungendus, & per otium ab æquitatis vindicibus caſtigandus. Opportunè Seneca lib. 1. de Benef. cap. 2. *Voluptas fragilis eſt, & breuis, faſtidit obiecta, quò auidiùs hauſta eſt citius in contrarium recidens, cuius ſubinde neceſſe eſt aut pœniteat, aut pudeat.* Adnectit: *Hominum inter ſe rixantium ambitus concutit.* Cum quiſque voluptatem exambiat, cum ambitore rixatur, & prælio præmitur.

Tilman. Homo nocentior ſibi inimicus.

Seneca.

241. Cum duo ſenes in vnam Suſannam oculos conieciſſent, contigit, vt balneum domi petens puellas oleum, & Smigmata allaturas delegarit: *Dixit ergo puellis: Afferte mihi oleum, & Smigmata, & oſtia pomarij claudite, vt lauer.* Cum eadem in domo oleum, & Smigmata eſſent, exiguo tempore opus erat, vt à puellis afferentur: ergo cùm anguſtiſſimum eſſet tempus, duo inuenti ſunt voluptatis competitores: neceſſum erat, ſi Suſanna aſſentiret, inter eos tempus illud diuidi, & deliciarum occaſionem arctari: ergo cum quiſque ab altero impediretur, à toto populo lapidatur: *Conſurrexerunt aduerſùs duos presbyteros: conuicerat enim eos Daniel ex ore ſuo falſum dixiſſe teſtimonium: feceruntque eis, ſicut malè egerant aduerſus proximum.* Durâ lapidum grandine punitur peccatum, cùm exiguo tempore poſſet fallere oblectamentum. Itaque voluptas habuit riualem, & ſeuerum ſuſtinuit vindicem: ſenum quiſque à competitore vrgebatur à vindicibus lapidandus, & dedecore confundendus: *Concordiæ libidine æſtuante,* (inquit D. Thomas ad 13. Danielis) *Tempus opportunum deerat.* Vnicuique deerat tempus, non tamen defuit ſupplicium. O nimis verum! Voluptas exiguo tempore finitur; ſed non exiguo tempore ſoluitur: gula breuiter conditos tranſmittit cibos, ita momento inſanit, & ſic de aliis affectibus quiueris Philoſophari; cùm ſæpè lautior cœna attulerit prolixos morbos, & ad depellendos morbos grauiſſimos medicinæ cruciatus. Iracundiæ rapidus torrens exiguo momento hominem rapit, & in profundas ac inextricabiles lites mergit. Ergo voluptatem fuge multo dolore compenſandam, & ferè momento finiendam. Adde voluptuoſos non ſolùm à plurimis adurgeri; ſed cum integrum ſupplicium ſubeant, ſi qua ex vitio commoditas, & inter plures diuidi, & citiſſimè elabi.

Daniel 13. v. 17.

D. Thom.

242. Deſiderauit populus carnes, deſiderio potitus eſt infeliciter: ventus namque à Domino egrediens coturnices attulit, quæ dum volabant, anxium diſtorquebant deſiderium, & anxietudine caſtigabant ſtudium. Itaque eodem tempore coturnices capiendi ſpes exhilarabat gaudio, & amittendi timor diſcruciabat tormento: præ manibus adorant; ſed quodammodo manus fugiebant: *Ventus egrediens à Domino arreptas trans mare coturnices detulit, & demiſit in caſtra itinere quantum vno die confici poteſt, ex omni parte caſtrorum per circuitum, volabantque in aëre duobus cubitis altitudine ſuper terram.* Audis adeſſe; ſed etiam inuolare; iam quid populus egerit, audi: *Surgens ergo populus toto die illo, & nocte ac die altero, congregauit coturnicum qui parum, decem coros, & ſiccauerunt eas per gyrum caſtrorum.* Vnuſquiſque exambiebat coturnices capere: ergo non ſemel cùm alius manum mitteret, ferè prehenſam alius rapuit, & ſpem eluſit, quæ elegantior, nitidiorve plurium allexit oculos, & inter competitores iam rixa, & poſt rixam comedentem adu ſſit flamma: *Adhuc carnes erant*

Numer. 11. v. 31.

Digitized by Google

erant in dentibus eorum, addit textus, *nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plaga magna nimis.* Plagæ non eſt taxata: *Congregauit coturnicum qui parum, decem coros.* O quot à potentioribus diſpoliati ſunt coturnicibus! O quot partiti ſunt, quæ anxiis manibus collegerant, ne totas amitterēt, cùm tamen eorum quiſque integram mortem ſuſtinuerit, & pœnam integram ſoluerit! Quàm benè dixit Seneca iā datus: *Inter ſe rixantiū ambitus concutit.* Rixa erat, & poſt rixam ardens exurebat flamma: *Si poſt perceptam Angelicam mannam, quæ eſt cæleſtis vita vel doctrina*, inquit Iſidor. apud gloſſam, *rurſus carnes* Iſidor. *Ægyptiacas, id eſt carnales ſæculi voluptates & concupiſcentiæ priſtinæ appetimus nauſeam, ſtatim igne Domini torquebimur, deſideriumque noſtrum vertetur in tumulos.* Mors deſiderij ſupplicium integra cuique obtigit, competitorē coturnicis habuit: variis erroribus circumagebantur, vt volantes prehenderent coturnices, cúmque poſt anxias vigilias, poſt ſolicitas ad conſeruandas exſiccando carnes anguſtias iam ſibi adularetur apperitus ſibi promittens otia, & fore ſperares iucundiſſima oblectamēta, inopinè morte correptus, quas congregatat amiſit delicias, & ardentiſſimas paſſus eſt flammas. O miſerandum ſpectaculum! Dum inuolant coturnices, vnuſquiſque eadem cupiditate aduſtus inſequitur, & inſequentem impedit aut caſu, aut ſtudio: qui iam iam coturnicē prehenſabat, ab alio editiori ac commodiori loco exiſtēti fruſtratus eſt: cúmque & laborioſa omnibus ad conſequendum fuerit vigilia, cùm ſolicita ad carnes conſeruandas ſolertia, mors matura poſſidentes abſtulit, & corripuit.

§. LV.

Venuſtas, oriſque gratia eſt alienum oblectamentum, proprium periculum.

243. ORis venuſtas Dei donum eſt, quandoquidem pulcher aſpectus eſt decens ingenui animi ornatus, & ingenuitatis indicium: *Reſpicite*, aiebat Caſſiod. 3. var. 6. *iuuenem per formæ gratiam mentis* Caſſiod. *pulchritudine plus placentem? Refert faciei ſanguinis decus, proditur animi natura per vultum, & ſerenitate corporis nubila quoque mētis abſtergit.* [Proditur animi natura per vultum.] Elegantia formæ, oris decus, egregia corporis habitudo animum prodit prærogatiuis exornatum, & imperio publicat dignum. Certè pulchritudo ex ſe adſpicientium animos ad artificis commendationem trahit: relucet enim eius magnitudo in operis elegantia, & manum commendat venuſtatis diſerta lingua, aſt adeò hominum mores peruerſi ſunt, vt oris gratia, dum adſpectum recreat alienum, periculum incurrat propriū. Pulchra facies, eximia oris venuſtas, corporis elegantia frequenter poſſeſſori attulerunt ſoliciti doloris materiam, dum adſpiciēti lætitiam. Leuites cum pulcherrima vxore iter per Gabaa faciens grauius tulit periculum in ciuitate, quàm qui graſſatoris tulit audaciam in deſerta ſolitudine: nam in latrones incidens ſubſtantiam perdidit; ſed nec vitam nec honorem amiſit, at Leuitæ vxorem, dum Gabaëni iuuenes eximiam eius pulchritudinem conſpicati inſaniunt, à mariti latere abducunt, & abducta honoris diuitiarum, & vitæ ſimul iacturam fecit, & immaturam mortem tulit: *Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane. At mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.* Huius immaturæ mortis cauſam pulchritudinem teſtatur fuiſſe Ioſeph. 5. antiq. c. 2. *Gabaëni quidam iuuenes, qui mulierculam in foro viderant, mirati eius formā, poſtquam ad ſenem illum diuertiſſe cognouerunt,* Ioſeph. *contempta imbecillitate & ſolitudine venerunt ad ianuam.* Mulieri venuſtas attulit vitæ diſpendium, infelix iuuenibus gaudium, vt noueris noſtram theſim veriſſimam eſſe, pulchritudinem videlicet alienum eſſe gaudium, & poſſeſſoris periculum.

Cùm in topiario illo deliciis pleno plures efflo- 244. reſcerent venuſtæ plantæ: illa præ aliis tulit manus fructu foliiſque denudantis audaciam, quæ præ cæteris palato refertur grata, & oculis pulchra: *Vidit* Geneſ 3. *igitur mulier quòd bonum eſſet lignum ad veſcendum* v. 6. *& pulchrum oculis aſpectuque delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit.* Pulchritudo alienos oculos pauit, arbori detrimentum aſciuit: Audet dextera pomū carpere, audet ſerpens inſidias ſtruere, audet foliis cupiditas denudare; & hoc totum quia pulchrum oculis aſpectúque delectabile. O ſi tunc puluerulentus turbo arborem ſordidaret! *O ſi tunc vel leuis turbo arborem mortiferam detexiſſet,* inquit Chryſol. ſerm. 74. *O ſi nebula famus illius* Chryſol. *mulieris tenebraſſet aſpectum! O ſi terra nubes lethalis pomi ſpeciem caligaſſet!* Conſonat Baſil. Se- Baſil. leucienſ. orat. 3. *Ipſi nudati nudant arbores, circa arborem præuaricati ab ipſa arbore tegumenta mutuantur.* Vide quanta diſcrimina pulchritudo intulerit, à recto tramite mulier deuiat, doloribus vrgetur ſubiecta, diuitiis ob exiguum oblectamentum erubeſcit nudata arboris venuſtas ipſam priuauit fructu, foliis denudauit, è paradiſo hominem eiecit, & plurimis miſeriis addixit. Satius quidem plantæ eſſet terra nube contegi, nec videri. *O ſi nebula fumus illius mulieris tenebraſſet aſpectum!* Nil fœminis iucundius, quàm alienis oculis placere, & de venuſtate extolli: ob id de vanitatis delirio fucos, lenocinia addunt, cùm de prudētiæ conſilio debuiſſent pulchritudinem tegere. Affert venuſtas mulieribus plauſum; ſed inſidioſum: lucrantur dona; ſed quæ vergant in pericula. Diu vixiſſet Leuitæ vxor ſi minor oris fuiſſet gratia, & minus gratioſa forma.

Ioſephus grauiorem calamitatem tulit ob pul- 245. chram corporis habitudinem, quàm ob inuidioſam fratribus dignitatem: vidit ille ſomnium futurorum præſagium, dignitatis ænigma ſpicarum manipulus fuit, & quidem ſatis aptè: nam vt multa flauentem ſpicam præcedunt laborioſa; ita & laborioſa præcedunt dignitatem multa: è diſſeminato grano videbatur manipulus ſurgere, & copioſum augmentum reddere, ſed expende Ioſephum locum non otioſè deſignaſſe. *Putabam*, inquit, *nos ligare manipulos in agro*: nō dixit in palatio aut curia: ibi námque cùm plures diſſeminauerint manipulos ambitores, ſæpè accidit nec ſpicam vnicam metere; imò nec vnicū granum colligere. Itaque manipulus dignitatis emblema fuit: nam vt præcedit manipulum ſoli aratio ductus ſurculus, terræ granum commiſſum, aëris flatus, & benignus ſolis aſpectus, ita futurā dignitatem præcedere ſolent non diſſimilia: ergo vt labores plurimos præituros edoceret Dominus in manipulo dignitatem adumbrauit. Ioſeph igitur à fratribus venditus Domini familiæ imperabat; verùm cùm Putipharis vxor iuuenis pulchritudine illecta captioſos illi dolos ſtruxiſſet, anguſto carcere includitur, & vinculis illigatur: *Erat autem Ioſeph* Geneſ 39. *pulchra facie, & decorus aſpectu.* Ecce quid illi v. 6. magnos labores conciliarit, pulchrum ſcilicet eſſe: paſcebat Domina oculos, & deprauabat affectus: ergo dum Ioſeph impetitur, ſi delinquat, deteſtabile perpetrabit adulterium, & ob adulterium ſubibit fortè periculum: ſi non delinquat,

delinquat, honoris, vitæque cogitur ſubire naufra-
gium. Inter Putiphar ſeruos ſolus Ioſeph ſuſtinet
dura vincula, dum venuſta emicat præ cæteris for-
ma. Iam ſi inquiras quid periculoſius fuerit, fra-
trum videlicet odia, an mulieris petulantiâ: reſpon-
debit Baſil. Selucienſis orat. 8. grauiorem calamita-
tem excitatam pulchritudine, quàm liuore; *Fra-*
Baſil. *trum odia*, inquit, *excipit mulier habens amores im-*
potentes, ac odiis immaniores. Adnectit poſt aliqua
Ioſephi nomine: *Pro domo carcer, etiam ferrata*
compede teneor. Ac ſi dicat: Dignitas mihi inui-
diam conciliauit; ſed venditus ampla vtebar domo
vinculis expeditus, & à Domino dilectus, & hono-
ratus; at mea pulchritudo in eas me coniecit angu-
ſtias, vt pro domo ſuſtineam carcerem, & ferratam
inſuper compedem. Nonne vides, quàm ſatius fue-
rit Ioſepho eâ pulchritudine non micare, & corpo-
ris habitudine non fulgere? Fateor eximium nu-
minis donum eſſe pulchritudinem; verùm cùm
homines non vtantur rebus, prout ratio exigit, dum
venuſtas, quæ in Creatoris commēdationem debe-
bat adſpicientem trahere, ſoleat fœdam cupiditatis
flammam accendere, ſibi aſciſcit periculum, & con-
cupiſcenti naufragium.

246. Filij Sethi meliorem partem ſortiti legibus ra-
tionis obſequebantur; verùm cùm ex Caino ortæ
fœminæ eleganti facie fulgerent, & oris gratia mi-
carent, ab ipſo Sponſorum latere à magnatibus ra-
piebantur, & non ſine violentia conſtuprabantur.
Geneſ. 6. v. 2. *Videntes*, inquit textus, *filij Dei filias hominum,*
quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omni-
bus, quas elegerant. Vbi audis pulchritudinem ocu-
lis venaticis inſpectam, videbis etiam ſpiritus exi-
lium, virtutis defeciſſe commercium, & longioris
vitæ obſtaculum, ac tandem imminere mundo di-
luuium: *Dixitque Deus: Non permanebit ſpiritus*
meus in homine in æternum, quia caro eſt, eruntque
dies illius centum viginti annorum. Ecqua ſpiritus
non permanentis cauſa? Ecqua vitæ humanæ bre-
uiandæ? Fœminarum venuſtas: vbi pulchritudo
viſa, ibi & ſpiritus exterminium, ibi ſalutis vene-
num, ibi virtutum omnium naufragium. Profectò
dum ait Sacra Scriptura filios Dei accepiſſe ſibi ex
electis in vxores ob eximiam oris venuſtatē, innuit
pulchellas vi fuiſſe raptas, & maritis irrogatas non
ſine dolore grauiſſimo iniurias. Ita Rabbi Salomon
apud Lyram: *Dicit iſte quòd filij iudicum & poten-*
Lyra. *tum, quando videbant filias ſubditorum pulchrè or-*
nari, quando dabantur ad nuptias, quod accedebant
ad ipſas cognoſcendo eas carnaliter, antequam ma-
riti eas cognoſcerent. Itaque vxorum venuſtas ma-
ritis pariebat infamiam, potentium exacuebat inſo-
lentiam, & ipſis pulchellis maturabat iniuriam:
Cauſa diluuij, inquit Lyra, *generaliter decernitur.*
Vbi mulieres pulchræ referuntur, iam torrentes di-
luuij orbi minitantur, quandoquidem & maritus
vxore rapta ingemuit, & vxor violentiam paſſa in-
doluit, & procacia imprudentiſſima viguit. Et quæ
efficacior diluuij cauſa quam venuſtas, dum viden-
tis animus, non ad conditoris mouetur laudem; ſed
inſano furore prouitatur ad libidinem: *Cauſa di-*
luuij generaliter iā decernitur. Quis enumeret quas
ſtrages mundo attulerit pulchritudo? Troiam con-
ſule, roga Helenam: faciliúſque erit cœli aſtra, &
maris arenas ad numerum certum redigere, quàm
pullulantia à pulchritudine diſcrimina enumerare.
Leuitæ vxor, quia præcellit oris gratiâ, & alias an-
tecellit etiam miſeria. Ob pulchritudinem citiùs in-
teriit, quæ, ni pulchra, diutiùs viueret.

247. Abrahamus Ægyptum peregrinus ingreditur,
cúmque iam præſagiret quanta ipſi ob Saræ venu-
ſtatem imminerent pericula, prouidâ munitur cau-
telâ: *Cùm prope eſſet vt ingrederetur Ægyptum, di-* Geneſ. 12. v. 11.
xit Sarai vxori ſuæ: Noui quòd pulchra ſis mulier,
& quod cùm viderint te Ægyptij dicturi ſūt: Vxor
illius eſt, & interficient me, & te ſeruabunt. Qui in
reges triumpho potitos paucis militibus irruere nō
timuit, ob vxoris pulchritudinem imminentē mor-
tem expauit, & quidem quod verebatur, ſcilicet
vxorem rapiendam, accidit, & ni Deus ipſe auxiliū
ferret, honor periret: *Fecit pro vita ſua*, inquit Au-
guſt. apud gloſſam, *quod potuit; quod autem non po-* Auguſt.
tuit, Deo commiſit. Ea ob pulchritudinem emerſe-
runt ſæpè pericula, vt, ni Dei adſit auxilium, facilè
non vitentur, & facillimè incurrantur. Rupert. apud
gloſſam Abrahami exaggerat fidem, dum credidit
Saram à Deo liberandam, nec vllis doloſis laqueis
capiendam: *Periculo ſe exemit, ne moreretur propter*
illam: certiſſimè ſciens, inquit Rup. *quòd qui eduxe-*
rat eum de Vr Chaldæorū, potens eſſet ſeruare illam Rupert.
ab igne, id eſt, libidine Ægyptiorum. Sororem ſuam
eſſe dixit ſe periculo eximens, & à Deo liberandam
indubiè fidens. Et quidem magna fide opus fuit ad
credendum nimis pulchram fœminam captioſis la-
queis non irretiendam, & doloſis blandiſque adu-
lationibus non infatuandam, quandoquidem mu-
nera & elogia enormiſſima ſunt faſcina.

§. LVI.

Qui obſiſtit generalitatis vitio, multiplci ſubiacet detrimento.

Reipublicæ eſt procuranda ſemper correptio: 248.
nam vt ager, ni manus dextera ſarculo noxias
herbas euellat, & horridas eradicet ſpinas, ſyluеſcit
& ſterilis ſqualet; ita ſi peruerſi luxurient mores,
creſcere non poſſunt, quia ſuffocātur, virtutes.
Magnum eſt, aiebat Caſſiod. 6. var. 17. *in hoc agone*
principali ſeruire prudentia. Magnum eſt inſer- Caſſiod.
uire prudentiæ vitia euellendo; ſed ipſa euulſio
agon eſt: nam multiplici cum aduerſario contendit,
qui graſſantia purgare vitia ſtuduerit. O quantum
aſciuit ſibi negotij, qui confuſis morum volumini-
bus ſe reſtiturus oppoſuit! O quàm arduum eſt fu-
rentes ad ſanitatem reducere, & coërcere legibus
voluptatem, quādo habetur multis pro lege! Cùm
Leuites Gabaa intraſſet, ciuitatis iuuenes venatico
aſpectu vxoris eius pulchritudinem ſpectarunt, &
veluti communi voto publicas pudicitiæ inſidias
texuerāt: fores ſenis non ſolùm canitie venerabilis,
ſed virtute pulſare cœperunt, impudenti clamore
affectus impuratiſſimos publicantes, & Leuitam ad
libidinis nundinas expoſcentes: *Educ virum, qui in-*
greſſus eſt domū tuam, vt abutamur eo. Senex inue-
recundam petitionem modeſtè carpſit, & inſaniam
corripere incepit: *Egreſſus eſt ad eos ſenex, & ait: No-*
lite fratres, nolite facere malum hoc. Quid tunc? *No-*
lebant acquieſcere ſermonibus illius. Ingens pericu-
lum ſubiiſſe, dum corrigere amentiam generalem
tentauit, innuit textus illis verbis: *Nolebant acquieſ-*
cere ſermonibus illius. Non ſolùm, inquit Ioſephus
lib. 5. antiq. c. 2. eius verbis non acquieſcebant; ſed
grauiſſima pericula, ni à correctione deſiſteret, per-
tentabant: *Rogante ſene, vt abirent, & vim abſtine-* Ioſeph.
rent, ac iniuriā, poſtulabant, vt exhibita hoſpitâ quie-
ti ſuæ conſuleret, cúmque ille contradiceret cognatā
eſſe & Leuitidem, peccaturos eos grauiter, ſi propter
voluptatem leges violarent; iuuenéſque iura contem-
nerent, ac deriderent, cædem minantes ſi obſtare li-
bidini eorum pergeret. Ecce correctionis fructus vio-
lenta

lenta cædes: non patiuntur vitiorum aſſeclæ præpediri; imò ſiquis optimis conſiliis, & allatis legibus eos conetur frænare; indomiti equi ad inſtar excutient, & conculcatum raptabunt. Iam ni aliter monitoris auctoritatem quiuerint infirmare, impetent captioſis calumniis, & irretient dolis. In vitiorum caſtris militantes ad omnia ſcelera inueniuntur exprompti, nec inſidioſis parcent mendaciis, ſi correctoris monitis impediti.

249. Pſal.72. v.7. *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum, tranſierunt in affectum cordis, cogitauerunt, & locuti ſunt nequitiam, iniquitatem in excelſo locuti ſunt. Poſuerunt in cœlum os ſuum, & lingua eorum tranſiuit in terra.* Captiui iam cordis affectus ſic legem ac honeſtatem dediſcunt, vt infami lingua cœlum ipſum abrodant, & excogitatis calumniis in corripientem procaciter audeant. Cœlum, id eſt, cæleſtes viri Dei gloriam enarrantes, & vitiorum tenebras doctrinæ luminibus depellentes, linguas ſuſtinebũt mordaces, quia improbi, dum in affectum cordis tranſierunt, audaci lingua reſiſtentes ſæpiſſimè temerarunt:
Euthym. *Qui incumbebant deliciis*, inquit Euthymius ad hunc locum, *multâ ducti temeritate, & Deum contumeliis, & homines calumniis infectabantur.* Vitiis obſiſtentes calumniis iniquiſſimis denigrabant, & ac ſi exleges viuerent, opprimebant: nec mirum, quandoquidem adeò cæci delirique, vt ipſum vitium pro lege colerent, & haberent. Audi Bernardum in allegor. Tilmani ad c.8. Sapientiæ:
Bernard. *Tranſiit in affectum cordis, qui legem ſpreuit, tranſilit honeſtatem, nec ratione regitur, nec inhibetur pudore; timorem autem Domini penitus dereliquit, & eſt apud eum pro lege voluptas: ſolo vehitur appetitu, ſequitur concupiſcentiam ſolam.* Homines concupiſcentiæ militantes ſic eius partes tuentur, vt ſibi aduerſos virtutis milites ſacrilegis linguis impetant, & audentibus dextris feriant: confictis videas calumniis obarmari, & cõtra vitiorum obicem in arenã proſilire: quiſquis cohibere vitia tentauit, in duriſſimum, vt aiebat Caſſiodorus, agonem deſcendit: quid cœlo purius & nitidius? & tamen dum enarrat Dei gloriam, audacem nebulonum, tenebrionumque ſuſtinere cogitur linguam: *Poſuerunt in cœlum os ſuum:* Sacrilego ore ſanctitatem infamant, procaci linguâ virtutem temerant, & qui anteà audiebat Sanctus, ſi iniquos tentet corrigere, audiet peruerſus.

250. 2.Petr.2. v.15. Subiugale mutum animal hominis voce vtens Balaami arioli impedire iter aggreditur, & repetitis ictibus verberatur: *Maledictionis filij derelinquentes rectam viam errauerunt ſecuti viam Balaam ex Boſor, qui mercedem iniquitatis amauit; correptionem verò habuit ſuæ veſaniæ: ſubiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetæ inſipientiam.* Ducit nos Petrus ad Numer.22. vbi cùm aſina Balaamum à peruerſo itinere auerteret, verberibus onerata ſuccubuit:
Num.22. v.23. *Auertit ſe de itinere, & ibat per agrum: quàm cùm verberaret Balaam, & vellet ad ſemitam reducere, ſtetit Angelus in anguſtiis duarum maceriarum, quibus vinea cingebantur.* Aſina Angeli partes ſecuta cæditur, & ſi gladius furenti ſuppeteret, periret occiſa, ac vulneribus cõfoſſa. Ecquod aliud correptionis præmium, niſi verber? Dum animal non contradicebat; Balaamus ſtudioſè illud curabát; at cùm virtutis egit cauſam, ardentem furentis ſuſtinuit iram.
Iſidor. *Aſina, cui Balaam ſedet,* inquit Iſidorus apud gloſſam, *Angelum videt, & loquitur.* Vbi Angelum videt, loquitur, & vbi loquitur, cæditur. Ergo maledictionis filij, inquit Petrus, ſecuti viam Balaam

ſe corripientes affligunt, & linguis iniquiſſimis carpunt.

Chriſtus Dominus templum ingreſſus vendentes ementeſque, ne cogeretur percutere, altiſſimis plagis, eiecit pientiſſimis minis: *Cum feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Iudæi, qua illud poteſtate faceret, inquiſierunt: *Quod ſignum oſtendis nobis, quia hæc facis?* Tunc Dominus ab eis corpus ſuum Dei templum iam prædicit crudeli morte ſoluendum, potentiâque diuina excitãdum: *Soluite templum hoc & in tribus diebus excitabo illud.* Illud, *ſoluite*, non fuit imperantis; ſed prædicentis: ac ſi dicat: vos corpus meum ſoluetis; ſed Deus à morte illud excitabit, & triũpho immarceſcibili redimiet. Inquiramus cur modo mortis & reſurrectionis mentionem fecerit, quò nec reſurrectionis, nec mortis prædicendæ videretur occaſio. Quærunt ſignum: *Quod ſignum oſtendis nobis?* Et ſe prænuntiat crucifigendum, & poſt crucem excitandum? O ſapientiam immortalem! Dum vitia carpit, iam mortem imminere prædicit: quaſi correctionis merces ſit truculenta cædes, & infamia; ſed aduerte dixiſſe corpus ſoluendum, & excitandum, vt vtrumque correctionis fructus noſceretur: dum vitia carpit, dum cupiditatis occaſiones præcidit, iam imminet mors: ſoluens enim virtutis æmuli eius templum in rabiem acti, & ſanguinis ſitibundi, verùm ſi hanc mercedem intulit furor, reſurrectionis præmium afferet zelus, & fulgebit æternâ gloria redimitus, qui ab æmulis occubuerat denigratus. Itaque vbi correptio, & templi auditur ſolutio: nec ſatis illis fuit vitam præſcindere, ni aggreſſi fuerint eius ſanctitatem falſis teſtibus infamare; *Falſum teſtimonium quærebant:* ergò duos teſtes corrumpunt, qui ſic deponunt: *Hic dixit: Poſſum deſtruere templum Dei, & poſt triduum reædificare illud.* Nonne vides prolata à Chriſto verba, dum templi conſulebat honori, ſic ab æmulis adulterata & corrupta, vt iam non teſtentur Dei honoris zelotypũ; ſed contrarium? Dolebant Scribæ & Phariſæi inhoneſto lucro priuari, ferebant ægrè eorum ſuperbiam, & arrogantiam retundi: ergo vt à ſe excutiant correctionis moleſtiam, corrigentis innubilant famam, & ſatagunt correctionis verba ſic adulterare, vt non videantur egiſſe cauſam virtutis; ſed potiùs arrogantiam oſtentaſſe temeritatis: *Volebant* inquit Euthym. ad Matth.26. *tanquam reum condemnare illum: ideò etiam forum iudiciale effingunt, ac falſum teſtimonium quærunt, ipſi & iudices & accuſatores effecti.* Parũ illis viſum eſt, ſi abſtulerint vitam, niſi denigrauerint etiam famam. Adnectit Euthymius: *Non dixit, ſoluam; ſed, ſoluite: neque de templo manu facto; ſed de proprio corpore: propter hoc enim etiam Evangeliſta hos falſos teſtes appellauit.* Verba, quæ protulit, dum corriperet, in ipſum adulterata detorſerunt, & quia zelotypus, reum declarare efficto tribunali tentarunt. Ergo non mirum, ſi cædem minentur ſeni, dum exoculatæ cupiditati obſiſtit, & furentum amentiam carpit. 251. Ioan.2. v.15. Matth.26. v.61. Euthym.

§. LVII.

Horrendum eſt inopinè inter illecebras rapi & inter delitias mori.

Plura mortis inueniuntur, & infeliciſſima elogia: *Mors eſt*, inquit Chryſologus ſerm.118. *deſperationis domina, incredulitatis mater, germana corruptionis, inferni parens, diaboli coniux, omnium* 252. Chryſol.

malorum regina. Mors, quæ vitam componere debuiſſet, vitam diuerſis criminibus aggreditur maculare: vrgentur homines ad auidiùs vitiis indulgendum: quia mors properat; & cùm fas eſſet eius arceri horrore, proritantur celeri vitæ fine. Coniux diaboli mors eſt, & quidem vt fœminæ inuenuſtæ, & nullis prærogatiuis exornatæ maiori cenſu indigent, quo deformitatem diuitiarum inaurent copiâ; ita mors ex ſe aſpectu fœdiſſima magnas diabolo diuitias attulit, vt coniux fieret. Verùm inter alios eos ad diaboli poſſeſſionem tranſmittit, quos à deliciis repentina falce demeſſuit. O quot, dum indulgebant vitiis, inopinâ morte correpti in diaboli partem conceſſerunt, & infeliciſſimum eius cenſum incrementarunt! Mortem ergo diabolus duxit in coniugem, vt quæ ampliſſimas diuitias afferret, & infernum raptis inopinè delicioſis incrementaret. Ecce Leuitæ vxor, quæ (vt placet Abulenſi) Gabaënis ſe tradens peccauit, inopina morte corripitur, & corruens poſt delicias moritur: *Cùm tota nocte abuſi eſſent, dimiſerunt eam mane: At mulier recedentibus tenebris, venit ad oſtium domus, vbi manebat dominus ſuus, & ibi corruit.* O miſerum! A tergo mors eſt ſecuta voluptatem, & vix finierat carnis negotia, cùm correpta eſt morte
Abulenſ. inopinâ. *Quæritur*, inquit Abulenſis quæſt. 23. *nunc indiſtinctè, an mulier iſta peccauerit? Reſpondendum quòd peccauit valde.* Non reſpuit tradi procacibus; & cùm debuiſſet exponere potiùs vitam, quàm admittere proſtitutionis infamiam, admiſit infamiam, & ſimul amiſit vitam: ſæpè namque ſcelera pro ſalute vitaque tuenda deligimus, & in ipſam vitam imprudenter militamus: ergo mulier infelix inter ipſas voluptatum fallacias caraſque delicias periit morte correpta, & pro dotis parte ſponſo diabolo à morte tradita.

153. Cain eruditus diaboli diſcipulus, orci ianitor, doli executor, dum à Deo recedit, ad orientalem
Geneſ.4. v.16. plagam excurrit: *Egreſſus Cain à facie Domini habitauit profugus in terra ad orientalem plagam Eden.* Sedem deliciis ſcatentem delegit, quo iucundiùs, & prolixiùs viueret; ſed dum ſectatur delicias, violenta morte perit interemptus, & ia-
Lyra. culo corruit transfoſſus: *Per Eden intelligitur paradiſus terreſtris* (inquit Lyra) *in pœnam enim Cain factum eſt, vt expelleretur verſus illam regionem delectabilem & felicem.* Itaque delectabili, felicique regione obuerſabatur, cùm Lamech venationi vacans pulſa ex arcu ſagitta altiſſimo illum vulnere tranſuerberauit, occiditque: *Occidi virum in vulnus meum.* Inter fruteta vagum interemit, vt dum vitæ exhilarandæ ſtudioſiùs incumbit, infeliciſſimus agnoſcatur, & inopinâ morte mulctetur: Caſu, in-
Rabban. quit Rabbanus apud gloſſam, *Cain inter fruteta latentem interfecit, & hoc eſt, quod dicit: Occidi virum in vulnus meũ.* Videbatur felix Cain deliciis fluens, inter fruteta deambulans, nullâ morborum vi afflictus; imò vel contra terrorem mortis armatus; verùm totum hoc acerbiorem eius prodidit pœnam, & miſerabiliorem fortunam: tunc mortem incurrit, cùm longiſſimè abeſſe à morte credebat. O miſeros, quos fallaces deliciæ ſic infatuarunt, vt omnem mortis timorem expunxerint, & inopinam ſtragem præmaturarint! Proh quàm horrendum ſine mortis ſenſu rapi, dum conſtat inſidioſis voluptatibus homines ſtudere!

154. David propriis vulneratus oculis, dum pulchritudinem curioſiùs ſpectat, ſuccinctus incurioſè ſuccumbit: alienam rapuit, voluptati ſtuduit, alienatuſque à ſe ipſo deliciarum incantamentis nec præuidebat diſcrimina, nec mortis timebat iacula; verùm cùm iam Deus pro ſua pietate à virtutis itinere abreptum reduxiſſet, oculóſque pœnitentiæ collyrio reluminaſſet, in has erga Deum gratiſſimas voces erupit: *Caſtigans caſtigauit me Dominus, & morti non tradidit me.* Psal.117. v.18. Vertebat oculos ad tempus illud fallaciter delicioſum, & reuera periculis plenum, expendebatque æquâ rationis libra, quàm irreuocabilem calamitatem incurriſſet, ſi dum carnis voluptatibus indulgebat cæcus, occumberet inopinâ morte ſublatus: profunda meditatione penſitabat, quanta ab illo momento penderent, aut æternam ſcilicet ſuſtinere pœnam, aut conſequi æternam gloriam: ergo propriam ſtupiditatem demiratus, ſeque ipſum ſtupens toto cordis affectu gratias Deo reddit, quòd morti non tradiderit; ſed pœnis, etſi amariſſimis, mentis oculos repurgauerit: *Nulli dubium*, inquit Incognitus, *quòd caſtigatio facta per aduerſa oculos mentis aperit, quos clauſerat culpa: cognitio autem* Incognit. *proprij defectus eſt magnum principium ſalutis peccatorum.* Pro duplici ergo beneficio gratias agit Pſalmiſta, ſcilicet quòd non fuerit morti traditus, & quod fuerit verberibus eruditus. Væ illi, quem carnis oblectamenta iucundis fallaciis, gaudiis cariſſimis detinent compeditum, vt mors inuenerit exarmatum. Hoc opus, hic labor eſt, quandoquidem facilis deſcenſus auerni, nec iam datur ad reſipiſcentiam confugere, aut gradum ad ſuperos reuocare.

Hebræi cæleſte manna faſtidientes carnes appetierunt: ergo Dominus, vt deſiderio deſiderium puniret, carnes illis pluit; verùm cùm adhuc oblectarentur deliciis in ipſo voti complemento, in ipſo carnium guſtu celeri morte de medio pereunt ſublati, & inopina ſtrage percuſſi. *Non ſunt* Psal.77. v.30. *fraudati à deſiderio ſuo: adhuc eſcæ eorum erant in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos, & occidit pingues eorum, & electos Iſraël impediuit.* Plura inuenies à Domino inflicta ſupplicia, nec tamen iram exaggerari, aut furorem cæleſtem exprimi hîc tamen duriſſimè proditur iratus, & indignatione poſſeſſus: & quæ huius ratio? Quia *adhuc eſca eorum in ore ipſorum, & ira Dei aſcendit ſuper eos.* Si iam eſcas deglutiſſent, refrigeſcente deſiderio, & ipſa experientia edocti fors oculos aperirent, & ad pœnitentiæ ſubſidium celeriter inuolarent; verùm morte corripi, dum palatum fallaci oblectamento deliciabatur, dum inſana cupiditas mentis oculos obcæcabat, dum totus affectus ſolummodò voluptatibus indulgebat, ardentiſſimæ iræ fuit argumentum, & infelicitatis irreuocabilis teſtimonium. Blandiebantur ſibi deſiderium explentes, verùm ipſa expletio, dum inopina morte admiſcetur, cæleſtis indignationis effectus manifeſtiſſimè comprobatur: *Carnes*, inquit, *adhuc erant ſub dentibus eorum.* Euthymium audis Euthym. hunc locum interpretatum, *priuſquam deficerent, & Dominus iratus eſt in populum, & percuſſit Dominus populum plagâ magna valde.* Vitâ mulctare, cùm deliciarum præſentia pœnitudinis recordationem exterminabat, totumque animæ ſenſum ad ſe rapiebat, plaga magna valde fuit. Tunc occiſi ſunt, cùm carnes in eorum dentibus eſſent, quin faſtidio arriperent pœnitentiam, & pœnitentes effugerent iram: *Percuſſit Dominus populum plaga magna valde.* Non debet plagæ quantitas deſumi ab occiſorum copiâ; ſed à perpetrata tunc culpa. O miſerrimos, quos fallebat carnis voluptas, vt raperet imparatos ſupplicij acerbitas!

Vrſi,

Digitized by Google

156. Vrſi, leoniſque mors declaratur infelix, cùm à Dauide referũtur diſcerpti, dum vngues amplectebantur prædam, & potiebantur non ſine oblectatione rapinam: *Veniebat leo, vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, & percutiebam, eruebamque de ore eorum: nam & leonem & vrſum interfeci ego ſeruus tuus.* Cum ipſo prædæ oblectamento mixtum refertur ſupplicium: tunc perierunt, cùm ſtudebant rapta ouiculâ frui: ergo peſſima eorum mors, quam comitata eſt indignationis flamma, & cupiditatis ineptia: *Cùm paſcerem gregem,* inquit Chryſoſt. homil. de Dauid, & Goliat, *ouem à leone, & vrſo acceptam belluis interemptis prædam excuſſi, & beſtias interfeci.* O quàm vt beſtias percuſſit, dum beſtialibus appetitionibus indulgentes occidit! Quàm fortis manu probatur Dauid! Quàm à gigantibus proditur extimeſcendus, dum poteſt inferre mortem non cogitanti, & voluptatibus ſtudenti! Iam in leone vrſóque adumbrari homines appetitus vernulas & vitiorum aſſeclas quis dubitet? *Veniebat leo,* inquit Interlinearis, *diabolus, vel vrſus Anti-christus.* Peſſimi Deoque contrarij homines leonis & vrſi vocabulis deſignantur: ergo his mors infauſtiſſima contigit, cùm prædis inhiantes, & deditos voluptatibus abſtulit.

1 Reg. 17. v. 34. — Chryſoſt. — Interlin.

---

§. LVIII.

Felix, qui acri ob culpam dolore corripitur, & honeſta confuſione percellitur.

157. VT culpa infelicitatis eſt mater, ſic eſt felicitatis parens pœnitentia: qui peccauit, deſipuit; ſed reſipuit, qui doluit: aliquid eſt, quo ſumma criminis fœditas venuſtetur, & ad pulchritudinem expoliatur: ſi irrufantur capilli, ſi oculis ſuffragatur ſtibium, ſi vnguentariis lecythis excultior redditur forma, etiam habet ſuos lecythos pœnitentia, ſuos cincinnos dolor, vnde & forma poſſit elegantior ad gratiam comi, & ornatus ad ſplendorem augeri: *Pœnitentia non eſt nomen otioſum,* ſcribit Ruritius Epiſcopus lib. 2. epiſt. 14. *quæ ex qualitate operis poſſidet laborioſa vocabulum: non enim poteſt pœnitens dici, qui pœnitenda committit; ſed ille, qui præterita peccata vel maculas humilitate cordis ſubiectione corporis, bonorum operum ſedulitate, aſſiduitate orationum, continuatione gemituum, pectoris contuſione, lachrymarum profuſione detergit.* Mundiſſima lachrymarum vnda fœditatem abſtergit, & nitidum transfert in candorẽ contractam ex voluptate nigredinem, vtque pannus ante aquã ſordeſcens vndarum beneficio iam candicat, ita conſcientia ante pœnitentiam ſqualet polluta; ſed eius beneficio fulget gratiæ ſplendoribus adornata. A Tertulliano lib. de Pœnit. cap. 1. vocatur & Dei theſaurus, & vitæ gubernaculum, quo qui vſi non ſunt, incurrerunt miſerè cataclyſmum, & ſuſtinuerunt naufragiũ. *Igitur ignorantes quoque Deum rem quoque eius ignorent, neceſſe eſt: quia nullus omnino theſaurus extraneis patet. Itaque vniuerſam vitæ conuerſationem ſine gubernaculo rationis transfretantes imminentem ſæculo procellam vitare non norunt.* Pœnitentia theſaurus eſt, cuius diuitiis à culpa captiuus redimitur, gubernaculum eſt, quo inter peccatorum procellas in portum ſecurè appellitur. Ecce cum Leuitæ vxor à marito receſſerit, vt ex Hebræo textu vidimus, ob pudicitiam proſtitutam, domum iam redibat iurgiis compoſitis; verùm à Leuitæ latere auulſa totam noctem libidini impendit; candicante verò iam luce eo dolore, ea anxietate perculſa eſt, vt Leuitam adiret non ſine pudore ingenti obturbata, in hoſpitiique limite animam egerit anxietate perculſa: *Mulier recedentibus tenebris venit ad oſtium domus, vbi manebat Dominus ſuus, & ibi corruit. Manè facto ſurrexit homo, & aperuit oſtium, vt cœptam expleret viam; & ecce concubina eius iacebat ante oſtium ſparſis in limine manibus.* O quàm longè receſſerant tenebræ, ô quàm ſplendeſcebat iam lux, cùm mulier ad dominum ſuum redire decreuit, & acri dolore perculſa corruit! ô felicem vitæ clauſulam, quæ de pœnitentiæ ardore vitam honeſtat, & quidquid ſpurcum radens & euerrens non ſolum mundum reddidit; ſed ornauit, & compſit! Fœminam hanc acri dolore fœdi caſus correptam, & honeſta perturbatione perculſam tradit Arias Montanus: *Quæ nunc domini hoſpitium repetebat, præteriti erroris amariſſimum dolorem & pœnitudinem præ ſe ferre cenſenda.* Adnectit, ipſum manuum habitum pœnitentiæ teſtimonium præſtitiſſe. Illum audi: *Cùm miſerrima, mœſtiſſimáque mulier dominum ſuum anxia, & exanimata repeteret manibus extenſis, qualis quæ opem imploraret, atque vim, iniuriamque indicaret, reuertebatur.* A morte inopinè rapta indicia reliquit, quibus felicem mortem oſtenderet, nempè deſideratæ miſericordiæ teſtimonium, & intimi doloris indicium. Ergo mors honeſti doloris filia nullatenus eſſe potuit fœda aut infauſta.

Ruritius. — Tertull. — Montan.

158. Iob ſe mirabiliter à Domino cruciari gratificatur. *Reuerſus mirabiliter me crucias: inſtauras teſtes tuos contrà me, & multiplicas iram tuam aduerſum me, & pœnæ militant in me.* Illud *mirabiliter* non tam pœnarum exaggerat moleſtiam, quàm beneficij publicet gratiam. Ecquid eſt mirabiliter cruciari? De commiſſis peccatis, inquit Gregorius graui dolore percelli, & pudore ſalubri confundi. Dum mirabiliter diſcruciatur in doloris officina cunctis admirandus procuditur: nam quas peccator ſordes ob culpam contraxit, in doloris fornace eliquantur, & conſumuntur. Accipe Gregor. lib. 9. moral. cap. 34. *Crucias: quia, dum te inſinuas, mihi me quam ſim lugendus, demonſtras. Vnde nequaquam ſe pœnaliter; ſed mirabiliter aſſerit cruciari: quia dum per fletum mens ad ſumma rapitur, compunctionis ſuæ pœnam gaudens miratur, & libet affici: quia afflictione ſua ſe conſpicit ad alta ſubleuari.* Miranda, inuidendáque afflictio eſt, quæ nos ſuſcipit peccatis ſordidos, & gratiæ luce reddit ſplendidos: totis niſibus expetendus eſt dolor, qui hominem æternitati conſecrat, dum diſcruciat. Mirabiliter vides Leuitæ vxorem cruciatam; dum acri dolore referitur; ſed nota non in tenebris, vt damnandus ille diues; ſed die candicante rapi, quo nobis indicet Scriptura pœnitudinem tenebras depellere, & luci ac rationi hominem reſtituere.

Iob 10. v. 16. — Gregor.

159. Cùm Magdalena peccatis ſauciam ſe ſentiret, ad Phariſæi domum, vbi Chriſtus aderat, celeri volatu contendit: pudore verecundiáque deiectos oculos non ſolùm non leuauit, vt aſpiceret; ſed ad pedes Domini, ne adſpiceretur, feliciter corruit, & iacuit: *Lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis ſui tergebat.* Abſcondit vultum explicatis capillorum cincinnis, pedéſque Domini detergens celabat officium, & intuentium arcebat etiam aſpectum. Quid tunc? Ad mulierem Dominus conuerſus oculis pietate plenis adſpexit, & honeſtè confuſam coram omnibus dilaudauit: *Conuerſus*

Lucæ 7. v. 38.

Digitized by Google

ſui ad mulierem. Saporata vocabant fercula, aderat conuiuarum ingens copia, & tamen Dominus ad pœnitentem direxit obtutum: quia maius illi reſultabat de lachrymis gaudium. Huc adapto, quod ſcripſit Tertull. lib. de Pœnit. cap 6. Tertull. *Quem cenſes digniorem, niſi emendatiorem, quem emendatiorem, & idcircò vera pœnitentiâ functum?* Dignius Magdalena, vtpote verè pœnitentia functa Dominicos oculos allexit, & quàm ſit felix, qui honeſta verecundia ſuffunditur, & acri dolore angitur, ſuis actionibus demonſtrauit: *Conuerſus ad mulierem.* Iam lachrymis allicitur, qui anteà peccatorum ſordibus fugabatur: inuenit pœnitudo, quo Iudicis animum gratum redderet, & lugentem commendaret.

260. Hircum pro peccato eo loco mactari Scriptura diſpoſuit, quo offerri præceperat holocauſtum: Leuit. 4. v. 24. *Cùm immolauerit eum in loco, vbi ſolet mactari holocauſtum coram Domino, quia pro peccato eſt, tinget Sacerdos digitum in ſanguine hoſtiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocauſti.* Radulphus in allegoriis Tilmani expendit æquo ad ſpeciem loci honore gaudere & holocauſtum, & vitulum, cùm tamen vitulus culpis expiandis pendatur, & holocauſtum omni ornatum puritate in Numinis honorem litetur. Et quidem celſiori nobilioríque loco videbatur dignū holocauſtum, quàm ſacrificium: cur ergo ſimili donetur honore, quod cauſa agnoſcitur diſcrepare diſſimili? Quia vitulus, inquit, pœnitentium refert imaginem: ergo is eſt veræ pœnitudini debitus honor, vt quodammodò innocentiæ vicinetur. Radulph. Accipe Radulphum: *Lex hircum, qui pro peccato offertur, in loco holocauſti immolandum decreuit, vt ſcilicet peccatores, ſi dignos pœnitentiæ fructus attulerint eundem cum his, qui perfectionis iter ab initio gradiuntur, meriti gradum adepturos ſe eſſe confidant.* Honorabilem locum apud Dominum holocauſtum, vtpote totum cæleſtibus conſecratum ſortitur; ſed dum pœnitentia lachrymis abſtergit commiſſa, de dolore apud Dominum commendatur, & eodem ſæpè gradu fulgere cognoſcitur.

---

§. LIX.

Vir fortis in acerbis caſibus dolorem glutit, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promouerit.

261. FOrtitudinis Lydius lapis aduerſa fortuna eſt: labor optimos citat, & probat: vt enim procella, dum acrior, naucleri prodit dexteritatem dilucidiùs, ſic acerbiores caſus fortitudinem clariùs commendant. Demetrius fortiſſimus vir ſic apud Senecam de Prouid. cap. 5. *Vultis liberos ſumere* Seneca. (Deos alloquebatur) *illos vobis ſuſtuli: vultis aliquam partem corporis, ſumite.* Addit: *Nihil cogor, nihil patior inuitus; nec ſeruio Deo; ſed aſſentio.* Deo non ſolùm ſeruiēdum; ſed aſſentiendum eſt. Aſſentiebat laborum vndis obuolutus, & dum aſſentiebat, animi magnitudinem commendabat. Ad leuem punctiunculam lugere pueruli eſt: ſed Catonis, fluentibus viſceribus oris grauitatem, & ſerenitatem ſeruare illæſam, & ſuprà omnem fortunam dominatam. Fortis cum aduerſitate de genu pugnat; imò aliquando prouocat, & quia doloris oſtentatio quid fortitudini detrahere putat, dolorem tegit, & ſuffert. Metuenda contemnere, cæteris horrida ſine gemitu tolerare, & in mediis procelloſæ calamitatis fluctibus patientiæ firmari anchora, & gubernaculo prudentiæ actiones dirigere, viri & quidem ſtrenui eſt. Scæuola manum cinereſcere aſpexit, nec retraxit, celebrior ſæculis, quàm victoriâ, tolerantiâ. Adeſt etiam Leuites patientiâ illuſtris: nam cùm peregrinus Gabaa intraſſet, & à venerabili pióque ſene hoſpitio receptus cum vxore ad menſam itineris labores ſolaretur, iuuenes, qui venaticis oculis peregrinam adſpexerant, grauiſſimam illi intulerunt iniuriam: ſic enim à procacibus mulier diuexata eſt, vt finiuerit vitam; Leuites verò tragœdias non excitauit; imò ne beneuoli humaníque hoſpitis dolorem exulceraret querelis & lachrymis, dolorē deglutiuit, nec ſigno exteriori oſtentauit: *Intelligens quòd erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſúſque eſt in domum ſuam.* Vides expoſtulationibus hoſpitem non anxiſſe, nec acerbo adeò caſu faciei grauitatem demutaſſe: cum dolore luctatus eſt, ne hoſpiti, & quidem humaniſſimo afferret dolorem. Notauit Arias Montan. *Dolorem ex grauiſſima iniuria acceptum, eiuſque animo inſidentem pro tempore diſſimulabat.* Montan. Subjicit: *Ne & hoſpiti ſatis ſua ſponte turbato grauior eſſe videretur.* Dolorem viſceribus intercluſit, in tantáque animi perturbatione ſibi adeò conſtitit, vt nec vultus amitteret grauitatem, nec altiſſimam cor excedentem oſtenderet eiulatibus anxietudinem.

Filium immolare iuſſus Abraham paruit, & 262. quem natura dolorem perſuadebat, ea fortitudine, eaque prudentia ſopiuit, vt nec Sara coniecerit, nec famuli in via per triduū comites diuinarint. *Abraham de nocte conſurgens ſtrauit aſinum ſuum ducens ſecum duos iuuenes, & Iſaac filium ſuum.* Geneſ. 22. v. 3. Ad montis radices expectant ſerui à ſacrificij ſuſpicione prorſus remoti, & omnino à coniecturis alieni. O quàm ſe fortem Abrahamus oſtendit, dum adurentem viſcera dolorē ſic corde preſſit, vt nec Sara coniecerit, nec ſeruos in ſuſpicionem adduxerit. Ecquis dubitet caſu illo pulſari viſcera, præcordia cōcuti, & ſpectata natura patrē dolore vrgentiſſimo aduri? Verùm vir fortiſſimus ad omnem patientiam compoſitus, nec domi contriſtat faciem, ne Saræ dolorem creet, nec longo itinere lachrymis genas defœdat, ſuſpiriave iactat; ne ſerui aliquam venarentur notitiam; totum ſibi dolorem vendicauit in fortitudinis elogium, & ad patientiæ miraculum. Expendebat Baſilius Seleucienſis orat. 7. Baſil. *Quomodò ad eam vocem non inhorruit? Quomodo non fuit animus vocis percuſſione contractior? Quomodo filij iugulationem morte non anteuertit? O animi firmitudinem! Non gemuit, non illachrymauit, non natura vi fractus eſt, non in varias partes conſilia partitus eſt, oris conſtantiam tenuit.* Addit: *Facinus tam audax Saram celat, neque ad matrem effert mandata.* Is erat dolor, vt perſuaderet tragœdias, vt matri impertiri notitiā quodammodo cogeret; verùm quia prudentia conſulebat matris non præmaturare dolorē, quia, ne ſacrificium impedirēt, oportebat ſeruulis notitiam non promere, eam oris renuit Abrahamus conſtantiam intimo dolore perculſus, vt nec ſuſpicaretur dolorem Sara, nec ſeruos aliqualis redderet dubios triſtitia. Diſce in aduerſitatibus te gerere, diſce in doloris procella prudentiæ gubernaculum non amittere: cùm aduerſitate pugnandum eſt, vt nitidiùs luceat conſtantia & de conſtantia prudentia. Nonnulli ſibi ſatis diſſimiles ſunt pro ſortis diuerſitate arundinis in modū vento parent, proſperitate intumeſcunt ſuperbè elati,

elati,

Digitized by Google

elati, in aduerſitate mœrent indecorè deiecti; at vir fortis, & athleta ſtrenuus dolorem deuorat, & immotus cum aduerſitate de genu pugnat.

263. Geneſ. 5. v. 9. Iacob, dum ad filios benedicendos deuenit, ſic de Iuda: *Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi aſcendiſti requieſcens accubuiſti vt leo.* Non modicis laboribus diuexatus accubuit; ſed vt leo, de quo Ælian. Ælianus lib. 2. de natura animal. cap. 2. hæc ſcribit: *Si venantium multitudini cedere cogitur, ſenſim pedetentimque diſcedit, crebro ſubſiſtens, atque reſpectans.* Sibi leo conſtat inter vrgentiſſimas etiam preſſuras ſuæ dignitatis nunquam oblitus, & decoris gnarus: lamentabilem non emittit rugitum telis confoſſus: ſed conſtanti animo & immoto eadem ac anteà greſſus grauitate procedit. Ergo Iudas leonis inter beſtias fortiſſimi imitatus ingenium fortitudinis ſibi æternauit etiam elogium.

264. Lucæ 6. v. 22. Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos ad futuros inſtruens labores & gaudere & leuare faciem admonuit: *Beati eritis, cùm vos oderint homines, & cum ſeparauerint vos, & exprobrauerint, & eiecerint nomen veſtrum tamquam malum propter filium hominis: gaudete in illa die, & exultate.* Non ſolùm iubet cum dolore certare; ſed in gaudium dolorem vertere, de fortitudinis artificio, & de tolerantiæ miraculo. Ita Ambroſius ad hunc locum: Ambroſ. Timor ſæpè peſſimus interpres eſt. *Eſt fortitudinis iram vincere, indignationemque cohibere, ac per hoc fortitudo animum iuxta corpuſque confirmat, nec perturbari ſinit timore aliquo vel dolore, quibus velut prauis interpretibus plerūque percellimur. Ergo temperantia cordis habet, animique munditiam, iuſtitia miſericordiam, pacem prudentia, manſuetudinem fortitudo.* Vultum non deijcit fortitudo dolore impellente; & acerbo caſu inſtigante; ſed veluti in arce munitiſſima conſtituta telá fruſtratur, nec impeti queritur; in multiplicibus perturbationis cauſis immota permanet fortitudo prudentiæ ſemper amica, & imbecillitatis ignara. Ecce Apoſtoli à veritatis hoſtibus mirè diuexantur, ecce Petrus & Ioannes verberibus affliguntur, nec à rationis via deflectunt obturbati; ſed perſiſtunt virtute læti. Labor, ærumna, morbus, miſeria veluti Lydius fortitudinis ſunt: ibi clarè agnoſcitur, ſi adulterata, aut legitima. E contra fortitudinis gubarnaculo deſtitutus aduerſitatum fluctibus abſorbetur: rationi non conſtat, ſibi non conſulit, virtuti non viuit.

265. Prouerb. 24. v. 17. *Impatiens*, inquit Salomon, *Operabitur ſtultitiam.* Qui indignationis flammis ardet obcæcatus; qui præcipiti impatientia iactatur impulſus, non ſolùm amiſit fortitudinem; ſed adauxit ſibi calamitatem: impatientiæ conſilia non tantum virtuti; ſed ſaluti ſunt pernicioſa, vt etiam politicæ humanæ contraria, quandoquidem qui ab aduerſario perculſus dolorem impatienter tulit, eius impleuit ſtudium, & cruciatu peperit gaudium: fortitudo habet ſecum prudentiam conſiliatricem, & tolerantiam calamitates emollientem. Huc voco Gregorium Gregor. 5. Moral. cap. 13. *Tantò quiſque ſe ad fortitudinem profeciſſe veriùs demonſtrat, quantò aliena mala robuſtiùs tolerat.* Adnectit poſt pauca: *Qui igitur patientiam tenet, animam poſſidet: quia inde contra aduerſa omnia fortis efficitur, vnde ſibi & ſe ipſum vincendo dominatur: & quod ſe laudabiliter frangit, infractum ſe fortiter exerit.* Expende illud: *Sibi ſeipſum viniendo dominatur.* Habet homo geminum in aduerſitate inimicum, videlicet impatientiam, & calamitoſam fortunam: ſi impatientiam vicerit, infractus perſtat, quantumvis aduerſa ſors iacula contorqueat, & vrgeat; at ſi indignationi, impatientiæque domeſticis inimicis cedat, iam aduerſitatis cauſam agit: quia ſi de mentis arce prudendentia deturbetur, calamitas ingrauatur, ergo dominatur aſtris: ſtans ſuper aduerſitatem immotus, qui fortis & ſapiens: dolorem deglutire, & patientiæ viſceribus coquere intereſt ſæpè non ſolùm vt floridam virtutis aſſequatis palmam; ſed etiam ne hoſtibus inhumanam incrementes lætitiam.

Iob ab aduerſarij duriſſimis telis impetitus non ſuccubuit deiecto animo mœſtus; imò ad certamen ſe erexit verâ fortitudine, & tolerantia munitus: 266. *Tunc ſurrexit Iob.* Tunc ſurrexit, cùm putares con- Iob. 1. fuſis calamitatum vorticibus obruendum: nec ſo- v. 20. lùm ſurrexit; ſed comam totondit, non aliter ac Ioſeph, cùm è vinculis ad thronum tranſlatus eſt. Origen. Notauit Origenes lib. 1. in Iob: *Totondit comam capitis ſui, ſicut Ioſeph, cùm de carcere à Pharaone educeretur.* Lætantis aſſumpſit habitum, ne ſi nimium triſtetur, hoſtis rideat, & deſiderata perfeciſſe ſe gaudeat: ſurrexit contra paupertatem externam vetis diuitiis opulentus; ſurrexit contra inſultationes immotus, ſurrexit contra iniquas malignantium ſuſpiciones interritus. Huc voco Philo- Philo. nem lib. de Fortitudine: *Curat, ne perturbationibus tamquam fluctibus pulſata, oppugnatáque peſſumeat, ſuſtentans eam, attolenſque, & quodammodò animans, immortalemque faciens.* Quamdam immortalitatem inſpirat hominibus fortitudo, in mediis fluctibus portum offert, & ne conſtantia peſſumeat perturbationibus impetita, dum impatientiam abigit, quidquid erat doloris, aut mellit, aut ſopit.

---

§. LX.

Acri deſiderio ardet vindictæ, qui corde preſſit iniuriam, ne rogatus conceſſerit veniam.

Eſt *& alius ſummus impatientiæ ſtimulus*, aie- 267. bat Tertull. lib. de Patient. cap. 10. *vltionis libi-* Tertull. *do.* Iniuria, dum gloriam innubilat, dum famam ſordidat, acri ſtimulo adurget animum, & contrà omne indurat periculum. Eſt vltionis libido vrgentiſſima; eius tamen acies ſtimulos aliquando ipſa vltionis ſitis regit, & in tempus commodius differt. Certè dum iniuria affectus cordis dolorem prodit, vltionis opportunitatem depellit: accurrunt námque plures, qui auctoritate ad veniam cogant, aut importunis precibus exprimant. Et inſuper aliquale eſt ægrimoniæ delinimentum dolorem prodere, indignationéque euaporare; aſt dum grauior dolor iniuriam deglutit; quò diutiùs vindicarit, dolorem tegit, & omne vindictæ impedimentum diſſimulatione præcidit. Grauem Leuites à Gabaënis accepit iniuriam, diſtractam námque à ſe vxorem ea procacia ac libidine diuexarunt, vt viribus deficientibus expirarit. Ergo acerbo adeò caſu perculſus nec iniuriam eiulatibus prodidit, nec ſingultibus conſolatores aſciuit; imò ac ſi nihil paſſus, iter proſecutus eſt: *Intelligens quòd erat mortua, tulit eam, & impoſuit aſino, reuerſuſque eſt in domum ſuam.* O quàm vtilius fuiſſet Gabaënis Leuitam iniuriam pectore non preſſiſſe nec dolorem integrum referuaſſe: nam fortè ſi indignatus quæreretur: ſi querulus inclamaret, magnates ſceleris atrocitatem agnouiſſent, & pœnitudine ac precibus iram placaſſent; at dum diſſimulante Leuita nullum iræ impedimentum opponunt, durum vltionis

experiuntur ſupplicium. Notauit Arias Montan.
Montan. *Neque mortua iam puella, quam amauerat, caſus clamoribus, aut querimonia, gemitu, aliove doloris indicio profecutus eſt, ne quo pacto oppidanos ad ſe placandum induceret: prætereà etiam, ne ardorem, quo flagrabat, ipſe ſibi aliqua parte reſtingueret, aut minueret; ſed integrum ad vltionis impetum retineret.* Itaque quo dolor acceptæ iniuriæ tectior, & ad vindictam exequendam fuit durior, quandoquidem non ſolùm Gabaëni deleti;ſed & ferè omnes contribules etiam conſumpti. Graue adeò fuit crimen, vt perculſo animo ſuaſerit tolerantiam,ne preces importunæ extorſerint veniam. Ergo Leuites acceptam diſſimulauit prorſus iniuriam, vt integram ad vltionem foueret iram. Gabaëni, dum Leuitam conſpexerũt nullo dolore perculſum;ſed pacato vultu iter arripientem, non ſolicitarunt veniam, & ignaui, imparatíque ardentem ſuſtinuerunt poſtmodùm flammam: ergo timendum vindictæ genus eſt,vt de pleno effundatur ita,ad tempus diſſimulare prorſus offenſam: cúmque omnia in figurâ illis contigerint,hîc adumbratum videtur, quod peccatoribus accidit: audaciſſimâ procaciâ Deum exaſperant, grauiſſimis offenſis irritant; tacet tamen terga quodammodò vertens, & nullo doloris ſigno edito dolorem glutiens. Sed proh pauendum,ſi peccator diuinâ patientiâ abuſus illatam contempſerit iniuriam, quandoquidem ſuſtinebit integram iram! Duriſſimum vindictæ genus eſt offenſam diſſimulare,ſi dum non punitur culpa acrior omnia depaſcit flamma.

268. Iſai. 41. v. 13. *Dominus*, inquit Iſaias, *ſicut fortis egredietur ſicut vir prœliator ſuſcitabit zelum: vociferabitur & clamabit, ſuper inimicos ſuos confortabitur.* Huius adeò grauis indignationis calamitatem ſilentij officina elaboratam, & à patientiæ teſtatur tolerantia productam: *Tacui ſemper, ſilui, patiens fui: ſicut parturiens loquar, diſſipabo, & abſorbebo ſimul, deſertos faciam montes, & colles, & omne gramen eorum exſiccabo.* Arborem illam, quæ bellum inferebat aſtris, dolore prodito pia falx per partes ſuccidit; ſed prorſus non exſiccauit: clamor ille ab iniuriæ dolore exulceratus, & vindictam ſumés miſericordiæ pars fuit, ne vindicta ſilentio creſceret innutrita, audentis frænauit inſaniam, & dum frænatur inſania, & ſopitur etiam ira. Satius eſſet montibus, ſi anteà clamaſſet: clamore námque perculſi de ipſo timore elaboraſſent remedium,qui de falſa ſecuritate adauxerunt ſibi ſupplicium. Adeſt Hugo ad Iſaiæ 42.
Hugo. *Diſſimulaui, & ad modum tacentis me habui: quia non videbar de hoc curare: patiens fui, id eſt exceſſum, & ſuperbiam veſtram, ô Chaldæi non ſtatim vindicaui; ſed expectaui;ſed modò ſicut parturiens loquar.* Adnectit: *Sicut mulier infantem, quem geſtabat clauſum, pariendo oſtendit; ita dolorem, quem de exceſſibus veſtris tegendo clauſum, in corde gerebam, oſtendam:* quaſi nihil pateretur, tacebat Dominus, ſed ipſa diſſimulatio patrocinabatur vindictæ, & igniculos addebat iræ: fors ſi dolorem exprompſiſſet, iniurioſi timerent, & de impetranda venia cogitarent: ergo ipſa patientia, ipſa diſſimulationis tolerantia cauſam infelicitatis quodammodò promouit, dum totus indignationis torrens ſimul erupit. Peccatores dum à Domino tolerantur, dum grauiſſimè offendentes indignationis indicium nullum experiuntur, debuiſſent ſibi ſolicitiùs cauere, quandoquidem non ſemel malè ominatur ipſa tolerantia, & ipſa diſſimulationis patientia.

269. Dauid ab inimicis aduerſariiſque iniuriis frequentiſſimis exaſperatus eâ ſe diſſimulatione gerebat, ac ſi nec iniurias agnoſceret, nec ſuſtineret: *Qui inquirebant mala mihi, locuti ſunt vanitates, & dolos tota die meditabantur;ego autem tanquam ſurdus non audiebam, & ſicut mutus non aperiens os ſuum: & factus ſum ſicut homo non audiens, & non habens in ore ſuo redargutiones.* Verſum hunc Pſal 37. v. 13. de Semei intelligit Baſilius in ſcholiis. Ergo cùm Semei conuicia audaci ac maledica linguâ in Dauidem effutiret,cùm ſacrilegâ manu lapides cótorqueret,tacuit, & patientiſſimè iniuriam ſuſtinuit. Sed vide iam quid de Semei ad Salomonem mandauerit: *Noli pati eum eſſe innoxium.* Salomon 3. Reg. 2. v. 8. patris mãdata exequens, opportunámque occaſionem nactus morte violẽtâ puniuit maledicam linguam, & effuſo ſanguine vindicauit offenſam. Itaque diu patienter latus cruenta ac infelici morte eſt occiſus: tacuit Dauid; ſed licèt ſereno vultu præterierit offenſam, dignam & duram decreuit mulctam: nolebat fortè diſſimulando rogari, quo grauiſſimam ſceleri pœnam poſteà valeret infligere.

Paulus ad Hebræos ſcribens,cũ de illatis angeretur ſuppliciis, à pientiſſima promanaſſe docuit miſericordia non ab inexorabili ira: 270. *Quem diligit Dominus, caſtigat flagellat autem omnem filium, quem recipit. In diſciplina perſeuerate tanquam filiis vobis offert ſe Deus.* Ad Heb. 12. v. 6. Filiationis quodammodo character eſt correctio, & miſericor indignatio: certè qui non corrigitur, depretiatur. Non omnibus hanc Deus miſericordiam exhibuit, vt ſe illis iratum, & indignatum oſtenderet: pars, & quidem non exigua, indignationis eſt ipſa indignationis diſſimulatio,&, ſi fas eſt dicere,ſeuera deceptio: nam qui nullo indignationis ſigno deterrentur præmoniti, pœnas ſæpè ſeueriſſimas dederunt incauti, & miſerrimi. Ergo felices vos, inquit Apoſtolus, quos Deus in filios recipit, dum vtili verbere ad virtutem expolit & reducit. Prodeſt Anſelm. *Si exceptus eris a paſſione flagellorum, exceptus eris à numero filiorum: ne* Anſelm. *te ſine flagello futurum ſperes, niſi fortè cogitas exhæredari.* Quem diſſimulat tolerantia, exhæredat ſæpè iuſtitia. Ergo examina, an ad exhæredatos, an pertineas ad filios.

Nabucho peccat; ſed & diuinam experitur ſæpiùs vindictam: ſtatuam videt euerti,arborem ſcindi: 271. Balthaſar etiam derelinquit, quin vigilis audierit deterrentem vocem, nec ſomniarit ſtragem. Quid tunc? Nabucho oculos ad cœlum leuat verberibus emendatus,& cum fœnore honorem recuperat virtutibus reſtitutus. *In ipſo tempore ſenſus meus reuerſus eſt ad me, & ad honorem regni mei, decorémque perueni.* Daniel 4. v. 33. Quid Balthaſari acciderit, audi: *Appenſus es in ſtatera, & inuentus es minùs habens: diuiſum eſt regnum tuum,& datum eſt Medis, & Perſis.* Offenſus Deus, & quidem grauiſſimè à Balthaſare ſiluit, nullóque ſigno indignationem oſtendit; ſed vindictam duriſſimam intulit: offenſus in Nabucho piè exarſit: nam dum ſqualore eruditus humiliter petiit veniam, effugit ardentem iram. Huc voco Tertull. de patient. cap. 11.
Tertull. *Gratulari, & gaudere nos docet dignatione diuina caſtigationis: Ego, inquit, quos diligo, caſtigo. O ſeruum illum beatum, cuius emendationi Dominus inſtat, cui dignatur iraſci, quem admonendi diſſimulatione non decipit.* Deus profectò nullum decipit; ſed plures,dum ſuſtinentur,dum ſine iratum ſignificatione tolerantur, falſa ſecuritate errores proſequuntur decepti, & miſerè pereunt deluſi: ergo magna numinis dignatio eſt iraſci ad veniam indignatio

Digitized by Google

dignatio magna diſſimulare ad vindictam. Ecce Leuites diſſimulat iram, ſed ne togatus exhibeat veniam, & dum ſceleſti non curant veniam, ardentem ſuſtinere coguntur flammam.

272. Plures ſtulti, plures exoculati mirantur iuſtos frequenti animaduerſione puniri; ſceleſtos verò impunitos tolerari, qui, ſi de rebus, vt par eſt, ſententiam ferrent, agnoſcerent grandi beneficio alios diuexari, & alios indignatione grauiſſima ſuſtineri. Nonne vides ex eadem ſylua truncum eligi ad alicuius Sancti imaginem exprimendam, alium non eligi; ſed relinqui? Profectò qui eligitur, ſcobinis & rancinis adaptatur; poſteà verò perſeuerat veneratione cultus, & ab omnibus reuerenter ſuſpectus; alter verò alendis ignibus traditur, & tarditatem laboris grauitate compēſat, & nigros in cineres conuerſus deſpectum fuiſſe demonſtrat. Fer modo de vtroque ſententiam. Putaſne abiectum ſtipitem feliciorem, an dilectiorem exculcum? Ergo non aliter ſe Deus cum hominibus gerit: alios vitiorum vernulas deſpicit, quos verbere aliquando intactos voracibus ac extinguendis nunquam ignibus derelinquit; alios verò, quia ad exprimendam ſuā imaginem in æternum delegit, laboribus expoliuit. Ad rem profectò Seneca lib. de prouid. c. 4. *Hos itaque Deus, quos probat, quos amat, indurat, recognoſcit, exercet; eos autem quibus indulgere videtur, quibus parcere, molles venturis malis ſeruat. Erratis enim ſi quem iudicatis exceptum: veniet ad illum diu felicem ſua portio: Quiſquis videtur dimiſſus eſſe, dilatus eſt.* Quid elegantius & verius?

Seneca.

§. LXI.

Vehemens dolor totum animum ad ſe rapit; nec lachrymas, aut verba permittit.

273. Metus nimius, vehemens dolor quædam veluti ecſtaſis eſt, quæ ſenſus illigat & animum quadam ſtupiditate inuaſum omni attentione diſpoliat: temperata ægrimonia admittit medelam, vehemens ad ſe trahit applicitam medicinam. *Aliquot*, inquit Seneca lib. 6. natur. quæſt. c. 29. *inſanis attonitiſque ſimiles diſcurrere fecit metus, qui excutit mentes, vbi priuatus ac modicus eſt quid vbi cadunt vrbes, populi opprimuntur, terra concutitur: quid mirum eſt animos inter dolorem & metum deſtitutos aberraſſe? Non eſt facile inter magna non deſipere.* Vbi acerrimus animos inuaſit dolor ea ſtupiditate detinuit, vt vel cordati ſibi exciderint, & vehementiſſimè obturbari nec formare verba, nec animi ſenſum lachrymis euaporare valuerint. Comprobat hanc veritatem Leuita, qui cùm à ſe raptam ſponſam, & inopinè mortuam miſeréque proſtratam videret, acri adeò dolore perculſus eſt, vt nec verba reddiderit, nec lachrymis oculos deturparit: *Intelligens quòd erat mortua, tulit eam & impoſuit aſino, reuerſuſque eſt in domum ſuam.* Et vbi eiulatus doloris filius? Vbi lachrymæ, quas cordis ægrimonia depellit? Vbi verba, quibus hoſpiti humaniſſimo pœnas lachrymis vocaliſſimis retulerit, aut gratias diſceſſurus egerit? Nil locutus eſt, lachrymas emiſiſſe nō fertur: caſus namque acerbitas ſic animū doloris vinculis illigauit, ſic ora obmuteſcere fecit, vt nequiuerit vocem formare, aut lachrymas fundere: *Neque mortua iā puella*, inquit Arias Montan. *quam amauerat, caſus clamoribus, aut querimonia, gemitu, aliove doloris incendio proſecutus eſt.* Adhæcit: *Triſti atque miſerando ſpectaculo*

Seneca.

Non eſt facile inter acerba aut magna non deſipere.

Montan.

magis ac magis in horas incenſus. Lenis vnda natare permittit, torrens verò ad ſe natatorem rapit, nullóque vſu membrorum permiſſo voluminibus circumactum inuoluit: ſic Leuitem immeratus dolor vale hoſpiti dicere non permiſit; ſed à ſe quodammodò alienum vocem emittere vetuit, & gemitum viſceribus intercluſit.

Vt facer textus, quàm intimum animis dolorē ingerat, quàm graui timore percellat cæleſtis maieſtatis præſentia, edoceat hominem inducit conuiuio ſeſe importunè ingerentem non ſolùm indecenti ornatu; ſed ſordido etiam veſtitu: hîc ergo cùm à rege acri obiurgatione corriperetur, verba non potuit efformare mutus, nec doloris ſignum edere obſtupefactus. *Intrauit rex, vt videret diſcumbentes, & vidit ibi hominem non veſtitum veſte nuptiali, & ait illi: Amice quomodo huc intraſti non habens veſtem nuptialem? At ille obmutuit.* Alius debitorum veniam conſecutus eſt clamans, & ad genua miſericordiam implorans; iſte ad precum, lachrymarúmve non confugit patrocinium, quia omnes animæ operationes dolor metúſque ligauit. Audi Theophylact. ad hunc locū: *Ligantur omnes virtutes animæ operatiuæ.* Vehementi obiurgatione correptus, acerrimo metu obturbatus, & totus intimo dolore poſſeſſus linguæ amiſit vſum, & oculorū plorarū: totus ſtupidus, totus illigatus, totúſque gemitum non emiſit abſorptus. Et ne incidentem moralitatem prætereamus, expende grauiore dolore percelli impios ob Dominicam iram, quàm ob gehennalem ardentem flammam, quandoquidem iſte obmutuit, cùm diues ille epulo inter ardentes flammas clamarit: *Ibi erit fletus & ſtridor dentium*, aiebat Dominus: hîc ſtridore dentes non quatiuntur, nec genæ copioſis lachrymarum torrentibus defœdātur: eo dolore de irati regis aſpectu perculſus eſt, vt remāſerit ad omnem operationem ligatus, & ad doloris ſenſum ſolummodò viuus.

274.

Matth. 22. v. 11.

Theophyl.

Iobi amici, dum ad illum conſolandum accedunt, ora ſilentio ſignant: quia dolore exulcerati agnouerant vehementi: *Sederunt cum eo in terra ſeptem diebus, & ſeptem noctibus, & nemo loquebatur ei verbum: videbant enim dolorem eſſe vehementem.* Iobum linguæ vſu exiſtimabant priuatum tot dolorum voluminibus aſpicientes obuolutum; imò & ipſi linguæ vſum amiſerant ſtupore correpti, & compaſſione obturbati. Non ignorabant eis dolorum torrentibus Iobum inepti, vt à corde potuerit cadere: ergo dum ſolas externas doloris cauſas aſpiciunt, internam verò ac ſuprà omnem fortunam ſtantem veram Iobi fortitudinem nō agnoſcunt, verbis reputauere priuatum, quandoquidem acerrimus dolor nec loqui patitur, nec audire. Ergo ſeptem diebus tacent, donec vis doloris tantiſper remittat, & ſibi Iobum ad loquendum, audiendúmque reddat: quaſi aliter nec auris ſermonem percipere, nec lingua quiuerit verba ad reſpondendum formare: *Dum percuſſionem cernunt*, inquit Gregor. lib. 3. moral. c. 10. *ſed percuſſi mentem neſciunt, ita in immenſum luctum verſi ſunt, ac ſi percuſſus vir tantæ fortitudinis in plaga corporis, etiam à corde cecidiſſet.* A corde cecidiſſe putabant doloris fluctibus repercuſſum, & acerbitatis torrente abreptum: ergo ſeptem diebus tacuerunt dolori ſpatium concedentes, & an remitteret, expectantes.

275.

Iob 2. v. 13.

Gregor.

Magdalena, dum ſepultum Chriſtum non inuenit, graui dolore percellitur, lachrymis tamen animi ſenſum teſtatur: *Dum ergo fleret, inclinauit ſe.* Tranſi ad Virginem Sacratiſſimam, quæ, dum iuxta crucem ſtaret, filiumque altis diſcruciatum plagis

276.

ad

Digitized by Google

Ioan. 19. v. 25. adſpiceret, ſuſpiria lachrymaſve emiſiſſe non dicitur: *Stabant autem iuxta crucem Ieſu mater eius.* Et cur matris non referatur ſingultus, ſi Magdalenæ explicatur ploratus? certè vt noueris, quod dolore mater arſerit. Non ſic Magdalenæ animum dolor inuaſerat, vt ploratum non permiſerit; at matris pientiſſimæ ſic viſcera dolor poſſedit, vt lachrymas intercluſerit: non à ſenſu dolor alienauit, non à corde excidere caſus fecit; imo inter tot rapidos calamitatis fluctus vera fortitudine conſtitit; ſed graui adeo dolore perculſa, vt tota fuerit compaſſioni conſecrata, quin doloris vehementia lachrymas erumpere, aut emittere ſuſpiria permiſerit. Audi Bernardum ſerm. de lamentat.
Bernard. Virgin. Mariæ, eius nomine ſic loquentem: *Volebam loqui; ſed dolor verba rumpebat: quia verbum iam mente conceptum, dum ad formationem procederet oris ad ſe imperfectum reuocabat dolor intimus cordis.* Adnectit: *Lingua magiſtra vocis vſum perdiderat loquendi: videbam morientem, quem diligebat anima mea, & tota liqueſiebam præ doloris anguſtia.* Sic Virgo Sanctiſſima indoluit, vt nihil ſtupiditatis admitteret, nihil dolori negaret: doluit Magdalena; ſed interrogantibus Angelis potuit verba texere, & lachrymas quiuit emittere: *Quia tulerunt Dominum meum, & neſcio vbi poſuerunt eum.* Licèt vehementi exulceraretur dolore, potuit lachrymas fundere, & ſe vt vteretur oculis, inclinare: *Dum ergo fleret, inclinauit ſe, & proſpexit in monumentum*; at Sanctiſſima Virgo eo dolore perculſa eſt, vt verba ruperit: & viſcera torſerit. Stans refertur, vt eximiæ fortitudinis diſcas valentiam; ſuſpiria tamen non dicitur emiſiſſe, vt doloris noueris acrimoniã.

277. Anna illa celebris Samuëlis mater ea anxietate tenebatur, vt verba non texeret, & ab Heli Sacerdote os eius obſeruante ebria audiret: *Exiſtimauit*
1 Reg. 1. v. 14. *ergo eam Heli temulentam.* Cui Anna linguam reſpondit non temulentia impeditam; ſed dolore eſſe illigatam: *Ex multitudine doloris & mœroris mei locuta ſum vſque in præſens.* Multa nobis veniunt expendenda. Quid eſt, *Vſque in præſens*? Quaſi dicat: iam doloris ac mœroris vis aliquantulum remiſit, quandoquidem verba poſſum texere; quod ſi anteà, etſi mouerem labia, non efformauerim verba, mirum non eſt, nec ebrietati tribuendum; ſed doloris, qui rumpebat verba, vehementiæ adſignandum: *Anna,* inquit textus, *Loquebatur in corde ſuo, tantumque labia illius mouebantur, & vox penitus non audiebatur.* Dolor ebrietatis quodammodo vices gerebat, & interclusam vocem ſibi vendicabat:
Gregor. *Anna labia,* inquit Gregorius hîc, *mota conſpexit, & vocem penitus non audiuit.* Interrupta vox dolorem eloquentius prodebat, & dolor vocem intercludendo ſui vehementiam oſtentabat: non vino; ſed dolore quodammodò ebria viſa eſt ſibi deficere, & à mente cadere: nam dolor, ſi vehemens, totum ſibi hominem ſuffuratur, quin linguæ permittat vſum, aut lamentorum ſolatium.

§. LXII.

Vbi Deus ſeueram decreuit vindictam ſumere, aufert, ſi quid poterat retardare.

278. IVſti à Deo amati non ſolùm proſunt, dum lucis vſurâ fruuntur; ſed dum ſepulti aſſeruantur: Numinis namque amor defunctorum honori conſulit, & curam illorum gerit. Hinc Ambroſius de obitu Satyri fratris gratias Deo agebat, quod dilecti ſuperi; Satyri reliquias ei conceſſiſſet, quandoquidem corpus illud quondam diuini ſpiritus templum poſſidentium erat ſcutum: *Tibi, omnipotens* Ambroſ. *æterne Deus, gratias ago quod vel hæc nobis ſuprema ſolatia non negaſti, quod amantiſſimi fratris ex Siculis, Africaniſve regionibus exoptatum nobis reditum contuliſti.* Addit: *Habeo planè pignus meum, quod nulla mihi iam peregrinatio poſſit auellere; habeo, quas complectar, reliquias; habeo tumulum, quem corpore tegam, habeo ſepulchrum, ſuper quod iaceam, & commendabiliorem Deo futurum me eſſe credam, quòd ſupra ſancti corporis oſſa requieſcam.* Oſſa vti diuinæ miſericordiæ illicium, pro ingenti habebat munere, nec dubitabat Deum benigno iam proſpecturum aſpectu, quos tanti corporis honorari voluit conſortio. E contrà Deo curæ eſt ſuorum reliquias auferre, cùm dura decernit ſupplicia infligere. Ecce Leuites à Gabaënis magna exulceratus iniuria dilectæ ſibi vxoris cadauer domum retulit, nec ibi ſepeliri permiſit: *Tulit eam, & impoſuit aſino. reuerſúſque eſt in domum ſuam.* Cur ibi quieſcere paſſus non ſit cadauer, quærunt Interpretes. Inter alios Arias Montanus iam de acri cogitaſſe vindicta tradit, ob idque ibi corpus remanere non permiſiſſe: quaſi cadauer apud Gabaënos conditum illorum foret propugnaculum, & ſubſidium. Vt vorax flamma tantum ſcelus vindicatura ciuitatem nigros reducat in cineres, omne ſibi impedimentum auferre curauit, & omni eos præſidio deſtitutos reliquit: *Omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt.* Corpus ipſum, etſi iniuriã affectum forſitan aliquod indignationis eſſet obſtaculum. Ergo tulit, ne ipſis remaneret ſubſidium. Iuſti ipſis in ſe delinquentibus miſericordiam ſolicitant impetrare, iramque diuinem impedire. Ergo tulit, ne ſibi dilectæ ſponſæ corpus occiſores aliquomodo defenderet, & vltionem mitigaret. Ita Arias Montanus: *Ne ardorem,* Montan. *quo flagrabat, ipſe ſibi aliqua parte reſtingueret, aut minueret; ſed integrum ad vltionis impetum retineret, & cogitando, atque inueniendo vindictæ modo augeret, nec puellam mortuam eodem loco ſepelire, aut ſepeliendam relinquere voluit; ſed aſello impoſitam ad locum vſque ſuum pertulit.* Quò integram reſeruaret iram, quo duram ac ſeueram exerceret vindictam, noluit reliquiis impediri, aut ſepulto corpore reſtænari. O quàm eximium Dei beneficium eſt ſanctorum reliquias apud nos habere, eiſque veluti muro inexpugnabili communiri.

Dum Pharaonis feritas afflictionibus ingemina- 279.
ti; modum crudelitatis tranſgreditur etiam Iſraëlitarum clamor, vt opem imploret, ingeminatur, Deus etſi diu patienter tulerit Ægyptios belluis truculentiores deſæuire, eos tandem decreuit pœnis duriſſimis caſtigare: diuitiis deſpoliare iubet: *Spoliabitis Ægyptum.* Exod. 3. v. 22. Verùm cùm iam cæleſtis ira inardeſceret, Moyſes Ioſephi oſſa diligenter quæſiuit, ſecumque aſportauit. Exod. 13. v. 18. *Armati aſcenderunt filij Iſraël de terra Ægypti. Tulit quoque Moyſes Ioſeph ſecum.* Hugo Cardinalis textum opponit textui, dubitatque quomodo hic aſcendiſſe referantur armati, cùm infra ſine armis referantur egreſſi. Verùm ſolutio videtur facilis, quandoquidem Ioſephi reliquiis incedebant præmuniti. O quàm ſecurus incedebat populus Ioſephi oſſibus obarmatus! O quàm Ægyptus carebat præſidio, dum oſſa Sanctiſſimi viri non eſt Deus ibi permanere paſſus! Non diſpoliaſſent Ægyptum, ni ſacris priuaſſent oſſibus, quandoquidem Ægyptiis eſſent

pro

Digitized by Google

Hugo. pro muro. *Infra dicitur*, inquit Hugo ad hunc lo-
cum, *Quòd inermes aſcenderunt: vnde vbi nos ha-
bemus, armati aſcenderunt, alia tranſlatio, habet
inermes.* Itaque licet egrederentur gladiis nudi, re-
liquiis aſcendebant armati: nam Sanctorum reli-
quiæ nobis ſunt contra viſibiles, & inuiſibiles ho-
ſtes pro armis.

280. Cùm acerba Chriſti Domini paſſio procelloſæ
ad inſtar turbinis diſcipulos afflixiſſet, & à magi-
ſtro pientiſſimo ſeparaſſet, adhuc amare non deſti-
tit; imò etſi inferni, mortiſque deſtructor redierit,
linteamina ſecum non tulit; ſed ibi ad ſuorum tu-
tamentum, & ad reſurrectionis, & amoris reliquit
indicium. Petrus Ioannéſque à Magdalena præmo-
niti accedere non verentur, quia relictis ſibi lin-
teaminibus obarmantur. In Ioanne adumbratam
putat Hugo affectionem difficultatibus tantiſper
præpeditam, in Petro rationem ex viſis fiducia pro-
Ioan. 20. tectam. *Cùm ſe inclinaſſet* (Ioannes) *Vidit poſita
v. 5. linteamina, non tamen introiuit: venit ergo Simon
Petrus ſequens eum, & introiuit in monumentum,
& vidit linteamina poſita, & ſudarium, quod fuerat
ſuper caput eius, non cum linteaminibus poſitum;
ſed ſeparatim inuolutum in vnum locum.* Verſus ter-
ram inclinatus diſtinctè adeò ac Petrus linteamina
non adſpexit, Petrus clariùs, dum rectus, vidit.
Ioannes celerior proditur, maturior Petrus: ergo
qui maturiùs acceſſit, diſtinctiùs agnouit: ſæpè
namque obeſt cognitioni & veritati celeritas, &
nimia ad operandum agilitas. Sed inquiramus, cur
Ioannes non intrarit, & cur Petrus non ſubſtiterit.
Quia linteamina; inquit Hugo Victorinus in alle-
gor. Tilmani; animos Petro, hoc eſt prudentiæ ac
rationi indebant, quandoquidem ni vellet Domi-
nus eis parcere, eoſque defendere, reliquiis non
Hugo. permiſiſſet muniri. Audi Hugonem: *Hoc eſt quo-
dammodò viſis linteaminibus ſubſiſtere, viſis difficul-
tatibus paſſionum ſe ad ferendum imparem iudicare.
Sed poſtquam conſilium poſterius veniens, priùs in-
trauerit, tunc & deſiderium ſequitur: quia poſt-
quam mens deliberat in illo confidendum eſſe, qui
prior vicit, tunc amor in omnibus per ſpem diuini
auxilij ad tolerantiam animatur.* Petrus negationis
angoribus agitabatur, Ioannes crucis angebatur
timore; verùm etſi tantillum hoſtium immanitate
amor deterritus pedem fixerit; mens tamen Sacris
apud ſe relictis exuuiis obarmatur, cæleſte ſibi aſ-
futurum credit auxilium, quandoquidem & auxi-
lij impertiendi pignus, & contra difficultates iam
ſortitur tutamentum: *Mens deliberat in illo confi-
dendum eſſe*: & quare? Quia linteamina, & ſuda-
rium videt.

281. Cùm apud Rahabam exploratores Ioſuë hoſpitio
excepti, vt ſe exhiberent gratos, funiculũ dederunt
aduerſus exercitus iram, & aduerſus appetentem
Ioſuë 2. calamitatis miſeriam. *Innoxij erimus à iuramento
v. 17. hoc, quo adiuraſti nos, ſi ingredientibus nobis terram
ſignum fuerit funiculus iſte coccineus, & ligaueris
eum in feneſtra, per quam demiſiſti nos.* Muri cla-
moribus impetiti corruunt, turres ſubſidunt, & ta-
men Rahabæ domus perſeuerat intacta, caſuque
Ioſue 6. exempta: *Ingredimini*, inquit Ioſue: *Domum mu-
v. 22. lieris meretricis, & producite eam, & omnia quæ
illius ſunt.* Vides quantum funiculus ille domui
contulerit, quàm ruina domui timuerit accedere:
non potuit caſus in Sacrum præualuiſſe funiculum:
quia erat firmiſſimum fulcimentum: ſine illis re-
liquiis periiſſet domus, illi patrocinantibus hoſtilis
non læſit gladius: *Cùm vniuerſa ciuitas*, inquit
Irenæus. Irenæus Martyr. lib. 4. cap. 37. *In qua habitabat,
concidiſſet in ruinam, Rahab conſeruata eſt cum vni-
uerſa domo ſua fide ſigni coccinei.* Non fefellit coc-
cineus funiculus; imò ſeruorum Ioſue reliquiæ
fuerunt infelicitatis obſtaculum, proſperitatis au-
xilium: felix mulier, quæ apud ſe habuit Sancto-
rum reliquias, quibus ardentiſſimas fruſtraretur
militum iras, & imminentes ſtragis vniuerſalis mi-
ſerias.

Non vacat myſterio Saulem in regem iam inau- 282.
guratum apud Rachelis ſepulchrum, quam deſi-
derabat, amiſſi gregis inueniſſe notitiam: *Cùm* 1 Reg. [illegible].
abieris hodie à me, inuenies duos viros iuxta ſepul- v. 2.
*chrum Rachel in finibus Beniamin in meridie, di-
centque tibi: Inuenta ſunt aſinæ, ad quas ieras per-
quirendas.* Quanta ſolicitudine, quanta anxietate
liberatus eſt iuxta Rachelis ſepulchrum! Campis
exerrarat inutili labore vexatus, iuxta Rachelis verò
ſepulchrum anxietate liberatur, & quam deſidera-
bat, notitiâ fruitur: vt nouerimus Sanctorum ſe-
pulchra eſſe angoris exilium, ſubſidium neceſſita-
tis, & remedium afflictionis. *Humana miſeria*, in-
quit Theofridus Abbas ſerm. de Sanctorum reli-
quiis, *Miſericorditer conſulit, & multiplicatis ſu-* Theofrid.
*per arenam patrociniis ciuitatem ſuam, id eſt Eccle-
ſiam cuſtodit, & protegit: vnicuique locorum, ſicut
& huic noſtro abundè magnas Sanctorum reliquias
accommodat, quatenus dum ab indigenis dignè ac
familiariùs honorantur, iidem indigenæ earum per-
petuâ defenſione firmentur.* Adnectit: *Dæmoniaci
veniunt, & liberantur, leproſi veniunt, & mundan-
tur, deferuntur mortui, & ſuſcitantur: nam vt ex
vno quid omnibus ſit aduertendum perpendamus,
per Eliſæi prophetæ oſſa reuixit mortuus.*

Hanc reliquiarum vim nobis retulit Iſaias: *Vi-* 283.
debitis, & gaudebit cor veſtrum, & oſſa veſtra quaſi Iſaiæ 66.
herba germinabunt, & cognoſcetur manus Domini v. 14.
ſeruis eius, & indignabitur inimicis ſuis. Dum San-
ctorum animæ gaudent, quia Deum vident, oſſa
eorum etiam germinant, & felices reliquiarum cul-
tores efficiunt. Notauit datus ibi Theofridus: *Ter-* Theofrid.
*rarum ſunt munimenta, & æternæ retributionis, di-
uinæque magnitudinis documenta.* Subiicit: *De iis
mirificis Sanctorum oſſibus dicit propheta veridicus:
Et oſſa veſtra vt herba germinabunt: oſſa Sancto-
rum, licèt mortali conditione areſcant, virtutum ta-
men viriditate, vt herba germinant.* Fructum nobis
quotidie pariunt Sanctorum reliquiæ: ob id Do-
minus eas nobis in auxilium benignus confert, vt
iratus etiam aufert.

§. LXIII.

*Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indul-
gere inſanis non refugit appetitibus.*

Miraberis eas ſecum afferre tenebras volupta- 284.
tem, eam auribus ſurditatem inducere, vt
oculi videntes non videant, vt aures audientes non
audiant: magica quadam incantatione dementan-
tur voluptuoſi, & cùm à tergo voluptatem dolor
inſequatur, nec animaduertunt periculum, nec in-
tuentur inuolans ferrum. Verùm licèt exoculata in
omnibus appareat hæc grata inſania, in fœminis
præcipuè, quæ dubitare non poſſunt inuigilare ma-
ritos honoris, pudicitiæque vindices; ea tamen plu-
rium cæcitas eſt, vt ne breui gaudio, plauſúque in-
felici careant, conſcientiam ipſam corrumpant, &
ſibi oculis apertis imponant. Non ſemel vxor opti-
ma conſilia ſpernit, & in ſe imprudenter ferrum
exacuit.

Digitized by Google

exacuit. *Plures inuenias*, aiebat Tertul. lib. de ſpect.
Tertul. cap. 2. *quos magis periculum voluptatis, quam vita auocet ab hac ſecta.* Alioſrsũ hæc ſcripſit Septimius, noſtro tamẽ inſtituto non incongruenter aptantur. Plures inuenias, quæ ne periculum ſubeant voluptatis, non vereantur ſubire periculum. Valentiùs audeat à fide debita, ab amore mariti promiſſo, ab non violando toto voluptatis inſanie, quam detineat diſcriminis contingentia. Expendunt iniqua imprudentiæ libra, ſi fide integra floreant, periculum ſe voluptatis facturas, ſi voluptate fruantur, ſubituras vitæ periculum, & à fidei integritate validiùs auocantur voluptatis illicio, quàm à voluptate arceantur vitæ diſpendio. En vxor Leuitæ, vt textus Hebræus indicat fidem integram non ſeruabat: *Fornicata eſt apud eum concubina*: ergo cùm iurgia non deeſſent, in paternam domum ſe contulit: Leuites & allexit, & reduxit: ipſo verò in itinere deliciis vacans vitam finiuit, & Leuites vt peruenit ad domum, in fruſta diuiſit. *Arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes ac fruſta concidens miſit in omnes terminos Iſraël.* Cùm ſacer textus ipſis hiſtoriis noſtros mores inſtruat, ad noſtram eruditionem à marito retulit in fruſta conciſam, quæ ad patrem ob iurgia fugerat, & deliciis vacarat: in cadauere expreſſit, quod viuenti multoties contingit: inueniuntur plures fœminæ libidinis œſtro agitatæ, & ſui oblitæ, quæ dũ non corriguntur ſtomacho, debitæ pudicitiæ cuſtodem ſuſtinuerunt dignè carnificem: *Hanc cùm vehementer ob formam amaret*, inquit Ioſeph. 5. antiq.
Ioſeph. 2. *parum reſpondere in amore ægrè ferebat. Hinc orto diſſidio mulier continuas expoſtulationes non ferens relicto marito menſe quarto ad parentes reuertitur.* Nulla erat huic fœminæ cauſa non diligendi ſponſum, vt quæ ab eo impensè dilecta, & diligenter exculta. Ergo dum maritum non latet deſpectus, & fœmina inſanos proſequitur appetitus, ad patrem confugere eſt opus, & cùm iterum conciliatio iam ſponſo repeþit domum, itineris finis fuit à marito trucidari, ni fruſtáque diuidi: *Arripuit gladium, & cadauer vxoris cum oſſibus ſuis in duodecim partes fruſtáque concidens, &c.* O diſcant fœminæ ab huius hiſtoriâ maritos non exaſperare, nec iniuria exulceratos relinquere.

285. Qui in latrones incidit plagas & quidem altas accepit, nec leuiores paſſa eſt fœmina ſponſo fœdifraga: *Quando nata es, in die ortus tui non eſt præ-*
Ezech. 16. v. 4. *ciſus vmbilicus tuus; ſed proiecta es ſuper faciem terræ in abiectione animæ tuæ in die qua nata es. Tranſiens autem per te vidi te conculcari in ſanguine tuo.* Expende infelicem hanc fœminam non ſolùm pati vulnerum plagas percuſſam, ſed ignominias etiam conculcatam: & quidem ni compatiens miſericordiæ oculus vitam refudiſſet, duriſſimam ac ignominioſam mortem toleraſſet. Quod ſi conculcationis inquiras cauſas, reſpondebit Gregorius Magnus luxuriam fuiſſe in vmbilico expreſſam, & à primis vnguiculis infelici ſtudio elaboratam. Gre-
Gregor. gor. audi apud gloſſam: *Quia ſeminarium luxuriæ fœminis in vmbilico eſt, propheta teſtatur, qui ſub ſpecie fœminæ proſtitutæ Iudæa petulantiam increpans ait: In die ortus tui, &c. in die quippe ortus vmbilicum præcidere eſt conuerſationis tempore carnis luxuriam reſecare.* Quæ conuerſationis tempore reſecare prudentiæ falce, & æquitatis cultro luxuriam noluit, in proprio ſanguine conculcata & deſpecta ſupplicium tulit. Concinit Lyra: *Dixi*
Lyra. *tibi, cùm eſſes in tali periculo: Viue, quia ſeruaui vitam tuam per mare rubrum te deducendo.* Vt ad populi eductionem inuiſis retro miraculis vndarum ſcinduntur volumina, & ſtupent torrentes ſilicum imitantes ingenia, ſic miranda opus fuit clementia, vt euaderet periculum, quæ fœdis proſtitutionibus in ſe exacuerat vltorem ferrum. O quantis compẽſant plagis euanidam voluptatem nonnullæ fœminæ! Quantam patiuntur confuſionem, ne caram amiſerint voluptatem! Præcidere nolunt carnis luxuriam: ergo in proprio ſanguine conculcantur, & conculcatæ ab omnibus deſpiciuntur.

Diſertiſſimus Salomon adulteram ſpiras fœdè trahenti colubro comparat, & naui fluctus ſecanti 286.
non ſine myſterio exæquat: *Tria ſunt difficilia mihi, & quartum penitus ignoro: viam aquilæ in cœlo,* Prouerb. 30. v. 18.
viam colubri ſuper terram, viam nauis in medio maris, & viam viri in adoleſcentia. Adnectit: *Talis eſt via mulieris adulteræ.* Adultera colubro, nauíque aſſimilatur: quia, vt coluber maledictus & dei pectus lucem fugit, & ſeſe laborioſè proreptans trahit: ſic adultera omnibus odioſa & deſpecta lucem cogitur fugere, & in imis ſæpè deliteſcere: aquilæ ad inſtar inuolare ſolet ad luxuriam infeliciſſimæ vtilitatis illicio, prædæque aucupio; ſed dum inuolat velocior, cogitur proreptare miſerabilior. Et ad hæc nauis etiam imitatur fortunam: nam vt nauis ſæpeſæpiùs, dum videbatur cryſtallinas, ac diſſerenatas vndas ſecuro veſtigio calcare, & tumidioribus linis ſuperbire, repentino, violentóque ventorum flatu circumagitur, & abſorbetur: ita adultera, dum arbitratur per æquor placidis ac ſecuris greſſibus incedere, acri vindictæ flatu repercuſſa ſolet perire. *Adultera mens*, inquit gloſſa, *vt ea, quæ commemorauit, ſemper vaga eſt, quæ vbi celare peccata pote-* Gloſſa.
rit negat ſe aliquid patraſſe mali. Aquila viam in aëre non relinquit, nauis, quod in mari aperit ſtatim iter abolet: ſerpens verò in terra veſtigia imprimit, & dum ſe trahit, ſuis ipſe greſſibus prodit. Ita adultera aquilæ ad inſtar viam ſuam adlaborat ingenioſa calliditate celare, nauiſque ad inſtar nullum veſtigium relinquere; verùm cùm colubri ſortiatur etiam ingenium, nequit non reliquiſſe veſtigium. Contrà diſſimulationis, fraudiſque calliditatem inuigilat ſuſpicionis etiam ſolertia, & cùm delinquens ſibi perſuadebat dolos ſuos ſagacitate occultatos, contigit diuulgare detectos: malitiæ adnexus timor omni diſſimulationis arte conatur ſcelus tegere, & indicia leuiſſima etiam operire, aut delere; ſed quia adultera colubri inſtar veſtigia imprimit, etiam cùm videbatur ſecura, inſtar nauis abſorbetur inopino vento impetita: *Securos*, aiebat alior-
ſum Seneca epiſt. 75. *diſiecit procella more, quæ in ipſa ſereni fiducia ſolet emergere.* Inopinantes ſecu- Seneca.
ræque plures fœminæ repentè demerſæ ſunt, & dum arbitrabantur omnia contegi, celatique ſagaci cautela, diſperierunt deprehenſæ lyncea, indagatricéque perſpicaciâ. Culpa ipſa ſe prodit, & dum putabatur elinguis, ſe manifeſtat vocalis.

Peruerſi illi ſenes caſtiſſimæ Suſannæ accuſato- 287.
res omni cautelâ ſcelus ſuum contegunt, canities veneranda omnem ſuſpicionem criminis auertebat dignitas fidem illis conciliabat: tempus expectarat opportunum, ſcilicet cum Suſanna miſſis puellis ſola remanſiſſet, nec teſtis vllus adeſſet, & tamen deprehenſi à Daniele puniuntur, & lapidantur: nam cùm Deus ſuæ perſpicaciæ prævaricator non ſit innocentiæ tutelaris & nequitiæ vindex ſcelus tunc prodidit, cùm ſi humanis inſpicias oculis, videbatur omnem notitiam eluſurum, nec vllis artibus deprehendendum: *Cum duceretur ad mortem, ſuſcitauit* Daniel 13.
Dominus Spiritum Sanctum pueri iunioris, cuius v. 45.

nomen

Digitized by Google

nomen Daniel. Propone tibi animo, quid faciendum fuerit, vt in caſtiſſimam Suſanam oculos mijcientes culpam diſſimularint, & texerint. Expectarunt, vt balneum æſtiuo tempore peteret, vt omnium hominum aſpectum fugiens ſola remaneret, vt puellæ pro Smigmatis afferendis dimiſſæ oſtium clauderent, & nihilominus duram non euaſerunt ſententiam, quia puer Daniel iniquam ſenum manifeſtauit ſtrophã: quod ſi infeliciter inoculata calliditas his anguſtiis premitur, & vulgatur, quid accidere putas fœminæ non adeò cautæ, nec ad celandum culpam intentæ. Mihi crede, licèt omnia humana veſtigia deſint, ipſe Deus pro omnifaria ſua ſapientia, & pro ſua nunquam corrupta iuſtitia denudat teſta artificiosè cõmenta, quo merita ſcelus patiatur ſupplicia. Audi Zenon. ſerm. 9. de Suſanna: *Falſos teſtes timor innadit, tremuit diabolus quòd ipſius cõmenta nudẽtur.* Crederes callida adeo ſagacitate, ſagaci adeo doloſitate contectũ crimẽ nullatenus deprehẽdendũ; ſed quia cęleſti iuſtitiæ munus incũbit ſcelera dignis ſuppliciis puniendi, vt quires punire, fecit & detegit: *Diaboli commenta nudãtur.* Zenon.

CAPVT XX.

VERS. I. EGRESSI itaque ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati
quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maſpha: 2. Omneſque anguli populorum, & cunctæ
tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei conuenerunt, quadringenta millia peditum pugnatorum. (3. Nec latuit filios Benjamin, quòd aſcendiſſent filij Iſraël in Maſpha.) Interrogatuſque Leuita maritus mulieris
interfectæ, quomodo tantum ſcelus perpetratum eſſet, 4. reſpondit: Veni in Gabaa
Benjamin cum vxore mea, illucque diuerti: 5. & ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam
incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt. 6. Quam arreptam, in fruſta
concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtræ: quia nunquam tantum
nefas & tam grande piaculum factum eſt in Iſraël. 7. Adeſtis omnes filij Iſraël, decernite quid facere debeatis. 8. Stanſque omnis populus, quaſi vnius hominis ſermone reſpondit. Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quiſquam intrabit domũ: 9. Sed
hoc contra Gabaa in commune faciamus 10. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centũ de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro ſcelere,
quod meretur. 11. Conuenitque vniuerſus Iſraël ad ciuitatem, quaſi homo vnus, eadem
mente, vnoque conſilio. 12. & miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui
dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? 13. Tradite homines de Gabaa, qui
hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire mandatum: 14. ſed ex cunctis vrbibus, quæ
ſortis ſuæ erant, cõuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum
populum Iſrael dimicarent. 15. Inuentique ſunt viginti quinque millia de Beniamin
educentium gladium, præter habitatores Gabaa. 16. qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi,
ita ſiniſtra vt dextra præliantes: & ſic fundis lapides ad certam iacentes, vt capillum
quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.
17. Virorum quoque Iſraël, abſque filiis Beniamin, inuenta ſunt quadringenta millia
educentium gladios, & paratorum ad pugnam. 18. Qui ſurgentes venerunt in domum
Dei, hoc eſt, in Silo: conſuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit
dux veſter: 19. Statimque filij Iſrael ſurgentes mane, caſtrametati ſunt iuxta Gabaa: 20.
& inde procedentes ad pugnam contra Beniamin, vrbem oppugnare cœperunt. 21.
Egreſſique filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia
virorum. 22. Rurſum filij Iſrael & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in
quo priùs certauerat, aciem direxerunt. 23. ita tamen vt prius aſcenderent, & flerent coram Domino vſque ad noctem: cõſulerentque eum, & dicerent: Debeo vltra procedere
ad dimicandũ contra filios Benjamin fratres meos an non? Quibus ille reſpõdit: Aſcendite ad eos, & inite certamen. 24. Cúmque filij Iſraël altera die contra filios Benjamin ad
præliũ proceſſiſſent. 25. eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa: & occurrẽtes eis tanta
in illos cæde bacchati ſunt, vt decẽ & octo millia virorũ educentium gladium proſternerent. 26. Quamobrem omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant
coram Domino: ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, 27. & ſuper ſtatu ſuo interrogauerũt. Eo tẽpore ibi erat
arca fœderis Dei, 28. & Phinees filius Eleazari filij Aarõ præpoſitus domus. Cõſuluerũt
igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnã contra filios Benjamin

fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite, cras enim tradam eos
in manus veſtras. 29. Poſueruntque filij Iſraël inſidias per circuitum vrbis Gabaa. 30. &
tertia vice, ſicut ſemel & bis, contra Benjamin exercitum produxerunt. 31. Sed & filij
Benjamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduerſarios longiùs perſecuti
ſunt, ita vt vulnerarent ex eis, ſicut primo die & ſecundo, & cæderent per duas ſemitas
vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel, & altera in Gabaa, atque proſternerent
triginta circiter viros: 32. putauerunt enim ſolito eos more cædere. Qui fugam
arte ſimulantes, inierunt conſilium, vt abſtraherent eos de ciuitate, & quaſi fugientes
ad ſupradictas ſemitas perducerent. 33. Omnes itaque filij Iſraël ſurgentes de ſedibus
ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa
vrbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt. 34. & ab occidentali vrbis parte procedere.
Sed & alia decem millia virorum de vniuerſo Iſraël, habitatores vrbis ad certamina
prouocabant. Ingrauatumque eſt bellum contra filios Benjamin: & non intellexerunt
quod ex omni parte illis inſtaret interitus. 35. Percuſſitque eos Dominus in conſpectu
filiorum Iſraël, & interfecerunt ex eis in illo die vigintiquinque millia & centum viros
omnes bellatores, & educentes gladium. 36. Filij autem Beniamin, cùm ſe inferiores
eſſe vidiſſent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Iſraël dederunt eis ad fugiendum
locum, vt ad præparatas inſidiãs deuenirent, quas iuxta vrbem poſuerunt. 37. Qui
cùm repentè de latibulis ſurrexiſſent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingreſſi
ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij. 38. Signum autem dederant filij Iſraël
his, quos in inſidiis collocauerant, vt poſtquam vrbem cœpiſſent, ignem accenderent:
vt aſcendente in altum fumo, captam vrbem demonſtrarent. 39. Quod cùm
cernerent filij Iſraël in ipſo certamine poſiti (putauerunt enim filij Benjamin eos fugere,
& inſtantiùs perſequebantur, cæſis de exercitu eorum triginta viris) 40. & viderent
quaſi columnam fumi de ciuitate conſcendere; Benjamin quoque aſpiciens retro, cùm
captam cerneret ciuitatem, & flammas in ſublime ferri: 41. qui priùs ſimulauerant
fugam, verſa facie fortiùs reſiſtebant. Quod cùm vidiſſent filij Benjamin, in fugam
verſi ſunt, 42. & ad viam deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos aduerſariis perſequentibus;
ſed & hi, qui vrbem ſuccenderant, occurrerunt eis. 43. Atque ita factum eſt, vt
ex vtraque parte ab hoſtibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt,
atque proſtrati ſunt ad orientalem plagam vrbis Gabaa. 44. Fuerunt autem qui in
eodem loco interfecti ſunt, decem & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi pugnatores.
45. Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Benjamin, fugerunt in ſolitudinem:
& pergebant ad petram, cuius vocabulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes,
& in diuerſa tendentes, occiderunt quinque millia virorum. Et cùm vltra tenderent,
perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia. 46. Et ſic factum eſt, vt omnes,
qui ceciderant de Benjamin in diuerſis locis, eſſent viginti quinque millia, pugnatores
ad bella promptiſſimi. 47. Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui
euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: Sederuntque in petra Remmon
menſibus quatuor. 48. Regreſſi autem filij Iſraël, omnes reliquias ciuitatis, à viris
vſque ad iumenta, gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes & viculos Benjamin vorax
flamma conſumpſit.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati, quaſi vir vnus, de Dan vſque Berſabee, & terra Galaad, ad Dominum in Maſpha.

verſ. 2. Omneſque anguli populorum, & cunctæ tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei conuenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum.

1. CVM rei nouitate, & ſpectaculi atrocitate tribus omnes commotæ fuiſſent, vt videtur, ex condicto decreuerunt in Maſpha aſcendere, & illic conſulto Domino, & re diligentiùs examinata eo ſupplicio ſceleſtos punire, quod cæteros deterritos à ſimili pœnâ auerteret, & officio contineret: eaque videtur fuiſſe ſceleris puniẽdi cupido, vt tribuũ anguli, id eſt, magnates, primoreſque ſecum quotquot potuerint, duxerint milites, ne tẽpus in parando exercitu inſumeretur, dilationeque digna ira refrigeſceret, & ſceleſti ſibi conſulerent. Sed mirum eſt adeò commune generaleque fuiſſe indictum concilium, & ſine coactione tot milites profectos, & aduerſus Gabaa hominum copiâ non celebrem cõgregatos. Abulenſis q. 2. rogat, quomodò Iſraëlitæ conuenerunt in Maſpha cùm nullus tunc iudex, aut populi princeps eſſet, cuius præcepto iuſſuque conuenirent: reſpondetque aliquam inter reliquas tribus haberi præcipuã, cuius primores aliis reſcriberent, non tanquam imperantes; ſed tanquam ad tam horrendum facinus puniendum exhortantes, & in Maſpha comitia indicentes. Audi Abulenſem: *Credendum eſt quòd tunc aliqua tribus præcipua, vt tribus Iuda, reſcriberet omnibus non tamquam imperans; ſed tamquam exhortans, vt conuenirent omnes in vno loco, ſcilicet in Maſpha, & ibi iudicarent, & quid facere deberent ſuper hoc: & tunc ſpontè omnes tribus conuenerunt ad hoc: & de hoc dicitur in littera, quòd omnes filij Iſraël egreſſi ſunt quaſi vir vnus, & venerunt in Maſpha.* Abulenſ. Maſpha præcipuè locus deſignatus eſt ad conuentum, quia apud illos celebrior, & fors capacior. Ad Dominum dicuntur conueniſſe, quia res ad religionem

nem aliquomodò pertineret, & ad vniuerſum populum ſpectaret. Sanctuarium in Maſpha tunc eſſe putat Arias Montanus. (Montan.) Abulenſis q. 13. multis probat Arcam tunc in Silo quieſcere, nec in Maſpha fuiſſe. Angulos populorum conueniſſe refertur, id eſt, vt putat Abulenſis, de omnibus extremitatibus, ſcilicet de aquilonari, meridiana, occidentali, orientalique plaga. Caietanus (Caietan.) per populorum angulos rectores, ſuperioreſque intelligit. Arias Montanus (Montan.) ad exercitus diſpoſitionem, figuramque refert: Chaldæus (Chald.) ſic habet: *Et ſteterunt capita omnis populi omnes.*

Verſ. 3. Nec latuit filios Benjamin quòd aſcendiſſent filij Iſraël in Maſpha. Interrogatuſque Leuita maritus mulieris interfectæ, quomodò tantùm ſcelus perpetratum eſſet.

Verſ. 4. Reſpondit: Veni in Gabaa Benjamin cum vxore mea, illucque diuerti.

Verſ. 5. Et ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, deníque mortua eſt.

Verſ. 6. Quam arreptam in fruſta concidi, miſique partes in omnes terminos poſſeſſionis veſtræ: quia nunquam tantùm nefas, & tam grande piaculum factum eſt in Iſraël.

Verſ. 7. Adeſtis omnes filij Iſraël decernite quid facere debeatis.

2. Beniaminitarum tribum non adfuiſſe comitiis illis in Maſpha celebratis, tradit Abulenſis, quod innui videtur illis verbis: *Nec latuit filios Beniamin.* Ac ſi dicat ſacer textus: Cùm non ignorarent, quid eis comitiis agitandum eſſet, prorſus abfuerunt: *Tribus Beniamin*, inquit Abulenſis (Abulenſ.) q. 1. *non venit ad iſtam congregationem.* Igitur veluti tribunali conſtituto adfuit Leuita, qui rogatus de accepta iniuria reſponderet, Semel & iterum cauſam voluerunt examinare, ne ſi indiſcuſſa, inexploratáque proceſſerint, dum ſtudent patrocinari æquitati, aduerſari inueniantur legi: in hoc tamen iudicio non video partem ream citatam, accitamve. Ille lachrymabili voce, deiectis oculis, triſti vultu, & ad commouendam ſibi commiſerationem geſtu, habituque compoſitus facinus retulit, quod poſteà & exaggerauit, & eis vti integerrimis, & legitimis Iſraëlis filiis quid decernendum, commiſit. Lyra non tantùm retuliſſe ait; ſed teſtibus comprobaſſe, ſcilicet ſene & ſeruo: (Lyra.) *Sciendum quòd Leuita non ſolùm factùm retulit; ſed etiam teſtibus probauit, ſcilicet per ſeruum, quem habebat in comitiua, & per ſenem, qui receperat eos hoſpitio; & familiam eius. Aliter non eſſet procedendum contra filios Benjamin ad bellum ad dictum vnius hominis.* Itaque cùm Leuita reos coram iudicibus de enormi crimine accuſaret, & teſtes perpetrati criminis exhiberet, iudices vti veros Iſraëlitas conteſtatus eſt. Ergo causâ ritè cognita in eam iuſtam indignationem exarſerunt, vt concordi animo referenda decreuerint.

Verſ. 8. Stanſque omnis populus, quaſi vnius hominis ſermone reſpondit: Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quiſquam intrabit domum.

verſ. 9. Sed hoc contra Gabaa in commune faciamus.

verſ. 10. Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt cōportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contra Gabaa Benjamin, & reddere ei pro ſcelere, quod meretur.

Cùm non ſine fundamento ſuſpicarentur vi magna opus eſſe ad puniendos Gabaënos (cæteros namque Beniaminitas non adfuiſſe, non obſcurè indicabat fore Gabaënis auxilio) exercitum ordinarunt, & ne victualium penuriâ à iuſta vltione ceſſaret, in primis decreuerunt demandandam victualium curam ſolicitis, & numero ad deſiderata perficienda ſatis. 3

verſ. 11 Conuenitque vniuerſus Iſraël ad ciuitatem quaſi homo vnus, eadem mente, vnóque conſilio.

verſ. 12. Et miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt?

verſ. 13. Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël. Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum.

Cùm concorditer decretum eſſet dignâ pœnâ flagitioſos plectere, abſtinuerunt ab armis, donec mitterent nuntios totius populi auctoritate armatos, qui tribus Beniamin primoribus intimarent opus eſſe ſceleſtos illos tradere ad tantum expiandum nefas: nec mandatum ſine aliqua totius tribus Beniaminitarū ſugillatione prolatum eſt: hoc námque denotat illa clauſula: *Cur tantum nefas in vobis repertum eſt?* Quibus verbis Beniaminitarum mores ſugillabant, & ignauiam in adeò ſceleſto piaculo puniendo carpebant. Flagitioſos tradi legitima auctoritate, & æquiſſimâ lege poſtulabant. In Hebræ habetur: *Date illos viros filios Beliaghal.* Beniaminitæ, ne fortè, vt putat Ioſephus, viderentur timore percelli, aut aliarum tribuum mandatis, quas nullatenus ſibi præpoſitas agnoſcebant, obedire, ne ſuæ iuriſdictioni detraherent, iuſſa exequi renuerunt. 4 (Hebræum. Ioſeph.)

§. II.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 14. Sed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſraël dimicarent.

Verſ. 15. Inuentique ſunt viginti quinque millia de Benjamin educentium gladium, præter habitatores Gabaa.

verſ. 16. Qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra vt dextra præliantes: & ſic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapides deferretur.

5. Cùm ſe impetendos Benjaminitæ non dubitarent, quàm citò ſtrenuorum fortiumque virorum copioſam manum collegerunt,& Gabaënorum ciuitatem intrarunt parati in campum contra populum totum procedere: erant etiam in Gabaa viri adeò in pugnando dexteri, vt nullum in caſſum ia-
Abulenſ. ctum contorquerent. Abulenſis per hyperbolen hoc dictum putat q. 14. certum tamen eſt Gabaënos ſtrenuiſſimos eſſe fundibularios, eorumque iactus rarò inanes: quod eis temporibus, quibus bella fundis & lapidibus agebantur, magni erat momenti. Benjaminitarũ arrogantia, Gabaënorum peritia in manifeſtam adeò inſaniam proceſſit, vt cõtra innumeros hoſtes inire bellum nullatenus detrectarent.

Verſ. 17. Virorum quoque Iſraël, abſque filiis Benjamin, inuenta ſunt quadringenta millia educentium gladios,& paratorum ad pugnam.

Verſ. 18. Qui ſurgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo: cõſuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit dux veſter.

6. Mira profectò res tot homines in prælium conuenisse,& figendis caſtris aptum locum eſſe. Certè Xerxis exercitus iam non mirandus. Vt auſpicatò bellum adorirentur, ad Dei domum venerunt: exiſtimo non omnis populus; ſed nonnulli omnium loco deſignati,& electi. His demandatũ eſt, vt circa exercitus principem Deum conſulerent: electus namque diuino oraculo ſine inuidia admitteretur, deſignatus verò aliter diſſidiorum præberet cauſam, dum quævis tribus ſibi præcedentiam arrogaret, & præferẽdam cæteris crederet. Conſultum oraculum Iudam in principem deſignauit, id eſt, Iudæ tribum.
Abulenſ. *Deus*, inquit Abulenſis q. 20. *ſolum curauit nominare tribum & poſteà Iſraëlitæ elegerunt perſonam de*
Caietan. *illa tribu.* Conſonat Caietanus: *Non petitur dux exercitus; ſed quæ tribus primam aciem habebit.* Oraculum latâ ab omnibus concordia exceptum eſt, nec bellum dilatum.

Verſ. 19. Statimque filij Iſraël ſurgentes mane, caſtrametati ſunt iuxta Gabaa.

Verſ. 20. Et inde procedentes ad pugnam contra Benjamin, vrbem oppugnare cœperunt.

Verſ. 21. Egreſſique filij Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.

7. Mirum euentum retulit textus: videbatur victoria in populi partem facilè conceſſura, quandoquidem Deo deſignante principem aggreſſi ſunt Iſraëlitæ iuſtiſſimum bellum,& tamen ſceleſti triumpho petiti ſunt: quod occultis Dei iudiciis adſcri-
Caietan. bendum tradit Caietanus: *Occulta ſunt nobis iudicia Dei quoad eorum rationes in ſpecie; in genere autem ſcimus quòd iuſta ſunt.* Iſraëlitæ accepta adeò graui clade non fracti, imò fortitudine, numeróque fidentes iterum ſigna conferunt,& bellum ineunt.

Verſ. 22. Rurſum filij Iſraël & fortitudine & numero confidentes, in eodem loco, in quo priùs certauerant, aciem direxerunt.

Verſ. 23. Ita tamen vt priùs aſcenderent,& flerent coram Domino vſque ad noctem: conſulerentque eum, & dicerent: Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non? Quibus ille reſpondit: Aſcendite ad eos, & inite certamen.

verſ. 24. Cúmque filij Iſraël altera die contra filios Beniamin ad prælium proceſſiſſent.

verſ. 25. Eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa: & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.

Cùm mane commiſſum fuerit prælium, & Iſ- 8.
raëlitæ citò terga verterint, tempus ſuperfuit, vt Dei domum peterent,& animos fuſis lachrymis expiare curarent. Ibi rogant an iterum debeãt in prælium exire. Illis verbis: *Debemus vltra procedere?* Videntur Deum conueniſſe: ac ſi dicant: In campum non proceſſimus bellandi ardore, trophæorumve cupidine; ſed ipſis æquitatis legibus compellentibus: ergo eſt ne iam nobis obligatio puniendi delictum, cùm adeò graue paſſi ſimus detrimentum? Deus exire iterum præcepit,& iterum populus ruit. Abulenſis q. 20. exiſtimat ob imperitiam in ordinandis caſtris ſecundam tuliſſe cladem: quod innui videtur illis Sacræ Scripturæ verbis: *In eodem loco, in quo priùs certauerant, aciem direxerunt;* id eſt cùm iam infelici experiẽtia agnoſcere potuiſſent locum, in quo priùs caſtrametati fuerãt, aptum opportunumque nõ eſſe, nihilominus illum iterum elegerunt: accipe Abulenſem. *Innuitur quòd ille* Abulenſ.
locus, in quo Iſraëlitæ poſuerunt aciem prima vice, non erat conueniens ſecundum prudentiam bellicam ad ponendum ibi aciem: quia pauci de hoſtibus poterant ibi multos occidere,& tamen Iſraëlitæ in prima vice hoc non videntes non curauerunt, & in ſecunda etiam vice conſiderantes hoc non mutauerunt locum confidentes in numero & robore.

verſ. 26. Quamobrem omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt & holocauſta, atque pacificas victimas.

verſ. 27. Et ſuper ſtatu ſuo interrogauerũt. Eo tempore ibi erat arca fœderis Dei.

verſ. 28. Et Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus. Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerũt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.

Accepta ſecunda clade omnes graui mœſtitudine 9.
preſſi ad Dominum inuolarunt ſecurũ certè profugium; culpis ſuis aduerſariorum victoriã adſcribentes ſtatuerunt Deũ lachrymis,& ſacrificiis placare: calamitate humiliores lugebant,& luctu calamitatẽ exterminabãt: priùs forſitan viribus numeróque arrogãter adeò intumuerant, vt inimicos ſolo caſtro-

rum

rum aſpectu crederent deterrendos,& euitandos: ergo opus fuit à propriis detrimentis diſcere victoriam omnem à Deo prodire, ipſique,vt auctori adſcribendam. Caietan. Notauit Caietanus: *Tertia dumtaxat vice fit mentio maioris humilitatis ac deuotionis in Deum Iſraëlitarum.* Adnectit poſt pauca: *Tertia vice fuit concurſus totius populi, & adiunctum eſt ieiunium cum holocauſtis, & pacificis.* A ieiunio & oratione obtinuerunt, quod à numero, roboréque non impetrarant. Igitur animæquiores facti,& proſperis nec in longum tempus dilatis ſpebus læti iterum ſtationes componunt, & aliter ordinato exercitu, Abulenſ. quod Dei monitu accidiſſe putat Abulenſis quæſt.28. manus conſerunt.

---

§. III.

Commentarium Litterale.

Verſ. 29. Poſueruntque filij Iſraël inſidias per circuitum vrbis Gabaa.

Verſ. 30. Et tertia vice ſicut ſemel & bis contra Beniamin exercitum produxerunt.

Verſ. 31. Sed & filij Beniamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduerſarios longiùs perſecuti ſunt, ita vt vulnerarent ex eis, ſicut primo die & ſecundo, & cæderent per duas ſemitas vertentes terga, quarum vna ferebatur in Bethel,& altera in Gabaa,atque proſternerent triginta viros.

Verſ. 32. Putauerunt enim ſolito eos more cædere. Qui fugam arte ſimulantes inierunt conſilium,vt abſtraherent eos de ciuitate, & quaſi fugientes ad ſupradictas ſemitas perducerent.

10. Benjaminitæ prima ſecundáque victoriá inſolentes tertiam ſibi etiam promittebant, & quàm citò reportandam ſperabant. Ex Hebræo legit Arias Montan. Montanus: *Et dixerunt filij Benjamin: Percuſſi iſti ad facies noſtras, vt in prima. Et filij Iſraël dixerũt: Fugiemus, & euellemus eum ex vrbe ad ſtrata illa.* Vt Samſon viribus iam deſtitutus ſibi promittebat victoriam; ita Beniaminitæ de nondum reportato triumpho congratulabantur ſecum. Iſraëlitæ inſidiis per noctem cautè diſpoſitis concilium ceperunt ab vrbe Benjaminitas longiùs abſtrahendi, eorúque diuidendi manum:& dum fugam ſimulant, diuerſas ingrediuntur vias, vt qui inſiſtebant tergis, etiam diuiderentur, quò faciliùs caperentur medij, & ſibi auxilio eſſe nequirent diuiſi. An fuerit licitum inſidias ſtruere, fugam ſimulare, videre potes apud Abulenſem.

Verſ. 33. Omnes itaque filij Iſraël ſurgentes de ſedibus ſuis, tetenderunt aciem in loco, qui vocatur Baalthamar. Inſidiæ quoque, quæ circa vrbem erant, paulatim ſe aperire cœperunt.

Verſ. 34. Et ab occidentali vrbis parte procedere. Sed & alia decem millia virorum de vniuerſo Iſraël, habitatores vrbis ad certamina prouocabant. Ingrauatumque eſt bellum contra filios Benjamin, & non intellexerunt quod ex omni parte illis inſtaret interitus.

Beniaminitæ nimio auſu,& exoculato impetu in aduerſarios irruebant, non animaduertentes quòd ex alia parte latitarent inſidiæ, & ex alia induſtriè terga vertentes Iſraëlitæ eos diuiderent, & longè à munitionibus ciuitatis abſtraherent. Igitur qui in inſidiis occaſionem nacti opportunam de latibulis exierunt contra vrbem procedentes, Beniaminitis longè exiſtentibus, qui vel inſidias videre non poterant, aut ſi poterant, obſiſtere non valebant. Bellum ingrauatum contra Beniaminitas dicitur: quia inter hoſtes incluſi hinc indeque premebantur, & cùm aliis terga verterent, in hoſtes alios incidebant, nec iam fugiendi locus, nec reſiſtendi animus. 11.

Verſ. 35. Percuſſitque eos Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia & centum viros omnes bellatores, & educentes gladium.

Verſ. 36. Filij autem Benjamin, cùm ſe inferiores eſſe vidiſſent, cœperunt fugere. Quod cernentes filij Iſraël dederunt eis ad fugiendum locum, vt ad præparatas inſidias deuenirent, quas iuxta vrbem poſuerant.

verſ. 37. Qui cùm repentè de latibulis ſurrexiſſent, & Benjamin terga cædentibus daret, ingreſſi ſunt ciuitatem, & percuſſerunt eam in ore gladij.

Cùm in aperto campo vndique ſe coarctari, cingique Beniaminitæ viderent decreuerunt in ciuitatem ſe recipere,& opportunius tempus expectare: 12. ignorabant namque apud vrbem latitantes eos expectare inſidias. Iſraëlitæ locum fugientibus de induſtria concedebant, vt qui noſſent in magnã Iſraëlitarum copiam incauros, acriuſque ab eis, vtpote certaminibus non defatigatis impetendos,& iugulandos. Quod ita accidit: nam in vrbem inuolantibus occurrerunt inſidiæ,& medios, grandi ſtrage peremerunt, ciuitatemque ingreſſi in ore gladij tenes, fœminas,& paruulos percuſſerunt.

verſ. 38. Signum autem dederant filij Iſraël iis, quos in inſidiis collocauerant, vt poſtquam vrbem cepiſſent, ignem accenderent: vt aſcendente in altum fumo, captam vrbem demonſtrarent.

verſ. 39. Quod cùm cernerent filij Iſraël in ipſo certamine poſiti (putauerunt enim filij Beniamin eos fugere, & inſtantiùs perſequebantur, cæſis de exercitu eorum triginta viris.)

verſ. 40. Et viderent quaſi columnam fumi de ciuitate conſcendere; Beniamin quoque aſpiciens retro, cùm captam cerneret ciuitatem, & flammas in ſublime ferri.

verſ. 41. Qui priùs ſimulauerant fugam, verſa facie fortiùs reſiſtebant. Quod cùm vidiſſent filij Beniamin, in fugam verſi ſunt

Latiùs explicatiuſque tradit modò textus, quod 13.

Digitized by Google

iam ſuprà retulerat, atque qui ciuitatem intrauerant, flammis tradidiſſe, quod in mandatis habebant. Igitur aſcendente denſiſſimo fumo ipſa obtenebrata lux Iſraëlitis captam ciuitatem denuntiauit, & Benjaminitas tardè inſidias latuiſſe admonuit, & ſtupore inopino impleuit; ſimulantes fugam verſa fronte iam reſiſtebant, & qui modò inſequebantur Benjaminitæ, terga iam aduerſariis dabant: adeò citò ſors vertitur, & inopinè adeò euentus belli mutatur.

Verſ. 42. Et ad vitam deſerti ire cœperunt, illuc quoque eos aduerſariis perſequentibus; ſed & hi, qui vrbem ſuccenderant, occurrerunt eis.

Verſ. 43. Atque ita factum eſt, vt ex vtraque parte ab hoſtibus cæderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt, atque proſtrati ſunt ad orientalem plagam vrbis Gabaa.

Verſ. 44. Fuerunt autem, qui in eodem loco interfecti ſunt, decem & octo millia virorum, omnes robuſtiſſimi pugnatores.

14. Cùm iam ad ciuitatem nullus pateret regreſſus, Benjaminitæ ardua deſertorum occupare nitebantur; verum non minori auiditate, qui prius fugerant, eos inſequebantur: quibus auxilio aduenerunt, qui vrbem intrauerant, & iam ſuccenderant: vnde factum eſt, vt Benjaminitæ caderent, & perirent.

Verſ. 45. Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Benjamin, fugerunt in ſolitudinem, & pergebant ad petram, cuius vocabulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuerſa tendentes occiderunt quinque millia virorum, & cùm vltrà tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.

Verſ. 46. Et ſic factum eſt, vt omnes, qui ciciderant de Benjamin in diuerſis locis, eſſent viginti quinque millia pugnatores ad bella promptiſſimi.

15. Ipſa neceſſitate cogente conglobati vnitique Benjaminitæ viam in deſerta arripuerunt; verùm cùm acriter ab Iſraëlitis adurgerentur, iam terni, quaternive hac illacque iter arripiebant, & dum auidiùs mortem fugiunt, mortem ſibi certiùs aſciſcunt, dum nec facto muniuntur cuneo, nec reſiſtunt conglobati; ſed à ſe inuicem diuiſi. In modum ferarum tranſuerberatos, teliſque transfixos periiſſe tradit Ioſephus 5. antiquit. c. 2. ipſum audi: Ioseph. *Cùm conſilium in ancipiti metu non ſuppeteret, in conuallem quamdam compulſi circumdatis expeditionibus, qui eminùs pugnare aſſueuerant, telis ferarum in morem ſunt confixi.*

Verſ. 47. Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.

Verſ. 48. Regreſſi autem filij Iſraël omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes, & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit.

Strenua Benjaminitarum manus acerrimè adeò pro vita depugnauit, vt hoſtiles manus effugerit, & in ſolitudinem ſe receperit. Erat ibi petra nomine Remmon, ipſa natura ferè inexpugnabilis. His Iſraëlitæ pepercerunt certaminibus defatigati, aut poſſe capere ob inexpugnabile profugium diffiſi. 16. Abulens. *Iſti*, inquit Abulenſis q. 33. *non manſerunt, quaſi Iſraëlitæ ex pietate mouerentur ad non occidendum ipſos; ſed quia non potuerunt, cùm fugiſſent ad locum munitiſſimum petræ Remmon, in qua non poterant Iſraëlitæ pugnare contra Beniaminitas.* Quantumvis locus munitus firmatuſque eſſet, quis dubitet eos potuiſſe indagine circumdare, inopiâque premere? Ergo reliquerunt malentes ciuitates flammis adurere, quàm in exigua manu penitus atterenda tempus inſumere.

---

§. IV.

Impunita ſcandala armorum Reipublicæ eneruant vires, & felicitant hoſtes.

Reſpublicæ ſemper augentur obſeruatâ iuſtitiâ, & militari deprælиantium legitimè copia. 17. Satis non ſunt tribunalia æquitate munita, ſi Reſpublica milite non fuerit armata: nec honeſta armorum audacia eſt ſatis, ſi perpetratis criminibus eneruetur æquitas impedita, & elãgueat euigorata: *Propoſiti noſtri eſt*, aiebat Theodoric. 4. var. 12. Caſsiodor. *vt prouincias nobis Deo auxiliãte ſubiectas ſicut armis defendimus, ita legibus ordinemus: quia ſemper auget Principes obſeruata iuſtitia, & quantum probabili inſtitutione viuitur, tantum ſummis adhuc proueniendus aggregatur.* Auget Principem obſeruata iuſtitia. Armorũ acies à chalybe ſplendenti deſumpta, vt æquitatis cote exacuitur, ſic prauitatis difficultatibus eneruatur. Armorũ tinea culpa eſt: Plutarch. *Extiderunt*, refert Plutarch. in quæſtionib. centuriat. Roman. *imprudentes ab armis, maluerũtque lepidi, paleſtritæ, & pulchelli, quàm pedites, & equites fortes dici*; verùm etſi omnis culpa vigorem arrodat; & mollitie corrumpat, tunc præcipuè militiæ vigor hebetatur, cùm publicus error impunitus permittitur. Culpa ſubditorum latebris perpetrata erranti nocet; at quæ inuerecundè in publicum prodiit, nec pœnas dedit eſt militaris vigoris faſcinum, & corruit miles certamine, ſi Reſpublica ſcãdaloſo attaminata ſit crimine. Iſraël totus in Gabaa ciues armatur: deliquerant namque vltra modum ſalaces, & verecundiæ clauſtra perrumpentes: *Egreſſi ſunt omnes filij Iſraël, & pariter cõglobati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, & terra Galaad.* Certamen vtrinque commiſſum eſt, biſque in Benjamitarũm partẽ victoria conceſſit: *Egreſſi filij Benjamin de Gabaa occiderũt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorũ.* Cùm Iſraëlitæ ferè innumeri cõfluxerint in campum, nec ſemel fuerint deuicti, quærunt Interpretes ſtragis abſtruſam cauſam, quando non videtur caſus bellico ſolùm adſcribendus euentui; ſed conſilio ſuperno, & myſterio arcano. Ergo dũ ruſpant cauſam, inueniunt apud Danitas publicè cultum idolum, quin populi primores edicti ſeueritate vetuerint, idololatráſve mulctarint: *Poſuerunt*

ſibi

Digitized by Google

Iudic. 18. v. 30. *ſibi ſculptile, & Ionathan filium Gerſan, filij Moyſi ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem, captiuitatis ſuæ.* Publica religionis iniuria inulta,& cæcis oculis prætermiſſa euigorauit exercitum, & vires addidit aduerſario: de culpæ ſcandalo torpor irrepſit, & de coërcitionis incuria armorum vigor elanguit: nequibant triumphali palma redimiri; dum conſtabat ſcandaloſa culpa fœdari: idem idolum dum apud Micham domus receſſibus colebatur, Iſraëlitarum vires non faſcinauit; at dum publicè cultum, dum à magnatibus populi prætermiſſum militares vires abſtulit,& aduerſariorum triumphos promouit: *Aduertendum*, ſcribit gloſſa moralis, *quòd licèt haberent bellum iuſtum contrà filios Beniamin, tamen antequam haberent victoriam, bis fuerunt ab eis debellati: quod ſecundùm Hebræos contigit propter idolum Michæ,* Gloſſa. *quod in tribu Dan colebatur publicè, & hoc erat populo Iſraël notorium, & ſic tenebantur punire, ſicut præcipitur Deuteronomij* 13. Inulta peccandi licentia, error publicus & permiſſus expectorauit fortitudinem, & Martialem extinxit ardorem. Seuerè punita idololatria, detritum ſcandalum, in puluerem redactum idolum vires indidiſſet, & contrarios detriumphaſſet.

18. Cùm populus vitulum communi conſenſu extructum, ſumptu, aris, & ſacrificiis publicis adoraſſet, Moyſes inter hoſtes nudum, inermémque conſtituiſſe, Aaroni piè iratus obiecit: Exod. 32. v. 25. *Videns Moyſes populum, quòd eſſet nudatus (ſpoliauerat enim eum Aaron propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat) & ſtans in porta caſtrorum ait: Si quis eſt Domini, iungatur mihi.* Hanc populi nuditatem non referunt Interpretes tam ad aurum, quàm ad robur; parum námque intererat carere auro alienæ cupiditatis illicio, auaritiæque irritamento: ſi cõducendi forent auro milites, nudi eſſent auro carentes; verùm cum externus miles non eſſet aſciſcendus, in ordine ad hoſtes auri carentia non erat nuditas, quæ noceret; ſed quæ iuuaret, quandoquidem in pauperem audaces non obarmaret manus auri cupiditas, nec temeritatem inflammaret rapacitas. Adhæc: ſi hoſtes timet, cur falce tot vitas demetente inſidiantibus vires addit? Nonne ſatius eſſet ad reprimendos hoſtes vitam non præſcindere; ſed ſeruare? O iram propheticam! Idolum publicè cultum, à primoribúſque permiſſum armorum erat notiſſimum faſcinum: ergo vt vigorē addiderit armis, dignum ſupplicium perpetratis intulit culpis, vt dum error vtili caſtigatur ſæuitia, armis redderetur valentia: piè deſæuiens in culpam, hoſtium prouidentei frænauit audaciam, oſtenditque de publicis impunitis peccatis exercituales vires languere, & arma aduerſariorum triumphis ornari nudum prorſus robore vidit populum, hoſtibúſque cinctum ob publicam idololatriæ inſaniã, ob idque vires digna vltione refudit, & idololatras extinguendo armis virtutem multiplicauit: *Videns populum quòd eſſet nudatus, quia auxilium, & protectionem Dei*, inquit Auguſt. q. 145. in Exod. *perdiderat.* Auguſt. Exundabat copioſis manibus populus; ſed cæleſti carebat auxilio: ergo adæquè erat numeroſus & eneruatus, ſolúmque numerus deſeruiret ad amplificandum hoſtibus triumphum, & de proſtrato maiori numero ſuffulciendum elogium: *Voluit peccatum vindicare in populo*, ſcribit hîc ad litteram Oleaſt. *vt Deus illa vindicta placatus iterum rediret ad eum protegendum.* Oleaſt. Dum publicum ſcelus non puniebatur, populus armis erat nudus, non quia armorum deeſſet copia; ſed quia vis contrà aduerſarios ablata. Occiſio non reparabat auri diſpendium; ſed armis reddebat vſum.

Vt notũ omnibus eſſet victorias è manibus elabi non ob militarem aduerſariorum virtutem; ſed ob publicam impunitámque prauitatem, tunc Iſraëliticum exercitum retrocedere Deus diſpoſuit, cùm aduerſarius ſalutem deſperabat, & deſperare oſtendebat. Repetamus hiſtoriam, vt clarius eruamus doctrinam. Durâ adeò obſidione Moabitæ cingebantur, vt nulla iam ſpes ſalutis ineſſet, rex primogenitum arripiens ſuper murum obtulit, fortè eligens videre occiſum, quàm ab hoſtibus captiuatũ: in holocauſtum obtulit Soli, aut ſuperbæ vanitati: *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum.* 4 Reg. 3. v. 27. Durum certè ſolatiũ, ne gemeret catenâ, principem mulctare vitâ. Quid tunc? *Facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.* Qualis fuerit hæc indignatio ad regreſſum impellens, quærunt Interpretes: nam Princeps in holocauſtum oblatus fugam non conſulebat; ſed vti extremæ miſeriæ index audaciam confirmabat, & animos inferebat. Notauit opportunè Lyra: *Filij Iſraël quærebant mortem Regis Moab & populi ſui, & ideò non eſt veriſimile quòd* Lyrã. *recederent ab obſidione propter immolationem primogeniti ſui; ſed quod magis remanerent, quia illa immolatio fuit ſignum quod non poterat diu tenere ciuitatem, & hoc prouocat ad remanendum in obſidione magis quàm ad recedendum.* Itaque ex Lyræ ſententiâ ille receſſus non fuit ob ſacrificatum iuuenem, nec Iſraëlitarum ſuaſit compaſſio, ſed de Iſraëlitis cæleſtis diſpoſuit vltio. Ita R. Salomon apud Lyrã: *Facta eſt ira ſuper Iſraël, ſcilicet ipſius* R. Salom. *Dei offenſi contrà filios Iſraël, eo quod tunc fuerunt recordatæ iniquitates eorum coram Deo per Angelum, qui præerat Moabitis, videlicet quòd ipſi tanta mala, vel peiora fecerant, immolando filios ſuos, & filias ſuas dæmonibus, vt habetur Pſalmo 104. propter quod tunc in vindictam huius mali cecidit peſtilentia, & mortalitas in exercitu Iſraël, & ſic fuerunt compulſi recedere ab obſidione propter peccata ſua præterita.* Moabita viribus prorſus deſtitutus hoſtibus iam reſiſtere non valebat, habebatur præ manibus iam victoria; verùm filij palàm dæmonibus immolari peſtilentiam adduxerunt, & copioſum florentémque exercitũ votis ac laboribus defraudarunt: non habuerunt aciem arma: quia inulta præteribantur delicta: armorum námque efficacia non tam dimanat à militibus, quàm à moribus. 19.

§. V.

Bellum à precationibus incipiendum, & placato priùs numine eſt adornandum.

VIrorum prudentium eſt, aiebat Thucyd. apud Stobæum cap. 50. *ſi non laceſſantur iniuriã, quieſcere: bonorum autem, ſi iniuria afficiantur, pacē bello mutare: ac ſi benè ceſſerit, iterum pro bello pacem inire, & neque belli ſucceſſu efferri, neque pacis tranquillitate captos iniuriam pati eos decet.* Bellũ plurimarum miſeriarũ fertilis cãpus animitus recuſandum eſt, ſi neceſſitas non impulerit, at ſi honeſta coëgerit cauſa nõ eſt audaciæ temeritate, aut cæcitate impetus aggrediendũ; ſed vt fas eſt, à numinis placatione adornandum. Qui ab exorato numine bellũ non aggreditur, ſibi ipſi inuidet, & aduerſariis triũphos adauget. Res humanæ diuina prouidentia 20. Thucydid.

reguntur, varius bellorum euentus non cæcæ fortunæ; ſed inoculatiſſimæ adſcribendus eſt prouidentiæ: ergo à precationibus exordiendum certamen: *Scitis victoriam*, aiebat Xenophon vbi ſuprà, Xenophon. *In bello non multitudine, nec fortitudine parari; ſed vtri Deorum auxilio freti fortioribus animis hoſtes inuaſerint, vt plurimum ab aduerſariis non ſuſtinentur.* Manu non copioſa Deo auſpice triumphus partus eſt: & è contra aduerſante innumerus proſtratus exercitus. Iſraëlitæ Gabaenorum ſceleribus offenſi,& iuſtitiæ zelo inflammati in campum proſilire decernunt, placato tamen priùs numine, & ob id in Maſpha conueniunt: *Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſraël & partes congregati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, & terra Galaad ad Dominum in Maſpha.* Priùs fuderunt preces,quibus ſibi numinis conciliarent gratiam, quàm adorirentur pugnam, vt qui benè nouerant, etſi omnia auſpicato numine fuerint exordienda, bella præcipuè fuſis ritè precibus adornanda. Notauit Caietanus: Caietan. *Optimum principium conuenire ad ſupplicandum Deo,& eſt ſermo de Maſpha,quæ erat in tribu Iuda.* A ſupplicatione incipiunt, quo auſpicato rem abſoluerint, & æquitatis cauſam peregerint. Et nota Beniaminitas precum armis deſtitutos, etſi initio potiti fuerint victoria, tandem deuictos, & ab hoſtibus ſubiugatos. Iſraelitæ terga aliquando vertebant ſed bellum à prece inceptum, & triumphis reſplenduit nobilitatum.

21. Contrà pauciſſimos hoſtes video Iſraëlitas pugnantes cadere, contrà innumeros, & fortiſſimos vincere. Iericho aggrediuntur expugnare plurimo quidem milite obarmatam, & bellicis machinis Ioſuë 6. v. 1. præmunitam: *Iericho clauſa erat, atque munita:* & tamen clamoribus euertunt, & collapſis muris capiunt: *Ceperunt ciuitatem.* Hi ipſi triumphis iam audaciores in Haienſes vicinorum ſtrage perterritos, nec munitionibus bellicis obarmatos manum cogunt: *Aſcenderunt tria millia pugnatorum* & inIoſuë 7. v. 4. decorè terga vertere compelluntur: *Qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai.* Si roges, cur copioſa militum manus à pauciſſimis hoſtibus fuerit deuicta,cùm tot hoſtiũ millia, & quidem fortiſſima apud Iericho faciliter fuerint proſtrata: reſpondebo bellum hoc nimia fiducia præſumptioneque inceptum, nec referri numen anteà precibus exoratum; ante Iericho verò oppugnationem, quarum in iubilæo erat vſus, buccinas inſonuiſſe,& ad venerationem Arcæ conuocaſſe. Ciuitatem arcta obſidione cingebant,ſed præcipuè illorum ſtudium fuit Arcam circumducere,& mandatis cæleſtibus obedire. *Septimo die Sacerdotes tollãt*, iubet oraculum, *ſeptem buccinas,quarum vſus eſt in iubilæo & præcedant arcam fœderis, ſeptiéſque circuibitis ciuitatem, & Sacerdotes clangent buccinis, cumque inſonuerit vox tubæ longior, atque conciſior, & in auribus veſtris increpuerit, conclamabit omnis populus vociferatione maxima,& muri funditus corruent ciuitatis.* Apud Iericho priùs auditur indulgentiæ ſonus, priùs Arca religioſè ducitur humeris Sacerdotum ſublata; priùs populi clamor diuinum ſibi aſciſcit auxiliũ: ergo ab expiatione Deique placatione inceptum felici victoriâ nobilitatũ eſt bellum; aſt vbi Hai inuaditur nullo præmiſſo iubilæi ſono, nullo Arcæ cultu Iſraëliticus exercitus funditur,& profligatur, vt compertum ſit, quàm interſit exordiri bella Deo exorato, & ritè precibus delinito. Bellum audaciæ ſolùm viribus,& militum copia inceptum non ceſſit; ſed militantium gloriam obſcurauit,vbi non legitur Iſraëlitarum excidium, vbi verò expiatio præcedit inimicus facilè corruit. *Hanc vrbem Iericho*, inquit Iſidor. in Ioſuë c. 7. *ſeptem diebus ferentes arcam Iſraëlitæ in areis tubis* Iſidor. *clangẽtibus circumeunt,& muri eius per Arcæ præſentiam,& tubarum ſonitum cadunt.* Pro miſſilibus fuit populo contrà muros religioſus Arcæ cultus, expiationiſque ſonus. Ergo qui abſque his cæleſtibus ſuppetiis in campum prodeunt, ſæpè aduerſariorum triumphis militarunt. Animaduertendum tamen eſt ſatis non eſſe à precibus exordiri,ſi conſtet diuina edicta calcari: quid enim ſtultius, quàm hoſtiis, precibúſque eius inire gratiam, cui eodem tempore irrogari conſtat iniuriam.

Saül in Philiſthinos manum cogens prodit in 22. campum: ibi expectatis ferè ſeptem diebus, cum populus dilaberetur,non ritè holocauſtum obtulit: cúmque illud compleſſet, præſto adeſt Samuël regem arguens,& ſtultitiam reprehendens: *Quia vi-* 1. Reg. 13. v. 11. *di quod populus dilaberetur à me, & tu non veneras iuxta placitos dies: porrò Philiſthiim congregati fuerant in Machmas, dixi: Nũc deſcendent Philiſthiim ad me in Galgala, & faciem Domini non placaui.* Quid tunc Samuël? *Stultè egiſti.* Dum apertè fatetur ſe faciem Domini non placaſſe,bellum inauſpicatè ſe confitetur adortum,& ab eo exercitum ferè elapſum. Stultè egit, dum in campum proceſſurus cæleſte ſibi precibus non aſciuit auxilium; ſed ſtultiùs dum præceptum Domini per Samuëlem ſibi intimatum violans aggreſſus eſt Domini faciem placare: ſtultè egit,dum offendit, vt placeat: ſtultè egit,dum cæleſtia edicta calcat,& hoſtiis aras adornat: quem alium exitum prælij non placato Domino incepti potuit ſperare, qui certamina à numinis placatione debuiſſet incipere: Qualem exitum ſperare potuit,qui dum offert holocauſtum,violat diuinum præceptum? *Iuxta Hebræum habetur*, inquit Caiet. *deſipuiſti: arguitur enim interna imprudentia: deinde externa inobedientia*: Præmiſerat Caietan. Caiet. *Iuxta Hebræum habetur: Non precatus ſum.* Itaque bellum adorſus eſt, quin illud à fuſis numini precibus inchoaret: ergo ſtultè egit, quandoquidem bella,vt auſpicato, fauſtóque fine coronentur à placato precibus numine debent inchoari, & cæleſtibus potiùs quàm humanis ſubſidiis niti. Aliquando videas duces à religioſis viris orationes expoſcere, præmiſſis miſſarum ſacrificiis communiri, qui cum plurimis ſceleribus nouerint exercitum exundare, nec corripere curant; nec ſaltem tentant: ergo hi ſtultè agunt: nam licèt orationibus,& ſacrificiis obarmari ſit religioſum, non ſtudere ſcelera expungere,comprobatur iniquum. Ergo ſtultè proceſſit Saül,dum bellũ à numine placato non exorditur, & dum præceptis violatis ſubſidium à non ritè fuſis precibus mutuatur: *Arguitur interna imprudentia, deinde externa inobedientia.*

Video Goliat gigantem illum eximiis viribus 23. validum, fortiſſimis armis obtectum ab adoleſcente deuictũ: Dauidem inſpicio fundâ & baculo ſolum munitum,& tamen reportare triumphum, & auferre hoſtilem gladium. Inquires quomodò gigantem tot affabrè elaboratis armis protectũ ferè inermis deuicerit adoleſcens: ſed dubitationi reſpõdebit textus gigantem à ſuperbiâ, non à precibus ritè fuſis bella exorſum; Dauidem verò Dei nomine aduentaſſe obarmatum: *Tu venis ad me cum* 1. Reg. 17. v. 45. *gladio,& haſta, & clypeo; ego autem venio ad te in nomine Domini exercituum, Dei agminum Iſraël.* Armis præmunitus veniebat gigas; ſed Dei nomine nudus: Dauid Dei nomine obtectus, etſi non validis armis munitus: ergo vt notum fuerit ad obti-

nendos

nendos triumphos plus quàm armorum copiam intereſſe opem implorasse diuinam, Dauid, qui à Dei nomine inchoauit prælium, aſſecutus eſt mirandũ ſæculis triumphum, & gigas, qui inchoauit prælium ab armorum potentiâ, miſerabili corruit ruinâ: *Verborum faſtus*, inquit Seleucienſis Baſil. orat. 15. *Dauid auxiliatorem, quem promulgabat, opponebat, oſtentans illi de cœlo aduerſarium, prædicens victoriam, ac victorem conteſtatus.* Pro armis Dauidi fuerunt preces, giganti ſine ritè fuſis precibus arma fuerunt oneri. Ergo qui deſiderat de hoſtibus reportare trophæa, à placato numine, à fuſis dignè precibus exordiri curet certamina.

Baſil.

§. VI.

Mirum eſt pudicitiam plures auxiliatores ſortiri, frequens aduerſarios plurimos pati.

24. VIrtus plurimos ſortitur ſæpè aduerſarios: neſcio quo innato pruritu quidquid æquum, geſtiunt homines oppugnare, & appetitionibus inſanis blandiri: *Adhuc forſan*, aiebat Tertull. lib. de Spect. cap. 1. *alicui opiniones Ethnicorum blandiuntur, quæ in iſta cauſa aduerſus nos argumentari cõſueuerunt.* Pro ſpectaculis laborabat aſtutia, & ſapiens ſibi argumentatrix videbatur pro voluptatis tutela: iam non protelabat ignorantiam in occaſionem, nec corrumpebat ſolùm in diſſimulationẽ conſcientiam; ſed adnitebatur palam defendere, nil nocere religioni extrinſecùs oculorum vel aurium ſolatium, nec hominem fas eſſe oblectamentis renuntiare, quandoquidem nec aures ad ſurditatem, nec oculos conſtabat productos fuiſſe ad caliginem; verùm etſi omnis virtus oppugnatores patiatur, præcipuè caſtitas pudicitiáque: nam cùm homo, ne voluptatis patiatur periculum, vel ipſius vitæ ſubeat detrimentum; & ipſi, qui apud ſæculũ ſapientes, non contemnant; imò nullam aliam vitæ gratiam arbitrentur præter voluptatem. Hinc magnum caſtitati, pudicitiæque bellum exoritur, cùm ferè nullum inueniat ad latitandum, & ſe defendendum profugium: *Quantum velis bona mente conetur*, aiebat Tertull. de veland. virgin. c. 14. *neceſſe eſt publicatione ſui periclitetur: dum percutitur oculis incertis & multis, dum digitis demonſtrantium titillatur, dum nimium amatur, dum inter amplexus, & oſcula aſſidua concaleſcit, ſic frons duratur, ſic pudor teritur, ſic ſoluitur.* Itaque ferè omnium oculi in pudicitiam armantur, & nihil ſtudioſiùs curant, quàm euertere, & deprædari. Ergo mirum fuit omnes ferè Iſraëlitas ad tuendã caſtitatis cauſam conuenire, pauciorésque eſſe Beniaminitas, qui pro cõtraria parte decreuerint decertare: *Egreſſi ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati, quaſi vir vnus.* Quod notauit Ioſeph. lib. 5. antiq. cap. 2. *Iuſto furore perciti apud Silum conuentum faciunt, & congregati ante tabernaculum Gabaënos hoſtiliter armis impetere decernunt.* Iuſto zelo agitati plures in Dei præſentiâ conuenerunt: nec enim aliter ſuſciperent caſtitatis cauſam; ſed caſtitati procurarent tragœdiam. Concordat etiam Ambroſ. lib. 6. epiſtol. epiſt. 47. *Non ita maiores noſtri deſpicabilem habebãt caſtimoniam, cui tantum deferebãt reuerentiæ, vt bellum aduerſus temeratores pudicitiæ ſuſcipiendum putarent. Denique tantum fuit vltionis ſtudium, vt omnes tribules de Beniamin tribu extinguerentur; niſi ſexcentos, qui bello reliqui forent, natura editioris loci defendiſſet.* Vides mirandum eſſe caſtimoniam tot propugnatores fuiſſe ſortitam, cùm ſit frequentiſſimum impugnatores ſortiri & inſidiatores pati.

Tertul. — Tertull. — Ioſeph. — Ambroſ.

In ardentiſſimam fornacem igniũ globulis horrendum ſibilantem pueri iactantur: animus perſecutorum erat religionis cauſam oppugnare, & caſtiſſimos iuuenes cupiditatũ flammis aduri aut fumo ſaltem maculari: in caſtitatem armabatur horrida flamma, & procaciſſima hominum inſolentia: flammam muneribus impinguabant, quo viuidior inardeſceret, & facilius pueros conſumeret: *Non ceſſabant qui miſerant eos, miniſtri regis ſuccendere fornacem naphta, & ſtuppa, & pice, & malleolis.* Quid tunc? *Angelus Dumini deſcendit cum Azaria, & ſociis eius in fornacem, & excuſſit flammam ignis de fornace.* Statuam omnis immunditiæ emblema fuiſſe tradit Sello in allegor. Tilmani: *Facit hic rex peſſimus ſtatuam, quam ſuis proponit adorandam, de pluribus metallis, de operibus ſcilicet carnis, & deſideriis huius mundi, quæ auri claritas non inconuenienter deſignat.* Ecce contra caſtitatem plures obarmatos, & de cœlo ſolummodò auxiliũ ſortitam: quod Gregor. mirè expendebant apud Hugonem Cardinalem hîc: *Antiquus hoſtis, licèt innumeras concupiſcentias noſtris obtutibus opponat, quibus libidinis feruor in his creſcat; bonis tamen mentibus ſuperni gratia ſpiritus inſibilat, & à carnalibus concupiſcentiæ æſtibus illæſa perdurant, vt etſi vſque ad tentationem cordis flamma ardeat, vſque ad conſenſum tamen tentatio non exurat.* Itaque nõ ſolùm hîc armatæ referuntur flammæ materiales in vitam; ſed ſymbolicæ aduerſus ſtudioſè cultam iuuenibus pudicitiã. Hanc libidinis flammam plures oblatis adipant muneribus, aut eius cauſam tuentur terroribus. Certè vnus fuit Angelus, & qui Dei Filium referret caſtitatis ſuſcipiens tutelam, cùm tot habuerit Nabuchodonoſor, ideſt diabolus miniſtros, qui oppugnauerint pudicitiam. Statuæ partes harmonia dulciſonè reſonans, & flamma agebat horrendum ſibilans, vt ſi caſtos iuuenes oblectamenta non delinirent, vitæ pericula deterrerent. Adde concupiſcentiæ cauſam tuentes aliter ſe gerere, quàm pudicitiam defenſantes: qui caſtitatem oppugnant, nihil virtuti permittunt; cùm tamen caſtitatis alumnos non ſemel aliqualis ſordidauerit vmbra. 25.

Daniel 3. v. 46. — Sello. — Gregor.

Duo Angeli Sodomam intrant, quorũ pulchritudine inflammati ciues conantur cæciſſimis auſibus caſtitatem deprædari: *Viri ciuitatis vallauerunt domum à puero vſque ad ſenem, omnis populus ſimul.* Hoc in periculo Lot virtutis alumnus pro caſtitate decertabat: *Egreſſus ad eos Lot poſt tergum occludens oſtium ait: Nolite, quæſo, fratres mei, nolite malum hoc facere.* Vide quot oppugnatores, quot aduerſarios habeat caſtitas, cùm vnicum tantùm Lotum propugnatorem ſortiatur. Imò hîc non adeò caſtitatem tutatus eſt, vt aliquid libidinibus nõ permiſerit: *Habeo duas filias, quæ nec dum cognouerunt virum, educam eas ad vos.* Non ſine aliquo caſtitatis damno caſtitatem defendit vnicus propugnator aduerſus innumeros hoſtes, caſtitatiſque peſtes. Itaque Sodomitæ nil virtuti permittere decreuerunt: *Vim faciebant Lot vehementiſſimè*; Lot aliquid appetitui conceſſit: quod ita frequenter accidere conſpicies: videbis námque cupiditatis flammam omnia depaſcentem, quin aliquid reliquerit ab ardore integrum, aut ab ardoris fumo intactum: cùm tamẽ caſtitatis cultores frequenter aliquid cupiditati permittant impuratis affectibus adulantes; & veluti 26.

Geneſ. 19. v. 4.

Digitized by Google

aliqua offâ illis præſtita ſopientes. Lot permiſit aliquid vitio; Sodomita virtuti nihil: *Hoc dixit*, inquit Nicolaus de Lyra, *Vt euitaretur maius malum, ſcilicet vitium contra naturam, & violentia hoſpitium ſuorum.* Vt maius vitetur malum, aliquod admittitur non adeò caſtitati decorum: & cùm Sodomitæ conetur crimen ex omni parte perficere, Lotus non audet totam virtutem complere; ſed aliquid inſanis appetitionibus vult largiri. Itaque cùm Sodomita ad vltima flagitia phrenetico inuolarit ſtudio, ceſſit Lotus aliquomodò deſiderio. Profectò hiſtoriæ coloribus, penicilloque, quod internè nobis contingit, mirè expreſſum eſt. Libidinoſus nil prætermittit ex iis, quæ appetitum poſſint enutrire; caſtitatis cultor non ſemel, etſi cor flammis non tradiderit, adulationibus aures non denegat, oculos â decore inſpectando non adeò citò, vt fas eſſet auertit: aliquali fumo ſolet denigrari caſtitatis alumnus, cum nihil intactum permiſerit caſtitatis aduerſarius.

Lyra.

27. Babylon mulier illa fucis illita, cocco exornata, capillis irrufatis exculta, margaritorum luminibus ad vituperium prodita aquis inſidet non quidem pellucidis; ſed obſcœnitate ſatis turbulentus: *Veni, oſtendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ ſedet ſuper aquas multas.* Iam explicat Angelus aquarum ænigma: *Aquæ, quas vidiſti, vbi meretrix ſedet, populi ſunt, & gentes, & linguæ.* Ecce quot libidini inſeruiant: vide iam quot etiam propugnatores habeat: *Decem cornua, quæ vidiſti, decem reges ſunt.* Adnectit: *Hi cum agno pugnabunt, & agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum eſt.* Contra impudicitiam vnus agnus in campum prodiit, pro illa decem obarmantur reges, vtque noueris quàm peregrinum ſit apud homines pro caſtitate decertare, agnum ipſum certamen teſtabatur eſſe diuinum: *Et agnus vincet illos, quoniam Dominus dominorum eſt*: impudicitiæ contraire, & pro virtute pugnare, non humanum; ſed prorſus videri debuit diuinum: *Beſtia*, inquit Anſelmus ad hunc locum, *Eſt diabolus, qui facit homines beſtiales.* Pro appetitu beſtiali pugnabunt plures; ſtabit tamen pro caſtitate agnus vnicus & diuinus.

Apocal. 7. v. 3.

§. VII.

Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernantium concordia.

28. *Bellum minimè certum, aut præſcriptum aliquid habet*, aiebat Thucydides apud Stobæum cap. 50. *Sed ipſum per ſe multum machinatur pro re nata.* Benè dixit: nam cùm belli varius euentus ſit, nihil certi habet; verùm tunc humana prudentiâ felix exitus conijcitur, ſi ob honeſtam cauſam, & concorditer geratur: pro impatientiæ ſolùm impetu adoriri bellum, pro indignationis ardore proſilire contra aduerſarios in campum non tam eſt pugnare, quàm ruere; iam ſi inter ſe capita mutuis odiis, altercationibuſque diſſideant, ad aduerſariorum pugnabunt gloriam. Vtrumque ab Iſraëlitis in bellum contra Gabaënos conuenientibus obſeruatum textus adnotauit: *Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabée & terra Galaad ad Dominum in Maſpha, omnéſque anguli populorum, & cuncta tribus Iſraël in Eccleſiam populi Dei conuenerunt quadringenta millia peditum pugnatorum.*

Thucydid.

Ea milites conuenerunt concordiâ, vt nullatenus diſſiderent; ſed quaſi vir vnus in aduerſarios irruerent. Iuſtam adeſſe certaminis cauſam nulli dubiū, cùm ipſe Deus Ducem delegerit, & animum approbauerit. Notauit Caietanus: *Deſcripto loco vbi conuenerunt, deſcribitur vnitas populi colentis vnum Deum, vt Zelus Dei ratio conueniendi declaretur.* Quibus Dei honor erat certaminis cauſa, & fortis ſemper concordia, ceſſit hoſtilis valentia, & arriſit tandem victora. Validè vtrinque pugnatum eſt, & licèt Beniaminitæ iniquam cauſam tuentes, triumphis viſi fuerint exiguo tempore coronari, tandem diſperierunt prorſus attriti, & flammis voracibus vſtulati: vt notum fuerit bellum honeſtè & concorditer inchoatum, exitu felici abſolutum: nec enim poterat carere triumphis certamen, quod & honeſta ſuadebat cauſa, & tuebatur etiam concordia.

Caietan.

29. Dum iuſtâ cauſâ aggreditur Saül bellum, audit: *Quando euenerint ſigna hæc omnia tibi, fac quodcumque inuenerit manus tua, quia Dominus tecum eſt*; monetur tamen tantiſper expectare, & bellum placato numine ordiri: *Et deſcendes ante me in Galgala: ego quippe deſcendam ad te, vt offeras oblationem, & immoles victimas pacificas. Septem diebus expectabis, donec veniam ad te, & oſtendam tibi quid facias.* His præactis Saül in Ammonitas cogit exercitum, & iam qui oculos tentabant eruere, coacti ſunt terga vertere: *Percuſſit Ammon vſque dum incaleſceret dies; reliqui autem diſperſi ſunt, ita vt non relinquerētur in eis duo pariter.* Vbi defecit vnitas, corruit numeroſitas. Itaque Saül de innumeris hoſtibus reportauit trophęa honeſta cauſa innitens, & à Samuële nulla diſcrepantia diſcedens. Tranſi modò ad cap. 13. Vbi Saül Samuëlis non obſeruat mandata; ſed accelerat ſacrificia, videbiſque & populum labi, & triumphum ſolum miraculosè obtineri: *Ait ergo Saül: Afferte mihi holocauſtum & pacifica: & obtulit holocauſtum.* Hic iam leges dilapſum exercitum: *Dilapſus eſt populus ab eo*: & Saülem triumphis per ſe nullatenus redimitum: vicit Ionathas; ſed interueniente miraculo: *Factum eſt miraculum in caſtris*: Quò omnibus liqueat, ſi magnates diſſideant, miraculis opus eſſe ad hoſtes abigendos, triumphoſque reportandos. Eadē erat cauſa; ſed Saül ſine miraculo non eſt potitus victoriâ: nec mirum, quandoquidem à Samuëlis ſententia diſcordauit, & non expectandum cenſuit. Prodeſt Rabbanus apud gloſſam: *Ad offerendas oblationes & immolandas victimas pacificas ſeptem diebus ſe expectari voluit: quod ille non fecit.* Itaque bellum contra Ammon feliciter ceſſit, quia ibi & iuſta inerat certaminis cauſa, & nulla inter populi principes fuit diſcordia; at in hoc poſteriori certamine ſine miraculo victoria non legitur: quia etſi honeſta certaminis perſeuerauerit cauſa; Saül tamen à Samuëlis reſiluerat ſententia. Concordia magnatum terribile in aduerſarios eſt telum, qui ſi à ſe diſcordarint, & in varias partes iuerint, hoſtium agent cauſam, & inuidebunt ſibi victoriam. E contra parum intererit adminiſtrantes bella ſtricto concordiæ vinculo conuenire, ſi belli cauſam conſtiterit aduerſari.

1. Reg. 10. v. 7.

1. Reg. 11. v. 11.

1. Reg. 13. v. 9.

1. Reg. 14. v. 15.

Rabban.

30. Probat veritatem hanc liber tertius Regum, vbi cùm rex Iſraël bellum aduerſus Ramoth Galaad tentaſſet, & Ioſaphat in partes ſuas allexiſſet, concordi adeò animo, & vno eodémque conſilio in campum prodeunt, vt duo eorum corda vnica regi voluntate viderentur: *Dixit Ioſaphat ad regem Iſraël: ſicut & ego ſum, ita & tu: populus meus,*

3. Reg. 22. v. 5.

&

& populus tuus vnũ ſunt, & equites mei equites tui. Concordes vnanimeſque in campũ tendunt, præualuit tamen inimicus, & niſi Ioſaphat clamoris ad Dominum ſe tueretur auxilio, hoſtili caderet gladio: Michæas adiuratus diſpergendas oues, & paſtorem percutiendum prædixerat: *Vidi cunctum Iſraël diſperſum in montibus quaſi oues non habentes paſtorem. Et ait Dominus: non habent iſti dominum: reuertatur vnuſquiſque in domum ſuam in pace.* Contrà Dei voluntatem recuperare Ramoth tentabat exoculata cupiditas, & cupida idololatræ Achab temeritas; verùm parum iuuit animorum concordia, parum tot phalangum militantium audacia, parum tot armorum copia: quia quos impugnabat tunc cauſa, nequibat coronare de hoſtibus reportata victoria. Certè vnitas principum, ni cauſa reſtitiſſet, trophæum de hoſtibus reportaſſet; at nil profuit animorum conſenſio; vbi occaſio contradicebat, & cauſa pro aduerſario militabat: *Contemptu verbis Michæ* (inquit Abulenſis q 18.) *aſcenderunt in bellum iſti duo Reges in Ramoth Galaad.* Cùm noſcerent bellum illud Deum non adiuuare nihilominus prodierunt in campum, fortè concordia fiſſi, & militum copia ſuperbi. Abulenſis q. 2. ex aliquorum ſententiâ Ramoth Galaad ait non pertinere ad regem Iſraël, ſicque ad illam eripiendam à poſſidentium manu non tam erat ius, quàm ambitio.
Abulenſ. *Ramoth Galaad dubium erat, an eſſet de terra Iſraël, vel de terra Syriæ: ideò non fuit reſtituta ipſi Achab, & hoc aliqualiter ſignificat dictum Achab ſcilicet. ignoratis quòd noſtra ſit Ramoth Galaad? Et ſic loquebatur per modum dubij, ſcilicet quòd ipſe dubitabat de hoc, vel ſerui ſui dubitabant.* Itaque cùm dubium eſſet, an ciuitas illa ad Benadad Syriæ regem pertineret, & in dubiis melior ſit poſſidentis conditio, belli cauſa ex duplici capite videbatur impedita: quia Deus videlicet inire tunc prælium ſtragis prædictione vetabat, & quia ciuitas ad Achabum liquidè non pertinebat: ergo quantumvis belli principes concordarint, infelici demicauerunt congreſſu, vt notum omnibus eſſet, non felicitati prælium ſolummodò ducum concordia; ſed dignâ etiam & rationabili cauſâ.

31\. Contrà Siſaram bellum inſtruitur, & victoria celebris reportatur: quia & iuſta cauſa, & ſumma
Iudic. 5. v. 15. inter bellum diſponentes cōcordia: *Duces Iſſachar fuere cum Debbora, & Barac veſtigia ſunt ſecuti.* Barac non adeò copioſa militum manu, vt Siſara depræliabatur; ſed meliori cauſâ. quàm alij duces eo tuebantur ſtudio, vt Barac ſequerentur veſtigia, & imitarentur exempla. Ergo vbi honeſtiſſima erat cauſa, & duces inter ſe non diſcrepabant; ſed eodē animo ſtudióque conuenerāt, feliciter ceſſit triumphus, & attritus remanſit non ſine ignominiâ aduerſarius: ſecuti veſtigia Barac referuntur duces, vt denotetur nullum inter ipſos fuiſſe diſſidium: Stellæ manentes in ordine & curſu ſuo aduersùs Siſaram depugnabant; verùm licèt Stellæ fulmina contorquerent in aduerſarios, ni duces conueniſſent, fortaſſis de hoſtibus non detriumphaſſent: *Secuti ſunt Barac*, inquit gloſſa Interlin. *ad populum ex-*
Interlin. *hortandum, & Siſaram debellandum*; Vbi omnes eodem regebantur ſtudio, vbi nullo inter ſe belligerabantur diſſidio, de hoſtibus triumphum reportarunt: quia pro illis erat non ſolùm honeſta cauſa; ſed etiam valida ſemper concordia. Ergo cùm Iſraëlitæ in Maſpha conueniunt vnanimes, & honeſta cauſa innitentes, licèt primo congreſſu fuerint deuicti, tandem inimicos detriuerunt: nec enim poterant non coronari victoria, & de hoſtibus reportata trophæa.

§. VIII.

Peccator videt imminere ſibi periculum; & tamen deuorat, ne reliquerit peccatum.

NOn ſic peccator humanam exuit naturam, vt ſceleris perpetrati conſcientia non pulſetur; 52
præualet tamen conſcētiæ malitia, & non dico periculum non videt; ſed contemnit. Deteſtanda peccati merces eſt periculi contemptus, auditus ad vtiles admonitiones ſurdus, & oculus ſibi prorſus obcæcatus. Benè aiebat Epicur. *Poteſt nocenti contingere, vt lateat; latendi fides non poteſt.* Itaque cùm Epicur. non ignoret vitiorum vernula ſe non poſſe latendi aſſequi fiduciam; imò nec felicitatem, adhuc delinquit, & cùm reuera prima & maxima peccantium pœna ſit culpa, nihil ipſi diriùs, aut duriùs, quàm ab illa abſtinere, & ad pœnitentiam tranſire. Multos fortuna liberat pœnâ, conſcientia metu neminem; at ſic aliquorum induruit frons, vt cùm proprium nocentium ſit trepidare, ab ipſo peccato proprietatem diuidant, nec iam trepident timore perculſi; ſed audeant ad omnem patientiam improbè expoſiti, & indurati. Gabaëni poſtquàm graui ſe ſcelere obligarint grauiori adeò procacia, inſolentiáque proſecuti ſunt, vt cùm cæteræ tribus armatæ ni ſontes tradiderint, dignũ intentarint ſupplicium & nouerint, & contempſerint: *Egreſſi itaque ſunt omnes filij Iſraël, & pariter congregati quaſi vir vnus de Dan vſque Berſabee, &c.* Celebris Iſraëlitarum conuentus, & vndique in Maſpha numeroſus confluentium concurſus Benjaminitas non latuit, vt nec cauſa: *Nec latuit*, inquit textus, *filios Benjamin, quòd aſcendiſſent filij Iſraël in Maſpha;* verùm ſic proceſſerunt, ac ſi latuiſſet, adeóque abfuerunt à ſolicitanda venia, vt cùm populi proceres legatos mitterent, nocentéſque ad mortem expoſcerent, probro verterint aliorum mandatis ſubjci; imò & patriis legibus parere. Itaque non ſolùm cōſcientiam audire detrectarunt; ſed admoniti etiam propria pericula deſpexerunt. *Noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum.* Res, ſi humanis oculis taxaretur, ingētem Benjaminitis timorem incutiebat, quandoquidem reliquæ omnes tribus armis, & ferè innumeris militibus pollentes in eos armabantur; eò tamen cæcitatis proceſſit inſolentia, eò temeritatis audacia, vt non ſolùm conſcientiæ clamorem non audierint, & ſalubrem admonitionem ſpreuerint; ſed vnde ob imminēs grauiſſimum periculum acri ac prudenti timore fuiſſent percellendi, inde inſolentiori procacia prehenderint ad infelicem impunitatem arma, & contempſerint pericula: *Gabaëni*, inquit Ioſeph. 5. antiq. Ioſeph.
cap. 2. *non dediderunt iuuenes, arbitrati ſibi pudendum, ſi alienis imperatis metu belli parerent.* Cùm ius faſque eſſet rationabili ac iuſto metu concuti, & imminens periculum declinare, maluerunt infelici tumore ſuperbi, & ſuperba audacia turgidi in periculum irruere, quàm peccatum prudenti pœna delere, & quidem ſuis factis oſtenderunt Benjaminitæ quàm cæci peccatores imminens contemnant periculum, & quàm auidè inſidioſum ſibi ſatagant tueri peccatum: non ignorabant hoſtiles iam mucrones eorum ſanguinem ſitire, & tamen contumaces periculum maluerunt contemnere, quàm vitare. Ferè omnes generali clade interempti exoculatæ pœnas temeritatis dederũt, & dum renuũt honeſtis legibus ſubiici, cōtigit vltione æquiſſima deuaſtari.

Amos

Digitized by Google

53. Amos pinguem Samariæ montem habitantibus laſciuientibuſque dignum ſupplicium prædicens ſic aiebat: *Audite verbum hoc vaccæ pingues, quæ eſtis in monte Samariæ, quæ calumniam facitis egenis, & confringitis pauperes: quæ dicitis dominis veſtris: Afferte: & bibemus. Iurauit Dominus Deus in ſancto ſuo, quia ecce dies venient ſuper vos, & leuabunt vos in contis, & reliquias veſtras in ollis feruentibus.* Non ignorauerût calamitatem clarè adeò prædictam; verùm audientes contempſerunt, & ne receſſerint à laſciuia, deſpexerunt atteri pœnâ. *Seruet*, inquit Hieronymus, *Metaphoram vaccarum, quarum carnes in vectibus ſolent leuari: ſignificat autem quia cùm venient Aſſyrij, capientur in prælio, & portabuntur iure victoriæ.* Experti ſunt vaticinium, quia noluerunt reliquiſſe peccatum: diſpoliabant pauperes, opprimebant imbecillos, & ne infauſtis præſentaneiſque priuarentur ſpoliis, meruerunt ab hoſtibus diſpoliari, & catenis duriſſimis premi. O quantam intellectui ſuo contumeliam infert peccator, quantam irrogat auctori ſuo iniuriam, dum præmonitus mauult, quàm fugere, ſtertere: pientiſſimus ac indulgentiſſimus Dominus, ne duras inflixerit pœnas prædictis euacuare ſolicitat minis; ea tamen eſt peccatoris ſocordia, ea cæciſſima ignauia, vt terrore percuſſus non reſipiat; imò malit, ne ad horam reliquerit peccatum, diuturnum ac grauiſſimum ſubire ſupplicium. Ingenioſè & vere Tertullianus lib. de pœnit. cap. 5. *In quantum ignorantia ſegregaris, in tantum contumaciæ adglutinaris Nam ſi idcirco te deliquiſſe pœnituerat, quia Dominum cœperas timere, cur quod metus gratia geſſiſti, reſcindere maluiſti, niſi quia metuere deſiſti? nec enim timorem alia res, quam contumacia ſubuertit.* Vt peſtilens morbus ſalubrium medicamentorum ingenerat tædium, ſic peccatum ſecum adducere ſolet contumaciam, quæ ſalubrem metum depellat & appetens periculum non ignoratum temerè ſatis deſpiciat.

54. Ioël 1. v. 4. Ioël hoc idem teſtatur: *Reſiduum erucæ comedit locuſta, & reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo: Expergiſcimini ebrij, & flete, & vlulate omnes qui bibitis vinum in dulcedine.* Ne contumelioſam ſibi relinquerent ebrietatem, fructum afferuare deſpiciebât malentes, quàm expergiſci, à beſtiarum agminibus deuorari: non ignorabant armari locuſtas, nouerant erucas inſidiari, contemnebant tamen periculum, vt peſtilentem fouerent ſomnum. Huc voco datum ſuprà Tertullianum: (Tertull.) *Cùm etiam ignorantes Dominum nulla exceptio tueatur à pœna quia Deum in aperto conſtitutum, & vel ex ipſis cæleſtibus bonis comprehenſibilem ignorari non licet) quantò cognitum deſpici periculoſum eſt. Deſpicit porrò, qui bonorum ac malorum intellectum ab illo conſecutus quod intelligit fugiendum, quodque iam fugit, reſumens intellectui ſuo, id eſt Dei dono contumeliam facit.* Profectò contumeliam ſibi facit, qui mauult perire, quàm pœnitere. Nonne videntur tibi Beniaminitæ ſibi ipſis contumelioſi, cùm non ignorantes graue ſibi periculum imminere, maluerunt extremam ſubire pœnam, quàm honorare notitiam. Ecce admonentur, ecce à populi proceribus de patratis ſceleribus reprehenduntur, & tamen infeliciſſimo contumaciæ patrocinio fiſſi proceſſerunt in campum, & ſibi maturauere ſupplicium.

55. Matth. 23. v. 37. Chriſtus Dominus homines ipſis animantibus hebetiores reddi incantamentis delictorum oſtendens ſic apud Matthæum illorum contumaciam deplorat: *Ieruſalem, Ieruſalem, quæ occidis prophetas, & lapidas eos, qui ad te miſſi ſunt, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & noluiſti. Ecce relinquetur vobis domus veſtra deſerta.* Ac ſi dicat: Pulli, ſi miluum inſidiari ſibi præſenſerint, ad maternarum ſubſidium alarum inuolant, vt ibi deprædatrices fruſtatint inſidias ſaluti ſuæ conſulentes, & creatorem indita ſibi notitia honorantes; verum Ieroſolymitæ, quos rudiores ipſis brutis delictum reddidit, apertis oculis imminentem ruinam intuiti, malunt prophetas occidere, & lapidare. Ita Theophylactus ad hunc locum. (Theophyl.) *Arguit illam quaſi ſanguinariam, & quod ſæpiùs volente ſe miſereri eius, ipſa noluerit; ſed diabolum potius audierit, à quo diſperſa, & à veritate fuerit abducta: congregantem autem Dominum non ſuſceperit.* Pulli ſi milui inſidias prænouerint paſtum relinquunt, ad materni tutaminis profugium celeriter contendentes, homines verò cùm appetentem noſcunt calamitatem, voluptatibus irretiti ſibi non quærunt profugium; ſed inuolantem deſpiciunt gladium.

§. IX.

Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit; deteſtanda, quam ſolus furor inducit.

56. PVlſat animum, & acri calcari ſtimulat vltionis libido: nihil adeò hominum corda impellit, vt vltione remunerare culpam, & depellere offenſam; intereſt tamen prudenti rationis lance vindictæ cauſas expendere: qui legibus ſatisfaciens, qui æquitatis auxilium implorãs procurauit vindictam, euaſit furoris inſaniam, ardoris offenſam. Diſertè Caſſiodor. 1. var. 30. (Caſſiod.) *Si quid eſt fortè, quod pœnam mereatur admiſſum, in præfecti vrbis notitiam perferatur, vt culpa legibus, non per præſumptam coërceatur iniuriam: quid enim diſcrepat à peccante, qui ſe per exceſſum nititur vindicare? Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit, & excellenter videtur de pulſato triumphaſſe, qui victor pronunciatur à iudice.* Qui coram iudice iniuriam pulſat, ad legis recurrit tutelam, qui per ſe acceptam molitur iniuriam depellere, inuenitur delinquere, quandoquidem tunc plus ſtudet ardori blandiri, quàm æquitati ſtudere. Leuites accepta grauiſſimâ iniuria coram iudicibus populi Gabaënos pulſauit, & crimen retulit: *Interrogatus Leuita maritus mulieris interfectæ, quomodò tantum ſcelus perpetratum eſſet, reſpondit: Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diuerti: & ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere, & vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt.* Adiecit ſatis modeſtè: *Adeſtis omnes filij Iſraël, decernite quid facere debeatis.* Plus videtur Leuita legum agere cauſam, quàm expetiſſe propriam vindictam. Notauit Hugo Cardinalis hîc: (Hugo.) *Non vult vindictam niſi diſcretam, & iuſtam.* Ergo laudabiliter ſe de iniuriis vlciſcitur, dum legum, æquitatiſque implorat auxilium, & iudicum expectat decretum. *Ad ſingulas tribus miſit*, inquit Ioſephus lib. 5. antiquit. cap. 2. (Ioſeph.) *Mandans perferentibus, vt indicarent per tribus, qui mulieri cauſa mortis fuerint, & de eorum violentia.* Itaque apud tribuum proceres, & populi magiſtratus de violentia mulieri illata conqueſtus eſt, vt innoxia dolorem ſolaretur vindicta, nec illegitimæ vltionis denigraretur offenſa: verùm aliter ferè

ſemper

Digitized by Google

ſemper contingit: non expectât homines per leges vindicari; imò probrum ducunt mutuari legum ſubſidia, & iud cum implorare decreta.

37. Cainus diaboli primogenitus, necis artifex, quàm à Deo accepiſſe ſe putabat iniuriam fratris homicidio vindicauit: effuſus ſanguis vindictæ laudabilis docuit modum, dum interpellauit Iudicem, & perpetratam oſtendit cædem: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ad me de terra.* Amore iuſtitiæ vindictā ſanguis expetebat, ne dū ſceleratus de impunitate præſumit, grauiora piaculo tentet. Ergo æquitatem aduocat, Iudicem conuenit, & non tam propria diſcupit damna vindicare, quàm audaciam impedire.

Geneſ 4. v.10

Caſſiod. Huc voco quod aiebat Caſſiod. 4. var. 49. *Neceſſe eſt vindictæ ſubiaceat, qui prauis moribus obſecundat.* Itaque iuſti vindictam de prauis moribus expetūt, non tam ad doloris ſolatium, quàm ad ipſius delinquentis remedium, & ne generalitas patiatur, ſcandalum, apud Iudices de vindicta æquiſſima agunt: quia boni Iudices, Principéſque plus ſolicitant vindicta culpas tollere, quàm punire: *Benigni quippe principis eſt*, aiebat 1. var. 30. *non tam delicta velle punire, quam tollere, ut aut acriter vindicando æſtimetur nimius, aut leuiter agendo putetur improuidus.* Certè Abelus benignus vltor ad Iudicem clamabat, non tā puniri fratrem deſiderans, quàm delictum tolli, & in poſterum reſcindi. Ergo qui ſic vindictam curat, non lædit charitatem; ſed opponit audaciæ legem: *Vox ſanguinis fratris tui clamat ore redemptorum*, inquit Interlin. Iuſtorum ore clamat, non ardens vltionem; ſed de lege inhibens prauitatem. Verùm, vt dicebam, pauci ſunt, qui inculpatè egerint de vindicta: nā aut excitatur odiū, aut alienæ excruciationis inardeſcit deſideriū, aut exceditur æquitatis præſcriptū: *Felices eos Imperatores dicimus*, aiebat Aug. lib. 5. de ciuit. c. 24. *ſi iuſtè imperant, ſi tardiùs vindicant, facilè ignoſcūt, ſi eādem vindictam pro neceſſitate regendæ, tuendæque Reipublicæ, non pro ſaturandis inimicitiarū odiis exercent.* His circūſtantiis laudabilis eſt criminis vltio; ſed cùm tarò vltioni contingant, ſalubrius, ſecuriúſque eſt parcere, quàm vltionis ſolatiū expetere.

Interlin.

Auguſtin.

Imperator tardè vindicet, facilè ignoſcat.

38. Chriſtus Dominus, qui ſanctitatis norma, qui inuiolabili nituerit iuſtitia, vt homines edoceret periculoſū eſſe acceptas iniurias vindicare, ad Iudicē cauſam propriam remiſit: nam cùm probris impetitus vrgeretur, ſic apud Ioannem reſpondit: *Ego nō iudico quemquam: & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt: quia ſolus nō ſum; ſed ego & qui miſit me Pater.* Adnexuit num. 50. *Vos inhonoratis me; ego autem non quæro gloriā meam: eſt qui quærat, & iudicet.* Ac ſi dicat: Æquiſſimè poſſem gloriā meam quærere, & vos ob iniurias, ac contumelias punire, cùm nec mihi deſit potentia, nec poſſim exorbitare à iuſtitia; verùm cùm ſit qui iudicet, apud illum cōtrà vos ſtabo, ne ſi egometipſum vindicem, vindictæ videar ſtudioſus, aut ſi Iudicem non interpellē, viribus meis iniurius. Ergo me de vobis vindicet, qui iudicat: ſic námque honoris mei cauſam agam, & omnem ſuſpicionis notā effugiam: *Ego non quæro gloriam meam*, inquit Euthym. hîc, *vindictam contumeliæ meæ, eſt qui quærat, & iudicet.* Adnectit: *Quando contumeliā eum affecerunt, modeſtè reſpondit, & manſuetè: hinc enim nos docuit.* Itaque cùm aliquando ipſa ratio exigat proprio honori conſulere, ne ſilentium procaciæ cauſam agere videatur, tunc curādum eſt à legibus, integerrimiſque Iudicibus honeſtā ac iuſtam vltionē quærere, nec oportet ſe proprio ſtudio, auctoritateve vindicare. Ecce qui errare non poterat, & qui ſe poterat inculpabiliter vindicare, æquiſſimū interpellauit iudicē, vt conſtaret iniuſtè impetitū, & iniuriis inhonoratū. Itaque abſtinuit, à vindicta per ſe ipſum ſumenda, vt nobis exhiberet exemplū, & doceret declinare periculū.

Ioan 8. v. 16.

Euthym.

Hanc normam ſecutus eſt Michaël: nam cùm de Moyſis corpore cū procaci, blaſphemóque dæmone altercaretur, maluit à cæleſti iudice vltionem expectare, quàm per ſe ipſum inferre: *Cùm Michaël Archangelus cum Diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ; ſed dixit: Imperet tibi Dominus.* Diabolus blaſphemiis Michaëlem impetebat: poterat quidem ille, vt Raphaël fecit in Tobiæ cauſa, altercantem æmulum vinculis conſtringere, & blaſphemiā vltione æquiſſimâ caſtigare; at ne quis putaret in propria cauſa vltionis ardore inflammari, & ſententiā in aduerſarium proferre, maluit apud omnium iudicem negotium dirimi: *Non eſt auſus*, inquit, *iudiciū inferre blaſphemiæ.* Et cur timeat blaſphemiam pœnis digniſſimis coërcere, qui in eius coërcitione nullatenus poteſt exorbitare? Si vti puriſſimus ſpiritus, Deique miniſter, omni deprauato affectu conſtat carere, quid timeat dæmonis procaciam ſecum altercantem punire. Profectò Angelus nullo errore infici, nulla degeneri affectione poterat obſcurari; verùm dum culpæ expers à propria vindicta abſtinet, quàm ſit hominibus errori obnóxiis à propriis iniuriis vindicandis abſtinendū edocuit: & quia oportet omnē aliquando ſuſpicionem depellere, nec aduerſarij nimiā tolerantiā cauſam agere, apud Deum æquiſſimū iudicem litem dirimi voluit, vt dū diabolus ab incorrupto iudice ob blaſphemiam ingemit punitus, Michaëlis honor reſplēduerit illæſus, & dū per ſe ipſe non ſumit vindictā, omnem iniquæ ſuſpicionis effugerit notam: *Volebat diabolus reuelare corpus Moyſi*, inquit Lyra, *Iudæis ad idololatriam pronis, vt eum adorarent tamquam Deum; Michaël autem tūc princeps ſynagogæ hoc volebat impedire: non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ ipſi diabolo.* Diabolus, vt videtur, more altercantium dicteria, probráque in Michaëlem oppoſitū ſibi coniecit; Michaël tamen, cùm ſortiretur, vt Raphaël in cauſa Tobiæ, ad religandum dæmonem potentiam, maluit ad iudicis confugiſſe decretum, ne in propria cauſa exercuiſſe ſugillaretur iudicium. Ergo diſce à vindicta per te exercenda abſtinere, etſi opus fuerit à legibus impetrare. 39.

Epiſt. Iudæ v. 9.

Lyra.

§. X.

Grauem mulctam debet præcedere rationabilis tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia.

Gentiles, vt Chriſtianos grauiſſimis pœnis mulctarent, fidem vel figmentis dabant, nec diſcutere cauſas volebant: ne ſi veritas clareret, infligi pœna non poſſet: *Somniaſtis*, aiebat Tertull. in Apolog. c. 16. *caput aſininum eſſe Deum noſtrum. Hanc Cornelius Tacitus ſuſpicionem inſeruit.* Cornelius Tacitus mendaciorum loquaciſſimus, vt hiſtoriæ ſtylo deſertus, confinxit neſcio quibus coniecturis; imò clariſſimis mendaciis ob vndas ſiti repertas onagri beneficio Hebræos deteſtabiliter gratos onagri caput in Deum inauguraſſe, & coluiſſe: & quidem admittebant hiſtoriam, vt infligere poſſent pœnam: cùm tamen irroganda infamia, infligēdave grauis pœna rem ſoleter diſcutere commoneret. Quàm diſertè idem Tertullian. cap. 1. *Nec tamen hoc ipſo modo ad æſtimationem alicuius latentis boni promouent animos. Non licet rectiùs ſuſpicari, non libet propiùs experiri: hîc tantùm curioſitas* 40.

Tertull.

rioſitas humana torpeſcit: amant ignorare, cùm alij gaudeant cognouiſſe. Gaudebant Chriſtianos, quos acri odio perſequebantur, delationibus pulſati, criminationibus adurgeri, nolebántque veritatem indagatione perquirere: quia deſiderabant ſupplicio plectere. Certè famæ ſuæ inuident, qui in rebus grauiſſimis examen omittunt, aut leuiter indagationi rerum incumbunt, quandoquidem tunc videtur odium, liuorve nocendi quæſiſſe cauſam, non protuliſſe ſententiam. Ergo vt hanc populi proceres à ſe inuidiam remouerent, aſcito Leuita, à quo Gabaëni expoſtulati, accuſatíque ſunt, rem diligenter examinant, & Gabaënos ipſos interrogant, vt ita duram ſtragem indagatrix commendarit patientia, & diligens in examinando crimine cura: *Interrogatus Leuita maritus mulieris interfectæ, quomodò tantum ſcelus perpetratum eſſet, respondit, &c.* Audito marito legatos ad Benjaminitas miſerunt, qui ſciſcitarentur diligentiſſimè rem: *Miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent, cur tantum nefas in vobis repertum eſt?* Vtrámque partem diligenter examinant, ne infligenda mulcta videatur celeri præcipitatione decreta; ſed prudentis patientiæ ſollicitudine, & examinis diligentiſſimi conſilio inflicta. In rebus magni momenti oportet lento incedere veſtigio, & pacato prorsùs animo, ne exoculata celeritas iuſtitiæ dentaxerit, & puniti cauſam egerit. Innuit Ioſeph. ſæpè datus 5. antiq. cap 2. *Iuſto furore perciti apud Silum conuentum faciunt, & congregati ante tabernaculum Gabaënos hoſtiliter armis impetere decernunt. Hunc impetum Senatus cohibuit ſuadens non ita temerè cognatis bellum inferendum, priùs quàm verbis agerent de criminibus, quando ne in exteros quidem ob iniuriam acceptam armari leges permittunt, niſi legatis priùs de ſatisfactione miſſis.* Itaque maturi ac prudentiſſimi Senatores frænarunt impetum miſſis nuntiis, qui rem penitiùs examinarent, vt diligens cauſæ diſcuſſio omnem ſiniſteritatis ſuſpicionem depelleret, & ſupplicium inferendum commendaret.

Ioſeph.

41\. A dæmone inſtigatum, odióque ardentiſſimo exulceratum Saülem oſtendit in Dauidem capitis lata ſententia: celebrabantur calendæ: Dauid honeſtam excuſationem prætendit, vt effugeret quas non imprudens ſuſpicabatur tectas oblectamentis inſidias, vtque odio adimeret cauſas: *Cur non venit*, aiebat Saül, *filius Iſai nec heri, nec hodie ad veſcendum?* Ionathas patri reſpondit: *Rogauit me obnixè, vt iret in Bethlehem, & ait: Dimitte me: quoniam ſacrificium ſolemne eſt in ciuitate.* In ea reſponſione ſic ita efferbuit, vt filium haſta percutere fuerit aggreſſus, & mortis ſententiam in Dauidem indignatione protulerit inflammatus: *Iam nunc mitte, & adduc eum ad me; quia filius mortis eſt.* Profectò accelerata mortis ſententia Iudicem prodebat iniquum, & inſontem prorſus damnatũ, quandoquidem ſi æquitatis partes ageret Iudex, cauſam debuiſſet lentâ celeritate diſcutere, nec inauditâ parte mortis ſententiam proferre: Dauid furore ardente morti damnatus. Saülis inſanientem iram, & iniquam condemnabat ſententiam: capite condemnare abſentem, quin abſentiæ occaſio ſolerter fuerit examinata, quin prudẽti morâ expenſa oſtendebat non Dauidẽ criminis reum; ſed Saülem odio percitum & inflammatum, dum accelerat ſine legitima iuris ſolemnitate ſententiam, rei cauſam egit, & paſſionis inſaniâ prodidit: *Hìc conſequenter deſcribitur*, inquit Lyra, *ipſius Saülis indignatio.* Sẽtentia profertur; ſed indignatio deſcribitur: ni enim Saül odio inflammatus indignaretur, adeò celeriter

1.Reg.20. v.27.

Lyra.

vita hominem non mulctaret; ſed examinata otium culpa honeſtiorem ſibi ſententiam diceret.

Aſſuerus, dum facilè credidit, non ſine pudore coactus eſt publica reuocaſſe decreta, & doloſa fateri ſe irretitum fuiſſe fallacia: Amanus in Iudæos inculpatos indignatione ferueſcens confictis criminationibus apud regem accuſauit: *Dixit Aman regi Aſſuero: Eſt populus per omnes prouincias regni tui diſperſus, & à ſe mutuò ſeparatus nouis vtens legibus & ceremoniis, inſuper & regis ſcita contemnens: & optimè noſti, quòd non expediat regno tuo, vt inſoleſcat per licentiam. Si tibi placet, decerne, vt pereat, & decem millia talentorum appendam arcariis gazæ tuæ.* Audiſti expoſtulationem vnico teſte fultam; audi ſententiam: *De populo age, quod tibi placet*: Non de vnius, aut alterius capite agebatur; ſed de totius populi inhonoratione, morteque duriſſima, & Aſſuerus iniqua in Amanum beneuolentia ſine examine, ſine vlla in re tam graui cauſæ diſcuſſione annulum tradidit, vt ſententiam regio ſigillo communiret: *Tulit ergo rex annulum, quo vtebatur, de manu ſua, & dedit eum Aman.* Iuſtiſſimè dignitatis ornamenta exuebat, cùm tot homines morti indiſcuſſa cauſa damnabat: non minus nocebat æquitati, Reipublicæque nimia principis erga procerem ſuum gratia, quàm proceris ardens erga populum Iudæorũ maleuolentia. Quàm ſibi Aſſuerus aduerſabatur, quàm erat Reipublicæ ſuæ contrarius, dum Amani adeò ſtudioſus! Sententia non eſt effectum ſortita, quia iuſtitiæ oculus immeritò damnatis tulit opem, & prudentiæ reſtituit regem. Ergo, etſi melior fuerit pœnitentia, quàm pertinacia, opus fuit non ſine prudentiæ nota reuocaſſe ſententiam, & apertè confiteri fallaciam: *Nos à peſſimo mortalium Iudæos neci deſtinatos in nulla penitus culpa reperimus; ſed è contrario iuſtis vtentes legibus, & filios altiſſimi, & maximi, ſempérque viuentis Dei.* Dignum regali animo fuit pertinaciæ non agglutinari; ſed honeſtè reſipiſcere; verùm dum celeriter ſententiam profert, dum annulũ tradit, ſe quodammodò dignitate regiâ exaugurat, & iuſtitiam lædi clariſſimè manifeſtat, quandoquidem grauem adeò mulctam debuiſſet examen cauſæ diligentiſſimum præceſſiſſe, nec partem prorsùs inauditam damnaſſe. Huc voco Tertull. in Apolog. c. 1. *Domeſticis iudiciis nimis operata ſecta huius infeſtatio obſtruit viam defenſioni.* Aſſuerus non decreuit, ſed deſipuit: iuſtè nudatus eſt annulo quia iniuſto innoxios opprimebat decreto: nimia Amani probabatur malitia, nec minùs nocens Aſſueri beneuolentia, cùm de totius populi morte adeò celeriter agebatur, adeò incõſultè decernebatur. Quid nocuiſſet rem deſpexiſſe attentiùs, & examinaſſe cunctantiùs? Ecce quos vt peruerſos morti tradiderat, iam vti optimis legibus vtentes abſoluit. Ergo populi ſenatus, proceréſque, ne hanc imprudentiæ notam incurrerent, ſine impetu cauſã diſcuti ſtatuerunt, & qui examinarent ſedulò, delegarunt. 42.

Eſther 3. v.8.

Tertull.

Oraculum Iudicibus leges præſcribens ſic aiebat: *Non facies, quod iniquum eſt, nec iniuſtè iudicabis; non conſideres perſonã pauperis, nec honoris vultum potentis, iuſtè iudica proximo tuo.* Philo Iudæus lib. de Iudice pro ipſo Iudice ait eſſe cauſas diligẽter examinare, & omni amota affectione rẽ accuratè deſpicere, ne aut beneuolẽtia ius euertat, aut maleuolẽtia corrũpat. *Iudici præcipitur, vt cauſas partium examinet ante iudiciũ, ſemoto in totum reſpectu perſonarum, ſiue ſint ciues, amici, domeſtici, ſiue cõtrà inimici, alieni, exteri, ne quid vel beneuolentia, vel odium cognitionem impediat; alioqui neceſſe eſt iudicẽ impingere, velut ſi cæcus incedat abſque baculo.* Vt 43.

Leuit.19. v.15.

Philo.

cæcus

cæcus baculo innixus non præcipitanter incedit ; ſed viam priùs, quo poteſt, modo examinat, & explorat : ita Iudex veluti prudenter in hac parte cæcus ſolerti examine pro baculo debet vti, & in re adeò graui paulatim incedere : alioquin dum alios damnat, ipſe impinget, & iuſtitiam dehoneſtabit.

44 Cùm populus grauiter deliquiſſet, iubet oraculum cunctos principes contrà Solem in patibulis ſuſpendi. Ergo Moyſes Iudices in conſilium aduocat, quo digna ſtatuatur delinquentibus pœna :
Numer. 25. v. 5. *Dixit Moyſes ad Iudices Iſraël: Occidat vnuſquiſque proximos ſuos, qui initiati ſunt Beelphegor.* Oleaſter hîc ad mores exiſtimat Moyſem cum Iudicibus de hac re egiſſe non ignauum; ſed laudabiliter prouidum : à Domino acceperat ſceleris principes mulctandos, & tamen, quod Deo gratum fuit, vt optimum gubernatorem impleret, cauſam adeò grauem voluit à plurimis diſcuti, & ſententiam maturè promi. Accipe Oleaſtrum :
Oleaſt. *Non ſunt tractanda graues cauſæ ac negotia ſine maturo conſilio, etiam a ſapientibus, præſertim vbi interuenit cauſa mortis. Licèt Moſes eſſet ſapientiſſimus, & Deum ad manum haberet; noluit tamen ſine conſilio homines occidere peccatores.* Si grauis adeò cauſa ſine aliorum conſilio executioni mandaretur, fors pro reis ſtetiſſet multitudo Moyſis factum condemnans, aut ſaltem obmurmurans: ergo Iudices vocat, & cauſam ſolerter diſcutit, ne mortem intuliſſe ſine examine quis putarit.

§. XI.

Auferre nititur vitam qui ad Dei trahere molitur offenſam.

45 CVlpa mœroris mater, infelicitatis nutrix, amariſſima mortis radix, dum animum inficit, totum hominem perdit : nullus hoſtis, etſi rabie truculentiſſima armatus adeò magnum inferre poterit detrimentum, vt ſecum affert ad ſpeciem dulce ; ſed mortiferum reuera peccatum. Tertullian. lib. de pœnit. cap. 7. peccatores grauiſſimum diuinæ miſericordiæ vocauit onus; quo grauamine Deum pœnitentes liberant, dum iratum præcidunt cauſam :
Tertull. *Nolunt iterum diuinæ miſericordiæ oneri eſſe.* Peccator ei, qui tribus digitis totam orbis molem ſuſtentat, oneri quodammodò eſt, & miſericordia ingemiſcere veluti oppreſſa compellitur, quia benefacere impenſè ſemper conatur : vt noueris quàm ſint immeratæ inſaniæ delirantis vires, peccator alacriter fert grauiſſimum criminis onus, quod validum numinis dorſum ad ſpeciem premit. Inde Cyrillus Alexandrinus in cap. 2. Amos
Cyril. Alex. aiebat : *Intolerabilitas peccatorum.* Intolerabilis eſt delictorum ſarcina, ni humana contrà ſe ipſam induraretur proteruia : nec ſolum animis adfert incommodum; ſed graue etiam corporibus detrimentum : ſibi mortem accelerat, ſibi calamitatem concinnat, à ſe ſalutem amandat, quiſquis ſe tradidit peccatis fallaci oblectamento deluſus, & appetitionibus adiuatur inſanus. Non huius philoſophiæ neſcius Leuita, cùm apud populi proceres Gabaënos querelis digniſſimis accuſaret, intentatam ſibi retulit mortem : *Ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam, volentes me occidere.* Si hiſtoriam perlegas, non inuenies Gabaënos Leuitam ad mortem expetiiſſe; ſed peccatis defœdare tentaſſe : *Educ virum,* vociferabantur, *qui ingreſſus eſt domum tuam, vt abutamur eo.* Abuti ardebant, occidere non tentabant : cur ergo Leuites de intentata ſibi queritur morte ; *volentes me occidere?* Quia idem erat, reſpondebit Hugo Cardinalis, ad culpam trahere, & mortem aſciſcere : quandoquidem adeò mors vicina eſt voluptati, criminique, vt pro eodem reputandum ſit vitam periculo exponere, & peccatum perpetrare. Ergo de morte intentata Gabaënos expoſtulet : nam ſi trahere diſcupiebant ad prauitatem, iam moliri certiſſimum erat mortem: *Circumdederunt nocte domum, in qua manebam,* Hugo.
volentes me occidere, id eſt, abuti, quod eſt occidere. Et quæ durior mors quàm quæ militabat in animã, in honorem, in vitam? Leuitæ mulier ipſa voluptate vexata vitam halauit: ergo Leuites iure ſe ad mortem queritur expetitum, cùm conſtet ad turpiſſimum libidinis negotium deſideratum : *Volentes me occidere, id eſt, abuti, quod eſt occidere.*

Iob cæleſti luce reluminatus de iuſtis, peccato- 46.
ribuſque ſermonem inſtituens ſic aiebat : *Lignum* Iob 14. v. 7. & 10.
habet ſpem, ſi præciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami eius pullulant. Addit *Homo verò cùm mortuus fuerit, & nudatus, atque conſumptus, vbi quæſo, eſt?* ligni nomine iuſtum intelligi tradit Gregorius lib. 12. moral. cap. 4. *Et quid ligni nomine, niſi iuſti* Gregor.
vniuſcuiuſque vita deſignatur? Lignum enim habet ſpem, ſi præciſum fuerit rurſum vireſcit. Videbis, inquit Iob, aliquando iuſtum ad inſtar ligni depretiatum, & duris, ac repetitis ſecuris ictibus ferè deiectum; at ſub illa calamitatis cruſta, ac miſeriæ deformitate vitæ radix vigorem conſeruat, nec dici poteſt emortuum, quod citò reflorebit gratâ viriditate exornatum ; at peccator, inquit Iobus, licèt frui iucunda vitâ, robuſtâ ſalute videatur, reuera mortem alit, & interna tinea conſumptus inopinè fugit, & perit. Culpis infici eſt ſibi mortem, calamitatémque elaborare. Accipe Gregorium : *Ipſa amiſſione iuſtitiæ morimur, conceſſa priùs, in paradiſo veſte innocentiæ nudamur, interitu etiam carnis ſubſequente conſumimur. Homo itaque peccator moritur in culpa, nudatur à iuſtitia, conſumitur in pœna.* Ecce peccati fructus, & quidem vbertimus, nuditas, & calamitas, mórſque. Non æquam de rebus ſententiam ferentibus videtur iuſtitiæ cultor & deſpiciendus & mortuus : è contrà peccator non ſemel apparet ſplendidus, & vſque ad inuidiam floridus ; verùm huic à tergo mors imminet, calamitas è veſtigio premit, latent ſub contrariis ſpeciebus contrarij fructus: ſub calamitate vita, ſub felicitate miſeria. Ergo Iobus, quem peccatorem agnouit, demortuum eſſe affirmauit : quaſi idem fuerit adulari cupiditatis inſaniæ, & prætendere inſidias vitæ.

Eccleſiaſticus huius veritatis pulchrum ſymbo- 47.
lum nobis deſcribens, *Homo ſanctus,* inquit, *in ſa-* Eccli. 27. v. 12.
pientia manet, ſicut Sol: nam ſtultus ſicut Luna mutatur. Sanctus, & peccator, vt qui corruptibili carne amicti, & morti etiam inueniuntur expoſiti ea tamen, inquit Eccleſiaſticus, eſt non ſemel inter iuſtum & peccatorem differentia, quæ intercedit inter ſolem, & Lunam : ſol namque longiori interuallo viuit, Luna quam citiſſimè perit: ſol poſt annuam inſtitionem alius, poſt menſem Luna : ergo dum peccator Lunæ aſſimilatur, & vicinus morti profertur. *Sol,* inquit Tertull. lib. de pallio c. 2. *inſtitionibus annuis, Luna modulationibus mẽ-* Tertull.
ſtruis variat. Vt differt ſpatium, quo Sol cœlũ metitur, circumitque ab ſpatio, quod ponit in excurrendo Luna, ita ſpatiũ, quo iuſtus humanũ curſum

metitur, differre ſolet ab ſpatio, quo improbus diuagatur: ſapiens abſtinentia producit vitam conſeruat temperantia ſalutem, & temporalem etiam commoditatem benè moratus adauget, dum peccatorum refugit peſtem; at intemperans, dum opiparis menſis, & multis ac ſoporatis ferculis paſcitur, dum ſcyphis capacioribus vtitur, dum profuſiùs libidini impenditur, mortem adurget, & velociſſimis intemperantiæ alis inuolare celeriùs cogit.

48. Eccli 27. v. 11. Succedat ſibi Eccleſiaſticus: *Leo venationi inſidiatur ſemper, ſic peccata operantibus iniquitates.* Mira res: ipſa iniquitas, quæ anxiis diſcupiebatur votis ad dulces delicias, inſidias prætendit, & diſſimulat captioſas. Leo inſidiatur homini, vt eo vti paſtu ſapido oblectetur: ergo iniquitas eodem modo peccatoribus inſidiatur. Exiſtimat homo ſe voluptatem capere, & ab ipſa capitur, & occiditur: ſatius aliquando eſſet, quàm in fallacem voluptatem in carniuorum incidiſſe Leonem: horridus námque Leonis aſpectus celerē conſuleret fugam, & declinare rapido curſu imminentem calamitatis miſeriam; at voluptas, dum Sirenarum ad inſtar dulci voce aures ligat, blandóque aſpectu deluſum trahit, fuga non arripitur; ſed acceſſus procuratur, & miſerabiliùs ruit, quàm qui in Leonem incidit, qui in culpam & voluptatem: nam Leo citò finiendam auferre potuit ſalutem, voluptas aufert ſalutem, & æternam affert calamitatem. Prodeſt Ianſenius ad hunc locum: *Peccatum ſe habet erga ſuos, ſicut enim Leo veluti crudelis ferarum rex reliquis feris inſidiatur, eaſque venari ſtudet, vt perimat, & earum carnibus paſcatur: ita peccatum non benefacit ſuis ſectatoribus; ſed ſub ſpecie voluptatis, quàm proponit, inſidiatur eis, & ſibi miſerè ſubijcere, & deuinctos retinere ſtudet, vt tandem crudeliter occidat, & æternæ morti obnoxios reddat.* Culpa & Leo occidunt, ea tamen differentia, quod Leo infert mortem; ſed culpa duriorem animæ ſtragem: vt Leo ſæuus & carniuorus inſidiatur peccatum, & tamen eis præſtigiis voluptas hominem infatuat, vt Leonem aſſumptis alis diffugiat, & voluptati mutuatis pennis accedat. O nos miſeros, quos voluptas priùs oculis priuat, vt vltori ferro ſæpiſſimè tradat!

Ianſen.

49. Iſai 1. v. 6. Iſaias cap. 1. peccatoris miſerias commemorans ſic aiebat: *A planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas; vulnus, & liuor, & plaga tumens:* quem locum elucidans Richardus Victorinus in allegor. Tilmani ſic ſcribit: *Peccatum per actionem manifeſtum quid aliud eſt, quam vulnus apertum, vel cadauer elatum?* Iam peccator cadauerascit, iam ad ſepulchrum effertur: adeò approximat culpæ ruina, adeò peccato ſepulchri eſt annexa miſeria. Diſertè Leuites ſe impetitum ad mortem dixit, quia culpæ annexam mortem agnouit.

Richard.

§. XII.

Grauiori pœna plectendus, qui legibus deliquerit informatus.

50. Lex hominis pædagogus ab erroribus auocat: qui ſine directione cæcutit, qui nulla legum directione deliquit; aliquomodò commiſerationem ſuadet, quandoquidem non tam videtur deliquiſſe criminoſus, quàm exorbitaſſe cæcus, nec tam amaſſe culpam, quàm incidiſſe in miſeriam; aſt qui legibus agnoſcitur contraire, conuincitur peruerſitate peccare. *Lex*, aiebat Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. cap. 14. *eſt lumen vitæ: vias enim vitæ arguit diſciplina. Lex eſt rex omnium mortalium, & immortalium, inquit Pindarus.* Itaque, vt qui in lumine verſatur, inexcuſabiliùs cadit præpeditus, ſic qui lege delinquit admonente grauiori eſt pœna mulctandus, ſi quidem appatet peruerſus. Heſiodus mirum non eſſe ait ſeſe deglutire feras, vt quæ legum non arceantur fræno, & ſtimulentur appetitu; mirandum tamen hominem rationis participem, & legis directum magiſterio obſcurari piaculo:

Clem. Alex.

Lex mortalium, & immortalium rex eſt.

> *Humano generi lex námque eſt à Ioue lata:*
> *Piſces, atque feræ, volucréſque per aëra nantes*
> *Seſe edunt, cùm illis vlla haud ſit notio iuris.*
> *Aſt hominum generi iuſtam eſt res, quæ optima ceſſit.*

Heſiod.

Homo naturæ ſuæ iniuriam infert, dum legem offendit: ergo vt de legis notitia accreſcit culpa, ſic adaugetur & pœna. Hinc eſt quòd populus Gabaënorum, adiuuantiúmque Benjaminitarum culpam punire decernens vno animo ſe obſtrinxit, vt penitus expugnaret: *Stans omnis populus quaſi vnius hominis ſermone reſpondit: Non recedemus in tabernacula noſtra, nec ſuam quiſque intrabit domum; ſed hoc contrà Gabaa in commune faciamus.* Acriùs quàm in Chananæos, in Benjaminitas inſurgere videntur, & firmiori decreto armantur, necabſque æquitatis ſpecie, quandoquidem Chananæi ſine lege deerrarunt; Benjaminitæ verò apertis legibus reſtiterunt. Notauit Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. *Quæ poſtquam Iſraëlitis à Gabaënis renuntiata ſunt* (ſcilicet mandatis non obedire) *iureiurando ſanciunt neminem ex ſuis viro Benjaminitæ filiam traditurum in coniugem, & acriore bello perſecuturos ſe eam tribum, quàm maiores eorum Chananæos perſecuti ſunt.* Durius quàm Chananæis, Benjaminitis decernunt ſupplicium infligere, & acriori bello perſequi; nam ipſa legis ignoratio culpam Chananæorum aliquomodò minuebat; Benjaminitarum verò notitia legis grauabar.

Ioſeph.

Chriſtus Dominus diſcipulos ſuos delegans, vt 51.
veritatis, legíſque lumine obſcuras populorum depellerent tenebras, ſic reſpuentibus ciuitatibus comminatur: *Quicumque non receperit vos, neque audierit ſermones veſtros exeuntes foras de domo, vel ciuitate excutite puluerem de pedibus veſtris.* Adnectit: *Amen dico vobis, tolerabilius erit terra Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati.* Quanta Sodomitarum, Gomorrhæorúmque fuerint delicta, ignorat nullus, & quidem cùm pœna à tergo ſequatur culpam, & Sodomitarum grauiſſima fuerint ſcelera, videbantur dirius, duriúſque puniendi, nec apud æquiſſimi Iudicis tribunal mitius tractandi: Quomodò ergo Chriſtus Dominus non adeò acerbum iudicium manere Gomorrhæos teſtatur quando Apoſtolis refragantes adeò grauis inquinaſſe ad ſpeciem culpa non videtur? Quia Sodomitis, inquit Hieronymus, nec lex affulſit Euangelica, nec prædicatio Apoſtolorum ab ſceleribus refrænauit. Ergo de ignorantiâ aliquatenus eorum ſcelera leuabantur, eorum verò crimina, qui ſcitam legem, & deprædicatum Chriſti Euangelium repulerant,

Matth. 10. v. 14.

Digitized by Google

repulerant, de contumacia aggrauantur, acerbiúſque merebantur ſuſtinere tormentum, quia legis ſpreuerant beneficium. Ita Hieronymus in catenâ Diui Thomæ: *Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die iudicij, quàm illi ciuitati: quia Sodomitis & Gomorrhæis non fuit prædicatum; huic autem cùm prædicatum ſit, non recepit Euangelium.* Miſerum eſt cæcitatem pati; ſed miſeriùs luce pulſante oculos affectatè cæcutire; imò expandere oculos nolle: ergo plus timeant, quibus Chriſti notitia clarior, & lex Euangelica notior, quandoquidem de peruerſitatis ſtudio noſcuntur delinquere, nec poſſunt ignorationem prætendere. Hieron.

56. Pharao cum nulla humanitate ingenuam Hebræorum gentem affligebat, & iugo duriſſimo diuexabat; verùm Dominus pro innata ſibi commiſeratione Moyſem delegat, qui & Pharaoni, & populo benefaciat; huic, dum à vinculis extrahit; illi, dum, ne grauiùs delinquat, tardat. Moyſes mandatum executus populum depoſcebat exolui, & ſe à Domino teſtatur mitti; verùm Pharao in eam amentiam inciderat, vt extra ſe Deum non crederet, nec potentiorem exiſtimaret: *Quis eſt Dominus, vt audiam vocem eius, & dimittam Iſraël? Neſcio Dominum, & Iſraël non dimittam.* Exod. 5. v. 2. Infelix ſuperbiæ caligo ſic mentis oculos obcæcarat, vt Deum, quem ipſa natura deprædicat, non agnoſceret, & diuinitatem ſibi vendicaret: quem animalia conſtat præſentire, Pharao non confunditur ignorare: *Neſcio Dominum*; verùm etſi adeò exoculata fuerit inſcitia; verùm etſi adeò cæca fuerit ignorantia, aliquatenus ignoranti patrocinata eſt, quandoquidem apertè in Deum non pugnabat; ſed ſuæ auaritiæ, ac vanitati inſeruiebat. Ergo cùm iam variis experimentis Dominum agnouiſſet, ipſe enim deprecatus eſt Moyſem: *Orate Dominum, vt auferat ranas à me, & à populo meo:* Exod. 8. v. 8. extremum tulit ſupplicium; infauſtum ſibi proſequi conatus bellum: *Dixerunt Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Exod. 14. v. 25. Quid tunc? *Inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Deus initio tot Pharaonis ſceleribus prouocatus viam reſipiſcendi conceſſit; ſed aquarum modò diluuium induxit: & quidem iure: nam anteà, reſpondebit Caietanus, veritatis ignarus, & notitia diuinæ potentiæ orbatus non tam videbatur contumax, quàm infelix; aſt agnitâ iam numinis potentiâ, & patratis tot miraculis legationi reſtitiſſe ferream condemnabat duritiem: ergo licèt anteà ignoranti locus reſipiſcendi conceſſus, modo pertinaci fugiendi locus eſt interclusus. Poſt tot experimenta adhuc contumaciæ adglutinari, diuinam iram exacuebat, vt licèt initio locum veniæ conceſſerit tolerantia, æquiſſimè confuſis modò rapidorum vorticum voluminibus duriſſima inuoluat mulcta; quos nullum ignorationis excuſare valuit patrocinium, abſorbuit, & tranſmiſit ad profunda naufragium: *Nunc confitentur*, inquit Caietan. ad Exodi 14. *quòd non magica arte; ſed ipſe Iehouah eſt, qui pugnat pro Iſraëlitis contrà Ægyptios.* Caietan. Sua eos confeſſio conuicit, & ſupplicio digniſſimos prodidit, quandoquidem iam non cæca, vt priùs, ignorantia; ſed pertinax illos inſtigabat mali[illegible].

57. Ad Rom. 2. v. 12. Paulus ad Romanos ſcribens hanc expreſsè doctrinam tradit: *Quicumque ſine lege peccauerunt, ſine lege peribunt; & quicumque in lege peccauerunt, per legem iudicabuntur.* Ac ſi dicat Paulus: Qui legem ignorantes delicta perpetrauere, ſuſtinebunt pœnam delicti dignam; non tamen ob violatam legem, duriſſimam, ac increpatoriam ferent ſententiam; legis verò præuaricatores duriùs audient, eóſque Iudex duriſſimis verbis, & quodammodò præ ipſa gehenna grauioribus feriet. Ita Anſelm. ad hunc locum: *Quicumque peccauerunt ſine lege ſicut gentiles, qui legem ſcriptam non acceperunt, peribunt ſine lege, ideſt, non fiet de eis legale iudicium: quia in gehennam ſine iudicio præcipitabuntur, & quicumque in lege peccauerunt, ſicut Iudæi, qui legem Moyſi non ſeruauerunt, per legem iudicabuntur, ideſt, damnabuntur: quia ipſi audient verba Iudicis, vt pereant propter legem eius, quam acceperunt, ac violauerunt.* Anſelm. Itaque legis tranſgreſſores ipſa lex grauiter accuſat, cùm gentiles nequeat incuſare, aut præuaricationis pœnam depoſcere: cúmque graue tormentum ſit irati Iudicis faciem ſuſtinere, & reclamantis legis voces audire, hoc ſupplicio punientur, qui legem contempſerint, vitabunt verò eius querelas, qui prorſus neſciuerint, & ignorauerint. Ergo Iſraëlitæ grauiori mulcta Benjaminitas, quàm Chananæos decreuerunt atterere, vtpote quos non ſolùm legis ignoratio non defendebat; ſed clariſſima notitia grauiùs accuſabat.

---

§. XIII.

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta, & victoriæ participes, & gloriæ inueniuntur conſortes.

Miſericordia indigenti impenſa impendenti non exigua attulit frequenter lucra: ſemen eſt eleemoſyna, quæ in pauperis fundo iacta vberem aſſurgit in meſſem, & copioſam ſerenti producit felicitatem: *Vendite*, aiebat Dominus, *quæ poſſidetis, & date eleemoſynam; facite vobis ſacculos, qui non veteraſcunt.* Lucæ 12. v. 33. Superuacanei eſſent ſacculi, ſi erogata cum fœnore non redirent, & dilargientem ditarent. Notauit Chryſologus ſerm. 32. *Homo tali monitu te ditare Chriſtus voluit, non nudare: manere tua tibi voluit, non perire: perpetuari, non vacuari ſacculos imperaus: iuſſit te transferre, non perdere.* Chryſol. Vt pater ditandi filium rapit occaſionem, vt ſolerter, qua diuitias adaugeat, excogitat artem; ita Dominus eleemoſynam præcepit, non tam iure dominantis, quàm conſilio induſtrio parentis. Verùm etſi eleemoſyna cuiuis exhibita honeſtum ſit lucrum, tamen quæ pro virtute contrà vitiorum adſultus decertantibus impenditur, vtilior eſſe probatur. In prælium ſe Iſraëlitæ comparauerant, vt vindicarent pudicitiam, & Gabaënorum reprimerent inſolentiam. Ergo illis curæ fuit deſignare, qui deprælantibus miniſtrarent alimenta, & proprio labore ſolicitarent ſubſidia: *Decem viri eligantur è centum ex omnibus tribubus Iſraël, & centum de mille, & mille de decem millibus, vt comportent exercitui cibaria, & poſſimus pugnare contrà Gabaa Benjamin, & reddere ei pro ſcelere, quod meretur.* Omnium manibus pugnabant, qui vires omnibus ad pugnandum alimentis exhibitis refundebant: ergo non minus habebantur milites, triumphique conſortes, quibus erat ſtudio in aduerſarios irruere: *Decima pars exercitus*, inquit Hugo, *deputata erat ad neceſſaria præparanda, & alij ad pugnandum.* Hugo. Pars decima, & quidem inter omnes electa, decertantibus præbebat alimentorum ſubſidia,

Digitized by Google

ſubſidia, & præbendo addebat vires, vt reportarent de inimicis trophæa: ergo triumphali pompâ prouida ſolicitudo coronata reſplenduit, dum milites cibariis præſtitis obarmauit.

59. Cùm Iſai filij Saülem ſecuti contrà Philiſthæos depræliarentur in campo, etſi non deeſſent illi ſerui pater per Dauidis manus fratribus ſubſidium mittere excogitauit: (1.Reg.17. v.17.) *Dixit Iſai ad Dauid filium ſuum: Accipe fratribus tuis ephi polentæ, & decem panes iſtos, & curre in caſtra ad fratres tuos.* Cùm textus ſacer Dauidem retulerit commendaſſe gregem cuſtodi, non deeſſe ſeruum, qui delegari poſſet ad caſtra, expreſſit, & Dauidem non caſu à parente miſſum tradidit. Itaque pater ſubſidium decertantibus deferre non iuſſit ſeruum, ſed filium: gregis cuſtos in caſtra quibat apud parentem Dauide retento mitti, & ſeruile miniſterium implere, præcipuè cùm non deeſſent in acie pericula. Cur ergo pater ableget non cuſtodem, ſed Dauidem? Quia ingenti Dauidis ſtuduit lucro: erat certamen illud contrà religionis aduerſarios, contrà veritatis hoſtes, & contrà virtutis peſtes. Ergo pater delegauit prudenti conſilio filium, non ſeruum, quo occaſionem felicitatis caperet, & glorioſis triumphis fulgeret. Huc voco quod alioſum aiebat datus Chryſol. (Chryſol.) *Plus conſilio patris agit, quàm iure dominantis.* Si ſeruum mitteret, filij augmentis non ſtuderet, etſi ſe Dominum oſtentaret, quandoquidem alimenta præſtare pro virtute decertantibus erat lucroſum impendium, triumphale lucrum: quod euentus comprobauit: nam Dauid, dum alimenta geſtit miniſtrare, hoſtem inuenitur proſternere. O quantum gloriæ Dauidi peperit panis dimicantibus exhibitus! O quantum illi fœnus peperit cibus allatus! Ergo noluit pater hoc munus cuſtodi iniungere; ſed Dauidi: nouerat námque alimentũ pro virtute decertantibus, & cauſam religionis tuentibus miniſtrare ingentem gloriam afferre: *Plus conſilio patris agit, quàm iure dominantis.* Certè qui Dei ſeruis Euangelicíſque miniſtris Chriſti fidem, & fidei veritatem diſſeminantibus, vltráque vltimam Thulem ferentibus alimenta miniſtrat, grande ſibi lucrum parat: ad illum námque pertinebit etiam reportatus de Dæmone triumphus, & religionis proceſſus.

60. Zachæus pauperem auxilium, miſerorum leuamentum, infelicium profugium, dimidium bonorum liberali manu impendebat. (Lucæ 19. v. 8.) *Stans Zachæus dixit ad Dominum: Ecce dimidium bonorum meorum, Domine, do pauperibus.* Eleemoſyna pauperi impenſa videndi Dominum deſiderium ingeſſit, & ſycomorum inſcendere perſuaſit: iam à terrenis deſideriis diſtabat honeſtè elatus, iam tranſcenderat auaritiam laudabiliter ſuperbus, cùm Dominus in eius domo parati ſibi iubet hoſpitium, vt remuneraret affectum: *Cùm veniſſet ad locum, ſuſpiciens Ieſus vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe feſtinans deſcende: quia hodie in domo tua oportet me manere.* Ergo Zachæus extemplo paret, & Dominum hoſpitio ſuſcipit: menſa Chriſto Domino, eiúſque diſcipulis appoſita in filiorum Abrahæ cēſum cooptauit Zachæũ, & ſalute repleuit domum: *Quia hodie ſalus domui huic facta eſt, eò quòd & ipſe ſit filius Abrahæ.* Inquiramus, cur hodie copioſior famulus, ſi miſericordiam anteà pauperibus impendebat, ſi ſubſidium indigentibus miniſtrabat; ſi anteà, vt modò, miſericordia reſplenduit, cur ſe Abrahami filiis modò adijciendum audiuit? Profectò Zachæus ſæculum tranſcendit miſericordiæ alis, charitatis arborem inſcendit pennis; verùm etſi anteà largas eleemoſynas diſtribuerit egentibus, non tamen pro virtute in acie ſemper ſtantibus, modò Chriſto eiúſque diſcipulis, qui pro virtute ſemper gerebant pugnam, parauit menſam: ergo hæc miſericordia cumulatius attulit lucrum, & glorioſius acquiſiuit elogium: *Gaudet, quia ſuſcipit ſuſceptorem ſuum*, inquit Chryſolog. ſerm. 54. *quia paſtorem ſuum paſcit.* (Chryſol.) Aduentat paſtor erroneam ouem quæſiturus: ergo, dum paſtorem paſcit, ad inquirendam ouem quodammodò vires alimenta exhibendo infundit: ergo paſtori impenſa miſericordia Abrahami conſtituit filium, & ſalute perfudit domum. O quàm eſt laudanda eleemoſyna Chriſti diſcipulis impenſa, & in quærendis erroneis ouibus defatigatis exhibita. Chriſtus eiúſque Apoſtoli contrà vitia acerrimè depugnabant: ergo cùm his Zachæus alimenta miniſtrat, horum manum contrà Dæmonem armat, & triumphum etiam reportat. Iam Abrahami filius reſplendet glorioſus, & ad triumphi communionem admiſſus: *Dando ſua*, adnectit Chryſolog. *aliena reddendo Abrahæ adoptatur in filium.* Imò non ſolùm in Abrahæ filium adoptatur Zachæus; ſed exhibendo Dei militibus alimoniam, & filium accipit Abrahamus.

Iter faciebant Dei miniſtri versùs Sodomam, vt iuſtum de iniquorum collegio extraherent, vitiúmque punirent: hos vt vidit Abrahamus, quin ſenilibus grauaretur annis, mutuatis à charitate inuolauit ad illos pennis: *Cucurrit in occurſum eorum de oſtio tabernaculi.* 61. (Geneſ. 18. v. 2.) Humilitate inuitat, & quaſi ipſe acceperit beneficium peregrinos cogit ad prandium: Sara ſimilam commiſcet, ſubcinericióſque panes offert, & hoc non lentè, vt ætas ferebat, ſed celeriter, vt charitas poſtulabat: non prætendit ætatis excuſationem, non affectauit dominæ grauitatem; ſed feſtinanter conformauit panes, vt defatigatos recreauerit hoſpites. Quid tunc? Iam filius ei promittitur, & pro impenſa miſericordia fœnus honeſtiſſimum exhibetur: *Habebit Sara filium.* Quòd ſi inquiras, cur modò accelerata promiſſionis impletio? reſpondebo: quia exhibuit ſubſidium Dei miniſtris in vitia pugnantibus, ac iuſtitiæ cauſæ fauentibus: exhibitum prandium arentia viſcera fœcundauit, & quem non tulerat florens iuuenta, honorabilem fructum attulit eleemoſyna: obſequium ſenectute conſumptum reproduxit vigorem, & ad honeſtos fructus ſuſcitauit iuuentutem: tunc ingentiſſimum accepit præmium, cùm exhibuit pro Deo pugnantibus prandium & religioſum officium: nam etſi eleemoſyna pauperi impenſa fructum afferat ſemper copioſum copioſiorem affert, quæ pro Euangelio decertantibus miniſtratur, & vitia expungentibus exhibetur. *Ecce tres viri, id eſt, Angeli in ſpecie hominum,* (Gloſſa.) inquit gloſſa moralis, *per quos deſignantur prædicatores fidem Trinitatis annuntiantes.* Plures largáſque eleemoſynas impertitus fuerat Abrahamus; ſed cùm veritatis fideique prædicatores aluit; cùm miniſtros Dei ad menſam ſuſcepit, citiùs filio, & cumulatiſſimo muneratus eſt præmio. Profectò qui ſtipem dat egenti, benefacit vni; qui fidei miniſtro, & veritatis prædicatori, in vno cauſam promouet multorum, quandoquidem Dei miniſter, non ſolùm ſibi viuit; ſed vitia peſtem multorum depellit.

§. XIV.

Digitized by Google

§. XIV.

Iniquum eſt in aliena errata acriter excandeſcere, & propria, & ſi grauiora, cæcis oculis præterire.

62. NOſtrarum actionum ſumus benigniſſimi interpretes, rigidi aliarum cenſores: quod ſenibus, nobis accidit: diſtantiora clariùs aſpiciunt, confuſiùs proxima: mentem noſter ſubornat affectus, & cæcis oculis noſtra delicta tranſimus, pro lege in alienis erratis ardenter militamus: *Omnis, per quem neceſſe eſt aliena vitia corrigi, ſemetipſum potiùs debet ſolerter intueri*, Gregor. aiebat Gregorius lib. 26. Moral. cap. 28. Qui in ſe vertit oculos, plura inuenit, quibus aliena peccata clementer extenuet, & prudenter excuſet, verùm dum nos totos aliorum correctioni impendimus, & propria examini denegamus, vltra menſuram accendimur. Gabaa ciues execrabili libidinum egreſſu fœdantur, effræni adeò ſalacitate leuitæ vxore abuſi ſunt, vt defatigatam occiderint, & ipſa voluptate vitam prorſus extinxerint: ille demortuæ oſtenſis fruſtulis ſic iram omnium tribuum accendit, vt in Gabaa ciues aciem inſtruxerint, & in campum eos debellaturæ proceſſerint: *Miſerunt nuntios ad omnem tribum Beniamin, qui dicerent: cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrauerunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël.* Beniamitæ correctione exaſperati aciem inſtruunt, durum committitur prælium; ſed in Beniamin partem proceſſit triumphus: *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Quærunt pia ſedulitate interpretes, cur Iſraëlitæ Zelotypi, & punire culpam ardentes miſerè adeò corruerint, tergaque verterint: vtque quæſtioni reſpondeant, ad cap. 18. huius libri nos mittunt: ibi inuenies Danitas Michæ idolum pro hoſpitij mercede ſuffuratos, in ciuitate lais publicè ſtatuiſſe, aramque dicaſſe: *Poſuerunt ſibi ſculptile, & Ionatham filium Gerſan filij Moyſi, ac filios eius Sacerdotes in tribu Dan vſque ad diem captiuitatis ſuæ.* Furto maculati, idolatriæ crimine fædi toti erant in leuiori crimine vindicando: proiectiſſimæ fuit impudicitiæ alienam vxorem rapere, eáque abuti; grauioris tamen culpæ erat idolum colere, & debitum Numini cultum inane ad figmentum, & ludibrium manus transferre, ergò ceciderunt proſtrati, qui in alienum crimen inflammabantur armati, erga proprium crimen; & ſi grauiſſimum, cæci: *Propter idolum Michæ*, inquiunt Hebræi apud gloſſam, *quod grauius erat eo peccato, quod Gabaonitæ commiſerunt, Iſraëlitæ tacuerunt, & non ſtuduerunt mox illud eliminare; ſed plurimos in eius cultura perire permiſerunt, tam pauci Beniamitæ tantum numerum Iſraëlitarum prima & altera vice percuſſerunt.* Conſonat Lyra: *Iſtud contigit eis, eo quod negligentes erant de punitione idolatriæ in domo Michæ, & in tribu filiorum Dan: quod quidem factum contigerat immediatè ante iſtud.* Honor Numinis abiectus, ſtructa figmẽtis ara, altare victimarum nidoribus plenum eos non mouebat, & aliena libido acerrimè prouocabat. Affectio neſcio quem menti ſtuporem offundit: audientes non audimus, & videntes non ſpectamus: erga aliorum culpas deſæuimus, & impudenti zelo, ſæuitiæque ſæpè patrono mardeſcimus: ergo dignum fuit vt caderent, qui in leuius ſcelus alienum nimio ardore æſtuabant, & circa grauius proprium ſe indulgentiſſimè habebant.

Iudic. 18. v. 30.

Gloſſa.

Lyra.

63. Ad Roman. 2. v. 3. Diuus Paulus ad Romanos ſcribens, quàm cæcè homines ſua delicta tranſeant, & quàm immodicè in aliena deſæuiant, his verbis tradit: *Exiſtimas hoc, ô homo, qui iudicas eos, qui talia agunt, & facis ea, quia tu effugies & iudiciũ Dei?* Iniqua infidelique lance plures aliena & propria peccata penſant: ſua aut nulla exiſtimant, aut leuiſſima, aliena ponderoſa & grauia: ſua arbitrantur diuino non carpenda iudicio; aliena ipſi carpunt rigido, ac duro. Huius rei ſi ortum indagaueris, prouenire reperies ex affectione erga alios non beneuola, & erga ſe indulgentiſſima. Accipe Theodoretum apud gloſſam ad Iudic. 20. *Quoniam ſimilibus vſi erant iniquitatibus, & aliorum quidem videbant libidines, & flagitia; ſua autem non aſpiciebant, dicit Apoſtolus: In quo alium iudicas, te ipſum iudicas. Et rurſus: Exiſtimas autem hoc, o homo, qui iudicas alios, qui talia agunt, & facis ea, quod tu effugies iudicium Dei?* Proprij amoris præſtigiis oculi eluduntur; imò, ne propria viderint, obcæcantur: aliena exaggerant, & de malignitatis artificio incrementant. Theodor.

64. Pſal. 105. v. 37. Iſraëlitæ dæmonibus filios filiaſque dicabant veræ religionis iniuriâ, & Numinis grauiſſimâ offenſâ: *Immolauerunt filios ſuos, & filias ſuas dæmoniis.* Hi ſanguinibus infecti, & deteſtandis ſacrificiis contaminati, vt viderunt regem Moab ſuprà murum filium litaſſe, ſummâ indignatione exarſerunt: *Arripiens filium ſuum primogenitum, qui regnaturus erat pro eo, obtulit holocauſtum ſuper murum, & facta eſt indignatio magna in Iſraël, ſtatimque receſſerunt ab eo, & reuerſi ſunt in terram ſuam.* Quærunt Patres, cur Iſraëlitæ victoriam, quæ iam præ manibus erat reliquerint, quandoquidem execrandum illud holocauſtum extremam regis publicabat anxietudinem, & hoſtium enutriebat alacritatem. Notauit Lyra: *Non eſt veriſimile quòd recederent ab obſidione propter immolationem primogeniti ſui; ſed quòd magis remanerent: quia illa immolatio fuit ſignum, quòd non poterant diu tenere ciuitatem, & hoc prouocat ad remanendum in obſidione, magis quàm ad recedendum.* Arridente victoria cæcane deſtitit inconſtantia? Non ſemel qui diu variis afflictationibus perſtiterant, iam iam coronandi ignauo tædio renuntiaſſe inueniuntur triumpho; ne tantillum laboris adderent, plurium iacturam ærumnarum fecerunt ipſo in portu miſerabiliter naufragantes, & gloriam itineris amittentes. Rabbi Salomon apud Lyram exiſtimat adeò filium idolis ſacrificantem deteſtatos, vt receſſerint, cùm ipſi non ſemel filios, filiáſque dæmonibus cæco furore obtulerint non extrema obſidione preſſi; ſed amenti libidine adſtricti: dum furunt in regem filium litantem, in ſe ipſos iuſtam protulere ſententiam, quandoquidem ea ipſa indignatio litaſſe tot filios dæmonibus condemnabat; & Numinis iram ad vindictam exacuebat. *In Hebræo habetur: Ira ſuper Iſraël, ſcilicet ipſius Dei offenſi contra filios Iſraël, eo quòd tunc fuerunt recordatæ iniquitates eorum coram Deo per Angelum, qui præerat Moabitis; videlicet quòd ipſi tanta mala, vel peiora fecerant, immolando filios ſuos, & filias ſuas dæmonibus, vt habetur Pſalmo 104. propter quod tunc in vindictam huius mali cecidit peſtilentia, & mortalitas in exercitu*

4 Reg. 3. v. 27.

Lyra.

R. Salom.

Iſraël,& ſic fuerunt compulſi recedere ab obſidione propter peccata ſua præterita. Ni acriter adeò Iſraëlitarum æſtuaret indignatio in patricidam filium dæmonibus deuouentem, fortè obtinuiſſent victoriam; at dum non diſſimilibus ſceleribus prægrauati ſe prorſus obliuiſcuntur,& in idololatram immoderatiùs inardeſcunt, peſte meruerunt conſumi,& victoriâ ferè iam obtentâ priuari: *In vindictam huius mali cecidit peſtilentia.* Iure peſtilens lues illos adoritur: quia ſibi benigniſſimi, & in alios indignationis metas excedentes irati. Moabita immolauit filium; ſed extremâ ad ſpeciem neceſſitate ſuadente, captiuitate vicinâ, iacturâ vitæ ac ſalutis indubiâ. Iraſci ergo in delinquentem coloratis excuſationibus præmunitum, & nullis cauſis ſuadentibus ſceleſtius perpetraſſe peccatum, cæleſtem iram exacuit, & peſtilentiam acciuit: ardens illorum ira rationabilem peperit Numinis indignationem: nam ſi iuſtum erat in Moabitam excandeſcere vnico parricidio contaminatum, iuſtius erat Deum ſæua diráque peſtilentia ferire Iſraëlitam tot parricidiis infectum, & ſceleratis ſacrificiis intinctum. Ergo ab ira abſtine, ſi peccantem videris, & ad te oculos verte, vt eiuſdem ſceleris participem ſimili ac te excuſatione alleuaueris nec indignatione immoderatâ in te Numinis ſeueritatem impuleris.

---

§. XV.

Noſtra delicta cæcis oculis præterimus, in aliena peccata ardenter inuehimur.

65. NVllus cogitat quàm multa contra ius faſque perpetrarit, quàm eius facta deſiderent veniam, quam ſeueram mereantur iram: rarus inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere, & tamen quiſque proprij amoris præſtigiis deluſus ſe palpat cæcus. Qui ſibi plus indulget, ſi minora in aliis intueatur peccata, ardentiſſima furit ira: quem erga ſe honeſtè exerceret, alios ſupercilio adurit, & in puniendo aliena peccata ſæpiùs delinquit: *Neque æquus iudex*, aiebat Seneca lib. 1. de ira cap. 14. *aliam de ſua, aliam de aliena cauſa ſententiam fert: nemo, inquam, inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere,& innocentem quiſque ſe dicit.*

Seneca.

Nullus inuenitur qui ſe poſſit abſoluere.

Pauci inueniuntur, qui conſcientiam propriam reſpiciant, vt indignationis aduerſus alienum errorem erumpentes repreſſerint flammas; imò ſi ab alio facinus aliquod conſtiterit perpetratum, inardeſcit ira, & vltionis leges tranſilit excandeſcentia. Deliquerant Gabaeni, & graui ſe ſcelere macularant pudicitiæ vim inferentes, & exoculata libidine leuitæ vxorem vſque ad mortem diuexantes. Equidem ipſe ait: *Veni in Gabaa Beniamin cum vxore mea, illucque diuerti,& ecce homines ciuitatis illius circumdederunt nocte domum, in qua manebam volentes me occidere,& vxorem meam incredibili furore libidinis vexantes, denique mortua eſt.* Re cognita videas omnes Iſraëlitas in arma ruere, & Gabaenis acerrima bella tentare: nec ſolùm reliquæ tribus indignatione aduerſus Gabaenos ſuccendebantur; ſed Danitæ etiam & Berſabee habitatores: *De Dan vſque Berſabee.* Nil mirum alias tribus ad inſoliti adeò ſceleris vltionem arma prenſare; at prenſaſſe Danitas mirum, quandoquidem Michæ idolum publicè colebant, & à religione palam deſciuerant: *Poſuerunt ſibi ſculpile.*

Iudic. 18. v. 30.

Grauius erat in religionem peccaſſe, quàm in caſtitatem deliquiſſe,& tamen Danitę & Berſabee habitatores, qui propria delicta impia miſericordia ſibi indulſerunt, in alios ſtudioſè ſatis arma prenſarunt: *Dan & Berſabee*, inquit Hugo Cardinalis, *ſunt duæ ciuitates, vbi Ieroboam poſuit duos vitulos aureos, vt decem tribus, quæ eum fecerant regem, non aſcenderent in Ieruſalem in templum cauſa immolationis, vt legitur 3. Reg. 12.* Danitæ idolo tunc inſeruiebant,& ad hæc Dan & Berſabee aureorum vitulorum delubra decem tribubus impietatis cauſa extiterunt,& cùm omnes impietas pollueret extrema, non leges aliquam tunc ex decem tribubus ad piaculum delendum armatum; modò verò in campum prodeunt, vt Gabaenos, & ob leuiorem culpam prorſus deleuerint, & omnimoda ſtrage attriuerint. Quod ſacer non tacuit textus mitis coloribus exprimens; quam ſolemne ſit peccatoribus grauiſſimas culpas proprias præterire, & in alienas leuiores ardentiſſimè ſtomachari.

Hugo.

Amici Iob à culpa non immunes in ſolùm præſumptam Iobi offenſam irati acerrimis verbis deſæuiebant, & quod deteriùs ac durius iacta probra commiſerationis ac pietatis fuco inaurabant: quod ſanctus Iobus ægrè adeò tulit, vt in hæc verba proruperit. *En decies confunditis me,& non erubeſcitis opprimentes me, nempe etſi ignoraui, mecum erit ignorantia mea; at vos contra me erigimini.* Ac ſi dicat: ſi alij in me inueherentur, patienter ſuſtinerem; verùm meam tolerantiam duriſſimè ſtimulat à vobis argui, & duriſſimis verbis affligi, quandoquidem ſi veſtra penſaretis opera, nullatenus immunes vos grauiſſima inueniretis offenſâ. 66.

Iob 19. verſ. 3.

Ita Gregorius lib. 14. moral. cap. 13. *Ipſi percuſſum iuſtum videntes ad ſua intima redire debuerunt, & nequaquam beatum Iob verbis increpationis premere; ſed ſe deflere.* Adiungit poſt aliqua: *Se relinquunt,& bonos impetunt. Sibi ſe intra conſcientiam ſuam mollitie blandæ adulationis inclinant,& contra bonorum vitam diſtrictione aſperitatis eriguntur. Vnde amicis beati Iob in eius flagello tumentibus rectè nunc dicitur. At vos contra me erigimini: id eſt, vos metipſos redarguendos relinquitis, & me diſtrictis ſententiis increpatis.* Iobi amici ſibi perſuaſerunt eam calamitatem perpetratas culpas attuliſſe: ſatiſque fuit iniqua ac falſa præſumptio, vt illũ corriperẽt duriſſimis verbis, & tumidiſſimis diuexauerint ſuperciliis: ſibi adulantes proprias veraſque culpas cæcis oculis præteribant,& Iobo, quas non commiſerat, vt carperent, applicabant: quod quàm peccatoribus frequenter contingat, facilè quotidiana experientia cuique ſuadet: culpis & quidem grauiſſimis inficimur, inſanis appetitionibus indulgemus, & ſi fortè alterius leue etiam referatur erratũ famæ additamentis auctum, & fortè referentis malignitate confictum, ſtomachati inardeſcimus,& grauiſſimâ plecti pœna zelum mentientes diſcupimus. Iob amici propriis obtenebrati reatibus contra illum erigebantur pertumidi: quam ipſi confingebant, culpam reprehendebant rigidè irati: *Vos metipſos redarguendos relinquitis, & me diſtrictis ſententiis increpatis.*

Gregor.

67. Succedat ſibi idem Gregor. Scribæ & Phariſæi ardentiſſimo odio in Chriſtum Dominum furentes captioſos ſtruere dolos continuò meditabantur: ergo adulteram mulierem adducunt in ſcelere tunc deprehenſam publicantes, & legis pœnam fulminari in illam poſcentes: *Adducunt*

Digitized by Google

Ioan. 8. v. 3. *ducunt Scribæ, & Phariſæi mulierem in adulterio deprehenſam, & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter hæc mulier modo deprehenſa eſt in adulterio: in lege autem Moyſes mandauit nobis huiuſmodi lapidare: tu ergo quid dicis?* O quanta commiſſa in huius culpæ delatione peccata! Quid opus erat mulierem adducere, & in medio ſtatuere, quando ſine criminis euulgatione, & delinquentis rubore ſententiam poterant indagare? Iam ſi expreſſam ſuper hoc legem à Moyſe acceperant; quid Chriſtum conſulunt? Profectò ipſa interrogatione non ignorãtiam; ſed ardentiſſimam teſtantur maleuolentiam. Quid tunc Dominus? *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidẽ mittat.* O ſapientiam immortalem! Legi non detraxit, & inſidiantium dolos eluſit. Peccatis plurimis ſordeſcebant, & cùm cõſtaret culpabili indulgentia ſibi parcere, curabant in mulierem pœnã duriſſimã deſæuire: grauius erat Chriſto Domino furẽtes odio moliri inſidias, captioſas ſtruere technas, grauius erat ipſa ſceleris publicatione famam violare, quandoquidem mulier deliquerat contra debitam fidem; ſed accuſatores contra debitam charitatem; & cùm ipſi grauiſſimè delinquentes ſibi de conficto zelo plauderẽt mulierculæ culpam ſeueriſſimo ſupplicio depoſcebant puniri, & legis iniuriam dura lapidum grandinatione deleri. Ergo Chriſtus Dominus pro benignitate ſua illos ad propriam conſcientiam reuocat, ne ſibi blandè adeò indulgẽtes, in alienam culpam rigidè auderent, & nimia audaciã

Gregor. punirent. Prodeſt datus Gregorius: *Ad aliena quippe punienda peccata ibant, & ſua relinquerant. Reuocatur itaque intus ad conſcientiam, vt propria priùs corrigant, & tunc aliena reprehendant.* Tunc aliena peccata vtiliter reprehenduntur, cùm reprehẽſores propriis reatibus non tenẽtur; Phariſaicus verò zelus, & captioſus Scribarũ dolus ſua grauiſſima ſcelera obliuiſcuntur, & in aliena publicitus à ſe ipſis euulgata obarmantur.

68. Fortaſſè Moyſes dignæ vltionis modum expreſſit dum contra idololatras ſolummodò ſecutos partem religionis armauit: deliquerat populus apud Sinæum: eo ipſo tempore, quo eos in montis vertice magnis Deus honorabat beneficiis, grauiſſimis ſe maculauere piaculis: bouem grandi diuitiarum impendio conſtruũt, & in Deum ſtatuunt: Moyſes piã irã percitus, & religioſo zelo inflammatus eos ſolùm vltionis miniſtros aſciuit, quos nullo ſcelere pollu-

Exod 32. v. 26. tos agnouit: *Siquis eſt Domini, iungatur mihi.* Criminis ſtatuit mulctam; eam tamen conditionem apponit, *ſiquis eſt Domini.* Certè qui vitiorum ſunt, in aliorum reatis puniendis æquitatem excedunt rigidi: ergo quæſiuit delicti expertes, vt vltionem exercerent miſericordes. O prudentiſſimum Moyſem! Indignum cenſuit prenſare ferrum ad alienã culpam vlciſcendam propriis reatibus indulgentem: quid enim ab æquitate remotius, quàm ſibi parcere, & alios durè ferire? Ergo eos miniſtros vltionis delegit, quos nouerat religionis egiſſe cauſam, nec idololatriæ admiſiſſe culpam, vt qui non ſolùm reos decentius punirent; ſed mitiori manu ple-

Lyra. cterent: *Ex hoc dicit Rabbi Salomon,* inquit Lyra, *quòd nullus de filiis Leui erat culpabilis in fabricatione vituli.* O diſcant vltionis modum, & indignationis zelum, qui in aliena peccata rigidiſſimè inuehuntur, cùm propria ſtudioſè obliuiſcantur.

§. XVI.

Peccator fit inſolentior, dum culpis innititur obſcurior.

PEccatum Diaboli inuentum vaferrimi ſerpentis conſilium, calamitatis fomentum, 69.
ſæculi naufragium, mortis negotium, & dæmonis oblectamentum in rationem prudentiámque primam falſarum deliciarum manum producit: delectãdo ſauciat, ſauciãdo delectat; verùm licèt homo voluptati primo congreſſu cedat, ei tamen ineſt erroris pudor, & criminis ſenſus; verùm ſi crimina in vſum iam recipiantur, callum ſibi obducit conſcientia, & de peruerſa conſuetudine vitia ruborem non excitant; ſed alunt inuerecũdiam: *Vulnus iteratum,* aiebat Petrus Ble- Bleſenſ.
ſenſis opuſc. de confeſſ. ſacram. *ſanatur tardiùs,* imò non ſemel non ſanatur; ſed de repetitione ad ſalutis deſperationem tranſitur: qui infelici culparum cenſu ditior, erat exoculatiùs, & inſolẽtiùs, hominis naturam ſeruat ad ſententiam ſuſtinendam; ſed quodammodo ad percipiendã criminis diſſonantiam denudat. *Adhuc quidquid eſt boni moris,* aiebat Seneca 7. natur. qu. 31. *extinguimus leuitate & politura corporum. Muliebres* Seneca.
munditias anteceſſimus, colores meretricios matronis quidem non induendos viri ſumimus, tenere, & molli ingreſſu ſuſpendimus gradum, nõ ambulamus; ſed incedimus. Exornamus annulis digitos, in omni articulo gemma diſponitur. Quotidiè comminiſcimur, per qua virilitati fiat iniuria, vt traducatur, quia non poteſt exui. Mollis delicioſuſque initio pudore tangitur, & fœmineis ornari verecundatur mũditiis; at dum politura quotidie effœminatur, meretriciis coloribus gaudet exornari, & natura quodammodo à viro in fœminam traducta non ſolum non refugit; ſed ornatus affectat omnem munditiem. Vitiorum proprium eſt de mentis arce deturbare prudentiam, & innutrire procaciam. Gabaēni turpiſſimis culpis defœdati cõtribules in ſui patrociniũ trahunt, & ad certamen procedunt: culpam non ſolum non auerſantur; ſed defendunt etiam, & quanto ſceleratiores crimine, inſolentiores certamine: *Miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël.* Audis in Benjaminitis inſolitum ſcelus reperiri, vide eorum frontem duriſſimam, & impudentiam exoculatam: *Noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum.* De peccati exceſſu iam auditus ſurdior, & animus obſtinatior; eodem paſſu quo culpa, creuit & obſtinata procacia. Huc voco Ambroſ. de Noë & Arca c. 10. *Peccator vnuſquiſque quò grauiora flagitia cõ-* Ambroſ.
miſerit, eò fit inſolentior: namque vſu, atque exerci- Impunitate
tatione improbitas augetur; & impunitate nutritur nutritur au-
audacia: recedit itaque ab omni reſpectu honeſtatis. dacia.
Pro ratione in omnibus ſtat rubor, turpitudinis verecundia, & ipſa vtiliter accuſatrix conſcientia; verùm ipſo delinquendi vſu ſic rationis cõſcientiæque vires extenuantur, ſic inſania & inuerecundia augentur, vt iam homo ſolùm viuat & inſolẽtiæ & audaciæ. Si in Benjaminitis ſcelus adeò horrendum non viguiſſet, ſenſu ſceleris tangerentur, & reſiperent ſalubribus ſuorum conſiliis admoniti, & vtili rubore confuſi; ſed quia ſceleſti, contra rationem armati.

Humanum genus rationis vias ire ſuetum 70.
blanditia

Digitized by Google

huc non relinquit infelicium pomorum copiam: *In teſtimonium nequitiæ fumigabunda conſtat deſerta terra, & incerto tempore fructus habentes arbores.* Arbores fumo irrigantur, & irrigatæ fumo adhuc producunt poma ad ſpeciē pulchra; interitis horrida: ergo ita peſſimorum cor fert horrorem & voluptatem: timet pœnis conſumi, & timet à voluptate diuelli: diuerſarum paſſionum fluctus altercantur, & anguſtiis cordis retorti feruentis æſtu maris referunt inquietudinem: timoris fluctum fluctus voluptatis repellit, & voluptatis fluctum fluctus timoris: vnde grauis præcordia adurget procella, & procelloſa diſcordia. Ecce Gabaëni, qui pudicitiæ vxoris Leuitæ vim intulerant, ad vindictam expetuntur: *Miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantum nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malū de Iſraël.* Dum Benjaminitæ reos tradere renuunt, & populum in ſe armari cognoſcunt, geminis anguſtiis premuntur: *Virorum Iſraël abſque filiis Benjamin inuenta ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.* Quàm mirè depinxit ſacer textus hiſtoriæ coloribus peccatorum ſtatum! cùm videant in ſe cœlum armari, non poſſunt timore non concuti, & cum ſuis affectionibus firmiter inhæreant, non poſſunt ab eis diuelli: ergo dum nolunt tradere peccata, & in peccata armari ignorare nō poſſunt bella, quodammodò à ſe ipſis diuiſi voluptate trahuntur, & timore ſeparantur. Innuit ad illa verba: *Nō latuit filios Benjamin*, Arias Montan. *Notitia partim conſcientia & metu trepidantes, partim verò audacia & ſuperbia auerſos à cæterorum voluntate & conſilio abalienauit, vel diſſimulationis tegumētis tutos euadere poſſe ſtulta opinio luſit.* Itaque & audent, & trepidant, vt ab vtróque affectu premantur, dum audaciâ deſpiciūt metum, & metu auerſantur ſupplicium: armatorū pauitant copiam, & amant impudicitiā. O quātis Benjaminitarum corda percellebantur procellis, dum nolebāt ad pœnitentiam confugere, & timebant deuaſtari.

Sapient. 10. v. 7.

Montan.

74. Eccli. 27. v. 2. Has peccatoris anguſtias mirè expreſſit Eccleſiaſticus: *Sicut in medio compaginis lapidum palus figitur: ſic & inter medium venditionis & emptionis anguſtiabitur peccatum.* Qui aliquid vendit, vendito caret; qui emit, empto ſe adornat: ergo peccatoris conſcientia vendit, & emit peccatum: vellet voluptate frui; timore vellet nudari, ergo premitur, dum diſcupit retinere, & diſcupit fugere. Hos ſecum compugnantes affectus expreſſos his verbis exiſtimat Radulph. in allegor. Tilmani: *Cùm homo carnis illecebris aſſuetus prauæ conſuetudini ſuæ reniti cœperit, & agrum ſupernæ hæreditatis ſuarum voluptatum continentia comparare voluerit, magnas patitur anguſtias.* Subnectit: *Hinc caro compellit, vt ex more ſibi obſequatur: hinc ſpiritus repellit, vt magis cœpta perficiens brauium Sancti certaminis fideli perſeuerantia conſequatur: magnæ igitur ſunt ibi anguſtiæ.* Vtrinque anguſtiarum telis, ac dolorū peccator conuulneratur ſagittis: vellet appetitionibus adulari; ſed timet æternis flammis aduri: veretur flammarum ſupplicium; ſed ad fallacium inhiat deliciarum oblectamentum. Ergo in medio poſitus ſtupet, & quò ſe verterit, neſcit.

Radulph.

75. Geneſ. 15. v. 9. Deus Abrahamo ſupplicium ſibi parare ænigma futurorum præcepit: *Sume, inquit, mihi vaccā triennem, & capram trimam & arietem annorum trium turturem quoque & columbam.* Abrahamus dictis obediens expromptè omnia parat, & cùm animalium diuiſas partes contrà ſe ipſas altrinſecus poſuerit, nullatenus aues diuiſit; *Qui tollens vniuerſa hæc, diuiſit ea per medium, & vtráſque partes contrà ſe altrinſecus poſuit, aues autem non diuiſit.* Theodor. hoc in ſacrificio præuideri futura exiſtimat, nec caruiſſe myſterio aues non diuidi, animalium partes contrà ſe ipſas componi: *Ænigmata hæc erant*, inquit apud gloſſam, *eorū, quæ generi Abraham euentura erant.* Quæramus his in ænigmatibus ad componēdos mores doctrinam: ecce animalium partes non ſolùm diuiſas; ſed ſibi ipſis audis oppoſitas, adſpexeris, nec diuiſas: quia, vt Interlineari placet, in auibus, quæ à terrenis ſuſpenduntur, quæque pēnarum auxilio ad ſuperiora eleuantur, viros ſpirituales delineauit Sacra Scriptura; in animalibus verò diuiſis terrenos, & ſæcularium rerum ſtudioſos: ergo qui bruta moribus imitati, ſibi etiam ipſis inueniuntur oppoſiti: volunt námque in promiſſam terram deuenire, & verentur ſimul ab Ægyptiis carnium ollis auelli. timent ſi in Ægypto immorētur, promiſſa terra priuari; verentur, ſi tetenderint Ægyptiis deliciis non frui: ergo timore ſtudióque veluti diuiſi premuntur, & ſibi ipſis non ſine anxiis ſolicitudinibus aduerſantur; aſt aligeræ aues, dum cæleſtia ſolùm ſuſpirant, dum confuſis harum paſſionum vorticibus varias in partes non diſtrahuntur, pace & tranquillitate donantur. Accipe gloſſam Interlinearem: *Vtráſque partes contra ſe altrinſecus poſuit: quia carnales ab inuicem diuidūtur; aues autem non diuiſit, quia ſpirituales ſeruant vnitatem ſpiritus in vinculo pacis.* O quàm pacatè degebāt aues nec violentia cultri diuiſæ, nec flammis ardentibus vſtulatæ, dum terrena non exambiebāt, & cæleſtia ſuſpirabant; quo carebant, fallax gaudium otio pacis compenſauere tranquillo; animalia verò ſoliciriis timoribus agitata, & variis deſideriis diuiſa ſibi ipſis diſtorquebantur oppoſita. O quàm eſt ſolicitū cupiditātibus allici, & timoribus ſimul concuti! non poſſunt homines, quantumvis brutorum ad inſtar viuant, conſcientiæ morſum non ſentire, & timoris cruciatibus non vrgeri: ergo dum nequeunt aciem ſopire conſcientiam, & nolūt catam cupiditarum reliquiſſe fallaciam, diſſecantur, diuiduntur, & tormentis duriſſimis diuexantur.

Theod.

Interlin.

Sponſa totam ſe tremefactam fuiſſe teſtatur, dū dilectus manum ſuam miſit, illámque iacentem tetigit: *Dilectus meus miſit manum ſuam per foramen & venter meus intremuit ad tactum eius.* Et cur modo ad tactum contremiſcat Sponſa? Quia Sponſus lecti delicias relinquere perſuadebat, & lectulus, ne diſcederet, illigabat: ergo dum iacet, timet, & dum timore angitur, detinetur: *Vox dilecti mei pulſantis: Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea: quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Audis vocatam, audi modo lectuli deliciis detentam: *Spoliaui me tunica mea, quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodò inquinabo illos?* Stragulorum calore fota, & placida quiete fruita detrectabat reſurgere: ab Sponſo ſemel atque iterum compellata non permittebatur quieſcere: ergo contremuit deliciarum ſtudioſa, & diſplicere vocāti verita: variis cor timoribus angebatur, dum neç dabatur quieſcere, nec volebat ſurgere: Sponſi tactus, cæleſtis vox conſcientiæ labris prolata adurgebant iacentem & deliciis incubantem: deliciæ ipſe, dulcis ſomnus placida ignauia detinebant aſſurgere procurantem: ergo contremiſcit de mora, iacet de ignauia: *Surrexi, vt aperirem dilecto meo, at ille iam declinauerat, atque tranſierat.* Dum cunctatur, ſponſum fugat, & dum ſurgit, deliciis caret. *Friuolas & pueriles moras nectit*, inquit Noſter Delrius hîc in litterâ; *Veſtes, ait, interiores depoſui, ſtragulis intepui, ac more* 76.

Cantic 5. v. 4.

gentiū

Digitized by Google

gentis lauta cubitum me recepi. Adnectit : *Sic deliberans moratur.* Deliberans moratur : quia ex alia parte allicitur, & ex alia parte deterretur : ergo dum vtrúmque timet, gratis nempè carere lectuli fomentis, & diſplicere illam excitantis conſiliis, vtrúmque ad tempus amiſit quo nos peccatorum infelicem ſortem edocet. Profectò quod ſponſæ contigit, plurimis videas accidiſſe: vocantur ad pœnitentiam, ad perfectiorem, ſtrictiorémque vitam verùm cùm diuitias deliciáſque impensè ament, & vocanti reſiſtere timeát, vndique pauidis timoribus concutiũtur, & ſolicitis perturbationibus agitantur nec ſemel omnia amittunt, dum moras nectunt.

§. XVIII.

Non eſt in omnes deriuanda pœna, quàm vnius aut alterius promeruit culpa.

77. NOn ſemel, dum plures vno nomine, & profeſſione cenſentur, vno eorum delinquente omnes audaci dente abroduntur, & ſugillantur. Fas eſt vt delinquens meritam iuſtiſſimè ſoluat pœnã; ſed iniuſtè reliqui rigidam ſubeunt cenſuram, quando propriis virtutibus decorãtur, & inculpatis actionibus defenduntur. Cùm ad fontẽ Arethuſæ Infadius vir ſublimis itineris laborem recreare decemeret, ruſtici nõnulli inſidiis abſtulere caballos: res ad Atalaricum delata eſt, & ſapientiſſimus rex non omnes ruſticos decreuit plecti; ſed ſolicitè nocẽtes inquiri: innoxios námque ob alienã culpã communi lege mulctare non eſſet prudẽtia; ſed iniuſtitia: *Perquirantur*, aiebat 8. var. 32. *ſontes ſummo ſilentio, teneantur in ſuis laribus quieti, vt dum mox inſecutor increpuerit, eorũ corda turbentur.* Sontes punire erat æquitas; ſed ob vnius vel alterius culpã omnes generali edicto cõſtringere, aut pœnâ vniuerſali mulctare, optimæ politicæ probaretur cõtrarium, & ipſi ęquitati aduerſum. Nonnulli ex Gabaënis execrandum perpetrarant delictum: ergo populus ad vindictam conueniens non omnes Gabaënos ad ſupplicium expetiuit; ſed audaces ſolummodò tradendos admonuit: *Miſerunt nuntios ad omnẽ tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantùm nefas in vobis repertũ eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitiũ perpetrarunt, vt moriãtur, & auferatur malũ de Iſrael.* Benjaminitæ erant, qui deliquerant, non tamen ob hoc omnes Benjaminitæ ſugillandi, & vniuerſali pœnâ plectendi: in execrabili illa culpa obſcuratos fas erat inſurgere; ſed nefas immeritos diuexare: ergo ſceleſtos depoſcũt, ne nocentes remanerẽt impuniti, aut puniti lugerent innoxij: *Tradite homines de Gibaa: nõ fuerat in culpa vniuerſa tribus Bẽiamin,* inquit Caiet. *& propereà tota tribus requiritur ad opus iuſtitia ad vindictam malefactorũ.* Non omnes Benjaminitas vniuerſali lege, aut pœnâ conſtrinxerunt: quia ſcelus illud à Benjaminitis perpetratum; ſed in audaces ſolummodò ſeuerã protulere ſentẽtiam, ne aliter iuſtitiæ zelo lædere viderẽtur iuſtitiã. Profectò populus, ſi quis ex hac aut illa religioſa familia deliquerit, omnes veluti delicti participes iniquo obmurmurationis dente dilacerat, & omnes ac ſi deliquiſſent, condẽnat: cùm immunes non debeant, ob alienum ſcelus iniqua lingua abrodi; ſed de æquitate propria dilaudari. Verũ nõ ſolùm apud populum hic viget ſtylus, ſed in ipſis etiam religioſorum cœnobiis, collegiiſve, ſi quis hoc aut illo defectu agnoſcatur obſcuratus, iam generalis lex in omnes profertur, quaſi ſubire debeant eamdem pœnam, qui nullatenus commiſerint culpam.

Caſſiod.

Caiet.

78. Propheta Ionas in mãdatis à Domino habet duras in Niniuẽ minas fulminare, & ciuitatis euerſionem prædicere: ille ex ipſa minarũ prædictione Dei miſericordiã, etſi contectã conijciens, & honori ſuo tantiſper caſſam fulminationem aduerſari credens nauim Tharſos petituram inſcẽdit; verùm vt nulla ſunt humana contrà diuina conſilia, dum fugit, machinã conſiliis ſuis valentiorẽ inuenit: ſubitò námque compugnantium ventorum violento laceſſitũ flatu infremebat mare: ſoliciti gurgitis vndę præruptorum montium imitabantur ingenia, torrentium volumina littoris limitibus inſaniebãt retuſa, & deprælíabantur ſuperba: per momẽta timebatur naufragium, & licèt docti naucleri, nauigantiúmq; ſolicita deſudaret induſtriâ, & iacturâ vaſorũ nauim contenderint leuare ponderibus; procellę nihilominus crebreſcentes vrgebant, ſibilabant horrendum funes, ipſis velis premebantur antennæ : ergo cùm retuſa vndique iter inuenire nequiret nauis, cauſam nautæ inueſtigare adnituntur : *Dixit vir ad collegã ſuum: Venite & mittamus ſortes, & ſciamus quare hoc malum ſit nobis.* Profectò vt mare obturbatur procellis, ſic obturbari vidẽtur, qui cauſam ſortibus indagare conantur. Quid eos in eam cogitationem potuit impellere, vt ad ſortes cõfugerint, & procellæ cauſam ſortis iudicio indagarent? Vidiſſe, inquit Baſil. Seleuc. tempeſtatem veluti rationabili afflatu partitam naues alias nullatenus diuexare, & in illã ſolùm fluctus mittere. Ipſum accipe orat. 12. *Quid igitur hinc diſcemus, quod partiaria fuerit, vt videtur, maris fluctuatio, quodque procella hanc vnam verſaret nauem fluctuſque naui impingerẽtur vndique, & quod aliis pacatum mare aduerſus hos dumtaxat armaretur : nec non quòd alios placidè tranſmitteret, cum his verò concurrens tempeſtas fugacem Ionam inueſtigaret. Huius rei ſenſus nauta permoti forte quærunt, quid ſibi velit tempeſtas.* Plures nauigabãt naues, at tempeſtas naues omnes non impetebat; ſed laudabiliter partiaria illam ſolùm, vbi delictum, diuexabat, edocens non omnes alicuius nominis, generiſve ob vnius culpam ſugillandos; ſed ſolùm delinquentes puniendos. Si Ionæ nauis contrà Dei præceptũ è portu ſoluit, detinetur, & ventorum flatibus, ne vlteriùs procedat, veluti vinculis illigetur; at cur reliquæ è portu nõ ſoluent? Cur vndas non calcabunt, cùm eius delicti nullatenus fuerint participes, etſi omnes communi nomine naues? Certè ſi tempeſtas cunctas adæquè vexaſſet, ob vnius culpam omnes ingemiſcerent ſugillatæ, & non abſque nota enauigare impeditæ. Ergo optima cæleſtis politice in Tharſos ire delinquentem vetuit; cæteras verò naues ob vnius crimen eadem non conſtrinxit cenſura; ſed calcari, vt ſolebant, conceſſit æquora.

Ionæ 1. v. 7.

Baſil.

79. Fortaſſis Amanus ſtragem ſibi maturauit, & à Reipublicæ gubernatione repelli meruit: non ſolũ quia ſuperbiâ turgidus; ſed quia rectæ politicæ ignarus: prçceperat rex ab omnibus adorari, at Mardochæus, cùm idolũ è collo pendens referret, genu flectere renuit, ne idolum colere videretur, vtque nunquam in aulis deſunt adulatores, qui delationibus iniquis honoris magnatum cauſas curare affectant, Amano denuntiarunt Mardochæum genua non flectere : *Nuntiauerunt Aman ſcire cupientes, vtrùm perſeueraret in ſententia.* Aman ex ſe ſuperbiſſimus, & delationibus inflammatus eo veſaniæ furore exarſit, vt acrem ſumere vindictam decreuerit : cúmq; facile eſſet expoſtulatũ de regalis edicti præuaricatione damnare, maluit ob vnius delictum totam eius gentem edicto generali cõcludere : *Pro nihilo duxit in vnum Mardochæum mittere manus ſuas : audierat enim quòd eſſet gentis Iudææ :* magiſque

Eſther 3. v. 4.

Digitized by Google

magiſque voluit omnem Iudæorum, qui erant in regno Aſſueri, perdere nationem. Vnius, quam putabat, culpam vniuerſali lege plectere ſtatuit, & ad omnem extendere Iudæorum gentem decreuit: ergo malè politicus ſibi ſtragem aſciuit, quàm fortè, ſi delinquentem ſolùm punire decreuiſſet, vitaſſet. Eccur peculiaris culpa in omnium redundauerit pœnam? Cur cæteri conſtringendi fuerint eadem lege ac Mardochæus ad ſpeciem noxius, cùm à crimine fuerint immunes, nec eius, vt putabatur, culpæ participes: ergo Amanus à dignitate repellatur ſuperbiæ merito, & malæ politicæ titulo: *Hic conſequenter ponitur*, inquit Lyra, *ipſa* Lyra. *machinatio, & non ſolùm contra Mardochæum; ſed occaſione eius contrà totum populum.* O ambitionis delirium! O magnum politicæ erratum! omnes eiuſdem generis premere, cùm vnus ſolus deliquerit, quaſi peccatum fuerit generalitatis. Profectò huiuſcemodi gubernandi ſtylum in nonnulla Republica inuenies: malè aliquis facultate ſibi facta vſus eſt, aut ſi non vſus, aliquâ tamen ſuſpicione denigratus: ergo iam ſimilis facultas omnibus denegatur, & in omnibus vnicus error punitur: quod æquitati, & optimæ gubernationi non conſonum ad huius theſis confirmationem probare videntur exempla allata, & ſacris teſtimoniis fulta.

80. Iacob conſilij Simeonis & Leui expertem ſe teſtatus eſt, ne ad regimen electus ſubiectorum criminibus ſordeſceret obſcuratus: *Simeon & Leui* Geneſ. 49. v. 5. *fratres vaſa iniquitatis bellantia, in conſilium eorum non veniat anima mea.* Ecquod conſilium? Iam textus refert: Cùm Dina curioſitate ducta Sichimitas fœminas videre diſcuperet, & à Sichem terræ principe oculis venaticis inſpecta & rapta pudoris ſuſtinuiſſet iniuriam, eius fratres non ſine dolo in omnes ciues irruerunt, & omnes viros necarunt: *Ingreſſi ſunt vrbem confidenter, interfectiſque omnibus maſculis Hemor & Sichem pariter necauerunt.* Horum conſilia prudens ſuperior non ſolùm non fouit; ſed apertè reprobauit, & quidem iure, quandoquidem conſilij nomine furor tegebatur, & profectum à doloſitatis malitiâ facinus à conſiliatrice ortum mentiebantur prudentia. Aliquali colore honeſtaretur de Sichem pœnas ſumere; at nullo poterat de innocuis accepta colore inaurari: furor erat, non politice ob vnius delictum omnes perdere, & immeritâ pœnâ conſtringere: ergo Iacob cælitus ad faſtigium dignitatis electus horum eſt deteſtatus conſilium, vt gubernationi prorſus aduerſum. Notauit Rupert. lib. 9. in Geneſ. cap. 27. Rupert. *His verbis palam ſignificat non ſui fuiſſe conſilij quòd Sichem, & Hemor fœderatos viros interfecerunt.* Qui gubernationi incumbunt, furoris non imitentur exemplum; ſed animitus fugiant erratum. Diris corripiantur legibus delinquentes; ſed eiſdem non obſcurentur inſontes, nec aſſimilet ſupplicij pœna, quos non ſordidauerit culpa; nec ſatis ſit eodem habitu ornati, aut nomine recenſeri, vt qui diſcordarunt moribus, adæquè premantur legibus.

---

§. XIX.

Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus.

81. IVdicis, ſuperioris, principiſque munus laudabiliter geritur, ſi nec denigretur ignauia, nec ſuſpicioſa odioſum reddatur malitia: culpa nec eſt impunitate donanda, nec odioſis cauillationibus, & ſuſpicionibus confingenda: decet principem delinquentem corrigere, dedecet inferendæ pœnæ ſtudium iniquis ſuſpicionibus, & nimiis indagationibus indicare. *Ad geſta perducti*, aiebat Caſſiodorus 7. var. 8. *audiantur aliquid pro ſalute dicturi: quoniam quidquid non diſcutitur, iuſtitia* Caſſiod. *non putatur. Conuicti verò atque confeſſis, quæ ſunt decreta, ſeruentur, quando crudele nil efficit, qui ſequitur leges.* Delicta prudenti inquiſitione eruere, & ſolicita diligentia inueſtigare æquitas docet, & muneris lex Superioribus, ac Iudicibus perſuadet. Verùm vt notis apertiſque criminibus parcere eſſet legibus contraire, ſic eſſet indignum Iudici, ac Superiori inani ſuſpicione moueri: ferire ſupercilio, aut damnare decreto, quem ſuſpicaris reum, eſt tibi odium conflare, & iuribus violentiam inferre: ergo Iudex, Superiórque ſic ſuſpicionis declinabit inuidiam, vt iuſtam non amiſerit examinis diligentiam. Diſcuſſa cauſa maledicam reprimit linguam, ſi decernatur merita pœna: non ritè diſcuſſa; ſed ſuſpicioſis præſumptionibus acta Iudicem publicat delinquere, cùm videbatur delictum carpere: ſi Iudex, Superiorve ſuſpicionis amplectatur conſilium, fouere pectore liquet odium. Gabaëni Leuitæ vxori vim intulerant, & pudicitiæ leges auſu temeritatis violarant: res ad tribunos delata eſt, qui ſtatim punire immane facinus decreuerunt; ſed ne inauditis partibus ſententiam tulerint, qui cauſam diligenter examinent, delegarunt: *Miſerunt nuntios ad omnem tribum Benjamin, qui dicerent: Cur tantùm nefas in vobis repertum eſt? Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël.* Publicam adeò culpam non diſtulerunt meritis ſuppliciis punire, ne ipſa dilatione viderentur legem violare; & ne æquitatem læderent, cùm ſtudent vindicare, delinquentes ſolicito examine indagandos decernunt, & quò omnem à ſe querelam amoueant, examen ipſis Benjaminitis committunt; nec enim minùs Superiorem ac Iudicem dedecet iners ignauia, ac ſuſpicioſa malitia: *Mittuntur*, inquit Ioſephus 5. antiq. 2. *ad Gabaënos accuſaturi eos iuuenes, qui* Ioſeph. *vim pudicitiæ mulieris intulerant, & poſtulaturi, vt pro violatis legibus morte iuſtas pœnas dependerent.* Iudices diligenter muneri ſatisfacere curarunt, ne ſcelus adeò publicum impunitum maneret; ſed criminis Benjaminitis commiſerunt examen: ſic námque omnem ſiniſtræ affectionis fugiebant notam, nec inultam patiebantur legis offenſam.

Salomon paſtorem admonet pecoris vultum 82. diligentiſſimè attendere, vt poſſit de eo iudicio laudabili iudicare: *Diligenter agnoſce vultum pecoris tui, tuóſque greges conſidera: non enim habebis iugiter poteſtatem; ſed corona tribuetur in generationem & generationem.* Prou. 27. v. 23. Agnito iam vultu iuſta ſententia differenda non eſt, nec proferenda ante vultus agnitionem: conſidera, inquit, vitæ breuitatem, ne ſi ignauè trahantur tempora, iuſta nequeant proferri iudicia, & ne in gregem deſæuias pro tuo arbitrio, cogita te ad tribunal diuinum ſiſtendum; ſic námque vtrúmque ſcopulum vitabis ſcilicet in corrigendo ignauiam, & in puniendo ſæuitiam: dum monet vultum pecoris oppanſis oculis inſpici, ſolertiſſimam admonet diligentiam, & inquiſitionis præſcribit normam. Vide quid inſpicere iubeat, ſcilicet vultum pecoris; quæ aperta

& oculis videntur indubia, debent adhuc ſolerter examinari: quia noſter à veritate aberrare ſolet intuitus, & fallitur, ſi celer aſpectus: ergo diligenter adhibeatur examen vel circa nota, ne aliqua poſſit latere fallacia: pecoris examinentur ora;ſed non latentia pectoribus viſcera: nam vt temeritas eſſet ſuſpicioſam protuliſſe ſententiam;ſic ignauia apertam deſpexiſſe notitiam. Prodeſt Galfridus in allegor.Tilmani: *Sicut de occultis alieni cordis temerè eſt iudicare; ſic de eis, quæ in facie ſunt, non licet diſſimulare paſtori. Habet & vultus probabile quoddam voluntatis indicium: vnde etiam dicitur obtinuiſſe vocabulum: eatenus ergo paſtori, ne inueniatur in iudicanda intentione cordis ſuſpicioſus; ſed nihilominus attendendum ne ſit in conſideranda exteriori conuerſatione remiſſus.* Exteriora iubetur attendere, non interna malignitate rimari: nam vt eſſet crimen nota cæcis oculis præterire, ſic eſſet crimen venaticis oculis, & fallaciſſimis coniecturis credere. Addit Galfridus: *Vultum pecoris ſui non ſolum agnoſcere; ſed diligenter iubetur agnoſcere, vt non præſumat facilem ſe habere notitiam; ſed adhibeat diligentiam.* O quàm vtile & morale præceptum! inueniuntur enim,qui ingenij ſui perſpicaciæ plaudant: cúmque ducti leuiſſimis coniecturis ſententiam ferant, ab omni ſe fallacia diſtare longè præſumant; & ſunt qui oſcitanter ſubiectorum conuerſationem attendant; quorum alij denigrantur, quia ignaui, & alij, quia ſuſpicioſi. Adde ſuperiorem iudicémque debere, non pro animi odio aut ſtudio virtutes, defectúſque ſuorum penſitare;ſed æquiſſima rationis lance perpendere.

Galfrid.

83. Ioannes Dei nomine Angelo Epheſi ſcribens ſic ait: *Scio opera tua,& laborem & patientiam tuam, & quia non potes ſuſtinere malos,& tentaſti eos, qui ſe dicunt Apoſtolos eſſe,& non ſunt, & inueniſti eos mendaces.* Malos ſuſtinere nequibat; nec tamen, dum quos intuetur criminoſos,ſeuerè carpens, aliquod committat erratum, iterum examinat meritum: vocabantur Apoſtoli,delinquebant peruerſi; verùm ſuperior,vt munus impleret,nec titulo fidit, nec oculis credit: audit eſſe Apoſtolos, & eorum facta conſiderat: errare videt,& adhuc, an deerrarint, examinat,ne ſi celeriùs ſententiam protulerit, habeatur æmulus,aut,ſi crediderit nomini,ignauus. Accipe Ambroſ. ad hunc locum: *Quidam praua docentes tempore Apoſtolorum Apoſtolos ſe eſſe dicebant, vt per reuerentiam nominis faciliùs prauam doctrinam in cordibus audientium plantarent. Hos & Apoſtolus Paulus damnat,& Dominus in Euangelio cauendos eos inſinuat: cùm dicit: Attendite à falſis prophetis, qui veniunt ad vos in veſtimentis ouium; intrinſecus autem ſunt lupi rapaces. Hos ergo iſte falſos, eorumque doctrinam falſam comprobauit*: priùs comprobat, vt prudenter puniat. Qui alium corrigit,patientiæ ſe clypeo protegat: inſurgunt námque ſæpè contra corrigentem variis, & de induſtriâ confictis criminibus denigrantes, & iniquis obmurmurationibus impetentes. Sed didicerit etiam corrector arma in patientiæ, & charitatis officina elaborare, non ab odio, indignationeve ſpecioſo titulo promere. Quod mirè ſubdit datus Ambroſius: *Sunt nonnulli, qui reprehendere proximos neſciunt, niſi ira inflammati: horum aliquis ſi non ſolùm pro magna;verùm etiam pro parua aliqua re contra proximum commotus fuerit,tamdiu iram in corde geſtat, donec in actibus proximi aliquid videat,quod reprehendere poſſit: & tunc lætus efficitur, cùm reprehenſionis vindictam proximo intulerit: quod ſi alicui viderit diſplicuiſſe,dicit ſe Zelo Dei hoc feciſſe.* Itaque vt ſuperiorem dedecet in corrigendo negligentia, in ſuſpicando malitia:ita dedecet odium fuco zeli contectum, & falſo virtutis ſplendore nitens vltionis ſtudium; qui, vt puniat, quid inueniſſe legi aduerſum lætatur, non diſciplinam;ſed vindictam anhelare dignoſcitur;omni virtutum concinnitate adornatus ſuperior culpam nô præterit inultam oſcitanter ignauus; ſed nec illam architectatur iniquè ſuſpicioſus:qui lætatur inferre homini nocumentum, non ſatagit expunxiſſe peccatum.

Apocal.2. v.2.

Ambroſ.

Oraculum ad internorum morborum curationem miniſtros inſtiuens hanc de lepra legem ſtatuit: *Quod ſi rurſum verſa fuerit in alborem,& totum hominem operuerit, conſiderabit eum Sacerdos, & mundum eſſe decernet.* Si dubium fuerit, an quis leprâ fuerit infectus, & ad Sacerdotem adductus, diligenter Sacerdos conſiderabit colorem: qui ſi vniformis, & candidus in tota cute, mundum hominem pronuntiabit. Quòd ſi inſtes poſſe lepram ſub illo florenti albore latere, nec varietate ſe prodere, reſpondebit Philo de plantatione Noë, non debere ſuperiorem ſuſpicioſis coniecturis, & iniquis ſuſpicionibus gubernari;ſed ſolerti diligentiâ inſpectis, & examinatis regi. Accipe Philonem. *In lege de lepra decretum eſt eo, in quo nondum varietas colorum extitit; ſed alba vitiligine à capite ad pedes occupatur, purum eſſe,vt iuxta corporis ſimilitudinem vafritiem variam, & ambigua mentis certum affectum omittentes certa veritatis ſumamus colorem ſimplicem.* Itaque voluit oraculum ex diligenter quæſitis notiſque de ignotis ſententiam ferre;non è contrà de ignotis & ſuſpectis oculis obiecta damnare. Quod ingenioſè ſatis aduertit Tertull.in Apolog.cap.3. *Vituperant,quæ ignorant, & id, quod ſciunt, eo quod ignorant,corrumpunt: cùm ſit iuſtius occulta de manifeſtis præiudicare, quàm manifeſta de occultis prædamnare.* Itaque cùm iuſtius ſit ex manifeſtis occulta colligere; ſunt qui malint ex occultis manifeſta denigrare,& cùm ſibi maiorem exigant oculis conſpecta,quàm per aures inſtillata fidem non ſolùm plus credunt auribus, quàm obtutibus; ſed, quod deterius eſt, malignitati innixis fidem adhibent ſuſpicionibus. Ergo diſcant hunc Superiores vitare ſcopulum, adeóque recto procedere itinere, vt nec deflexerint ad ignauiam, nec ad iniquæ ſuſpicionis exorbitarint malitiam. 84.

Leuit.13. v.16.

Philo.

Tertull.

§. XX.

Dum ſuperbia vtiliter detrectat timere, ſtragem ſibi ſolitat maturare.

HOneſtus timor valentia eſt,vt vtilem metum excutere contumacia: ſunt tamen,qui probrum ducant, & ignauiæ vertant alienâ potentiam vereri,& ob ſupplicij timorem legi ac rationi obedire: quaſi decentius ſit ad temeritatis caſtra tranſire, quàm cordato ac prudenti metu frænari: *Nec enim*, aiebat Tertullianus lib.de Pœnit. cap. 5. *timorem alia res, quàm contumacia ſubuertit.* Contumaces ſibi ipſis non ſemel maturauerunt ſtragem, dum malunt infelici audacia perire,quàm honeſto, iuſtóque timori parere. Deliquerant iuuenes Gabaëni vxorem Leuitæ rapientes, & libidi- 85.

Tertull.

Contumacia eſt timoris ſubuerſio.

nō

Digitized by Google

ne diuexantes: cauſa ad populi principes delata eſt, cúmque tradere ſceleſtos Benjaminitis à maioribus mandaretur, illi noluerunt fratrum ſuorum mandata exequi, ne haberentur ignaui, ſi timore putarentur vrgeri: *Noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſrael audire mandatum.* Quod fuerit in causâ, ne mandatis adeò iuſtis obtemperarint, ſtulta præſumptio, & exoculatæ animoſitatis tumida elatio tradit. Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. arbitrati ſunt ſibi eſſe inglorium, ſi mandata tunc complerent: nam cum ingenti militum copiâ, qui mandata dederant, cingerentur, ea obedientia non tam legi adſcribenda videbatur, quàm timori. Ergo ne quis putaret ſe timore, etſi honeſto duci, decreuerunt Benjaminitæ iuſſis rationabilibus aduerſari, & in certamen prodire. Ioſephum audi: Ioſeph. *Mittuntur ad Gabaënos accuſaturi eos iuuenes, qui vim pudicitiæ mulieris intulerant, & poſtulaturi, vt pro violatis legibus morte iuſtas pœnas dependerent... Gabaëni verò non dediderunt iuuenes arbitrati ſibi pudendum, ſi alienis imperatis metu belli parerent, cùm multitudine ac virtute nulli ſe cedere videri vellent.* Qua tumebant, arrogantia ſuaſit omnem à ſe ſuſpicionem timoris propulſare, ac ſi inhoneſtum eſſet rationabili timori parere, & honeſtum auſu temeritatis certare. Omnis Benjaminitarum tribus ferè deleta corruit, & miſeram ſibi ſolicitauit ſtragem, ne putaretur honeſtum pectore fouiſſe timorem: *Regreſſi filij Iſraël omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctáſque vrbes, & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* Voraci flamma victore gladio iacuerunt deleti, ne viderentur honeſto timore impulſi. Et vtinam ſolummodò Benjaminitas audax hæc contumacia dehoneſtaſſet: ſunt tamen plures, qui ignauiæ vertunt rationabili timori cedere, & glorioſius putant aperta diſcrimina adire.

86. Miraberis Philiſthinos ſimul audentes, & timêtes Hebræi, quo acceptam cladem ſolarentur, militibúſque animos inderent, Arcam in campum adduxerunt, cúmque ad eius aduentum caſtra clamore grandi perſtreperent, & fauſtis ac repetitis acclamationibus de Arcæ aduentu victoriam ſibi promitterent, Philiſthiim cauſa clamoris quæſita Arcam aduenıaſſe nouerunt: *Cognouerunt quòd Arca Domini veniſſet in caſtra.* Hìc videas ingemiſcere, timere, & infauſta ſibi ominari: *Timueruntque Philiſthiim dicentes: Venit Deus in caſtra & ingemuerunt dicentes: Væ nobis: quis nos ſaluabit de manu Deorum ſublimium iſtorum? Hi ſunt Dij, qui percuſſerunt Ægyptum omni plaga in deſerto.* Iuſtiſſimis timoris cauſis pulſati, & Arcæ de inflictis Ægypto cladibus poteſtatis non inſcij, cùm debuiſſent timore conſulente frænari, in campum decreuerunt audaciſſimè proſilire: *Confortamini, & eſtote viri Philiſthiim, ne ſeruiatis Hebræis, ſicut & illi ſeruierunt vobis: confortamini, & bellate.* Si fatentur potentiam, ſi norunt Ægyptiorum ruinam, quid eos potuit confortare, & ad conferendas manus acuere? Sanè tumidiſſima arrogantia, & arrogans ſtultitia: plures cauſas eſſe timoris fatentur; ſed arma capiunt, ne timore ab inceptis videantur ſiſtere: quaſi ſatius fuerit petire, quàm rationabili causâ timere. Et quidem licèt huius audaciæ temeritas ad ſpeciem reportauerit triumphum, ſibi reuera & Dagoni ſuo attuliſſe conſtat triſte lamentum, & lamentabile exordium: 1 Reg. 5. v. 6. *Aggrauata eſt autem manus Domini ſuper Azotios & demolitus eſt eos.* Iam probro vertiſſe prudenti timori ſubijci, ſibique prouidere tradit Nicolaus de Lyra: *Alij erant nullum habentes reuerentiam ad Arcam, nec per conſequens timorem: & iſti, vt excluderent timorem ab aliis, dicebant... Confortamini & bellate.* Lyra. Itaque in Philiſthinorum exercitu non deerant cordati, qui alieno damno ſibi conſulerent, & Ægyptiorum ſupplicio non ignorato Arcæ potentiam timerent; hos tamen alij veluti imbelles, ac timidos ſugillabant, & ſugillatione vrgebant: vnde factum eſt, vt omnes ingenti clade eiularent conſumpti, & tardè cedere timori fuerint coacti. Dum exiſtimant, ſi reuerentiam Arcæ impendant, ſuo quid honori detrahere, quandoquidem videbatur ignauia metu concuti, & timore præpediri: ergo vt omnem à ſe timoris ſuſpicionem depulerint, in apertiſſima ſe pericula conijciunt, & tardè illatis cladibus temeritatem agnoſcunt: *Fiebat pauor mortis in ſingulis vrbibus, & grauiſſima valdè manus Dei.* 1. Reg. 5. v. 11. Modò non ſolùm anguntur pauido timore; ſed merita etiam ingemunt attriti clade, & qui prudenti timore ſibi conſuluiſſent, audacia timorem grauiorem incurrerunt & flagella vel inuiti tolerarunt. Non eſt ignauia rationabilis timor, & in virum conſtantem cadens; imò inſania eſt non timere, & grauiora ſibi pericula incrementare: Deum plures malunt arrogantiæ ſuæ adulari; calamitatem conſtat augere; & qui laudabili metu, honeſtóque timore diſcrimen anteuertere quiuiſſent, dum inſolenter, & procaciter audent, nec vitant cladem, nec timorem. Vtque demireris hominum ſtupiditatem, ſalutarem timorem excutiunt, metum admittentes ignauum: ibi audent contumaciter, vbi timendum erat prudenter; ibi timent imprudenter, vbi audendum eſſet alacriter.

87. Pſalmiſta huius ignaui timoris ſtupiditatem referens ſic aiebat: *Dominum non inuocauerunt, illic trepidauerunt timore, vbi non erat timor* Pſal. 13. v. 5. Dum nulla, inquit Pſalmiſta, cauſa timoris eſt, horrenda monſtra ſibi nonnulli confingunt, & inani timore perculſi cadunt: honeſtum bellum pauore illigati detrectant, & ante certamen inhoneſtè concedunt hoſti victoriam, qui arriperent, ſi decertarent alacriter palmam: *Ezechias, & qui cum eo erant in Ieruſalem,* exponit Euthymius, *timuerunt potentiam Sennacherib, qui timendus non erat.* Euthym. Non erat Sennacherib à Domino deſtitutus timendus; imò pro religione, pietatéque exambiendus erat conflictus; & tamen ſic præpediebantur, qui religionis cauſam tueri tenebantur, metu, vt de ſe iam actum exiſtimarent & copioſo fletu lugerent. Ergo cùm exoptandus eſſet congreſſus, timebant, vbi non erat timor, quia ſic homines ſolent cæcutire, vt vbi alacriter audendum, timeant, & vbi cordatè timendum, audeant. Probemus iam contumaciam prudenti ac rationabili timore excuſſo non tantùm calamitatem ſibi parere; ſed etiam huiuſcemodi ignauum timorem infortunium etiam afferre.

88. Moyſes de Domini mandato exploratores mittit, qui Chananæorum vires munitionéſque diligenter examinent & terræ ingenium maturè conſiderent: illi ad ſuos reuerſi cauſas timoris confingunt, & licèt Ioſue, Calebque fore per facilem victoriam clamarent, maluit populus, quàm inire cum Chananæis prælium infame ac certum Ægyptiorum ſubire iugum: *Dixerunt alter ad alterum: Conſtituamus nobis ducem, & reuertamur in Ægyptum.* Numer. 14. v. 4. Inanis timor miſeram calamitatem induxit, dum animos ſine causâ præcidit:

Digitized by Google

qui ſe miſeros deplorabant, ni ſe deploraſſent, viciſſent. Ergo inanis timor arridentem victoriam impediuit, & ſtragem timentibus attulit. Prodeſt Iſidor. apud gloſſam ad Numer. 13. *Exploratores, qui ad terram vberem miſſi, terruerunt populum, ne crederent poſſe haberi terram à Domino promiſſam.* A Deo promiſſum adeo fixũ ac ſtabile erat, vt nullatenus ſpes quiret eludi, aut vllis aduerſariorum artibus falli: ergo cùm nulla timendi ineſſet cauſa, dum animos deſpondent inanibus terriculamentis deluſi, & confictis monſtris perterriti, proſtrati iacent: *Non videbunt terram, pro qua iuraui patribus eorum.* O quàm opus eſt timoris cauſas fideli ac prudenti lance perpendere, ne, ſi ad inſolentiam deflexerit, ipſa audacia tibi maturaris excidium, aut ſi pauidam amplectaris ignauiam, excitaris etiam naufragium. Profectò ſi Benjaminitæ rationabili timori obſequerentur, miſerrimam ac luctuoſam calamitatem vitaſſent, vt è contrà exploratores, ni timori ignauo paruiſſent.

Iſidor.

Numer. 14. v. 23.

---

§. XXI.

Eò peccandi proceſſit libido, vt ſatis iam non ſit propria inquinari culpa: ſed alienæ etiam tutelâ.

89. ERroribus inquinari eſt proprium fragilitatis humanæ; ſubſidium verò afferre errantibus eſt prauitatis diabolicæ. Lapſus prodit hominem terreum; vitiorum tutela diabolica malitia imbutum & tamen ea eſt peccandi libido, vt parum ſibi videatur delinquere, ni contingat ſubſidium delinquentibus etiam afferre: ne vllum ſine patrocinio vitium eſſet, aut ne vnquam deeſſet crimini patrocinium, ipſi, quos cæca Deos colebat antiquitas, criminum erant tutelares: *Deos facitis*, aiebat Tertull. in Apolog. cap. 2. *criminoſiſſimos quoſque, vt placeatis Diis veſtris: illorum eſt honor conſecratio coæqualium.* Ecce magnatum apud cæcos idololatras honor, non ſolùm ſceleribus propriis infici; ſed ſimiles in libertatem aſſerere, impunitoſque conſecrare: eo confecti illorum Dij ſcelerum hydrope ardebant, vt parum eſſet nefanda perpetrare, ni perpetrantes defenderent: honor erat conſecratio coæqualium, quandoquidem conſecrati à ſuppliciis erant exempti. Deliquerant Gabaëni omnes pudicitiæ terminos tranſgreſſi, & veluti brutorum ingenia mutuati: cúmque criminis auctores ad legum ſolatium, ad honeſtatis ſubſidium puniendos Iſraëlitæ depoſcerent, Benjaminitæ contribules nõ ſolùm dignis pœnis, vt ius exigebat, non mulctarunt; ſed vt eos armis tutarentur in campum plus temeritate armati, quàm armis communiti prodierunt: *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſraël.* Huic adeò iuſto mandato ſurdas aures præbuerunt; imò pro ſceleratorum tutelà ad certamen ſe compararunt: *Qui noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum; ſed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contrà vniuerſum populum Iſraël dimicarent.* Ius, legéſque exigebant [illegible]ocia adeò delicta inſolitis deleri pœnis; verùm [illegible]paciſſimus lupus Benjamin contentus non fuit [illegible] rapinis, ni raptores etiam defenderit, & in acie pro illorum impunitate certauerit. Aiebat Iacob olim: *Benjamin lupus rapax, manè comedet prædam, & veſpere diuidet ſpolia.* Præda

Tertul.

Geneſ. 49. v. 27.

ſaginatus aliis diuidebat ſpolia, vt ſimili attaminarentur culpâ. Narauit Ioſeph. 5. antiq. cap. 2. *Mittuntur ad Gabaënos accuſaturi eos iuuenes, qui vim pudicitiæ mulieris intulerant, & poſtulaturi, vt pro violatis legibus morte iuſtas pœnas dependerent; Gabaëni verò non dediderunt iuuenes arbitrati ſibi pudendum, ſi alienis imperatis metu belli parerent, cùm multitudine ac virtute nulli ſe cedere videri vellent: eratque magnus apparatus totius tribus, cùm cæteri non defuturos ſe promitterent, ſi quis eos vi, & armis aggredi vellet.* Cùm glorioſiùs eſſet auxilium præſtitiſſe æquitati, quàm crimini, magnitudini ſuæ detrahere arbitrati ſunt Benjaminitæ, ſi ſontes iuſtitiæ miniſtris committerent; imò ſi miniſtros inflictis vulneribus non percuterent, abegerintque. Hoc Benjaminitarum ad magnates deriuatum fuiſſe delirium, quotidianum probat experimentum: gloriam ducunt optimates ſceleſtos è circitorum manibus eripere, & auxilium illis præſtare, cúmque dominis adulari arbitrentur ſerui, ſi iuſtitiæ miniſtros abegerint, & ne ſontes capiant, impediuerint, quotidie non exiguo Reipublicæ detrimento eiuſmodi bella inſurgunt. Profectò debuiſſent magnitudini ſuæ adulari æquitati præbendo auxilium, patrocinium legibus, Reipublicæ beneficium non noxia omnibus vanitate intumeſcere & bonis moribus contraire.

Ioſeph.

Pſalmiſta hanc peccandi ſitim Pſalmo 82. mirè deſcribit: *Super populum tuum malignauerunt conſilium, & cogitauerunt aduerſus Sanctos tuos.* Omnes aduerſus Dei populum cogitauerunt conſilium nec diſtulerunt infelici partu prodere, quæ iniquis conſtabat animis concepiſſe: *Dixerunt: Venite, & diſperdamus eos de gente, & non memoretur nomen Iſraël vltrà.* Iam executioni mandant, quæ iniquè decreuerant; verùm horum nonnullis ſatis non fuit inſanis inardeſcere deſideriis, prauis operibus delinquere, ni tulerint etiam ſuppetias, iniquis, & auxilientur ſceleratis. Audi Pſalmiſtam: *Etenim Aſſur venit cum illis, facti ſunt in adiutorium filiis Lot.* Filij Lot Iudæis inuidebant: ergo auxiliares manus quæſierunt nec illis defuit patronus, ne dignum delictorum ferrent ſupplicium, aut caſum aliquem paterentur aduerſum. Ita Euthymius ad hunc locum: *Filios Lot eos eſſe intellige, quos ſuperiùs Moabitas appellauit, & Ammonitas: hæ etenim nationes Iudæis præcipuè inuidebant, & ideò in eos alias gentes in vnum collegerunt.* Non recuſauit Aſſur ſubſidium virtutem oppugnantibus miniſtrare; imò cum illis venit gratulatus tutelæ occaſionem præbuiſſe, & implorato auxilio præbentium magnitudinem commendaſſe. Magni ducunt proceres ſceleratos tueri, & æquitatis miniſtros, ne puniuerint, impedire: ergo peſſimis Ammonitis Aſſur auxilium præſtitit eorum ambiens tutelam, & tutelæ infelicem oſtentans gloriam. 90.

Pſal. 82. v. 4.

Euthym.

Deus cum Iobo diſſerens, vt Behemoth peruerſam fortitudinem, magnitudinem infauſtam oſtendat; ſic ait: *Ecce Behemoth, quem feci tecum, fœnum quaſi bos comedet: Fortitudo eius in lumbis eius, & virtus illius in vmbilico ventris eius:* Vitiis paſcitur, luxuriâ ſaginatur, inſipido fœno veſcitur: nec illi ſatis eſt innata peruerſitas ni auxilium præbuerit iniquis, & pro ſcuto fuerit ſceleſtis: *Corpus illius quaſi ſcuta fuſilia*: vt principes magnatéſque maiorum ſtemmata in prima ædium parte collocant, ſuámque magnitudinem ſtemmatibus oſtentant: ita Behemoth [illegible]tur ſcuta ſe habere, quibus peruerſos protegat, 91.

Iob 40. v. 9.

Iob 41. v. 6.

Digitized by Google

gat, & eius ad tutelam inuolantes defendat. Innuit Incognit. ad illa verba Pſalmi 45. *Scuta comburet igni*, ſatis opportunè: *Scutum iacula emiſſa repellit, ne interiora penetrent.* Adnectit de his magnatibus & ſuperbis: *Contrà aduerſantium iacula ſcuta defenſionum parant.* Videre eſt ſceleratos Iudicum armis impetitos ad magnatum tutelam confugere, & magnates iniqui auxilij, ac defenſionis ſcutum iuſtitiæ opponere, & totis viribus defenſare. Vanitati magnitudiníque ſuæ vertunt Principes haberi ſceleſtorum patronos, & in ſuis domibus inueniri eiuſmodi ſcuta, & auxiliaria contrà æquitatis miniſtros arma: parum viſum eſt Behemoth, ſi ipſe fœno veſceretur, ni ad nebulonum, tenebrionúmque tutelam obiectaret fuſilia ſcuta, & repelleret iudicum contorta pœnarum iacula.

Incognit.

92. Iob 40. v. 16. Hanc eamdem proprietatem iterum, etſi alio ænigmate Iobus expreſſit: *Sub vmbra dormit, in ſecreto calami, & in locis humentibus; protegunt vmbra vmbram eius: circumdabunt eum ſalices torrentis.* Parum videbatur aduerſus lucem vmbras armaſſe, & aërem caliginibus repleuiſſe, niſi auxiliares aſciuerit Behemoth deteſtabiles vmbras, quibus protectus dormiat, nec rete timeat: Sol radiorum ſpiculis Behemoth delinquentem inquirit; verùm proceræ ſalices fructibus orbæ vmbras multiplicant, quibus lucis conatus eludant, & dormientis vmbram defendant: *Protegunt vmbra vmbram eius, circumdabunt eum ſalices torrentis.* En torrentis ſalices, quibus vmbram protegant, vmbras ſe habere gloriantur, túncque magnitudinem ſuam ſuperbiùs ac ſumptuoſiùs oſtentant, ſi Solis radios, ne dormientem conturbent, arceant, & terra vmbrarum caligine impediant. Audi Gregorium Magnum lib. 33. moral. cap. 4. *Vmbra vmbram eius protegunt, dum nequiſſimorum facta nequiores peruerſis patrociniis tuentur.* Ecce ſalicum magnitudo vmbram magnam emittere, qua vmbræ patrocinium ferant, & impunitatem afferant; verùm timeá eiuſmodi patroni, quantumvis ob magnitudinem ſuam legum fruſtrentur edicta ab ipſis protectis vmbris commerita puniendos pœnâ: quod ipſe Iobus mitis allegoriis expreſſit, dum ſalices vmbram proijcere ad tuendam vmbram teſtatur, & quã protectionis mercedem acceperint, confitetur: *Ecce abſorbit fluuium*: dum fluuius abſorbetur, tellúſque ardenti halitu exſiccata humore priuatur, ſalices, quibus virorem conſeruent, quibus magnitudinem augeant, quibus ad venuſtatem efflorеant, ſubſidiis vndarum viduatæ ſordeſcunt ardentibus Solis radiis repercuſſæ, & humore prorſus orbatæ: & quidem mirâ æquitatis lege decretum eſt, vt ſibi non viuant, quæ indignè vitam magnitudinémque ad vmbras protegendas alebant. En quæ ſalices magnam iniquum defenſare ducebant gloriam, probroſam ariditatis coguntur ſuſtinere ignominiam, & ab ipſa vmbra protecta fluuius hauritur, quo ſalix pro auxilij ac patrocinij mercede fœcundis priuetur laticibus, aduraturque flammis radiorum ardentibus.

Gregor.

§. XXII.

Contrà duros muniatur adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus.

93. NOn ſolùm tenet peccatores culpa; ſed quod deterius eſt, culpæ amor. Hinc ſi quis eos nitatur ab erroribus auellere, animitus conantur reſiſtere: vt qui poſſidet, totis viribus à graſſatore defendit aurum; ſic qui peccator, totis adnititur viribus, ne auferatur illi delictum. Miraberis quàm obſtinatè ſibi nonnulli adglutinent culpam, quam auerſentur animitus medicinam. Olim nauſeabant homines ad antidotum; modò hiant ad venenum: hoſtiles reputant manus medicas; ſi morbis ſuis parari ſuſpicentur medelam, in campumque procedent ad pugnam. *Omnis diſciplina*, aiebat Paulus, *in præſenti quidem videtur non eſſe gaudij, ſed mœroris.* Diſciplina fructus mater, motum pædagogus eo à peccatoribus odio habetur, vt nihil illis triſtius aut amarius. Ita Caſſian. in allegor. Tilmani: *Sectio vel vſtio ſalutaris, quæ illis, quæ vlcerum contagione putrefacti ſunt, piè infertur a medico, mala tolerãtibus exiſtimatur, nec equo calcar, nec emendatio ſuauis eſt delinquenti.* Medicus candenti ferro ſerpentem morbum conatur ſiſtere, nec honoré operis excuſat fructus: quia ægrotus mauult perire, quàm rigida vſtione ſanari. Aliter in morbis animi videas accidiſſe, quàm corporis: qui laborat febri aſciſcit, & remunerat medicum, qui libidinis ardore exæſtuat, & fugit, & horret. Si malum præcidere Superior fatagat, pro hoſte iam habetur, in illúmque lingua & manus ſolicitè armatur. Deliquerant Gabaëni, cúmque Hebræorum Senatus culpam corrigere conaretur, Benjaminitæ viri contrà infeſtos hoſtes inſurgunt, & in campum ad decertandum procedunt. *Ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxiliũ, & contrà vniuerſum populum Iſraël dimicarent.* Nonne vides armari contrà medicos in prælium, & aciem producere in campum? Opus fuit Senatoribus aduerſùs delinquentium adſultus muniri & armorum tutamine protegi. In proceres graue inſurgit bellum, non alia cauſa niſi quia culpam auferre & delinquentes volunt punire: *Benjaminitæ habuerant*, inquit Ioſeph. 5. antiq. cap. 2. *vigintiquinque armatorum millia, & inſuper ſexcentos.* Bellum corripientibus inferebant, & quaſi maior culpa fuerit corripere, quàm peccare, ipſos correctores debellarunt, & prorſus extinguere contenderunt. Profectò reprehenſio eſt ad emendationem ſubſidium, temeritatis fræнũ; verùm vt durus equus fræni impatiens ſeſſorem aliquando præcipitat, & chamo ipſo non corrigitur, ſed vrgetur, ſic contumacia, procaciáque correctione exaſperantur, & corripientem præcipitare adnituntur.

Ad Heb. 12. v. 11.

Caſſian.

Ioſeph.

94. Paulus ad Hebræos ſcribens hâc veritatem edocuit: *Recogitate eum, qui talem ſuſtinuit à peccatoribus aduerſum ſemetipſum contradictionem.* Maximam à peccatoribus contradictionem ſuſtinuit Chriſtus Dominus: quia delicta carpebat, & contumaces frænabat: armati prodierunt in campum, ac ſi quærerent latronem, & inueſtigarent Reipublicæ nocentiſſimam peſtem cæleſtis doctrinæ merces fuit infame vinculum, & durum probrum: *Tanquam ad latronem exiſtis*, querebatur Dominus, *cum gladiis & fuſtibus comprehendere me*: & quid auferebat Dominus? Rem quidem illis ſatis pretioſam delinquendi ſcilicet occaſionem, & delictorum materiem. Opus fuit Apoſtolos armis cõmunire, vt adſultus quirent repellere: quia peccatores dum corriguntur, & inſanis furoribus agitantur. *Ac ſi diceret*, inquit Rhemigius in catenâ D. Thomæ ad Matth. 26. *Latronis officium eſt nocere, & latitare; ego verò nemini nocui, & in ſynagogis docui.* Ac ſi diceret: quia docui, me infamia aſpergitis, & catenis ac ſi fur eſſem, vincitis.

Ad Hebr. 12. v. 3.

Matth. 26. v. 55.

Rhemig.

Digitized by Google

Profectò in Barabbam ſeditioſum, furem, & Reipublicæ peſtem non audies milites armari, nec in campum ad inueſtigandum prodire, & vides exercitum in campum contrà vitia corrigentem duci, & mirâ ſolertiâ quæri. Tanquam ad capiendum latronem prodierunt in campum, quò non ſolùm abſtulerint vitam; ſed denigrauerint famam: eſt enim correctionis merces, dehoneſtamentum, & odium.

95. Id fortè expreſſit Sponſus, dum Sponſæ labia vittæ coccineæ comparauit: *Sicut vitta coccinea labia tua.* Alludit teſte noſtro Delrio in littera ad funiculum illum Rahabæ coccineum: *Notum eſt,* inquit hic auctor, *funiculus coccineus Rahab, quem cum iuſſa, vt ſignum profeſſionis fidei ſuæ de feneſtra ſuſpendiſſet, ſalutem ſibi cognationique ſuæ attulit. Hic funiculus figura fuit funiculi coccinei, de quo nunc agimus.* Itaque, vt domus Rahab coccineo funiculo muniebatur aduerſus hoſtiles adſultus, eóque munimine opus erat, ne audaces militum pateretur impetus, & ſuſtineret violentas manus: ſic opus fuit Sponſæ, dum cæleſtis doctrinæ inſtillat veritatem muniri aduerſus caninas nebulonum linguas, & ſceleſtorum inſanias. O quot variis criminationibus impetiti ſunt! O quot falſis teſtimoniis denigrati, dum conantur vitia carpere, & delinquẽtes reprimere! Ergo vitta muniantur labia, quia imminebunt illis pericula. Dum corrigentis in peccatores armatur lingua, in ſe plures linguas, manúſque obarmat, quæ quidquid famæ & honoris confictis dolis denigrare; imò prætenſis laqueis vitam etiam moliuntur auferre. Ob id tota arte opus eſt in peccatis corrigendis, ne dum minus cautè & induſtriè procedit, qui tentat corrigere, occaſionem furoribus inueniatur miniſtrare, qui ea acrimonia carpit, eiſque verbis vrit, vt exaſperarent non ſolùm contumacis audaciam; ſed etiam crimen agnoſcentis patientiam, non medetur; ſed belligeratur, non apparat medicinam; ſed protitat audaciam. Ecce Iſraëlitæ cùm de correctione agunt, armati procedunt: quia etſi medicabilis & fraterna correctio nõ arma depoſceret; ſed conſilia, non ignorabant Benjaminitas ob correptionem inuolaturos ad arma. Aut ſi mauis exiſtima ob id Benjaminitas recurriſſe ad armorum auxilia: quia præſules non tam videbantur ſolicitare medelam, quam deſiderare ruinã: quid enim opus erat manus colligere, arma prenſare, & in campum proſilire, quandoquidem id eſſe debet corrigentis ſtudium, vt ſcilicet euertat prauitatem, non hominem, nec exaſperet animum; ſed depulerit delictum. Mihi crede induſtriam manum hoc opus deſiderat: nam ſi Superior ad euerſionem armetur, iam Benjaminita etiam ad defenſionem armabitur. *Correctio,* aiebat Ambroſ. in cap. 2. Apocalypſis, *illa iuſta eſt, quæ ex Dei zelo, & amore fraterno deſcendit, quæ non propter iram vindicandam; ſed propter animam proximi ſaluandam profertur.* Corrigi debent errores; ſed tali modo, vt correctio faciem vltionis non habeat, nec maleuolentiæ ſuſpicionem aliquam ingerat: aliter enim correctio tranſit in certamen, & qui corrigendus, armatur contrà inimicum.

96. D. Petrus ſubiugale mutum animal intendiſſe ait corripere Balaam inſipientiam: *Correptionem habuit ſuæ veſaniæ ſubiugale mutum animal hominis voce loquens prohibuit prophetæ inſipientiam.* Repetamus hiſtoriam, vt moralem eruamus doctrinam. Tendebat Balaamus cupiditate cæcus, & ambitione inflammatus, cùm aſina Dei Angelum ſtricto gladio obarmatum intuita, ab ira imminent ſeſſorem ſatagebat auertere; verùm dum conatur deuiare, contigit pedem atterere: *Quem videns aſina iunxit ſe parieti, & attriuit ſedentis pedem, at ille iterum verberabat eam.* Corrigere tentabat aſina, ſed atterendo, & maiori indignationi occaſionem aliquomodò dando: quouſque hominis voce locuta eſt, inſipientiam non cohibuit; imò pedis attritione furorem auxit: *Hominis voce loquens prohibuit propheta inſipientiam;* at pedem atterendo exacuebat ad vindictam. Si ſuperiores hominis voce loquerentur, ſi verbis humanitate diffluentibus errantem corriperent, ſæpiſſimè aſſequerentur; aſt dũ nonnulli atterunt, dum rigidè comprimunt, vim medicamentorum eneruant, & ardentes flammas exuſcitãt. *Impingente iumento,* inquit Philo Iudæus lib. 1. de vitâ Moſis, *Dominus atterebat, lacerabátque crura & genua, videlicet obuio ſpectro iamdudũ territabatur animal, cui ſoli erat illud conſpicuum; homini verò non item.* Atterebat cæcum, vt detineret: ergo deſæuiebat correptus & dolore exulceratus: nonnulli, vt corrigant, atterunt; &, vt expunxerint culpam, ad ſpeciem adnituntur deleuiſſe perſonam: ergo huiuſmodi correctores à ſubiugali debuiſſent diſcere, ne quod humana voce facilè poſſunt perficere, adnitantur ſeueritate impetrare: quẽ detinuiſſet humanitas, in peius ruere ſuaſit non ſemel aſperitas: non erat initio opus armis ad Gabaënos corripiendos: ergo dum ante ipſam admonitionem iam procedunt in campum, Benjaminitæ contumaciores redditi antiquum fouent delirium, & iam deſudant vtrinque bellum: adnitebantur corrigere; ſed dum correctionis excedunt diſciplinam, accidit corrigendos euertere: forſitan Benjaminitæ, in arma non ruerunt, niſi armatos ſpectarent; ſed nos noſtræ theſi reſtituamus, ſcilicet correctionis mercedem eſſe ſæpiſſimè indignationem, oportetéque huiuſmodi medicum armari contrà delirium.

Paulus Timotheum inſtruens ſic aiebat: *Increpa in omni patientiâ, & doctrinâ,* vbi increpare conſuluit, ad omnem tolerantiam componi admonuit: 97. nec enim ignorabat Apoſtolus quantam patientiæ adminiſtret occaſionẽ qui impunè peccare geſtit, &, ne increpetur, increpantem odioſum reddere exambit: *Increpa in omni patientiâ,* exponit Anſelm. *ad ſuſtinendas indignationes eorum.* Peccatores veluti phrenetici in medicum indignantur: ergo omni patientia muniri eſt opus, qui culpis correctione ſtudet mederi: nam ſi clypeum non arripuerit patientiæ, dum reprehenſi inſolens irritat audacia, tranſibit in certamen correctio, & iam non diſciplina; ſed bella.

Cantic. 4. — Delrius. — Ambroſ. — 1 Petri 2. v. 16. — Num. 22. v. 25. — Philo. — 2. ad Tim. 4. v. 2. — Anſelm.

---

§. XXIII.

Infelix eſt amicitia, quæ tacendo, & defendendo delictum, diabolo amicum tradit defenſum.

98. VEra amicitia eſt charitatis progenies; quæ paſſiones fouet, falſata eſt: peſtis nocentiſſima amicus à virtute alienus, & ad vitia fouenda expromptus: aliquando habetur plurimi adulterata amicitia, quæ delinquendi artes inuenit, quæ peccandi audaciam exacuit, & errandi timiditatem depellit: hæc ad ſpeciem adulatio ſubuerſio eſt, & plus laboratur eiuſmodi amico, quàm laboraretur contagio: *Meliora ſunt,* aiebat Salomon, *vulnera diligentis, quàm fraudulenta* Prouerb. 27 v. 6.

Prouerb. 17. v. 6.

ta oſcula odientis. Amicus, inimicuſque ſub diuerſis aliquando ſpeciebus latent: ſalubriter vulnerans habetur pro hoſte, voluptati blandiens admittitur pro amico: ergo dum hic cupiditates exacuit, dum offert ad delinquendum auxilium, nocentiſſimum eſt venenum: *In odium vitiorum,* inquit Tilman. in allegor. *Sanctus amor igneſcit, & loquitur, & in eos inuehitur magis, quos magis diligere comprobatur. Amicorum parcere vitiis adulatio eſt, non dilectio, nec tam amicitiam, quam amentiam ſapit non redarguere, quos amamus.* Amentia eſt vitia amicorum palpare, vt delirium etiam, amico palpanti credere: error amicorum iuuamine creſcit, & dum creſcit, in perniciem errantem trahit. Deliquerant Gabaeni: cúmque in populi tribunis præſulibuſque corripiendi depoſcerentur, contribules, quò amicitiam erga eos oſtenderent, illis affuerunt auxilium offerentes, & cauſæ patrocinantes: *Ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſrael dimicarent.* Suppetiis freti Gabaeni certamen ineunt audacter è ciuitate erumpentes, & quamuis tantillo triumpho initio floruerint, poſteà eorum ciuitas anhelantibus flammarum globulis periit vſtulata, & Reſpublica tota luxit euerſa: *Hi, qui vrbem ſuccenderant, occurrerunt eis, atque ita factum eſt, vt ex vtraque parte ab hoſtibus cæderentur: nec erat vllà requies morientium.* Ecce amicitiæ fructus ſine vlla requie emori, & horrendum crepitantibus flammis aduri: fortunatiores fuiſſẽt Gabaëni eiuſmodi auxilio deſtituti, quàm his ſuppetiis fuerunt armati, quandoquidem ſinè amicorum patrocinio punirentur ad ſalutem, & modò miſeram triumpharunt ad perditionem. Huc voco Ambroſium in 2. caput Apocalypſis: *O infelix amicitia, quæ illum, quem diligit, tacendo, & defendendo Diabolo tradit.* Vtilius fuiſſet Gabaenis contribulium odium, quàm auxilium: nam dum auxilio induteſcit contumacia, dum contumax reſiſtit malitia, ſibi calamitatem incrementat, & duriorem fortunam aduocat: ni contribules fouiſſent inſolentiam, ni defendiſſent procaciam, Gabaa nec ſuſtineret extremas inimicorum iras, nec ardentiſſimas flammas: ergo de infelici amicitia infortunatiores fuerunt, quàm extiterant de ipſa offenſa. Huiuſmodi amicos deuita: ama amicabiliter corripientem, fuge adulatoriè palpantem.

Tilman.

Non amicitia, ſed amẽtia eſt amici culpas palpare.

Ambroſ.

99. Prou. 27. v. 14.

Qui benedicit proximo ſuo voce grandi, inquit Salomon, *de nocte conſurgens, maledicenti ſimilis erit.* Carpit Salomon eos, qui coràm publicéque amicorum facta laudibus exaggerant, ac præconiis deprædicant, cum tamen patrocinãte ſecreto ipſa ab ſe laudata opera liuido dente abrodant, & clandeſtinis murmurationibus carpant. Galfridus in allegoriis Tilmani his verbis ait expreſſiſſe Salomonem eſſe meram maledictionem palpantium laudem: nam dum amicus ab errore vacantem, & vtili ſomno dormientem, vt errauerit, ſuſcitat, & errores laudando ad amorem errorum trahit, peſſimis maledictionibus onerat, quem ad ſpeciem grato ac ſermone dulciſſimo allaudat: *Nox eſt vita iſta mortalis,* inquit Galfridus, *ignorãtia tenebris tetra, & culparum obſcura caligine; in ea tamen conſurgens amico ſuo voce grandi benedicit, qui in vita ſua laudare hominem, & non parcè laudare præſumit. Itaque ſimilis eſt maledicenti, dum inutiliter ſomnum excutit, & beatificans in errorem inducit, vel non recipienti miſero moleſtus lucem ingerit, quam ille non diligit, iuxta illud: Et diem hominis non deſideraui, tu ſcis.* Ingenioſè enumerauit Galfridus quanta ab iniquo amico detrimenta emanarint, dum voce grandi errorem dilaudat, omnem ab amico errandi timorem fugat, & qui verecundiæ retinaculis, & propriæ conſcientiæ monitis delinquere non audebat, dilaudatus inſanit, & ruborem prorſus excutit. ſunt qui dormiant, nec hominis diem exambiant, ſæpè tamen ab amicis excitantur, & ad vitia quæ dormitantes non nouerant, impelluntur: talos iacere ignorãs ab amico edocetur, fugiens libidinem prouocatur: ergo eiuſmodi amicitia pro veneno eſt, & dum amicum laudat, ſuiſque patrociniis protegit, in extremam calamitatem inducit.

Galfrid.

Oraculum ab inanimatis exempla producit, quibus rationabilium animos inſtruat, & ad concinnos mores expoliat: ergo præceptum tulit de ſtolonibus à pomiferis arboribus præcidendis. *Quando ingreſſi fueritis terram, & plantaueritis in ea ligna pomifera, auferetis præputia eorum.* Vt inutiles rami, ni docta agricolæ manu amputentur, arbori nocent, & ſuccum ſugunt, quo fit, vt quæ opportuna falce adhibita ſaporatum proferret fructum: exſucca, & inutilis deputetur ad flammarum alimentum: ſic falſati amici, qui ſtolonũ ad inſtar ſunt, dum amici vitia non corripiunt; ſed tacendo diſſimulant, aut defendendo incrementant, diuitiis, ſalute, & honore priuant, & exſuccos ac miſeros reddunt. Quia nouerat plures eſſe, qui ob conuiuia ab amicis miniſtrata eorum impuritates non iam conentur tegere; ſed indignis, indecoriſque laudibus prædicare, iuſſit hos amputari, & prouida vigilantia reſcindi: aliter vt præputia non reſecta arborem pomiferam euigorant; ita hi, ni abigantur, & reſecentur, amicum omni virtute, ac diuitiis denudant. Prodeſt Philo de plantatione Noë: *Adulatores,* inquit, *nonnunquam ineffabile odium celantes apud eos, quibus obſequuntur, tamen amare lautas cœnas, & guloſum otium, quæ cupiditate inducuntur, vt colant eos, qui talia ſuppeditant. At illa Syncera, & non fucata amicitia planta excuſſit, & dimiſſis huiuſmodi rebus fructum feret ſuis cultoribus vtiliſſimum, nempe fidem nullis corrumpendam muneribus: propoſitum enim eius eſt amico benè velle propter ipſum.* Ne vtilitatis præſtigiis mala pro bonis laudarent, prohibuit eiuſmodi pomis veſci, vt inhoneſto lucro prohibito faciliùs fuerit ramos proferentes abſcindere, & plantam ad ſalutem repurgare; alioquin adulator fictuſque amicus negotium ſuum aget, & impuros ramos defendet; quandoquidem ille non attendit amici virtutem; ſed propriam vtilitatem. Addit Philo ibi: *Scorta, & adulatores ſuum agunt negotium, dum amatoribus, & quibus adulantur, aliquid boni conciliant. Reſecandæ ſunt igitur hæ præſtigiæ ſimulationeſque ab amicitiæ planta, vt agnatæ peſtes noxiæ.* Vt plantæ ſtolones pro peſte ſunt, dum virtutem abſumunt, perduntque; ita nonnulli amici amicis ſunt ſtolones diuitiarum ſuccum exugentes, & prauitatem peſtiferis adulationibus commendantes. Hinc fit, vt qui reſecaris falce rationabili vitiis efflorerct, non ſolùm prauitatibus imbutus marceſcat ad honeſtatem; ſed ad extremum ſuſtineat ignem. Ecce Gabaeni de iniquo ſibi auxilio præſtito audaciores nouis ſceleribus antiqua ſcelera cumularunt, & dum cumulant, flammas ardentiſſimas ſuſtinuerunt: nec in morte inuenerunt requiem, nec euaſerũt poſt mortem ignem: *Nec erat vlla requies morientium:*

100. Leuit. 19. v. 23.

Philo.

Digitized by Google

id eſt, mors hos non eximebat ab anguſtiis;imò incrementabat anguſtias, dum voracibus tradebat flammis. Vt hinc noueris quos fructus attulerit amicitia audaciam enutriens, culpamque defendens.

§. XXIV.

Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, & vitium tueatur acumine.

101. SI quid de eximiis aliqua in arte ſentiam ſcire deſideres, nullum ſuſpicio, nulli inuideo ob egregias dotes; ſed ob illarum honeſtum vſum: ſi quis acuminis præſtãtiam, & ingenij excellentiam crimini commodauit, & arma contra virtutem procudit, nō eſt inuidendus; ſed miſerandus. Quid prodeſt induſtria ad noua vitiorum excogitanda portenta? Quid dexteritas ad nocendum? Quid ingenij acumen ad ſubtiliùs & delicatiùs errandum? *Quare liberalia ſtudia dicta ſint, vides*, aiebat Seneca epiſt. 88. *Quia homine libero digna ſunt. Cæterum vnum ſtudium verè liberale eſt, quod liberum facit: hoc ſapientiæ ſublime, forte, magnanimum, cætera puſilla, & puerilia ſunt. An tu quidquam in iſtis eſſe credis boni, quorum profeſſores turpiſſimos omnium ac flagitioſiſſimos cernis?* Plus aliis ſapere ad concinnanda flagitia, ad perpetranda ſcelera, ad indicenda virtuti exilia non eſt ſapere; ſed deſipere. Optabilior eſt, & felicior ruditas virtutis ſtudioſa, quàm ſubtilis ſagacitas, & ſingularis dexteritas, ſi criminis rea. Deteſtabilis poteſtas eſt, ſi in hominum perniciem nata, & in virtutum excidium genita: non demireris induſtrium & ſapientem ingenij alios acumine ſuperantem, quouſque noueris, quomodò his vtatur prærogatiuis. Geometres edocet latifundia metiri; ſed vtilior mihi erit, qui doceat, quàm exigua humus hominem capiat: ſi excellēs Arithmetica auaritiæ inſeruiat, & commodare digitos edoceat, ſatiùs erit computationes neſcire, quàm quæſtubus illicitis ſtudere. Venio iam ad illos, qui cæleſtium aſtrorum notitiã gloriantur: effectus rerum aliquando prædicunt; ſed ſibi non prouident; imò ipſa notitia delinquunt. Medica ars, ſi venena norit conficere, quibus cor exæſtuet, & citiùs auolatit vita, infauſta erit ſcienti, vt nociua æſtuanti. Gabaëni præ cæteris excellebant fundæ vſu teſte ſcriptura: *Septingenti erant viri fortiſſimi ita ſiniſtra vt dextra præliantes, & ſic funda lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Vides iacendi peritia eximios, & ambi dextros: vide dexteritatis modò exercitium: *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Dexteritas exacuit ad prælium inſolentem audaciam, & infauſtam eſt aſſecuta victoriam; verùm dum excellentia in fundæ vſu nutrit auſum, ſibi nutriuit etiam incendium: Iſraëlitæ namque vrbem ceperunt, & acerrimis flammis vſtularunt: *Ingreſſi ſunt ciuitatem & percuſſerunt eam in ore gladij, ſignum autem dederant filij Iſraël iis, quos in inſidiis collocauerant, vt poſtquam vrbem cepiſſent, ignem accenderent.* Induſtriis adeò pollebat ciuitas habitatoribus, vt cæteros iactus dexteritate anteirent; ſed dum abutuntur excellentia, voraciſſimã vtuntur flamma: fortè ni adeò induſtrij dextrique, minus fiderent, & modeſtiùs ſe gererent: ergo ſatius illis eſſet peſtilenti induſtria carere, nec in virtutem armari. *Erant fortiſſimi* (inquit Abulenſis q. 14.) *inter omnes viros Iſraëlis, & ob hoc confidenter egrediebantur ad bellum, & vtebantur vtraque manu, vt dextra ſcilicet quia per vſum fecerant ſibi vtramque manum dexteram.* Dum dexteritas infelicem nutrit audaciam, dum audacia iniuſtam aggreditur pugnam, extremam experitur etiam miſeriam: non adeò lugerent miſeri, ni excellentes adeò fundibularij; verùm dum dexteritas & excellentia ſceleri famulantur, propriæ infelicitati deſeruiſſe inueniuntur.

Seneca.

Liberalia ſtudia ſunt, quæ famulantur virtuti.

Abulenſ.

102. Danieli prænuntiat Angelus regem ad faſtigij culmen eleuandum qui acri ingenij acumine omnia penetret, non tamen, vt inſeruierit virtuti, ſed prauitati: *Conſurget rex impudens facie, & intelligēs propoſitiones, & roborabitur fortitudo eius; ſed non in viribus ſuis, & ſupra quàm credi poteſt, vniuerſa vaſtabit.* Cæteris audentior, quia callidior cæteris vniuerſa deuaſtabat; ſed dum ingenij acumine abuſus, miſerè refertur etiam proſtratus: *Contra principem principum conſurget, & ſine manu conteretur.* Contritus eſt præ cæteris infelix, quia ſagax præ cæteris: ni acri adeò ingenio polleret, nouos nocendi modos non inueniret: ergo dum peruerſior quia induſtrior, quia ingenioſior, miſerabilior: *Intelligens propoſitiones*, inquit Lyra, *quia Antiochus callidus erat, & præueniens alios calliditate ſua.* Adnectit: *ſine manu conteretur: quia Antiochus rediens de Perſide percuſſus à Deo morbo inteſtino mortuus eſt, prout habetur 2. Machab. 9.* Proh infelicem aſtutiam, & exoculatam ſapientiam, quæ dum plus ſapit plus vitiis ſeruit, & dum plus ſeruit, & miſerabiliùs ruit! Quàm eſſet Antiocho vtilis ingenij hebetudo, quandoquidem, ſi minus intelligeret, minus peccaret: abuſus acutiſſimo ingenio, interno ac grauiſſimo periit diſcruciatus ſupplicio.

Daniel 8. v. 23.

Lyra.

103. Paulus ad Romanos ſcribens infeliciſſimos ait extitiſſe ſapientes, dum cor de ipſa ſcientia obſcuratum euanuit, & ad ruinam ſuperbiuit: *Cùm eo cognouiſſent Deum, non ſicut Deum glorificauerunt, aut gratias egerunt; ſed euanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum: dicentes enim ſe eſſe ſapientes; ſtulti facti ſunt.* Sapientia auxit cordis ſtultitiam, quia nutriuit cæcam, & odioſam cunctis ſuperbiam. Qui forſitan fortunati, ſi ſtulti perierunt acri mētis acumine præditi. Dum alios mentis acie ſupergrediuntur, inflantur, & de tetro ſuperbiæ igne cor ad inſanas appetitiones inardeſcit, & caliginoſus ipſam mentis lucem fumus infeliciter euincit. Notauit Anſelm. ad hunc locum: *Cùm quidā eorum non ſolum ad inſtituta vtiliſſimarum artium & doctrinam liberalium diſciplinarum; ſed etiam ad inquiſitionem ſummi boni aciem mentis intenderint, & inuiſibilia Dei per ea, quæ facta ſunt, intellecta conſpexerint, non agentes tamen gratias Deo, nec confitentes illum ſibi eſſe huius facultatis auctorem; ſed dicentes ſe eſſe ſapientes, id eſt, non in Deo; ſed in ſemetipſis gloriantes, quaſi ad veritatis inſpectionē ſuis ſtudiis, atque rationibus propinquaſſent, euanuerunt in cogitationibus ſuis.* Attende quod adiecit: *Quod illuminante Dei gratia inuenerant, obcæcante ſuperbiâ perdiderunt, relapſi à ſuperna luce in tenebras ſuas.* Fax, quæ debuiſſet reluminare, caliginoſas adduxit tenebras; & inde orta eſt cæcitas,

Ad Rom. 1. v. 21.

Digitized by Google

tas, vnde ingenij ſcintillauit viuacitas: qui præ cæteris ingenio egregij, dum inſanis affectionibus inſeruiunt, & præ cæteris tument miſeri. Proh mentis aciem, cupiditatum ſcaturiginem, ac virtutum peſtem! Illa ſolùm dilaudanda eſt ſolertia, & ingenij prærogatiua, quæ virtuti inſeruit, & cæcos expugnans appetitus, celeriores ad cæleſtia aſſumit volatus.

104. Tertullianus lib. de pallio cap. 3. plures ait viguiſſe ingenio; ſed ad ſuperbioris faſtus obſequium, & ad tumidioris ſuperbiæ, ac pompaticæ vanitatis delitium. Ipſum audi: *Nec fuit ſatis tunicam pangere, & ſerere, ni etiam piſcari veſtitum* Tertull. *contigiſſet: nam & de mari vellera, quà muſcoſa lanoſitatis lautiores concha comant. Prorſus haud latet bombycem, vermiculi genus eſt, qua per aërem aliquando araneorum more ſcopus ſe diſtendit, dehinc deuorat, mox ſe quieti redd ere: proinde ſi necaueris, iam animata ſtanime albo.* Adnectit: *Tantam igitur paraturam materiarum ingenia quoque veſtificina proſecuta (primùm tegendo hominis, quà neceſſitas præceſſit; dehinc & ornando, imò & inflando, qua ambitio ſucceſſit) varias indumentorum formas promulgauere.* Ingenij acuta perſpicacitas ab ipſis vidis extraxit, quo inflaret ſuperbiam, & lautiorem comeret pompam: inſudarunt artes, vt vanitati inſeruirent; nec iam animus erat nuditatem tegere; ſed ſuperbiam floriditate veſtium inflare. Itaque de ipſo ingenio cultior eſt extructa veſtis, & de veſte grauior virtutum pernicies. Aureum ſæculum celebratur, quod eiuſmodi caruit ingeniis, quia & eiuſmodi caruit vitiis. Mente per cunctas artes excurre, & inuenies induſtriores nouitates adinueniſſe, quibus luxuriam, & ſuperbiam promouerint, non virtutem exornarint. Gabaeni præ aliis egregij fundibularij; ſed ad inferendum virtuti bellum, & ad ferendum libidini auxilium.

§. XXV.

Immetata, indigeſtaque militum multitudo minus metuenda hoſti, & plus inuenitur extimeſcenda ducenti.

105. EXercitus non tam conſtat numero, quàm animo: pauci ſtrenuique milites indiſciplinatam & copioſam hoſtium manum fugarunt, & indecorè ſtationem relinquere compulerunt. Quo fidere ſolent duces, ingens militum numerus venit in aduerſariorum auxilium: immodica namque, dum regi nequeunt, durare non poſſunt. Adhæc indiſciplinati milites, dum numero confidentes, minus curant locorum auxilia, aduerſariorum ſunt præda. Hanc veritatem diſertus edocuit Demaratus: nam cùm Xerxes innumeram militum copiam ferret, non benè de multitudine ſenſit; imò ducenti fore periculoſiſſimam dixit. Ipſum audi apud Senecam lib. 6. de Benef. cap. 31. Seneca. *Demaratus Lacedæmonius ſolus dixit ipſam illam, qua ſibi placeret, multitudinem indigeſtam, & grauem metuendam eſſe ducenti.* Nec à veritate aberrauit: nam cum Lacones numero pauci, virtute plures anguſto in loco conſiſterent, veſtigio fixi, & tantis anguſtiis protecti ſui experimentum dederunt, & multa Xerxis millia victrici manu proſtrarunt: nouit tunc Xerxes fugari ſe poſſe; imò euinci; ſerò didicit non modico ſui detrimento, quàm ab exercitu turba diſtaret. Nec aliter contigiſſe videtur Iſraelitis: ferè innumera multitudo contra Beniaminitas armatur; conſtabat tamen exercitus belli imperitis, & ad præliandum ineptis: *virorum Iſraël abſque filiis Beniamin inuenta ſunt quadringenta millia educentium gladios, & paratorum ad pugnam.* Cùm latiſſimi etiam campi caſtra non caperent, cenſeres Beniaminitas ſolo aduerſariorum numero ſubruendos, & pauore ante certamen quaſſandos; verùm ipſi vti ſtrenui bellatores nimiam aduerſariorum multitudinem ſibi ſubſidio eſſe non dubitarunt, & in campum intrepidi proceſſerunt: *Inuenti ſunt viginti quinque millia de Beniamin educentium gladium præter habitatores Gabaa, qui ſeptingenti erant viri fortiſſimi, ita ſiniſtra vt dextra prælianteſ, & ſic fundis lapides ad certum iacientes, vt capillum quoque poſſent percutere, & nequaquam in alteram partem ictus lapidis deferretur.* Beniaminitarum exercitus conſtabat paucioribus, ſed ſtrenuis; Iſraëlitarum caſtra innumeris; ſed imbellibus. Ergo ſtatim ac manus conſerunt, multitudo terga vertit, & Beniaminita triumphauit: *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa ociderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Iterum inſtauratur bellum, & Iſraël fortitudine iterum numeroque fidens caſtra incurioſe diſpoſuit, & miſerè etiam ruit: *Rurſum filij Iſraël & fortitudine & numero confidentes in eodem loco, in quo prius certauerãt, aciem direxerunt. Erumpentes filij Beniamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.* A paucis deuicti ſunt plures, quia prudentia bellica caruerunt, & ipſa multitudine ſe illigarunt: *Innuitur*, inquit Abulenſis quæſtione 20. Abulenſ. *quòd ille locus, in quo Iſraëlitæ poſuerunt aciem prima vice, non erat conueniens ſecundum prudentiam bellicam ad ponendum ibi aciem, quia pauci de hoſtibus poterant ibi multos occidere; & tamen Iſraëlitæ in prima vice hoc videntes non curauerunt, & in ſecunda etiam vice confidentes hoc, non mutauerunt locum, confidentes in numero.* Ipſe numerus dum ſtultè hoſtes aggreditur confidentia, miſerabili cadit ruina; Beniaminitæ tutiora deligentes loca, et ſi pauciores numero, ſemel & iterum copioſo reſplenduerunt tropheo. Maior erat Beniaminitarum exercitus, quia minor numerus: modica namque, dum poſſunt regi, poſſunt conſiſtere; immetata verò torrentium more ſe impellunt, & antequam ab aduerſariis premantur, à ſe ipſis ſæpè obruuntur.

Gedeon copioſo, vt Amalecitas, Madianitaſque imperat, inſtructus exercitu campum adit, aſt 106.
Dominus timidos, ac formidoloſos manumittere iubet. Miſſis quàm plurimis pauidis adhuc exercitum anguſtat à cupidis fortes diſcernens; treceenti viri ſolum remanſerant, quos iubet Dominus in aduerſario inuere: *In trecentis viris, qui lambuerunt aquas, liberabo vos, & tradam in manu tua* Iudic. 7. verſ. 7. *Madian: omnis autem reliqua multitudo reuertatur in locum ſuum.* Aduerſarij tot copiis exundabant; vt in locuſtarum modum campos opplerent: *Madian autem, & Amalec, & omnes orientales populi fuſi iacebant in valle, vt locuſtarum multitudo.* Comparatio non ſolum denotat numerum; ſed continet etiam arcanum: locuſtæ namque regem non habent, dum egrediuntur per turmas ſuas Salomone teſtante: *Regem locuſta non habet,* Prouerb. 3. verſ. 2. *& egreditur vniuerſa per turmas ſuas.* Innumera ergo iacebat aduerſariorum multitudo; ſed adeò rudis indigeſtaque, vt locuſtas imitaretur, nulli capiti

capiti ſubiecta, nulla militari diſciplinâ inſtructa: ergo dum iacent, dum funduntur numero innumero fiſſi à trecentis fortibus, inſtructiſque aduerſariis referuntur proſtrati: vt notum fuerit plus valere ad reportandam victoriam exiguam manum ſtrenuis militibus armatam, & impauidis animis cinctam, quàm immodicum exercitum diſciplinâ nudum, & militari robore orbum. Ipſa Madianitarum, Amalecitarumque multitudo ſeſe impediebat, & aduerſariorũ triumphis militabat: *Hoſtilis exercitus*, inquit ad hunc locum Arias Montanus, *caſtrorumque formam & ſitum hoc verſu auctor deſcribit, tribus videlicet conſtantem partibus, benè armatorum copiis, & cæterorum vel leuis armaturæ; vel imbellium multitudine, & impedimentis.* Erant in Madian. Amalecque caſtris plures animoſi, & militaris ſcientiæ periti; ſed cum pro vno ſtrenuo centum inuenirentur imbelles, plus negotij militantibus, audacibuſque faciebant proprij, quàm aduerſarij. Quid expectares à multitudine, quando proximis hoſtilibus caſtris miles alter dormiens ſomniabat, & alter ſomnium extimeſcebat: vbi inſonuit claſſicum, arripuerunt fugam, & hoſti conceſſerunt victoriam: trecenti milites induſtriè diuiſi, & opportunis locis collocati rudem indigeſtamque illam multitudinem eo terrore perculerunt, vt ſecum iam benefactum exiſtimarent, ſi ad bellum vocante ſolum clangore fugerent, & ſe in tuto, vt dici ſolet, locarent. Mihi crede belligerandi artem non callent, qui plus in multitudine adaggeranda, quàm in examinanda adlaborant. Sapienter dixit quis, malle ſe ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum ceruo ductante: ſatis eſt ad exercitum perturbandum, ſi miles vnicus immaturo pauore terga vertat, & aliis metum incutiat.

Montan.

107. Halicarnaſſeus lib. 6. pro feliciori omine ad victoriam habebat virtutem, quàm numerum: ipſum audi: *Non qui plures ſunt numero, rectè conficiunt bella; ſed qui virtute ſuperiores.* Vt laruæ dum immetatam ſtaturam aſſumunt, pueros territant primò adſpectu; poſteà verò ludibrio ſunt: ſic exercitus copioſis manibus; ſed imbellibus conſtans, initio affert metum; ſed poſteà riſum: *In omni conflictu* (verba ſunt Vegerij de re militari lib. 1. cap. 8.) *non tam prodeſt multitudo, quàm virtus.* Verum dixit; vt etiam ille, qui ſe expertus protulit: *Nos numeri ſumus, & fruges conſumere nati.* Quam plures militum in magno exercitu victualia tantum conſumunt, ſocioſque impediunt; putares aduerſarium impetituros; ſed videcis trepidantes, & arrepta fuga immaturè triumphum hoſtibus concedentes

Halicarnaſ.

Vegetius.

108. Ionathas ſocio vnico ſtipatus hoſtes aggreſſus eſt: illi inopino caſu perculſi, timoreque perterriti in ſe ipſos manus vertebant, & hoſtibus militabant: *Reſpexerunt ſpeculatores Saul, qui erant in Gabaa Beniamin, & ecce multitudo proſtrata, & huic illucque diffugiens.* Proſtratam modò audis multitudinem, fugientemque; ſed crede animo anteà corruiſſe, quàm corpore: dum fugiens multitudo refertur, conſtituiſſe imbellibus indicatur: ergo ad duorum hoſtium ſtrenuorum conſpectum ingens copia fugit, & altera pars partem alteram fugere edocuit, & cum fugeret, oppreſſit: obturbati animi non attendunt quid expediat; ſed confunduntur; vnde non rarò commilitones à commilitonibus trucidátur. Ad eſt Lyra: *Phyliſthei reuertentes de præda pugnabant cum ſuis, qui remanſerant in caſtris, & è conuerſo: ideò ſubditur poſteà, ſed & omnis populus ſtationis eorum, qui ierant ad prædandum, obſtupuit, & conturbata ſunt caſtra.* Plus conſtabat exercitus ille latronibus, quàm militibus: cupiditate abducti ſtationes deſerebant, & rapinis militabant: ergo ſatisfuit geminus miles ſtrenuo animo hoſtes impetens ad multitudinem proſternendam, & propulſandam: vt notum fuerit huiuſmodi exemplo victoriam filiam eſſe non multitudinis; ſed valoris.

Reg. 14. verſ. 16.

Lyra.

§. XXVI.

Ad exercitus regimen Duces non caſu deſignandi, ſed conſulto Domino deligendi.

VT regis ad exemplum totus componitur orbis, ita ducis ad exemplum exercitus totus componitur: vnde aiebat ſapiens ille Cabrias apud Plutarchum in apophthegm. terribiliorem eſſe ceruorum exercitum leone duce, quàm leonum ceruo imperatore. *Referre ſolebat exercitum terribiliorem ceruorum duce eſſe leone, quàm duce ceruo leonum.* Verum dixit: nam ſi timidus ceruus terga hoſtibus verterit, vel leonum præcordia palpitabunt eius exemplo, non ſolùm imbelles, ſed ſtrenui etiam milites, ſi dux trepidet, timore tardantur veluti impediti, & ligati. E contra ſi leo hoſtes audaci rugitu proſternat, cerui reſumunt animos, vt irruant in inimicos. Ergo plurimum intereſt dux in exercitu: vnde aiebat Archelaus apud Stobæum cap. 54. *Cum diu monere haſtam ſapientes duces oportet; non autem præter ipſorum voluntatem. Addit. Res, ſi rectè inſtituantur, feliciter ſuccedunt.* Sibi inuidet princeps ſi duces, veluti caſu, & perfunctoriè deligit: nil profundius meditandum eſt, nil conſiderandum attentiùs, quandoquidem ab vno duce, ſi cum Deo haſtam mouerit belli peritus, ſæpiſſimè gloria paritur: & econtra confuſio gignitur. Si gregarius à diſciplina militari deſciuerit, ſi tyro ignauè haſtam mouerit, aut terga indecorè verterit, nihil aut parum nocebit; at dux ſecum, quo ſe verterit, exercitum trahet; vnde ab eius factis pendet gloria, aut reſultat ignominia. Hinc prudenter, cùm populus aduerſus Gabaënos bellum inſtruere decreuiſſet, de duce prius cogitauit, & oraculum conſuluit: *Surgentes venerunt in domum Dei, hoc eſt in Silo: conſuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus: Iudas ſit dux veſter.* Primum magnatum, & Rempublicam gubernantium ſtudium fuit circa ducem deligendum, vt qui benè nouerant magnam ſalutis partem ab eius electione pendere: ergo oraculum conſulunt, & poſt fuſas preces eligunt: *Inſurgebat magna pugna Iſraëlitis*, inquit Abulenſis qu. 16. *ideò ad conſulendum Dominum ſuper ſtatu belli aſcenderunt in Silo.* Nouerant rerum euentum, & ſi ſemper in bello varius, à duce ſæpè pendere. Ergo illorum ſtudium fuit eum eligi, qui & moribus Deo acceptus, & belli adminiſtrandi peritus.

109.

Plutarch.

Archelaus.

Feliciter res ſuccedunt, rectè inſtitutæ, & cordatè geſtæ.

Abulenſ.

110. Flagellata duris verberibus Ægyptus populum emiſit inuita; ſed quam citò pœnitentiam virtutis egit, iam audaci mucrone inſiſtebant tergis, cùm exercitus dux, qui caſtra præcedebat, obuiam inimicis proceſſit, & duris fulminibus conturbauit: *Tollens ſe Angelus Dei, qui præcedebat caſtra Iſraël,*

Digitized by Google

raël, *abiit poſt eos, & cum eo pariter columna nubis* Exod. 14. v. 19. *priora dimittens poſt tergum ſtetit inter caſtra Ægyptiorum, & caſtra Iſraël, & erat nubes tenebroſa, & illuminans noctem.* Exercitus dux innumeris Ægypriis obſtitit, & ſuis animos indidit: paulò antè Pharaoni concedebant victoriam, vt redimerent vitam: *Recede à nobis, vt ſeruiamus Ægyptiis*, at vbi dux hoſtium conatus repreſſit, vbi dextera in illos manu pugnauit, iam animos reſumunt, & qui colla ſubdebant iugo, rediminutur florenti lauro: tantum intereſt ducis valentia, aut ignauia: Hugo. *Abiit poſt eos*, inquit Hugo Victorinus apud gloſſam, *vt defenderet eos per nubem, ſuis lumen, aliis tenebras per eamdem ſimul faciens.* Vnicus dux præ toto exercitu valuit, & totus exercitus ſine illo duce periret: dum iam caſtra ducit primus, iam locum vltimum tenet poſtremus, docuit duces ſuorum vtilitati ſtudere, non propriæ vanitati adulari. Et quidem non ſemel, dum de graduum, aut locorum dignitate diſceptant duces, triumphos de diſceptantibus reportant hoſtes.

111. Sibi gratulabatur Attalaric. rex 8. vār. 10. quòd Tholum in ducem contra Hunnos euexerit, quandoquidem exercitus optimo duce obarmatus facilè deuicerat inimicum. Caſſiodor. *Vt cœpit ætas adoleſcere, tenerique animi in robuſtam generis audaciam conduraris, ad expeditionem directus eſt Syrmienſem, vt quod ab illo Martio viro didicerat verbis, in camporum libertate monſtraret. Egit de Hunnis inter alios triumphum, & emeritam laudem primis congreſſibus auſpicatus neci dedit Vulgares toto orbe terribiles. Tales mittunt noſtra eunabula bellatores.* Iure ſibi blanditur de tali ducis electione: & quidem, ni talis eſſet, Vulgari fortè triumpharent verſa in ignominiam gloria, & diuitante aduerſarios prædâ.

112. Video trecentos in triumphantes reges audenter irruere, & triumphum de triumphatoribus reportare: Geneſ. 14. v. 14. *Numerauit expeditos vernaculos ſuos* (Abram) *trecentos decem & octo, & perſecutus eſt vſque Dan, & diuiſis ſociis irruit ſuper eos nocte, percuſſitque eos.* Contra Hai ciuitatem pauciſſimis militibus, & timore territis tria millia pugnatorum armantur, qui ad hoſtium conſpectum indecorè terga verterunt, & fugæ tergis impreſſa hoſtili mucrone Symbola reportarunt: *Aſcenderunt tria millia pugnatorum, qui ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis Hai.* Ioſue 7. v. 4. Hinc oritur non modica difficultas: ſi in tot hoſtes triumphorum gloria alacriores Abrahamus audet, ſi exigua imperiti manu victoriam concedunt, quomodo Haienſes pauci, & ſtrage vicinorum perterriti de Ioſue militibus reportauere victoriam? Aiebant paulò ante: *Quare omnis populus fruſtra vexabitur contra hoſtes pauciſſimos?* & modò quam reportarant victoriam, æternâ fugæ innubilant ignominiâ? ſi facilè erat paucos, & vicinæ ſtragis fauore ferè exanimatos à plurimis, & triumphô iam reportato audentibus vinci, & difficile victores plurimos à paucis Abrahami militibus ſubiugari: quomodò copioſus Ioſuë exercitus atteritur, & Abrahami exiguus ſpoliis ditiſſimis diuitatur? Profectò diſcriminis cauſam meo videri textus innuit vtrobique. Tria millia dicit aſcendiſſe pugnatorum: *Aſcenderunt tria millia pugnatorum*; at dum ſub quo aut ſub quibus ducibus non retulit, duces non fuiſſe celebres indicauit, dum verò trecentorum decem & octo retulit triumphum, expreſsè retulit duxiſſe exercitum Abrahamum. Ergo ſub optimo duce exigua etiā manus plurimos inimicos proſtrauit; at ſub ignotis, & nullius nominis ducibus numeroſus exercitus in præſentia aduerſariorum paucorum ruit. *Ipſe*, inquit Lyra, *cum ſeruis ſuis intrauit bellum.* Lyra. Conſonat Strabus: *Pater fidei, & prima via credendi pro fratre ſuo Lot dimicauit, & vicit non in multitudine exercitus; ſed in trecentis decem & octo expeditis vernaculis.* Abrahamus animo conſtans, laudabili audacia intrepidus, & Domini auxilio fiſſus bellum intrat, & facile triumphum de inimicis reportat: vt ex comparatione noueris quantum interſit inter numeroſum exercitum non celebri duce gubernatū, & exiguum duce celebri rectum. Ecce tria millia cadunt, trecenti vincunt.

Cùm Dominus aſtra omnia in Siſaram obarmaret, & bellum ipſe decerneret: *Noua bella elegit Dominus, & portas hoſtium ipſe ſubuertit*; nihilominus Debbora Barachum delegit in Ducem: 113. Iudic. 5. verſ. 7. 8. *vocauit Barac filiū Abinoëm de Cedes Nephthali: dixitque ad eum: Præcepit tibi Dominus Deus Iſraël: vade, & duc exercitum in montem Thabor.* Iudic. 4. v. 6. Certè videri poſſit otioſum, Barachum quæſiuiſſe, & vocaſſe, quandoquidem ipſe Dominus in Siſaram, cælum ipſum armarat, & ſe traditurum promiſerat. *Ego adducam ad te in loco torrentis Ciſſon Siſaram principem exercitus Iabin, & currus eius, atque omnem multitudinem, & tradam eos in manu tua.* Satis erat ad reportandos triumphos de hoſte cælitus oppugnato quiſque obuius miles, & tamen ſtudioſè Barac adducitur, & in ducem euehitur. Profectò ſi inexpertus dux maiorē ſibi Dominus gloriam vendicaret: ergo quemlibet eligat, nec Barachum præmittat. O ſapientiam immortalem ſatis eſſet pugnante Domino quiſque; at vt compertum fuerit, quantum ſtrenuus dux ad reportandos de hoſtibus triumphos interſit, & ſe pugnaturum promiſit, & in ducem Baracum deligi voluit: *Per Barac ſignificantur homines*, inquit gloſſa moralis, *qui ſunt diſcreti & iuſti, eo quod fulgent induſtria naturali, & tonant ſententia iudiciali, propter quod ſunt ad pugnandum contra iniuſtitiam valde apti.* Barac deligitur induſtrius & æquus; ne, ſi deligeretur iniuſtus, deprædaretur proprios, & tractaret bellum, vt diteſceret, non vt pugnaret: ne, ſi ignauus, dum nulla contra aduerſarios muniretur induſtriâ, hoſtium exercitus eſſet præda. Ergo vt diſcant, qui exercitus parant, eos duces deligere, qui iniquitatibus cælum non prouocent, qui rapinis non inhient; ſed militari fulgeant peritia, & morum emicent elegantia: Deus, cui nullus poteſt reſiſtere, ſolicito ſtudio in hoſtem copias producturus ducem quæſiuit virtutibus exornatum, & militarium rerum expertum.

§. XXVII.

Ad dignitates electio afferre ſolet diſſidium, & inteſtinum excire bellum.

114. QVæuis ad aliquam dignitatem electio ingentes patitur difficultates: aut vis cogit, aut metus malè ſuadet, aut pecunia corrumpit, aut inuidia inteſtinum bellum mouet: *Cum eligendum dico cui debeat*, ſcribit Stoicus lib. 2. de Benef. cap. 18. *vim maiorem & metum excipio: quibus adhibitis*

Digitized by Google

bitis electio perit: ſi liberum eſt tibi, ſi arbitrij tui eſt, vtrùm velis, an non, id apud te ipſe perpendes; ſi neceſſitas tollit arbitrium, ſcies te non accipere:
Seneca. *ſed parere: Nemo id accipiendo obligatur, quod illi repudiare non licuit. Si vis ſcire, an velim, effice vt poſſim nolle.* Vis metuſque ſuffragia extorquet, non petit, & dum plures inueniuntur electi aut inuitis, aut corruptis ſuffragiis, implacabiles lites oriuntur, quibus tribunalia defatigantur: obſequium ſæpè non præſtatur; ſed cogitur: nec ſolùm electio ſubornationis coactioniſque inuenitur aliquando prauitate obſcurata; ſed etiam ſuperbiæ plus audentis tumiditate, & ambitionis delirantis temeritate diſtorta. Verum eſto dignus eligatur, non ob id qui queritur, deeſt æmulus: quiſquis poſtpoſitus reiectionis dolorem, electionem abrodendo, & electum infamando ſolatur. Hinc ſæpè qui ad communem delectus videbatur vtilitatem, attulit communem perniciem, dum æmulatio ſemper machinatrix, & inuidia ſemper furens inteſtino omnia bello concutit, & perturbat: ſuorum quiſque plus iuſto exaggerat merita, & electo adſcribere ſolet delicta: vnde & contentioſæ rixæ, & lites periculoſæ. Huius veritatis non inſcij Iſraëlitæ Deum circa exercitus ducem conſulunt, ne ſi ex hac illave tribu delegerint, cæteras exaſperauerint, & bellum inteſtinum exciuerint. *Venerunt in domum Dei, hoc eſt, in ſilo, conſuluerunt que Deum, atque dixerunt: Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin?* Deo electionem committunt, ne ſi ipſi elegerint, vnam in aliam tribum armarint. Ita Abulenſis quæſt. 18. *Quæretur quare Iſraëlitæ conſuluerunt Dominum, quis eſſet dux in exercitu ſuo: quia ipſi poterant hunc eligere ad vota ſua, & poterant ſcire quis aptus eſſet ad ſuſcipiendum*
Abulenſ. *iſtud onus. Reſpondendum quod tres cauſæ ad hoc fuerunt: prima fuit inuidentia de alterna præminentia: nam nunc non præferebatur vna tribus alteri, aut altera alteri, cùm nullus eſſet princeps in Iſraël: ideò de quacumque tribu nunc ſumeretur princeps, illa tribus videbatur prælata cæteris, & ex hoc erat inuidia, quæ valde vitanda erat in tali actu, vbi oportebat omnes eſſe vnanimes.* Si humano judicio princeps belli eligeretur, vna tribus ſplenderet electione nobilitata; aliæ verò, dum ſibi viderentur reiectæ, aut electi deſpicerent mandata, aut inteſtina contra electionem mouerent bella: ergo prudenter abſtinuerunt ab electione, vt concordi fruerentur pace. Adiicit datus Abulenſis: *ſi ſic acciperetur dux, aliquæ tribus inuidentes illi tribui, de qua eſſet dux, nollent benè ſubiici, nec pugnarent, quantum poterant, ſed impedirent aliàs; quia ex inuidia naſcerentur animoſitates, & contentiones.* Itaque electio diſſeminaret odia, ex quibus implacabilia inſurgerent etiam iurgia: ergo prudenter ſe abſtinuerunt, & electionis negotium Domino fuſis precibus commendarunt.

115. Aaron ad ſacerdotij dignitatem reſplendebat aſſumptus; verum cum inuidia cæleſtis electionis prætenderet ignorantiam, aut ambitioſam ignorantia excitaret inuidiam, ducenti quinquaginta viri proceres ſynagogæ & qui tempore concilij per nomina vocabantur, aduerſus Moyſem, & Aaron ſteterunt eos criminati, quod ſibi dignitatem violenter arriperent Aaronem criminabantur
Numer. 16. v. 3. & 31. Lyra. occupaſſe faſtigium non meritorum ſuffragio; ſed fraterno artificio, & aſtuto dolo: *Cur eleuamini ſuper populum Domini?* Ad quæ Lyra: *Quaſi dicant: Hoc eſt ex veſtra præſumptione, non ex diuina ordinatione.* Seditio ingentem peperit cladem: *Dirupta eſt terra ſub pedibus eorum, & aperiens os ſuum deuorauit illos cum tabernaculis ſuis, & vniuerſa ſubſtantia eorum.* Flagrabat inuidia, & electos impetebat obmurmurationis querela: ergo Dominus Virgas à cunctis tribubus iubet accipi ea lege, vt quæ virga germinarit, à Domino electum declaret viriditatis eloquentia, & fæcunditatis linguâ: *Quem ex his elegero, germinabit virga eius, & cohibebo à me querimonias filiorum Iſraël, quibus contra vos murmurant.* Numer. 17. v. 5. Miraculo opus fuit, vt contra Aaronem, etſi à Domino electum, non reſonaret querela; & obmurmuraret æmuli lingua: ni miraculum impediret audaciam dum humana electione prælatus, dum partialium ſuffragiis ſugillatus electus, vigeret diſſidium, & plures voraret incendium. Electio Deo committenda fuit, vt æmulationis inuidentiæque factioſa ſedaretur querela occluderetur lingua, aliter nunquam ſopienda, dum electio humanis conſiliis creditur fabricata. Quod ſi has lites legitima adduxit electio, quæ exiſtimas diſſidia afferet, quæ ſuſpicionis occaſionem æmulis dedit, & vbi æmulatio efferatam tranſiuit in rabiem. Profectò neceſſum eſt ad munia & dignitates eligere; malum tamen eſt neceſſarium, quandoquidem rarò aut nunquam eſt concors omnium erga eligendum ſententia, & iudiciorum concordia. Itaque ſibi Deus electionem vendicauit, vt querelas auferret, quaſi aliter nequeat electus non abrodi iniquis linguis, aut populus non perturbari diſſidentium altercationibus. Adeſt Lyra: *Quem ex his elegero, germinabit Virga eius, vt hoc ſigno alij quieſcant à ſacerdotio.* Lyra. Quouſque electio diuinitus facta omnes querimonias præcidit, populus ſeditione flagrauit.

Huius rei non inſcius Petrus, qui claudum conſolidarat, quique pedes verbo procuderat, ab eligendo abſtinuit, & electionem à Domino fieri voluit: *Tu Domine, qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius, & Apoſtolatus, de quo prævaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum. Et dederunt ſortes eis, & cecidit ſors ſuper Mathiam.* 116. Actor. 1. v. 24. Qui corda Annaniæ, Sapphiræque Lynceis oculis fuerat ſcrutatus, ac ſi animos nequiret eligentium deprehendere, totam Deo electionem commiſit: & quidem tunc nulla æmulatio, inuidia nulla erat, quæ electores impediret, & deligendi facultatem illis facere retardaret verùm Petrus, vt nos edoceat, quàm ſit arduum corda eligentium ſcrutari, & quid decreuerint, inuenire, aiebat: *Tu Domine qui corda noſti omnium.* Et quidem mirum eſt aliquando, quibus electores aliorum animos venentur dolis, quibus ſuos celarint verſutiis, ac fallacibus cautelis. Itaque Petrus eligere recuſauit, vt qui nouerat electionem non ſemel ingeminare diſſidia, mouere iurgia, odia ſufflammare. Sæpè elector ſuffragium tulit ab omni paſſione alienus, & veritate ſolùm innixus; verùm rarò deſunt, qui reiecti partes ſuſcipiant; vnde elector infamatur, & electio periculoſis controuerſiis concutitur. Adſpice charitatem non ſemel, dum electio feruet, vulneratam, religioſorum familias aliquando diuiſas, ſibique ipſis aduerſantes, & oppoſitas: ſi ardeat ambitio, ſi aduerſetur æmulatio, compugnantium paſſionum flatus minitantur ruinam, nec effloruiſſe ſinunt concordiam. Ergo Petrus declinauit electionis inuidiam, & ſortem expectauit

Chryſoſt. ctauit ſupremam. Adeſt Chryſoſtomus apud gloſſam : *Ne ipſi ex ſeſe facerent electionem, eo cupiunt aliquo ſigno edoceri.* Vt Apoſtoli ſtudebant paci, concordiæque, Deo electionem commiſerunt, noſque ſuis exemplis informarunt : in electionibus, etſi poſtpoſitus patienter ferat, non deſunt conſanguinei, collateraleſque, qui iram inflamment, qui factam ſibi conquerantur iniuriam, & factioſam promant querelam, vtque ſolentur dolorem, electo, & electoribus conciliant inuidiam. Ergo cæleſte ſignum eligendum denotet, vt omnis humana impediatur ſuſpicio, & audax vitetur obmurmuratio.

117. Dum Dauid ad thronum eligitur, cauit oraculum, ne electio videretur ab humano iudicio profecta, aut aliquomodò excogitata: nomen etiam texit, & communi vocabulo deligendum nominauit, ne licèt Samuel, diuinis decretis obſecundarit. Dauidem eligens, fratres reiecti doleant, & Samuelem obmurmurationibus impetant : *Veni vt mittam te ad Iſai Bethlehemitem : prouidi enim in filiis eius mihi regem.* (1 Reg. 16. v. 1.) Baſilius Seleucienſis oratione 14. nihil adeò curaſſe oraculum exiſtmat, ac nè electio humanæ gratiæ eſſe videretur : nam ſi extemporalis regis fraternas aures percuteret proclamatio, dignitatis euaderet imminutio. Baſil. Accipe Baſilium : *O ſapientiam immortalem! ô arcanam miraculi editionem! Et filium tegit. Non clarè dixit : Vngatur mihi rex Dauid; ſed prouidi in filiis Iſai : ne enim humana videatur eſſe gratiæ vnctio, neue electio Samuëlis regni adiectio, communi filiorum appellatione filium iſtum tegit, & ad populum mittit vnctorem Samuëlem.* Sanctus erat Samuël ab omni affectione immunis; verùm ni omnis ſuſpicionis cauſa prorſus auferatur in electum electoremque forſitan audebit inuidia, dum reiectus factam ſibi iniuriam queritur, & electionem non vt fas eſſet, effectam fuiſſe criminatur: ergo vt fraternum charitatis vinculum aſſeruetur, à Deo omnimodè Dauid agnoſcatur electus: alioquin humanam interceſſiſſe putabunt gratiam, & audacem armabunt linguam.

§. XXVIII.

Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, non tamen vigilas ac labores ſubire.

118. QVæuis dignitas annexos habet labores, eo onere exhibetur, ea obligatione aditur: dignitatis apicem aſſecutus ſe vigiliis dicauit, & annexis laboribus collum ſubiecit. Tholus, vbi militari dignitate ab Attalarico donatus, vt muneri ſatisfaceret, audacter hoſtibus obuiauit, & certamina cum aduerſariis iniuit : *Excitata ſunt* (inquit Caſſiodorus 8. variar. 10.) *Gotthorum, Francorúmque validiſſima tempeſtate certamina : affuit illis dubiis rebus audacia candidati, & tanta cum globis hoſtium concertatione pugnauit, vt & inimicos à ſuis deſideriis amoueret, & vulnera factorum ſuorum ſigna ſuſciperet: vulnera, in quam, opinio inſuperabilis, ſine aſſertore praeconium, propria lingua virtutis, quæ licèt ad præſens periculum ingerant; reliquum tamen vitæ tempus exornant:* (Caſſiod.) Nobilitauit Tholus dignitatem, dum impleuit : inſcendit ducis faſtigium; ſed vt primus omnium impeteret aduerſarium, non vt quidam gloriæ dignitatis cupidi, & laboris annexi obliti : tulit in acie decertans vulnera, ne eligentem, & dignitatem infami aſpergeret notâ : *Cum globis hoſtium concertatione pugnauit, & vulnera factorum ſuorum ſigna ſuſcepit.* Qui vigiliarum anxietatem macie, qui militarem audaciam vulnere non oſtendit, dignum electionis ſuæ teſtimonium non habuit Deum conſulunt Iſraëlitæ circa eligendum tanti exercitus ducem : *Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin? Quibus reſpondit Dominus : Iudas ſit dux veſter.* Ex Hebræo legitur : *Iehuda erit in principio.* Itaque non ſolùm decernitur honor; ſed locus etiam decernitur, videlicet vt dignitate cæteris antelatus arma etiam in aduerſarios mouerit primus. Notauit hîc Caietanus : *Caput totius exercitus decernitur tribus Iudæ, vt videlicet ſit prima ad pugnandum.* Caietan. Expende illud : *Sit prima ad pugnandum* : quaſi dicat : Iudas obtineat ducatum, non vt caſſo titulo ſplendeat, aut munere abuſus torpeat, ſed vt pugnet ſuorum murus, & in hoſtes validiſſimus aduerſarius.

Cùm Sol Ioſuë imperio tardatus greſſum ſiſteret, à Domino, qui motem ſui exercitus duci gerere voluit, explicatè tradit textus curſum inhibitum, & tenorem ſolitum fuiſſe repreſſum : *Steterúntque Sol & Luna, donec vlciſceretur ſe gens de inimicis ſuis : obediente Domino voci hominis.* Et cur non, obediente Sole? Detrectauit ne creatura præſtare obedientiam duci, cùm Dominus obedire non detrectauerit homini? Profectò aliquando plus turgent, qui inferioris notæ, & denegare affectant obſequium, quaſi dignitatis ſit probrum. 119. (Ioſuë 10. v. 13.) Benè; ſed hîc Sol & Luna non de ſuperbiæ faſtu; ſed de muneris penſo cæleſtem approbationem exegerunt: nam cùm dignitatis faſtigium inſcenderint Sol & Luna, vt continua agitatione nocti dieique præeſſent : *Fiant luminaria in firmamento cœli, & diuidant diem ac noctem*; auſi non ſunt ab iniuncto munere ceſſare, ne viderentur factis electioni contraire Sole, Lunáque ſtante dies & nox non diuidebantur; imò in vnum coibant diem : ergo opus fuit ad Solis Lunæque ſolatium diuinum explicari præceptum : *Obediente Domino voci hominis.* (Geneſ. 1. v. 14.) Ac ſi dicat Sacra Scriptura : Sol inſtitione luctatus eſt lucis incrementum; verùm nullo incremento ſuaſus curſum ſiſteret, & à labore ceſſaret, ni Domini voluntas vrgeret : ergo ſtetit Sol non indulgens inerti otio; ſed diuino obediens præcepto. Adeſt Auguſtinus lib. 2. de mirab. Sacræ Scripturæ cap. 4. *Sol duos dies in vnum concluſit, & Luna diei ſpatio non occurrit Non humani imperij auctoritate luminaria requieſcunt; ſed Domini imperantis iuſſui obediunt.* Auguſt. Sol Principis Ioſuë arctabatur imperio : *Ne mouearis*; verùm cùm eodem tempore penſum ſoluere deberet officio, ni Dominus iuſſiſſet motem non gereret imperanti; ſed muneri. Erubeſceret Sol dignitatis occupare faſtigium & vel tantiſper quieſcere, nec cæleſtes orbes continua circuitione gyrare :

Digitized by Google

ergo vt hæreat non humani imperij auctoritate ſiſtatur; ſed Dominico iuſſu frænetur: *Non humani imperij auctoritate luminaria quieſcunt; ſed Domini imperantis iuſſui obediunt.* O ſi plures imitarentur Solem, nec dignitatis iniuriâ magnatum ſequerentur voluntatem! Verùm plures ſunt, qui attenderint decretum humanum, quàm qui ſpectarint diuinum.

120. Ionam delegat Dominus, vt comminatione pietatis plena, dum ingerit metum, euacuatit ſupplicium: erat Niniue ciuitas inter Aſſyrios, vt hominibus exundans etiàm ſceleribus: ergo febrienti impietatis ardore humaniſſimus creaturam medicus Ionam mittit, qui terroris medicamine morbo medeatur; verùm ille contectam ſuppliciorum comminatione miſericordiam deprehendens inſcendit nauim Tharſum petituram: ibi irruente procella dormiebat, cùm exitus à nautis de conditione ac de munere

Ionæ 1. v. 8. interrogatur: *Quod eſt opus tuum? quæ terra tua? & quò vadis?* Interrogatus reſpondet: *Hebræus ego ſum, & Dominum Deum cœli ego timeo, qui fecit mare & aridam.* Non reſpondit ad quæſita: de opere námque rogatus tacet, cùm fugam non erubeat indicare, & ob à ſe admiſſam culpam procellam ingruere: *Cognouerunt viri quòd à facie Domini fugeret, quia indicauerat eis.* Si Ionas peccatum ſuum non erubeſcit fateri, cur munus refugit indicare? Quia erubuit prophetæ, prædicatoriſque dignitate radiare, & ignauiſſimo ſopore ſtertere: non illi fuit animus ad muneris iniuriam confitendam, cùm animus non defuerit ad fugæ indicandam culpam. Interrogatus de terra, gentéque reſpondet: *Hebræus ego ſum*: de opere rogatus tacuit: quia ab operis obligatione deſciuiſſe erubuit. *Non*

Baſil. *erat*, inquit Baſilius Seleucienſis orat. 13. *vt videbatur, Ionas lubens humanitatis præminiſter.* Humanitatis præminiſter dormiebat, & cùm Moyſem ad Ægyptios delegatum variis cauſis dictionem extrahere nitentem Ionas potuiſſet imitari, non fecit; imò admiſit dignitatem, & iunxit etiam ſoporem: ergo vt ſibi redditus ecſtaſim illam excuſſit, ſic erubuit vt de munere rogatus nil reſponderit. Miraberis, cùm ſibi munus demandatum potuerint excuſare, plures non renuere; poſteà tamen, vt ignauè otientur, muneris onera grauiſſima exaggerare, querique anxios ſemper labores vrgere, cum nullo tempore didicerint vigilare.

121. Cùm Perſæ Babylonem obſidione cingerent, etſi ciuitas & munitionibus ad miraculum extructa, & militibus eſſet plena, facilè cœperunt. Quòd ſi inquiras cauſam, reſpondebit Iſaias cap. 21. Duces ac Principes dignitatum occupaſſe faſtigia, nec ſoluiſſe laborum penſa: cùm debuiſſent inuigilare militiæ, indulgebant ventri opiparè cœnantes, & belli adminiſtrationem prorſus contemnentes: *Co-*

Iſai 21. v. 5. *medentes, & bibentes ſurgite principes, arripite clypeum.* Ecce hoſtis inſtat, aduerſarius validè oppugnat, & militiæ principes menſæ deliciis incumbunt, ſolùm ſe paſcere deliciis edocti, & inimicorum oblita: *Quaſi dicat propheta*,

Lyra. inquit Lyra: *Non eſt vobis tempus feſtinandi; ſed magis vos defendendi.* Muneris obliuio aduerſariorum gerebat cauſam, & hoſtibus concedebat victoriam: feſtiuis epulis, lautioribus cibis, ſcyphis amplioribus ſaginabantur, cùm debuiſſent acies ducere, & campis inuigilare. O nimis verum, & Reipublicæ incommodo experientia aliquando comprobatum! Si dignitatibus decorati nihil adeò vt munus obliuiſcantur, ignauam ſectantes quietem, Reipublicæ afferent ſine dubio perniciem.

Sponſa paſcendis gregibus deſignata otium, 122.
vt videtur, ſuſpirabat, & indicari ſibi meridiani accubitus locum requirebat: *Indica mihi* Cantic. 1. v. 6.
quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie. In meridie, quando labor intermittitur, quando aliqua feſſis corporibus indulgentia conceditur, non aliis temporibus otia ſuſpirauit, & tamen ab Sponſo non ſine obiurgatione inſiſtendum gregibus paſcendis audiuit: *Si ignoras te, ò pulcherrima inter mulieres, egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos iuxta tabernacula paſtorum.* Ac ſi dicat Sponſus: ſi ignoras quale tibi otium competat, dum gregibus curandis præficeris, iam tibi indico: non eſt vel in meridie cubare; ſed poſt petulcos, capráſque egredi: non tibi contingat, quod plurimis, munus videlicet ſortiri; ſed non implere: *Anima, quæ* Gregor.
Sponſa Chriſti effici concupiſcit, qualiter ſe habeat, Chriſtus eam docet, inquit ad hunc locum Gregorius. Otium dignum edocetur, & indignum fugere eruditur: dum gregibus præeſt, non permittitur otiari; ſed lupinos adſultus iubetur arcere: & paſcendis gregibus inſudare: eſſet enim reprehenſibile paſtoris gloriari officio, & ignauo torpere otio.

Adde dignitatem non taxari tempore; ſed 123.
actione, nec eâ frui, quem conſtiterit inertes otiari, nec ritè obligationi conſulere. *Talis eſt*, aiebat Caſſiodorus in gnomologia, *vnaquaque dignitas, qualis adminiſtrantium eſt voluntas.* Caſſiod.
Dignitas emoritur gloriæ, ſi poſſeſſor viuat ignauiæ. Samſonis ante obitum dignitatis tempus taxatur, cùm reliquorum tempus dignitatis poſt mortem ſcriptura retulerit: *Iudicauit Iſraël in diebus Philiſthiim viginti annis.* Iudic. 15. v. 20.
Toſtatus quæſtione 32. hoc dubium mouit: *Quæretur, quare dicitur hic: Iudicauit Iſraël: quia in aliis iudicibus nunquam ponitur tempus, quo iudicauerunt, quouſque ponatur mors illorum; hic autem ante mortem Samſonis ponitur tempus iudicaturæ eius.* Audis dubium: audi Rabbi Dauid Kimhi apud ipſum congruens reſponſum: *Reſpondet R. Dauid Kimhi, quòd* Abulenſ.
hoc factum eſt quia vſque ad tempus iſtud viſus eſt iudicaſſe Samſon, & non amplius, eo quòd poſt hoc non egit aliquid mirabile, nec timebant eum Philiſthini; ſed captus eſt ab eis. Dum impuratis exinceps mancipabatur affectibus in mulierculæ gremio ſomnum capiens, dignitati cenſetur demortuus, & ob id Scriptura non expectauit vitæ exitum, quia pro exitu fuerat otium.

* * *

§. XXIX.

§. XXIX.

Dei debent dilaudari iudicia, quantumvis noſtræ rationi videantur aduerſa.

124. SAtius eſt nos Dei iudiciis conformare, quàm diuina noſtris iudiciis metiri; ſunt tamen homines, qui malint Deum emendare, quàm ſe corrigere: ſiquid acciderit, quod primo adſpectu videatur rationi oppoſitum, Dei iudicia non ſolùm non venerantur in eius obſequium honeſtè cæci; ſed eius prouidentiam ſugillant audacter ſtulti: vident aliquando virtutem infelicitari, improbitatem florere, atteri iuſtos detriumphare ſceleratos, & cùm ad pauca reſpiciant, facillimè paralogizantur, & propriam inſcitiam numinis arbitrātur improuidentiam. Qui cæcutientibus oculis veritatem non aſpiciunt, Deo aſſentiant: *Optimum eſt pati*, aiebat Seneca epiſt. 95. *quod emendare non poſſis, & Deum quo auctore cuncta proueniunt, ſine murmuratione comitari.* Seneca. Ignauus miles eſt, qui Imperatorem gemens ſequitur, peruerſus qui lingua in ipſum depræliatur. Certè boni milites impigri, atque alacres excipiunt Ducum imperia, nec deſerunt curſum, etſi quid patiantur aduerſum: *Hic eſt magnus animus*, addit Stoicus, *qui ſe Deo tradidit, at contrà ille puſillus ac degener, qui obluctatur, & de ordine mundi malè exiſtimat, & emendare mauult Deos, quàm ſe.* Qui ſe Deo tradit, eſt magnus. Deum ſuæ perſpicaciæ nunquam præuaricatorem puſilli arrodunt, veluti inſcium, & criminantur improuidum, cùm fas ſit Deo ſubiici, & ſequi. Qui humanâ ſolùm ratione res taxant, & abſtruſiora non penetrant, ad inſolitos caſus hærent obſtupefacti; imò audent eius regimen criminari cæci. Ecce Iſraëlitæ Deum conſulunt, an pugnandum ſit in Beniaminitas: oraculum certamen approbat, & ducem adſignat: *Reſpondit Dominus: Iudas ſit Dux veſter.* Electo à Domino Duce manus conſerunt, & repetitis ſtragibus atteruntur; verùm vti fideles maluerunt culpis ſuis adſcribere infortunium, quàm numini: *Quamobrem omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt.* Non abrodunt audaci lingua diuinum iudicium; ſed proprium agnouere peccatum, lachrymis expiare, ieiuniis, victimis numinis ſatagunt placare iram, & impetrare ſibi miſericordiam. *Iam ex hoc tempore ac loco*, inquit Arias Montanus, *non tam iniuriam perſequi; ſed pœnitentiam agere, & ad Dei fidem confugere, ſeſeque omnes, réſque ſuas comparare velle oſtendunt.* Montan. Caietanus diuina iudicia nobis ait veneranda, licèt ad ſpeciem nobis videantur optimo regimini aduerſa. Qui hunc caſum oculis metiretur humanis, notam inureret prouidentiæ; quandoquidem ius fáſque videbatur cauſam pro æquitate depugnantium promouere, nec impios victoria felicitare; verùm cùm non carerent Iſraëlitæ grauiſſimis culpis, dignum erat ſupplicium à Beniaminitis atteri, & Deum eorum manibus pœnas exigere; nec ob id Beniaminitarum ſcelera remanſerunt inulta; imò poſteà ſtragibus durioribus caſtigata. Audi Caietanum: *Occulta ſunt nobis iudicia Dei, quoad eorum rationes in ſpecie, in genere autem ſcimus quod iuſta ſint.* Caietan. Cùm fixum, ſtatúmque eſſe debeat Dei iudicia eſſe iuſtiſſima, ſiquid nobis videtur rationi aduerſum; illa eſt regula corrigendum, ne hæreamus, & dubitemus. Meliùs de diuina prouidentia cogitarunt ipſi, qui euentus experiebantur aduerſos, quando ad pœnitentiam accurrentes, in ſe ſtragis cauſam agnouerunt compuncti, nec ſugillarunt Dei prouidentiam queruli.

Dauid ſe diuina iudicia iuſta agnouiſſe, & deprædicaſſe gloriatur: *Cognoui Domine, quia æquitas iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me.* 125. Pſal. 118. v. 75. Ambroſius legit: *Agnoui Domine, quoniam iuſta iudicia tua, & in veritate tua humiliaſti me;* Ambroſ. imò in Græco legi ait: *Quia Dei iudicia ſunt ipſa iuſtitia.* Ergo vide Dauidis eximiam erga diuina iudicia reuerentiam: eripuerat ouem à leonino rictu, depulerat melodia dæmonem, regem & populum proſtrato gigante, antequam iugo premerentur, liberarat, & cùm tot egregiis facinoribus, ac virtutibus ornaretur, veluti graſſantiſſima peſtis, & nocentiſſimus Reipublicæ hoſtis ad mortem indefeſsè quærebatur: ſpecubus ſubterraneis incluſus ſepulchrum patiebatur ſuperſtes, & famis ac inediæ tormentum ſuſtinebat ac ſi Dei eſſet hoſtis. Adſpiciebat Saülem prædis iniuſtè inhiantem, dæmonis domicilium, vitiorum emporium; fulgenti, excultóque ſatellitio ſtipatum: videbat diuitiis affluentem, nobilitatum purpurâ, redimitum coronâ, & ne humana ratio vacillaret, Dei iudicia æquiſſima fatebatur, malebátque intellectum in obſequium prouidentiæ captiuare, quam prouidentiam abrodere. Adeſt Ambroſius octonar. 10. *Non magnoperè laudabilis eſſet propheta, ſi laudaret iudicia Dei vſu affluentiâ ſecundorum: quid enim magnum facimus, ſi quando in ſecundis ſumus, laudamus Deum, quando in diuitiis ſumus, quando nullis vexamur iniuriis? Illud eſt magnificum, ſi ſubiectus iniuriis, contumeliis iudicium Dei laudes, ſi vexatus ægritudine iudicia Dei prædices, ſi te inopia non reuocet, quominus laudes iuſtitiam Dei.* Ambroſ. O quot de iudiciis diuinis ferunt ſententiam, nec ſolùm putant omnia cæco caſu ferri; ſed inſanientes ſibi perſuadent prouidentiam inſanire: arbitrantur, quam ſolùm gloriam putant in hoc mundo, virtutibus felicitatem deberi; nec fas eſſe ſe adeò iuſtos iniquis poſtponi, & inſipientiâ cæci, & audaciâ temerarij diuinam prouidentiam iniquo dente abrodunt, & ſacrilegâ lingua maculis aſpergunt: at Dauid vti fidelis agnouit ad ſpeciem aſperis Deum eius ſaluti conſuluiſſe, ipſiſque procellis ad portus ſoliditatem ductaſſe. Ergo Dei iudicia æquitati innixa deprædicat, & quas proprius amor querelas dabat, ſurdis auribus præteriens nos docuit iuſtius eſſe Deum ſequi, quàm eius profundiſſima iudicia ſcrutari.

Iob ab amicis impetitus, & ob culpas à Deo affligi creditus in hæc verba prærupit: *Vos contrà me erigimini, & arguitis me opprobriis meis:* 126. Iob. 19. v. 5. *ſaltem nunc intelligite, quia Deus non æquo iudicio afflixerit me, & flagellis ſuis me cinxerit.* Durum ſonat vox iuſti verberibus afflicti; ſed cùm non peccaſſe teneamus, examinanda ſunt eius verba penitùs. Et quidem Gregorius imperfectorum

Gregor. perſonam agentem hæc verba protuliſſe fatetur ipſum audi lib. 14. moral. cap. 14. *Quam quidem vocem, ſi ad perſonam Sanctæ Eccleſiæ referamus, infirmis eius membris non incongruè aptamus, quæ perſecutionis tempo[illegible]um & merita illius, & flagella conſiderant, quia iniuſtos florere conſpiciunt, & iuſtos interire, hoc iuſtum eſſe nullatenus ſuſpicantur.* Imbecilles infirmíque, cùm ſolùm res veluti ab exteriori ſpecie taxent, dum vident malos laſciuire, iuſtos ærumnis diſtringi, putant hæc prouidentia non regi: ergo in has querulas voces erumpunt: *Deus non æquo iudicio afflixit me*: egregiè tamen falluntur, quandoquidem flagella non ſemper incutiuntur ob culpæ meritum; ſed ad patientiæ exercitium. Ergo etſi iuſtos videas laborare, & per ardua inſcendere, cogita non puniri, ſed exerceri. Quod Sanctum Iobum his verbis explicuiſſe tradit datus ſuprà Gregorius: *Saltem nunc intelligite*, aiebat, *quia Deus non æquo iudicio afflixerit me.* Rebantur Iobi amici Iobum culpis infectum, Deúmque iuſto illum iudicio flagellaſſe: ergo ait: non cogitetis, nec perſuaſum vobis habeatis Deum me iuſto iudicio afflixiſſe, quandoquidem hæc flagra non incuſſit ferens veluti in tribunali iuſtam ſententiam; ſed meam exercens tolerantiam. Itaque vt Dei defendat prouidentiam, & ſuam tueatur iuſtitiam, ait calamitatem illam non illatam à iuſto iudicio culpam damnante; ſed à paterno affectu filium expoliente. Itaque eis verbis Dei prouidentiam, & ſuam adnititur defendiſſe iuſtitiam, vt notum fuerit non ſemper Deum per modum ſententiæ culpis reſpondentis flagella immittere; ſed ſæpeſæpiùs ad virtutem expoliendam laborum runcinis vti, & afflictionum ſcobinis ſibi animos adaptare: ergo mea verbera, ait, non à iudice ob culpam inflicta; ſed à parente, & quidem pientiſſimo, ad meam vtilitatem decreta. Non eſt, inquit, labor meus æquum iudicium, quandoquidem me non punit vt iudex; ſed paternum mei profectus ſtudium: ergo ne decretis, aduertite flagella non ſemper per iudicem infligi, nec ſceleribus reſpondere: aliter enim afflictum peccatorem me cenſebitis aut ſi habeatis iuſtum, Dei prouidentiam damnabitis. Hunc penitiorem eſſe horum verborum ſenſum tradit datus Gregor. *Iuſtus conditor,* Gregor. *noſter tot verberibus in B. Iob non vitia illius curauit extinguere; ſed merita augere: æquum ergo fuit, quod fecit per augmentum boni meriti, non tamen videbatur æquum, quod cauſa credebatur punire peccati.* Laudabile fuit Dei iudicium, dum intendit cumulatiùs augere merita, permiſiſſe dæmoni infligere dura flagra: ergo ne amici eum arbitrentur reum, aut ſi iuſtum habeant, Dei condemnarint iudicium, exertis vocibus eos admonet eius calamitatem à iuſto iudicio non promanare; ſed ab affectu paternali diſponi.

127. Vt contrà veritatem de Ethnicorum erroribus arma conſtructa ſunt, aliquando pro veritate de erroribus arma conſtruantur. Lacones filiis duriſſima flagra infligebant, vt ad tolerantiam exercerent, & ad patientiam armarent: ergo filij in ſui defenſionem Iobi verba potuiſſent vſurpare, dicerèque ſpectantibus: Intelligite quod non æquo iudicio non affligant parentes, id eſt, non verberant non vti iudices lata ob admiſſam culpam æqua ſententiâ; ſed exercent vt amantiſſimi patres gloriam noſtram ob tolerantiam ambientes, & fortitudinem his experimentis probantes: ſicque ſtabit nec prouidentiam exorbitare, nec culpis nos infici. *Certè,* aiebat Tertull. in Apolog. cap. 50. *Laconum flagella ſub oculis etiam hortantium propinquorum acerbata tantùm honorem tolerantiæ domui conferunt, quãtum ſanguinis fuderint. O gloriam licitam, quia humanam!* Ac ſi dicat Tertullianus: Nullus Tertull. damnabat parentes de aſpera filiorum diuerberatione, vt qui noſſent inflictis flagris gloriam procurari: ergo diuinam prouidentiam ac iuſtitiam nullus abrodat, dum affligi innocuos videt; ſed putet licitum eſſe numini, quod laudi vertebatur Laconi. Ni fortè potior eſt apud homines humana gloria, quàm æterna. Ergo ſi in Laconibus flagellatio nec ſufferentium arguebat culpam, nec inferentium ſæuitiam, flagella à Deo immiſſa virtute florentibus non exiſtimentur prouidentiæ nota, nec latentis habeantur culpæ argumenta.

---

§. XXX.

In hac vitâ peccatorum pœnas ſoluere eſt ingens Dei beneficium, & ſæpè virtutis præmium.

VT negotiatio eſt aliquid amittere, vt maiora lucreris; ſic etiam eſt negotiatio pati dura, vt vitaris duriora. Qui de rebus, non vt fas 118. eſt, ſententiam ferunt, mirantur aliquando tunc homines infortunia experiri, cùm à vitiis longius receſſerunt, & ſe prorſus virtutibus mancipارunt; verùm ſi æqua rationis lance res expenderent, noſcerent demutatæ iam ſententiæ eſſe præmium calamitates ſubire, & ob peccata debitas pœnas hîc pendere. Deus iuſtitiæ ſuæ præuaricator non eſt: ergo cùm in hoc ſæculo, vel in futuro ob commiſſam culpam pœnæ ſoluendæ ſint, & ibi acerrimæ flammæ adurant, hîc moleſtiæ leuiores diuexent, beneficium eſt grauiorem leui redimere, & ardentiſſimos æſtuantis fornacis globulos exiguis doloribus commutare, nec in futurum remittere. Dum peccatores vides laſciuire, felicitate florere, calamitate non tangi, iratum illis numen crede: grauiſſimis ſuppliciis deputat, & vrgetioribus pœnis adſignat. Audi Senecam de prouid. cap. 3. *Iam procedente oratione oſtendam, quam non ſint, quæ videntur mala: nunc illud dico: iſta, quæ tu vocas aſpera, quæ aduerſa, & abominanda, primum pro ipſis eſſe, quibus accidunt. Perſuadebo inde tibi, ne vnquam boni viri miſerearis: poteſt enim miſer dici, non poteſt eſſe.* Profectò vt medicina, quæ ad ſpeciem ſæuitia eſt ſitim ſiti extinguit, & amaris potionibus bilem corrigit, ac calorem caloribus onerat; ſed vt grauiori dolori occurrat, & laboranti ſubueniat, ita diuina miſericordia culparum morbo laboranti medetur, quaſi de ſinapis incendio, de ſcalpello, deque cauterio; ſed horrorẽ operis fructus excuſat: eſt enim ſoluendis duriſſimè reatibus repurgare, & futuris voracibus flammis eximere: *Non tamen ſecari*, inquit Tertullianus aduerſus Gnoſticos cap. 5. *inuri, & extendi, morderique idcircò malum, quia dolores vtiles affert: nec quia tantummodò contriſtat, recuſabitur; ſed quia neceſſariò contriſtat, adhibebitur.* Cogita opus eſſe ſerpentem morbum cauterio ſiſtere, & aliter nociuo incremento, &

Seneca. Tertull.

& quod duriora petat medicamina augeri, quid commodiùs ægroto putas, modo ſinapi vrgere, aut poſteà ferro candenti inurere, & reſecare. Ergo vt dolore dolorem euacuare beneficium eſt, ita etiam ſoluendas ob crimen duriores pœnas fauor eſt leuiſſimis redimire, & compenſare. Ecce Iſraëliticus populus variis criminibus pollutus felicitate fruebatur; verùm cùm iam ſententia mutata iuſtitiam zelans in Benjaminitas armaretur, corruit profligatus, & ingemuit afflictus: *Procedentes ad pugnam contrà Benjamin vrbem oppugnare cœperunt, egreſſique filij Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Stragem paſſi ad Deum inuolant, & eius iram lamentis placant; nihilominus tamen inito rurſum certamine, terga hoſtibus vertere, & impreſſas fugæ notas ſuſtinere coguntur. Quærunt Interpretes cur tantam ſuſtinuerint calamitatem

Abulenſ. tem zelotypi, & vndis lachrymarum abuti: *Cùm Iſraëlitæ zelarent pro Deo*, inquit Abulenſis q.24. *ad puniendum viros Gabaa, quomodo Deus puniebat eos?* Iam reſpondet: *Nunc Iſraëlitæ zelantes pro lege Dei conuertebantur ad Deum, & tollebantur culpæ præteritæ; tamen pro idololatria præterita, & pro negligentia puniendi idololatras meruerunt magnas pœnas.* Adnectit: *Et ob hoc volebat Deus, quòd quanquam actualiter zelarent pro eo, punirentur pro peccatis ſuis, & ſic pugnabant contrà Benjamin, & zelo legis Dei, & tamen pugnando occidebantur. Sciendum tamen quod propter iſtum zelum fuit magna pars pœnæ remiſſa Iſraëlitis.* Magna pars pœnæ remiſſa eſt in eo quòd hîc ſoluerent, ne in futuro ſæculo penderent: hîc námque leui dolore dolorem acerrimum redemerunt, & dum ſubeunt pœnam, voraciſſimam vitant flammam. Certè exiguo ſpatio in purgatorio aduri adeò graue tormentum eſt, vt plurima, & coaceruata huius vitæ tormenta, quàm latè euincat, ſuperétque ergo commutare grauem adeò leuiori pœnam, Dei erat eximium beneficium, & grande virtutis præmium. Itaque iam claret, cur ad virtutem è vitiorum caſtris ſe conferentes patiantur aduerſa, cùm olim lætiori vterentur fortunâ: tunc námque, ne ſoluerent, differebantur, quo grauiùs, duriúſque punirentur; at dum virtuti iam præſtant obſequium, affliguntur, quò leuiori acerrimum vitarint ſupplicium, & ſit pœnas ſuſtinere pœnas extinguere. Non poſſum non adijcere Stoici verba:

Seneca. *Difficillimum ex omnibus, quæ propoſui, videtur, quod primum dixi, pro ipſis eſſe, quibus eueniunt iſta, quæ horremus ac tremimus. Pro ipſis eſt, inquis, in exilium proijci? in egeſtatem deduci? liberos, coniugem efferre? ignominia affici? debilitari? Si miraris hoc pro aliquo eſſe, miraberis quoſdam ferro, & igne curari, nec minùs fame ac ſiti; ſed ſi cogitaueris tecum remedij cauſa quibuſdam & radi oſſa, & legi, & extrahi venas, & quædam amputari membra, quæ ſine totius pernicie corporis hærere non poterant; hoc quoque patieris probari, tibi quædam incommoda pro his eſſe, quibus accedunt.* Nonne videtur tibi pro eo eſſe qui debebat centum, ſi creditor decem exigat, & nonaginta remittat? Ergo cogita Deum iuſtorum virtutibus delectatum magnam debiti partem remittere; ſed hîc reliquam ſoluendam decernere. Ergo cùm videris iuſtos afflictari, cogita cum illis indulgenter factum, & cùm iniquos videris proſperitate vſos, crede magnis cruciatibus aſſeruatos.

Labano inſeruiens Iacob per viginti annos 129.
non proditur infirmitate vexatus, ſed optatis Rachelis amplexibus fruitus, & copioſis gregibus ditatus: Deo obediens patriam repetebat, & Labano renuntiarat, cùm egregius luctator certamine vrſit, & contractis neruis dolorem ingeſſit: *Tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.* (Geneſ.32. v.25.) Mira res: dum obedientiæ virtutiſque ſectatur viam, in lachrymas funditur, & acceptæ plagæ dolore vrgetur, qui apud Labanum lætiſſimâ fuerit vſus fortunâ, carueràtque plagâ. Eccur alibi viribus validus, & alibi imbecillus? Recole, vt inuenias ſolutionem, Iacobi facta, inueniéſque dolum fratri texuiſſe, intumuiſſe contrà Labanum: *Tumens Iacob*, inquit textus, *cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum ſic exarſiſti?* (Geneſ.31. v.36.) Si aliquam, etſi leuem commiſit culpam, dubium non erat teneri reatu. Ergo Deus, vt obedientiam remuneret, certaminibus angit, dolorem infligit, quo omni reatu iam expuncto benedictione ditetur, & faciem numinis intueatur: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea.* (Geneſ.32. v.30.) Anima, vt Dei fruetur viſione, erat doloribus repurganda, aut plaga contractis neruis ſuſtinenda: ergo amantiſſimus luctator, ne differretur viſionis felicitas, ſi quem inuenit reatum, dolore inflicto purgauit, & virtutis præmium exhibuit. Ipſum certè vulnus pro præmio fuit, viſionis námque impedimenta dolor patienter latus expunxit, & animam ab omni reatu abſolutam præparauit: *Salua facta eſt anima mea.* Quando ſalua facta? Non quidem cùm omni dolore exemptus; ſed cùm ſalubri plagâ percuſſus: *Mira hîc proprietate dictum eſt*, inquit Rupertus lib.7. in Geneſ. cap.45. (Rupert.) *Tuménſque Iacob cum iurgio, tumor námque, vel iurgium ſeruilis motus eſt: neque hoc quiſquam de liberi vel ingenui hominis irâ rectè dixerit, aut propriè; at verò Iacob in hac vtique cauſa liber non erat.* Itaque ex Ruperti ſententiâ aliquali culpa Iacobus denigrabatur, quàm niſi inflictæ plagæ dolore compenſaſſet, ad diuinam viſionem citò adeò non perueniſſet. Igitur ingens beneficium erit, vt citiùs manſerit benedictus, ſi indoluerit tactu vexatus. Iam ſi in Libano mundum exprimi, vt Interpretibus placet, non renuas, miro penicillo quod mundi aſſeclis, & virtutis alumnis accidat, videbis non impolitè delineatum; ſed eleganter expreſſum. Iacob, dum ſæculo inſeruientis perſonam gerit, vt Rachelis fruatur amplexu, obnoctat, vt ipſe refert, æſtus ardore repercuſſus, & niuibus diuexatus; robuſta tamen valetudine labores ſuperat, & infirmitatem ignorat; cùm verò Labanum deſerit, & à Deo ſibi iniunctum arripit iter, claudicat neruis obſtupefactis, Rachel è vita excedit, filia violentiam patitur vindicta à fratribus de Sichimitis expetitur; nec mirum, quãdoquidem illum ſibi Deus expoliebat, & patientiæ officina ab omni ſorde purgabat.

Iob delinquenti in præſenti vita pœnam non 130.
infligi furoris teſtatur argumentum, & indubium grauiſſimæ indignationis indicium: *Nunc enim non infert furorem ſuum, nec vlciſcitur zelus valde.* (Iob 35. v.15.) Ac ſi dicat: modò non infert, vt ſeruet, quandoquidem, dum non euomitur, retinetur. Ergo grauiùs punit inulta permittendo peccata, & pœnas in præſenti vitâ exigere ingens probatur miſericordia. Adeſt Gregor. lib.26. moral. c.17. *Electorum eſt hîc cōteri, vt ad præmia debeant æternæ hæreditatis erudiri; noſtrum eſt hîc flagella per-* (Gregor.)

Digitized by Google

cipere, quibus ſeruatur de æternitate gaudere: hinc enim ſcriptum eſt: Flagellat omnem filium, quem recipit. Itaque dum vitiorum vernula ad Dei tranſit filium, ni ſuſceptis patienter flagellis delicta ſoluerit, integrâ filij nobilitate non ſplendeſcit: ergo illum Deus miſericorditer Flagellat, & Flagellis emundatum nobilitat. Miſerum quidem eſt, ſi commiſſam culpam in futurum manſerit pœna.

131. Deliquerat Cham arcanam patris nuditatem irridens; verùm cùm non latuiſſet ſubſannatio ſopitum à ſomno expergefactus maledictionem

Geneſ.9. v.24. irriſori non intulit: *Euigilans Noë ex vino, cum didiciſſet, quæ fecerat ei filius ſuus minor ait Maledictus Chanaan, ſeruus ſeruorum erit fratribus ſuis.* Cham deliquit, nec eum maledictio ferit: quod datus ſuprà Gregorius expendens ait, remanſiſſe Cham peccatum in præſenti impunitum, vt grauius, duriúſque pœnam ſuſtineret in poſterum. Si Cham illato ſupplicio irriſionis ſoluiſſet reatum, in poſterum eius humeros ſeruile non premeret iugum; at dum remanet offenſa inulta, è filio transfert ad ſeruulorum numerum pœna: *ſeruus ſeruorum erit.* O vtinam modò eſſet ſeruus, vt poſteà haberetur filius; verùm dum in præſenti non punitur, ſeruituti miſerandæ

Gregor. dicatur. Accipe Gregorium ſuprà datum: *Quid eſt, quòd Cham peccante, Chanaan eius filius ſententiam vltionis accipit? Quid eſt, quod non in ſe, ſed in poſteritate percutitur, niſi quòd reproborum nequitiæ hîc quidem inultæ proficiunt; ſed in poſteritate feriuntur.* Deſine iam mirari, cur qui ſe in filiorum numerum receperunt, piâ ſeueritate feriantur, & vitiis inſeruientes ſeuerâ impunitate donentur, cùm audis, quibus indulgetur, grauiori ſeruari mulctæ, & laboribus expolitos æternæ gloriæ.

---

§. XXXI.

Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non diſceſſit, triumphos ſibi perſeuerans aſciuit.

132. QVi virtutis caſtra ſecutus euentum expectauit, iam expectando à virtute ipſa deſciuit. Multa bonis viris aduerſa eueniunt; ſed quæ in colorem ſuum trahant, nec ob illa ſtationem in bellis deſerant. Emiſſi è nubibus imbres, diuitum fontium torrentes, fluuiorum copioſus cenſus ad mare decurrunt; eius tamen ſaporem non ſolùm non immutant: ſed nec variant: ergo vir fortis & ſtrenuus maris ingenium induet, & aduerſarum impetu rerum non ſolum animum non vertit, ſed nec remittit. Quàm benè Seneca de viro forti lib. de prouid. cap. 2. *Manet in ſtatu, & quidquid euenit, in ſuum colorem trahit: eſt enim omnibus*

Seneca. *externis potentior: nec non dico, non ſentit illa, ſed vincit, & alioquin quietus, placiduſque contra incurrentia attollitur.* Pro viro forti ſunt ſæpè infortunia: nam dum conſtans pedem non refert; ſed honeſtè cœptis perſiſtit, ipſa perſeuerantia non ſolùm emollit; ſed vincit: triumphis ſplendet redimitus, quia ab ſtatione nullis caſibus deturbatus. Iſraëlitæ virtutis cauſam ſuſcipiunt, & contra Beniaminitas in campum prodeunt: ſignis collatis ceſſit in Beniaminitarum partem victoria: *Procedentes ad pugnam contra Beniamin vrbem oppugnare cœperunt egreſſique filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Luctuoſa clade non deſtiterunt; imò placato priùs numine conſeruerunt iterum manus; ſed iterum Beniaminitæ reportarunt etiam triumphos: adhuc non deſiſtunt: ſed compoſitis ſtationibus bellum inſtaurant felici adeò euentu, vt hoſtes penitus deleuerint, & triumphum non obſcurandum iterum reportauerint: *Percuſſit eos Dominus in conſpectu filiorum Iſraël, & interfecerunt ex eis in illo die viginti quinque millia, & centum viros.* Adnectit textus. *Ingreſſi ſunt ciuitatem .... percuſſerunt eam in ore gladij.* Ecce iam arriſit ſtabilis triumphus, & penitus iacuit attritus hoſtis, quia pro virtute depugnans perſeuerantia nequibat non coronari victoria: dum aduerſis non franguntur, nec à virtutis caſtris diſcedunt, obſcurando nunquam triumpho munerantur, & perſeuerantiæ præmium Caietan.

ſortiuntur. Innuit Caietanus: *Nulla innuitur ratio* (huius ſcilicet triumphus) *niſi quod tertia dumtaxat vice fit mentio maioris humilitatis, ac deuotionis in Deum Iſraëlitarum.* Breuis humilitas ipſis cladibus aucta, deuotio inſtitit ardentiùs virtutis cauſam ſecuta; vbi videbantur pedem relaturi cladibus fracti, pro virtute ſteterunt firmi: ergo non poterant non triumphare, quandoquidem ipſa conſtantia optimũ erat auſpicium, & pignus futuræ victoriæ clarum. Aduerſarios deuicerunt inuictâ patientiâ, & conſtanti perſeuerantiâ.

Inuidus Dæmon circa Iobi virtutem diuinis 133.

etiam teſtimoniis approbatá terguierſatur. Quàm ægrè malignitas credit, quod verum dolet: ergo accepta à Domino poteſtate in Iobum rapidos calamitatum torrentes armat, & ignes fulminat; ille verò tot aduerſis impetitus ſtationem non deſeruit; imò acrior & valentior certamen cum aduerſariis iniuit. *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimen-* Iob.1. v.20.

ta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit. Caſtra ſequebatur virtutis diuitiarum ſtipendio muneratus; ſed eadem modò ſecutus eſt nudus: cum nudo iterum congreditur inuidia vlceribus, amicis & ipſius ſponſæ improbis conſiliis armata; ſuſtinuit tamen durum adſultum patientia immo- Iob.2. v.7.

ta. *Percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Quietè ac placidè in ſterquilinio ſedebat pro virtute militans aduerſis impetitus, vt poſſet proſperis circumuallatus: ergo iam ſibi victoriam conſtantia promittebat, & de aduerſario triumphabat: *Dominus benedixit nouiſſimis Iob magis quàm principio eius.* Quod expen- Iob.42. v.12.

dens Tertullianus de patientia cap. 12, ſic ait: *Non abacti greges, non illæ in pecore diuitiæ, non filij vno* Tertull.

ruinæ impetu adempti, non ipſius denique corporis in vulnere cruciatus à patientia (fide Domino dedita) excluſit, quem Diabolus totis viribus fruſtra cecidit: nec enim à reſpectu Dei tot doloribus auocatus ille eſt; ſed conſtitit nobis in exemplum & teſtimonium tam ſpiritu, quàm carne, tam animo, quàm corpore patientiæ perpetrandæ, vt neque damnis ſæcularium, nec amiſſionibus chariſſimorum, nec corporis quide conflictationibus ſuccidamus. Audiſti immotã conſtantiam, audi nunquam interturbandam victoriam: *Quale in illo viro,* adnectit Tertullianus, *feretrum Deus de Diabolo extruxit: quale vexillum de inimico gloriæ ſuæ extulit?* Vexillum extulit Iobus à Diabolo ablatum, feretrum Diabolo deuicto extruxit; imo Diabolo feretrum fabricauit, quandoquidem indoluit omnem eius nequitiæ vim prorſus extinctam, ac non

ſine

ſine ingenti ipſius dedecore proculcatam: pro Iobo ſtant illi acerbi caſus, quos virulentus dæmon inuexit, & dum nititur auferre patientiam, adauxit ſæculis gloriam: de ipſa ædificij ruina, de ipſis abactis gregibus, de ipſa vlcerata carne arma Iobus, quibus aduerſarium vinceret, ſibi procudit, & triumphum glorioſius egit. Hic eſt ſolemnis mos ſtrenuis virtute athletis de genu pugnare, vt etiam obſcurando nunquam triumpho redimiri, & ſpoliis ditiſſimis exundare.

134. Suſanna illa caſtitatis decus conflatis de honore aduerſus honorem armis impetitur; ſed pro pudicitia ac virtute ſtetit immota, in tribunal adducta tacuit, velamine decorem abſcondit, & ne iterum placeret, ante ſententiam mortis habitum induit: ad ſupplicium trahebatur iniquorum oppreſſa mendaciis, nec cùm vrgeret vndique pœna animum deſpondebat fiducia. Quid tunc? Daniel exertis clamoribus accuſatores percellit, & populum ad iudicium reducit. Pro Suſanna ſtat non ſolum Daniel; ſed etiam Angelus accuſatorem ſcindens medium, & denudans iniquum dolum: meritam dedere iudices pœnam, & Suſanna ipſa virtutis conſtantia immarceſcibilem reportauit ſibi victoriam: *Interfecerunt eos, & ſaluatus eſt ſanguis innoxius in illa die.* Videbatur Suſanna in exorabili iudicio plectenda, præualebant commentis accuſatores aduerſus famam: quia expugnare nequiuerant pudicitiam; verùm dum conſtantia pro virtute ſtetit, & triumphum tulit: *Ibat ad ſupplicium nō adulterum corpus*, inquit Zeno Veronenſis ſerm. De Suſanna, *in quo extrema libido ſenilis exarſerat, ſed quod infamauerat Diabolus, & quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæſus: tunc in puero ſancto Daniele Spiritus ſanctus ingreſſus ait, cùm illa ad ſupplicium duceretur: Reuertimini ad iudicium: falſum enim iſti conteſtati ſunt de ea.* Adnectit: *Cruciatus Diabolus quod nulla ex parte ſuam perfecerit voluntatem: nec adulterium enim quod factum diffamabat, exercuit, nec homicidium, quod procurabat, inuenit.* Si ſenibus conſenſiſſet, virtutis caſtra deſertaſſet, & ſors lapidibus obrueretur rea, dum haberi diſcupit pudicitiæ detrimento pudica; verùm ſententiam fruſtrauit, & deuictis hoſtibus palmam obtinuit, dum pro virtute ſemper ſtetit: ingemuit oppreſſa mendaciis; ſed ipſi gemitus cæleſtes ſibi adduxerunt ſuppetias, & doloſas eluſerunt aduerſariorum inſidias.

Geneſ. 13. v. 62.

Zeno.

135. Aduerſus Chriſti diſcipulos mare naualem pugnam ſuſceperat: dormiebat tunc Dominus ſuper ceruical, cùmque aer infremeret, & horrendum funes ſibilarent, Apoſtoli cum tempeſtate deprælıabantur: dormientis ſomnus cum tempeſtate ad ſpeciem faciebat, quandoquidem ne periclitantium lachrymas adſpicerent, oculos illigabat: propiùs accedunt tempeſtate iactati, & dum ad orationem confugiunt, de ipſa tempeſtate tranquillitatem ſibi procudunt: *Accedentes autem ſuſcitauerunt eum dicentes: Præceptor perimus.* Excitus oratione accedentiũ Dominus eorum plantis mare ſubiecit, ventos imperio deuinxit, & qui paulò ante per momenta verebantur naufragium, de ipſis procellis tulerunt triumphum: *At ille ſurgens increpauit ventum, & tempeſtatem aquæ, & ceſſauit, & facta eſt tranquillitas.* Tempeſtas in Apoſtolos militabat, vt videlicet dormientem auerſarentur, & calamitatibus fracti recederent; verùm illi qua videbantur tempeſtate auellendi, ad Dominum accurrerunt ſtudioſi, & humiliter tempeſtate abigat, deprecati; ipſaque in virtute perſeuerantia, ipſa ad Dominum propiùs accedendi ſtudioſa cura tumidos fluctus calcarunt, & acribus ventorum adſultibus reſtiterunt. Fas erat, vt æquor fidentis Petri ſubſterneretur veſtigiis, cùm tempeſtate imperitus longiùs non diſcederet; ſed celeriori volatu accurreret, cùm non demutaret ſententiam; ſed orationis adderet efficaciam. Innuit Chryſoſtomus in catena D. Thomæ. *Quod quidem Dominus permiſit exercitationis gratiâ, vt cùm confeſſi fuerint periculum, cognoſcant miraculi magnitudinem: vnde poſtquam magnitudo periculi in intolerabilem metum eos vrgebat, tanquam aliam ſpem non habentes ſalutis, niſi ſolum ipſum Dominum virtutum, eum excitauerunt. Sequitur: accedentes autem ſuſcitauerunt eum.* Dum propiùs accedentes ſuſcitant, triumphum aſſequuntur: deuicerunt procelloſos fluctus conſtantia, quia abſorbendi videbantur procella. O quot de calamitatibus, infortuniiſque celebres egiſſent triumphos, ni ad vitiorum infauſta recurriſſent auxilia, & deſeruiſſent virtutum caſtra. Qui ſtetit aduerſitatum telis impetitus, reſplendebit ſine dubio triumphis honeſtiſſimis coronatus.

Lucæ 8. v. 24.

Chryſoſt.

§. XXXII.

Liuido dente prouidentiam ſolet abrodere, qui nouit præſentaneis ſolùm attendere.

PRouidentia vigilanti omnia moderatione complectitur: de illius ſolicitudine concinnitas floret, diſpenſantur virtuti præmia, inferuntur temeritati ſupplicia. *Vndis humana res* (inquit Caſſiodorus 3. var. 48.) *mutabilitate quatiuntur, & ideò prouidentia dicitur, vt quæ ſunt futura tractentur.* Variis confuſiſque actionum diſſidis res humanæ perirent, niſi prouidentia ſolertet in amicitiam, concordiamque verteret: elementa frænat, & amico diſſidio ad hominum ſalutem concordat Malos patienter ſuſtinet, bonis exercendæ virtutis dilargitur ſpatia; verùm humana peruerſitas in criminationis conuertit cauſam, quæ noſtram cæcutientem præteruolant ſcientiam. Aptè Seneca epiſt. 5. *Prouidentia maximum bonum conditionis humanæ in malum verſa eſt.* Dum videmus, bonis viris triſtiſſima accidere, inſudare per ardua aſcendere, vitiorumque vernulas diuitiis afluere, circumfuſos voluptatibus deliciari, animum pulſat ſuſpicio, & aduerſus cæleſte regimen cogitatio. Deus bonorum amantiſſimus laborum runcinis, calamitatum ſcobinis eos in Dei ſimulacrum efformat, & expolit; verùm cum lippientibus oculis non ſubiaceant futura; imò neque vt ſunt, appareant præſentia, indignantur peccatorum pacem intuiti, & iuſtorum vices miſerati. Implorato Numine Iſraëlitarum tribus in Beniaminitas armantur: occaſionem bello miniſtrauerat extrema ciuium Gabaa ſalacitas, pudor expunctus, raptâ vxore leuites iniuria, & dolore exulceratus: Prælium commiſſum eſt, ſed victoria in Beniaminitarum partem ceſſit: *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Stragem adeò luctuoſam perpeſſi animum lacrymis expiarunt, & oraculum iterum conſuluerunt: *Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Beniamin fratres meos, an non?* Quibus ille reſpondit: *Aſcendite ad eos, & inite certamen.* Oraculo erecti reſumunt animos, iterumque ineunt pugnam, ſed 136.

Caſſiodor.

Seneca.

accipiunt iterum plagam: *Eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tantâ in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.* Quis non demiraretur pro virtute militantium acerbos caſus, & pugnantium pro ſcelere lætos euentus: non commiſerat prælium cupiditas; ſed honeſtas, lachrymæ eluerant peccatorum maculas, oraculum iuſſu accenderat: quæ omnia plus contra prouidentiam, quàm in Iſraëlitarum ad ſpeciem militauerant copiam; attendendus tamen fuit rerum exitus, ne, dum præſentia ſolùm iudicat humana prudentia, audax prouidentiam deturparit cenſura: extremo certamine vtrinque bellum committitur, & ferè omnes iniqui miſerabili clade intereunt,& qui anteà deuicti feliciter detriumpharunt: *Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin qui euadere & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri: ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor; regreſſi autem filij Iſraël omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes, & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit.* Qui in futura oculos non dirigeret, de Beniamitarum triumphis, & Iſraëlitarum cladibus ſugillaret prouidentiam, diceretque res humanas conſilio non geri; ſed pro fortunæ, & caſus arbitrio tractari, quandoquidem depreſſa ingemiſcebat virtus malignitate inſoleſcente, & improbitate triumphante; verùm qui in vlteriora oculos inconniuentes expanderet, noſſet improborum triumphos marceſcere, eoſque ad lanienam deputari, aſt iuſtorum calamitates nouam faciem aſſumere, & ad gratiam bruma tranſacta efflorеſcere: vorax flamma dum Beniamitarum reliquias deglutit, prouidentiæ non obliuionem, ſed magnanimitatem,& æquitatem dilucidè oſtendit: Lyra. *Hic conſequenter,* inquit tempeſtiuè Lyra, *confunditur contumacia, vbi primò deſcribitur filiorum Iſraël humiliatio, & ſecundò filiorum Beniamin confutatio.* Si virtus priùs florida, poſteà marceſceret calamitatis flatibus imperita, non bonam de prouidentia ſuſpicionem ingereret, vt etiamſi prauitas roſis ſine ſpinarum cenſu coronata micaret, & aduerſus infortunia ſemper floreret; at dum vitium vorax expectat flamma, & legitimè decertantem aduerſus preſſuras, & labores immarceſcibilis coronat victoria, Dei miſericors de tolerantia commendatur patientia, & de virtutis remuneratione deprædicatur iuſtitia. Beniamitarum triumphos excepit ſordidus cinis, labores Iſraëlitarum com- Minutius. mendauit deuictus, & gemens hoſtis. Minutius 4. cap. 13. ſtultorum audaciam comprimens eleganti ſtylo ſcribit: *Satis eſt pro pedibus aſpicere maximè indoctis, impolitis, rudibus, agreſtibus quibus non eſt datum intelligere ciuilia, multò magis negatum eſt, differere diuina.* De diuinis differit exoculata audacia, & temeraria imprudentia: ad ciuilia negotia gerenda inepti, de diuinis diſpoſitionibus prouidentiaque ferre ſententiam aggrediuntur præcipites.

137. Iobus horum ſciolorum perſonam gerens ſic aiebat: *Caligauit ab indignatione oculus meus, &* Iob 12. v.7. *membra mea quaſi in nihilum redacta ſunt: ſtupebunt iuſti ſuper hoc, & innocens contra hypocritam ſuſcitabitur.* Humanus viſus ex ſe anguſtus, & ignorantiæ caligine præpeditus indignatione exardeſcit, dum iuſtos cruentis flagellis intuetur affligi & iniquos ſumptuoſa felicitatis pompa florere: ad pauca reſpiciens paralogizatur facillimè, & quia finem non proſpectat, audacter prouidentiam ſugillat. Prodeſt Gregorius lib. 3. Moral. cap. 13. *Ad indignationem oculus caligat, quando ipſi quoque,* Gregor. *qui in Dominico corpore, id eſt in Eccleſia lumen veritatis habent, dum ſe diutiùs à prauis deſpici, ac dedignari conſpiciunt, de occulti iudicij admiratione turbantur, & ſecretum Dei penetrare nequeuntes cur præualere peruerſi contra bonorum innocentiam permittuntur.* Adnectit moraliſſimè. *Dum peruerſos proſpiciunt florere iuſtoſque cruciari, ad hoc nonnunquam perueniunt, vt ſe bona vel inchoaſſe pœniteant, atque ita ad agenda mala citiùs recedunt, ac ſi eorum vita nocuerit bonum, quod inchoauerunt.* Non attendunt illam ſapientum ſententiam: *Reſpice finem,* & dum præſentia diuerſè iuſtis ac iniuſtis intuentur ſuccedere, audent de caliginis hebetudine prouidentiam ſugillare; imò & ab inceptis deſiſtere.

138. Sapiens verò, & imperturbata perſpicientia mirabilem Dei diſpoſitionem attendens pedem non referet; ſed laudabili pertinacia itineri virtutis inſiſtet: *Tenebit iuſtus,* addit ſanctus Iob, *viam ſuam,* Iob 17. v.9. *& mundis manibus addet fortitudinem: igitur omnes vos conuertimini, & venite, & non inueniam in vobis vllum ſapientem.* Iuſti conſtantia deſipere probat oblocutores, murmuratoreſque prouidentiæ: *Conſiderato hypocrita,* proſequitur Gregorius ſequenti capite, *iuſtus viam ſuam tenet: quia dum illum ex peruerſa voluntate obtinere ea, quæ mundi ſunt, intuetur, ipſe ad amorem cæleſtium robuſtius ſtringitur, ſciens quia bonis deſideriis præmia æterna non deerunt, dum & prauis, & duplicibus cordium bona temporalia non negantur. Qua* Gregor. *ex re mundis quoque manibus addit fortitudinem.* Caligans oculus ex impiorum proſperitatibus prouidentiam coarguit; ſed dilucidus ex ipſa proſperitate ſapienter extollit, conijcitque ex inimici fortuna, quæ amicos expectent præmia: virtutem adaugere ſolicitiùs adlaborat, vt cæleſtia conſequatur brauia, quia temporalia ex poſſeſſoribus agnoſcit euanida. Cumulatior impij fortuna non eſt ſugillatio prouidentiæ; ſed cenſura noſtræ ſtultitiæ: ſi enim quàm fluxa, quàm nullius valoris ſint, quæ demiramur, agnoſceret, inimicis indigna nullatenus reputaret: exigua ſunt, quæ ſuſpirat ambitio, euanida, quæ prolixus aſſequitur labor: de iniqua rerum mundialium æſtimatione oritur poſſeſſores deprædicari felices; cùm tamen qui mundis manibus addunt fortitudinem, honeſtâ inflamment æmulatione, quando momentaneis ærumnis, & temporaneis afflictationibus non dubitant præmia ſibi diſponi ſolida & vera.

139. Dauid hac erga prouidentiam plures cogitatione pulſati, prophetali ſpiritu adſpiciens, iam reſpondet: Pſal. 72. v.3. *Mei autem penè moti ſunt pedes, penè effuſi ſunt greſſus mei: quia zelaui ſuper iniquos pacem peccatorum videns: quia non eſt reſpectus morti eorum, & firmamentum in plaga eorum.* Auguſtin. D. Auguſt. ad hunc Pſalmum legit: *Non eſt declinatio mortis eorum.* Proſperitas iniquorum zelum adurgebat, veſtigij firmitas penè nutabat mores conferens, & iuſti ac iniqui ſortes adſpiciens; verùm dum attendit eorum indeclinabilem mortem, & firmum ſemper flagellum, diuinam allaudauit ſapientiam, & iuſtitiam prouidentiſſimam in eas voces erumpens: *Quàm bonus Iſraël Deus his, qui recto ſunt corde!* Accipe Auguſtinum: *Attendi peccatores, vidi illos habere pacem. Quam pacem? Temporalem, fluxam, caducam, atque terrenam.* Adnectit ingenioſiſſimus Doctor: *Iam intellexi, inquit quare illi habent pacem, & florent in terra: quia*

morti

Digitized by Google

morti eorum non eſt declinatio, id eſt, *quia certa mors, & æterna eos manet, quæ nec declinat ab eis, nec ipſi declinare ab ea poſſunt: quia non eſt declinatio mortis eorum, & eſt firmamentum in flagello eorum: non eſt enim temporale flagellum eorum, ſed firmum in ſempiternum.* Dum in eorum mortem & flagellum, inquit Pſaltes, non dirigebam aſpectum; ſed fluxam tantùm pacem ſpectabam, erga Dei prouidentiam aliquatenus commouebar; verùm dum expendi fluxam voluptatem firmis flagellis puniendam, fallaces diuitias æterna nuditate mulctandas, & econtra temporales iuſtorum ærumnas immarceſcibili commutandas felicitate, & temporale lamentum inamiſſibile vertendum in gaudium, dignis elogiis allaudaui prouidentiam, vt quæ virtutem remuneret, & dignè prauitatem caſtiget.

---

§. XXXIII.

Felicior eſt, qui ruit in rationis obſequium, quàm qui vincit ad criminis patrocinium.

140. SI oculis humanis rerum dimetiaris euentus, hærebis; at ſi penitiùs intimiuſque diſpexeris, non dubitabis inoculatiſſima numinis prouidentia omnia diſponi, & pro ipſis, quibus accidunt, caſus acerbos eſſe. Adeſt Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 1. *Res Dei ratio: quia Deus omnium conditor, nihil non ratione prouidit, diſpoſuit, ordinauit, nihil non ratione tractari, intelligique voluit: igitur ignorantes quique Deum, rem quoque eius ignorent, neceſſe eſt: quia nullus omnino theſaurus extraneis patet.* Non patet multis diuinæ rationis, & prouidentiæ theſaurus, quia ſenſu ducuntur, & quidquid ad temporalem fouendam vitam pertinet, magnum arbitrantur, cùm præcipua ſit virtus, cæteriſque anteferenda, & ſalutis ac vitæ prætio comparanda: Non eſt Felix qui diu inerti otio vixit, qui variis delinimentis ſalutem & curauit & fouit, qui ſaginatus enituit, ſi vitiorum maculis ſorduit; ſed qui pro virtute ſtetit, & depugnans honeſtè corruit. Deliquerant Gabaëni fœdo ſcelere obcæcati, & vt abyſſus abyſſum inuocat, ad criminis tutelam in campum proceſſerunt armati: reliquæ tribus Deo auſpice æquitatis cauſam tuebantur, cúmque vtrinque bellum inardeſceret, iuſtitiæ propugnatores iacuerunt occiſi, & iniquitatis exercitus infelici triumpho reſplenduerunt coronati: *Egreſſi filii Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum*: hic obſtupeſces, hærebis admiratione correptus, & inopino caſu perculſus, rogabiſque cur æquitatis patroni à peſſimis, hominibus corruerint cæſi, & cur Gabaëni vicerint tanto crimine denigrati? O flecte, amabo te, oculos ad interna, ſcitoque pro virtute occumbere eſſe glorioſum, pro vitio vincere deteſtandum: ergo ipſa quam demirabaris, ſtrage remunerauit Deus rationis patronos, & ipſo triumpho caſtigauit aduerſarios, quandoquidem illi corruerunt vitæ, vixerunt gloriæ, & iſti aſſeruabantur voraci flammæ, & manſerunt ſolum caducæ, & infauſtè finiendæ vitæ. *Mirus euentus*, aiebat Caietanus, *Deo ſiquidem approbante; imò dante eis caput aggreſſi ſunt iuſtiſsimum bellum, & tamen bis cæſi ſunt, & tanta multitudo perempta cum turpi fuga.* Adnectit: *occulta ſunt nobis iudicia* Dei *quoad eorum rationes in ſpecie, in genere autem ſcimus quod iuſta ſunt.* Quod in genere Caietanus reliquit iuſtum, D. Ambroſius lib. de Noë & Arca cap. 10. clariùs enodauit, & pro diuina prouidentia reſpondit: *Nemo grauius moritur, quam qui peccato viuit.* Detriumphantium vita vera mors erat, quandoquidem viuebant vt pro delictis pugnarent: occumbentium mors erat glorioſa, quandoquidem vt virtutis agerent tutelam, amiſerunt honeſtè vitam. Virtutis fuit præmium honeſta clauſula vitam nobilitaſſe, & ad incolumitatem tranſiſſe, vt ſupplicium, & quidem duriſſimum criminis, vitiis viuere, & ignibus deuoueri: felicior fuit detriumphatus, quam victoria redimitus: quia triumphatores manſit ardentiſſima flamma, detriumphatos immarceſcibilis gloria: *Cunctas vrbes, & viculos Beniamin vorax flamma conſumpſit*: non effugerunt pœnam; ſed tantillum delati ſunt: venit ad eos ſua portio, & quidem infauſtiſſima: pro virtute pugnantes acris non adussit flamma, victores recepit gehenna.

Pœnit.

Caietan.

Ambroſ. Nemo grauiùs moritur, quàm qui peccato viuit.

141. In huius rei comprobationem veniunt duo illi fratres Cainus & Abelus. Abelus Deo placens eius oculos dignis ſacrificiis promeruit; offendit Cainus hoſtiis reprobis: *Reſpexit Dominus ad Abel, & ad munera eius; ad Cain vero, & ad munera illius non reſpexit.* Quid tunc? In campum fratrem ducit, & ab omnis doloſitatis ſuſpicione alienum occidit: *Cùm eſſent in agro, conſurrexit Cain aduerſus fratrem ſuum Abel, & interfecit eum.* Miraris: virtutis alumnus mortem oppetit, & virtutis aduerſarius occidit. Iam inquiramus, quis horum felicior, Cainus victor, qui vt ſerus mortem oppetat, ſigno exteriore munitur, aut Abelus immatura ad ſpeciem & violenta morte correptus. Pro Abelo ſtabit Tertullianus aduerſus Gnoſticos cap. 8. *A primordio iuſtitia vim patitur: ſtatim vt coli Deus cœpit, inuidiam religio ſortita eſt; qui Deo placuerat, occiditur, quidem à fratre, quò procliuius impietas alienum ſanguinem inſectaretur à ſuo auſpicata.* Qui Deo placuerat, occiditur, & occiditur, quia placuerat: infeliciter detriumphauit Cainus infamiæ & maledictioni tradendus? feliciter occubuit Abel Domini inquiſitione, & recordatione honorandus. Non ſunt humana ab externa ſpecie dimetienda; ſed à pretio taxanda: pretioſa eſt in conſpectu Domini mors ſanctorum eius. Ergo ſi Abelus mortē oppetens pluris, quàm viuens, à Domino habetur, feliciùs, quàm viueret, mori comprobatur. Vt èc contra ſi Cainus minoris habetur, dum infelici triumpho potitur, non erit vincere inuidendum ſed deteſtandum.

Geneſ. 4. v. 4.

Tertull.

142. Ammonitæ iniuriam intulerunt Dauidi, nuntios eius contemnentes, veſteſque decurtantes: Dauid ad iniuriæ vltionem cogit exercitum: Ioab Dauidis tuetur partes, Ammonita pro iniquitate præliatur, & tamen de Dei populo plures cadunt: *Egreſsi viri de ciuitate bellabant aduerſum Ioab, & ceciderunt de populo ſeruorum Dauid, & mortuus eſt etiam Vrias Hethæus.* Vrias ille ireuerentiam erga Arcam Domini conteſtatus, qui renuntiarat deliciis, qui humi iacuerat, occiditur, & Ammonita iniurius ac inſolens triumphis coronatur: & quidem apud prophanos, & ſolùm humanis oculis res dimetientes euentus hic diuinam prouidentiam videtur innubilare, quandoquidem iuſtitiæ partes ſecutus periit; aſt qui penitùs rem conſiderarit, agnoſcet præmium fuiſſe magnum Vriæ virtutis honeſtam clauſulam vitæ imponere, & æternis gaudiis dicari, vt graue etiam ſupplicium in hac rerum circumſtantia triumphare, cùm breuis triumphus

2. Reg. 11. v. 17.

Digitized by Google

triumphus æternam attulerit & ignominiam, & flammam: cõgregato namque Dauid populo Rabath intrat, regem ablato diademate exaugurat, populum ſerrat ferratis carpentis comminuens, ac tandem in laterum typum transferens. Quam infami morte Ammonites occubuit, & conculcandus ſemper ingemuit! Vrias tulit glorioſam mortem, Ammonites infamem. *Profectus eſt aduerſus Rabath, cúmque dimicaſſet, cepit eam, & tulit diadema regis eorum de capite eius pondo auri talentum, habens gemmas pretioſiſſimas, & impoſitum eſt*
2. Reg. 12. v. 29. *ſuper caput Dauid.* Adnectit: *Populum quoque eius adducens ſerrauit, & circumegit ſuper eos ferrata carpenta, diuiſitque cultris, & traduxit in typo laterum.* Compone modò Ammonitæ triumphum, & Vriæ caſum, videbiſque Vriã occubuiſſe poſteris venerandum; Ammonitem verò triumphaſſe pedibus ſemper ad inſtar lateris conterendum: ergo malo Vriæ plagam, quàm Ammonitæ victoriã: ille enim conſecrauit æternitati vitam; hic ſibi triumpho aſciuit æternam pœnam: *Transduxit*
Hugo. *cultros per eos* (inquit Hugo hîc) *modo quo transducuntur per lateres adhuc teneros, vt cõformentur.* Peſſimi Ammonitæ criminis ſoluerunt pœnas, & licèt ad horam potiti ſint lauto, duriſſimo aſſeruabantur ſupplicio: Vrias Deo dilecto deuotionis tulit præmium, honeſtam ſcilicet mortem, dum iuſtitiæ cauſam tuetur. Ammonita, vti ſcelerum plurium reus gauiſus eſt breui triumpho; ſed æterno diſcruciatus tormento. Certè has in re vel ſtoicus Dei prouidentiam tuetur: ipſum audi lib. de prouid. cap. 1. *Cùm videris bonos viros, acceptoſque diis laborare, ſudare, per arduum aſcendere; malos*
Seneca. *autem laſciuire, & voluptatibus fluere, cogita filiorum nos modeſtiâ delectari, vernaculorum licentiâ.* Filius ad virtutem excolitur, & ſeruus aliquando laſciuire permittitur: manet ſeruus vinculis ſemper obnoxius, filius hæreditate ditandus. Adnectit moraliſſimè cap. 3. *Difficillimum ex omnibus quæ propoſui videtur, quod primum dixi, pro ipſis eſſe, quibus eueniunt iſta, quæ horremus, ac tremimus.* Morte conſectantur iuſti, inſoleſcunt triumpho peruerſi ergo pro iuſtis eſt mors, quam horreſcimus, & contra ſceleſtos triumphus, quem ſitienter ambimus. Oculus noſter paſſionum tenebris impeditus non intuetur rerum finem; ſed fallentem ſpeciem: latet æterna vita ſub horrida iuſti morte, & ex ipſa iniqui iucundiori fortuna grauior eius naſcitur pœna. Felicior fuit Iſraëlita pro virtute decumbens prælio, quàm Beniaminita iniquo potitus triumpho: quia flamma vrſit triumphantem; gloria recepit cadentem.

---

§. XXXIV.

Eximia fortitudo non ſolùm pro virtute pugnat; ſed labores ob certamen etiam tolerat.

143. PArum eſt pro virtute agere, niſi didiceris mala pro certamine ſuſtinere: qui in arenam deſcendit, & competitore caruit, aſſecutus eſt præmiũ; non tamen fortitudinis eſt adeptus elogium: inuicti roboris laus de altercationibus venit; athletam ſtrenuè depugnantem viciſſe eſt ingens gloria, caruiſſe aduerſaria fortuna. Qui cum difficultatibus colluctatus non eſt, de ſe experientiam non dedit, de illo manet adhuc iudicium dubium. Mutius maiorem ſibi gloriam cõparauit, quam aggrediendo hoſtem, vincẽdo, quia aggreſſus ignem. Eleates ille Zeno hoc Philoſophiam præſtitiſſe edocuit, animum videlicet quodammodò impaſſibilitate donari, nec ob laborẽ cedere. Audi Tertullianum Tertull.
in Apolog. cap. 50. *Mutius dexteram ſuam libens in ara reliquit: O ſublimitas animi!* Addit poſt pauca: *Zeno Eleates conſultus à Dionyſio, quidnam Philoſophia præſtaret, cum reſpondiſſet contemptum mortis, impaſſibilis flagellis tyranni obiectus ſententiam ſuam ad mortem vſque ſignabat.* Mutius aggreſſus hoſtem falſus eſt: ergo cùm ob errorem inquirente igne coniuratos prodere rogaretur, maluit relinquere dexteram, quam proditione conſtantiã. Aduerſitate interrogatus conſtitit, nec adeo magnum fortitudinis aſſecutus eſſet elogium, ſi felici ictu proſtrauiſſet aduerſarium. Iſraëlitarum populus in ſcelus Gabaënorum armatur: exercitus manus conſerunt, & pro virtute depugnans pars iacuit detriumphata, non tamen cladibus mutata ſententia: *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Putares luctuosâ adeò ſtrage ab inceptis deſtituros; verùm iterum aciem dirigunt, & iterum cadunt: *Eruperunt filij Beniamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.* Satis videbatur virtutem colere, quin pro illa certamina infauſta ad ſpeciem reintegrarent, & tamen adhuc Iſraëlitæ conſiſtunt, & in campum prodeunt: & licèt atteritis hoſtibus reſplenduerit victoria, hoſte victore eximia enituit conſtantia: non minori laude digni fuerunt ſtragibus non deiecti, ac trophæis hoſtilibus coronati; non ſolùm virtuti inſeruierunt; ſed vt vindicarent, aduerſitates inuicto animo deuorarunt, vtque perfecta reſplenderent victoria, perſequi non deſtiterunt ob difficultates vitia, nec ceſſit aduerſitati conſtantia. Huc voco Gregorium lib. 5. moral. cap. 13. Gregor.
Fortitudo non niſi in aduerſitate oſtenditur: vnde & mox poſt fortitudinem patientia ſubrogatur: tanto enim quiſque ſe ad fortitudinem profeciſſe veriùs demonſtrat, quando aliena mala robuſtius tolerat. Dum Iſraëlitarum populus robuſtius illatam ſuſtinuit ſtragem, ſuam illuſtriùs commendauit fortitudinem.

Moyſes totam fortitudinis ſuæ pompam non explicuit, quando Ægyptium aggreſſus percuſſit: 144
Exod. 2. v. 12. *Percuſſum Ægyptium abſcondit ſabulo*; ſed cùm ab ipſis quibus benefecerat, impetitus; fugamque arripuiſſe coactus: iterum proſiluit in arenam: & cum Ægyptiis; imò & cum Hebræis proſecutus eſt pugnam: *Audiuit Pharao ſermonem hunc, & quærebat occidere Moyſem, qui fugiens de conſpectu eius moratus eſt in terra Madian.* Vtrumque iunxit, vt fortitudinis laudem conſummaret, pro virtute videlicet aduerſus violentos depugnare, & duros deſerti labores, quia pugnauerat, ſuſtinere: iterum rediit in Ægyptum: *Reuerſus eſt in Ægyptum portans virgam Dei in manu ſua.* Exod. 4 v. 20. Patientia laudabilem commendauit audaciam, audacia non ſic luceret, ni armaretur honeſtè pertinaci patientiâ; at dum Moyſes pro virtute pugnat, & quia pugnat, labores tolerat, fortis conſummatè apparet. *Sanctus Moyſes*, aiebat Ambroſius lib. 1. de Ambroſ.
offic. cap. 36. *hinc priùs orſus eſt tentamenta bellicæ virtutis: nam cum vidiſſet Hebræum ab Ægyptio iniuriam accipientem defendit.* Fortitudinis rudimenta poſuit in Hebræo defendendo; ad perfectionem tamen peruenit labores, quia virtutem defenderat, tolerando. Inuenias nonnullos, qui pro

virtutis

Digitized by Google

virtutis caſtris ſtant, dum nullum illis periculum; diſcedunt tamen terga indecorè vertentes, ſi aliquod ſuſpicentur incommodum. Hi profectò fortes dicendi non ſunt vtpote quod de ſtatione præſumpta deiecit calamitas, & fregit aduerſitas. Fortis perfectè non eſt, qui virtutem colit, ſi difficultate abactus non defendit. Labor eſt fortitudinis Lydius, nec debet fortis haberi, quem non conſtiterit aduerſariorum tolerantia approbari.

145. Iob plurimis virtutibus reſplendebat ornatus,
Iob 19. v. 18. equidem ipſe ait: *Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam.* Verùm eius fortitudinem non ſolum diabolus non eſt demiratus; ſed veluti imbecillum & faciliter proſternendum aggreſſus: ergo accepta à Domino facultate confuſis calamitatum vorticibus, frequentibus amicorum reprehenſionibus illum impetiuit, & eximiè diuexauit; Iob verò fortis in
Iob 1. v. 21. ſtatione conſiſtens aiebat: *Dominus dedit, Dominus abſtulit: ſicut Domino placuit, ita factum eſt: Sit nomen Domini benedictum.* Hic defecit diabolus, hîc Iobus vexillum extulit, hic eius fortitudo ipſa aduerſitate repercuſſa nitidiùs reſplen-
Tertull. duit. Expendebat. Tertullianus lib. de patient. cap. 14. *Neque à reſpectu Dei tot doloribus auocatus ille eſt; ſed conſtitit nobis in exemplum, & teſtimonium, tam ſpiritu, quàm carne, tam animo, quàm corpore.* Ecce fortitudinis teſtimonium, exemplumque aduerſitatum vorticibus non obrui, in ipſo calamitatum profundo pedem figere, nec animo cadere. Iobi fortitudo clarebat, dum virtutis patronus audaces iniquorum contriuit dentes; plus dum ſuſtinuit, quia contriuerat redundantium ſanie vlcerum dolores: difficilius eſt mala pro virtute ſuſtinere, quàm aliis inffligere. Ergo Iobus fortior, dum ſuſtinet, quàm cùm inimicum perſecutus defatigauit.

146. Apoſtolus ad Timotheum ſcribens hanc veram eſſe fortitudinis laudem edocuit: *Labora*
2. ad Timoth. 2. v. 3. *ſicut bonus miles Chriſti Ieſu.* Miles in acie non ſolùm aduerſarios impetit; ſed vulnera ab aduerſariis impreſſa vigore animi paruipendit: ſtat immotus aduerſus ipſam mortem; & impetentem calamitatem. Itaque militia eſt patiens audacia, & audax patientia: ergo hanc monuit Apoſtolus imitari Timotheum: nec enim ſatis eſſet mala ob virtutem ſuſtinere, ſi pro virtute detrectauerit propugnare: nec eſſet ſatis virtutem colere, ni diſceret hoſtem ſuſtinere. Ergo vt fortitudinem ſuam commendet, bellum iniquitati intulerit, blanditiis renuntiauerit, & doloribus non ceſſerit. Prodeſt datus ſuprà Ambroſius: *Illi mentem ita intendas tuam, vt quidquid acciderit, quæ frangi animi ſolent, aut patrimonij amiſſio, aut honoris imminutio, aut obtrectatio infidelium, quaſi ſuperior non ſentias. Deinde vt te ſalutis ipſius pericula pro iuſtitia ſuſcepta non moueant. Hæc vera fortitudo eſt, quam habet Chriſti athleta.* Chriſti athleta ſic in vitia depugnat, vt calamitate impetitus terga non vertat: omni imbonitate patienter lata prenſat arma contra aduerſarios, & honeſtè capite emit coronam, quia ſcit animum etiam coronari, & felicem eſſe iacturam, quæ immarceſcibilem affert victoriam. Certè ſi Iſraëlitæ animo cecidiſſent, nec victoriâ coronarentur, nec fortitudinis nobis reliquiſſent exemplum; aſt vbi ab incepto pro virtute bello nullis deſtiterunt aduerſis, ſemper florentibus coronati ſunt lauris.

David dæmonem cantu abegerat; verùm vt 137.
honeſtè, quas illi vires gratia infunderet, declarant, ſic ait: *Veniebat leo vel vrſus, & tollebat arietem de medio gregis, & perſequebar eos, &* 1 Reg. 17.
percutiebam, eruebamque de ore eorum. Adnectit, v. 9. 34.
quod ſumptuoſius fortitudinis elogium eſt: *Et illi conſurgebant aduerſum me, & apprehendebam mentum eorum, & ſuffocabam, interficiebamque eos.* Dum leo in certamen non inſurgebat, quæ ſui muneris erant, ſine periculo ac ſine difficultate peregit; aſt dum non ſolùm oues pauit; ſed vt munus abſoluerit, vitam glorioſo contemptu expoſuit, dum nec leoni terga vertit, quòd habere diuinum declarauit. Adeſt Auguſtinus apud Auguſtin.
gloſſam: *intellexit Saul cùm videret audentem puerum, aliquid in eo diuinitatis eſſe, nec illum tenera ætate ſine diuino inſtinctu talia poſſe præſumeret.* Sine diuino inſtinctu difficultates non vinceret; ſed quia parum eſt virtuti inſeruire, niſi deterrentibus difficultatibus conſtet non cedere. David gregem paſcit, & leonem vincit.

---

§. XXXV.

Bonarum mentium eſt à culpis prorſus abſtinere, & ſe ac ſi delinquant, punire.

PRofectò iuſtis aptari poteſt illud Pſalmiſtæ: 148.
Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor. De conſcientiæ puritate omnes ſibi timoris cauſas abſcindunt, & de humilitatis ingenio neſcio quas in ſe culpas deprehendunt, & timoris cauſas ad pœnitentiam ſibi confingunt: ſi quid culpæ ſpeciem habeat, vitant ſolicitè, & vitantes, ac ſi deliquerint, caſtigant vel criminis vmbram ſeuerè: ea puritate, & concinnitate morum refulgent, vt ab omni carnis contagio cenſueris. Omnimodè expunctos, rigidè adeò carnem duris pœnis affligunt, vt credideris multis ſordibus inquinatos: ſic inſiſtunt virtutibus, vt conſcientiæ facibus præluceant: ſic de ſe humiliter ſentiunt, vt omni muneri ſe ineptos credant: *Annus vniuerſus*, aiebat Caſſiodorus 7. var. 2. *& ad* Caſſiod.
declaranda conſcientia bona ſufficit, & faciliùs ſe ab errore cuſtodit. Sit in veſtro propoſito adminiſtrationem vnius anni ſuſcipe: noſtrum eſt merentibus tempus augere: quia non facilè remouere cupimus, quos iuſtos eſſe ſentimus. Ecce optimus Reipublicæ adminiſter muneris ſibi tempus taxabat, & cùm ab omni errore intactus micaret, culpis ſe maculari, nec muneri ſatisfacere præſumebat. Ergo princeps laudabilem deprædicat præſumptionem; ſed renuit remouere dignitatem: hic mos iuſtis ſolemnis eſt, ſe ab omni attaminatione illæſos ſeruare, & attaminatos ſe credere. Quod filiis Iſraël contigiſſe cognoſcitur: quam virtutis cauſam tuendam ſuſceperant non inconſulto oraculo; ſed eius obtemperantes præcepto omni ſedulitate tractarant, & tamen cum res pro votis non contigiſſet, culpam ſibi adſcribentes, ad lamenta & ieiunia confugerunt, & pœnitudine delere curarunt: *Omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque in die illo vſque ad veſperam:* Animos rigidis ieiuniis expiare, placare fuſis lacrymis numen adlaborant, & ſe vti culpis denigratos puniunt, cùm virtuti ſtudioſè inſeruiunt. Innuit Ioſephus 5.

§. XXXVI.

Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam?

152. CORrectionis ſermo prodit à lingua; ſed à corrigentis moribus verbis inditur efficacia. Frigeſcunt verba, ſi polluta proferantur per labia, nec ad corrigendum alienum reatum liberam ſortitur frontem, qui eiuſdem, vel maioris criminis ineſſe ſibi cognouit labem. Manus debilitatur, non tam ab ægritudine, quàm à prauitate, nec nouit alium corrigere, quem propriis conſtat reatibus detineri. Arbor florere non poteſt, nec grata viriditate oculos proleᴄtare, ſi exciſa conſtet radice. Humanus vultus à viſceribus trahit colorem, & verba à puritate pectoris grauitatem.
Caſſiod. *Nec datur*, aiebat Caſſiodorus 9. var. 2. *auſus menti malignæ*. Maligna mens propriis impedita obſtaculis laudabiliter non audet, quia in ſe ipſam proferre ſententiam videt: nec reus minus defenditur de corrigentis crimine, quàm carpatur de verborum acrore. In Gabaënos armantur Iſraëlitæ, vt admiſſant culpam ſupplicio correxerint, legique prouiderint; verùm ſemel & iterum affectu caruerunt arma: quia commiſſa manum eneruabant ſcelera. Cladibus edocti, fletu ac ieiunio culpas repurgarunt, & iam aliena ſcelera deleuerunt: *Omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt.* Conſultus Dominus reſpondit: *Cras tradam eos in manus veſtras.* Citò præualent in reos, dum reatibus repurgati, & veris fletibus mundi. Ita Gregorius Magnus
Gregor. lib. 14. moral. cap. 13. *Hinc eſt, quod cum tribu Benjamin in carnis ſcelere fuiſſet obruta, collectus omnis Iſraël vlciſci iniquitatem voluit; ſed tamen ſemel & iterum in belli certamine ipſe proſtratus eſt.* Adnectit. *Quid eſt, quòd in vltionem ſceleris inflammatur, & tamen prius ipſe proſternitur, niſi quod priùs ipſi purgandi ſunt, per quos aliorum culpæ feriuntur, vt ipſi iam mundi per vltionem veniant, qui aliorum vitia corrigere feſtinant.* Dum Iſraëlitæ culpis ſordidati alios feſtinant corrigere, coram corrigendis contigit cadere! quia vbi iudicem proprij criminis maculabat offenſa, correctioni aut nulla, aut exigua ineſſe poterat energia. Ergo de vitæ puritate, de concinnitate morum promanat correctionis vis, & tunc decenti libertate in reum ſuperior inuehitur, cùm nulla culpa prægrauari cognoſcitur.

153. Sponſus hanc proprietatem mirè expreſſit ſponſæ labia commendans: *Sicut vitta coccinea*
Cantic. 4. verſ. 3. *labia tua, & eloquium tuum dulce.* Non ſolùm ſicut vitta; ſed ſicut vitta coccinea; qui alios corrigit, eloquio dulci vti debet, & puriſſimæ ad inſtar vitæ vulnerata conſtringere, & diſſoluta ligare; vbi charitas corde inardeſcens ipſis rutilarit in labiis, iam labia ad peccatorem ligandum erunt pro vittis. Non corrigit; ſed exaſperat acris obiurgatio, & ſermo inciuilis: vt eloquium funiculi ad inſtar liget, dulcedine debet blandiri, & carpendo honeſtè adulari: tunc namque quia correctio agnoſcitur de charitate venire, neſcit illam argutus repellere; at ſi exiſtimet de impuro pectore promanare, aut de indignationis officina prodire, iam in nouam proſilire ſolet culpam, & ipſius corrigentis carpere audaciam: *Sicut vitta coccinea labia tua*, inquit Gillibertus ſerm. 24. Gillibert.
ea enim labia ligant & rutilant, quæ de tali ventris fructu loquuntur: concepta in corde charitas quaſi ignis flammigerans coccineo colore labia inficit, per quæ erumpit. Ecce quæ labia ligent dulciter, ſcilicet admonentia, & charitate flagrantia. O quàm non ligarent audientem, ſi ſordeſcerent crimine! O quàm amitterent ligandi efficaciam, ſi inurbanis aduerſus corrigendum verbis eius inflammauerint iram! Noſter Delrius in littera huius capitis exiſtimat hîc alludi ad funiculum illum Rahabæ, quo à cæterorum ſtrage libera, & in Dei populum cooptata. Profectò Rahab domus ſtetit, cùm cæteras oppreſſit ruina, & euertit funditus culpa. Ergo labia à communi miſeria libera, & charitate flammantia peccatorem ligabunt, vt culpam agnoſcat, nec iterum ruat.

Moyſes, etſi manus lepra fuerit infecta, 154.
comprehenſâ virgâ latum Iſraëlitarum gregem paſcebat, elementiſque imperabat: marinos vortices diuiſit, Pharaonem demerſit, populum eduxit: hic idem ad aquas contradictionis reatum admiſit: *Cum eleuaſſet Moy-* Numer. 20.
ſes manum percutiens virgâ bis ſilicem, egreſſæ v. 11.
ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet, & iumenta. Culpa perpetrata ad regem Edom mittit nuntios tranſitum humiliter deprecatus: *Ecce in vrbe Cades, quæ eſt in extremis tuis finibus, poſiti obſecramus, vt nobis tranſire liceat per terram tuam.* Rex Edom non acquieuit deprecantibus, & Moyſes non ſine graui labore aliam inire viam compulſus eſt: *Nec voluit acquieſcere deprecanti, vt concederet tranſitum per fines ſuos: quamobrem diuertit ab eo Iſraël.* Inquiramus, ſi placet, cur Moyſes virgâ vſus non fuerit, vt audaciam frænauerit, populoque viam aperiri per terram fecerit, cùm per marinos aperuerit vortices, & demerſerit perſequentes? ſi habens virgam Dei in manu ſua ſubſidio fuit Ioſuë contra Amalecitas pugnanti, cur modò ad virgam non recurrat, vt puniuerit audaciam, & abegerit reſiſtentiam? Quia iam Moyſes ad aquas contradictionis deliquerat virgâ contra præceptum abuſus: ergo iam videtur eâ efficaciâ priuatus: *In hac manſione*, inquit Iſidorus in Numer. cap. 33. Iſidor.
propter aquas contradictionis offendit Deum, & prohibetur tranſire Iordanem. Iam virgæ Iordanis non cedet, & ſi ceſſerit mare: iam rex Edom procedet obuius, etſi Pharao terga verterit timidus: iam manus ad correctionẽ, punitionemve efficaciſſima, dum ad aquas contradictionis peccato polluitur, quodammodò euigoratur: nec enim valet in denegantis tranſitum audaciam, dum admiſiſſe conſtat offenſam. Et quidem hæc omnia illis in figura contingebant, vt in eorum factis diſceremus, quàm eneruetur correctio, vbi qui reum carpit verbis, defendit factis.

Vir Dei à Deo delegatus impium regem 155.
grauiſſimis

grauiſſimis minis percelluit, eaque eius verbi vis fuit, vt altare corruerit ſciſſum, & quidquid in ara fuerit diſperſum: *Altare ſciſ-* 3. Reg. 13. v. 5.
ſum eſt, & effuſus eſt cinis de altari. Hic à phanatico, ſacrificuloque deluſus cùm Dei tranſgreſſus fuiſſet mandatum, dum ad menſam ſolaretur famem, ſententiæ audiuit rigorem: *Cùmſederent ad menſam, factus eſt ſermo Domini ad Prophetam, qui reduxerat eum, & exclamauit ad virum Dei, qui venerat de Iuda, dicens: Hæc dicit Dominus: Quia non obediens fuiſti ori Domini, & non cuſtodiſti mandatum, quod præcepit tibi Dominus Deus tuus, & reuerſus es, & comediſti panem, & bibiſti aquam in loco, in quo præcepit tibi, ne comederes panem, neque biberes aquam, non inferetur cadauer tuum in ſepulchrum patrum tuorum.* Hîc videas Dei virum obmuteſcere, nec illuſorem reprehendiſſe de fallacia, & in ſe commiſſa culpa. Et cur Dei vir, qui regem non extimuit, qui altare verborum efficacia ſubuertit, ſubdolum non carpat, & fallentem reprehendat? Ea mihi ſe ratio offert, videlicet anteà omni prorſus culpâ caruiſſe; modò verò à diuinis præceptis exorbitaſſe: ergo obmutuit ad ſubdolam carpendam fallaciam, cùm cœleſtem tranſgreſſus eſt obedientiam: forſitan cùm è corde digna reprehenſio prodiret, vox faucibus hæſit, & labia proprius reatus ne reprehenderet fallentem, ligauit: propria namque culpa ſermonem ſubtrahit, & quodammodo vires ad reprehendendum præcidit: *ſuos actus nullus damnat in altero*, aiebat Caſſiodorus 6. var. 21. *Quia natura eſt humani animi, vt nitatur potiùs vindicare, quod ſe cognouerit admiſiſſe. O quale eſt liberum tribunalibus inſidere, non eſſe obnoxium reo ſuo, ne incipiat potior fieri.* Non fuit vir Dei liber reo; imò reo potior effectus eſt, & licèt antea valido ſermone lapideum altare fregerit, iam reus obmutuit. Ergo dum culpis Iſraëlitæ probantur obnoxij, nullam in delinquentes habuerunt efficaciam armati. Caſſiod.

156. Deliquerat apud Sinæum populus fuſilem vitulum in Deum inaugurando, & deteſtandis ſolemnitatibus colendo, & Moyſes pio zelo inardeſcens Leuitas iubet in vltionem criminis obarmari: *Si quis eſt Domini,* Exod. 32. v. 26.
iungatur mihi. Et cur ſolùm illos vltores delegerit, qui Domini fuerunt? Nonne ad reos trucidandos aptus erit carnifex ferro obarmatus, etſi Domini non ſit? Ergo non ſolùm qui Domini fuerint, eligantur; ſed plures alij obarmentur. O Moyſis ſapientiam! Nouerat eodem pollutum crimine in reum non audere: ergo vt citò exerceretur vindicta, eos delegit, quos non maculaſſet adorationis offenſa: aliter namque ipſa conſcientia reprimeret manum, hebetaretque ferrum: *Ex* Lyra.
hoc dicit Rabbi Salomon, inquit Lyra, *quod nullus de filijs Leui erat culpabilis in fabricatione vituli.* Rationabili Rabbinus ducitur coniectura, quandoquidem ſi Leuitæ fordeſcerent fabricationis, aut cultus offenſâ, non valerent decenti punire idololâtras audaciâ.

§. XXXVII.

Humilitas, & ieiunij auſteritas, dum medentur culpis; ſæpè de hoſtibus reportauere victorias?

Hvmilitas, ſi ieiunium, lamentumque ſecum aſſumat, vel de ipſo Deo triumphum reportat: hæc vis Deo grata eſt, gratas eius aures ſemper inuenit humilitas, ſi pro peccatore legationem obeat lachrymis ſtipata, & ieiuniorum auſteritatibus culta. *Ieiunium*, inquit Chryſoſtomus homil. 3. ad popul. *commilitat cum hac pulchra legatione.* Felici adeò legatione vtitur humilitas, vt à Deo ſuppetias obtineat, quibus hoſtem ſpiritualem referiat, & humanum non ſemel vincat. Lachrymoſa ieiunia validiſſima ſunt arma. Deuicti Iſraëlitæ à Benjaminitis ſemel & iterum adhuc certamen inſtaurant, & cùm anteà ab inimicis longè inferioribus fuerint fugati & attriti, iam etſi grandi militum numero clade geminâ deſiderato, triumphis reſplendent ornati, & victoriæ gloriâ potiti. Quod ſi inquiras, cur anteà non obtinuerint victoriam, cùm plures eſſent numero, & alacri decertauerint animo, & modò hoſtes attriuerint, cùm iam numerus contractior, & animus infortuniis timidior: reſpondebit textus ad lamentum humile recurriſſe: *Omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt.* Quid tunc? *Quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Caïetanus ieiunio humilitatique reportatam modò adſcribit victoriam, etſi anteà ſemel & iterum iniuerint fugam: humilitatis, ieiuniorum, ac lamentorum ait armis pugnaſſe, eiſque inimicos deuiciſſe: quaſi humilitati ac ieiunio in aduerſarios pugnanti pro ſtipendio debeatur victoria, & celebris reportatis triumphis fama. Audi Caïetanum ad hunc locum: *In littera nulla innuitur ratio, niſi quod tertia duntaxat vice fit mentio maioris humilitatis, ac deuotionis in Deum Iſraëlitarum narrando, quod tunc non aliqui, ſed omnes filij Iſraël venerunt ad domum Dei, & quod non ſolum fleuerunt vt ſecunda vice; ſed etiam quod ieiunauerunt.* Vbi pro illis erat humilitas, lamentum, ieiunium, hoſtes nequiuerunt ſtare; ſed coacti ſunt virtutibus cedere: de hoſtibus triumpharunt humilitatis armis, lamentorum ſuppetilis, ieiuniorum validis aduerſus hoſtes ſpiculis. 157. Chryſoſt. Caietan.

Hinc diſces cur Dominus populi Dux ad gomor menſuram manna colligi taxarique iuſſerit: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* Cum manna in modum pluuiæ deſcenderit, & quod neceſſitati non ſeruiebat, quodque reſiduũ euaneſceret, quærunt Patres, cur colligẽti non licuerit explere? reſpódentque oportuiſſe 158. Exod. 16. v. 16.

Digitized by Google

oportuiſſe Iſraëlitas, vt qui feroces hoſtes ſuſtinerent, ieiunio obarmari, & humilitate muniri: inclinati colligunt, ieiuni vincunt. Cum omnia in figura illis contigerint, & ipſæ actiones materiales inſeruierint ad delineandas virtutes, iuſſit Deus manna colligi, & taxa conſtringi, quò nos doceat quantum ad ſubigendos inuiſibiles, & viſibiles hoſtes valeat ieiunium: man taxa circumſcriptum diſtribuit, & gomor menſuram dedit, vt & triumphis coronaret: facile erat nubi inſidenti Domino exundanti ciborum copia ſuos alere, facile etiam hoſtes proſternere; voluit tamen, vt ad colligendum man inclinarentur humiles, & circumſcripto victu redderentur fortunatiores: nam dum Baſil. rationabilis abſtinentia Deo placet, inimicum euertit. Innuit Baſilius Seleucienſis orat. 33. *Eſcam librans cælum Iudæis demittebat, & tempus donum vincebat, ac intra modum gratia cohibebatur.* Manna intra modum cohibebatur, non de auaritiæ ſordido ſtudio; ſed de arcano myſterio, quandoquidem expediebat cum hoſte congreſſuris muniri ieiunio, quo dum numinis promerentur gratiam, facilius adipiſcantur victoriam. Armati incedebant non minus cibi temperantiâ, quàm armorum copia: tantum valet ad ædificandas vires honorabilis abſtinentia, tantum iuuat eius meritum, vt de hoſtibus reportetur citò victoria; dum cœleſtis dux annonam militibus taxat, vires contra aduerſarios miniſtrat, & humilitatis ac ieiuniorum efficaciam nobis commendat. Hinc elucet quàm fuerit opportunum præceptum illud Saulis ad ſpeciem minùs aptum.

159. Ionathas intrepido animo & iuuenili ardore aduerſariorum ingreſſus caſtra ſic ea conturbauit, vt iam inordinati fugam arriperent, & innumeros contra ſe irruere hoſtes arbitrati timerent, tunc Saul ieiunium indixit, quo feliciter victoriam abſolueret: 1.Reg.14. v.24. *Maledictus vir, qui comederit panem vſque ad veſperam, donec vlciſcar de inimicis meis.* In vltionis iuſtæ complementum aduocat ieiunium, quia nouerat ingluuie mentem hebetari, vires reſolui, & facile inimicis immodicè pranſos cedere: non ſolum indixit ieiunium ad redimendum contra fugientes inimicos tempus, ſed etiam ad virtutem incrementandam, & victoriam promerendam. Huc voco quod Chryſologus ſerm. 2. aliorſum aiebat: *Si tantum præſtitit vel inuita fames, probate quid voluntarium poſſit conferre ieiunium. Oneratus venter ad vitia cor deponit, premit mentem, ne ſupernam valeat ſentire pietatem: Corpus, inquit, quod corrumpitur, aggrauat animam.* Abſtinentes triumphum de hoſtibus reportarunt, & quidem plenior illis affulſiſſet victoria, ni populus & Ionathas violaſſent ieiunia. Iam quantum conducat humilitas ad hoſtes euincendos expende.

160. Mittebatur Moyſes pro extrahendo populo, & durè plectendo Ægyptio: ille humilitate iuſſionem nitebatur extrahere: Exod.3. v.11. *Quis ſum ego vt vadam ad Pharaonem, & educam filios Iſraël de Ægypto?* Ante humilitatis ſuffragium mittebatur Pharaonis aduerſarius; ſed iam humilitate inauguratur in Deum: *Ecce conſtitui te Deum Pharaonis.* Exod.7. v.1. Homo quantumuis ſtrenuus, ab aduerſariis poteſt deuinci, & hoſtibus terga vertere; at Deus ſua ſe potentiâ tuetur, nec poteſt vinci, cùm illi facillimum ſit hoſtes proſternere, & triumphis nobiliſſimis coronari. Ergo qui ante humilitatis profeſſionem, & ſi viribus validus, caſibus ad ſpeciem mittebatur ſubiectus, iam de humilitate eas ſibi vires adauxit, vt Deus quodammodo de triumphis nequeat dubitare, quandoquidem hoſtes non poterunt eius humilitati reſiſtere: *Glorioſa virtutum regina humilitas*, inquit Rupertus Rupertus. apud gloſſam, *quæ in cœlum volare conſueuit, locuta eſt in Moyſe... idcirco dignum ac pro ſua reuerentia magnificum accepit reſponſum, vt audiret homo priuatus regnantis hominis ſe eſſe Deum.* Humilitate cataphractus Dei adinſtar nequibat vinci, cum poſſet hoſtes euertere: ergo prudenter Iſraëlitæ, dum acciſas ſibi vires agnoſcunt, eas redintegrare ieiuniis & humilitate contendunt.

Gedeon in Ducem electus ſe ipſum ſic 161.
deiecit, vt infimum fateri non recuſarit: *Obſecro, mi Domine, in quo liberabo Iſraël?* Iudic. 6. v.15. *Ecce familia mea infima eſt in Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei.* Humilitatis confeſſionem futuræ facillimè victoriæ ſubſecuta promiſſo eſt: *Dixit ei Dominus: Ego ero tecum, & percuties Madian quaſi vnum virum.* Humilis diuinum ſibi conſortium aſciuit, & diuino armatus auxilio innumeros hoſtes quaſi virum vnum ſubegit, proſtrauit, deuicit: prævalidis humilitatis telis inuiſibiles hoſtes feriebantur, & dum inuiſibiles coguntur cedere, viſibiles etiam meritorum armis fugam compelluntur arripere. Innuit Theodoretus q. 12. in Iudices: *Non diffidens de Deo dixit: Familia mea humillima* Theodoret. *eſt in tribu Manaſſe, & ego minimus in domo patris mei; ſed de ſe modeſtè ſentiens. Quapropter Angelus gratam habens hanc reſponſionem ait: Dominus tecum erit, & interficies Madian ſicut virum vnum.* Fortis anteà laudabatur; at dum humilitate de ſe vanè non præſumpſit, facillimè triumphum de aduerſariis reportandum audiuit, modeſtia namque & humilitas vires non hebetant, manus non laſſant; ſed tumorem mentis nubilum, prudentiæ obſtaculum depellentes diuinum ſibi promerentur auxilium, quo veluti inexpugnabili propugnaculo muniti, & telo contra aduerſarios præpilato obarmati aſſequuntur humiles quod videbatur vires humanas excedere, & temerariis auſibus propinquare.

E contrario arrogans inſolentia, edacitas 162.
nimia non ſolùm infauſtè ſibi ominantur, quia corporis eneruant vires, & terris obſcurant caliginibus mentes; ſed præcipuè quia diuinam in ſe iram concitantes & exacuentes cœleſti manu oppugnantur, oppugnatique proſternuntur. Fallar, ni Sacer textus hanc veritatem non expreſſerit, dum ſuperbos edaceſque facilè deuictos, & inermi detriumphatos manu retulerit. Balthaſar ſuperbia inflatus aduerſus vniuerſorum Dominum intumuit teſte Daniel.5. Propheta: *aduerſus dominatorem cæli eleuatus* v.23. es

Digitized by Google

es : nec ſolùm inſaniuit ſuperbiæ exoculatæ arrogantia ; ſed opipara etiam menſa , lautitiis vacabat, cùm non hominis manus ; ſed digiti quaſi manus hominis in edacem ac ſuperbientem armantur , etiam compages, ac viſcera diſſoluuntur : *Miſſus eſt articulus manus.* Vnicus articulus ſatis erat ad ſuperbiam euertendam , helluationemque caſtigandam : *Eadem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus.* Non refertur occiſor : quia licèt ad Gigantem proſternendum opus fuerit Dauidis valentia , & ad Philiſthinum conterendum Samſonis audacia ; ad deterendum tumidum , & ciborum nimietate impeditum ſatis erat quæuis dextera , imò articulus non manus , ſed quaſi manus : Gloſſa. *Ex hoc patet* , inquit Gloſſa moralis , *quid ebrietas , & comeſſatio inducunt ad maiora mala.* Lyra. Conſonat Lyra : *Eadem hora dicitur, vt oſtendatur manifeſtè propter quid erat Dei vindicta.* Non egebant hoſtes plurimis armis ad aduerſarium conterendum cœleſti indignatione oppugnatum , & ſcelerum adſultibus impetitum.

---

§. XXXVIII.

Si Maria Sacratiſſima adſit præſentia iam hominis temperatur calamitas ; imò & arridet felicitas.

163. Maria ſanctiſſima gratiarum pelagus , miſericordiæ theſaurus ſe noſtris debitricem neceſſitatibus conſtituit , ac vbi lynceis ſuæ perſpicaciæ oculis noſtram intuetur ærumnam , profundere ſatagit auxiliatricem miſericordiam : vbi aliqualis Mariæ reſplendet vmbra , ſine calcari aduentat cœleſtis gratia : quia per Mariam & gratia hominibus expromptior , & miſericordia eſt impenſa celerior. Dum Chriſtus Dominus ſatis efficacem , qua impetrare poſſent , orationem diſcipulos edoceret , ſic aiebat Matthæi 6. Matth. 6. v.9. *Sic ergo vos orabitis : Pater noſter , qui es in cœlis , ſanctificetur nomen tuum.* Dum cœleſtem Patrem inuocant , ſe Chriſti fratres , ac Matre Virgine nobilitatos declarant : oportebat namque Matris aliquomodo meminiſſe, quo deprecatio aſcenderit faciliùs, & quod ambiebat , impetrauerit efficaciùs. Tertull. Notauit Tertullianus lib. de orat. cap. 2. *Felices, qui Patrem agnoſcunt , hoc eſt , quod Iſraeli exprobratur , quod cœlum ac terram ſpiritus conteſtatur : filios , dicens , genui , & illi me non agnouerunt : dicendo autem Patrem , Deum quoque cognominamus : appellatio iſta & pietatis , & poteſtatis eſt : item in Patre Filius inuocatur : Ego enim , inquit , & Pater vnum ſumus : nec mater quidem præteritur , ſiquidem in Filio & Patre mater cognoſcitur , de qua conſtat & Patris , & Filij nomen.* De Maria conſtat & Patris , & Filij nomen : vnde cùm homo filius refertur , incarnatio declaratur , & licèt ſubobſcurè , mentio matris fit, quò citiùs depellatur calamitas , & arrideat felicitas. Cùm in Gabaënos ingentis piaculi reos populus in campum procedere ſtatuiſſet , de Duce prius Deum conſulit , & Iudam accipit : *Surgentes venerunt in domum Dei , hoc eſt , in Silo , conſuluerúntque Deum , atque dixerunt : Quis erit in exercitu noſtro Princeps certaminis contra filios Benjamin ? Quibus reſpondit Dominus : Iudas ſit Dux veſter.* Conſtituto iam duce manus conſerunt , & à Gabaënis fugantur : *Egreſſi filij Beniamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſrael die illo viginti duo millia virorum.* Accepta clade cùm ſcirent varios eſſe euentus belli , animos non deſponderunt ; ſed ſe iterum ad certamina comparatunt ; ita tamen , vt priùs aſcenderent , & flerent coram Domino , cúmque conſulerent : *Debeo vltra procedere ad dimicandum contra filios Benjamin fratres meos , an non ? Quibus ille reſpondit : Aſcendite ad eos , & inite certamen.* Accepto oraculo manus iterum conſerunt , & iterum ruunt. Tertiò ad Deum etiam inuolant , & ſacrificiis ritè peractis cum hoſtibus congrediuntur , & iam non ſolum vincunt ; ſed prorſus atterunt. *Ieiunauerunt die illo vſque ad veſperam , & obtulerunt ei holocauſta , atque pacificas victimas , & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt : eo tempore ibi erat Arca fœderis Dei , & Phinees filius Eleazari filij Aaron præpoſitus domus.* Inquires cum ſolum tertia hac vice addiderit textus : *Eo tempore ibi erat Arca fœderis* , ſi ad eamdem ac modò Dei domum confugerunt , nec de Arca mentio , quid ibi eſſe referatur modò Arca ? Quia anteà Dominus piaculis Iſraëlitarum offenſus ſumere decreuit vindictam ; modo verò exercere miſericordiam : *Aſcendite : cras enim tradam eos in manus veſtras.* Hugo. Ergo vbi mulcta infligitur , arcanè Arcæ præſentia tacetur , & vbi conferendum beneficium , exprimitur : *Ibi erat Arca* : quaſi Virginis vmbræ tribuendum ſit beneficium , & neceſſarium fuerit ad ſumendas pœnas ſilentium. Hugo Cardinalis priùs Dominum refert iratum , placatum modò : *Aſcendite. Hoc dixit placatus , quod prius dixerat iratus.* Iam ſi quæras cur prius Arcæ mentio facta non fuerit , modóque adeſſe referatur : reſpondeo Arcam Mariæ vmbram geſſiſſe , vt placet Ambroſio ſerm. 25. *Arcam quid niſi ſanctam Mariam dixerimus ?* Nequis audiat præſente Maria ſupplicium illatum , aut abſente beneficium impertitum , vbi infligenda fuit mulcta , Arcæ non ſine myſterio præſentia tacetur , & vbi exercenda miſericordia ibi adeſſe ad noſtram eruditionem exprimitur : nec enim vbi Mariæ vmbra, potuit calamitas premere , vt etiam vbi nulla eius mentio , felicitas valuit conſtare.

Cùm viator in graſſatorum manus incidiſſet , deſpoliatus , plagiſque oppletus 164. vltimos agebat ſpiritus , cùm Samaritanus illac iter faciens miſericordiâ motus non ſine vini morſu vulnera medicatus eſt : Lucæ 10. v.33. *Samaritanus quidam iter faciens venit ſecus eum , & videns eum miſericordiâ motus eſt , & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum.* Salus reddita eſt ægro , non tamen ſtatim

Digitized by Google

ſtatim; ſed poſtquam in ſtabulum ductus, & ſalubribus vinculis illigatus. Tranſi modò ad Actor. 3. vbi cùm claudus ex vtero matris ſuæ eleemoſynam precaretur, à Petro pedes accepit, & quos nequibat natura, greſſus reformauit miſericordia: (Act. 3. v. 2.) *Quidam vir, qui erat claudus ex vtero matris ſuæ, baiulabatur, quem ponebant quotidie ad portam templi, quæ dicitur ſpecioſa.* Ad portam ſpecioſam adeò celeriter impetrauit beneficium, vt antequam cogitatione præſumeret, non ſolùm inſuetam viam menſus fuerit firmis greſſibus; ſed & expeditis ſaltibus: *Apprehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius & plantæ, & exiliens ſtetit, & ambulabat.* Iam ſeſe difficultas offert: ſi Samaritanus ille, vt placet D. Thomæ in catena, Chriſtum referebat: (Auguſt.) ait enim: *Samaritanus Chriſtus eſt.* Si miſericordia refertur motus, cur ſalutem nec ſtatim reſtituit, nec ſine vini auſteritate donauit: & cur Petrus inſperatam claudo ſalutem refuderit, preceſque anteuerterit? Quia ſpecioſa illa porta, inquit Richardus de S. Laurentio lib. 10. de laudib. Mariæ titulo *In hoc templo*, Beatiſſimam Virginem præſignabat: ergo vbi Virginis præceſſit imago, miſericordia celerior, & ſalus facilior; at vbi Virginis nulla præceſſerat vmbra, ſalus aliquantulum tardior, vt medela etiam auſterior. Vt hinc noſcamus quàm citò ad Deiparæ præſentiam noſtra calamitas depellatur, & quam abſque doloris cenſu ſalus reparetur. (Richard.) Richardum audi: *Ipſa deſignatur per portam templi, quæ dicebatur ſpecioſa Actorum 3. ad quam debemus ſedere & mendicare exemplo illius claudi, quem ſanauit ibi Petrus dicens ei: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula.* Quàm citò ſurrexit Virginis vmbræ vicinus, quàm medicaminis ignorauit rigorem proximus! vbi namque Mariæ recordatio, ibi miſericordia & profuſior & celerior.

165. Cum Iacobo vir validis viribus colluctatur: (Geneſ. 32. v. 24.) *Ecce vir luctabatur cum eo vſque mane.* Non vltra mane proceſſit lucta; ſed vſque mane inualuerat controuerſia: inter luctandum accepit vulnus, & femoris obſtupuit contractus neruus: *Tetigit neruum femoris eius, & ſtatim emarcuit.* Iam blanda auroræ lux tenebras effugabat, cùm athleta à certamine abſtinet, & à Iacobo rogatur largam benedictionem impendit: *Dimitte me: iam enim aſcendit aurora: & benedixit ei in eodem loco.* Omnia myſteriis ſcatent: quid impedit aurora aſcendat ad proſecutionem luctæ: & cur roſcidam non expectauit cœleſtis luctator, vt neruum tangeret, eius lucem? Cur anteà benedictionem non dedit; ſed auroræ ſplendorem candidum expectauit? Benedicat & feriat, quandoquidem apud ſæculum qui benedicti, non ſemel ingemiſcunt dolore oppleti. S. Iacobi inducias non poſtulat luctamine, & vulnere fatigatus, quid poſtulet cœleſtis athleta luctamine non defeſſus? Vt oſtendat, reſpondebit Petrus (Damian.) Damianus, quàm Virginis vel vmbra hominibus auxilietur, quàmque cœleſtis rigor eius præſentia impediatur. Ni ante Auroræ præſentiam inflexiſſet vultus, poſteà eius aſpectu quodammodò impeditus inferre nequiret plagam; &, ſi impertitus fuiſſet benedictionem, iam quid gratiæ acciperent homines, quod per Mariæ manus non tranſiret. Ergo expectauit, vt gratiam conferret, anteuertit, vt vulnus infligeret. Audi Damianum ſerm. 41. qui eſt de Aſſump. beatæ Virginis: *Hæc eſt Aurora, quam ſequitur; imò de qua naſcitur ſol iuſtitiæ, ſolius ſolis claritati ſuccumbens.* Aurora Mariam referens benedictionem accelerat, & felicitatem hominis præmaturat; &, ſi infligenda eſt plaga, eſt anteuertenda Aurora; illa namque præſente ſopitur numinis ira, &, copioſior benedictionis funditur gratia: ergo Mariam Sanctiſſimam inuoca, ſi citò vis à laboribus expediri, & felicitatibus cumulari: Maria namque eſt veluti Dei ad miſericordiam fomes, dura dœmonum perniciesi, felix hominibus aſtrum, fortunatum auſpicium, ſalutis myrothecium, calamitatis exilium, vitæque ditiſſimum promptuarium.

§. XXXIX.

Magna felicitas ſortiri Sacerdotem virtutibus exornatum: in calamitate namque eſt ſolatium, & in labore remedium?

Sacerdos eſt diuinæ miſericordiæ illex, dum preces fundit, dum ieiunia exercet, 166.
dum vigiliis obnoctans mugit, & diuinam ſopire indignationem contendit: vnde nil aliud ſtudioſius olim curabant, qui peccatorum tabe infecti, aut aliqua calamitate proſtrati, ac ad Presbyterum ſe conferre, vti ad cœleſte profugium, & contra procelloſos aduerſitatum fluctus ſecurum portum. Vnde Tertullianus de Pœnitentia cap. 9. monebat, (Tertull.) *Presbyteris aduolui, & charis Dei adgeniculari.* Ad Sacerdotum veſtigia inuolabant, vt inde traherent dolori leuamentum, & calamitati ſubſidium. Et quidem qui Sacerdotali, vt fas eſt, dignitate reſplendet, & munus implet Deo charus in calamitate ardentem eius auertit iram, & impetrare ſolet medelam. Graui ſtrage perculſi Iſraëlitæ ſe conferunt ad Phineës Eleazari filium, quo interprete Deum interrogant, & per cuius meritum citò gratum ſibi reſponſum auſcultant: *Eo tempore ibi erat Arca fœderis Dei, & Phineës filius Eleazari filij Aaron prepoſitus domus. Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Per Phineës Iſraëlitæ & in calamitate ſolatium, & contra calamitatem fuerunt ſortiti remedium: *Poſtridie*, inquit Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. (Ioſephus.) *ieiunio peracto ſupplicauerunt Deo per Phineëſem Pontificem, vt ab ira deſiſteret, & contentus duabus cladibus victoriam & robur contra hoſtem concederet; Deus verò precibus eorum annuit, & per eundem vatem fauorem eſt pollicitus.* Non ſolùm oraculi interpres expromptum promiſit auxilium; ſed virtute reſplendens fuſis precibus Phineës impetrauit etiam trophæum. Itaque licèt geminâ clade fracti, animos

Digitized by Google

animos non deſponderunt, quia de Sacerdotis Deo chari precibus ſperabant leuandam ſore miſeriam, & reportandam de hoſte victoriam: nec eos ſua fefellit opinio, quandoquidem Sanctiſſimus vates numinis iram emolliuit, & calamitatem depulit.

167. Paulus ad Hebræos ſcribens Chriſtianorum felicitatem exaggerat, vt qui Chriſtum Dominum ſortiti ſint Sacerdotem: *Hic eò quòd maneat in æternum, ſempiternum habet Sacerdotium, vnde & ſaluare in perpetuum poteſt accedentes per ſemetipſum ad Deum, ſemper viuens*
Ad Hebr. 9. v. 24. *ad interpellandum pro nobis.* Cùm non ſolùm Sacerdotali; ſed regali etiam dignitati fulſerit; & eadem crux, quæ Sacerdotem oſtendit, regem etiam deprædicatit; cur Paulus Sacerdotis ad felicitatem commendandam meminit: *ſemper*, inquit, *viuens ad interpellandum pro nobis.* Ac ſi dicat Apoſtolus: non minus quàm Sacerdoti, regali Chriſtus Dominus dignitate reſpondet; verùm cùm regia dignitas non minus ſuadeat ſceleſtos punire ac dignos remunerare, & Sacerdotalis ad fundendas ſolum preces, & placandum diuinam indignationem ordinetur, maius peccatori ſolatium eſt, talem ſortiri Sacerdotem, quàm regem: nam regem timet vti ſceleris vindicem, & accurrit vti ad veniæ ſolicitatorem ad Sacerdotem: ergo talem ſortiti Sacerdotem ſine dubio felices: per eius namque merita numen placabitur, & calamitas pelletur. Neſciò quid in Sacerdotio relucet peccatori, ſi fas eſt dicere, commodius, & ſuauius; ad Chriſtum vti omnium Dominum Regemque accedere trepidabit, non tamen ipſum detractabit adire ſupplicitet vti Sacerdotem: quia ſcit Sacerdotis munus eſſe peccatoribus ſolicitare ſemper miſericordiam; Regis verò munus infligere delinquẽtibus pœnam. *Licèt ſit ita potens*, inquit D. Thomas
D.Thom. lect. 4. *ita altus, tamen cum hoc eſt pius, quia interpellat pro nobis* 1. *Cor.* 2. *Aduocatum habemus apud Patrem Ieſum Chriſtum.* Itaque Sacerdos eſt pro hominibus aduocatus, qui ſolicitat ſemper hoſtia plurima miſericordiam, cùm Rex non ſemel effundat iram.

168. Lucas, vt Dei erga ſuos paternam commendaterit curam, & ſolicitam oſtenderit prouidentiam in diebus Herodis Zachariam Sacer-
Lucæ 1. v. 5. dotio functum deſcribit: *Fuit in diebus Herodis regis Iudaæ Sacerdos quidam nomine Zacharias de vice Abia.* Herodes religionis peſtis, iuſtitiæ tabes ex aliena gente veniens inuaſerat regnum, confuderat mores, ſenectutem depretiarat, corruperat iuuentutem: ergò ne quis putaret ſuos numini curæ non eſſe, & omnia humana cæcis caſibus gubernari, adfuiſſe teſtatur Lucas Zachariam, cuius exemplo & hortatu diſciplina refloruit, & cuius precibus cœleſtis ira deferbuit. Qui variis calamitatum fluctibus agebantur, ad Zachariam recurrebant vti ad ſecurum portum; ibi æger reperiebat medicamentum, ibi pauper
Chryſol. ſubſidium, & afflictus ibi ſolatium. Quod mirè expendebat Chryſologus ſerm. 86. *Dum dicitur ſub quo rege, quis Sacerdos ſit, temperantur mala: adeſt ſemper in mærore ſolatium: nec conſolator deeſt, cui imminet perſecutor.* Herodes perſecutor truculentiſſimus imminebat; non tamen deerat pientiſſimus conſolator, nempe Zacharias, qui diuinam indignationem oblatis hoſtiis poſſet reſtringere, & afflictos verbis | humanitate diffluentibus conſolari; adeò eximium Dei beneficium eſt Sacerdos ſanctitate excultus, & optimis moribus informatus, vt Zacharias diuinæ prouidentiæ ſit teſtimonium, vel cum Herodianæ ſæuitiæ omnes diuexabat ambitioſum, & truculentum ingenium. Profectò in Sacerdote, Deique religioſo miniſtro neceſſitati inuenitur ſubſidium, & contra calamitatem armamentarium.

David immaniſſimo odio à Saule quæſitus 169.
inuenit in Ionatha vero amico non ſolum vtile conſilium; ſed opportunum ſolatium; non tamen Saul ſibi adeò contrariam doluit Ionathæ amicitiam, ac Achimelech erga Dauidem beneuolentiam, quandoquidem Sacerdotem tulit de medio, & minis deterruit filium. Inuenerat Dauid ad Achimelechum ſe conferens ſolandæ fami alimentum, & ad inſtam defenſionem ſubſidium: *Venit Dauit in Nobe ad Achimelech Sacerdotem.* Quid tunc? *Dedit ergo ei Sacerdos ſanctificatum panem.* Famelico præ- 1. Reg. 21. v. 21.
buit ſubſidium, inermi gladium: *Ecce hic gladius Goliath Philiſthæi, quem percuſſiſti in valle Therebinti, eſt inuolutus pallio poſt ephod: ſi iſtum vis tollere, tolle.* O quanta accepit à Sacerdote! Gladium, quo hoſtiles frænaret adſultus, panem, quo famis ſopiret morſus: quidquid opus erat, reperit in Sacerdote: quia dignus Dei miniſter, Sacerdoſque eſt innocentiæ propugnaculum, calamitatis exilium, & indigentiæ remedium. Ergo Saul ſibi perſuaſit ſuas in Dauidem artes nullatenus proceſſuras, dum pro illo eſſet Sacerdos concinnis moribus excultus, & ſanctitate exornatus: *Per iſtum Achimelech*, inquit gloſſa moralis, *benè* Gloſſa.
ſignificatur Ieſus Chriſtus. Vt Deus eſt omnium ſalus, & calamitatis remedium, ita Sacerdos Chriſtum moribus referens omnibus probatur ſubſidium, & ſalutis promptuarium, periret fortè fame Dauid, ni ad Sacerdotem confugeret, inermis ſubiaceret ſtragi, ni ſanctum Sacerdotem fuiſſet nactus, qui afflicto ſolatium, inermi gladium, & famelico præſtitit alimentum. Ergo Saul odio in Dauidem furens Sacerdote priuare ſatagit: quia non ignorat Sacerdotem Dei amicum hominibus eſſe contra aduerſitates pro clypeo; imò & pro muro.

Forraſſis vt eximia numinis in populum Iſ- 170.
raëlitarum beneficia referret Pſalmiſta, aiebat:
Moyſes & Aaron in Sacerdotibus eius. In vno Pſal. 98. v. 6.
Moyſe Sacerdote Domini ferè innumera accepit populus beneficia: dura innocuos premebat tyrannis, innocentes iugulabat ſæuitia, & recens natorum fluuius carnifex erat; at Moyſes comprehenſa paſtorali virga lupinam rabiem cohibuit, & populum ferè exanimem ad capiendum iter erexit: diuiſit rapidos amnis torrentes, alimentum attulit, ſerpentem fœcundam ſalutis venam conſtruxit, è ſilice elicuit vndas, oratione indignationis cœleſtis ardentes repreſſit flammas, ac denique in vno Sacerdote obtinuit populus copioſam beneficiorum ſcaturiginem, & perennem miſericordiarum cœleſtium fontem. O quantis abſente Moyſe miſeriis afflictus eſt! inſipienter idolum conſtruxit, diuinam indignationem meruit, ferro trucidatus iacuit.

Huc

Cellenſ. Huc voco, quod aiebat Abbas Cellenſis lib. 3. Epiſt. 1. *Vbi tam ſedulus exhortator, tam feruidus redargutor, tam cautus prouiſor, tam beneuolus perſuaſor, tam contra rabiem luporum potens, tam contra morbos ſapiens.* Itaque quod de ſuo Traiano Plinius, potiori iure Sacerdotibus adaptatur, nullum ſcilicet maius Reipublicæ donum, quàm Sacerdos purus ac ſanctus, & ſuo muneri intentus. Ecce à Moyſe Pharaonis truculentia premitur, venenatis morſibus pereuntibus ſalus refunditur, ardentiſſimâ ſiti æſtuantibus limpidus latex exhibetur. Ergo populi magna felicitas fuit Phineës Sacerdotem ſortiri, per quem & diuina indignatio eſt ſopita & clades triumphis nobilibus compenſata.

---

§. XL.

Deo prorſus parere vera eſt libertas; imò & inconcuſſa felicitas.

171. VEtus & vtile prouerbium fuit: *Deum ſequere.* Sequendus eſt, quocunque duxerit cupienti omnem proculcaſſe fortunam, & aduerſam viciſſe ſortem. Qui ſe diuino nutui prorſus tradidit feliciter ſe poſſedit, nullus ſui tantum eſt, quàm qui diuinæ voluntati ſubjectus, & decretis cœleſtibus ſemper addictus. Occurrent forte, qui exagitent, dolores; timores, qui ſolicitent; ſpes, quæ ſuſpenſum diuexent animum; verùm qui ſua ſe feliciter voluntate denudauit, vt diuinis obſequeretur decretis, ipſa conformitate; quidquid euenerit, non ſolùm fortiter; ſed alacriter feret; imò & vincet. Dementia eſt vitare non poſſe infortunium, & amittere ſolum meritum. Non trahamur inuiti; ſed adulemur Deo ad obſequium expromptі, quandoquidem ſic parere virtutem adauget, & calamitatem depellit. Quàm Chriſtiano ſtylo dignam hanc nobis veritatem edocuit Seneca de vita Beata cap. 15. *Quæ dementia eſt potiùs trahi, quàm ſequi? Iam me hercule, quàm ſtultitia, & ignorantia conditionis ſuæ dolere quòd aliquid tibi incidit duriùs, aut mirari, aut indignè ferre ea, quæ tam bonis accidunt, quàm malis.* Subjicit: *Ad hoc Sacramentum adacti ſumus, ferre mortalia, nec perturbari his, quæ vitare noſtræ poteſtatis non eſt. In regno nati ſumus, Deo parere libertas eſt. Ergo in virtute poſita eſt vera felicitas.* Virtute difficultas frangenda eſt, quidem ſi virtus, & conformitas deſit, anxia diſtorquent, ſuſpicioſa vrunt, trepida diuexant: mihi crede, quiſquis ſe totum virtuti non tradidit, ſe non poſſedit. Deliquerant Gabaëni graui piaculo ſe obſtringentes: res ad populi tribunos delata eos in criminis vltionem armauit: qui iam in prælium parati, & proprio arbitrio Gabaa euertere decernentes de duce oraculum conſuluerunt: *Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis contra filios Beniamin?* Non conſulunt de expeditione; ſed de Duce: ergo manus cum hoſte conſerentes cladem acceperunt, & accepta iam alius eſt conſulendi modus: *Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt; Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere?* Hîc iam oraculum promittit in diem ſequentem victoriam: *Quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Vtrobique idem conſulitur oraculum; non tamen vtrobique idem reſponſum. Quod ſi inquiras, cur hîc felicitas iam arriſerit, & calamitas ibi torſerit, reſpondebit textus, hîc cœleſti decreto ſe prorſus ſubieciſſe, ibi de Duce tantummodò interrogaſſe: *Exire vltrà debemus ad pugnam, an quieſcere?* rogant hîc; ibi verò decreto iam à ſe ipſis certamine de eligendo ſciſcitati ſunt duce: *Quis erit in exercitu noſtro princeps certaminis?* Cùm certamen ſtatuunt, & de principe ſolùm quærunt, cùm ſe totos diuinæ voluntati non ſubdunt, pereunt; at cùm nihil propria ſententia amplectuntur; ſed placitum diuinum expectant, Abulenſ. iam donantur triumpho, & diteſcunt inimicorum trophæo: *Volebant*, inquit Abulenſis quæſt. 8. *omnes iſti congregati pugnare contra Gabaa.* Antequam conſulerent, ſe ad pugnam parauerant: ergo ceciderunt tunc; modò in neutram partem propendentes, diuino prorſus ſe ſubdiderunt arbitrio, & reſplenduerunt triumpho de hoſtibus reportato.

Quàm aliter contingat hominibus, dum ſequuntur numen, aut dum numen illis parere cupiunt, mirè expreſſit Sacer textus. Candida nubis columna, fulgentiſſima lucis rota 172. eos ducebat, & ad eius nutum Iſraëlitæ mouebantur: ergò licèt Pharaonico exercitu Exod. 13. videreutur impetiti, & marinis vorticibus v. 21. retardati celebrem de hoſtibus triumphum reportarunt. *Dominus præcedebat eos ad oſtendendam viam per diem in columna nubis, & per noctem in columna ignis, vt dux eſſet itineris vtroque tempore.* Poſt tot mira conſpecta, poſt accepta tot beneficia Deum excogitarunt, Exod. 32. v. 4. quem ad nutum ipſi mouerent, non cuius placito ſe ſubijcerent. Vitulus fuſilis conſtructus eſt: *Fecit ex eis vitulum conflatilem.* Hîc pereunt quamplurimi, & qui olim inter hoſtes nudi eximiâ reſplenduerant victoriâ, armati inueniuntur iam nudi: *Inter hoſtes nudum conſtituerat*: ingemiſcentibus grauiſſimâ plagâ adhuc grauis minitabatur ruina, vt geminatis anxietatibus, dolore videlicet & timore obturbarentur, diſcruciarenturque *Ceciderunt in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Duplicem populi erratum calamitatem inuexit: rem procreabilem in Deum augurati ſunt, & quem Deum proclamabant, fuſilem ſibi conformare volebant: fuſilis Deus formæ ab ipſis exaratæ conformabatur, quin vel tantillum excederet lineam: portatilem ſiſtebant, mouebantque, prout illis placitum. Ergo interierunt, dum ſibi parentem Deum excogitarunt: quid enim ſtultius, quàm inclamare Deum, nec ſequi velle; ſed ducere. Certè à columna ducente contra hoſtes actio emanabat ſenſibilis, & pro ſequela obſequentes coronabat victoria: *Non ſolùm* inquit Lyra, *oſtendebat viam; ſed & iam protegebat.* Qui viam oſtendebat, protexit; quem ferre deſiderabant deſtruxit. Et expende ob id forſitan vitulum in Deum conſecraſſe, vt videlicet dum faſtigium occupat ineptior, illis obediat conformior.

173. Vaccæ cœleſti iugo ceruicem ſubdentes, ab

Digitized by Google

ab Arca deſignatam viam ingrediebantur, ducebant; ſed portabant, cumque neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram declinaſſent, feliciter terminum lucis attigerunt: *Ibant autem in directum vaccæ per viam, quæ ducit Bethſames, & itinere vno gradiebantur pergentes & mugientes.* Addit textus: *Et non declinabant neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram.* Eam vaccæ viam ingreſſæ ſunt, quam Arca decreuit: humeris Sacrum portabant onus; ſed illas onus dirigebat, & earum greſſum taxabat: ergo dum cœleſti nutu mouentur ſupra omnem fortunam cœlo in holocauſtum dicantur: *Non declinabant neque ad dexteram, neque ad ſiniſtram*, inquit, Hugo, *id eſt, non extollebantur proſperis, nec frangebatur aduerſis.* Nunquam tam ſui iuris fuerunt vaccæ, ac cùm numini colla ſubdiderunt, quandoquidem à nulla parte diſtractæ; ſed fixis greſſibus incedentes ad ſolis domum feliciter peruenerunt, & holocauſtum gratum Domino ad cœlum vſque volarunt. Profectò ſi ſibi greſſus taxarent, ſi in alteram inclinare partem vellent, ſecurum non perueniſſent ad terminum; ſed in via experirentur aduerſum caſum.

Reg. 6. v. 12. — Hugo.

174. Lucifer, dum exambiuit thronum, & ſibi ſtatuit volatum, caſum experitur miſerrimum: *Quomodò cecidiſti de cælo Lucifer, qui manè oriebaris? Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam.* Cherub cecidit, ſterit Seraphim: *Seraphim ſtabant*, inquit Iſaias, *ſuper illud.* Et quare ſtat Seraphinus contra aduerſitatem immotus, & Cherub ruit miſerabili clade proſtratus? Quia Seraphinus paratus refertur ad volandum, & obediendum, quin ſibi præfixerit terminum, aut fixerit locum: *Duabus volabant.* Quo volant? Quò Dei voluntas iuſſerit, quo numen præceperit: ergo ſubjectio omnimoda attulit ſtabilitatem: *Seraphim ſtabant*; at dum Lucifer proprio corde, arbitrio proprio ſibi præfigit, ac decernit modum, & terminum, non valuit ſubſiſtere; ſed miſerè ſolùm cadere. Si in corde ſuo viam ſibi non deſignaſſet; ſed ſe Dei voluntati prorſus ſubdidiſſet, vitaſſet ruinam, & conſequeretur gloriam: & dum parere renuit, amittit gloriam, & experitur ruinam. Adeſt Lyra: *volabant ad deſignandum, quòd Angeli ſemper ſunt parati ad diuina aſcendere, & ad inferiora deſcendere ſecundum Domini voluntatem: ideò volatus in medio loco diſponitur, quaſi ad vtramque paratus.* Dum Seraphim extentis alis affectat promptitudinem, nec ſibi decernit volatus terminum, & ignorat etiam caſum; at Lucifer, dum in corde ſuo in cœlum diſponit aſcendere miſerè inuentus eſt ruere: nec enim vlla poteſt ſiui ſtabilitate, qui ſe Deo penitus non commiſerit & eius voluntati paruerit.

Iſai. 14 v. 12. — Iſai 6. v. 2. — Lyra.

§. XLI.

Inferiores Præfecti nequibunt quæ ſunt ſui muneris, adimplere, ni auxilium excellentiores adlaborarint præſtare.

Qvi regiminis munus ſubit, per difficiles vias incedit: opus eſt attendere, ne ſubitò impingat: dextrum latus Scylla, læuum obſidet implacata Charybdis, & ni prudentiæ gubernaculo dexterè aurigarit actiones, quam plurimas ſubibit, & implexas difficultates. 175.
Si puniatur culpa, inardeſcunt ſæpè immaniſſima contra vindicem odia: ſi non puniatur, deſidem condemnat ignauia; vnde in Scyllam incidit, cupiens vitare Charybdin: & quidem tunc præcipuè hæ difficultates præpediunt, ſi iudex à ſuperiore præſule non defendatur, nec auxilium ad munus exercendum præſtetur: tunc namque deſtitutus timet, & ne contingat potentem offendere, quodammodo graues cogitur exceſſus diſſimulare. Querebatur quidam Præfectus, de publica diſciplina odia ſibi conciliaſſe priuata; verùm Theodahadus auxilio affuit, & teſtatum voluit incurſurum Principis iram, qui Præfecto inferret offenſam: *Diu & variâ perſecutione iactatus ad pietatis noſtræ remedia haud irritè conuolaſti*, inquit apud Caſſiodorum 3. var. 17. *aſſerens eminentiſſimam præfecturam tibimet eſſe terrori, ne priuata in te odia ſatiarentur per publicam diſciplinam. Sed nos, qui donatas dignitates iuſtitia parere cupimus, non dolori, contra illicitas præſumptiones noſtra te tuitione vallamus.* Superioris tuitione vallatus iniquos poterat perſequi, aliter ſtudium cogeretur mutare: nam ſi princeps faueret procacibus, à ſuperiore deſertus, & ab improbis odio habitus nequiret, quæ ſui erant muneris, adimplere: quia timeret corrigendos, aut eorum tutelares exaſperare. Gabaënos ob perpetratum ſcelus decernunt populi Præfecti dignâ animaduerſione punire; ſed cum nunquam deſit ſceleratis patronus, Beniaminitarum principes Gabaënos defendunt; bellum vtrinque committitur; verùm dum Præfectus eis opem non tulit Deus, qui temporalis tunc Regis munus eo in populo gerebat, nequiuerunt corripuiſſe vindictâ, quia impediebantur potentiâ. Semel, & iterum tentant æquitati ſatisfacere; ſed ſemel etiam & iterum compelluntur à vindicta abſtinere: quia Beniamin vti potens, quod nequibat iure, tutus eſt poteſtate; at vbi Princeps opportunam opem tulit, mulctatur procaciâ, & dignis ſuppliciis punitur culpa: *Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Beniamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus. Aſcendit: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Iam Præfecti Principis auxilio vallati reſumunt animos, & perſequuntur iniquos. *Iſtud non dicitur*, ſcribit Abulenſis quæſt. 22. *niſi quando Deus agit aliquid ſpeciale adiuuando aliquem de pugnantibus.* Vbi iuuamen ſuum Princeps promiſit, inferiores Præfecti iniquis intulerũt mulctma,

Caſſiod. — Abulenſ.

ctam,& vindicauere iuſtitiam. Certè apud ſæculum aliquando contigit inferiorem Præfectum ſuperioris auxilio deſtitui, & à potentibus, ne crimen puniuerit, retardarit; quo fit, vt deficiant vires ad puniendum culpam, & multa culpa nutriat inſolentiam, & temeritatis audaciam. Si inferior iudex ſuperioris auctoritate non circumuallatur,& à potentibus impetatur, irremediabili perſecutione conſtringitur, & à iuſta muneris executione prorſus auertitur. Ergo quo hanc veritatem textus oſtendat, refert æquitatis vindices, dum à ſuperiore non adiuti, culpam nequiuiſſe corrigere, nec ſceleſtos caſtigare. Profectò Deus, licèt temporalis Principis munus etiam tunc geſſerit, opem iuſtiſſimè denegauit, quandoquidem oportebat ſcelera inſurgentium contra Gabaënos hac deſtitutione punire, & corrigentium priùs culpas digna animaduerſione delere. Verùm dum iuſta cauſa ſuperioris auxilio inferior Præfectus deſtitutus refertur,quàm ſit ad corrigendos delinquentium exceſſus neceſſarium hoc iuuamen indicatur.

176. Laborabat egregiè Angelus Danielis precibus excitatus, vt quæ ſui erant muneris, adimpleret, & Hebræos è duris catenarum tractibus ereptos, libertate donaret: *Exaudita ſunt verba tua, & ego veni propter ſermones tuos*; verùm vt nunquam virtuti deſunt obſtacula, vt nunquam rectè ſe gerenti deficiunt impedimenta, aduerſarius obſtitit, & Angelus, quæ ſui erant muneris impediuit; *Princeps autem regni Perſarum reſtitit mihi viginti, & vno diebus.* Perſarum Princeps pro iniquitate ſtetit, & miſerorum libertati totis viribus obuiauit: non erat facile Angelo oppoſita tollere impedimenta, & Danielis implere vota. Quid tunc? Michaël Angelorum princeps euolat, vt inferiorem adiuuerit, & iam Perſarum Princeps cedit, & fugit: *Ecce Michaël vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remanſi iuxta regem Perſarum.* Reſiſtentem Angelo fuiſſe dæmonem tradit Lyra. Itaque iniquus impediebat Angelicum; verùm vbi Michaël inferiori ſuppetias tulit, dæmon vaferrimus ſerpens ſpiras contraxit; imiſque delituit: *Dicunt aliqui quòd iſte princeps Perſarum fuit Angelus malus, qui filios Iſraël incitabat ad remanendum in Babylone ex carnalitate quadam rationibus prædictis: & ideò dicitur hîc quod reſtitit viginti vno diebus orationi Danielis, qui orabat pro reditu populi in Ieruſalem, & per conſequens reſtitit Angelo bono, qui præſentabat orationem Danielis coram Deo.* Bonus Dei miniſter in ſe tenebrarum principis concitauit odium, & ad laudabilem muneris adimpletionem patiebatur impedimentum, dum pro ſe ſuperiorem principem non haberet; aſt vbi auctoritate ſuffultus, vbi auxilio circumuallatus, munus impleuit, & impedimentum deuicit. Hiſtoriæ penicillo expreſſit textus quod contingere ſolet Reipublicæ: inferior Præfectus, ſi quæ ſui muneris ſunt, ritè obeat, ſæpè Magnates exaſperat, & in ſe illorum odia ardentiſſima exuſcitat. Quod ſi tunc pro Magnatibus ſuperior Præfectus ſteterit, inferior deſtituto, auxilio timet, & , vt eludat imminentem ſibi procellam, æquitatis deſerit cauſam. Contrà: ſi ſuperior, vt ſeruetur æquitas, à Præfecto inferiori ſteterit tunc nec Hercules contra duos: quo fit, vt nec audeant Magnates impedire iuſtitiam, nec errones exercere inſolentiam.

Daniel. 10. v.12.

Lyra.

177. Ceila à Philiſthæis obſidebatur, cumque dura obſidione premeretur, Dauid affuit Deo parens, & afflictis rebus opportunè ſubueniens: *ſurge & vade in Ceilam: ergo enim Philiſthæos in manu tua.* Expromptam obedientiam celebris ſecuta eſt victoria: *Abijt ergo Dauid, & viri eius in Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos, & abegit iumenta eorum, & percuſſit eos plaga magna, & ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ.* Salute iam obtentâ nonnulli Ceilitæ aut ambitione inflammati, aut ſumma ingratitudine obſcuri de Dauide Sauli tradendo cogitabant: *Aſcenderunt autem Ziphæi ad Saulem in Gabaa dicentes: Nonne ecce Dauid latitat apud nos in locis tutiſſimis ſyluæ in colle Hachila, quæ eſt ad dexteram deſerti?* In colle habitans, eminentioremque locum ſortitus paſſus eſt aliquorum inuidiam, qui vt Saulis ſibi conciliarent gratiam, Reipublicæ inferebant iniuriam: Dauid namque, qui Ceilitis erat pro muro, auxilio deſtitutos relinquit, & hoſtibus expugnandi ciuitatem occaſionem ſatis opportunam præbet. Ergo iam Reipublicæ hoſtes non abiget, ab ipſis Ceilitis retardatus, & à ſuperiore anxiis conatibus ad ſupplicium requiſitus. Adeſt Rabbanus adud gloſſam: *Viri Ceilæ ingrati beneficiis Dauid, quos de manibus Philiſthinorum liberauit, Iudæorum infidelitatem ſignificant, & inconſtantiam qui Redemptori ſuo ingrati apud ſæculi poteſtates inſidiantur.* Inſidias patitur in mandatis à Deo habita perficiens, & munus ſibi iniunctum abſoluens: verùm parum noceret à Ceilitis retardari, ſi ab illis ſuperiorem ſtare,non vidiſſet; verùm dum Saul inuidis ambitioſiſque fauet, Dauid & timet & cauſam quam ſuſceperat, non ſine Dei placito deſerit.

1.Reg.23. v.4.

Rabban.

178. Satis non eſt, vt Præfectus munus ſuum peruertat, Magnatum inuidiam ſuſtinere, dum non præſumat ſuperiorem criminantibus auxiliari; at ſi ex vna parte ſuperioris timetur ingratia, & ex aliâ potentium premit inuidia, munus iam non ſolùm non adimpletur; ſed clariſſimè adulteratur. Chriſtus Dominus ab æmulis, quos miris virtutibus ſibi comparauerat, Pilato traditur: ille, & ſi Magnatum inſtantiis vrgeretur,à morte decernenda abſtinuit: *Accipite eum vos, & crucifigite: ego enim non inuenio in eo cauſam.* Pro munere ſtabat contra Magnates, potenteſque: illi, ni Chriſtum crucifigat, fore teſtantur Cæſari ingratum, nec Cæſarem ſine merito ſupplicio relicturum: *Exinde quærebat Pilatus dimittere eum. Iudæi autem clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris: omnis enim, qui ſe regem facit, contradicit Cæſari.* Quid tunc? Iam timore obturbatur, & pro tribunali ſedens iniquam profert ſententiam, & euertere non timet iuſtitiam: *Pilatus autem, cùm audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali.* Si certò ſciret Cæſarem iniquis cauillationibus contra munus ritè gerentem non ſufflammandum, pro veritate ſtetiſſet, & munus incorruptè gereret, at vbi

Ioan. 19. v.6.

ſuſpicatus

ſuſpicatus eſt ſuperiorem in ſe indignandum, & gratiam Magnatibus præſtiturum, maluit munus corrumpere, quam detrimentum ſubire. Opportunè Auguſtinus in catena: *Pilatus eorum legem non timuit, vt occideret? ſed magis Filium Dei timuit, ne occideret; nunc verò non ſic potuit contemnere Cæſarem auctorem poteſtatis ſuæ, quemadmodum legem gentis alienæ: vnde ſubditur. Pilatus autem, cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali.* ſatis fuit, vt munus peruerteret, vereri, ne Cæſar inuidentibus faueret, & in rectè munus gerentem iram conciperet. Quod ſi vel ſuſpicio munus ritè exequi impedit, quomodo putas exercebit munus, qui experitur ſuperiorem ſibi aduerſari aut muneribus corruptum, aut ambitione obcœcatum. Profectò inferior iudex mauult aliquando potentium criminationes vitare, & ſuperioris gratiam non amittere, quàm iuſtitiæ, aut legi parere. Pilatus innocentiam damnauit, dum timuit Cæſarem pro calumniantibus fore; ſeque non ſolùm Magnatum promendum odio, ſed ſuperioris etiam duriſſimo ſupercilio. August.

§. XLII.

Bonus Prælatus proprium contemnit detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum.

179. IVdex Prælatuſque periculoſam nauigationem ingreditur; ſi cœlum attenderit, & iuſtitiæ gubernaculo nauim regiminis aurigarit, veritas odium pariet: æquitas armat aduerſarios, & conciliat ſibi inimicos. Scylla & Charybdis iter hoc impediunt, & dum alter ſcopulus euaditur, in alterum inciditur: vbi ſuperioris culpas adlaborat amputare, & delinquentium audaciam poteſtatis armis cohibere, occurrunt illi monſtra, & deterrent Hippocentauri. Diſcutiendus eſt metus peſſimus conſiliarius, qui ſibi imprudenter cauet, æquitati non diligenter ſtudet non tenetur iudex grauiſſimo incommodo malitiam perſequi, præcipuè ſi eius fuerint eludendi conatus, & nullus ſequendus fructus; at vt iniquum eſt à recta æquitatis via exorbitare ſtudio acquirendæ gratiæ, ita iniquum eſt deflectere exaſperandæ maleuolentiæ timore: ergo non ignorabit iudex ſuperiorve odia in ſe priuata exuſcitanda, ſi ſeruetur publica diſciplina; verùm ſi iuſto legis zelo inardeſcat, & vlteriorem dignitatis gradum non exambiat, aliquale deuorabit detrimentum, quo effloreat ius inuiolatum. Inuigilarat miniſter æquitatis ſtudioſus, priuatis odiis vexabatur impetitus: ergo ad Principem cõuolauit, à quo vt fas erat, quieuit defenſus, & recreatus. Ita Caſſiodorus 3. var. 27. *Ad pietatis noſtræ remedia haud irritè conuolaſti aſſerens eminentiſſimam præfecturam tibimet eſſe terrori, ne priuata in te odia ſatiarentur per publicam diſciplinam.* Publica diſciplina, morum deprauatorum correctio non ſolùm Præfectis ſuſcitat odia; ſed afferre ſolitar detrimenta: quæ ſi magnanimus non contempſerit, dolebit æquitas, & in dies creſcet iniquitas. In Gabaënos, quippe Caſſiod.

deliquerant, armantur populi principes: opus fuit in campum proſilire, manuſque conſerere; & quidem dum cauſam tuentur æquitatis, inſenſiſſimos ſibi hoſtes exuſcitant, aduerſarioſque creant: ergo inito prælio non modicum detrimentum paſſus eſt populus. *Egreſſi filij Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſrael die illo viginti duo millia virorum.* Graue adeò detrimentum experti non deſtiterunt ab iniquitatis impugnatione: iterum prælium committitur, & accepta iterum clade Iſraëliticus populus effugatur. *Cùm filij Iſraël altera die contra filios Benjamin ad prælium proceſſiſſent, eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tanta in illo cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.* Quid tunc? Ad principem conuolarunt, vt quid faciendum, ediſcerent: Deus, qui temporalis etiam Regis munus gerebat, iniquitatem iubet perſequi; ope tamen promiſſa, & manu auxiliari extenta? *Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres noſtros, an quieſcere; quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Hîc expreſſum putat Abulenſis q. 26. optimi regiminis modum, quandoquidem Proceres, Iudiceſque populi nec proprio detrimento à perſecutione iniquitatis deſtiterũt, nec princeps retraxit auxilium; ſed iniquitatem perſequentibus adfuit, triumphúmque conceſſit: Non tenebantur bellum proſequi tanto diſpendio; religioſus tamen zelus ſuaſit detrimenta contemnere, delicta punire. Audi Abulenſem: *ſi dubium eſt, an poſſit aliquis prævalere contra eum, quem punire vult, & eſt quaſi æqualiter dubium, ſatis videtur quod debeat aggredi ad puniendum: quia zelus iuſtitiæ faciet eum triumphare: nec obſtat, quod ſe exponit quis iſto modo periculo: nam tenetur aliquis ſe exponere periculo propter Deum.* Se expoſuerunt periculo Iudices, Tribunique propter Deum, & ob id affuit, & victoriam reportare fecit, dum iniquorum odia inferiores Præfecto Iudiceſque diuexant, opus eſt principem ſuppetias ferre, & auxiliis regalibus communire.

Chriſtus Dominus ob eximiam doctrinam, veritatemque lapidibus impetitur, & in terga prouidè verteret, mortem incurreret: 180.
Tulerunt ergo lapides, vt iacerent in eum, Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo. Ioan. 8. v. 59.
Templum egreſſus in cœcum incidit. Cœci ſanitas magnas excitauit Chriſto Domino lites, mordaces æmuli famam abrodebant, & exertè violatorem ſabbathi publicabant: Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: *Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbathum non cuſtodit.* Alij miraculo obſtupefacti exertè ſanctum non aſſerebant; ſed dubitatione ſuſpenſi rogabant: *Quomodò poteſt homo peccator hæc ſigna facere?* O expende, amabo te, quàm ſe aliter gerant, qui exæſtuant odio, & qui inſtruuntur miraculo: hi dubitatione manent ſuſpenſi, illi exertis vocibus famam innubilant factum criminati: non inuenit defenſores miraculum; hoſtes in campum produxit odium. Si inquiras, cur Dominus has ſibi controuerſias excitarit, cùm potuerit à cœci ſanitate abſtinere, reſpondebit ipſe lucis ſe offi-
cium

Digitized by Google

cium gerere, & cœcitatem debere expungere: *Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.* Officium cogebat ad depellendam cœcitatem: depulſa cœcitas ardentiſſimam ſuſflammabat æmulationem. Quid ergo Dominus? Contempſit detrimentum, compleuit officium, edocens prælatos, ſuperioreſquè cœcitatem perſequi, lucem refundere, & ſi priuata ſibi ſuſcitauerint odia, & aliqua ſubierint detrimenta. Qui lux eſt, tenetur illuminare: ergo aut ab officio abſtinendum, aut parum de detrimento curandum. Audi à Beda apud D. Thomam: Beda. *lucis opera ſunt infirma ſaluare, debilia roborare, homines illuminare.* Si hominem illuminat, æmulationem ſuſtinebit, ſi vitet æmulationem, non abiget cœcitatem: ergo maluit muneri ſatisfacere, quàm æmulationem effugere: vt contemnas eius exemplo edoctus mordaces linguas, & cœcitatis depellere cures tenebras.

181. Quàm non Dei Sacerdotem, ſed idoli ſacrificulum factis ſe oſtendit ille Leuites, qui degebat apud Micham, Sacerdotali ibi munere fungebatur; cúmque Danitæ ſculptile, Ephod, & teraphim auferre niterentur, Sacerdos obſiſtebat furum audaciæ; illi verò promiſſionibus corruperunt, & terroribus refrænarunt: *Sacerdos ſtabat ante oſtium ſexcentis viris fortiſſimis haud procul ſpectantibus.* Iudic. 18. v. 17. *Tulerunt igitur, qui intrauerant, ſculptile, Ephod, & idola, atque conflatile.* Inſtitit ille; ſed vbi audiuit: *Tace, & pone digitum ſuper os tuum, venique nobiſcum, vt habeamus te patrem ac Sacerdotem:* ora continuit, & furantibus annuit. Vide quàm egregiè idoli cauſam fuerit tuitus, qui pro idoli veneratione fuerat electus: vbi aliquod eluxit commodum, vbi ſuſpicatus eſt aliquale detrimentum, ora continuit, & furtum diſſimulauit. Et vtinam hic ſolum Prælatus ambitione corruptus aut metu tacuiſſet cohibitus; verùm plures habet eius exempli ſectatores: virtutis deſerunt cauſam iniquitati annuentes, aut ſaltem diſſimulantes, ſi aliquod diſſimulationis pretium acceperint, aut incommodum vitarint. Innuit Arias Montanus: *Leuites ad portam vſque ſequitur armatorum nimirum & ordinem, & numerum, & ſpeciem viſurus: hæret in porta, manentibus adhuc ibidem armatis.* Montan. Hæſit, qui iniquitatem perſequi inceperat timore deterritus, malens prouidere ſaluti, quàm prauitati reſiſtere: munus interire paſſus eſt ne interiret ipſe, quo oſtendit faſtigium occupare, non regere. O quot fulgent præfecturis, prælationibus micant, qui muti canes latrare non valent, ſi aut ſaporata illis obijciatur oſſa, aut vires, quæ timetur, eneruarit offenſa. Mirandus profectò venit Iſraëlitarum populus, quandoquidem accepta ſemel & iterum clade à perſequenda prauitate non abſtinuit; ſed conteſtanter inſtitit, quouſque penitus aboleuit.

182. Dauid in regem inunctus ſimul cum regia poteſtate poteſtatem accepit in dœmonem, Lyræ pulſu impuratus detorquebatur Spiritus, eratque pro contorta ſagitta Pſalmus: ergo cùm Saulem à morbo ſatagit liberare, eius iras cogitur etiam ſuſtinere: 1. Reg. 17. v. 10. Dauid *Pſallebat manu ſua ſicut per ſingulos dies, tenebatque Saul lanceam, & miſit eam putans quod configere poſſet Dauid cum pariete. Et declinauit Dauid a facie eius ſecundò.* Medicinæ pretium Saul cædem obtulit, & Dauid patitur odia, etſi malo Spiritu laboranti mederi ſtuduerit aures mulcente Lyra. Verùm cum iterum Dœmon Saulem diuexaret, iterum in armis adeſt Dauid periculi oblitus, 1. Reg. 19. & ægrimoniæ depellendæ ſtudioſus: *Dauid* v. 9. *Pſallebat manu ſua, niſuſque eſt Saul configere Dauid lancea in pariete, & declinauit Dauid à facie Saul.* Se periculo expoſuit, vt munus impleret, ratus ſatius eſſe Dœmonem perſequi, ægrotumque ſanare, quàm nimium ſaluti corporis prouidere. Notauit ſatis ingenioſè Baſilius Seleucienſis orat. 15. *Non odia in memoriam reuocat, non punitus malè punitionem molitur. Quid hoc loquor? Ne quidem ſegniter Lyram prehendit: ſed tanquam bene merentem curaturus properabat, & contra dæmonem Pſalmum excitabat in auxilium* Baſil. Non ignorabat Dauid odia ſibi conflare, ſi Dœmonem aggrederetur depellere; verùm contempſit periculum, vt perſequeretur Dœmonium, &, vt ſanaret infirmum.

§. XLIII.

Superior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam.

Si volumus æqui reliquorum iudices eſſe, nobis hoc primùm ſuadebimus, neminem ex nobis à crimine prorſus vacare: hinc enim indignatio temperabitur, ſi nos ipſos conſideremus. Non bonum ſuperiorem agit, qui plus in ſubditum inuehitur, quàm in peccatum, qui vult non ſolùm corrigere; ſed nocere: *Placidus itaque ſapiens*, aiebat Seneca lib. 2. de ira cap. 10. *& æquus erroribus non hoſtis; ſed correptor peccantium hoc quotidie procedit animo.* Sapiens placido animo procedit, quia hoſtis non eſt hominis; ſed ſolummodo criminis: aliud namque non eſt corrigere, ſed euertere. Nonnulli de commiſſo à ſubjectis errato gaudent, quia puniendi occaſionem nacti; cùm debuiſſent contriſtari de errore, oblectantur inhumanè de verbere. Vitia diſſimulanter præterire arguit ſuperiorem puſillanimem, ignauumque in hominem pluſquam in peccatum inſurgere, truculentum & ſæuum. Deliquerant Gabaëni contra vxoris Leuitæ pudicitiam; Leuites grauiter apud tribunos expoſtulauit delinquentes, qui coacta manu conuenerunt in prælium: culpati, dum præhenſari arma vident, ſibi perſuaſerunt non agi tam de culparum medicamine, quàm de peccatorum euerſione, cúmque culpa culpam pariat, Benjaminitæ, quo crimen ſuum tueantur, crimina maiora committunt, & præhenſis armis Iſraëlitas inuadunt, ac ſemel & iterum grauiſſimâ ſtrage proſternunt. Iſraëlitæ, etſi iam non ſolum alienâ iniuriâ; ſed propriâ exulcerati ita Dominum conſuluerunt: *Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres noſtros*

[Margin: 183. beside first line of §. XLIII; Seneca. beside "Placidus itaque ſapiens" line]

ſtrei, an quieſcere? O quanta hîc nobis documenta! Non ob acceptum nocumentum flammeſcunt in odium, non vltionis ſitiunt ſolatium, ſed placitum præſtolantur diuinum: fratres appellant Benjaminitas, vt dum pugnare non detrectant in culpam, manifeſtent in peccatores beneuolentiam: non dicunt: expugnare debemus aduerſarios noſtros omni flagitio plenos, & omni ſcelerum genere ſordidatos; ſed; *An debemus vltra ad pugnam exire contra filios Ben-iamin fratres noſtros?* Nec accepta clades fraternitatis rupit vinculum, aut pectoribus inſeruit odium; imò vocando fratres oſtendunt perſonas amare, & ſolummodò culpas perſequi, & fortaſſis ſi principio hoſtiliter ſe non gererent; ſed fraternum animum indicaſſent, nec Benjaminitæ nouis obligarentur piaculis, nec Iſraëlitæ tot premerentur aduerſis. Hugo. Notauit Hugo Cardinalis ad hunc locum: *Fratres vocant, quos tamen venerant debellare: in quo docemur, quòd ad bellum ſpirituale debemus exire contra peccatores, non quaſi contra hoſtes, ſicut dicit Auguſtinus, cum dilectione hominum, & odio vitiorum.* Forſitan priùs corrigere non valuerunt, quia non tam videbantur velle corrigere, quàm euertere: vbi culpis infecti correptores ſenſerunt aduerſantium faciem aſſumere, in campum decreuerunt etiam prodire, & iam correptio cruentum in prælium verſa non modicam vtrique parti attulit calamitatem; vbi verò ſaniori conſilio curant fouere corde beneuolentiam, & expungere ſolùm culpam, ſuperiorum munus implent, & propitium Deum habent. Diſcant Iudices, Præſulesque vitium odio proſequi, & hominem nullatenus inſectari; imò amare hominem, & corrigere delinquentem.

184. Prodigus poſt grauiſſima ſcelera perpetrata, poſt violatam gratitudinem, poſt obſcuratam pietatem paternam domum reperiuit: pater charitatis alis inuolat, & ſuper collum venientis cadens illum oſculatus eſt: Lucæ 15. v. 20. *Accurrens cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum.* Frater vt audiuit exhiberi conuiuium, ſtomachatur in fratrem: *Indignatus eſt autem, & nolebat introire.* O quàm aliter pater, & frater maior ſe gerunt! Pater conſtringit venientem, vt abſtulerit peccatum, & dum auſert peccatum, contegit veſtibus nudum: filium vocat, vt naturæ ſoluat dilectionis tributum, & cùm ſoluit, conſtringit, vt expunxerit etiam peccatum; at frater qui primatus dignitate fulgebat, dignus viſus eſt, qui exauguraretur primatu, quandoquidem non ſtomachabatur in errorem, ſed defœdabat errantem: Chryſol. *Cecidit ſuper collum eius*, inquit Chryſologus ſerm. 3. *vt amoris onere onus tolleret peccatorum; Venite ad me, inquit, omnes, qui laboratis, & onerati eſtis: tollite onus meum ſuper vos, quia leue eſt: videtis quia filius iuuatur, iſtius patris onere, non grauatur.* Aliquod onus impoſuit filio; quod non premeret; ſed mundaret: collum felici iugo ſubdere præcepit; ſed nudum veſtiuit, famelicum pauit; gaudebat maior deliquiſſe fratrem, vt poſſet cenſum auferre, famamque abrodere. Adeſt ipſe Chryſologus ſerm. 4. *Fratrem redeuntem de ſuo decorare debuit, non debuit de perdito ſic fœdare.* Ecce qui debuiſſet quærere, fratremque reducere, rediiſſe dolet: quia quid in fratre inueniret, quod ſugillauerit, gaudet: ergo cœleſtis pater, vt corrigendi normam nos edoceat, ſtolam primam venienti iubet exhiberi; nec enim fas erat, vt principatus honore exinceps fulgeret, qui redeuntem dedignatur fratrem agnoſcere, & de perpetratis reatibus famam cupit innubilare: *Dolet rediiſſe fratrem.* Nonnunquam, qui ſuperioris dignitate fulget, dolet ſubiectum culpis purgari, quia diſcupit ſpecioſo correctionis titulo ardenti adulari odio. Cœleſtis pater ſuperiores inſtruit, dum peccatum aufert, & nudum veſtit.

Quàm aliter nonnulli ſe gerant, dum affectant alios corrigere, expreſſit textus, dum 185.
Elihu corripiendi pruritu ea Iobo tradit impegiſſe verba, quæ nullatenus inueniuntur ab eo prolata: *Numquid æqua tibi videtur tua cogitatio vt diceres: Iuſtior ſum Deo? Dixiſti enim: Non tibi placet, quod rectum eſt, vel quid tibi proderit, ſi ego peccauero.* Iob. 35. v. 2. Elihu, quæ ſuſpicatus eſt, retulit, & ſuperciliosus carpſit. Quod notauit Gregorius Magnus lib. 26. Moral. c. 7. Gregor. *Si tota libri ſeries attenditur, nihil horum Beatus Job dixiſſe monſtratur; ſed arrogantes viri, ſicut & ſuperiùs diximus, habere hoc proprium ſolent, vt dum in nimia inuectione prodeunt, etiam inuehendo mentiantur, & cum non poſſunt reprehendere iuſtè, quæ ſunt, reprehendunt mentiendo, quæ non ſunt.* Vide qua charitate Elihu flagrabat, cùm à Iobo nullatenus cogitata imponebat: maleuolentiæ, iniquæque affectionis ſtudio non ſemel elaborantur delicta, vt ſpecioſo colore acris ſtimularit reprehenſio: quem charitas debuiſſet fouere, inuenitur malignitas diuexare, & cùm corrigenda ſit culpa, ſtudioſè diuexatur homo; adeóque modus correctionis peruertitur, vt ad affligendum hominem culpa fingatur.

Deliquerat Achan filius Charmi ſplendenti 186.
purpuræ nigrore illectus, & auri cupiditate irretitus: ob eius culpam non modica plaga Iſraëlitis inflicta, nec victoria exiguo tempore dilata eſt: calamitas cauſam prodidit, & ſors reum eloquenti ſilentio declarauit. Ergo Ioſuë à Domino admonitus cùm rem examinaſſet, & non fallaci ſorte reum inueniſſet, verbis humanitate diffluentibus adhortatur diuinæ perſpicaciæ lucem agnoſcere, & peccatum confiteri: Ioſuë 7. v. 19. *Fili mi, da gloriam Domino Deo Iſraël, & confitere, atque indica mihi quid feceris, ne abſcondas.* Nota erat res; at Ioſuë, quia delinquentem amabat, ſtudioſiùs curauit confeſſione aboleri peccatum, quam ob culpam inferri ſupplicium: perpetratum crimen exigebat pœnam; ſed in ipſa inflectione pœnæ paternum depromebat affectum: filium vocat, vt conſtet omnibus corrigentis viſcera pietate torqueri, dum cogitur delinquentem merito ſupplicio punire. Quod notauit Stephanus ad hunc locum in allegor. Stephan. Tilman. *Eum, qui peccauerit, filium vocat: quia quem corrigendo punimus, vt amicum, non vt inimicum punire debemus; non libidine vindictæ; ſed zelo iuſtitiæ.* Profectò iuſtitiæ zelum obſcurat, qui animum erga delinquentem fraternum non ſeruat: vt è contra honorat iuſtitiam, qui tenero ducitur affectu in naturam. Ecce Ieſus filij nomine promit affectum, & infert dignum

Digitized by Google

gnum peccato ſupplicium: & quidem tunc meritò illata agnoſcitur pœna, cum ob pœnam illatam inferentem conſtringit anguſtia. Cuius rei exemplum mirè ad noſtram eruditionem in Abrahamo expreſſit Sacra Scriptura.

187. Diues ille infelix, quia fortunatus, oculos leuat ſui criminis accuſatores, & teſtes; delegari ad ſe Lazarum deprecatur obnixè: *Pater Abraham, miſerere mei: & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam: quia crucior in hac flamma.* Cui Abrahamus: *Fili recordare, quia recepiſti bona in vita tua.* Chryſologus quo ſolet ingenio, vocaſſe ait filium, vt ob eius pœnam ſe quodammodò pati oſtenderet, & oſtendendò iuſtiſſimè inflictam pœnam monſtraret: *Voco filium*, inquit ſermo. 123. *vt intelligas iudicij eſſe, quod pateris, non furoris. Voco filium, vt in me mea patientia, & in te tua maneat pœna.* O quàm non erat furoris, quod patiebatur diues, quandoquidem Abrahami ſic pietate viſcera pulſabantur, vt quodammodò ei opus fuerit patientia, cùm vrebat diuitem flamma! Profectò ibi iam nec diuiti impetrandi tempus, nec patientiæ occaſio Abrahamo; aſt dum ſub his ænigmatis, vocibuſque rem ſcriptura depingit, ſuperiorem laudabiliter tunc procedere ſtatuit, cùm ei opus fuerit tolerantia, ſi hominem afflixerit acerba pœna. Abrahamus pœnam vel filio decernit, & reum affligendo dolet, quo diſcant Superiores nec culpis ignauè parcere, nec inhumanè peccatorem vrgere.

Lucæ 16. 24.

Chryſol.

§. XLIV.

Peccator tunc cæcior ſibi promittit felicitatem, cùm inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus.

188. Cuiuſuis hominis vita vapor eſt, & quidem tenuis, ſed peccatoris tenuior & fugacior: nullus ei, vt ipſe ſibi peccator aduerſatur, nullus, vt ipſe, ſtragem ſibi molitur: nec hîc ſtat malum, ſed vlterius procedit error: tunc ſibi de proſperitate ſecuriùs plaudit, cùm inimicorum fit præda, & cùm appetit proximior ruina: vaniſſima ſpe innititur, fallentibus fidit, adeóque vitiorum fumo obcæcatus caligat, vt ipſe ad ſupplicium inuolet, quaſi ad triumphum. Prudens à ſe repellit, quidquid prauum, quia nouit lubricum: firmis ac ſolidis greſſibus tendit virtus: non ſolùm nutat; ſed ruit ſcelus. *Nihil praui*, aiebat Seneca lib. de vita Beata cap. 8. *nihil lubrici ſupereſt, nihil in quo arietet, aut labet. Omnia faciet ex imperio ſuo, nihilque inopinatum accidet; ſed quidquid aget, in bonum exibit.* Contraria de imprudenti cogita: Nihil non lubricum, quia nihil non prauum; impetu ducitur, quia ratione non regitur: vndè ferè omnia illi inopina; imò & opinioni contraria. Teſtantur hanc veritatem Benjaminitæ, qui audacter proceſſerunt in campum, vt Gabaënorum tuerentur exoculatam impudicitiam, & meritam auerterent pœnam: æquitatis vindices non ſine cœleſti conſilio tectas diſpoſuerunt inſidias: *Poſuerunt filij Iſraël inſidias per circuitum Gabaa.* Cincti inopina obſidione, & proximi iam ſtragi cùm deluſi inimicos ceſſiſſe crederent, ſibi vanis plaudebant gratulationibus rati adeſſe triumphum, cùm miſerum reuera adeſſet excidium: *Filij Benjamin audacter eruperunt de ciuitate, & fugientes aduerſarios longè perſecuti ſunt.* Addit textus: *Ingrauatum eſt bellum contra filios Benjamin, & non intellexerunt, quòd ex omni parte illis inſtaret interitus.* Omni ex parte inſtabat interitus, & omni ex parte videbatur illis indubius triumphus: non aliqua ſuſpicio audaciam cohibuit, non timor curſum pernicem refrænauit. Eo ardore inuolauere ad interitum, quo falſi contendebant ad triumphum: inſtabat mors inopina, & adeſſe putabatur victoria; quo infeliciores eſſet, dum prædæ incumbunt, dum inſiſtunt triumpho, capiuntur inſidiarum laqueo: *Non intellexerunt quòd ex omni parte illis inſtaret interitus.* O miſeram peccatorum cœcitatem! ô metuendam peccati ac terribilem pœnam! Ecce dum laruatam inuolant ad victoriam, veram ſibi maturauere ruinam: *Filij Iſraël*, inquit Abulenſis quæſt. 27. *direxerunt nunc aciem contra filios Benjamin, ſicut ſemel, & bis, id eſt, ſicut fecerant in duabus vicibus primis, ſcilicet quod Iſraëlitæ finxerunt, quod ordinauerant non alio modo exercitum hunc, quàm prima & ſecunda vice, & hoc vt filij Benjamin confidenter aggrederentur contra eos; ipſi tamen aliter diſpoſuerant exercitum, quia poſuerant inſidias.* Si inſidiarum animum ſubiret ſuſpicio, ſibi conſulerent, nec aggredi Iſraëlitas auderent; verùm adeò remota erat ab eorum animo ſuſpicio, ac ipſis proxima inueniebatur ſubuerſio: antè ſe luxerunt captos, quàm ſuſpicarentur capiendos: vertitur namque peccatori citiſſimè ſors, & cùm putabat portum appellere, contigit miſerum naufragium ſubire.

Seneca.

Abulenſ.

Eſther innoxij populi curam gerens con- 189.
uiuium regale inſtruxit, regemque & Amanum inuitauit: *Obſecro, vt venias ad me hodie, & Aman tecum ad conuiuium, quod paraui.* Rex vino hilariter hauſto Eſtherem, an quid deſideret, rogat, vel regni dimidiam partem pollicitus: *Etiamſi dimidiam regni mei partem petieris, impetrabis:* nec enim fas erat, vt minus concederetur modeſtiæ, quàm promiſſum eſt ſaltatrici. Ergo Eſther regem Amano aſſociatum ad conuiuium iterum precatur regredi, in craſtinum animi propoſitum apertura: *Veniat rex & Aman ad conuiuium, quod paraui eis, & cras aperiam regi voluntatem meam.* Aman ſemel & iterum à regina inuitatus felicitati ſuæ plaudebat tumidus, quia obtenſas in conuiuio inſidias non ſuſpicabatur ignarus: *Egreſſus eſt itaque die illo Aman lætus, & alacer.* Amicos conuocat, quibus & vxori magnitudinem diuitiarum ſuarum iactet, filiorum copiam, & ſuper cæteros regis glorietur obtinere ſe gratiam, verùm die ſequenti patibulo ſuſpenſus eſt, & deſiuit gloria in infamiam, proſperitas in ruinam. Quàm erat calamitati proximus, cùm ſibi adulatetur de ſecura felicitate pertumidus! *Egreſſus eſt illo die Aman lætus & alacer*, inquit Gloſſa Interlinearis, *neſciens quid pareret ventura dies.* Inuitabatur ad mortem, &

Eſther. 5. v. 4.

Gloſſa.

& de conuiuio ſuperbiebat, ſeque inuitatum præ reliquis familiaribus dictitabat. Nonne vides in Amano egregium præceſſiſſe peccatorum ænigma? Inopino intereunt caſu, cùm ſibi & longiora ſpatia promittunt, & feliciſſimos credunt: nil Amano deerat, niſi ſuperuenturæ calamitatis notitia: diuitiis copioſus, præ aliis regio fauore fruitus, ſplendenti filiorum grege ditatus ſuperbiebat, quia intra propriam domum infame iam ſibi paratum patibulum ignorabat.

190. Nahum tunc Niniue ciues paſſuros denuntiat exitium, cum velocius inuolauerint ad trophæum: *Clypeus fortium eius ignitus, viri exercitus in coccineis: ignea habena currus in die præparationis eius, & agitatores conſopiti ſunt. In itineribus conturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis.* Nahum.2. v.3. Difficile adeo eſt arcana Prophetæ huius reſerare myſteria, vt Hieronymus lectoris relinquat arbitrio: *Certè in lectoris erit arbitrio, cùm vtrumque percurrerit, quid magis ſequi debeat, indicare.* Hieronym. Ergo facta à Hieronymo facultate exiſtimarim Prophetam hic deſcripſiſſe inopinum Niniuitarum excidium, vſumque comparatione quadrigæ ducta ab agitatore ſopito: nam vt qui vehitur ab ebrio, aut ſopito auriga nocturno tempore, dum exiſtimat per plana duci, & deſiderato termino propinquare, ſolet equis à recto itinere deuiantibus miſero caſu iactari, & cum ab omnis periculi ſuſpicione longiùs remotus, mortem incurrit præcipitatus; ſic Niniuita peccatoris emblema, cùm tenderet ad exiſtimata trophœa, ipſa volatus celeritate maturauit inopina præcipitia: *ſecundum hiſtoriam*, inquit Hieronymus, *aduerſum Niniuem ordo ſequitur.* Victoriam ſibi promittebant, ſed verſa eſt cithara in luctum, & confracta quadriga inopinum attulit caſum: *In itineribus conturbati ſunt, quadrigæ colliſæ ſunt in plateis.* Deauratis ductabantur quadrigis; ſed præcipitabantur peccatis: vnde diſperierunt colliſi, & equorum impetu excuſſi. Ipſa profectò hiſtoria doctrina eſt: non ſemel fœmina pompaticè incedens, & ſuperbè tumens, dum à culpa non abſtinet, ipſo inanis gloriæ curru traditur inopinæ ruinæ, & præſumptæ nunquam miſeriæ: in ipſo gloriæ vertice, in ſuggeſtu ſublimi, qui lætiori vſi videbantur fortuna, inextricabili ingemuerunt irretiti tragœdia. Virtutis via plana eſt; peccatoris videtur recta; ſed reuera eſt confragoſa, & ſcopulis periculoſiſſimis plena.

191. Non caret myſterio Luciferum cecidiſſe, cùm de aſcenſu ſibi plaudebat, & cacumen firmiſſimum ſperabat, aliud dicebat in corde, aliud ſuſtinebat in facie: *Corruiſti in terram, qui vulnerabas gentes, qui dicebas in corde tuo: In cœlum conſcendam, ſuper aſtra Dei exaltabo ſolium meum, ſedebo in monte teſtamenti.* Iſai.14.v.12. Tam longè erat ab eius cogitatione caſus, quam propè aſcenſus: aſcendere nitebatur; ſed dum præſumptionis alis inuolat, ardore liqueſcunt, & quò velocior volatus, & caſus miſerabilior, & certior: non vidit Lucifer caſum, quia totam oculorum attentionem direxerat ad faſtigium: forſitan ſi ruinæ timor pulſaſſet animum, ambitioſum frænaſſet greſſum, fuit tamen tumoris pœna, & quidem grauiſſima caſum non cogitare, & ad profundiora inopinè ruere: quæ videntur pluri mis alta, prærupta ſunt, fixam ſibi promittunt felicitatem, cùm prauitas neminem patiatur ſtare; ſed vertigine circumuolui. Glosſa. Opportunè Gloſſa: *Ab aquilone exardeſcunt mala, & ſuccenditur olla Ieremiæ.* Non vidit in aquilone flammam, & videre ſe deluſus putabat gloriam: duplicem peccator ſuſtinet cæcitatem, non videt quæ ſunt, & videre exiſtimat, quæ non ſunt.

192. Pſaltes impiorum felicitatem ſurgentis ſomnio comparauit: *Velut ſomnium ſurgentium Domine; in ciuitate tua imaginem ipſorum ad nihilum rediges.* Pſal.72. v.20. Commune eſt notare non dormientis placidè; ſed ſemiſopiti, & iam ſurgentis ſomnio iniquorum felicitatem comparaſſe, quo anguſtum tempus indicaret: nam vti ſomnium ſurgentis iamiam diſruptum fugit, & ipſa ſurgendi actione excuſſum diſparet; ſic proſperitas peccatorem eludit, & oblectans fallit. Verùm ni fallor, dum aſſurgere tribuit fallenti ſomnio, & ruere ſupplicio vero, minuit Pſaltes tunc certiùs peccatorem proximare miſeriæ, cùm ſomniabat propinquare ſe gloriæ. Ipſorum imago non redigitur in nihilum ſomniatè; ſed verè: *Imaginem ipſorum ad nihilum rediges*; & cum ad nihilum rediguntur, ſe aſſurgere ſomniant, & vaniſſimis delectamentis ſalubrem timorem fugant: *Hic oſtenditur*, inquit ad hunc verſum. Incognitus, *quòd malorum proſperitas non eſt verum bonum; ſed phantaſticum.* Incognit. Proſperitas eſt phantaſtica; ſed ruina vera & tunc patiuntur miſerè caſum, cùm ſomniauerunt aſcenſum.

---

§. XLV.

Iniquis illata pœna eſt ad Rempublicam ſuffulciendam firma colmmna.

193. VT diligens agricola variis florum generibus topiarium venuſtiùs amœnet & fœcundis laticibus ſaporatos arborum fœtus promouerit, horridas ſpinas, herbas noxia falce prudentiſſima abſcindit: vt proſunt abſciſſa, vt micantiùs pulchreſcant florida: ita Rebuſpublicis non minus prodeſt ad pulchram concinnitatem illatum iniquitati ſupplicium, quàm meritis exhibitum præmium. Profectò ſi Philiſthinorum templum eiuſmodi niteretur columnis non adeò facilè rueret, & adſtantes infelici ſpectaculo ſtrage miſerabili premeret. Amara miſericordia eſt noxios non reſecare mores, & infauſta politice venena permiſſione fouere: falx Reipublicæ amœnitatem expoliens eſt inflicta ſceleſtis pœna, quandoquidem dum abſcindit ſupplicio culpam, metu anteuertit audaciam, & floret ſalubris omnibus æquitas, & tranquilla cunctis ſecuritas. *Siquidem ſunt hæc duo quaſi virtutis elementa*, aiebat Plutarchus de inſtituend. liber. *Spes honoris, & ſupplicij formido: hæc enim ad maleficia tardiores, altera promptiores*

Plutarch. Timor ad culpas tardiorem reddit.

promptiores ad honeſtiſſima ſtudia reddit. Profectò ea florebit Reſpublica, vbi egregia facinora præmiis honorata,& ſcelera dignis ſuppliciis expuncta, quandoquidem præmium ad inſtar fœcundi laticis amœnat virtutes, & timor in falſis modum abſcindit noxios errores. Deliquerant Gabaëni, quos non ſine præmiſſo examine, piaque admonitione Iudæorum ſenatus punire decreuit, contumacia timorem expunxit, & quibus exureretur, flammas ardentiſſimas meruit, quæ dum ſceleſtos adurunt, non ſine myſterio columnam referunt: *ſignum autem dederant filij Iſrael iis, quos in inſidiis collocauerant, vt, poſtquam vrbem cepiſſent, ignem accenderent, vt aſcendente in altum fumo captam vrbem demonſtrarent. Quod cùm cernerent filij Iſrael in ipſo certamine poſiti, & viderent quaſi columnam fumi de ciuitate conſcendere . . . Qui priùs ſimulauerant fugam, verſa facie fortius reſiſtebant.* Profectò mira res fumum columnam retuliſſe, quandoquidem vel leui flatu ad inſtar nubis diſpergitur, aut ſi flatus deſit, non ſemel acuminatur: cur ergo hîc fumus columna eſt?
Abul. Certè quia ex iuſto ſupplicio natus: *Quia fumus*, inquit Abulenſis quæſt. 32 & *flamma oſtendebant eam captam eſſe.* Addit: *Fortè enim nunc occiſis omnibus, qui in ciuitate erant, inceperunt ſuccendere eam.* Iuſto ſupplicio contumaciam ardentibus tradiderunt flammis: ergo ex illa flamma ad Rempublicam ſuffulciendam eſt laborata columna, qua iam firma ſuſtentaretur Reſpublica, inniteretur æquitas inconcuſſa, & legum cunctis indiceretur reuerentia. Non minùs floret Reſpublica pœnis ſceleri irrogatis, quàm præmiis virtuti exhibitis.

194. Petrus Tabitham miſericordiæ matrem, pauperem ſubſidium, viduarum ſolatium oratione ſuſcitat: (Actor. 9. v. 36.) *Hæc erat plena operibus bonis, & eleëmoſynis, quas faciebat.* Qui hanc ſuſcitat, Annaniam, & Sapphiram morte condemnat: *Audiens Annanias hæc* (Actor. 5. v. 5.) *verba cecidit, & expirauit*: quod expendens Diuus Ambroſius 1. Officior. cap. 30. ſalubre multis deprædicat, & ſupplicium & præmium: nec iam ait mirum Eccleſiæ ædificium hac petra ſuffultum inconcuſſum ac ſtabile aſſurgere, quantumuis gehennalibus impetatur adſultibus, & oppugnetur (Math. 16. v. 18.) validiſſimis hoſtium irruptionibus: *Tu es Petrus*, aiebat Dominus, *& ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam; & portæ inferi non præualebunt aduerſus eam.* Eccleſiæ iaciens fundamenta ſic præmia, ſuppliciaque æquitatis glutine coniunxit, vt ventorum adſultus, procellarum impetus detriumpharet; non minùs fixè firmiterque innitebatur cœleſtis fabrica ſupplicio dignè inflicto, quàm præmio pro iuſta mercede præſtito. Tabitha morti exempta ad virtutem allexit, dum virtutis præmium oſtentauit: demortuus Annanias ſalubrem cæteris timorem incuſſit, & dum prudenter timent, in virtutem non audent: (Ambroſ.) *Nunquid Petrus ita indignatione efferbuit*, inquit Ambroſius, *vt Annaniam extingui vellet, vel vxorem eius? ſed exemplo eorum noluit perire cæteros. Nec illa perfecta eſt liberalitas, ſi iactantiæ cauſa magis, quam miſericordia largiaris . . . vides quàm moralem iudicem habeas?* O quàm moralis iudex erat Petrus; imò norma iudicium, dum Tabitæ inſpirat vitam, & infert Annaniæ pœnam; vtroque enim edocuit dignitates ſtabiliri, & Reſpublicas firmari.

Pſalmiſta, vt Chriſti Domini regnum firmis innixum fundamentis, & firmatum ſub- 195.
ruendis nullo aduerſitatum impetu fulcris oſtendat, eadem virga, hoc eſt regni ſceptro punire teſtatur iniquos, muneratque benemeritos: *ſedes tua Deus in ſæculum ſæculi: virga directionis virga regni tui: dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* (Pſal. 44. v. 7.) Iuſtitia dilecta, iniquitas caſtigata regnum ſtabiliunt, & aduerſus varios fortunæ vultus inconcuſſum ſemper ſtatuunt: non minus iuuat ad regnorum firmitudinem virga iniquos percutiens, quàm benemeritos euehens: *Per virgam directionis*, inquit Euthymius, (Euthym.) *caſtigandi poteſtatem intellige, quæ meritò ita appellatur, quia dum prauos iuſtè caſtigat, eiſque ſupplicium infert, multos huiuſmodi exemplis ad rectam virtutum ſemitam dirigit.* Sceptrum merita ſupplicia inferendo firmatur, & dum deterret peccaturos, ipſo terrore fulcitur: non eſt laudabilis miſericordia peccantibus indulgere; imò contra cæteros eſt manifeſta iniuſtitia, quandoquidem vnius peſte plures inficiuntur, & perit Reſpublica virtutibus ob damnandam miſericordiam priuata,& legum ſubſidio nuda.

Deliquerat Dei populus, quia Madianitarum impudicæ puellæ eos deceperant nitidis 196.
excultæ fucis, & inſidioſis ac gratis adulationibus: ergo vt ſæpè contingit, vna culpa alterius ſceleris fuit occaſio, & Iſraëlitæ, ne carâ ſibi priuarentur voluptate, à patria deſciuerunt religione: *Initiatus eſt Iſrael Beelphegor, & iratus Dominus ait ad Moyſem: Tolle cunctos* (Num. 25. v. 3.) *principes populi, & ſuſpende eos contra ſolem in patibulis, vt auertatur furor meus ab Iſrael.* Et cur in ligno exerceatur pœna, & omnium oſtendatur oculis mulcta? Non erit ſatis vltore mucrone vitam delinquentium abſcindere, & legibus ſatisfacere? O ſapientiam immortalem! In patibulis ſuſpenſi auctores criminis pro ſalute cæteris erant: & quidem, vt ſerpens pro ſigno poſitus ſalutem adſpicientibus refundebat, & Rempublicam conſeruabat, ſic iſti crucibus eleuati Reipublicæ inſpirauere ſalutem, dum ſalubrem edocebant cunctos terrorem: ergo crucibus eleuentur, quò ad vtilitatem omnium videantur. *Hæc* inquit (Origen.) Origenes apud Gloſſam, *ædificauerunt priorem populum.* Cenſeres tot ſuppliciis populum illum deſtruendum, & tamen Origenes teſtatur ædificatum: creſcebat populi fabrica impios atterendo, & Rempublicam peſſimis hominibus expurgando: nam quod dicebam ſupra, vt ager, quo abundantiori meſſe diteſcat, noxiis, & humorem diſſipantibus herbis repurgatur,& ſarculum,dum euellit noxium,eſſe inuenitur herbis fructiferis beneficum: ita pœna,dum pio ac iuſto ferro præcidit culpam agit Reipublicæ cauſam. Iuuant plurimum pro ſtabilitate ſaluteque vberes iuſtorum gemitus, profuſæ ad placandum Dominum lachrymæ. Sed vt noueris non minus aliquando prodeſſe mulctam iuſtè iniquis irrogatam, attende quid hoc ipſo Numerorum capite referatur.

197. Turba filiorum Iſraël amaris ac profuſis lachrymis cœleſtem indignationem ſopire ſolicita anxietate procurabat, cùm iuuenis quidam libidinis œſtro agitatus, quin tot clamoribus frænaretur, ad ſcortum Madianitidem intrauit: tunc Phineës Eleazari filius pio inardeſcens zelo audaciam corripuit, & vitam delinquentibus ferro abſtulit. Quid tunc? *Ceſſauit plaga à filiis Iſraël.* Numer. 25. v. 8. Plaga, quam tot lachrymatum torrentes non frænabant, mulcta illata cohibuit, & totam Rempublicam liberauit. Opportunè Oleaſter hîc ad mores: Oleaſt. *Expende, quæſo, quanto plus valeat ad placandum Dominum vindicta, & punitio, quam lachryma: vt illa placauerit Dominum, & ab ira reuocarit, quod lachrymæ facere non potuerunt.* Flebant plures; ſed adhuc iuſta numinis ira ardebat in populum; aſt vbi pœna delinquenti meritò illata, iam continetur numinis ira tantum valet pœna opportunè inflicta, & peccatori decreta: & quidem antiquitas, vt quos colebant, iram Deorum à ſe auerterent, ſceleratos homines eis ſacrificari decreuerunt rati non minus placari deos his hoſtiis, quàm cæteris ſacrificiis. Ita datus Oleaſter: *ſolebant gentes cùm Dominus aliqua commum plaga caſtigaret orbem, homines facinoroſos, ac maleficiis famoſos diis ſuis iugulatos, aut combuſtos.* Gratam putabant diis ſuis hoſtiam iniquos punire, & ſceleſtos damnare, quo nouerint Principes, ſuperioreſque fulcra Reipublicæ non ſolùm eſſe præmia; ſed ſupplicia.

§. XLVI.

Felicior eſt inter acceptas plagas oratione protectus, quàm inter victorias precibus nudus.

198. ORatio eſt vitæ ſubſidium, itineris viaticum, grandis Deo victima, breuiarium totius Euangelij, Sacrum religionis opus, cœleſte augurium. *Oratio à Chriſto conſtituta*, inquit Tertullianus lib. de orat. c. 1. Tertull. *ex tribus conſtituta eſt, ex ſermone, quo enuntiatur, ex ſpiritu, quo tantùm poteſt, ex ratione, qua docetur.* Expende illud: *Ex ſpiritu, quo poteſt.* ac ſi dicat: Oratio, dum ſpiritu peragitur, cœleſtes mutuatur vires, quibus non ſolùm humanos hoſtes; ſed virulentos etiam proſternat dæmones. Felicitas oratione non ſtabilita citiſſimè aduolat; imò in calamitatem degenerat: vt è contra calamitas oratione depellitur, & in felicitatem mutatur. Huius veritatis teſtes ſunt Benjaminitæ, Iſraëlitæque: in campum prodeunt manus conſerturi: victoria in Benjaminitarum partem ceſſit: *Egreſſi filij Benjamin de Gabaa occiderunt de filiis Iſraël die illo viginti duo millia virorum.* Iſraëlitæ graui adeò clade acceptâ coram Domino deflent, fuſiſque precibus aciem iterum inſtruunt, & iterum terga vertunt: commiſſo namque validè vtrinque prælio pro Benjaminitis ſtetit triumphus: *Eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa, & occurrentes eis tanta in illos cæde bacchati ſunt, vt decem & octo millia virorum educentium gladium proſternerent.* Iſraëlitæ confugiunt iterum ad preces, eaſque orandi perſeuerantia cœleſtes ſibi impetrauere ſuppetias, vt acceptas clades illuſtri victoria compenſatint, & aduerſarios prorſus attriuerint: *Venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino, ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam.* Hîc iam oraculum nunquam delendum promittit triumphum, & impetit promiſſione ſolatium: *Factum eſt, vt ex vtraque parte ab hoſtibus caderentur, nec erat vlla requies morientium. Ceciderunt atque proſtrati ſunt ad orientalem plagam vrbis Gabaa.* Ecce Benjaminitæ geminâ coronati victoriâ ruunt, & Iſraëlitæ graui calamitate vexati reportant nunquam obſcurandum aduerſis caſibus triumphum. Quod ſi inquiras, cur Benjaminitarum felicitas in ſtragem deſierit miſeram, & Iſraëlitarum infortunium mutatum ſit in trophæum: reſpondeo hos ad orationis confugiſſe ſubſidium, & illos oratione non ſtabiliſſe trophæum: itaque hi miſerè diſpereunt poſt victoriam, & illi coronantur poſt plagam: nec enim deeſſe poterat orantibus triumphus, nec non elabi victoria è manibus non orantibus: *Filij Iſraël*, inquit Hugo, Hugo. *primò aſcenderunt contra Benjamin ſine fletu... tertiò fleuerunt ſedentes, in quo notatur perſeuerantia, & ieiunauerunt, & hoſtias pacificas obtulerunt, & Dominum conſuluerunt. Ecce plena ſatisfactio, ieiunium, eleemoſyna, oratio, & tunc victoriam plenam habuerunt.* Benjaminitæ victores ſine oratione irreparabili clade proſtrati ſunt, victi ſemel & iterum Iſraëlitæ, dum orationis ſuppetias ſibi comparant, acceptam cladem compenſant, & victoriam non interturbandam reportant: eſt namque oratio roboris promptuarium, aduerſitatis exilium, afflictionis ſolatium, & naufragium hoſti non dubium.

Fugerant Iſraëlitæ non ferentes toruum gigantis adſpectum: erat ſtatura horribilis, 199.
aſpectus truculentus, inceſſus tumidus; nec minus alios excedebat inſolenti arrogantia, quàm immerata corporis ſtatura: *Omnes Iſraëlitæ, cùm vidiſſent virum, fugerunt à facie eius timentes eum valde.* 1 Reg 17. v. 24. Contra immane monſtrum in arenam proſilit Dauid puerulus, & de victoria non dubius. Quod ſi inquiras quid animos Dauidi indiderit, ipſe reſpondet: *Ego venio ad te in nomine Domini exercituum.* Dei nomine non vtcumque; ſed precibus, ſi fas eſt dicere, ad auxiliandum conducto: ergo gigas ſine oratione poſt aduerſariorum fugam corruit nunquam ſurrecturus, & qui fugerat populus, dum per Dauidem orat obarmatus, hoſtem proſternit triumpho celebri redimitus. Accipe Chryſoſtomum homil. de Dauid & Goliat: Chryſoſt. *Tu venis ad me fidens in gladio, ego in Deo: tu in Clypeo, ego in prece.* Supererant giganti robuſtæ vires, in fugam ſemel & iterum verterat hoſtes; at dum oratione non ſuffulcitur, lapide inflicto proſternitur: non adeò magnæ erant Dauidi à corpore vires; ſed fuerunt maximæ à prece. Ergo dum auxiliares precum manus aſſumit lapide dexterè iacto, gigantem deijcit, & proprio gladio gladij baiulum diuidit: Vbi nouit Dauid pro ſe ſtare preces, & hoſtem carere orationis auxilio, pugne

Digitized by Google

pugnæ pronocationem ad ſe rapuit, & felici-
ter deuicit: *Ego in prece.* O quantæ ſunt vi-
res orationis ad roborandam fiduciam, ad
depellendam miſeriam, & ad reportandam
victoriam! ſibi inuidet, qui orationi ſubſidium
abijcit: non eſt ſtabilis triumphus nulla ora-
tione firmatus, vt etiam calamitas non eſt ſta-
bilis, ſi adſit oratio calamitoſo afferens patro-
cinium, & numen reddens placatum.

200. Hajenſes manus cùm Iſraëlitis conſerentes
victoriâ potiti ſunt: acceſſerant Iſraëlitæ ini-
micorum deſpicientes caſtra, & ſibi iam quo-
dammodo diuidentes ſpolia; verùm citò ſu-
perbia cecidit, & vires hoſtibus miniſtrauit:
*ſtatim terga vertentes percuſſi ſunt à viris vrbis
Hai, & corruerunt ex eis triginta ſex homines,*
Ioſuë cùm poſſet copioſiorem armare manum,
Ioſuë 7. v.4. & in campum fere immenſum producere exer-
citum, ad orationis confugit auxilium: *Pro-
nus cecidit in terram coram arca Domini vſque ad
veſperam tam ipſe, quàm omnes ſenes Iſraël.*
Quid tunc? Iam Dominus ipſe iacentem eri-
git, & quid facere oporteat, inſtruit: *ſurge, cur
iaces pronus in terra?* Oratio ſtragis inuenit
cauſam, diuinam reſtinxit iram, & compara-
Galfrid. uit ſibi victoriam: *Orantibus*, inquit Galfri-
dus in allegor. Tilmani ad Lucæ 18. *promit-
titur vita.* Itaque oratio eſt calamitatis faſci-
num, & validum ad proſternendum hoſtes au-
Lyra. xilium. Ergo Ioſuë ad orationem confugit,
& per orationem deuicit: *Hic conſequenter
ponitur Ioſuë deprecatio*, inquit Lyra, *occaſione
caſus predicti.* Non deërat Ioſuë copioſa ma-
nus; at quia nouerat vel innumerum exerci-
tum hoſtibus militare, niſi cœleſte adfuerit
ſubſidium, orationis legationem miſit ad nu-
men, & orans agnouit ſtragis cauſam, & abla-
ta causâ facilè eſt aſſecutus victoriam: Hajen-
ſes poſt triumphum oratione deſtituti flammis
decinereſcunt voracibus vſtulati; Iſraëlitæ
verò etſi accepta clade tantiſper ingemuerint
deuicti, dum auxiliares aſciſcunt orationis
vires, hoſtes ſubiugauere triumpho immar-
ceſcibili coronati. Adde orationem vel in de-
ploratis cauſis eam opem ferre, vt quod vi-
debatur irremediabile humano iudicio, con-
trariam faciem aſſumat de honeſto orationis
incantamento.

201. Peſſimus Amanus Hebræorum accuſator, &
iudex à rege obtinuit annullum, quo munitas
ac triſtiſſimum Iſraëlitarum exitium denun-
tiantes ad omnes Prouincias miſit Epiſtolas,
in Suſam regale publicè pendens edictum
Regis euulgabat ſententiam, & ab Amano
Eſther. 3. v.15. confictam ſententiæ cauſam: *Statim in Suſan
pependit edictum.* Hebræi omni humana ſpe de
ſtituti ad orationem confugerũt. *Eſther Regina
Eſther. 14. v.1. confugit ad Dominum pauens periculum, quod im-
minebat.* Si humanis oculis rem dimetiatis, He-
bræorum cauſam prorſus deploratam cěſebis,
quandoquidem licèt pro regia auctoritate pu-
blicitus damnatis ſtaret æquitas, ſtabat Regia
cõtra æquitate auctoritas: nec facile videbatur
immutari decretum, quãdoquidem immutatio
decernentis auctoritati detrahebat, & pruden-
tiam obſcurabat. Profectò S. Magnates, vt quæ
ſemel decreuerint, obſtinatè tueantur, hone-
ſtior illis videtur pertinacia, quam retractata
ſententia. Facilè adduci potuit Pilatus, vt dam-
naret innocentiam; ſed euulgata iam cauſa, &
cruci impoſita adduci non potuit, vt deleret
vnicam literam: quod licèt diuinitus procu-
ratum fuerit, quantum Magnates ſuæ autho-
ritati conſulant, mirè oſtendit. Ergo cùm
apud Magnates paruipendatur facilè conſcien-
tia, & habeatur magni euanida gloria, diffi-
cillimum erat publicum decretum retractari,
& ſententiam latam reſcindi. Adhæc: Ama-
nus à Rege dilectus, & potentiſſimus iam
conuiuiis celebrabat triumphum paratus tueri
ſemper, quod ſemel malè decretum; ea tamen
fuit orationis efficacia, vt Princeps immuta-
rit ſententiam, & Amani digno ſupplicio ca-
ſtigarit audaciam. Adeſt Auguſtinus Epiſt. 199. Auguſtin.
& apud Gloſſam, *Orantem ſtatim exaudiuit, qui
cordis inſpector eam verè dicere ſciuit.* Regia po-
teſtate fulgebat tenerè ab Aſſuero dilecta; non
tamen ad humanas confugit artes; ſed vti ſa-
pientiſſima, ad validas orationis recurrit vires.
Ergo oratio opem tulit calamitoſis, & Ama-
nus, dum ſibi victori plaudit, orationis telo im-
petitus ruit: vt noueris nil ſine oratione fir-
mum; nil ſi oratio ſuppetias tulerit, deplora-
tum.

Dei populum Moyſes poſt innumera mira- 102.
cula educit, & Pharao virgæ verbera exper-
tus abire concedit; verùm vt peccatoribus
eſt in vitiis duriſſima pertinacia, & virtutum
facillima pœnitentia, citò demutata ſen-
tentia fugientes inſequitur, & ſtragem du-
riſſimam minitatur: res prorſus videbatur
deplorata, quandoquidem nullæ inerant
naues, & inſtabant tergis mucrones. Quid
tunc Moyſes? Ad orationem recurrit, & atto-
nitis adeò rebus, & implexis difficultatibus
exitum felicem inuenit. *Quid clamas ad me?* Exod. 14.
Loquere filiis Iſrael, vt proficiſcantur; tu au- v.15.
*tem eleua virgam tuam, & extende manum
tuam ſuper mare, & diuide illud.* Mira res!
Moyſes, qui comprehenſâ virga elementis
imperauerat, qui immiſſis flagellis Pharao-
nis peruicaciam deuicerat, qui audaciam
confregerat, priùs ad orationis recurrit au-
xilium; ad virgæ poſteà miraculum: & qui-
dem Moyſes ordinem non inuertit humano
metu obturbatus; ſed nos edocuit, quales
orationi inſint vires lumine cœleſti inſtru-
ctus: oratio namque rebus ad ſpeciem pror-
ſus deſperatis remedium attulit, & ineuitabili
hoſtem naufragio demerſit: *ſilens*, inquit Gregor.
Gregorius, apud Gloſſam, *auditur, & di-
citur ei: Quid clamas ad me? In deſiderio
clamor ſecretus non peruenit ad aures humanas,* Origen.
diuinas replet. Adſtipulatur ibi Origenes.
*Poſtulante Spiritu Sancto per ſilentium cla-
mor Sanctorum auditur, iubetur Moyſes virgâ
percutere mare, vt ingredienti populo Dei cedat.*
Oratio vndas vitreos durauit in muros, &
iam mare, quod timebatur, non opponit
torrentium obſtaculum; ſed abſorbet
confuſis vndarum ſe præcipi-
tantium voluminibus
inimicum.

* * *

§. XLVII.

Peccator, etſi inſtante morte ſuſpirarit ſalutis profugium, ſolet non inuenire remedium.

203. PEccator de ipſa ſpe arma contra virtutem procudit, & quia ſperat, delinquit: exiſtimo minus legem violaret, ſi plus timeret: ſpes peccatoris plus videretur accedere præſũptioni, quàm fidei. *Quidam*, aiebat Tertullianus lib. de pœnitentia cap. 6. *ſic opinantur, quaſi Deus neceſſe habeat præſtare etiam indignis, quod ſpopondit, & liberalitatem eius faciunt ſeruitutem.* Promiſit Deus veniam dignè ritéque pœnitenti, &, vt fas eſt, miſericordiam eius imploranti: ergo peccatores ſui obliti nimiâ confidentia de cœleſti miſericordia præſumunt, & grauiter ipſa præſumptione offendunt: exiſtimãt quacumque hora ingenuerint, fore exaudiendos, nec intelligunt ipſis culpis præpediri, ne ritè emiſerint gemitus, aut, provt decet, aſſumpſerint ad pœnitentiam volatus: *Liberalitatem eius faciunt ſeruitutem, quaſi neceſſe habeat præſtare etiam indignis, quod ſpopondit.* Spopondit veniam dignè pœnitentibus, & cùm non arripiant dignam pœnitentiam, ſibi vanè promittunt miſericordiam. Qui à furto manus auertit, quia vinculis conſtrictus: qui à ſtupro abſtinuit, quia illigatus, impedimento ſuo debet non deliquiſſe, cùm ad delinquendum non defuerit prauitas; ſed commoditas. Profectò quacumque hora ingemuerit peccator, diuina aderit miſericordia; verùm vt nummus ſcalptus, pœnitentia etiam ſubærata eſt. *Abſit* aiebat datus Tertullianus cap. 7. *vt aliquis ita interpretetur, quaſi eo ſibi etiam nunc pateat ad delinquendum, quià patet ad pœnitendum, & redundantia clementia cæleſtis libidinem faciat humanæ temeritatis. Nemo idcirco deterior ſit, quia Deus melior eſt, toties delinquendo, quoties ignoſcitur.* Nemo in deſperationem inclinet, quandoquidem omnibus patet diuina clementia; ſed videat ne præſumptioni fallaci deuiet: præſumptio namque non eſt pœnitentiæ pars; ſed inuerecundiæ portio: timendum igitur eſt, ne dum peccator acerbo caſu perſuaſus ad pœnitentiam feſtinat miſerè non perueniat: plures namque arripuerunt aliquando volatum; ſed ipſo in itinere præpediti optatum non peruenerunt ad terminum. Ecce filij Benjamin inſtante iam morte, & perſtrepentibus flammis in deſertum ſe recipere feſtinabant: & ad petram Remmon profugium tutiſſimum peruenire diſcupiebant, non tamen potuerunt ab aduerſariis impediti, &: vt exigebat culpa, mulctati: *Quod cùm vidiſſent, qui remanſerant de Benjamin, fugerunt in ſolitudinem, & pergebant ad petram, cuius vocabulum eſt Remmon. In illa quoque fuga palantes, & in diuerſa tendentes ceciderunt quinque millia virorum, & cùm vltra tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.* Expende illud: *In illa quoque fuga:* id eſt iſti iam à pugna contra Iſraëlitas deſierant, iam ad petram peruenire anhelo ſtudio properabant: & quidem ſi perueniſſent, optata fruerentur ſecuritate; verùm dum contendunt ad profugium, vltorem ſuſtinent gladium, & dum tardè ac prementibus difficultatibus ſollicitudinibuſque ſaluris negotium nequiuerunt tractare, contigit cœdem miſeram ſuſtinere. Innuit Abulenſis q. 32. *Cùm fugerent ad petram Remmon, cogebant eos Iſraëlitæ eſſe palantes, & in diuerſa tendentes, ne poſſent intrare ſolitudinem: quia ibi non poſſent pugnare contra eos.* Si recto itinere pergerent, ad petram peruenirent, cuius tutamine hoſtium conatus fruſtrarent; at frequenter hoſtium adſultus à recta via diuertebant, vnde factum eſt, vt licet contenderint ad firmiſſima, non compleuerint deſideria. O nimis verum! Plures ſunt, qui inſtante iàm morte cupiunt ad Chriſtum petram firmiſſimam ſe conferre; verùm dum tendunt, variis cupiditatum inſidiis, hoſtilibuſque impediti dolis à recta pœnitentiæ via deflectunt, & deflectendo miſerrimam mortem ſubeunt.

Tertul.

Redundantia diuinæ clementiæ abutitur temeritas & procacitas.

Abulenſ.

Iam Pharao tardè pœnitens à priſtinis conatibus abſtinebat, iam verſus littoris ſoliditatem anhelis volatibus feſtinabat; verùm fugientibus hæ ipſæ vndæ, quas innocentum ſanguine defœdauerant, veluti manu facta occurrerunt, & ſecurum tendentibus ad profugium ipſo in itinere miſerum intulere naufragium: *Cùm extendiſſet Moyſes manum contra mare, reuerſum eſt primo diluculo ad priorem locum fugientibuſque Ægyptiis occurrerunt aquæ, & inuoluit eos Dominus in mediis fluctibus.* Illa Moyſis manus, quæ toties extenta fuit ad patranda, vt Pharao oculos aperiret, reſipiſceretque miracula, quæ toties porrecta fuit ad pia incutiendum flagella, iam extenditur ipſa patientia accuſante ad commerita exercendum ſupplicia: iam Pharao retractat ſententiam, anxiiſque greſſibus peruenire curat ad ſoliditatem littoris; ſed in medio itinere ſuſtinet mulctam ſceleris. Satis ſibi tupereſſe temporis arbitrabatur ad ſe in littus recipiendum; falſus tamen eſt, & quia tot miſericorditer impenſa temporis ſpatia triuerat obſtinatus, modò tempore caruit dignè punitus. Adeſt Zeno Veronenſis ſermo. 5. de Exodo: *Dei populus liberatur, reſolutiſque vndis via cum perſecutore deletur.* Ab ipſis aquis, quas multo ſanguine ſaginauerat, via deleta eſt, vt nequiret peruenire, qui iam inceperat ſalutem deſiderare. Conſonat Caietanus: *Dicendo: Fugiamus, manifeſtant ſe velle redire in Ægyptum via, qua venerant? adhuc enim mare erat apertum, & ipſi erant progredientes verſus Iſraëlem, quando hac plaga triplex incurrerunt malum: nam animo ſunt attoniti, & corpore ſunt moti deorſum, & rotas curruum amiſerunt.* Mirè huius plagæ coloribus, quod peccatori accidit, expreſſum eſt: vult redire ad pœnitentiam; ſed adhuc contrariam proſequitur viam: vult tendere ad cœlum; ſed mouetur corporis grauitate deorſum: vult currum agitare; ſed contigit rotis carere, vnde factum eſt, vt miſeram ſuſtineat mortem, & lamentabilem patiatur ſtragem. Confiteri voluit peccator ægritudine diuexatus; ſed dum differt in diem ſequentem

204.

Exod. 14. v. 27.

Zeno.

Caietan.

Digitized by Google

quentem, manſit ſtupidus, & attonitus: quo fit, vt qui animæ ſalutem conſequeretur ſi ſecurum veræ pœnitentiæ appelleret portum ipſo in itinere patiatur naufragium.

205. Ezechiel 33. v. 12. Ezechiel omnes peccatori diffidentiæ fibras præcidens aiebat: *Impietas impij non nocebit ei: in quacumque die conuerſus fuerit ab impietate ſua.* Hugo Victorinus legit: *Quacumque hora*, expenditque in allegor. Tilmani ad cap. Ezechiel. 33. ſtultiſſimum eſſe in futurum pœnitentiam mittere.: Nam etſi ex parte Dei promiſſio inuiolabilis perſeueret: peccator ſæpeſæpius, quod verus gemitus requirit, non implet: vnde cum duplici parte conſtet promiſſio, ſcilicet impendendam fore miſericordiam, quacumque hora dignam peccator exhibuerit pœnitentiam: ex parte peccatoris ſolet miſericordia impediri, quia ſubærata, & ſcalpta pœnitentia ſolet offerri: *Nec ſub hac ſpe*, inquit, *tibi ſecurè peccandum eſt: nam quamuis in fine ſi verè pœnitueris, tibi venia promittitur; tamen quod in fine verè pœnitebis, non promittitur: valde ſiquidem difficile, vt vera ſit pœnitentia quæ tam ſera venit. Quando enim cruciatus membra ligat, & dolor ſenſum opprimit, vix homo aliquid cogitare poteſt.* Adnectit vtile ſatis conſilium. *Ergo ſi vis eſſe ſecurus, age pœnitentiam, dum ſanus es, dum mens tibi vacare poteſt: exerce illam in opere ſuo: valde ſuſpecta debet eſſe pœnitentia, quæ coacta eſſe videtur. Facile eſt vt homo ſe, quod poſſe non datur, velle putet.* Putat aliquando peccator ſe verè ingemiſcere; ſed fallitur, quià gemitus aliquos vera non profert pœnitudo, & amara criminis deteſtatio; ſed mortis metus, & quædam anteactæ vitæ diſplicentia, quæ exterius pungit; ſed interna cordis non peruadit.

Hugo.

206. Matth. 25. v. 11. Poſtquam ſtultæ illæ virgines olei venditores adierant, caræ ſatis adulationis ſtudioſæ, & euanidi plauſus auidæ ſtylum vertunt, & ſponſum quærere iam diſcupiunt: domui appropinquant; ſed occluſa ianua, etſi non impediat clamoribus aërem verberare, vetat introire. *Clauſa eſt ianua: nouiſſimè verò veniunt & reliquæ virgines dicentes: Domine Domine aperi nobis:* Non deſperarant, quæ accedebant; verùm ianua clauſa tardauit greſſum, & feſtinantium ad ſpeciem non vt fas eſſet, declarauit ſtudium: ianua refertur clauſa; ſed non refertur à quibus fuerit occluſa: *Clauſa eſt ianua.* Mihi crede: ipſæ ſibi ſtultæ virgines clauſerant, dum nimium confiſæ inerti indulſerunt ſomno, & volaticæ gloriæ inuigilarunt ſtudio: *Domine, Domine*, ingeminant, *aperi nobis*; ſed verè ſtultæ non intelligebant huius ianuæ clauem non ſolum conſtare Domini miſericordiâ; ſed vera doloroſaque inclamantis pœnitentia. Adhuc ſæculi vanitatem ſecutæ clamant, nolunt quod emerunt, oleum effundere & ſimul diſcupiunt ianuam cœli ſibi patere: ergo ſtulta confidentia retunditur, & ſatis non eſſe clamorem quemlibet, edocetur. Prodeſt Origenes apud D. Thomam in catena. *Dicit: Dum irent emere: eſt enim inuenire quoſdam, qui quando debuerunt, neglexerunt aliquid vtile diſcere: in ipſo autem exitu vitæ ſuæ, dum diſponunt diſcere, comprehenduntur à morte.* Iam diſponebant oleum emere, iam accenſis lampadibus rutilare; verum clauſa ianua impediuit acceſſum, & clamorem oſtendit vanum: non erat, quod ementant oleum lucis requiſitæ pabulum; ſed vanitatis nutrimentum: ergo ſtultæ & infelices ſimul dum appetunt nuptiarum intereſſe gaudio, inueniuntur neceſſario carere oleo.

Origen.

§. XLVIII.

Qui cupit perfectâ coronari victoriâ, contentus non ſit vitia extenuare; ſed conetur prorſus atterere.

PLures ſunt, qui nolunt vitiis ſubdi; non tamen conantur prorſus atterere: nolunt imperata à voluptatibus facere, quia earum iugum duriſſimum quidem detrectauere recipere; contenti tamen ſunt effugare, quin penitus conentur expungere. Et quidem fugatus hoſtis bellum ſæpè inſtaurat, & periculum creat: ergo animæ hoſtes non ſolum ſunt abigendi; ſed iugulandi. *Id agere debemus*, aiebat Stoicus epiſt. 51. *vt irritamenta vitiorum quàm longiſſimè profugiamus: indurandus eſt animus, & à blandimentis voluptatum procul abſtrahendus:* exilium indixit; ſed quia nouit ſatis non eſſe ad plenam victoriam, adiecit moraliſſimè: *Nobis militandum eſt, & quidem genere militiæ, quo nunquam quies, nunquam otium datur: debellandæ ſunt in primis voluptates, quæ, vt vides, ſæua quoque ad ſe ingenia rapuerunt: ſi quis ſibi propoſuerit quantum operis aggreſſus ſit, ſciet nihil delicatè, nihil molliter eſſe faciendum.* Facilè fortuna vertitur, & licèt certamina aliquantulum interrumpantur, quietem interturbat metus, & ſæpè vires reſumit aduerſarius. Nobis de aliquali vitiorum fuga plaudimus; ſed falſa ſecuritate nitimur: redibunt namque, & manû facta nos impetent: & qui videbamur cœpiſſe trophæum, ſubibimus iterum iugum. Si ambitio, etſi parum, inardeſcit, vires capiet, proficiet in perniciem luxuria, diuitiarum augebitur ſitis. Non conſtat vera libertas, ſi quid impurato affectui permittitur: penitus extinguendus eſt; alioquin reuiuiſcet, & bellum non ſine ſpe victoriæ tentabit. *Quæ ſit libertas*, quæris, adiicit Stoicus, *nulli rei ſeruire, nulli neceſſitati, nullis caſibus.* Cui poteſt vitium appropinquare, quibit etiam nocere. Benjaminitas in Iſraëlitarum manus tradendos promittit oraculum: *Cras tradam eos in manus veſtras.* Ergo promiſſis animati manus conſerunt, & Benjaminitarum plurimos vltrici gladiò præcidunt; verùm cùm plures celerem arripuiſſent fugam hoſtibus concedentes victoriam, Iſraëlitæ tergis fugientium viriliter inſtiterunt rati ſatis non eſſe ad plenum triumphum hoſtes effugaſſe; ſed attriuiſſe. *In illa quoque fuga palantes, & in diuerſa tendentes occiderunt quinque millia virorum, & cùm vltra tenderent, perſecuti ſunt eos, & interfecerunt etiam alia duo millia.* Plena reſplenduerunt victoriâ: quia contenti non ſunt aduerſarios effugaſſe; ſed occidiſſe. *Per hoc bellum*, inquit Gloſſa moralis, *filiorum Iſraël contra Benjamin bellum contra vitia deſignatur.* Materiali certamine deſignatur, qualiter in certamine contra vitia ſit procedendum; docemurque ſatis non eſſe vitia aliquantulum remouere; ſed opus penitus extirpare. Hanc veritatem

207.

Seneca.

Gloſſa.

Digitized by Google

veritatem ingenti detrimento Benjaminitæ experti ſunt hoc ipſo certamine: nam cùm ſemel & iterum fugatis hoſtibus vicerint, tandem redintegrata pugna ſuccubuerunt, & agnouerunt, etſi tardè, ſatis non eſſe ad conſummatam victoriam hoſtem abigere, ſi poſſit bellum iterum inſtaurare.

108. Bis hanc nobis eruditionem Dei Angelus tradidit Tobiam iuuenem comitatus: ad Tygrim acceſſit iuuenis, vt pedes ablueret; comes verò licet eamdem viam menſus, ſocij non eſt imitatus factum, nec quæſiuit ablutionis oblectamentum. Ergo dum Tobias Tygri abluitur, ecce immanis bellua rictu minitans proſiluit, & Tobiam pauore repleuit: Tob.6 v.2. *Ecce piſcis immanis exiuit ad deuorandum eum.* Oratione contra periculum obarmatur, & ab Angelo feram ſtrangulare iubetur. *Dixit ei Angelus: Apprehende branchiam eius, & trahe eum ad te: quod cùm feciſſet, attraxit eum in ſiccum, & palpitare cœpit ante pedes eius.* Vltimos agebat ſpiritus, & licet iam nulla timoris ad ſpeciem occaſio, exenterare tamen piſcem Angelus præcepit: *Tunc dixit ei Angelus: Exentera hunc piſcem, & cor eius, & fel, & iecur repone tibi: ſunt enim hæc neceſſaria ad medicamenta vtiliter.* Satis videbatur ad declinandum periculum, ſi Tobias celerem arriperet fugam, & tamen Angelus non iubet fugere; ſed extrahere: & inſuper licèt palpitante piſce longè abeſſe videretur periculum, quia poſſibile erat, ſi vires reſumeret, bellum iterum inſtaurare, iubetur Tobias in partes diuidere, vt exenteratus non ſolùm militare nequeat diſcrimini; ſed inſeruire perfectæ incolumitati. Piſcis fuga deluſus non afferret nocumentum; aſt ſtrangulatus attulit triumphum: ergo Raphaël contentus non eſt, ſi Tobias diſcrimen eluſerit fuga; ſed reſplendere voluit victoriâ. Viam exenterato iam piſce proſequuntur ſocij, cumque ad Raguelis domum acceſſiſſent, monet Tobiam Angelus ſacram in vxorem accipere; ille de aliorum diſcrimine captus periculum oppoſuit, vt iuſſionem extraheret: verùm Angelus parte aſſeruati iecoris ſuper carbones iniecta dœmonem teſtatur fugandum: *Cordis eius particulam ſi ſuper carbones ponas, fumus eius extricat omne genus dœmoniorum, ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Tobiæ 6. v.8. Patuit Tobias, & quod imperabatur, perfecit: *Recordatus itaque Tobias ſermonum Angeli protulit de caſſidili ſuo partem iecoris, poſuitque eam ſuper carbones viuos.* O quàm vtile fuit Angeli monita memoriâ conſeruaſſe, nec obliuioni tradidiſſe! Profectò ni medicinam exerceret, notitia adaugeret culpam, & culpam ſequeretur digniſſimè pœna. Suis calamitatibus auxiliantur plures, non quia medicamina non ſortiantur; ſed quia eis vti ignauè ſatis obliuiſcuntur: non adeò culpabiliter vt Tobias, cæteri periiſſent, ſi operi conſilia Angelica non mandaſſet, quandoquidem alij non ita ad manum habuerant remedium, nec audierant à Raphaële conſilium: ergo cùm Angelo parens fumo effugaſſet dœmonem, effugatum Angelus religauit, nec ſatis eſſe fugam Tob.8.v.2. oſtendit: *Tunc Raphaël Angelus apprehendit dœmonium, & religauit illud in deſerto ſuperioris Ægypti.* Inquires, quid opus fuerit vinculis, quando fumo abactus accedere iterum non præſumeret: *Fumus extricat omne genus dœmoniorum ſiue à viro, ſiue à muliere, ita vt vltra non accedat ad eos.* Si iam non timetur acceſſus, quia depulit fumus, otioſa videntur vincula, & ſuperuacanea Angelica diligentia: quid ergo religet Angelus, quem abegerat iam ſuffitus? O vtilem nobis eruditionem! Dœmon iterum non accedet; ſed ni religetur, accedere poteſt: ergo Angelus, vt plenam victoriam aſſequatur Tobias, ſatis non eſſe aduerſarium vertiſſe in fugam edocuit, & ne redire poſſet, iterum religauit: *Apprehendit dæmonium, & religauit, ne Tobiæ poſſet inferre nocumentum*, inquit Lyra. Lyra. Ne auderet iterum temerarius, & inſidias texeret ſubdolus, vinculis conſtringitur: ſic namque & triumphus cumulatior, & pax tranquillior. Tunc perfectâ te victoriâ potitum crede, cùm periculi contingentiam etiam abegeris, & Dei auxilio hoſtem in tuto conſtitutus religatis, prorſuſque deuinxeris. Diſceſſit à te aliquantulum vitium effugatum; ſed nondum penitus deuictum: ergo ne falſa tibi blandiaris ſecuritate; ſed in ſtatione perſiſte: nam dum hoſtes penitus non extinxiſti, debellaſtique, ſors poteſt verti, & in contrariam partem tranſire.

Gigas ille intempeſtiuis minis inſultabat, & 109.
vultus toruitate in fugam hoſtes vertebat: *Omnes Iſraëlitæ, cùm vidiſſent virum, fugerunt à facie eius timentes eum valdè.* 1.Reg 17. v.24. Aduerſarios fugam arripere adſpiciens inani gloriabatur tumore, quin fugientes inſectaretur certamine: *Et aiebat Philiſthæus: Ego exprobraui agminibus Iſraël hodie.* Per plures dies terga Iſraël vertit, & ſibi aduerſarius plauſit; verùm Dauid in campum proſiliens, hoſtemque proſternens qualiter decertandum edocuit: *Prævaluit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide, percuſſumque Philiſthæum interfecit.* Tumens ſuperbienſque de fugâ inflictâ concidit plagâ: & quidem ſi fugientes inſectatus plenam aſſecutus eſſet victoriam, luctuoſam non experiretur fortunam; at dum contentus eſt fugâ, inſtaurato bello validâ percuſſus eſt dexterâ. Dauid contentus non eſt infixo lapide proſtrauiſſe; ſed cucurrit, & proprio gladio iugulauit. Cùm caput manu attulit, triumphum compleuit: aliter namque, etſi periculum videretur abeſſe, timor gaudium poſſet interturbare; iugulato verò aduerſario nulla erat timoris cauſa, & plenior reſplendebat victoria: *Præſens aderat Goliat ingens robore* Baſilius. (verba ſunt Baſilij Seleucienſis orat. 15.) *grauis adſpectu, immane ſpirans, neque inceſſu diſpari; altum vociferans, & vociferationem adſpectu comprobans. Qui cùm inſtar montis extaret, hoſtem ante conflictum cogebat pugnam detrectare.* Tumidus ſuperbiebat, & ſuperbus de pugna ab aduerſariis detrectata ſibi gratulabatur; ſed dum contentus eſt hoſtem effugaſſe, calamitatem ſibi conſtat aſciuiſſe. Ecce Iſraëlitæ, qui ſæpè ſæpiùs detrectauerant pugnam, aſſecuti ſunt poſt fugam victoriam: vt noueris ſatis non eſſe hoſtem effugare; ſed vincere; Dauid vt qui à Domino decertare edoctus, à longè iecit lapidem, proſtrauit hoſtem; contentus tamen non eſt gigantem deieciſſe; ſed iam deiecto cucurrit, inſtitit, iugulauitque. Ergo Iſraëlitæ, vt con-

ceſſo

Digitized by Google

ceſſo à Domino plenè reſplenduerint triumpho, aduerſariorum profugia anhelantibus flammarum globulis tradiderunt, & aduerſarios terga dantes iugularunt.

---

§. XLIX.

Rarò iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus.

210. PRo vitio ſtare videbit vulgus: quidquid virtuti contrarium libenter ſuſcipitur, deſertum virtus tutelari deſtituta habitare cogitur: pecorum ritu pergimus, non qua eundum eſt; ſed qua itur: nulla res nos maioribus malis implicat, quam quod ad numerum, non ad æquitatem componimur: ſequenda cenſemus, quæ plures ſequaces habent: quia non rationem; ſed conſuetudinem, multitudinemque attendimus. Hinc tanta coaceruatio decertantium, & alios ad errores trahentium, vt in ſtrage hominum, cùm ſe populus premit, quiſque, dum cadit, alium ſecum etiam caſurum prehendit; ita multis videbis accidere: nemo ſibi tantùm nocet; ſed alij cauſa & auctor erroris eſt: verſat nos & præcipitat tradita per manus conſuetudo tuendi deteriora: virtus, ſi iudicio cum prauitate contendat, lite ſuccumbit, quia plures vitium patronos habet.

Seneca. Quàm prudenter Seneca lib. de vita beata cap. I. *Cùm de beata vita agitur, non eſt quod mihi illud diſceſſionum more reſpondeas: Hæc pars maior eſſe videtur: ideò enim peior eſt: non tam benè cum rebus humanis agitur, vt meliora pluribus placeant: argumentum peſſimi turba eſt: quæramus quid optimè factum ſit, non quid vſitatiſſimum, & quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, nunquid vulgo veritatis peſſimo interprete probandum ſit.* Si vulgo probanda aſſequaris, virtutem deſeres: quia meliora vni aut alteri placent, deteriora cunctis. Cùm Iſraëlitæ pudicitiæ cauſam ſuſcepiſſent, & Benjaminitæ ſalacitatis cauſam defenderent, promiſit Deus victoriam in Iſraëlitarum partem ceſſuram: *Cras tradam eos in manus veſtras.* Diuinum promiſſum textus refert, vt decebat, celerrimè impletum: *Sic factum eſt, vt omnes, qui ceciderant de Benjamin in diuerſis locis, eſſent vigintiquinque millia pugnatores ad bella promptiſſimi.* Diſputant nonnulli apud Abulenſem, an hæc Beniamitarum ſtrages fuerit miraculosè patrata, an communi modo perfecta: quæſtionem attulit conſuetudo: nam cùm frequenter inultum inſoleſcat vi-

Abulenſ. tium, puniri modò induxit morale dubium: *Aliquis dicet*, inquit quæſt. 17. *Quòd fuerunt miraculosè traditi: quia Deus dixit hic: Cras enim tradam eos in manus veſtras: iſtud tamen non dicitur, niſi quando Deus agit aliquid ſpeciale adiuuando aliquem de pugnantibus.* Vt rarum eſt apud ſæculum in vitia pugnare, & in illa acriter inuehi, occaſionem nonnullis præbuit exiſtimandi illatam Benjaminitis pœnam extitiſſe miraculum, vt quæ exceſſerit ſæculi ſtylum: verùm Abulenſis litteram ſemper ſtrictè ſecutus exiſtimat in occiſione Benjaminitarum non interceſſiſſe miraculum; imò ait, ſi aliquod miraculum ponendum eſſet, non deuictis; ſed victoribus applicandum, quandoquidem perrarum eſt, honeſtam cauſam plures ſortiri adiutores, & pauciores iniquam tutelares; cùm de communi vſu à paucis virtus honoretur, & prauitas à plurimis compe-

titoribus exambiatur. Audi Abulenſem: *Potius dicendum eſt eſſe miraculum, vel quaſi, quòd vigintiquinque millia de Benjamin pugnarent contra trecenta ſexaginta millia virorum fortium, & quòd pauci fouerent iniquam cauſam, & multi fouerent iuſtam.* Ecce teſte Abulenſi, quaſi miraculum eſt plures honeſtam cauſam fuiſſe ſecutos, & iniquam pauciores amplexos, quando, vt aiebat Seneca, *hæc pars maior eſt.* Adde è virtutis caſtris transfugas quotidie ad vitiorum caſtra tranſire, & ratò vitiorum aſſeclas ad virtutis campum inuolare. Abulenſ.

Pro iniquitate, inquit Habacuc, *vidi tentoria Æthiopiæ, turbabuntur pelles terræ Madian.* Hieronymus in commentario huius loci virtutis aſſeclas ad vitiorum caſtra ait excurriſſe, quaſi eos puduerit pro virtute aliquando militaſſe: ipſum audi: *Qui templum Dei eſſe dicebantur, propter iniquitatem auaritiæ, luxuriæ, & omnis malitiæ fiunt tabernaculum Æthiopum, id eſt, dæmonum.* Ad dæmonum partem tranſeunt, qui ſequi inceperant Chriſtum, pro iniquitate decertantes, & virtutem deſerentes. 211. Habac. 3. v. 7. Hieronym.

Chriſtum recèns natum cœleſte ſydus Magis demonſtrat: tres illi principes eloquenti ſyderis ſplendore ſuaſi Domini cunabula accurrunt muneribus rigaturi: Ieroſolymam intrant, & de rege aulicos rogant: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum?* Herodes nuntio perculſus obturbatur, & obturbatum omnis Ieroſolyma ſequitur: *Audiens autem Herodes rex turbatus eſt, & omnis Ieroſolyma cum illo.* Si numeres Chriſti adoratores, tres non ſine miraculo adductos inuenies: ſi Herodis ſequaces, numerare nequibis: tota pro Herode Ieroſolyma ſtat, Magus pro Chriſto, vt hinc recèns natum cœleſtem eſſe, vel ipſa ſequentium paucitas publicaret, & lippientibus clarè oſtenderet. Vide Ieroſolymorum coronam, chlamydatos, purpuratoſque Herodis partem ſecutos, & de Chriſti proximitate turbatos: Herodem ſequitur infinitus ferè numerus, Chriſtum exiguus: quia de vetuſto ſæculi more veritas virtuſque plurimos patiuntur oſores, pauciſſimos inueniunt ſequaces: tres Magi Chriſti Domini tuentur cauſam, populus Herodis dementiam: fulgebat hic collucenti purpura, pannis ille vilibus tegebatur: iacebat alter in præſepio, alter ſuperbiebat in throno: & licèt paruulus radiarit in ſydere, homines nihili faciebant cœleſtia, plurimi humana: ergo quantumuis recèns natus cœlo ſplendeat, deſpicitur, ſi in mundo ſordeat: vt è contra Herodes magni habetur, etſi obtenebretur in cœlo, dum faſtu ſplendet in mundo: *Turbata eſt omnis Ieroſolyma cum illo*, exponit Gloſſa Angelici Doctoris in catena, *volens illi fauere.* Duo aderant reges, Chriſtus, & Herodes; ſed Ieroſolymitani Herodi obſequuntur, Chriſto aduerſantur: quòd ſi Herodis merita vis audire, auſculta matres occiſam innocentiam irremediabilibus gemitibus lachrymantes. Profectò Herodes mores confuderat, virtutes abegerat, honeſtatem Matth. 2. v. 2. Gloſſa.

honeſtatem penitus deprauarat: ergo hunc ſequuntur aulici, non Chriſtum Dominum ſuperbiæ ſumptum damnantem, & paupertatem facultatibus præferentem.

212. Ioannes ſignum magnum apparuiſſe teſta-
Apocal. 12. v.1. tur in cœlo: *Signum magnum apparuit in cœlo:* etſi hoc ſignum, miraculumve applicari plurimis poſſit, abs re non erit de commiſſo inter Michaëlem, & draconem prælio intelligere. Ergo ſerpentis cauſam tertia ſtellarum pars ſequitur, pars dupla pueri ac matris cauſam
Apocal. 12. v.4. amplexatur: *Cauda eius trahebat tertiam partem ſtellarum cœli.* Adnectit Ioannes: *Factum eſt prælium magnum in cœlo: Michaël & Angeli eius præliabantur cum dracone, & draco pugnabat & Angeli eius.* Michaël Dei partes agit exercitu duplo munitus, draco ſuperbiæ defendit cauſam milite pauciore ſtipatus: ergo miraculum eſt, plures æquitati fauiſſe, & pauciores prauitati obſecundaſſe. Iam per cœlum Eccleſiam intelligi, commune Interpretibus.
Ambroſ. Audi Ambroſium hîc: *Hac mulier Eccleſiam deſignat, Conſequens quippe erat, vt poſt prædicationem Chriſti eius forma deſcriberetur.* Ergo inquit Ioannes inſolitum, magnumque miraculum accidiſſe, videlicet iuſtam cauſam plures ſortitam tutelares, iniquam pauciores, quandoquidem de communi vſu æquitatis caſtra ſequuntur rari, & nomina dant iniquitatis vexillo innumeri: duplam igitur ſtellarum partem ſtetiſſe pro puero, & vnicam tantum pro ſerpente coronato adeò inuſitatum fuit, vt Ioannes magnum appellarit ſignum: *Si-*
Gloſſa. *gnum magnum apparuit in cœlo.* Gloſſa hîc de pugna diaboli & Eccleſiæ agi apertè tradit: *De pugna Eccleſiæ, & diaboli eſt.* Itaque in hoc capite reuelata fuit Ioanni Eccleſiæ pugna cum dracone: ergo vt aſpexit plures pro Eccleſia, quàm pro ſerpentina malitia, ſignum confeſſus eſt magnum. Adſpice longiſſimos terrarum tractus virtutem impugnantibus plenos: rarus eſt, qui libidinis non ſequatur ductum, qui auaritiæ ſiti non inardeſcat, qui ambitionis delirio non furat: pauciſſimos virtus ſortitur aſſeclas, raros habet, quos inſtruat alumnos; pro vitio depugnatur, appetitibus inſeruitur.

213. Dauid iniquorum terror, populi ſalus, ingi depulſor, & libertatis aſſertor ſexcentos
1. Reg. 23. v.13. milites habet: *Surrexit Dauid & viri eius, quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti:* Saul, vt in Dauidem irruat, manum cogit numeroſiſſimam: *Præcepit Saul omni populo, vt ad pugnam deſcenderent in Ceilam, & obſiderent Dauid, & viros eius.* Non deſcribitur hîc Saulis militum numerus, numerus militum Dauidis refertur: erat namque alter exiguus, & quodammodò alter immenſus. Dauidis manſuetiſſimi Reipublicæque vtilis cauſa deſeritur; imò non ſolùm deſeritur ſed ſtudioſè impugnatur: Saulis dæmonum habitaculi, prædis inhiantis, innoxium ſanguinem effundentis cauſa ſuſcipitur, & defenditur, vt iam ipſa in hiſtoria reluxerit noſtra theſis: *Primò Ceila per Dauidem tegitur,*
Lyra. inquit Lyra, *ſecundò in ea contra Dauidem obſidio diſponitur.* Contra protegentem diſponebatur obſidio: & qui ſexcentos habebat auxiliares, ferè innumeros patiebatur impugnatores: ad mortem quærebatur beneficus, plurimis ſtipatus incedebat invidus & tyrannus.

§. L.

Dei erga te beneficia exaggeratiùs commendat grandis pereuntium numerus, & infelix plurimorum ſucceſſus.

ALiena calamitas, ſi non eſt propriæ felicitatis incrementum, eſt equidem lenocinium: cumulatius eſt gaudium, ibi ſe inueniſſe portum, vbi plures miſerum ſuſtinuerunt naufragium: proſperæ alterius fortunæ aliena ſtrages interpres eſt: quid additur ad gratiam littoris ſoliditatem teneri, ſi ad mare contorquens oculos abſorptum ſociorum videat procelloſis vndis nauigium. Vnus Ionas ex cunctis nauigantibus naufragus collata in alios commendabat beneficia, & cogebat ad gratitudinis holocauſta: *Timuerunt viri timore magno Dominum, & immolauerunt hoſtias Domino, & vouerunt vota.* Plures remanſerant: vnus ſolus perierat; verùm dum vnuſquiſque ſe cum cogitat potuiſſe ſibi, quod alteri contigiſſe, pinguiorem offert victimam, & ampliorem refert gratiam. Quid facere tenetur, qui ſingularis relictus eſt, cum fluctus cæteros hauſerit. Certè alteriùs creſcit beneficium, ſi alterum diuexauerit detrimentum. *Plerique*, aiebat Tertullianus lib. de Pœnit. cap. 6. *Naufragio liberati exinde repudium & naui, & mari dicunt, & Dei beneficium, ſalutem ſuam ſcilicet memoria periculi honorant.* Recordantur ſocios amicoſque vorticum violentia abſorptos rapiditate, cùm ipſi eluſerint procellam, & ad ſalutem inuenerint tabulam: ergo Dei beneficium honorant, dum beneficium de ſingularitate cumulatius exiſtimant ſexcenti tantùm viri ex omni tribu Benjamin euaſerunt incolumes, cùm ingens copia iacuerit agris inſepulta, & ab hoſtibus trucidata. Ergo hi tutiſſimam confugerunt ad petram, ne viderentur obliuiſci acceptam ſalutis gratiam: *Sic factum eſt, vt omnes, qui ceciderant de Benjamin in in diuerſis locis eſſent viginti quinque millia pugnatores ad bella promptiſſimi: Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri, ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.* Cùm firmiſſima petra in ſacris Scripturis Chriſtus Dominus appelletur, ad petram confugiſſe idem eſt ac ad Chriſtum Dominum inuolaſſe: qui gladium aduerſariorum fruſtrarunt, non ſine ſtupore expendebant omnes reliquos vltore gladio corruiſſe interfectos, ſeque eidem crimini obnoxios fuiſſe miſericorditer aſſeruatos: ergo adhærebant Petræ, beneficium memoriâ honorantes, & adhæſione colentes: *Iſti ſoli euaſerunt, & fugerunt ad ſolitudinem*, inquit Abulenſis q. 33. *Vbi erat Petra Remmon, quæ non erat expugnabilis.* Plures alij tentauerunt ad petram confugere; ceciderunt tamen fraudati deſiderio: ergo iſti cumulatiori fruiti ſunt beneficio: miſericordia Dei fuit, & quidem ingentiſſima, cùm omnes eodem obſtringerentur reatu,

Margin (right column): 214. — Ionæ 1. v.16. — Tertull. — Abulenſ.

Digitized by Google

reatu, hos ab imminenti morte eripuiſſe, & fugiendi opportunitatem donaſſe. Profectò ſi dilargitam nobis ſalutem cum aliorum clade compararemus, Dei clementiam miſericordiamque grata deprædicaremus lingua, quandoquidem cum eadem nos cauſa ſuppliciis ſimillimis reddiderit obnoxios Dei ſolum miſericordia cuſtodiuit illæſos. Tibi apud veram petram, Chriſtum ſcilicet Dominum parauit miſericordia refugium, & conceſſit ſecuriſſimum tutamentum: cùm commilitones tuos eodem tempore, eademque acie decertantes tradiderit morti, & æterno fortaſſis igni.

215. In ſanctiſſimum Iobum accepta à Domino facultate dæmon truculentiſſimus obarmatur, nec ſolùm iam acuebatur innata inuidia; ſed victoriæ præſumpta iactantia: ædificium acri ventorum impulſu labaſcit, & cùm filij, cæ-
Iob. 1. v. 19. terique perirent, vnicus euaſit ſeruus: *Filijs tuis, & filiabus veſcentibus, & bibentibus vinum in domo fratris ſui primogeniti repentè ventus vehemens irruit à regione deſerti, & concuſſit quatuor angulos domus, quæ corruens oppreſſit liberos tuos, & mortui ſunt, & effugi ego ſolus.* Flammarum imber è cœlo ruit, & cum oues, pueroſque vorauerit, vnus beneficio cœleſti aufugit: *Ignis Dei cecidit è cœlo, & tactas oues, pueroſque conſumpſit, & effugi ego ſolus, vt nunciarem tibi.* Quale putas fuiſſe beneficium in media, vniuerſalique aliorum ſtrage incolumen euaſiſſe. Arſerunt alij in nigros redacti cineres, voracem flammam ſuſtinuerunt, & cùm iſte eiuſdem fuerit conditionis, eluctantia auaſit incendia: intra eamdem domum manebant, & cùm expertus fuerit filius ruinam, ſeruus euaſit miſeriam. Quas ergo gratias reddere tenebatur exemptus, cùm filius iacuerit inopina morte ſublatus: *Cùm tenta-*
Gregor. *tionum procellas*, aiebat, etſi aliorſum Gregorius Magnus lib. 2. moral. cap 8. *Increſcere extrinſecus viderit, ſeceſſum ſpei Dominicæ appetens intra conſcientiæ portum fugit.* Nequibat ad conſcientiam non redire, cumulatiſſimas gratias non poterat non referre, qui crebreſcentibus tentaminum procellis ſe vidit ereptum, & quàm plurimos aſpexit proſtratos. O quam ſerui exaggerabat beneficium filius ruinis ſepultus, & conſeruus repentè ablatus! nequibat, qui euaſerat ſolus, tota cordis deuotione non expendere quàm grande accepiſſet beneficium, & quàm ad referendas numini gratias alienum & vniuerſale cogebat incommodum! *Puer, qui hæc nuntiat, ſolus euadit*, inquit Gregorius ſupra datus cap. 16. Et ſubiicit: *Non ſolùm vires, à quo accipiat, diſcit; ſed quanta eas vigilantia ſeruet, intelligit.* Dum ſeruus ſe ſolummodò exemptum dicit, quanta fuerit vigilantia ſeruatus, prodit.

216. Moyſes grandis factus negauit ſe eſſe filium filiæ Pharaonis magis eligens affligi cum populo Dei, quàm temporalis peccati habere iucunditatem: nec mirandum pro Deo ſteterit, qui tanta ab incunabulis acceperit beneficia. Infantes omnes Pharao truculentiſſimus naturæ hoſtis, cum Deoque deprælíatus cum nulla humanitate fluentis tradi iuſſit: nefarium regis edictum naturam velut obſidione arctiſſima concludebat, eratque commiſeratione digniſſimum recens natos nondum ſolares radios intuitos vndis tradi, & vorticibus ſepeliri: *Quidquid maſculini ſexus natum fue-* Exod. 1. v. 22.
rit, in flumen proiicite: quidquid fœminini, reſeruate. Hac tempeſtate Moyſes editus ſcirpea includitur fiſcella, & fluentis commiſſus adeò feliciter enauigat pelagus, vt non ſolùm appulerit portum; ſed regale inuenerit ſceptrum. *Quem illa adoptauit in locum filij, vocauitque* Exod. 2. v. 10.
nomen eius Moyſes dicens: Quia de aqua tuli eum. Nomen ipſum ſingularis cœleſtis miſericordiæ memoriam ingerebat, & de vniuerſali puerorum calamitate ſoſpitatis beneficium exaggerabat. Eadem erat Moyſi cum cæteris pueris cauſa, & cùm cæterorum fluuius eſſet carnifex, huic Dei iuſſu pepercit, vt ibi inueniret ſpeciali Dei fauore ſalutem, vbi tot pueri miſeram ſuſtinuerant ſtragem. *Fluuius*, aiebat Seleucienſis Baſilius orat. 9. *Natorum carnifex conſtituebatur.* Adnectit. *Fertur ille expers periculi per fluenta contra inimici edictum ſeruatus; Dei vero iuſſu infanti, cuius virga futurum erat, vt non multò poſt ſecaretur & mare, fluuius parcebat.* Illic fertur periculi expers vbi reliqui experiebantur periculum. Ergo iuſtum erat benemerenti gratiam referre, & apprehenſa virga ignotam contribulibus viam aperire; dum memoriam ſubiret Moyſi ſe à communi ſtrage ereptum, & ab ipſo profundi limine reſeruatum, nequibat vberes, grataſque lachrymas non effundere, & fallacibus Ægypti gaudiis tenebatur, renuntiare: Ægyptum fugit, cuius fraude pelagi raperetur ad profunda, ni cœleſtis eriperet prouidentia: ergo honorauit Dei beneficium Ægyptum auerſatus fraudulentam, & ſolitudinem petens ſecuram.

217. Apud piſcinam illam antiquitus celebratam multitudo ingens iacebat languentium: Chriſtus Dominus è tot vnum elegit, cui ino-
Ioan. 5. v. 8. pinam redderet ſanitatem: *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula: & ſtatim ſanus factus eſt homo ille, & ſuſtulit grabatum ſuum, & ambulabat.* Quàm ſuaue, leueque erat onus humeris impoſitum expendenti ſibi vnico ſanitatem conceſſam, cum tot acerbis doloribus diuexarentur oppreſſi, & duris infirmitatum vinculis prægrauati. Quid ſpeciale ille homo habuit, quo diuinos ad ſe oculos alliceret, poſt prolixos in infirmitate annos poſitos? Certè miſericordiæ Dei fuit ad illum oculos conuertiſſe, & ſanitate donaſſe. Ergo creuit beneficium non ſolum quia accepit ſalutem; ſed quia ibi liberaliter accepit, vbi multitudo languentium iacebat omni ſalute deſtituta, & ingenti calamitatum cumulo oppreſſa: *Dimit-*
Chryſoſt. *tens alios*, inquit Chryſoſtomus in catena, *ad hunc venit; & non dicit: Vis? te curabo: nondum enim aliquid magnum imaginabatur ille de Chriſto.* Nihil magnum de Chriſto animo conceperat, nullis ad accipiendam ſalutem precibus incitarat, & cum Dominus in alios aſpectum potuiſſet dirigere, dignatus eſt hunc præ cæteris perſanare. Ergo ille ſi iuſtus rerum æſtimator expendit beneficium, nequiuit in voces gratiſſimas non erumpere, & ſingularem miſericordiam exertis clamoribus non denuntiare.

§. LI.

Digitized by Google

§. LI.

Pro volatica ac caduca vita patienter amplectuntur homines dura, pro ſalute ſpirituali detrectauerunt exigua.

218. TEcum cogita quàm multi corpori inſeruiant, quàm pauci virtuti; quidquid ſenſum non ſine fallacia oblectat, ſuſpiratur: quidquid animum ad celſiora ducit, contemnitur. Adſpice quantus ad ſpectaculum non fidele, & luſorium fiat concurſus, quanta ſit circa cœleſtem Philoſophiam ſolitudo: athletæ lacertis firmandis, ædificando corporis robori tota ſolicitudine incumbunt; ad certamen cum vitiis vires non colligimus; ſed ignauè dormitamus: corpus multis eget, vt tantiſper gaudeat, paucis ſpiritus, & tamen circa corpus totum verſatur ſtudium, virtutis eſt tœdium. Iam ſi quanta pro ſalute firmanda, aut adquirenda homines ſuſtineant, expenderis, demirabetis recuſare hominem pro vita æterna, quæ patitur pro caduca. Expendebat Tertullianus aduerſus Gnoſticos cap. 5. quanta non recuſet ſubire tormenta deſiderium ſalutis: nam cum medicina quaſi ſæuitia ſit de ſcalpello, de cauterio, deque ſinapis incendio, cumque aliquando opus ſit ſecari, inuri, & extendi: infirmi ipſos dolores exambiunt: quia ſalutis fructum adſpiciunt: *Horrorem operis fructus excuſat: vlulans denique ille, & gemens, & mugiens inter manus medici poſtmodum eaſdem mercede cumulabit, & artifices optimas prædicabit, & ſanas iam negabit.* Itaque ſalus dubia perſuaſit ſubire gemitum, non recuſare mugitum, cùm non ſemel certa animæ ſalus hominibus non ſuadeat leniora pati, & labores viles ſuſtinere: *Quid grauatur pati nunc homo ex remedio*, adijcit Tertullianus, *quod non eſt grauatus tunc pati ex vitio? Diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem: nauſeabit ad antidotum, qui hiauit ad venenum.* O nos miſeros, qui tanta pati ob infirmam ſalutem non recuſamus, cùm ob æternam vitam vel ſuſtinere leuia recuſemus. Componamus Benjaminitas, dum temporalem conſeruare vitam exambiunt, cum ipſis, dum ad promiſſam terram imaginem cœleſtis patriæ contendunt: per deſertorum inuia pergebant, candida nube contra ſolares radios protecti, & luminoſa flamma contra noctium horrores illuſtrati: manna illis cœlum demittebat, & tamen cœleſtem panem faſtidiunt, & deſertorum ſolitudinem auerſantur. *Quis dabit nobis ad veſcendum carnes? Recordamur piſcium, quos comedebamus in Ægypto gratis: in mentem nobis veniunt cucumeres, & pepones, porrique, & cepe, & allia. Anima noſtra arida eſt: nihil aliud reſpiciunt oculi noſtri niſi man.* Itineris faſtidiunt labores, cœleſtem auerſantur panem carnium deſiderio æſtuantes, & Ægyptum corde incolentes. Tranſi modo ad Iudicum 20. vbi Benjaminitæ, vt mucrones hoſtiles fugerent, ſe in deſertorum latebras contulerunt, & ibi per quatuor menſes latitarunt: *Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri, ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.* Quo potu & alimento hic fuerint vſi, inquirit Abulenſis q. 33. *De iſtis quatuor menſibus quid tunc comederent iſti Benjaminitæ dubium eſt.* Iam dubio reſpondet: *Dicendum videtur, quod apud petram Remmon erant fructus arborum, & olera, atque herbæ, & deſcendebant ad ipſa loca Benjaminitæ, & comedebant; ad loca autem populata non auderent deſcendere: quia illa erant loca Iſraëlitarum, & caperentur in eis; aquam autem facilè in deſerto ipſo inuenirent.* Inſipidis herbis, & turbida fortè aqua victitantes incolebant deſerta, ne priuarentur caduca vita; cùm tamen hi ipſi cum reliquis Iſraëlitis carnes deſiderarint, & manna panem Angelicum faſtidierint: pro capeſſenda promiſſa terra ſubire detrectauerunt ſolitudinis labores, quos pro conſeruanda tulerunt caduca vita: hic nubis vmbraculo non proteguntur, ſplendenti columna non illuminantur, veſcuntur herbis, nec obmurmurant, quia magnos adeò labores vitæ amor obdulcorabat, & faciles perſuadebat: ibi lætior cibus, dulcior potus, & tamen malignitatis linguam non occluſit, nec ad cœleſtem patriam inuolare ſuaſit.

Tertull.

Numer. 11. v. 4.

Abulenſ.

219. Ioſuë exploratores Ierichо ingrediuntur; verùm licèt magna cautela fuerint vſi, ad mortem quærebantur lynceis circitorum oculis indagati: apud Rahab latitant lini ſtipula contecti, & anxia cura ſoliciti: *Operuit eos ſtipula lini, quæ ibi erat:* non pretioſis regit; ſed vilibus; nec tamen exploratores refugiunt inter ſtipulam ſordeſcere, & obnoctare: per funem à Rahab dimiſſi per tres dies in montium cauernis latitarunt herbarum ſucco victitantes, & ſitim ac inediam patienter ſuſtinentes: *Ad montana conſcendite, ne fortè occurrant vobis reuertentes, ibique latitate tribus diebus, donec redeant, & ſic ibitis per viam veſtram.* Conſilio accepto ad vnguem paruerunt, & ad fragoſa contendentes terræ ſpecubus latitarunt: *Ambulantes peruenerunt ad montana, & manſerunt ibi tres dies, donec reuerterentur, qui fuerant perſecuti.* Vides triduum patienter inſtituiſſe, & ne à circitoribus caperentur, patienter ſatis expectaſſe: ardens adurgebat ſitis, dura premebat inedia, nec tamen audebant proſilire, victumve quærere. Tranſi modò ad Chriſti Domini Diſcipulos, qui cùm ab eius ore audiuiſſent poſt triduum Iſraëlem redimendum, nondum expectarunt; ſed ipſa tertia die ad Emmaus caſtellum confugerunt: *Ecce duo ex illis ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Ieruſalem nomine Emmaus.* Triduum nondum completum ipſi conteſtantur: *Nos autem ſperabamus, quia ipſe eſſet redempturus Iſraël, & nunc ſuper hæc omnia tertia dies eſt hodie quòd hæc facta ſunt.* Vt redimerentur, triduum non ſuſtinuerunt compleri, cum exploratores per triduum patienter tulerint latitare: & ad hæc diſcipuli eduliis non indulgebant, quandoquidem peregrinum inuitarunt, & de ſiſtertiis panem protulerunt: ſibi & aliis ſuppetebant edulia, exploratores acris adurgebat inedia, & tamen hi non recuſarunt tridui labores, illi verterunt terga, nec redemptionis præſcripta expectauerunt ſpatia: vt noueris quàm aliter ſe homines gerant ad fragilis corporis vitam tuendam

Ioſuë 2. v. 6.

Lucæ 24. v. 13.

dam, & ad ſalutem animæ conſeruandam. Idem diſcipulis, exploratoribuſque temporis præfigebatur ſpatium, Diſcipuli non expectarunt, exploratores patientiſſimi ſuſtinuerunt: *Licèt Iordanis,* inquit Lyra, *parum diſtaret à Iericho; tamen ad tantum tempus manſerunt perſecutores exploratorum: quia non ſolum quæſierunt eos in via, & in termino viæ; ſed in latibulis circumquaque. Hebræi autem dicunt, quòd reuelatum fuit ipſi Rahab pro ſalute exploratorum quòd tantùm tardarent.* Rahab præſcripſit terminum pro ſalute, Chriſtus pro redemptione, & licet ſalus exigui pretij, & magni fuerit momenti redemptio, Diſcipuli iam diſcedebant, exploratores verò expectabant, O nos miſeros! quibus quæcumque ad corpus, plurimi habentur, cùm ad animam ſpectantia parui frequenter habeantur. Lyra.

110. Hoc idem in Micha ſatis apparet. Idolum conflauerat, quem pro Deo aris, flamine, & ſacrificiis colebat; verùm cùm Danitæ pro hoſpitij mercede idolum abſtuliſſent, ipſe anxiis clamoribus cordis dolorem expromebat: fures minantur mortem, ſi clamauerit, & iam, vt ſaluti conſulat, ora ſilentio ſigillat: *Caue ne vltra loquaris ad nos, & veniant ad te viri animo concitati, & ipſe cum omni domo tua pereas.* Quid tunc? *Videns autem Michas, quòd fortiores ſe eſſent, reuerſus eſt in domum ſuam.* Clamoribus quærebat Deum, ſilentio procurabat ſalutem: ergo maluit terga vertere, quam Deum proſequi: ſi pergeret, à Deo, quem colebat, minus diſtaret; ſed approximaret periculo; ſi rediret domum, tueretur ſalutem; ſed quam venerabatur numinis deperdere cogebatur imaginem. Ergo ora patienter continuit ob corporis commodum, cùm clamare poſſet ad virtutis incrementum: pro Deo noluit oppetere mortem, quam Saül ambiuit, vt ludibrium fugeret, & euanido honori attenderet; *Dixit Saul ad armigerum ſuum; Euagina gladium tuum, & percute me, ne fortè veniant incircumciſi iſti, & interficiant me illudentes mihi.* Vitâ redemit honorem, cùm Michas Dei iactura redemerit vitam: maluit Michas, quàm glorioſam mortem, ignobilem vitam; maluit Saul animæ periclitari ſalutem, quàm regalis dignitatis honorem: & quidem Saul Micham confundit, quandoquidem iſte minoris Deum æſtimauit, pluris honorem ille. Vt verum ſit, quod aiebat ſupra Tertullianus: *Diſplicet occidi in ſalutem, cui non diſplicuit occidi in perditionem.*

Iudic. 18. v.25.

1.Reg.31. v.4.

§. LII.

Ieiunium eſt ſalutis myrothecium, & contra ardorem ſpiritualium hoſtium armarium.

111. Diabolus, qui ſemper primordia virtutis pulſat, qui ſemina in ipſo ortu feſtinat extinguere, qui ſolida dolet iaci fundamenta, toto prauitatis ſtudio ſatagit impedire ieiunia. Et quidem ieiunium eſt caſtæ cogitationis origo, fœdæ cupiditatis faſcinum, cœleſtium deſideriorum fomentum, lachrymarum parens, doloris ſalubris genitor, vitiorum medela, & in dœmonem ſagitta: *Eſt quidem ieiunium,* aiebat Chryſologus ſerm.8. *vitiorum mors, vita virtutum. Eſt ieiunium pax corpori, membrorum decus, ornamentum vitæ. Eſt ieiunium robur mentium, vigor animarum. Eſt ieiunium caſtitatis murus, pudicitiæ propugnaculum, ciuitas ſanctitatis. Eſt ieiunium ſchola meritorum, magiſterij magiſterium, diſciplinarum diſciplina. Eſt ieiunium Eccleſiaſticæ viæ viaticum ſalutare. Eſt ieiunium inuictus Chriſtianæ militiæ principatus.* Ieiunium vires animæ infundit, & auxilio cœleſti protegit. Sexcenti Benjaminitæ qui hoſtiles gladios effugerant, ad petram Remmon confugerunt quatuor ibi menſibus latitantes, & ſe petræ tutamine communientes: *Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin, qui euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri, ſederuntque in petra Remmon menſibus quatuor.* Abulenſis quæſt. 33. exiſtimat toto hoc tempore herbis, oleribúſque altos: *Dicendum videtur quòd apud petram Remmon erant fructus arborum, & olera, atque herbæ, & deſcendebant ad ipſa loca Benjaminitæ, & comedebant; ad loca autem populata non auderent deſcendere: quia illa erant loca Iſraëlitarum, & caperentur in eis. Aquam autem facilè in deſerto ipſo inuenirent.* Ieiuni, herbiſque alti hoſtilem fruſtrarunt iram, & propulſarunt miſeriam. Pro coloribus vſa eſt Scriptura factis, quo nos erudiat ieiuniorum ſtudioſos incolumitati ſuæ prouidere, & ſpiritualium adſultuum periculum propulſare. Chryſol. Abul.

In Eliam religionis zelo aras ſacrilegas euertentem, & Prophetas Baalis pio ferro trucidantem reginæ inardeſcit ira: fugit ille delirantis indignationem, qui Prophetarum Baalis non expauerat multitudinem: ergo ſe ad deſertum contulit, vbi cùm labore defatigatus tantiſper obdormiret, Angelus excitat, præbet pabulum, comitaturque timidum: *Ecce Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: ſurge, & comede.* Comedit, bibitque; cúmque iterum ſomno oculos tradidiſſet, iterum Angelus redit, & Prophetam comedere iterum iubet: *Reuerſus eſt Angelus Domini ſecundò, & tetigit eum: dixitque illi: ſurge, comede.* Opus erat poſt pactum viam alacriter arripere; imò ipſe cœleſtis cibus cogebat ſaturum inuolare. Inquiramus tamen, cur comedenti aſtiterit, cur ad montis cacumen tendenti ſe Angelus non ſociarit. Defecerant corui, qui miniſtrarent deſertorum incolæ cibum? Et cur Angelus, ſi comitatur prandentem, non comitetur viantem? O cœleſtem nobis eruditionem! Dum Iezabel carnis fluxus interpretata Eliam perſequitur, ſi Propheta non obarmetur ieiunio, opus erit ad tutamen Angelo; at dum ſicco ore, & arido ventre viam carpit, ieiunium ipſum eſt pro Angelica tutela, & pro cœleſti cuſtodia: *Minantem Iezabel,* inquit Tertullianus aduerſus Pſychicos cap. 6. *Fugiens poſt vnicum pabulum, & potum, quem ab Angelo expergefactus inuenerat, & ipſe quadraginta diebus, & noctibus vacuo ventre, arido ore peruenit in montem Choreb.* Expende illud: *Ipſe peruenit in montem Choreb.* 112.

3.Reg.19. v.5.

Tertull.

Ac ſi dicat Septimius: Dum Propheta carnis minas expertus non ieiunat, Angelico ſubſidio protegitur; at dum de ieiuniorum armamentario ſalubrem arripit inediam, ipſe contra adſultus carnis obarmatur: eſt namque ieiunium contra carnis ardores frigida, qua ſopiantur, vnda, & pernix ad perueniendum in montem Dei ala. Ipſe arido ventre peruenit, qui pabulo accepto obdormiuit.

223. Populus dum ieiuniis inſtruitur, contra hoſtiles inſidias ipſa maceratione protegitur; at dum eſcis exæſtuat, dum ſe vino ingurgitat, inter hoſtes inuenitur nudus, ac diſcriminibus facilè obiectus: *Expoliauerat eum, Aaron*, inquit textus, *propter ignominiam ſordis, & inter hoſtes nudum conſtituerat.* (Exod. 32. v.25.) Enſes non conflauerant, gladiorum acies non retuderant, & tamen profertur tutamine populus deſtitutus, & armatura nudatus: nec mirum quando lautiori menſa, abundantiori edulio, & capaciori ſcypho ſibi ipſi vires præciderat, & robur hoſtibus miniſtrauerat: *Sedit populus manducare, & bibere, & ſurrexerunt ludere.* Iam mente hebetata, innubilata rationis luce detrectabat populus pugnam, curabat laſciuiam: ergo nudus inuentus eſt ad certamina, dum ad lautiora procliuior pocula. Ita Tertullianus iam datus cap. 6. (Tertul.) *Ipſa natura enuntiabit, quales nos ante pabulum, & potum in virgine adhuc ſaliua exhibere conſueuerit rebus duntaxat ſenſus agendis, quo diuina tractantur, ſi multò pollentioris mentis, ſi multò viuacioris cordis, quantum totum illud domicilium interioris hominis eſcis ſtipatum, vinis inundatum, decoquendis iam ſtercoribus æſtuans, præmeditatorium efficitur latrinarum, in quo planè nihil tam in proximo ſuperſit, quàm ad laſciuiam ſapere: manducauit populus & bibit, & ſurrexerunt ludere.* Caruit populus armis, cùm abundauit eſcis, inter hoſtes inueniebatur auxilio nudus, cùm ieiunio prorſus priuatus: totus interioris hominis vigor vini ardore emarcuit, & mens ſibi eſcarum intemperie non conſtitit. Iob ieiunus ſurrexit ad pugnandum telis diabolicis impetitus: populus ſedit lautioribus epulis ſaginatus. Minus nocuit Iobo diabolus patientiam impetens, quàm populo menſa lautior ieiunium deſtruens.

224. Quantum valeat apud Deum iſta ventris inanitas, quamque aduerſariorum artes veluti enorme faſcinum eneruarit, exinde agnoſcitur quod Adamus ieiunij legem acceperit, & vaferrimus hoſtis in ieiunium machinam primam inſtruxit. Acceperat Adam à Deo legem non guſtandi quidquam de ſcientiæ boni & mali arbore; at ſerpens guſtare perſuaſit, quo abacto ieiunio vaferrimæ eius procederent artes impediendæ ſine dubio ieiunio perſeuerante. Ergo dum homo gulæ obedit, ſeipſum occidit: *Tulit de fructu illius & comedit. Deditque viro ſuo, qui comedit.* (Geneſ. 3. v.5.) Iam poſt cibum nudus, iam ſerpentis captiuus, iam timoribus agitatus: non nouerat Adamus timere, quouſque à ſerpente didicit manducare: cùm plus ventri indulſit, plus nuditati, & miſeriæ fauit: conſtabat felicitas ieiunio, deperiit pabulo. Quàm aptè datus Septimius cap. 3. (Tertull.) *Facilius ventri, quàm Deo ceſſit, pabulo potius, quàm præcepto annuit: ſalutem gula vendidit: manducauit denique, & perijt: ſaluus alioquin, ſi vni arbuſculæ ieiunare maluiſſet, vt iam hinc animalis fides ſemen ſuum recognoſcat, exinde deducens carnalium appetitionem, ſpiritualium recuſationem.* Spiritualia recuſauit pranſus, carnalia ignorauit ieiunus, vt ab effectibus agnoſcas ieiunium eſſe appetitionum carnalium frænum, lautiorem menſam incentiuum, vt virtutis etiam venenum. Mihi offenſæ remedium oſtendit, qui offenſæ cauſam demonſtrauit: effectus cibum pro veneno eſſe virtuti edocuit, famem pro antidoto: nunquam homo ingemiſceret diaboli captiuus, ni ieiuniorum arma deponeret, & famis propugnacula decertaret. Adeſt Chryſologus ſerm. 11. (Chryſol.) *Ieiunium fratres ſcimus Dei eſſe arcem, Chriſti caſtra, murum ſpiritus, vexillum fidei, caſtitatis ſignum, ſanctitatis trophæum: hoc Adam ſeruauit in paradiſo, quem inde detraxit gula.* Gula inuexit mortem, dolorem creauit, ſpinas, & labores intulit, ieiunium honeſtis voluptatibus in paradiſo hominem ſaginabat: vt noſcas inde promanaſſe gemitum, vnde fugit ieiunium.

§. LIII.

Poteſtas contra imbecilles frequenter extenditur, & iniquis interpretationibus ampliatur.

Neſcio quis nocendi pruritus, & lædendi hominibus inſit ardor: inhumanum de alienis gemitibus capiunt oblectamentum, & vt capiant, terminos poteſtatis amplificant: vt nocumentum inferant, malignè leges interpretantur, & factam ſibi poteſtatem extendere totis viribus adnituntur. Non ſolùm ambitio dilatare didicit phylacteria; ſed & poteſtatis diplomata: præſcriptos ſibi limites tranſit ſuperba præſumptio, & vltra præſcriptos à iure terminos procedit poteſtatis oſtentatio. *Tamdiu iudex dicitur*, aiebat Theodahadus apud Caſſiodorum 5. var. 27. (Caſſiod.) *Quamdiu & iuſtus putatur: quia nomen, quod ab æquitate ſumitur, per ſuperbiam non tenetur.* Nomen ſæpè non tenetur: quia iniqua extenſione adulteratum corrumpitur. Iſraëlitæ à Deo accipiunt facultatem contumaces puniendi: *Cras tradam eos in manus veſtras*; verum acceptam contra bellatores poteſtatem ad imbelles extenderunt, & pueros fœminaſque inhumanè iugularunt: *Regreſſi filij Iſraël omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt.* Abulenſis quæſt. 37. (Abulenſis.) nec ritè, nec iure pueros ait occidiſſe, ſed ad nocendum acceptam à Domino poteſtatem contra imbecillos iniquis interpretationibus ampliaſſe: ipſum audi: *Non ſeruauerunt Iſraëlitæ mandatum Domini; ſed exceſſerunt formam: excedere autem eſt culpabile; ſicut agere contra ipſum mandatum.* Adnectit noſtro inſtituto ſatis aptè: *Patet hoc: quia Deus dixit: Cras tradam eos in manus veſtras, quod*

Digitized by Google

quod intelligebatur de illis, qui pugnabant, & non de illis, qui manebant in vrbibus: ideò non licebat eis ex Dei commiſſione pugnare contra manentes in vrbibus: ſcilicet paruulos, & fœminas, & occidere illos. Satis conſtabat de facultate à Domino accepta; illam tamen proceres extenderunt, &, vt paruulos occiderent, ampliarunt. O frequens malum! Qui aliqua pollet in Republica facultate, ſiniſtris interpretationibus eam ſolet extendere, non vt potentibus ac Magnatibus reſiſtat; ſed vt paruulis, ac imbecillibus captioſos laqueos diſponat. Data Iſraëlitis facultas ſolùm erat ad puniendum contumaces; illam tamen exercuerunt etiam contra innocentes. Quid faceret paruulus, niſi clamoribus cœlum tundere, & impio ceruicem cultro porrigere? Adde iudices, ſuperioreſque aliquando, quam habent, poteſtatem Magnatum timore contrahere, & quam non habent, contra imbecillos, de placandi ſtudio iniquiſſimè ſibi aſſumere.

226. Iudæorum furor in medicum ipſum exarſit, & ad mortem Chriſtum Dominum Pilato traditum expetiuit. Pilatus diſcuſſa cauſa nullam mortis inueniſſe teſtatus eſt: *Nullam inuenio in eo cauſam.* (Ioan. 19. v. 4.) Sine cauſa flagris cecidit, ſentibus terebrauit, ratus ſatius eſſe innocenti inferre iniuriam, quam procerum ſuſtinere querelam: flagellatum variis iterum interrogationibus vrget, cumque arcano ora ſilentio ſignaſſet, in hæc verba Pilatus prorupit: *Mihi non loqueris? Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te.* Dimittendi quidem habebat poteſtatem, vt qui nouerat nullam in eo cauſam inueniri; crucifigendi tamen innoxium nulla illi poteſtas inerat; extendit tamen facultatem, vt perpetraret illicita; contraxit, vt Magnatum vitaret odia: facultatem habebat, quantumuis Magnates reclamarent, vt innocentem dimitteret, & cùm ſibi datam facultatem ad dimittendum agnoſceret, eâ vſus non eſt; ſed tyrannide abuſus pro facultate. Quàm erat proximus crimini, qui potentiam de ſuperbiæ faſtu ampliauerat, & pro arbitrio poſſe præſumpſerat! Innuit Auguſtinus apud D. Thomam in catena: (Auguſt.) *Non haberes aduerſum me poteſtatem vllam, niſi datum eſſet tibi deſuper: id eſt, quantulamcumque habes, niſi hoc ipſum, quidquid eſt, tibi eſſet datum deſuper; ſed quia ſcio quantùm ſit, nam tantum eſt, vt tibi omnino liberum ſit.* Conſonat ibi Chryſoſtomus: (Chryſoſt.) *Vide qualiter ſe ipſum condemnauit: ſi enim in te totum poſitum eſt, cuius gratia nullam cauſam inueniens non abſoluit?* Facilis eſt Chryſoſtomi interrogationi reſponſio: quia videlicet, ſi abſolueret, facultate vtebatur contra Magnates; ſi crucifigeret, ſibi arrogabat contra innocentem: ergo timidus & ambitioſus, quam non habebat, in innocentem exercuit, & habita, ne potentum odia incurreret, ſe abdicauit. Iudices ſuperioreſque non ſemel pro ambitionis, timoriſve arbitrio corripiunt, aut protrahunt poteſtatem: nil poſſunt contra potentes, omnia poſſunt contra imbecillos, & pauperes. O tempora, ô mores! non attenditur cauſa; ſed ſuſpicitur fortuna.

227. Docebat Chriſtus Dominus in ſynagogis, plaudebat cœleſti doctrinæ populus, & à populo veneratione ſuſpectum demirabantur etiam qui effulgebant poteſtate: *Omnes teſtimonium illi dabant, & mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ipſius.* (Luc. 4. v. 22.) Verſa eſt ſors, cúmque illigatus, & variis cauſis Pontifici traditus impeteretur, de doctrina diſcipuliſque interrogatus, in aperto ſe edocuiſſe ſemper, vt qui lucem non fugeret, reſpondit: *Ego palam locutus ſum mundo: ego ſemper docui in ſynagoga, & in templo, quò omnes Iudæi conueniunt, & in occulto locutus ſum nihil.* (Ioan. 18. v. 20.) Quid modeſtius? Et tamen à miniſtro percutitur vti reus: *Hæc cùm dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: ſic reſpondes Pontifici?* Exiſtimo percuſſum, quia veritatem in palatio protulerat: in mendacij namque fraudiſque ditione veritas habebatur delictum, & puniebatur vti peccatum. Quam non habuit impius miniſter, poteſtatem exercuit Pontifici adulatus, æquitati iniurius. Quàm iam vergebat Reſpublica illa ad occaſum, quando miniſtri de illatis innocentiæ iniuriis Magnatum ſibi gratiam conciliabant, & exambiebant. Ecce cum fortuna & cauſa mutata eſt. Anteà demirabantur miniſtri laudibus celebratum; modò percutiunt veridicum: *Venerunt ergo miniſtri ad Pontifices, & Phariſæos, & dixerunt eis illi:* (Ioan. 7. v. 45.) *Quare non adduxiſtis illum? Reſponderunt miniſtri: Nunquam ſic locutus eſt homo, ſicut hic homo.* Compone modò vnum ſic cum alio: anteà inclamabant: *Nunquam ſic locutus eſt homo:* modò exprobrant: *Sic reſpondes Pontifici?* Accipe Teophylactum: (Theophyl.) *Non pertinacis eſt, ſed fidentis in dictorum veritate. Interroga, inquit, inimicos, inſidiatores, miniſtros illos, qui ligauerunt me. Iſta enim eſt veritatis indubitata demonſtratio, quando quis habet inimicos teſtes eorum, quæ dicit: nam miniſtri ipſi, inquit, ſunt, qui anteà dixerunt: Nunquam locutus eſt homo, ſicut hic homo: & cùm ita reſpondiſſet, non eſt eis admirationi; ſed alapa cæditur, quo quid fieret impudentius?* Ecce peruerſam iuſtitiæ miniſtrorum conſuetudinem: facultas illis eſt non pro merito cauſæ; ſed pro ſtatu fortunæ. Contra proſpera fortunâ vtentem manum non audent extendere; ſed admirationibus geſtiunt celebrare; at ſi ab illo felici ſtatu decidit, & forte aduerſa prematur, iam iniquè manum extendent, & immeritum percutient: nulla erat miniſtro poteſtas ad percutiendum innoxium veridicumque; extendit tamen manum ad illigatum: quia de æquitatis iniuria exambita eſt Pontificis gratia.

228. Redeat iterum in exemplum huius veritatis Chriſtus Dominus ad flagella miniſtris traditus: Pilatus; vt potentium inuidiam fugeret, à iuſtitia exorbitauit, & flagellandum Chriſtum miniſtris commiſit; verùm miniſtri ſpineam addiderunt coronam, & ad probrum veſtem purpuream: *Tunc ergo apprehendit Pilatus Ieſum, & flagellauit, &* (Ioan. 19. v. 1.) *milites plectentes coronam de ſpinis impoſuerunt capiti eius, & veſte purpurea circumdederunt eum.* Dum flagra Pilato, & ſpineam coronam militibus adſcribit, innuit

Euangeliſta, quem milites ad flagella ſolùm ſuſceperant, acutiſſimis etiam ſentibus terebraſſe, & probroſa veſte illuſiſſe. Quod notauit Chryſoſtomus in catena: *Non iniunctio principis erat, quod faciebant; ſed ad gratiam Iudaicam hoc faciebant: quia neque circa initium ab illo iuſſi inerunt noctè; ſed Iudæis pecuniarum gratia gratificantes omnia audebant.* Contra ius faſque audebant miniſtri in pauperem, vt ſibi magnatum conciliarent gratiam, extendebant iuriſdictionem, & ſolùm flagris caſtigare iuſſi acutiſſimis terebrarunt etiam ſpinis. Quæ omnia paſſus eſt Chriſtus Dominus, vt cryſtallini ad inſtar ſpeculi in ſe nobis oſtenderet quæ frequenter à miniſtris contra pauperes exercentur, & in diuitum gratiam excogitantur. Chryſoſt.

§. LIV.

Iniqua conſilia ſunt præbenti certiſſima detrimenta.

229. AC ſi parum ſit mores ſordeſcere corruptos, & deprauata vſque ad inſaniam deſipere ingenia, adduntur etiam iniqua, & deprauata conſilia. Sunt qui ad vitia timore impeditum exacuant, qui ad libidinem verecundia retardatum ſtimulent, qui procaciam foueant: peſſimi conſiliarij ſunt virtutis peſtes, æquitatis hoſtes; iniqua ſemina corde nondum alta perſuaſionibus irrigantur, & conſiliis infeliciter culta innutriuntur: iniqui conſiliarij ſibi nocent, & alios perdunt. Quam deſertè Heſiodus apud Plutarchum de tarda Dei vindicta.

Conſilium prauum eſt auctori maxima noxa.
Heſiod. *Dura parat quicumque alij, ſibi & hic parat ipſi.*

Qui malè conſulit, dum alios irritat ad culpam, & ſibi maturat pœnam: ad inſtar gladij ancipitis iniquum conſilium lædit non ſolùm accipientem; ſed etiam dantem. Gabaëni grauiter delinquunt; ſed grauius peccatum defendunt: depoſcebantur criminis rei, vt dignam penderent mulctam; verùm contribules ne viderentur metu ad ſpeciem cogi, maluerunt in certamina proſilire: durum commiſſum eſt hinc inde certamen: bis ceſſit in Benjaminitarum partem victoriâ; ſed infeliciores extiterunt triumpho, quàm aliquali exiſterent caſu: victoria namque audaciores dum iniuſtis inſiſtunt prælijs, miſeris ſuccumbunt ruinis: omnes ferè bellatores Benjaminitarum campis iacuerunt proſtrati, & auium pectoribus ſepeliendi; nec hic ſtetit huius vindictæ curſus; ſed poſtquàm Iſraëlitæ Gabaa nigros redegerunt in cineres, cæteras etiam Benjamin flammis tradiderunt voracibus ciuitates: *Regreſſi autem filij Iſrael omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes, & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* Ciuitatum reliquias à viris vſque ad iumenta gladius vltor conſumpſit reliquiarum nomine exprimuntur fœminæ, paruulique bello inhabiles, ac longæui ſenes: ſed hinc difficilis quæſtio exoritur, an ſcilicet deliquerint Iſraëlitæ paruulos, fœminas, ſeneſque occidendo. Agamus modò de ſenibus, vt ſicut ætate, ſic alios antecedant etiam quæſtione: inquiramuſque cur venerandam canitiem audax gladius conſumpſerit, nec ſenectuti cunctis ſuſpiciendæ pepercerit: in certamina proſilienter digna caſtigauit pœna, quando procax etiam extingui debuit audacia, & temeraria inſolentia; at ſenes cùm in campum non proceſſerint, nec criminis admiſerint piaculum, videbantur pœnæ non ſubituri ſupplicium: cur ergo eadem lege teneantur ſenes, ac milites? Quia ſenes, inquit Abulenſis q. 37. iniqua iuuenibus dederunt conſilia: ergo dum conſulunt deteſtabilem pugnam, in ſe armant digniſſimam pœnam; ſunt namque certiſſima exhibenti detrimenta, quæ iniqua alteri præbuit conſilia. Audi Abulenſem; *Conſilio ſeniorum regebantur vrbes, & iſti conſuluerunt iuuenibus adiuuare viros Gabaa contra totum Iſrael: ergo eamdem pœnam merebantur, quàm facientes; imò interdum maior pœna ponitur à iure conſulenti alicui ad malum, quàm facienti: ſed bellatores meruerunt mori: ergo & iſti ſenes.* Abulenſ. Gabaëni interierunt ob perpetratum ſcelus, qui in campum proceſſerant Benjaminitæ, ob impudens patrocinium; ſenes verò, qui remanſerant, ob conſilium iuuenibus præſtitum. O quàm malè ſibi ominabantur iniuſtum bellum conſulentes, & ad criminis defenſionem conſiliis cæteros incitantes. Plus ſenes, quam hoſtilem gladium, proprium timere debuiſſent conſilium: fuit namque miſerandæ calamitatis aliis occaſio, & proprij infortunij meritum. Si ſenes iniquum prælium diſſuaſiſſent, & ſceleſtos puniendos conſuluerent, tot non iacuiſſent occiſi, & hoſtili ferro trucidati; aſt dum exacuunt audaciam, dum conſiliis fouent inſolentiam, ſibi & aliis maturauere ruinam. Ergo fuge his exemplis edoctus iniqua præbere conſilia, ſi vis dura euaſiſſe tormenta.

Diues ille inferni iam alumnus, cùm non minùs, quàm gehennali flammâ, viperеâ adureretur inuidia, ſecum excogitauit quomodò Abrahami felicitatem innubilaret, & Lazari perturbaret etiam requiem: & quidem ſi iniquus proceſſiſſet conatus, ſine dubio infelicitaretur vterque, Lazarus videlicet & Abrahamus: non rogauit Lazarum, vt veniret; ſed Abrahamum, vt mitteret, & ſuaderet: *Pater Abraham, miſerere mei, & mitte Lazarum, vt intingat extremum digiti ſui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma.* Satis videbatur, ſi Lazarus aduentaret ad refrigerium: ergo petat inuolare, non mitti. Proh deteſtabilem vafritiem! Vtrique anhelat nocere: ergo vult Abrahami ſuaſu Lazarum inferno propinquare, & gehennalibus vndis infici, quo alteri pœnam conciliarit conſilium, & alteri factum: *Adhuc diuitem malitia non deſerit, quem iam poſſidet pœna,* inquit Chryſologus ſerm. 121. *qui non ſe ad Lazarum duci poſtulat; ſed ad ſe Lazarum vult deduci.* Adnectit ſerm. 123. *Dolet, agit infelix, ne videat felicem.* Felicem ſpectabat Abrahamum pauperem confouentem, & Lazarum Abrahami ſinu cubantem: ergo excogitauit artem, qua Abrahami felicitatem abigeret, & Lazari proſperitatem depelleret, videlicet Lazarum de Abrahami conſilio maledicæ linguæ & in Deum armatæ opem ferre, & rem virtuti, ac numinis decretis aduerſantem moliri; vt qui nouerat conſilium 230. Lucæ 16. v. 24. Chryſol.

conſilium improbum eſſe accipienti ſcandalum, & exhibenti venenum.

231. Achitophel Abſalonem aduerſus patrem commouit: diù texerat iram, quàm opportunam nactus occaſionem pareret, & de Dauide, quam ardebat, vindictam ob Bethſabee adulterium ſumeret; verùm vt humana conſilia nequeunt vincere diuina decreta præ Achitophele placuit Chuſai ſententiæ, &
2. Reg 17. v. 23. Achitophel reiectus, ne pateretur manus alienas, in ſe ipſum armauit proprias. *Achitophel videns quod non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque & abijt in domum ſuam, & diſpoſita domo ſua ſuſpendio interijt.* Duplex dederat Achitophel Abſaloni conſilium: primum fuit in patrem inſurgere, & immaturè coronam rapere, ſecundum fugato iam parente conſequendæ victoriæ ſatis opportunum; ſed Abſalom ſecutus deterius reiecit commodius; Achitophel verò conſilij mercedem tulit laqueo ſtrangulatus, & infami morte peremptus. Iam in patrem commouiſſe tradunt ſacri Interpretes, & Do-
2. Reg. 15. v. 12. ctores: *Accerſiuit quoque Abſalom*, inquit textus, *Achitophel Ghilonitem conſiliarium Dauid de ciuitate ſua Ghilo:* vt quod gerebat corde, poſſet perficere parricidium, & potiri regnum, Achitophel accerſitum conſuluit, &
Lyra. ipſe iuuenis audaciam fouit. Adeſt Lyra hîc: *Accerſiuit quoque Abſalom Achitophel, de cuius conſilio iſte Abſalom hoc negotium acceperat.* Itaque Achitophel, vt vidit iuuenem pietatis violatorem fraterno ſanguine defœdatum, in patrem armauit, & ex homine feram reddidit. Ergo improbum conſilium & præbenti attulit ſuſpendium, & accipienti. Alter interiit ſpontè ſuſpenſus, alter arbori vt carnifici ad mortem traditus, vt ſimili interirent morte, qui ſimili conſpirauerant prauitate.

232. Nec Aliter Amano contigit: ità ſufflammatus regi perſuaſit, vt Hebræorum populum prorſus deleret, & inexplorata cauſa, parteque inauditâ morti violentiſſimæ traderet:
Eſther. 3. v. 9. *Decerne vt pereat:* Princeps nullam ſuſpicatus fraudem plus affectui tribuit, quam iuri: ergo improbum iniquumque conſilium ſub ſpecie obſequij in ipſum militabat regem; nimium namque credulus graue tuliſſet damnum, ni admonitus reuocaſſet decretum. O quàm nutabat illa Reſpublica, vbi veræ damnabantur virtutes, & magni apud regem captioſæ habebantur fraudes! Verùm vt Deus ſuæ perſpicaciæ præuaricator non eſt, improbum detexit conſilium, & meritum
Eſther 7. v. 10. Amanus tulit ſuſpendium: *Suſpenſus eſt itaque Aman in patibulo, quod parauerat Mardochæo.* In quam aperuerat, foueam incidit, & proprio conſilio ſibi ingentiſſimè nocuit, dum turbauit ſibi adulantem fortunam, & aſciuit indecoræ mortis infamiam: plus debuiſſet cauere iniquum conſilium, quam hoſtile & deſæuiens ferrum: iuſſiſſimè periit, quia peruersè conſuluit, & dum iniquis artibus ruinam meditatur alienam, præmaturat imprudentiſſimè propriam: eſt namque prauum conſilium actuoſum contra præbentem venenum. Vt viperarum genimina de morte parentis viuunt, & cùm in lucem prodeunt, pectore fouentem diſrumpunt: ſic iniqua conſilia parentem tradunt morti, aut obiiciunt ſaltem diſcrimini: *Super eum*, inquit Lyra, *reuerſa eſt ſua machinatio, ſecundum* Lyra.
quod ſcribitur Prouerb. 26. Qui fodit foueam, incidit in eam. Ecce peſſimi conſilij fructus, mors violenta, publica infamia, & digna patibuli pœna. Recta conſule, & prauum conſilium fuge. Ecce Benjaminitarum ſenes, dum conſiliis ad prauitatem exacuunt, mortem, & flammam ſibi conſciſcunt.

Serpens pietatem ſimulans, & ſapientiam 233.
oſtentans Euæ perſuaſit vetitum pomum decerpere, & diuinitatem ambire: *Eritis ſicut* Geneſ. 3.
dij ſcientes bonum & malum. Mulier malum v. 5.
cum oculo communicauit, & paſſionum vinculis impedita pomi veneficio Deum fieri poſſe credidit: citò eam docuit nuditas, & calamitas quam arbor diuinitatem haberet. Ergo Deus adeſt, & diſcuſſa cauſa fœminam doloribus vrget, & ſerpentem maledictis onerat, & cunctis execrabilem proreptare cogit: *Maledictus es inter omnia animantia, & beſtias terræ.* Ecce ſerpens punitur ob conſilium præſtitum, Eua ob ſerpenti commodatum auditum; eo tamen diſcrimine quòd conſiliatius de præſenti reptat maledictus & execrandus, *Maledictus es*; fœmina futuris partus non infructiferis doloribus adurgetur: *In dolore paries filios.* Vnicum conſilium geminam infelicitatem attulit, ſerpens ſibi aſciuit miſeriam dando, & Eua audiendo: *Serpens*, inquit Gregorius apud Gloſſam, *praua* Gregor.
ſuggeſſit, Eua quaſi caro delectationi ſe ſubdidit. Grauiùs punitur ſerpens, dum nulla delectatione mouetur, Eua non adeò ſeuerè, dum oblectamento, etſi fallaci decipitur. Itaque prauum conſilium & conſulenti perniciem, & audienti inuexit calamitatem.

§. LV.

Satis non eſt præſentia depuliſſe damna, niſi imminentia etiam anteuerteris detrimenta.

PLenâ non potitur victoriâ, qui iterandi 234.
certaminis imprudenter hoſtibus permiſit materiam: creſcunt, quæ depretiabantur exigua, & dum vires capiunt, non ſemel intentiſſima detrimenta depretiantibus, & contemnentibus inferunt. Scintilla, ſi ventorum flatu vires acquirat, virentem ſyluam in nigras fauillas rediget. Reſecanda eſt criminis infantia, & cunabulis ipſis interimenda: nec enim prudenter viuere permittitur, quod detrimenta allaturum non imprudenter timetur. *Difficultatem vobis querela ſubmouemus*, aiebat Theo- Caſſiod.
dorieus 5. var. 15: *Dum in ipſis cunabulis ſcelera commiſſa reſecantur.* Ni cunabulis reſecentur ſcelera, difficultatem afferent, & ad querelam miſeram cogent: ergo vtiliter deſudat Prouidentia, dum rationabili falce non ſolum nata reſecat, ſed induſtrio ſtudio naſcitura etiam extirpat. Statua illa à fundamentis euerſa timorem iterum non incuſſit, arbor radice permiſſa, etſi repetitis ictibus fuerit reſecata, refloruit, & maiori incremento inualuit. Non ſunt contemnenda, quæ tempore vires poſſunt acquirere, & detrimentum afferre. Hanc nos

politiam Sacra edocet Scriptura Iſraëlitarum erga Benjaminitas implacabilem iram referens, quo mutata materiâ, & reputgatis erroribus in eorum factis addiſcamus prudentiam. Benjaminitæ viribus præualentes, vt Gabaënis commetitam ob grande ſcelus vitauerint pœnam, iniquam prodierunt in pugnam: parum illis videbatur delinquere, ni eſſent delinquentium etiam tutelares, vt iuſtas contemnerent leges: ergo licèt tantiſper infelici fuerint potiti victoriâ, tandem cœleſti decreto pereunt, & temeritatis pœnas exoluunt. Quotquot proſilierant in campum (ſi excipias paucos, quos matura ſubripuit fuga) dignum mortis tulere ſupplicium, nec tamen omnibus iuſto ferro iugulatis Iſraëlitarum ardentiſſima deferbuit ira; imò fœminas, ſenes, paruuloſque morti tradidit, nec quem viuere ex illis permiſit: *Omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad iumenta gladio percuſſerunt. cunctaſque vrbes & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* Diſputant interpretes, an infantes puerosque occidendo deliquerint. In littera quid ſentiam, explicui; modò quæſtione de peccato miſſa aliquid pro concinnandis moribus eruamus ab hoc omnes occidendi ſtudio. Abulenſis q. 37. paruulos occidiſſe ait, ne relicti in viros excreſcerent, & effuſum parentum ſanguinem vindicarent.
Abulenſ. *Sciendum quòd Iſraelitæ poterant moueri ad occidendum paruulos Benjaminitarum propter duo, ſcilicet aut propter timorem, aut propter grauitatem peccati. Primum eſt, vt fortè timerent Iſraelitæ, quod aliquando iſti paruuli creſcerent ad magnam ætatem, & memores mortis patrum ſuorum occiderent Iſraëlitas.* Parui erant filij; ſibi tamen prouidit humanâ cautela, nec voluit deſpicere quod poſſet aliquando, quia deſpexiſſet, timere. O ſi hinc diſceremus non ſolum culpas parentes occidere; ſed etiam paruulas iugulare! Plures ſunt qui mortalia reſecant, venialia tamen contemnunt, & delinquendi occaſiones ad ſpeciem exiguas non fugiunt, cùm non ſemel contignario ſtillicidiis ſubruatur, & ſcintilla in incendium flabelletur.

235. Rebecca pio erga Iacob mouebatur affectu: nouerat oraculo prælatum, & virtutum meritis fratri præpoſitum: ergo cùm cæcutiens ſenex eduliis ſubornatus Eſau præferendum ſatageret, pia fraude patris ſtudium ſedula mater impediuit, & præſens periculum prudenter auertit: *Veſtibus Eſau valde bonis, quas*
Geneſ. 27. v. 15. *apud ſe habebat domi, induit eum, pelliculaſque hædorum circumdedit manibus, & colli nuda protexit.* Iam Iacob aſſecutus fuerat benedictionem, cum ſolicita mater ab ſe ablegat, & prouidenti conſilio futurum anteuertere edocet detrimentum: *Vocans Iacob filium ſuum dixit ad eum: Ecce Eſau frater tuus minatur, vt occidat te. Nunc ergo, fili mi, audi vocem meam, & conſurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran.* Hic Rebecca conſummauit conſilium, & perfectè de Eſau adepta eſt trophæum: parum erat depuliſſe præſentia diſcrimina, niſi impediret futura, & iniquè ab Eſau cogitata. Hippolytus Martyr
Hippolyt. hìc Rebeccam ſpiritum ſanctum adumbraſſe ait apud Gloſſam: *Hæc formam gerit ſpiritus ſancti.* Spiritum ſanctum refert futura præcauens, & præſentia damna expungens: ſatis non eſſet anteuertiſſe futura, ſi contempſiſſet præſentia; vt nec ſatis curaſſe præſentia, ni anteuertiſſet futura; at dum odiis recèns natis obſiſtit, dum prouidet, ne actiùs flabellentur, occaſionemque nanciſcantur, conſilium perficit, & quid nobis faciendum, docet. Et expende, licèt Eſau vindictæ tempus poſt parentis mortem ſibi præſcripſerit: *Venient dies luctus patris mei, & occidam Jacob fratrem meum*, Rebeccam non expectaſſe; ſed ſtatim periculo prouidiſſe: nam vt prudentiſſima timuit, ne inimicus in longum tempus periculum miſceret, quò ſecuriùs feriat incautum, & tunc temporis ſecurum.

Fugarat Dauid eximiâ fortitudinis valentia hoſtes Ceilam arctâ obſidione prementes; verùm victoria potitus nondum quieſcit; ſed futuros hoſtium adſultus anteuertere diſcupit: *Abijt Dauid, & viri eius in* 236. 1. Reg 23.
Ceilam, & pugnauit aduerſum Philiſthæos, & abegit iumenta eorum, & percuſſit eos plagâ magnâ, v. 5.
& ſaluauit Dauid habitatores Ceilæ. Pace fruebatur abactis hoſtibus; verùm vti prudens ad futura oculos extendit, & an ſibi ab ipſis Ceilitis beneficio obſtrictis periculum immineret, interrogauit oraculum, & qui fortitudine hoſtem, depulit oratione periculum: *Domine Deus Jſrael, audiuit famam ſeruus tuus, quòd diſponat Saul venire in Ceilam,* 1. Reg 23. v. 10.
vt euertat vrbem propter me: ſi tradent me viri Ceilæ in manus eius? Et ſi deſcendet Saul, ſicut audiuit ſeruus tuus? Domine Deus Jſrael, indica ſeruo tuo. Egregius Imperator contentus non eſt de hoſtibus præſentibus detriumphare; ſed ſolicito ſtudio futuros fuga conatus eſt anteuertere: non minus ſtrenuè ſe geſſit, quàm in hoſtes irruens, fugæ ſe tradens; futura præſcire adlaborauit, non vt de Ceilitis ingratiſſimis ſumeret vindictam, aut proditionis exprobraret offenſam; ſed vt imminentem maturâ fugâ eludere poſſet ruinam. Acceptâ victoriâ cumulatè reſplenduit, dum non ſolum damnis præſentibus obuiauit; ſed futuris etiam occurrit: *Surrexit Dauid, & viri eius quaſi ſexcenti, & egreſſi de Ceila huc atque illuc vagabantur incerti.* Incerti vagabantur futuris inſidiis, certis coronati victoriis. *Jbi*, aiebat Rupertus lib. 1. in Reges cap. Rupert.
10. *glorioſi viri virtus, & patientia laudabiliter enituit.* Virtus enituit, dum futuros hoſtes impedit, & dum præſentes abegit.

Ad Chriſtum Dominum accedit pater miſerabili filij calamitate afflictus, & dolorem intimum amaris exundantibus lachrymis conteſtatus: ſe filium à dæmone vexatum Apoſtolis obtuliſſe clamauit, nec tamen calamitatis aſſecutum fuiſſe remedium: tardiùs deuenit ad Dominum celerius inuolarat ad creaturas: ergo dum peruertit ordinem, ægritudini vires addit: Dominus pro ſua pietate puerum ad ſe iubet adduci, ne ſi miraculum abſens fecerit, ingratitudo negarit, aut varias ſalutis cauſas æmulatio fuiſſe prætenderit: ergo ſurdo mutoque ſpiritui præcepit à puero exire; eaque diuini verbi fuit efficacia, vt ſurdus audierit, & dæmon fugerit: *Com-* 237. Marc. 9.
minatus eſt ſpiritui immundo, dicens illi: Surde, v. 24.
& mute ſpiritus, ego præcipio tibi, exi ab eo, & amplius ne introeas in eum. Qui ſe ſimulauerat mutum, clamoribus eſt conteſtatus commentum.

mentum. *Exclamans, & multum diſcerpens eum exijt ab eo.* Effugatus dabat querelam, & conciliare Chriſto adnitebatur inuidiam, immodicis clamoribus criminabatur ab antiqua poſſeſſione detrudi, & de gratiſſima ſibi ſtatione deturbari. Hic Chriſtus Dominus non ſolùm hoſtem deuicit; ſed qualiter in illum homines pugnare debeant edocuit: hoſtem vertit in fugam, non ſolum præſentibus ærumnis ſubueniens,ſed futuris etiam damnis prouidenter occurrens: parum erat reportaſſe de præſentibus triumphum, ni etiam de futuris pelleret metum: iterum regredi dæmon eſt impeditus,cùm eſt egredi coactus:opus naque erat, vt cumulatior reſplenderet victoria, præſentia abigere damna, & impedire prouidenter etiam futura: *Cùm increpaſſet, & di-*
Theophil. *xiſſet*, inquit Theophilactus hic, *egredere, & ne vltra ingrediaris, inſinuat quod propter incredulitatem hominis ingreſſurum iterum fuiſſet dæmonium, niſi ſuo prohibitum fuiſſet præcepto.* Itaque medicatus præſentia vulnera, vulnera impediuit futura: quia ad perfectum de hoſte triumphum non ſolùm opus eſt vires præſentes accidere, ſed, ne in futurum pullulauerint, prouidere. Et notata dæmonem illum, qui à Luca cap. 11. refertur depulſus,
Luc. 14. v.14. non inclamaſſe, nec dolorem intimum flebili voce expreſſiſſe: *Erat eijciens dæmonium, & illud erat mutum, & cùm eieciſſet dæmonium, locutus eſt mutus.* Hic dæmon non vociferatur, illic clamore prodit, quibus doloribus adurgetur. Quòd ſi quæras, cur ibi ingemuerit, & hîc ora ſilentio ſignarit; quæſtioni reſpondebit textus, ibi futuro periculo obuiatum: *Et ampliùs ne introeas in eum*; hîc ad noſtram eruditionem regreſſum nullatenus fuiſſe prohibitum: imò cùm homo vitiis animum deturpaſſet, redijt, & cor inuaſit: *Ingreſſi habitant ibi.* Fugatus; redire tamen non impeditus tacuit, quia de improba ſpe reditus dolorem ſolabatur, nec perfectum putabat triumphum; eùm verò depellitur, *Exi ab eo.* & regredi iterum impeditur: *Et amplius ne introeas in eum:* acri dolore exulceratus inclamat, & ſe plenè deuictum miſerandis clamoribus manifeſtat. Itaque ſi pleno de vitiis deſideras potiri triumpho, opus eſt, vt inimicum depellas, & omnem ad regreſſum occaſionem præcidas.

---

§. LVI.

Pertinacia ſibi multiplicat pœnas, dum tuetur audacter culpas.

238. Vitia quotidie ſerpunt, & ingentiſſimas vires capiunt: in aliis rebus tardè magna proueniunt,vtique ſi ceſſat labor,hic verò non ſolùm vitia ſuopte ingenio videntur nata;ſed exiguo tẽpore adulta:imò & procera. Aliquid in dies cõminiſcitur nouæ cõtumeliæ luxuria, quo plus inſaniat, aliquid impudicitia, quo citius pereat: adhuc tamen quidquid eſt boni moris prorſus non extinguimus, ſi vitia noſtra non ſine rubore noſcamus. Non modica medicaminis pars eſt ipſa ob delictum confuſio, confuſioniſque trepidatio. Tunc verò inſania noſtra peruenit ad cumulum, ſi adeò vitium placet, vt non ſolum non pudeat perpetraſſe; ſed libeat etiam defendere. Vbi timor expunctus, ſuccedit contumacia & opportuna criminibus depellendis abigitur verecundiæ medela. O nos miſeros, quos non tantùm tenet error; ſed erroris etiam amor! *Vbi ſe collegit*; aiebat Seneca Epiſt. 11. Seneca.
de benè morato iuuene, *verecundiam bonum in adoleſcente ſignum vix potuit excutere, adeò illi ex alto ſuffuſus eſt rubor. Hic illum, quantum ſuſpicor, etiam cùm ſe confirmauerit, & omnibus vitiis exuerit, ſapientem quoque ſequetur.* Spes affulget reſipiſcendi, ſi ingenua faciem perfuderit verecundia:perfricta frons animum prodit contumacem, & pœnam ſibi ominatur grauiorem: fragilis delinquit: peruerſus contumaciter, & inuerecundè errata defendit, & dum vitium defendit grauiſſimam ſibi calamitatem aſcicit. Deliquerant Gabaëni, cumque apud populi principes perpetraſſe crimen conſtaret, ſceleſtos dignis pœnis mulctandos tradi iuſſerunt; verùm Gabaëni, qui rubore debuiſſent non ſolùm tangi, ſed ſuffundi, manum colligunt, & pro delictis in campum proſilire decernunt: *Eruperunt filij Benjamin de portis Gabaa.* Satis illis non fuit perpetraſſe errorem ni etiam ſceleris oppugnauerint vindicem: tantiſper ſe contumacia defendit; verùm quò moroſiùs, aduerſit grauius: *Regreſſi filij Iſrael omnes reliquias ciuitatis à viris vſque ad jumenta gladio percuſſerunt, cunctaſque vrbes, & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* More ciuitatum anathemate exſecratatum perijt Gabaa, non cum delictum admiſit; ſed cum pertinax & obſtinata defendit. Ita Abulenſis quæſt. 34. *Quia contra totum Iſraël pu-* Abulenſ.
gnauerant, quia cùm totus Iſraël zelaret pro lege, & iſtud erat inhoneſtum: ideò duriſſima pœnæ ſubiecerunt eos,ſcilicet anathemati. Duriſſimas illis pœnas conciliarunt non tam delicta,quàm bella: expungi debuit ab hominum memoria ciuitas, quæ adeò ſibi in ſcelere placuit, vt procax perpetrarit, & procacior defenderit.

In crucem acto Domino cœleſtia lumina 239.
obtenebrantur, creaturæ ingemunt mortem creatoris conteſtatæ, & tenebroſo horrore veſtitæ. *A ſexta autem hora tenebræ factæ ſunt* Matth 27.
ſuper vniuerſum terram vſque ad horam nonam. v.45.
Petræ firmiſſimæ palpitanti trepidatione quatiuntur, elementa quaſſantur; hoſtes tamen veritatis non ſolùm timore non deijciuntur; ſed nec pulſantur; verùm dum ſepultum Dominum impia tueretur cuſtodia, milites corruunt obſtupefacti, & iacent veluti mortui: *Præ timore autem eius exterriti ſunt cuſtodes, &* Matth. 28.
facti ſunt velut mortui. Mira res: clamanti v.4.
Domino impius miles inſultat, propinat fel amariſſimum, non tamen proſternitur, cùm ſepulchrum cuſtodiens metu ingentiſſimo percellatur: *Continuò currens vnus ex eis acceptam* Matth. 27.
ſpongiam impleuit aceto, & impoſuit arundini,& v. 48.
dabat ei bibere. Nec ſolùm vnus militum fel obtulit; ſed pectus alter diſcidit: *Vnus mili-* Ioan 19.
tum lanceâ latus eius aperuit. Vides iniquos v.34.
milites cœleſti terrore non deiectos, dum horrenda perpetrauere delicta; aſt dum ſepulchrum cuſtodiunt, ingenti pauore quatiuntur, & exanimi terrore iactantur. Quod ſi

 inquiras

inquiras, ecqua huius diſcriminis cauſa ſit; reſpondebo alibi delictis infectos, alibi ad criminis defenſionem armatos. Pectus ſcindēs miles oberrat cæcus, dum ſepulchrum cingit, tuetur ſceleſtiſſimè perpetratum: ergo acriori pœna mulctatur, dum adlaborat armis protegere, quàm dum feſtinat errare. Quid aliud erat cuſtodire ſepulchrum, niſi facinus ſuum contumaciter defendere, & in errore audacter perſeuerare. Ergo digni fuerunt milites, dum facinus protegunt, quis cœleſtis terror innaſerit, etſi dum perpetrant, patientia cœleſtis tulerit. Chryſol. *Quare territi?* inquit Chryſologus ſerm. 75. *Quia cuſtodiebant crudelitatis ſtudio.* Adhuc exercitam crudelitatem tuebantur, adhuc impietatem ſuam defendebant: ergo miſerè ruunt; quia ſtare nequit, pertinacia, etſi aliquando commiſſa peccatorem non deiecerit culpa. Mulierem illicitam ſibi ſcientiam olim præripere geſtientem blando alloquio Matth. 28. v. 6. allicit Angelus: *Venite & videte locum*: quia licèt eam infecerit aliquando culpa, non ſordidabat procacia: cum ſepulchro acceſſerit altera, ad ſepulchrum contendebat, vt ſeruiret officioſa, ſi ad arborem acceſſerat, vt raperet auida: ergo mulierem ſolatu Angelus, dum videt iam demutaſſe ſententiam; perecellit militem, dum conſtat contumaciter tueri Chryſol. culpam: *ſic altera*, aiebat Chryſologus ſerm. 75. *vt ipſa; ipſa, vt altera.* Non nocuit culpa, quàm iam expunxerat pœnitentia, nec præpedire potuit reatus, quem iam ad Chriſtum deuotus ac religioſus depellebat acceſſus: militem deiecit non latus transfoſſum; ſed ſepulchrum armis procacibus cuſtoditur. Ergo time culpam perpetrare, ſed contumaciter plus tueri; diuinam namque iram plus incitat duriſſima pertinacia, quàm infirmitatis humanæ lapſus commiſſa offenſa.

140. Oſee. 8. v. 14. *Iudas multiplicauit vrbes munitas*, aiebat Dominus per Oſeam, *& mittam ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.* Cùm multiplicare vrbes, munireque graue non videatur peccatum, & cœleſte minitetur incendium, in ciuitatum munitione aliquid arcanum Patres latere arbitrantur. Stephanus in allegor. Tilmani ſignificari ait peccatorem non ſolùm decertantem; ſed malitiam obſtinatè tuentem: ergo etſi cœleſte incendium ciuitates non abſumpſerit, dum aſſurgunt inſana proceritate ſuperbæ, anhelantibus decineraſcunt vſtulatæ flammarum vorticibus, dum munitæ. Accipe Stephanum: *Iudas multiplicauit vrbes munitas, ideſt ſe ipſum in malitia muniuit, &* Stephan. *confirmauit.* Virasset flammam, niſi munire vellet malitiam; at vbi munitus, ibi referturiam ignium voluminibus traditus: diuinam indignationem exaſperauit non tam delicto, quam delicti munimento: *Multiplicauit vrbes munitas, & misisset ignem in ciuitates eius, & deuorabit ædes illius.* In Iudam non decernebatur ignis, quouſque ciuitatem extructam muniuit, & ne ab hoſte quaereretur, armauit. O quàm infelix eſt culpæ munimentum! Quam ruinoſum eſt propugnaculum! Iam eluctantes flammæ de cœlo ruunt, dum aſſurgit ædificium, & communitur, vt protelletur peccatum: *ſe ipſum in malitia muniuit, & confirmauit.*

Fugientem Ionam cetus excipit, & euomi- 241.
tum littore exponit: euomitus demutauit ſententiam, & Niniue adiens cœleſtem imminere denuntiat iram; poſteà verò ciuitatem ſtare intuitus eum euertēdam fuiſſet minatus, quàm arripuerat, fugam approbat, & iam illum pœnitet demutaſſe ſententiam: *Afflictus eſt Io-* Ion. 4. v. 8. *nas afflictione magnâ, & iratus eſt.* Adhuc diuina miſericordia Prophetæ blanditur, adhuc iratum ſuſtinet, & emollit, & ab ira abſtinere mellitis verbis ſuadet: *Et dixit Dominus: Putaſne benè iraſceris tu?* Blanda interrogatione indignationem carpit, & ſententiam vertere docet; aſt vbi iram ſuam refertur tuitus: *Benè iraſcar ego vſque ad mortē*, & cœleſti ardore adeò proditur diuexatus, vt delegerit carere vitâ, ſi careat flamma: *Percuſſit Sol ſuper caput Ionæ, & æſtuabat, & petiuit animæ ſuæ, vt moreretur.* Hinc iam grauis inſurgit difficultas: ſi fugiens, etſi confuſis procellæ voluminibus impetatur, non adeò durè torquetur, vt animæ ſuæ, vt moreretur, petierit; cur modò ſic angitur, vt ad mortis recurrere libeat anguſtias, ſi cœleſtes vitarit flammas? O vtilem nobis eruditionem! Anteà Ionas deliquit; ſed culpam pertinaciter non defendit; modò iram ſuam tuetur: *Benè iraſcor ego:* Baſilius. ergo grauiùs, quàm fugax, diſtorquetur, dum pertinax. Accipe Baſilium Seleucienſem orat. 12. *ſententiam non demutas? Nunquid te malè pertinacem arguit Colocyntha?* Delinquens tetro carcere cuſtodiendus deglutitur, contumax, ſententiamque defendent ardentiſſimâ flammâ aduritur: vt noſcas flammis pertinaces aduri, delinquentes miſericorditer tolerari,

CAPVT XXI.

CAPVT XXI.

VERS. I. IVRAVERVNT quoque filij Iſraël in Maſpha, & di-
xerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Benjamin de
filiabus ſuis vxorem. 2. Veneruntque omnes ad
domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes
vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno
vlulatu cœperunt flere dicentes: 3. Quare Do-
mine Deus Iſraël, factum eſt hoc malum in popu-
lo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis?
4. Altera autem die diluculo conſurgentes extru-
xerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta, & pacificas victimas, & dixerunt:
5. Quis non aſcendit in exercitu Domini de vniuerſis Tribubus Iſraël? grandi enim
iuramento ſe conſtrinxerant, cùm eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent.
6. Ductique pœnitentiâ filij Iſraël ſuper fratre ſuo Benjamin, cœperunt dicere.
Ablata eſt Tribus vna de Iſraël. 7. Vnde vxores accipient? omnes enim in commu-
ne iurauimus non daturos non his filias noſtras. 8. Idcirco dixerunt: Quis eſt de
vniuerſis Tribubus Iſraël, qui non aſcenderit ad Dominum in Maſpha, & ecce inuen-
ti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe. 9. Eo quoque tempore,
cùm eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt. 10. Miſerunt itaque decem millia
virorum robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Ga-
laad in ore gladij, tam vxores, quàm paruulos eorum. 11. Et hoc erit, quod obſer-
uare debebitis: omne generis maſculini & mulieres, quæ cognouerunt viros, in-
terficite, virgines autem reſeruate. 12. Inuentæque ſunt de Iabes Galaad quadrin-
gentæ Virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo in
terram Chanaan. 13. Miſeruntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra
Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace. 14. veneruntque filij
Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: aliàs
autem non repererunt, quas ſimili modo traderent. 15. Vniuerſuſque Iſraël valde
doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione vnius Tribus ex Iſraël: 16. dixe-
runtque majores natu: quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Om-
nes in Benjamin fœminæ conciderunt: 17. & magna nobis curâ, ingentique ſtudio
prouidendum eſt, ne vna tribus deleatur ex Iſraël. 18. Filias enim noſtras eis dare
non poſſumus conſtricti iuramento, & maledictione, qua diximus: Maledictus qui
dederit de filiabus ſuis vxorem Benjamin. 19. Cœperuntque conſilium, atque di-
xerunt: Ecce ſolemnitas Dei eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septentrio-
nem vrbis Bethel, & ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichi-
mam, & ad meridiem oppidi Lebona. 20. Præceperuntque filijs Benjamin, at-
que dixerunt: Ite & latitate in vineis. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos
choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſingulis vxo-
res ſingulas, & pergite in terram Benjamin. 22. Cùmque venerint patres earum
ac fratres, & aduerſum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini
eorum non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt
acciperent, non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt. 23. Feceruntque filij Benja-
min, vt ſibi fuerat imperatum, & iuxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, quæ
ducebant choros, vxores ſingulas, abieruntque in poſſeſſionem ſuam ædificantes
vrbes, & habitantes in eis. 24. Filij quoque Iſraël reuerſi ſunt per tribus & familias
in tabernacula ſua. In diebus illis non erat rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque quod ſibi
rectum videbatur, hoc faciebat.

§. I.

§. I.

Commentarius Litteræ.

Verſ. 1. Iurauerunt quoque filij Iſraël in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis vxorem.

Verſ. 2. Veneruntque omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes.

Verſ. 3. Quare Domine Deus Iſraël, factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis?

1. DVM in Maſpha Iſraëlitæ conuenerant, eo iuſtæ indignationis ardore in Benjaminitas irati fuerant, vt ſolemni ſe Sacramento obſtrinxerint, videlicet ne locatis in matrimonium filiabus nouam cum eis cognationem contraherent. Non præuiderant tunc, quam modò Benjaminitarum experiebantur ſtragem: ergo cùm inuolante vltore ferro fœminæ omnes iacuiſſent occiſæ, & ſexcenti viri gladiorum acies fugientes, & tutiſſima Remmon petrâ modò latitarent, & ex vna parte fratrum vices miſerti ex aliaque ob emiſſum Sacramentum detrimento datis filiabus prouidere non poſſe rati in lachrymas effuſi ſunt, nec triumpho vtpote infauſto læti vocem leuauerunt & coram Domino cordis anxietudinem declararunt. Ita Ioſephus 5. antiq. cap. 2. *Poſtquam reſedit* (dolor) *ſubſecuta eſt pœnitentia. dum vna ſe tribus diminutos reputant.* Fuit ſemper magna & perpetua Iſraëlitis cura integrum genus, quod duodecim Tribubus conſtabat, conſeruandi, tuendique; cúmque modò luctuoſus adeò caſus plures difficultates, & incommoda afferret, ad impenſè omnibus deſideratam conſeruationem, dolebant emiſiſſe iuramentum, nec emiſſe occurrebat illis remedium. Dum vocem leuant, dum aiunt: *Quare Iſraël factum eſt hoc malum?* à Domino conſilium requirunt. Ita Caietanus: *Implorant ſummi Dei ac gubernatoris eorum conſilium.* Ioſephus.

Verſ. 4. Altera autem die diluculo conſurgentes extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta, & pacificas victimas, & dixerunt:

Verſ. 5. Quis non aſcendit in exercitu Domini de vniuerſis Tribubus Iſraël? grandi enim iuramento ſe conſtrinxerant, cùm eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent.

2. Poſtquam jeiuniis, lachrymiſque animum expiauerant, Deo gratias ſolemnes inſtituerunt, aut antiquum altare reparantes, aut quia victimas non caperet, nouum extruentes. Quomodo hæc altaris conſtructio latam legem Leuit. 17. & Ioſuë 22. non violarit, diſputat Abulenſis quæſt. 11. Peracto iam ſacrificio cum grandi reparandæ tribus tenerentur deſiderio, & deterrerentur periurio in eam inciderunt cogitationem, vt ſolicitè examinarent, an aliqua Hebræorum Reſpublica ſe à cæterarum conſortio ſeparaſſet, aut adeſſe communi cauſæ renuiſſet. In illis in Maſpha habitis comitiis impetratum, publicéque pronuntiatum fuerat ſub capitali pœna, ne qua Hebræorum communitas opem ferre cæteris detrectaret, quo non ſolum cauſæ grauitate, ſed timore etiam obedirent perculſi, Igitur modò examinant, an quis defuerit.

Verſ. 6. Ductique pœnitentiâ filij Iſraël ſuper fratre ſuo Benjamin, cœperunt dicere. Ablata eſt Tribus vna de Iſraël.

Verſ. 7. Vnde vxores accipient? omnes enim in commune iurauimus non daturos nos his filias noſtras.

Verſ. 8. Idcirco dixerunt: Quis eſt de vniuerſis Tribubus Iſraël, qui non aſcenderit ad Dominum in Maſpha, & ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.

Verſ. 9. Eo quoque tempore, cùm eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.

Intimus dolor in omnem ſe diſquiſitionem intendebat, decernens ſi qui defuiſſent, capitali pœnâ plectere, & inde vxores Benjaminitis accipere. Igitur cùm habitatores Iabes, nec modò in Silo ad ſolemnem victimam, nec anteà in caſtris ad ineundam adeſſent pugnam, populi decreto pœnæ ſubiacuerunt: & quidem locus hîc, quàm ſolerter ſtudioſéque res ad generalitatem pertinentes tractarentur, oſtendit, quandoquidem inter ferè innumeros milites deſiderari ſunt Iabeſeni, ſi iam ab aliquibus eiuſdem Tribus, viciniſque non fuerunt apud populi primores delati. Igitur quomodocumque hoc fuerit, ritè ac ſtudioſè eorum examinatâ abſentiâ, dum defuiſſe liquet, interminatam pœnam ſubire decernitur, & ad eius executionem non exigua militum manus mittitur. 3.

Verſ. 10. Miſerunt itaque decem millia virorum robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores, quàm paruulos eorum.

Verſ. 11. Et hoc erit, quod obſeruare debebitis: omne generis maſculini & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reſeruate.

Verſ. 12. Inuentæque ſunt de Iabes Galaad

Digitized by Google

laad quadringentæ Virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo in terram Chanaan.

4\. [Caietan.] [Abulenſ.] Iabes Galaad vrbs percelebris in Manaſſe Tribu ſita, de qua frequens in Scriptura mentio, 1. Scilicet Reg. 11. & 2. Reg. 2. & 1. Paralipom. 20. Iſta nunc vrbs, quòd obedire renuerit, anathemati quodammodò ab Iſraëlitis deuota eſt. Dixi quodammodò: nam virgines reſeruatæ ſunt, cætera incenſa, & diruta. An hoc licuerit diſputant Interpretes: illicitum, imò & ſæuum putat Caietanus: *Ecce iterum ſæuitia, in innocentes Iſraëlitici generis, & certè non ob magnum ſcelus; ſed ob negligentiam maiorum.* Abulenſis quæſt. 21. exiſtimat legitimâ iuriſdictione, & iuſta cauſa eos damnaſſe, aitque: *Iſraëlitæ non ſolùm putabant non peccare occidendo Iabeſenos; imò potiùs putabant quod peccabant, ſi non occiderent illos: quia iurauerant occidere omnes, qui non veniſſent ad bellum, & tamen non venerant Iabeſeni.* Virgines reſeruari iuſſerunt, memores fortaſſis Moyſis facti in bello contra Madianitas Numer. 31. Abulenſis quæſt. 23. licèt erga viris inflictam pœnam, & legitimam iuriſdictionem, & legitimam agnoſcat cauſam, non ita circa paruulorum, & mulierum iugulationem; imò dubium relinquit, procliuior in ſententiam eos aſſerentem peccaſſe.

Verſ. 13. Miſerúntque nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace.

Verſ. 14. venerúntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad: aliàs autem non repererunt, quas ſimili modo traderent.

5\. [Ioſeph.] Latitabant adhuc in cauernis & antris Benjaminitæ, cùm populus eorum ſalutis curam gerens ad eos miſit legatos, qui profugos humanè compellantes, & omnem ſecuritatem promittentes illis perſuaderent animos reſumere, & in meliorem ſpem erectos venire, virgineſque vxores ſibi ſtudioſè quæſitas accipere. Ita datus Ioſephus: *Sexcentos illos, qui effugerant, miſſis legatis reuocant . . . legati verò apud illos tam ipſorum, quàm ſuam cladem conqueſti, quod infectum eſſe non poterat, ſuaſerunt æquo ferrent animo, & ad ſui generis reliquos aggregarentur.* Benjaminitæ dictis credentes expromptè paruerunt, & populo eis de reditu gratulante acceperunt vxores; verùm cùm fœminæ ſolùm quadringentæ, & ſexcenti eſſent viri, opus fuit ducentos cœlibes manere pro tunc: qui ad accipiendas vxores electi, & quomodò illis conceſſæ, textus non tradit: non verò aberrabit multum, qui exiſtimet ætate maiores prælatos. Et cùm vxores non eiuſdem formæ, pulchritudinis, ac ætatis eſſent, forſitan ſorte ductæ, aut aliqua alia ratione, quæ iurgia, diſſidiaque prorſus vitaret.

Verſ. 15. Vniuerſúſque Iſraël valde doluit, & egit pœnitentiam ſuper interfectione vnius Tribus ex Iſraël

Verſ. 16. dixerúntque majores natu: quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Omnes in Benjamin fœminæ conciderunt.

Verſ. 17. Et magna nobis curâ, ingentique ſtudio prouidendum eſt, ne vna Tribus deleatur ex Iſraël.

Verſ. 18. Filias enim noſtras eis dare non poſſumus conſtricti iuramento, & maledictione, qua diximus: Maledictus qui dederit de filiabus ſuis vxorem Benjamin.

Quamuis iam magna ex parte conſultum prouiſúmque eſſet Tribui Benjamin, adhuc primores ſolicitâ curâ, & vigilanti ſtudio de cœlibibus agebant, in re adeò difficili exitum aliquem deprehendere cupientes, quo ſine Sacramenti iniuria pacatè res componeretur. Igitur cùm de hac re ſecum agerent, non defuit ex eorum comitio, qui omnia poſſe concordari aſſereret. Ergo protulit hoc conſilium. 6.

Verſ. 19. Cœperùntque conſilium, atque dixerunt: Ecce ſolemnitas Dei eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionem vrbis Bethel, & ad orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam, & ad meridiem oppidi Lebona.

Verſ. 20. Præceperúntque filijs Benjamin, atque dixerunt: Ite & latitate in vineis.

Verſ. 21. Cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.

Plurima occurrebant ardua, decretum tamen eſt, vt reliqui Benjaminitæ ab Iſraëlitis filias peterent, ſine dubio denegandas: oportebat tamen humillimis precibus earum parentes rogaſſe, vt poſt raptum, quem iam & cogitauerant, & decreuerant, eorum indignatio faciliùs deferueſceret, ne ad iniuriam vindicandam iterum in campum prodirent. Igitur caſſis precibus iam præmiſſis adhuc erat opus ea parte raptum tentare, ex qua facilè ſe poſſent, Benjaminitæ in ciuitates ſuas recipere, & à fortè in ipſos irruentibus faciliùs tueri. Inter alia media opportunius aptiuſque viſum eſt, cùm annua celebritas in Silo iam adeſſet, in eaque puellæ choros ducere per campos vineaſque ſolitarent, præcipere Benjaminitis, vt inter vitium frondes, quæ ea in regione non exiguæ proceritatis inualeſcunt, cautè latitent, & cùm ſe occaſio obtulerit, raptas ſibi virgines duxerint. Abulenſis Silo celebritatem 7.

Abulenſ. britatem ad raptum fuiſſe putat electam, eiuſque terminos deſignatos, vt quæ Benjaminitarum Prouinciæ eſſe propinqua, & indemni raptui præ cæteris apta: *Hoc factum eſt*, inquit quæſt. 39. *ad tutelam Benjaminitarum, ſcilicet quia Silo eſt coniuncta ſorti Benjamin.* Iam quæ eſſet illa anniuerſaria ſolemnitas, dubium. Ioſephus ſuprà datus putat conueniſſe in Silo lætitiæ, & iucunditatis causá, ſcilicet erat aliquod feſtum, quod à Silonitis eis diebus celebrabatur, ſolùm iucunditatis, & exhilatandi populi deſiderio. Alij exiſtimant hanc ſolemnitatem fuiſſe, quam puellæ pro filia Iepte quotannis agebant; hanc tamen ſententiam reprobat Abulenſis quæſt. 36. Aliquam ex Domini ſolemnitatibus fuiſſe veroſimilius videtur: quia Silo tunc erat ciuitas, in qua erat domus Dei, & conuenire tenebantur quolibet anno Iſraëlitæ ad certas ſolemnitates.

Verſ. 22. Cúmque venerint patres earum ac fratres, & aduerſum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt acciperent, non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt.

Verſ. 23. Fecerúntque filij Benjamin, vt ſibi fuerat imperatum, & iuxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, vxores ſingulas, abierúntque in poſſeſſionem ſuam ædificantes vrbes, & habitantes in eis.

Verſ. 24. Filij quoque Iſraël reuerſi ſunt per Tribus & familias in tabernacula ſua. In diebus illis non erat rex in Iſraël; ſed vnuſquiſque quod ſibi rectum videbatur, hoc faciebat.

8. Ex duplici capite recuſare poterant Benjaminitæ raptum, ne videlicet raptarum parentes cognatíque puellarum clamoribus interpellati in eos irruerent, occiderentque, ex alia feliciter adhuc raptu ſuccedente vetere poterant apud populi tunc magiſtratus appellandos: ergo magiſtratus ipſi vtrique difficultati occurrerunt, dum imperant è Silo proxima rapi, & promittunt ſe accuſatores coloratis rationibus lenituros, allecturoſque ad commiſerationem, quo vtraque ceſſabat difficultas. Igitur Benjaminitæ cum viuido ducendi vxores tenerentur deſiderio, & magiſtratuum fruerentur patrocinio, puellas raptu abſtulerunt ad ciuitates ſuas deferentes. Igitur puellis iam blanditiarum eloquentiâ delinitis, & earum parentibus etiam placatis ciuitatum ſtructuræ, & colendis agris operam dare cœperunt: & licèt Iſraëlitarum populum ad ſuas conuolaſſe ſedes poſthæc referatur, exiſtimandum non eſt prolixam adeò hominum multitudinem tanto ibi tempore ſubſtitiſſe; ſed multo ante raptum ſe in propria recepiſſe, & à certaminibus ceſſaſſe.

§. II.

Conſanguinitatis amicitiæque vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam.

PLura ſunt, quæ legibus aduerſentur, & reorum iniquas cauſas tueantur: dona excæcant Iudices, patrocinantur nocentibus: ambitio, timorque peſſimi Conſiliarij non ſemel iniquitati præſtant auxilium, & inferunt æquitati detrimentum; verùm inter reliquas peſtes non eſt inferior conſanguinitatis vinculum, & cognationis ſuffragium. Mirum erit; ſi Iudex vxoris blanditiis delinitus eius propinquis non faueat, & iniquam ſententiam promat: mirum erit, cognatus, ſi amicúſque Iudicem precibus non corrumpat, aut querelis deterreat. Deuicerat Caſſiodorus Siculos, & imperio Romano reddiderat induſtria deuotos, cum fluctuantibus rebus dubia prouinciarum corda vagarētur, & nouum dominium nouitates ſuaderet, & iniqua ſuſpicantibus aliqualem recedendi occaſionem præſtaret: & quamuis non deeſſent, qui Caſſiodori ſtudium tardarent; ille ſibi conſtitit, & æquitatis cauſam ſolerter perfecit: quod dignis laudibus Princeps extulit, & futuris ſæculis commendauit: *Lucratus es damna prouinciæ*, inquit Theodahadus 1. var. 3. *quæ meruit ſub deuotione neſcire, vbi ſub procinctu Martio ciuilia iura cuſtodiens publica priuataque commoda inanarus arbiter deſtinabas, & proprio cenſu neglecto ſine inuidia lucri moram diuitias retuliſti excludens vel querelis auditum, vel derogationibus locum.* Putares nihil eiuſmodi laudibus poſſe addi, & tamen poſtquam laudauit triumphatorem, quaſi maius ſit in patria inter cognatoſque incorruptum ſe iudicem præſtitiſſe, præmiſſis elogiis attexuit: quaſi amplioribus elogiis celebrandum: quia nil adeò difficultatibus plenum: *Egiſti te per cuncta iudicem totius erroris expertem, nec inuidia quemquam deprimens, nec gratia blandiente ſublimans; quod cum vbique ſit arduum, tamen ſit in patria glorioſum, vbi neceſſe eſt, aut gratiam parentela prouocet, aut odium longa contentiones exaſperent.* Difficillimum eſt inter ſuos Iudicem æquitatis cuſtodire menſuram, quando ipſa cognatio aut iniquam extorquet gratiam, aut fulminat grauem querelam. Huius veritatis non ignari Iſraëlitæ, dum decernunt Benjaminitarum ſcelera vindicare, Sacramento ſe conſtringunt, ne de filiabus ſuis vxores conceſſerint: *Iurauerunt quoque filij Iſraël in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrûm dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis vxorem.* Dum in ſcelera armantur, omnem cognationem vitare conſiliis prudentiſſimis adnituntur: quis enim, ſi filiam ſuam Benjaminitæ in vxorem tradidiſſet, acri mulcta punire auderet, quandoquidem ipſa affinitas & cognatio culpam minueret, & variis excuſationibus coloraret: ergo omnis cognationis per filias in matrimonium locatas impediunt vinculum, vt qui nouerant fore æquitatis naufragium. Ita Abulenſis quæſt. 2. *Ad hoc iurauerunt, vt* Abul.

non

Margin notes in the right column: 9. (beside "PLura ſunt"); Caſſiod. (beside "deuotione neſcire").

non redirent in domos ſuas quovſque vindicarent iſtud delictum in viros Benjamin, & vt tollerent omnem poſſibilitatem concordiæ inter eos, & viros Benjamin, iurauerunt, quòd etiam non traderent eis de filiabus ſuis vxores aliquas. Si cognationis vinculo conſtringerentur, nequirent in delicta ſæuire, nec ſupplicio digno mulctare, quandoquidem ipſa cognitio ſuaderet concordiam, & vltricem frænaret iram: ergo dum indicium totius erroris expers conantur proferre, & cognationis obſtacula ſatagunt amputare.

10. Moyſes, vt meritâ irâ delinquentes puniat, in vindictæ miniſtros eos aſſumit, qui ſe Domini prorſus obſequio manciparint: Exod. 32. v.26. *Siquis eſt Domini, iungatur mihi.* Leuitæ tuendam Domini cauſam ſuſcipiunt, & fratres, amicoſque occidere non verentur: *Fecerunt filij Leui iuxta ſermonem Moyſis, cecideruntque in die illa quaſi viginti tria millia hominum.* Moyſes miris laudibus factum deprædicat, longa remunerandũ benedictione denũtiat: *Conſecraſtis manus veſtras hodie Domino vnuſquiſque in filio, & in fratre ſuo, vt detur vobis benedictio:* Si Iacob benedictio datur poſt acceptam plagam, poſt peractam ſtrenuè luctam: *Benedixit ei in eodem* Geneſ. 32. v.30. *loco:* cur Leuitis larga benedictio conceditur, dum plagas inferunt, non accipiunt? Fortè quia non minori luctamine exercuere iuſtitiam: Iacob Deum vicit: Leuita cognationis affectum ſuperauit. Ergo larga benedictione honorari debuit: quia faciliùs Deus ſuſtinet ad dilargiendam homini benedictionem ſuperari, quàm carnalis affectus ad inferendam pœnam deuinci: duriori forſitan certamine depugnatum eſt inter iudicem Leuitam, & inferendam cognato plagam, quandoquidem ipſa cognatio, nitebatur manum ligare, & enſis aciem retundere: Affinitas cognatioque enorme eſt æquitatis faſcinum, & quodammodò inſuperabile impedimentum. Ergo Leuitæ fortiſſimi, vt Iacobus, deprædicantur, & benedictionibus adimplentur: *Per medium caſtrorum tranſire*, inquit Gregorius 3. Gregor. paſtoralis cap.26. *eſt tanta æqualitate intra Eccleſiam viuere, vt qui delinquentium culpas redarguit, in nullius ſe debeat fauorem declinare: vnde & rectè ſubiungitur: Occidat vir fratrem, & amicum, & proximum ſuum: fratrem ſcilicet, & amicum, & proximum interficit, qui cum punienda inuenit, ab increpationis gladio nec eis, quos per cognationem diligit, parcit.* Adnectit: *ſi ergo ille Dei dicitur, qui ad ferienda vitia zelo diuini amoris excitatur, profectò eſſe ſe Dei denegat, qui in quantum ſufficit, increpare vitam carnalium recuſat.* Deo prorſus conſecrati, & mirè laudibus reſplenduerunt Leuitæ ab omnibus extollendi, vt qui indiciario gladio muniti per caſtrorum medium æqua adeo ſententiâ proceſſerint, vt in propinquorum partem non inclinarint.

11. *Cæcutit*, aiebat Plutarchus in quæſtionibus Platonicis, *in re amata is, qui amat.* Adiungit: Plutarch. *Hinc qui propria generat, iudex fit deterior aliorum. Elias Sophiſta quidã fore ait arbitros ludicrorum Olympicorum meliores, ſi Eliorum nemo certaret.* Itaque dum Elius certat, Elius iudex cognationis titulo in eius partem inclinat, & licèt pro contrario ſtet iuſtitia, pro Elio exibit ſententia. Addit Plutarchus: *Qui, vt Socrates, profitentur nihil ſe ſuum aſſerere: hi integros ſoli ſe atque innocentes veritatis iudices præbent.* Nullos habere cognatos, nullos affinitate coniunctos opus eſt Iudex cogitarit, vt æquam ſententiam, ac conſonam veritati protulerit.

Et tu, aiebat Oſeas, *ad Deum tuum conuerteris: miſericordiam, & iudicium cuſtodi, &* 12.
ſpera in Deo tuo ſemper Chanaan in manu eius Oſeẽ 12. v.5.
ſtatera doloſa. Vt vianti itineris difficultates aliquis peritus ſolet oſtendere; ſic ne in exercendo iudicio erretur, ab Propheta Oſea Chanaan exemplo ſcopulus vitandus innuitur: Chanaan ſtatera doloſa, quia aliter ſodalem, & ignotum aliter iudicabat. Huc voco Be- Beda. dam tomo 4. in Prouerb. cap. 11. *Qui aliter cauſam pauperis, aliter cauſam potentis, aliter ſodalis, aliter audit ignoti, ſtatera vtique librat iniqua.* Iniqua ſtaterà librabat Chanaan: quia ſodalis cognatique cauſa apud illum ſemper iuſta, ſemperque honeſta: ergo ne imiteris Chanaan, inquit Oſeas: nam vt Domini iudicium cuſtodias, in nullam partem propendere debet affectus: cúmque cognatio, & affinitaſque ad ſe valenter animum trahat, difficulter æqua lance ponſabit, quod naturæ affectibus aut excuſare cupit à culpa, aut nobilitare gloria. Amicitiam etiam iudicio officere ſatis dilucidè Pilatus oſtendit: Chriſti Domini cauſam diſcuſſerat ipſámque aduerſariorum inuidiam innocentiæ ſuffragari noſcebat, quandoquidem mendaciis artificiiſque ſtudentes crimen obiectare non potuerunt capitali morte plectendum. Ergo cùm nec Sacerdotum auctoritate, nec turbarum tumultu adduci potuiſſe, vt innocentem reum condemnaret, amicitiæ ariete conſtantios muræ tentarunt, & ſubruerunt: *Ait Pilatus ad Principes* Lucæ 23. v.4. *Sacerdotum, & turbas: Nihil inuenio cauſæ in hoc homine.* Æmuli, vt norunt factioſas eludi calumnias, fraudes contectas nudari, ad amicitiæ ſuffragium recurrunt allegantes ingratum fore amico Cæſari, ſi dimiſerit ſibi traditum: *Exinde quærebat Pilatus dimittere* Ioan. 19. v.12. *eum. Iudæi autem clamabant dicentes: ſi hunc dimittis, non es amicus Cæſaris.* Quid tunc? Iudex nec potentium auctoritate flexus, nec populi clamore deprauatus in amicitiæ obſequium corrumpere non timet iudicium; ſed innocentem damnat vt reum: *Pilatus autem cum audiſſet hos ſermones, adduxit foras Ieſum, & ſedit pro tribunali.* Amicitiæ nomen iudiciũ peruertit, & dum iudex veritus eſt, ſi æquam pronuntiarit ſententiam, amici ſe incurſurum in gratiam, maluit quam exaſperare amicum, iura euertere, & innocentem damnare. Adeſt Ambroſius in cap. 23. Lucæ. *Lauit Pilatus co-* Ambroſ. *ram populo manus dicens: Innocens ego ſum à ſanguine iuſti huius. Lauit quidem manus Pilatus; ſed facta non diluit: iudex enim nec inuidiæ cedere debuit, nec timori, vt ſanguinem innocentẽ addiceret.* Conſonat Auguſtinus in catena D. Thom. Auguſt. *Maiorem timorem ſe ingerere putauerunt Iudæi Pilato terrendo de Cæſare, vt occideret Chriſtum.* Sanguinem innocentem addixit, ne amici ſubjerit offenſam, & familiaritatis amitteret gratiam. Plures inuenias iudices ab omni munere abſtinentes, lotiſque manibus micantes, qui dum amicorum non intercedat ſuffragium, iuſtam ſententiam proferunt; ve-

rùm dum iniquis familiaritatis conſiliis gratas præſtiterunt aures, adulterauere etiam leges: tantum officit æquo iudicio cognationis ſuadela, familiaritatis gratia, & ſodalium amicitia. Pilatus pro innocentia ſteterat, dum contra innocentiam non pugnabat Cæſaris amicitia; at vbi timuit Cæſarem amicum exaſperandum, corrupit etiam iudicium.

---

§. III.

Solùm cum nobilibus ſunt expetenda connubia, cùm morum relucet gratia.

13. INueterata, & per antiquos traduces ducta nobilitas venerationem ſibi conciliat, dum ineſſe virtutes denotat: magni æſtimanda eſt generis excellentia, & multis ſtemmatis illuſtrata maiorum proſapia; verùm ſolerter examinandum eſt, & ſolliciti examinis lance penſandum, ne origo adulterata deprauatis moribus fallat, & mirantibus imponat: parum intereſt, ſi quis eximia maiorum claritate reſplendeat, ſi impolitis moribus ſordeat: qui, vt vanitati adulaterur, nobilis exambiuit connubium, ſæpè ſibi quæſiuit lamentum: ſi nobilitas relucentibus moribus exornetur, digniſſima eſt, quæ ſtudiosè ad matrimonium quæratur verùm ſi morum concinnitate deſtituitur, venenum eſſe nocentiſſimum comprobatur. *Qui laudibus extollunt nobilitatem,* inquit Philo lib. de nobilit. *vt bonum maximum, & cauſam magnorum bonorum ipſi reprehendendi ſunt, vel ob hoc, quod nobiles cenſent natos è familiis iam dudum claris, & diuitibus, cùm ne maiores quidem illi, quos iactant, propter opulentiam felices fuerint.* Nobilitas virtute præcipuè conſtat, non ſolo ſanguine; ea tamen eſt ambitionis cæcitas, vt ſitienter exambiat nobilibus ſe per connubia inſerere, ſi ſplendorem quiuerit ſugere. Hinc videbis homines nobilium ſolicitate filiabus connubia, & è contra, moribus aliquando non rectè diſcuſſis, nec ingeniis examinatis. Itaque ſi cum nobilibus, & maiorum ſpectabilitate conſpicuis matrimonium contraxerint, ſibi gratulantur non curantes de moribus iudicium ferre. Ab hoc profectò errore inueniuntur Iſraëlitæ liberi: nam licèt Benjamin fuerit à Ioſepho Ægypti prorege cæteris in conuiuio prælatus, & à patre præ reliquis etiam dilectus, licèt Rachelis, non ſeruarum filius; de non locandis Benjaminitis filiabus ſolemni ſe Sacramento conſtrinxerunt, & obligarunt: *Iurauerunt quoque filij Iſraël in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrum dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis vxorem.* Et cur tribum, quæ ambitioſo ſtudio ad connubia debuit ambiri, Sacramento conantur repellere? Quia licèt eximiâ originis nobilitate reſplenduerint Benjaminitæ, ſceleribus inueniebantur denigrati, & exoculata libidine ſordidi. Ergo prudenter cauerunt filias eis in matrimonium locare, quos deprauatis moribus non ignorabant ſordere: *Quæretur quare moti fuerint viri de vndecim Tribubus ad iurandum, quòd non darent de filiabus ſuis vxores filiis Benjamin,* inquit Abulenſis quæſtion. 2. *Reſpondendum eſt, quòd cùm factum eſt ſcelus circa vxorem Leuitæ in vrbe Gabaa, quæ erat de Tribu Benjamin; cæteri viri Iſraël congregati fuerunt in Maſpha audientes querelam Leuitæ.* Audierant Leuitam Gabaënorum exoculatam libidinem referentem: ergo, etſi nobilitate præ aliquibus Tribubus reſplenduerint, dum moribus agnoſcunt deprauatos, firmiter ſtatuunt filiarum ſuarum connubiis interdicendos. Non adeò dolenter ingenuiſſent aliqui parentes, ſi filias ſuas nobilibus non locaſſent; at dum nobilitatis ſplendore obcæcantur, prauis generorum moribus iuſtè plectuntur.

Nobili origine vxorem duxit Adamus, de principis ſcilicet latere ſtructam: *Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam; dixitque Adam: Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea:* non adeò nobilem ſponſam Noë duxit, cùm iam homines de paradiſo exterminati, & ruris culturæ addicti, & tamen Adamus ingenuit, dum Eua cum ſerpentina vafritie colloquia miſcet, & maritum ad gemitum, & laborem compellit: *Emiſit eum Dominus Deus de paradiſo voluptatis, vt operaretur terram, de qua ſumptus eſt.* De hoc connubio natus eſt Cain parentum luctus, fratris parricida, mortis magiſter orci ianua. Tranſi modo cogitatione ad Noë, qui vxorem non adeò nobilem ducens genus ſeruauit humanum: *Noë inuenit gratiam coram Domino:* Noë vxor ægrè non tulit arcæ limitibus contineri: Eua paſſa non eſt vel paradiſi terminis coarctari. Noë vxor ſæculis quodammodo incognita, Eua vel à ſerpentibus viſa: ergo ex Noë connubio nati ſunt, qui humanum genus reparauerint, ex Adæ connubio natus eſt; qui fratrem occiderit. Et è contra etiam Noë vxor nobilem adeò maritum ac Eua non duxit, verùm dum Noë diuino ſe cultui tradit, & Adamus inſano appetitui inſeruit, alterius domus benedictionibus repletur, & alteriùs familia ſtrage infelicitatur. *Ipſa nobilitas oſtenditur,* inquit Clemens Alexandrin. l. 2. ſtromat. c. 8. *in eo quod quæ ſunt pulcherrima, honeſtiſſimaque eligat & exerceat: quid enim Adæ profuit talis eius nobilitas, & quod eius nullus eſſet pater mortalis: ipſe enim pater hominum, qui ſunt in generatione turpia quidem prompto & alacri animo delegit vxorem ſequens; vera autem & honeſta neglexit, quo factum eſt, vt vitam immortalem mortali commutaret. Noë autem, qui non ſic factus eſt vt Adam, cura ac prouidentia diuinâ conſeruatur; ſe enim Deo obtulit, ac dedicauit.* Maritus Deo dicatus familiam nobilitat, poſteritate lucet, & cœleſti benedictione reſplendet: appetitum ſecutus fuit generis pernicies, & calamitatis magnes. Vxor nobili reſplendens originis venâ, dum morum non reſplendet elegantia, marito gemitum procreauit, & toti generi calamitatem addixit; quæ verò non adeò illuſtri proſapia genita, dum omnium virtutum elegantia fulget ornata, dolorem arcet, ſponſum recreat, &

Margin: 14. — Abulenſ. — Geneſ. 2. v. 23. — Geneſ. 5. v. 24. — Geneſ. 6. v. 8. — Philo. — Clemens.

Digitized by Google

& diluuij calamitem mitigat : *Noë qui non ſic factus eſt vt Adam , curâ , ac prouidentia diuina conſeruatur : ſe enim Deo obtulit , ac dedicauit.*

15. Dinam principis filiam poſt ſtragem illam Sichimitarum non audio in matrimonium locatam : *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ , vt videret mulieres regionis illius , quam cum vi-* Geneſ. 34. v. 1. *diſſet Sichem filius Hemor Heuæi Princeps terræ illius , adamauit eam , & rapuit.* Multa inquirenda veniunt , videlicet cur Dina Iacob diuitis , principiſque filia nulli in matrimonium locetur , quando & formæ radiabat præſtantia , & originis præ multis reſplendebat excellentia Si Sichem eius pulchritudine captus nihil non promiſit, vt in ſpõſam haberet, cur poſt eius obitum à nullo ad matrimonium expetitur? Quia fortè quiſque timuit ſibi coniungere, quantumuis forma & nobilitate polleret, fœminam videri non recuſantem, & curioſitate ingentis materiam luctus præbentem: ſi pudicitia illam commendaret , ſi oculos fugientem fama proferret, etſi nec adeò nobilis, nec diues adeò a plurimis in vxorem quæreretur, & iure, cùm præcipua dos non ſit ſanguinis vena; ſed morum elegantia. Abulenſ. *Quid de illa factum fuerit*, inquit Abulenſis q. 3. in Geneſ. 34 *poſt in Sacra Scriptura nec in aliqua authentica hiſtoria non reperi.* Nullus in vxorem expetiuit, quia & miſeræ ſtragis cauſa, & videndi nimis curioſa. Adde Dinæ fratres putaſſe ſe ſorori beneficium conferre , ſi connubium cum Sichem impediręnt , quantumuis Sichem nobilitate reſplenderet conſpicuus , quantumuis diuitiis micaret auctus, & dominio fulgeret ſplendidus: *Arreptis duo filij Iacob Simeon & Leui fratres Dinæ gladiis ingreſſi ſunt vrbem confidenter , interfectiſque omnibus maſculis Hemor, & Sichem pariter necauerunt , tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam.* Nil adeò a fratribus videbatur expetendum, quàm ſororem ſuam à Principe in ſponſam obnixis precibus flagitari, & abiurata idololatria ad veram religionem, ne matrimonium differretur, trãſire, & cum Hemor ſic eos alloqueretur : *Sichem filij mei adhæſit anima filiæ veſtræ : date eam illi in vxorem, & iungamus viciſſim connubia ; filias veſtras tradite nobis , & filias noſtras accipite.* Dinæ fratres reſponderunt : *Non poſſumus facere quod petis , nec dare ſororem noſtram homini incircumciſo.* Incircumciſo principi renuerunt ſororem dare , & filias idololatriæ crimine denigratas accipere: vt nouerimus connubia non eſſe expetenda ob ingentem diuitiarum cenſum , nec ob ſtemmatum ſplendorem ; ſed ob virtutem. Ergo licèt Sichem non dubitaſſet, vt adularetur appetitui , ad eorum religionem accepta circumciſione tranſire , ipſi ſæuo vulnerum doloré diſcruciatum de medio ſuſtulerunt , Dinamque de eius palatio aſportarunt: maluerunt fratres innuptam relinqui , quàm in vxorem Principi dare antiquam parentum religionem abiuranti in cupiditatis obſequium, & libidinis ſuffragium : ſuſpicati ſunt namque ſatius eſſe matrimonium impedire , quàm Principi eiuſcemodi moribus obſcurato ſororem tradere. Adeſt , & quidem opportunè D. D.Thom. Thomas ad hunc locum : *Illud ſanè dixerim, quod Dinæ fratribus meritò diſplicuit. Meritò eos placare non potuit circumciſio , quæ non tam pro Deo , quàm pro Dina facta fuit.* Videbant non tam pro Deo , quàm pro carnali appetitu antiquam Sichimitarum religionem obliteratam, nouam receptam: ergo non irrationabiliter veriti ſunt ſororem ſuam quàm citò inhoneſte repudiandam , & abijciendam , ſi alia Principis oculos raperet, & voluntatem allicęret. Magnus illis à tali connubio oriebatur ſplendor ; ſed & magnus etiam timor : ergo reſpuerunt nobilitatis excellentiam, vbi morum agnouerunt iacturam. Non erat virtutis alumnus ; ſed vitiorum vernula, qui adeò facilè auitam religionem abiurabat: & ad ignotam peregrinorum tranſibat. Ergo dum fratres verentur quàm citò aliam ſuſcepturum religionem , ſi alia fœmina eius oculos rapuerit, & animum cupiditate inflammarit , recuſauere connubia, & ſtuprum punierunt inflicta duriſſimà pœna : *Meritò eos placare non potuit circumciſio, quæ non tam pro Deo , quàm pro Dina facta fuit.*

---

§. IV.

Non ſemel dum punitur peccatum, perpetratur in ipſa punitione delictum.

Virtus vt honeſtis rebus propitia eſt , ita turpibus iraſcitur , eo tamen temperamento vti debet , vt dum geſtit vitia comprimere , euitauerit defœdari : nonnulli dum ob alienum peccatum nimio inflammantur zelo, proprio ſordidantur delicto. *Nec vnquam*, aiebat Seneca lib. 2. de ira c. 6. *committet virtus , vt vitia dum compeſcit, imitetur: ipſam iram caſtigatam habet , quæ nihilo melior eſt ; ſæpè etiam peior his delictis , quibus iraſcitur.* Si modus exceditur, iam zelus in furorem tranſit, & qui cauſam virtutis cœpit zelotypus, virtutis proſequetur inimicus. Non æqualis ira ac poſcit cauſa, effundenda eſt : Deus namque omnium virtutum norma præmia offert vltra meritum , & citra meritum infligit ſupplicia : minor ergo ſit indignatio , vt ſit honeſta punitio, Poſtquam Iſraëlitæ Benjaminitas ferè deleuerant in admiſſi ſceleris vindictam , iam ſe plangunt , & graui vlulatu cordis dolorem oſtendunt : *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo , & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem , & magno vlulatu cœperunt flere.* Poſt triumphum mœrent: nunquam enim humanis in rebus perfecta lætitia eſt : ſtragem paſſi copioſis ingemiſcebant ſingultibus , victoriam conſecuti triſtibus etiam vlulauere clamoribus. Iam ſi inquiras huius mœroris cauſam , reſpondebit Hugo Cardinalis vltionis modum exceſſiſſe, & Hugo. exceſſum amaris lachrymis deploraſſe : *Magno vlulatu cœperunt flere* , inquit textus : ad quæ Hugo : *Pro exceſſu facti ; exceſſerunt enim modum vltionis , interficiendo omnes.* Neſcias quis plus peccauerit , an Benjaminitæ perpetrando offenſam , an Iſraëlitæ inferendo peccantibus mulctam. O quàm benè datus Seneca. Seneca cap. 10. *Placidus ſapiens , & æquus erroribus non hoſtis ; ſed correptor peccantium.* Superior non ſit hoſtis hominis; ſed criminis. Iſraëlitæ correptores inceperant ; ſed in virtutis hoſtes degenerarunt : ergo plangere

opus fuít, quandoquidem minùs fortè laboratum eſt vitio, quàm remedio: Certè Gabaëni, dum delinquunt, vnicam mulierem vitâ priuarunt; Iſraëlitæ, dum puniunt, integram ferè Tribum deleuerunt.

17. Elihu acriter Iob carpit, ac ſi dixerit ſe prorſus eſſe mundum, & ab omni iniquitate purgatum: *Dixiſti ergo in auribus meis, & vo-* Iob. 33. v.8. *cem verborum tuorum audiui: Mundus ſum ego, & abſque delicto, immaculatus, & non eſt iniquitas in me.* Adnectit: *Hoc eſt ergo, in quo non es iuſtificatus. Reſpondebo tibi quia maior ſit Deus homine: aduerſus eum contendis, quod non ad omnia verba reſponderit tibi.* Gregorius lib. 23. moral. deliquiſſe ait Elihu: & quidem, ni deliquiſſet, opus pro illo offerre ſacrificium non eſſet. Ecce dum zelotypi faciem aſſumit, & Iobum vbi peccatorem arguit, ipſa in correptione delinquit, & diuinam iram adeo in ſe concitat, vt ni ipſe Iob interceſ- Iob. 42. v.7. ſiſſet, pœnam ipſe corrector exolueret: *Poſtquam locutus eſt Dominus verba hæc ad Iob, dixit ad Eliphaz Themanitem: Iratus eſt furor meus in te, & in duos amicos tuos: quoniam non eſtis locuti coram me rectum, ſicut ſeruus meus Iob.* Ecce qui videbantur zelo moueri, delicto inuenti ſunt ſordidati: exceſſerunt namque correctionis munus, dum iniquas ſuſpiciones fouentes Iobi verba ſiniſtris interpretationibus commentantur, & plus iuſto, Gregor. vt correxerint, inuehuntur. Accipe Gregorium: *Elihu in flagellis Beati Iob, idcirco veracem rationem non inuenit, quia eam quærere humiliter neſcit, & increpare potius quam conſolari paratior dicit: Hoc eſt ergo in quo non es iuſtificatus.* Adnectit Gregorius: *Notandum quoque eſt quod Beatus Iob in neruo pedem ſuum poſitum dixit; ſed nequaquam mundum ſe hoc modo, quo ei obijcitur, vel immaculatum, & ſine iniquitate fuiſſe memorauit.* Elihu, vt auſteriùs increpet, delicta confingit, oſtentandi zelum: ingeniumque deſiderio Iobo adſcribit culpam, quam duris increpationibus reprehendat. Quod ſeuerè carperet, finxit verba detorquendo, & proferentis ſenſum adulterando: *Increpare potiùs, quam conſolari paratior dicit.* Qui vti amicus beneuoluſque debuit conſolari afflictum, increpandi exulcerandique iniquo prurìtu inflammatus carpſit quæ finxit. O quanta eſſe debet ſuperioribus in corrigendo ſolertia, quanta in correctionis verba proferendo cura: ne dum alienum putant vitium expungere, inueniantur ſe ſceleribus implicare. Ecce amici Iob indigent holocauſtis, quia dum acriùs corrigunt, dum quæ correxerint, fingunt, ſe delictis implicant, & ſuſpicionibus ſordidant.

18. Rex Iſraël, & Ioſaphat rex Iuda, & rex Edom Eliſæum adeunt, & aquæ qua premebantur inopiæ ſubuenire in modum ſuppli- 4. Reg. 3. v.12. cum orant: *Deſcendit ad eum rex Iſrael, & Ioſaphat rex Iuda, & rex Edom.* Eliſæus graui ira excandeſcens regem Iſraël publicè carpſit. Ioſaphat extulit, & de rege Edom nihil dixit: *Dixit autem Eliſæus ad regem Iſrael: Quid mihi & tibi eſt? vade ad Prophetas patris tui, & matris tuæ.* Poſteà cùm iam egentibus ſubuenire vellet, opus fuit Pſaltem adduci, vtque impuratus à Saule cantibus effugabatur ſpiritus, ita modò neceſſe fuit canente Pſalte ſpiritum aduocari ſupernum: *Nunc autem adducite mihi Pſaltem cúmque caneret Pſaltes, facta eſt ſuper eum manus Domini.* Quærunt Patres cur opus fuerit melodia, vt futura denuntiarit Propheta. Rabbi Salomon apud Lyram exiſtimat receſſiſſe ſpiritum, dum nimis exaſperatus Propheta delictum carpſit. Ipſum audi. Lyra. *Dicit hic Rabbi Salomon quod Spiritus Prophetiæ receſſerat ab eo, eo quod exaſperatus fuerat contra regem Iſrael.* An Propheta deliquerit acriori obiurgatione, an temporis circunſtantia aliud perſuaſerit in medium relinquo, ad noſtram verò firmandam theſim, ſi Rabbi Salomoni credimus, non erit Eliſæus importunum exemplum. Certè ſi ſuperior interiori corripiatur ira, ſi opportuna temporis non expectetur circunſtantia, proptia delinquet offenſa, & neceſſarius erit Pſaltes ad placandam iram, vt ad depellendam Dœmonis truculentiam: *Pſallente (Dauide) malus ſpiritus expellebatur*; inquit Ambroſius in Pſal. 118. Octonario 7. *qui Saulis regis corda vexabat: Propheta quoque, vt prophetarent, pſallendi peritum iubebant pſallere, quo ſuaui inuitata dulcedine ſpiritualis infunderetur gratia.* Ambroſ. Ira inardeſcens, ſi ſuperioris animum poſſederit, de rationis arce prudentiam deturbabit, & dum acriùs inuehitur, ipſa correctione delinquere comprobatur: ſpiritu caret, qui corrigendo furit: ergo vt iram Dœmonis cognatam nouerimus, Pſalte placatur ira, & Pſalte depellitur truculentia: de cõgeneri remedio aſſimilari videtur morbus, nec minus timẽdũ eſt cæca ira corripi, ac ſpiritu diuexari. Superior ſit honeſtè hypocrita interiùs erga delinquentẽ conſeruet dulcedinem, vel dum affectat exterius indignationem: hæc namque hypocriſis eſt ambiẽda, & ſuperioribus procuranda. Adde aliquando ſuperiores delinquere, dum ſoletti non examinant ſolicitudine culpam, & ſeueram decernunt pœnam iniquis ſuſurronibus fidem adhibentes, vel externa ſolum aliquali culpæ ſpecie oculos præoccupantes: vnde contigit æquitatem oppugnare, cùm videbantur defendere.

19. Vulneratam inuenies ſponſam à cuſtodibus, & ciuitatis præſulibus: *Inuenerunt me cuſtodes, qui circumeunt ciuitatem, percuſſerunt me & vulnerauerunt me.* Cantic. 5. v.7. Dum ait cuſtodes inueniſſe, indicat indagaſſe: & cur ſponſam quærebãt? Quia iniquis malignantium delationibus; inquit Radulphus, crediderant denigratam culpis, cùm pulchreſceret eximiis virtutum meritis, & meritorum prærogatiuis: *Nigra ſum, ſed formoſa.* Cantic. 1. v.4. Itaque reuera formoſa erat; ſed iniquis criminationibus denigrata: ergo ciuitatis præſides dum non candido Sole; ſed nocturna caligine percuſſiſſe referuntur, lucis innuitur non expectaſſe examen, & exoculatam fuiſſe contra ſponſam indignationem: *Nigra ſum: ſed formoſa,* inquit Radulphus in allegor. Tilmani ad Leuit. 13 *ac ſi apertè dicat. In cute quidẽ mea aduerſariorum conuiciis lepræ deformitatem ſuſtineo: in conſcientia tamen ſecreto ſanctitatis quaque verſum perquirens effloruerit, id eſt gloriandi occaſionem eis, qui hæc propter iuſtitiam patiuntur, & ſine culpa ſua infamantur, præbuerit; & operuerit omnem carnem à capite vſque ad pedes, quidquid ſub aſpectum oculorum cadit. Omnia quippe quæ à iuſtis etiam laudabiliter* Radulph.

geruntur,

Digitized by Google

geruntur, maledicorum linguis fuſcantur, & ſiniſtra interpretatione deprauantur. Deprauant de obmurmurandi pruritu, de inimico affectu nonnulli honeſte facta vnde ſi iudex ſuperiore his criminationibus leuiter moueatur, percutiet reuera pulchram, dum exiſtimat culpis corrigere denigratam. Adde ſuperiores, iudiceſue aliquando cauſas aliis impingere, & factioſos dolos ſubtexere, ne competitores ſuſtineant, & quas exambiunt, dignitates impeditis competitoribus rapiant. Itaque agunt ambitionis cauſam, dum mentiuntur æquitatis tutelam.

20. Concilium cogunt Phariſæi, & cùm non ignorarent Chriſtum Dominum eximiis reſplendere virtutibus, dum verentur ſe commoditatibus, plauſibuſque priuandos, ni eius denigrauerint famam, proferunt iniquam ſententiam: *Quid facimus, quia hic homo multa ſigna facit? ſi dimittimus eum ſic, omnes credent in eum, & venient Romani, & tollent noſtrum locum, & gentem.* Cùm Romanos laturos locum, gentemque verentur, non de materiali ciuitate; ſed de dignitatibus, quas ipſi poſſidebant, loquuntur. Ergo ſecum concilium agitant, decernúntque, quo ſecuriùs certiúſque ipſi dignitatum faſtigia quiuerint poſſidere, captioſis dolis, & criminibus confictis Chriſtum circumuenire: & ne exiſtimes ſemel hoc accidere; ſed ſæpè ſæpiùs; accipe à Seneca lib. 2. de ira cap. 7. *Inter iſtos, quos togatos vides, nulla pax eſt: alter in alterius exitium leui compendio ducitur: nulli niſi ex alterius damno quæſtus eſt: felicem oderunt, infelicem contemnunt, maiore grauantur, minori graues ſunt, diuerſis ſtimulantur cupiditatibus, omnia perdita ob leuem voluptatem prædamque cupiunt. Non alia, quàm in ludo gladiatorio vita eſt, cum iiſdem viuentium, pugnantiumque.* Vt in ludo gladiatorio exaſperatur aliquando animus, & ſpecie exercitium tranſit in bellum, ita competitoribus accidit: combibunt, & ſpecie ludunt; ſed reuera altercantur, & eorum quiſque, quò plura ſibi applicentur ſuffragia, alterum criminationibus impetit, & ficto non ſemel crimine euertit. Itaque quæ ſpecie videbatur correctio, eſt contra æquitatem ambitioſiſſima machinatio.

Ioan. 11. v. 47.

Seneca.

§. V.

Defunctorum expiationem religioſis actibus ac victimis procurare eſt pietatis teſtimonium, & vtilitatis illicium.

21. DEfunctorum memoriam cum ipſis non ſepelire, apud Ethnicos etiam dilaudatum eſt: diſcedentem benefactorem memoria expungere, nec officium debitum reddere animum prodit ingratum. Lucis etiam vſurâ carentibus rependi poteſt gratitudinis debitum, & impendi charitatis tributum. Ouidius 2. Faſtorum aiebar.

Eſt honor & tumulis animas placare paternas,
Paruaque in extructas munera ferre pyras,
Parua petunt manes, pietas pro diuite grata eſt.
Munere, non auidos Styx habet ima Deos.

Ouidius.

Plinius iunior etiam lib. 3. Epiſtolar. Epiſt. 5. auunculum ſuum teſtatur ſomnio monitum deceſſorum memoriam celebrare, & ab iniuria obliuionis eripere: *Bellorum Germaniæ viginti* (libros) *quibus omnia, quæ cum Germanis geſſimus, bella collegit, inchoauit, cùm in Germania militaret ſomnio monitus: aſtitit enim ei quieſcenti Druſi Neronis effigies, qui Germaniæ latiſſime victor ibi periit. Commendabat memoriam ſuam, orabatque, vt ſe ab iniuria obliuionis aſſereret.* Vt de ipſa veritate contra veritatem ipſam multa conficta ſunt, ita de ipſis figmentis pro veritate poſſunt aliqua adduci. En victor decedens Druſus dormienti refertur objectus, & adhuc poſt mortem, vt beneficia ſenſerit, viuus. Profectò memoriam ſolùm aſſerere & ſuperfluum, & vanum; dum tamen vel Ethnicis indubium defunctorum animas corpore nudas viuere, erga fidelium defunctorum animas pium eſſe cōſtat ſtudium, & religioſum obſequium. Hinc laudandus venit Iſraëlitarum populus, vt qui pro Benjaminitis defūctis obtulerit ieiunium: & licet iuſto ferro præciderint, piis ſuffragiis leuare curabant: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere, dicentes: Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis? Altera autem die diluculo conſurgentes extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta.* Pro defunctis indictum generale ieiunium, & impoſitum altaribus holocauſtum tradere videtur Ioſephus 5. antiq. 2. *Quamuis iuſtis armis oppreſſos cenſerent, vt qui contra diuinas leges peccauerant, ieiunium tamen indixerunt ob eorum exitium.* Iuſtitiæ ſatisfeciſſe curarant morte Benjaminitis inflicta; verùm quia difficile eſt vel cùm inſeruitur iuſtitiæ, aliquali exceſſu non defœdari, ieiuniis ſolicitauerunt delere, & quia etiam non dubitabant animas reatibus illigari, & dignis ſacrificiis abſolui, obtulerunt holocauſta, & indixerunt ieiunia: & quidem licèt Ioſephus de viuentium reatibus agere cui videatur, cùm eius verba poſſint etiam adaptari noſtro inſtituto, indictum videlicet ob decedentes ieiunium, libuit ab eius verbis hanc moralitatem eruere, & pietatem pro defunctis expiandis accendere. Itaque Iſraëlitarum iudices æquâ ſententia Benjaminitas vitâ mulctarunt, & dum ſacrificiis ieiuniiſque à culparum reatibus animas abſoluere conati ſunt, pietatem ſuam erga defunctos mire oſtenderunt. Non abſimile B. Franciſco Borgiæ contigiſſe refertur: nam cùm prorex Cataloniæ ſummo ſtudio graſſatores inueſtigaret, & comprehenſos morte puniret, pro eorum animabus Miſſarum ſacrificia offerri ſolicitè procurabat, & à purgatorij pœnis eximire ſatagebat: quo in ſtudio mirè miſericordia, & iuſtitia elucebant intertextæ, quando inflicta pœna commendabat Reipublicæ & æquitatis amorem, & expiatio affectus teneritudinem & pietatem. Iam quantum ſacrificia proſint, quamque vehementi animæ vrgeantur abſolutionis deſiderio, teſtatur Ioannes Apocalypſis 6.

Plinius.

Ioſephus.

Cùm cœleſtis ille agnus quintum libri ſigillum aperuiſſet, Ioanni objicitur altare interfectorū propter Dei Verbum animabus ſeptum: 22

Digitized by Google

aſpexit ibi albas ſtolas ſingulis exhiberi, & Apocal. 9. v 9. iam placida requie potiri: *Cùm aperuiſſet ſigillum quintum, vidi ſubtus altare animas interfectorum propter verbum Dei, & propter teſtimonium, quod habebant, & clamabant voce magna.* Dum clamantes audiuit, circum altare exiſtentibus ſtolas etiam candidas datas conſpexit: *Datæ ſunt illis ſingulæ ſtolæ albæ, & dictum eſt illis, vt requieſcerent.* Hîc animas reatu nondum liberas Ioanni objectas, & Eccleſiæ militantis cum triumphanti delineatum commercium agnoſcunt Sancti Patres. Itaque in animarum clamore vehementiſſimum exprimitur deſiderium: & quomodò ardentiſſimè non ſitiant Deum videre, cùm cœleſtia gaudia conſtet iam quodammodò præſentire? Deſiderant requiem, & licèt patienter, ſuſtinent ardentiſſimum ignem. Ergo ad altare quodammodò inuolant, ſicut ad fontes aquarum ceruus, vt quæ ibi agnoſcant pro earum reatibus pretium exolui, & ad capienda gaudia obſtaculum remoueri. Ab altari accipiunt ſtolas, quæ hinc demigrauere Ambroſ. ob culparum reatum paſſuræ flammas. *Altare Dei Chriſtus eſt*, inquit Ambroſiùs ad hunc locum: *animæ igitur Sanctorum ſub altari quieſcunt.* Adnectit poſt aliqua: *Stolæ albæ gloria eſt Sanctarum animarum: ſingulas Stolas albas Sancti Dei nunc poſſident: quia corporibus in terra quieſcentibus ſtolis animæ beatitudinis æternæ perfruuntur. Binas ſtolas tunc percipient, cùm poſt reſurrectionem animæ cum corporibus gloriam cœleſtis patriæ ſine fine poſſidebunt.* Vbi acceperunt ſtolas, clamor deſijt, & requies effloruit. Ergo iuxta altare ſtolas accipiunt, vt intelligamus ob ſacrificium pro animabus oblatum promanare animabus in pœnis ſolatium, & aperiri ad æternam gloriam oſtium: habet Chriſtus vitæ claues: ergo cùm ipſe rutila ſacrificij flamma aſcendat, oſtium reſerat, & ſanctorum ſecum animas introducit.

23. Ioſepho à Pharaonis ſeruo cuius tunc incarcerati anxietatem piè fuerat ſolatus, non modicum promanauit refrigerium: referamus hiſtoriam: ob admiſſam culpam duo Pharaonis ſerui carcere conſtricti vinculis tenebantur; cúmque vidiſſent ſomnia futurorum præſagia, non ſolùm vinculis, ſed dubietatis etiam diſcruciabantur tormentis. Ergo Ioſephus cordis mœſtitudinem conijciens rem ſciſcitatus eſt: retulit pincerna exiſtimaſſe à vite fructum decerpere, & Pharaoni calicem generoſo vino plenum, & defœcatum mini- Geneſ. 40. v. 13. ſtrare. Tunc Ioſeph: *Recordabitur Pharao miniſterij tui, & reſtituet te in gradum priſtinum.* Addidit: *Tantum memento mei, cùm benè tibi fuerit.* Calix præclarè inebrians vincula culparum diſſoluit, & compedibus iam ſolutis pincernam palatij gaudiis reſtituit: ergo cùm poſteà Pharaoni aliud ſomnium fuiſſet objectum, pincerna notitiam conjectoris dedit, & ab hac notitia omnis Ioſephi felicitas promanauit: *Iratus rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem principis militum, vbi vna nocte vterque vidimus ſomnium præſagum futurorum. Erat ibi puer Hebræus eiuſdem ducis militum famulus, cui narrantes ſomnia audiuimus quidquid poſteà rei probauit euentus: ego enim redditus ſum officio meo, & ille ſuſpenſus eſt in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt, ac veſte mutatâ obtulerunt ei.* Geneſ. 41. v. 10. Vel à paupere aliquid tondent, qui palatiis inſeruiunt: & quidem arcano verbo vſa eſt Scriptura: nam vt ab ouibus tondentur vellera, ſic aliquid tonderi ſolet ab ambientibus dignitatum lumina, & Reipublicæ gubernacula. Igitur qui à Ioſepho accepit, dum vinculis teneretur, ſolatium, pependit gratum ob beneficia triburum, & dum Ioſephus alienam alleuat mœſtitudinem, ampliſſimam ſerit ſibi felicitatem: *Hîc deſcribitur*, inquit Lyra, *interpretis introductio, & hoc per magi-* Lyra. *ſtrum pincernarum.* Cum fœnore reddit pincernarum magiſter officium, quandoquidem ob illum peruenit Hebræus ad thronum: vt noueris obſequia incarceratis animabus præſtita cum ingenti fœnore ad exhibentem redire, & ſæpè dignitatem temporalem etiam afferre.

Virgâ Aaron deuoraſſe refertur magicos 24. ſerpentes, marinos diuiſiſſe fluctus, quo ſicco veſtigio de ergaſtulis, quibus ob peccatum tenebantur Hebræi, ad delicioſas ſedes inuolarint. Ergo Aaron, dum virga iuſtorum medetur calamitatibus, virgâ ſibi dignitatem acquirit, & iniquorum voces repellit: *Inuenit* Numer. 17. v. 8. *germinaſſe virgam Aaron in domo Leui, & turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* Facile erat Deo ſortibus, vt alias ſæpè manifeſtare eligendum: ſors Mathiam deſignauit Apoſtolatui: ſors Ionam tradidit fluctui: cur ergo Dominus, qui ſuppliciis mulctandum, aut dignitatibus efferendum ſortibus manifeſtauit; Aaronem ad dignitatis apicem non ſorte, ſed floridâ virgâ euexit? Fallar, niſi vt noſtram Theſim confirmarit, virgam voluit Dominus felicitatis eſſe illicium, imò clariſſimum electionis teſtimonium: quia olim Aaron detentis ob culpam, & ad patriam inuolaturis opportunum virga tulit ſuffragium. Itaque ſibi felicitatem adauxit eo ipſo inſtrumento, quo detentis iuſtis pium ſuffragium exhibuit: *Virga arida* Origenes. *germinat*, inquit Origenes apud Gloſſam, *cùm corpus extinctum reuiuiſcit.* Itaque Aaron vitam ſibi quodammodò accelerauit, & dignitatem quęſiuit. Adnectit Origenes iam datus: *Inde refert flores, vbi proficit, & ſuauitate morum decoratur, & fragrantiam miſericordiæ, & benignitatis effundit. Tandem affert fructus iuſtitiæ, quibus non ſolùm ipſe viuat; ſed vitam aliis præbeat.* Dum Aaron virgâ obarmatus aliis miſericordiæ fructus impendit, ſibi iuſtitiæ fructus acquirit: inde ſibi floret, vnde aliis ſubſidium tribuit. Iam hanc eandem fuiſſe, qua pro libertate iuſtorum contra dracones pugnauit, ipſum nomen videtur innuere, quandoquidem ait textus: *Inuenit germinaſſe virgam Aaron:* verùm ad noſtram Theſim ſatis eſt virgâ populum liberaſſe, & ſibi virgâ dignitatem acquiſiſſe, quandoquidem dum vtrumque virga perficitur, quam proſit iuſtis ſuffragari probatur.

***

Digitized by Google

§. VI.

Impium ac periculoſum eſt de aliena calamitate gaudere, vtile & honeſtum triſtari.

25. GRauis culparum exceſſus ad durum cogit ſupplicium: benigni tamen Principis eſt, non tam delicta punire velle, quàm tollere, ne, ſi de perſonæ detrimento gaudeat, habeatur feraliter ſæuus, aut ſi culpam non punierit, ignauus. De alieno dolore gaudium capere eſt inhumanum; imò ſæuitiæ videtur accedere, qui nulla compaſſione pulſatur, vel dum delictum plectere cogitur: vbi pœnam infligens dolore cruciatur, ſupplicium à crimine extorqueri dignoſcitur. *Inclinari precibus*, aiebat Theodahadus 2. var. 9. *Noſtra nouit humanitas, nec pro affectu pietatis fines poteſt iuſtitia cuſtodire: benigni quippe Principis eſt ad clementiæ commodum tranſilire terminos æquitatis, quando ſola eſt miſericordia, cui omnes virtutes cedere honorabiliter non recuſant.* Quod ſi honeſtum eſt tantiſper æquitati detrahere, quo poſſis miſericordiæ blandiri, quale putas erit de alienis calamitatibus iniqua voluptate gaudere? Belluæ truculentia gaudent: ergo qui nulla ob alienam calamitatem noſcitur compaſſione pulſari, ferale videtur ingenium induere: cui alienus dolor inhumanum peperit gaudium, & vexatio oblectamentum, à charitate exulauit remotus, & indignis homine affectibus deturpatus. Iſraëlitæ Benjaminitarum pertinaciam duro ſupplicio plexuerant, & licèt campum cadaueribus plenum aſpexerint, indoluiſſe non video, quouſque Dei domo approximant: vbi in eius conſpectum intrant, iam non ſolùm lachrymabilem vocem; ſed & vlulatum emittunt: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes: Quare Domine Deus Iſraël factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?* Vbi Deo approximarunt, compaſſione pulſantur; longiùs erant, cùm dolore nullo feriuntur. Iuxta Hebræum habetur, inquit Caietanus: *Et venit populus Bethel, & ſederunt ibi vſque ad veſperam in conſpectu Elohim, leuaueruntque vocem ſuam, & fleuerunt fletu magno. Commiſeratio populi reſpectu tribus Benjamin deſcribitur.* Commiſeratio prodidit Numini proximos, quos ſæuitia, & truculentia teſtabatur à Numinis in puniendis culpis ſtylo alienos.

Caſſiod.

Miſericordia & honor virtutum.

Caietan.

26. Chriſtus Dominus Ieruſalem intuitus, & illius ſtragem prænoſcens paterno plangit affectu: *Videns ciuitatem fleuit ſuper illam, dicens: Quia ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua, quæ ad pacem tibi; nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis.* Adnectit Euangeliſta: *Et ingreſſus in templum cœpit eijcere vendentes in illo, & ementes.* Flagello obarmatum depingit Ioannes: *Aſcendit Ieſus Ieroſolymam, & inuenit in templo vendentes boues, & oues, & columbas, & nummularios ſedentes, & cùm feciſſet quaſi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo.* Non dixit: Quaſi lachrymas fudit, cùm dixerit: Fecit quaſi flagellum: in flagello poſuit *quaſi*; in ploratu non poſuit: antè emiſit lachrymas, quàm infligeret pœnas: quia doluit ſtragem comminatus eſt ſceleri, ſi quiuerit minis frænare culpam, & impedire infligendam pœnam. O quàm pulchra cœleſtis punitionis idea! manus quaſi funiculo armata, & facies vberibus lachrymis circumfuſa. Non defuit zelo contexens flagellum, nec pietati defuit emittens ploratum. Quid tam à Chriſto alienum, quàm de alienis pœnis gaudere, & de miſerorum calamitate lætari? *Plorat ſuper ciuitate*, inquit Theophylactus hîc, *vt miſericors nolens perdi eos, qui in illa, propter facinus contra: oſtendit itaque viſcera miſericordiæ per fletum.* Si iniuriam accipiens per iudices aliquando iniuriæ compenſationem ſortitur, Chriſtum Dominum imitetur. Ecce dum agnoſcit à Deo ciuitatem Ieruſalem ob facinus in ſe perpetratum euertendam dolet paterno affectu, & iniuriis ſuccurrit planctu. Qui in Chriſtum Dominum ſæuâ truculentiâ exarſerunt, æquiſſimo numinis iudicio puniuntur; ſed Chriſtus Dominus iniuriam paſſus fletu oſtendit miſericordiæ viſcera, & antequam rei, patitur ipſe compaſſione tormenta, vt diſcant homines impium recuſare gaudium, & vtile aſſumere ſibi lamentum.

Luc. 19. v.41.

Ioan.2.v.13.

Theophyl.

27. Dominus hæreditatem ſuam, hoc eſt, Iudæorum populum leoninos mores induiſſe conqueritur: *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua.* Chriſti æmuli omnem humanitatem exuti, crucifixo Domino inſultabant, & de pœnis eius gaudebant. *Principes Sacerdotum illudentes cum Scribis & Senioribus dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere: ſi rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce & credimus ei.* Quam appetebat iam illius Reipublicæ non reparanda ruina, cum Sacerdotum Principes patientiam vituperabant, & virtutibus illudebant; cùm non delinquebant ab aliis inducti; ſed ipſi iudices ad delinquendum plebem trahebant. Dum lætantur ſe non iuſtitiæ zelo; ſed ferali odio aduſtos manifeſtarunt, & ſibi ipſis imprudenter detraxerunt, quandoquidem licèt pœnam intuliſſent iudices; debuiſſent tamen vel compaſſionem mentiri, ne humanitatis viderentur exortes: ergo cùm ferali gaudio exultant, ſe non æquitatis oſtendunt vindices; ſed truculentos leones: *Facta eſt mihi hæreditas mea quaſi leo in ſylua*, inquit Interlinearis, *pariter rugiendo: Crucifige eum.* Conſonat Chryſoſtomus in catena ad Ioan. 19. *Iudæi crucifixo inuidebant*: teſtabantur plauſibus celebrari, & gaudebant crucifigi; imò de cruce conſulebant deſcendere, vt iterum inhumanum gaudium quirent crucifigendo percipere. O impiam lætitiam! ô inuidiam feram!

Ierem. 12. v.8.

Matth. 27. v.41.

Interlin.

Chryſoſt.

28. Aman ambitionis portentum, ſuperbiæ miraculum captioſis fraudibus, fraudulentis dolis Iudæorum populum apud regem impudenter accuſat: rex nimis credulus legem tulit, qua non ſolùm cæteros; ſed reginam etiam ſententia mortis inſcius inuolueret. O quàm infauſtum Amano fuit reginam includere, & eadem cum cæteris comprehendi lege tentaſſe, quandoquidem ſponſa ab ipſo rege exempta

Digitized by Google

edicto generali profertur; imo legem de ad regem non accedendo pro illa conditam non fuiſſe verbis manifeſtiſſimis atteſtatur: *Non* Eſther 15. v. 13. *pro te; ſed pro omnibus hæc lex conſtituta eſt.* Cæteris regale edictum interdicebat acceſſum; ſed quam ſibi Aſſuerus in ſponſam delegit, ab acceſſu lata lege nunquam prohibuit. Ecce regina accedit, cùm cæteri prohibentur; nec infringit legem: quia lex non pro illa condita; ſed pro cæteris promulgata. Ergo, vt dicebam, generali lege omnes includere Amano infauſtum, vt de eorum excidio lætari infelix augurium: magnis Hebræus fletibus eiulabat, cùm de fletu Amanus gaudebat; imò opiparo ſe oblectabat conuiuio, cùm Iudæus miſerabili diſcruciaretur lamento: *Statim in* Eſther 3. v. 15. *Suſan pependit edictum rege & Aman celebrante conuiuium, & cunctis Iudæis, qui in vrbe erant, flentibus.* Conuiuium, Amanique gaudium impietatis ac ſæuitiæ erat clariſſimum teſtimonium: nec enim ſi iuſtitiæ partes ageret, homines perire gauderet. Et nota ob alienum luctum celebraſſe conuiuium, & conuiuij occaſione ſuſtinuiſſe tormentum: dum conuiuium inſtruit regina, Amani fraudem aperuit, & rex dignam contra Amanum ſententiam tulit: *Traditi ſumus ego & populus meus, vt conteramur, iugulemur, & pereamus.* Eſther 7. v. 4. Aduectit: *Hoſtis & inimicus noſter peſſimus iſte eſt Aman... Rex autem iratus ſurrexit, & de loco conuiuij intrauit in hortum arboribus conſitum.* Conuiuium Amano Aſſueri conciliauit iram, & dignam attulit pœnam: *Cùm reuerſus eſſet de horto nemoribus conſito, & intraſſet conuiuij locum, reperit Aman ſuper lectum corruiſſe, in quo iacebat Eſther, & ait: Etiam reginam vult opprimere me præſente in domo mea. Necdum verbum de ore regis exierat, & ſtatim operuerunt faciem eius.* Non ſine myſterio verſum eſt conuiuium in lethale venenum: quia ob alienum lamentum ipſe celebrarat conuiuium. Citiùs ſibi maturauit tormentum de ſtrage gaudens, & ſtragem doloſis machinationibus moliens: quid enim fetius ac inhumanius, quàm non ſolum exterminare; ſed de aliorum exterminiis gaudere. Interlin. Adeſt Interlinearis. *Aman celebrante conuiuium, vnde plorabitis, & flebitis vos: mundus autem gaudebit.* Cithara verſa eſt in luctum, & dum de aliena ſtrage inauſpicatum concipit gaudium, dignum incutit tormentum: Caſſiod. *Piaculum quoddam eſt,* aiebat Caſſiodorus in gnomologia, *inter triſtes velle gaudere, & humanitatis refugit affectum, qui dolorem non ſequitur alienum.* Ergo inhumanè de aliena calamitate non gaudeas: nam eiuſmodi gaudium eſt infauſtum gaudenti auſpicium.

§. VII

Dei nominis inuocatio eſt calamitatis remedium, & felicitatis illicium.

29. DEi nomen opportunum ſalutis auxilium, & calamitatis eſt faſcinum. Qui illud piè inuocant, contra irruentes inimicorum inſultus inexpugnabile induunt ſcutum, & terroribus debilitant aduerſarium: vnde Dauid Pſalmo 30. aiebat *Fortitudo mea & refugium meum es tu, & propter nomen tuum deduces me, & enutries me. Educes me de laqueo hoc, quem abſconderunt mihi: quoniam tu es protector meus.* Pſal. 30. v. 4. Nomen vt turris fortiſſima protegit, vt micantiſſima lux laqueos captiosè protenſos oſtendit, ſalutem fouet, infirmitatem depellit: *Propter nomen tuum deduces me,* Incognit. exponit Incognitus, *id eſt, vt nomen tuum per me gentibus innoteſcat.* Vbi Dauid ad Dei nomen confugit vti ad ſecurum refugium, & inexpugnabile munimentum, ſperat feliciter ex omnibus diſcriminibus eripiendum, quandoquidem iam ab honorem nominis pertinebat inuocanti ſuccurrere, & pericula propulſare: reuerenti animo Dei nomen inuocarat Dauid: ergo de protectione diuina ſibi gratulatur, & fidit nullis aduerſariorum laqueis implicandum; imò tectis ſemitis educendum: Ecce inquit, Deus inuigilat, vt me protegat: quia in eius nominis gloriam protectio redundat: *Propter nomen tuum deduces me, & enutries me,* id eſt propter nomen tuum à me dilaudatum, & inuocatum. Huius cœleſtis ſapientiæ non ignari Iſraëlitæ cùm de reparanda Benjamin tribu ſatagerent, & opportunum à Deo conſilium quærerent, eius nomina reuerenter inuocant, & religiosè dilaudant: *Quare Domine Deus Iſraël factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis?* In originali Hebræo legitur: *Iehouah Elohe Iſraël.* Ad nomen *Iehouah*, quod, vt placet aliquibus, Ieſu nomini reſpondet, putat Caietanus recurriſſe, quo faciliùs à Deo impetrarint deſiderata, obtinerintque vota: Caietan. ipſum audi: *Solita ſunt nomina Iehouah Elohe Iſraël: implorant enim ſummi Dei ac gubernatoris eorum conſilium.* Vt in negotio adeo difficili felicem inueniant exitum, Dei nomen inuocant, vt qui nouerant de nominis Dei inuocatione damna reparari, & cœleſtem lucem acquiri.

In omnes Iobi facultates armatur Dæmon 30.
accepta licentia à Domino: Sabæos prædones affert, Iob. 2. v. 6. flammarum è cœlo globulos adducit, ad prædam Chaldæos commouet, opprimit acribus ventorum flatibus filios; verùm cùm tot calamitatibus nondum laſſaretur patientia, tot etiam adſultibus non eſt defatigata malitia; imò inſtitit, & nouis cauillationibus Iobi virtutem obſcurans in ſalutem licentiam etiam impetrauit: *Ecce in manu tua eſt; veruntamen animam illius ſerua.* Totum vlceris redundantia corpus tabeſcebat, cumque totum corpus vnum vulnus, nec repetendis plagis iam locus, acerrimè adhuc patientiæ muros quatit, foraminoſæ carnis ſpecus beſtiolis replens, vt dum ab ipſis, quos paſcebat, exeſus, abroſus vermibus angitur, exaſperatus inardeſcat, & patientiæ clauſtra tranſiliat: inter hæc tantum tot tantaque contra patientiam contorta iacula labia ſeruantur illæſa, & inimici audaci verbere non contacta: *Pelli meæ conſumptis carnibus adhæſit os meum, & derelicta ſunt tantùmmodo labia mea circa dentes meos.* Et cur labia derelicta? ſi in omnia Iobi membra accepit facultatem dœmon: ſi reliquas corporis partes crudeli manu percuſſit, cur labiis pepercit? Profectò cùm labiorum ſalus

nec

Digitized by Google

nec à pietate, nec ab obliuione manarit, aliquod latere arcanum fatendum eſt. Alij alia æquali ingenij acumine ac pietate myſteria eruent. Caietanus à nominis Iehouah inuocatione exiſtimat labia protecta, & omnia inimici machinamenta deluſa: ſatagebat quidem Dœmon labia ferire; non tamen poterat, quia Dei nomine defendebantur munita, & contrà potentiam gehennalem armata. Eequis hoc ait? Ipſe quidem textus: nam cùm crebra duriſſimaque calamitatum nuntia ad illum deferrentur, Dei nomen religioſis labiis ſæ-
Iob.1.v.21. piùs repetiuit, laudauitque: *Dominus dedit, Dominus abſtulit, ſicut Domino placuit ita factum eſt: ſit nomen Domini benedictum.* Dei ergo nomen labiis prolatum validum adeo labiorum fuit tutamentum, vt licet Dœmon in reliquas partes corporis truculentâ ſæuitiâ exarſerit, labia tamen non attigerit, vtpotè cœleſti nomine protecta, & diffluenti ſalute vſa. *Sit nomen Domini benedictum. Iuxta He-*
Caietan. *bræum habetur,* inquit Caietanus, *erit nomen Jehouah benedictum. Ecce gratiarum actio, vt ex illata calamitate à Deo nulla irrogetur iniuria diuino nomini.* Curarunt labia Dei nomine religiosè inuocato muniri contra hoſtilis calamitatis adſultus, ergo ne tanto nomini irrogaretur iniuria, derelicta ſunt labia: timuit Sathan cum labiis Dei nominis inuocatione munitis pugnare; quia timuit vinci: ergo dereliquit labia, & nomini conceſſit trophæa:
Caietan. *Excipit* (Caietanum audis ad Iob 19.) *ab affixa pelle pellem dentium, quam ex induſtria Sathan reliquit.* Sathan ex induſtria reliquit labia: tum quia Dei nomen reueritus, tum quia aſtutè doloſus: detrectauit eum labiis pugnam: quia non dubitabat Dei inuocatione armata reportaturа victoriam. Verùm ipſo dolo nominis promulgauit valentiam: gloriosè namque inimicum vicit; cùm ne pugnam intentaret, deterruit.

31. Dauid Iſraëlis felicitates deſcribens ſic ait:
Pſal.75.v.3. *Factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion: ibi confregit potentias arcuum, ſcutum, gladium, & bellum.* Iſraël, inquit Pſaltes, tranquilla, adeòque hoſtili irruptione non perturbanda pace fruetur, vt iam arcus fractus, & gladius ſit comminutus: & vnde tot Iſraëli proſperitates? Ex Dei nomine, reſpondet Pſaltes, quod magnificare, & inuocare ſemper ſtuduit: *Notus in Judæa Deus, in Iſraël magnum nomen eius.* Dum ad nominis ſolicitat, victoriam ſibi, & felicitatem parat. Oppor-
Ambroſ. tunè Ambroſius lib. de Nabuthe cap. 14. *In Iſraël magnum nomen eius, hoc eſt, non in diuitibus, non in nobilibus; ſed in pœnitentibus, & in anima confitente Deo: non in principibus & conſulibus; ſed in eo, qui Deum videt ipſe eſt enim Iſraël, in quo profunda fides ad cognitionem Dei potuit peruenire.* Expende illud: *In anima confitente Deo.* Ac ſi dicat: In anima confitenti Deo magnum nomen eius, quandoquidem ab ea inuocatum potentias fregit arcuum, gladium hebetauit, bellum abegit, vt anima ipſum inuocans pacifica requie fruatur, & tranquillitate donetur. Adnectit Am-
Ambroſ. broſius: *Et factus eſt in pace locus eius, & habitatio eius in Sion, vbi quietus affectus nullis diuerſarum cupiditatum exagitatur fluctibus, nullis auaritiæ turbatur procellis, nullis quærendarum diuitiarum igneſcit incendijs: ipſe eſt, qui ſpeculatur æterna, & habitat in Sion confringens omnia ſpiritualium inſtrumenta bellorum, conterens arcus, quibus diabolus ignita dirigens iacula graues pectoribus hominum ſolet inurere paſſiones.* Vbi venerabili Dei nomini religioſum exhibetur obſequium, ibi celer eſt aduerſariarum poteſtatum excidium. Nil adeò Dœmon horret vt nomen Ieſu, quia vbi reſonat, quàm citò ſalus reparatur, & felicitas homini reſtituitur.

Petrus & Ioannes templum inſcendebant 32.
cùm in deſidioſum claudum inciderunt: natura morbo nixum anticipatat, & claudus in ipſa formationis officina naturam expertus fuerat nouercam verùm rogatoris pecuniarum miſertus Petrus apprehenſa eius manu ſanitati reſtituit, & naturæ vitium repulit: *Ap-* Actor.3.v.7.
prehenſa manu eius dextera alleuauit eum, & protinus conſolidatæ ſunt baſes eius, & plantæ. Citò vides refuſam claudo ſalutem, cùm tardiùs qui in latrones incidit, ad ſanitatem peruenit: *Appropians alligauit vulnera eius infun-* Ioan. 10. v. 34.
dens oleum & vinum, & imponens illum in iumentum ſuum duxit illum in ſtabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit ſtabulario, & ait: Curam illius habe, & quodcumque ſupererogaueris, ego cum rediero, reddam tibi. Samaritanum hunc Chriſtum Dominum fuiſſe ſtatuit Auguſtinus in catena Auguſtin.
D. Thomæ: *In Samaritano ſe voluit intelligi Dominus.* Conſonat ibi Gregorius: *Vocat hic* Gregor.
Chriſtus ſe Samaritanum opportunè. Verùm iam oritur quæſtio: Si Chriſti Domini viſcera miſericordiæ pulſantur, cur ſtatim ſalutem non infundit; ſed vulnera ligat, tempuſque expectat, cùm Petrus citiſſima ſalute claudum donarit, exiliteque fecerit? Poteſtne plus Diſcipulus, quàm magiſter? Non equidem, cùm omnis Diſcipuli virtus à magiſtro promanarit; verùm dum Diſcipulus Ieſu nomen profert, quàm pennata ab hoc nomine ſalus emanarit, oſtendit: *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula,* aiebat Petrus: ergo voluit Dominus ad ſui nominis gloriam citius hîc reparari ſalutem. Opportunè Baſilius Seleucien- Baſilius.
ſis orat. 21. *In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge & ambula. Momentanea ſanandi ratio: neque enim ſegnior Petri voce fuit ea gratia; teſſera ad curſuram acceptâ claudus exilijt, didicit imperio natura parere.* Vides inuocationis Ieſu nominis energiam, vides eius virtute reformari greſſus, & capi ad Dei domum quàm celeriter volatus: exiliens namque in templum intrauit, qui paulo ante alienas mutuatus manus lapidis ad inſtar proiiciebatur. Nec ſolum hoc nomine ſalus greſſibus; ſed lux oculis etiam refunditur.

E templo egreſſus Dominus in cœcum in- 33.
cidit, cuius oculos reformauit luto & lauacro; *Expuit in terram, & fecit lutum ex ſputo,* Ioan.9.v.5.
& liniuit lutum ſuper oculos eius, & dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloë. Obedientiam ſalus comitata eſt, & lux exequenti refuſa: video tamen Paulum feliciter cœcum: *Apertis oculis,* inquit textus, *nihil videbat:* eiuſque ab Annania curatum: *Saule frater, Dominus* Actor.9.v.8.
miſit me Jeſus, qui apparuit tibi in via, qua veniebas, vt videas, & implearis Spiritu ſancto. Et confeſtim ceciderunt ab oculis eius tamquam

ſquamæ,

Digitized by Google

ſquama, & viſum recepit. Vtrobique lux cæcis refunditur; verùm vbi profertur Ieſu nomen, ad huius nominis gloriam citiùs. Quàm verè,
Bernard. & quàm benè Bernardus Ieſu nomen lucem eſſe teſtatus eſt ipſum audi ſerm. 15. ſuper Cantica: *Portabat nomen tanquam lumen, & illuminabat patriam.* Nomen vti lux candidiſſima inſtantanee reſplendet, & tenebras diſcutit. Adde vbi Dei nomen non profertur, non effulgere citò adeò victoriam; vbi inuocatur, diabolicam frangi, ac depelli malitiam.

34. Michaël cum diabolo diſputans, vt citò adipiſceretur victoriam, Dei nomen protulit,
Iud. Epiſt. v. 9. & ſtatim diabolus fugit: *Cùm Michaël Archangelus cum diabolo diſputans altercaretur de Moyſi corpore, non eſt auſus iudicium inferre blaſphemiæ; ſed dixit: Imperet tibi Dominus:* Nomen protulit, vt dæmonem ſagittis confoderet, & fugaret. Huc voco Ambroſium de exhortat. ad virgin. *Sagitta eſt Dominus Ieſus, cui dicit Pater: Poſui te ſicut ſagittam electam.* Ergo Michaël Sagittam excuſſit, & de nominis efficacia aduerſarium citiſſimè abegit.

---

§. VIII.

Cùm conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare.

35. INtereſſe rebus humanis Deum & ratio docet, & fides ſuadet, & mundi concinnitas clarè oſtendit. Non dubitant homines tantum opus, certum adeò ſyderum curſum, conſtantem rerum varietatem æternæ legis imperio & gubernari & moueri; verùm adeò aliquando tetris paſſionum caliginibus obtenebrantur, vt erga ſe minus vigilantem abroſerint prouidentiam, aut factam ſibi querantur iniuriam. Cùm homines ſuarum calamitatum auctores ſint, de prouidentia, & numinis gubernatione dant querelas: malúntque quàm ſibi adſcribere, infortunia ſua numini applicare. Dubium non eſt, viros bonos à Deo per laborum patientiam expoliri, cœlóque aptari.
Seneca. *Marcet*, aiebat Seneca lib. de Prouid. cap. 2. *Sine aduerſario virtus: tunc apparet quanta ſit, quantum valeat, polleátque, cùm quid poſſit patientia, oſtendit. Sciat licet idem*
Iuſti quidquid acciderit, in bonum vertunt. *viris bonis eſſe faciendum, vt dura ac difficilia non reformident, nec de fato querantur: Quidquid accidit, boni conſulant, in bonum vertant.* Boni conſulunt, in bonumque vertunt probis moribus conſpicui, & virtutum concinnitate exornati, quidquid acerbum & durum; aſt qui à virtute deſciuerunt; de ipſo Deo queruntur, & cum ipſi ſuis fauerint infortuniis, Deo applicant, & inſipienter adſcribunt. En Iſraëlitæ Benjamin tribum acri indignatione delent, & quaſi ipſi non fecerint, à Deo quærunt, cur nobilem adeò tribum delere voluerit, & penitus extirparit: *Quare Domine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?* His interrogationibus, etſi latenter, diuinam culpabant prouidentiam, cùm cœcam furoris ſui culpare debuerint iram. Notauit

Abulenſ. Abulenſis quæſt. 24. *Quare permiſiſti, vel procuraſti, quòd fieret tantum malum, ſcilicet quòd periret vna tribus de Iſrael? De hoc autem conquerebantur, & non de actore huius cadis: quia ipſimet Iſraëlitæ occiderant omnes Beniaminitas, vt patet præcedenti capite.* Quod Deus non prohibuit tribum deleri, conquerebantur, cùm ipſi deſæuierint, & attriuerint. Profectò Deus ſolùm tradiderat in eorum manus bellatores; ipſi verò vltionis furore cœci, ad ſenes, ad paruulos, ad fœminas Dei ſententiam extenderunt, & ciuitatem flammis voracibus condonarunt, & cùm ipſi ſtragis fuerint cauſa, Deum inuidioſa audent ferire querelâ: *Exceſſerunt*, inquit Hugo Cardinalis, in huius Hugo.
capitis expoſitione, *modum vltionis interficiendo omnes.* Itaque excedente iracundia vnam ſibi tribum abſtulerunt, & cùm ob exceſſus proprios eâ careant, de Deo queruntur, & Prouidentiam quodammodò criminantur. Proh frequentem hominum cæcitatem! Luxuria dilapidat patrimonium, vindicta aſciſcit ſibi infortunium, conciliat, & creat intemperantia morbos, & cùm homines de ſe queri debuerint, dant de ipſo Deo querelas, ſi iam non adſcribunt culpas.

Inuaſerat impuratus ſpiritus miſerum ho- 36.
minem, & amandarat ſepulchris, cúmque Dominus medelam allaturus inuolarit, affectibus dæmones dant querelas: *Quid nobis, &* Matth. 8. v. 29.
tibi Ieſu fili Dei? Veniſti huc ante tempus torquere nos. Si huius tormenti cauſam inquiras, inuenies non fuiſſe Domini aduentum, ſed dæmonum inſolentiſſimum auſum: ipſi dæmones aliena inuadendo, peruertendo tempora, ſibi ſolicitarant ſupplicia, & cùm ipſi ſuæ calamitatis ſint cauſæ, de Domino conqueruntur: *Veniſti*, inquiunt, *huc ante tempus torquere nos.* Ipſi ante tempus inuaſerant hominem, & quia vitam nequibant auferre, geſtiebant immaturè ſepelire, & quòd ſibi ipſi tormentum elaborarant, Domino impudenti lingua adſcribebant. Notauit ſatis acutè Chry- Chryſol.
ſologus ſerm. 16. *Tempus abſcindit, præuenit mortem, ſepelit viuos crudelitas immatura, & de tempore queritur, quaſi antè tempus habere debuerit, & non vt exorta eſt, mox puniri. De tempore cauſatur nequitia ſæculi indurata.* Nequitia indurata ſæculi, dum peruertit tempora, ſibi accelerat ſupplicia, & cùm ipſe dæmon ſuorum ſit tormentorum artifex, de Deo queritur, quaſi fas ſit graſſatori longiora ſpatia concedere, & delicta multa prorſus relinquere, Profectò quod dæmon hominis lingua hîc protulit, homines ſæpiſſimè proferunt dæmonum linguis, & inuerecundis querelis: pater queritur immaturè raptum filium, cùm ipſe fortè libidinem mortis cauſam, ſi non fouerit, impudenter, imprudenter ſaltem diſſimularit. Alter miſerum, & odio habitum à Deo ſe deplorat, quia penuria oppreſſus, cùm ipſe ampla prodegerit patrimonia, & maiorum fruſtrarit ſtudia. Nullus de Deo queratur; Deus namque intentator malorum eſt, ſibi quiſque ſuis erroribus calamitatem conciliat, & infortunia elaborat.

Redeat iterum Chryſologus. Lazarum mor- 37.
bus aggreditur, eaque eſt humanæ vitæ fragilitas, vt ferè ſimul audias morbo correptum & raptum, Dominus gradum accelerat, vt

depulerit

depulerit mortem, & Lazaro fœdis iam vermibus exeſo optatam refuderit vitam, & cùm mulier fuerit mortis ianua, ſalutis venenum, fomentum infirmitatum, Deum quodammodò carpit, & eius cauſatur abſentiam, quaſi mors Lazari adſcribenda ſit Chriſto abſenti, non fœminæ mortem oblato pomo ſolicitanti:
Ioan. 11. v. 21. *Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine, Domine, ſi fuiſſes hîc, frater meus non fuiſſet mortuus.* Dei abſentiam accuſat: quaſi eius diſtantiæ adſcribendum ſit infortunium, nec mulier aperuerit, dum ſerpenti credit, orcum.
Chryſol. Accipe Chryſologum ſerm. 63. *Non moreretur Lazarus, ſi Dominus fuiſſet ibi, qui erat ibi; ſed ſi in paradiſo tu mulier non fuiſſes. Mulier tu quaſiſti lachrymas tu inueniſti gemitus, tu mortem gulæ pretio comparaſti, & accuſas abſentiam Dei quando cauſam mortis fuiſſe tuam præſentiam non recuſas.* Ecce mulier mortem gulæ pretio emit, dum inſano ſuperbit diuinitatis poſſidendæ delirio, & cùm dolores ſibi produxerit, & deluſa crearit, quem patitur, non propriæ ambitioni adſcribit gemitum; ſed Dei abſentiæ applicare nititur infortunium. Domus illa grauiſſimo vexabatur dolore; ſed quem pepererat mulieris præſentia, non Chriſti diſtantia; Martha tamen de omnium corde loquitur, & de Domini abſentia queritur: *Mors quando à te prouiſa eſt*, addit Chryſologus, *tunc lamentandi materia fuit: nunc verò facta eſt virtutis occaſio: quia tunc ad pœnam peccantis data eſt, nunc permiſſa eſt reſuſcitantis ad gloriam: tunc tartarus inuenit hominem, nunc amittit.* Gratias tenebatur agere Domino, quia aduenerat, & queritur, quia diſtiterit: mors erat eius inuentum, reſurrectio Chriſti Domini beneficium, & tamen ſic cæcutit, vt reſurrectionis cauſæ mortem adſcripſerit, & ſe mortis cauſam fuiſſe ignorarit.

38. Eliſæus, vt quæ à Sunamite officia acceperat, digna gratitudine compenſaret, à Domino ei impetrauit filium: arentia viſcera efflorere ad proferendum nobilem fructum fecit Prophetæ oratio, & ſibi mulier acquiſiuit
Geneſ. 18. eleemoſynâ, quod denegarat natura: *Dixit ad eam: In tempore iſto, & in hac eadem hora, ſi vita comes fuerit, habebis in vtero filium.* Qui promiſit filium, tempus non promiſit, & fortè opus erat, vt mulier gratiæ fructum poſſet proferre, quantum ſibi temporis eſſet, neſcire: nam ſi homines quid craſtina dies pariat, incerti, ſtulta adeò ſecuritate procedunt, qua putas procederent, ſi nouiſſent? Ergo Prophetæ promiſſum impletum eſt: iam puer creuerat, cùm ad campum egredi mater permiſit, ibi candentis ſolis æſtu inflammatus quàm citò morbum contraxit, & ſpem pa-
4. Reg. 4. v. 16. rentum eluſit: *Creuit autem puer, & cùm eſſet quadam dies, & egreſſus eſſet ad patrem ſuum ad meſſores, ait patri ſuo; Caput meum doleo, caput meum doleo.* Mater filij morte exulcerata ad Prophetam contendit, & lachrymas querelis mixtas effundit: *Nunquid petiui filium à Domino meo: Nunquid non dixi tibi: Ne illudas me?* Itaque queritur à Propheta ſe illuſam: quia expirauerit filius, cùm non fuerit mortis cauſa Propheta; ſed parentum incuria: Si mater adoleſcenti non annueret, ſi domi contineret, vitam ardoribus correptus non exhalaſſet: mortuus eſt, quia nimis indulgenter habitus, & indulgere voluptati permiſſus. Ita Hugo Cardinalis: *De die egreditur puer,* Hugo. *cùm quis de opere ſuo laudem quærit; vadit ad meſſores, quando opus aggreditur ſupra vires, & talis citò dolet caput mentis.* Conſonat Hugo de Foileto in allegor. Tilmani: *Dolor capitis* Foiletus. *eſt appetitus mundanæ felicitatis.* Itaque parentes non ignorabant puerum appetitibus inſeruire, & cùm fas eſſet immaturam mortem ignauiæ ſuæ, & amori imprudenti cæcoque adſcribere, malebat mater criminari ſe à Propheta illuſam, votiſque fraudatam. Queruntur parentes filios ſuos diuturnâ vitâ dignos immaturâ mortis falce præreptos, diuinamque erga ſe iram cauſantur, numini ſuam orbitatem adſcribentes, cùm ipſi inſanarum appetitionum filiis procuderint occaſiones, & nociuas fouerint non ſemel cupiditates. Propheta filium conceſſerat, mater, paterque nimiâ fortè indulgentiâ occiderant, dum æſtu aduri non prohibent; & tamen ſe non culpant; ſed Prophetam condemnant. Si imperturbatis rationis oculis res tuas diſpicias, reperies te malis tuis materiam miniſtraſſe, diuinámque indignationem exacuiſſe: ergo tibi adſcribe, quod pateris, nec de numinis prouidentia cauſeris.

§. IX.

Bonus ſuperior inultam non patitur culpam, & inflictam ingemit pœnam.

Optimus ſuperior hiſtrionem imitabitur: 39. qui cùm ira ad ſpeciem ſufflammatus inardeſcat, intus pacatus eſt: languidus animus neſcit corrigere; imò dum culpam punit, imprudenter culpam admittit. Iudicis, ſuperiorìſque animus nec nimis ſit mollis, nec terribilis nimis: ita temperandus eſt, vt ſortiatur efficaciam, & neſciat iram. Certè ſi per licentiam ſubiecti inſoleſcant, exulabit virtus, vt etiam ſi lata culpis pœna iucunda ſit inferenti, non erit correctionis medela ſed furoris ſæuitia. Optima correctio conſtat de inflicta reo pœna, & de inferentis ob alienum dolorem non ficta mœſtitia: *Lento adiutorio*, aiebat Seneca lib. 2. de ira cap. 9. *Opus eſt contra mala* Seneca. *continua, & fœcunda, non vt deſinant; ſed ne vincant.* Vt nauigium, ſi laxatis compagibus aquam admittat, quà citò vndis grauitantibus abſorbetur; ita culparum vndæ, rempublicam peſſundabunt, ni ſuppliciis euacuentur, & prouidentia arceantur. Solicitè periculo occurrendum eſt, manifeſta foramina præcludenda, & admiſſa vnda euacuanda: cui gubernaculum committitur, continuo labori inſiſtendum & inuigilandum eſt: aliter namque vitia proficient, & naufragium afferent: ergo occurrendum eſt vitiis; ſed proretæ tenendus modus: & quidem vt iſte nauigium amat, & ob id, ne periclitetur, euacuat vndam, ita rector, ſuperiorque euacuabit noxam; ſed geret animo erga peccatorem beneuolentiam; imò dolebit infligere pœnam alteri, ac ſi infligeret ſibi. Iſraëliticus populus commiſſam à Gabaënis culpam paſſus non eſt inultam remanere; ſed dum vlciſcuntur, conſtat

Digitized by Google

conſtat amaris gemitibus vlulare: *Quare Do-
mine Deus Iſrael factum eſt hoc malum in popu-
lo suo, vt hodie vna tribus auferretur ex nobis?*
Ipſi auferunt, & ingemiſcunt ipſi; imò quos
puniunt vt ſceleſtos, lamentantur vt filios:
Magno vlulatu cœperunt flere. Culpa Gabaë-
nitam manus ad dignam pœnarum retribu-
tionem exacuit; ſed inflicta pœna gemitum
etiam elicuit: vberes fundunt oculi lachrymas,
& dignas culpis decernunt pœnas: quo fit, vt
nec punitio corrigentem infamarit, nec culpa
inulta adoleuerit: *De hoc loco ſumptum eſt illud*
Hugo. *Ieremiæ* 3. inquit Hugo Cardinalis: *Vox in Ra-
ma audita eſt, ploratus, & vlulatus multus filio-
rum Iſraël.* Rachel filios ſuos plorauit, dum
afflictos, & captiuos vidit; ſed & populus,
dum Benjaminitas ſupplicijs vidit attritos, &
fleuit, & vlulauit: pœnam inflixit, ne inulta
culpa ſylueſceret de punitionis ignauia: infli-
gendo doluit, ne defœdaretur ſæuitia: itaque
optimum ſuperiorem impleuit, dum ob dolo-
rem rationabili non abſtinuit à vindicta, &
dum ob vindictam ingemuit acri perculſus
doloris flammâ.

40. Deliquerat Adamus, & ne priuaretur vni-
co pomo, priuatus eſt paradiſo: Deus, vt oc-
curreret morbo, paulatim medicinam compo-
Geneſ. 3. v 9. ſuit, & ſub veſperum aduentauit: *Vocauit Do-
minus Deus Adam & dixit ei: vbi es?* Qua vo-
ce compellauerit, Patres inquirunt: an dura,
aſperaque, an flebili, & benigna. Baſilius Se-
leucienſis orat. 3. putat & tertitaſſe inceſſu,
Baſil. & compellaſſe voce humaniſſima: *Miſertus
erroris Deus ad erigendum currebat: currebat
autem non mutatione loci; ſed imaginatione qua-
dam terribili præſentiam conteſtatus.* Adnectit:
*Adam, Adam vbi es? ex immenſo amore com-
pellatio lamento adſimilis.* Ab exordio, vt ſu-
periores edoceret, ſic terrorem, amoremque
immiſcuit, vt nec admiſſa culpa remaneret
inulta, nec ipſa in vltione lateret beneuolen-
tia. Dum lamentatus infligit pœnam, ſupe-
riores inſtruit, & honeſtam vltionem edocet:
ſuperioris munus non implet, qui peccatum
permittit impunitum, & qui cùm reum di-
uexat, lachrymabilem non emittit è corde ge-
mitum: gemere nec punire eſt ignaui; puni-
re, & non gemere ſæui: vtrumque iungere
principatu digniſſimi.

41. Iſmaël, dum caprioſos architectatur ludos
depelli è paterna domo meruit: inſtat Rebec-
Geneſ. 21. v. 9. ca, dolet Abrahamus: *Cùm vidiſſet Sara fi-
lium Agar Ægyptiæ ludentem cum Iſaac filio ſuo,
dixit ad Abraham: Ecce ancillam hanc, & fi-
lium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum
filio meo Iſaac.* Ad culpæ ſupplicium exilium
decretum eſt. Abrahamus exterminauit; ſed
quanto dolore hoc fecerit, Scriptura non ſi-
luit: *Durè accepit hoc Abraham pro filio ſuo.*
Dolor oſtendit patrem, exilium iuſtum: ſatis
non erat punire exilio culpam ni puniens do-
leret; nec erat ſatis pœnam corde gerere, ni
delinquentem digno ſupplicio puniret: at op-
timi ſuperioris partes obiit Abrahamus, dum
Gloſſa. & puniuit, & doluit. Ita Gloſſa moralis: *Durè
accepit hoc Abraham, per quod deſignatur, quod
talis punitio ſubditorum debet eſſe grauis prælato,
quamuis per rationem hoc facere cogatur.* Conſo-
Auguſtin. nat Auguſtinus apud Gloſſam: *Paterno affe-
ctu commotus eſt.* Pœnam intulit, vt exhiberet
ſe rectum, inuitus intulit, vt probaret ſe pium.
Qui gaudet in ſubiectis inuenire quod puniat,
non eſt Prælatus; ſed inimicus: qui punienda
omiſit culpabiliter, denigratur ignauus. Iam
quam indignus ſit principatu, qui aut nimia
ſeueritate recrudeſcit, aut nimiâ ignauiâ ve-
luti ſopitus dormit, adducenda exempla mon-
ſtrabunt.

Seruum prætulit Dominus, vt conſeruis 42.
præeſſet, eorúmque honeſtati, & vtilitati
conſuleret; ille verò ſeruilis conditionis obli-
tus, vbi accepit poteſtatem, tumidè ſatis in-
flatur ſeruos percuſſit, & de prælato tranſiuit
non ſolùm in dominum; ſed in tyrannum:
Si dixerit malus ſeruus ille in corde ſuo: Moram Matth. 24.
facit dominus meus venire, & cœperit percutere v. 48.
*conſeruos ſuos; manducet autem, & bibat cum
ebrioſis, veniet Dominus ſerui illius in die, qua
non ſperat, & hora, qua ignorat, & diuidet eum,
partem que eius ponet cum hypocritis.* Iure inter
hypocritas deputatur, qui diſciplinæ obtentu
miniſterium regiminis ad vſum detorſit do-
minationis: regebat vmbraticè, feriebat dirè,
& locum ſuperioris ſortitus ad hoſtis caſtra
tranſiuit. Ita Theophylactus ad hunc locum:
Qui talis, diſſecabitur, hoc eſt, ſpoliabitur dono Theophyl.
*ſuo, & tunc apparebit, qualis ſit. & mittetur
in tenebras, qui prius ſub figura quadam decipie-
bat.* Itaque prælaturæ laruâ regebatur ſæui-
tia, & qui paſtoris faſtigium inſcenderat, lupi
ad inſtar truculentiſſimi dilaniabat. Ergo pri-
uatus munere lugeat, quo pœna alios à conſi-
mili caſu auertat, & regiminis modum edo-
ceat depulſus, qui neſciuit regere poteſtate
donatus. Iam quàm ſit reprehenſibile ſubie-
ctorum culpas diſſimulanter præterire, do-
cet Heli.

Orantem Annam leui fundamento ebriam 43.
ſuſpicatus durè carpſit: *Quouſque ebria eris?* 1. Reg. 1.
digere pauliſper vinum, quo mades. Quam citò v. 14.
acceſſit ſuſpicioni! Quam non diſcuſſit fa-
ctum, vt iaceret probrum! Hic ipſe cùm fre-
quens fama eius aures diuerberaret, filioſque
flagitiis quampluri mis inſoleſcentes oſtende-
ret, blandiſſimè illos carpſit: *Quare facitis res
huiuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas ab
omni populo: Nolite filij mei: non enim eſt bona fa-
ma, quam ego audio.* Carpſit; ſed blandientis
quodammodo verbis; ſed timentis exaſperare:
ergo iuſtè principatu mulctatus eſt, qui maluit
diſſimulare errores, quàm exaſperare ſubiectos:
indignè fruebatur faſtigio ad ſuorum culpas
caligantibus oculis ferè cœcus, & ad culparum
aliorum vmbras peruerſiſſimè inoculatus. E fa-
ſtigio detrudi meruit, qui ſuorum mores dili-
genti ſolertia non diſcuſſit, quouſque fama de-
ferente percepit: *Ecce dies veniunt, & præcidam
brachium tuum.* O metuenda regiminis nauiga-
tio, quam vndique premunt periculoſiſſimi
ſcopuli! Si regiminis gubernaculo vtens ad
ignauam manſuetudinem deflexerit, naufra-
gium non euadet: ſi ad ſæuitiam inclinauerit,
naufragium etiam ſubibit. Opus eſt oculos in
cœlum attollere, & ſolicito ſtudio regere. Adeſt
Gregorius Magnus p. 2. paſtoral. cap. 6. *Qui* Gregor.
*falſa pietate ſuperatus ferire Heli delinquentes fi-
lios noluit, apud diſtrictum iudicem ſemetipſum
cum filijs crudeli damnatione percuſſit. Hinc nam-
que diuina voce ei dicitur: Honoraſti filios tuos
magis, quàm me.* Itaque & Heli, & ſeruus
principatu

principatu mulctantur, & ab honore regiminis excluduntur: hic quia nimis rigidus deſæuiebat, & ille, quia ignauus nimis diſſimulabat: ergo ſecura via ſic tenenda eſt, vt nec culpa delinquentis maneat inulta, nec correctio aliqua ſæuitiæ obſcuretur offenſa. Audi ſuprà datum Gregorium: *Sit rector benè agentibus per humilitatem ſocius, contra delinquentium vitia per zelum iuſtitiæ erectus, vt & bonis in nullo ſe præferat, & cùm prauorum culpa exigit, poteſtatem protinus ſui prioratus agnoſcat: quatenus & honore ſuppreſſo æqualem ſe ſubditis benè viuentibus putet, & erga peruerſos iura rectitudinis exercere non formidet.* Qui ſubiectos formidat, æquitatem exaſperat, & qui nimiùm ſubiectos exaſperat, dominatione ſe priuat: ergo is ſit ſuperior, qui pro cauſæ merito pœnam infligat, & quia infligere cogitur, piè doleat. Ecce populi proceres Benjaminitas ſeuerè puniunt, & pœnitentiam, quia puniuerint, agunt: *Ducti pœnitentiâ filij Iſrael ſuper fratre ſuo Benjamin, cœperunt dicere: Ablata eſt Tribus vna de Iſrael.* Sic proceſſerunt, vt in puniendo delictum vitarent culpam, & ob illatam punitionem doloris ſubierint pœnam. Hugo. Ita Hugo iam datus: *Pœnitentia ponitur pro annexo ſibi, id eſt, pro dolore: & eſt ſenſus: Ducti pœnitentiâ, id eſt, dolentes de morte fratris ſui Benjamin.* Diſce puniendi modum, regendi ſtylum.

44 Vtrumque mirè coniunxit Ioſephus: fratres, qui in Ægyptum venerant afflixit, & lugens Simeonem vinculis illigari præcepit: Geneſ. 42. v. 23. *Auertit ſe parumper & fleuit, & reuerſus locutus eſt ad eos: tollenſque Simeon & ligans illis præſentibus iuſſit miniſtris, vt implerent eorum ſaccos tritico.* Priuſquam vinculis traderet, fleuit, & emiſſis lachrymis illigauit, vnum elegit ad deterrendos cæteros illata pœna, omnibus frumenta dilargitus eſt, vt illigatum in ſpem erigeret impenſa erga alios miſericordiâ: quod notauit Seleucienſis Baſilius orat. 8. Baſil. *Terriculamentis ludicris vtitur: minas quaſi in ſcena conſequitur, iras hiſtrionicè repræſentat; ſed nec ipſam iræ ſimulationem ſuſtinens lachrymis non fictis actum pagit.* Diſce optimum regiminis modum: ira hiſtrionicè repræſentatur; ſed miſericordia hiſtrionicè non exhibetur: lachrymis honeſtè defœdatus minas in reos fulminat, & cùm terriculamentis eos vrgeat, & reſipiſcentiam edoceat, veris lachrymis actum pagit, & vel iræ ſimulationem non ſuſtinet.

---

§. X.

Bonus ſuperior minus dolet proprium diſpendium, quàm à ſuis perpetratum contra æquitatem delictum.

45 SApiens ſuperior, princeps zelotypus, ſi ob culpam ærumnoſam patiatur populus calamitatem, ſiccis oculis proprium tranſibit diſpendium, & perpetratum contra Deum triſtiſſimo planget eiulatu delictum: ſi oculi eius flectantur, ſtragémque adſpiciant, non tam dolebit imminuta ſibi lucra, quàm perpetrata contra rationem ſcelera: *Iniuria quidem noſtra*, aiebat Theodahadus apud Caſſiodorum 3. var. 15. Caſſiod. *eſt læſa iuſtitia.* Læſam indolebat iuſtitiam, & hoc ſolùm ſuam arbitrabantur iniuriam: dignus imperio, quia inimicus ſemper delicto. Deliquerunt Gabaëni, & quia non rarò, ſi perpetretur culpa, alias parit infeliciter fœcunda, laſciuia produxit pertinaciſſimam contumaciam, & contumacia attulit miſerandam etiam tragœdiam: tota ferè Tribus ob delictum deleta eſt: ergo populi Proceres in conſpectu Domini ſedentes copioſis fletibus plangunt malum adeo graue in populo contigiſſe: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere dicentes: Quare Domine Deus Iſrael, factum eſt hoc malum in populo tuo, vt hodie vna Tribus auferretur ex nobis?* Non ſic dolent Tribum ablatam, ac cauſam præſtitam, videlicet laſciuiam, & contumaciam. Ita Hugo Hugo. Cardinalis ad hunc locum: *Non planguit pro iuſto facto; ſed pro ſcelere, propter quod factum eſt hoc.* Populus non exigua parte inueniebatur minutus; ceciderant namque ex Iſraëlitis quamplures, & ex Benjaminitis ferè omnes; verùm Proceres Principéſque non adeò dolent temporale diſpendium, vt horrendum perpetratum fuiſſe delictum. Dum Dei offenſam cum propria iactura conferunt, hæc ſiccis oculis prætéritur, & illa copioſis eiulatibus plangitur. Digni profectò, quibus Deus faueret, cùm læſam iuſtitiam propriam arbitrarentur offenſam, & ſolùm ingemiſcerent Dei iniuriam.

46 Samuël pro eligendo rege de filiis Iſraël conſtitutus Bethlehem ingreditur, ibi ad vnctionem comparabatur, & filiorum Iſai chorus Prophetam circumſtabat: Eliab decoro aſpectu, & congrua proceritate Prophetæ oculos rapiebat; verùm ſtetit oleum: nec enim poterat delinire, quem conſtabat Dominum reprobare: 1. Reg. 16. v. 6. *Cùm ingreſſi eſſent, vidit Eliab, & ait: Num coram Domino eſt Chriſtus eius? Et dixit Dominus ad Samuëlem: Ne reſpicias vultum eius, neque altitudinem ſtaturæ eius: quoniam abieci eum: nec iuxta intuitum hominis ego iudico: homo enim videt ea, quæ parent: Dominus autem intuetur cor.* Huius repulſionis, electioníſque Dauidis abſtruſam corde cauſam Domino auxiliante ex eorum factis eruamus. Adſtabat gigas ille Deo contumeliam dicens, & cum Eliab caſtris adeſſet, ob Dei offenſam doluiſſe non perhibetur, cùm ob relictas pauculas oues ſtomachatur in Dauidem refertur: 1. Reg. 17. v. 28. *Iratus eſt contra Dauid, & ait: Quare veniſti, & quare dereliquiſti pauculas oues illas in deſerto?* Timebat ouiculam lupino rictu perire, & paſtore deſtitutas imminui, eo ipſo tempore, quo in Deum iaciebantur probra, & grauiſſima videbat perpetrati peccata. E contra Dauid à fratre imprudenter reprehenſus propriam non attendit iniuriam; ſed grauiſſimo exulceratus dolore diuinam audiuit offenſam: *Declinauit paululum ab eo ad alium, dixitque eundem ſermonem.* Ergo

Dauid dignus inuentus eſt non ſolum, qui eligeretur ad thronum; ſed qui Deum haberet filium: non poterat à Deo eſſe diſiunctus, qui adeo honoris eius zelo inflammatus ardebat, vt iniuriam propriam non attenderet, vt diuinam vindicauerit. Certè Eliab dignè repulſus eſt, ne frueretur dignitate: nam cùm Dei iniuria eo debuiſſet dolore animum afficere, vt totam attentionem abſorberet, totus erat in gemendo proprium diſpendium, nec perpetratum in Deum curabat vindicare delictum: *Cùm nullus è toto exercitu probaretur ſatis, eſſetque in periculo Saul*, inquit Ba- Seleucienſ. ſilius Seleucienſis orat. 15. *tunc militem ſuum producit in medium gratia verè regem factis declarans.* Modò electionis ratio claruit, & merito Dauidem in ſuperiorem vnctum oſtendit: eligi non debuit Eliab exigui lucri ſtudioſus, & diuini honoris oblitus, nec Dauid debuit reijci propriæ iniuriæ oblitus, & diuinæ iniu- Baſil. riæ vindicandæ zelotypus? *Deo contumelia dicitur*, addit nomine Dauidis Baſilius: *ecquis in pugnam non armetur?* In pugnam armatur Dauid, non dum ſibi dicitur contumelia; ſed dum Deo, religionique infertur iniuria. Ergo hic debuit ad dignitatem conſecrari, ille repelli.

47. Iobus non ſolum reluxit patientiæ forma? ſed & ſuperiorum regula; cùm eius filij mutuò conuiuarentur, & in orbem fraternam charitatem obſequiorum repetitione fouerent annuebat pater paruipendens conuiuiorum ſumptum, vt amorem ſtabiliret fraternum: quia tamen, dum ſplendidior menſa, dum lætior potus, vel ipſa temperantia ſolet deſciſcere, diluculo præueniebat aurotam, vt ſi quam Dei incurriſſent, ſacrificiis expiaret offenſam: *Cùm in orbem tranſiſſent dies* Iob. 1. v. 5. *conuiuij, mittebat ad eos Iob, & ſanctificabat illos: conſurgenſque diluculo offerebat holocauſta pro ſingulis: dicebat enim, ne fortè peccauerint filij mei, & benedixerint Deo in cordibus ſuis; ſic faciebat Iob cunctis diebus.* Cunctis diebus oſtendebat ſolicitudinem diluculo conſurgens, & holocauſtum Domino offerens. Ergo cùm dœmon acri adurgeretur liuore, & Iobi virtutibus veluti præpilatis telis feriretur, accepta à Domino facultate eo odio deſæuiit, vt Sabæos incitarit, vt è cœlo ignem adduxerit, vt armauerit Chaldæos, vt filios occiderit. Poſt tot dura nuntia Iob ſurrexit, & gratias Deo egit ob diuitiarum diſpendia, non ſecus ac egerat ob accepta beneficia: *Tunc* Iob. 2. v. 5. *ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit* Audierat arantes boues, fœtas aſinas periiſſe, nec tamen ſurrexit dolore ictus: nouerat oues voracibus flammis conſumptas, & ſedebat adhuc tranquillus: non ignorabat camelos à Chaldæis rapina ablatos, & adhuc quieſcebat, cum quotidie acri cura ſtimulatus conſurgeret holocauſtaque pro filiis offerret. Profectò anxietudine videbatur obturbandus non dubia diſpendia paſſus, & videbatur curis non vrgendus de filiorum culpis incertus, & tamen ſatis fuit culpæ ſuſpicio, vt anteuerterit lucem, & mollem regalemque lectum relinquens ſacrificia maturarit; cùm tamen grauiſſimis diuitiarum iacturis ictus placidè quieuerit, & dœmonis tela fruſtrarit. Ecqua huius diſcriminis cauſa eſt? Quia vel dubia culpa acriter Dei honoris Zelotypum adurgebat; certa verò temporalium iactura magnanimum non diuexabat: is erat Iobus, vt vigilanter ſolicitéque curarit dubiam etiam in Deum expiare offenſam, nec doluerit diuitiarum amiſſam copiam. O quàm erat imperio dignus, dum quæ ſua erant, minus curabat, & quæ erant Dei ſolertiſſimè ſatagebat. Adeſt Gregorius l. 1. moral. c. 3. *Dum ſubſtantia magna deſcribitur, & tamen paulò poſt patienter amiſſa perhibetur, quàm ſine dolore perdidit, conſtat, quia ſine amore poſſedit.* Adiecit in fine ca- Gregor. pitis: *Cùm dicitur: Mittebat, & ſanctificabat illos, apertè demonſtratur, quid diſtrictionis erga illos præſens ageret, quibus abſens ſolicitudine non deeſſet.* Studioſe curabat, ne aliqua in Deum ſuos contaminaret offenſa, non adeò ſolicitè ſatagebat, ne temporalis imminueretur ſubſtantia. E contra videas ſæpe ſæpiùs accidiſſe. Tota cura impenditur prædiis ac poſſeſſionibus conſeruandis: nulla, aut exigua ſolicitudo eſt in vitiis à ſubiectorum cordibus repellendis.

48. Sara, quæ non immeritò aliqua ſui nominis parte priuata eſt, dum Iſmaëlem intuetur cum Iſaac ludentem, è domo pelli ſolicitat: *Cùm vidiſſet Sara filium Agar Ægyptiæ* Geneſ. 21. v. 9. *ludentem cum Iſaac filio ſuo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Qualis hic ludus fuerit, quærunt Patres, exiſtimantque Iſmaëlem idola effinxiſſe, & ad idololatriam fratrem prouocaſſe. Ita Hieronymus in quæſtionibus Hebraïcis: *Dupliciter hoc exponitur, vel quod idolis ludos fecerit iuxta illud Exodi 32 Sedit populus mandu-* Hieronym. *care, & bibere, & ſurrexerunt ludere; vel quòd aduerſum Iſaac quaſi maioris ætatis ioco ac ludo ſibi primogenita vendicaret: quod Sara audiens non tulit.* Itaque Sara vidit Iſmaëlem idololatriâ ſordidatum, & ambitione hæreditatis incenſum: ſolitariè namque rarò gregatim ferè ſemper inuolant vitia. Ergò cùm exilium debuiſſet procurare, ne ſerperet culpa, & ne Dei committeretur offenſa, non eam attulit rationem; ſed ne filij ſui minueretur hæreditatis ſubſtantia, aut dignitatis prærogatiua. Equidem ipſa ait: *Non enim erit hæres filius ancillæ cum filio meo Iſaac.* Saræ ſtudium non damnamus: quis enim queat arguere, quod conſtat oraculum approbare? verùm dum hæreditas exilij cauſa profertur, quod accidere ſolet innuitur. Quidquid ad temporale detrimentum pertinet, prouidâ vigilantiâ euitamus, cùm ad Dei impediendam, aut vindicandam iniuriam ſolicitè adeò non vigilemus.

***

§. XI.

§. XI.

Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm ſpes exhibuerat officia.

49. AMbitio ſpeſque actiùs ſtimulat animum, quàm gratitudo ad impendendum debitũ ſtimularit obſequium: non refugit impetrandi ſpes moleſtũ ingerere tædium, & importunum in ſui opem imploraſſe faſtidium, non tamen adeò officioſa obſequitur gratitudo: leuiùs inhærent recordationi impetrata, quàm ad obſequium animum beneficia inflammauerint exambita. Quàm opportunè Seneca lib.1. de benef. cap.11. *Pauci ſunt tam grati, vt quod acceperint, etiamſi non vident, cogitent: ingratis quoque memoria cum ipſo munere incurrit.* Adnectit: *Apud paucos poſt rem manet gratia: plures ſunt apud quos non diutius in animo ſunt donata, quam in vſu.* O quanta promittũt ambitores! quàm inire gratiam procurant! quàm inſeruiunt officioſi, qui poſt impetratam gratiam obliti! Ab ipſa rei conſecutione obliuio naſcitur, & quo ſumptuoſius fuit acceptum beneficium, eò certius eſt ingratitudinis argumentum. Plures nihil ſe debere odio conteſtantur, & dum amplioribus beneficiis inueniuntur obſtricti, ſtudioſiùs etiam probantur ingrati. Eò res deuenit, vt aſciſcas tibi periculum, quò grandius aliquibus exhibueris obſequium. Hinc vti inſolitum demirabar, quod Iſraëlitico populo eueniſſe refert Sacer textus: manus cum Benjaminitis conſeruerant infauſto euentu: vexatio intellectum dedit, & ad Dei domum inuolare ſacrificiis gratiam ſibi conciliaturis, & honeſtam victoriam exambientibus perſuaſit: *Omnes filij Iſraël venerunt in domum Dei, & ſedentes flebant coram Domino: ieiunaueruntque die illo vſque ad veſperam, & obtulerunt ei holocauſta, atque pacificas victimas, & ſuper ſtatu ſuo interrogauerunt.* Adnectit textus: *Conſuluerunt igitur Dominum, atque dixerunt: Exire vltra debemus ad pugnam contra filios Benjamin fratres noſtros, an quieſcere? Quibus ait Dominus: Aſcendite: cras enim tradam eos in manus veſtras.* Audis, dum conſulunt, dum victoriam exambiunt holocauſta, atque pacificas victimas obtuliſſe; non tamen altare, vt plura ceperit, dilataſſe. Tranſi modo ad cap.21. vbi accepta iam victoria lucem anteuertunt, altareque, quo plura in gratiarum actionem holocauſta obtulerint, dedicarunt: *Altera die diluculo conſurgentes extruxerunt altare, obtuleruntque ibi holocauſta, & pacificas victimas.* Holocauſta, & victimas pacificas litant poſt acceptam victoriam, vt obtulerant ante pugnam; imo capaciorem modo conſtituunt aram. Iam altare conſtruxiſſe, quo plura, quàm anteà, obtulerint ſacrificia, tradit hîc Caietanus. *Mirum eſt quòd ibi videlicet in loco domus Dei ædificauerint altare, proptereà quo altare holocauſtorum erat ibi ſecundum legis decretum. Solutio eſt quòd altare factum à Moyſe non erat ſufficiens ad ſacrificia populi, & propterea in ſupplementum ædificatum eſt nouum altare.* Vnicum altare ſatis fuit ad offerendas victimas, cum exambiebant victorias; & iam duplici opus eſt, dum debitas referunt gratias: ergo iure mirandum eſt vti inſolitum, quandoquidem amplioribus ſolitant homines obſequiis beneficium ambire, quàm compenſare.

Seneca.

Pluribus eſt accepto beneficio beneficij excidit memoria.

Iudic.20. v.26.

Caietan.

Dum Salomon Tyri regis ad templum palatiúmque extruendum indigebat auxilio, largâ manu copioſum eius familiæ cibum præſtitit, aſſerente Scriptura: *Salomon præbebat Hiram coros tritici viginti millia in cibum domui eius, & viginti coros puriſſimi olei. Hæc tribuebat Salomon Hiram per ſingulos annos.* Oleum puriſſimum ſtudioſè eligebatur, ſiligineum triticum quærebatur; ſed dum aſſurgebat fabrica; verùm perfecto iam templo, affabrè expolito palatio. Hiram gratificaturus ea Salomon præſtare curauit obſequia, vt nec incurreret ingratitudinis notam, nec expenderet magnam ſummam. *Poſtquam ædificauerat Salomon duas domos, id eſt, domum Domini, & domum regis (Hiram rege Tyri præbente Salomoni ligna cedrina, & abiegna, & aurum iuxta omne quod opus habuerat) tunc dedit Salomon Hiram viginti oppida in terra Galilææ, & egreſſus eſt Hiram de Tyro, vt videret oppida, quæ dederat ei Salomon, & non placuerunt ei, & ait: Haccine ſunt ciuitates, quas dediſti mihi, frater?* Inquires: ſi adhibebatur cura, vt mittendum oleum eſſet puriſſimum, ſi larga manu toti familiæ præbebatur alimentum, modò Salomon ciuitates non dedit acceptis beneficiis reſpondentes, & gratitudinem conteſtantes? Iam textus reſpondet; dum poſt perfectam fabricam præſtitas ciuitates aſſeruit. Dum pendebat Salomon ab Hiram, vt aſſequeretur intentum, liberaliter, vt eius iniret gratiam, miniſtrabat ciborum copiam. Oleum mittebatur puriſſimum, triticum ſiligineum; at ædificio iam abſoluto, & deſiderio completo eas ciuitates dedit, quibus fugeret ingratitudinis dehoneſtamentum, & grandem vitaret ſumptum: non præſtitit oppida acceptis beneficiis æqua; ſed inania, vt ſic nec prorſus videretur beneficiorum oblitus, nec multa inſumeret ſumptuoſus. Notauit Rabbanus apud gloſſam: *Multum auri & argenti, ligna quoque cedrina, & cypreſſina ad ædificium rex Tyri contulit, quem Salomon inanibus compenſationibus redonauit.* Redonare voluit; ſed munera parui valoris elegit. O nimis verum, & frequenti experientia comprobatum! Dum quis ambit, vt eum, à quo ſperat, allexerit ſibi, ea eligit dona, quæ placitura prænouit; at iam aſſecutus deſiderium muneris pretium anguſtat, nec vult eſſe gratus; ſed non videri fauoris accepti oblitus: inanibus compenſationibus expleto iam deſiderio redonauit Salomon beneficum; ſed dum pendebat, dilargiebatur puriſſimum oleum, & copioſum alimentum, nullus erat è Tyrij familia, cui aliquod non obtingeret munus; poſtea verò non ſolum ſeruis non præbuit copiam; ſed domino inani munere, & exigua ciuitate compenſare curauit gratiam. Innumeros reperies, qui ſeruulis nolentibus etiam offerunt munera, & exquiſita ad demerendam Domi-

50.

3.Reg.5. v.11.

Rabban.

Digitized by Google

ni gratiam architectantur obſequia; verùm ſemel aſſecuti, quod diſcupiebant, munera mittent pompatica; ſed pretio nuda. Ergo mirum fuit Iſraëlitas obtenta iam victoria copioſiores victimas obtuliſſe, & holocauſta ampliora litaſſe.

51. Tobias à patre pro recuperanda pecunia debita miſſus ſocium fidelem, cuius ope itineris laborem alleuet, & deſiderata perficiat, non ſine mercede conducit: *Inquire tibi aliquem fidelem virum, qui eat tecum ſalua mercede ſua:* Annuit ſplendidus, qui occurrerat, iuuenis, cumque omnibus feliciter compoſitis ad patrem iam rediiſſent, longè amplius quam promiſerant, mercenario offerunt præmium; imò parum reputant, ſi dimidium bonorum addant promiſſionis auctarium: *Rogare cœperunt, vt dignaretur dignaretur dimidiam partem omnium, quæ attulerant, acceptam habere.* In Tobia Chriſtum adumbratum agnoſcunt interpretes. Audi Bedam apud Gloſſam ad cap. 6. huius libri: *Chriſtus mortem, cui nihil debebat, accepit, vt pedes ſcilicet ſuos, id eſt membra ſua a contagione peccati, & mortis ablueret.* Profectò non potuit diuinam non geſſiſſe perſonam, qui obtentis deſideratis plus mercenario, quam promiſerat anteà, largitur: aliter namque inuerſo ſe geſſiſſet ſtylo, videlicet dum mercenarij exoptabat conſortium, promitteret plura, eiuſque ope iam non indigens reddidiſſet pauciora, cùm apud ſæculum de more ſit magnis promiſſis, ſpebuſque eos, à quibus quid ſperatur, allicere, poſteaque ingratis oculis non videre. Dei vmbram geſſiſſe Tobias hoc in itinere comprobatur, dum auguſtius iam deſiderata aſſecutus reddidit præmium, quàm fuerat, dum exambiret, promiſſum.

Iob 5.v.8. Beda.

---

§. XII.

Qui ad Sacra altaria cupit accedere, ab omni curet ſolicitè inquinamento purgari.

52. Caſtitas, munditieſque decorum cunctis inuenitur ornamentum: eſt enim ſumptuoſum humanæ naturæ elogium: *Cùm omnes templum ſimus Dei,* aiebat Tertullianus lib. de cultu fœminar. cap. 1. *Illato in nos & conſecrato Spiritu ſancto, eius templi æditua, & antiſtes pudicitia eſt, quæ nihil immundum, nec profanum inferri ſinat, ne Deus ille, qui inhabitat, inquinatam ſidem offenſus derelinquat:* Nos, vt quos Deus templum inhabitat, pudicitia conſecrat, caſtitas initiat; verùm etſi omnes hoc ornamento debeant nitere: eos præcipuè decet, qui ſacris noſcuntur altaribus propinquare: qui ſacram Synaxim frequentant, qui ad offerendum venerabile Sacrificium dicantur, ab omni priùs inquinamento expurgentur: nec enim fas eſt terrenis ſordeſcere affectibus, obſcuris infici labibus, impuratis obtenebreſcere ſordibus, qui ſacris accedere frequenter cupiunt altaribus. Hinc Iſraëlitæ, etſi in debellanda impudicitia laborarint, & pro reportata victoria pingue Deo offerre ſacrificium decreuerint, prouidè prudenterque, prius quàm acceſſerint ad altare, omnis inquinamenti expurgationi ſtuduerunt, ne diuinam indignationem incurrerent labe, qui gratiam promereri exambiebant hoſtiis, & prece: *Venerunt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem, & magno vlulatu cœperunt flere* Poſt fletum altare ſternitur, & holocauſtum offertur: *Altera autem die diluculo conſurgentes extruxerunt altare, obtulerúntque ibi holocauſta, & pacificas victimas.* Quærit Abulenſis qu. 9. cur eo die, quo venerunt, ſacrificium non obtulerint; ſed ſequentem expectarint. Reſponderque non deignauia dilationem exortam; ſed de prudentia, *Nunc Iſraëlitæ,* inquit, *ſteterunt prima die, qua venerunt in Silo, ſemper lugentes coram Domino, & per hoc diſpoſuerunt ſe ad hoc quod Deus exaudiret preces ſuas, & acceptaret Sacrificium ipſorum, ideò ſequenti die potuerunt conuenienter offerre.* Sordibus inquinati, & contractis labibus obſcuri auſi non ſunt ſacrificium offerre; ſed adhibito lachrymarum lixiuio, quidquid inquinatum lauerunt, ne dum gratiam Domini conciliare ſibi ſacrificiis conantur, iram inflammarint, & majeſtatem offenderint: ſcelus arbitrati ſunt ad altare accedere, quin priùs adhibitâ pœnitentiâ, profuſiſque amaris lachrymis præpararint animum, & compoſuerint affectum.

Tertul. Pudicitia virtutum antiſtes eſt. Abulenſ.

Oraculum ſtatuit Saerdotis filiam de ſanctificatis non edere, ſi nupta; permittit tamen, ſi vidua, aut repudiata, paternam domum abſque liberis repetierit: *Si filia Sacerdotis cuilibet ex populo nupta fuerit, de his, quæ ſanctificata ſunt, & de primitijs non veſcetur; ſin autem vidua, vel repudiata, & abſque liberis reuerſa fuerit ad domum patris ſui, ſicut puella conſueuerat, aletur cibis patris ſui.* Hæc tam accurata ſtatus diſtinctio Deo ſacris mirè depingit, qua debeant accedere: nupta de ſanctificatis non veſcitur; quia cor inter humana ac diuina diuiditur; at ſi iam vidua, repudiatáve ab omni fuerit terrena affectione exurgata, & à filiorum amore prorſus exempta, poterit ſanctificatis ali: quia iam degeneri affectione non premitur; imò omni etiam erga terrena deſiderio denudatur: *Per filiam Sacerdotis,* exponit Gloſſa moralis, *intelligitur Chriſtianus mollis, & effœminatus, qui neſcit reſiſtere peccatis, propter quod ad receptionem Euchariſtiæ non eſt aptus.* Conſonat Procopius apud Gloſſam: *Filiam Sacerdotis nominat animam regeneratam ex aqua, & ſpiritu.* Adnectit: *Sin autem vidua, & Animam hæc verba demonſtrant deficientem à Deo; deinde per pœnitentiam liberatam ſemine peregrino.* Expende quàm eſſe liberam iubet; dum ſanctificatis veſcitur, iam omnis praua adfectio aut ſepulta, aut repudiata iam nulla prole impedita: aliter namque vetat propinquare, & ſanctificatis veſci. Nec ſolùm hanc puritatem voluit in accedentibus relucere; ſed ipſis in ſacrificiis ad noſtram eruditionem voluit micare. 53.

Leuitic. 22. v. 12.

Gloſſa. Procopius.

Bos, ouis, & capra, cùm genita fuerint, ſeptem diebus erunt ſub vbere matris ſuæ: die autem octauo, & deinceps offerri poterunt Domino. Tempus præſcribit, quo offerri nequeant, & dum præſcribit ſpatium, vtile tradit hominibus documentum ſub vbere matris eſt, quicumque terrenis delectationibus paſcitur, 54.

Leuit 22. v. 27.

&

& nutritur : ergo iubet legiſlator altaribus non imponi, quouſque ab his omnibus affe-
Radulph. ctionibus conſtiterit ſeparari. Ita Radulphus in allegor. Tilmani : *Cùm gemina ſit homini collata natiuitas, prima, quâ mundo huic naſcitur ; ſecunda, quâ in Deum renaſcitur ; duplex hic patet intellectus, vt illam dicamus matrem, quæ prima nos abluit, carnalem ſcilicet conuerſationem, cui ſe renuntiaſſe gloriatur Apoſtolus dicens : Cùm autem placuit ei, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ... continuò non acquieui carni, & ſanguini.* Itaque, vt ſacris offeratur altaribus, opus eſt ab vbere prorſus auelli, & carni, ac ſanguini renunriare. Adnectit Radulphus : *Quamdiù vitam iſtam, quæ ſeptem diebus agitur, ſolam diligimus, ſolis paſcimur vberibus carnis, præter cuius voluptates nihil appetimus ; ſed toto hoc tempore Domino offerri non poſſumus : reſpuit enim ipſe huiuſmodi oblationem, teſtante Apoſtolo : quia qui in carne ſunt, Deo placere non poſſunt : à die verò octaua, & deinceps noſtra oblatio non reſpuitur : quia quiſquis futuræ vitæ fidem receperit, & contemptis præſentibus æterna quæſierit, iam placet Creatori.* Cùm vitæ curriculum ſeptem deſignetur diebus, & dies octaua futuræ vitæ conſtituatur ænigma, vt quanta nos puritate ad altaria accedere teneamur, inſtrueret, eo tempore voluit dicari, quo iam interueniente morte opus eſt ab omni erga terrena affectione auelli. Ergo vult morti configuratos accedere, & ab omni prorſus affectione liberos altaribus propinquare ! vtque noueris, quàm non ſolùm impuratos affectus oporteat expellere ; ſed ad terrena procliues etiam expungere, accipe à Leuitici decimo.

55. Cùm Nadab & Abiu filij Aaron, vt qui offerendo peccaſſent, voracibus fuiſſent flammis correpti, Moyſes prohibuit capita
Leuit. 10. v.6.& 19. denudari, veſteſque ſcindi : *Capita veſtra nolite nudare, & veſtimenta nolite ſcindere, ne fortè moriamini.* Profectò Iob filiorum audita morte & caput nudauit, & veſtem ſcidit: *Tunc ſurrexit Iob, & ſcidit veſtimenta ſua, & tonſo capite corruens in terram adorauit.* Si
Iob.1.v.20. licuit Iob repentinam filiorum mortem comâ detonsâ, & ſciſſâ purpurâ plangere ; cur Aaroni non liceat doloris teſtimonia proferre ? Certè quia Sacerdos ſacro oleo inunctus, & altaribus dicatus : ab omni namque humano affectu eſſe debet Sacerdos adeò immunis, vt nec filiorum morte pulſetur, nec vlla fortunâ angatur. Benè nouerat hanc veritatem Aaron, qui cum mente lugubri ob filiorum mortem doleret, à ſacrificiis abſtinuit. Carpebat illum Moyſes, q. de ſacrificiis non ederat : cui Aaron : *Mihi accidit, quod vides, quomodò potui comedere eam, aut placere Domino in cæremonijs mente lugubri ? Quod cùm audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.* Triſtitiâ ob filiorum caſum occupatus, & dolore perculſus ſe nouit edendis ſacrificiis non aptum, nec cæremoniis exercendis opportunum, quandoquidem qui Deo inſeruit Sacerdotali veſte exornatus, ab omni affectu ad terrena procliui videri debet alienis : *Cre-*
Auguſtin. *dendum eſt*, inquit Auguſtinus apud Gloſſam, *Aaron hæc diuina inſpiratione dixiſſe, quod tanquam diuinitus dictum Moyſes approbauit.* Se Aaron à cæremoniis exercendis, & à Sacrificij victu abſtinuit, cùm humano teneri affectu cognouit : docens ad altaria accedentem, & Sacrificio cœleſti paſtum à ſe debere quodammodò emigrare, & in ſpiritum cœleſtem tranſire.

Philo Iudæus lib. 3. de vita Moſis ipſa in 56.
Sacerdotis veſte qualiter interiùs debeat accedere, arbitratur deſignari : deſcripta iam ornatus formâ, addit oraculum : *Deorſum* Exod.28.
verò ad pedes eiuſdem tunicæ per circuitum quaſi mala punica facies & hyacintho, & purpura, & cocco bis tincto. v.33. Quod interpretatus Philo ait tria elementa hic deſignari, & in eis quidquid floret ad oculorum gratiam, quidquid germinat ad auaritiam ; quidquid ſplendet ad ambitionis luxuriam, fore à Sacerdote contemnendum, & proculcandum : *Totius mundi quædam imago fuit* (amictus Pon- Philo.
tificis) *partes verò ſingularum partium incipiamus à talari tunica : hæc tota eſt hyacinthina ad exprimendam figuram aëris : natura enim aër nigricat, & quodammodò talaris eſt à lunari orbe protenſus vſque terræ terminos: vnde etiam tunica à pectore vſque pedes per totum corpus diffunditur : circa talos habet flores, mala punica, & tintinnabula. Flores terram ſignificant, in qua florent, & germinant omnia. Mala punica aquam ῥοΐαι dicta à fluendo iuxta Græcam etymologiam.* Voluit oraculum ad talos flores iacere, terramque, & aquam ſymbolis adumbratas, calcari, vt, cùm accederit Sacerdos ad ſacrificia ſacris ornamentis indutus, omnia humana calcare aſpicientibus fuerit notum.

§. XIII.

Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detrectat cum ſceleribus bellum gerere.

57. Bellum cum vitiis vitaſſe manus eſt hoſti dediſſe : iniqua pax bello eſt deterior, & dum honeſta reſpuuntur certamina, miſeranda ſubeuntur pericula : inſanis cupiditatibus bellum indicere, manus cum appetitu conſerere, & ante victoriam honeſtum, & poſt luctamen eſt commodum. Qui certaminis excuſat laborem, non ſolùm amittit palmam ; ſed grandi exponit periculo vitam. Aliter hac in palæſtra, ac in reliquis contingit. Certare alibi inuenitur periculoſum ; ſed hic ſecurum : alibi eſt vtile otium, hîc
Plutarch. nociuum : *Amicos ſuos monuit*, ait Plutarchus de Ageſilao in apophthegm. *Non argento ; ſed fortitudine & virtute vt ſtuderent diteſcere.* Adnectit : *Gloriabatur quòd nemini in obeundo labore concederet, potiuſque quòd imperaret ſibi ipſi quàm quod regnaret.* Externis bellis regnauit inimico ſubacto ; ſed glorioſius imperauit ſe ipſo à ſe ipſo domito: pluris duxit bellum inferre vitiis, quàm aduerſatiis : & quidem qui ab hac honeſtâ luctâ feriantur ignauo otio magnas ſibi calamitates aſciſcunt. Ecce dum Iſraëlitæ in ſtationibus

Felicius quam regnare eſt ſe ipſum vincere.

bus compoſiti contra impudicitiam,& Benjaminitarũ contumaciam in campum prodeunt, Iabes Galaad habitatores quieſcunt; verùm cùm grandi iuramento ſe populus conſtrinxiſſet, & belle non fauentes interficiendos iuraſſent, parta iam victoriâ, an de vniuerſis Tribubus quis defuerit, ſolicitâ indagatione perquirunt, & Iabeſenos defuiſſe inueniunt: *Grandi iuramento ſe conſtrinxerant, cùm eſſent in Maſpha, interfici eos, qui defuiſſent. Idcirco dixerunt: Quis eſt de vniuerſis Tribubus Iſrael, qui non aſcenderit ad Dominum in Maſpha?* Inquiſitione ſolicita ſatagunt, an quis defuerit, agnoſcere, ne Sacramento iniuriam inferant, ſi non quæſierint, aut iuſtitiæ, ſi ſolerter non indagarint. Ergo vbi Iabeſenos defuiſſe inueniunt, morte condemnant, & ſententiam executioni citiſſimè mandant: *Et ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe (eo quoque tempore cùm eſſet in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.) Miſerunt itaque decem millia virorum robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum:* Miris coloribus elegantique penicillo in dolata hiſtoriæ tabula nobis depinxit Scriptura, quæ maneat in vitia arma capere nolentes pœna. Ecce habitatores Galaad cæteri in vitia depræliantibus placidè quieſcunt: non defatigantur in denſandis aggeribus, ſubſtrictis papilionibus non continentur, non deſudant in armis, non congrediuntur cum hoſte; verùm inopina morte, violento ferro ſoluunt deteſtandam inertiam, & ſatis caram ignauiam: filios amittunt, vxoribus priuantur, violentam mortem patiuntur, & dum de inerti otio elaborate ſibi procurant commoda, magna ſibi procreauere pericula, maturauereque detrimenta: *Ite percutite habitatores Iabes Galaad: in deteſtationem enim ſui criminis*, inquit Lyra, *quia ſubtraherant ſe à negotio totius communitatis, facta eſt tanta punitio.* Audenti ferro præciſi ac iugulati iacuerunt, qui in vitium arma prehendere detrectarunt. Et quæ alia mors, niſi miſera violentaque manere poterat deſides, & ſcelerum non hoſtes! O quot violenta morte non iacuiſſent occiſi, ſi inſanis appetitionibus bellum inferrent ſtrenui! verùm dum voluptatum ſectantur otium, & violentum ſuſtinent ferrum. — Lyra.

58. Non omnis tranquillitas, non omnis pax lætitiæ eſt mater; imò aliquando pax eſt nouerca lætitiæ confuſionem afferens, & calamitatem enutriens. Audi Ieremiam: *A minori quippe vſque ad maiorem omnes auaritiæ ſtudent, & à Propheta vſque ad Sacerdotem cuncti faciunt dolum. Et curabant contritionem filiæ populi mei cum ignominiâ dicentes: Pax, pax, & non erat pax: confuſi ſunt, quia abominationem fecerunt.* Ne bellum auaritiæ inferrent, pacem tractabant; ſed pacem, à qua confuſio prodiit ignominioſa, & contritio non medicanda: vbi iniqua pax geritur, & ignominioſa contritio adiungitur. Opportunè Theodoretus cap. 6. in Ierem. *Conueniebat curare dolores aſperioribus medicamentis; ſed pollicitatione pacis attriuerunt eos: vbinam ergo ſermonum exercitio?* — Ierem. 6. v. 13. — Theodoret.

Vident enim loco pacis vniuerſorum interitum. Quàm amara pax, quæ non honeſtis certaminibus parta; ſed ignauis otiis inutrita! Satius eſſet inire bellum, & audacter adoriri aduerſarium; quia dum ſibi promittunt otium, repentinum inueniunt interitum. Quod ſi in vitia non militans miſeræ ſtragi ſubiacet, quid ſperet, qui in vitiorum defenſionem tentat oppugnare virtutes?

Elias legatos ad conſulendum Beelzebub impedit, mortem Ochoziæ denuntiat, & dum denuntiat ſceleris pœnam, ipſa denuntiatione exercet miſericordiam: nam ſi adeſſe iam mortem crederet, idololatriam abiurans ſalubriter reſipiſceret; verùm vt ſæpè accidit, plures in curia inueuit veritas inimicos & beneficium peperit odium. Quinquagenarius militibus cinctus homini Dei infert bellum; ſed dum infert bellum virtutibus, flammis abſorbetur voracibus: *Deſcendit ignis de cælo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo.* Vtrumque ſuſtinuit, & mortem & ignem: dignum namque fuit, vt poſt mortem acrem ſuſtineret flammam, qui apertè adeò oppugnabat iuſtitiam. Quàm inopinè diſparuit iaculis ignitis percuſſus! quàm flammis vltricibus inopinè periit abſorptus! Licèt robore floreret validus, militibus cinctus, robuſtis viribus obarmatus, repentino interitu occubuit ob illatum virtuti bellum. Perſequebatur veritatem, adoriebatur Prophetam, caſtitatem oppugnabat: ergo miſero, & repentino caſu perſoluit, quod inferre bellum geſtiuit. Accipe Theodoretum hic q. 4. *Eſt perſpicuum eos quinquagenarios, & qui eis parebant, conuenire cum ſcopo & inſtituto eius, qui illos miſit: vnde etiam à Deo immiſſa ſuſtinuerunt ſupplicia.* Dum affligere conantur Prophetam, dum idoli partes agunt, diſcedunt miſerè occiſi, & præter opinionem abrepti. Adde plures, dum exorbitant, & per virtutem ad voluptatem conantur tendere, per voluptatem ad inopinam deuenire cædem. Audi Senecam de vita beata cap. 14. *Prima virtus ſit, hæc ferat ſigna; habebimus nihilominus voluptatem; ſed Domini eius, & temperatores erimus: aliquid nos exorabit, nihil coget. At hi, qui voluptati tradidere principia, vtroque caruere.* Vbi ſigna virtus fert, voluptatem captiuat: ſeruit ergo vt famula, non tyranna imperat; at qui ſub virtutis vexillo non militat, vtroque caret, ſcilicet, & voluptate, & virtute. Adnectit Stoicus: *Miſeri, ſi deſeruntur ab illa; miſeriores, ſi obruuntur: ſicut deprehenſi in mari Syrtico modò in ſicco relinquuntur, modò torrente vnda fluctuantur. Euenit autem hoc nimiâ intemperantia & amore cæco rei: nam mala pro bonis petenti periculoſum eſt aſſequi.* Itaque ſi voluptatibus non indicis bellum, ab eis ſubiugaris, nec ſolùm incurris iugum; ſed periculum; at ſi ſub virtute milites, capies voluptatem, qua ad honeſtum fruaris oblectamentum, & qua rationi parente imminens fruſtreris periculum. Si bellum gererent Iabes habitatores, non carerent voluptate: quæ enim maior voluptas, quàm de voluptatibus, vitiiſque triumphaſſe, & ſub iugo miſiſſe? At dum detrectauere bellum, durum ſuſtinuerunt ſupplicium. — 59. — 4. Reg. 1. v. 10. — Theodoret. — Seneca. — Periculum eſt aſſequi mala pro bonis petenti.

E contra

Abulenſ. E contra qui bellum vitiis infert, voluptates, & commoditates ſibi quamplures adauget, & licèt exiguo deſudet tempore, labòrem compenſat: quia & diuitiis exundat, & fulget ornamentis, copioſaque familia, & ad extremum donatur gloriâ. Adeſt huius veritatis teſtis Iacobus, qui luctando, quem denegarat natura, primatum obtinuit benedictione ditatus, ſplendentibuſque ornamentis veſtitus: *Veſtibus Eſaü valde bonis, quas apud ſe habebat domi induit eum.* (Geneſ.27. v.15.) Agrum variis ac miris picturatum floribus veſtitu refert, & odoratu: benedictus à parente copioſis diteſcit gregibus, exundat filiis, ac tandem de Iacob tranſit in Iſraël, & ſe Dominum vidiſſe gaudet: *Vidi Deum facie ad faciem, & ſalua facta eſt anima mea:* (Geneſ.32. v.30.) & vnde tot felicitates promanauere Iacobo? Ab vnica certè luctâ, quam in exordio ſtrenuè geſſit, & qua vitium ſubiugauit: *Plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob.* (Geneſ. 25. v.25.) Semel video cum Eſaü colluctatum, & quamplurimis vtilitatibus fruitum: vicit vitiorum fundamenta, non paſſus eſt remanere in dextera ſua niſi ad euertendum, ſupplantandumque voluptatis vitiiſque veſtigium: ergo ſemel decertans tranquillam pacem obtinuit, & vtilitates ſibi quamplurimas procreauit. Audi Stephanum (Stephan.) in allegor. Tilman.ad Geneſ.25. *Illud quod ſub planta eſt, conculcatur, & quod boni prætendunt, & præeligunt in opere, mali illud conculcant, & abyciunt.* Ecce Eſaü natura primus, dum proculcat virtutem, ſplendenti cultu ſpoliatur, & cum ſperabat benedictionibus ſuffulciri, compulſus eſt amaris gemitibus eiulare; at Iacob, dum ſupplantat vitium, acquirit ſibi primatum, ſplendet in veſtibus lucet filiorum copia, nitet ſeruulorum familia: nomen ſibi auget, & Deum ad extremum oculis videt. Fortè nouiſti grandi maiorum cenſu ditatos, & nobilitate ſplendidos, dum virtutes proculcarunt in extremas incidiſſe miſerias, & calamitoſas anguſtias: vt è contra à natura poſtpoſitos, dum egregiè cùm vitiis colluctantur, commodis omnibus exundare, & dignitatibus efflorere. Ergo vtiliſſimum eſt decertare cum vitiis, periculoſum ſectari nociuum otium, & inferre virtuti bellum.

---

§. XIV.

Bonus ſuperior & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſolicitat prouidere.

61. SIc ſuperioris procedere debet prouida vigilantia, vt culpam abigat, & conſulere ſubiectis ſtudeat. Curandum eſt, ne ſubditus pereat, vt etiam, ne culpa viuat: improuida mortalium conditio, cùm videtur conſulere, affligit, & cùm lædere putat, conſulit: illid eligendum eſt quod prodeſſe cognoſcitur, cùm ſapientis ſit finis amare quod expedit. In culpas non in homines deſæuiendum eſt, & tamen ſunt, qui licèt nimio zeli ardore inflammati deterendis culpis inſiſtant, peccatoribus prouidere contemnant. *Difficile regimen eſt*, aiebat Stoicus lib. 2. (Seneca.) de ira cap. 21. *quia dare debemus operam, ne aut iram in illis nutriamus, aut indolem retundamus.* Diligenti obſeruatione res indiget: vtrumque enim, & quod extollendum, & quod deprimendum eſt, ſimilibus alitur: facile autem attendentem ſimilia decipiunt. In errante ſubdito, & quod deprimatur, & quod attollatur eſt: culpa eſt deterrenda, ſed natura ſubleuanda. Nonnulli dum peccatum imprudenter diſcupiunt expungere, inueniuntur etiam peccatorem atterere, & cùm medicina non ſæuitia; ſed quaſi ſæuitia ſit, eam adulterant, nec imitantur medicum, quandoquidem qui ea arte pollent, ſic morbum ambigunt, vt morbidum conſeruarint: nam hominem cum infirmitate extinguere, non eſt agere medicum; ſed tyrannum Prouidendum eſt, ne peccator pereat, ne culpa floreat. Ita ſe geſſiſſe videntur Iſraëlitici populi Principes: nam cùm Benjaminitarum coacti ſint duro ſupplicio plectere contumaciam, inuigilarunt, vt ad conſeruandam Tribum inuenire poſſent medelam: *Ablata eſt Tribus vna de Iſraël: vnde vxores accipient?* Non ſolùm curarunt pertinaciam punire; ſed pertinacibus prouidere: depelli ſtuduerunt culpam, & oſtenderunt erga conſeruandam Tribum ſolertiſſimam prouidentiam: *Vnde accipient vxores? ſcilicet*, inquit (Hugo.) Hugo, *ſexcenti, qui remanſerant de Benjamin.* Ni de tradendis vxoribus curaſſent, tota Tribus periret: ergo de conſeruanda Tribu Conſilium agitant, qui de culpa expugnanda egetant. *Hic inducitur Iſraël*, inquit (Abulenſ.) Abulenſis quæſt. 1. *plorans pro eo, quod fecit, & volens prouidere illis ſexcentis viris de vxoribus ne periret tota poſteritas Benjamin.* Vtrumque illis curæ fuit, Tribum conſeruare, culpam expungere.

62. Dominus per Prophetam paſtores Iſraël, durè increpat: *Quod infirmum fuit non conſolidaſtis, & quod ægrotum, non ſanaſtis: quod* (Ezechiel. 34. v.4.) *confractum eſt, non alligaſtis, & quod abiectum eſt, non reduxiſtis, & quod perierat, non quæſiſtis; ſed cum auſteritate imperabatis eis, & cum potentia. Et diſperſæ ſunt oues meæ, eò quod non eſſet paſtor; & factæ ſunt in deuorationem omnium beſtiarum agri, & diſperſæ ſunt.* Non alligaſſe queritur, cum alibi nimis alligaſſe queratur: *Alligant enim onera grauia* (Matth. 23. v.4.) *& importabilia, & imponunt in humeros hominum.* Et quomodo dicuntur alligare, & non alligare? Quia ita alligabant vulnera, vt infirmus non reciperet ſanitatem: ita alligabant onera, vt caderet onere, non ſalutem reciperet medicamine. Opportunè Grego- (Gregor.) rius 2. parte paſtoral. cap. 6. *Fracturam ligamen adſtringit, cùm culpam diſciplina deprimit, ne plaga vſque ad interitum defluat, ſi hanc diſtrictionis ſeueritas non coarctat. Sed ſæpè deteriùs frangitur, cùm factura incautè colligatur, ita vt grauius ſciſſuram ſentiat, ſi hanc immoderatius ligamenta conſtringant: vnde neceſſe eſt, vt cùm peccati vulnus in ſubditis corrigendo reſtringitur, magna ſe ſolicitudine etiam diſtrictior ipſe moderetur, quatenus ſic iura*

Digitized by Google

iura diſciplina contra delinquentes exerceat, vt pietatis viſcera non amittat, curandum quippe eſt, vt rectorem ſubditis & matrem pietas, & patrem exhibeat diſciplina. Itaque rector matris ad inſtar ſibi ſubiectum dulci paſtu debet alere, & ad inſtar patris corrigere: ſic debet alligare vulnus peritia, vt grauius non laboretur remedio, quàm laborabatur periculo. Matris exercere munus ſine virili ſeueritate eſt regiminis detrimentum, paternam exercere ſæuitiam ſine materna pietate periculum, vtrumque iungere commodum.

63. De Aaronis dignitate inter ambitionem, æmulationemque decertatum eſt: tunc Dominus, vt diſceptationes præciderit, virgas iubet aſſumi, & florida virga electum ad faſtigium deſignari. Aaronis ita effloruit, vt repanda extenderit folia, & amygdalas protulerit ſaporatas: *Turgentibus gemmis eruperant flores, qui foliis dilatatis in amygdalas deformati ſunt.* (Numer. 17. v. 8.) Dum hoc ſigno Aaron ad dignitatem eligitur, quid opus ſit à Domino electo futuris ſæculis declaratur. Antequam virga illa niteſceret ad delicias, antequam folia haberet ad ornatum, antequam fructum proferret ad alimentum, controuerſia erat de Aaronica dignitate: poterat anteà virga percutere; ſed non poterat alendam vitam fructus miniſtrare: ergo de eius regimine variæ ferebantur querelæ, dum ſolum punit, & ceſſauerunt, dum etiam prouidet: *Refer virgam Aaron in tabernaculum teſtimonij*, iubet Dominus, *vt ſeruetur ibi in ſignum rebellium filiorum Iſraël, & quieſcant querelæ eorum à me.* Vel rebellium querelæ ceſſant, dum omnia hæc in regiminis virga concurrunt: opus eſt ſubiectos aliquando rigiditate ferire; ſed opus eſt etiam grata floriditate oblectare, dilatatis foliis tegere, ac ſuauiſſimo fructu paſcere. Et expende, amabo te, ſeueritatis vnicum eſſe ſymbolum, videlicet virgam, & in hoc ſymbolo tria conſpici commoditatis ænigmata, ſcilicet floriditatem pro oblectamento, folium pro veſtitu, fructum pro paſtu: nec reſpuas folia ad veſtitum accommodari, quando primi parentes de foliis ſibi conſtruxerunt ornatum. Ergo iam Aaron à Deo non dubitatur electus, dum in eius virga floret & pia ſeueritas, & prouida etiam commoditas. Opportunè Rupertus (Rupert.) lib. 2. in Numeros cap. 4. *Virgam germinantem adhibet aduerſus inflationes, & querimonias filiorum Iſraël: virga, inquam, germinante, gemmiſque turgentibus in flores, & fructus erumpente, deinceps non ſuperbire docet.* Hæc ſunt electi à Deo non dubia argumenta: ſi alat, ſi veſtiat, ſi oblectet, ſi puniat: nam ſi virga ſolùm diuerberet, nec innutriat, deſidioſa orietur quæſtio, & magna obmurmurantium tumultuatio.

64. Hinc diſces diſciplinam debere miſericordiâ ſuffulciri, & lenitatem ſeueritate miſceri: nam ſi vna ſine altera teneatur, ægrè poteſtas in ſubditos exercetur. Hinc Dauid aiebat (Pſal. 22. v. 4.): *Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt. Paraſti in conſpectu meo menſam aduerſus eos, qui tribulant me: impinguaſti in oleo caput meum.* Vide quanta in ſubdium exhibuerit: quia virga ad rectitudinem cogit, baculo, ne ſubiectus corruat, ſuffulcit: nec ſolùm apponit menſam ad alendam ſalutem; ſed caput impinguat etiam ad ſplendorem: ſi menſa deficeret, ſi nunquam aliquod oblectamentum adeſſet, virgæ ictus impatienter ferrentur; at; dum pro iniquitate ſua percuſſus percutientis prouidâ pietate alitur, & ne corruat, diligentiſſimè prouidetur, regimen cœleſte laudatur. Notauit datus ſuprà Gregorius (Gregor.) *Virgâ percutimur, baculo ſuſtentamur: ſi ergo eſt diſtrictio virgæ, quæ feriat, ſit & conſolatio baculi, quæ ſuſtentet: ſit itaque amor; ſed non emolliens: ſit rigor; ſed non exaſperans: ſit zelus; ſed non immoderatè ſæuiens: ſit pietas; ſed non pluſquam expediat, parcens, vt dum ſe in arce regiminis iuſtitia, clementiaque permiſceant, is, qui præeſt, corda ſubditorum & terrendo demulceat; & tamen terroris reuerentiam demulcendo conſtringat.* Subiectus nequit querelas dare, dum conſtat prouidenter ali, & pro erratis ſolùm feriri. Præſtita à ſuperioribus alimenta veel improborum ſugillant ora, & dum conſtat præſulem, vitæ, ſalutique prouidere, non audet malignitas regimen liuidis dentibus lacerare. Non eſſet optimum regiminis ænigma baculus non virga, vt nec etiam virga non baculus; dum verò vtrumque coniungitur, optimi regiminis modus oſtenditur. En virga minatur; ſed baculus ſuffulcit, menſa vires recreat, & oleum caput impinguat.

§. XV.

Nonnulli inuiolatiùs ſeruant à ſe prolata, quàm legis obſeruarint præcepta. 65.

Inuiolata fides, promiſſio integra Reipublicæ eſt quodammodò fulcrum, & humanæ vitæ ſubſidium: eâ firmitudine à ſe honeſtè prolata promiſſaque ingenui cuſtodire tenentur, vt nullam dubitationem patiantur. Hinc Theodahadus (Caſſiod.) 10. var. 17. vt quanto affectu ſuos dilexerit, probet, fide ſe illis adſtrictum, & promiſſis obligatum teſtatur: *Intelligite quantum nobis imponere veſter videatur affectus: fide vobis conſtringimur, qui vel ſolo verbo promiſſa ſeruare ſacris lectionibus admonemur.* Sacris inſtitutis, legibuſque admonentur homines ſeruare promiſſa, nec dare verba; verùm cum maior fides Deo promiſſis debeat ſeruari, quam promiſſis humanis reddi, plus curant homines inuiolatè cuſtodire humana promiſſa, quàm à lege præcepta: ſuæ vanitati adulantur, legibus non obſequuntur: inuiolabiliter implent, quæ vanè promiſerunt, & cùm legi non pareant, ſuam fidem liberare ſolicitant. Huius veritatis teſtes ſunt Iſraëlitæ, qui cùm ſtatuiſſent filias ſuas Benjaminitis non dare, & Sacramento firmaſſent, dolebant Tribum perire; filias tamen recuſabant firmiter dare: *Ablata eſt tribus vna de Iſraël: vnde vxores accipient? Omnes enim in commune iurauimus non daturos nos his filias noſtras.* Lex, vt patet Numer.

Digitized by Google

Numer.36. decreto prohibet familias miſceri,
& vnius Tribus filias ad Tribus alias tranſire:
Numer.36. v.7. *Omnes viri ducent vxores de Tribu, & cognatio-*
ne ſua, & cuncta fœmina de eadem Tribu ma-
ritos accipient, vt hereditas permaneat in fami-
lias, nec ſibi miſceantur Tribus; ſed ita maneant,
vt à Domino ſeparatæ ſunt. Et tamen Iſraëlitæ
legis non meminerunt, ſed promiſſione ſe
illigatos pronuntiarunt: cúmque nos Sacra
Scriptura & tacendo edoceat, & loquendo
erudiat, dum refert Iſraëlitas legis oblitos,
ſuæque promiſſionis ſolummodò recordatos,
innuit rei promiſſæ impletionem non ſic cura-
ri ob legis reuerentiam, quàm ob euanidam
humani decreti gloriam: quaſi eo ipſo quòd
à ſe filias non dare fuerit ſtatutum, videri de-
Abulenſ. beat impletum. Ita Abulenſis quæſt. 3. *Hoc*
non propter legem; ſed propter iuramentum. Ad-
dit: *Secundo patet: quia quando conuenerunt*
nunc omnes in Silo, dixerunt: Unde accipient
nunc vxores filij Benjamin? Omnes enim in com-
mune iurauimus non daturos non his filias noſtras,
Quaſi dicant: Si non iurauiſſemus hoc, poſſemus
dare eas. Ecce non ſic diuinam curabant le-
gem, ac humani decreti fidem, verentes ver-
ba ſua non implere, non adeò curantes legem
violare.

66. Huius veritatis vnam & alteram hi ipſi
probationem nobis exhibuerunt, nam cùm
Tribus Benjaminitarum penuriæ prouidere
vellent, de filiabus Iabes Galaad accipere
Iudic.21. v.14. iuſſerunt: *Venerunt filij Benjamin in illo tempo-*
re, & data ſunt eis vxores de filiabus Iabes Ga-
laad: alias autem non repererunt, quas ſimili
modo traderent. Iabes Galaad habitatores
comitiis à populo apud Silo celebratis non
interfuerunt: ergo etſi lex Iabes filias tradi
prohiberet, cùm promiſſio non vetaret, has
dederunt minus legis edicta, quàm à ſe cu-
rantes decreta: vbi humanum non interceſſit
ſtatutum, legis non obſuit decretum; imò
etſi leges filias dare iuberent, ſi ſe non daturos
decreuiſſent, negarent. Accipe iterum huius
veritatis exemplum. Sexcenti remanſerant
Benjaminitæ, & de Galaad ſolùm quadrin-
gentas acceperunt fœminas; vnde ſine vxori-
bus remanebant ducenti viri: ergo vt eis
conſulerent, de puellis choros tunc ducenti-
bus iuſſerunt ducentas rapere, & in vxores ac-
cipere: *Præceperunt filiis Benjamin atque dixe-*
runt: Ite & latitate in vineis: cúmque videritis
filias Silo ad ducendos choros ex more procedere,
exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli
vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.
Profectò vt iuramentum filias dare vetabat,
rapere lex prohibebat; & tamen ſic inter legis
præſcripta, & à ſe decreta diuiſerunt, vt filias
rapi conceſſerint, ne viderentur verbis ſuis
defuiſſe, etſi legem dubium non eſſet violare:
toti erant in quærendo modo, vt prolata à ſe
verba conſtarent; minùs attendebant, vt
Caietan. præſcripta legis florerent. Innuit Caietanus:
Rapite, per hanc materialiter rapinam adimple-
retur voluptas parentum, ſi liberi à vinculo iura-
menti fuiſſent, vt rei probauit euentus. Voluntas
parentum erat filias dare; ſed ne viderentur
à ſe prolatis deficere, ſententiamque retracta-
re; modus excogitatus eſt, quo promiſſio
videretur integra, quantumuis lex reclamaret
violata. Adnectit datus ſuprà Abulenſis: *Ec-* Abulenſ.
ce dixerunt ſe iuramento conſtrictos, & non di-
xerunt conſtrictos lege.

Balthaſar inanes Deos mera figmenta vene- 67.
ratus cœleſti ſententia litteris arcanis exarata
percutitur, quo non ſolùm puniretur iugu-
latus; ſed diſtorqueretur etiam ambiguus,
& ſciret propriâ experientiâ, quàm eſſet
amarum pendere, qui à ſe forſitan pendentes
dilatione torſerat, & ſuſpenſione vexarat;
gaudent nonnulli magnates ſecum trahere
ambitorum pompam, & dilatis ſpebus oſtenta-
te potentiam. Ergo cùm litterarum arcana ſci-
ret reſerare, nec Sacramenta quiuerit eruere,
Daniel introducitur, priuſque, quàm expli-
cuerit ſententiam, ſimulacrorum cultum ſu-
gillauit, & Balthaſaris tumiditatem reprehen-
dit: *Aduerſum dominatorem cœli eleuatus es, &* Daniel.5. v.23.
idcirco ab eo miſſus eſt articulus manus, qua ſcri-
pſit hoc quod exaratum eſt. Quid tunc? Cùm an-
guſto adeo tempore & ratio ſuaderet idolola-
triam retractare, & cœli Dominatorem agno-
ſcere, tempus inſumpſit in iubendo Danie-
lem purpurâ exornari, & præconis voce po-
pulis adorandum proponi: *Tunc iubente rege*
indutus eſt Daniel purpurâ, & circumdata eſt
torques aurea collo eius, & prædicatum eſt de eo,
quod haberet poteſtatem tertius in regno ſuo. Ea-
dem nocte interfectus eſt Balthaſar rex Chaldæus.
Inquires cur exiguum illud tempus ſibi non
reſtituerit, & pro impetranda cœleſti miſe-
ricordia clamarit; ſed in propheta honorando
tempus inſumpſerit? Quia promiſerat, reſ-
pondebit textus, litterarum interpretem eis
honoribus remunerandum, & maluit tempus
deeſſe rationi, quàm vanitati: *Purpurâ veſtie-*
ris, & torquem auream circa collum tuum habe-
bis, & tertius in regno meo Princeps eris. Sacra-
ta Deo vaſa compellabat æquitas reſtituere, &
vnicum cœli, terræque creatorem adorare, vt
etiam Deos fictiles vtili deſpectu contemnere,
& tamen Balthaſar maluit verba ſua conſtare,
quàm ad pœnitentiam recurrere. Geſtiebat am-
pla munera donare, vaſa Domini detrectabat
reddere: ſunt enim qui alienis diuites magni-
fica munera dilargiantur, & æquitatis iniuria
impiè generoſitati adulentur: in exornando
Daniele occupatus eſt: quia fortè tunc longio-
ra ſibi vitæ promiſit ſpatia, cùm premeret iam
ruina. *Auditis Balthaſar his, quæ Daniel inter-*
pretatus fuerat, inquit Theodoretus orat. 5. Theodoret.
iuſſit illum propoſitum præmium accipere, purpu-
ram, veſtem, & torquem auream. Deinde cùm
illum ita exornaſſet, ſubiectos ſibi populos præconis
voce curauit edocendos ipſum tertium regni prin-
cipem à ſe declaratum. Eo ipſo tempore, quo
admonitus eſt Deum adorare, Danielem à po-
pulis venerandum produxit curans ſolicitè im-
plere à ſe promiſſa, negligens corrigere facta. Hieronym.
Adſtipulatur Hieronymus: *Nec mirum ſi Bal-*
thaſar audiens triſtia ſolueris præmium, quod
pollicitus eſt: aut enim longo poſt tempore credidit
ventura quæ dixerat, aut dum Dei Prophetam
honorat, ſperat ſe veniam conſecuturum. Veniam
ſperat non à cordis compunctione, ſed à collata
in Dei amicum liberalitate, ratus infelix ſatis
eſſe Dei amicum honorare; cùm debuerit
culpam expungere. Itaque plus curauit va-
nitas in promiſſionis adimpletione volaticum
plauſum

plauſum, quàm prudentia cœleſte effugiſſe ſupplicium.

68. Non aliter accidiſſe videas Pilato: reclamante innocentia, quam ipſe palam teſtatus eſt, Chriſtum Dominum cruci affixit, & regem titulo illuſoriis litteris declarauit, cumque inuidis vel vmbratilis regis inſcriptio ſatis eſſet ingrata, ad Præſidem inuolarunt, & ſcripturam delendam clamoribus popoſcerunt: ipſe verò ne detrectare videretur ſententiam, nullis precibus potuit dimoueri, vt pateretur, quæ dixerat, immutari: *Quod ſcripſi, ſcripſi:* Diuinæ prouidentiæ famulata eſt Præſidis vanitas, & licèt conſpicua notiſſimáque innocentia, totaque legum præſcripta nequiuerint Chriſtum Dominum ab iniqua ſententia liberare, ſatis fuit Præſidem protuliſſe, vt inuidia corrumpere nequiuerit Scripturam: *Quod ſcripſi, ſcripſi*, inquit; ac ſi dicat: Quod lex iubet, quod innocentia ſuadet, quod iuſtitia clamat, facilè prætereo; at quæ ego dixi, retractare non ſuſtineo. Neſcit legibus parere ſuperbia; refugit verò quæ ſemel protulit, retractare vanitatis pertinacia: *Pilatus*, inquit Chryſoſtomus in catena, *in priori ſtetit mente.* Paſſus non eſt ſcripturam immutari; ægrè non tulit legem multoties lædi. Chryſoſt.

§. XVI.

Periculoſum odioſúmque eſt à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe.

69. Singularitas parit odium, & ingenerat aliis faſtidium: cum pluribus viuendum eſt, vt viuatur: ſe excipere, & peculiarem viam facere periculoſum eſt, & ad ſpeciem ſuperbum. Aliis diſſimilis inimicos ſibi conciliat, dum ab eis diſcedens exaſperat: *Illud te admoneo,* aiebat Seneca Epiſt. 5. *ne eorum more qui non proficere; ſed conſpici cupiunt facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia ſint. Satis ipſum nomen Philoſophiæ, etiamſi modeſtè tractetur, inuidioſum eſt: quid ſi non hominum conſuetudini cœperimus excerpere?* Omnia noſtra, ni aliud ratio, & æquitas ſuadeat, cum generalitate exterius conueniant, interius diſſimilia ſint. Oportet fronte conuenire cum populo: melior vita, quàm à vulgo ſequenda eſt; ſed quantum ratio patitur, generalitati eſt aſſimilanda: hoc primum promittit Philoſophia, & docet prudentia, ſenſum videlicet communem, humanitatem, & congregationem, à qua profeſſione ſimilitudo dum ſeparat, odium, vt dicebam, conciliat; ſed tunc præcipuè cum aliqua communis cauſa vertitur, & negotium aliquod pro generalitate diſponitur: tunc namque ſingularitas parit odium, & afferre ſolet periculum. Non ſolùm oportet aptari ad præſentia, ſed etiam reſpexiſſe futura. Omnes Iſraëlitarum Tribus contra Benjaminitas mortis certè reos in campum prodeunt, cúmque non lateret Iabes Galaad habitatores, maluerunt commodis indulgere, quàm ſe cæteris aſſociare. Ergo reportato iam triumpho, cum diligenter examinarent, an quis defuiſſet: *Quis eſt de vniuerſis Tribubus Iſraël, qui non aſcendit ad Dominum in Maſpha?* compertum fuit Iabes habitatores defuiſſe. *Et ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe. Eo quoque tempore cum eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.* Quis crederet inter innumeras hominum copias animaduertendum, notandúmque an Iabeſeni deeſſent, adeſſéntve? & tamen innotuit omnibus adfuiſſe. Quid tunc? *Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quam paruulos eorum.* Communis erat cauſa, quam Iſraëlitæ in Silo agitabant: ergo ſe ſubducere Iabeſenis periculum procreauit. Aliqui fortè bello caderent; at dum ſe ab aliorum conſortio ſepararunt, omnes penitus interierunt: *Iuramentum videlicet interficiendi Iſraëlitas, qui deeſſent huic communi bello*, inquit Caietanus, *factum narratur in Maſpha.* Eo ſtomacho in abſentes iraſcebantur, vt pro inimicis habuerint, & deleri penitus iuſſerint: digni viſi ſunt Iabeſeni, dum generalitati ſe excerpunt, qui duris plecterentur mulctis, & ad aliorum exemplum capitalibus ſingularitatem ſoluerent pœnis. Ergo ſingularitas condemnatur, dum Iabeſenus punitur Iuſtiſſimum eſt ſe excipere, & nullo periculo perſuaderi ad imitandum, quod ratio prohibet, & æquitas contradicit: eſto omnes ea gradiantur via: tù, ne pecorum ritu ſequatis, perge vt Tobias, quà eundum eſt, non pergas, quà itur; vbi verò nil obſtat, quominus ab aliis non diſcedas, imò multa ſunt, quibus ſimilitudo ſuadetur & diſſimilitudo damnatur, communis via tenenda eſt. Caietan.

Tendebat Samſon cum patribus ſponſam accepturus, cùm in Leonem incidit ſæuitiâ horridum, rugitu ſæuum; & licèt Samſon celebrandum ceperit triumphum, non effugit periculum: *Deſcendit itaque Samſon cum patre ſuo & matre in Thamnatha: cúmque veniſſet ad vineas oppidi, apparuit catulus Leonis ſæuus & rugiens, & occurrit ei.* Dum non reliquis viam carpentibus; ſed Samſoni obuiaſſe refertur, aliâ viâ tendere Samſonem innuitur: *Occurrit eis.* Ad hæc dum parentibus celat triumphum: *Hoc patri & matri noluit indicare*; manifeſtat eorum declinaſſe conſortium: ergo dum communi viâ incedit, dum patrum premit veſtigia, nulla refertur in viantem armata bellua; at dum ſingularis incedit, dum ſemitam peculiarem ſibi adſtruit, carniuorum inuenit Leonem, & licèt irruente Domini Spiritu conſecutus fuerit victoriam, difficilem ſuſtinuit luctam: cœleſtis peperit gratia trophæum, ſingularis tamen ſemita ingens adduxit periculum: qui parentum veſtigia premeret pacatè, à patribus ſeparatus inceſſit periculoſè: *Apparuit*, inquit Lyra, *catulus Leonis ſæuus Samſoni, quaſi ad deuorandum eum: ſeparauerat enim ſe Samſon à parentibus ſuis.* Viæ ſingularitas non caruit periculo, vt conſtaret omnibus ſecurum eſſe antiquorum Patrum premere veſtigia, celebratâ 70. Iudic. 14. v. 5. Lyra.

omnibus

Digitized by Google

omnibus incedere viâ, vt periculis etiam plenum ab aliis diſiungi, & peculiarem ſibi viam facere. Adde non ſolùm ſingularitatem vitæ, animæque periculum afferre; ſed intus malo agitari ſpiritu, qui huiuſmodi ſingularitatem affectat, non obſcurè prodere.

71. Nato Chriſto Domino cœleſtis lingua luminoſis radiorum vocibus feliciſſimū ortum inclamat: Magi ſydereo ſplendore diſcuſſis tenebris regem adoraturi pennatis deſideriis Inuolarunt, & Ieroſolymitanis exertis vocibus Math. 2. v. 2. prodiderunt: *Vbi eſt, qui natus eſt rex Iudæorum. Vidimus enim ſtellam eius in oriente, & venimus adorare eum.* O quàm denſa aulicos caligo occuparat, cùm proximum adeò lumen non aſpiciebant! Longè poſiti ſydetis fulgorē adſpiciunt; ſed ambitionis libidiniſq; confuſis tenebris Ieroſolymitani obcœcati nec valuerunt noſcere, nec aſpicere. Rex Iudæorum adorandus proponitur, & iam Herodes non denegat apertè cultum; ſed Magorum fugit conſortium: *Ite & interrogate diligenter de puero, & cum inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens adorem eum.* Et cur non, eamus, & adoremus? Si communis omnium eſt cauſa, ſi impendi debet ab omnibus reuerentia, cur Herodes differat in futurum tempus obſequium, nec commune cum Magis præſtare velit officium? O fraudulentam aſtutiam! O contectam fraudem; ſed apertam ambitionem! Cùm alij adorant, ſe ſubtrahit, & cùm alij redeunt, ſe promittit iturum: ergo dum ſingularitatem affectat, ſe bono ſpiritu duci declarat: non vult adorare; ſed vult mentiri: quia ſi adorare vellet, inuitantem occaſionem cum Magis raperet. Opportunè Chryſologus ſermo. 158. *Vult mentiri; ſed non poteſt; veniet, vt ad tormenta curuetur, ad ſupplicia iaciatur, ſternatur ad pœnam, qui adorare finxerat, vt ſæuiret.* Promittit obſequium; ſed ſingularitas ipſa pandit mendacium: nam ſi adorare vult, cur ſe adorantibus non aſſociat; ſed in ipſa adoratione ſingularitatem affectat? Profectò plures Herodis inueniuntur diſcipuli: ieiunia ſectantur, cùm alij honeſtis epulis vires recreant: comedunt, reliqui cùm ieiunant: orationi videntur inſiſtere, cùm cæteros conſtat debitum ſomni Tributum naturæ pendere; dormiunt, cùm conſtat cæteros vigilare, & dum ſe generalitati ſubducunt, non virtuti; ſed vitio inſeruiunt. Quàm verò, & quàm diſertè Bernardus de gradibus humilitatis Gradu 5. *Ad omnia ſua ſtrenuus, ad communia piger vigilat in lecto, dormit in choro, cumque aliis pſallentibus ad vigilias tota nocte dormitet, poſt vigilias aliis in clauſtro quieſcentibus ſolus in oratorio remanet, excreat, & tuſſit, gemitibus, ac ſuſpiriis aures foris ſedentium de angulo implet.* Superbiæ gloriæque ambitione ducitur, qui commum omnium conſuetudini extrahitur: ſatius eſſet aliquibus eum cæteris dormire, quàm ſingulariter vigilare, vtilius cibum cum omnibus capere, quàm auſteris ieiuniis ſolitariè inſiſtere: nam dum de ſingularitate inanis quæritur fama, errorum incurri ſolent pericula.

Chryſolog.

Bernard.

72. Lucæ 18. Phariſæus templum adit, & ieiuniorum auſteritatem deprædicat: *Deus gratias ago tibi: quia non ſum ſicut cæteri hominum raptores, iniuſti, adulteri, velut etiam hic Publicanus: ieiuno bis in Sabbatho, decimas do omnium, quæ poſſideo.* Satis non fuit tumori proprias exaggerate virtutes, niſi cæteris omnibus impegerit prauitates. O quàm ſecurius illi fuiſſet cum cæteris edere, quàm bis in hebdomada ieiunare! non ieiunabat, vt maceraret carnis pruritum; ſed vt nutriret ſuperbiæ faſtum: pendebat decimas, non vt ſe exhiberet deuotum; ſed vt iactaret ſuperbum: ſingularitas & cœcum reddidit & odioſum. Accipe datum Bernardum: *Nec tamen melior eſſe ſtudet; ſed videri non melius viuere; ſed videri viuere geſtit, quatenus dicere poſſit: Non ſum ſicut cæteri hominum. Plus ſibi blanditur de vno ieiunio, quod cæteris prandentibus facit, quàm ſi cum cæteris ſeptem dies ieiunauerit: commodior ſibi videtur vna oratiuncula peculiaris, quam tota pſalmodia vnius noctis.* Oraturus inſcendit; ſed apud ſe, quia oratio illa erat ſuperbiæ partus, non deuotionis effectus. Iuſtificatus non deſcendit; ſed corruit: quia vanitatis pennæ non potuerunt præſtitiſſe volatum; ſed præcipitationis acceleraſſe periculum.

Lucæ. 18. v. 11.

Bernard.

---

§. XVII.

Qui depræliari refugit contra vitia, obſcurauit nobilitatis ſtemmata, & obliterauit auita nomina.

73. VIrtus eſt nobilitatis patria, ſumptuoſior originis vena, & ad procudendum glorioſum ſibi nomen opportunior officina,

——— O terque quaterque beati,
Quis ante ora patrum Troiæ ſub mænibus altis Virgil.
Contigit oppetere.

Beatos aſſeruit Virgilius fuiſſe egregiè pro patria decertando oppetentes, vtpote quos virtus nobilitarit, & ab obliuione aſſeruerit. Contrarium de ignauis protulit, dum egregiè decertantes terque quaterque beatos dixit. Profectò ignauus, & noxias voluptates ſecutus non ſolùm ſibi non facit nomina; ſed veneranda vetuſta traduce abolet etiam ſtemmata. *Sunt quædam*, aiebat Seneca Epiſt. 67. *triſtes voluptates. ſunt quædam vota, quæ non gratulantium cœtu; ſed adorantium, venerantiumque celebrantur. Statu non putas Regulum optaſſe, vt ad Pœnos perueniret? Indue magni viri animum & ab opinionibus vulgi ſecede pauliſper: cape quantam debes virtutis pulcherrimæ ac magnificentiſſimæ ſpeciem, quæ nobis non ſertis, ſed ſudore & ſanguine colenda eſt.* Dum virtus ſudore & ſanguine colitur, dum honeſtè vita finitur, fama æternatur. Audi Attalum Stoicum: *Malo me fortuna in caſtris ſuis, quàm in deliciis habeat.* Malè de ſe iudicauit, qui properantem, inuitantemque virtutis occaſionem, ne quid pateretur, effugit: qui nullo experimento, nullo incurſu animi

Seneca.

Attalus.

Digitized by Google

animi ſui firmitudinem declarauit, nomen ſibi non fecit. Plures ſibi gratulantur, ſi inconcuſſo iacuerint otio, falsò tamen ſibi blandiuntur, imò imponunt, cum ſic iacere non ſit optanda tranquillitas; ſed deteſtanda malacia. Ecce Iabeſeni inſtante contra impudicitiam, & progeniem eius procaciam bello adeſſe caſtris inuenerunt: *Inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.* Maluerunt inerti otio indulgere, quàm in aduerſarios arma prænſare; verùm dum honeſta detrectauere certamina, auita amiſerunt nomina: vltore namque gladio occiſi iacuerunt, & iam Iabiſum Benjaminitæ occuparunt: *Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Seniorum mandatum prompta eſt executione completum: & cùm cautum prouidenti fuerit le-

Numer. 36. v.7.

ge Numer. 36. *Ne commiſceatur poſſeſſio filiorum Iſraël de Tribu in Tribum*: iam hîc malitiâ ſolicitante violatum, & auitum nomen deletum:

Abulenſ.

Quæretur, inquit Abulenſis quæſt. 30. *quomodo obſeruatum eſt, quod dicitur Numer. 36. ſcilicet ne confunderetur ſortium diſtributio, & vt non tranſiret hæreditas de Tribu in Tribum: quia hîc videtur neceſſaria iſta confuſio, cùm mulieres Iabeſenæ acciperentur in vxores à filiis Benjamin.* Iam nomina, iam hæreditates confuſæ: nam dum Iabeſeni detrectant contra vitium arma prænſare, auitis poſſeſſionibus denudantur, & ſepultis maiorum nominibus atteruntur. O verum fœcunda prædia, opulentiſſima patrimonia maiorum ſtrenuis factis acquiſita ad extraneos ſæpè deuenerunt inerti poſterorum ignauiâ, & dum premit, quam viria pepererunt, inopia, fumoſa, antiquaque obſcurantur ſtemmata. Vitium execranda tinea omnem nobilitatis floriditatem arrodit, & opulentum cenſum conſumit.

74 Aduentante Chriſto Domino in regionem Geraſenorum duo homines à dæmonibus violenter inuaſi occurrunt:

Matth. 8. v.28.

Cùm veniſſet trans fretum in regionem Geraſenorum, occurrerunt ei duo habentes dæmonia de monumentis exeuntes. Ex his alterum nobilitate præditum, & venerandis maiorum ſtemmatis inſignitum tradit Auguſtinus in catena ad Marci 5.

Auguſtin.

Cùm Matthæus dicat duos fuiſſe, Marcus, & Lucas vnum commemorant, vt intelligas vnum eorum fuiſſe perſonæ alicuius clarioris. Alter horum clariſſimis auis, atauiſque prognatus iam cum altero è media plebe numerum facit, & ſine nomine ante mortem ſepultus deliteſcit, lucémque fugit, quos ſimile infecit vitium, ſimile obſcurauit etiam dehoneſtamentum: iam nobilis in pauperum, in plebeiorum cenſum erubuit redactus, cùm à Dæmone poſſeſſus. Et vide hac eadem in re noſtræ Theſis clariſſimum teſtimonium: ipſi dæmones bellum eis inferentis nomen deprædicant, etſi inuiti, magnum: *Quid nobis & tibi Ieſu fili Dei?* Cùm nouerit odium illuſtria nomina tumulare, cùm didicerit maleuolentia ſilentio premere; cùm Saül Dauidem ſibi exoſum, Iſai filium vocatis dæmon Ieſu nomen profert, & Dei filium eſſe teſtatur, quin odium tegere, aut tabida quiuerit inuidia diſſimulare. Et quæ huius cauſa eſt? Bellum ſanè dæmonibus illatum, vitiumque expunctum: non potuit eius nomen non lucere, quem in vitia conſtabat arma prænſare: nihil tam dæmoni odioſum, quàm Ieſu nomen: non potuit tamen nominis ſepelire elogium, vbi inferebatur criminibus bellum. Furat inuidia, inardeſcat furor, conetur liuor eorum nomina tumulare, quos bellum vitiis conſtat inferre: lucebunt tamen ſæculis veneranda, & bellis ipſis ſtabilita. Non auditur nobilis à dæmone poſſeſſi nomen: nam licèt immaturè dæmon hominem ſepelierat, eius nomen, & nobilitatis ſplendorem immaturè non tumularat: quia iam ſplendor vitiis extinctus, & nominis deleta fama. Qui honeſta ambitione diſcupiunt nomina ſibi facere, bellum vitiis conentur inferre: ſic namque nequibunt nomina ignoratione ſepeliri, quia delendis nunquam characteribus opus eſt futuris ſæculis denuntiari:

Chryſol.

Exhibiti, non volentes, aiebat Chryſologus ſerm. 16. *venerunt imperantis iuſſu, non ſuo auſu: attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte currentes.* Inuiti nomen celebrant, & dum perniciosum ſibi patiuntur bellum, deprælliantis proferre coguntur elogium: nec enim homines, dæmoneſue, quantumuis iniquo ſtudio moliantur decertantis pro virtutibus nomen tumulare, aſſequentur.

Non caret myſterio Abrahami nomen 75
glorioſius extendi, dum carnem conſtat circumcidi: vocabatur anteà Abram, quod interpretatur excelſus; Abraham iam appellatur auguſtiori vocabulo, glorioſiorique elogio:

Geneſ. 17. v.5. & 26.

Nec vltrà vocabitur nomen tuum Abram; ſed appellaberis Abraham. Adnectit textus: *Eadem die circumciſus eſt Abraham.* Ecce plus habet nominis, dum minus carnis: dum circumcidit, quidquid habere vetat præceptum, nominis æternat elogium: nec iam delebitur nomen præceptorum obſeruantia ſtabilitum, & carnis circumciſione firmatum. Opportunè

Interlin.

Interlinearis: *Mutato affectu mutatur nomen.*

Hieronym.

Conſentit Hieronymus apud gloſſam: *Dicunt Hebræi, quòd Deus ex nomine ſuo, quod apud illos Tetragrammaton eſt, H litteram Abrahæ addiderit: dicebatur autem Abram, quod eſt pater excelſus, poſteà dictus eſt Abraham.* Creuit de virtute nomen, & dum carnalis circumciditur affectus, gloriæ nomini accreſcit cumulus. Iam è contra nomina decurtari, obſcurarique, dum terrenis quis ſtudet affectibus, probat Ephron.

Sara moritur & Abraham ſpeluncam Mam- 76
bre reſpicientem emit ab Ephron:

Geneſ. 23. v.14.

Reſpondit Ephron: Domine mi, audi me: Terra, quam poſtulas, quadringentos ſiclos argenti valet: iſtud eſt pretium inter me & te: ſed quantum eſt hoc? ſepeli mortuum tuum. Affectat generoſitatem, vt cariùs vendiderit: offert liberaliter ſepulchrum; ſed profert pretium, vt Abrahamus non imminuat pretium liberaliter offerenti ſepulchrum: ergo vt noueris, dum ſtudet cupiditati, nomen imminui, & gloriæ elogium decreſcere, cùm iterum fiat venditoris mentio iam in textu Hebræo vna littera à nomine demitur: *Sepelierunt eum Iſaac*

Digitized by Google

Geneſ. 25. v. 9. *Iſaac & Iſmaël filij ſui in ſpelunca duplici, quæ ſita eſt in agro Ephron* In textu Hebræo aufertur à nomine *Vau*, & licet eadem ſit pronuntiatio, aperta eſt nominis imminutio. Lyra. Notauit Lyra ad Geneſis 23. *Dicunt Hebræi, quòd ipſe Ephron oſtendit in principio ſe multa agere pro Abraham, & tamen in fine nihil fecit; ſed terram ſuam carius iuſto pretio vendidit: ideò poſteà remota eſt littera Vau de eius nomine.* Se affectauit amicum, vt carius venderet; vtque Abrahamus ipſa vrbanitate illigatus non poſſet vllatenus reſilire; verùm dum auget cupiditate pecuniam, nominis imminuit gloriam, vt conſtet nominum elogia conſeruari, augerique fœcundis virtutum vndis, & peſtiferis aduri vitiorum flammis. Itaque Abrahamus nomen amplificauit Dei iuſſis obtemperans, carnémque præcidens, Ephron imminuit cupiditati & pecuniæ inſeruiens.

---

§. XVIII.

Ingenui ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modo gerere.

77. PVſilli animi eſt vices rependere, & errantium mores imitari: generoſus, & de ſua nobilitate honeſtè ſuperbiens animus beneficiis reſpondet, & contrariam viam ingreditur, vt ſe laudabiliter vlciſcatur. *Vltio*, aiebat Tertullianus lib. de patient. cap. 10. *penes errorem ſolatium videtur doloris, penes veritatem certam redarguitur malignitatis.* (Tertul. vltio penes errorem ſolatium eſt.) Vltio, & iniuriæ retributio lædi oſtendit potuiſſe eum, qui rependit vices: decentius de ſe ſenſit, qui omnia infra ſe iacula iacere præſumpſit. Qui vltione compenſauit iniuriam, puſillus, qui humanitate, Chriſtianus probatur, & generoſus: *Bonitate contende contra inimicum*, aiebat Auguſtinus ad Pſal. 36. & eſt ſalubre conſilium, ne ſint duo mali. (Auguſt.) Hanc animi honeſtam, ſi fas eſt dicere ſuperbiam, & dilaudandam generoſitatem agnouerunt etiam Ethnici. Themiſthius Euphrada orat. 5. Lycurgum extulit, quòd ſe de hoſtibus fuerit vltus non puniendo; ſed benemerendo. Adnectit: *Hæc eſt victoria virtutis, vindicta autem poteſtatis.* Vt glorioſius eſt virtutibus, (Themiſt.) quàm viribus exornari: ita eſt laudabilius inciuilitatem vrbanitate vincere, humanitate ſæuitiam, affabilitate procaciam. Contrarios mores imitare, & honeſtam vindictam exercuiſti: vindicta depellit offenſam, parit indulgentia gloriam: prudens ergo abſtinet ab errore, qui denigrat alium: nec quia alius æquitatem læſit æquitatis oblitus, obliuiſcetur ipſe æquitatem; imò ſibi reddet, quod debet ſibi. Habitatores Iabes Galaad, cùm populus in Benjaminitas honeſta armatus indignatione in campum prodiret, ſe ſubtraxerunt, & opem fratribus denegarunt: *Ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.* Poſteà cùm Iabes durè premeretur hoſtili exercitu cincta, & dura obſidione arctata, quantis premeretur anguſtiis, Iſraëlitis denuntiauit: *Venerunt nuntij in Gabaa Saulis, & locuti ſunt verba hæc.* Quid tunc Saul in regem electus denegati olim auxilij vices non rependit, imò populum aſciuit, hoſtémque abegit: *Cùm dies craſtinus veniſſet conſtituit Saul populum in tres partes, & ingreſſus eſt media caſtra in vigilia matutina, & percuſſit Ammon vſque dum incaleſceret dies.* Quàm ſe alium exhibuit populus, Saúlque, dum Iabes ciuitas eorum indignis auxilio, ac ſe præſtiterant Iabeſeni, cùm populus laboraret difficili bello. Notauit Abulenſ. quæſt. 20. *Contra iſtam ciuitatem pugnauit Naas rex Ammonitarum* (Abulenſ.) *multo tempore poſt hoc volens eam accipere in principio regni Saulis, & volebat eruere oculos dextros habitatorum vrbis, & petitis induciis miſerunt ad Saulem, qui congregato exercitu pugnauit contra Ammonitas, & diſperſit eos.* Non rependit populus vicem, non reuocauit in memoriam, quid Iabes, cùm extaret bellum feciſſet; ſed opem tulit, & de inimicorum manibus liberauit.

78. Iterum pro hac doctrina ſtabit Saulus: cùm electus à Domino inauguraretur in regem non defuerunt, qui inuidiâ preſſi illum deſpicerent, & malignis linguis arroderent: *Filij Belial dixerunt: Num ſaluare nos poterit iſte? & deſpexerunt eum, & non attulerunt ei munera.* (1. Reg. 10. v. 27.) Ipſe verò diſſimulauit malens quam vlciſci iniuriam, magnanimam oſtentare prudentiam: cúmque populus Ammonitis iam per Saulem deuictis, & à Iabes Galaad prorſus effugatis manere inultam non pateretur maledicentium audaciam, reorum cauſam egit, & iuſtam indignationem placauit: *Et ait populus ad Samuelem: Quis eſt iſte, qui dixit: Saul non regnabit ſuper nos? Date viros, & interficiemus eos.* Iuſta murmuratores mortis ſententia premeret, eorumque periclitaretur vita, ni Saul eorum defenſionem ſuſcipiens factis ſe regem comprobaſſet: *Et ait Saul: Non occidetur quiſquam in die hac: quia hodie fecit Dominus ſalutem in Iſrael* Iabeſenorum cauſam ſuſceperat, victoriam tulerat de Ammonitis; ſed maiori triumpho vitam largitus eſt aduerſariis: ibi deuicit hoſtem, hìc ſe deuicit; imò deuicit obmurmuratores laudabiliori victoriâ, quàm detriumpharet inflictâ pœnâ: *Populus* (inquit Ioſephus lib. 6. antiquit. capite 6.) (Ioſeph.) *nimio gaudio geſtiens placebat ſibi quòd talem regem eſſet nactus, & illis, qui inutilem fore dixerant, inſultabat, rogitans vbi nunc eſſent iſti contemptores, & ad ſupplicium eos depoſcens, & alia multa iactabat, vt ſolet multitudo, quoties in aliqua felicitate conſtituta contra auctorum eius aduerſarios irritatur. Saulus interea ſtudium quidem ac beneuolentiam eorum collaudabat; ſed iureiurando affirmauit non paſſurum, quiſquam è conſanguinea multitudine tam feſto die rapiatur ad ſupplicium.* Parum viſum eſt Sauli diſſimulaſſe, dum audiuit, iniuriam, ſi diſſimularit, cùm audit pœnam. Ergo iniuriorum, defenſio-

nem arripuit, & illorum vita eſt tutatus, à quibus malignâ linguâ fuerat arroſus. Militem ſuum hîc produxit gratia, & regem non ſolùm animi fortitudo: ſed inimicorum veniam declarauit. Arbitratus eſt Saul obſcurandam, ſi mulcta infligeretur, victoriam: ergo vt honeſtè augeret victoriam, conceſſit obmurmuratoribus vitam.

79. Ille cœleſtis ſeminator, cùm à terra non dubitaret eruentos ſentes eius caput terebraturos gignendos, ſiligineo, & optimo grano diuitauit: optimè prænoſcebat, quid pro beneficio tellus redderet; quæ ſui tamen muneris erant, perfecit, & grano optimo ſulcos ingratiſſimo diuitauit: *Exijt, qui ſeminat, ſeminare ſemen ſuum . . . & aliud cecidit inter ſpinas, & ſimul exorta ſpina ſuffocauerunt illud.* Quàm aliter ſe cum terra geſſit ſeminator cœleſtis, ac cum ſeminatore terra! Hæc nobili ſemine accepto ſpinas ingratiſſimas protulit, ille ſpinis terebratus terræ granum, quo fœcundaretur, commiſit: *Exijt igitur ſeminans, hoc eſt, filius Dei exiuit de patris ſui ſinu abſcondito*, inquit hîc Theophylactus, *& conſpicuus factus eſt* Adnectit: *Exiuit autem non vt agricolas occidat, vel agrum exurat; ſed vt ſeminet.* Tellus ruſticum ingenium ineſſe ſibi tribulis declarauit; verùm telluris ingratitudo agricolam conſpicuum reddit, dum, cùm poſſet, non vt exureret flammis; ſed vt diuitaret, exijt, ſeminibus. Quid ſibi ac muneri deberet, attendens cœleſtis ſator pro duris tribulis fœcundum rependit granum, & generosè contulit beneficium: *Conſpicuus factus eſt*, non rependendo vices; ſed contrarios ſequendo mores.

Lucæ. 18.

Theophyl.

80. In petra illa, de qua populus cryſtallinos accepit latices, Chriſtum Dominum figuratum tradit Apoſtolus Paulus: *Petra erat Chriſtus.* Repetamus hiſtoriam, vt clarè agnoſcamus Chriſti Domini geſſiſſe figuram: cùm populus ardentiſſima adurgeretur ſiti, iniquis obmurmurationibus Moyſem Aaronémque criminabatur, dolore obmurmurationem excuſans maluit Moyſes neceſſitati ſubuenire ſedulus, quam remedium protelare iniuriis exaſperatus: ergo conſultus Dominus è ſilice petendos ait latices: verùm Moyſes quod vrbanis verbis eliceret verberibus repetitis extorſit: cúmque naturale eſſet percuſſam ſilicem ardentes euomere ſcintillas, limpidiſſimas reddidit aquas: *Cùm eleuaſſet Moyſes manum percutiens virga bis ſilicem egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta.* Alibi petra exundantes adeo vndas non emiſit; hîc reddidit copioſiores: & quidem ſi humana ſolùm ratione rem diſpicias, non erant reddendæ vndæ; ſed flammæ, & tamen bino ictu verberata petra copioſiori reſpondit beneficio, & vndarum incremento: ſatis videbatur, ſi repercuſſa ſilex vltrices non eiacularetur flammas, & limpidas præbuit vndas, quaſi iniuria beneficentiæ fuerit illicium, & vndarum incrementum. O petram nobiliſſimam Chriſti Domini imaginem! Moyſes contra ius faſque, quæ non decebant, exercuit; verùm tu, quia Chriſti vmbra, laticis copiam miniſtraſti, & quæ debebas ſimilitudinis honori, ſoluiſti. Itaque attendiſti, quæ te digna erant, vtque Domini geſtares imaginem, oblita es iniuriæ compenſationem: percuſſoribus benefeciſti ab vrgentiſſimo ſitis tormento liberans eos ipſos, à quibus repetitis ictibus vulnerata, iniuriiſque affecta: *Hunc ſpiritualem potum non vndecumque bibebant; ſed ſed de ſpiritali petra*, inquit Anſelmus ad hunc locum, *id eſt de Chriſto.* Addit: *Bibebant de petra conſequente eos, id eſt, ſatisfaciente deſideriis eorum: quoniam conſecuta eſt eos abundantia ſuæ largitatis priùs ſiti confectos.* Largiùs benefecit icta, vberiùs reſpondit diuerberata: vt hinc diſceremus iniurias beneficiis vindicare, & ingenuitatis argumentum à beneficentia petere. Profectò plures cum in baptiſmate Chriſti Domini induerint imaginem, quid huic honori debeant, obliuiſcuntur, & ſi leui verbo pulſentur, indignationis ardentiſſimas flammas eiaculantur: non attendunt ſilicem, quia imagine Chriſti nobilitatam, ingenium honeſtè cum fontibus commutaſſe, & iniuriis benefeciſſe.

1. Cor. 10. ✝. 4.

Numer. 20. v. 11.

Anſelm.

§. XIX.

Iure ſuſtinet pœnæ tormentum, qui æquitatis miniſtris præſtare renuit auxilium.

Salubre eſt vniuerſitatem edictis generalibus admoneri, per quæ & delictum debuit corrigi, quin excedentis verecundia videatur grauari. Profectò ſibi prudens ſtudet applicare, quod in commune conſtat iuberi: quia dum ſub generali lege purgatus fit innocenti ſimillimus. Verùm quia ſatis non eſt hæc prouida legum pietas ad corrigendos exceſſus, in perſonas peculiares iuſta obarmatur diſtrictio; eo tamen procax deuenit audacia, vt non ſolùm apertè temerare præſumat iura; ſed etiam in tutelares legum irruere; & iuſtitiæ miniſtros diuexare: quod ſi tunc opem non tulerint, qui iuſtitiæ partes debuiſſent fouere, ſibi conſtat calamitatem aſciſcere, quando nequit manere inultum, quod in generalitatis detrimentum conſtat peccatum: *ſi quis in tantam raptus amentiam*, inquit Attalaricus 9. variar. 18. *Tyrannico ſpiritu, iuri publico parere neglexerit, viribuſque prapotens deſtinati officiis ſpreuerit paucitatem, relatione iudicis noſtris auribus notabilis ingeratur, vt indulta executione Saionum vltionem ſentiat vigoris regij, qui obedire noluit cognitori.* Dupliciter iuri publico iniuria fit, regiis miniſtris reſiſtendo, & eis auxilium petentibus denegando. Ergo ſiquis, inquit Attalaricus, tyrannico ſpiritu publico iuri denegatit 81.

Caſſiod.

denegati auxilium pœnis ſentiat graue delictum : *Vltionem ſentiat vigoris regiis, qui obedire noluit cognitori.* Rigorem hunc Iabeſeni ciues experti ſunt : nam cùm populus in Gabaënos ſceleſtiſſimis criminibus defœdatos dignam tentarent vltionem & illi iniqua vnione confiſi edicta maiorum ſpernerent, opus fuit gladium non feriari & auxiliares manus aſciſcere : Iabeſeni deſpexerunt opem præſtare, & quia non præbuerunt auxilium, grauiſſimum experti ſunt detrimentum : *Dixerunt : Quis eſt de vniuerſis Tribubus Iſrael, qui non aſcenderit ad Dominum in Maſpha, & ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe (eo quoque tempore, cùm eſſent in Silo, nullus ex eis ibi repertus eſt.) Miſerunt itaque decem millia virorum robuſtiſſimos, & præceperunt eis : Ite, & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Iuſtitiæ cauſa agebatur ; ſed procax Benjaminitarum audacia armis fiſſa, & ipſis exceſſibus obarmata reſiſtere moliebatur : ergo cùm ius peteret auxiliares manus, & acciti fuiſſent Iabeſeni, venire in auxilium pro æquitate pugnantium detrectarunt : ergo dum opis denegant debitum generalitati Tributum, dignum ſuſtinuerunt excidium : *Adeò indignatio iuſta eos efferauerat*, inquit Ioſephus 5. antiquit. 2. *vt ad*
Ioſeph. *expugnandum etiam Iabiſum Galaaditidis vrbem, quæ auxilium contra Benjaminitas negauerat, duodecim ſelecta millia mitterent qui potiti vrbe occiderunt tam viros* quàm mulieres, & pueros, *reſeruatis tantum quadringentis virginibus.* Non leuiorem tulere pœnam Iabeſeni ac Gabaëni tulerant : alij namque indignis exceſſibus defœdati impedire tentarunt mulctam, & alij deſpexerunt iuſtitiæ cauſam.

82. Iſraëlitæ diuinis edictis in Siſaram obarmantur ; verùm cùm belli effectus plurimis videretur non ſolum ambiguus ; ſed deſperatus, aſciti opem noluerunt contra tyrannos præſtare, & ob id eis contigit peſ-
Iudic. 5. v.23. ſimam maledictionem incurrere : *Maledicite terræ Meroz, dixit Angelus Domini : maledicite habitatoribus eius : quia non venerunt ad auxilium Domini in adiutorium fortiſſimorum eius.* Ab Angelo dignam maledictionis mulctam incurrerunt, qui ſuppetias iu-
Lyra. ſtiſſimas petentibus denegarunt : *Hebræi exponunt dicentes*, inquit Lyra, *quod Angelus Domini hic intelligitur ipſe Barac miſſus à Deo ad pugnam prædictam, vt patet ex dictis ſupra cap. 4. Angelus enim idem eſt quod nuntius ; Maleath enim, quod eſt nomen Hebraicum, æquiuocum eſt ad Angelum & nuntium* Adnectit Lyra nostro inſtituto opportunè *Meroz autem nomen hominis potentis, qui habitabat prope locum vbi fuit bellum, & ideò magis fuit reprehenſibilis, eo quod noluit venire, quò alij : qui erant longè : propter quod Barac dixi ei maledicendum, & hominibus ſub eius poteſtate conſtitutis. Et hæc expoſitio magis videtur concordare litteræ.* Sub maledicto iacuit, qui Dei miniſtris auxilium præſtare renuit : timuit de præſtito auxilio aliquod ſibi incommodum à Siſaræ militibus afferendum ; verùm dum veretur honeſtum incommodum, dirum execrationis ſuſtinet maledictum. Æquitas, & bona Reipublicæ conſtitutio cogit ad auxilium præſtandum iuſtitiæ miniſtris, ſi ob paucitatem ab ſceleſtis fugentur, aut impetantur. Hac in re cœleſte nobis reſplenduit exemplum.

Dei miniſter cœleſtis Angelus virtutis 83.
cauſam agebat, cùm iniquiſſimus aduerſarius valenter ac impudenter reſiſtens tardabat executionem. Ergo Michaël æquitatis miniſtro opportunum præbuit auxilium, ne obſiſtentis audax impudentia, impudenſque audacia ſortiretur indignum votum : *Princeps regni Perſarum* (alloquitur Daniel. 10. v.13.
Angelus Danielem) *reſtitit mihi viginti & vno diebus : & ecce Michael vnus de principibus primis venit in adiutorium meum, & ego remanſi ibi iuxta regem Perſarum.* Perſarum princeps audaci potentia fretus æquitatis impediebat impediebat negotium, aſſequereturque inſanum deſiderium, ni opportunum Michaël præſtitiſſet auxilium, at dum præbet opem tempeſtiuam, inſana frænatur audacia, & æqui miniſtri ſuccedunt proſperè deſideria : *Dicunt aliqui*, inquit Lyra.
Lyra, *quod iſte princeps Perſarum fuit Angelus malus.* Malus Angelus prona peruerſitate malorum cauſam ſuſceperat, & cauſis æquiſſimis obuiabat. Ergo opus fuit Michaëlis adiutorio ad æquitatem tuendam, & ad procaciam frænandam. Et quidem tunc Michaëlis authoritas principe digna reſplenduit, cum non tenebrioni adfuit ; ſed æquitatis miniſtro opem tulit, vt apud ſæculum Principes nouerint magnitudinem ſuam oſtentare non nebulonibus proſcriptis & ſceleratis indignum præſtando contra æquitatem auxilium ; ſed Dei ac regis miniſtris præbendo, prout ratio exigit, adiutorium.

Iephte deuictis filiis Ammon in Ephraitas 84.
manum cogit : & plures iuſtè debellat : vocauerat eos, vt eius partes fouerent ; illi verò non ſolùm opem præſtitiſſe renuerunt ; ſed impudentiſſima procaciæ aſcitos ſe negarunt : *Dixerunt ad Iepte : Quare vadens ad pugnam contra filios Ammon vocare nos noluiſti ?* Iniquas excitant querimonias, vt ignauiæ colorarint deſidiam, ac deſidiæ effugerint pœnam ; verùm Iephte auxilium denegaſſe conuincit : *Vocaui vos, vt præberetis mihi auxilium, & facere noluiſtis :* Et con- Iudic. 12. v.1.
uictos delet : *Vocatis ad ſe cunctis viris Galaad pugnabat contra Ephraim : percuſſeruntque viri Galaad Ephraim.* Iure percuſſus eſt, & ferè deletus, qui iniquorum cauſam fouebat, cum Dei miniſtris auxilium petentibus non præſtabat. Ergo inſtar hoſtis puniendus fuit, qui adeſſe renuit aſcitus, & iuſtitiæ cauſæ, quantum in ſe erat, periculum creauit ignauus. Caietanus ex Hebræo legit loco illius : *Vocaui vos*, non ſolum vocaſſe ; ſed auxilium clamoribus expetijſſe : *Plus ha-* Caietan.
betur Hebraicè : Et clamaui ad vos : vnde patet mentitos fuiſſe Ephraïtas dicendo ſe non fuiſſe vocatos : Videbant Ephraïtæ iniuſtè ſe opem denegaſſe ; ergo vt fieri ſo-

let, ad mendaciorum confugerunt patrocinia, & præuertere Iudicis indignationem iniqua feſtinauere querela; ille verò affectatam ſurditatem digno puniuit ſupplicio, vt ſupplicium cæteris eſſet exemplo. Aliquando iudex circitoribus ſtipatus in nocturnos fures, & Reipublicæ peſtes incurrit, qui dum rem pro vita eſſe non ignorant, miniſtros iuſtitiæ validè oppugnant. Ergo qui miniſtris opem implorantibus & clamoribus validis expetentibus affectata ſurditate præbere diſtulerunt auxilium iuſtiſſime ſuſtinent ſeuerum mulctæ decretum, quando videntur Reipublicæ calamitati fauere, & eius paci aduerſari neſcias quo nonnulli inſtigentur ad noxios defendendos prurītu, ſi è circitorum manibus ſceleſtos eripiant, iactabundi gloriantur, & de præſtito auxilio inſipienter efferuntur, quaſi facinus laude fuerit dignum Reipublicæ peſtem conſeruare, & iuſtitiam impedire. Profectò Michaël tunc è præcipuis principibus eſſe refertur, cum ab eo Dei miniſtris congruum ac debitum auxilium præſtatur.

---

§. XX.

Plures ignauè fugiendo mortem incurrerunt, honeſtè contemnendo fugarunt.

85. MOrtem ſpontè adire eſt temeritas, nimiùm timere puſillitas: ſolatium eſt dura pro honeſtate ſubire, quia cauſa delinitur moleſtia, & gaudet aſpera detriumphaſſe conſtantia, Plures, ne mortem incurrerent, incurrerunt, & quibus putabant, artibus ſaluti conſulere, inuenti ſunt inſidiari. *Illi* (Regulo) *ſolatium eſt*, aiebat Seneca. Seneca de prouidentia cap. 3. *pro honeſto dura tolerare, & ad cauſam à patientia reſpicit. Hunc* (Mecænatem) *voluptatibus marcidum, & felicitate nimis laborantem magis his, quæ patitur, vexat cauſa patiendi.* Patientia in ipſis doloribus à cauſa mutuatur delinimentum, & magis quam vexet ærumna, conſtantiam armat patiendi cauſa. Adnectit Seneca: *Quod ad Catonem pertinet, ſatis dictum eſt, ſummamque illi felicitatem contigiſſe, conſenſus hominum fatebitur, quem ſibi rerum natura delegit, cum quo metuenda collideret.* Rationabilis conſtantia rupes eſt, in qua calamitatum fluctus rumpuntur; imò ſi pro honeſtate pendatur vita, felicior ſuperſtite defunctus erit. Mecænas infelicor fuit inter ſymphoniarum cantus, & dulces concentus, quàm Regulus, cuius cutem claui fixerunt: non putes malè tractatum Socratem, quod dum Reipublicæ cauſam gerit, potione veneno mixta rigeſcit: poſt mortem viuit fama; Mecænas mero ſopitus, & voluptatibus ſeptus infamiæ, ac obmurmurationi viuebat. Recuſare honeſtum periculum ſecurum eſt damnum. Probat hoc Iabes Galaad habitatores, qui cùm populus pro æquitate, pudicitiáque decreuiſſet pugnare, maluerunt indulgere otio, quàm committere ſe periculo: *inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo exercitu non fuiſſe.* Quid tunc? *Miſerunt, itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Honeſtos ſubſtricti papilionis labores excuſarunt mortis periculum extimeſcentes, &, ne morerentur, mortem ſibi imprudenter aſciuerunt. Bellantes coronarentur triumpho, dum fugitant laborem, incurrunt calamitatem. *Adeò indignatio iuſta eos efferauerat*, Ioſephus. ſcribit Ioſephus 5. antiq. cap. 2. *vt ad expugnandum etiam Iabiſum Galaaditidis vrbem, quæ auxilium contra Benjaminitas negauerat, duodecim ſelecta millia mitterent, qui potiti vrbem occiderunt tam viros, quàm mulieres & pueros.* Si caſtra petijſſent, vno aut altero deſiderato coronarentur, vt contigit aliis, victoriâ; aſt dum detrectant pugnam, generalem cunctis aſciuere miſeriam. Ciuitas capitur, familia perditur, & quod videbatur ſalutis compendium, inuentum eſt felicitatis excidium. Reſeruatæ Iabeſenæ virgines datæ ſunt Benjaminitis, qui audacter contemnentes mortem per confertos hoſtium irruperunt cuneos, donec ad petram Remmon tutiſſimum peruenerunt profugium, & euaſerunt hoſtile ferrum. *Sexcenti euaſerunt incolumes* (inquit datus Ioſephus) *qui conglobati, & facto cuneo ferociter per medios hoſtes eruperant, & in montem quemdam fuga delati naturâ loci ſe tutati ſunt.* Dum viriliter pugnant, dum inerti timori non cedunt de ipſo mortis deſpectu viuunt; at Iabeſeni; dum vt tueantur vitam, honeſta detrectauere certamina, incurrunt meritiſſima mortis edicta.

86. Achitophel Abſalomis coniurationem promouerat, & conſiliis ſagacibus audacem armarat: ergo Dauid, qui grauius ſibi periculum imminere nouit à conſiliis, quàm ab armis, totus fuit in exorando Dominum, vt infatuaret conſilium Achitophel: *Infatua, quæſo Domine, conſilium Achitophel.* 2. Reg. 15. v. 31. Orationem effectum fuiſſe ſortitam probauit euentu; verùm vbi conſilium Achitophelis fuerit infatuatum, interpretibus dubium. Dicunt nonnulli tunc fuiſſe infatuatum, cùm Chuſai placitum prælatum eſt. Et quidem ſi infatuari idem ſit quod effectu carere, certum eſt hîc fuiſſe infatuatum, quandoquidem ab omnibus eſt reiectum; verùm ſi infatuari eſt à ratione deficere, & imprudenter ſe gerere, tunc putarim infatuatum, cùm imminere ſibi arbitratus periculum infame elegit ſuſpendium. *Porro Achitophel videns quòd non fuiſſet factum conſilium ſuum, ſtrauit aſinum ſuum, ſurrexitque, & abijt in domum ſuam, & in ciuitatem ſuam, & diſpoſita domo ſua ſuſpendio interijt.* 2. Reg. 17. v. 23. Præuidebat iam ſagax coniector victoriam in Dauidis partem, quem grauiter offenderat, ceſſuram: ergo periculi timore exagitatus ſecum hoc agitauit conſilium, ſcilicet præmaturè ſuſpendi, ne contingeret occidi. Adeſt Lyra: Lyra. *Timebat quòd Dauid præualeret, & in regnum rediret,*

propter

Digitized by Google

Propter quod timebat ab eo occidi. Dubium adhuc erat, an Dauid Achitophel occideret: nam licèt cauſa impelleret, malebat magnanimus parcere, quam punire, feliciorémque triumphandi credebat modum, ſi largiretur indulgentiam, nec dignam inferret mulctam. Teſtis eſt Semei, qui licèt morte turpiſſima dignus, in gratiam facili prece eſt receptus: ergo infatuato conſilio Achitophel deſipuit, dum, ne incurreret, ſibi mortem præmaturauit. Mortuus eſt, ne moreretur, &, vt ſententiæ vitaret infamiam, ſuſpendij anticipauit ſibi ignominiam. O quot deſipiunt infatuatis huiuſmodi conſiliis! Ille, ne paupertatis ſuſtineret ærumnas, ad mortem recurrit, & ſe ſuſpendio interemit: illa, dum timet deprehendi, potionem medicatam, qua diſperiret, exhauſit: plus illis fatuus nocuit metus, quàm infauſtus noceret caſus.

87. Suſanna mortem audacter contempſit, pudoris famam expoſuit, ne pudorem violaret: non ignorabat doloſis ſenum fraudibus mortem incurſuram: *Anguſtiæ ſunt mihi vndique: ſi enim hoc egero, mors mihi eſt; ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras; ſed melius eſt mihi abſque opere incidere in manus veſtras.* Non ignota periculi maluit periculum amplecti; quàm pudore nudari: *Exclamauit voce magna Suſanna:* cenſuit ſatius eſſe ipſa mortis maturitate pudicitiæ redemiſſe periculum, vt quæ peruerſum declinaſſet exclamauit, conſortium. Et expende in eorum manus incidere mortem non vocaſſe, appellaſſe verò mortem delinquere: *Si hoc egero, mors mihi eſt.* Si peccato attaminaretur, viueret, eam tamen vitam mortem, & quidem fœdam vocauit: ſi ab omni culpa abſtineret, non dubitabat damnandam; eam tamen mortem caſtiſſima & prudentiſſima fœmina mortem non dixit, docens non eſſe mortem vitam honeſtè finire; ſed culpis attaminari: ergo dum conſtanter contemnit mortem, mortem detriumphat, & ſibi famam æternat: *Saluatus eſt ſanguis innoxius in illa die.* In qua die? In illa equidem, qua contempſit famam, qua expoſuit vitam, qua intrepidè mortem adijt: nec enim tendebat ad mortem, vt mortis eſſet præda; ſed vt reportata de ipſa morte coronaretur victoriâ. *Stabat Suſanna*, inquit Zeno Veronenſis, *in iudicio perditorum, falſorum teſtium oppreſſa mendaciis; conſcientiæ tamen bonis contenta ſecretis, non tam rea ſuſceptura ſententiam, quàm dicata Deo pro caſtitate fortiter moritura.* Quid tunc? *Tremuit diabolus, quod ipſius commenta nudentur.* Mors timuit virtutis audaciam, & terga vertit audenti cedens victoriam. Itaque Suſanna de ipſa morte vitam ſibi elaborauit, & de infamia famam procudit: ſi iners ad mortis vmbram cederet, & ne moreretur, improbis conatibus aſſentiret, nec produceret vitam, nec in ſæcula extendiſſet famam. Ergo qui vult vitam, honeſtè contempſerit mortem: mors namque præualet in timidos, timet ſtrenuos. Non conſulimus temeritate, deſperationéve vitam contemnere; adhortamur tamen pro honeſtate, pro virtutéque cum ratio exigit, cum morte congredi, quæ ſæpè dum virtutis armis impetitur, effugatur.

Daniel.13. v.22.

Zeno.

88. Secuto Petrus ad Chriſtum tendebat veſtigio per marinos fluctus incedens, & viam ſibi per æquora faciens; verùm dum acriùs adſpirat ventus gradum retrahit, & iam naufragium incurrit: *videns ventum validum timuit, & cum cœpiſſet mergi clamauit.* Timet progredi, ne ventorum flatibus impetitus mergatur; verùm dum ſiſtitur, dum virtutis viam non proſequitur, naufragium veritus, incurrit ipſo timore naufragium: periclitabatur Petrus tardato greſſu, triumpharet conſtanti ſemper veſtigio: timuit ſi cœptæ inſiſteret viæ, periculum, & quia non inſiſtit, ſubijt naufragium turbulentum firmo premeret veſtigio fluctum, ni timuiſſet pauidè ventum: *Turbatur*, inquit Chryſoſtomus in catena D. Thomæ, *à venti impulſu.* Ventus obſiſtebat vianti: ergo Petrus ſiſtitur, ne ventorum ſubeat moleſtiam, & dum non progreditur metu præpeditus, vndis periclitatur immerſus. Ergo paſſus eſt, vndam, dum timet ventum: vt hinc diſcamus ſub contrariis ad ſpeciem ſeminibus latere contraria, videlicet mortem ſub vitæ ad ſpeciem ſecuritate, vitam ſub enormitate mortis: ergo attendenda eſt cauſa, vt decernas an ſit ipſa cum morte congrediendum, an periculum declinandum. Si Iabeſeni expenderent fas eſſe ob honeſtam cauſam vitam exponere, ipſo mortis contemptu fugaſſent mortem, & aſſequerentur ſalutem; aſt dum ignauo mortis timore detinentur, quia detenti, vltore ferro puniuntur.

Matth. 14. v.30.

Chryſoſt.

---

§. XXI.

Nomina non tam clareſcunt de maiorum, poſterorúmve nobilitate quàm de poſſeſſionum, diuitiarúmque ſplendore.

VBi facultas in pretio eſſe cœpit, debitus virtuti ac nobilitati honor nôn parum imminutus eſt: nobiles rarò pro diis habiti. Pluto apud cœcos Deus eſt. *Nihil eſt nobilitas,* aiebat Euripides apud Stobæum cap. 92. *comparata pecuniis: nam vel peſſimus propter diuitias inter primos recenſetur. Da operam opibus: nam illæ nobilitatem donant.* A nobilibus ignobilis mutuari nequit ſplendoris honeſtamentum: à diuite poteſt mutuari prementi inopiæ ſubſidium: ergo colet diuitem, nec adeo reuerebitur nobilem; vnuſquiſque quæ ſua ſunt, quærit, & muſcæ ad popinas diuites inuolant, nec nobilis, ſi fuerit vacua, culinam frequentant. Aureus vitulus pro Deo colitur flamine & victimis, rubus Deo plena in deorum cenſu non habetur, quia foliis viridantibus denudatur: homines namque non magni faciunt iure æſtimanda, cùm magni æſtimant parui habenda. Strenuorum ſepulta ignorantur militum nomina, diuitum vel conficta perſeuerant ſtemmata. Apud Chriſtum inopia oppreſſi Lazari nomen proditur, & purpuratus diues ſine nomine profertur: quia ibi alterius vitæ imago delineabatur. Apud ſeculũ vero diuitũ nomina celebrantur, 89.

Euripid.

 iuſtorum

Digitized by Google

iuſtorum obliuionis tenebris ſepeliuntur. In Iabeſenos armatur copioſa manus, & dum iuſto abeſſe prælio detrectant, ſibi calamitatem maturant. *Percutite habitatores Galaad, iubent proceres, in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Conſeruatis diuitiis deleuerunt progeniem, rati non contraire nominis conſeruationi ab oraculo Deuteronomij 25.
Abulenſ. præceptæ. Hoc dubium exagitat Abulenſis q. 31. *Quæretur vlterius, cùm inter Iſraelitas ſemper eſſet conatus ad hoc, ne nomen alicuius deficeret in familia ſua, quomodo poterat conſeruari nomen virorum occiſorum in Iabes?* Iam reſpondet: *Sciendum quod continuabatur progenies alicuius non per poſteritatem; ſed per poſſeſſionem: ſi enim aliquis haberet poſteritatem; & non haberet poſſeſſionem, auferebatur nomen eius de familia ſua, & ſi quis haberet poſſeſſionem, & non haberet poſteritatem, manebat nomen ſuum in familia ſua.* Itaque cum diuitiæ manerent in Iabeſenis virginibus occiſorum nomina conſeruabantur non tam iure cognationis, quàm facultatis. Diuitiæ conſeruabant nomina, & abolerentur, ſi diuitiarum deeſſent crementa.

90. Numerorum 27. filiæ Salphaad apud Moyſem conqueruntur nomen patris ſui penitus aboleti, quandoquidem nulla conſtabat
Numer. 27. v. 3. poſſeſſione ditari: *Cur tollitur nomen illius de familia ſua, quia non habuit filium? Date nobis poſſeſſionem inter cognatos patris noſtri.* Iam oritur difficultas: ſi filiæ Salphaad poſſunt nubere, ac filios procreare, earum patris nomen non delebitur, quandoquidem in nobilibus poſteris aſſeruabitur: & è contra quid intererit ad æternandum nomen poſſeſſio, ſi filios à maritis non ſuſceperint, nec procreatint? Profecto filiæ Salphaad theſim noſtram confirmant, dum ſi caruerint poſſeſſione, quantumuis exundarint filiis, nomen teſtantur abolitum; ſi verò diteſcant, ſine filiis arbitrantur ſeruandum: quaſi nomen non ſic æternetur poſteris, ac efflorescat diuitiis. Adeſt
Caietan. Caietanus: *Petunt mulieres, vt detur eis pars terræ inter fratres patris ſui, hoc eſt, quod pater earum ſupputetur hæres inter fratres ſuos, & ipſæ ſuccedant loco patris ſui, & ſic non pereat nomen patris earum; ſed ſeruetur.* Ad nominis conſeruationem perennitatemque arbitratæ ſunt plurimum valere diuitias, ſine queis, etiam ſuſceptis liberis videri poſſet deletum, ac de hominum memoria abraſum.

91. Adeſt iterum huius veritatis teſtis Ruth: nam cùm filios à marito non ſuſcepiſſet cum ſocru reuerſa eſt: hanc duxit Booz eorum virtutibus oblectatus, & facilitate morum allectus: ergo primi ſponſi poſſeſſio ad cognatum Booz tranſlata defuncti nomen conſer-
Ruth. 4. v. 9. uauit: nam licèt Ruth nulla conſanguinitate coniuncta, poſſeſſio tamen & defuncto filium procreauit, & nomen nullatenus aboleri permiſit. Audi Booz: *Maioribus natu, & vniuerſo populo, teſtes vos, inquit, eſtis hodie, quod poſſederim omnia, quæ fuerunt Elimelech, & Chelion, & Mahalon tradente Noëmi.* Adiicit: *Et Ruth Moabitidem vxorem Mahalon in coniugium ſumpſerim, vt ſuſcitem nomen defuncti in hæreditate ſua, ne vocabulum eius de familia ſua, ac fratribus, & populo deleatur.* Expende illud *In hæreditate ſua.* Ac ſi dicat: Etſi per Ruth procreatos filios nulla prioris mariti remaneret poſteritas, adhuc reſplendebit nomen, quia manſerunt facultates. Notauit
Abulenſis data ſupra quæſt. *Mahalon filius Elimelech, & Noëmi non habebant fratrem, & manſit eius vxor Ruth, & cognatus eius Booz accepit poſſeſſionem illius, quia accepit Ruth vxorem eius ad ſuſcitandum nomen illius.* Subiicit: *Et ſic iſti verè non habebant aliquam poſteritatem; tamen manſerunt nomina eorum in familijs ſuis propter hæreditates, quas habebant.* In hæreditatibus veluti inſculpta nomina aſſeruabantur, cùm in poſteris hæreditate nudis non adeò, vt videtur, aſſeruarentur, vt hinc nouerimus quantum ad nomina facienda copioſæ valeant diuitiæ, & quàm ſine diuitiis nihili habeantur illuſtres poſteri. Abulenſ.

Filij Noë cùm delita ſibi nomen æternare ambitione pertentant, non ſtatuunt filios gignere; ſed turrim ſuperbiſſimam fabri- 92.
care: *Faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cœlum, & celebremus nomen noſtrum, antequam diuidamur in vniuerſas terras.* Geneſ. 11. v. 4. Si ciuitatem conſtruxerint, ſi inſanam turris molem ædificarint, non dubitant nomen celebrandum, & de poſſeſſionis magnitudine nullis temporum iniuriis delendum: & quidem error hic quid apud ſæculum valeat, edocuit, & dum ambitione inflammati ædificant, quomodo nomen apud ſæculum illuſtre habeatur, declarant. O quot de inſana ædificiorum mole, de turrium pluralitate nomen ſibi facere ſtudent: quia norunt nomina apud ſæculum melius in diuitiarum officina procudi, quàm in præclara originis vena ſeruari: *Faciamus nobis ci-
uitatem, & turrim*, inquit D. Thomas ad D.Thom.
hunc locum; *id eſt, turres ſingulari pro plurali: vel turrim vocant capitulum ciuitatis factum ad modum turris. Triplici autem ex cauſa videntur ad hoc opus moti; primò ſcilicet ex cupiditate regnandi, & tyrannicam potentiam ſuper vniuerſam terram exercendi in vrbe illa, quam ſcilicet & inexpugnabiliter, & inſuperabiliter fundare intendebant.* Adnectit. *Secundò ex ambitione nominis & famæ ex hoc apud omnes obtinendæ: vnde & hic dicitur: Celebremus nomen noſtrum.* Expende, amabo te, ab exordio cum rapinis tyrannidéque coniunctum eſſe ſuperba ædificia extruere, & turres altiſſimas fabricare. Raptores à Diuo Thoma iam habentur, dum ſuperbas domos, & ampliſſima palatia extruere conantur: inſanæ namque ædificiorum moles, præcipuè à Noë filiis paulò ante in anguſto Arcæ loco habitantibus conſtructæ animum prodebant, & quorum fabricarent ſumptibus, declarabant. Itaque ciuitatem, turrimque ædificant, vt eorum nomen omnem obliuionis fruſtretur iniuriam, vt apud ſequentes ſemper obtinuerunt famam: *Ex ambitione nominis & famæ.* Menſura nominis cumulus diuitiarum, quaſi cum ipſa ſubſtantia aut anguſtetur, aut producatur.

Dauid, vt quam ab exordio ad nomina 93.
ſibi facienda homines diuitias cumulare ſtuduerint, declaret, aiebat: *Tabernacula eorum* Pſal. 48. v. 12.
in progenie, & progeniem: vocauerunt nomina ſua in terris ſuis. Ac ſi dicat: Amplificarunt

palatia

Digitized by Google

palatia, vt procuderent ſibi nomina: homines namque dum inſanis ſubſtructionibus, dum copiis diuitiarum, ſibi admirationem conciliant, & nomen etiam dilatant. Ita Incognitus ad hunc locum: *Homines faciunt* Incognit.
quandoque magna & fortia ædificia, quæ longo tempore poſſint durare, & in multis generationibus ad iſtum finem, vt in illis remaneat ipſorum nomen & fama. A virtute & à morum concinnitate nomina debuiſſent peti: quia tamen apud homines ille ſolum magnum ſortitur nomen, qui diuitiarum exundat copia, qui ſuperba inhabitat ædificia: ambitio, vt ſibi nomen apud ſæculum procuderet, ædificia amplificauit. Profectò nobilis, ſi attrita veſte ſordeſcat, contemnitur: cùm ignobilis, ſi veſtis nitore fulgeat, copioſo ſatellitio reſplendeat, magni apud ſæculum habeatur, & ab omnibus inſtar idoli adoretur. Ergo licèt Iabeſeni filias tantùm reliquerint, nomen conſeruatum eſt: quia ipſis in poſſeſſionibus veluti inſculptum remanſit, & magnis diuitiarum litteris exaratum aduerſus temporum adſultus conſtitit.

---

§. XXII.

Non punientur ſceleſti, ſi miniſtri tribunalium cupiditate corrupti.

94. Cupiditas vetuſtum malum, iuſtitiæ, & æquitatis venenum mores peruertit, leges confundit, iura violat, nequitiam conſeruat, vtque hauſto veneno obtenebrantur oculi, rigeſcunt manus, & contractis neruis ad greſſum pedes torpeſcunt impediti, & morbi compedibus illigati: ita auro recepto, quod iuſtitiæ venenum eſt, apparitorum caligat viſus, obrigeſcit dextera, præpeditur greſſus; dum aurum à cupidis habetur idolum, illis contingit, quod Pſaltes prædixit: oculus namque non videt, manus non prænſat, per greſſum impeditus non explicat, lingua non clamat. Si apud circitores, aut iudices verſetur pecunia, delictum meritum audiet, & exibit è tribunalibus laude dignus, qui magnorum citabatur ſcelerum reus. Adeſt Seneca epiſt. 97. *Clodius* Seneca.
eiſdem vitijs gratioſus, quibus nocens. Cauſam præmiſerat. *Atqui dati iudicibus nummi ſunt.* Impenſum iudicibus aurum ſic inaurauit delicta, vt per ipſos iudices laudarentur vt merita. Profectò tunc ſolùm legibus ſatisfiet, cùm iudices & miniſtri à cupiditate intacti, & ab omni ſubornatione inueniuntur alieni. Deliquerant Iabeſeni: cúmque à primoribus, etſi merita, dura in eos fulminata fuerit ſententia, à miniſtris fuit adamuſſim executioni mandata: *Ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Quærit Abulenſis quæſt. 27. cur nulli pepercerint, ſed mandatis exactiſſimè obtemperarint. Reſpondetque nulla prædâ miniſtros fuiſſe corruptos, nulla cupiditate obſcuratos, & ob id ſententiam executioni mandaſſe, & iubentibus principibus paruiſſe: *In Iabes ſoli viri cuiuſcumque* Abulenſ.
ætatis, & fœminæ cognitæ viris perierunt: ciuitas autem non fuit diruta, nec ſuccenſa, nec præda aliqua inde capta eſt. Si prædæ miniſtri inhiaſſent, auro corrupti plurimis pepercisſent; aſt dum nihil accipiunt, legibus, & principum iuſſionibus ſatisfaciunt. Cupiditas peſſima legum interpres, & ſolertiſſima reorum patrona miris modis eorum colorat delicta, & defendit ſcelera: vbi cupiditas, ibi iuſtitiæ ruina, & iniquitatis victoria.

Delegatus à Deo pro delerendis Amalecitis Saül in præceptis habuit nil concupiſcere: 95.
nam ni cupiditas reſecetur, principis iuſſio fruſtrabitur: *Hæc dicit Dominus exercituum:* 1 Reg.15.
Recenſui quæcumque fecit Amalec Iſraeli, quomodò reſtitit ei in via, cùm aſcenderet de v.1.
Ægypto: nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid. Concupiſcentiam vetuit, vt qui nouerat eius conſiliis principum fruſtrari mandata, diſpareteque contecta auri præſtigiis delicta. Iam violatum præceptum audi: *Pepercit Saul, & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum.* Eadem erat cauſa Agag & vulgi: vulgus in ore gladij culpam perſoluit: *Omne vulgus interfecit in ore gladij.* Nobilis verò vt qui diuitiis exundaret, euaſit ſententiam, & executor diſſimilem eius arbitratus eſt cauſam. *Quæ eſt hæc vox gregum, quæ reſonat in auribus meis, & armentorum, quam ego audio?* rogat Propheta. Ad quem Saül: *De Amalec adduxerunt ea: pepercit enim populus melioribus ouibus, & armentis, vt immolarentur Domino Deo tuo: reliqua verò occidimus.* Expende ſtyli varietatem: non ait: pepercimus melioribus ouibus; reliqua verò vulgus occidit; ſed è contra: reliqua occidimus, melioribus pepercit populus: occiſio namque opus erat virtutis, venia conſilium cupiditatis: ergo omnis ſe ſceleris iactat expertem, & virtutis teſtatur participem. Adducta armenta vocem habebant, qua perſuaderent miniſtris non adeò exactè adimplendam ſententiam; imò affectandam miſericordiam: eadem erat vox inualidi gregis, & obeſi pinguioriſque; ſed non erant eædem aures: obſurdeſcebant miniſtri ad miſeros macrorum gemitus, gratas præbebant aures ad prædiuitum balatus: præda eneruauit manus, adulterauit ſententiam, iniquis conceſſit vitam. Et vide aliam hic de ſæculi vſu ſtropham: vt præcipienti offerant, prædam adducunt, rati, ſi quid offerant, demulcendum, & eorum delictum diſſimulandum. non ignorabant contra ius faſque eſſe damnatis parcere, legéſque infringere; præſumebant tamen, ſi aliqua è plurimis, quæ rapuerant, obtulerint, oblatis muneribus gratiam ſibi conciliaturos quia ex propriis moribus dimetiebantur alienos. Samuël Propheta, dum peccatum hoc carpit, idololatriæ ſimile protulit: *Quaſi peccatum ariolandi eſt repugnare, & quaſi ſcelus idololatriæ nolle acquieſcere.* Super quæ Gre- Gregor.
gorius hic: *Scelus idololatriæ eſt nolle acquieſcere: quia quiſquis in propria deliberatione obſtinatus eſt, idcirco foris in maiorum contemptum erigitur, quia intus eis, quæ fingendo ſtatuit,*

propoſiti ſui ſimulacris incuruatur. Cùm reſtè Dauid gentium ſimulacra ſint argentum, & aurum, qui auro inhiat, ſimulacrum ſibi fingit, & vt fictæ diuinitati præſtet obſequium, maiorum non adimplet mandatum: noluit Saül acquieſcere, quia diteſcendi rapinis propoſitum habuit, & dum animo idolum fingit, indigno incuruatur obſequio, & iuſto Principis refragatur mandato.

96. Qualem vim dona habeant, vt Iudices ac miniſtros emolliant, dignis Elias expreſſit factis: legem tulerat, & nubibus
3.Reg.17. v.1. clauſtra iniecerat: *Viuit Dominus Deus Iſraël, in cuius conſpectu ſto, ſi erit annis his ros & pluuia, niſi iuxta oris mei verba.* Sui oblitus æquitati attendit, nec priuſquam attenderet, ſibi prouidit; verùm qui legem proferre iuſſerat, & per coruos abundantem cibum ſuppeditauit, ne ſi indigens demutaret propoſitum, aut adulteraret edictum: *Recede hinc, & vade contra orientem, & abſcondere in torrente Carith, qui eſt contra Iordanem, & ibi de torrente bibes, coruiſque præcepi, vt paſcant te ibi.* Ne exiſtimes redundare illud *ibi*; imò arcanè exiſtima repeti: ibi eum Dominus alit; ſi alibi verò Propheta degerit, nec corui inuolabunt, vt paſtum afferant, nec fluent vndæ, vt potum exhibeant; aſt ſi quam Dominus præcipit, viam ingrediatur, competenti alimento nutrietur, nil ei deficiet, dum obediat. Nec ſuperuacaneum exiſtimes illud: *Ibi de torrente bibes:* perfecti namque ſe adeò obedientiæ tradiderunt, vt illis nec cibus nec potus ſapiat, niſi obedientiâ condiantur, & ſaporentur. Hîc deliteſcebat Elias ab hominibus exul; ſed veluti in cœlorum colonia degens, cùm Deus ſuorum vices miſeratus, vt diù iam afflictos ſententiâ abſolueret, ad viduam Sareptanam miſit, & ab ea accipere alimentum præcepit: *Vade in Sarepta Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ, vt paſcat te.* Ex templò obediuit Prophetes, cúmque iam vidua & panem confortatura, & exhibitura aquam celeri greſſu contenderet, Elias pluuiam promittit, & rigorem tantiſper emollit: *Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque ad diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ:* iam farinam auget, iam lecythum olei in fontem vertit, iam pluuiam promittit. Ecqua huius ratio? Quia dum accipit, legis auſteritatem
Baſil. emollit. Adeſt Baſilius Seleucienſis oratione 11. *Tunc pluuiam promittit, nubes votis accommodat, & hydriam vertit in alimenti fontem, quantumque dies poſcebat, tantum hydria ſuppeditabat.* Edictum iam ſoluitur, vbi iudex indiget, & vbi, vt indigentiæ ſubueniat, accipit. Certè cùm omnia in figura illis contigerint, dum Elias latam legem honeſtè iam donis acceptis retractat, quam vim munera in leges habeant, demonſtrat. Olim iuſtitiæ ſimulacrum repræſentabatur manibus mutilum, vt æquius decerneret ſine manibus, & quia nequibat ad accipiendum extendere, æquam poterat ſententiam in crimina fulminare; vel Elias rigidus & totus igneus nubes votis accommodat, pluuiámque promittit, dum quid, etſi honeſtè, accipit. Vt in homines latam à Propheta ſententiam ſoluerit, ad viduam Sareptanam Deus illum miſit, hominum ſimul calamitati ſubueniens, & quantam efficaciam ſortiantur munera docens; *Tunc pluuiam promittit: nubes votis accommodat.* Iam votis dilargientis nubes accommodatur, iam interdicta anteà pluuia promittitur, & quàm citò ſententia ſoluitur.

§. XXIII.

Nonnulli volunt ſibi opem in neceſſitatibus ferri, detrectant tamen præſtare.

GRauiter ferunt nonnulli, ſi dum vrgentur, & aliquo negotio premuntur 97.
opportunum illis non præſtetur auxilium, cùm ipſi omne detrectarint obſequium: queruntur deſeri, cùm refugerint auxiliari: & quidem gratia gratiam parit, & quo quis modo ſe erga alios gerit, tales erga ſe inuenit alios. Amicitias, quas temporarias vocant, condemnauit Stoicus epiſt. 9. quia eiuſmodi amicus ideò amico ſuccurrit, vt ipſi in neceſſitatem deuenienti, aut in vincula coniecto vices rependat, & ſuccurrat: *Epicurus dicebat in hac ipſa epiſtola* (amici- Seneca.
tiam exercendam) *vt habeat, qui ſibi ægroto aſſideat, ſuccurrat in vincula coniecto, vel inopi.* Deteriori iam homines procedunt ſtylo, nec temporalem amicitiam exercent: queruntur, ſi circumuentum hoſtili cuſtodia non eripuerit amicus, ſi copioſum egenti non exhibuerit aurum, ſi lateri non adhæſerit, dum ingruit bellum, cùm reuera nec amico velint opem præſtare, nec eius cauſam tueri. Habitatores Iabes Galaad, cùm durâ obſidione à Naas rege Ammonitarum premerentur, inducias per ſeptem dies petierunt, quibus per nuntios à ſuis ſuppetias anxiis precibus efflagitarunt. *Di-* 1.Reg.11. v.3.
xerunt ad eum ſeniores Iabes: Concede nobis ſeptem dies, vt mittamus nuntios ad vniuerſos terminos Iſraël: &, ſi non fuerit, qui defendat nos, egrediemur ad te. Delatis nuntiis præſtitum eſt eis opportunum auxilium: Saül namque in omnes Iſraëlitarum terminos per nuntios tulit mandata, & populus fraterno amore impulſus ſuæ quieti pepercit, & in campum prodiit: *Miſit in omnes terminos Iſraël per manum nuntiorum dicens: Quicumque exierit, & ſecutus fuerit Saül, & Samuel, ſic fiet bobus eius. Inuaſit ergo timor Domini populum, & egreſſi ſunt quaſi vir vnus.* Vides Iabes Galaad habitatoribus auxilium in neceſſitate poſitis præſtitum, & populum, vt obſidione cinctis ſubueniret, alacriter prodiiſſe in campum; vide modò, quid Iabeſeni fecerint, cum populus eorum indigeret auxilio: decretum eſt à populi Primoribus bellum Benjaminitis inferre, vt grauiſſimam, qua ſe polluerant, culpam iuſto ſupplicio vindicarent: ergo habitatores Iabes ſuppetias ferre detrectarunt; & ſuis domibus remanſerunt: *Ecce inuenti ſunt habitatores Iabes Galaad in illo*

Digitized by Google

illo exercitu non fuiſſe: Opem ſibi ferri diſcupiunt, cùm nolint opem in neceſſitatibus ferre, digni profectò, qui ab hominum expungerentur conſortio, cùm ſuis adeò commodis indulgerent, vt aliis non ſubuenerint leue vitantes incommodum, & præſtari ſibi ab aliis voluerint auxilium: *Miſerunt itaque decem millia viros robuſtiſſimos, & præceperunt eis: Ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij tam vxores, quàm paruulos eorum.* Cum Sacer textus factis pro coloribus vſus nos inſtruat, non eſt nimis ſcrupuloſè circumſtantia temporis attendenda: ergo habitatores Iabes præſtandæ ſibi opis refert ſtudioſos, & in ope præſtanda ſatis remiſſos: vt nouerimus plures opportunum non præbere aliis auxilium, & ferri ſibi ab omnibus deſiderare ſuffragium. *Contra iſtam ciuitatem*, inquit Abulenſis hic q. 20. *Pugnauit Naas rex Ammonitarum multo tempore poſt hoc, volens eam accipere in principio regni Saülis, & volebat eruere oculos dextros habitatorum vrbis, & petitis inducijs miſerunt ad Saulem, qui congregato exercitu pugnauit contra Ammonitas, & diſperſit eos.* Pro habitatoribus Galaad pugnauit populus, pro populo pugnare noluit Iabenus.

Abulenſ.

98. Sponſa in manus circitorum incidit, à quibus & theriſtro deſpoliata, & plagis percuſſa: *Percuſſerunt me, & vulnerauerunt me, tulerunt pallium meum mihi cuſtodes murorum. Adiuro vos filiæ Ieruſalem, ſi inueneritis dilectum meum, vt nuntietis ei, quia amore langueo.* Vult denuntiari dilecto, vt pernicibus aſſumptis alis in ſauciæ inuolarit auxilium, vt attulerit præſentaneum ſolatium, & ad tegendam nuditatem præſtiterit indumentum, cùm ipſa aliter ſe cum dilecto geſſerit: aduentarat ille noctis frigore gelidus, excurſa montium confragoſitate vexatus, pluuiis nocturnis circumfuſus; cúmque aperiri ſibi obnixè deprecaretur: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea, immaculata mea, quia caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium*: Illa fratri opem ferre diſtulit, & excuſationes friuolas allegauit: *Expoliaui me tunicâ meâ, quomodò induar illa? Laui pedes meos, quomodo inquinabo illos?* Vel veſtem ſibi adaptare renuit, vt aperiat fratri pluuiis madido, & tecto ad vitandas iniurias temporum indigenti: & iam apud alias fœminas queritur, quod eius frater non præbeat ornatum, nec præſtiterit contra circitores auxilium. Illud, *vt nuntietis ei*, etſi tectam, ſonat querelam: quaſi teneatur frater ſorori adeſſe, in neceſſitate ſuccurrere, & anxietudinem omnem ſolatiis depellere; fratri verò ſoror nec tenetur aperire, nec attritum laboribus conſolari. Proh inurbanum hominum ingenium! nec tantillum ſuis commodis parcunt; cupiunt tamen cæteros in ſui obſequium laborare, & incommoda ſubire: *Friuolas, & puerilles moras nectit*, inquit noſter Delrius in littera: *veſtes, ait, interiores depoſui, ſtragulis intepui.* Friuolis ac puerilibus cauſis adductis ad exiguum tempus detrectat lecto carere; vult tamen fratrem ad eius opem perniciter inuolare.

Cantic. 5. v. 7.

Delrius.

99. Mihi crede, opus eſt auxilium ferre, vt opportuno tempore demeſſueris auxilium: auxiliatricem inuenies dextram, ſi dextram auxiliaturus extenderis. In Chriſtum Dominum ſceleſta æmulorum cohors obarmatur, iamque manum, vt tenuerit, extendit: *Tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in Ieſum, & tenuerunt eum.* Petrus pro magiſtro efferueſcens gladium exerit, & dextera in aduerſarios armata irruit: *Et ecce vnus ex his, qui erant cum Ieſu, extendens manum exemit gladium ſuum, & percutiens ſeruum principis Sacerdotum amputauit auriculam eius.* Cùm non ſolus Petrus ferro referatur armatus: duo namque gladij magiſtro fuerant oſtenſi: *Ecce duo gladij hîc*; quærunt interpretes, cur præ aliis Petrus in tutelam magiſtri exemerit gladium, & deſpexerit periculum: reſpondentque Petrum auxiliarem extendiſſe dexteram, vt qui ſibi Domini dexteram inuenerat auxiliarem. Tendebat Petrus per marinos vortices non naufragus; ſed viator; verùm cùm actibus ventorum flatibus pulſaretur impetitus, eſſetque naufragio proximus, Chriſtus Dominus manum extendit, & opem naufrago tulit: *Cùm cœpiſſet mergi, clamauit dicens: Domine, ſaluum me fac. Et continuò Ieſus extendens manum apprehendit eum.* Expertus erat Petrus graui in neceſſitate poſitus fauorem magiſtri: ergo ſe præ reliquis teneri modò putauit ad præſtandum magiſtro auxilium, & quamuis Dominus eâ non indigeret ope, Petrus tamen obligationi reſpondit, & gratitudini, vt poterat, ſatisfecit: nec enim eſſet cæterorum capite, principeque dignum ab auxilio manum retrahere, & in neceſſitate manum expoſcere. *Petrus erat*, inquit Theophylactus ad Matth. 26. *qui gladium exemerat, vt Ioannes dicit: habebat autem gladium, quo agnum paſchalem mactarat: non arguimus autem Petrum: quoniam non pro ſe; ſed pro magiſtri zelo ardens hoc fecit.* Iuſto exarſit zelo, dum pro magiſtro manum extendit, qui ſe nouerat extenſa magiſtri manu à naufragio exemptum, incolumitatique reſtitutum. Beneficium beneficio compenſandum eſt: & quidem ſine cauſa queritur, qui amicitia carens quærit amicum. Mihi crede, ea eſt aliquorum inſolentia, vt cùm in neceſſitate poſiti conueniant amicum, ſi indigeat, non ſolùm non leuarint indigentiam; ſed addiderint iniuriam.

Matth. 26. v. 49.

Lucæ 22. v. 38.

Matth. 14. v. 30.

Theophyl.

Inopinè hoſpite aduentante ad amicum tetendit amicus, & panes ſibi dari, importunus popoſcit, & impetrauit: *Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, commoda mihi tres panes: quoniam amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam ante illum.* Amicum iſtum, à quo petitur, Chriſtum Dominum eſſe tradunt Patres. Ita Ambroſius ad hunc locum: *Qui amicior nobis, quàm qui pro nobis corpus ſuum tradidit.* Itaque amicus, qui indigenti homini panes commodat, Chriſtus eſt. Attende modò, qualiter homo indigenti Chriſto beneficium retulerit: pendebat inter duos latrones vulneribus confoſſus, ſanguine exhauſtus, cùm ardentiſſimam ſitim atente voce pati ſe manifeſtauit: *Sitio.* Quid tunc? 100.

Lucæ 11. v. 5.

Ambroſ.

Non

Digitized by Google

Non ſolùm homo, qua ſitis ſedaretur, frigidam non obtulit; ſed quo exacerbaretur, acetum miniſtrauit: *Illi autem ſpongiam plenam aceto hyſſopo circumponentes obtulerunt ori eius.* Quam importunè exigebat homo panes! quam non dubitabat interrumpere ſomnum, vt hoſpiti acciperet alimentum, cùm panis largitori ſumma in neceſſitate poſito non ſolùm aquam negauerit; ſed fel obtulerit. *Illi*, inquit Theophylactus hîc, *impietatem ac malitiam ſuorum morum declarantes aceto eum potant.* Impium erat non refrigerare ſitientem; ſed impietatis terminos ſupergreſſi panis beneficium compenſauerunt iniuriis, & homo, qui in neceſſitate poſitus clamabat, Chriſtum in neceſſitate poſitum deridebat.

Ioan. 19. v. 29.

Theophy.

§. XXIV.

Quauis Principum decreta à miniſtris exactiſſimè adimplentur, diuina ſatis frequenter violantur.

101. PRincipi debetur obſequium, vbi diuinum non aduerſatur edictum. Exprompta obedientia præcipientem reuetetur, & videtur contemnere, ſi cunctatur: obedientis nomen implet, qui celeriter parere contendit; ea tamen legè principi, ſuperiorique eſt impendendum officium, vt diuinum ſemper anteferatur mandatum. Sed proh dolor! cùm non ſemel, quod contra ius faſque humana iuſſit authoritas, cæca auiditate impleatur, Numinis edictum aut extrahitur, aut contemnitur. Primores Hebræorum mandata militibus dederunt, occidendi videlicet non ſolum Iabeſenos, qui communi cauſæ ſe ſubtraxerant; ſed eorum vxores, & paruulos innocentes: *Ite & percutite habitatores Iabes Galaad in ore gladij, tam vxores, quàm paruulos eorum, & hoc erit, quod obſeruare debebitis: omne generis maſculini & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite; virgines autem reſeruate.* Præceptum ad vnguem ſeruarum eſt, cùm tamen Domini aduerſaretur præceptum: nam Deuteronomij 24. ſic iubet oraculum: *Non occidentur patres pro filijs, nec filij pro patribus; ſed vnuſquiſque pro peccato ſuo morietur.* Diuinum præceptum innoxios filios occidi verbis apertiſſimis prohibebat: primorum indignatio infantibus non parcere militibus imperabat, & milites cùm Deo potiùs, quam hominibus præſtare tenerentur obſequium, diuina mandata calcarunt, & iniqua principum iuſſa impleuerunt. Notauit Abulenſis q. 23. *Deus iuſſit Deuteronomij 24. Non occidentur filij pro patribus, nec patres pro filiis, & tamen hîc paruuli fuerunt occiſi pro peccato patrum.* Diuini præcepti iniuria præſtabatur primoribus obedientia, & eligebant miniſtri, ne magnatum ſubirent iram, numinis incurrere ingratiam. Quod iuſſerat exoculata poteſtas, à miniſtris refertur exactiſſimè impletum, &, vt impleretur humanum, edictum traditum obliuioni diuinum. Nec paruulis innocentibus indultum eſt, diuinis legibus reclamantibus, ne principum violetur præceptum: quia miniſtri cœleſtem non curabant legem, humanam veriti poteſtatem.

Deuteron. 24. v. 16.

Abulenſ.

Saül vngitur, & Amalec euerſurus penitus delegatur: *Nunc ergo vade, & percute Amalec, & demolire vniuerſa eius: non parcas ei, & non concupiſcas ex rebus ipſius aliquid; ſed interfice à viro vſque ad mulierem, & paruulum, atque lactentem, bouem, & ouem, camelum, & aſinum:* Saül vnctionis beneficium inobedientiâ perſoluit, & maluit populus obſequi cupiditati, quàm legi: *Pepercit Saül & populus Agag, & optimis gregibus ouium, & armentorum, & veſtibus, & arietibus, & vniuerſis, quæ pulchra erant, nec voluerunt diſperdere ea.* Pulchritudo manus militum eneruabat, & gladiorum aciem retundebat: inſtabat cœleſte mandatum; ſed contra mandatum præualebat pulchritudinis patrocinium: miniſtri in Iabeſenos delegati ad vnguem Principum adimpleuere mandata, hîc milites à Deo miſſi audacter tranſgreſſi ſunt iuſſa: plus namque apud homines valet humano adulari Principi, quàm obtemperare Numinis legi. *Sermo Domini*, inquit Gregorius ad hunc locum, *quia ſalubria loquitur, cœleſtis, aut ſublimis eſt, qui in terram negligenter proiicitur, quando per deſidiam non impletur.* Per deſidiam abiicitur, proiicitur per ſuperbiam, & licèt grandi interuallo à Principum ſermone diſtiterit, ſi quid Princeps iuſſerit, ſine diſcuſſione exequetur; quod verò præcipit Deus, & diſcutitur, & violatur. 102.

1. Reg 15. v. 3.

Gregor.

Cùm Sichem Dinæ amore ſaucius, quo liberiùs concupitis frueretur amplexibus, ſubiectis auitam ignotâ ſibi religione commutare, & præputia acuto ferro præciperet circumcidi, non audies variis ſe aliquem rationibus excuſaſſe, aut placitum Principis diſtuliſſe; *Aſſenſique ſunt omnes circumciſis cunctis maribus.* Anteà videtur votum Principis adimpletum, quàm fuerit prolatum: non Sichimitas deterruit dolor, non auertit ab obedientia ab atauis tranſfuſa ad ipſos religio, nullus reſiluit; imò nec auſus eſt, quod iubebatur, differre, vel in craſtinum protelare: *Aſſenſi ſunt omnes.* Tranſi ad Exod. 4. vbi cùm Moyſes vxore, filiiſque comitantibus in Ægyptum tenderet, euaginato gladio, & iuſta inardeſcens irâ Deus illi occurrit: *Cùm eſſet in itinere in diuerſorio, occurrit ei Dominus, & volebat occidere eum.* Huius indignationis cauſam fuiſſe dilatam filij circumciſionem non obſcurè innuit textus, dum peracta per ſephoram ceſſauit periculum, & minitans eſt reconditum vaginâ ferrum: *Tulit illicò ſephora acutiſſimam petram, & circumcidit præputium filij ſui, tetigitque pedes eius, & ait: ſponſus ſanguinum tu mihi es.* Moyſes eximiis à Deo beneficiis honoratus, & communi naufragio exemptus adhuc poſt tot miraculorum experimenta diuina differt mandata: cùm Sichimitæ non ſolùm obedire; ſed principi contenderint adulari: non præſcripſit princeps 103.

Geneſ. 34. v. 24.

Exodi 4. v. 24.

tempus

Digitized by Google

tempus, & cum poſſent tot difficultatibus executionem tardare, certatim cucurrerunt ad cultros, & doloris contempſerunt audacter morſus. Certus erat Moyſes de felici itineris exitu, & tamen cunctatus eſt obedire: Sichimitæ factis ſpebus illecti inopinam ſibi maturabant ſtragem, & tamen ambitioſo ſtudio exercuerunt circumciſionem: adeò expromptè vel cum periculo vitæ, & quod amplius eſt, aliquando religionis principum adimplentur iuſſa, cùm numinis vitæ ſalubria, & animæ commoda contemptim abiiciantur, aut differantur mandata. Iam Moyſem diſtuliſſe filij circumciſionem tradit Theodoretus q. 4. *Vxor Moſis arbitrabatur ob id factum eſſe, quia puerorum alter non eſſet circumciſus ſecundum legem Hebræorum, vnde protinus eum circumcidit.* Vt Moyſes obtemperaret præcepto, euaginato gladio fuit opus, vt Sichimitæ omnes exprompto animo circumciſionem ſuſciperent, nullo fuit opus præcepto: quia omnes decertabant citiſſimè adimplere obedientiam, vt mererentur Principis gratiam. Quis diſtulit, ſi explere poſſit magnatum vota, quis expectauit præcepta? Deſideria, vt adulerur, indagat ambitio, & quidquid Principi præſumitur gratum, videtur impletum: circa diuina præcepta oſcitatur ignauia, & affectat, vt oſcitetur, inſcitiam, aut obliuionem inertia. (margin: Theodor.)

104. Ingenti miraculorum cenſu de ergaſtulo eductos ad terram deliciis fluentem Dominus ducebat Hebræos: peruenerunt ad mare, cúmque ex alia parte rapidis impedirentur fluctibus, & ex alia Ægyptiis adurgerentur mucronibus, duris Moyſem feriebant querelis, clamoribus cœlum pulſabant: *Cùm appropinquaſſet Pharao, leuantes filij Iſraël oculos viderunt Ægyptios poſt ſe, & timuerunt valdè, clamaueruntque ad Dominum, & dixerunt ad Moyſem: Forſitan non erant ſepulchra in Ægypto, ideò tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine?* Moyſes lætis trepidantes ſpebus erigit, triumphum promittit; nec mora, virgâ percuſſum ſcinditur mare, & iam puluerulentam miratur viam, qui duram extimeſcebat catenam: *Loquere filiis Iſraël, vt proficiſcantur.* Miraculo, & præcepto opus fuit, vt Hebræus medios ingrederetur per fluctus, cùm Ægyptius ſine præcepto, ſine miraculo; imò manifeſto periculo Pharaonis ſequatur placitum, & iter arripiat incognitum: *Perſequentes Ægyptij ingreſſi ſunt poſt eos, & omnis equitatus Pharaonis, currus eius, & equites per medium maris.* Opus non fuit adurgere perſequentes, & temeraria tentantes; imò etſi mediis fluctibus incluſos ignis cœleſtis adureret, etſi vndarum montes minitarentur naufragium, Pharaonem querelis non impetunt, nec animi dolorem confuſaneis clamoribus pronunt: *Iam aduenerat vigilia matutina, & ecce reſpiciens Dominus ſuper caſtra Ægyptiorum per columnam ignis & nubis interfecit exercitum eorum, & ſubuertit rotas curruum, ferebanturque in profundum. Dixerunt ergo Ægyptij: Fugiamus Iſraëlem: Dominus enim pugnat pro eis contra nos.* Et cur experti detrimenta, non repetant, quod Hebræi, dum ſuſpicabantur pericula? Si clamoribus aërem feriunt Hebræi, ſi Moyſem querelis duriſſimis impetunt: *Dixerunt ad Moyſem: ideò tuliſti nos, vt moreremur in ſolitudine*: cur Ægyptij in profundum ruentes, & rapidis fluctuum voluminibus imperiti Pharaoni non dicunt: Ideò tuliſti nos vt moreremur? Cur non clamant? O profundam nobis eruditionem! Principum ſerui ora ſilentio ſigillant, cùm non ſolùm corporis, ſed animæ ſubeunt detrimentum, cùm Dei ſerui queruli inclament, ſi vmbratile coniiciant periculum, & verùm ſint adepturi trophæum. Nil videtur durum mundo obſequentibus, vndæ conuertuntur in montes præceptis diuinis obtemperantibus: hi vel ad triumphum expauent, illi detrimentum deglutiunt. *Hæc*, inquit Origenes homil. 5. in Exod. *Fatiſcentis in tentatione, animi verba ſunt: beatus eſt, qui ſic tentationes excipit, vt nulla ei cogitatio ambiguitatis obrepat: Petro etiam dicitur Matth. 14. Modicæ fidei, quare dubitaſti? Tentationis & fragilitatis hæc verba ſunt; alioquin falſum eſt: melius eſt enim in eremo mori, quàm Ægyptiis ſeruire: qui enim in eremo moritur, hoc ipſo quod ſeparatus eſt ab Ægyptiis, id eſt, rectoribus tenebrarum, & è poteſtate Sathanæ, habuit aliquem profectum, etiamſi ad integrum non potuit peruenire.* Licèt fluctibus Hebræi obruerentur, feliciter appeterent mortem, Ægyptum tenebrarum regionem fugientes, & Domino obtemperantes: & nihilominus clamant confuſis vorticum voluminibus eos reuerentibus, & in murorum faciem tranſitum præſtolantibus. Adnectit Origenes: *Melius eſt in itinere mori, quàm inter Ægyptios necari, & ſalſis atque amaris fluctibus obrui.* Suam felicitatem Hebræi expanebant, & ingratis clamoribus abiurabant: Ægyptij non clamarunt fortunatum exitum arbitrati pro Principe marinis fluctibus obrui, & in infernorum profunda trahi. Timet Petrus non naufragus; ſed viator; tacet Ægyptius non viator; ſed naufragus.

(margin: Exod. 14. v. 10. — Origen.)

---

§. XXV.

Caſtitas puritaſque eſt longioris vitæ officina, & commoditatum vena.

Laborioſa eſt fragili in carne virginitas, difficilis inſtigante appetitu caſtitas; verùm ſi præmio melliuntur labores, ſi gloriâ dulceſcunt difficultates, nouerint, qui carnis edomuerunt pruritum, de pudicitiâ protelare ſibi vitam, & de caſtitate adaugere gloriam: *Dignus planè largitatibus noſtris*, aiebat Theodoricus 2. var. 1. *Qui in ipſo pueritiæ flore maturis moribus lubricam frœnauit ætatem, & quod rarum continentiæ bonum eſt, patre priuatus grauitatis factus eſt filius. Cupiditatem inimicam ſapientiæ ſubiugauit; vitiorum blanda contempſit, ſuperbia vana calcauit. Ita ſuperatis exceſſibus antè dare viſus eſt de moribus conſulatum.* Adnectit Theodoricus: *Nos autem, qui bonis redimimur inſtitutis, quos probitas inſpecta conciliat,* 105.

(margin: Caſſiod. — Glorioſum eſt in lubrica ætate cõſeruare pudicitiæ ſplẽdorem.)

Digitized by Google

conciliat , curules inſulas preſtitimus candidato, vt virtutum deſideria poſſimus prouocare per munera. Lubucam ætatem ſiænaſſe dignitatis faſtigium pepetit , & honoris ſplendorem etiam adauxit : non luceret curulibus inſulis candidatus , ni puritatis luce candicaret cxcultus ; at caſtitatis puritas , morumque probitas conciliauit illi principis gratiam , & aptum ad dignitatum reddidit inſulam. Non ſine arcano myſterio Iſraëliticus populus , qui Gabaënos ob laſciuiam mulctarat vitâ , Iabes Galaad virgines exemit mortis ſententia , vt dum vtriuſque extremi expenduntur euentus , notum ſit laſciuiam inhonoram mortem aſciſcere , caſtitatem vitam honorabilem protelare : *Mulieres , quæ cognouerunt viros, interficite , virgines autem reſeruate.* Cùm populi ſtudium eſſet Benjaminitis relictis vxores prouidere , quod , cognouerint vel non cognouerint fœminæ viros , inſtituto parum videbatur obſtare ; imò videbatur conducere illas reſeruare puellas , quæ vberi fructu fœcunditatis laudem iam aſſecutæ , & ab omni ſterilitatis ſuſpicione prorſus exemptæ. Ergo dum virgines ſolùm reſeruantur , cauſa puritatis geritur. Viuit puritas , & in futura tempora vitam producit , cùm ſalacitas in ipſo iuuentutis flore vitam aut anxiis doloribus vrgeat , aut celeri falce demetat : *Quia ſi occiderent omne viuens* , inquit Abulenſis quæſt. 22. *non haberent , vnde darent vxores Benjaminitis, voluerunt reſeruare virgines* Virginitas fuit ad vitam ius , pudor ſalutis titulus , voluptatis ignorantia commoditatum fuit vena : illæ fœminæ de quarum puritate nulli dubium , inuenerunt faciliter matrimonium. — Abulenſ.

106. Profectò teſte Tertulliano de veland. virgin. cap. 2. *tam ſancti viri eſt ſuffundi , ſi virginem viderit , quàm ſanctæ virginis , ſi à viro viſa ſit.* Virgo alienis oculis quodammodò conſtupratur , & iam ſibi tota non conſtat. Queruntur aliquæ veluti aduerſo ſibi fato ſponſos non ſortiantur , cùm inuitus earum cœlibatus non ſit aduerſis fatis adſcribendus ; ſed ipſarum moribus aſſignandus : *Querantur* , addit Septimius cap. 13. *ſcandalo ſibi eſſe petulantiam , impudentiam oſtentatiuæ virginitatis.* Oſtentata virginitas ſibi ipſi refragatur , & licèt puritati non noceat , opinionem quodammodò lædit. Vt nihil eſt in Scriptura , quod moribus erudiendis , & perpoliendis non ſeruiat , myſterio non caret deueniſſe ante ad nuptialem thalamum Liam : quàm Rachelem : Rachel occurrerat Iacobo iuxta puteum paſtores alloquenti : *Adhuc loquebatur , & ecce Rachel veniebat cum ouibus patris ſui : nam gregem ipſa paſcebat.* Paſtoribus nota , & à Iacobo refertur viſa , cùm de Lia adhuc mentio nulla : ergo , etſi Iacob Rachelis nuptias experiuerit , priùs Lia ſortita eſt non ſolùm fraudulento patris dolo , sed doctrinali myſterio : prius ſortita eſt ſponſum , quæ tardiùs paſſa eſt aſpectum : vt hinc diſceremus fœminas , quantumuis pudicas , & honoris ſtudioſas , ſi plurium patiantur oculos , tardiùs lentiúſque in matrimonium duci quàm minùs pulchras , ſi oculis incognitæ, & domus receſſibus abditæ Rachel pulchrior erat, & immaculatæ pudicitiæ dotibus exornata ; verùm dum foris vagatur , dum ſpectantium oculis extollitur, licèt citius , quàm Lia expetatur Rachele priùs ſponſum Lia ad noſtram eruditionem ſortitur : *Propter eiuſmodi igitur,* addit Septimius , *capita nundinatitia , trahantur virgines ſanctæ in Eccleſiam erubeſcentes, quod cognoſcantur in medio : pauentes quod detegantur accerſitæ quaſi ad ſtuprum. Non minus enim & hoc pati nolunt : omnis publicatio virginis bonæ ſtupri paſſio eſt*. Expende illud. *Publicatio virginis bonæ.* Non ait omnis publicatio virginis inuerecundæ ; ſed bonæ , & pudicæ : namdum obijcitur oculis , licèt immaculatam ſeruarit caſtitatem , integram non poſſidet apud vanitulos , & obmurmuratores opinionem. Ergo Lia domi contenta, oculis ignota priùs deuenit ad thalamum,& ipſa ignoratio pro dote fuit.Si aliquæ virgines plus domi latitaſſent , citiùs ſponſos inueniſſent ; verùm dum apertis capitibus omnium obijciuntur oculis malignitas arbitratur nundinatitia illa capita , & dum lucrantur inanem plauſum , pudicitiæ amittunt elogium. Iam ſi ob aliquam fœminam iurgia excitentur , ſi acciderint infortunia , quantumuis à reatu ipſa ſit immunis , diu manebit innupta , thalami honore priuata. — Tertull. — Geneſ. 29. v. 9.

Dina nullius inuerecundiæ rea per Sichem ciuitatem diuagabatur curioſa : ergo dum videt , videtur , & dum videtur violenter rapitur : *Quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuai Princeps terræ illius , adamauit eam , & rapuit,* Dinæ fratres in raptus vltionem Hemor & Sichem mortem intulerunt : *Hemor & Sichem pariter necauerunt , tollentes Dinam de domo Sichem ſororem ſuam :* ſine Dinæ culpa hæ mortes perpetratæ ſunt ; verùm licèt corruerit culpa , ſatis fuit , vt nunquam in ſponſam duceretur, tragœdia : non inuenies in toto textu alicui traditam : quia cùm ob ipſam iurgia , homicidiáque acciderint , ſatis fuerunt , vt omnium animos auerterint , & immaritatam reliquerint. Notauit Abulenſis hîc quæſt. 3. *Manſerat Dina in domo Sichem à die , quo eam accepit , & ſtuprauit Sichem , quia eam ad domum patris redire non permiſit : acceperunt ergo inde eam , & tulerunt portantes in domum patris.* Subijcit opportunè : *Quid autem de illa factum fuerit pòſt , in Sacra Scriptura , nec in aliqua authentica hiſtoria non reperi.* Iam de Dina mentio nulla , quia ob Dinam tragœdia , ſed quia Theſim tantiſper ad alias mortalitates deflectimus,eam preſſiùs confirmare nitamur. 107. — Geneſ. 34. v. 2. — Abulenſ.

Cùm Moyſes Domini præcepto Iſraëlis filios armaſſet in Madianitas , victoria facilè reportata eſt ; verùm cùm victores fœminis pepereiſſent , piâ irâ indignatus Moyſes immiſericordem miſericordiam carpſit, & præter virgines Madianitas cæteras interfici iuſſit : *Cunctos interficite : quidquid eſt generis maſculini etiam in paruulos , & mulieres* 108. — Numer. 31. v. 17.

Digitized by Google

mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate; puellas autem, & omnes fœminas virgines reſeruate vobis. Ecce ad fruſtrandum cultrum profuit caſtitas, & ad vitam protelandam virginitas: ſibi reſeruarunt, quas eſſe virgines cognouerunt: Dicit Rabbi Salomon, inquit
Lyra. Lyra, quòd faciebant mulieres tranſire ante arcam Domini, & tunc ex ſigno à Deo dato cognoſcebant, quæ erant virgines, & quæ non. Con-
Hugo. ſonat Hugo Cardinalis: Hæ ſunt virgines ſeruandæ, & nutriendæ, id eſt, in opus producendæ: de his dicitur hîc: Fœminas virgines reſeruate vobis. Sibi quiſque diſcupit fœminam in matrimonium coniungere ab omni impuritate alienam, & pudicitiæ honore conſpicuam. Ecce virgines fruuntur vitâ, cùm voluptatibus deditæ fœminæ voluptatis perſoluant pœnam. Caſtitas cultri vetuit audaciam, & vbi voluptas animum non corrupit, & vita longior, & honor amplior. Accepta fuit Domi-
Olcaſt. no ſemper virginitas, inquit hîc Olcaſter ad mores, neque ſolùm cordis; ſed etiam corporis munditia illi ſemper placuit, ob quam ſolam iſtæ reſeruatæ ſunt à morte. O ſi hinc diſcerent fœminæ pudicitiam eximiè colere vti ſalutis fomentum, & ad longiorem vitam ſuffragium. Certè caſtitas eſt calamitatis exilium, honorabilis ad ineundum matrimonium titulus, cum cœlo commercium, virtutum decor, fidei aſſeruandæ titulus, præcipua fœminarum dos, diues prærogatiua, excellens nobilitas, & apud omnes venerabilis excellentia.

---

§. XXVI.

Nihil adeò fœminæ acerbum, quod non ſoletur connubium.

109. FOeminis ingenitus, & ab ipſis cunabulis ad nuptias celebrandas in dies concarnatus creſcit affectus. Huc puellarum tendunt ſtudia, huc viduarum deſideria, & vt vno verbo dixerim, nubere totum fœminarum negotium eſt. Quæ ſtudere videbantur modeſtiæ, quæ celebrantur prudentiæ laude, ſi nubendi arrideat occaſio, ſui impotes transfigurantur in alias, & videas iam prudentiam manumitti, & nuptiarum celebritatem ſuſpirari. Vt Chriſtum redderent ethnici odioſum, nuptias vetare adſtruebant; & quidem ſi probaſſent, nil fœminis ingratius & du-
Tertull. rius. Non ideò præmiſerim de libertate vetuſtatis, & poſteritatis caſtigatione, inquit Tertullianus lib. 1. ad vxor. cap. 3. Vt perſtruam Chriſtum ſeparandis matrimoniis & delendis coniunctionibus aduenisse: quaſi iam hinc finem nubendi præſcriptum. Viderint qui inter cætera peruerſitatum ſuarum diſiungere docent carnem de duobus vnam. Chriſti æmuli inter cæteras falſitatem peruerſitates edocebant in matrimoniorum excidium deueniſſe, & ſeparationem deprædicaſſe; verùm qui fœminam de maſculo mutuatus duo corpora ex eiuſdem materiæ conſortio ſumpta ad honeſtam procreationem maritauit, quique vt nuptias honorauerit, aquam in vinum transfudit, ethnicorum apertè condemnauit delitia, & iniquitatis occluſit ora. Denique prohiberi nuptias, adnectit Tertullianus, nuſquam omnino legimus, vt bonum ſcilicet. Itaque nuptiarum adſcrebant veritatis æmuli euerſorum, vt omnium illi conciliarent inuidiam, & fœminarum præcipuè, quibus adeò bonum videtur nubere, vt quidquid acerbum ſoletur, & dum connubiorum arriſerit opportunitas, nulla eas videatur affligtare calamitas. Abſalom, vt fratrem occideret, doloſum conuiuium inſtruxit, fratres reliqui cordis mœſtitiam exertis clamoribus & lachrymis vberrimis prodiderunt: Intrantes leuauerunt vocem 2. Reg. 13.
ſuam, & fleuerunt. Amplioris hæreditatis vti- v. 36.
litas cordis anxietatem non mitigauit; ſed germana charitate fratrem inopinè doluerunt interemptum, & fraterno dolo ſublatum. Tranſi modò ad Iudicum 21. vbi cum conſtitiſſet populi primoribus habitatores Iabes Galaad communi totius Iſraël cauſæ non adfuiſſe, morti damnarunt, & virgines nuptui ſtatim tradendas reſeruari iuſſerunt: Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite; virgines autem reſeruate. Cùm dura adeò ſtrages parentes, fratres, & familiam totam abſtuliſſet, non audio à reſeruatis virginibus emiſſum ploratum, nec inuenio faciem deſœdaſſe ſingultum. Ergo inquiramus, cur filiæ, ſororeſque nec ob fratrum, parentumve inopinam duramque mortem, acrem cordis dolorem oſtenderint, cur nec amaris gemitibus, nec triſtibus conteſtatæ ſint anxietudinem eiulatibus: ſi fratres fratris necem copioſis lachrymis lugent, cur virgines tacent? Iam, ni fallor, dum textus reſeruatas, vt eum Benjaminitis nuberent, dixit, diſcriminis cauſam reddidit: Venerunt filij Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad. Expende illud: In illo tempore. Eo videlicet, quo parentum fratrumque effuſus ſanguis adhuc fumabat, quo vlior gladius domos ſtragibus adimplebat. Ergo cum eo tempore nuptiæ celebratæ ſint, omnem doloris acerbitatem, omnem ob tragœdiam mœſtitudinem ſic depulerunt, vt Iabes puellæ non referantur lugubrem emiſiſſe ploratum: quia ſtragis occaſione contigit adiiſſe connubium. Iſraëlitæ, inquit Ioſephus lib. 5. Ioſephus.
antiq. cap. 2. Dederunt eis in vxores quadringentas illas virgines Iabiticas. Vbi legitur connubium, inuenitur etiam ſolatium: nec diſſimilem hiſtoriam inuenies ad Numer. 31.

Deus in Madianitas expeditionem parari 110.
iubet ob inſidias populo inſtructas, & captioſas fœminarum illecebras: bello, quod cœleſti auxilio conficiebatur, facilè reportatus eſt triumphus: Cùm pugnaſſent con- Numer. 31.
tra Madianitas, atque viciſſent, omnes v. 7.
mares occiderunt, & reges eorum. Cæſis maribus cùm mulieres, paruuloſque reſeruaſſent, Moyſi, Eleazaro, ſynagogæque proceribus factum diſplicuit, & in omnes fœminas, paruuloſque deſæuire præcepit, puellis virginibus reſeruatis: Cunctos interficite (iubet Moyſes) quidquid eſt generis maſculini, etiam in paruulis, & mulieres, quæ nouerunt viros in coitu, iugulate; puellas autem, & omnes

Digitized by Google

fœminas virgines reſeruate vobis. Reſeruatas fœminas in triſti adeò ſpectaculo, vt de aliis expendebam, non video triſtes lachrymas emiſiſſe, aut tragœdias clamoribus excitaſſe: & quomodò ſiccis oculis fratrum, matrumque neces potuerunt adſpicere, quando vel ipſis hoſtibus dolorem creare potuit calamitas? Eadem iterum ſolutio. Dum ait Moyſes reſeruandas victoribus virgines, nuptiarum fortè ſpes pectoribus conceperunt: ergo nubendi ſpes doloris acerbitatem emolliebat; imò triſtitudinem omnem exterminabat: *Hebræi poterant accipere iſtas fœminas in vxores*, inquit Abulenſis q.7. *Secundum regulam datam Deuteronomij 21. capite.* Vbi nuptiarum ſpes, nec ſingultus ibi, nec ploratus. Iam quàm corde fœminis ſint nuptiæ, & quàm rebus cæteris anteponant, probat modeſtiæ exemplar Rebecca. Abulenſ.

111. Abraham ſolicitus de comparanda filio vxore, ſeruum miſit ad terram & cognationem ſuam: ille felici itinere peruenit, & ſigno cœleſti Rebeccam in vxorem deſignatam popoſcit. Ergo cùm inter puellæ parentes fratreſque conſilium agitaretur, rem à Domino profectam comprobarunt; ea tamen conditione, vt puellam decem apud ſe diebus retinerent, tradendam, mittendamque promiſerunt. *Maneat puella ſaltem decem dies apud nos, & poſteà proficiſcetur.* (Geneſ.24. v.55.) Inſtitit nuntius, nec ſe morandum rogauit. Ergo puella conſulitur, an velit ſtatim pergere, an morari, illa tempus nullum ſibi præſcripſit, vt ſecum conſuleret; ſed exprompté velle ſtatim proficiſci reſpondit: *Cùm vocata veniſſet, ſciſcitati ſunt: vis ire cum homine iſto? Quæ ait: vadam.* Multa veniunt expendenda: primum in Rebeccæ modeſtiæ laudem, ſcilicet vocatam veniſſe, nec vbi de nuptiis agebatur adeſſe: ſecundum eo ſtudio exambiſſe nuptias, vt paſſa non fuerit exiguas moras trahi, cùm nondum illi explicatum, an eleganti forma radiaret, an aliquo defectu ſponſus futurus ſorderet. Miraberis nil inquiſiſſe de ingenio, de corporis habitudine, & viam alacriter arripuiſſe, ac fratribus parentique vale dicto cum famulo properaſſe. Retulerat famulus Iſaacum in ſenectute conceptum: *Peperit Sara vxor domini mei filium domino meo in ſenectute ſua:* Et licèt inualida genitricis ætas ſuſpiciones poſſet generare, contempſit, & ad nuptias inuolauit. *Audis* inquit Oleaſter hîc ad mores, *quam verum ſit illud, Propter hanc dimittet homo patrem, & matrem: & facilè hac oblita parentum eſt, vt iret ad virum ſuum.* (Oleaſter.) Parentes oblita omnem moram accuſabat, & ad nuptias feſtinare geſtiebat. Adde fœminis non tam acerbum eſſe vitam exponere, quàm nuptiis non frui.

112. Iepte emiſſo voto filiam litare diſponit: illa mortis contemptrix cultro ceruicem porrigere non dubitauit; verùm tempus ad ſuam deflendam virginitatem petiuit: *Hoc ſolum mihi præſta, quod deprecor: dimitte me, vt duobus menſibus circumeam montes, & plangam virginitatem meam cum ſodalibus meis.* (Iudic.11. v.37.) Si nupta iugularetur, quod plangeret, non habuiſſet, at dum non maritata diſcedit, plangit acri dolore nuptias non celebraſſe, cùm non doleat immaturæ morti ſubiacuiſſe. Prodeſt Hugo Cardinalis: *Non curo quid de me fiat. Plangam virginitatem meam: quia maledicta erat ſterilis, quæ in lege non pariebat: quod tantùm intelligitur de ſterili dante operam operi nuptiarum.* (Hugo.) Ecce puellæ dolor nuptiis non dediſſe operam, cùm non indoleat mortis ſententiam.

Inuenio apud Matthæum gehennales pœnas nuptiarum excluſione ſignatas, & gloriam nuptiis celebratis depictam: *Dum irent emere, venit ſponſus, & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua.* (Matth.25. v.10.) Ecce vt cœleſtia gaudia, quibus paratæ fruuntur, textus expreſſerit, nuptiarum nomine deſignauit: *Intrauerunt cum eo ad nuptias*, vtque acerrimos inferni dolores exprimeret, excluſas imprudentes à nuptiis dixit: *Clauſa eſt ianua:* quaſi nihil ita fœminæ acerbum, nil ita iucundum, quàm nuptias celebrare, aut nuptiarum celebritate carere: *Nuptiæ*, inquit Hilarius apud D. Thomam in catena, *immortalis aſſumptio eſt, & inter corruptionem, atque incorruptionem ex noua ſocietate coniunctio.* (Hilarius.) Vt fœminæ, quæ gaudia virtutis ſtudioſas manerent, quæ expectarent ſupplicia, imprudentes faciliùs perciperent, nuptiarum celebritate, & excluſione Chriſtus Dominus delineauit; fœminis namque nil tam iucundum, quàm nubere, nil tam amarum, quàm à nuptiis exulare. 113.

§. XXVII.

Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentium audaciam, & procacium inſolentiam.

PRo medicamine hominibus ſupplicium eſt, & aliena pœna eſt quodammodò pædagogus timorem incutiens, & à conſimili actione auertens: *Confundi ſine dubio deſiderauerunt omnia*, inquit Caſſiodor. 30. var. 32. *Qui tentauerunt legibus inimica; ſed melius eſt, vt paucorum damno malorum corrigatur intentio.* (Caſſiod.) Admonebat ſceleratos dignis affligi ſuppliciis, vt ipſa ſupplicia eſſent cæteris pro remedio: procaciæ frœnatur auſus, ſi procax fuerit duro ſupplicio punitus, & dum horrorem incutit pœna, nequit fallacibus blandimentis ſeducere culpa. Impunita ſcelera delinquendi ſunt priuilegia: quia improbos fouet pectore auſus, qui in alio inultos nouit exceſſus: at ſi ſceleris dura ſpectentur ſupplicia, ipſo viſu exhorreſcit audacia, nec ſcelus audet perpetrare, quia didicit iam ſupplicium timere. Ecce Gabaëni, dum Leuitæ vxorem rapiunt, & nimio libidinis exceſſu delinquunt, in ſe dignam populi indignationem concitant, & inflammant: indulſerunt tantiſper voluptati; ſed ferè omnes iacuerunt vltore gladio percuſſi. Vix remanſerunt ſexcenti, qui vt vitæ conſulerent, confugerant ad deſertorum latebras, & ad latebrarum anguſtias. *Remanſerunt itaque de omni numero Beniamin, qui euadere, & fugere in ſolitudinem potuerunt, ſexcenti viri.* (Iudic 20. v.47.) Illato iam ſupplicio, & 114.

Tribu

Digitized by Google

Tribu ferè deleta populi proceres, vt qui pietatem cum ſeueritate coniungerent, de reparáda Tribu agitarunt conſilia: ergo copioſam pugnatorum manum in Iabes Galaad delegant feriò iubentes, vt cæteris occiſis virgines conſeruarent. *Hoc erit quod obſeruare debetis: Omne generis maſculini, & mulieres, quæ cognouerunt viros, interficite, virgines autem reſeruate.* Difficile militibus præceptum: nam qui militauere militiæ, aduerſari ſolitant temperantiæ: *Neſcio quo pacto,* aiebat Caſſiodorus 1. var. 11. *Aſſiduè dimicantibus difficile eſt morum cuſtodire menſuram.* Ergo dum Iſraëlitæ virgines militibus adducendas committunt, non tam videntur virginum gerere ſtudium, quàm excogitaſſe periculum. Si decem millia robuſtiſſimos viros mittunt: *Miſerunt decem millia viros robuſtiſſimos*, vxoratis violentiam inferent, conſtuprabunt virgines modeſtiæ tranſgreſſi menſuram, & mandatorum deſpicientes obſeruantiam: non eſſet aliis in circumſtantiis imprudés hic timor; modò verò milites etiam morum cuſtodient menſuram, nec vllis fœminis inferre audebunt violentiam: *Inuentæque ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo.* Vide qui, & quo adducant: à militibus ſeruatur virginitas, in militari campo efflorect caſtitas; nec mirum: nam grauiſſima illata ob ſtuprum pœna auertebat à conſimili culpa, & qui viderant ob perpetratum facinus Benjaminitarum mulctam, militarem reſtrænauere ferociam. Adeſt Arias Montanus ex Græco exemplari hæc verba promens: *Iuſſione, & iuſſionis faciendæ ratione accepta, qui miſſi fuerant, rei finem & cauſam cognoſcentes id tantùm quod iuſſi fuerant, confecere.* Addit: *Principio quidem puellas in caſtra deductas honeſtè exceptas ac depoſitas intelligimus.* Itaque dum rei finem agnouerunt, dum Benjaminitarum ſtragem non ignorarunt, alieno ſupplicio cohibiti nullam virginibus inferre iniuriam ſunt auſi: poſt illatum audaciæ ſupplicium mediis in caſtris puellæ virgines pulchritudine prædite, & florida ætate vernantes degebant ſecuræ; quia illis erat pro muro mulcta Benjaminitis illata, & tota illa Tribus ob illatam fœminæ iniuriam ferè deleta. Tantum proficit ad componendos mores delictorum ſupplicium, ſic deterret ſuppliciorum exemplum.

Caſſiod. Milites difficilè morum cuſtodiunt menſuram.

Montan.

115. Propheta Dei nomine delegatus, vt impium in regem iuſtas fulminaret minas, cum in præceptis haberet nil comedere aut bibere: *Non comedes panem, neque bibes aquam*; deluſus à Catabolicorum antiſtite mulctam incurrit, & leoninos vngues ſuſtinuit; verùm etſi leo intulerit pœnam, auſus non eſt aſinum deuorare, aut Prophetæ corpus attingere: *Erat cadauer eius proiectum in itinere: aſinus autem ſtabat iuxta illum, & leo ſtabat iuxta cadauer.* Leo ad vnguem mandatum executus, nec præceptum vllatenus tranſgreſſus illatam iuſtè delinquenti pœnam teſtabatur, quandoquidem cui conſtabat feritatem obedire obſequium renuit præſtare; verùm ſi aſinus aderat, cur leonina feritas illum non impetit, cur diſcerptum non deglutit? Quia non ſolùm voracitatem frœnabat præceptum; ſed præſens tranſgreſſionis ſupplicium: ſpectabat violati ieiunij pœnam: ergo viſus refrœnabat cupiditatis audaciam. Accipe Eucherium, & Angelomum apud Gloſſam: *Leo, qui viuentem præſumpſit occidere, auſus contingere non eſt occiſum: qui enim occidendi habuit poteſtatem, de occiſi cadauere comedendi licentiam non accepit.* Non acceperat leo comedendi licentiam: ergo abſtinuit præſente cadauere, vt nouerimus illata ob violatam legem ſupplicia vel ferina domare ingenia: vbi violati ieiunij pœna exoluitur, ibi leo ieiunare, nec acceptam licentiam tranſgredi legitur, vt nobis pro eruditione ſit caſus, diſcamúſque, quàm vtile ſit Reipublicæ in leges corrigere exceſſus ad edomandam ferociam, & frœnandam vel leoninam audaciam.

3. Reg. 13. v. 9.

Eucher.

Deliquit Caïn, & vt funeſto adularetur liuori, violentam necem intulit pientiſſimo fratri: humanum ſanguinem deguſtauit viarum mortis inuentor, & cùm non didicerit, inferre mortem edocuit: Dominus fraternitatis recordationem excitat, quo animi ſenſum permoueat, faciliúſque ad pœnitentiam alliciat; iuſti iugulationem non neglexit Deus; imò dum ſolicitè inquirit, quo in pretio virtutem habeat, oſtendit; verùm Caïn, qui nondum cæde ipſa conſopierat inuidiam, in nouam prorupit temeritatis audaciam, ipſum Deum facinus celare contendens; ſed dum pœnam fugit, adauget: ergo Dominus ſupplicium infligere, ſi fas eſt dicere, coactus, vt ſuæ ingenitæ blandiretur miſericordiæ, eam pœnam intulit, quæ facinus perpetratum puniret, & alios ipſa punitione à conſimili ſupplicio aſſeruaret: *Vagus & profugus eris ſuper terram.* Septuaginta habent; *Tremens, & gemens eris ſuper terram.* Et cur conſiſtere non permiſit; ſed inquieta vagatione damnauit? Nonne graui eum poſſet dolorem compede præpedire, & moleſtiarũ grauitate vexare? O æquiſſimam Domini iuſtitiam miſericordia intertextam! Si vagus obambulet, omnibus ſupplicium innoteſcet, ſi in aliqua parte deliteſcat, non erit omnibus pœna adeò manifeſta: ergo diuagetur profugus, quo eius tremor cæteris ſit pro medicamine, & dum aſpiciunt culpam graui ſupplicio punitam, committere culpam horreſcant. Ita Baſilius Seleucienſis orat. 4. *Tremens & gemens eris ſuper terram: monita non cepiſti mea, ærumnis conſtrictus eſto, tuaque trepidatio poſteris vertatur in legem. Tremens obambula animata lex videntibus occurrens, ſpirans columna ſuerat & pari pœna: lex, inquam, atramenti vice trepidationis notâ conſcripta, malum tacere neſcium intuentibus ſit hortamento.* Pro lingua erat inflicta pœna, & hortabatur efficaci ſermone videntes, vt à conſimili abſtinerent culpa, ne diuexarentur ſimili pœna. Alienum malum ob culpam latum tacere neſcit; imò efficaciſſimè ſuadet cauſam fugere, à qua amaros adeò fructus oculi conſpiciunt emergere.

116.

Geneſ. 4. v. 12.

Baſil.

117. Cùm plures carnium inſanis deſideriis deflagraſſent, deſiderio ſuo non ſunt fraudati, feliciores, ſi non fruerentur: quia cùm adhuc eſcæ in eorum ore eſſent, ita Dei illos conſumpſit, & geminata mulcta diſtorſit: concupitis, & iam ore acceptis frui non conceſſit carnibus, & duris afflixit verberibus: *Adhuc carnes erant in dentibus eorum,* nec

Numer. 11. v. 33. *nec defecerat huiuſmodi cibus, & ecce furor Domini concitatus in populum percuſſit eum plagâ magnâ nimis.* Dum in poſterum carnes ſiccare adlaborabant, longam ſibi promittentes vitam immaturam mortem accelerant, & ea ipſa, quæ ſalutis habebantur fomenta, tranſierunt in ſalutis excidia: ergo cæteri ſuppliciorum aſperitate deterriti nomen loco impoſuerunt, & ibi ſepultam iam concupiſcentiam affirmarunt: *Vocatus eſt ille locus Sepulchra concupiſcentiæ: ibi enim ſepelierunt populum, qui deſideraverat.* A mente obturbatis videtur nomen impoſitum, quandoquidem ibi ſepeliebatur concupiſcens, non concupiſcentia: nonne in ſuperſtitibus poterit concupiſcentia pullulare, & infeliciter iterum efflorere? Ergo concupiſcentiam non protulerint ſepultam, quando conſtat non fuiſſe concupiſcentiam demortuam. O vtilem nobis eruditionem! ſapienter locum Sepulchra concupiſcentiæ vocarunt: quia in occiſis iam erat concupiſcentia demortua, & alieni ſupplicij falce à ſuperſtitibus iam demeſſa. Quid concupiſcerent, quos ſic aliena ſtrages erudiebat, & quos afferret fructus cupido, cadaueribus pro litteris demonſtrabat. *Senſus eſt, quod aut populus, aut Moſeh,* inquit Oleaſter ad litteram, *vocauerit nomen loci Sepulchra concupiſcentiæ.* Adnectit: *Et cauſa ſubditur.* Vbi aliquorum concupiſcentia punita, omnium concupiſcentia iam refertur tumulata: quia quod non agnouerunt in culpa, iam agnoſcebant in pœna.

Oleaſter.

---

§. XXVIII.

Integrum tunc reſplendet virginitatis elogium, cùm cæleſte ſortitur etiam ſuffragium.

118. CORporis candor, virginitatis integritas veluti pharus eſt inter confuſas humanarum cupiditatum tenebras reſplendens, & inter terras cupiditatum caligines lucens. Meurſius in Mantiſſa cap. 2. ſic refert ex Aldhelmo lib. de virginit. *Laudanda virginitatis ſublimitas quaſi praecelſa pharus in edito rupis promontorio poſita ſplendeſcit.* Ptolomæus Ægypti rex ſtatuit, vt noctu in editiſſimo loco pharus reſplenderet accenſa, vt nauigantibus vada, quibus Alexandria fallacibus, & inſidioſis exundat, prænuntiaret, & errandi occaſiones depelleret. Itaque turres ibi eminentes, è quibus lux illa reſplendebat, phari ſunt dictæ, & his comparat virginitatem Aldhelmus. Itaque, vt nitidiùs reſplendeat, ab hominibus remota degit, & ſecuram ad cœlum viam eſſe voluptatibus renuntiare prædicit. S. Cyprianus lib. de diſcipl. & habitu virg. florem & quidem pulcherrimum virginitatem vocauit: *Flos eſt illi eccleſiaſtici germinis, decus atque ornamentum gratiæ ſpiritalis, læta indoles laudis & honoris, opus integrum, atque incorruptum, Dei imago reſpondens ad ſanctimoniam Domini, illuſtrior portio gregis Chriſti.* Flori comparauit, non ſolum vt eius pulchritudinem commendaret; ſed vt nullam etiam ſuperuacuam cautelam edoceret: nam vt flos habitu inficitur, & leuiſſimo etiam attactu dedecoratur, ita puritatis delicatiſſimus flos laudis obſcuratur faſcino, & audaci deturpatur oculo: nec ſolùm huic tenerrimo flori imminet ab extra periculum; ſed internum illi etiam aduerſatur deſiderium: non eſt integrè virgo, quam, etſi de corporis puritate poſſit gloriari, degeneribus conſtat affectionibus vri: ſatis non eſt humano dilaudari præconio, quæ cœleſti non approbatur ſuffragio. Milites contra Iabes Galaad miſſi in mandatis habuerunt puellas virgines reſeruare: *Virgines reſeruate*: præceptum à militibus, quod ad inſtar miraculi eſt, ad vnguem obſeruatum fuit, & virgines in Silo, vbi erat Arca Domini, ad caſtra adductæ ſunt: *Inuentæque ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo.* Illarum puritatem incolumitas deprædicabat, & teſtimonium integritati reddebat; nihilominus tamen, vt placet Hebræis, & refert Lyra hîc, ad Silo, vbi erat Arca, adducuntur, vt coram Arca cœleſte acciperent teſtimonium, & indubium illarum puritati patrocinaretur ſuffragium. Accipe Lyram: *Si quæratur, qualiter cognoſcebant eas ab alijs, poteſt dici, ſicut dictum fuit Numer. 31. de virginibus Madianitarum, ſcilicet quod faciebant mulieres tranſire ante Arcam Domini, & ex ſigno ibidem dato cognoſcebant, quæ eſſent virgines, & quæ non* Quæ de Iabes allatæ fuerant, apud homines virginitatis reſplendebant elogio; non tamen laude integra ſunt potitæ, quoadusque & cœleſti ſuffragio ſunt approbatæ: nec cœleſte ſignum credideris approbaſſe, quas voluptatis deſiderium iam conſtabat in animo corrupiſſe. Virgo omni mentis corporiſque debet prælucere candore, nec ſatis eſt ad perfectam laudem integritas corporis, ſi defuerit puritas mentis. Lyra.

Cùm virgines ſponſi aduentum expectarent, ſomnoque humana fragilitate indulgerent, validus reſonuit clamor: *Media nocte clamor factus eſt: ecce ſponſus venit, exite obuiam ei.* Omnes clamore excitæ ſurrexerunt, & licèt ex eis quinque foras decenti pabulo lucernas non haberent, adhuc poſt ſomnum virginitatis retinebant elogium: *Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ.* Verùm cùm ſitientibus lampadibus diſcuperent ſubuenire, & emendi olei occaſione ad venditores inuolaſſent, emptoque redirent, à Domino reiiciuntur, & ignorantur: *Amen dico vobis, neſcio vos.* Et cur neſciat virgines, quas nouerat corporis integritate conſtare? Iam textus retulit: quia dum oleum emere inuolant, fallaces hominum adulationes expectant: gaudebant ab hominibus adſpici, procurabant dilaudari: ergo iam non agnoſcuntur virgines: *Neſcio vos*: quia interiùs inueniebantur impuris affectibus conſtupratæ, etſi in corporibus adhuc integræ: *Vendunt adulatores oleum*, inquit Auguſtinus in catena D. Thomæ, *qui ſiue falſa, ſiue ignota laudando animas in errores mittunt, & eis vana gaudia tanquam fatuis conſiliando aliquam de his mercedem commodi temporalis accipiunt.* Itaque laudibus inueniebantur corruptæ, & oculis conſtupratæ. Ergo Dominus earum virginitatem ſe neſcire confeſſus eſt: *Neſcio vos,* 119. Matth. 25. v. 6. D. Auguſt.

Meurſius. Cyprian.

vt

vt edoceret virginitatem non ſolum conſtare de corpore; ſed de mente.

110. Adde nec hominum imaginem in virginis animo repræſentandam; imò nec oculis admittendam. Probat hanc doctrinā cœleſtis ſponſus, qui vt ſponſæ ſibi dilectæ puritatem dilaudaret, ſic aiebat: *Quàm pulchra es amica mea, quàm pulchra es: oculi tui columbarum abſque eo, quod intrinſecus latet.* Vt plena potiantur laude, non ſolùm exteriùs protulit nitidè candidam; ſed interiùs etiam candore nitidam: parum namque eſſet ab omni impuritatis macula liberum corpus habere, ſi internis deſideriorum ſpurcitiis contingeret maculari: ergo interiùs, exteriuſque pulcherrimam, nullaque macula nigreſcentem protulit, vt virginem cumulatiùs dilaudaret. Adeſt ſanctus Leander de inſtitut. Virgin. ad Florentinam ſororem: *Vera virgo eſt, quæ nec mente ſubripitur à diabolo, nec carne à viro. Hanc laudans in Canticis Canticor. cœleſtis ſponſus pracinit dicens: Quàm pulchra es amica mea, & quam decora abſque eo quod intrinſecus latet.* Pulchra non carnis ſolum ſpecie; ſed caſtitatis nitore: intrinſeca, quæ latent, virtutes animæ ſunt: dum ergo ab omni ſpurcitia libera, ab omni impura appetitione lucet expurgata, integra vernat virginitate, & illibato candore. Benè; ſed adhuc intimiùs ſponſi verba diſpiciamus, vt qua virgo vti debeat modeſtiâ, probemus. *Oculi*, inquit, *tui columbarum abſque eo quod intrinſecus latet.* Cùm intrinſecum in oculis latens pupilla ſit, videtur ſponſus hos ſponſæ oculos abſque pupilla eſſe aſſerere, & arcanè ob id ipſum commendare: *Abſque eo, quod intrinſecus latet.* Et quid interſit ad oculorum commendationem pupilla carere, quando potiùs decus erit cryſtallina pupilla exornari? O expende in oculis pupillam ſpeculi vices gerere, in eaque hominum imagines repræſentari, vt teſtatur Plinius lib. 11. natur. hiſtor. c. 37. cuius verba ſunt: *Adeò iis abſoluta vis eſt ſpeculi, vt tam parua illa pupilla totam imaginem reddat hominis.* Igitur cùm ſponſus ſponſæ eximiam proponeret puritatem laudare, & columbinis oculis, & pupilla carentibus ornatam aſſeruit, vtpote in quibus nec creaturarum imago admiſſa, nec effigies hominis fuerit recepta, quaſi vel hominem animo repræſentare pupillam, candoris infuſcare valeat excellentiam.

Cantic. 4. v. 1. — *Leander.* — *Plinius.*

111. Pſalmiſta, vt filiam regis exterius, interiuſque omni puritate nitentem virginibus in exemplum afferat, inquit: *Omnis gloria eius filiæ regis ab intus in fimbriis aureis circumamicta varietatibus: adducentur regi virgines poſt eam.* Quia plures virgines huius erant exemplis inſtruendæ, eius virtutes Pſaltes proponit: Exteriùs, inquit, omni puritatis ornamento emicat; ſed interiùs etiam puriſſimè candicat; omnis eius externa gloria nullâ degeneri actione deprauatur; ſed nec interna puritas vel leui affectione læditur. Ab intus reſplendet gloria: nam ſi interior deeſſet integritas, externa magni æſtimanda non eſſet puritas: ita datus Leander: *Pſalmus attollens laudibus virginem dicit: Omnis gloria eius filia regis ab intus: intus ergo eſt gloria virginis*, hoc eſt, in ſecreto, *vbi decoratur anima virtute gratia, floret caſtitate venuſta: ideò decora & benè ornata.* Fœdus næuus interna non coïnquinat; imò gloriā ad inſtar fruentium nec leuiſſima appetitione pulſatur; ſed Angelorum quodammodò conſors gaudet cœlitum priuilegiis, & vti in gloria degat, nec corporis defloratio, nec animi inuenitur corruptio. Itaque virgo Dei Angelorum ad inſtar corpus ab omni contagione immune tenetur gerere, & animum omni candoris puritate exornare. Iam ſatis non eſſe ad virginei pudoris integram laudem corpus incorruptum, ſi nuptias appetiuit animus, edocuit Rebecca ſe virginem negans, dum connubium experiuit. Accipienda ab Iſaac in vxorem aducentabat, cúmque ei in agro deambulanti occurreret, ſtatim theriſtro ſe cooperuit: *Tollens citò pallium operuit ſe.* Nuptarum iam habitum ſumpſit; dum iam ſe ſpiritu nuptam nouit: quia licèt adhuc corpore integra, nuptiis proximis iam dicata. *Non ſuſtinuit*, inquit Tertullianus cap. 2. de veland. virgin. *dextera colluctationem, nec oſculi congreſſionem, nec ſalutationis communicationem; ſed confeſſa, quod ſenſerat, id eſt, ſpiritu nuptam, negauit virginem velata ibidem. O mulierem iam de Chriſti diſciplina! oſtendit enim etiam nuptias de aſpectu & animo fieri, quemadmodum ſtuprum.* Non impudicis æſtuabat deſideriis, non ardentibus pulſabatur inſaniis: honeſtas, licitaſque nuptias expetebat; ſe tamen virginem, quia expetebat, denegabat. Ergo diſcant hinc, quæ de virginitatis pudore gloriantur, puritatem deſideriis non innubilare; ſed omni modeſtiæ ſplendore nitere.

Pſal. 44. v. 14. — *S. Leand.* — *Tertullian.*

§. XXIX.

Solùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari.

112. VIrtutis regio pacata eſt, Olympi adinſtar excedit nubes acribus inconcuſſa ventorum flatibus, & horriſonis procellarum turbinibus: quiſquis ad virtutis culmen non peruenit, tempeſtatibus ſubiacet, vagus angitur, & vndique retuſus conuoluitur. *Vides*, aiebat Seneca de vita beata cap. 5. *quàm malam, & noxiam ſeruitutem ſeruiturus ſit, quem voluptates, doloréſque incertiſſima dominia impotentiſſimáque alternis poſſidebunt. Ergo exeundum ad libertatem eſt: hanc non alia res tribuit, quam fortuna negligentia. Tum illud orietur ineſtimabile bonum, quies mentis in tuto collocata, & ſublimitas, expulſiſque terroribus ex cognitione veri gaudium grande, & immotum.* Immota manet mens veræ virtutis baſi ſtabilita: nam animus voluptatibus addictus, & à virtute remotus, circumfundatur, quāuis vndique deliciis, & ſe delicioſiſſimis obſepiat blandimētis, ſtare nequibit, quia non ſolido firmatur; ſed cōtinuis, ac variis cōcuſſionibus agitatus circumfertur. Iſraëlitas videbis in Dei domo ſedentes: *Venerunt*

Seneca. — *Aduerſæ fortis deſpectus eſt tranquillitatis parens.*

runt omnes ad domum Dei in Silo, & in conſpectu eius ſedentes vſque ad veſperam leuauerunt vocem. Honeſta anxietas refertur placida tranquillitate intertexta, coniunctaque. En dum plorant coram Domino, ſedent: quia quieſcebat animus, licèt gemitibus deturparetur aſpectus. Benjaminitæ eo ipſo tempore deſertorum abrupta tenebant; ſed licèt referatur ad petræ Remmon propugnaculum inuolaſſe, non refertur inſediſſe: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace.* In Silo lugentes quiete placida vtebantur; apud Remmon verò petram profugi nequibant quieſcere inquietis ſemper timoribus agitati, & periculorum terrore oppreſſi: *Die illa, qua venerunt in Silo,* (Abulenſ.) ſcribit Abulenſis quæſtion. 1. *ſederunt omnes Iſraëlitæ coram Domino:* antea bellorum inſudauerant laboribus campis exerrando, ſtationes componendo, vallum ſpiſſando; verùm cùm Deo iam approximant, cùm eius ingrediuntur domum, referuntur ſedere, vt in Dei domo conſtet tranquillitatem pacemque inhabitare.

113. Sponſa dum à fratribus cuſtodiendis vineis præponitur, variis certaminibus diſcruciatur, & iniuriis temporum vritur: (Cantic. 1. v. 5.) *Filij matris meæ pugnauerunt contra me, poſuerunt me cuſtodem in vineis.* Si vni tantùm vineæ præficeretur, ſubſtricto poſſet tuguriolo quieſcere, indéque ad cuſtodiendam vineam proſpectare; verùm dum plurium vinearum ſubit ſolicitudinem, opus eſt inquietis ſemper excurſibus atteri, & laborioſis diuagationibus adurgeri. Ergo placidæ quietis ſtudioſa, & tædio vagationis affecta ſponſum ſuſpirat, vt quæ nouerat non poſſe aliter ardoribus non aduri, & inquietudinibus non vexari: *Indica mihi, quem diligit anima mea, vbi paſcas, vbi cubes in meridie, ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum.* Sat eſt, inquit ſponſa, vineis cuſtodiendis præfuiſſe: ergo ne mihi contingat pecudum veſtigia ſectari, & alternis moleſtiis premi, mihi indica, vbi paſcas; nec enim dubito placidiſſimum ibi fore accubitum, & imperturbatum ſolatium: (Delrius.) *Vna nunc curatio*, inquit Noſter Delrius ſect. 1. *reſcire vbi ſponſus verſetur, vt ad eum aduolet, & ſub vmbra dilecti amburentes radios deuitet, & natiuum recipiat candorem. Tot afflictionibus preſſa, tot perſecutionibus agitata cernens à ſolo paſtorum principe Chriſto remedium expectandum, ardet eum reperire, quærit vbi meridietur.* Nouit, ni Deo approximarit, ardoribus cupiditatis vrendam, variis periculorum adſultibus diuexandam: ergo cupit ſponſum inuenire, vt poſſit ſine perturbatione cubare.

114. Cùm nihil in Sacra Scriptura myſterio careat, ſine dubio ad noſtram eruditionem quinquagenarij iter, & Eliæ ſeſſio deſcribitur, & notatur: quinquagenarius impietati obſecutus, & mandata regis cæca ambitione adimplere conatus, cum Elias in montis vertice quieſceret cœli ſereno fruitur, per ſcopuloſa montis præcipitia, per labiles ſyrtes inſcendit: *Aſcendit ad eum, ſedentique in vertice montis ait: Homo Dei, rex præcepit, vt deſcendas.* (4. Reg. 1. v. 9.) Homo Dei deſcribitur placidè ſedens, impietatis miniſter montis aſcenſu defatigatus, & deficiente ſpiritu anhelus. Et adhæc, cùm nondum difficile iter vel tantillum ſubſiſtens leuaſſet, perijt eluctantibus flammis abſumptus; & in nigras fauillas verſus: ab itineris moleſtia tranſiuit ad flammam, & cùm laborioſis greſſibus à rege impetrare diſcupit præmium, ſuſtinet miſtum in ipſa itineris defatigatione ſupplicium: *Deſcendit itaque ignis de cœlo, & deuorauit eum, & quinquaginta, qui erant cum eo:* timor qui videbatur Prophetam preſſurus, tranſiuit miſſis è cœlo ſuppetiis in triumphum, & qui oblectabat quinquagenarium, ambitus conuerſus eſt in lamentum: non potuit virtus non requieſcere, cùm ambitioni non licuerit vel ſtare: *Erat in monte*, inquit Lyra, (Lyra.) *vacans vitæ contemplatiuæ.* Deo vacans ſedebat, ſæculo deſeruiens montem inſcendit anhelus, & flammis abſumitur vſtulatus eſt enim virtuti animi tranquillitas placiditaſque cognata, & vitiis voluptatibuſque annexa laborioſa moleſtia, & acerrima poſteà flamma.

Iudas Apoſtolus voluptuoſos vanitatis ſectatores, cupiditatis vernulas, captiuos ambitionis deſcribens, eo fluctui maris, nubibus à ventis vndequaque circumactis ac errantibus comparauit: *Nubes ſine aqua,* (Epiſt. Iudæ. v. 12.) *quæ à ventis circumferuntur, arbores autumnales, infructuoſæ, bis mortuæ, eradicatæ, fluctus feri maris deſpumantes ſuas confuſiones, ſydera errantia, quibus procella tenebrarum ſeruata eſt in æternum.* Tranſi mente ad Apocalypſis 12. videbiſque ſydera non errantia; ſed luminoſis ſplendoribus mulieris capiti inſerta: *In capite eius corona ſtellarum duodecim.* (Apocal. 12. v. 1.) Dum virtuti inſeruiunt, erraticis circuitionibus non diuagantur; ſed immota fulgent, fixa reſplendent, & quia ſemper illis Sol proximus, nullis tenebrarum maculis aſperguntur, nec caliginibus obſcurantur. Quàm alia peccatorum ſors! nam vt maris fluctus, dum acri ventorum pulſu agitatur, nequit conſiſtere; ſed iam hinc excutitur, iam inde pulſatur, ita peccatores ipſarum altercantibus inter ſe cupiditatum procellis iam ducuntur ambitione, iam exagitantur metu, iam inflammantur amoris inſania, iam vruntur Zelotypia: ergo conſiſtere nequeunt: quia intra ſe inquietudinis cauſas tollunt: *Nubes ſine aqua*, inquit Interlinearis, *quæ à ventis* (Interlin.) *circumferuntur, quia ad ſuggeſtionem ſpirituum immundorum in diuerſos vitiorum errores raptantur.* Inquieta res eſt voluptas, cupiditas laborioſa: ſe premunt inordinati, cæci, & inſanientes affectus: nec poſſunt quieſcere, quia illis eſt innatum ſecum ipſis belligerare. 125.

Rachel ſedens introducitur, cùm eius pater in quærendo idola proditur defatigatus: idola religiosè proculcans quieſcebat; vrgebatur, qui requirebat, inquietus: *Cùm intraſſet tentorium Rachelis, illa feſtina abſcondit* (Geneſ. 31. v. 34.) *idola ſubter ſtramenta cameli, & ſedit deſuper, ſcrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti* 126.

ait,

Digitized by Google

ait, ne iraſcatur Dominus meus quod coram te aſſurgere nequeo. Inquietus, & inſiſtens ſcrutationi Labanus depingitur, Rachel inducitur ſedens: nec enim poterat quieſcere idola ſitiens, necnon quieſcere idola contemnens. Adeſt opportunè Ambroſius libro 1. de Iacob, & vita beata cap. 5. *Beata Rachel, quæ abſcondit cultus, erroreſque gentilium, quæ ſimulacra eorum plena eſſe immunditiæ declarauit: nemo credat paternam læſam eſſe reuerentiam, quòd ſtante patre ſedit.* Rationem ſubijcit: *Vbi cauſa agebatur religionis, fides debuit habere ſedem iudicij, & quaſi rea ſtare perfidia.* Rea ſtat perfidia; imò non tam ſtat, quàm idolorum ſcrutatione diſcurrit defatigata: virtus ſedet, & omni moleſtia caret, vt noueris proprium virtutis eſſe frui tranquillitate, vt vitij idolorumque deſiderij eludi, & defatigari. Et expende quantum ab externis interna diſcrepent. Putares Rachelem ad ſpeciem reum perturbationibus concutiendam, & anxiis dubitationibus diuexandam; patrem verò, vt qui iudicem ageret, nullo dolore percellendum, nec labore diſcruciandum, & tamen quæ ad ſpeciem tribunali ſiſtitur, placidè quieſcit, & iudex rabie exagitatus furit: *Vbi cauſa agebatur religionis, fides debuit habere ſedem iudicij, & quaſi rea ſtare perfidia.* Rachel fide idola calcans, nulla adurgetur perturbatione concuſſa; imò ac ſi iudicis munus gerat, ſedem ſortitur imperturbata, & Labanus idolorum vetnula, vel cùm ſuperioris ſortitur munus, ſtat perturbatus vt reus.

Ambroſ.

§. XXX.

Optimus Superior culpâ iam punitâ non ſatagit affligere, ſed ſolari.

117. Pietas cuſtoditur, ſi feriato gladio horror, ne quis deliquerit, incutiatur: cruenta incorrectio eſt magna ſuperioris felicitas, quandoquidem gladium gerit laudabiliter otioſum, & viuere non permittit peccatum. Vbi de vitiis ſine ſanguine reportatur victoria, ab omni labe virginea correctionis efflorer palma. Hinc *& noſtra verè pietas cuſtoditur*, inquit Attalaricus rex 8. var. 18. *dum feriato gladio naſcitur metus, & prouenit ſine cruore correctio: commouemur enim placati, minamur otioſi, & clementer iraſcimur, quando vitia ſola damnamus:* verùm quia ſæpè eò proceſſit delinquentium duritiès, vt opus ſit auſteriori remedio vti, ſe inflictâ pœnâ iam ſuperior puniuit culpam, nunquam ſupercilij auſteritate, nec verborum punitum exaſperabit rigore; imò ſolabitur humanitatis delinimentis afflictum, ne iterum vitiis mulctaeerit inquinatum: eſt namque lenitas extorti ab æquitate munereque ſupplicij teſtimonium, dum claret foueri hominem, & expungi ſolummodo prauitatem. Hinc Iſraëlitici proceres, poſtquam Benjaminitarum duriſſimam iuſtis ſuppliciis contumaciam domuerant, nuntios delegant, qui apud petram Remmon manentibus perpetrata non iam exprobrarint delicta; ſed præſtiterint humana ſolatia, quò clarè oſtenderent ſe perſecutos fuiſſe non naturam; ſed proteruiam: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace.* Leniter afflictos tractandos monuerunt, ne legati dolori dolorem adderent, dum factum iterum exprobrant, vulnuſque exaſperant: *Sexcentos illos, qui effugerant*, inquit Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. *miſſis legatis reuocant: hi petram quamdam, quæ Roa dicitur, in deſerto occupauerant: legati verò apud illos tam ipſorum, quàm ſuam cladem conqueſti, quod infectum eſſe non poterat, ſuaſerunt æquo ferrent animo, & ad ſui generis reliquos aggregarentur, neue quantum in ſe eſſet, vniuerſam Tribum Benjaminiticam irent perditum: licere enim illis pace ſua Tribus totius agros recipere, & prædam inſuper, quantam poſſent, abigere.* Monitis ſalutaribus, pacificis verbis in meliorem eos ſpem erigunt, & quamuis inflictam plagam nequibant auellere; ſatagebant tamen ſauciatos verbis humanitate diffluentibus delinire: vt hinc diſcant Dei miniſtri & punire culpas, & conſolari perſonas.

Caſſiod.

Ioſeph.

Grauis ſibi eſt peccator dum ob ſcelera ærumnis oppreſſus, & doloribus gemit aduſtus; verùm qui peccanti intulit ſupplicium, addidit etiam ſolatium: *venite*, aiebat, *ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Oppreſſum leuat, reficit laborantem, & licèt ipſe labores intulerit iuſtus, ſolatur humanus: *Nullum mihi onus importabilius me ipſo* inquit Bernardus in alleg. Tilmani, *nulla grauior ſarcina eſt: factus ſum mihi talentum plumbi, & reſedit iniquitas ſuper illud: ſed audiam vocem ſolatij: Venite, inquit, ad me, qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiam vos.* Laborant homines pœnarum onere ob culpas grauati; verùm recteantur ab ipſo, qui eos puniuit, voce humaniſſimâ deliniti. Non ait: Ego premam vos, vt ſtultus ille Roboam; ſed *ego reficiam:* quia cœleſtis ſuperioris eſt, & meritam ob culpam inferre plagam, & inflictæ plagæ lenitatis apponere medicinam. Quod miris coloribus expreſſit ſanctus Iobus peccatoris perſonam gerens, & in eius ſupplicio contraria ad ſpeciem coniuncta proferens: *Peccaui quid faciam tibi, ô cuſtos hominum? quare poſuiſti me contrarium tibi?* Ac ſi dicat: quod in me eſt tibi contrarium, pœnis inflictis ſeuerè punis; ſed me ipſum ſtudiosè cuſtodis: *O cuſtos hominum*, & depulſor criminum. Diſcant hinc ſuperiores hominem non auerſari; ſed crimen, adhibere ad ſiſtendam, & medicandam culpam adurentis pœnæ cauterium, & ingemiſcenti cauterio præſtitiſſe ſolatium. Aliquando inueniuntur ſuperiores iudiceſque oſores plus naturæ, quàm offenſæ: non tam illis curæ eſt criminis coërcitio, quàm hominis exaſperatio:

118.

Matth. 11. v. 28.

Bernard.

Iob. 7. v. 20.

Digitized by Google

peratio : afflicto afflictionem addunt , & cùm debuiſſent mœrentem honeſtis palpare ſolatiis, reſeriunt grauiſſimis ſuperciliis.

129. Ioſeph à fratribus venditus illos iris hiſtrionicè repræſentatis affligit , ſcyphum in iunioris ſacco abſcondi iubet , & inquiri : nec nouum hoc , quandoquidem non ſemel iudicum miniſtri laqueos tendunt,& cùm ipſi fuerint colorati criminis artifices , criminantur innocuos,quo expiſcentur ſtrophis nummos. Ergo miniſter ſaccos ſcrutatus , & à maioris ſacco , vt rem cautiùs diſſimularet, incipiens citò ad Benjamin ſaccum peruenit , ſcyphoque reperto adeò graui omnes dolore perculit , vt ſciſſis veſtibus fuerint
Geneſ. 44. v.13. amaram anxietudinem conteſtati : *Sciſſis veſtibus , oneratiſque rurſum aſinis reuerſi ſunt in oppidum.* Modò plurimis nudantur veſtibus , qui olim fratrem tunica polymita diſpoliarunt : ergo cùm iam eos duris timoribus adurſiſſet , cùm iam lata in Benjaminum ſeruitutis ſententia cæteros quodammodò condemnaſſet , accedere ad ſe iubet, & quem ipſe incuſſerat , pauorem depellit.
Geneſ. 45. v.4. *Accedite , inquit ad me. Et cùm acceſſiſſent prope : Ego ſum , ait Ioſeph frater , quem vendidiſtis in Ægyptum , nolite pauere.* Mira res:ſi ſolatur , cur terret?& ſi terret , quid ſolatur? Quia vtrumque , inquit Seleucienſis Baſilius , ad optimum principem , ſuperioremque pertinebat : venditionis culpam iam terroribus , iam duris ſententiis caſtigarat ſeuerus, ergò poſt inflictas pœnas afflictos ſolatur humaniſſimus ; *Inuidiam , venditionem , belluinámque immanitatem* , inquit Baſilius
Baſil. orat. 8. *humanitatis obſequiis vlciſcitur,* Inuidiam vlciſcitur ; ſed vltionem obſequiis delinit humanitatis , & poſtquam terroribus, vinculis caſtigauit crimen , germanis eos brachiis amplectitur , & ſolatur , docens nec culpam permittendam inultam , nec afflicto nouam toruitate iniungendam pœnam ; imò debere iudicem reum punire & punitum vti fratrem amplecti. Et vide excellentem corrigendi artem : vt grauitatem agnoſcerent delicti , adurgebat :
Geneſ. 42. v.17. *Tradidit illos cuſtodiæ tribus diebus.* Quod aſſecutus eſt ; nam vexatione ſaniori menti redditi aiebant : *Meritò hæc patimur , quia peccauimus in fratrem noſtrum , videntes anguſtiam animæ illius , dum deprecaretur nos , & non audiuimus : idcirco venit ſuper nos iſta tribulatio.* Mirè torquebat , diuexabátque , vt dolore crimen deteſtarentur , agnita verò deploratáque culpâ eos ipſe triſtitiâ leuauit , & in
Geneſ. 45. v.5. ſpem erexit : *Neque vobis durum eſſe videatur, quod vendidiſtis me in his regionibus : pro ſalute enim veſtra miſit me Deus ante vos in Ægyptum.* Excuſationem quærens eorum rubori parcebat , ne confunderet , quos facti ſui pœnitere cognouit : *Iniuriarum defenſionem* addit Baſilius , *qui eas patiebatur, quærit.* Itaque vt ruboris tormēto illos eximat aliqualem criminis affert defenſionem ; ſed poſtquam ipſi & agnouerant , & lachrymis vberrimis indoluerant.

130. Contrarium nonnulli ſuperiores habere ſolent ſtylum : adeò increpationis ſunt auidi, adeò ſubiectos ſibi affligendi ſtudioſi,vt verba ad increpandum componant , non ea concinnitate, quæ aſperitatem emollit , quæ prudentiæ trutina penſat, ne aliqua diſcrepantia reprehenſum exulcerent ; ſed ea mordacitate , quæ viuidiùs exaſperet , & aſperiùs diuexet. Hanc in amicis ſuis non bonam indolem agnouit Iobus : nam cùm illum ſummè viderent afflictum , & calamitatum vorticibus penè abſorpum durè carpebant , & carpendo dolorem ſtudioſè incrementabant: Iob. 6. v.26.
Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis , & in ventum verba profertis : ſuper pupillum irruitis , & ſubuertere nitimini amicum veſtrum. Ea verba eligebant , quæ mordaciùs carperent , ea reprehenſionis cauteria, quæ ardentiùs inurerent. *Ex huius qualitate* , inquit Gregorius lib. 7. moral. cap. 17. Gregor.
beatus Iob amicos ſuos fuiſſe redarguit , cum dicit: Ad increpandum tantùm eloquia concinnatis ; ſed vnde vſque ad iniuſtæ increpationis audaciam peruenitur , protinus innotuit , cum ſubiunxit : Et in ventum verba profertis. In ventum verba proferunt , quia ſuæ vanitati adulantur , & de aliena confuſione ſibi blandiuntur. Sunt qui potentiam iactent duriùs tractando , & ſeueriùs premendo cùm ad nocendum ſolùm potentia ſæuitia ſit : pupillum ſe appellat , in illumque teſtatur irruere, quaſi in hoſtem , quò tumidiorem adauxerint vanitatem : *In ventum verba profertis , ſuper pupillum irruitis.* Non bono agebantur ſpiritu , qui non ſolabantur afflictum ; ſed de duriori increpatione vanitatis fouebant faſtum.Ergo Iſraëlitæ , vt hoc vitium declinarent , crimen puniuerunt meritis pœnis; ſed afflictos leuarunt verbis humanis.

§. XXXI.

Renuntiare aliquandò commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis, eſt non ſolum virtutis lucrum, ſed felicitatis augmentum.

PLura ſunt, quæ tetro fumo mentis aciem obnubilent, & cupiditatem inflamment: 131.
ſic cæcutiunt homines , vt ab ipſa vtilitatis iactura , vtilitatem exambiant , & inhiantes ad commoda certiſſima ſibi aſciuerint detrimenta. Legem tranſgrediuntur obtentu voluptatis , vtilitatiſque cùm inuiolatè inſeruire mandatis ſit honeſtum commodum , & irreprehenſibile lucrū. Honeſta ambitio eſt legis cuſtodia, qui iuris offenſâ ſibi prouidit , ipſa prouidentia nocuit:cùm lex ritè obſeruata ſit ſalutis cūſtos,vitæ pædagogus,honeſtatis theſaurus. Legis obſeruantiæ adaptari poſſunt, quæ de ſcientia tradebat Philo lib. de congreſſu quærend. erudition. gratia : *Loquendo* Philo.
propriè hæc eſt oculorum oculus , & auris aurium, & in vnoquoque ſenſu ſenſus ſyncerior: vtens illis tanquam pro tribunali apparitoribus;ſed ipſa natura ſubiectorum iudicans & quædam auerſans, aliis aſſentiens. Si oculus legem pro pupilla habeat,rectam feret de rebus ſententiam:ſine lege obtenebratur aſpectus, deprauatur auditus,cōſtupratur ſenſus.Hinc aiebat Pſalmiſta:

Simulacra

Digitized by Google

Pſal. 113. v.4.
Simulacra gentium argentum & aurum opera manuum hominum: os habent, & non loquentur: oculos habent, & non videbunt. Similes illis fiant, qui faciunt ea: id eſt, fieri: non enim expromit deſiderium; ſed denuntiat ſupplicium. Ergo dum auro inhiant auari, priuantur recto oculorum vſu, vtque ſimulacra carent ſenſu ob materiam, qua conſtant, ita peccatores ob legem, quam violant: nam cùm violando legem depellant, & lex ſit oculorum oculus, & aurium auris, ſe ipſos priuāt & auribus, & aſpectibus. Quærebant externa commoda idola adorando, & cōſecuti ſunt interna detrimenta delinquendo: recto ſenſuum vſu interdicuntur, cum legibus inferunt iniuriam, vt ipſa iniuria grauem intulerit pœnam. E contra qui mauult vel commodi detrimento legi inſeruire, vtilitate non caret, & honeſtatem annectit. Ecce filij Benjamin poſt acceptam grauem ſtragē quatvor menſibus apud Remmon petram commorantur: *Remanſerunt itaque de omni numero Benjamin qui euadere, & fugere in ſolitudine potuerunt ſexcenti viri, ſederuntque in Petra Remmon mēſibus quatuor.* Cùm toto eo tempore de accipiendis vxoribus cogitare potuiſſent, & Sacramento Iſraëlitas de non dandis filiabus obſtrictos non ignoraſſent, legem Exodi 34. à Domino intimatam de alienigenis in vxores non recipiēdis reuerti, maluerunt quodammododò perire, quàm iniuria legum conſeruationi ſtudere: ergo ipſis ſuæ conſeruationi prouidè non prouidentibus Iſraëlitæ deorum conſeruatione conſilium agitant, & vxores illis miniſtrant: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in Petra Remmon, & preceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores.* Expende illud: *In illo tempore*, id eſt, quando ipſi reuerentiam legibus deferebant, inuenerunt pacem & vxores: *Benjamin*, inquit
Abulenſ.
Abul. q.5. *qui reſidui erant non habebant aliquas fœminas de Tribu ſua: ideò oportebat vnū de Tribus, ſcilicet quòd aut periret tota Tribus Benjamin iſtis non accipientibus vxores, & non relinquentibus poſteros: aut acciperent vxores de gentilitate, aut acciperent de aliis Tribubus Iſraël.* Cùm de Tribubus Iſraël accipere non poſſent ob Sacramentum, nec de gentilitate ob legis edictum, quatuor ibi menſes māſerunt ſolitudine degentes, & præcepta legis ſeruātes. Verùm legis obſeruantia illis non ſolù non attulit detrimentum; ſed honeſtum peperit cómodum, vt hinc diſcamus commodum non acquiri legis iniuriā; ſed præceptorū obſeruātiā.

132.
Eua legem tranſgreditur, vt ſibi ac poſteris auxerit commoda: *Tulit de fructu illius, & co-*
Geneſ. 3. v.6.
medit. Verùm legis tranſgreſſionem ſecuta eſt nuditas, & calamitas: *Cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata:* non ſolum interdicuntur à paradiſo iam extorres eius plantæ fructibus; ſed omnium aliarum honeſtis voluptatibus. Tranſi mente ad ſponſam, non vnico pomo, ſed tota malo fruentem, & laudabili requie cubantem:
Cantic. 1. v 3.
Sicut malus inter ligna ſyluarū, ſic dilectus meus inter filios: ſub vmbra illius, quem deſideraueram, ſedi; & fructus eius dulcis gutturi meo. Pro vnico pomo tota ſpōſa arbor fuit: Eua ingemuit exterminata, ſponſa ſedit placidâ vmbrâ fruita: hæc cum honeſtate coniunxit commoda, & maiora, quàm Euæ audax rapina, lucra peperit obſeruantia: eſt namque virtus honeſtū commoditatum fiænum, quietis ſcaturigo paciſque regio. Iam legi ſponſam obtemperaſſe teſtatur Canticorum caput ſeptimum: *In portis* Cantic. 7. v. 13.
noſtris omnia poma noua, & vetera, dilecte mi, ſeruaui tibi. Vnicum decerpſit Eua pomum, & cum Adamo diuiſit: ſponſa verò, dum omnia ſponſo ſeruat, integro potita eſt fructu. Opportunè Gregorius ad 2. Cantic. *Vmbra ſancti* Gregor.
Spiritus protegens recreat, vt dum in eius inſpiratione ſedens pauſat, vires colligat, quibus ad æternam vitam robuſtius currat. Sequitur: Et fructus eius dulcis gutturi meo: arbor quippe fructifera ipſe Chriſtus in corde noſtro plantatus per fidem exiſtit, quam ſi mens noſtra dignè diligit, & inſtantes excolit, fructus nimirum interiùs pulchros, & vtiles gignit. Fructus ab hac arbore percepit, non ſolùm exteriùs pulchros vt Eua; ſed interiùs etiam venuſtos, & vitali dulcedine plenos. Plures, dum contra legem appetunt lucra, inſcenderunt inhonorati patibula: amiſit fœmina anteferendum honorem, dum ſordidam ſitiuit vtilitatem. Ipſa voluptas inſtar veneni ſauciat, virtus corporis robur conſeruat. Ergo lucroſum eſt commodum legibus adulari, & impendioſum damnum cupiditatibus inſeruire.

Acham de Domini bonis ſibi quid vſurpa- 133.
uit: *Vidi inter ſpolia pallium coccineum valde bonum & ducentos ſiclos argenti, regulámque au-* Ioſu 7.
ream quinquaginta ſiclorum, & concupiſcens ab- v.21.
ſtuli. Legem trangreſſus eſt, vt acquireret ſibi pallium. E contra Ioſephus amiſit pallium, vt ſeruaret legis præceptum: *Relicto in manu eius* Geneſ. 39.
pallio fugit, & egreſſus eſt foras. Quàm vtilis v.12.
fuerit hæc pallij iactura, quàm impendioſa illa pallij poſſeſſio, Scriptura non tacuit. Acham rubore cōfuſus in omnium oculis infamatur: infamiam ſecuta eſt capitalis pœna, & omnium diuitiarum iactura: *Lapidauit eum* Geneſ. 41.
omnis Iſrael, & cuncta quæ illius erant, igne con- v 42.
ſumpta ſunt. E contra Ioſephus ſuper Ægyptū conſtituitur regio annulo, ac ſtola byſſina ornatur, *Dixit rurſus Pharao ad Ioſeph: Ecce conſtitui te ſuper vniuerſam terram Ægypti: tulitque annulum de manu ſua, & dedit eum in manu eius, veſtiuitque eum ſtolâ byſſinâ, & collo torquem auream circumpoſuit.* De amiſſo pallio texta eſt byſſina ſtola, & de pallio coccineo erupit, quæ, honorem, & omnem ſubſtantiam deuorauerit, ardens flamma: Ioſeph legem ſecutus aſſecutus eſt temporalia ingentiſſima commoda, Acham refragatus legi grauiſſima detrimenta: vt conſtet legem honeſtæ vtilitatis eſſe parentem. Audi Auguſtinum quæſt.9. in Ioſuë: *Tantò timuerunt cæteri factum eius imitari, quantò humana horreret infirmitas in tam magnum, & tam iuſtum odium populi dari, & eis, quos ad ſpem propagandi generis ſe relicturum putabat, peccato ſuo ſecum conſumptis mori.* Peccatum generationem abſcidit, famam tumulauit, ſupellectilia conſumpſit, & cum Ioſephus poſt mortem adhuc ſuperſtes ſit gloriæ, viuit Achamus infamiæ. Adde quo ſtudioſiùs virtus colitur, vtilitatem etiam non ſemel copioſiùs augeri, & commoda incrementari.

Tres iuuenes mirâ corporis habitudine, & 134.
modeſta oris venuſtate oculos ad ſe non ſine admiratione

Digitized by Google

admiratione rapientes Abrahamo objiciūtur: Geneſ. 18. v.2. *Apparuerunt ei tres viri ſtantes prope eum.* Ad propè ſtantes ea auiditate peruenire geſtiuit, vt celeri greſſu cucurrerit; imò inuolarit: *Cucurrit in occurſum eorum.* Conuiuium ſatis opiparum inſtruxit, & cùm panis buccellam promiſiſſet, promiſſionem oppipara menſa honorauit: *Tulit butyrum, & lac, & vitulum, quem coxerat, & poſuit coram eis.* Quam aliter aulicis ſolet contingere; magnificis promiſſionibus allectant, cùm exhibeant nulla, aut pauca: ergo Abrahamus promiſſionem ſuam copioſis auctariis exornauit, Dominumque promeruit: ad veſperum duo iam Angeli Sodomam veniunt, ad quos Lot lentiori paſſu Geneſ. 19. v.1. tetendiſſe refertur: *Surrexit, & iuit obuiam eis.* Certè cum hic propè adeſſe non referantur, & ibi referantur ſtetiſſe propè, videbatur ordo inuertendus, ſcilicet vt Abraham explicarit greſſum, & Lotus accelerauerit curſum: & tamen vbi proximitas non refertur, nec celeritas denotatur: fortè vt noſcamus argumentum proximitatis celeritatem eſſe. Qui Deo præ aliis proximat, & præ aliis ad Deum inuolat; qui tendit Lentiùs, agnoſcitur eſſe diſtantiùs. Ergo Lotus azyma coxit, & hoſpitibus exhibuit: *Ingreſſis domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Cùm tanta apud Abrahamum fercula fuerint exhibita, non refertur feciſſe conuiuium, & cùm Lotus azyma ſolùm exhibuiſſe dicatur, iam conuiuium adornaſſe refertur. Profectò à magnanimis exhibita hoſpitibus mēſa lauta, exigua reputatur buccella, à non ita generoſis vel exhibita panis buccella, menſa videtur opipara. Sed nos inſtituto noſtro reddamus. Lot cum filiabus liberatus eſt, rem tamen familiarem flamma conſumpſit; Abrahamus incendium non ſenſit, & diuitiis copioſiſſimis abundauit: nam quò Abrahamus in plures benignior, diuitiis reſplenduit auctior: apud Lotum, cui non adeò magna ſubſtantia remanſura, hoſpitum breuiatur nu- Lippom. merus, & de hoſpitum numero cenſus: *Frugalius conuiuium inſtruxit*, inquit Lippomanus in catena. Qui minus dedit, minus habuit, & vbi Abrahami refertur miſericordia profuſior, fuit etiam vtilitas auctior, vt noueris virtutē eſſe vtilitatis venam, & taxari pro virtutum merito diuitiarum non ſemel copiā.

§. XXXII.

Peccator eâ ſtupiditate tenetur, vt cùm non ignoret periculum, non curet ſolicitare remedium.

135. PEccatum enorme rationis faſcinum, & tetrum prudentiæ eſt nubilum: eâ ſtupiditate peccatores tenentur, vt nec ipſa vexatione ad ſaniorem mentem reducantur: grauiſſimū non dubitant imminere ſibi periculum, & veluti à ſe ipſis alienati non curant ſolicitare remedium: dolent cæteri miſerandas eorum vices; ipſi tamen nec ſibi prouident, nec atten- Philo. dunt. *Sichem*, aiebat Philo de nominum mutatione, *proles ſtupiditatis, patre ſiquidem prognatus eſt Hemor, qui expoſitus appellatur aſinus: ipſe autem Sichem exponitur humerus, qui eſt laboris nota; improbus porrò, & ærumnæ plenus eſt labor, quem parit ſtupiditas.* Libidini addictus, & Dinæ ſtuprator ipſo nomine præfert ſtupiditatem, & laborem: vtrumque namque eſt legitimus culpæ fructus, adeóque peccator ſtupet, vt nec reſipiſcat preſſus miſeria: ni alij eius obuiarint periculis, ipſe deſpiciet, non quia ignorarit inſcius; ſed quia prouidere deſiſcat ſtupiditate poſſeſſus. Deletis Benjaminitis ſupererant ſolùm ſexcenti: ergo cùm hi ignorare non poſſent Tribum prorſus expungendam, ni remedia ſibi prouiderint, nec legationem ad Iſraëlitas miſerunt, nec obuiare periculis procurarunt: filij Iſraël Benjaminitarum Tribus conſeruationi ſtudebant; ſed ipſi Benjaminitæ diſcrimen non declinabant: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & data ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Cùm Benjaminitis omnimodæ delectionis imminetet periculum, opus fuit alios eorum ſalutem curare: quia ipſi ſceleris vinculis illigati, & ſtupiditate neſciebāt ſibi ipſis prouidere: *Magna nobis cura*, aiebant Iſraëlitę, *ingentique ſtudio prouidendum eſt, ne vna Tribus deleatur ex Iſraël.* Imò magna cura, ingentique ſtudio prouidendum erat à Benjaminitis, ne Tribus ſua expungeretur prorſus deleta, & omnino deleretur expuncta; at ſi alij eis non conſulerent, ipſi ſibi nullatenus prouiderent: eſt namque ſtupiditas legitima filia criminis, & improuida fatuitas merces ſceleris: *Magna* Abulenſ. *nobis cura, ingentique ſtudio prouidendum eſt, id eſt, toto ingenio*, inquit Abulenſis iam datus, *& ſolicitudine conandum eſt ad inueniendum aliquem modum honeſtum, per quem prouideatur, vt non pereant iſti viri, ſed dentur eis vxores.* Expende illud: *Magna nobis cura:* ac ſi dicat: Ni ſoletti nos ſolicitudine horum prouideamus ſaluti, ipſi ſibi non conſulent, & cùm non ignorarint imminere ſibi excidium, quærere contemnent remedium. O infelicem peccatorum ſtatum! ſtupent criminis vinculis illigati vel cùm calamitatibus proximi, eorum miſerias aſpicientes vrgentur, & ad commiſerationem trahuntur; ipſi verò ſenſu carent, & ſibi non prouident.

Iobus acri dæmonis æmulatione impetitus 136. totis quodammodo membris diffluentibus tabeſcebat; verùm tremulis licet & inualidis manibus remedium aliquod procurabat, & teſta ſaniem radebat: *Egreſſus igitur Sathan à* Iob. 2. v.7. *facie Domini percuſſit Iob vlcere peſſimo à planta pedis vſque ad verticem eius, qui teſta ſaniem radebat ſedens in ſterquilinio.* Vlceris expūgebat redundantiam, & ne, dum ſanies non extruditur, grauius ingeneret nocumentum, ſolicitè curabat teſta abraſiſſe venenū. Tranſi ad Lucæ 10. vbi cùm iter faciens in graſſatorum dæmonum manus incidiſſet, plagis confoſſus iacebat, quin à Sacerdote illac pergente, & Leuita tranſeunte flebili clamore remedium ſibi expetierit, aut gracili ſaltem voce eos compellarit, Samaritanus ad eum acceſſit miſericordiā commotus, & cùm referatur fouiſſe vulnera, non refertur ſaucium protuliſſe aliqua verba: nulla eius actio refertur, ſola Samaritani commiſeratio deſcribitur: *Samaritanus*

Digitized by Google

Lucæ 10. v.33. *nus autem quidam iter faciens venit ſecus eum, & videns eum miſericordiâ motus eſt, & appropians alligauit vulnera eius infundens oleum & vinũ: & imponens illum in iumentum ſuum, duxit in ſtabulũ, & curam eius egit.* In viatore hoc peccatorem agnoſcunt Patres dœmonis fraudibus circumuentum, & calamitatibus illigatum. Audi August. Auguſtinum in catena D. Thomæ: *Ieruſalem, quæ interpretatur viſio pacis, paradiſum dicimus: ante enim quam peccaret homo, in viſione pacis erat, hoc eſt in paradiſo, vbi quidquid videbat, pax erat, & lætitia: inde deſcendit, quaſi humiliatus, & miſer factus per peccatum.* Adſtipulatur in catena Ambroſ. Ambroſius: *Qui ſunt iſti latrones, niſi Angeli noctis, atque tenebrarum, in quos non incidiſſet, niſi eis mandati cæleſtis deuius ſe feciſſet obnoxium.* Itaque iſte, vt Iobus, in manus dœmonum incidit, & cùm ſimilis videatur calamitas, non inuenitur ſimilis in vtroque ſtupiditas: Iobus ſolicitè ſatagit virus emungere, viator non curat Sacerdotem vocare: Iob ſibi aliqualem applicabat medelam, iſte deteſtabili taciturnitate inflictam ſibi fouebat plagam. Ecqua huius diſcriminis ratio eſt? Iam tradiderunt Auguſtinus, & Ambroſius: Iobus cùm nulla attaminaretur culpa, priuari nequiuit ſolicita prouidentiâ, at iſte cùm plagam ſimul cum culpa admiſerit, miſeros culpæ eſt expertus effectus, & ſe ipſo quodammodo exul non curat medicinam ſtupidus: certè periret, ni Samaritanus commiſeratione motus accederet; patiebatur vulnera, neque aperiebat, vt remedium quæreret, ora: ipſo ligabatur peccato, cùm iaceret confoſſus violento ferro. O nimis verum! Peccatorem aſpicies eo ſtupore illigatum, & à ſe ipſo alienatione deuinctum, vt nec in mortis limine Sacerdotem procurarit nec animæ conſuluerit. Vt hinc noſcas deterius eſſe, quàm incidere in ipſos dœmones, in culparum prolabi errores, quandoquidem Iobus dœmoni traditus, & vlceribus oppletus ſibi prouidet, & vlceris redundantiam depellit, cùm faſcino culpæ eneruatus de remedio non curarit ſtupidus.

137. Viri paralytici reſolutionem dolentes, & ad miſericordiam procliues, nulli labori pepercerunt, vt Chriſti Domini oculis præſentarent, digne præſumentes tantæ calamitatis viſu pulſandum, & opportunum allaturum Lucæ 5. v.18. remedium: *Ecce viri portantes in lecto hominem, qui erat paralyticus, & quærebant eum inferre, & ponere ante eum.* Sua eos non fefellit opinio: Chriſtus namque ad commiſerationem procliuis, vt conſtrinxerit membra, remiſit illi delicta: *Homo remittuntur tibi peccata tua.* Ante Domini conſpectum veniens nil precatur; imò peccatorum audiens veniam tacet: quia grauiori, quàm corpus, peccatorum paralyſi ſolutus iacebat animus: corporali morbo inuaſus greſſum nequibat ad quærendam medelam explicare, & grauiori paralyſi peccatorum reſolutus nec ora poterat aperire. Alij miſerabili viſu commoti nulli labori parcunt; ſed Domini obtutibus ſanandum offerunt; ille verò nec ſui miſertus quærit miſericordiam, nec impetrare ſatagit veniam. *O ſi* Chryſol. *velimus fratres*, inquit Chryſologus ſerm. 50. *O ſi velimus omnem mentis noſtræ paralyſim prouidere: animam noſtram virtutibus deſtitutam iacere in vitiorum ſtratis cerneremus: luceret nobis quemadmodum Chriſtus & noſtras quotidie noxias reſpicit voluntates, & ad ſalutaria nos remedia pertrahit, & perurget inuitos.* Præmiſerat: *Audit veniam, & tacet paralyticus, nec vllam reſpondet gratiam.* Iacebat animus paralyſi; imò mens peccatorum tenebatur captiua phreneſi: ergo non curabat, cùm ſe totum videret re ſolui, impetrare veniam, nec ſolicitabat gratiam. Opus fuit à pluribus duci, vt obtutibus præſentaretur diuinis, & ni traherent quodammodò inuitum, non veniret, quia deſpiciebat remedium. Addiderim peccatorem ad eam peruenire inſaniam, vt non ſolùm remedium non curarit; ſed ſtudioſiſſimè fugerit.

Inuaſerat dœmon miſerum, qui domici- 138.
lium ſibi fecerat in monimentis, & erumpens montium cauernoſis ſpecubus latitabat: *In monumentis, & in montibus erat.* Vt homines non ſpectarent ſepulchrum, ſubdolus ibi inimicus detinebat inuaſum, & non contentus ærumnoſus in ſepulchris latitare, quò à remedio longiùs diſtaret, in montes ſatagebat erumpere. Ergo dum aduentanti Chriſto occurrit, vi attractum credas deueniſſe, non voluntariè inuolaſſe: verſus montes, quò plus exulauerit à remedio, facilis erat excurſus; verſus Chriſtum, à quo ſanandus, difficillimus erat acceſſus: vt in ſe dœmoniacus iſte factis ingenium exprimat peccatorum, dum accedit facillimus præcipitio, difficillimus remedio. Notauit Chryſologus ſerm. 16. *Occurrerunt ei duo dæmo-* Chryſol. *nia habentes, exhibiti; non volentes: venerunt imperantis iuſſu, non ſuo nuſu: attracti ſunt inuiti, non ſua ſponte currentes: denique ad præſentiam Chriſti homines exeunt de monumentis, & verſa vice captiuos ferunt, à quibus fuerant captiuati.* En reluctantiæ cauſam: nolebant homines captiuitatem exuere: ergo verſus montes inuolabant, vbi difficiliùs remedium; & inuiti, quia ibi medela, accedebant ad Chriſtum.

---

§. XXXIII.

Prudentis eſt calamitatem patienter ferre, & propriis culpis adſcribere.

SApiens quidquid acciderit, in virtutis 139.
colorem vertet, vtque Phidias induſtria manu de inſulſo voracis beſtiæ dente perpulchrum effingebat Iouis ſimulachrum, ſic ſapiens ipſis ærumnis nouit ſe in Dei imaginem expolire, vt ſupra omnem fortunam honeſtè elatus, & ad omne infortunium tolerantiæ clypeo munitus non ſolùm patienter calamitatem ferat; ſed vincat: *vicibus*, aiebat Tertullianus de ſpectacul. cap. 28. *diſpoſita res* Tertull. *eſt nunc illi lætantur, nos conflictamur: ſæculum, inquit gaudebit, vos triſtes eritis. Lugeamus ergo, dum Ethnici gaudent, vt cùm lugere cœperint, gaudeamus.* Conflictatio, vt decet, læta producet gaudium, gaudium euanidè poſſeſſum

poſſeſſum gignit lamentum : ergo ſapiens cum calamitate viriliter congreditur, nec euanidis lætatur. Benjaminitæ, qui relicti fuerant, apud petram Remmon exulantes grauem calamitatem culpis ſuis adſcribere maluerunt, dumque patienter ſufferunt pœnam lætiorem ſibi procuderunt fortunam : populi namque proceres eorum vices miſerati de amplificanda Tribu cogitarunt, & in vxores virgines tradiderunt : *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Qui antequam paterentur, habiti ſunt ſupplicijs digni infortuniis patienter latis, iam vt antiquo vtantur ſplendore, ſunt per internuntios aſciti. Quod ſi inquiras, quomodò refloruerit eorum felicitas, cùm grauis adeò illos opprimere videretur calamitas : reſpondebit Ioſephus 5. antiq. cap. 2. dignos illis calamitatibus ſe

Ioſephus. æſtimaſſe, ac patienter tuliſſe : *Illi agnoſcentes ſuam iniuſtitiam iuſto Dei iudicio damnatam reuerſi ſunt in ſua Tribus ditionem parentes ſuorum hortatibus : Iſraelitæ verò dederunt eis in vxores quadringentas illas virgines Iabiticas.* Quos à ditione ſua expulerat culpa, reſtituit patientia, & dum, quam patiuntur calamitatem non applicant alieno furori ; ſed aſſignant proprio crimini, Deum ſibi conciliant, & de vtiliſſima tolerantia meliorem ſibi ſortem elaborant : *Reuerſi ſunt in ſua Tribus ditionem :* & quomodo reuerſi, qui crimine expulſi ? *Agnoſcentes ſuam iniuſtitiam iuſto Dei iudicio damnatam.* Patienter amplecti pœnam fuit illam expungere, impatienter ſuſtinere fuiſſet ſine dubio incrementare : infeliciores extiterunt plures, quam ob ipſam ærumnam, ob impatientiam : & plures, dum patienter ſuſtinent flagella, ad inſperata peruenerunt non ſemel commoda : eſt enim patientia felicitatis reſculptrix, calamitatis delinimentum, doloris ſolatium, aduerſus dœmonum adſultus ſcutum, & miſericordiæ cœleſtis illicium. Ergo quantum patientia valeat, Benjaminitæ oſtenderunt, dum amiſſa ob grauiſſimam culpam, ob humilem inſtaurauere patientiam.

140. Paulus tribulationes vti felicitatis ſemina læto vultu ſuſcipiebat, & copioſos de tribulatione fructus ſperabat : *Gloriamur in tribulationibus, ſcientes quòd tribulatio patientiam operatur ; patientia autem probationem ; probatio verò ſpè ; ſpes autem non confundit.* (Ad Rom. 5. v. 3.) Spes de probatione patienter lata pullulans non confundit : quia inanem animum non relinquit ; fructus patientia parit dulciſſimos, amiſſam felicitatem reſculpit, dum iuſtè illatam pœnam agnoſcit : in tribulationibus gloriatur Paulus : nam cùm eas patienter ferret, iam præuidebat veluti in fœcundo ſemine vberrimas fructuum copias, & copioſas felicitatis diuitias : *Gloriamur ſine periculo vanitatis*, inquit Anſelmus (Anſelm.), *de tolerantia tribulationum : quia nouimus quanta merces inde ſequatur.* Vt negotiatio eſt aliqua amittere, vt maiora lucreris ; ita eſt etiam negotiatio aliqua pati, vt mercedem grandem aſſequaris : quanto enim humilior eſt, & conſtantior. Patientia, tantò paria felicitas maior, & ſine vanitatis næuo ſplendidior.

Dauid ſuæ felicitati aduerſari arbitratus eſt, 141. qui patientiæ occaſionem auferebant. & alienis calamitatem ſuam culpis imputabant : nam cùm vir de cognatione Saul nomine Semeï nō ſolùm regi malediceret, ſed in ipſum aſſeclaſque lapides contorqueret ; ſeruorum Dauidis ita animos pia indignatione inflammauit, vt Abiſaï canem appellauerit, & eius caput amputandum contenderit : *Quare maledicit canis hic mortuus Domino meo regi ? Vadam, & amputabo caput eius.* (2 Reg. 16. v. 9.) Quid tunc Dauid ? *Quid mihi & vobis eſt, filij Saruia ? Dimittite eum, vt maledicat : Dominus enim præcipit ei, vt malediceret Dauid.* Adnexuit : *Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini, ſi fortè reſpiciat Dominus afflictionem meam, & reddat mihi Dominus bonum pro maledictione hac hodierna.* Ac ſi dicat : ſi caput Semeï amputaueris, ſemina mihi felicitatis extingues : nam dum calamitatem hanc iuſtè à Domino illatam agnoſco, nec ferre recuſo, iam mihi amiſſum ſtatum reſtituendum præuideo : nec ſua eum fefellit opinio, quandoquidem per patientiam antiquo ſplendori reſtitutus ſpectauit Semeï ad eius genua aduolutum, & erraſſe confeſſum : *Semei filius Gera proſtratus coram rege, cùm iam tranſiſſet Iordanem, dixit ad eum : Ne reputes mihi, Domine mi, iniquitatem, neque memineris iniuriarum ſerui tui.* (2 Reg. 19. v. 18.) Meliùs edomuit patientiæ merito, quàm vltore gladio : quam ſperabat de probris à Semeï iactis, felicitatis meſſem obtinuit, & ſibi infortunium imputans infortunium euacuauit. Adeſt Gregorius lib. 30. Moral. cap. 9. & Rabbanus apud Gloſſam : *Qui verborum contumeliis preſſus virtutem patientiæ ſeruare non poteſt, vel ſufficit, factum Dauid ad memoriam reuocet, quem cùm Semeï conuiciis vrgeret, & armati proceres vlciſci contenderent, ait : Quid mihi & vobis filij Saruiæ ? Et paulò pòſt : Dimittite eum, vt maledicat iuxta præceptum Domini.* (Gregor. Rabban.) Adnectit : *Fugiens reduxit ad animum malum, quod fecit, & contumelioſa verba non tam conuicia, quam adiutoria eſſe credidit, quibus ſe purgari, ſibique miſereri poſſe iudicauit.* Videbat contumelioſa Semeï verba patienter lata, & propriis culpis adſcripta ampliſſimæ eſſe felicitatis ſemina, & ipſius quam patiebatur, calamitatis exilia : ergo vetuit patiendi ſibi occaſionem eripi, inimicumque è medio tolli. Qui calamitates ſuas diſcupiunt emollire, ad patientiæ myrothecium accurrant, nec dubitent pœnam patienter latam eſſe felicitatis reſſeram, & opportunam ipſius calamitatis medicinam.

Tres illi celebrandi ſæculis pueri, dum ardenti rogo traditi diuinas laudes concelebrāt, 142. & vero Dei iudicio ſe delictorum ſuorum demerere teſtantur fructus Dei meruerunt conſortium, & ad auguſtius dignitatum peruenerunt etiam faſtigium : *Peccauimus, & iniquè egimus recedentes à te, & deliquimus in omnibus, & præcepta tua non audiuimus, nec obſeruauimus, nec fecimus, ſicut præceperas nobis,* (Daniel 3. v. 29.)

Digitized by Google

nobis, vt benè nobis eſſet. Omnia ergo, quæ induxiſti ſuper nos, & vniuerſa, quæ feciſti nobis, in vero iudicio feciſti. Delicta ſua bis & iterum confitentur, dolenter ſe arguunt, & quidem ipſa confeſſionis ingeminatio acertimi eſt doloris index, & veræ pœnitudinis teſtis: ſed vide quàm in eorum gratiam ab ingenio diſcrepantia conueniant: flamma roſcidam tranſit in auram, & ibi inueniunt virtutis elogium, vbi mereri ſe conteſtabantur ſupplicium. Iam Nabuchodonoſor veneratus ſtupet, ſi anteà illigari præcepit: *Video quatuor viros ſolutos, & ambulantes in medio ignis, & nihil corruptionis in eis eſt, & ſpecies quarti ſimilis filio Dei.* Amaris lachrymis extinxerunt flammam, & dum ſibi imputant ſupplicium, dignitatum merentur augmentum: *Tunc rex promouit Sidrach, Miſach, & Abdenago in prouincia Babylonis.* Qui deuorandi acribus tradebantur incendiis, de patientiæ ingenio, de veraque pœnitudine commutauerunt incendia in dignitatum faſtigia, & de ipſa flamma, quibus flammam ſopiret, roſcidas produxit vndas patientia: virtus namque laudabiliter, quod fabuloſa Circæ adſcribebat antiquitas, ingenium induit naturas rerum mirabiliter tranſmutando, & in contrarium ſæpè vertendo: ſi ſtrenui illi pueri, dum horriſonæ traduntur fornaci, infelix cauſarentur fatum, ſi diuinam criminarentur prouidentiam, ſi ob alienam ſe pati vociferarentur culpam, flamma non tranſiret in vndam, ex ardore vos non promanaret, nec ex vinculis auguſtior dignitas efflöreret; verùm dum obarmati patientiâ propriis culpis ſupplicia adſcribunt, flammam ardentiſſimam ſopiunt; imò in placidam auram conuertunt, & dignitatum augmentum plauſibus generalitatis acquirunt: adeò copioſam felicitatum meſſem produxit tolerantia, & conſeruauit patientia: *Duæ ſunt benedictiones*, inquit Hieronymus ad hunc locum, *vna de nobis ad Deum, quod eſt eum laudare, & altera de Deo ad nos, quod eſt dare remiſſionem peccatorum, & multiplicationem bonorum, & hæc eſt ros matutinus.* Adnectit: *Quibuſcunque premamur anguſtiis, hoc toto cordis affectu dicamus: & quidquid nobis aduerſi acciderit, iuſtè nos ſuſtinere non dubitemus. Vnde exultauerunt filiæ Iuda in omnibus iudiciis tuis, Domine.* Inde nobis orietur exultatio, ſi Dei iudicia laudemus, & quidquid aduerſum, noſtris iniquitatibus adſcribamus.

Hieronym.

---

§. XXXIV.

Facilè impletur obedientia nobis iucunda, non adeò facilè amara.

143. Tertull. ARtificium promerendi, inquit Tertullianus lib. de patient. cap. 4. *obſequium eſt, obſequii verò diſciplina morigera ſubiectio eſt.* Promerendi artificio, hoc eſt, obſequio plures ſibi maiorum gratiam conciliare ſatagunt, & morigeram ſubiectionem oſtendunt; verùm nonnulli obedientiæ puræ non mancipantur: diſcupiunt obedire; ſed vt poſſint ſuis cupiditatibus adulari: expromptè exequuntur mandata, quæ ſibi commoda, non adeò expromptè, quæ dura. *Gratè ſuſcipienda eſt ordinatio*, aiebat Caſſiodorus 3. var. 50. *quæ dantem iuuat, & accipientem pro temporis neceſſitate lætificat: nam quis putare poſſit onus, vbi maius meretur in commutatione compendium?* Totis vlnis ordinatio ſuſcipitur quæ ſuſcipientem lætificat; verùm ſi iuſſio aliquod apportare putetur incommodum, iam inſtruetur contra præceptorum bellum. Deliquerant Benjaminitæ, cúmque à maioribus accepiſſent præceptum de iniquis tradendis, quo legibus ſatisfieret, reſtiterunt: *Tradite homines de Gabaa, qui hoc flagitium perpetrarunt, vt moriantur, & auferatur malum de Iſrael.* Accepto mandato non ſolùm non obedierunt; ſed aduerſus præceptores procaciter dimicarunt: *Noluerunt fratrum ſuorum filiorum Iſraël audire mandatum; ſed ex cunctis vrbibus, quæ ſortis ſuæ erant, conuenerunt in Gabaa, vt illis ferrent auxilium, & contra vniuerſum populum Iſrael dimicarent.* Vides aduerſus præceptum belligerare; vide modò eoſdem nulla tergiuerſatione parere: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis vt eos ſuſciperent in pace. Veneruntque filii Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Iterum ad Benjaminitas dant Proceres mandatum: *Præceperunt filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite & latitate in vineis, cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſingulis vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Quid tunc? *Feceruntque filii Benjamin, vt ſibi fuerat imperatum, & iuxta numerum ſuum rapuerunt ſibi de his, quæ ducebant choros, vxores ſingulas.* Iam oritur quæſtio: ſi ijdem populi Primores alibi mandant legibus ſatisfacere, & alibi vxores ducere, & hoc ad vnguem Benjaminitæ ſatagunt adimplere præceptum, cur belligerant, cùm illud audiunt mandatum? Solutio facilis: quia alibi iubebantur parere legi; alibi inſeruire vtilitati, & obedientiam eorum deſideriis attemperatam exactiſſimè adimplerunt; oppoſitam verò contumaciter detrectarunt. Adeſt Ioſephus lib. 5. antiquit. cap. 2. *Inſtante feſto ducenti illi bini, trinive ante vrbem inſidiabantur aduentantibus virginibus inter vineta, & per alias latebras.* Non recuſarunt obedire, vbi populi Primores iuſſerunt deſiderata; proceſſerunt verò in campum, vbi iuſſa ſibi exiſtimarunt incommoda. Profectò ſi ſuperior iubeat legibus conſona, iam ſubiecti ſeditioſa armantur in bella, iam feriunt præcipientem factioſæ querelæ, iam mille extrahendi præceptum quæruntur cauſæ, ſi verò grata, iucundaque præcipiantur, ſine cunctatione implebuntur.

Caſſiod.

Iudic. 20. v. 13.

Ioſeph.

Ieremias mandata profert ad populum, ne videlicet deteſtandis ſacrificiis terram pollnerent, & ſuis hoſtibus militarent. Quid tunc? *Sermonem, quem locutus es ad nos in nomine* 144

Ier. 54. v. 16.

Domini, non audiemus ex te; ſed facientes faciemus omne verbum, quod egredietur de ore noſtro, vt ſacrificemus reginæ cæli. Alibi cùm Ieroboam aureos vitulos conſtruxiſſet, & in Ieruſalem non aſcendere imperaſſet, quam
3. Reg. 17. v.28. facilè præſtiterunt obedientiam: *Excogitato conſilio fecit duos vitulos aureos & dixit eis: Nolite vltra aſcendere in Ieruſalem. Ecce dij tui Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Addit textus: *Fecit ſolemnitatem filiis Iſraël.* Magnus populis confluxus ſacrilegis ritibus, hoſtiis deteſtandis vitulum adorauit; Ieremiæ verò præceptum reſpuit. Et cur qui adeò alibi inueniuntur obſequentes, recalcitrant alibi repugnantes. Quia hîc quod ipſi expetiebant, præcipiebatur, nempe aureum adorare vitulum; ibi quod auerſabantur, obſequium:
Lyra. *Fecit vitulos aureos ad ſimilitudinem vituli,* inquit Lyra: *quem fecerat Aaron:* iuſſit cupita; ergo facilè adimpleuerunt præcepta.
Tertull. Adſtipulatur Tertullianus lib. aduerſus Iudæos capite primo: *Poſterioribus temporibus, quibus Iudæis reges imperabant, & cum Ieroboam vaccas aureas, & lucos colebant, & Baali ſe mancipabant.* Non extraxerunt Ieroboami præceptum; Ieremiæ non attenderunt mandatum; quia Ieremias eos conſtringebat legibus; Ieroboam verò inſeruiebat appetitibus.

145. Cùm Iſaac omni curâ ſolicitudinéque caueret, ne filij Chananæas in vxores acciperent,
Geneſ. 26. v.34. Eſaü Chananæas duxit: *Eſaü quadragenarius duxit vxores Iudith filiam Beëri Hethæi, & Baſemath filiam Elon eiuſdem loci, quæ ambæ offenderant animum Iſaac, & Rebeccæ.* Poſteà cùm pater Eſaü in campum prodire, ciboſque, quibus benedictionem conſequeretur, præcepiſſet afferre, ita promptè præcepta executioni mandauit, vt ſatis fuerit referri præceptum, quo non dubitaretur tetendiſſe quàm celeriter in campum.
Geneſ. 27. v.5. *Quod cùm audiſſet Rebecca, & ille abiiſſet in agrum, vt iuſſionem patris impleret, dixit filio ſuo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Eſaü fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequam moriar.* Quid intereſt, audierit Rebecca, vt executioni iam arbitretur mandatum, quo à patre Eſaü iuſſum? Nonne Chananæas in vxores accipi vetuit, & nihilominus Eſaü contra patris voluntatem accepit: ergo ſi ibi non paruit, neque hîc parebit. Adhæc: cur non dicit Eſaü tetendiſſe iam in agrum; ſed ſolum refert præceptum? ſi vult Iacob ad opus vrgere, referat fratris promptitudinem, quo præripere properantem Iacobo ſuaſerit occaſionem. Imò iam retulit ſatis arcanè. Hoc præceptum erat venatori iucundum: ergo vbi iubebatur, quod optabat iuſſus, ſatis fuit, vt intelligeretur expromptè executioni mandatum, patris retuliſſe præceptum; aſt Hethæas in vxores non ducere Eſaü erat iniucundum: ergo pro materiæ varietate aut geſtiuit obedire, aut contempſit iuſſis parare.
Lyra. *Eſaü abſque conſilio patris & matris* (inquit Lyra) *accepit duas vxores de genere Hethæorum, quæ offenderunt animos Iſaac, & Rebeccæ.* Non adeò expromptè obediuit patri nuptias prohibenti: ac venationem imperanti: alibi namque iuſſio aduerſabatur cupiditati, adulabatur alibi adfectioni: ergo facilè obeditur, vbi quod iubetur, amatur. Perfecta obedientia abſtrahit à materia, & cùm abſit culpa, illud citiùs adlaborat perficere, quod conſtat humanis adfectibus aduerſari.

Saulus feliciùs proſternitur, quàm minarum ac cædis ſpirans, ac equitans gradiebatur. 146.
Ergo iam ſe Domini voluntati committit, & fauſtè cæcus ait: *Domine quid me vis facere?* Actor. 9. v.6. Non attemperauit ſibi mandatum; ſed ſe attemperauit præcepto: iam caret oculis, vt dijudicet, cùm patulis fruatur auribus, vt obtemperet: quod expendens Bernardus in allegor. Tilmani ſic ait: Bernard. *O verbum breue; ſed plenum, ſed viuum, ſed efficax: quàm pauci inueniuntur in hac perfectæ obedientiæ forma, qui ſuam ita abiecerunt voluntatem, vt non quid ipſi; ſed quid velit Dominus, omni hora requirant!* Verè perfectéque obediens, vt totus ſit auditus, nil videt fauſtè exoculatus, vt è contra ab obedientiæ perfectione diſtat, qui eſt totus oculus, vt diſcernat, & ferè ſurdus, vt audiat. Adde aliquando differre homines obedientiam, vt cœleſtium meditationi dicentur, cùm meditatio ſit obedientiæ poſtponenda, & obedientia ſectanda.

Cùm Chriſtus Dominus ruptis infernorum 147.
clauſtris, reſeratis ſepulchris, morte captiua cœlos iam peteret, diſcipulos ſuos veritatis lucem deferre, & nouum per vniuerſum mundum iuſſit diſſeminare Euangelium: Marci. 16. v.15. *Euntes in mundum vniuerſum prædicate Euangelium omni creaturæ:* prolatis iam ad ipſos mandatis circumfuſus gloria, & nobili ſtipatus pompâ inſcendebat cœlos & Apoſtoli expanſis euntem oculis intuebantur viſu abſentiam lenientes, & dolorem gaudio mitigantes, cùm cœleſtes ſpiritus moram carpunt, & venturum iterum præceptorum rationem exacturum oſtendunt: Actor. 1. v.11. *Viri Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cœlum? Hic Ieſus, qui aſſumptus eſt à vobis in cœlum, ſic veniet.* In cœlos dirigebant oculos, cœleſtibus conſecrabant ſenſus; & tamen ab Angelis reprehenduntur. Ac ſi dicant: Dum in mandatis habetis prædicare, non oportet obedientiæ dilatione in adſpicienda gloria immorari. Quid dicerent, ſi non cœleſtibus immorarentur dicati; ſed humanis irretiti? *Per hoc autem, quod aiunt: Quid hîc ſtatis.* inquit Oecumenius ad hunc locum, *admonet illos, vt relicta cura de ea re Ieroſolyma redirent iuxta Domini præceptum.* Oecumen. Obedientiam exigunt, nec cœleſtium contemplatione detineri patiuntur, vt nos edoceant expromptè diuinum implendnm præceptum, & incunctanter ſuperioris mandatum.

***

§. XXXIV.

Digitized by Google

§. XXXV.

A Deo pro ſalute proximorum delegati nullum laborem excuſant, vt prouiderint eorum ſaluti.

148. LAborioſum eſt animarum curam ſubire, quando conſtat ſæpè homines & medicamentis reſiſtere, & ſuis calamitatibus auxiliari: ſic aliquando ſcelerati formidant pœnitentiæ ac reſipiſcentiæ medelam, vt vereri debuiſſent culpam: tenebricoſas confugiunt ad latebras contextis ſtudioſè difficultatibus obarmantur, & contra ſe ipſos ipſi muniuntur; verùm ſi error peccatores indurat, & à ſe ipſis ablegat ſtupidos, zelus etiam Dei miniſtros reddit indefeſſos, & auidos: per ardua montiũ inſcendunt, confuſas vallium latebras perluſtrant, campis excurrunt, & humerum, ſi ouem repetiant, ad portandum ſupponũt. De Caſſiodoro legatione functo, aiebat Theodoricus 5.var.4. *Erigebat conſtantia ſua partes timentes, nec imbelles ſunt crediti, qui legatis talibus videbantur armati. Pacem retulit deſperatam, cuius legatio quid profecerit, datur intelligi qua tantum eſt gratanter excepta, quantum & videbatur optata.* Laboribus non pepercit, vt timentes erigeret, & omnium ſaluti prouidus ſtuderet: quod & Iſraëlitarum legatis accidiſſe compertum eſt: nam cùm Benjaminitæ ad petram Remmon confugiſſent, ſeque latebris, & terræ ſpecubus obarmaſſent, ab Iſraëlitis miſſi nulli pepercerut labori; ſed volatu celeri cõtendentes & erexerunt timidos, & coadunarunt diſperſos: *Miſerunt nuntios ad filios Benjamin, qui erant in petra Remmon, & præceperunt eis, vt eos ſuſciperent in pace. Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & data ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* E latibulis eduxerũt timidos, in meliores ſpes fouerunt deiectos, ac tandem felici adeò euentu perfecerunt latitantium cauſam, vt antiquam recuperarint fortunam: *Reuocandorum ex fuga & latibulis fratrum conſilium, & ſtudium, atque officium ſecutum eſt,* inquit Arias Montanus, *nuntiis ab omni conuentu publica, & communi voluntate, auctoritateque miſſis, qui pacis, & concordiæ, atque neceſſitudinis recolendæ mandata perferrent, vltro atque certis verbis denuntiatam Sacramentis præconiiſque publicè obteſtarentur.* Legatis opus erat montibus exerrare, latibula ingredi, ac labores non modicos ſuſtinere; omnia tamen vicit pietas, & erga diſperſos fraterna charitas. Laboris fructus erat hominũ ſalus, nec circuibant montes ob diuitiarum lucrum; ſed ob alienum defatigabantur commodũ, ne minus ſolicita videretur charitas, ac profũdiora penetrãs cæca auri cupiditas.

Caſſiod.

Montan.

149. Ieremias, vt ardentem animarum zelum exprimeret, Dei nomine aiebat: *Mittam eis multos venatores, & venabuntur eos de omni monte, & de omni colle, & de cauernis petrarum.* Venatores duriſſimos non ſemel oblectamento labores obeunt, ipſis cum feris colluctantur, ſibi ſi ſubtilibus incluſerint retibus, aut dolis capiãt fallacibus, ſibi defatigationis obliti plaudũt, captâ prædâ exultant non tam vtilitatis auidi, quàm dexteritatis exercendæ ſtudioſi. Ergo miſſi à Domino, inquit Ieremias, induent venatorum ingenium, & eis dulceſcent duri labores, ſi homines ferarum ritu viuentes rationi reſtituant, & ad virtutem expoliant: mõtibus degũt homines de brutorum ſocietate obbruteſcẽtes, & ferarum ſæuitiam imitati, aut tranſgreſſi: Ergo hos venatur charitas de omni monte, nec timet ardentiſſimis æſtibus aduri, nec gelidis niuium recuſat rigoribus diuexari: in petrarũ cauernas penetrat, vt inde feros homines extrahat, & cùm non ignoret grandi vitam periculo exponere, errãtes perſeuerat ſtudioſiſſimè perſcrutari. Eſaü venationis voluptate illectus & famem tolerabat & ſolem. Ergo & hi ipſa penuria, ipſis per inuia erroribus, frigore & nuditate venandi animas deſiderio oblectãtur, & ſi vacarint otio, premuntur. Prodeſt Origenes hom.12. in Ier. *Si quis conſideret diſcipulos Saluatoris, vt habeant, non ſolum gratiam ſermonis ita Scripturarum ratione contextam, vt retia, quæ poſſint ſuper humanas animas gyro artificis circumfundi, videbit quomodo vſque in præſentem diem ſaluator mittat hominum piſcatores inſtituens eos animas liberare.* Piſcatores venatoreſque vocat, quò denotet eo ſtudio de lutoſis vndis extrahere, & intricatis ſyluis homines erroribus, ac voluptatibus circumfuſos eruere, ac venatores, piſcatoreſque ſolitant piſces, aut aues capere voluptatis oblectamento, & vtilitatis lucro. Venator noctes inſomnes ponit, & Petrus inſomnem noctẽ poſuerat piſcationi incumbens: ergo hominum iam piſcator pro expiſcandis animabus moleſtas non detrectauit vigilias; ſed crucis ſubiuit lætus moleſtias. Adſpice multos è religioſis familiis, vt venentur Indorum animas maria traijcere, & vſque ad vltimam Thulem zeli pernicibus alis inuolare, videbiſque læto vultu, impigro greſſu ſummas difficultates vorare, & per ignotas ac diffitiſſimas regiones excurrere.

Ierem.16. v.16.

Origen.

Lazarum peſtilens morbus inuadit: citiùs moritur, quàm ægrotarit. Chriſtus infirmitatẽ 150.
in Dei gloriam teſtatur vertendam: *Infirmitas hæc non eſt ad mortem; ſed pro gloria Dei, vt glorificetur filius Dei per eam.* Poſteà mortem fugaturus properat, & ad hominum ſalutem ſe miſſum factis confirmat: *Dater gratias ago tibi, quoniam audiſti me: ego autem ſciebam quia ſemper me audis; ſed propter populum, qui circumſtat, dixi, vt credant quia tu me miſiſti.* A D.o miſſus, quas miſſi à Deo imitarentur proprietates, expreſſit, & anhelum peccatori, cuius Lazarus typum geſſit, vitam refundendi deſiderium, imminentis lapidationis contempſit periculũ: *Dicunt ei diſcipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis illuc?* Dura lapidum grando minabatur ſaluti, charitas verò contẽpſit diſcrimina, & animarum zelus exambiuit honeſtiſſima detrimenta. Ecce non refugit diſputare cum Marthæ, quovſque fidei integritati reſtituat; ecce infremit ſpiritu, ecce lachrymis circumfuſus clamat, quovſque è cauerna extractũ Lazarum, ac ruptis iam vinculis abire iubeat ſolutum: *Soluite eum, & ſinite abire.* Non quæſiuit miraculi plauſum, ſed Dei gloriam, & Lazari vitam: ergo his factis à Deo miſſus qua lege à Deo delegati teneantur, expreſſit, & nos edocuit: *Quare precatus eſt; imò precantis figuram ſuſcepit,* exponit Theophylactus ad hunc locum, *ipſum Dominum dicentem audi: inquit enim: Propter circumſtantem turbam dixi, vt*

Ioann. 11. v.4.

Theophyl.

credant, quòd tu me miſeris. Qui miraculo delegati à Deo habebat argumentum, ab oratione requiſiuit teſtimonium: quaſi oratio delegationis ſit teſſera. Itaque delegati qualitates in ſe ipſo dedicauit, & quid efficere debeamus, oſtendit: deſpicienda ſunt prudenter vitæ pericula, conficienda ad infideles, aut in fide non benè inſtructos argumentorum ſpicula: opus eſt ſolari mœrentes, orationi inſiſtere, demortuum reuocare, & ſtudioſè omnem oſtentationis ambitum effugere: *Abire illum dicit,* addit Theophylactus, *ad fugiendam oſtentationem: non enim ducit illum ſecum, neque iubet, vt ſecum ambulet, vt ſic ſe oſtentet.* Videant à Domino pro lucrandis animabus delegati, an Chriſti veſtigia premant deſpicientes propriæ vitæ periculum, fidei curantes emolumentum, gemitibus, ac prolixis orationibus gratiæ reſtituentes defunctum, ac tandem omnem reſpuentes animitus plauſum. Profectò qui Chriſti Domini diſcipuli legitimè legatione funguntur, anxios labores pro oblectamento habent, mortem deuorant, malentes temporalis vitæ vſura carere quàm proximos errorum implexis ac difficillimis triticis illigati.

151. Iacob Nephthali benedicens emiſſum ceruum eloquia pulchritudinis dantem teſtatus eſt: *Nephthali ceruus emiſſus, & dans eloquia pulchritudinis.* (Geneſ. 49. v. 21.) Ceruum certum eſt renitentes ſerpentes narium halitu extrahere, dentibuſque diſcerpere: ergo Nephthali, inquit Iacob, vt ſe comprobarit à Domino emiſſum, contra ſerpentes ac dœmonum fraudes cerui induet ingenium, & ne fugarit homines, proferet pulchrum eloquium. Itaque homines alliciet ſermone pulcherrimo, & ſerpentes dilacerabit anhelitu validiſſimo. Ceruus per confragoſa contendit, per montuoſa diuagatur, & nullis anfractibus impeditur: & ſiquid nequeat excurrere greſſu, agili tranſgreditur ſaltu, ita vt quæ videbantur impedire, quodammodo inuenta ſint adiuuare. Adeſt Richard. in allegor. Tilmani: *Nephthalin ceruus eſt dans eloquia pulchri: ceruus* (Richard.) *namque dicitur propter currendi facilitatem, emiſſus propter currendi auiditatem, ceruus animal velox nimis, & multum currere poteſt, qui emiſſus eſt. Rectè ergo Nephthalim ceruus emiſſus dicitur, quia per contemplationis gratiam multa percurrere valet, & propter dulcedinem multum ei currere placet.* Præmiſerat: *Promptus in meditatione eſt, & affabilis in ſermone.* Nephthali, qui interpretatur conuerſio, quibus ad gentilium, peccatorumque conuerſionem dicati, & ad ad muneris à Deo miſſi debeant proprietatibus adornari, exprimit, cùm durus in ſerpentes, blandius in homines, cùm per confragoſa inuolat curſu indefeſſo, cùm agili vincit difficultates ſtudio: currere gaudet, vt venenatos diſcerpſerit ſerpentes, & ipſa lætatur defatigatione, ſi ad virtutem eloquio blando allexerit homines.

§. XXXVI.

Nonnulli inueniuntur de alienis generoſi, de propriis parci.

GEneroſitas regia virtus animum prodit honeſtè liberum: cupiditas, & tenacitas plebeij animi indicia ſunt, Dei alumnus diſcipuluſque in omnes liberalitatis ſuæ pluuiam effundit, nec à gratitudine pendet voluptas illi dediſſe eſt, & iam accepit præmium, ſi contulit beneficium: ingenij cœleſtis honeſtè æmulus omnibus ſuccurrit, ex futuro non pendet; verùm mortalium auiditas nullum aut rarum liberalem eſſe permittit: quia ſatis nunquam eſt habendi ſiti, quod theſauris onerandis eſt ſatis: *Eo maiora cupimus*, aiebat Seneca (Seneca.) lib. 2. de Beneficiis cap. 27. *quo maiora venerunt, multoque concitatior eſt auaritia in magnarum opum congeſtu collocata.* Ergo nonnulli generoſitatis famæ ſibi conciliandæ ambitioſi, & cupiditatis ſerui ſic vtrumque affectum componunt: ex propriis parum aut nihil tribuunt indigentibus, ex alienis liberaliſſimè conſulunt neceſſitate aliqua laborantibus. Mirum eſt quàm ſolicitè ſatagant opitulari miſeris, ſed alieni impendio, non proprio ſumptu: ad ſe pertinentiũ tenaciſſimi, ſunt de alienis liberales & generoſi. Ferè deleta erat Tribus Bẽjamin ob defendendi criminis contumaciam, ſexcenti ſolùm viri remanſerant: primores ergo populi de reparanda Tribu ſoliciti conſilium agitant, dolentes Tribum adeò nobilem penitus deleri, & decernentes calamitoſis ſuccurrere; filias tamen ſuas concedere renuunt emiſſi Sacramenti de filiabus in vxores non collocandis prætextu, Iabeſenorum verò filias auferunt, & in vxores concedunt: *Inuenta ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo in terram Chanaan.* Subijcit textus. *Veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & data ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Nonne vides quàm liberales Benjaminitarum calamitati ſuccurrant; ſed non de ſuo; imò cùm ſatis non eſſent adductæ virgines, iterum conſilium agitant, vt cæteris vxores prouideant; ſed de filiabus Silo vxores dandas ſtatuunt, & ad Benjaminitas mandata mittunt: *Cum videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Qui dederunt conſilium, Silonitas non eſſe tradit Abulenſis quæſt. 48. *Iſti ſeniores, qui* (Abulenſ.) *dederunt iſtud conſilium, non erant in eodem loco: nam dixerunt quod quando venirent ad eos patres, & fratres virginum raptarum, reſponderent eis id, quod habetur in littera.* Magna cura omnique ſtudio, aiebant, nobis prouidendum eſt, ne Tribus Benjaminitarum deleta pereat; ſed qui de ſuis filiabus nec vnam conceſſerunt, de alienis ſuccurrere adlaborarunt. Quod ſæpè ſæpiùs contingere videas. Sunt qui pietatẽ affectẽt, qui de aliena miſeria condoleant, qui laborem leuare ſatagant; non tamen proprio ſumptu; ſed alieno ſemper impendio: 152.

Digitized by Google

impendio : ambiunt liberalitatis gloriam, concatnatam patiuntur viſceribus auaritiam: ergo ſua tenaciter retinentes adulantur auaritiæ, & de alienis generoſi inhiant generoſitatis famî.

153. Hanc nos edocuit veritatem Ioſephus dum iras hiſtrionicè repræſentat : aduenerant fratres fame oppreſſi : ergo iubet eorum ſaccos tritico impleri, & pecuniam etiam reponi: Geneſ. 42. v. 25. *Iuſſit miniſtris, vt implerent eorum ſaccos tritico, & reponerent pecunias ſingulorum in ſacculis ſuis datis ſupra cibariis in viam; qui fecerunt ita.* Non otioſè retulit Scriptura ita factum vt prorex iuſſeret : pecunia namque, quæ per miniſtrorum manus ad ſubjectos peruenit, frequenter aſtuta calliditate ſubripitur, & auidis manibus defraudatur. Fratres acceptâ pecuniâ, impletis ſacculis ad propria redeunt; verùm cùm inualeſcente in dies fame Ægyptum repeterent, Ioſeph iubet iterum ſaccos implere, reddi pecunias, ſcyphumque argenteum in ore ſacci iunioris abſcondi : Geneſ. 44. v. 1. *Imple ſaccos eorum frumento, quantum poſſunt capere, & pone pecuniam ſingulorum in ſummitate ſacci, ſcyphum autem meum argenteum, & pretium, quod dedit tritici, pone in ore ſacci iunioris.* Scyphum eximij erga Benjamin amoris fuiſſe argumentum teſtantur Patres. Innuit Gloſſa moralis : Gloſſa. *Fecit abſcondi ſcyphum in ſacco Benjamin fratris ſui vterini.* Vt maiorem erga fratrem ſuum vterinum dilectionem oſtenderet, ſcyphum dilargitus eſt; occurrit verò ſtatim dubium : ſi fratres bis & copioſo argento, & abundanti muneratus eſt tritico, maiora videtur erga eos amoris edidiſſe teſtimonia, & minora erga Benjamin ad ſpeciem protuliſſe argumenta : quomodò ergo vterinum præ aliis ſcypho honorauit, & amorem ardentiorem oſtendit? Recole quid textus referat. Recondita frumenta ad Pharaonem Principem pertinebant; vt etiam de venditis ſpectabat pecunia : ſcyphus ipſius erat : ait enim : *Scyphum autem meum :* ergo ſcyphus propenſiorem iudicabat animum, pecunia frumentumque non adeò propēſum ſtudium: facile namque erat de alienis bonis neceſſitate oppreſſis conſulere; de propriis verò non ita facile prouidere : Ioſeph non auarè; ſed myſterio fecit, & quid à Principum miniſtris fieri ſoleat, eleganti nobis penicillo delineauit : miniſtri aliquando Principum facultatibus, & de ad Principes pertinentibus plurium implent ſaccos, de propriis parciùs impendunt: ſeruant propria tenaciſſimi, de alienis ſuccurrunt neceſſitatibus generoſi; cùm grandius generoſitatis argumentum ſit, vel recula de propriis conceſſa, quam copia de alienis facultatibus dilargita.

154. Frater ſororis oſtium pulſat, & inſtanter ſibi aperiri rogat : *Aperi mihi ſoror mea* : ſtragulis illa intepuerat, & dum frater maiori ſe neceſſitate adurgeri clamat, illa ſtudioſiùs friuolis cauſis deprecantem eludit : aiebat Cantic. 5. v. 2. ille : *Caput meum plenum eſt rore, & cincinni mei guttis noctium.* Ad excitandam commiſerationem relata, forſitan, ne aperiret, fuerunt motiua; ne, dum indiget, fratri aperiret, friuolas excuſationes allegauit; ſed quæ, vt indigentem hoſpitio exciperet, nequibat ſurgere, vt diuitiis exundanti adhæreret totam ciuitatem circuiuit, & à Ieruſalem, quem quæreret, rogata reſpondit : *Caput eius aurum optimum, comæ eius ſicut elatæ palmarum, nigræ ſicut coruus.* Sicut coruus profectò, qui pauit Eliam. O quàm aliter ſe geſſit ſoror erga fratrem indigum, & copioſum! Vbi ſperauit ſe fore paſcendam, quæſiuit : vbi præbere opus, excuſationes varias prætendit; verum hæc ipſa ſi inueneri, in matris domum proponit fratrem ducere, ibique omni obſequio, omnique ſtudio ſuam erga illum affectionem oſtendere: *Apprehendam te, & ducam in domum matris meæ; ibi me* Cantic. 8. v. 2. *docebis, & dabo tibi poculum ex vino condito.* Si adeò ſe modò officioſam offert, cur amicà minùs ſe ciuilem exhibuit? Iam textus expreſſit: ad matris domum ſe delaturam teſtatur; cumque ibi maternis expenſis fratri quiuetit indulgere, nullum prætermittit officium; at dum eius fores pulſat, quia ibi propriis ſumptibus cogitur indigenti ſuccurrere, & famelicum alere, varias colorauit cauſas, & ad rationes confugit friuolas : *Veſtes, ait, interiores depoſui*, ita noſter Delrius in littera, Delrius. *ſtragulis intepui, ac more gentis lauta cubitum me recepi. Ergo me ſic ſurgere? Cur non praeuiniſti? Dignus ne, quem excludam? ſic deliberans moratur.* Fratris quodammodò defatigauit patientiam, & arripere coëgit fugam, dum propria domo recipere opus; at in matris domum egentem ducet, eiúſque impenſis menſam lautam apponet : in matris domo adulatur obſequioſa, & condito vino recreat ſolicitá; ſuæ verò domi nec vinum dedit : alienis ſumptibus lautam præbet cœnam, propriis nec menſam exhibuit anguſtam : in matris domo vinum ad ſaporem medicamentis condit; ſuæ nec aquam dedit : & vide ne fortè ſibi fratris colore indulgeat, dum materna in domo fratri indulgere ſe iactat.

Cùm in ſanctorum arcanis factis mores noſtri ſæpè ſæpiùs depingantur, iuuat expendere quomodò Dauid erga Berzellaï, & Siba ſe geſſerit : fugienti Dauid Siba occurrit duos aſinos ducentis panibus, centum vvæ alligaturis : vtreque vini onuſtos ſecum deferens indigentique offerens : nec contentus fuit iniquus ſeruus domino abſtuliſſe ſubſtantiam; ſed infidelitatis impegit notam : Dauid indignatione in Dominum exaſperatus, & ſerui obſequio delinitus copioſis donis munerauit: 155.

Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth. Berzellaï maiora offert : *obtulerunt ei ſtratoria, &* 2. Reg. 16. v. 4. *tapetia, & vaſa fictilia, frumentum, & hordeum, & farinam, & polentam, & fabam, & lentem, & frixum cicer, & mel, & butyrum, oues, & pingues vitulos.* Iam rebus compoſitis iterum Berzellaï occurrit : *Berzellaï quoque Galaadites deſcendens de Rogelim traduxit regem Iordanem, paratus etiam vltra fluuium proſequi eum: erat autem Berzellaï Galaadites ſenex valde, id eſt,* 2. Reg. 19. v. 31. *octogenarius, & ipſe præbuit alimenta regi, cùm moraretur in caſtris : fuit quippe vir diues nimis.* Repetitis officiis benemeritus eſt de rege. Quid tunc Dauid? *Veni mecum, vt requieſcas ſecurus mecum, in Ieruſalem.* Non prædia promiſit, non ciuitatibus donauit, ſecuritatem ſolum ſpopōdit: cumque Berzellaï ætatem ſuam ad occaſum iam vergentē diceret, & filio

Chamaan reddi gratiam deprecaretur vrbanus. Dauid bonis ſpebus eum fouit, & ſe retributurum quidquid deprecaretur, promiſit: *Mecum tranſeat Chamaan, & ego faciam ei quidquid tibi placuerit, & omne quod petieris a me, impetrabis.* Si Siba obſequium copioſæ hæreditatis donatione ſtatim munerauit, cur adeò magna repetitaque Berzellai officia præſentaneis non remuneret largitionibus; ſed ſolum foueat ſpebus? Quia Berzellai opus erat de propria remunerare ſubſtantia, Siba remunerauit de aliena, ait namque: *Tua ſint omnia, quæ fuerunt Miphiboſeth*, & licèt Dauid nulla auaritiæ macula ſit aſperſus, nulla vmbra ingratitudinis defœdatus, cùm ad noſtram eruditionem omnia ſcripta fuerint, voluit Spiritus Sanctus nobis oſtendere, quàm largiter de alienis tribuatur, quàm de propriis parciùs donetur: *Prælati*, ait Gloſſa moralis, *tales adulatores & detractores multum debent abhorrere, & ne præcipitanter rem concedant alienam, diligenter præcauere.* Largè de alienis conceditur, anguſtius de propriis rebus effunditur. Gloſſa.

---

§. XXXVII.

Principes Superioréſque de omnium debent ſalute curaſſe, nec ſingularitatibus offendiſſe.

156. Quiſquis populare odium cupit effugere, interna curet effulgere virtute, & odioſa exarpetare refugiat ſingularitate. Sint omnia intus diſſimilia, populo conueniat frons: nam à communi modo ſe excerpere inuidiam ſibi conciliat, & maledicorum linguam inflammat. Benè Seneca epiſt. 5. *Illud te admoneo, ne eorum more, qui non proficere; ſed conſpici cupiunt, facias aliqua, quæ in habitu tuo, aut genere vitæ notabilia ſint*; verùm etſi quiſque ſingularitatem in habitu ſuo, aut viuendi modo debeat vitare, ſi munus ſuperioris geſſerit, animitus erga alios curabit effugere. Singularitas etiam, cùm ſua non intereſt, plurium linguas ad obmutmurandum obarmat, & gaudent inueniſſe, quod abrodant. Satis per ſe inuidioſum eſt Principis, Superiorisve nomen: ergo eo ſtudio debet geri, vt non videamur peculiari erga aliquos affectione duci, & æquales cauſas inæqualitate tractare. Non ſuadeo gradus confundi, aut qualitates longè diſſimiles eadem exæquari menſura; tunc enim nihil erit æqualitate inæqualius: ſingularitatem fugiendam hortor, cùm nulla diſcriminis elucet cauſa, nec ratione ſuffulcitur differentia. Huius Philoſophiæ non ignari Iſraëlitarum proceres, cùm reliquis ſexcentis Benjaminitis vxores, ne deleretur Tribus, dare impensè deſideratent, & illorum quadringentis adductas de Iabes Galaad virgines in matrimonium locaſſent, ſolicitè agitabant conſilia, ne ducenti reliqui ſe, arbitrarentur deſpectos, & inde acrius oriretur diſſidium, vnde pacis procurabatur augmentum: *Dixerunt maiores natu: Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Omnes in Benjamin fœminæ conciderunt, & magna nobis cura, ingentique ſtudio prouidendum eſt, ne vna Tribus deleatur ex Iſrael.* Profectò iam videbatur, ne Tribus deleretur, prouiſum, quandoquidem quadringenti vxores duxerant: *Inuentæ ſunt de Iabes Galaad quadringentæ virgines, quæ neſcierunt viri torum, & adduxerunt eas ad caſtra in Silo ... veneruntque filij Benjamin in illo tempore, & datæ ſunt eis vxores de filiabus Iabes Galaad.* Si anguſtior animarum numerus Ægyptum ingreſſus in tantam generis excreuit amplificationem, vt ſummam quodammodo ſuperarent, cum Benjaminitæ plures ſint numero, germinabunt & iam ad Tribus conſeruationem, & omnem depellent procerum anxietudinem: cur ergo magna ſibi curâ, & ingenti ſtudio, ne deleatur Tribus, teſtantur prouidendum, quando iam omne deletionis aberat ad ſpeciem periculum? Fortè quia grauius à ſingularitate verebantur detrimentum: nam cùm eadem ſexcentorum fuerit cauſa, quin vlla eos diſtinguere poſſet differentia, dum aliis virgines in matrimonium locantur, & alij cœlibes relinquuntur, implacabiles fortè exorientur lites, & forſitan quos non extinxit penitus bellum, extinguet ob ſingularitatem diſſidium, & fortaſſis, dum inæqualiter ſatagunt prouidere, inueniontur ipſa inæquali prouidentiâ deſtruere. Sapienti igitur ac politico conſilio omnibus conquirunt virgines in vxores, ne Tribus conſumatur, dum his implacabilis oritur: *Dixerunt maiores natu*, inquit Abulenſis q. 32. *id eſt, ſeniores, & prudentiores, qui maioris auctoritatis habebantur in populo, & ad quos pertinebat de factis totius multitudinis curam gerere.* Adnectit: *Quid faciemus reliquis, qui non acceperunt vxores? Scilicet, vnde dabimus eis vxores, vel quomodo faciemus quod illi non moriantur ſine prole: quia per hoc magnum detrimentum patietur Tribus Benjamin. Iſti erant ducenti viri, pro quibus non fuerunt virgines Iabeſenæ.* Magnam adhibuerunt curam, ne ſingularitas politices venenum odia ſereret, ex quibus iurgia emergerent, & excidia pullularent. Abulenſ.

Deus de limo hominem conſtruens aiebat: *Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram*; poſteà, vt efformaret mulierem, iterat etiam conſilium: *Non eſt bonum eſſe hominem ſolum, faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Efformare poterat fœminam, vt produxerat lucem: quia tamen homo antiquiorem molitione ſua honorem ſuſceperat, dum de eius ſtructura conſultè agitur, ne mulier, quæ eiuſdem erat generis, ſe quereretur deſpectam, eandem molitionis adhibuit formam: docuit ſapientiſſimus artifex omnes æmulationis vitare cauſas, ne diſcrimen pacis ingeneraret inſidias. Notauit Baſilius Seleucienſis orat. 2. *Iterum deliberatio, iterum conſilium, iterum homo quod formabatur: illic dicebat: Faciamus hominem ad imaginem, & ſimilitudinem noſtram: hìc quoque: Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi.* Adnectit moraliſſimè: *Haud diſſimilia conſilia: etenim quæ formabantur, generis eiuſdem erant, figura ſimiles, quia pari in pretio, quæ fiebant. Iterum igitur deliberatio, vt quod formabatur, in honore eſſet: æquali cum dignitate hominem efformemus, ac figuremus, æqualem gloriâ cum eo* 157. Gen. 1. v. 26. Gen. 2. v. 18. Baſil.

Digitized by Google

eo coniungemus, ne ſit honore defectior muliercula, neve genere notho dedecoret opera. Expende illud: *Etenim quæ formabantur, generis eiuſdem erant.* Optimus parens politices normam exhibens æquali honore habuit genere ſimiles, & formâ æquales: vt diſcant, qui præſunt, diſparitate non exaſperare æquales, nec inæqualitate offendiſſe congeneres: eſt namque ſingularitas odij nutrix, litium mater, triſtitiæ fomes, calumniarum occaſio, obmurmurationis materia, diſſidiorum cauſa.

158. Pater ille, qui duos filios habuit, iuniore ſubſtantiam expetente vtrique partitus eſt: *Et diuiſit*, inquit, *illis ſubſtantiam*: hîc omnia pacata; verùm cum redeuntem filium opipara menſa honotaret, & ſtola prima veſtiret, iam frater indignatus dehoneſtat fratrem, iam patrem abrodit, iam omnia clamoribus implet: *Nunquam dediſti mihi hædum, vt cum amicis meis epularer; ſed poſtquam filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum.* Duos non capit domus ampla germanos, & paterna pietas variis arctatur motibus filiorum, quia videt fratrem fratris reditu mox fugari. Verùm ſi frater paſſus eſt ſubſtantiam diuidi, nec vlla tunc inter fratres diſcordia, nec de patente auditur querela, cur modo pietatem parentis filius non veretur denigrare, nec fratris frater timet delicta referre? Certè quia pater inæqualiter ſe geſſit modò, æqualiter anteà: & quamuis omnia venerint de myſterio, nulla de erraro, vt nouerint Præſules pacem æqualitate fulciri, & diſſidia inæqualitatibus germinare, vbi auditur æqualitas, pax efflorer, & nulla verberat aures querela; at vbi erga filium alterum indulgentior, iam inuidia gaudia perturbat, iam fratrem infamat, iam querela patrem obſcurat. Profectò pater charitatis oſtendit pinguedinem, dum aduentanti filio conuiuium inſtruit, dum nudum veſtit; verùm licèt nulla querelarum interceſſerit iuſta cauſa; ſed ſola furat inuidia, dum inuidia furit ſine cauſa, nobis oſtenditur, quam exaſperatus fuerit liuor differentia. Vt iuſtam odium indignationis cauſam omnibus perſuadeat, fratris defectu publicat, & parentis pietatem iniqua lingua flagellat: *Petente vno*, inquit Chryſologus ſerm. 1. *Ambobus totam ſubſtantiam mox diuiſit:* Vbi æqualitas, ibi tranquillitas, & diſſidium, vbi inæqualitas? Non habuit obmurmurandi colorem maior, vbi pater ambobus ſubſtantiam diuiſit; & licèt modò nulla interceſſerit criminandi cauſa, ab ipſa, quantumuis iuſta differentia occaſionem arripuit inuidia: quod ſi ex laudanda differentia perículoſa emerſerunt diſſidia, quæ putas orientur ex non adeo iuſta ſingularitate bella?

Lucæ 15. v.12.

Chryſol.

159. Moyſes cœleſtis alimenti diſtributor æqua menſura impertitus eſt: *Colligat vnuſquiſque ex eo quantum ſufficit ad veſcendum, gomor per ſingula capita.* Hoc mandatum à Domino teſtatur profectum: *Hic eſt ſermo, quem præcepit Dominus.* Ne ob diſcrimen orirentur diſſidia, dum quis plus, alius minus accipit: æqualem ſe Moyſes erga omnes in diſtributione exhibuit: & Dominus, qui populi tranquillitatem curabat, omnem inæqualitatis occaſionem amouit, & iurgiorum cauſam præcidit: ſi aliqua in panis diſtributione interueniret differentia, forſitan orirentur iurgia, & quod Apoſtolis contigit, Moyſi contingeret: nam cùm omnes ſimus benigni noſtrarum actionum interpretes, & non adeo aliarum æqui iudices, dum quiſque ſibi alium dolet prælatum, iniuria ſe ingemiſcit affectum: ergo Dominus, vt omnium querelas præciderit, æqua menſurâ manna præcipit dilargiendum: *Sicut iſte cibus*, inquit Lyra, *dabatur diuino miraculo, ita eodem modo fiebat, vt plurimum indigenti ſufficeret.* Maluit Dominus miraculo plus indigenti ſatisfacere, quàm cibum inæqualitate diſtribui: & quidem dum ſeruatur æqualitas, tollitur guloſitatis auiditas, & opinionum diuerſitas. Apoſtoli nullo denigrabantur defectu in ciborum diſtributione: neceſſitati conſulebant, & charitatis leges ſtudioſiſſimè obſeruabant; ſatis verò fuit aliquam interceſſiſſe differentiam, vt religioſa obmurmurauerit turba: *Factum eſt murmur Græcorum aduerſus Hebræos, eo quòd deſpicerentur in miniſterio quotidiano viduæ eorum.* Eorum viduæ nullatenus deſpiciebantur; verùm dum aliquod intercedit diſcrimen, ibi præſumptio deſpectus exaſperat, & querela pacem turbat. Hoc *non erat malitiæ*, inquit Chryſoſtomus apud Gloſſam; *ſed multitudinis forſan ignauia.* Itaque ſatis non fuit nullam Apoſtolos denigrare vel culpæ vmbram, quominus plures non exaſperatit in cibis diſtribuendis differentia: ibi ergo auditur murmur, vbi inæqualitas, & vbi eadem omnibus menſura, non auditur querelarum temeritas.

Exod. 16. v.16.

Lyra.

Actor. 6. v. 1.

Chryſoſt.

---

§. XXXVIII.

Qui peccatis indulget, ſibi prouideat effugium: nam à tergo ſequitur detrimentum.

Plura ſunt, quæ nobis contingunt, quàm quæ accidunt: nos ipſi, dum iniquis artibus oblectamenta quærimus, calamitatem aſciſcimus, verticem confragoſis rendentes exambimus, & præcipites exambiendo non ſolum labimur; ſed etiam ruimus: plures, dum miſeriæ ſatagunt ſubuenire legum iniuriâ, inuenti ſunt ampliare: doloſo voluptatum nitore fallimur, nec quid ſub ſpecioſa illa cruſta lateat, diſcutimus. Mihi crede, non ſemel, dum illicitis ſtudemus oblectamentis, vires addimus infortuniis, & cùm nauta dimetiatur æquoris profunditatem, ne in ſicco hæreat, aut in contectas ſyrtes incidat, nos periculoſiùs, infideliuſque pelagus nauigantes inexploratis ventis, & vorticibus vela expandimus, & fortunæ cæcæ committimus: *Adhibe diligentiam tuam*, monebat Seneca epiſt. 110. *& intuere quid ſint res noſtræ, non quid vocentur, & ſcies plura mala contingere* 160. Seneca.

FFf 4 nobis,

Digitized by Google

nobis, quàm accidere. Subiungit: *Quoties magna gratulatione excepta res gradum ſibi ſtruxit in preceps, & aliquem iam eminentem allenauit etiamnum, tanquam ibi adhuc ſtaret, vnde tuto caderet.* Icarus dum altius inuolat, & cæteris altior ſuperbit, miſerabili caſu ruit: non ſolùm terminus; ſed via etiam inſpicienda eſt. Iericho roſatum fragrantia oculos allicit, ſenſus oblectat; ſed via graſſatotum inſidiis etiam eſt plena, qui odore illectus pergebat, dum incautè inuolat, ſemiuiuus iacuit, & nudus. Profectò voluptatis ſectator cautiùs debuiſſet incedere, & profugium ſibi comparare, cum calamitas, ſi voluptatibus non immixta, à tergo ſaltem ſequatur, voluptuoſumque comitetur:

Lucæ 10. v. 30.

Incidit in latrones, qui etiam deſpoliauerunt eum, & plagis impoſitis abierunt. Salute & diuitiis nudatus eſt, dum voluptati ſtudebat, in ipſa via expertus eſt detrimenta, quo infelix nec ad deſiderata perueniret, nec calamitatem vitaret. In hoc viatore Adamum

August.

eiuſque imitatores intelligi tradit Auguſtinus in catena D.Thomæ ad hunc locum: *Homo eſte ipſe Adam intelligitur.* Arboris externa venuſtate illectus, quæ laterent, non cogitauit appetitus, & dum extendit manum ad rapinam, graſſatorum patitur etiam audaciam, & iacet miſerandus & nudus. Hinc diſces, cur Benjaminitæ, vt Silonitas virgines rapiant, ad rapiendum anniuerſarium in Silo celebritatem expectent, & cur populi primores ad eiuſdmodi raptum expectare celebritatem hanc conſuluerint. Silo ditioni Benjaminitarum iacebat vicina: ergo periculum Silonitis puellis emerſit ab adoleſcentibus proximis, & vicinis. Benè; ſed ſi inquiras, cur magnates ſeneſque conſilia agitantes, & magna ſibi cura Tribui Benjamini, vt teſtantur ipſi, prouidentes: *Magnâ nobis curâ, ingentique ſtudio prouidendum eſt, ne vna tribus deleatur ex Iſraël:* anniuerſariam Silo ſolemnitatem expectent, nec ex aliis vrbibus puellas ſibi rapere imperent: *Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin:* Reſpondebit Abulenſis ex Silonitis oportuiſſe accipere, ne, ſi aliunde quærant, ingentia diſcrimina incurrant: nouerant longa experientiâ ſenes peccatum à tergo inſequi detrimentum: ergo proximum raptoribus prouiderunt profugium: alioquin virginum parentes iniuriâ exulcerati inſequentur, & dum ſtudent conſeruationi, raptores occidentur violenta nece, & dum quærunt oblectamenta, ſuſtinebunt infortunia.

Abulenſ.

Quæretur vlteriùs, inquit Abulenſis q. 39. *Quare potiùs iuſſerunt ſeniores Benjaminitis, quod raperent puellas vrbis Silo iſto modo, quàm puellas aliarum vrbium?* Quæſtioni reſpondet cauiſſe, ne, ſi quam celeriter ad tuta ſe non recepetint, calamitatem adauxerint, ob idque ibi conſuluiſſe raptum, vnde non diſtabat profugium. Audi Abulenſem: *Hoc factum eſt ad tutelam Benjaminitarum, ſcilicet quia Silo eſt coniuncta ſorti Benjamin.* Adiicit: *Patres atque cognati puellarum perſequerentur velociter Benjaminitas, qui non poſſent nimis velociter fugere, cùm traherent captiuas virgines: ideò ſi aliquantulum diſtaret locus refugij Benjaminitarum ab vrbe, de qua raperet puellas, citò conſequerentur eos patres, & cognati puellarum, & occiderent illos.* Dum ſeniores munimenta prouident, quàm à tergo culpam pœna inſequatur, declarant: & quidem ni concitato gradu in munita ſe recepiſſent, raptus pœnam ſoluerent, & à puellarum parentibus, & cognatis occiſi & trucidati iacerent. O quàm eſt verum illud Hiſpanicum prouerbium: *Haz bien, y no cates a quien: haz mal, y guarte:* id eſt, ſi benè egeris, nec homines, nec Deum timebis: Deus namque non eſt virtutis vltor; ſed remunerator, homineſque, ſi non accipiant offenſam, non inardeſcent ad mulctam; at qui malè operatur, ſibi caueat: ſoluitur namque longo ſupplicio fallax: ac breuis voluptas, & dum exoculata libido inhiat ad oblectamentum, conciliat ſibi infortunium: vnus erat, qui rapiebat virginem, virginis cognati plures: ergo ſapienter ſenes cogitarunt de profugio: quia calamitas imminet ſemper errato.

Caïnus Orco viam aperuit, & cùm fraterno ſanguine terram contaminat, ciuitatem 161.
etiam ædificat: *Ædificauit ciuitatem, vocauitque nomen eius ex nomine filij ſui Henoch.* Genes. 4. v. 17.

Continuis timoribus exagitatus, moleſtiſſimis ſuſpicionibus diſtortus muros erexit, & ciuitatem, qua ſe ab infortuniis protegeret, fabricauit: & quidem Caïni cura nobis eruditio eſt: nnn adeò obſcurabatur eius prudentia, vt non viderit neceſſarium fore ſibi profugium, vbi commiſit peccatum: ciuitatem ad ſui tutelam conſtruxiſſe tradunt Sacri Interpretes, Patreſque. Adeſt Rupertus apud Gloſſam: Rupert.

Notandum quòd prima terrenarum ciuitatum cauſa homicidium ſit: nam quia Caïn homicidium fecerat, & ob hoc omnibus odioſus vagus, ac profugus ſuper terram erat, idcirco ciuitatem, quæ eum tutaretur, ædificauit. Dum habitat ædem, dum inter delicias, voluptateſque degit, ciuitatem, qua ſe tueatur, ædificat, vt qui nouerat opus eſſe ſanguinem effundenti, & delicias ſectanti munimina ſibi conſtruere, & nullo ad tutelam labori parcere. Et vide quàm vera ſit noſtra theſis: poſt adhibitam ſolicitè à Caïno curam, poſt ciuitatem tot laboribus fabricatam, morte violenta occubuit, & pœnas effuſi ſanguinis dedit: *Occidi virum in vulnus meum:* Genes. 4. v. 23.

ab altero voluptatum etiam ſectatore, ſcilicet Lamech bigamo telo tranſuerberatus occiditur, & de medio, quin cautela profuerit, inopina morte tollitur.

Ieremias deliciis ſtudentem populum ſub 162.
mulieris vagæ ænigmate alloquens ſpeculam ſibi, è qua hoſtiles poſſit proſpicere inſidias, monet conſtruere, & in editiſſimo collocare: *Statue tibi ſpeculam, pone tibi amaritudines, dirige cor tuum in viam rectam, in qua ambulaſti: reuertere virgo Iſraël, reuertere ad ciuitates tuas iſtas: vſque quò delicijs diſſolueris, filia vaga?* Ierem. 31. v. 21.

Specula tuguriolum eſt in eminentioribus montium verticibus conſtructum, vnde à longè proſpectari poſſint inimicorum greſſus, & eludi conatus: ergo deliciis ſtudentem adhortatur ſibi conſulere, & ſpeculam fabricare: ni enim omni ſolertia ſibi præparauerit munimentum, miſerum

patietur

Digitized by Google

patietur excidium: vt à Deo prouentura tibi ſupplicia impedias, monet, delicioſam amaris lachrymis culpam dele; vt humana imminentia tibi pericula eludas, ſpeculam conſtrue: delicias namque velut vmbra ſequitur pœna; imò pœna multiplex, quandoquidem Deus ſupplicium infert, & homo inopinam mortem affert: *Statue tibi ſpeculam*, inquit Hieronymus, *vt prouida diſcretione circumſpiciat, & quaſi de arce contemplationis, priuſquam culpa veniat, deprehendat.* Opus eſt delicioſis intentis ſemper oculis inuigilare, & palpitantibus præcordiis viuere voluptates namque & deliciæ in delicioſum vti conſtructæ acies pugnant, ſalutem euertunt, homines ad vindictam inflammant, Deumque prouocant; quocumque ſe delicioſus verterit, duriſſimis pungetur ſpinis, & amaris cruciabitur pœnis. Adde vitio neceſſaria eſſe arma complurima, quibus certius eſt, quàm defendi, prægrauari. Vtrumque miro exemplo nos edocuit ſacra Scriptura.

Hieronym.

163. Philiſthæus ille gigantæa mole procerus, multis ac fortiſſimis armis refertur grauatus: dum per otium huius gigantis armaturam textus refert, nos hanc veritatem docet: *Caſſis area ſuper caput eius, & loricâ ſquammatâ induebatur, ocreas areas habebat in cruribus, & clypeus areus tegebat humeros eius.* Iſraëlitas tumidè paruipendens, in Deum linguam obarmans plurimis armis, nec otiosè tegitur: eſt namque opus vitiorum ſectatori omni ſe armorum genere communire, & aduerſus multiplices caſus tutari. Cenſeres hominem ferè immetatis viribus præualentem, & toroſis membris conſtantem, & inſuper armorum ope protectum diu victurum; ille verò, vt qui Deum hominesque offenderet, multimoda quæſiuit auxilia, nec imprudenter obiecit hoſtibus munimenta. Humanæ prudentiæ fuit arma ſibi fabricare; verùm vt culpæ efficacia, roburque aduerſus peccatorem clariùs agnoſcerent, inducitur vndequaque munitus, & nihilominus deiectus, & iugulatus: *Preualuit Dauid aduerſus Philiſthæum in funda & lapide.* Quem dirigebat in eius auctorem culpa, lapidem caſſis non repulit: ipſaque gigantis arma accelerarunt ruinam, quæ præſtitura videbantur tutelam: armorum pondere laborauit prægrauatus, nec effugit ictum munitus: *Deo contumelia dicitur* (verba ſunt Baſilij Seleucienſis Dauidis nomine oratione 15.) *ecquis in pugnam non armetur?* Non aberrauit maledicus, dum ſe plurimis armis muniuit; non tamen profuerunt: quia amara lingua aduerſariorum manibus refundit vires, & dum exulcerat maledicentia honorem, ſibi præmaturat ſtragem.

1.Reg. 17. v. 5.

Baſilius.

§. XXXIX.

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet.

MVlier in adiutorium hominis efformata, in flagitium conuerſa eſt: *Hæc eſt mulieris antiqua malitia*, inquit Chryſologus ſerm. 127. *Quæ Adam eiecit de paradiſi delicijs, hæc cæleſtes homines fecit eſſe terrenos: hæc humanum genus miſit in infernum. hæc vitam abſtulit mundo propter vnius arboris pomum.* Mulier ſenectutis rigorem, & ætatis frigiditatem inflammat, hominum mentes obturbat, adoleſcentiam corrumpit, ac denique omnem ætatem inquietat: quod ſi in publicum procedat, & fucorum adulationes, & ornatus ſplendorem addiderit, periculoſum iam in propriam, & aliorum pudicitiam bellum gerit. Quam video adhuc virginitatis gloriâ poſt ſerpentis alloquium decoratam; vbi verò artificioſa viriditate foliorum nuditate corpus exornauit, & ſe florida veſte contexit, virginitatem reſignauit, & de virgine in mulierem tranſiuit: *Conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi perizomata:* Poſt perizomata artificiosè intexta mulier à viro refertur cognita: *Adam cognouit vxorem ſuam Euam*, vt ab exordio muliebris ornatus virginitati noſceretur inſidioſus. Opportunè Tertullianus de cultu fœmin. cap.9. *Erga veſtitum quoque, & reliqua compoſitionis veſtræ impedimenta proinde vobis curanda eſt amputatio, & recuſſio redundantioris nitoris.* Adnectit: *Hæ pompæ quàm de proximo current luxuria negotium, & obſtrepant pudicitia diſciplinis, dignoſcere in facili eſt; quod gratiam decoris cultus ſocietate proſtituant.* Eua, etſi anteà decora, ante cultum virginitatis gloriam non amiſit. Iam quantum publicatio pudicitiæ obſit, aperta, antiquaque exempla ignorari non patiuntur: *Illam conſuetudinem*, addit Tertullianus de veland. virginib. cap. 2. *Quæ virgines negat, dum oſtendit, nemo probaſſet, niſi aliqui tales, quales virgines ipſæ.* Qui delicatiſſimi floris pudicitiæ qualitatem nouerunt, oculorum faſcino deuenuſtari probarunt. In publicum dices fœminam prodire omnis impuritatis expertem; ſed licito tantummodò gaudio fruituram. Certè dum in publicum virgo prodit, pudori alieno creare periculum, aut proprij ſuſtinere naufragium probat Iudic. cap. 21. Remanſerant ex Benjaminitis ducenti viri ſine vxoribus, vtque eas acciperent, hoc à maioribus eis exhibitum conſilium eſt: *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionem vrbis Bethel, & ad Orientalem plagam viæ, quæ de Bethel tendit ad Sichimam & ad meridiem oppidi Lebona. Præceperuntque filijs Benjamin, atque dixerunt: Ite & latitate in vineis, cùmque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis. & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Ni puellæ choros ducerent,

164.

Chryſol.

Geneſ. 3. v. 5.

Geneſ. 4. v.1.

Tertull.

Digitized by Google

rent, ni in publicum prodirent, inſidias non ſubſtinerent; at dum pompaticè ornatæ choros ducunt, dum publicum non verentur, ab inſidiis latitantibus præter opinionem rapiuntur. Huc voco Cyprianum de habitu virgini. Cyprian. *Dum liberiùs euagari virgines volunt, eſſe virgines deſierunt furtiuo decore corruptæ.* Iam non virgines, dum choros ducunt, & fortaſſis ob id maiores non dixerunt: Cùm videritis virgines; ſed, *cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere:* Nam quæ choros ducebant, iam aliquomodo conſtupratæ teſtante Tertulliano cap. 3. de veland. virgin. Tertull. *Omnis publicatio virginis bonæ ſtupri paſſio eſt.*

165. Eſto mulier luxuriæ negotium non gerat cultiori ornatu exculta, & inutili ſpeculorum conſilio expicta: laqueos aliis aſpicientibus tendit, & licèt propriæ non ſit caſtitatis rea, alieni inuenitur periculi cauſa. Holofernes ille gentium terror, cùm ferro varias prouincias edomuiſſet, mulieris ſpecie, cui floridus cultus tulit ſuffragium, vitæ ac pudicitiæ paſſus eſt inopinatè periculum. Nulla interueniente culpa; imò de religionis ac virtutis conſilio Iudith eximia pulchritudine dotata opem à lætiori cultu, & pompatico ornatu petiuit: Iudith. 10. v. 3. *Vnxit ſe myro optimo, & diſcriminauit crinem capitis ſui, & impoſuit mitram ſuper caput ſuum, & induit ſe veſtimentis iucunditatis ſuæ, induitque ſandalia pedibus ſuis, aſſumpſitque dextraliola, & lilia, & inaures, & annulos, & omnibus ornamentis ſuis ornauit ſe. Cui etiam Dominus contulit ſplendorem: quoniam omnis iſta compoſitio non ex libidine; ſed ex virtute pendebat.* Cultus ſplendor, fragrans myri odor, varium ornamenti decus militabat virtuti; verùm etſi Iuditha nullatenus ornamentis fuerit attaminata, Holofernis corruit temperantia, dum gratam per oculos peſtem ſuxit, dum adulari appetitui nititur, iacet ebrius, & inopinè etiam occiſus: ornatus floriditas iucundum reddidit, & mentem iucunditas vino tradidit: Iudith. 12. v. 20. *Iucundus factus eſt Holofernes ad eam, bibitque vinum multum nimis, quantum nunquam biberat in vita ſua.* Vt amplius appetitus indulgeret inſaniæ, vini addidit flammas, & dum indulſit vino, occiſus eſt etiam ferro. Lyra. *Ex ardore namque libidinis*, inquit Lyra, *iam amiſerat diſcretionem cauendi ſibi ab exceſſu vini.* Cultus muliebris tetendit retia, ebrius ſuſtinuit ſupplicia. Nec prætermittendum eſt deſumptum ex hac Iudithæ hiſtoria pro illa Tertulliani ſententia: *Omnis publicatio ſtupri paſſio eſt*, clariſſimum teſtimonium. Ecce dum Iuditha in domus penetralibus latitat, dum lætiori veſte non induitur, nec periculum ſibi aduocat, nec alteri creat; at vbi pompatico reluxit cultu, & cultiori reſplenduit ornatu, opus fuit Angelicam opem aſciſcere, & comitem habuiſſe Angelum conteſtari: Iudith. 13. v. 20. *Viuit autem ipſe Dominus, quoniam cuſtodiuit me Angelus eius, & hinc euntem, & ibi commorantem, & inde huc reuertentem, nec permiſit me Dominus ancillam ſuam coinquinari.* Dum latebat, eâ ſpeciali cuſtodia non indiguit, dum ornatior inceſſit, Angeli auxilio opus fuit: nec mirum comitetur euntem, & ibi commorantem; ſed cur comitetur abſciſſo iam capite reuertentem? Quia nondum ornatus exuerat inſidias, & ideò oportebat ad caſtitatis opinionem Angelum præſtitiſſe etiam redeunti ſuppetias. Iuditha ſe conſpiciendam præbuit cœleſti, vt dicebamus, conſilio; adeò verò graue caſtitatis periculum eſt videri, vt opus fuerit ab Scriptura habere teſtimonium, & Angelicum etiam auxilium, ne eius caſtitas ſuſpicionibus denigraretur, ipſe namque cultus bellum gerebat opinioni: quia non ſemel aduerſatur caſtitati.

Omnis compoſitio de ſtudio placendi oritur tam in viris, quàm in fœminis. Accipe Senecam ad finem epiſtolæ 94. 166. *Vbi teſtis ac ſpectator abſceſſit, vitia ſubſidunt, quorum monſtrari, & conſpici fructus eſt. Quis eam, quam nulli oſtenderet, induit purpuram? Quis poſuit ſecretam in auro dapem? Quis ſub alicuius ruſticæ arboris proiectus vmbra luxuriæ ſuæ pompam ſolus explicuit? Nemo oculis ſuis laudatus eſt, ne paucorum quidem, & familiarium; ſed apparatum vitiorum ſuorum pro modo turbæ ſpectantis expandit. Itaque irritamentum eſt omnium, in quæ inſanimus, admirator & conſcius. Ne concupiſcamus efficies, ſi ne oſtendamus, effeceris.* Seneca. Itaque cùm oſtenſio concupiſcentiæ ſit index, aut proles, dum fœmina oſtentat pompam, interiorem indicat flammam. Ergo iure aiebat Tertullianus. *Omnis publicatio ſtupri paſſio eſt.*

Apocalypſis 12. mulier depingitur cœlo inſerta & nobiliſſimo fructu nobilitata; & quia fructus hic non corporis doloribus; ſed cordis pariendus erat affectibus, parturiens clamabat: adhuc confugiebat ad orationis ſubſidium, etſi poſſideret cœlum: 167. *Signum magnum apparuit in cœlo, mulier amicta Sole, & Luna ſub pedibus eius, & in capite eius corona ſtellarum duodecim, & in vtero habens clamabat parturiens, & cruciabatur, vt pareret.* Apocal. 12. v. 1. Mira res: fructum poſſidet, & ſe cruciat, vt ſecuriùs poſſederit; & quaſi ſatis non fuerit cruciatus, ſi orationis adiunctus non fuerit gemitus, clamabat tota cordis deuotione, & ſtudioſa anxietate; & tamen poſt tot ad ſecuritatem auxilia, poſt tot pudicitiæ ſuffragia adhuc experitur ſerpentinas fraudes, & doloſas ſatis inſidias. *Ecce draco magnus rufus habens capita ſeptem, & cornua decem... Et draco ſtetit ante mulierem, quæ erat paritura, vt cùm peperiſſet, filium eius deuoraret.* Omnem prorſus ſerpens videatur exuiſſe prudentiam, cum mulierem petat tot munimentis protectam, & tot auxiliis armatam. Si intuetur ſyderibus intertextam, orationi dicatam, cœleſti fructu fœcundam, quomodò ſpes foueat pectore, quod virginitatis fructum queat diſcerpere, & mulierem à tanta ſublimitate deiicere? Profectò cùm omnia ad noſtram eruditionem ſcripta ſint, arcano non caret myſterio ſerpentem inſidias obtendere cultiori ornatu fulgenti, etſi cœlo inſertam viderit, & munitam adſpexerit: intulit ſerpens bellum, vt mulier glorioſum reportarit ſpolium; verùm dum ornata reportat triumphum, magnum & cœleſte proditur ab Euangeliſta miraculum: *Signum magnum apparuit in cœlo.* Tot ſubſidiis circumuallata ſerpentinos adhuc patitur dolos, quaſi ad concinnandos dolos, ad obtendendos laqueos excitarit lætior ornatus.

Quam

Digitized by Google

Quam ſerpens intuitus eſt eximiè cultam, etſi imprudenter, ſibi perſuaſit vincendam. Tertull. Hunc voco Tertullianum de pallio cap. 4. *Lentuli auguris conſultis, quæ ita ſe exauthoraſſent, pro ſtupro erat pœna: quoniam quidem indices, cuſtodeſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta ſedulò quædam deſuefecerant.* Vbi in fœmina pudicitiæ cuſtos indexque deeſt modeſtus habitus, audacia præſumit, & præſumptio laqueos obtendit. Ergo vt in illo ænigmate ornatus periculum diſceremus, dum mulierem depinxit Ioannes, etſi prò dignitate ac virtute ornatam, ſerpentinis etiam retulit fraudibus impetitam. Quæ ſe exauthoraſſet, modeſto ornatui renuntians, & lætiori ac decebat cultu ſe oſtentans, Lentuli auguris decreto vti pudicitiæ rea digno puniebatur ſupplicio, quaſi idem fuerit ornatus exuere modeſtiam, & proſtituere honorabilem pudicitiam, aut certè opinionis gloriam.

§. XL.

Grauius legibus aliquando periculum, quàm à violatore, à iudice.

168. LEx hominum eſt beneficium, ſine perſonarum acceptione decernit honeſta, & ſtatuit optimæ politicæ conſentanea. Lex pædagogi ad inſtar mores expolit, & ſine offenſione ducit. Lex vitæ lumen, æquitatis tutamen, rationis oculus, & magiſter eſt ignorantium: *Lucerna eſt præceptum bonum*, in- Clem. Alex. quit Clemens Alexandrinus lib. 1. Stromat. *vt vult Scriptura: lex autem eſt lumen vitæ: vias enim vitæ arguit diſciplina: lex eſt rex omnium mortalium, & immortalium, inquit Pindarus.* Verùm etſi lex iuſta decernat, opus habet iudicis patrocinio: eſt enim iudex legis anima: vtque corpus ſi inanime, eſt inutile pondus, quia inde ſolum accipit motus, vnde recipit ſenſus; ita lex, ſi à iudice vitam non accipiat, cadaueraſcit, cùm ab illo pendeat obſeruantia, quæ eſt legis vita. Verùm ſic in peius omnia ruunt, vt grauius aliquando immineat periculum legi, quàm à violatore, à iudice: nam ſi alius legem tranſgreditur, nec obliterat, nec eneruat: ſi verò iudex, qui legis ſuſceperat patrocinium, ei inferat bellum, ſi primus inſurgat in legem, peruerſis eam interpretationibus adulterando, & iniquis cupiditatis gloſſis corrumpendo iam æquitas cogitur iniquitati inſeruire, & lex miratur ſe piaculis famulari. Graui ſe iuramento obſtrinxerant Iſraëlitæ, ne Benjaminitis (grauiſſimè namque deliquerant) filias in vxores darent. *Iurauerunt quoque filij Iſrael in Maſpha, & dixerunt: Nullus noſtrûm dabit filiis Benjamin de filiabus ſuis vxorem.* Hanc legem cùm nullus præſumeret temerare, populi præſules iniquis gloſſis ſic corruperunt, vt dum profitentur colere, grauiùs inueniantur adulterare: *Ceperunt conſilium, atque dixerunt. Ite & latitate in vineis, cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas.* Abulenſis diſputat, an peccauerint populi proceres raptum Benjaminitis præcipientes, & iuramentum violantes, ſtatuitque iuramenti ad ſpeciem obſeruationi conſuluiſſe; re tamen vera violaſſe; imò ſi puellarum parentes contra Sacramentum eas Benjaminitis conceſſiſſent, lex ingemiſceret violata; non verò interueniret violentia, nec contra puellarum voluntates rapina: ergo Præſules grauiorem legi intulerunt iniuriam, & reliqui non adeò grauem intuliſſent offenſam: *Non poterant*, inquit Abulenſis q. 8. *Euadere periurium, in* Abulenſ. *quantum dederunt conſilium, vt acciperent virgines ducentes choros in Silo. Et patet primò quantum ad illos, qui dederunt conſilium, vt hoc fieret: nam iuramentum ſecundum intentionem eorum obligabat eos ad non dandum de filiabus ſuis in vxores filiis Ben amin, & tamen per quandam cauillationem ipſi volebant dare modum, vt haberent filij Benjamin in vxores de filiabus eorum: ergo incidebant in periurium: quia iuramentum debet ſeruari ad illam intentionem, ad quam factum eſt, & nulla ars iurantis excuſat.* Non excuſabantur à periurio cauillatione; ſed colorabant culpam fucata ſolum ſpecie. Inſuper peccatum erat in vxorem nolentem rapere: ergo peruersè legem interpretati non excuſarunt periurium; ſed violentiæ addiderunt peccatum: & quia nouerant puellarum patres acri indignatione inflammandos, & de filiabus repetendis acturos, decreuerunt eos placidis verbis placare, & ad commiſerationem adducere: itaque cùm parentes ob emiſſum iuramentum raptores apud iudices interpellarent, illi nullam aſſerebant factam legi iniuriam, nec teneri iuramento ad vitandam illam violentiam: *Cùm venerint patres earum ac fratres, & aduerſus vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium.* Subiicit datus Abulenſis: *Si iuramentum obligabat, ſicut ipſi putabant, non poterant miſereri Benjaminitarum, permittendo eis habere filias ſuas: quia non erat in poteſtate eorum iuramentum relaxare ad hoc quod poſſent miſereri; ſed tenebantur agere iuxta vires ad implendum iuramentum ſuum.* A iudicibus indigna conſulebatur miſericordia: quia ſuadebatur etiam rapina, & cùm affectarent obſeruare ad ſpeciem iuramentum, multiplici culpa exornauere periurium. Itaque grauius legi, iuramentoque à Præſulibus manauit damnum, quàm poſſet promanare à reliquis detrimentum. O quoties Præſules, Iudicéſque confictis de induſtria cauillationibus legem euertunt, & cùm extrinſecus videantur legem patroni, infeſti ſunt intrinſecus inimici.

Philo Iudæus opportunam huic theſi no- 169.
bis præbet allegoriam in libro de nominum mutatione: repetamus hiſtoriam, vt ab hoc Authore eruamus doctrinam. Dina Iacobi filia in Sichem ditione deambulabat, cùm Sichem illam conſtuprauit violentiam inferens, & dehoneſtans: *Egreſſa eſt autem Dina filia* Geneſ. 34. v.1. *Lie, vt videret mulieres regionis illius, quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi Princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit, & dormiuit cum illa vi opprimens virginem.* A nullo ciuium

Digitized by Google

ciuium violentiam paſſa eſt Dina, à Principe tamen accepit iniuriam: ergo vt coloraret violentiam, fratres, patrémque allocutus eius experiuit connubium: Sichem ad patrem, & ad fratres eius ait: *Inueniam gratiam coram vobis, & quacumque ſtatueritis, dabo: augete dotem, & munera poſtulate, & libenter tribuam, quod petieritis; tantùm date mihi puellam hanc vxorem.* Philo legit: *Locutus eſt Sichem ſecundum mentem virginis, cùm prius eam dedecore affeciſſet.* Itaque Sichem non ſolùm proprio nomine; ſed nomine etiam Dinæ ad parentes eſt locutus, ac ſi ipſa nullis pulſaretur querelis; imò celebratis gauderet nuptiis: quod applicat ſatis diſertè Philo nonnullis iudicibus, qui ex ſententia legum loqui ſe iactant, vel dum claram intulerunt iniuriam. Dina, quæ interpretatur iuſtitia, à principe refertur oppreſſa, à quo
Philo debuiſſet efflorеſcere cuſtodita. Accipe Philonem: *Aiunt ſanè oracula: Locutus eſt Sichem ſecundum mentem virginis, cùm prius eam dedecore affeciſſet: nonne igitur conſideratè dictum eſt illud: Locutus eſt ex mente, & ſententia virginis: tantum non ad declarationem eius, qui contraria his, quæ dixerat, præſtitit.* Adnectit Philo: *Eſt enim Dina iudicium incorruptum, iuſtitia, quæ Deo aſſidet, & virgo ſemper integra eſt: nam vtroque modo exponitur Dina iudicium aut iuſtitia.* Ecce iuſtitia iudicúmque à cæterorum Præſule, & iudice corrumpitur, & violatur, & cùm infert iniuriam, ab ipſius Dinæ mente gloriatur ſe protuliſſe ſententiam, nec contentus eſt intuliſſe iniuriam, ni eluſerit etiam querelam: quidquid peractum à Dinæ ſententia refert profectum, quaſi ipſa ſtuprum ſuaſerit, & quæſierit. Subiicit moraliſſimè Philo: *At veſani, qui hanc corrumpere aggrediuntur conſiliis, ſtudyſque, & actionibus quotidianis decore & honeſtate orationis reprehenſionem effugiunt: oportet ergo eos, aut iis, quæ dicunt, conſentanea peragere, aut ius violando, iniuriamque inferendo quieſcere.* Stuprum Sichem intulerat, & imputabat ipſi Dinæ ſtuprum, quaſi ob legem fuerit perfectum. Videant Iudices, an cum lege non abſimili modo ſe gerant, ac Sichem cum Dina: parum namque proderit, ſi affectarint legi ſe conſulere, eiuſque honorem curare, ſi reuera & violentiam intulerint, & integritatem conſtuprarint. Et nota Dinæ fratres ad vltoris gladij auxilium confugiſſe: nam cùm lex ab ipſo iudice deprauatur, qui iniuriam accipit, quomodo poteſt, vlciſcitur: & iudex ſibi maturauit mortem, dum adulterat iniquis cauillationibus legem.

170 Sophonias, vt Reipublicæ calamitatem deſcriberet, eius teſtatur principes leoninos induiſſe mores, & iudices ad luporum tranſiſſe
Sophon. 3. v. 3. rapacitatem: *Principes eius in medio eius quaſi leones rugientes, iudices eius lupi veſpere non relinquebant in mane: Prophetæ eius veſani, viri infideles: Sacerdotes eius polluerunt ſanctum, iniuſtè egerunt contra legem.* Vbi Principes leones, & ſubiecti inueniuntur lupi, ad Principis namque exemplum inueniuntur cæteri aut compoſiti, aut deliri. Lupi veſpere erant iudices: tenebrarum namque patrocinio exercebant rapacitatis violentiam, cùm in luce affectarent cuſtodire iuſtitiam: contra legem agebatur: *Iniuſtè egerunt contra legem*; ſed ab ipſis Præſulibus, & Iudicibus: minus periculum erat à graſſatoribus, quandoquidem legem non ſine timore violabant, cum iudices ſine timore vllo diſcerperent, & laniarent. Adeſt Hieronymus ad hunc locum: *Principes* Hieronym.
igitur eius quaſi leones ſemper verſabantur in prædis, & ad effundendum ſanguinem ſubiectorum, iudices eius rapaces non dimittentes alijs quod poſſint rapere. Subiicit: *Sacerdotes in loco ſanctuarij commiſere ſacrilegium, & cum contra legem facerent ex lege victimas offerebant.* Omnes ad ſpeciem, quæ legis erant, curabant; re tamen legem non ſolùm violabant; ſed penitus euertebant: Iudex veſpertinus lupus ſolicitabat ſibi prædam, & fugiebat ſolùm notitiam: ex lege teſtabatur ſe operari, cum ab eo certum eſſet legem diſcerpi.

Villicus ille, qui diuitias domini miniſtra- 171.
bat, non ſolùm eas diſſipauit; ſed & diſſipare edocuit: debitores vocat, cautiones adulterat, & cum cæteri, ſi non ſoluerent, vinculis vererentur obſtringi, hic non ſolùm diſſipauit ſubſtantiam; ſed edocuit etiam contra ipſam legem cautelam: *Vocatis ſingulis debi-* Lucæ 16. v. 6.
toribus domini ſui dicebat primo: Quantum debes domino meo? At ille dixit: Centum cados olei: dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & ſede citò, ſcribe quinquaginta. Quod expendens D. Chryſologus ſerm. 125. aiebat: *Villi-* Chryſol.
cus reddendæ rationis tempore plus ardet in fraude, quàm tempore villicationis anhelauit in luxu. Adnectit: *Ad tantam fraudem villicus conſpirabat, & agebat, vt totam fidem perderet, dum mediat cautionem.* Villicus, qui fidem curare tenebatur, dum in futurum ſibi conſulit, fidem corrumpit, nec agit villicum; ſed muneris aduerſarium: quia timet à villicatione repellendum, ita villicationem exercuit, vt in futurum ſibi prouiderit: maluit in poſterum ſortiri amicos, maluit prouidere ſibi commoda, quàm ſyngrapha cuſtodire incorrupta: non implebit iudicem, quiſquis oculos ad ſe poteſtate iam denudatum extenderit: nam ſibi conſulet, & muneri detrahet.

§. XLI.

Reipublicæ vtilitati attenditur, dum coram Deo conſilium à Magnatibus capitur.

Felicitas regnantis eſt amare famulantes, 172.
quod expedit; ſed & famulantium eſt felicitas conſulere regnantes, quod generalitati conducit. *Veſtra munitio*, aiebat Theodori- Caſſiod.
cus Rex 3. var. 49 *Noſtra eſt nihilominus fortitudo, & quidquid vos ab incerto eripit, famam noſtra defenſionis extendit.* Suos munit, qui ſuorum munimina ſuæ famæ militare cognoſcit; at famam ſuam amara ſæpeſæpiùs poſtponit cupiditas, & dum ſuorum detrimento adaugere nititur cenſum, nominis imminuit elogium. Magnates ſi coram Domino agitarint

Digitized by Google

agitarint Conſilia, pro omnium generalitate condent ſine dubio decreta: quæ coram Domino decernuntur, variis affectionibus erroribus nullatenus depravantur. Præſul, ſuperiorque Reipublicæ erit opportunus, ſi non quid ſibi vtilius, ſed quid attenderit generalitati commodiùs. Pene deleta erat Benjaminitarum tribus, cùm populi primores acri doloris anxietudine preſſi Silo, vbi erat Arca Domini, conueniunt, & ibi de Benjaminitarum ſalute Conſilium capiunt: *Ceperunt Conſilium.* Abulenſis qu.32. expendit non decreuiſſe Benjaminitas prorſus extinguere, cùm pro decretorum adimpletione propria ſtaret vtilitas, & Benjaminitarum temeritas. Profectò Benjaminitarum prædia in fiſcum tranſirent, & iubentium vtilitatem augerent; verùm dum coram Domino agitauere Conſilia, non propria; ſed totius tribus cogitauerunt augmenta.

Abulenſ. *Quanquam potuiſſent iſtos ſexcentos viros occidere, ſaltem fame conficiendo, non permittendo eos egredi de deſerto: tamen noluerunt; ſed potius procurauerunt, vt haberent vxores, ne periret tribus Benjamin.* Adnectit *iſte dolor & pœnitudo fuit in Silo, quando ſteterunt Iſraëlitæ coram Domino, & planxerunt dicentes: Ablata eſt vna tribus ex Iſraël.* Alienam calamitatem dolebant, tantumque aberat ab illo Conſilio cæca & exoculata cupiditas, vt non propriæ vtilitati; ſed omnium conſuluerint ſaluti. Conſilia namque, quæ coram Domino agitantur, publicæ vtilitati naſcuntur. *Inceperunt Conſiliari,* ſubiicit Abulenſis, *dantes diuerſos modos, vt inueniretur vnus conueniens & honeſtus ad prouidendũ ducentis viris Benjamin.* Ad generalitati prouidendum ceperunt conſilium, & quia coram Domino, ſui inueniuntur honeſtè obliti, & populi ſaluti dicati. Et verò fieri non poterat vt ſuam vtilitatem alienæ præferret coram Deo, qui omnium Deus & pater eſt, atq; Benjaminitarum tribum, non minore curâ ſeruabat & tuebatur quàm ceteras. Sed cur putas voluiſſe capere conſilium in domo Dei coram arca? Conſulebatur ad arcam per pontificem olim Deus, & conſulenti bonus reſpondebat ac facilis. Non ergo tantùm inter ſe conſuluerunt, ſed à Deo etiam *ceperunt Conſilium;* eique vt Benjaminitarum vtilitatem ſuæ præferrent iubenti libentiſſimè paruerunt, alia omnia abs dubio ſecuturi, ſi non *ad domum Dei* veniſſent, neque coram Deo ſua agitaſſent conſilia.

173. Populus, quia errandi impingebat ſemper libidine, dum Moyſes aberat apud Deum in ſinæo, Deos ſibi producere cupit: deteſtanda ſolemnia diuinam prouocauerunt iuſtitiam: ergo Deus cum Moyſe de delendo populo agit, & ceſſurum in eius vtilitatem excidium

Exod.32. v.10. ipſi proponit: *Deleam eos, faciámque te in gentem magnam.* Grandis tentatio: nec diſſimilem tentationi Abrahamiticæ dixerim: in illo namque monte manum ligabat natura, in hoc grandis commoditas, & grandis linguam refrænabat vtilitas; verùm quid Moyſes Domino adſtans oppoſuerit, audiamus: *Recordare Abraham, Iſaac & Iſraël ſeruorum tuorum, quibus iuraſti per temetipſum dicens: Multiplicabo ſemen veſtrum, ſicut ſtellas cœli.* Totus erat in populi procuranda ſalute, propria poſtpoſita vtilitate: nec mirum, quandoquidem coram Deo hoc cepit Conſilium, & tractauit, vt decebat, negotium. Aaron, qui à Domino diſtans, vt ſuæ dignitati prouideret, populi deſpexit nuditatem, & quia ſibi ambitioſè attendit, populus amaris eiulatibus luxit: vbi coram Deo Moyſes inuigilauit, populi depulſa eſt calamitas, & iterum refloruit felicitas: *Aberat apud Deum in monte Moyſes,* inquit Tertullianus aducſ.cap 3. *cùm populus tam neceſſariæ abſentiæ eius impatiẽs Deos ſibi producere quærit, quos potius ipſe perdiderit: vrgetur Aaron: iubet in aures fœminarum ſuarum in ignem conferri.* Aaron præſul, & à Domino diſtans in auribus nudat populum. Moyſes coram Deo degens populi ſolicitauit augmentum. O quàm magna eſt Reipublicæ felicitas ſuperiorem nanciſci generalitatis coram Deo negotia tractantem! & è contra quàm eſt magna eius infelicitas, ſi ſortiatur præſulem ſibi ſuiſque commodis attendentem! Tertull.

Egreſſa à Domino ira ardenti populum deuaſtabat incendio, cùm Moyſes Aaronem iubet altaribus propinquare, & ſacro igni, fragrantibuſque ſuffitibus incendium ac graue olentem fumum depellere: *Tolle thuribulum, & hauſto igni de altari mitte incenſum deſuper pergens citò ad populum, vt roges pro eis: iam enim egreſſa eſt ira à Domino, & plaga deſæuit.* Et Aaron obediuit Moyſi: tulit thuribulum, ac obtulit thymiama inter mediam multitudinem; *& ſtans inter mortuos ac viuentes, pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* O quanta hîc ad noſtram eruditionem! Thuribulum ex oblatis Deo conſtructum offerentium vitam defendit, & diuinam iram frænauit: & quidem quæ Domino offeruntur, aptis temporibus reſeruantur: præſtitum à populo officium conuerſum eſt in remedium; verùm cur Moyſes altari imperet propinquare, cùm exambit omnium ſaluti conſulere? Certè vt nouerimus, quàm ſit aliùs præſul ad Dominum accedens, aut à Domino diſtans. Ecce Aaron, qui conſtructo idolo, dum recedit à Domino, grandis fuit ſtragis occaſio, iam Domino approximans, opportunum populo inuenitur auxilium: opus erat Aaroni antiquam abolere iniuriam, & laudandis factis impreſſam inaurare notam: ergo vitam reſtituat populo ſacris addictus aris, ſi abſtulit aras ſubſtruens nefandis idolis. Certè thuris guttâ hîc impeditur excidium, cùm ibi grandi auri iacturâ ſit elaboratum tormẽtum: ergo Aaron omnium ſaluti conſuluit, dum ſacris altaribus propinquauit: *ſtans inter mortuos ac viuentes pro populo deprecatus eſt, & plaga ceſſauit.* Huc voco Iſidorum apud gloſſam: *Iſte Sacerdos Chriſtus, qui ruinam mortis in mundo aſpiciens occurrit à ſummo cœlo, venitque obuius quaſi gigas ad currendam viam.* Vide vnde veniat, à cœlo ſcilicet; & quidem dum Aaron figuram gerit cœlum inhabitantis, & cœleſti luce cumulatè fruentis, communem populi ſalutem tuetur, & incendium ardens reſtringitur. O ſi cæleſtem perſonam induerent ſuperiores, quàm alia eſſet Reipublicæ facies. Graſſans peſtilentia, deuorans flamma inhibetur, dum præſul propinquare ſacris altaribus proditur. Aaronem ergo imitatus ſuperior ſua negligat iniurias murmurabat ſcilicet *omnis multitudo filiorum Iſraël,* quaſi ipſe cum Moyſe fratre perdidiſſet Core & omnem congregationem eius, ac Dathan quoque & Abiron ſacerdo-

174. (beside "Egreſſa à Domino")
Numer.16. v.46. (beside "olentem fumum depellere")
Iſidor. (beside "omnium ſaluti conſuluit")

quo factum eſt, vt Beniaminiturum tribus, quæ minimum ab internecione abfuit, prudenti hoc Iſraelitarum conſilio ſeruaretur; moxque magnis incrementis tam numero, quàm opibus eſt aucta. Plurimas attulerunt vtilitates connubia prauis affectionibus libera, & ſolùm proli adaugendæ dicata: vbi in ducendis puritas & deuotio eluxere conſpicuæ, nil curandum fuit de diuitiis aut forma: ergo hoc exemplo edocuit ſacer textus quibus ex matrimonis honeſtas pullulet, & felicitas. Non ob id vetitum eſt eam eligere vxorem, quæ venuſtatis gratia, & mira corporis habitudine animum mariti alliciat, & honeſto amoris philtro ab inſanis aliarum appetitionibus arceat. Non prohibetur nobilitatem indagare, diuitem ducere; ſed cùm in hoc raptu ſolum prolis deſiderium eluxerit, & ex his matrimoniis felicitas efflorуerit, edocet ſacer textus in celebrandis nuptiis fore animos ab omni fœda cupiditate expurgandos, & omni honeſtatis cultu expoliendos.

177. Nec ſatis eſt vxorem omni pudicitiæ ſtudere, & matrimonij ſolum effectum pura animi intentione curare: nam ſi vir à rectitudinis ſcopo aberrarit, iam ex nuptiis exorientur lamenta, & naſcentur infortunia. Itaque vterque coniux debet in matrimonio celebrando non cupiditati vacare; ſed honeſtati ſtudere. In exemplo ſunt repetita Saræ matrimonia; ſæpius nupſit, & licet illa animum attulerit omni munditia exornatum, ſatis fuit viros degeneraſſe, vt oriretur lamentum: *Tu ſcis Domine* (Deum alloquitur) *quia nunquam concupiui virum, & mundam ſeruaui animam meam ab omni concupiſcentia.* Subiicit: *virùm autem cum timore tuo, non cum libidine mea conſenſi ſuſcipere.* Sara ab omni libidinè aliena ducebat ſponſos; illi verò expurgatum adeò animum non afferebant: ergo dum libidini diſcupiunt vacare, reperti ſunt ſibi calamitatem aſciſcere. Audi ab Angelo Tobiam admonente Saram in ſponſam ducere: *Hi, qui coniugium ita ſuſcipiunt, vt Deum à ſe, & à ſua mente excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, quibus non eſt intellectus, habet poteſtatem dæmonium ſuper eos. Tu autem cùm acceperis eum ingreſſus cubiculum per tres dies continens eſto ab ea, & nihil aliud niſi orationibus vacabis cum ea.* Subiicit Angelus: *Tranſacta autem tertia nocte accipies virginem cum timore Domini amore filiorum magis quàm libidine ductus, vt in ſemine Abrahæ benedictionem in filiis conſequaris.* Itaque ex Saræ connubio modò pullulauit calamitas, modò felicitas, vt notum fuerit celebrandi nuptias intentionem plurimam ad felicitatem conducere, aut felicitati nocere: nec ſatis eſſe, ſi alter coniugum pluris ſtuderit affectibus, ſi ſordeat alter imputatiſſimis affectionibus. *Hic conſequenter Tobias inſtruitur*, inquit Lyra, *de ducenda vxore.* Gaudium, commodumque ex Saræ Tobiæque coniugio promanarunt: quia vterque puriſſimis affectibus matrimonium inierunt.

Iobiæ 3. v.16.

Iobiæ 6. v.17.

Lyra

178 Rebecca domeſticis rebus addicta, vt parentum obedientiæ, dum eligitur, inuenitur dicata: *Ecce Rebecca egrediebatur filia Bathuel, filij Melchæ vxoris Nachor, fratris Abraham, habens hydriam in ſcapula ſua, puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro: deſcenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur.* Quanta textus ad noſtram eruditionem paucis verbis præſtitit documenta! non induxit Rebeccam intuſatis ac calamiſtratis capillis excultam, non nutta ſuperbientem, non laſciuis oculis diuagantem: domeſticis rebus inſeruiebat; parentibus obſequebatur, cùm à longiſſimis terris, qui eam Iſaaco in vxorè depoſcat, mittitur: pulcherrima erat, nec nocebat opinioni venuſtas; vbi ſpledebat animi puriſſima caſtitas. Quàm citò reuertebatur domum labiis honeſto ſilentio ſignatis, & oculis modeſtiâ preſſis. Digna fuit quæ quæreretur, dum virtutis honeſtatiſque ſtudioſa, & domeſticis rebus addicta. A Deo pro grandi beneficio Iſaaco confertur Rebecca, dum aquæ hydria vtiliter prægrauata, non euanidi cultus pompâ ſuperba: vtile ac purum onus ſupra caput ferebat, nec medicandis puluere capillis inuigilabat; verùm quia ſatis non eſt vxorem huiuſmodi moribus excultam eſſe, vt ex matrimonio Chriſtus pullularit, lætitiaque emerſerit ſacer textus Iſaacum inducit cæleſtibus meditationibus paſtum, & ab omni rerum mundanarum ſtrepitu alienum: *Eo autem tempore deambulabat Iſaac per viam, quæ ducit ad puteum, cuius nomen eſt viuentis & videntis: habitabat enim in terra auſtrali, & egreſſus fuerat ad meditandum in agro.* Non ſine arcano myſterio vir iuxta puteum vxorem accipit, & fœmina eligitur iuxta puteum: nam cùm aqua puritatis ſit emblema, dum vterque coniux ſtudet puritati, dum vterque vacat obedientiæ, orationique ſæculis dilaudandum celebrauere connubium, & virtutibus ac felicitatibus felix eorum exundauit matrimonium. Adeſt Hieronymus in quæſtionibus Hebræis: *Per terram auſtralem Geraram ſignificat, vnde ad immolandum adductus fuerat: egreſſus eſt, vt exerceretur in campo. In Hebræo legitur: Egreſſus eſt Iſaac, vt loqueretur, in agrum inclinata iam veſpera, vbi ſignificatur, quòd Dominus ſolus orabat in monte; & Iſaac, qui typus Domini fuit, ad orationem, quaſi virum iuſtum à domo egreſſum.* Patri obediens Deo prorſus dicatus, orationi addictus eam à Domino impetrauit vxorem, quæ celebri ornaretur poſteritate, & Rebecca domeſticis curis incumbendo meruit vel à longinquo in vxorem expeti, & commodis plurimis abundare.

Geneſ.24. v.15.

Hieronymus.

Iacob Rachelis pulchritudine oblectatus eam in vxorem expetiuit, duxit tamen prius Liam: *Veſpere Liam filiam ſuam introduxit ad eum.* A Lia accepit Iudam Chriſti patrem, Rachelis coniugium citiùs eſt finitum, nec fructibus adeò nobilibus exonatum: vbi namque non allexit pulchritudo, vbi vxor lippis oculis luce quodammodò offenſa publicum effugiebat, & penetralia domus deliteſcens habitabat, filios plurimos procreauit, & mariti gloriam extulit. 179.

Geneſ.29. v.23.

§. XLIII.

Si iudex alicui parti inclinetur, in eius commodum leges facillimè interpretatur.

180. MAlus bonuſve iudicis affectus plurimum cauſis officit, aut conducit: ſi iudex pro aliqua parte ſtet, iam omnia ſalua, & omnia auxiliantur iura; ſi aduerſetur, clariſſima etiam iuſtitia variis difficultatibus implicatur. Audi Tertullianum in Apolog. cap. 1.

Tertull. *Nec hoc ipſo modo ad æſtimationem alicuius latentis boni promouent animos: Non licet rectius ſuſpicari, non libet propiùs experiri: hic tantum curioſitas humana torpeſcit: amant ignorare, cùm alij gaudeant cognouiſſe.* Adnectit: *Malunt neſcire, quia iam oderunt. Adeò quod neſciunt, præiudicant id eſſe: quod ſi ſciant, odiſſe non poterant.*

Iudices aliquando affectant ignorare, nolunt ſcire.

Iudices ethnici ſic erant infenſi Chriſtianis, vt examinandis eorum cauſis vacare nollent; ſed de æſtuantis odij malignitate, ne cauſæ diſcuſſio aſperam impediret ſententiam, vt duram poſſent fulminare ſententiam, diſcutere nolebant cauſam: partibus non auditis, ſententiis ritè non pronuntiatis eos damnabant, & omnia clariſſimè ſtare contra illos iura aſſerebant. Sibi ſimilium diuerſis adeò oculis cauſas intuebantur, vt iuſtitia pronuntiarent pollere, quantumvis peruerſis ſceleribus conſtiterit obligari. Iterum adeſt Tertullianus cap. 2.

Tertull. *Chriſtianis ſolis nihil permittitur loqui, quod cauſam purget, quod veritatem defendat, quod iudicem non faciat iniuſtum; ſed illud ſolum expectatur, quod odio publico neceſſarium eſt, confeſſio nominis, non examinatio criminis, quando ſi de alio nocente cognoſcitis, non ſtatim confeſſo eo nomen homicidæ, vel ſacrilegi, vel inceſti, vel publici hoſtis (vt de noſtris elogiis loquar) contenti ſitis ad pronuntiandum, niſi & conſequentia exigatis, qualitatem facti, locum, modum, tempus, conſcios, ſocios.* Ecce dum iudex aduerſus, ſolo nomine condemnabatur Chriſtianus, cùm poſt apertam criminis confeſſionem non condemnaretur ethnicus: ne fulminarent iudices in reos, erga quos benè affecti, ſententiam, variis coloribus eorum culpam colorabant, ſi reum poſſent abſoluere, cum innocuos Chriſtianos arderent ſemper punire. Non abſimile inuenio Iudic. 21. nam cùm Iſraëlitarum populus Benjaminitis filias in vxores ſe non daturos graui Sacramento firmaſſent, populi proceres, cùm ex vna parte Benjaminitarum orbitatem dolerent compaſſione pulſati, & ex altera Sacramento inuenirentur obſtricti, legem interpretati ſunt, & puellas apud Silo choros ducentes conſuluerunt rapere, in vxoreſque ducere: *Præceperunt filiis Benjamin, atque dixerunt: Ite, & latitate in vineis, cumque videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Ad fauorem procliues modum interpretandi legem excogitarunt, & vmbratili obſeruatione reorum negotium perfecerunt.

Ioſeph. *Deliberabant, vnde illis vxores ad ſuſcipiendam prolem parari poſſent*, inquit Ioſephus 5. antiq. cap. 2. *cùm enim ante initium belli iureiurando cautum eſſet, ne quis filiam in Benjaminiticam tribum elocaret, non deerant, qui negligendum hoc Sacramentum conſulerent, quod ab ira profectum eſſet, non à iudicio.* Vide quomodò euacuare tentent Sacramentum: dum indignatio efferueſcebat, iuſiurandum arbitrabantur firmiſſimum, Benjaminitarum verò commodis iam inclinati non putabant ratum, vtpotè ab imprudenti ac cæca indignatione emiſſum: ergo cùm apertè nollent emiſſum violare iuramentum, & ex alia parte ad Benjaminitarum inclinarentur commodum, conſuluerunt raptum, interpretati non lædi ſic iuramentum. Accipe Ioſephum: *Cùm verò Senatus ſucclamatione periurij mentionem abominaretur, extitit quidam, qui diceret habere ſe conſilium, quomodò ſaluo iureiurando Benjaminitis vxores poſſent contingere. Proferre deinde id à Senatu iuſſus: ſingulis, inquit, annis nobis mos eſt, apud Siluntem ad celebritatem conuenire, in quo comitatu ſequuntur, & coniuges, & filiæ: harum quotquot potuerint rapere, Benjaminitis impune ſit, nec vobis iubentibus, nec prohibentibus.* Conſilio plauſu excepto Sacramentum ad ſpeciem obſeruarunt, & Benjaminitis interpretatione fauerunt. Profectò quantumvis lex pateat, varios induet vultus, ſi varios iudex induat affectus.

Ob eandem Chriſtus Dominus cauſam apud Pilatum ab omni crimine pronuntiatur alienus: *Nullam inuenio in eo cauſam.* Apud Caïpham verò damnatur morte vt ſacrilegus: *Tunc princeps Sacerdotum ſcidit veſtimenta ſua dicens: Blaſphemauit: quid adhuc egemus teſtibus? Ecce nunc audiſtis blaſphemiam, quid vobis videtur? At illi reſpondentes dixerunt: Reus eſt mortis.* 181. Ioan. 19. v. 4. Matth. 27. v. 65.

Iterum cùm iudicibus ſiſteretur, rogatus de doctrina apertè reſpondit: *Ego palam locutus ſum mundo*: ſed ob verum adeò reſponſum alapam à ſeruo Pontificis tulit: *Hæc cum dixiſſet, vnus aſſiſtens miniſtrorum dedit alapam Ieſu dicens: Sic reſpondes Pontifici?* Percuſſus alapâ ſe nil irreuerenter locutum oſtendit, & miniſtri temeritatem redarguit: *Reſpondit ei Ieſu: ſi malè locutus ſum, teſtimonium perhibe de malo, ſi autem benè, quid me cædis?* Expectares ſeruum vinculis illigatum carceri tradendum, quandoquidem reuerentiam iudicibus debitam exceſſu violarat, legemque infregerat; verùm miniſtri ſcelere diſſimulanter præterito Chriſtum illigarunt, & puniendum remiſerunt: *Et miſit eum Annas ligatum ad Caïpham Pontificem.* Ioan. 18. v. 20.

Vinculis traditur, qui nullius culpæ reus, & abſoluitur, qui manifeſtiſſimo ſcelere contaminatus: in ſeruo, quia partialis, nulla erat culpa alapam coram iudicibus innocuo impingere, in Chriſto morte dignum fuit modeſtiſſimè reſpondere: iudicis affectus pro iure erat, ſicque & ſeruum abſoluit, & inuidioſum damnauit. Apud Pilatum abſolui meruit, apud iudices indignatione inflammatos, ambitione, & æmulatione corruptos crux illi decernitur, & lex in ſententiæ auxilium vocatur. *Nos legem habemus, & ſecundum legem debet mori.* Itaque pro affectus diuerſitate proferebatur innocuus, & mortis reus: quod notauit opportunè Chryſoſtomus in catena ad Ioannis 19. *Videt Pilatus omnia inaniter fieri, vnde ſequitur: Dicit eis Pilatus, Accipite eum vos, & crucifigite. Execrantis eſt hoc* Ioan. 19. v. 7 Chryſoſt.

verbum

Digitized by Google

verbum, & ad rem non conceſſam eos impellentis: ipſi enim dicebant eum, vt cum præſidis iudicio hoc fieret: contigit autem contrarium, iudicio præſidis eum magis abſolui: vnde ſequitur. Ego non inuenio in eo cauſam. Qui inuidiâ preſſi, qui liuore inflammati, teſtabantur legum vocibus condemnatum; qui à paſſione immunis, aſſerebat abſoluendum; vt videas, quàm aliæ ſint leges apud iudicem benè affectum, & apud affectibus iniquis attaminatum. Ob id monebat Plutarchus lib. de audiendo, Iudicem omnis prorſus affectus expertem eſſe oportere: nam ſi miſericordiâ pulſetur, legem corrumpet in rei fauorem interpretatus, vt etiam ſi indignatione inflammetur, damnabit inſontem iniquis gloſſis munitus.
Plutarchus. Audi Plutarchum: *Iudicem quidem in diſceptandis cauſis decet neque infeſtè, neque ambitiosè audire; ſed ex conſilio ad æquitatem.* Infeſtus index iniquam profert ſententiam, beneuolus contra legem comminſcitur gloſſam.

182. *Sacerdotes non dixerunt: vbi eſt Dominus? & tenentes legem*, aiebat Ieremias *Neſcierunt me,*
Serem 2. v. 8. *& paſtores preuaricati ſunt in me, & Prophetæ Prophetauerunt in Baal, & idola ſecuti ſunt.* Secutis idola fauentes legem præuaricabantur, & quod in ea apertiſſimum, affectabant ignorare, aut ſaltem ſatagebant eludere: pro præuaricatione erat lex, quia fauor aut dilacerabat, aut iniquis gloſſis torquebat: *Poſt tanta beneficia,*
Heronym. inquit Heronymus, *verterunt in contemptum priuilegia dignitatis, vt ſacerdotes Dominum non quærerent, vt Doctores legis ignorarent eum, qui alios docere debebant, & paſtores per negligentiam præuaricatores fierent, & propheta, qui in populis diſputant, non Deo loquantur; ſed idolo, & ſua figmenta venerentur.* Vt figmentorum, idolorumque, quibus animitus inclinabantur, partes agerent, prophetæ, legiſque Doctores prophetias adulterabant, legiſque clamores confictis interpretationibus eludebant. Tota pagina erat pro idolo, nihil pro Deo: quia iudices in idolorum partem propenſi, & veri Numinis inimici. Si Dei, idolique cauſa apud tribunalia agebatur, pro idolis erant prophetiæ, pro idolis leges: quia de iudicis degenere propenſione veritas variis, tenebroſiſque allegationibus obſcurata, & lex in idolorum partem diſtorta: ius totum ac prophetandi munus in prophetæ ac iudicis affectu cenſebis conſiſtere, & inde intelligentiam omnem promanare. Non deerant prophetis illis pro idolis ſtabiliendis oracula; ſed quæ mentirentur ipſi: non deerant iudicibus legum patrocinia; ſed quæ præuaricatio ſibi conciliabat, & effingebat. Certè ni in iudicis arbitrio legem ſitam frequenter agnouiſſet Pilatus, non
Ioan 19. v. 10. protuliſſet: *Neſcis quia poteſtatem habeo crucifigere te, & poteſtatem habeo dimittere te?* In vna eademque cauſa ſibi ait ineſſe diuerſiſſimam poteſtatem: quaſi poteſtas non promanarit à leges ſed ab affectionum varietate; infenſus poteſtatem habebit per leges crucifigendi, & beneuolus per eaſdem leges abſoluendi habebit poteſtatem: quaſi pro arbitrio iudicis lex abſoluerit, aut damnarit.

§. XLIV.

Si parentes imputent filiorum caſus, ſi laſciuire permittant, nec vtili auctoritate cuſtodiant.

SÆpè filij nimio à parentibus amore habiti 183.
causa doloris ſunt; ſæpè quæ filiis ac filiabus acerba obtingunt, quæque ipſi perpetrauere flagitia, incurioſæ inſtitutionis ſunt fructus: nonnulli parentes filios non inſtituunt: ſed ſe illorum cupiditatibus ſeruos tradunt. Tempeſtiuæ filiorum lachrymæ parentibus honeſta poſteà attulerunt gaudia: vt è contra luxus & nimia licentia iam amara prænuntiauere lamenta. *Qui liberè* Clem. Alex.
quidem arguit, aiebat Clemens Alexandrinus 3. pædag. cap. 12. *eſt pacificus.* Profectò pater dum corrigit, dum carpit, dum ad omnem morum concinnitatem filium effingit pace tranquilla, nec exceſſibus perturbanda fruitur, & rationabilis aſperitas, dum diſcretionis falce noxias appetitiones demetit, dulciſſimos ac ſaporatiſſimos fructus parit. Qui filios nulla ſedulitate educauit, qui, ne contriſtaueṙit, ceſſit, qui noxia vti licentia permiſit, cauſam ſibi luctus procreauit: infantia non bonis artibus enutrita, iuuentus rationabili ſeueritate non coercita, parentibus eſt copioſa lachrymarum vena: nec iniquæ eſt adſcribendum ſorti, quod imputari debet, inſtitutionis ignauiæ. Nulla aut exigua ſaltem cura adhibetur in formandis puerorum moribus, in reſcindendis iuuenum appetitibus, & incurioſè ac celeriter inſtitutus filius eſt prolixus patri dolor, & dedecus. Refert Plutarchus de inſtituend. liber. pictorem non peritum celeri penicillo depictam imaginem Apelli oſtendiſſe, ſeque de celeritate iactaſſe, reſpondiſſeque Apellem ipſo in opere celeritatem elucere, nec eſſe verbis opus manifeſtare. Accipe Plutarchum: *Pictor, vti re-* Plutarch.
fertur, malus oſtenſa Apelli imagine: Hanc inquit, modò pinxi: qui, vt mihi id non referas, inquit, video pictam properè. Quam properè plures patres effinxerint filiorum mores, ipſi referunt factis, quæ negligentiam parentum culpant, & inſtitutionem condemnant. Populi Iſraelitici ſeniores Beniaminitis remanentibus, vt ſponſas ſortirentur, hoc dedere conſilium: *Ite, & latitate in vineis, cùmque videritis filias ſilo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Beniamin.* Silonitæ filias choros ducere, & vſquè ad vineas progredi non vetuerunt: ergo dum indulgentiùs ſe cum illis gerunt, dum choros ac ludos permittunt, filiarum raptum patiuntur, & inopino dolore vrgentur, & ne incuriam ſuam variis excuſationibus colorarint, proceres raptum non tam rapientium audaciæ, quàm parentum nimiæ indulgentiæ decreuerunt adſcribendum: *Si patres earum ægrè tulerint* (Verba ſunt Ioſephi 5. antiq. cap. 2.) *& vindictam* Ioſeph.
poſtulauerint, dicemus ipſos in culpa eſſe, qui filias negligenter cuſtodiuerint; & quod non oportet me in Beniaminitas nimis indulgere. Itaque parentum querelæ non tam publicabant Beniaminitas audaces, quàm ipſos deſides: incuriam in ſeruandis puellis oppoſuere maiores, mirum non eſſe conteſtati ab earum pulchritudinis,

ſtudioſis rapi; ſed mirandum negligenter adeò à parentibus cuſtodiri. Profectò hiſtoria aliquarum matrum, patrumque oſcitantiam depingit: dolent, queruntur que filias ab amaſiis raptas, & contra ſuam voluntatem auulſas; debuiſſent tamen non tam raptorem culpare, quàm deſidiam propriam arguere. Nihil non permittunt puellis, lætiori ornatu excolunt, non vetant in publicum prodire, & omnium oculos pati, & culpant alios, cùm nimia licentia, indulgentiáque nimia occaſio extiterit raptus, & luctus.

184. Dina rapitur, dum ſolo curioſitatis ſtudio per vrbem diuagari à parentibus, fratribuſque permittitur: (Geneſ.34. v.2.) *Egreſſa eſt autem Dina filia Liæ, vt videret mulieres regionis illius: quam cùm vidiſſet Sichem filius Hemor Heuæi princeps terræ illius, adamauit eam, & rapuit.* Si parentes inutilem virginis curioſitatem frænaſſent, raptam poſteà dolenter non ingemuiſſent. Quæ erat neceſſitas, aut quæ in fœminis videndis vtilitas? Voluit Dina noxiæ curioſitati indulgere, & ne inutili ſatis fraudaretur ſtudio permiſſa eſt exire ſine decenti ſatellitio, & ingenti detrimento: vt adularetur curioſitati (quantum ex contextu conijci poteſt) ſine decenti comitatu diuagata occaſionem præbuit rapinæ: forſitan ſi fratribus ſtipata pergeret Sichem modeſtius ſe gereret, nec violentum raptum tentaret; at vbi peregrinam ſolam, pulchramque intuitus eſt, audacter rapuit exoculato amore inflammatus, & raptam conſtuprauit iniurius. Itaque vbi legis ſolam, leges & raptam. (Gregor.) *Sua ſtudia negligens*, ſcribit Gregorius in paſtorali cap.30. & apud gloſſam, (Curioſitas detrimenti conſiliatrix.) *actiones alienas curans extra ordinem proprium euagatur, quam Sichem princeps terræ opprimit: quia inuentam in curis exterioribus diabolus corrumpit.* O quot calamitates vitarentur, ſi Dina extra ordinem proprium euagari non permiſſa; ſed paterna domo retenta! at vbi, ne triſtaretur, à parentibus indulgenter eſt habita, & à raptore luxit corrupta.

185. Puer Eliſæi precibus à Deo impetratus, vti vnicus indulgenter à parentibus habebatur: ad meſſores ſpontè tetendit, cùm Sol incandeſceret ardentior, & ardore ægrotauit inflammatus: (4.Reg 4. v.19.) *Caput meum doleo, caput meum doleo.* Pater ſeruo tradidit, & ad matrem ducendum iuſſit: *Dixit puero: Tolle, & duc eum ad matrem ſuam*: inter eius amplexus expirauit ad matrem adductus, qui exire ad meſſores fortè viueret non permiſſus: *Poſuit eum illa ſuper genua ſua vſque ad meridiem, & mortuus eſt.* Hugo Cardinalis in hoc puero exiſtimat adumbrari iuuenes à parentibus indulgenter habitos, qui dum vitiis vacant, immaturam ſibi mortem accelerant: (Hugo.) *Vadit ad meſſores, quando opus aggreditur ſupra vires, & talis citò dolet caput mentis.* Adnectit: *Talis in meridie moritur, quia in medio opere deficit, vel in iuuentute, quæ eſt quaſi meridies ætatis humanæ.* (Gloſſa.) Conſonat gloſſa moralis: *Diabolo inſtigante per peccatum moritur.* Itaque in hac parentum non culpabili actione delineatum agnoſcunt ſacri interpretes culpabilem aliorum parentum amorem. Ergo dum diuagari permittunt, dum inſanis indulgere voluptatis ardoribus damnanda diſſimulatione patiuntur, ſibi &c. filiis aſciſcunt calamitatem, & incrementant dolorem. Ecce iuuenis domum egredi, cùm non deberet, permiſſus affectibus indulſit inſanis, & dum ſupra vires iuuenili ſe committit ardori, immaturus tabeſcit, & à parentibus incurioſæ inſtitutionis pœnas repoſcit: ni mater filio blandita egredi permiſiſſet, ni pater diſſimulaſſet, immatura mors puerum non raperet, nec anxios parentibus gemitus, & cruciatus afferret. Grauior erat parentibus dolor mortem non tam aduerſa ſorte, quàm indulgentia nimiâ elaboratam, & calamitatem degeneri amore aſcitam. Plures reperies iuuenes florenti iuuentute deſideratos: quia falſatus parentum amor, dum cupiditati blanditur indulgenter, ſaluti inſidiatur hoſtiliter. Viuerent vtili ſeueritate frænati, qui rapti ſunt immatura ſorte præuenti.

Amnon fraternitatis iura temerauit ſororem 186.
ſtuprans, & conſtupratam faſtidiens: re ad Dauidem delata, ne filium, quem impensè amabat, triſtaret, caſum diſſimulanter tulit, nec redarguit: *Noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quoniam diligebat eum.* (2.Reg.13. v.21.) Abſalom iniuria ſorori illata exaſperatus, & fortè nimia parentis diſſimulatione acriùs perculſus dignam tanto flagitio vindictam ſumere excogitauit: ergo corde indignationem cautè premens, nec aliquo ſigno foras erumpere permittens, tonſuræ ouium occaſione regale inſtruxit conuiuium, & adeſſe Amnonem rogauit: *Non eſt neceſſe, vt vadat tecum*, reſpondit pater, ceſſit tamen roganti, & non neceſſariam licentiam dedit: *Coëgit itaque Abſalom eum, & dimiſit cum eo Amnon, & vniuerſos filios regis.* Quàm amara Dauidi hæc indulgentia fuerit, textus explicuit: *Fecerunt pueri Abſalom aduerſus Amnon, ſicut præceperat eis Abſalom.* Amnon ſeruili manu confoſſus occubuit, filij reliqui celeri volatu regreſſi clamoribus impleuerunt palatium, & flebili voce inflictum retulere ſupplicium: *Intrantes leuauerunt vocem ſuam, & fleuerunt; ſed & rex, & omnes ſerui eius fleuerunt ploratu magno nimis.* Fratres occiſum fratrem luxerunt; ſed Dauid copioſiori gemitu, & amariori eiulatu, vt qui non ſolum luxerit cædem violenter inflictam; ſed licentiam ſine neceſſitate conceſſam: *Non eſt*, aiebat, *neceſſe, vt vadat tecum*: ne impenſiſſimè ſibi dilecti filij refragetur inutili deſiderio, fratris imprudenter famulatur excidio: ſi prudenti ſeueritate reſtitiſſet, grauem adeò dolorem ſibi nullatenus procreaſſet; aſt dum illatam ſorori iniuriam non punit, dum licentiam non neceſſariam concedit, in ſe ipſum aduerſam armat fortunam: *Dauid peccauit in hoc*, inquit Abulenſis quæſt. 9. (Abulenſ.) *quia pro tanto ſcelere aliqua correctio fuiſſet neceſſaria: & ob hoc Scriptura dicit quaſi in reprehenſionem Dauid, quòd noluit contriſtare ſpiritum Amnon filij ſui, quia diligebat eum.* Dum Amnoni parcit, nec corripit, Abſalonem ad iniuriam vindicandam exacuit: plus ſibi, filióque nocuit indulgendo, quàm ſeuerè caſtigando. Ergo dum alteriùs crimen non corripit, & alterius ſine vlla neceſſitate precibus paret, vtrique nocet. Diſcant parentes filios diligere inſanas frænando cupiditates, ne nimia indulgentia caſus miſerandi ſit cauſa.

§. XLV.

Digitized by Google

§. XLV.

Mundialia connubia à lætitia ſolent incipere; ſed luctum non ſemel parere.

187. RArò coniugiorum exordia à celebritate non inchoant, frequenter tamen tranſit lætitia in mœrorem, & quod putabatur ſubſidium, ſolitar conuerti in lamentum. *Si frequenter exeuntem domo*, aiebat Epicharmus apud Stobæum cap. 69. *loquacem & ſumptuoſam duxeris, non vxorem habebis; ſed inſtructum per vitam inf.rtunium.* Putabat quis vxorem ducere, vt haberet opportunum adiutorium, & inuenit Adami ad inſtar duriſſimum telum: *Faciamus ei*, aiebat Dominus: *adiutorium ſimile ſibi*; verùm adiutorium degenerauit citò in lamentum: nam Eua, dum cum ſerpente colloquia miſcet, viro pro telo eſt. *Quid agis mulier*, aiebat Baſilius oratione 3. *iuſſa es virum fouere, & ad inſidias peruteniſti: formata es in vita ſocietatem, & mortis conciliatrix inuenta es: vt membrum ſumpta es, & vt ſagitta miſſa es. Quis rei tandem exitus? Cùm cognouiſſent ſe eſſe nudos, conſuerunt folia ficus, & fecerunt ſibi periZomata.* Quàm ampla erat Adami poſſeſſio, antequam Euam duceret, quantis vtebatur ſeruitiis! verùm Eua iam ducta, dum ſerpens captioſas obtendit inſidias, dum cum ſerpente miſcet colloquia fœmina, iam Adamus ſuſtinet honoris detrimentum, & paupertatis incommodum. Nec aliter mulieribus ſæpè accidere ſatis notum eſt; viros ducunt ſpe melioris fortunæ, & inuenire ſolent vberes lachrymas ac frequentes anguſtias. *Miſerrimum eſt*, aiebat Euripides apud iam datum Stobæum, *muliebre genus, poſtquam odio haberi cœpit: nam quæ peccarunt, etiam immeritis dedecori ſunt mulieribus, & communicant vituperium malæ n:n malis.* Quid triſtius muliere odio à viro habita, proiuſque deſpecta? Satius illi eſſet cum belluis viuere, quàm virum eiuſmodi ſuſtinere. Plurium nuptias non ſemel grandi ſumptu, ſuperba pompa, & lætis tripudiis videas celebratas; ſed quàm citò in dolorem verſas. Breui tempore dulciſona aures demulſit cithara, ſed prolixis annis vultum defœdauit lachryma. Dum choros ducerent Silo filiæ, in vxores accipiuntur, ne chorus nuptiis deeſſet; at quid poſt chorum eis contigerit arcano tegitur ſilentio, & doctrinali ſilentij ſignatur ſigillo: *Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Chorus perſtrepit cùm in vxores accipiuntur; verùm ſolùm cùm accipiuntur perſtrepit chorus. Huc voco quod aiebat Gregorius lib. 4. Dialog. cap. 13. dum ageret de Galla, quæ defuncto viro alium ducere recuſauit: *Dum feruente mundi copia ad iterandum thalamum & opes & ætas vocarent elegit magis ſpiritualibus nuptiis copulari Deo, in quibus à luctu incipitur; ſed ad gaudia æterna peruenitur, quàm carnalibus nuptiis ſubijci, quæ à lætitia ſemper incipiunt, & ad finem cum luctu tendunt.* Quæ nuptiæ non ſunt plauſibus celebratæ? Quæ non ſunt adſtantium nobilitatæ frequentiâ? Quando opipara non ſtructa conuiuia? Verùm dum vna die aurum imprudenter effunditur, multis diebus egeſtate familia premitur: ſponſus aliam ſæpè ac præſumpſerat, experitur, & ſera pœnitentiâ ſtuper procuraſſe ſibi tormentum, cùm crediderat aſciſcere ſibi commodum. Huius veritatis teſtis eſt Iacob.

Epicharm.

Mulier eſt mariti infortunium, ſi frequêter adeat publicum.

Geneſ. 2. v. 18.

Baſil.

Euripid.

Gregor.

Cùm iam tempus adeſſet nuptiarum, vocat Labanus ad thalami celebritatem cognatos & familiares: dulcis harmonia exhilarauit auditum, opiparum inſtructum eſt prandium; ſed manè Iacobus ingemuit dolum: *Vocatis multis amicorum turbis ad conuiuium fecit nuptias, & veſperè Liam filiam ſuam introduxit ad eum.* Facto manè Iacobus non Rachelem; ſed Liam deprehendit, & doluit: celebratis vix nuptiis iam gener ſe falſum à ſocero queritur, & iam ſocer à reliquorum conſuetudine exorbitare teſtatur: *Facto manè vidit Liam, & dixit ad ſocerum ſuum: Quid eſt quod facere voluiſti? Nonne pro Rachel ſeruiui tibi? Quare impoſuiſti mihi?* Quod in duplici fœmina Iacobo contigit, in vna eadémque plurimis accidiſſe non dubites: aliam ac putarant inueniunt: pro modeſta procacem ſtupratam pro virgine, pro diuite pauperem, & exiguo tranſacto lætitiæ tempore moleſtæ incipiunt querelæ, & inter ſocerum, generúmque frequentes diſſidiorum oriuntur cauſæ: perſtrepebat domus, dum celebrarentur nuptiæ; ſed citiſſimè turbabatur, dum reſonarent querelæ. Duxit Iacob ſponſam, cum gaudio; ſed quàm citò ingemuit lamento. *Ars eſt*, aiebat Oleaſter hîc ad mores, *mala bonis miſcere, vt cum bonis tranſeant.* Adnectit: *Similiter vides ab initio fuiſſe fraudes etiam inter cognatos.* Vt multa inaurantur, quo exteriùs niteant, cùm non ſint interiùs aurea; ita plurima ſpecioſis ad celebrandum nuptias fucis colorantur, quæ fucata citiſſimè deprehenduntur: dolum texit Labanus ad regionis ſtatam conſuetudinem confugiens, & Iacob, cùm crederet Rachelem ducere, Liam coactus eſt ſuſtinere. Plures ſunt, qui maritorum honori inſidiantur, qui vxoratas donis adulationibúſque corrumpunt: ergo hi iuſtiſſimo Dei iudicio multò alias, quàm ipſi putauerant, ſolent ducere vxores, & pati fraudes. 188.

Geneſ. 29. v. 22.

Oleaſt.

Filij Iambri erumpentes ex Madaba Ioannem comprehenderant, & omnia abſtulerant: Ionathas & Simon dolore exulcerari, cùm ſcirent Iambri filios nuptias celebrare, & magno apparatu filiam vnius de magnis Principibus ſponſam ex Madaba ducere, tetenderunt inſidias, & feſtiua nuptiarum gaudia conuerterunt in doloroſa lamenta: *Ecce tumultus, & apparatus multus, & ſponſus proceſſit, & amici eius, & fratres eius obuiam illis cum tympanis, & muſicis, & armis multis. Et ſurrexerunt ad eos ex inſidiis, & occiderunt eos, & ceciderunt vulnerati multi, & reſidui fugerunt in montes: & acceperunt omnia ſpolia eorum, & conuerſa ſunt nuptiæ in luctum, & vox muſicorum ipſorum in lamentum.* Neſciebat ſponſa ſponſum, quem ducebat aduerſarios ſortiri; ſed dum de ſponſo ſibi plaudit, 189.

1. Machab. 9. v. 39.

inopinè inter ipſa nuptiarum gaudia videt aduerſarios irruere, & iam gaudia conuerſa ſunt in lamenta. Quàm ab his caſibus diſtare videbatur ſibi ſponſa! verùm dum Iambri filium audacem, raptorémque ducit, inextricabiles calamitates inuenit. Cùm plura lateant, quæ non eſt facile, quantumuis deſudet ſolicitudo, deprehendere, inopini caſus ſæpiſſimè maritum turbant, & vxorem ſæpè contriſtant. *Iambri*, exponit gloſſa moralis, *dies amaricans interpretatur,* Gloſſa. *& ideò per Iambri voluptas carnalis ſignificatur: qui dies dicitur; quia delectabilis eſt in principio; ſed dicitur amaricans, eo quòd triſtabilis eſt in termino*; imò in ipſo itinere triſtis eſt. Dies nuptiarum opportunè in Iambri deſignantur: ſunt enim dies læti, & amaricantes; eâ tamen differentiâ, quòd breue eſt gaudium, & diuturnum ſæpè lamentum: inopinus caſus triſtauit ſponſam, & in luctum conuertit citharam. O quoties nondum tranſacto poſt nuptias menſe infirmitas angit, paupertas premit, & ſingulis lætitiæ diebus mille triſtitudinis reſpondent dies, & mille diuexant calamitates.

190. Diſertè Paulus coniuges inſtruit ad patientiam, dum ex ipſo coniugio orituram tribulationem denuntiat: 1. Cor. 7. v. 28. *Si acceperis vxorem non peccaſti. etſi nupſerit virgo, non peccauit; tribulationem tamen carnis habebunt huiuſmodi.* Vel cùm peccatum abeſt, tribulatio non abeſt: alendæ familiæ ſolicitudo pungit, vrit non ſemel zelotypia, premit filiorum copia: *Hîc parcere ſe dicit illis* (inquit Tertullianus Tertull. lib. de monogam. cap. 11.) *alioquin preſſuram carnis ſubſecuturam præ anguſtiis temporum.* Temporum anguſtiæ, cognationum difficultates, diuerſæ indoles preſſuram afferunt, & exigua voluptas tribulatione magnâ compenſatur, & labore ingenti voluptas ſoluitur. Expendebat Ambroſius ad Pſalm. 39. paradiſum deliciarum topiarium, vbi admiſit nuptias, tuliſſe terrores, & quas anteà ignorabat, homini produxiſſe anxietates: & ne quis in cœlo quid fore ſuſpicaretur amarum, Dominus teſtatus eſt ibi nullum eſſe connubium: Ambroſ. *Iam nulla in paradiſo nuptiæ; ſed omnes erunt ſine celebritatibus nuptiarum, ſicut Angeli Dei.* Ipſis in nuptiis eſt inuiſcerata ſolicitudo, vtque Iacob tenebat manu plantam Eſaü naſcentis, ita vel naſcentem nuptiarum celebritatem premit inopinum infortunium, & ob ingeniorum diuerſitatem lamentum.

---

§. XLVI.

Honor nuptiarum fœcunditas, origo fœcunditatis eſt caſtitas.

191. ORnamentum matrimoniorum fœcunda eſt caſtitas, non efficit felicia connubia pretioſus ſmaragdus, non reſplendens coccus, non ſuperbus diuitiarum cumulus: verecunda caſtitas, integer pudor, modeſta coniugum verecundia, & mutuæ dilectionis correſpondentia ſtatum felicitat; & connubia honorat: *Ornamentum eſt, vt inquit Crates, quod ornat*, ait Plutarchus in præcept. connubial. *ornat autem, quòd* Plutarch. *mulierem ornatiorem reddit, id efficit non aurum, non ſmaragdus, non coccus, ſed quæ grauitatis, modeſtiæ, verecundiæ imaginem exhibent.* Si coniuges conuerſentur honeſtè, filios procreant, & matrimonium nobilitant; at ſi vir domi, &, quod deterius eſt, foris immodicè voluptatem ſequatur, pudicitiam vxoris paruipendit, & honorem ſuum diſcriminibus obiicit: *Colendo corpori vir nimium deditus* (verba ſunt dati Plutarchi) *coniugem efficit compticem, libidinoſam voluptarius, & ſalacem; caſtam verecundámque honeſti, & virtutis amans.* A mariti moribus pendere ſolet vxoris grata fœcunditas, & dilaudanda ſemper honeſtas. Qui pellices plures habet, qui vxorem ſuam contemnit, virum quærere vxorem non ſolùm edocet; ſed quodammodò cogit: quod ſi contemnitur caſtitas, exterminatur prorſus fœcunditas. Huius philoſophiæ non rudes Hebræi, cùm de reparanda tribu Benjamin conſilia agitarent, decreuerunt virgines Silo arripiendas; ea tamen conditione, vt ſinguli ſingulas vxores ducerent, nec plures raperent: *Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repente de vineis & rapite ex eis ſinguli vxores, ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Opportunius videbatur plures habere, quàm vnam tantummodò ſibi aſſociare; & tamen feriò iubent ſingulos ſingulis eſſe contentos, vt qui nouerint à temperantia, caſtitateque copioſiores edi fructus, & nobiliores produci partus: noluerunt nimiùm indulgere voluptatibus, quia ornari ſtudebant fœtibus: caſtitas námque coniugalis ſæpeſæpiùs ſplendenti fœcunditate exornatur, vt è contra nimius luxus ſterilitate punitur. *Quamquam plures ſunt virgines, quàm vos,* inquit Abulenſis quæſtione 32. ſeniorum nomine, *nomine non rapiatis omnes; ſed ſo-* Abulenſ. *lùm quilibet vnicam in vxorem.* Conſonat Ioſephus 5. antiquit. cap. 2. *Hoc pacto quæſitis nuptiis agriculturæ inſudantes dederunt* Ioſeph. *operam, vt ad priſtinam felicitatem aliquando redire poſſent. Quò factum eſt, vt Benjaminitarum tribus, quæ minimum ab internecione abfuit, prudenti hoc Iſraëlitarum conſilio ſeruaretur; mòxque magnis incrementis non tam numero, quàm opibus eſt aucta.* Totum procerum ſtudium erat, vt quàm citò tribus inſtauraretur: ergo vetuerunt luxum, vt dum caſtius cum vxore viuerent, natorum citiùs numeroſitate exundarent: quod & factum eſt, quandoquidem Benjaminitica tribus exiguo tempore numeroſa prole inuenitur adaucta, & diuitiis plurimis circumfuſa.

Dum adhuc coërcitâ intemperantia, dum 192. frænata libido, homines audio multiplicari; vbi verò nimius luxus, & omnia commaculans libido modeſtiæ terminum ſupergreſſa eſt; natura humana inuenitur conſumpta, & ſupplicio digno deleta: *Cùm* Geneſ. 6. v. 1. *cœpiſſent homines multiplicari ſuper terram, & filias procreaſſent, videntes filij Dei filias hominum, quòd eſſent pulchræ, acceperunt ſibi vxores ex omnibus, quas elegerant.* Ecce hominum

minum refertur multiplicatio, cùm metam non tranſgrediebatur intemperans, & exoculata libido; at dum ex omnibus plures eliguntur vxores, diluuium appetit, & hominum multiplicitas perit: *Dixit Deus: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, quia caro eſt: erúntque dies illius centum viginti annorum.* Iam ætas breuiatur, iam anguſtatur multiplicitas: nam vt de coniugali caſtitate filiorum procedebant examina, ita de intemperantia abſciſſa fuerunt genimina: *Seruam libidini rationem tradentes*, ſcribit Baſilius Seleucienſis oratione 6. *diuina calcant edicta, & execrabilium egreſſu fœdantur: fluxam & caducam voluptatem æternarum rerum votis anteferentes adulterant indolem ſuetam virtutis ire vias.* Iam natura adulterata, libidinibúſque corrupta dedidicit nobilitari, & quibus ditabatur anteà, filiorum gregibus effulgere. Et ne latiùs diuagemur, vide arcanum pro conſeruando mundo myſterium.

Baſil.

193. Compactâ arcâ ingreſſi homines referuntur: *Ingreſſus eſt Noë, & filij eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo.* Et ne libera nobis opinandi relinqueretur occaſio, iterum Scriptura expreſſiùs refert: *Ingreſſus eſt Noë, & Sem, & Cham, & Japhet filij eius, vxor illius, & tres vxores filiorum eius cum eis in arcam.* Et quare non plures vxores, cùm Lamech duas duxerit? Nonne ad procreandam citò prolem vtilius eſſet plures vxores accipere, ſecúmque ducere? O mirum caſtitatis coniugalis encomium! Vnico viro vnica aſſociatur coniux: quia dum decentius caſtiúſque matrimonium tractatur, numeroſior filiorum copia producitur, vt quàm citò mundus reparetur, quatuor ſolummodò aſſignantur vxores; vt compertum ſit iuſtitiæ honeſtatiſque cultores nobili filiorum copiâ ditari, caſtitatem verò non adeò colentes ab elogio fœcunditatis expungi: *Vides hîc*, inquit Oleaſter ad mores, *qualiter Sancti Patres vnicâ erant vxore contenti?* Adnectit: *Non ſic autem, qui ex Caïn originem ducebant, qui non ſolùm multas; ſed pulchriores ad explendam libidinem ſuam acceperunt.* A Caini poſteris humani generis promanauit excidium: à Noë poſteris humani generis incrementum: hi námque dum caſtius viuunt, amiſſum reparant, & humanam naturam laudabiliter fœcundant. Intemperantia, nimiáque libido eſt ſalutis peſtis, fœcunditatis lues, honoris nebula, diuitiarum iactura, at caſtitas ſalutis fomentum, matrimonij elogium, & fœcunditatis auxilium.

Geneſ 7. v. 7.

Oleaſt.

194. Deus vt humana natura copioſam regerat prolem, coſtam de hominis latere mutuatur, quàm in mulierem effingat. *Ædificauit Dominus Deus coſtam, quam tulerat de Adam, in mulierem, & adduxit eam ad Adam.* Et cur non plures coſtas tulerit, quas in mulieres effingeret? Nonne facile eſſet Deo coſtarum locum carne replere, & mira diſſipatum arte reformare? Si cupit humanum genus prolatari, filióſque produci, plures efformet fœminas, quas Adamo in vxores tradiderit; nam pro vxorum multiplicitate, & filiorum erit numerus; imò quia cupit humanum genus multiplicari, vnicam Adamo conſtruxit vxorem, vt ipſa conſtructio continentiæ, & concordiæ eſſet magiſtra, & coniugij gloria. Notauit Baſilius Seleucienſis oratione 2. *Concordiæ & continentiæ magiſtra talis molitio: vni viro vnicam adſocians vxorem continentiæ ſubindicat legem.* Adnectit: *Eiuſmodi conditionis ratio tacita quædam admonitio eſt: ſequamur igitur conditoris voluntatem, revereamur naturæ Dominum libidinis vias auerſati.* Tacitè ipſa molitio inclamabat fœcundiorem fore naturam, ſi temperantia colatur, & caſtitas honoretur: quia humanum genus propagari diſcupit Deus, vni viro vnicam adſociat vxorem, & dum continentiam edocet, quid fœcunditati proſit, & quid apertè noceat, oſtendit. Plures nobili fœcunditate radiaſſent, ſi à ſalacitate abſtinuiſſet; aſt dum ſicut equi mulique libidinibus vacant, naturam ipſam effœtant, & carent digna generoſáque prole, quia exundant fœdiſſima, ac viliſſima voluptate. Quî eſſe poteſt, vt ab vxore ſua ſuſcipiat filios libidinibus addictus, & ſcortis fœdiſſimis mancipatus? Fœmina vni viro coniuncta filios procreat; ſi verò continentiæ tranſgrediatur legem, honorabilem ſortiri nequibit prolem: vt enim fœcunditas coniugiorum eſt ornamentum; ſic continentia, & coniugalis caſtitas eſt fœcunditatis auxilium.

Geneſ. 2. v. 22.

Baſil.

Numeroſiſſimam ſobolem regerebat natura Hebræis, non adeò copioſam Ægyptiis: mirabantur voluptuoſi Hebræos in dies nimiâ fœcunditate diteſcere, cùm ipſi tot filios non ſuſciperent plurimis fœminis vſi, & carnis voluptatibus occupari: *Ecce populus filiorum Iſraël multus, & fortior nobis eſt.* Qui procreabantur ab Hebræis filij & numero plures, & viribus validiores: nimia namque Ægyptiorum intemperantia & generationis cauſas impediebat, & fœtus debiles procreabat. Huc voco Lippomanum in catena ad Exodi 1. *Viuidiores, hoc eſt, fœcundiores eſſe dicuntur: quia a maritis ſuis religioſius amata, & tractata caſtius.* Vbi agnoſcebatur caſtitas, ibi floridior erat fœcunditas, & fœtus prodibant viuidiores; quia honeſtiores erant parentes. Vt hinc diſcant coniuges, ſi filios ſuſcipere anhelant, ab intemperantiâ abſtinere, & coniugali caſtitati conſulere. 195.

Exod. 1. v. 9.

Lippoman.

§. XLVII.

Matronas dedecet puellarum luſibus ſe immiſcere, & propriis iuuentutis feſtiuitatibus ſe aſſociare.

MVlta ſunt ætatibus ſpecialia: hoc de officiis, probiſque moribus ſapienter docet Ambroſius libro 1. in Lucam. *Eſt vnicuique officio*, inquit, *præſcripta ætas; & quod tempore decet, tempore dedecet: atque mutatio, facti vniuſcuiuſque mutat ſæpè naturam.* Hoc de vitiis docet Chryſoſtomus homilia 10. in Matthæum. *Neque omnis ætas* (ſunt eius verba) 196.

Digitized by Google

verba) *cunctis vitiis opportuna eſt. Nam primos adhuc annos imprudentia & imbecillitas animi ſimul obſidet, adoleſcentiæ verò tempus feruentior impugnat libido, reliquam video ætatem habendi maximè ſollicitat cupido.* Hoc in cæteris rebus etiam indifferentibus videre eſt: non eſt ſenis cum pueris ludere: non eſt pueri Reipublicæ negotia gerere. Qui repueraſcit, & ſenectutem ſuam ad adoleſcentiam trahit, conciliat ſibi deſpectum. Qui alterius ſtatus & temporis propria exambit immatura auiditate, mouet riſum: Igitur Dauid quoque pugnaturus contra Goliath Philiſtæum pro populo Dei abiecerit arma Saülis inaſſueta, neque tunc paſtor potuit incedere regis veſtimentis indutus, quæ paucis poſt annis poſt Saülem, rex per omnia bella decorè tulit. *Et induit Saul Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius & veſtiuit eum Loricâ. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cœpit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saül: non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Et depoſuit ea, & tulit baculum ſuum quem ſemper habebat in manibus, &c.* ergo ætatis ſtatuſque legibus parendum eſt, & honeſtæ conſuetudini ſtandum: *Naturam concuſſit*, in-
Tertul. quit Tertullianus lib. de Pallio cap.4. *Lariſſæus heres in virginem mutando, ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis conſilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum guſtu: ille apud rupicem, & ſyluicolam, & monſtrorum eruditorem ſcrupea ſchola eruditus feras in puero matris ſolicitudinem patiens certè iam vſtricolas: certè iam virum alicuius clanculo functus, adhuc ſuſtinet ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effœminatus.* Quàm erat ridiculus Achilles puellarum ſtylo conformatus, & puella redditus! Sed ne rarum ſolùm exemplum afferamus: ad fœminas inſtituturum adaptemus. Aliquando matronæ puellarum imitantur ingenia, & grauitatis iniuria iuuencularum ſæpiùs affectauere conſortia. Redeat Tertullianus iam datus: *Conuerte & ad fœminas: habes ſpectare quod Cæcina Seuerus grauiter ſenatui impreſſit: matrona ſine ſtola in publico.* Stolam grauitatis indicem nonnullæ deſueſecerant, & puellarum lenociniis; quò faciliùs puellarum fruerentur plauſibus, ſe expingebant, earúmque cœtibus aſſociabant. Audi Septimium: *Indices cuſtodéſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta ſedulò quædam deſueſecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando, quò planiùs habeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque iam lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.* Queritur Septimius matronas ſe in puellas reproduxiſſe, & quidquid ad puellarum ſtatum pertinebat grauitatis oblitas ſuſpiraſſe: grauabantur ornatus ſpectabilitate, grauitateque: ergo vt inter puellas verſatæ iuueniles inducerent animos, & feſtiuos alienæ ætatis frequentarent ludos, grauem deponebant ornatum, & lætiorem iuuencularum ambiebant cultum. Et merito queritatur, quis enim id ætatis & dignitatis matronas non rideat, ſi puellarem ornatum imponant faciei, vertici, totique corpori? Nocuit etiam ille Iezabeli, & regina tamen erat, iam ætate prouecta: Libro 4. Regum cap.9. ſic legitur. *Iezabel depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram, ingredientem Iehu per portam.* Hæc illa. Quid verò Iehu? *Leuauitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram & ait: Quæ eſt iſta?* Quaſi diceret. O gentis noſtræ propudium? Hæcne illa eſt Iezabel Ochoziæ quondam regis mater? ergo faciem ſtibio pinxit, verticem puellari decorauit ornatu? ſcilicet alicui placitura. Ergo ne tantum facinus intuebimur æquis oculis? *Et inclinauerunt ſe ad eam duo vel tres eunuchi; at ille dixit eis: præcipitate eam deorſum, & præcipitauerunt eam.* Quæ mulieres prætereа apud Iſraëlitas Iezabelis in morem peccauerint, non facilè inuenies.

Iſtas potiùs Septimij querelas Iſraëlitas vitaſſe, 197.
nec apud eos matronas, nuptaſque puellarũ etiam luſibus permiſſum intereſſe, Sacra Scriptura videtur innuere: nam cùm Beniaminitis vxores ſatagerent prouidere, & vt ſibi videbatur, iuramento obſtricti de non dandis filiabus tenerentur, hoc conſilium proceres & ſeniores dederunt, videlicet vt ex choros ducentibus puellis (aderat námque annuæ feſtiuitatis in Silo tempus) inopinè raperent, ſibique in vxores ducerent: *Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas & pergite in terram Benjamin.* Si matronæ, vxoratæque puellis immixtæ choros ducerent, iniquum eſſet conſilium: ſuaderent námque non connubia; ſed adulteria: ergo cùm certum ſit non ſuaſiſſe adulteria; ſed matrimonia, claret matronas, maritatáſque cum puellis choros non duxiſſe, nec eos ludos affectaſſe: vt iam hinc diſcant matronæ grauitati ſtudere, & feſtiuis puellarum gaudiis renuntiare. *Ibi fiebat ſolemnitas*, inquit Abulenſis quæſtione 39.
in qua virgines ducebant choros per vineas. Abulenſ.
Virgines, non aliæ, choros ducebant: eſſet enim & periculoſum, & minùs decens maritatas iuuencularum affectare tripudia, & iuuentuti ſolùm permiſſa excurrere ad gaudia.

Iſaias fauſta denuntians Ieruſalem ſic aie- 198.
bat: *Non erit ibi amplius infans dierum, &* Iſaiæ 65.
ſenex, qui non impleat dies ſuos: quoniam puer v. 20.
centum annorum morietur. Has nonnulli ſic interpretantur, vt velint à Propheta prædici, quòd omnes Iudæi ab infante recens nato vſque ad ſenem erunt longiſſimæ vitæ: ſcilicet implere dies ſuos, aiunt eſſe idem, ac diutiſſimè viuere, & tantum temporis ſpatium degere, quantùm Deus humanæ vitæ præfiniuit; & infantem dierum eſſe infantem illum, qui paucos dies viuit. Sed longè alius eſt verborum Iſaiæ ſenſus. Expende Antitheſim, *Infans dierum, puer centum annorum*: id eſt, non erit iam infans, qui negotia gerat ſenum: nec erit ſenex, qui cum pueris veluti elementarius aſſideat: vtrumque namque Reipublicæ, vt periculoſum, indignum: ſi munus gerat ſenile infans, inexpertus, & ſapientia nudus, gemet Reſpublica, & exulabit prudentia: vt è contrà, ſi ſenex pueriles affectet mores, & ſe puerorum inſerat gregi, dehoneſtabit canitiem, & adulterabit ætatem: *Non erit ibi amplius*

Digitized by Google

Lyra. *amplius infans dierum: id eſt*, exponit Lyra, *aliquis habens multos dies, deficiens tamen in induſtria vel ſcientia, & ſenex, qui non impleat dies ſuos, id eſt, habens multos annos in vacuum tranſactos; ſed plenus meriti.* Itaque vt ab illa Republica omne exterminetur dedecus, promittit exinceps non fore dierum infantes, nec pueriles ſenes; imò ſenes grauiter ac ſenatoriè cum ſenibus acturos, & pueros tractandis rebus ſeriis non intrudendos. Noſter Sanctius in huius loci explicatione ſic ait: *Hic locus valde* Sanctius. *difficilis eſt, neque facilè cum ſuperioribus contexitur. Ego hac primùm ad felicitatem eius populi pertinere puto, in quo Dominus dicit ſibi eſſe exultandum: eſt enim màximum ciuitatum ornamentum ciuium prudentia, & ſenilis maturitas, ſicut contrà ſtupor, & leuitas ciuium dedecori eſt ac pudori patriæ.* Itaque vt eius Reipublicæ ſtatus innouetur, & lætiori fortuna vtatur, promittit Dominus infantes dierum exulaturos, vt etiam ſenes repueraſcentes; imò fore ſenes omni maturitate conſpicuos, & à puerilibus nugamentis prorſus alienos: & quidem indignum eſt, ſi ſenex ætate pueris adhæreat, & cum illis colloquia prolixa miſceat, vt etiam eſt indecorum, ſi matrona cum puellis nimiùm conuerſetur, & earum mores ſequatur: omnia tempus habent, quod inuertere maledicis præbet materiam, & frequenter obſcurat famam.

199. Salomon ſapientiam teſtatur incuſare, quòd in ciuitatum foribus, vbi olim ſenes, & tribunalia, inueniantur pueri moribus, ſenes ætate. Prouerb. 1. v. 20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens: vſquequo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, cupient?* In ciuitatum portis nullus ignorat adfuiſſe vrbium Senatores, Reipublicæ Conſules: ergo dum ſapientia ibi adſpicit pueros ſenum munia gerentes, & ſenes ingenia puerilia imitantes à ciuitate exulat, & foris clamat: Lyra. *Hoc dicitur*, inquit Lyra, *quia antiquitus iudices, & ſapientes eis aſſidentes habebant locum in portis vrbium.* Itaque querebatur ſapientia in vrbium portis paruulos aſſidere, & negotia ſenibus commendata tractare: & è contra ſic ſenes ſtulteſcere, vt ea, quæ ſibi futura noxia, diſcuperent, nempe cum pueris agere, & puerili modo viuere. Prodeſt noſter Sanctius Sanctius. ſuprà datus: *Vſquequò paruuli diligitis infantiam? Quaſi dicat: Quid vos capite cano, & rugata facie puerilia captatis nugamenta? Hoc itaque hominum genus ſtolidum & ignobile infantile vocat Propheta, abſuturumque dicit ab inſtituta, & benè conſtituta ciuitate.* Benè inſtituta reſplendet ciuitas, vbi ætatum iura ſeruantur, nec annorum leges indecorè confunduntur.

200. Chriſtus Dominus, quò Hebræorum Rempublicam ad occaſum inuolare dilucidè oſtenderet, pueris in foro ludentibus Sacerdotes, & Principes comparauit: Matth. 11. v. 16. *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Qui Chriſtum Dominum liuido dente arrodebant, erant Sacerdotum Principes, Phariſæorum proceres, qui Baptiſtam morti addixerunt, fuerunt cum Herode populi magiſtratus, & poteſtates: ergo, vt horum mores referat, pueris ludentibus ſimiles pronuntiauit: quid enim ſenex puerilles ludos imitatus aliud faceret, quàm in Baptiſtam caſtitatis normam deſæuire, & in Chriſtum Dominum omnis modeſtiæ ac ſanctitatis magiſtrum furere. *Totus hic ſermo*, inquit Hilarius Hilarius. in catena D. Thomæ, *infidelitatis opprobrium eſt.* Adnectit ibi Rhemigius: *Sibi ipſi reſpon-* Rhemig. *dit ſubiungens: ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro.* Hieronymus ibi conſonat: *Iſti ergo pueri* Hieronym. *ſedent in foro, vbi multa venalia ſunt.* Dum ſenex ſaltat, dum puerum moribus imitatur, dum pueriles non auerſatur luſus, caſtitatis inuenitur peſtis, prudentiæ hoſtis.

§. XLVIII.

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum occaſiones.

SAnctos dignis plauſibus celebrare & 201. gratitudo conſulit, & eorum fauoris neceſſitas perſuadet: religioſum eſt Dei amicis à populis reddi laudem, quorum demirantur virtutem. *Quotieſcumque fratres cha-* Auguſt. *riſſimi,* aiebat Auguſtinus ſerm. 47. de Sanctis, *Sanctorum martyrum ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectamus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos martyres imitando accipere mereamur æterna.* Adnectit: *Solemnitates martyrum exhortationes ſunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Itaque dum feſtiua Sanctorum gaudia celebrantur, incitamur ad eorum ſectanda veſtigia. Atque Chryſoſtomus homilia Chryſoſt. 28. in epiſtolam ad Corinthios aptè ſcripſit in hæc verba: *Dierum feſtorum ſolemnitas, bonorum operum eſt demonſtratio animæ puritas, vitæ rectitudo,* per opera quæ ad Sanctorum, quos tum veneramur, imitationem peragimus. Plurimùm etiam lucramur tum à Deo, & dum ad eorum conformamur exemplum, à Domino conſequimur beneficium: Illorum inſuper feſtis diebus, *publici ſolemniſque conuentus*, inquit Aſterius homilia 3. Aſterius. aduerſùs auaritiam, *tanquam ludi quidam, atque pædagogia ſunt animarum, vt & martyres alióſque Sanctos colentes, inſignem eorum pietatem imitemur, & Doctoribus, ea occaſione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratumque nobis anteà diſcamus quod ad dogma confirmandum, aut ad ambiguum obſcurumve locum, explicandum aut ad morum & vitæ emendationem pertineat.* Cùm hæc ita habeant, profectò debemus ea pietate celebrare illos, quæ ipſos decet. Accipe Gregorium Greg. Niſſ. Nyſſenum oratione 3. de reſurrectione Chriſti, ſic loquitur. *Dicamus*, adde, *& agamus ea quæ propriè ad feſtum pertinent, vt ad ipſas res accommodatè & conuenienter feriemur. Nam quod improprium eſt & alienum præterquam quòd nihil prodeſt, res eſt inordinata, incompoſita, atque abſurda.* Patres plurimi ſunt in hac re. Auguſtinus docet traditione à maioribus repetita vacandum nobis eſſe per illos à rebus terrenis Sermone 251. de tempore à

Sanctis

Digitized by Google

Sanctis patribus noſtris conſtitutum eſt Chriſtianis & mandatum, vt in ſolemnibus Sanctorum otium haberent, & à terreno negotio vacarent. Nazianzenus oratione in ſancta lumina docet vt à terrenis negotiis vacare tum debeamus, & bonis incumbere operibus, tamen Diuinarum cogitationi rerum eſſe nobis incumbendum. *Diuina memoria præcipuum feſti caput eſt.* Sed accipe quid ſcripſerit oratione ad Gregorium Nyſſenum. *Demus operam ne ſancta impurè, & ſublimia demiſſè, & honore digna turpiter, &, vt vno verbo complectar, ſpiritualiter terrena celebremus. Feſtos quidem dies Iudaus etiam agitat, verùm ſecundum litteram; feſtos dies ibidem gentilis, verùm vt dæmonibus placeat. At nobis quemadmodum ſpiritualia omnia ſunt, actio, motus, voluntas, ſermo, inceſſus denique, & veſtis, atque ipſi oculorum nutus, diuino ſcilicet verbo ad omnia pertingente, at diuinum hominem concinnante, ſic etiam ſpiritualis eſt feſtorum celebrandorum, animorumque oblectandorum ratio. Non enim animi relaxationem interdictam volo, ſed petulantiam coërceo. Si nos ad hunc modum conueniamus ac feſta celebremus magnum quidem fuerit affirmare, nos eadem præmia atque eiuſdem gloriæ hereditatẽ percepturos:* ſic tamen hominũ inoleuit peruerſitas, vt quæ pro orationibus ad Deum fundẽdis, pro exercendo omnis virtutis genere, pro expiandis culpis, pro conſequendis à Domino beneficiis ſalubriter inſtitutum, in appetitus & rapinæ occaſionem videatur deſtrxum. Innocentiæ detrimento, qui pro Deo habebant, feſta celebrauere Saturni: *Infantes,* aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 9. *penes Africam Saturno immolabantur palàm.* Itaque innocentiæ detrimento illa defœdabatur feſtiuitas, & populorum confluxus, dum Saturno dedicabat ſolemnitatem, innocentiæ inferebat necem. O vſitatum non ſolùm figmentorum, vt Saturnus erat ſolemniis; ſed Sanctorum etiam diebus feſtiuis! Dum populus ad alicuius Sancti celebrandam feſtiuitatem concurrit, alius in cauti marſupia euacuat, alius fœminas deteſtandis nutibus ad turpia deſideria prolectat, alius ſceleris occaſionem concinnat: ergo malitia de ipſa religione aduerſus æquitatem ſolet arma conſtruere, & ibi hauſto oculis ardet veneno, vbi videbatur opportuno munienda ſalus antidoto. *Taurorum fuit inſtitutum,* ſcribit Hyginus fab. 120. *vt qui intra fines eorum hoſpes veniſſet, templo Dianæ immolaretur.* Homicidiis Dianæ celebrabatur feſtiuitas, & cùm ob deuotionem ſalus videretur procurari, ſanguinem humanum contingebat effundi. Concinit Prudentius lib. 1. aduerſus Symmachum:

Tertul.

Quæ Taurorum inſtitutio.

Hyginus.

Prudentius.

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis,
Confeſſuſque illic ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Humano ſanguine defœdantur ſæpè celebritates, & vbi quærebatur concordiæ vinculum ibi perpetratur ſæpè homicidium; nec ſolus eiuſmodi erroribus gentilis celebritates ſuas deturpabat delirus; ſed aliquando gentiles mores imitari ſolet Chriſtianus. Ab annua in Silo celebritate occaſionẽ Benjaminitæ ſumpſerunt rapiendi virgines, & ibi parentes ingemuerunt fœdatas, vbi crediderant plus ſanctitati dicatas. *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionem vrbis Bethel. Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Annua celebritas in violentiæ occaſionem obſeruata eſt, & vbi virginitas debuit emicare, inuenta eſt fraudibus doloſis perire: *Iſta ſolemnitas,* inquit Abulenſ. q. 39. *in qua captæ ſunt puellæ, erat de ſolemnitatibus Domini.* Nihil adeò commodum viſum eſt conſulentibus ad virginitatis raptum, quàm Domini feſtiuitas: nam cùm tunc puellæ religionis cauſa conuenirent, tempus erat dolis aptius, & rapiendis virginibus opportunius.

Abulenſ.

Oſeas quàm feſtiuitatibus mulieres, viriique abuterentur, ſic exprimit: *Viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur in aure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos.* Error cæciſſimus Baalim pro numine colebat, & eius feſtiuitatibus dies aliquot dedicabat: ergo propheta duplicem hîc errorem teſtatur admiſſum: alter erat ipſa deteſtanda feſtiuitas, alter huius feſtiuitatis occaſione diſpoſita à fœminis ad luxuriam opportunitas; vt amaſios ſuos validiùs allicerent, omni ſtudio procedebant excultæ, & habitu lætiori exornatæ, ſe mentiebantur excultiùs com?re, vt decentiùs adeſſent feſtiuitatibus, cùm reuera placere cuperẽt amatoribus. Ergo quæ, dum feſtiuitas non aderat, domi occluſæ aſpectui procacium non patebãt, feſtiuitatis Prætextu templum adibant pompaticè exornatæ, & cùm viderentur inſeruire religioni, famulabantur libidini: *Seruat,* inquit Hieron. *perſonam meretricis, quæ auro ornatur, & gemmis, vt placeat amatoribus ſuis: quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit.* Ab arte mutuabantur fœminæ ſupplementa pulchritudinis, & cum adeſſe feſtiuitatibus eſſet colorata deuotio, erat vera pudicitiæ proſtitutio.

102. Oſee 2. v. 13.

Hieron.

Ieremias viarum Sion exprimit luctum, dũ nullus ad ſolemnitatem curſitat; ſed peruerſa intentione prauitatem anhelat: *Viæ Sion lugent eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* Littera hæc populum olim copioſum, & ſolemnitates Domini grandi turbarum confluxu celebritatem adeò iam oſtendit imminutum, detritúmque, vt rarus ad feſtiuitates veniat, vel metu deterritus, vel à vera religione alienatus; ſed cùm prophetæ verba alium etiam ſenſum admittant, placet eo verbo, *eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem,* aliquod intelligere arcanum. Itaque vias teſtatur lugere, eò quòd nullus ad ſolemnitatem veniat, cùm veniat ad concinnandam criminis perpetrandi occaſionem: itaque non tam queritur in ſolẽnitatibus populorum deſiderari confluxum, quàm religioſum animum: non veniebant ad feſtiuitatem, vt feſtiuitati religioſo animo adeſſent; ſed vt feſtiuitatis occaſione inſanis adularentur appetitibus, & quæ aliter nequirent, iniqua deſideria mentiti explerent deuotionis affectibus. Prodeſt Rupertus in Ier. cap. 16. *Luctus iſte vel gemitus magnæ charitatis eſt, lugere quod non ſint, qui veniant; imo perpauci ſint, qui veniant ad ſolemnitatem veritatis, & vitæ, quo multos perducere cupiunt.*

103. Threnor. 1. v. 4.

Rupert.

Cupiebant

Digitized by Google

Cupiebant Sacerdotes, viæque, vt inuolarent plures ad ſolemnitatem virtutis cupidi, religionis ſtudioſi: ergo dum aſpiciunt confluere depravatis ſtudiis, illectos, & virtutis prorſus oblitos, lugent feſtiuitates adeſſe, quas vident verſas in appetitus nundinas, & in ſimplicium fœminarum fallacias.

204. Hanc hominum peruerſitatem omni tempore viguiſſe teſtatur Seneca Epiſt. 97. Celebrabatur apud Romanos pro populo ſacrificium, vbi, vt decentius fieret, non ſolùm à mulierum conſpectibus viri ſubmouebantur; verùm etiam maſculorum animalium imagines oppanſis tegebantur velis, ne viſus, imaginatione deuotionem imminueret, dum oculos pictura diſtraheret: ergo huc Cæſaris vxor conuenit, vt Clodio, cuius amore tenebatur, ſui copiam faceret; & Clodio, cui facile non erat adire palatium, occaſionem præbuit ſacrificium: *Adulterium cum Cæſaris vxore in aperto commiſerat violatis religionibus eius ſacrificij, quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, vt pictura quoque maſculorum animalium contegantur.* Ibi delinquendi concinnauit prauitas occaſionem, vbi Romanorum religio conſulebat ſtudioſiùs puritatem. Fœmina ſuæ magnitudinis nobilitatiſque vinculis impedita, ſacrificij celebrandi occaſione eſt occaſionem turpitudinis nacta. Seneca.

205. Moabitæ celebritates ſacrificiorum inſtituerunt, vt dum Iſraëlitæ curioſitate inuolant, obtenſis capiant fraudibus irretitos, & puellarum gratiis illectos: *Morabatur autem eo tempore Iſraël in Setbim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua.* Moabitæ, vt libidinis negotium gererent, inſtituebant ſacrificia, & cùm eſſet religionis fucus, criminis erat affectus: viſum eſt illis alio modo Iſraëlitas non poſſe alloqui, expictoque vultus decore, ac oculorum pellacia, allicere: ergo, vt exercerentur ſtupra, vocauerunt ad holocauſta: adeò antiquum eſt feſtiuitates peruertere, & in cupiditatum auxilium pietatem mentiri. *Statua erat*, inquit Apollinar. ex catena Græca, *apud Moabitas eius Dei, quem Græcorum alij Saturnum: alij Belum vocant. Stabat hæc in loco, qui Phegor dicebatur, vbi à mulieribus Moabitarum, ſiue Madianitarum prouocati ad impudica ſacra Hebræi initia eius admiſerunt.* A celebritate deſumpta eſt delinquendi occaſio, & cùm exterior ſpecies videretur religionis, Moabitarum puellarum ſcopus negotium erat libidinis. Puto adhuc Madianitas moribus eſſe, Moabitas adhuc durare, & quamuis idolorum iam ſtatuis nec aræ extruantur, nec aris hoſtiæ impoſitæ conſecrentur, huius tamen, aut illius venerandæ imaginis occaſione ſolitant ſe citare ad oculorumque congreſſus libidinem ſpirantes concurrere. Numer. 25. v. 1. Apollinar.

§. XLIX.

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel perſuadere contigit prauitatem.

Virtus ſpecioſa eſt: quæ ab illa diſcrepant, licèt pulchra magnaque appareant, ſi ad examen reuocentur deprehenduntur fallere; verum etſi virtus iure ſit amplectenda, & fugienda prauitas, hæc indiget diſſuadente, illa irritatore: ergo ad id decreti præſules, ac populorum iudices, qui populos ſupplicij timore cohibeant, & boni oſtenſione trahant; verùm adeò corrupta ſunt iura, munera adeò adulterata, vt à quibus futurum erat virtuti auxilium, cruentum promanauerit ſæpè bellum: *Hoc agite boni præſides*, aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 50. *meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaueritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra.* Populorùm ſibi plauſum conciliabant iudices, ſi veram expungerent religionem, ſi diſcruciarent pietatem: à Iudicibus, à Præſulibus grauiſſimum virtuti detrimentum: quia nec queri licitum; imo æquitati habebatur conſonum, quod contra æquitatem decretum. En cùm graui obſtricti iuramento decreuiſſent Iſraëlitæ filias ſuas in vxores Benjaminitis non dare, Reipublicæ Proceres quaſi de ſagaci conſilio, & cœleſti oraculo Benjaminitas admonent virgines violenter rapere, ſibique ducere: *Exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas.* Raptus parentum animos nequibat non indignatione accendere, & quærelas iuſtas excitare. Quid tunc? Audi tribunalibus præſidentium reſponſum: *Cùm venerint patres earum, ac fratres, & aduerſum eos queri cœperint, atque iurgari: dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapiuerunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt acciperent, non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt.* Ecce qui tribunalia adierant actores, iam damnabantur vt rei, & cùm accuſarent apud Iudices de illata ſibi iniuria raptores, peccaniſſe, qui interpellabant, cenſebant Iudices: *A veſtra parte peccatum eſt*: & quare eorum crimen? Quia Sacramento obſtricti filias non dederunt petentibus, cùm petentibus dare, vt rebantur ipſi, grande eſſet periurium, & ad euitandum periurium, excogitatum ſit artificium: apud hos Iudices æquitatis malè audiebat cauſa, & obſeruatio Sacramenti pronuntiabatur criminis rea: *A veſtra parte peccatum eſt.* Illata puellis violentia dilaudabatur, nec iam licitum erat queri, quia habebatur licitum rapere. Fuiſſe populi Iudices, qui hoc excogitarunt reſponſum tradit Abulenſis quæſt. 31. *Hoc dicebant ſeniores: quia ipſi erant maioris auctoritatis in populo, & quaſi iudices.* Iuſtitia ſugillabatur vt culpa, & laudabilis habebatur violentia: populi ſeniores, iudiceſque non 206. Tertull. Abulenſ.

Digitized by Google

adhortabantur Iſraëlitas ad Sacramenti obſeruationem, nec rapientium cohibebant adſultus; imò pro raptus ferebatur ſententia, & adſcribebatur legem obſeruantibus culpa: *A veſtra parte peccatum eſt: id eſt, vos peccaſtis non dando illis filias veſtras, & illi non peccauerunt accipiendo eas*, inquit clarus Abulenſis. Quis crederet apud iudices, ſenioréſque ſic iura corrumpi, ſic æquitatem violari, vt non ſolùm laudetur violentia; ſed vt rea ſugilletur iuſtitia, & iuſtiſſima querimonia?

107. Chriſtus Dominus ſynagogæ procerum mores ſterilis ficus vites obumbrantis aptiſſimo expreſſit exemplo: dicebat & hanc ſimilitudinem: *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit: dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Ficus longo ramorum tractu foliis dilatatis benignos cœli influxus vitibus impediebat, & nociuam vmbram iactabat: non ſolùm infructuoſa intricabat ſibi cæſpitem, exhauriebat terræ vires, necabat ſpatia; ſed fœcundam vitem virides protrudere vetabat gemmas, dulceſque proferra impediebat vvas. Iam in ficu præſules deſignari tradit Chryſologus ſerm. 106. *Sicut infœcunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram, inimica non ſibi ſoli; ſed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deſes, ignauus, ſi præſit populis, non ſibi ſoli fit noxius; ſed multis, dum ſequentes ſe ſuo vitiat, & perdit exemplo.* Adnectit Chryſologus: *Meritò ergo à Domino ſynagoga arbori fici comparatur.* Ficulnea vitibus præſidebat, cúmque ſaporatis exornata fructibus inferiores allectare plantas teneretur exemplo, ad pompaticam viriditatem, ad floriditatem vanam terræ ſugebat humorem, & mortiferâ vites vmbrâ protegens erat fructus obſtaculum, quæ ad promendum fructum vitibus futura videbatur auxilium: ab ipſo Præſule lux propulſabatur cœleſtis, & vites illius vmbræ proximiores præ cæteris ſterilitate infœcundæ, & longa palmitum extenſione pompaticæ. Itaque quæ huic ficui proximior, probabatur vitis deterior.

Lucæ 13. v.6.

Chryſol.

108. Clodius de adulterio expoſtulatus diuiſit iudicibus adulteria, pecuniamque, & iam adulterium apud iudices meruit elogium. Audi Senecam Epiſt. 97. *Minus crimine, quàm abſolutione peccatum eſt: adulterij reus adulteria diuiſit: nec antè fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui iudices ſuos reddidit.* Adnectit: *Atqui dati iudicibus nummi ſunt... Impune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, qui damnationem peiùs effugit, quàm meruit.* Ipſi iudices, cùm reus negaret, vt abſoluerent, confiteri adulterium ſuadebant: quaſi vitiis appareret gratioſior, quibus probabatur impurior. Mihi crede, omne tempus eiuſmodi tulit iudices, & cùm in æquitatis, pudoriſque tutelam inſcenderint tribunalia, poteſtate abuſi, aut conſulunt, aut tuentur (ſi pecunia verſetur) delicta. Non negauerim Catones etiam eſſe, Iudices videlicet integerrimos, quibus ſummo ſtudio eſt æquitatem defendere, & in ſceleſtos inuiolatis legibus obarmarit: ergo hos laudo; illos verò, vt à prauitate abſtinuerint, adhortor.

Seneca.

Iſaias morum peruerſitatem exaggerans à legum præſulibus leges ingemiſcebat corruptas: imò adeò transfiguratas; vt ipſæ leges ſtarent pro iniquitate, & videretur obſequi iuri, qui apertiùs immodeſtiuſque indulgebat crimini. *Væ, qui condunt leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam Scripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Si quis è plebe perpulchram haberet vxorem, & copioſam facultatem, ipſi Iudices iniquis legibus, & confictis de induſtria criminibus exterminabant, quo liberiùs indulgerent libidini, eſſétque loco ſalarij adulterium, & præmium iniquæ ſententiæ copioſum aurum. Adeſt Hieronymus ad hunc locum: *Nobis videtur contra iudices Tribus Iuda, & Ieruſalem, ſcribas videlicet ſermo propheticus conclamare, quòd aduerſum legem Dei iniquas ſcripſerint leges, & traditionibus ſuis ſubuerterint iudicij veritatem.* Adnectit cauſam Hieronymus: *Proptereà autem Scripſerunt leges peſſimas, vt opprimerent pauperes, & humiles populi, vt prædas agerent de viduis, & pupillos diriperent.* Quam inuiolatæ apud huiuſmodi Iudices floreſcebant leges, quandoquidem grauius illis periculum à tutoribus! Adijce aliquando Præſulum, Magiſtratuúmque domos fieri delinquentium profugium, illucque ſe conferre vti ad ſecuritatis aſylum, qui mulctam debuiſſet pendere grauiſſimam ob peccatum. 109.

Iſaiæ 10. v.1.

Hieronym.

Hanc veritatem putat Chryſologus ſermo. 106. ſymbolicis litteris adumbratam. Ficulneam iam diximus gerere Præſulum Magiſtratuúmque vmbram: ergo Dominus ad ficulneam venit, vt fructum famelicus carperet; inuenit tamen ſolùm foliis, quibus delicta tegeret, exundare, & fructibus, quibus fami ſuccurreret, prorſus carere: *Manè reuertens in ciuitatem eſuriit, & videns fici arborem vnam ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: & areſacta eſt continuò ficulnea.* O quantum iuuat frugiferarum arborum aſſociari collegio: ficus in vinea ſterilis ob vberrimos vitis fructus ad effugiendam pœnam inuenit patrocinium; at ficus iſta, dum ſingularis eminet, dum in via oculos tranſeuntium exambit, dum illi fauet fructificantium conſortium, dignum tulit maledictionis ſupplicium. Sed vt videamus, cur à radicibus exſiccata, quod Geneſis 3. ſcribitur, repetendum eſt: Adam raptor, Euaque ſerpentinis alloquiis Dei legem tranſgreſſa, vt meritam fugerent pœnam, ad fici ſe contulerunt obſcuram vmbram: *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Lignum, quod ad inſtar quercus Abſalonem 110.

Matth. 21. v.18.

Geneſ. 3. v.8.

ſuſpenden

Digitized by Google

ſuſpendentis debuiſſet audentes punire, vmbrâ ſatagebat protegere. Ergo dignam Domini ſuſtinuit iram à radicibus arida, ne delinquentibus ſubueniret iterum vmbra. Acci- Chryſol. pe datum Chryſologum: *Venit Chriſtus, & in ſynagoga fructum fidei reperit nullum: quia tota dolis erat inumbrata perfidia. Ad ficulneam venit Chriſtus, ad quam legitur Adam nudus fugiſſe poſt culpam.* Quercus Abſalonem ſuſpendit digno ſupplicio: ficus Adamum indigno protexit vmbraculo: ergo à radicibus exaruit, ne culpis præbuerit iterum patrocinium, quæ ſymbolicè criminum eſſe tenebatur obſtaculum. Ecce aliquorum Præſulum, Iudicúmque ficus proponitur nobis ænigma, non quidem obſcurum; ſed ſatis clarum: ad ipſorum Iudicum confugiunt tutelam, qui æquitati intulerunt iniuriam, & qui deberent ſtare pro legibus, vmbram obtendunt teatibus: ergo timeant à radicibus exſiccandos, ignique tradendos.

§. L.

Non ſemel in operando modus aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram.

211. PLura ſunt, quæ modo aut deuenuſtantur, aut expoliuntur: beneficia aſpero vultu, & adducto ſupercilio dilargita exaſperant accipientem, & gratia tranſit in iniuriam. E contra ſi beneficium denegetur ore humanitate diffluenti, mellitis verbis, & vrbano modo, non ſolùm non exaſperat; ſed conciliat. Optimè Seneca lib. 1. de Be- Seneca. nef. cap. 1. *Gratiam omnem corrumpimus, non tantùm poſtquam dedimus beneficia; ſed dum damus: quis enim noſtrûm contentus fuit qui leuiter rogari,* aut *ſemel? Quis non, cum aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit?* Dedit beneficium; ſed exprobrantis modo: negauit; ſed ſtylo blandientis: ergo alter non meretur gratiam, alter non exaſperat iram: à modo ſæpè ſubſtantia dependet. Benè Tertullianus Tertull. in Apolog. c. 22. de dœmonibus: *Totus eo vbis illis locus vnus eſt: quid vbique geratur, tam facilè ſciunt, quàm enuntiant: velocitas diuinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* Dœmonum ignoratur ſubſtantia; ſed de operandi modo diuina creditur, & vt diuina ſæpiùs adoratur. Itaque dœmones immortali odio habendi ſi agnoſcerentur: de operandi modo adeò fallunt, vt ſibi non ſolùm non conciliarint inuidiam; ſed acquiſiuerint vel ipſorum, quos fallunt, gratiam. Hinc cùm Iſraëlitarum Proceres Benjaminitis præcepiſſent virginum in Silo choros ducentium raptum: quia non dubitabant parentes exaſperandos, conſilium inierunt, quo eorum delinirent iram; imò erga raptores fouerent gratiam: *Cùm venerint patres earum ac fratres, & aduerſum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt acciperent.* De modo raptum cohoneſtabant, & cùm raptus offenſa indignationem accenderet, modus commiſerationem precantium ſopiebat iram, & mitigabat offenſam. Ita Abulenſis quæſt. Abulenſ. 32. *Quaſi dicant: licèt rapuerint illas, non fuit verè violentia iſta, quia non fecerunt ſicut bellatores victores, quia iure ſuo illi accipiunt quidquid inueniunt, à nullo petendo; ſed quaſi ſuum accipiendo. Et contra tales pugnandum eſt ad repetitionem rerum ablatarum; tamen non fuit de Benjaminitis ſic: quia non acceperunt virgines quaſi victores; ſed cum magna neceſſitate acceperunt eas quaſi petentes.* Itaque ira non efferbuit contra Benjaminitas, & ſi rapuerunt puellas: quia acceperunt modo rogantium: & fors in illos effunderetur indignatio, ſi rogarent modo victorum. Profectò nonnulli etiam dum preces fundunt, modo ipſo fundendi offendunt: imperantium modo rogant, iubendo ſupplicant: cùm è contra nonnulli imperent, ac ſi rogarent. Ergo iſti, vel cùm dura præcipiunt, præcipiendo allectant ad gratiam; illi deprecando ſibi conciliauerunt inuidiam. Itaque proceres de modo raptus, raptus iniuriam mitigant, & dum blandis verbis querulos alloquuntur, ad commiſerationem allectant, & efferueſcentem indignationem parentum placant: adeò de modo iniuria delinitur, vt etiam gratia ſæpè ſæpiùs adulteratur.

Cùm inopinus caſus Aaronis filios abſtuliſſet, & graui patrem dolore ſauciaſſent, hircum pro peccato oblatum non comedit; ſed flammis tradidit: *Inter hæc* 212. Leuit. 10. v. 16. *hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret Moyſes, exuſtum reperit.* Ergo cum carperet non comediſſe, quod licitum erat edere; reſpondit Aaron ſe acerbitate caſus obturbatum indoluiſſe, nec fas eſſe dolenti animo miniſtraſſe: *Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram Domino; mihi autem accidit, quod vides: quomodò potui comedere eam, aut placere Domino in ceremoniis mente lugubri? Quod cùm audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.* Ac ſi dicat Aaron: De oblato hirco comedere honeſtum erat; timui verò triſtitudine correptus modo offendentis ſeruire, & ipſo obſequio Domino diſplicere: quandoquidem ipſa rei ſubſtantia poterat actionis modo dehoneſtari, & vel Dei, in cuius obſequium hircus comederetur, indignationem mereri. Prodeſt Auguſtinus in ca- Auguſtin. tena: *Non debuit totus incendi* (hircus) *ſed à Sacerdotibus manducari: hoc autem quare ſic factum, reſpondit Aaron, & placuit Moyſi.* Plus timuit Aaron offendere miniſtrandi modo, quàm dilato miniſterio, vt qui noueras modum ſæpe ſæpiùs exaſperare, etiam dùm exhibetur officium, cum aliquando modo excuſetur erratum.

213. Deus Abrahamum filium ſibi dilectum offerre iubet: ille moræ impatiens lecto renuntiat, & ad montem celeri pede contendit: ara deſignato loco de rudi cæſpite conſtructâ, & flamma iam ſuperpoſitâ

filium ligare aggreditur, vt ſacris altaribus imponatur: *Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem lignorum.* Geneſ. 22. v. 9. Et cur liget puerum obediendi auidum, & ſeipſum Domino offerendi ſtudioſum? Iam reſpondet Veronenſis Zeno ſermo. 1. de Abraham: timuiſſe videlicet, ne vel in mortis exitu concitata victima calcitraret, & habitum renuentis aſſumeret: nam licèt plurima eſſet hoſtia, oportebat non deuenuſtari modo; ſed adhibito plus placere circa ipſum modum ſtudio: Zeno. *Cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret.* Adnectit ſerm. 2. *Traduntur teneræ adhuc vinculis manus, & ne quid minus ac hoſtia videretur, pedem ligatura deſtringit, ne incitata victima diſpliceret.* Si calcitraret victima, videretur flammam recuſare, & renuentis habitus, aut dedecoraret obſequium, aut imminueret officium: ergo quo ampliorem Abrahamus demereretur gratiam, non lugubri; ſed hilari vultu obtulit, & ne quid minus in modo ab hoſtia videretur, curauit. Profectò ſi tremula manu, ſi defœdato copioſis lachrymis vultu obtuliſſet, hoſtia plus videretur violenter extorta, quam ſponè oblata: ergo cauit diſplicere de modo, qui eximio placere ſatagebat de obſequio.

214. Poſt prandium Angelis exhibitum vxor Lot in ſtatuam ſalis conuerſa eſt: *Verſa eſt in ſtatuam ſalis.* Geneſ. 19. v. 26. Profectò cùm eleëmoſyna, officiúmque peregrinis exhibitum felicitatem Abrahamo attulerit, rogant interpretes, cur à domo Loti calamitas non exulatit. Profectò ipſe auunculum imitatus, cùm peregrinos fuiſſet intuitus, ſurrexit properus, & adorauit vrbanus; imò cùm illi ad ſpeciem renuerent officium, vt qui nouerant futurum vxoris erratum, vrbanè compulit, domumque introduxit: Geneſ. 19. v. 3. *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum, ingreſſiſque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Apud Abrahamum compenſant conuiuium nobili fœtu promiſſo, & apud Lotum ſupplicio illato? O quam ſe prodiderunt Angelos, qui iuſtam inflixerunt mulctam, poſtquam opiparam inſederunt ad menſam: ſi enim eſſent homines, facilè ſubornarentur eduliis, & præterirent ſtudioſè cæcis oculis culpam, ne intulerint pœnam; verùm Dei miniſtri, vt qui non corrumperentur muneribus, æqua ſententia & Lotum liberarunt flammis, & dignis vxorem mulctarunt pœnis. Iam ſi quæras, cur conuiuium non fuerit contra pœnam propugnaculum; reſpondebunt Patres vxorem ipſo conuiuio deliquiſſe, & exhibendi fercula modo peregrinos exaſperaſſe: appoſuit menſam; ſed incurioſè: parauit cœnam; ſed vultu deſpicientis: ergo conuiuium provt ab vxore exhibitum, non allectabat gratiam; ſed exaſperabat iram. Lyra. Adeſt Lyra: *Verſa eſt in ſtatuam ſalis. Dicunt autem Hebrei. quod hoc fuit, quia nocte præcedenti peccauerat in ſale, vt ſic pœna correſponderet peccato: petenti enim Lot pro condimento cibi Angelorum, quos homines credebat, ipſa renuit apportare: quia ſecundum modum Sodomorum, inter quos habitabat, affectum ad hoſpites non habebat.* Ecce ſuſcepit hoſpites, exhibuit officium, parauit prandium; ſed modo qui animi diſplicentiam oſtenderet, & beneficium prorſus corrumperet. Vt liberalis ac ſapientis eſt aliquando perdere, & dare; ita eſt aliquando inſipientis: iſta anteà perdiderat beneficium, quam præparauerit prandium. O quàm ſtultum eſt conciliare ſibi inuidiam eis rebus, quibus fas eſſet mereri gratiam!

---

§. LI.

Quæ exiguo ob crimen tempore dilapidata, longo tempore, & labore improbo indigebunt reſtituta.

VT furioſa res eſt in tenebris impetus, 215. vt vorax flamma longis interuallis constructa, & ſudoribus anxiis parta, ferè inſtantaneè nigras in fauillas redegit: vt acris tempeſtas nauigium multorum induſtriâ extructum, & laboribus prolixis compactum momento abſorbet, nec veſtigium vllum relinquit; ſic voluptas opulenta patrimonia maiorum laboribus collecta breui tempore dilapidat, domos euertit, & nobiliſſima ſtemmata fœdis lituris obſcurat. Quod vna die vitiorum procella deiecit, ægrè ſæculum reparauit: lenè exit felicitas, emergit properanter calamitas. Quod quadringentis annis gemitibus, duriſque operibus populus promeruit, aurum in vitulum transfuſum vna die perijt, & in fauillas redactum eſt. *Nihil* aiebat Seneca Seneca. Epiſt. 110. *niſi de nobis queri poſſumus: ea, quibus periremus, nolente rerum natura, & abſcondente protulimus: addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt: tradidimus ambitioni, & famæ, cæteris æquè vanis, & inanibus.* Parum dixit: non eſt voluptas malorum ſolùm initium; ſed calamitatum omnium complementum: graſſantiſſimæ ad inſtar peſtis omnia non lentè conficit; ſed velociſſimè rapit. Deliquerunt Gabaëni exoculata libidinè ſordidati: contribules, dum contumaciter præſtant auxilium, grande ſibi aſciuere detrimentum: nam dum voluptas bellum aſciuit, ferè innumeri certamine iacuerunt homines, voraxque flamma redegit in cinerem ciuitates: *Cunctas vrbes, & viculos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* Iudic. 20. v. 48. Pòſt à populi Primoribus reliquiis Benjaminitarum conſulitur, in poſſeſſioneſque antiquas redeuntibus opus fuit ciuitates iterum ſtruere, habitaculaque die ac nocte laborantes ædificare: *Abierunt in poſſeſſionem ſuam, ædificantes vrbes, & habitantes in eis.* Quàm prolixis ſpatiis opus fuit ad vrbes ſtruendas, poſſeſſioneſque iterum inſtaurandas,

Digitized by Google

ſtaurandas; quòd citiſſimè abſumpſerit flamma, prolixis annorum tractibus, improboque labore reparauit induſtria: nec enim ſic eſt actuoſus ad felicitatem inſtaurandam labor vt, vitiorum ad deterendam eſt furor. *Multa vrbes erant in Tribu Benjamin*, inquit Abulens. Abulenſis quæſt. 47. *vt patet Ieſuë 18. tamen nunc in bello diruta fuerant omnes & combuſta, ædificiaque diſſipata: & ad hoc quod habitarent iſti Benjamnita ibi oportebat quod reficerent diruta earum.* Gabaëni vnius noctis ſpatio voluptati indulſerunt vxore Leuitæ abuſi; Gabaa verò, vt iterum inhabitaretur, opus fuit multis annis, & quamplurimis ſudoribus: creuit paulatim ſtructura abſumpſit vorantet flamma.

216. Nabucho procera arbor, prolatis ramis extenſa, dum immetatè ſuperbit, ſibi calamitatem aſciſcit: Daniel. 4. v.8. *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſa terra. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Qua nocte intuitus eſt floridam, aſpexit etiam euerſam. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.* Germen in terra relictum ſeptem expectauit tempora, vt iterum grato exornaretur virore, vt repandis veſtiretur foliis, vt ſapotatis diteſceret fructibus: *ſeptem tempora mutentur ſuper eum.* Miro elegantique emblemate nobis textus expreſſit quanta celeritate vitia, felicitatem, diuitias, honorem, & ſalutem conſumant, & quàm lentè exeant incrementa. Huc voco Tertullianum mirè expendentem quàm prolixo tempore frutices in arbores explicentur, quantis ſalibus fructus condiantur, cùm ſatis ſit ad omnem arboris venuſtatem deturpandam ventus acriùs adſpirans, aut Tertull. æſtus viuidiùs inflammans. Ipſum audi de veland. virginib. cap. 1. *Aſpice creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu, & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis.* Prolixis ſolis circuitionibus, repetitis cœlorum influxibus opus eſt, vt fructus ſapidè dulceſcat, & dulciter ſapiat, cùm ad violentum ſecuris ictum cadat præciſus ramus, & diſperſus putreſcat fructus. Septem tempora mutata ſunt, vt refloreat; ſatis fuit vnica nox, vt deiecta arbor frondoſitate careret, nuda & fructibus ſordeſceret viduata.

217. Puerum illum Sunamitidis filium candentis ſolis æſtus celeriter adeò conſumpſit, vt priùs quam febri audiatur inuaſus, morte 4.Reg. 4. v.18. iam fœteret corruptus: *Creuit autem puer, & cùm eſſet quadam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum ad meſſores, ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo; at ille dixit puero: Tolle & duc eum ad matrem ſuam. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua vſque ad meridiem, & mortuus eſt.* Longa patientia expectatus, ſolicitudine innutritus, cùm mater cogitabat nuptialem thalamum inopinum luxit interitum: peccati vi morientium perſonam geſſiſſe putat Baſilius Seleu- Baſil. cienſis orat. 10. *Erat mortuus vi peccatorum.* Quam citò æſtus appetitionis abſumpſit puerum! quàm properè carnis voluptas rapuit adoleſcentem! Iam quomodò ad vitam inſtauratus, audi. Mater celeri veſtigio ad montem vbi Eliſæus morabatur, contendit: peruenit, Prophetæ pedes rigat ſingultibus, fundit amaras lachrymas, Giezi amouere nititur. Eliſæus properat, & tandem cadaueri inſternitur: *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum*: nec ſemel calore fouetur; ſed inſtratio iteratur: *Aſcendit, & incubuit ſuper eum*: lentiùs vitali calore oſcitauit fotus, quàm periit ardore peſtilenti correptus: multis opus fuit, vt reuiueret; ferè nihilo, vt excederet: *Eliſæus*, inquit Baſilius, *Chriſti figuram gerit.* Copioſo ſanguine, dura cruce, prolixo tempore ad vitam oſcitans rediit, qui non oſcitanter è vita fugit: ſenſualiter ſalutem imminuit, quàm Eliſæus non ſine miraculo reparauit: nos nobis imponimus, & bellum nobiſcum gerimus: cum beati eſſe anhelemus, infortunia nobis aſciſcimus: vna cœnâ abſumitur, quod maiorum inedia multis ſæculis comparauit: vno telorum iactu periit conſumptum, quod multis fuerat tractibus annorum collectum. 218.

Ezechias ægrotat, morbum: vt Patres volunt, vana præſumptio genuit, & vbi decumbit, ſibi iam mortem imminere Pro- 4.Reg.20. v.1. pheta reuelante cognouit: *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* Accepta mortis ſententia lachrymarum implorauit ſubſidium, & obtinuit ingemiſcendo, quod amiſerat peccando: ficorum maſſa affertur, vlceri ſuperponitur, trium dierum ſpatium, vt conualeſcat, expectatur, ac tandem Sol inuſitato prodigio orientem repetit, & vmbras minuit: *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus?* per gradus ſalus reſtituitur, ferè inſtantaneè deperditur. Quantis opus fuit, vt reſculperetur vita, quàm citò tradiderat illam morti ſuperbia! De reportato triumpho præſumpſit, & dum præſumpſit elanguit. Ita tradunt Sacri In- Lyra terpretes: *Dicunt aliqui*, inquit Lyra, *quod hæc infirmitas contigit Ezechiæ, eò quòd non reddiderat gratias Deo ſufficienter de percuſſione* Cyrillus. *exercitus Sennacherib.* Conſonat Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in cap. 38. *Ezechias abductus eſt breui, vt Hebræorum filij aiunt, & animo magno elatoque fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit.* Superbia attriuit ſalutem, & ſtupendo miraculo rediit ad antiquam ſanitatem: non adeò breui animæ reparatur ſalus, ac ſolet amitti: non tam celeriter roſeus vultui reſtituitur color, & membris vigor, ac fœda intemperantia vitiorum falce vires præcidit: inter manus Medici gemit infirmus, & benè ſecum actum credit poſt ſinapis incendia, poſt cauteria dira, ſi exurgat mutilus, & mediocriter ſanus. Triginta & octo annos poſuerat il-

le paralyticus in ſolicitanda ſalute, & poſt miraculoſè acceptam ſanitatem nondum ab omni grauamine exemptus : lectum ferre opus eſt, vt humeros prægrauet, & ſentiat quanta ſecum pondera attulerit culpa. Iam paralyſim culpam adumbrare tradit Beda ad Ioannis 5. in catena D.Thomæ: *Multa genera languentium in eadem incurrunt, cæci ſcilicet, qui ſcientiæ lumine carent; claudi, qui ad ea, quæ iubentur: implenda vires non habent : aridi, qui ſupernæ dilectionis pinguedine carent.* Itaque, quæ ab Euangeliſta referuntur corporis infirmitates, animæ deſignabant paſſiones : ergo paralyticus triginta & octo annis poſitis adhuc illic iaceret, ni Dominus ſalutem miſericorditer refudiſſet : *ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Adſpice Benjaminitas luti calciſque operibus inſudantes, vt ciuitates extruant, vt ædificia reſtituant, quæ celerrimè vorax flamma conſumpſit, & in tumulos redigit.

Beda.

Ioan. 5. v.8.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium, quæ in hoc tertio Tomo continentur.

Numerus poſt, c, adiunctus capitum ſeriem denotat; & poſt, n, appoſitus marginalem deſignat. P. vero paginam indicat.

A.

Abſentia.

SPONSI abſentia pudori, & honori inimica.c.15.num. 58. toto §. p.20

Maritus dum interuallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior.c.15.n. 173. toto §. p.54

Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam. c.16.n.223.toto §. p.205

Abundantia.

Munus ritè exequens premitur frequenter inopia; diteſcit, qui adulterat, abundantia. c.17.n.155.toto §. p.178

Actio.

Nonnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant.c.15.n.375.toto §. p.123

Aditus.

Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus.c. 16. n. 76. toto §. p.159

Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela, inopina premet ruina. c. 18. n.213.toto §. p.374

Adminiſter.

Difficiliùs, aut nunquam per adminiſtros ſuperior efficiet, quod per ſe ipſum faciliter obtinebit.c.19.n.82.toto §. p.419

Optimus Reip.adminiſter otioſis gaudiis, comuiuiſque occupatus tempus non fraudabit; ſed publicis negotiis impendet.c.19.n. 103. toto §. p.426

Admiratio.

Ridenda ſæpè miramur.c.18.n. 113. p.343

Aduerſarius.

Peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit. c. 16. n.42.toto §. p.148

Maius affert detrimentum, quàm pati, aduerſarium nullum credere.c.16.num. 253.toto §. p.214

Frequens eſt pudicitiam aduerſarios plurimos pati; mirum plures auxiliatores ſortiri. c. 20. n.24.toto. §. p.487

Vide Hoſtis, Inimicus.

Aduerſitas.

Non eſt facile inter aduerſa aut magna non deſipere.c.19.n.273. p.475

Vir fortis acerbis caſibus dolorem glutit, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promoueri.c.19.n.261. p.472

Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indulgere inſanis non refugit appetitibus.c.19.n. 284. toto §. p.477.

Vide Calamitas, Infortunium.

Adulatio.

Adulatio muliebris pudicitiæ faſcinum eſt. c.15.n.58. p.20

Plures, vt captioſas prætendant inſidias, adulantium, iocantiúmque aſſumere ſolent perſonas.c.16.n.166. p.186

Qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur, veridicus ſæpè ſpernitur.c.18. n.110. toto §. p.342

Adulterium.

Adulterium apud Spartas videbatur incredibile.c.16.n.22. p.143

Iam nullus adulterij pudor.c.16.n.38. p.146

Æqualitas.

Nihil eſt ipſa æqualitate inæqualius. cap. 17. n.227. p.299

Ærumna.

Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur.c.16.n.307. toto §. p.332

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas.c.18.n. 29. toto §. p.320

Æſtimatio.

Inſolitum eſt propriis extranea præferre,vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere. c.17.n.190.toto §. p.289

Ætas.

In Sacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligendus.c.17. n.200. p.291.

Affectus.

Omnes affectus amor captiuat.c.15.n.37. p.15

Patriæ conterraneoque peculiaris debetur affectus,ſi vagetur peregrinus. c. 19. n.114. toto §. p.433

Connubia ſi degeneri affectu immunia, reſplendens,felicitatibus fortunata.c.21.n.172. toto §. p.622

Si iudex alicui parti inclinetur,in eius commodum leges facillimè interpretatur. cap. 21. n.180. toto §. p.626

Afflictio.

Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem , vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem.c.16.n.199.toto §. p.197

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam. c.16.n.232.toto §. p.207

Alienus.

Nonnulli inueniuntur de alienis generoſi, de propriis parci.c.21.n.152.toto §. p.614

Alimentum.

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta & victoriæ participes,& gloriæ inueniuntur conſortes.c.20.n.58.toto §. p.495

Altare.

Quod ſacris fuiſſe conſtat altaribus conſecratum , nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum.c.17.n.50.toto §. p.248

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas.c.18.n. 29. toto §. p.320

Qui ad ſacra altaria cupit accedere , ab omni curet inquinamento purgari. c. 21. n.52. toto §. p.578

Ambitio.

Ambitio ſibi ipſi contumelioſa.c. 15. n. 275. p.89

Ambitio aliis vitiis intactos ſæpè reddit criminoſo.c.15.n.277. ibid.

De ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & ambitus diuexat viuidior. cap. 15. n. 388. toto §. p.128

Nihil ambitoribus demiſſius, nihil ſi iam aſſecuti ſuperbius.c.18.n.166.toto §. p. 186

Ambitio mentem obtenebrat , & cœleſtem lucem fugat.c. 19.n.119.toto §. p.431

Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere , non tamen vigilias, ac labores ſubire. c.20.n.118. toto §. p.515

Amentia.

Amentia,non amicitia eſt amici culpas palpare. c.20.n. 98. p.508

Amicitia, Amicus.

Amicitiæ Deus oſtendit deſiderium , dum exprobrat delinquenti peccatum. c. 15. n. 18. toto §. p.7.

Amicitia ſemper prodeſt, amor officit aliquando.c.15.n.88. ibid.

Nonnulli amicitiæ laruâ abſcondunt aduerſarium , & inhoneſtum examblunt lucrum. c.15.n.141.toto §. p.45

Amicus infidus vlcus eſt peſtilentiſſimum.c.15. n.141. ibid.

Magnus dolor ab amicis affligi. c. 15. n. 166. p.87

Nonnulli, vt amico adulentur cupiditate delirò, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio. c. 15. n.286.toto §. ibid.

Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam , diſcedet, ſi aſſequatur maiorem copiam. c. 18. n.176. toto §. p.362

Infelix eſt amicitia , quæ tacendo , & defendendo delictum , diabolo amicum tradit defenſum.c.20.n.98.toto §. p.508

Non amicitia , ſed amentia eſt amici culpas palpare.c.20. n.98. ibid.

Amicitiæ vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam. c.21.n.9. toto §. p. 562

Amor.

Amor corporis res inquieta. c.15.n.27. p.11

Amor omnes captiuat affectus.c.15.n.37. p.15

Eiſdem,quibus homo noſtrum lucratur amorem Deus non allicit voluntatem.c.15.n.49. toto §. p.17

Amor obliuiſcitur facilè offenſam ; imò offendentis ſolicitat gratiam.c.15.num.53.toto §. p.18

Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor, illis ad ſpeciem conſulit ; ſed ſibi reuera attendit. c.15.n.308.toto §. p.110

Homines in obſcœni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe periculum. c.16.n.29.toto §. p.144

Fœminæ,ſi à Magnatibus ſe adamatas videant, ſuperbiunt,ſeque inaniter iactitant. cap. 16. n.33.toto §. p.145

Nihil amori inuenitur ponderoſum,nullum eſt pondus moleſtum. c.16.n.55.toto §. p.152

Amor & timor amico fœdere inueniuntur vniti , & ad augendum peccatori pondus quodammodo fœderati.c.16.n.102.toto §.p.167

Non ſemel amor in eas te impellet anguſtias,vt nec conſentiri poſſis tuta eius gratiâ,nec ſaluâ diſſentiri conſcientiâ. c. 16.n. 175.toto §. ibid.

Amor res commota , & ſolicita eſt.c.16.n.175. ibid.

Vera patientia proximum amat,dum eius defectus portat.c.19.n.67.toto §. p.415

Anguſtia.

Iuſtus omni parte, dum viuit,ſolet arctari; ſed iniquus dum moritur , premi. c. 18. n. 217. toto §. p. 375

Sæpè hominem anguſtiæ reddunt felicem. c.18.n.234. p.380

Leuis voluptas duriſſimas affert pœnas , inextricabiles parit non ſemel anguſtias. c. 19. n.33.toto §. p.404

Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur,& timoribus abigitur. c.20.n.73.toto §. p.500

Animus.

Magni animi eſt ſe Dei voluntati committere, puſilli ei repugnare.c.15.n.263. p.85

Gaudia inquietant animos. c. 15.n.347. p.114

Felix,

Digitized by Google

Felix, cui omne bonum in animo. c.16. n.199. p.197

Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci. cap. 16. n.294. toto §. p.227

Felicitas animum eneruat. c.18. n. 141. Inſuperabilis eſt animus, qui externa deſeruit. c.18. n.184. p.365

Proditur animi natura per vultum. c.19. n.143. p.438.

Magnus eſt animus, qui ſe Deo tradidit. c. 20. n.124. p.517

Nulli conſtabit, qui à virtute, & religione defecit. c.17. n.244. toto §. p.305

Ingens generi dedecus, ſi filius ab honeſtis maiorum moribus degenerarit; ſed grandius ſi ad falſam religionem tranſierit. cap. 18. n. 250. toto §. 385

Appetitus.

Nunquam quieſcit, qui appetitus legem ſecutus; ſed variis ſemper circumuoluitur vorticibus agitatus. c.15. n. 27. toto §. p.11

Rarus eſt qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & deliciis patrocinantem. c.15. n.150. toto §. p.48

Quo liberius appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur. c. 15. n.280. toto §. p.90

Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indulgere inſanis non refugit appetitibus. cap. 19. n.284. toto §. p.477

Arcana.

Pluribus abſtruſa natura indagare ſecreta ſuaſit non laudabilis honeſtas; ſed deteſtanda cupiditas. c.16. n.116. toto §. p.171

Arma.

Quæ à nobis imprudenter fota iuſtè in nos conuertere ſolent arma. c.15. n. 232. p.74

Aduerſus fortunam nulla proſunt externa arma; ſed interna munimenta. c. 15. n. 336. p.109

De veritate arma in veritatem conſtruuntur. c.16. n.150. p.181

Arma mulierum execrationes ſunt. c.17. n. 35. toto §. p.243

Impunita ſcandala armorum Reip. eneruant vires: & felicitant hoſtes. c. 20. n.17. toto §. p.484

Artifex.

De inhabilitate materiæ artificis cumulatior lucet peritia. c. 15. n.332. toto §. p.108

Aſperitas.

Prudentis eſt non exaſperare, quem poſteà opus eſt, ſi exaſperetur, allicere. c. 19. n. 58. toto §. p.412

Auaritia.

Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce reſplendeat, nulla ſpecie auaritiæ ſordeat. c.18. n.83. toto §. p.335

Auaritia vitiorum regina eſt. ibid.

Fatale quodammodo malum auaritia eſt. c. 19. n.142. p.438

Diues manum comprimit ſæpe ſæpiùs auarus, pauper ſubuenit generoſus. c. 19. n.168. toto §. p.444

Audacia.

Suſpicio & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua. c. 15. n. 113. toto §. p.36.

Timor audaciæ comes. c.16. n.204. p.198

Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentium audaciam, & procacium inſolentiam. c.21. n. 114. toto §. p.600

Augmentum.

Nonnulli deuorauere delicta, quò alij aſſequerentur augmenta. c.18. n.106. toto §. p.341.

Aurum.

Aurum enutrit inſolentiam, & inſaniæ tranſilit lineam. c.17. n.110. toto §. p.266

Vbi viget auri cupiditas, exulare noſcitur charitas. c.19. n.142. toto §. p.438

Auxilium.

Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari. c.16. n.270. toto §. p.219

Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio. c.18. n.218. toto §. p.348

Mirum eſt pudicitiam plures auxiliatores ſortiri frequens aduerſarios plurimos pati. c.20. n.24. toto §. p.487

Inferiores miniſtri nequibunt, quæ ſunt ſui muneris adimplere, ni auxilium excellentiores adlaborarint præſtare. c.20. n.175. toto §. p.534

Iure ſuſtinet pœnæ tormentum, qui æquitatis miniſtris præſtare renuit auxilium. cap. 21. n.81. toto §. p.588

Nonnulli volunt ſibi opem in neceſſitatibus ferri, detrectant tamen præſtare. c. 21. n.97. toto §. p.594

B.

Bellum.

IN detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas, non præferenda honeſtati vtilitas. c.16. n.133. toto §. p.176

Male ſibi ominatur victoria non iuſto bello quæſita; ſed contra ius reportata. c.18. n. 205. toto §. p.371

Bellum à precationibus incipiendum, & placato priùs numine eſt adornandum. c. 20. n.20. toto §. p.485

Ad gerendum feliciter bellum plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernantium concordia. c.20. n.28. toto §. p.488

Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detrectat cum ſceleribus bellum gerere. c. 21. n. 57. toto §. p.579

Benefacere.

Deus iniuriis laceſſitus benefacere perſeuerat. c.15. n.384. p.126

Princeps à benefaciendo non vacet. c.15. n.401. p.132

Beneficium.

Neſcias an plus debeat beneficus beneficiato, an beneficiatus benefico. c. 19. n. 161. toto §. p.443

Beneneficium ſpe fultum non eſt beneficium; ſed fœnus. c.15. n.28. p.9

Beneficium antecedat accipientis deſiderium. c.17. n.71. p.254

Ingens Dei beneficium eſt in hac vita peccatorum ſoluere pœnas. cap. 20. n. 118. toto §. p.518

Dei erga te beneficia exaggeratius commendat grandis pereuntium numerus, & infelix plurimorum ſucceſſus. c. 20. num. 214. toto §. p.548

Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm ſpes exhibuerit

Digitized by Google

buerit officia.c.21.n.49.toto §. p.577
Ingenui ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modo gerere. c.21. n.77.toto §. p.587

Beneuolentia.

Curet princeps ab omnibus diligi, & ad muneris ſolùm vtilitatem beneuolentim lucrari. c.19.n.41. p.406
Superior ſic amari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam. c. 20. n.183.toto §. p.537

Blanditia.

Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſteà indecorè exſibilatur. c. 19.n.227.toto §. p.461

Bonum.

Solum bonum, quod honeſtum. c. 15.n.148. p.80.
Qui fugacibus bonis credidit, citò deſeritur, & vt non deſeratur, affligitur. cap.15.n. 336. p.109
Suſpirat ardentiſſime diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi

C.

Caducus.

Citò deſeritur, qui volubilibus nititur. c.15. n.336. p.109
Grauis labor pro caducis videtur exiguus, exiguus pro æternis magnus. c.18.n. 38. toto §. p.322

Cæcitas.

Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit.c.16.n.237. toto. §. p.209
Ea eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam.c.17.n.259.toto §. p.308

Cæleſtia.

Cœleſtibus aliquando terrena emuntur. c. 17. n.59.toto.§. p.251
Sacerdos, vt viam laïcorum poſſit dirigere, cæleſtibus ſtuduerit vacare. c. 18. n. 78. toto §. p.334

Calamitas.

Grande beneficium eſt peccatorem calamitabus premi, ſupplicium grande proſperitatibus fortunari.c.15.n.95.toto §. p.31
Vtilem affert Dei memoriam calamitas. c. 15. n.154.toto §. p.49
Nonnulli, dum imprudenter ſolari ſtudent anxietudinem, maturant calamitatem. c.15. n. 159.toto §. p.50
Charitas exultat, ſi propriis laboribus alienis obuiarit calamitatibus. c. 15. n. 303. toto §. p.98.
Nobis maturamus calamitates, & peccandi anteuertimus occaſiones.c.15.n.316.toto §. p.103
Quam adduxerat calamitatem culpa, ſolet citò depellere pœnitentia. cap. 15.n.343. toto §. p.112
Peccator, dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati ſæpè inuenitur proximior. c. 16. n.181.toto §. p. 191
Fraudulenta mulier præ multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas.c.16.n.219. p.203
Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit.c.16.n.237.toto §. p.209
Ibi peccator luctuoſiſſimam patitur calamitatem, vbi irriſione affectat dehoneſtare virtutem.cap.16.numer.267.toto §. p. 218
Suſpirat ardentiſſimè diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi. c.17.n.254.toto §. p.307
Execratio eſt timenda, vt calamitatis illicium, benedictio procuranda, vt fortunæ promptuarium.c.17.n.35.toto.§. p. 245
Falsò exiſtimata ſecuritas grauior peccatoris calamitas.c.18.n.117.toto §. p. 345
Quo maior peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas.c.18.n.121. toto §. p. 346
Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat, calamitatem aſciſcat. cap. 18. n.125. toto §. p.347
Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerias, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare.c.18.n.171.toto §. p.361
De Mariæ ſacratiſſimæ præſentia hominis temperatur calamitas; imò & arridet felicitas. c.20.n.163.toto §. p. 530
Bonus Sacerdos in calamitate eſt ſolatium, & in labore remedium.cap.20.nu. 166.toto §. p.531.
Peccator tunc ſibi cæcior promittit felicitatem, cum inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus.c.20.n.188.toto §. p.539
Impium ac periculoſum eſt de aliena calamitate gaudere, vtile & honeſtum triſtari. c. 21. n.25.toto §. p.569
Dei nominis inuocatio eſt calamitatis remedium, & felicitatis illicium. c. 21. n.29.toto §. p. 570
Cum conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare.c.21.n.35.toto §. p.572
Prudentis eſt calamitatem patienter ferre, & propriis culpis adſcribere.c.21.n.139.toto §. p.609

Caſtitas.

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet. c.21.n.164.toto §. p.619
Origo fœcunditatis eſt caſtitas, honor nuptiarum fœcunditas. c.21.n. 191.toto §. p. 630

Caſus.

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia, c. 18.n.133.toto §. p.350

Cauſa.

Ineptâ gaudet ſecuritate, qui externam ſolùm malorum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit.c.16.n. 157. toto §. p.183
Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa c.20.n.28. toto §. p.488
Rarò iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus.c.20.n. 210. toto §. p.547

Cautela.

Quiſque ad humanam affectionem inuenitur cautus, & ſolertiſſimus, ad virtutem ineruditus ac tardus.c.15.n. 133.toto §. p.42
Prudenter aſtutus, ob cuius ſocietatem tulit aliquale detrimentum, ſtudebit declinare conſortium c.15.n.190. toto §. p.59
Qui detrectari debet conſortium, à quo videtur imminere periculum.c.15.n. 194. toto §. p.61
Sapientis eſt non ſolùm attendere præſentia; ſed præcauere futura. cap.15 .n.336. toto §. p.109
Prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela contra

Digitized by Google

contra inopinata diſcrimina.c.15.n. 380. toto §. p.125
Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non prænuntiatur cautela inopina premet ruina. c. 18. n.213.toto §. p.374

Celeritas.

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prudenti celeritate completa. c. 18. n. 137. toto §. p.351

Chamæleon.

Chamæleontis varietas quos deſignet. c. 16. n.127. p.174

Charitas.

Exultat charitas, ſi propriis laboribus alienis obuiarit calamitatibus.c. 15. n. 303. toto §. p.98.
Exulare noſcitur charitas, vbi viget auri cupiditas.c.19. n. 141. toto §. p.438
Quàm longiſſimè diſtant à charitatis officiis, qui voluptatum ſe dedidere fallaciis.c. 19. n.148. toto §. p.439
Nitet eleëmoſyna cum charitate, & hilaritate coniuncta; ſordeſcit faſtu elationis impenſa. c.19.n.157.toto §. p.442

Clauſura.

Fœminam, ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula, aut dehoneſtabit non bona nota c.19.n. 230.toto §. p.463

Clementia.

Redundantia diuinæ clementiæ abutitur temeritas, & procacitas. c. 20. numer. 203. p.544

Cibus.

Anguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus, & delicioſus eneruat, cap. 19. num.93.toto §. p.423.
Ciborum oblectamentis ſæpè capimur, & à virtutis itinere auertimur. c. 19. n. 134.toto §. p.435

Ciues.

Miles non ſemel deprædatur ciues, antequam inuaſerit hoſtes. c. 18. n. 157. toto §. p.357

Ciuitas.

Miſera ciuitas, vbi adulterinæ res æſtimantur, legitimæ contemnuntur.c.15.n.256. p.82
Qui ciuitatum portas cuſtodiunt, non ſemel introëuntibus violentiam inferunt. c. 16. n.47.toto §. p.149
Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus. c.16.n.76.toto §. p.159

Cognatio.

Grauius homini aliquando à cognatis detrimentum quàm ab ipſis dœmonibus eſt periculum.c.15.n.271.toto §. p.87.
Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor: illis ad ſpeciem conſulit, ſed ſibi reuera attendit. c.15.n.308.toto §. p.100
Ad dignitatem, eccleſiaſticam præcipuè, cognatus ſæpè præficitur,& dignus cognationis titulo habetur.c.17.n.129.toto §. p.271
Diſcant cognati concordiam inter coniuges fouere, lites & non ſeminare.c.19.n. 87.toto §. p.420

Commodum.

Impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur commoda eximiis doribus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti. c. 17. n. 227. toto §. p. 299
Vitium, ſi ex eo temporale reſultat commodum, adhærebit quodammodò inuiſceratum.c.18. n.261. p.388.
Renuntiare aliquando commodis, vt obſequatis honeſtè iuſſis eſt non ſolum virtutis lucrum, ſed felicitatis augmentum.c.21.n.131.toto §. p.606.

Communitas.

Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes.c. 15. n.337.toto §. p. 110
Miniſtri à Republica electi non ſemel ſibi priùs conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt.c.18.n.49. toto §. p. 315
Periculoſum, odioſúmque eſt à generalitate ſe excipere & cauſis communibus non adeſſe. c.21.n.69.toto §. p.584

Compaſſio.

Fratrum morbi vt proprij ſentiendi, & medicandi.c.15. n.339. p.111
Domini nullâ ſeruorum commiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur. c.19.n.114.toto §. p.430
Vtile & honeſtum eſt de aliena calamitate triſtari: impium,& perículoſum gaudere. c.21. n.25.toto §. p.569

Concionator.

Concionatores ſunt Eccleſiæ circumciſio, nati corripiendo ſæculo.c.15.n.198.toto §. p.62
Induat, concionator pro extirpandis vitiis, quam mundialis ſolertiam induit pro virtutibus deterendis.c.15.n.225. toto §. p.72

Concordia.

Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernantium concordia. c.20.n.28.toto §. p.488
Concors & iuſta coniugum voluntas grandis proſperitas.c.21.n.176. p.624

Confidentia.

Dum ignauia motas trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata. c.16.n.73.toto §. p.157
Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies.c.16.n.211. toto §. p.201

Conformitas.

Deo non ſolum ſeruiendum; ſed aſſentiendum eſt.c.19.n.261. p.472

Coniectura.

Indubia habetur euidentia, ſi nobis aduletur vel leuiſſima coniectura. c. 15.n. 128.toto §. p.41.

Coniuges,

Digitized by Google

verba) *cunctis vitiis opportuna eſt. Nam primos adhuc annos imprudentia & imbecillitas animi ſimul obſidet, adoleſcentiæ verò tempus feruentior impugnat libido, reliquam video ætatem habendi maximè ſollicitas cupido.* Hoc in cæteris rebus etiam indifferentibus videre eſt: non eſt ſenis cum pueris ludere: non eſt pueri Reipublicæ negotia gerere. Qui repueraſcit, & ſenectutem ſuam ad adoleſcentiam trahit, conciliat ſibi deſpectum. Qui alterius ſtatus & temporis propria exambit immatura auiditate, mouet riſum: Igitur Dauid quoque pugnaturus contra Goliath Philiſtæum pro populo Dei abiecerit arma Saülis inaſſueta, neque tunc paſtor potuit incedere regis veſtimentis indutus, quæ paucis poſt annis poſt Saülem, rex per omnia bella decorè tulit. *Et induit Saül Dauid veſtimentis ſuis, & impoſuit galeam æream ſuper caput eius & veſtiuit eum Loricâ. Accinctus ergo Dauid gladio eius ſuper veſtem ſuam, cepit tentare ſi armatus poſſet incedere: non enim habebat conſuetudinem. Dixitque Dauid ad Saül: non poſſum ſic incedere, quia non vſum habeo. Et depoſuit de ea, & tulit baculum ſuum quem ſemper habebat in manibus, &c.* ergo ætatis ſtatuſque legibus parendum eſt, & honeſtæ conſuetudini ſtandum: *Naturam concuſſit*, inquit Tertullianus lib. de Pallio cap. 4. *Lariſſæus heres in virginem mutando, ille ferarum medullis educatus, vnde & nominis conſilium, quandoquidem labiis vacuerat ab vberum guſtu: ille apud rupicem, & ſyluicolam, & monſtrorum eruditorem ſcrupea ſchola eruditus feras in puero matris ſolicitudinem patiens certè iam vſtricolas: certè iam virum alicuius clanculo functus, adhuc ſuſtinet ſtolam fundere, comam ſtruere, cutem fingere, ſpeculum conſulere, collum demulcere, aurem quoque foratu effæminatus.* Quàm erat ridiculus Achilles puellarum ſtylo conformatus, & puella redditus! Sed ne rarùm ſolùm exemplum afferamus: ad fœminas inſtitutum adaptemus. Aliquando matronæ puellarum imitantur ingenia, & grauitatis iniuria iuuenculatum ſæpiùs affectauere conſortia. Redeat Tertullianus iam datus: *Conuerte & ad fœminas: habes ſpectare quod Cecina Seuerus grauiter ſenatui impreſſit: matrona ſine ſtola in publico.* Stolam grauitatis indicem nonnullæ deſuefecerant, & puellarum lenociniis; quò faciliùs puellarum fruerentur plauſibus, ſe expingebant, earúmque cœtibus aſſociabant. Audi Septimium: *Indices cuſtodiéſque dignitatis habitus, vt lenocinij factitandi impedimenta ſedulò quædam deſuefecerant. At nunc in ſemetipſas lenocinando, quò planitius habeantur, & ſtolam, & ſupparum, & crepidulum, & caliendrum, ipſas quoque iam lecticas, & ſellas, queis in publico quoque domeſticè ac ſecretè habebantur, eierauere.* Queritur Septimius matronas ſe in puellas reproduxiſſe, & quidquid ad puellarum ſtatum pertinebat grauitatis oblitas ſuſpiraſſe: grauabantur ornatus ſpectabilitate, grauitatéque: ergo vt inter puellas verſatæ iuueniles inducerent animos, & feſtiuos alienæ ætatis frequentarent ludos, grauem deponebant ornatum, & lætiorem iuuenculatum ambiebant cultum. Et merito queritatur, quis enim id ætatis & dignitatis matronas non rideat, ſi puellarem ornatum imponant faciei, vertici, totíque corpori? Nocuit etiam ille Iezabeli, & regina tamen erat, iam ætate prouecta: Libro 4. Regum cap. 9. ſic legitur. *Iezabel depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornauit caput ſuum, & reſpexit per feneſtram, ingredientem Iehu per portam.* Hæc illa. Quid verò Iehu? *Leuauitque Iehu faciem ſuam ad feneſtram & ait: Quæ eſt iſta?* Quaſi diceret. O gentis noſtræ propudium? Hæcne illa eſt Iezabel Ochoziæ quondam regis mater: ergo faciem ſtibio pinxit, verticem puellari decorauit ornatu? ſcilicet alicui placitura. Ergo ne tantum facinus intuebimur æquis oculis? *Et inclinauerunt ſe ad eam duo vel tres eunuchi; at ille dixit eis: præcipitate eam deorſum, & præcipitauerunt eam.* Quæ mulieres præterea apud Iſraëlitas Iezabelis in morem peccauerint, non facilè inuenies.

Iſtas potiùs Septimij querelas Iſraëlitas vitaſſe, 197.
nec apud eos matronas, nuptaſque puellarũ etiam luſibus permiſſum intereſſe, Sacra Scriptura videtur innuere: nam cùm Beniaminitis vxores ſatagerent prouidere, & vt ſibi videbatur, iuramento obſtricti de non dandis filiabus tenerentur, hoc conſilium proceres & ſeniores dederunt, videlicet vt ex choros ducentibus puellis (aderat námque annuæ feſtiuitatis in Silo tempus) inopinè raperent, ſibique in vxores ducerent: *Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas & pergite in terram Benjamin.* Si matronæ, vxoratæque puellis immixtæ choros ducerent, iniquum eſſet conſilium: ſuaderent námque non connubia; ſed adulteria: ergo cùm certum ſit non ſuaſiſſe adulteria; ſed matrimonia, claret matronas, maritatáſque cum puellis choros non duxiſſe, nec eos ludos affectaſſe: vt iam hinc diſcant matronæ grauitati ſtudere, & feſtiuis puellarum gaudiis renuntiare. *Ibi fiebat ſolemnitas*, inquit Abulenſis quæſtione 39.
in qua virgines ducebant choros per vineas. Abulenſ.
Virgines, non aliæ, choros ducebant: eſſet enim & periculoſum, & minùs decens maritatas iuuenculatum affectare tripudia, & iuuentuti ſolùm permiſſa excutere ad gaudia.

Iſaias fauſta denuntians Ieruſalem ſic aiebat: 198.
Non erit ibi amplius infans dierum, & Iſaiæ 65.
ſenex, qui non impleat dies ſuos: quoniam puer v. 20.
centum annorum morietur. Has nonnulli ſic interpretantur, vt velint à Propheta prædici, quòd omnes Iudæi ab infante recens nato vſque ad ſenem erunt longiſſimæ vitæ: ſcilicet implere dies ſuos, aiunt eſſe idem, ac diutiſſimè viuere, & tantum temporis ſpatium degere, quantùm Deus humanæ vitæ præfiniuit; & infantem dierum eſſe infantem illum, qui paucos dies viuit. Sed longè alius eſt verborum Iſaiæ ſenſus. Expende Antitheſim, *Infans dierum, puer centum annorum*: id eſt, non erit iam infans, qui negotia gerat ſenum: nec erit ſenex, qui cum pueris veluti elementarius aſſideat: vtrumque namque Reipublicæ, vt periculoſum, indignum: ſi munus gerat ſenile infans, inexpertus, & ſapientia nudus, gemet Reſpublica, & exulabit prudentia: vt è contrà, ſi ſenex pueriles affectet mores, & ſe puerorum inſerat gregi, dehoneſtabit canitiem, & adulterabit ætatem: *Non erit ibi amplius*

Lyra. *amplius infans dierum: id eſt*, exponit Lyra, *aliquis habens multos dies, deficiens tamen in induſtria vel ſcientia, & ſenex, qui non impleat dies ſuos, id eſt, habens multos annos in vacuum tranſactos; ſed plenus meriti.* Itaque vt ab illa Republica omne exterminetur dedecus, promittit exinceps non fore dierum infantes, nec pueriles ſenes; imò ſenes grauiter ac ſenatoriè cum ſenibus acturos, & pueros tractandis rebus ſeriis non intrudendos. Noſter Sanctius in huius loci explicatione ſic ait: *Hic locus valde*
Sanctius. *difficilis eſt, neque facilè cum ſuperioribus contexitur. Ego hac primum ad felicitatem eius populi pertinere puto, in quo Dominus dicit ſibi eſſe exultandum: eſt enim maximum ciuitatum ornamentum ciuium prudentia, & ſenilis maturitas, ſicut contrà ſtupor, & leuitas ciuium dedecori eſt ac pudori patriæ.* Itaque vt eius Reipublicæ ſtatus innoueutur, & lætiori fortuna vtatur, promitit Dominus infantes dierum exulaturos, vt etiam ſenes repuetaſcentes; imò fore ſenes omni maturitate conſpicuos, & à puerilibus nugamentis prorſus alienos: & quidem indignum eſt, ſi ſenex ætate pueris adhæreat, & cum illis colloquia prolixa miſceat, vt etiam eſt indecorum, ſi matrona cum puellis nimiùm conuerſetur, & earum mores ſequatur: omnia tempus habent, quod inuertere maledicis præbet materiam, & frequenter obſcurat famam.

199. Salomon ſapientiam teſtatur incuſare, quòd in ciuitatum foribus, vbi olim ſenes, & tribunalia, inueniantur pueri moribus, ſenes ætate.
Prouerb.1. v.20. *Sapientia foris prædicat, in plateis dat vocem ſuam, in capite turbarum clamitat, in foribus portarum vrbis profert verba ſua dicens: vſque quo paruuli diligitis infantiam, & ſtulti ea, quæ ſibi ſunt noxia, capient?* In ciuitatum portis nullus ignorat adſuiſſe vrbium Senatores, Reipublicæ Conſules: ergo dum ſapientia ibi adſpicit pueros ſenum munia gerentes, & ſenes ingenia puerilia imitantes à ciuitate exulat, & foris clamat: *Hoc dicitur*, inquit Lyra, *quia antiquitus*
Lyra. *iudices, & ſapientes eis aſſidentes habebant locum in portis vrbium.* Itaque querebatur ſapientia in vrbium portis paruulos aſſidere, & negotia ſenibus commendata tractare: & è contra ſic ſenes ſtulteſcere, vt ea, quæ ſibi futura noxia, diſcuperent, nempe cum pueris agere, & puerili modo viuere. Prodeſt noſter Sanctius
Sanctius. ſuprà datus: *Vſquequò paruuli diligitis infantiam? Quaſi dicat: Quid vos capite cano, & rugata facie puerilia captatis nugamenta? Hoc itaque hominum genus ſtolidum & ignobile infantile vocat Propheta, abſuturumque dicit ab inſtituta, & benè conſtituta ciuitate.* Benè inſtituta reſplendet ciuitas, vbi ætatum iura ſeruantur, nec annorum leges indecorè confunduntur.

200. Chriſtus Dominus, quò Hebræorum Rempublicam ad occaſum inuolare dilucidè oſtenderet, pueris in foro ludentibus Sacerdotes, &
Matth.11. v.16. Principes comparauit: *Cui ſimilem æſtimabo generationem iſtam? ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro, qui clamantes coæqualibus dicunt: Cecinimus vobis, & non ſaltaſtis: lamentauimus, & non planxiſtis. Venit enim Ioannes neque manducans, neque bibens; & dicunt: Dæmonium habet: venit filius hominis manducans & bibens, & dicunt: Ecce homo vorax, & potator vini, publicanorum & peccatorum amicus.* Qui Chriſtum Dominum liuido dente arrodebant, erant Sacerdotum Principes, Phariſæorum proceres, qui Baptiſtam morti addixerunt, fuerunt cum Herode populi magiſtratus, & poteſtates: ergo, vt horum mores referat, pueris ludentibus ſimiles pronuntiauit: quid enim ſenex pueriles ludos imitatus aliud faceret, quàm in Baptiſtam caſtitatis normam deſæuire, & in Chriſtum Dominum omnis modeſtiæ ac ſanctitatis magiſtrum furere. *Totus hic ſermo*, inquit Hilarius Hilarius.
in catena D. Thomæ, *infidelitatis opprobrium eſt.* Adnectit ibi Rhemigius: *Sibi ipſi reſpon-* Rhemig.
dit ſubiungens: ſimilis eſt pueris ſedentibus in foro. Hieronymus ibi conſonat: *Iſti ergo pueri* Hieronym.
ſedent in foro, vbi multa venalia ſunt. Dum ſenex ſaltat, dum puerum moribus imitatur, dum pueriles non auerſatur luſus, caſtitatis inuenitur peſtis, prudentiæ hoſtis.

§. XLVIII.

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum occaſiones.

SAnctos dignis plauſibus celebrare & gratitudo conſulit, & eorum fauoris 201.
neceſſitas perſuadet: religioſum eſt Dei amicis à populis reddi laudem, quorum demirantur virtutem. *Quotieſcumque fratres cha-* Auguſt.
riſſimi, aiebat Auguſtinus ſerm.47. de Sanctis, *Sanctorum martyrum ſolemnia celebramus, ita ipſis intercedentibus expectamus à Domino conſequi temporalia beneficia, vt ipſos martyres imitando accipere mereamur æterna.* Adnectit: *Solemnitates martyrum exhortationes ſunt martyriorum, vt imitari non pigeat, quod celebrare delectat.* Itaque dum feſtiua Sanctorum gaudia celebrantur, incitamur ad eorum ſectanda veſtigia. Atque Chryſoſtomus homilia Chryſoſt.
28. in epiſtolam ad Corinthios aptè ſcripſit in hæc verba: *Dierum feſtorum ſolemnitas, bonorum operum eſt demonſtratio animæ puritas, vitæ rectitudo*, per opera quæ ad Sanctorum, quos tum veneramur, imitationem peragimus. Plurimùm etiam lucramur tum à Deo, & dum ad eorum conformamur exemplum, à Domino conſequimur beneficium: Illorum inſuper feſtis diebus, *publici ſolemniſque conuentus*, inquit Aſterius homilia 3. Aſterius.
aduerſùs auaritiam, *tanquam ludi quidam, atque pædagogia ſunt animarum, vt & martyres aliòſque Sanctos colentes, inſignem eorum pietatem imitemur, & Doctoribus, ea occaſione congregatis aurem præbentes, profuturum aliquid ignoratumque nobis anteà diſcamus quod ad dogma confirmandum, aut ad ambiguum obſcurumve locum, explicandum aut ad morum & vitæ emendationem pertineat.* Cùm hæc ita habeant, profectò debemus ea pietate celebrare illos, quæ ipſos decet. Accipe Gregorium Greg.Niſſ.
Nyſſenum oratione 3. de reſurrectione Chriſti, ſic loquitur. *Dicamus*, adde, *& agamus ea quæ propriè ad feſtum pertinent, vt ad ipſas res accommodatè & conuenienter feriemur. Nam quod improprium eſt & alienum præterquam quòd nihil prodeſt, res eſt inordinata, incompoſita, atque abſurda.* Patres plurimi ſunt in hac re. Auguſtinus docet traditione à maioribus repetita vacandum nobis eſſe per illos à rebus terrenis Sermone 251. de tempore à

Sanctis

Digitized by Google

Sanctis patribus noſtris conſtitutum eſt Chriſtianis & mandatum, vt in ſolemnibus Sanctorum otium haberent, & à terreno negotio vacarent. Nazianzenus oratione in ſancta lumina docet vt à terrenis negotiis vacare tum debeamus, & bonis incumbere operibus, tamen Diuinarum cogitationi rerum eſſe nobis incumbendum. *Diuina memoria præcipuum feſti caput eſt.* Sed accipe quid ſcripſerit oratione ad Gregorium Nyſſenum. *Demus operam ne ſancta impurè, & ſublimia demiſſè, & honore digna turpiter, &, vt vno verbo complectar, ſpiritualiter terrena celebremus. Feſtos quidem dies Iudæus etiam agitat, verùm ſecundum litteram; feſtos dies ibidem gentilis, verùm vt dæmonibus placeat. At nobis quemadmodum ſpiritualia omnia ſunt, actio, motus, voluntas, ſermo, inceſſus denique, & veſtis, atque ipſe oculorum nutus, diuino ſcilicet verbo ad omnia pertingente, ac diuinum hominem concinnante, ſic etiam ſpiritualis eſt feſtorum celebrandorum, animorumque oblectandorum ratio. Non enim animi relaxationem interdictam volo, ſed petulantiam coërceo. Si nos ad hunc modum conueniamus ac feſta celebremus magnum quidem fuerit affirmare, nos eadem præmia atque eiuſdem gloriæ hæreditatē percepturos:* ſic tamen hominū inoleuit peruerſitas, vt quæ pro orationibus ad Deum fundēdis, pro exercendo omnis virtutis genere, pro expiandis culpis, pro conſequendis à Domino beneficiis ſalubriter inſtitutum, in appetitus & rapinæ occaſionem videatur deflexum. Innocentiæ detrimento, qui pro Deo habebant, feſta celebrauere Saturni: *Infantes*, aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 9. *penes Africam Saturno immolabantur palàm.* Itaque innocentiæ detrimento illa defœdabatur feſtiuitas, & populorum confluxus, dum Saturno dedicabat ſolemnitatem, innocentiæ inferebat necem. O vſitatum non ſolùm figmentorum, vt Saturnus erat ſolemniis; ſed Sanctorum etiam diebus feſtiuis! Dum populus ad alicuius Sancti celebrandam feſtiuitatem concurrit, alius incauti marſupia euacuat, alius fœminas deteſtandis nutibus ad turpia deſideria prolectat, alius ſceleris occaſionem concinnat: ergo malitia de ipſa religione aduerſus æquitatem ſolet arma conſtruere, & ibi hauſto oculis ardet veneno, vbi videbatur opportuno munienda ſalus antidoto. *Taurorum fuit inſtitutum*, ſcribit Hyginus fab. 120. *vt qui intra fines eorum hoſpes veniſſet, templo Dianæ immolaretur.* Homicidiis Dianæ celebrabatur feſtiuitas, & cùm ob deuotionem ſalus videretur procurari, ſanguinem humanum contingebat effundi. Concinit Prudentius lib. 1. aduerſus Symmachum:

Tertul.

Quæ Taurorum inſtitutio.
Hyginus.

Prudentius.

Funditur humanus Latiari in munere ſanguis,
Conſeſſuſque illic ſpectantum ſoluit ad aram
Plutonis fera vota ſui: quid ſanctius ara,
Quæ bibit egeſtum per myſtica tela cruorem?

Humano ſanguine defœdantur ſæpè celebritates, & vbi quærebatur concordiæ vinculum ibi perpetratur ſæpè homicidium; nec ſolus eiuſmodi erroribus gentilis celebritates ſuas deturpabat delitus; ſed aliquando gentiles mores imitari ſolet Chriſtianus. Ab annua in Silo celebritate occaſionē Benjaminitæ ſumpſerunt rapiendi virgines, & ibi parentes ingemuerunt fœdatas, vbi crediderant plus ſanctitati dicatas. *Ecce ſolemnitas Domini eſt in Silo anniuerſaria, quæ ſita eſt ad Septentrionem vrbis Bethel. Cùm videritis filias Silo ad ducendos choros ex more procedere, exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas, & pergite in terram Benjamin.* Annua celebritas in violentiæ occaſionem obſeruata eſt, & vbi virginitas debuit emicare, inuenta eſt fraudibus doloſis perire: *Iſta ſolemnitas*, inquit Abulenſ. q. 39. *in qua captæ ſunt puellæ, erat de ſolemnitatibus Domini.* Nihil adeò commodum viſum eſt conſulentibus ad virginitatis raptum, quàm Domini feſtiuitas: nam cùm tunc puellæ religionis cauſa conuenirent, tempus erat dolis aptius, & rapiendis virginibus opportunius.

Abulenſ.

Oſeas quàm feſtiuitatibus mulieres, viri- 202.
que abuterentur, ſic exprimit: *Viſitabo ſuper eam dies Baalim, quibus accendebat incenſum, & ornabatur in aure ſua, & monili ſuo, & ibat poſt amatores ſuos.* Error cæciſſimus Baalim pro numine colebat, & eius feſtiuitatibus dies aliquot dedicabat: ergo propheta duplicem hîc errorem teſtatur admiſſum: alter erat ipſa deteſtanda feſtiuitas, alter huius feſtiuitatis occaſione diſpoſita à fœminis ad luxuriam opportunitas; vt amaſios ſuos validiùs allicerent, omni ſtudio procedebant excultæ, & habitu lætiori exornatæ, ſe mentiebantur excultiùs comptæ, vt decentiùs adeſſent feſtiuitatibus, cùm reuera placere cuperēt amatoribus. Ergo quæ, dum feſtiuitas non aderat, domi occluſæ aſpectui procacium non patebāt, feſtiuitatis prætextu templum adibant pompaticè exornatæ, & cùm viderentur inſeruire religioni, famulabantur libidini: *Seruat*, inquit Hieron. *perſonam meretricis, quæ auro ornatur, & gemmis, vt placeat amatoribus ſuis: quidquid pulchritudinis non habet per naturam, arte conquirit.* Ab arte mutuabantur fœminæ ſupplementa pulchritudinis, & cum adeſſe feſtiuitatibus eſſet colorata deuotio, erat vera pudicitiæ proſtitutio.

Oſee 2. v. 13.

Hieron.

Ieremias viarum Sion exprimit luctum, dū 203.
nullus ad ſolemnitatem curſitat; ſed peruerſa intentione prauitatem anhelat: *Viæ Sion lugent eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem.* Littera hæc populum olim copioſum, & ſolemnitates Domini grandi tubarum confluxu celebritatem adeò iam oſtendit imminutum, detritúmque, vt rarus ad feſtiuitates veniat, vel metu deterritus, vel à vera religione alienatus; ſed cùm prophetæ verba alium etiam ſenſum admittant, placet eo verbo, *eò quòd non ſint, qui veniant ad ſolemnitatem*, aliquod intelligere arcanum. Itaque vias teſtatur lugere, eò quòd nullus ad ſolemnitatem veniat, cùm veniat ad concinnandam criminis perpetrandi occaſionem: itaque non tam queritur in ſolēnitatibus populorum deſiderari confluxum, quàm religioſum animum: non veniebant ad feſtiuitatem, vt feſtiuitati religioſo animo adeſſent; ſed vt feſtiuitatis occaſione inſanis adularentur appetitibus, & quæ aliter nequirent, iniqua deſideria mentiti explerent deuotionis affectibus. Prodeſt Rupertus in Ier. cap. 16. *Luctus iſte vel gemitus magnæ charitatis eſt, lugere quòd non ſint, qui veniant; imo perpauci ſint, qui veniant ad ſolemnitatem veritatis, & vitæ, quò multos perducere cupiunt.*

Threnor. 1. v. 4.

Rupert.

Cupiebant

Digitized by Google

Cupiebant Sacerdotes, vixque, vt inuolarent plures ad ſolemnitatem virtutis cupidi, religionis ſtudioſi: ergo dum aſpiciunt confluere deprauatis ſtudiis, illectos, & virtutis prorſus oblitos, lugent feſtiuitates adeſſe, quas vident verſas in appetitus nundinas, & in ſimplicium fœminarum fallacias.

204. Hanc hominum peruerſitatem omni tempore viguiſſe teſtatur Seneca Epiſt. 97. Celebrabatur apud Romanos pro populo ſacrificium, vbi, vt decentius fieret, non ſolùm à mulierum conſpectibus viri ſubmouebantur; verùm etiam maſculorum animalium imagines oppanſis tegebantur velis, ne viſus, imaginatione deuotionem imminueret, dum oculos pictura diſtraheret: ergo huc Cæſaris vxor conuenit, vt Clodio, cuius amore tenebatur, ſui copiam faceret; & Clodio, cui facile non erat adire palatium, occaſionem præbuit ſacrificium: *Adulterium cum Cæſaris vxore in aperto commiſerat violatis religionibus eius ſacrificij, quod pro populo fieri dicitur, ſic ſubmotis extra conſpectum omnibus viris, vt pictura quoque maſculorum animalium contegantur.* Ibi delinquendi concinnauit prauitatis occaſionem, vbi Romanorum religio conſulebat ſtudioſiùs puritatem. Fœmina ſuæ magnitudinis nobilitatiſque vinculis impedita, ſacrificij celebrandi occaſione eſt occaſionem turpitudinis nacta. Seneca.

205. Moabitæ celebritates ſacrificiorum inſtituerunt, vt dum Iſraëlitæ curioſitate inuolant, obtenſis capiant fraudibus irretitos, & puellarum gratiis illectos: *Morabatur autem eo tempore Iſraël in Sethim, & fornicatus eſt populus cum filiabus Moab, quæ vocauerunt eos ad ſacrificia ſua.* Moabitæ, vt libidinis negotium gererent, inſtituebant ſacrificia, & cùm eſſet religionis fucus, criminis erat affectus: viſum eſt illis alio modo Iſraëlitas non poſſe alloqui, expictoque vultus decore, ac oculorum pellacia, allicere: ergo, vt exercerentur ſtupra, vocauerunt ad holocauſta: adeò antiquum eſt feſtiuitates peruertere, & in cupiditatum auxilium pietatem mentiri. *Statua erat*, inquit Apollinar. ex catena Græca, *apud Moabitas eius Dei, quem Græcorum alij Saturnum: alij Belum vocant. Stabat hæc in loco, qui Phegor dicebatur, vbi à mulieribus Moabitarum, ſiue Madianitarum prouocati ad impudica ſacra Hebræi initia eius admiſerunt.* A celebritate deſumpta eſt delinquendi occaſio, & cùm exterior ſpecies videretur religionis, Moabitarum puellarum ſcopus negotium erat libidinis. Puto adhuc Madianitas moribus eſſe, Moabitas adhuc durare, & quamuis idolorum iam ſtatuis nec aræ extruantur, nec aris hoſtiæ impoſitæ conſecrentur, huius tamen, aut illius venerandæ imaginis occaſione ſolitant ſe citare ad oculorumque congreſſus libidinem ſpirantes concurrere. Numer. 25. v. 1. Apollinar.

§. XLIX.

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel perſuadere contigit prauitatem.

Virtus ſpecioſa eſt: quæ ab illa diſcrepant, licèt pulchra magnaque appareant, ſi ad examen reuocentur deprehenduntur fallere; verum etſi virtus iure ſit amplectenda, & fugienda prauitas, hæc indiget diſſuadente, illa irritatore: ergo ad id decreti præſules, ac populorum iudices, qui populos ſupplicij timore cohibeant, & boni oſtenſione trahant; verùm adeò corrupta ſunt iura, munera adeò adulterata, vt à quibus futurum erat virtuti auxilium, euentum promanauerit ſæpè bellum: *Hoc agite boni præſides*, aiebat Tertullianus in Apolog. cap. 50. *meliores multò apud populum, ſi illis Chriſtianos immolaueritis, cruciate, torquete, damnate, atterite nos: probatio eſt enim innocentiæ noſtræ iniquitas veſtra.* Populorum ſibi plauſum conciliabant iudices, ſi veram expungerent religionem, ſi diſcruciarent pietatem: à Iudicibus, à Præſulibus grauiſſimum virtuti detrimentum: quia nec queri licitum; imo æquitati habebatur conſonum, quod contra æquitatem decretum. En cùm graui obſtricti iuramento decreuiſſent Iſraëlitæ filias ſuas in vxores Benjaminitis non dare, Reipublicæ Proceres quaſi de ſagaci conſilio, & cœleſti oraculo Benjaminitas admonent virgines violenter rapere, ſibique ducere: *Exite repentè de vineis, & rapite ex eis ſinguli vxores ſingulas.* Raptus parentum animos nequibat non indignatione accendere, & quærelas iuſtas excitare. Quid tunc? Audi tribunalibus præſidentium reſponſum: *Cùm venerint patres earum, ac fratres, & aduerſum eos queri cœperint, atque iurgari: dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapierunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt acciperent, non dediſtis, & à veſtra parte peccatum eſt.* Ecce qui tribunalia adierant actores, iam damnabantur vt rei, & cùm accuſarent apud Iudices de illata ſibi iniuria raptores, peccaſſe, qui interpellabant, cenſebant Iudices: *A veſtra parte peccatum eſt*: & quare eorum crimen? Quia Sacramento obſtricti filias non dederunt petentibus, cùm petentibus dare, vt rebantur ipſi, grande eſſet periurium, & ad euitandum periurium, excogitatum ſit artificium: apud hos Iudices æquitatis malè audiebat cauſa, & obſeruatio Sacramenti pronuntiabatur criminis rea: *A veſtra parte peccatum eſt.* Illata puellis violentia dilaudabatur, nec iam licitum erat queri, quia habebatur licitum rapere. Fuiſſe populi Iudices, qui hoc excogitarunt reſponſum tradit Abulenſis quæſt. 31. *Hoc dicebant ſeniores: quia ipſi erant maioris auctoritatis in populo, & quaſi indices.* Iuſtitia ſugillabatur vt culpa, & laudabilis habebatur violentia: populi ſeniores, indiceſque non adhortabant 206. Tertull. Abulenſ.

Digitized by Google

adhortabantur Iſraëlitas ad Sacramenti obſeruationem, nec rapientium cohibebant adſultus; imò pro raptus ferebatur ſententia, & adſcribebatur legem obſeruantibus culpa: *A veſtra parte peccatum eſt: id eſt, vos peccaſtis non dando illis filias veſtras, & illi non peccauerunt accipiendo eas*, inquit datus Abulenſis. Quis crederet apud iudices, ſenioréſque ſic iura corrumpi, ſic æquitatem violari, vt non ſolùm laudetur violentia; ſed vt rea ſugilletur iuſtitia, & iuſtiſſima querimonia?

207. Chriſtus Dominus ſynagogæ procerum mores ſterilis ficus vites obumbrantis aptiſſimo expreſſit exemplo: dicebat & hanc ſimilitudinem: Lucæ 13. v.6. *Arborem fici habebat quidam plantatam in vinea ſua, & venit quærens fructum in illa, & non inuenit: dixit autem ad cultorem vineæ: Ecce anni tres ſunt, ex quo venio quærens fructum in ficulnea hac, & non inuenio. Succide ergo illam: vt quid etiam terram occupat?* Ficus longo ramorum tractu foliis dilatatis benignos cœli influxus vitibus impediebat, & nociuam vmbram iactabat: non ſolùm infructuoſa intricabat ſibi cæſpitem, exhauriebat terræ vires, necabat ſpatia; ſed fœcundam vitem virides protrudere vetabat gemmas, dulceſque proferra impediebat vvas. Iam in ficu præſules Chryſol. deſignari tradit Chryſologus ſerm. 106. *Sicut infœcunda arbor, ſi fuerit in vinea, dum fundit mortiferam ſubiectis vitibus vmbram, inimica non ſibi ſoli; ſed etiam palmitibus fit fœcundis: ita homo deſes, ignauus, ſi præſit populis, non ſibi ſoli fit noxius; ſed multis, dum ſequentes ſe ſuo vitiat, & perdit exemplo.* Adnectit Chryſologus: *Merito ergo à Domino ſynagoga arbori fici comparatur.* Ficulnea vitibus præſidebat, cúmque ſaporatis exornata fructibus inferiores allectare plantas teneretur exemplo, ad pompaticam viriditatem, ad floriditatem vanam terræ ſugebat humorem, & mortiferâ vites vmbrâ protegens erat fructus obſtaculum, quæ ad promendum fructum vitibus futura videbatur auxilium: ab ipſo Præſule lux propulſabatur cœleſtis, & vites illius vmbræ proximiores præ cæteris ſterilitate infœcundæ, & longa palmitum extenſione pompaticæ. Itaque quæ huic ficui proximior, probabatur vitis deterior.

208. Clodius de adulterio expoſtulatus diuiſit iudicibus adulteria, pecuniamque, & iam adulterium apud iudices meruit elogium. Seneca. Audi Senecam Epiſt. 97. *Minus crimine, quàm abſolutione peccatum eſt: adulterij reus adulteria diuiſit: nec antè fuit de ſalute ſecurus, quàm ſimiles ſui iudices ſuos reddidit.* Adnectit: *Atqui dati iudicibus mumini ſunt... Impune tulit ante iudicium adulter, in iudicio leno, qui damnationem peiùs effugit, quam meruit.* Ipſi iudices, cùm reus negaret, vt abſoluerent, confiteri adulterium ſuadebant: quaſi vitiis appareret gratioſior, quibus probabatur impurior. Mihi crede, omne tempus eiuſmodi tulit iudices, & cùm in æquitatis, pudoriſque tutelam inſcenderint tribunalia, poteſtate abuſi, aut conſulunt, aut tuentur (ſi pecunia verſetur) delicta. Non negauerim Catones etiam eſſe, Iudices videlicet integerrimos, quibus ſummo ſtudio eſt æquitatem defendere, & in ſceleſtos inuiolatis legibus obarmarit: ergo hos laudo; illos verò, vt à prauitate abſtinuerint, adhortor.

Iſaias morum peruerſitatem exaggerans 209. à legum præſulibus leges ingemiſcebat corruptas: imò adeò transfiguratas; vt ipſæ leges ſtarent pro iniquitate, & videretur obſequi iuri, qui apertiùs immodeſtiuſque indulgebat crimini. *Væ, qui condunt* Iſaiæ 10. v.1. *leges iniquas, & ſcribentes iniuſtitiam Scripſerunt, vt opprimerent in iudicio pauperes, & vim facerent cauſæ humilium populi mei, vt eſſent viduæ præda eorum, & pupillos diriperent.* Si quis è plebe perpulchram haberet vxorem, & copioſam facultatem, ipſi Iudices iniquis legibus, & confictis de induſtria criminibus exterminabant, quo liberiùs indulgerent libidini, eſſétque loco ſalarij adulterium, & præmium iniquæ ſententiæ copioſum aurum. Adeſt Hieronymus ad hunc locum: *Nobis* Hieronym. *videtur contra iudices Tribus Iudæ, & Ieruſalem, ſcribas videlicet ſermo propheticus conclamare, quòd aduerſum legem Dei iniquas ſcripſerint leges, & traditionibus ſuis ſubuerterint iudicij veritatem.* Adnectit cauſam Hieronymus: *Propterea autem Scripſerunt leges peſſimas, vt opprimerent pauperes, & humiles populi, vt prædas agerent de viduis, & pupillos diriperent.* Quam inuiolatæ apud huiuſmodi Iudices floreſcebant leges, quandoquidem grauius illis periculum à tutoribus! Adijce aliquando Præſulum, Magiſtratuúmque domos fieri delinquentium profugium, illucque ſe conferre vti ad ſecuritatis aſylum, qui mulctam debuiſſet pendere grauiſſimam ob peccatum.

Hanc veritatem putat Chryſologus ſermo. 106. ſymbolicis litteris adumbratam. 210. Ficulneam iam diximus gerere Præſulum Magiſtratuúmque vmbram: ergo Dominus ad ficulneam venit, vt fructum famelicus carperet; inuenit tamen ſolùm foliis, quibus delicta tegeret, exundare, & fructibus, quibus fami ſuccurreret, prorſus carere: *Manè reuertens in ciuitatem eſuriit, &* Matth. 21. v.18. *videns fici arborem vnam ſecus viam, venit ad eam, & nihil inuenit in ea niſi folia tantum, & ait illi: Nunquam ex te fructus naſcatur in ſempiternum: & areſacta eſt continuò ficulnea.* O quantum iuuat frugiferarum arborum aſſociari collegio: ficus in vinea ſterilis ob vberrimos vitis fructus ad effugiendam pœnam inuenit patrocinium; at ficus iſta, dum ſingularis eminet, dum in via oculos tranſeuntium exambit, dum illi fauet fructificantium conſortium, dignum tulit maledictionis ſupplicium. Sed vt videamus, cur à radicibus exſiccata, quod Geneſis 3. ſcribitur, repetendum eſt: Adam Geneſ. 3. v.8. raptor, Euaque ſerpentinis alloquiis Dei legem tranſgreſſa, vt meritam fugerent pœnam, ad fici ſe contulerunt obſcuram vmbram: *Abſcondit ſe Adam & vxor eius à facie Domini Dei in medio ligni paradiſi.* Lignum, quod ad inſtar quercus Abſalonem ſuſpenden

Digitized by Google

ſuſpendentis debuiſſet audentes punire, vmbrâ ſatagebat protegere. Ergo dignam Domini ſuſtinuit iram à radicibus arida, ne delinquentibus ſubueniret iterum vmbra. Accipe datum Chryſologum: *Venit Chriſtus, & in ſynagoga fructum fidei reperit nullum: quia tota dolis erat inumbrata perfidia. Ad ficulneam venit Chriſtus, ad quam legitur Adam nudus fugiſſe poſt culpam.* Quercus Abſalonem ſuſpendit digno ſupplicio: ficus Adamum indigno protexit vmbraculo: ergo à radicibus exaruit, ne culpis præbueris iterum patrocinium, quæ ſymbolicè criminum eſſe tenebatur obſtaculum. Ecce aliquorum Præſulum, Iudicúmque ficus proponitur nobis ænigma, non quidem obſcurum; ſed ſatis clarum: ad ipſorum Iudicum confugiunt tutelam, qui æquitati intulerunt iniuriam, & qui deberent ſtare pro legibus, vmbram obtendunt reatibus: ergo timeant à radicibus exſiccandos, ignique tradendos.

Chryſol.

§. L.

Non ſemel in operando modus aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram.

211. PLura ſunt, quæ modo aut deuenuſtantur, aut expoliuntur: beneficia aſpero vultu, & adducto ſupercilio dilargita exaſperant accipientem, & gratia tranſit in iniuriam. E contra ſi beneficium denegetur ore humanitate diffluenti, mellitis verbis, & vrbano modo, non ſolùm non exaſperat; ſed conciliat. Optimè Seneca lib. 1. de Benef. cap. 1. *Gratiam omnem corrumpimus, non tantùm poſtquam dedimus beneficia; ſed dum damus: quis enim noſtrûm contentus fuit aut leuiter rogari, aut ſemel? Quis non, cùm aliquid à ſe peti ſuſpicatus eſt, frontem adduxit, vultum auertit, occupationes ſimulauit?* Dedit beneficium; ſed exprobrantis modo: negauit; ſed ſtylo blandientis: ergo alter non meretur gratiam, alter non exaſperat iram: à modo ſæpè ſubſtantia dependet. Benè Tertullianus in Apolog. c. 22. de dæmonibus: *Totus orbis illis locus vnus eſt: quid vbique geratur, tam faciliſciunt, quàm enuntiant: velocitas diuinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* Dæmonum ignoratur ſubſtantia; ſed de operandi modo diuina creditur, & vt diuina ſæpiùs adoratur. Itaque dæmones immortali odio habendi ſi agnoſcerentur: de operandi modo adeò fallunt, vt ſibi non ſolùm non conciliarint inuidiam; ſed acquiſiuerint vel ipſorum, quos fallunt, gratiam. Hinc cùm Iſraëlitarum Proceres Benjaminitis præcepiſſent virginum in Silo choros ducentium raptum: quia non dubitabant parentes exaſperandos, conſilium inierunt, quo eorum delinirent iram; imò erga raptores fouerent gratiam: *Cùm venerint patres earum ac fratres, & aduerſum vos queri cœperint, atque iurgari, dicemus eis: Miſeremini eorum: non enim rapuerunt eas iure bellantium, atque victorum; ſed rogantibus, vt acciperent.* De modo raptum cohoneſtabant, & cùm raptus offenſa indignationem accenderet, modus commiſerationem precantium ſopiebat iram, & mitigabat offenſam. Ita Abulenſis quæſt. 32. *Quaſi dicant: licèt rapuerint illas, non fuit verè violentia iſta, quia non fecerunt ſicut bellatores victores, quia iure ſuo illi accipiunt quidquid inueniunt, à nullo petendo; ſed quaſi ſuum accipiendo. Et contra tales pugnandum eſt ad repetitionem rerum ablatarum; tamen non fuit de Benjaminitis ſic: quia non acceperunt virgines quaſi victores; ſed cum magna neceſſitate acceperunt eas quaſi petentes.* Itaque ira non efferbuit contra Benjaminitas, & ſi rapuerunt puellas: quia acceperunt modo rogantium: & fors in illos effunderetur indignatio, ſi rogarent modo victorum. Profectò nonnulli etiam dum preces fundunt, modo ipſo fundendi offendunt: imperantium modo rogant, iubendo ſupplicant: cùm è contra nonnulli imperent, ac ſi rogarent. Ergo iſti, vel cùm dura præcipiunt, præcipiendo allectant ad gratiam; illi deprecando ſibi conciliauerunt inuidiam. Itaque proceres de modo raptus, raptus iniuriam mitigant, & dum blandis verbis querulos alloquuntur, ad commiſerationem allectant, & efferueſcentem indignationem parentum placant: adeò de modo iniuria delinitur, vt etiam gratia ſæpè ſæpiùs adulteratur.

Seneca.

Tertull.

Abulenſ.

Cùm inopinus caſus Aaronis filios abſtuliſſet, & graui patrem dolore ſauciaſſent, hircum pro peccato oblatum non comedit; ſed flammis tradidit: *Inter hæc hircum, qui oblatus fuerat pro peccato, cùm quæreret Moyſes, exuſtum reperit.* Ergo cum carperet non comediſſe, quod licitum erat edere; reſpondit Aaron ſe acerbitate caſus obturbatum indoluiſſe, nec fas eſſe dolenti animo miniſtraſſe: *Oblata eſt hodie victima pro peccato, & holocauſtum coram Domino; mihi autem accidit, quod vides: quomodò potui comedere eam, aut placere Domino in cæremoniis mente lugubri? Quod cùm audiſſet Moyſes, recepit ſatisfactionem.* Ac ſi dicat Aaron: De oblato hirco comedere honeſtum erat; timui verò triſtitudine correptus modo offendentis ſeruire, & ipſo obſequio Domino diſplicere: quandoquidem ipſa rei ſubſtantia poterat actionis modo dehoneſtari, & vel Dei, in cuius obſequium hircus comederetur, indignationem mereri. Prodeſt Auguſtinus in catena: *Non debuit totus incendi (hircus) ſed à Sacerdotibus manducari: hoc autem quare ſic factum, reſpondit Aaron, & placuit Moyſi.* Plus timuit Aaron offendere miniſtrandi modo, quàm dilato miniſterio, vt qui nouerat modum ſæpe ſæpiùs exaſperare, etiam dùm exhibetur officium, cum aliquando modo excuſetur erratum. 212.

Leuit. 10. v. 16.

Auguſtin.

Deus Abrahamum filium ſibi dilectum offerre iubet: ille moræ impatiens lecto renuntiat, & ad montem celeri pede contendit: ara deſignato loco de rudi cæſpite conſtructâ, & flamma iam ſuperpoſitâ 213.

Digitized by Google

filium ligate aggreditur, vt ſacris altaribus imponatur: *Cùmque alligaſſet Iſaac filium ſuum, poſuit eum in altare ſuper ſtruem* Geneſ. 22. v. 9. *lignorum.* Et cur liget puerum obediendi auidum, & ſeipſum Domino offerendi ſtudioſum? Iam reſpondet Veronenſis Zeno ſermo. 1. de Abraham: timuiſſe videlicet, ne vel in mortis exitu concitata victima calcitraret, & habitum renuentis aſſumeret: nam licèt plurima eſſet hoſtia, oportebat non deuenuſtari modo; ſed adhibito plus placere circa ipſum modum ſtudio: *Cum* Zeno. *gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentiùs offert: pedes quoque conſtringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret.* Adnectit ſerm. 2. *Traduntur tenere adhuc vinculis manus, & ne quid minus ac hoſtia videretur, pedem ligatura deſtringit, ne incitata victima diſpliceret.* Si calcitraret victima, videretur flammam recuſare, & renuentis habitus, aut dedecoraret obſequium, aut imminueret officium: ergo quo ampliorem Abrahamus demereretur gratiam, non lugubri; ſed hilari vultu obtulit, & ne quid minus in modo ab hoſtia videretur, curauit. Profectò ſi tremula manu, ſi defœdato copioſis lachrymis vultu obtuliſſet, hoſtia plus videretur violenter extorta, quam ſponte oblata: ergo cauit diſplicere de modo, qui eximio placere ſatagebat de obſequio.

214. Poſt prandium Angelis exhibitum vxor Lot in ſtatuam ſalis conuerſa eſt: *Verſa eſt* Geneſ. 19. v. 26. *in ſtatuam ſalis.* Profectò cùm eleëmoſyna, officiúmque peregrinis exhibitum felicitatem Abrahamo attulerit, rogant interpretes, cur à domo Loti calamitas non exularit. Profectò ipſe auunculum imitatus, cùm peregrinos fuiſſet intuitus, ſurrexit properus, & adorauit vrbanus; imò cùm illi ad ſpeciem renuerent officium, vt qui nouerant futurum vxoris erratum, vrbanè compulit, domumque introduxit: Geneſ. 19. v. 3. *Compulit illos oppidò, vt diuerterent ad eum, ingreſſiſque domum illius fecit conuiuium, & coxit azyma, & comederunt.* Apud Abrahamum compenſant conuiuium nobili fœtu promiſſo, & apud Lotum ſupplicio illato? O quam ſe prodiderunt Angelos, qui iuſtam inflixerunt mulctam, poſtquam opiparam inſederunt ad menſam: ſi enim eſſent homines, facilè ſubornarentur eduliis, & præterirent ſtudioſè cæcis oculis culpam, ne intulerint pœnam; verùm Dei miniſtri, vt qui non corrumperentur muneribus, æqua ſententia & Lotum liberarunt flammis, & dignis vxorem mulctarunt pœnis. Iam ſi quæras, cur conuiuium non fuerit contra pœnam propugnaculum; reſpondebunt Patres vxorem ipſo conuiuio deliquiſſe, & exhibendi fercula modo peregrinos exaſperaſſe: appoſuit menſam; ſed incuriosè: parauit cœnam; ſed vultu deſpicientis: ergo conuiuium prout ab vxore exhibitum, non allectabat gratiam; ſed Lyra. exaſperabat iram. Adeſt Lyra: *Verſa eſt in ſtatuam ſalis. Dicunt autem Hebræi, quòd hoc fuit, quia nocte præcedenti peccauerat in ſale, vt ſic pœna correſponderet peccato: petenti enim Lot pro condimento cibi Angelorum, quos homines credebat, ipſa renuit apportare: quia ſecundum modum Sodomorum, inter quos habitabat, affectum ad hoſpites non habebat.* Ecce ſuſcepit hoſpites, exhibuit officium, parauit prandium; ſed modo qui animi diſplicentiam oſtenderet, & beneficium prorſus corrumperet. Vt liberalis ac ſapientis eſt aliquando perdere, & dare; ita eſt aliquando inſipientis: iſta anteà perdiderat beneficium, quam præparauerit prandium. O quàm ſtultum eſt conciliare ſibi inuidiam eis rebus, quibus fas eſſet mereri gratiam!

---

§. LI.

Quæ exiguo ob crimen tempore dilapidata, longo tempore, & labore improbo indigebunt reſtituta.

VT furioſa res eſt in tenebris impetus, 215. vt vorax flamma longis interuallis conſtructa, & ſudoribus anxiis parta, ferè inſtantaneè nigras in fauillas redegit: vt acris tempeſtas nauigium multorum induſtriâ extructum, & laboribus prolixis compactum momento abſorbet, nec veſtigium vllum relinquit; ſic voluptas opulenta patrimonia maiorum laboribus collecta breui tempore dilapidat, domos euertit, & nobiliſſima ſtemmata fœdis lituris obſcurat. Quod vna die vitiorum procella deiecit, ægrè ſæculum reparauit: lentè exit felicitas, emergit properanter calamitas. Quod quadringentis annis gemitibus, duriſque operibus populus promeruit, aurum in vitulum transfuſum vna die periit, & in fauillas redactum eſt. *Nihil* aiebat Seneca Seneca. Epiſt. 110. *niſi de nobis queri poſſumus: ea, quibus periremus, nolente rerum natura, & abſcondente protulimus: addiximus animum voluptati, cui indulgere initium omnium malorum eſt: tradidimus ambitioni, & famæ, cæteris æquè vanis, & inanibus.* Parum dixit: non eſt voluptas malorum ſolùm initium; ſed calamitatum omnium complementum: graſſantiſſimæ ad inſtar peſtis omnia non lentè conficit; ſed velociſſimè rapit. Deliquerunt Gabaëni exoculata libidine ſordidati: contribules, dum contumaciter præſtant auxilium, grande ſibi aſciuere detrimentum: nam dum voluptas bellum aſciuit, ferè innumeri certamine iacuerunt homines, voraxque flamma redegit in cinerem ciuitates: *Cunctas vrbes, & vi-* Iudic. 20. v. 48. *culos Benjamin vorax flamma conſumpſit.* Pòſt à populi Primoribus reliquiis Benjaminitarum conſulitur, in poſſeſſioneſque antiquas redeuntibus opus fuit ciuitates iterum ſtruere, habitaculaque die ac nocte laborantes ædificare: *Abierunt in poſſeſſionem ſuam, ædificantes vrbes, & habitantes in eis.* Quàm prolixis ſpatiis opus fuit ad vrbes ſtruendas, poſſeſſioneſque iterum inſtaurandas,

Digitized by Google

ſtaurandas; quòd citiſſimè abſumpſerit flamma, prolixis annorum tractibus, improboque labore reparauit induſtria: nec enim ſic eſt actuoſus ad felicitatem inſtaurandam labor vt, vitiorum ad deterendam eſt furor.

Abulenſ. *Multæ vrbes erant in Tribu Benjamin*, inquit Abulenſis quæſt. 47. *vt patet Ieſue* 18. *tamen nunc in bello diruta fuerant omnes & combuſta, ædificiáque diſſipata: & ad hoc quod habitarent iſti Benjamnitæ ibi oportebat quòd reficerent diruta earum.* Gabaëni vnius noctis ſpatio voluptati indulſerunt vxore Leuitæ abuſi; Gabaa verò, vt iterum inhabitaretur, opus fuit multis annis, & quamplurimis ſudoribus: creuit paulatim ſtructura abſumpſit voranter flamma.

216. Nabucho procera arbor, prolatis ramis extenſa, dum immetatè ſuperbit, ſibi calamitatem aſciſcit: *Magna arbor, & fortis, & proceritas eius contingens cœlum, aſpectus illius erat vſque ad terminos vniuerſæ terræ. Folia eius pulcherrima, & fructus eius nimius.* Daniel. 4. v.8. Qua nocte intuitus eſt floridam, aſpexit etiam euerſam. *Succidite arborem, & præcidite ramos eius, excutite folia eius, & diſpergite fructus eius.* Germen in terra relictum ſeptem expectauit tempora, vt iterum grato exornaretur virore, vt repandis veſtiretur foliis, vt ſaporatis diteſceret fructibus: *ſeptem tempora mutentur ſuper eum.* Miro elegantique emblemate nobis textus expreſſit quanta celeritate vitia, felicitatem, diuitias, honorem, & ſalutem conſumant, & quàm lentè exeant incrementa. Huc voco Tertullianum mirè expendentem quàm prolixo tempore frutices in arbores explicentur, quantis ſalibus fructus condiantur, cùm ſatis ſit ad omnem arboris venuſtatem deturpandam ventus actiùs adſpirans, aut æſtus viuidiùs inflammans. Ipſum audi de Tertull. veland. virginib. cap. 1. *Aſpice creaturam paulatim ad fructum promoueri: granum eſt primo, & de grano frutex oritur, & de frutice arbuſcula enititur, deinde rami & frondes inualeſcunt, & totum arboris nomen expanditur: inde germinis tumor, & flos de germine ſoluitur, & de flore fructus aperitur: is quoque rudis aliquandiu, & informis, paulatim ætatem ſuam dirigens eruditur in manſuetudinem ſaporis.* Prolixis ſolis circuitionibus, repetitis cœlorum influxibus opus eſt, vt fructus ſapidè dulceſcat, & dulciter ſapiat, cùm ad violentum ſecuris ictum cadat præciſus ramus, & diſperſus putreſcat fructus. Septem tempora mutata ſunt, vt refloreat; ſatis fuit vnica nox, vt deiecta arbor frondoſitate careret, nuda & fructibus ſordeſceret viduata.

217. Puerum illum Sunamitidis filium candentis ſolis æſtus celeriter adeò conſumpſit, vt 4.Reg. 4. v.18. priùs quam febri audiatur inuaſus, morte iam fœteret corruptus: *Creuit autem puer, & cùm eſſet quadam dies, & egreſſus iſſet ad patrem ſuum ad meſſores, ait patri ſuo: Caput meum doleo, caput meum doleo; at ille dixi puero: Tolle & duc eum ad matrem ſuam. Qui cum tuliſſet, & duxiſſet eum ad matrem ſuam, poſuit eum illa ſuper genua ſua vſque ad meridiem, & mortuus eſt.* Longa patientia expectatus, ſolicitudine innutritus, cùm mater cogitabat nuptialem thalamum inopinum luxit interitum: peccati vi morientium perſonam geſſiſſe putat Baſilius Seleu- Baſil. cienſis orat. 10. *Erat mortuus vi peccatorum.* Quam citò æſtus appetitionis abſumpſit puerum! quàm properè carnis voluptas rapuit adoleſcentem! Iam quomodò ad vitam inſtauratus, audi. Mater celeri veſtigio ad montem vbi Eliſæus morabatur, contendit: peruenit, Prophetæ pedes rigat ſingultibus, fundit amaras lachrymas, Giezi amouere nititur, Eliſæus properat, & tandem cadaueri inſternitur: *Aſcendit, & incubuit ſuper puerum:* nec ſemel calore fouetur; ſed inſtratio iteratur: *Aſcendit, & incubuit ſuper eum:* lentiùs vitali calore oſcitauit fotus, quàm periit ardore peſtilenti correptus: multis opus fuit, vt reuiueret; ferè nihilo, vt excederet: *Eliſæus*, inquit Baſilius, *Chriſti figuram gerit.* Copioſo ſanguine, dura cruce, prolixo tempore ad vitam oſcitans redijt, qui non oſcitanter è vita fugit: ſenſualiter ſalutem imminuit, quàm Eliſæus non ſine miraculo reparauit: nos nobis imponimus, & bellum nobiſcum gerimus: cum beati eſſe anhelemus, infortunia nobis aſciſcimus: vna cœnâ abſumitur, quod maiorum inedia multis ſæculis comparauit: vno telorum iactu perijt conſumptum, quod multis fuerat tractibus annorum collectum.

218. Ezechias ægrotat, morbum: vt Patres volunt, vana præſumptio genuit, & vbi decumbit, ſibi iam mortem imminere Pro- 4.Reg.20. v.1. pheta reuelante cognouit: *Ægrotauit Ezechias vſque ad mortem.* Accepta mortis ſententia lachrymarum implorauit ſubſidium, & obtinuit ingemiſcendo, quod amiſerat peccando: ficorum maſſa affertur, vlceti ſuperponitur, trium dierum ſpatium, vt conualeſcat, expectatur, ac tandem Sol inuſitato prodigio orientem repetit, & vmbras minuit: *Reduxit vmbram per lineas, quibus iam deſcenderat in horologio Achaz, retrorſum decem gradibus?* per gradus ſalus reſtituitur, ferè inſtantaneè deperditur. Quantis opus fuit, vt reſculperetur vita, quàm citò tradiderat illam morti ſuperbia! De reportato triumpho præſumpſit, & dum præſumpſit elanguit. Ira tradunt Sacri In- Lyra terpretes: *Dicunt aliqui*, inquit Lyra, *quod hæc infirmitas contigit Ezechiæ, eò quòd non reddiderat gratias Deo ſufficienter de percuſſione* Cyrillus. *exercitus Sennacherib.* Conſonat Cyrillus Alexandrinus lib. 3. in cap. 38. *Ezechias abductus eſt breui, vt Hebræorum filij aiunt, & animo magno elatoque fuit, ac in ſuperbiæ laqueos incidit.* Superbia attriuit ſalutem, & ſtupendo miraculo redijt ad antiquam ſanitatem: non adeò breui animæ reparatur ſalus, ac ſolet amitti: non tam celeriter roſeus vultui reſtituitur color, & membris vigor, ac fœda intemperantia vitiorum falce vires præcidit: inter manus Medici gemit infirmus, & benè ſecum actum credit poſt ſinapis incendia, poſt cauteria dura, ſi exurgat mutilus, & mediocriter ſanus. Triginta & octo annos poſuerat il-

Digitized by Google

le paralyticus in ſolicitanda ſalute, & poſt miraculosè acceptam ſanitatem nondum ab omni grauamine exemptus : lectum ferre opus eſt, vt humeros prægrauet, & ſentiat quanta ſecum pondera attulerit culpa. Iam paralyſim culpam adumbrare tra-
Beda. dit Beda ad Ioannis 5. in catena D.Thomæ: *Multa genera languentium in eadem incurrunt, cæci ſcilicet, qui ſcientiæ lumine carent; claudi, qui ad ea, quæ iubentur: implenda vires non habent : aridi, qui ſuperna dilectionis pinguedine carent.* Itaque, quæ ab Euangeliſta referuntur corporis infirmitates, animæ deſignabant paſſiones : ergo paralyticus triginta & octo annis poſitis adhuc illic iaceret, ni Dominus ſalutem miſericorditer
refudiſſet : *ſurge, tolle grabatum tuum, & ambula.* Ioan. 5 v.8.
Adſpice Benjaminitas luti calciſque operibus inſudantes, vt ciuitates extruant, vt ædificia reſtituant, quæ celerrimè vorax flamma conſumpſit, & in tumulos redigit.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium, quæ in hoc tertio Tomo continentur.

Numerus poſt, c, adiunctus capitum ſeriem denotat; & poſt, n, appoſitus marginalem deſignat. P. vero paginam indicat.

A.

Abſentia.

SPONSI abſentia pudori, & honori inimica. c. 15. num. 58. toto §. p. 20
Maritus dum interuallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior. c. 15. n. 173. toto §. p. 54
Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam. c. 16. n. 123. toto §. p. 205

Abundantia.

Munus ritè exequens premitur frequenter inopia; diteſcit, qui adulterat, abundantia. c. 17. n. 155. toto §. p. 278

Actio.

Nonnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant. c. 15. n. 375. toto §. p. 123

Aditus.

Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus. c. 16. n. 76. toto §. p. 159
Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela, inopina premet ruina. c. 18. n. 213. toto §. p. 374

Adminiſter.

Difficiliùs, aut nunquam per adminiſtros ſuperior efficiet, quod per ſe ipſum faciliter obtinebit. c. 19. n. 81. toto §. p. 419
Optimus Reip. adminiſter otioſis gaudiis, commiuiſque occupatus tempus non fraudabit; ſed publicis negotiis impendet. c. 19. n. 103. toto §. p. 426

Admiratio.

Ridenda ſæpè miramur. c. 18. n. 113. p. 343

Aduerſarius.

Peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit. c. 16. n. 42. toto §. p. 148
Maius affert detrimentum, quàm pati, aduerſarium nullum credere. c. 16. num. 253. toto §. p. 214
Frequens eſt pudicitiam aduerſarios plurimos pati, mirum plures auxiliatores ſortiri. c. 20. n. 24. toto. §. p. 487
Vide Hoſtis, Inimicus.

Aduerſitas.

Non eſt facile inter aduerſa aut magna non deſipere. c. 19. n. 273. p. 475
Vir fortis acerbis caſibus dolorem glutit, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promouerit. c. 19. n. 261. p. 472
Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indulgere inſanis non refugit appetitibus. c. 19. n. 284. toto §. p. 477
Vide Calamitas, Infortunium.

Adulatio.

Adulatio muliebris pudicitiæ faſcinum eſt. c. 15. n. 58. p. 20
Plures, vt captioſas prætendant inſidias, adulantium, iocantiúmque aſſumere ſolent perſonas. c. 16. n. 166. p. 186
Qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis eligitur, veridicus ſæpè ſpernitur. c. 18. n. 110. toto §. p. 342

Adulterium.

Adulterium apud Spartas videbatur incredibile. c. 16. n. 22. p. 143
Iam nullus adulterij pudor. c. 16. n. 38. p. 146

Æqualitas.

Nihil eſt ipſa æqualitate inæqualius. cap. 17. n. 227. p. 299

Ærumna.

Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur. c. 16. n. 307. toto §. p. 332

Digitized by Google

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas.c.18.n. 29. toto §. p.320

Æſtimatio.

Inſolitum eſt propriis extranea præferre, vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere. c.17.n.190.toto §. p.289

Ætas.

In Sacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligendus.c.17. n.200. p.291.

Affectus.

Omnes affectus amor captiuat.c.15.n.37. p.15

Patriæ conterraneoque peculiaris debetur affectus,ſi vagetur peregrinus. c. 19. n.124. toto §. p.433

Connubia ſi degeneri affectu immunia, reſplendens,felicitatibus fortunata.c.21.n.172. toto §. p.622

Si iudex alicui parti inclinetur,in eius commodum leges facillimè interpretatur. cap. 21. n.180. toto §. p.626

Afflictio.

Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem.c.16.n.199.toto §. p.197

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam. c.16.n.232.toto §. p.207

Alienus.

Nonnulli inueniuntur de alienis generoſi, de propriis parci.c.21.n.152.toto §. p.614

Alimentum.

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta & victoriæ participes,& gloriæ inueniuntur conſortes.c.20.n.58.toto §. p.495

Altare.

Quod ſacris fuiſſe conſtat altaribus conſecratum, nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum.c.17.n.50.toto §. p.248

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas.c.18.n. 29. toto §. p.320

Qui ad ſacra altaria cupit accedere, ab omni curet inquinamento purgari. c. 21. n.51. toto §. p.578

Ambitio.

Ambitio ſibi ipſi contumelioſa.c. 15. n. 275. p.89

Ambitio aliis vitiis intactos ſæpè reddit criminoſo.c.15.n.277. ibid.

De ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior,& ambitus diuexat viuidior. cap. 15. n. 388. toto §. p.128

Nihil ambitoribus demiſſius, nihil ſi iam aſſecuri ſuperbius.c.18.n.166.toto §. p. 186

Ambitio mentem obtenebrat, & cœleſtem lucem fugat.c. 19.n.119.toto §. p.431

Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, non tamen vigilias, ac labores ſubire. c.20.n.118. toto §. p.515

Amentia.

Amentia,non amicitia eſt amici culpas palpare. c.20.n. 98. p.508

Amicitia, Amicus.

Amicitiæ Deus oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti peccatum. c. 15. n. 18. toto §. p.7.

Amicitia ſemper prodeſt, amor officit aliquando.c.15.n.88. ibid.

Nonnulli amicitiæ laruâ abſcondunt aduerſarium, & inhoneſtum exambiunt luctum. c.15.n.141.toto §. p.45

Amicus inſidus vlcus eſt peſtilentiſſimum.c.15. n.141. ibid.

Magnus dolor ab amicis affligi. c. 15. n. 266. p.87

Nonnulli, vt amico adulentur cupiditate deliro, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio. c. 15. n.286.toto §. ibid.

Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam, diſcedet, ſi aſſequatur maiorem copiam. c. 18. n.176. toto §. p.362

Infelix eſt amicitia, quæ tacendo, & defendendo delictum, diabolo amicum tradit defenſum.c.20.n.98.toto §. p.508

Non amicitia, ſed amentia eſt amici culpas palpare.c.20. n.98. ibid.

Amicitiæ vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam. c.21.n.9. toto §. p. 562

Amor.

Amor corporis res inquieta. c.15.n.27. p.11

Amor omnes captiuat affectus.c.15.n.37. p.15

Eiſdem,quibus homo noſtrum lucratur amorem Deus non allicit voluntatem.c.15.n.49. toto §. p.17

Amor obliuiſcitur facilè offenſam; imò offendentis ſolicitat gratiam.c.15.num.53.toto §. p.18

Falſarus ſæpè erga cognatos eſt amor, illis ad ſpeciem conſulit; ſed ſibi reuera attendit. c.15.n.308.toto §. p.110

Homines in obſcœni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe periculum. c.16.n.29.toto §. p.144

Fœminæ,ſi à Magnatibus ſe adamatas videant, ſuperbiunt,ſeque inaniter iactitant. cap. 16. n.33.toto §. p.145

Nihil amori inuenitur ponderoſum,nullum eſt pondus moleſtum. c.16.n.55.toto §. p.152

Amor & timor amico fœdere inueniuntur vniti, & ad augendum peccatori pondus quodammodo fœderati.c.16.n.102.toto §.p.167

Non ſemel amor in eas te impellet anguſtias,vt nec conſentiri poſſis tuta eius gratiâ,nec ſaluâ diſſentiri conſcientiâ. c. 16.n. 175.toto §. ibid.

Amor res commota, & ſolicita eſt.c.16.n.175. ibid.

Vera patientia proximum amat,dum eius defectus portat.c.19.n.67.toto §. p.415

Anguſtiæ.

Iuſtus omni parte, dum viuit,ſolet arctari; ſed iniquus dum moritur, premi. c. 18. n. 217. toto §. p. 375

Sæpè hominem anguſtiæ reddunt felicem. c.18.n.234. p.380

Leuis voluptas duriſſimas affert pœnas, inextricabiles parit non ſemel anguſtias. c. 19. n.33.toto §. p.404

Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur,& timoribus abigitur. c.20.n.73.toto §. p.500

Animus.

Magni animi eſt ſe Dei voluntari committere, puſilli ei repugnare.c.15.n.263. p.85

Gaudia inquietant animos. c. 15.n.347. p.114

Felix,

Digitized by Google

Felix, cui omne bonum in animo. c.16. n.199. p.197
Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci. cap. 16. n.294. toto §. p.227
Felicitas animum eneruat. c.18. n. 141. Inſuperabilis eſt animus, qui externa deſeruit. c.18.n.184. p.365
Proditur animi natura per vultum. c.19.n.143. p.438.
Magnus eſt animus, qui ſe Deo tradidit. c. 20. n.124. p.517
Nulli conſtabit, qui à virtute, & religione defecit. c.17.n.244. toto §. p.305
Ingens generi dedecus, ſi filius ab honeſtis maiorum moribus degeneraret; ſed grandius ſi ad falſam religionem tranſierit. cap. 18. n.250. toto §. 385

Appetitus.

Nunquam quieſcit, qui appetitus legem ſecutus; ſed variis ſemper circumuoluitur vorticibus agitatus. c.15.n. 27. toto §. p.11
Rarus eſt qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & deliciis patrocinantem. c.15.n.150. toto §. p.48
Quo liberius appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur. c. 15. n.280. toto §. p.90
Acerbis fœmina exponitur caſibus, ſi indulgere inſanis non refugit appetitibus. cap. 19. n.284. toto §. p.477

Arcana.

Pluribus abſtruſa naturæ indagare ſecreta ſuaſit non laudabilis honeſtas; ſed deteſtanda cupiditas. c.16.n.116. toto §. p.171

Arma.

Quæ à nobis imprudenter fota iuſtè in nos conuertere ſolent arma. c.15.n.132. p.74
Aduerſus fortunam nulla proſunt externa arma; ſed interna munimenta. c. 15. n. 336. p.109
De veritate arma in veritatem conſtruuntur. c.16.n.150. p.181
Arma mulierum execrationes ſunt. c.17. n. 35. toto §. p.243
Impunita ſcandala armorum Reip. eneruant vires; & felicitant hoſtes. c. 20. n.17. toto §. p.484

Artifex.

De inhabilitate materiæ artificis cumulatior lucet peritia. c. 15.n.332. toto §. p.108

Aſperitas.

Prudentis eſt non exaſperare, quem poſteà opus eſt, ſi exaſperetur, allicere. c. 19. n. 58. toto §. p.412

Auaritia.

Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce reſplendeat, nulla ſpecie auaritiæ ſordeat. c.18. n.83. toto §. p.335
Auaritia vitiorum regina eſt. ibid.
Fatale quodammodo malum auaritia eſt. c. 19. n.142. p.438
Diues manum comprimit ſæpe ſæpiùs auarus, pauper ſubuenit generoſus. c. 19. n.168. toto §. p.444

Audacia

Suſpicio & temeritatis audacia homini quodammodo ſunt coæua. c. 15. n. 113. toto §. p.36.
Timor audaciæ comes. c.16.n.204. p.198
Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentium audaciam, & procacium inſolentiam. c.21.n. 114. toto §. p.600

Augmentum.

Nonnulli deuorauere delicta, quò alij aſſequerentur augmenta. c.18.n.106. toto §. p.341.

Aurum.

Aurum enutrit inſolentiam, & inſaniæ tranſilit lineam. c.17.n.110. toto §. p.266
Vbi viget auri cupiditas, exulare noſcitur charitas. c.19.n.142. toto §. p.438

Auxilium.

Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari. c.16. n.270. toto §. p.219
Nullus ſibi adeò ſatis eſt, vt alieno non indigeat auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio. c.18.n.218. toto §. p.348
Mirum eſt pudicitiam plures auxiliatores ſortiri frequens aduerſarios plurimos pati. c.20.n.24. toto §. p.487
Inferiores miniſtri nequibunt, quæ ſunt ſui muneris adimplere, ni auxilium excellentiores adlaborarint præſtare. c.20.n.175. toto §. p.534
Iure ſuſtinet pœnæ tormentum, qui æquitatis miniſtris præſtare renuit auxilium. cap. 21. n.81. toto §. p.588
Nonnulli volunt ſibi opem in neceſſitatibus ferri, detrectant tamen præſtare. c. 21.n.97. toto §. p.594

B.

Bellum.

IN detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas, non præferenda honeſtati vtilitas. c.16.n.133. toto §. p.176
Male ſibi ominatur victoria non iuſto bello quæſita; ſed contra ius reportata. c.18.n. 205. toto §. p.371
Bellum à precationibus incipiendum, & placato priùs numine eſt adornandum. c. 20.n.20. toto §. p.485
Ad gerendum feliciter bellum plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernantium concordia. c.20.n.28. toto §. p.488
Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detrectat cum ſceleribus bellum gerere. c. 21. n. 57. toto §. p.579

Benefacere.

Deus iniuriis laceſſitus benefacere perſeuerat. c.15.n.384. p.126
Princeps à benefaciendo non vacet. c.15.n.401. p.132

Beneficium.

Neſcias an plus debeat beneficus beneficiato, an beneficiatus benefico. c. 19. n. 162. toto §. p.443
Beneneficium ſpe fultum non eſt beneficium; ſed fœnus. c.15.n.28. p.9
Beneficium antecedat accipientis deſiderium. c.17.n.71. p.254
Ingens Dei beneficium eſt in hac vita peccatorum ſoluere pœnas. cap. 20. n. 128. toto §. p.518
Dei erga te beneficia exaggeratiùs commendat grandis pereuntium numerus, & infelix plurimorum ſucceſſus. c. 20. num. 214. toto §. p.548
Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm ſpes exhibuerit

Digitized by Google

buerit officia.c.21.n.49.toto §. p.577
Ingenui ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modo gerere. c.21. n.77.toto §. p.587

Beneuolentia.

Curet princeps ab omnibus diligi, & ad muneris ſolùm vtilitatem beneuolentim lucrari. c.19.n.41. p.406
Superior ſic amari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam. c. 20. n.183.toto §. p.537

Blanditia.

Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſteà indecorè exſibilatur. c. 19.n.217.toto §. p.461

Bonum.

Solum bonum, quod honeſtum. c. 15.n.148. p.80.
Qui fugacibus bonis credidit, citò deſeritur, & vt non deſeratur, affligitur. cap.15.n. 336. p.109
Suſpirat ardentiſſime diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi

C.

Caducus.

Citò deſeritur, qui volubilibus nititur.c.15. n.336. p.109
Grauis labor pro caducis videtur exiguus, exiguus pro æternis magnus.c.18.n. 38. toto §. p.322

Cæcitas.

Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit.c.16.n.237. toto. §. p.209
Ea eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam.c.17.n.259.toto §. p.308

Cæleſtia.

Cœleſtibus aliquando terrena emuntur. c. 17. n.59.toto.§. p.251
Sacerdos, vt viam laïcorum poſſit dirigere, cæleſtibus ſtudueris vacare. c. 18. n. 78. to- toto §. p.334

Calamitas.

Grande beneficium eſt peccatorem calamitabus premi, ſupplicium grande proſperitatibus fortunari.c.15.n.95.toto §. p.31
Vtilem affert Dei memoriam calamitas. c. 15. n.154.toto §. p.49
Nonnulli, dum imprudenter ſolari ſtudent anxietudinem, maturant calamitatem. c.15. n. 159.toto §. p.50
Charitas exultat, ſi propriis laboribus alienis obuiarit calamitatibus. c. 15. n. 303. toto §. p.98.
Nobis maturamus calamitates, & peccandi anteuertimus occaſiones.c.15.n.316. toto §. p.103
Quam adduxerat calamitatem culpa, ſolet citò depellere pœnitentia. cap. 15.n.345. toto §. p.112
Peccator, dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati ſæpè inuenitur proximior. c. 16. n.181.toto §. p.191
Fraudulenta mulier præ multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas.c.16.n.219. p.203
Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit.c.116.n.237.toto §. p.209
Ibi peccator luctuoſiſſimam patitur calamitatem, vbi irriſione affectat dehoneſtare virtutem.cap.16.numer.167.toto §. p.218
Suſpirat ardentiſſimè diabolus bonorum largitor putari, & auctor calamitatum haberi. c.17.n.254.toto §. p.307
Execratio eſt timenda, vt calamitatis illicium, benedictio procuranda, vt fortunæ promptuarium.c.17.n.35.toto.§. p.145
Falsò exiſtimata ſecuritas grauior peccatoris calamitas.c.18.n.117,toto §. p.345
Quo maior peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas.c.18.n.121. toto §. p.346
Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat, calamitatem aſciſcat. cap. 18. n.125. toto §. p.347
Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerias, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare.c.18.n.171.toto §. p.361
De Mariæ ſacratiſſimæ præſentia hominis temperatur calamitas; imò & arridet felicitas. c.20.n.163.toto §. p.530
Bonus Sacerdos in calamitate eſt ſolatium, & in labore remedium.cap.20.nu. 166.toto §. p.531.
Peccator tunc ſibi cæcior promittit felicitatem, cum inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus.c.20.n.188.toto §. p.539
Impium ac periculoſum eſt de aliena calamitate gaudere, vtile & honeſtum triſtari. c. 21. n.25.toto §. p.569
Dei nominis inuocatio eſt calamitatis remedium, & felicitatis illicium. c. 21. n.29.toto §. p.570
Cum conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare.c.21.n.35.toto §. p.572
Prudentis eſt calamitatem patienter ferre, & propriis culpis adſcribere.c.21.n.139.toto §. p.609

Caſtitas.

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet. c.21.n.164.toto §. p.619
Origo fœcunditatis eſt caſtitas, honor nuptiarum fœcunditas. c.21.n. 191.toto §. p. 630

Caſus.

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia, c. 18.n.133.toto §. p.350

Cauſa.

Ineptâ gaudet ſecuritate, qui externam ſolùm malorum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit.c.16.n. 157. toto §. p.183
Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa c.20.n.28. toto §. p.488
Rarò iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus.c.20.n. 210. toto §. p.547

Cautela.

Quiſque ad humanam affectionem inuenitur cautus, & ſolertiſſimus, ad virtutem ineruditus ac tardus.c.15.n. 133.toto §. p.42
Prudenter aſtutus, ob cuius ſocietatem tulit aliquale detrimentum, ſtudebit declinare conſortium c.15.n.190. toto §. p.59
Qui detrectari debet conſortium, à quo videtur imminere periculum.c.15.n. 194. toto §. p.61
Sapientis eſt non ſolùm attendere præſentia; ſed præcauere futura. cap.15 .n.336. toto §. p.109
Prudens ſecutus etiam vtitur ſolerti cautela contra

Digitized by Google

contra inopinata diſcrimina.c.15.n.380. toto §. p.125
Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non prænunciatur cautela inopina premet ruina. c. 18. n.213.toto §. p.374

Celeritas.

Quæ maturo iudicio conſiderata,videri debent prudenti celeritate completa. c. 18. n. 137. toto §. p.351

Chamæleon.

Chamæleontis varietas quos deſignet. c. 16. n.127. p.174

Charitas.

Exultat charitas, ſi propriis laboribus alienis obuiarit calamitatibus.c. 15. n. 303. toto §. p.98.
Exulare noſcitur charitas, vbi viget auri cupiditas.c.19.n. 141. toto §. p.438
Quàm longiſſimè diſtant à charitatis officiis, qui voluptatum ſe dedidere fallaciis.c. 19. n.148. toto §. p.439
Nitet eleëmoſyna cum charitate, & hilaritate coniuncta; ſordeſcit faſtu elationis impenſa. c.19.n.157.toto §. p.442

Clauſura.

Fœminam, ni domus penetralibus lateat,adurgebunt pericula,aut dehoneſtabit non bona nota c.19.n. 230.toto §. p.463

Clementia.

Redundantia diuinæ clementiæ abutitur temeritas, & procacitas. c. 20. numer. 203. p.544

Cibus.

Anguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus, & delicioſus eneruat, cap. 19. num.93.toto §. p.423.
Ciborum oblectamentis ſæpè capimur, & à virtutis itinere auertimur. c. 19. n. 134.toto §. p.435

Ciues.

Miles non ſemel deprædatur ciues, antequam inuaſerit hoſtes. c. 18. n. 157. toto §. p.357

Ciuitas.

Miſera ciuitas, vbi adulterinæ res æſtimantur, legitimæ contemnuntur.c.15.n.256. p.82
Qui ciuitatum portas cuſtodiunt, non ſemel introëuntibus violentiam inferunt. c. 16. n.47.toto §. p.149
Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus. c.16.n.76.toto §. p.159

Cognatio.

Grauius homini aliquando à cognatis detrimentum quàm ab ipſis dæmonibus eſt periculum.c.15.n.271.toto §. p.87.
Falſatus ſæpè erga cognatos eſt amor: illis ad ſpeciem conſulit, ſed ſibi reuera attendit. c.15.n.308.toto §. p.100
Ad dignitatem, eccleſiaſticam præcipuè, cognatus ſæpè præficitur,& dignus cognationis titulo habetur.c.17.n.129.toto §. p.271
Diſcant cognati concordiam inter coniuges fouere,lites & non ſeminare.c.19.n. 87.toto §. p.420

Commodum.

Impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur commoda eximiis dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti. c. 17. n. 227. toto §. p.299
Vitium,ſi ex eo temporale reſultat commodum, adhærebit quodammodò inuiſceratum.c.18. n.261. p.388.
Renuntiare aliquando commodis,vt obſequaris honeſtè iuſſis eſt non ſolum virtutis lucrum, ſed felicitatis augmentum.c.21.n.131.toto §. p.606.

Communitas.

Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes.c. 15. n.337.toto §. p.110
Miniſtri à Republica electi non ſemel ſibi priùs conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt.c.18.n.49. toto §. p.315
Periculoſum, odioſúmque eſt à generalitate ſe excipere & cauſis communibus non adeſſe. c.21.n.69.toto §. p.584

Compaſſio.

Fratrum morbi vt proprij ſentiendi, & medicandi.c.15. n.339. p.111
Domini nullà ſeruorum commiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur. c.19.n.114.toto §. p.430
Vtile & honeſtum eſt de aliena calamitate triſtari: impium,& periculoſum gaudere. c.21. n.25.toto §. p.569

Concionator.

Concionatores ſunt Eccleſiæ circumciſio,nati corripiendo ſæculo.c.15.n.198.toto §. p.62
Induat, concionator pro extirpandis vitiis, quam mundialis ſolertiam induit pro virtutibus deterendis.c.15.n.225. toto §. p.72

Concordia.

Ad gerenda feliciter bella plurimum intereſt honeſta cauſa, & gubernantium concordia. c.20.n.18.toto §. p.488
Concors & iuſta coniugum voluntas grandis proſperitas.c.21.n.176. p.624

Confidentia.

Dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata. c.16.n.73.toto §. p.157
Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies.c.16.n.211. toto §. p.201

Conformitas.

Deo non ſolum ſeruiendum,ſed aſſentiendum eſt.c.19.n.261. p.472

Coniectura.

Indubia habetur euidentia, ſi nobis aduletur vel leuiſſima coniectura. c. 15.n. 128.toto §. p.41.

Digitized by Google

Index Rerum

Coniuges, Coniugium.

Coniugium affert ſecum carnis tribulationem, & oneris granitatem. c. 16. num. 98. toto §. pag.166

Ad turbandam coniugum pacem domeſtica inueniuntur ſæpè ſcandala, & concordiæ impedimenta.c.19.n.14.toto §. p. 397

Qui ob ineundum coniugium deuotat culpam: in ipſo inuenire ſolitat pœnam. c. 19. n.17. toto §. p.398

Si coniuges diſſideant ingenio,frequenti laborabunt & iurgio.c.19.n.20.toto §. 400

Diſcant parentes propinquique concordiam inter coniuges fouere, & lites non ſeminare. c.19.n.87. toto §. 420

Coniugum concors & iuſta voluntas grandis proſperitas.c.21.n.176. 624

Connubium.

Solùm cum nobilibus ſunt expetenda connubia,cùm morum relucet gratia.c.21.n.13.toto §. 564

Nihil adeo fœminæ acerbum,quod non ſoletur connubium.c.21.n.109.toto §. 599

Connubia, ſi degeneri affectu immunia, reſplendent felicitatibus fortunata.c.21.n.172. toto §. 622

Mundialia connubia à lætitia ſolent incipere; ſed luctum non ſemel parere. c3. 21. n. 188. toto.§. 627

Conſanguinitas.

Conſanguinitatis vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam. c.21. n.9. toto §. 562

Vide Cognati.

Conſcientia.

Conſcientiæ timor pius carnifex eſt. c. 15. n.159. p.50

Malæ conſcientia nunquam ſecura.c.16.n.232. p.208.

Vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, & inaurat ſæpe peccatum.c.18.n.220.toto §. p.391

Conſilium.

Conſilium manus ſuperat.c.18.n.137. p.351

Iniqua conſilia ſunt præbenti certiſſima detrimenta.c.20.n.229.toto §. p. 554

Reipublicæ vtilitati attenditur, dum coram Deo conſilium à magnatibus capitur. c.21. n.172.toto §. 622

Conſolator.

Nulli conſolatores, dum imptudenter leniunt anxietudinem,maturant calamitatem. c. 15. n.159.toto §. 50

Conſortium.

Eius detrectari debet conſortium,à quo videtur imminere periculum.c.15.n.194.toto §.p.61

Nullus ſibi adeo ſatis eſt,vt alieno non indiget auxilio, & opus habeat auxiliari conſortio. c.18.n.128.toto.§. p.348

Iuſtorum conſortium ad virtutem eſt incitamentum.c.18.n.233. p.380

Conſtantia.

Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non deſtitit, triumphos ſibi perſeuerans aſciuit. c.20.n.132.toto §. p.520

Conſuetudo.

Si cum ratione conſuetudo decertet, non ſemel infeliciter vincet.c. 15. n. 32. toto §. p.12

Homini dominatur conſuetudo. c. 25. n. 33. ibid.

Contemptus.

Magna vxori errandi occaſio præſtatur,ſi ſe deſpici à marito arbitretur.c. 15.n.169.toto §. p.53

Nonnulli verbis honorant, ſed actionibus depretiant. c.15.n.375.toto §. p.123

Si deſit dependentia aut neceſſitas, quod colebatur,proijcitur,obliuionique traditur.c.15. n.384.toto §. p.126

Sæpè triumphum attulit inimicus, & cladem inimicorum deſpectus.c.16.n. 26. toto. §. p.144.

Ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt irriſoriè contemptui haberi. c. 16. n.64.toto §. p.154

Veridicus ſæpè ſpernitur, adulator ad faſtigium dignitatis eligitur.c.18.n.110.toto §. p.342

Inſuperabilis eſt animus, qui externa contempſit.c.18.n.184. p.367

Diuina potentia temerariè deſpicitur, humana ſemper timetur.c. 18.n. 197.toto §. p.368

Conterranei.

Conterraneo peculiaris debetur affectus, ſi vagetur peregrinus.c.19.n.124.toto §. 433

Contraria.

Nonnulli ſecum reluctantia coniungunt, & ſibi oppoſita interpolare contendunt.c.18.n.150. toto §. p.355

Contumacia.

Timorem contumacia ſubuertit. c. 20. n. 13.& 85. p.490 & 504

Conuiuium.

Bonus Reip. adminiſter tempus conuiuiis non fraudet, ſed publicis negotiis impendat. c.19. numero 103. toto §. p.426

Copia.

Qui vtilitatis cauſâ peruenit ad amicitiam, diſcedet,ſi aſſequatur maiorem copiam. c. 18. n. 176.toto §. p.362

Cor.

Mundi tenebræ corda excæcant, etſi oculos videre permittant.c.16.n.144. p.211

Corpus.

Corporis amor res inquieta. c.15.n.27. p.11

Corpori aliquando indulgendum, ſeruiendum nunquam.c.15.n.280. p.90

Correctio.

Digitized by Google

Correctio.

Peccatis prudens acceleranda eſt correctio. c.15. n.177. toto §.p.56

Concionatores corripiendo ſæculo nati ipſa ſunt circumciſio eccleſiæ. cap.15. numer.198. toto paragrapho p.62

Prauitatem doſtrina emendat. cap.17. numer.65. pag.252

Nequit ſuperior ſubiectorum corrigere errorem, ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem. c.17.n.119 toto §. p. 268

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo rapiant aliena, & inuideant aliꝭs peccata. c. 13. n. 161. toto §. p. 358

Bonus ſuperior curet pluſquam peccatorem punire, peccatum tollere. c.19. numero. 53. toto §. p.411

Liberâ fronte in vitia armatur innectus, quiſquis ab illis non ſordeſcit inquinatus. cap.19. n.200. toto §.p.453

Stultum eſt, vt aliena vites incommoda, propria ſordidari culpa. cap.19. numero 204. toto paragrapho p.455

Iniquum in aliena errata acriter excandeſcere, & propria, etſi grauiora, cæcis oculis prætereire. c.20. n.62. toto §.p.497

Contra duros muniatur adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus. c.20. n.93. toto paragrapho 507

Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam. c.20. num.152. toto §.p.527

Superior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam. cap.20. n.183. toto §.p.537

Bonus ſuperior & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſolicitat prouidere. cap. 21. n.61. toto paragrapho p.581

Creatura.

Quibus plus fidis, fallaciores creaturas inuenies c.16.n.211. toto §.p.101

Creaturis diffidentia fidendum, diffidendum fiducia. c.16.n.211

Qui Deum ob creaturas relinquit, meritam in ipſis pœnam inueniet. c.19. numero. 24. toto §. p. 401

Crimen.

Ægrè ferunt homines à criminum deſiderio vel tantiſper retardari. c. 17.n. 15. toto paragrapho p.217

Nonnulli deteſtandis emunt criminibus refulgere, ac indebitis ſibi dignitatibus emicare. c. 17. n. 151. toto §. p. 277

Grauiſſimi criminis reus conuincitur, qui nouit greſſus alienos dirigere, patitur propriis erroribus implicari. cap.18. n.93. toto paragrapho p.337.

Qui à reliquorum conuictu remotus ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratur c.18.n.230. toto paragrapho p.379

Fides ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur; quæ ob virtutem, non tarò eluditur. cap.18. n.238. toto §.p.381

Quæ exiguo ob crimen tempore dilapidata, longo tempore ac labore improbo indigebunt reſtituta. cap.21. numero 215. toto paragrapho p.630

Vide culpa, Delictum, Peccatum.

Culpa.

Culpæ deformitas ex iuſto ſupplicio coniicitur, & in pœnæ horrore videtur. c.15. num.136. toto §.p.76

Quam adduxerat calamitatem culpa, ſolet citò depellere pœnitentia. c.15. n.343. toto paragrapho p.112

Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & maculis ſordidari. cap.15.n.393. toto paragrapho p.129

Culpæ aduerſario vires refundunt, quibus peccatores miſerabiliter pereunt. c.16. num.42. toto §.p.148

Nonnulli ab ipſis culpis contra pœnam ſortiuntur auxilium, & immunitatis quodammodo priuilegium. c.16. num.69. toto paragrapho pag.156

Si culpam arceat, fauſtior eſt felicitate infelicitas. c.18.n.234 p.38

Qui ob ineundum coniugium deuorat culpam, in ipſo inuenire ſolitat pœnam. cap. 19.n.17. toto §.p.398

Deo ſacratis non ſolum culpa fugienda; ſed culpæ proximitas declinanda. c.19. numer. 138. toto §.p.437

Ad culpam nunquam deeſt ſocius. c.19. n.177. pag.447

Stultum eſt propria ſordidari culpa, vt aliena vites incommoda. cap.19. numero 204. toto paragrapho p.455

Felix qui acri ob culpam dolore corrigitur, & honeſta confuſione percellitur. cap.19. n.257. toto §.p.471

Auferre nititur vitam, qui ad Dei trahere molitur offenſam. c.20. num.45. toto paragrapho pag.493

Peccator fit inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior. c.20.n 69. toto paragrapho p.499

Non eſt in homines deriuanda pœna, quam vnius, aut alterius promeruit culpa. cap.20. num.77. toto paragrapho p.502

Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauius, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus. c.20. n.81. toto paragrapho p.503

Eo peccandi proceſſit libido, vt ſatis iam non ſit propria inquinari culpa; ſed alienæ etiam tutela. c.20.n.89. toto paragrapho p.506

Non amicitia; ſed amentia eſt amici culpas palpare. c.20. n. 98. p.508

Felicior eſt, qui ruit in rationis obſequium, quàm qui vincit ad criminis patrocinium. cap. 20. numer. 141. toto paragrapho pagina 523

Bonarum mentium eſt à culpis prorſus abſtinere, & ſe quaſi delinquant, punire. c.20. n.148. toto paragrapho p.525

Superior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam. cap. 20. n.183. toto paragrapho p.537

Timor ad culpas tardiorem reddit. c.20.n.193

Pertinacia, dum tuetur audacter culpas, ſibi multiplicat pœnas. cap. 20. n.238. toto paragrapho p.557

Bonus ſuperior inultam non patitur culpam, & inflictam

inflictam ingemit pœnam. c.21. n.39. toto §. pag. 573.
Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentum audaciam, & procacium inſolentiam. cap. 21. n. 114. toto §. p.600
Optimus ſuperior culpa iam punita, non ſatagit affligere; ſed ſolari. c.21.n.127. toto paragrapho p.605
Prudentis eſt calamitatem patienter ferre, & propriis culpis adſcribere. c.21. n.139. toto paragrapho p.609

Cultus.

Gaudet dæmon excellentiores ſibi vendicare, & à numinis Cultu eripere. c.17. n.266. toto paragrapho p.311

Cupiditas.

Nonnulli amicitiæ larua abſcondunt aduerſarium, & inhoneſtum exambiunt lucrum. c.15. n.141. toto §.p.45
Nonnulli, vt amico adulentur cupiditate deliro, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio. c.15. numero 216. p.93
Cupiditas naturæ non ſemel leges ignorat, & auxilium hoſtibus præſtat. c.15. num.352. toto paragrapho p.115
Pluribus abſtruſa naturæ indagare ſecreta ſuaſit non laudabilis honeſtas; ſed deteſtanda Cupiditas. cap. 16. numer. 116. toto paragrapho p.171
Nonnulli de Cupiditatis errore, & erroris cæcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti. c.16.n.143. toto §.p.179
Quidquid Cupiditati, & errori impenſum, habetur lucrum, cum non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimetur diſpendium. cap.17. n.21. toto §.p.240
Domini nulla ſeruorum commiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur. c. 19. n.114. toto §.p.430
Cupiditas, ambitioque mentem obtenebrant, & cæleſtem lucem fugant. cap.19. numer. 119. toto §.p.431
Vbi viget auri Cupiditas, exulare noſcitur Charitas. cap. 19. numero 141. toto paragrapho pag. 438
Dulce eſt Cupiditates fugaſſe. c.19. num.196. pag. 452
Non puniuntur ſceleſti; ſi miniſtri tribunalium Cupiditates corrupti. c.21.n.94. toto paragrapho p.593

Curioſitas.

Curioſitas detrimenti conciliatrix. c.21. n.184. pag.628

D

Dæmon.

DÆmon, vt imperet, obſecundat: peior homo turpiſſimè obſecundat, vt ſeruiat. c.15. n.275. toto §.p.89
Dæmon criminis promptuarium. cap.17. n.266. pag.311
Dæmon proferre affectat oracula, vt nontiſſima inſerere valeat commenta. c.18. numer. 103. toto paragrapho p.340

Damnum.

Grauiora ſæpè damna incurrimus, dum leuia ſuſtinere recuſamus. cap.15. n.121. toto paragrapho p.38
Vitium leui lucro damnum grauiſſimum affert, cum leui incommodo ingentia lucra promittat. c.16. n.125. toto paragrapho p.174
Non ſemel quem contra ius quis ad dignitatem euexit, ſibi peſtem infeliciſſimam tulit. c.18. n.180. toto §.p.346
Satis non eſt præſentia depuliſſe damna, niſi imminentia etiam anteuerterit Detrimenta. c.20. n.234. toto §.p.555
Bonus ſuperior minus dolet proprium diſpendium, quàm à ſuis perpetratum contra æquitatem delictum. cap. 21. num. 45. toto paragrapho p.575

Vide Detrimentum.

Dapes.

Latus & delicioſus cibus vires eneruat, anguſtus robur miniſtrat. c.19. n.93. toto paragrapho pag.423
Sunt qui promittant non animo dandi; ſed deſiderio accipiendi. c.17.n.75. toto paragrapho pag.255

Debitum.

Debiti ſolutio in longum differtur, expromptè vanitati inſeruitur. cap. 18. numero 246. pagina 384

Decimæ.

Qui debitas alteri non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas. cap.18. num.29. toto paragrapho p.320

Defectus.

Vera patientia alienos defectus portat, & dum portat, proximum amat. c.19. n.67. toto paragrapho p.415
Aliorum inglorìa memoriâ permanent fixa; glorioſa facilius obliuione deleta. cap.19. n.219. toto paragrapho p.459
Iniquum eſt in aliena errata acriter excandeſcere, & propria etſi grauiora cæcis oculis prætereire. c.20. n.62. toto §.p.497
Contra duros muniatur adſultus, qui alienos corrigere molitur defectus. c.20. n.93. toto paragrapho p.507
Infelix eſt amicitia, quæ tacendo, & defendendo delictum, diabolo amicum tradit defenſum. c.20. n.98. toto paragrapho p.508

Defenſio.

Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, & vitium tueatur acumine. cap.20. n.101. toto paragrapho p.510
Pertinacia, dum tuetur audacter culpas, ſibi multiplicat pœnas. c.20. n.238. toto paragrapho p.557

Defuncti

Digitized by Google

Defuncti.

Defunctorum expiationem religioſis actibus, ac victimis procurare eſt pietatis teſtimonium, & vtilitatis illicium. cap.21. num.21. toto §. pag.567

Deliberatio.

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prudenti celeritate completa. cap.18. n.137. toto §.p.371

Delitiæ.

Nonnulli ad delicias in hiant vetitas & extraneas, faſtidiunt proprias. cap. 16. numero 21. toto paragrapho p.143

Nonnulli cum mundialibus renuntiarint deliciis, ad eas redire ſolitant ardentiſſimis deſideriis. c.19. n.76. toto paragrapho p.417

Horrendum eſt inopinè inter illecebras rapi, & inter delicias mori. cap. 19. numero 252. toto paragrapho p.470

delictum.

Plus tibi timendum ab eo, cuius cauſa delinquis, quam ab eo, quem hoſtiliter offendis. cap.16. n.188. toto paragrapho p.193

A parentibus filij non ſemel prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur. c.17. n.65. toto paragrapho p.251

Diuites de architectandis vitiis cogitant, & noua delicta fabricant. c.17. n.106. toto paragrapho p.265

Nonnulli deuorauere delicta, quo alij aſſequerentur augmenta. c.18. n.106. toto paragrapho p.341

Non ſuſtinent homines delicti occaſionem prolabi, virtutis ferunt amitti. c.18. n.154 toto paragrapho p.356

Delicta malè ſibi ominantur ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant. c.18. n 147. toto §.p.384

Amant homines ſuperiorem, qui delicta non carpat; ſed ori manum manum imponat. c.18. n.256. toto §.p.387

Noſtra delicta cæcis oculis prætérimus, in aliena peccata ardenter inuehimur. c.20. n.65. toto §.p.498

Bonus prælatus proprium contemnit detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum. c.20. n.179. toto §.p.536

Bonus ſuperior minus dolet proprium diſpendium, quàm à ſuis perpetratum contra æquitatem delictum. c.21. num.45. toto paragrapho p.575

Demiſſio.

Nihil ambitoribus demiſſius; nihil, ſi iam aſſecuti, ſuperbius. cap.18. n.166. toto §.p.360

Dependentia.

Si deſit dependentia, aut neceſſitas, quod colebatur, proijcitur, obliuioque traditur. cap.15. n.384. toto paragrapho p.126

Deſiderium.

Indubium creditur, quod Deſiderio adulatur. c.15. n.128. toto §.p.41

Laudabile Deſiderium actionis proſperitas comitatur. c.15. n.138. p.44

Nonnulli ad ea, quæ ipſi ſuſpirant, duci violenter affectant. c.15. num.298. toto paragrapho pag.97

Filij execranda fouent parentum vota, & operas ſuas conferunt ad improba Deſideria. c.17. n.41. toto §.p.246

Accipientis Deſiderium antecedat beneficium. c.17. n.71. p.254

Acri Deſiderio ardet vindictæ, qui corde preſſit iniuriam, ne rogatus conceſſerit veniam. cap. 19. toto paragrapho p.473

Detractio.

Nonnulli pluſquam interrogantur reſpondent, vt aliorum euulgarint ignominiam, & obſcurauerint famam. c.15. n.245. toto paragrapho pag.78

Liuido dente prouidentiam ſolet abrodere, qui nouit præſentanea ſolùm attendere. cap. 20. n.136. toto §.p.521

Detrimentum.

Ea quærimus aliquando effugia, quæ maiora nobis afferant Detrimenta. c.15. n.185. toto paragrapho p.58

Prudenter aſtutus eius declinabit conſortium, ob cuius ſocietatem expertus eſt Detrimentum. c.15. n.190. toto §.p.59

Vel reculæ grauiſſimum Detrimentum afferent; ſi plurimæ ad nocendum conuenerint. cap.15. n.277. toto §.p.69

Grauius homini aliquando à cognatis Detrimentum quàm ab ipſis dæmonibus eſt periculum. c.15. n.272. toto §.p.87

Maius affert Detrimentum, quàm pati, aduerſarium nullum credere. c.16. n.353. toto paragrapho p.214

Qui obſiſtit generalitatis vitio, multiplici ſubiacet Detrimento. cap.19. n.248. toto paragrapho p.468

Bonus prælatus proprium contemnit Detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum. c.20. n.179. toto §.p.536

Qui peccatis indulget, ſibi prouideat effugium: nam à tergo ſequitur Detrimentum. cap. 21. n.160. toto paragrapho p.617

Curioſitas Detrimenti conciliatrix. c.21. numero 184. p.628

Deuotio.

Nonnulli dum violata fœdantur lege, ſibi blandiuntur aliqua adhibita deuotione. c.15. n.99. toto §.p.32

Periculoſum eſt templa profanare, & deuotionem oblectamentis miſcere. c.16. n.286. toto paragrapho p.124

Nonnulli rapinis inhiant, & huius aut alterius ſancti feſtum ſumptuoſius concelebrant. c.17. n.95. toto paragrapho p.261

Digitized by Google

Deus.

Deus amicitiæ oſtendit deſiderium , dum exprobrat delinquenti peccatum. cap. 18. num.18. toto §. pag.7
Noſtrum Deus non lucratur amorem eiſdem , quibus homo noſtram allicit voluntatem. c.15. num.49. toto §.p.17
Deus iuſtos ſeuerius educat. cap. 15. num. 95. pag. 31
Vtilem affert Dei memoriam calamitas , periculoſam obliuionem proſperitas. c.15. n.154. toto §.p.49
Nonnulli Dei cauſam agunt , non legitimo zelo inflammati ; ſed propriâ indignatione , aut vtilitate commoti. cap. 15. numer. 248. toto §. pag. 80
A Dei ſpiritu venit, quòd vitiorum rumpamus vincula , & de hoſtibus reportemus trophæa. c.15. n.324. p.105
Deus iniuriis laceſſitus benefacere perſeuerat. c.15. n.384. p.126
Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam , emendationis initium , ſi cognoueris abſentiam. c.16. n.223. p.205
Qui à Deo recedit , cæcitatem & calamitatem incurrit. c.16. n.237.toto §.p.209
Prouida ſingularitate debet gaudere , quod Domino conſtiterit dedicari. cap.17. numer. 39. toto §.p.245
Deus vel magnis ſæpè offenſis prouocatus continet iram. cap. 17. numer. 223. toto §. pagina 298
Deo priuatus , etſi diuitiis exundet , miſerrimus ſordet & nudus. cap. 18. num. 188. toto §. pagina 366
Deus non eſt , qui violenter potuit auferri , nec valuit anxiis clamoribus reuocari. cap.18. numer. 192. toto §. p.367
Qui Deum ob creaturas relinquit , meritam in ipſis pœnam muenit. cap. 19. num. 24. toto §.pagina 401
Specialia fauore Deus ſuperiori adeſt , dum per ſe negotiis incumbit. cap. 19. numer. 85. pagina 410
A Deo quodammodo ob ipſum Deum oportet aliquando recedere , vt tibi commiſſos ad virtutem cures reducere. cap.19. num.129. toto §.p.434
Deo non ſolùm ſeruiendum ; ſed aſſentiendum eſt. c.19. n.261. p.472
Vbi Deus ſeueram decreuit vindictam ſumere aufert, ſi quid poterat retardare. c.19. n.278. toto §. p.476
Dei debent delaudari iudicia , quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa. c.20.num.114. toto §. p.517
Magnus eſt animus , qui ſe Deo tradidit. c.20. n.124. ibidem
Deo protſus parere vera eſt libertas ; imò & inconcuſſa felicitas. cap.20. numero 171. toto §.pag.533
Dei erga te beneficia commendat , grandis pereuntium numerus, & infelix plurimorum ſucceſſus. c.20. n.214. p.548
Dei nominis inuocatio eſt calamitatis remedium, ei felicitatis illicium. cap.21. num.29. toto §. pag.570
Solum qui accedit ad Deum , nouit placide quieſcere , & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari. c.21. n.122. toto §.p.603

Diabolus.

Ab impudico ſententiam impiam ipſe Diabolus edocetur. c.17. n.80. p.156
Suſpirat ardentiſſimè Diabolus bonorum largitor putari , & auctor calamitatum haberi. c.17. n.254. toto §.p.307
Gaudet Diabolus excellentiores ſibi vendicare & à numinis cultu eripere. cap.17. num.166. toto §.p.311
Diabolus non ſuadet aliquando pœnitentiam omittere ; ſed procraſtinare , & differre. c.19. n.99. toto §.p.424

Difficultas.

In grauiſſimas Difficultates ſolet incidere , qui leues patientiæ occaſiones detrectauerit ſuſtinere. c.19. n.235. toto par.p.464

Dignitas.

Qui alterius ope ad ad dignitatem euectus , ad eius etiam arbitrium elucebit conformatus. c.17. n.88. toto par. p.259
Ad dignitatem , Eccleſiaſticam præcipuè , cognatus Sæpè præficitur, & dignus cognationis titulo habetur. c.17. n.129. par. p.271
Nonnulli deteſtandis emunt criminibus refulgere, & indebitis ſibi dignitatibus emicare.c.17. n.151. toto par. p.277
Quid ad dignitatem euectus , eligentis eſt quodammodo mercenarius. c.17.n.151. ibidem
Sæpè ab alio ad dignitatem electus ſuperioris titulo fulget ; ſed eligenti reuera paret. c.17. n.163.toto par. p.281
Immeritæ dignitati exaugurationis imminet nota, & exauthorationis miſeria. c.17. n.170. toto par. p.283
Magna dignitatis titulo debetur ſacerdotibus reuerentia , etſi contradicat vita. c.17. n.182. toto par. p.286
Humilitas eſt ars dignitatem adaugendi , & gratiam ſibi beneuolam conciliandi. c.17. n.194. toto par. p.290
Sacerdotalis dignitas vt candidiori luce reſplendeat , nulla ſpecie auaritiæ ſordeat. c.18. n.83. toto par. p.335
Qui ad placitum loquitur , ad faſtigium dignitatis eligitur , veridicus ſæpè ſpernitur. cap.18. n.110. toto par. p.341
Immeritum erigere ad alta eſt maturare ei præcipitia. cap. 18. numero 128. p.348
Non ſemel quem contra ius quis ad dignitatem euexit, ſibi peſtem inſenſiſſimam tulit. c.18. n.180. toto par. p.364
Labor ingratus facit dignitates. c.18. num.261. p.388
Ad dignitates electio afferre ſolet diſſidium ; & inteſtinum excire bellum. c.20. n.114. toto par. p.513
Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere , non tamen vigilias , ac labores ſubire. c.20. n.118. toto par. p.515

Diſciplina.

Digitized by Google

Diſciplina.

Natura ſine diſciplina manca eſt. c. 19. n.181. pag.418

Diſpendium.

Non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimatur diſpendium, cum quidquid cupiditati, & errori impenſum, habeatur lucrum. c.12. numer.22. toto §.p.240

Diſſidium.

Ad dignitates electio afferre ſolet Diſſidium, & inteſtinum excire bellum. c.20. n.114. toto §.p.313

Diſſimulare.

Sunt qui ſubiectorum Diſſimulent prauitatem; quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem. c.12.n.91. toto §.p.260

Amant homines ſuperiorem, qui delicta non carpat; ſed ori manum imponat. c.18. n.256. toto §.p.387.

Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus. c.20. n.81. toto §.p.334

Diuiſio.

Vires diuiſæ facilè aduerſariis cedunt, & Dolos ſubeunt. c.16. n.207. p.200

Diuitiæ, Diuites.

Præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias. c.15. n.241. toto §.p.77.

Magnæ diuitiæ ſunt non ſitire diuitias. c.15. numer. 388. p.128

Poſt tergum ſæculi diuitias, & honores proiiciat, qui conſequi libertatem anhelat. c.16.n.94. toto §.p.164

Diuitiæ miſerias non exterminant; ſed mutant. c.16. n.94. ibidem

Diuites, magnatéſque in omnia vitia impunè aſpicies proruere, de diuitiarumque priuilegio illis peccata licere. c.17. numero 19. toto §. pag.239

Sæpè cæleſti dignatione cæteris antelati, cenſuque copioſi, & vitiis inueniuntur infecti. c.17. n.103. toto §. p.264

Diuites de architectandis vitiis cogitant, & noua delicta fabricant. cap.17. numer.106. toto §.pag.265

Aurum enutrit inſolentiam, & inſaniæ tranſilit lineam. c.12. n.110. p.266

Honeſtam erubeſcimus paupertatem, & iactamus Diuitiarum ſordidam copiam. c.18. numer.70. toto §.p.331

Deo priuatus, etſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet & nudus. c.18. n.188. toto §.p.366

Diuitiæ legem oppugnant. cap. 18. numero 189. ibidem

Pauper ſubuenit ſæpè ſæpius generoſus, diues manum comprimit auarus. c.19. numer.168. toto §. p.444

Nomina non tam clareſcunt de maiorum, poſterorumvè nobilitate, quàm de poſſeſſionum, Diuitiarumque ſplendore. c.21. num.89. toto §. pag.591

Doctrina.

Prauitatem Doctrina emendat. c.17. numer.65 pag. 252

Dolor.

Vitium vero Dolore Diſcruciat, & ſpe nos fallaci ineſcat. c.15.n.145.toto §.p.46

Plus Doloris affert vexatio à propriis inducta, quam ab exteris procurata. c.15. numer.265. toto §.p.87

Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſeriùs ſi querula voce non liceat Dolorem euaporare. c.17. n.171. toto §.p.361

Pœnitentia quod amiſſum dolet, ipſo Dolore reſtaurat. c.18. n.196. p.368

Voluptas Dolore emitur. cap.18. numer. 261. pag. 388

Vir fortis in acerbis caſibus Dolorem glutit, ne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promouerit. c.19. n.261. toto §.pag.472

Vehemens Dolor totum animum ad ſe rapit, nec lachrimas, aut verba permittit. c.19. n.273. toto §.p.475

Domeſtici.

Sæpè Domeſticorum garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minus prudenter Denuntiat. cap. 18. numero 146. toto §. pagina 354

Domus.

Sordidarum mulierculárum domus ſunt inſidiarum emporia, & inopinarum cladium theatra. c. 16. n. 162. toto § p. 185

Dotes.

Qui eximiis excelluit dotibus, duris etiam excedet, ſi degenerarit, cruciatibus. c.16. n. 229. toto §. p. 206

Eximijs inter alios dotibus prælucenti, & honeſti fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura, & maiora Debentur commoda, c.17.n. 222. toto §. p. 299

Dux

Ad exercitus regimen Duces non caſu Deſignandi; ſed conſulto domino deligendi. c. 20. n. 109. toto §. p. 512

E

Eccleſiaſtici.

Eccleſiaſtici non ſemel ſacros percipientes reditus in profanos, aut ſuperbos expendunt ſumptus. cap. 17. numero 59. toto §. pag. 251

Digitized by Google

Educatio.

Populi eſt ſalus diligens circa eligendos pueros ſolertia, vti pernicies ignauia. c.19. n.181. toto §.p.448

Ea quærimus aliquando effugia, quæ maiora nobis afferunt detrimenta. c.15. n.185. toto §.p.449

Electio.

Qui alterius ope ad dignitatem euectus ad eius etiam arbitrium elucebit conformatus. c.17. n.88. toto §.p.259

Ad dignitatem, Eccleſiaſticam præcipuè, cognatus ſæpè præficitur, & dignus cognationis titulo habetur. c.17.n.129. toto §.p.271

Sæpè ab alio ad dignitatem electus ſuperioris titulo fulget; ſed eligenti reuera paret. c.17.n.163. toto §.p.281

Non ſemel quem contra ius faſque quis ad dignitatem euerit, ſibi peſtem inſenſiſſimam tulit. c.18.n.180. toto §.p.364

Ad exercitus regimen duces non caſu deſignandi; ſed conſulto Domino deligendi. c.20. n.109. toto §.p.512

Ad dignitates Electio afferre ſolet diſſidium, & inteſtinum excire bellum. c.20. n.114. toto §.p.513

Eleemoſyna.

Iuſtis ac pauperibus benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere. c.17. numer.234. toto §.p.301

Eleemoſyna quodammodo eſt peccatoris baptiſmus. c.12.n.234. ibidem

Eleemoſyna ſordeſcit faſtu elationis impenſa, nitet cum charitate, & hilaritate coniuncta. c.19.n.157. toto §.p.442

Exhibitum indigenti ſubſidium eſt præbentis amplum commodum, ſecurumque propugnaculum. c.19. n.173. toto §.p.446

Emendare.

Nonnulli malunt Deum emendare, quàm ſe. c.15. n.163. p.85

Miſerum eſt Dei ignoraſſe diſtantiam, emendationis initium, ſi cognoueris abſentiam. c.16. n.223. toto §.p.205

Epitaphium.

Glorioſius epitaphium hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus. c.16. n.204. toto §.p.231

Error.

Erramus ſæpè non tam Errandi neceſſitate, quàm erroris amore. c.15. n.164. p.52

Nonnulli de cupiditatis Errore, & Erroris cæcitate partem præferunt toti, & totum poſtponunt parti. c.16. n.143. toto §.p.179

Quidquid Errori impenſum, habetur lucrum, cum non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimetur diſpendium. c.17. n.22. toto §. p.240

Errandi nos tenet amor. cap.17. numero 79. p.256

Peccatores etiam calamitatibus diuexati, ne reſiliant ab Erroribus, confictis ſibi blandiuntur ſpebus cap.18. numero 25. toto §.pagina 319

Grauiſſimi criminis reus coniuncitur, qui nouit greſſus alienos dirigere, & patitur propriis Erroribus implicari. cap.18. numero 93. toto §.p.337

Eruditio.

Præcipua Eruditio velle diſcere. c.17. n.200. p.291

Ni Sacerdos effloreat ſcientia interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa. c.18.n.98. toto §.p.339

Euchariſtia.

Euchariſtiæ vicaria eſt pœnitudo. c.15. n.345. pag.113

Examen.

Grauem mulctam debet præcedere rationabilis tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia. c.20. n.40. toto §.p.491.

Exauthoratio.

Immeritæ dignitati exauthorationis imminet nota; & exaugurationis miſeria. c.17.num.170. toto §.p.53

Excuſatio.

Grauius eſt Errorem excuſare, aut defendere, quàm committere. cap.15. numer.109. toto §.p.35

Execratio.

Execratio eſt timenda vt calamitatis illicium, benedictio procuranda, vt fortunæ promptuarium. c.17.n.35. toto §.p.243

Arma mulierum execrationes ſunt. cap.17. numer.35. ibidem

Executio,

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prouidenti celeritate completa. c.18. n.137. toto §.p.351

Exemplum.

Populus principium facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur. cap.16. numero 149. toto §.p.213

Senex debet in exemplum virtutis proponi, vnde illum dedecet vitiis infici. c.19. num.136. toto §.p.456

Felix, qui inter peruerſos probus; infelix qui inter probos peruerſus. c.19.n.153. toto §.p.440.

Exequiæ.

Defunctorum expiationem religioſis actibus, & victimis

Digitized by Google

victimis procurare eſt pietatis teſtimonium, & vtilitatis illicium, cap. 21. numero 21. toto §. p. 567

Exercitus.

Ad exercitus regimen duces non caſu deſignandi; ſed conſulto Domino deligendi, c. 20. n. 109. toto §. p. 512

Quod magni intereſt, inexperto non committendum; ſed experto commendandum, c. 16. n. 195. toto §. p. 196

Externus.

Inſuperabilis eſt, qui externa deſeruit, c. 18. n. 184 p. 365

Extraneus.

Nonnulli ad extraneas inhiant delicias, faſtidiunt proprias, cap. 16. numero 21. toto §. p. 143

Inſolitum eſt propriis extranea præferre, vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere, capite 17. numero 190. toto §. pagina 289

F

Facilitas.

QVod facilè adquiritur, depretiatur, c. 15. n. 124. p. 40

Fallacia.

Aliquando non ſolùm captioſæ prætexuntur fallaciæ; ſed ad tegendam fraudem dantur querelæ, c. 16. n. 171. toto §. p. 187

Fama.

Nonnulli pluſquam interrogantur, reſpondent, vt aliorum famam obſcurent, c. 15. num. 245. p. 78

Principis, miniſtrive famam obſcurant, ſi illis adhærentes citò ac præter opinionem diteſcant, capite 16. numero 216. toto paragr. pagina 262

Fœminam, ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula, aut dehoneſtabit non bona nota, capite 19. numero 230. toto §. pagina 463

Familia.

Graue conſtat eſſe delictum, ſi ſeruientibus denegetur, aut differatur ſalarium, c. 18. n. 73. toto §. p. 332

Fauor.

Qui alterius ope ad dignitatem euectus, ad eius etiam arbitrium elucebit conformatus, c. 17. n. 88. toto §. p. 259

Felicitas.

De ipſa felicitate prognata ſitis adurit ardentior, & ambitus diuexat viuidior, c. 15. n. 388. toto §. p. 128

Felix, cui omne bonum in animo, c. 16. n. 199. p. 197

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones, c. 17. numero 46. toto §. p. 247

Modeſti, ſi qua felicitate fruantur, non propriis; ſed meritis adſcribunt alienis, c. 17. n. 263. toto §. p. 310

Quò maior peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas, c. 18. n. 121. toto §. p. 346

Felicitas animum eneruat, c. 18. n. 121. toto §. ibid.

Vltra ditionem fortunæ opus eſt degere, ſi volueris conſtanti fortuna vti, c. 18. n. 184. toto §. p. 365

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas, cap. 18. numero 201. toto §. p. 370

Si culpam arceat, fauſtior eſt felicitate infelicitas, cap. 18. numero 234. toto §. pagina 380

Sæpè hominem anguſtiæ reddunt felicem, c. 18. n. 234. ibid.

Mundialis felicitas perſonata eſt, cap. 18. numero 204. p. 371

Feliciter res ſuccedunt, ſi rectè inſtitutæ, & cordatè geſtæ, c. 20. n. 109. p. 512

De Mariæ ſacratiſſimæ præſentia hominis temperatur calamitas; imò & arridet felicitas, c. 20. n. 163. toto §. p. 530

Magna felicitas ſortiri ſacerdotem virtutibus exornatam in calamitate namque eſt ſolatium, & in labore remedium, c. 20. n. 166. toto §. pagina 531

Deo parere inconcuſſa eſt felicitas, & vera libertas, c 20. n. 171. toto §. p. 533

Vera felicitas in virtute poſita, c. 20. num. 171. ibid.

Peccator tunc ſibi cæcior promittit felicitatem, cùm inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus, cap. 20. numero 188. toto §. pagina 539

Felicior eſt inter acceptas plagas oratione protectus, quàm inter victorias precibus nudus, cap. 20. n. 198. toto §. p. 542

Feritas.

A Sapiente procul eſt feritas, c. 15. n. 213. pagina. 68

Feruor.

Qui aliquando tempus profudit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidus, c. 15. n. 238. toto §. p. 76

Feſtiuitas.

Nonnulli rapinis inhiant, & huius, aut alterius Sancti feſtum ſumptuoſius concelebrant, cap. 17. n. 95. toto §. p. 261

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum occaſiones, c. 21. n. 201. toto §. pagina 634

Digitized by Google

Fides.

Principes dedecet fidem violare, & ſibi iniuriam violando promiſſa inferre,c.16.n.152.toto.§. p.184

Fides ob crimen oppignorata inuiolatè ſeruatur; quæ ob virtutem, non tarò eludetur, c.18. n. 238.toto §. p.58

Fiducia.

Propriis viribus fidens fit hoſtium præda, diuinis fretus illuſtri coronatur victoria, c.16. n.281. toto §.p.223

Figmentum.

Nonnulli ipſa figmenta dicendi modo venditauerunt oracula,cap.18.num.113.toto §. pagina 333

Filij.

Filij non ſemel à parentibus prauitatem edocentur,& ad delicta inſtigantur,c.17.n.65.toto §. p.252

Filij quodammodò fugunt peruerſos parentum mores,vt eximias etiam virtutes, c. 17. n. 31. toto §. p.242

Filij execranda fouent parentum vota, & operas ſuas conferunt ad improba deſideria, c. 17. n. 42.toto §. p.246

Flagitium.

Ob flagitium promiſſa raro non videntur impleta, cap.16. num.185. toto paragrapho, pagina 192

Si iuuenis cum iuuene commoretur, ad flagitia ſæpè inſtigatur, c.17. num. 219. toto §. pagina 297

Fœcunditas.

Honor nuptiarum fœcunditas, origo fœcunditatis eſt caſtitas, c.21. numero 91. toto §. pagina 630

Fœmina.

Fœminæ ſuperbiunt,ſeque iactant,ſi magnatibus proſtitutæ,& à potentibus adamatæ,c.16.n.33. toto §.p.145

Munia officiaue in fœminarum gratiam diſargita illis afferunt lucrum;ſed dilargientibus probrum, capite 16. numero 192. toto §. pagina 195

Nullum fœminæ malæ pharmacum,c.16.n.219. p.203

Nil fœminæ adeò curandum,vt iniquæ ſuſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam, cap. 19. num. 37. toto §. pagina 405

Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſteà indecorè exibilatur,c.19.n.227.toto §. p.461

Fœminam,ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula,aut dehoneſtabit non bona nota c.19.n.230.toto §.p.463.

Ornatus fœminæ caſtitatis hoſtis eſt, c. 19. n. 230.ibid.

Acerbo fœmina exponitur caſui,ſi indulgere inſano non refugit appetitui,c.19.n.284.toto §. p. 477

Nihil adeò fœminæ acerbum, quod non ſoletur connubium, cap. 21. num. 109. toto §. pagina 599

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias exſtruit,aut propriæ ſuſtinet,c.21. n.164.toto §.p.619

Fortitudo.

Voluptas fortitudinis eſt occaſus, & gloriæ næuus, cap. 16. num. 81. toto §. pagina 160

Vir fortis in acerbis caſibus dolorem glutitne ſe imprudentiæ nebulis obſcurarit, & aduerſantium cauſam promouerit, c.19.n.261.toto §. p.472

Vir fortis ærumnoſam vitam non odit, mortem honeſtam non fugit, c. 16. n. 301. toto §. p.229

Eximia fortitudo non ſolum pro virtute pugnat, ſed labores ob certamen etiam tolerat, c.20.n.143.toto §.p.524

Fortuna.

Quod à cæca quærimur accidiſſe fortuna, certum eſt promanare ab inoculatiſſima prouidentia, cap. 15. numero 229. toto §. pagina 41

Nullus contra fortunam extrinſecus inexpugnabilis murus, c.15.n.336. p.109

Facilè fortunam ſuſtinet, qui ſemper expectat, c.15.n.337.p.110

Seruus fortunæ eſt, quem vulgus appellare ſolet felicem,c.16.n.89.p.163

Extra fortunam verè Philoſophus degit, c.16.n. 118.p.172

Si principi, miniſtroue adhærentes citò ac præter opinionem diteſcant, eius imminuent fortunam, c. 16. num. 216. toto §. p.202

Fortunæ promptuarium eſt benedictio, illicium calamitatis execratio, c. 17. n. 35. toto §. p.243

Fortunatus inſoleſcit, cap. 17. num. 110. pagina 266

Inauſpicata eſt,ſi contingat peccatori fortuna,auſpicatior,ſi diuexarit miſeria,c.17.n.240 toto §.p.103

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia c.18. n.133 toto §.p.350

Infelix augurium eſt læta ſemper vti fortuna, & nulla diuexari miſeria, cap. 18. n. 141. toto §. p.352

Vltra ditionem fortunæ opus eſt degere, ſi volueris conſtanti fortuna vti,c.18.n.184.toto §. p.365

Diſplicebit,ſi tota ſimul,peccatoris fortuna, iuſti placebit,ni per partes fuerit inſpecta, c.18.n. 221.toto §.p.376

Fratres.

Fratrum morbi vt proprij dolendi & medicandi, c.15.n.339.p.111

Digitized by Google

Fraus.

Vna mulier, ſi fraudulenta, pro multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas, cap.16. num. 219. toto §. p.203

Frequentia.

Vitio frequentia hominum munitiſſimum eſt preſidium, & ferè inexpugnabile munimentum, c.15.n.256.toto §.p.82.

Fructus.

Honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura, & maiora debentur commoda, c. 17. n.227.toto §.p.299

Non eſt muneris labor excuſandus, etſi laboris fructus non expectetur metendus, c.19.n.223. toto §.p.460

Frugalitas.

Frugalitas in diuitias ipſam paupertatem conuertit, c.16.n.273.p.220

Fuga.

Parum prodeſt ab aliquo loco fuga, ſi fugienti in hæſerit cauſa, cap.15. num. 208. toto §. pagina 66

Furor.

Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit, deteſtanda, quam ſolus furor inducit, c.20. n.36. toto §.p.490

Furtum.

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo rapiant aliena, & inuideant aliis peccata, c.18.n.161.toto §.p.358

Sæpè domeſticorũ garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minùs prudenter denuntiat, cap. 18. num. 146. toto §. pagina 354

G

Garrulitas.

SÆpè domeſticorum garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minùs prudenter denunciat, cap. 18. num. 146. toto §. ibidem.

Gaudium.

Gaudia inquietant animos, cap. 15. num. 347. p.114

Decretorum gaudia poſt mortem lamentis, & inhonoratione ſoluuntur, cap.16. n.304. toto §. p.232

Generalitas.

Periculoſum, odioſumque eſt à generalitate ſe excipere, & cauſis communibus non adeſſe, c. 21.n.69.toto §.p.584

Qui obſiſtit generalitatis vitio, multiplici ſubiacet detrimento, cap. 19. num. 248. toto §. p.468

Genus.

Generis prærogatiua ab honeſtate metienda, c.18. n.140.p.352

Ingens generi dedecus, ſi filius ab honeſtis maiorum moribus degenerarit; ſed grandius, ſi ad falſam religionem tranſierit, c.18.n.240. toto §. p.382

Gloria.

Voluptas gloriæ næuus, & fortitudinis eſt occaſus, capite 16. numero 81. toto §. pagina 160

Gratia.

Amor obliuiſcitur facile offenſam; imò offendentis ſolicitat gratiam, cap.15. num.53. toto §. p. 18

Nulla adeò inexorabilia ſunt vincula, vt gratiæ ope nequeant diſſolui; imò & faciliter rumpi, c.15.n.313.toto §.p.101

Adſpirante gratia facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, c. 16. n. 274.p.220

Non ſemel in operando modus aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram, c. 21.n.211.toto §. p.637

Gratitudo.

Duriſſimum eſt, ſi ab eo coneris gratitudinem exigere, quem iniuriis conſtat vexare, c.15. n. 117. toto §.p.37

Sibi inuidet, qui benefico honeſtum gratitudinis tributum non pendit, c. 15. n. 367. toto §. p.121

Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm ſpes exhibuerat officia, cap. 21. num. 49. toto §. pagina 577

Gula.

Ciborum oblectamentis ſæpè capimus, & à virtutis itinere auertimur, c.19. n.134. toto §.p.435

Vide *Cibus*. *Dapes*.

H

Hæreditas.

MElius aditur hæreditas honeſtate, quam iure, c.18.n.250.p.385

Hiſpaniæ.

Hiſpania.

Hiſpaniæ cur Vvandalis traditæ, c.16. num. 79. p.334

Homo.

Homo non ſemel homini grandius virtutis obſtaculum, quam perpetratum delictum, c.15. n.41.toto §.p.14
Nullum homini peſtilentius, quàm homo malum,c.15.n.194.p.61
Præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti pecunias, c.15.n.241. toto §.p.77
Homo feris perniciosſus, cap. 15. numero 260. p.84
Dæmon, vt imperet, obſecundat, peior homo turpiſſimè obſecundat,vt ſeruiat, c.15.n.275. toto §.89
Homines in obſcœni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe periculum,c.16. n.29.toto §.p.144
Subita eſt homini pernicies ex homine, c.16. n. 85.p.162
Nullus homini acerbior ſe ipſo inimicus,c.16.n. 90.p.163
Homo arte prouida tractandus eſt, c.17. n. 244. p.305
Ægrè ferunt homines à criminum deſiderio vel tantiſper retardari, tolerantiùs à virtutum exercitio inhiberi, capite 17. numero 15. pag.257
Ineſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi, cap. 17. num. 83. toto §. p.257
Homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cum ad virtutem inueniantur prorſus ineruditi,cap.17.n.210.toto §.p.294
Non ſuſtinent homines delicti occaſionem prolabi, virtutis ferunt amitti, cap. 18. n. 154. toto §. p. 356
Securior degit inter hoſtes ſolicitus,quàm ab hoſtibus diſtans ignauus, c.18. num.209.toto §. p. 372
Plus curant homines, quàm implere honeſtis factis,deprædicari nominum linguis, c.18. n. 226.p.378
Cùm conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere audent homines numinis prouidentiam culpare,c.21. n.35.toto §.p.572

Honeſtas.

Solum bonum quod honeſtum,c.15.n.248.c.16. n.76.p.80
In detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas,non præferenda honeſtati vtilitas,c.16.n.133.toto §.p.176
Deſpicabilis habetur honeſtas,cui pro Helice habetur vtilitas, cap.17. num.173. toto §.pagina 284
Generis prærogatiua ab exercitij honeſtate ſumenda,c.18.n.140.p.352
Meliùs aditur hæreditas honeſtate,quàm iure, c. 18.n.150.p.385

Honor.

Per honoris non ſemel contemptum tendimus ad voluptatis illicium, c. 15. num. 37.toto §. p.13
Nobnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant, cap. 15. num. 375. toto §. pagina 123
Honori templum dicatum, cap. 16. num. 64. p.154
Poſt tergum ſæculi honores proiiciat, qui veram conſequi libertatem anhelat,c.16.n.94.toto §. p.164
Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur, cap. 16. num. 307. toto §. p.232
Honor ſine humilitate perducit ad confuſionem, c.17.n.194.p.290
Sæculi honor in pecunia eſt, cap. 18. numero 244
Honor nuptiarum fœcunditas, origo fœcunditatis eſt caſtitas,cap.21. num.191. toto §. pagina 630

Hoſpitalitas.

Hoſpitalitas hominem auertit à ruina, & ab eius domo impetrat auelli peccata, c.18.n.53. toto §. p.326

Hoſtis.

Sæpè cupiditas auxilium hoſtibus præſtat, c.15 n.352.toto §. p.115
Ad ciuitatem,vbi oppugnatur virtus,facilè patebit hoſtibus aditus, cap. 16. num.76. toto §. p.159
In detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitas,c.16.n.133.toto §.p.176
Glorioſius epitaphium hoſtis deuictus,& ſubditus in libertatem aſſertus,c.16.n.304. toto §. p 231
Miles non ſemel depradatur ciues, antequam inuaſerit hoſtes,cap.18. num.157.toto §. pagina 357
Impunita ſcandala felicitant hoſtes, & armorum Reip.eneruant vires, cap.20. num.17. toto §. p.484

Humilitas.

Humilitas eſt ars dignitatem adaugendi, & gratiam ſibi beneuolam conciliandi,c.17. n.194. toto §.p.290
Humilitas & ieiunij auſteritas, dum medentur culpis,ſæpè de hoſtibus reportauere victorias, c.20.n.157.toto §.p.528

Hypocriſis.

Sunt qui quærant maritare virtutis plauſum, & vitiorum commodum,c.19.n.62.toto §. p.413

I

Iactantia.

FOeminæ ſuperbiunt, ſeque iactant, ſi à potentibus, ſe adamari videant, capite 16. numero

Digitized by Google

numero 33. toto §. pagina 145.

Nonnulli importunè, opportunéque ſuam nobilitatem oſtentant, & ſplendorem ſanguinis iactant, capite 17. numero 141. toto §. p.275

Honeſtam erubeſcimus pauperiem, & iactamus diuitiarum ſordidam facultatem, c.18. n. 70.to §. p.331.

Ieiunium.

Anguſtus cibus robur adminiſtrat, lautus, & delicioſus eneruat, c. 19. num. 93. toto §. p.423

Ieiunij auſteritas & humilitas, dum medentur culpis; ſæpè de hoſtibus reportauere victorias, c.20.n.157.toto §.p.528

Ieiunium eſt ſalutis myrothecium, & contra ardorem ſpiritualium hoſtium armarium, c.20.n. 221.toto §. p.551.

Ieſus.

Nomen Ieſu humanæ ſalutis ſuſtentaculum, & dæmonum ac vitiorum inuenitur excidium, cap.16.n.277.toto §.p.222

Ieſu nominis inuocatio eſt calamitatis remedium & felicitatis illicium, cap.21. num.29. toto §. p.570

Ignauia.

Sæpè qui ante certamen ſibi promittebat victoriam, in campo oſtendit ignauiam, c.15.n.321. toto §.p.104

Dum ignauia moras trahit ſtultè confiſa, ſpebus dolet fruſtrata, c.16.n.73.toto §.p.157

Securior degit inter hoſtes ſolicitus, quàm ab hoſtibus diſtans ignauus, c.18. n. 209. toto §. p.372

Plures ignauè fugiendo mortem incurrerunt, honeſtè contemnendo fugarunt, c.21. n.85. toto §.p.590

Ignorantia.

Affectata videtur ignorantia, quando inceptum proſequitur errorem notitia, c.15.n.164.toto §. p.52

Iudices aliquando affectant ignorare, nolunt ſcire c.21.n.180.p.626

Imbecillus.

Poteſtas contra imbecillos frequenter extenditur, & iniquis interpretationibus ampliatur, c.20. n.125.toto §.p.549

Immunitas.

Nonnulli ab culpis contra pœnam ſortiuntur auxilium, & immunitatis quodammodo priuilegium, cap. 16.numero 69. toto §. pagina 156

Impatientia.

Impatientia maiora ſuſtinere cogitur, dum leuia non ſuſtinere molitur, cap.15. n.121. toto §. p.38

Impedimentum.

Grande oppoſuit prudentiæ impedimentum, qui carnis gerit negotium, c.15.num.104. toto §. p.33

Nonnulli, ne reſilire valeant à vitiis, adaggeratis ſe adſtringunt impedimentis, c.17.n.79.toto §. p.256

Impietas.

Profuſior libido impietatis amica, & religioni ſæpiſſimè aduerſa, c.17. num.115. toto §.pagina 267

Impoſſibile.

Adſperante gratiâ facillimè perficiuntur, quæ impoſſibilia ad ſpeciem videbantur, c.16. n.174. toto §.p.220

Improbus.

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones, c. 17. num. 46. toto §. p.247

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, c.18. n.101. toto §. p.370

Iuſtus omni parte dum viuit, ſolet arctari; ſed iniquus dum moritur, premi, c.18.n.217. toto §.p.375

Impudentia.

Ea nonnulli peccant impudentia, ac ſi licerent delicta, cap. 17. numero 75. toto §. pagina 255

Impudicus.

Ab impudico impietatem ipſe diabolus edocetur, c.17.n.80.p.256

Impunitas.

Vbi ſuperior non eſt, qui cohibeat, quiſque quod ſibi placet, impunè tentat, c.17.n.133. toto §. p.272

Incommodum.

Bonus ſuperior eliget ſubire incommoda, ne ſubiectos miſera premat ruina, c.15.n.294.toto §. p.96

Indignatio.

Nonnuli Dei cauſam agunt; ſed propria indignatione commoti, non legitimo zelo inflammati, capite 15. numero 248. toto §. pagina 80

Induſtria.

Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, & vitium tueatur acumine, c.20. n. 101. toto §.p.510

Digitized by Google

Index Rerum,

Inertia.

Inertia ſui impatiens eſt. cap. 18. numero 21. pag. 318

Infamia.

Nonnulli, vt aliorum ignominiam euulgent, pluſquam interrogantur, reſpondent. cap. 15. n. 245. toto paragrapho p. 78

Ignominioſam ſæpè ſuſtinuit infamiam, qui vocante gratia amplecti diſtulit pœnitentiam. c. 19. n. 111. toto §. p. 428

Infelicitas.

Si culpam arceat, fauſtior eſt felicitate infelicitas. c. 18 n. 234. p. 380

Infelix augurium eſt læta ſemper vti fortuna, & nulla diuexari miſeria. cap. 18. n. 141. toto paragrapho p. 352

Infortunium.

Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non diſceſſit, triumphos ſibi perſeuerans aſciuit. cap. 20. numero 131. toto paragrapho pagina 510

Ingenium.

Semper ad temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius. c. 15. n. 105. toto §. p. 65

Ingenio fouemus vitia. cap. 16. numero 170. pag. 219

Si coniuges diffideant ingenio, frequenti laborabunt & iurgio. c. 19. n. 20. toto paragrapho pag. 400

Ingenuus.

Ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi. c. 16. n. 64. toto §. p. 154

Ingratitudo.

Ingratitudo petitioni negat effectum. cap. 15. n. 370. p. 122

Inſtar miraculi eſt, ſi iterum ſeruiat, qui pro laborum præmio repulſam tulit. c. 15. n. 371. toto §. ibidem

Sæpè contingit ſtipendio honoratum dilargientis eſſe inimicum. c. 17. n. 205. toto paragrapho p. 243

Inimicus

Qui ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus. c. 15. num. 363. toto §. p. 119

Sæpè triumphum attulit inimicus, & cladem inimicorum deſpectus. cap. 16. num. 26. toto §. pag. 144

Nullus homini acerbior ſeipſo inimicus. cap. 16. n. 90. p. 163

Sæpè contingit ſtipendio honoratum dilargientis eſſe inimicum. c. 12. n. 205. toto §. p. 193

Initium.

Ni noxia ipſis in cunabulis reſecata, ineuitabile quodammodò diſcrimen attulerunt adulta c. 15. n. 201. toto §. p. 64

Iniuria.

Duriſſimum eſt, ſi ab eo coneris gratitudinem exigere, quem iniuriis conſtat vexare, cap. 15. n. 117. toto §. p. 37

Deus iniuriis laceſſitus benefacere perſeuerat. c. 15. n. 384. p. 126

Plures acceptam à numine ſcientiam in ſui & numinis conuerterunt iniuriam. c. 16. n. 147. toto §. p. 180

Nil iuſtis adeò graue, vt diuinam intueri offenſam, & auribus percipere iniuriam c. 16. num. 244. toto §. p. 211

Acri deſiderio ardet vindictæ, qui corde preſſit iniuriam, ne rogatus conceſſerit veniam. c. 19. n. 167. toto §. p. 473

Ingenui ac nobilis eſt iniuriam beneficiis compenſare, & contrario ſe modo gerere. c. 21. n. 77. toto §. p. 587

Innocentia.

Innocentia iam non rara, ſed nulla. cap. 15. n. 75. p. 25

Quiſque ſe Innocentem dicit, cùm ſe nullus poſſit abſoluere. c. 15. n. 221. p. 71

Inopia.

Ad virtutes premit inopia, nunquam deeſt vitiis exercendis pecunia. cap. 17. numero 9. pag. 236

Munus ritè exequens premitur frequenter inopia; diteſcit, qui adulterat, abundantia. c. 17. n. 155. toto §. p. 278.

Inſidiæ.

In ciuitatum aditu non ſemel prætenduntur Inſidiæ, & exercentur violentiæ. c. 16. n. 47. toto §. pag. 149

Plures, vt captioſas prætendant Inſidias, adulantium Iocantiumque aſſumere ſolent perſonas. cap. 16. numero 166. toto p. 186

Inſolentia.

Peccator fit Inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior. cap. 20. numer. 69. toto paragrapho pag. 499

Aurum enutrit Inſolentiam, & inſaniæ tranſilit lineam. c. 17. n. 110. toto §. p. 266

Inſpiratio.

Ignominioſam ſæpè ſuſtinuit infamiam, qui vocante gratia amplecti diſtulit pœnitentiam. c. 19. n. 111. toto §. p. 428

Inſtrumentum.

De Inſtrumenti vilitate clarior reſplendet victoria. c. 15. n. 233. toto §. p. 108

Internus

Digitized by Google

Internus.

Inepta gaudet ſecuritate, qui externam ſolum malorum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit. capite 16. numero 257. toto §. pag. 215

Inuerecundia.

Malè ſibi ominatur; ſi crimen ſuum publicet inuerecundia; benè, ſi occuluerit pœnitentiam. c. 18. n. 65. toto. §. p. 350

Inuidia.

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo aliis inuideant peccata. c. 18. numer. 161. toto §. p. 358

Plures vt captioſas prætendant inſidias, adulantium, rocantiumque aſſumere ſolent perſonas. c. 17. n. 16. toto §. p. 186

Ira.

Tempus eſt iracundiæ medicus, & rationis conſiliarius. c. 15. n. 45. toto §. p. 16

Iracundia dum immoderatè accenditur, crimini, & calamitati patrocinatur. c. 15. num. 80. toto §. pag. 27

In ipſa irruit tela ſibi maturant ira pericula. c. 15. num 80. ibid.

Ira aliquando eſt oſtendenda; ſequenda nunquam c. 15. n. 86. p. 28

Ea eſt peccatoris cœcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam c. 17. n. 259. toto §. pagina 308

Non ſemel in operando modus aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram. c. 21 n. 211. toto §. p. 637

Irriſio.

Vbi peccator irriſione affectat dehoneſtare virtutem, ibi luctuoſiſſimam patitur calamitatem c. 16. n. 267. toto § p. 218

Ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi. c. 16. num. 64. toto §. p. 154

Iudex.

Sic Iudex omnem quærelam ſubmoueat, vt nihil eius tribuatur odio; ſed cauſæ merito, cap. 15. n. 283. toto §. p. 91

Alienum vitium in iudicis verti ſolet opprobrium. c. 15. n. 283. ibidem

Non ſemel Iudex, vt aduletur magnatibus, infirmioris obſurdeſcit rationibus. c. 13. n. 290. toto §. p. 94

Iudicis venalitas, etſi induſtriè celetur, rariſſimè abſconditur. capite 18. numero 60. toto paragrapho. p. 328

Grauius legibus aliquando periculum, quam à violatore, à iudice. cap. 21. num. 168. toto paragrapho. p. 627

Si Iudex alicui parti inclinetur, in eius commodum leges facillimè interpretantur. c. 21. n. 180 toto paragrapho. p. 626

Iudices aliquando affectant ignorare, nolunt ſcire c. 21. n. 180. ibid.

Iudicium.

Quæ maturo iudicio conſiderata, videri debent prudenti celeritate completa. cap. 18. n. 1. toto paragrapho p. 351

Dei debent dilaudari iudicia; quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa. cap. 20. n. 124. pag. 517

Iurgium.

Si coniuges diſſideant ingenio, frequenti laborabunt & iurgio. cap. 19. num. 20. toto §. pagina 400

Iuriſdictio.

Bonus Reipublicæ adminiſter curabit muneris obligationem implere, non iuriſdictionem ad nocendum ampliare. c. 16. num. 59. toto §. pagina 153

Ius.

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita; ſed contra ius reportata. cap. 18. num. 205. toto §. p. 371

Iuſtitia.

Auget pricinpem obſeruata iuſtitia. c. 20. n. 11. pag. 484

Raro iuſta cauſa à pluribus, & iniqua defenditur à paucioribus. c. 20. num. 210. toto §. pagina 547

Iuſtus.

Deus iuſtus ſeueriùs educat. c. 15. n. 95. p. 31

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam, ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam. c. 16. num. 232. toto §. p. 208.

Nihil iuſti adeo graue, vt diuinam intueri offenſam, auribus percipere iniuriam. c. 16. numero 244. toto §. p. 211

Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur. c. 16. n. 307. toto §. p. 232

Iuſtis ac pauperibus benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere. c. 17. n. 234. toto §. pag. 302

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate fœlicitas. cap. 18. num. 201. toto §. pag. 370

Iuſtis omni parte, dum viuit ſolet arctari; ſed iniquus, dum moritur, premi c. 18. num. 217. toto §. p. 375

Diſplicebit, ſi tota ſimul, peccatoris fortuna, iuſti placebit, ni per partes fuerit inſpecta. c. 18 num. 221. toto §. p. 376

Soli iuſti nomen habent. capite 18. num. 227. pagina 378

Iuſtorum conſortium ad virtutem eſt incitamentum. c. 18. n. 233. p. 380.

Digitized by Google

Iuuentus.

Iuuenes oblectationis ſæpè cauſa peregrinantur; ſed peregrinati variis periculis irretiuntur. c.16. n.111. toto §. p.170
Si Iuuenis cum Iuuene commoretur, ad flagitia ſæpè inſtigatur. c.17. numero 219. toto §. pag. 297
Honorabilis ſenectutis eſt proprium Iuuenes frænare, & vel aſpectu componere: c.19. n.191. toto § p.451
Conſanguinitatis, amicitiæque vinculum impedire ſolet iuſtitiam, dum reorum protegit cauſam. c.21. n.9. toto §. p.562
Matronas dedecet puellarum luſibus ſe immiſcere, & propriis Iuuentutis feſtiuitatibus ſe aſſociare. c.21. numero 196. toto paragrapho pag.632

L

Labor.

EXultat charitas, ſi propriis Laboribus alienis obuiarit calamitatibus. c.15. n.303. toto §. pag.98
Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes. c.15. n.359. toto §. p.111
Inſtar miraculi eſt, ſi iterum ſeruiat, qui Laborum præmium repulſum tulit. c.15. n.571. toto §. p.122
Omnes Labores leues videntur, ſi pro amore ſubeantur. c.16. numero 57. toto paragrapho p.152
Ingentium Laborum merces eſſe ſolet merum figmentum. c.17. numero 125. toto paragrapho p.170
Grauis Labor pro caducis videtur exiguus; exiguus pro æternis magnus. c.18. n.38. toto §. pag. 322
Bonus Reipublicæ miniſter nulli parcet labori, vt omnium prouideat vtilitati. c.18. num.57. toto §. p.328
Labor ingratas facit dignitates. c.18. num.261. pag.388
Non eſt muneris Labor excuſandus, etſi Laboris fructus non expectetur metendus. c.19. n.223. toto § p.460
Eximia fortitudo non ſolùm pro virtute pugnat; ſed Labores ob certamen etiam tolerat. c.20. n.143. toto §. p.514
Nonnulli cupiunt faſtigium dignitatis inſcendere, non tamen vigilias ac labores ſubire. c.20. n.118. toto §. p.515
Nullum Laborem excuſant à Deo delegati, vt proximorum conſuluerint ſaluti. c.21. n.148. toto §. p.613

Lachrymæ.

Nonnulli quæ cupiere, deplorant. c.15. n.168. pag.66
Vehem[illegible]s dolor totum animum ad ſe rapit, nec Lachrymas, aut verba permittit. c.15. n.173. toto §. p.475

Lætitia.

Mundialia connubia à Lætitia ſolent incipere; ſed luctum non ſemel parere. c.21. num.187. toto § p.629

Laſciuia.

Laſciuis ferè ſemper familiaria commenta, & amica ſemper mendacia. c.16. n.129. toto §. pag.348

Laus.

Quiſque ſe innocentem dicit, cùm ſe nullus poſſit abſoluere. c.15. n.221. p.71
Voluptas Laudatores habet. c.17. numero 41. pag. 246
Nobilitas gratiſſima eſt, ſi ore referatur alieno. n.17. n.141. p.275
Plus curant homines deprædicari nominum linguis, quàm implere honeſtis factis. cap.18. n.226. toto §. p.378
Dei debent dilaudari iudicia, quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa. c.20. n.174. toto §. pag. 517

Lenitas.

Superior magnitudini ſuæ non detrahit, ſi cum poſſit ſtomachari, officiis ſubditum curat delinire. c.15. n.13. toto §. p.6
Prælatus, ſi blando non proficiat delinimento, ſine querela vtetur pulueris mordentis auxilio. c.15. n.213. toto §. p.68

Lex.

Nonnulli dum violatâ fœdantur lege, ſibi blandiuntur aliqua adhibita deuotione. c.15. n.99. toto paragrapho p.32
Diuitiæ legem oppugnant. c.18. n.189 p.366
Lex mortalium, & immortalium rex eſt. c.20. n.50. p.494
Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit, deteſtanda, quam ſolus furor inducit. c.20. n.36. toto §. p.490
Grauiori pœna plectendus, qui legibus deliquerit informatus. c.20. num.50. toto paragrapho pag. 494
Grauius legibus aliquando periculum, quàm à violatore, à iudice. c.21. n.168. toto paragrapho p.621
Si iudex alicui parti inclinetur, in eius commodum leges facillimè interpretatur. c.21 n.180. toto paragrapho p.626

Liberalitas.

Pauper ſubuenit ſæpè ſæpiùs generoſus, diues manum comprimit auarus. c.19. n.168. toto paragrapho p 444
Nonnulli inueniuntur de alienis generoſi, de propriis parci. c.21. num. 152. toto paragrapho pag. 614

Libertas.

Poſt tergum ſæculi [illegible], & honores proijciat, qui

qui veram conſequi libertatem anhelat, c.16. n.94.toto paragrapho,p.164
Glorioſius principis epitaphium hoſtis deuictus, & ſubditus in libertatem aſſertus,c.16.n.304 toto paragrapho, p.231
Nil tam incommodum, quàm ſine honeſta ſubiectione vagari:nil tam commodum,quam ſuperiorem virtutibus exornatum ſortiri, c.18. n.16.toto §.p.316
Deo parere vera eſt libertas; imò & inconcuſſa felicitas,c.20.n.171.toto paragrapho,p.533

Libido.

Præceps & exoculata libido per honoris contemptum contendit ad voluptatis illicium, c. 15. n.37.toto paragrapho, p.13
Qui libidini addictus, ad imminens periculum probatur improuidus,c.15.n.181.toto paragrapho, p.57
Ab vxorio ac libidini dedito nihil ſperauerit forte,nihil magnum,c.16.n.204.toto paragrapho p.198
Libidini traditus tractandæ Reipublicæ ineptus c.16.n.206.p.199
Profuſior libido impietatis amica,& religioni ſæpiſſimè aduerſa.c.17.n.115.toto paragrapho p.267

Vide *Luxuria.*

Lingua.

Nil fœminæ adeò curandum,vt ſuſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam, cap.19. numero 37.toto paragrapho, p.405

Locus.

Parum prodeſt ab aliquo loco fuga, ſi fugienti inhæſerit cauſa,c.15. n.208. toto paragrapho p.66
Parum intereſt loca mutare, ſi te tecum ſemper contingat deferre, c.16. n.106. toto paragrapho,p.168

Lucrum.

Vitium leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittit;ſed leui lucro damnum grauiſſimum affert, cap.16. numero 115.toto paragrapho, p.174
Officia in fœminarum gratiam dilargita illis afferunt lucrum, ſed dilargientibus probrum, c.16.n.192.toto §.p.195
Quidquid cupiditati, & errori impenſum habetur lucrum,cum non ſemel in vſus debitos diſtributum,exiſtimatur diſpendium,c.17.n.22. toto paragrapho,p.240
Iuſtis ac pauperibus benefacere eſt ingentiſſimum ſibi lucrum acquirere, c.17. n. 234. toto §.p.302

Luſus.

Matronas dedecet puellarum luſibus ſe immiſcere, & propriis iuuentutis feſtiuitatibus ſe aſſociare,c.21.n.196. toto §.p.632

Lux.

Cupiditas ambitioque mentem obtenebrant, & cæleſtem lucem fugant, c.19. n.119. toto §. p.431

Luxuria.

Qui carnis gerit negotium,grande luci, prudentiæque oppoſuit impedimentum,c.15.n.104. toto paragrapho, p.33
Sic omnia luxuria infecit, vt omnes pudoris terminos tranſiluerit, c.16. numero 38. toto §. p.146
Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia, c.16.n 89.toto §.p.163
Luxuria ſic dementat homines, vt pericula, & imminentem mortem contemnant, non magnanimi,ſed deliri,c.16. n.158. toto paragrapho, p.183
Luxuria blandum malum, cap.17.numero 115. p.267

Vide *Libido.*

M

Macies.

FRequentior ex cruditatibus, quàm ex fame macies eſt,c.19.num.93.toto paragrapho, p.423

Magnates.

Non ſemel iudex,vt aduletur magnatibus, infirmioris obſurdeſcit rationibus,c.15.n.290. toto §.p.94
Fœminæ ſuperbiunt, ſeque iactant, ſi ſe à magnatibus amatas videant, c. 16. n.33. toto §. p.145
Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari, c. 16. n.270.toto §.p.219
Magnatesin omnia vitia impunè aſpicies proruere,de diuitiarumque priuilegiò illis peccata licere, cap. 17.n.19.toto §.p.239
Magnatum facta omnium oculis expoſita, c.18. n.146.p.454

Magnitudo.

In prælato lenitas non eſt magnitudini inimica, c.15.n.13.toto §.p.6

Maledictio.

Maledictio eſt timenda vt calamitatis illicium, benedictio procuranda,vt fortunæ promptuarium,c.17.n.55.toto §. p.243

Malitia.

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum occaſiones, c.21. num.201. toto §. p.634

Digitized by Google

Manus.

Conſilium manus ſuperat, cap.18. n. 137. pagina 351

Maria ſanctiſſima.

Prouida ſingularitate debuit gaudere, vt quam Domino conſtitit dedicari, c.17. n.39. toto §. p.145

Si Mariæ ſacratiſſimæ adſit præſentia, iam hominis temperatur calamitas; imò & arridet felicitas, cap. 20. numero 163. toto §. pagina 530.

Maritus.

Maritus vxoris pudicitiæ conſulens, dum interuallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior, c.15. num.173. toto paragrapho p.54

Materia.

De inhabilitate materiæ artificis cumulatior lucet peritia, cap. 15. n. 332. toto paragrapho p.108

Matrimonium.

Infortunata eſſe ſolent matrimonia ob cupiditatem inita, felicia ob virtutem procurata, c.15. n.65. p.23

Matrimonium patientiæ non ſemel præbet materiam, & ideo magnam exigit tolerantiam, c.19. n.46. p.408

Vide *Coniugium*, *Connubium*.

Matrona.

Matronas dedecet puellarum luſibus ſe immiſcere, & propriis iuuentutis feſtiuitatibus ſe aſſociare, cap. 21. numero 196. toto §. pagina 632

Medicina.

Sine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius auxilio facilè aſciſcitur medicina, c.15. n.396. toto §. p.130

Ipſo remedio ſæpiſſimè laboratur, & optimis medicinis morbus, quia adulteratæ, adaugetur. c.17. n.146. toto §. p.276

Memoria.

Vtilem Dei memoriam affert calamitas, periculoſam obliuionem proſperitas, c.15. n.154 toto §. p.49

Aliorum ingloria memoriâ permanent fixa, glorioſa faciliùs obliuione deleta, c.19. n.219. toto §. p.459

Mendacium.

Iota nobis vita mentitur, cap.15. numero 145. p.46

Nonnulli quæ cupiere, deplorant, c.15. n.208. p.66

Laſciuis ferè ſemper familiaria commenta, & amica ſemper mendacia, c.16. n.129. toto §. p.175

Miſeri mortales ingenti pretio emere ſolent mendacia, & pro ingentium laborum mercede inuenire figmenta, c.17. n.125. toto paragrapho p.270

Dæmon proferre affectat oracula, vt nocentiſſima inferere valeat commenta, c.18. n.105. toto §. p.340

Mens.

Bonarum mentium eſt à culpis proſus abſtinere, & ſe ac ſi delinquant, punire, c.20. n.148. toto §. p.525

Meritum.

Immeritum erigere ad alta eſt maturare ei præcipitia, cap.18. numero 128. pagina 348

Plures conſtat præmium accipere, quam mereri, c.15. n.356. n.117

Immeritæ dignitati exaugurationis imminet nota, & exauthorationis materia, c.17. n.170. toto §. p.283

Modeſti, ſi qua felicitate fruantur, non propriis, ſed meritis adſcribunt alienis, c.17. n.263. toto §. p.310

Metus.

Ea eſt hominum amentia, vt quo infirmioris metum excutiant, indignationi ſe potentioris exponant, c.15. n.269. toto §. p.86

Miles.

A quo laudabiliter militia peragitur, nullatenus princeps remunerare cunctetur, c.15. n.356. toto §. p.116

Miles non ſemel deprædatur ciues, antequam inuſerit hoſtes, cap. 18. numero 157. toto §. p.357

Immetata indigeſtaque militum multitudo minùs metuenda hoſti, & plus inuenitur extimeſcenda ducenti, c.20. n. numero 105. toto §. p.511

Miniſter.

Bonus Reipublicæ miniſter curabit muneris obligationem implere; ſed ad nocendum non ampliare, c.16. n.59. toto §. p.153

Improbis miniſtris finem rapiendi fecit omnia rapuiſſe, c.16. n.62. p.154

Si miniſtro adhærentes citò ac præter opinionem diteſcant, eius obſcurabunt famam, & imminuent etiam fortunam, c.16. numero 216 toto §. p.202

Dei miniſtri munus exercent ignauè, miniſtri ſæculi ſtudioſiſſimè, c.18. numero 265. toto §. p.389

Miniſtri à Republica electi non ſemel ſibi prius conſulunt, generalitati poſteà proſpiciunt, capite 18. numero 49. toto paragrapho pagina 325

Bonus

Digitized by Google

Bonus Reipublicæ miniſter nulli parcet labori vt omnium prouideat vtilitati,c.18.n.57.toto §.p.328
Inferiores miniſtri nequibunt, quæ ſunt ſui muneris,adimplere, ni auxilium excellentiores ad laborarint præſtare, c. 24. num. 175. toto §. p.534
Iure ſuſtinet pœnæ tormentum, qui æquitatis miniſtris præſtare renuit auxilium,c.21.n.81. toto §.p.588
Non punientur ſcelesti, ſi miniſtri tribunalium cupiditate corrupti, c. 21. num. 94. toto §. p.593
Quæuis principũ decreta à miniſtris exactiſſimè adimplentur,diuina ſatis frequenter violantur, c.21.n.101.toto §.p.596

Miniſterium.

Nonnulli vt aliorum deliro adulentur voto, viliſſimo ſe ſordidant miniſterio, c.15.n.286. toto §.p 93

Miſeria.

Diuitiæ miſerias non exterminant, ſed mutant, c.16.n.94.p.164
Inauſpicata eſt, ſi contingat peccatori fortuna: auſpicatior, ſi diuexarit miſeria, c. 17. n.240. toto §.p.303
Infelix augurium eſt nulla diuexari miſeria; & læta ſemper vti fortuna, c.18. n.141. toto §. p.352
Miſerum eſt in miſeria felicem agere,c.18.n.171. toto §. p.361
Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere, miſerrimum ſi non liceat dolorem euaporare, c.18. n.171. toto §. ibid.
Deo priuatus etſi diuitiis exundet, miſerrimus ſordet, & nudus, c. 18. n. 188. toto §. pagina 366
Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detractat cum ſceleribus bellum gerere, c.21. n.57. toto §.p.579

Miſericordia.

Ea eſt peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam, c.17.n.259.toto §.p.308

Modeſtia.

Modeſti, ſi qua felicitate fruantur, non propriis, ſed meritis adſcribunt alienis, c.17.n.263. toto §.310

Modus.

Non ſemel in operando modus, aut allectat ad gratiam, aut exaſperat ad iram, c. 21. n. 211. toto §.p.637

Monialis.

Qui ſponſam à præſtita Chriſto fide ſeparat, ſupplicium grauiſſimum timeat, c.15.n.177. toto §.p.56

Morbus.

Fratrum morbis vt propriis medendum, c. 15. n.339.p.111
Ipſo remedio ſæpiſſimè laboratur, & morbus optimis medicinis, quia adulteratæ, adaugetur, c.17.n.146.toto §. p.276

Mores.

Mores oportet corrigere, non loca mutare, c.16. n.106.p.168
Glorioſius ſepulchrum, quod moribus, non ſubſtructionibus commendatur, c.16. num.304. p.231
Filij quodammodò ſugunt peruerſos parentum mores, vt eximias etiam virtutes, c.17.n.31.toto §. p.242
Superioris præſentia mores informat, vitiaque exarmat, cap. 18. numero 34. toto §. pagina 321
Ingens generi dedecus, ſi ab honeſtis filius degenerarit parentum moribus,c.18.n.250.toto §. p.385
Solum cum nobilibus ſunt expetenda connubia, cum morum relucet gratia,c.21.n.13. toto §. p.564

Mors.

Ingenuo viro non eſt adeò acerbum mori, vt contemptui, irriſionique haberi, c.16.n.64.toto §.p.154
Sic homines dementat luxuria, vt pericula & imminentem mortem contemnant non magnanimi; ſed deliri, c.16. num.158. toto §. pagina 183
Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi, cap. 16. n.290.toto §.p.226
Honeſtam mortem vir fortis non odit, vitam ærumnoſam non fugit, c. 16. n. 301. toto §. p.230
Ærumnæ iuſtorum poſt mortem honoribus compenſantur; peccatorum gaudia lamentis, & inhonoratione ſoluuntur, c. 16. n.307. toto §. p.232
Plures ignauè fugiendo mortem incurrerunt, honeſtè contemnendo fugarunt, c.21.n.85.toto § p.590
Senectus, quia morti propinquior, ad virtutes inuolare debet celerior, c.19. num. 196. toto §. p.452
Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari; ſed iniquus, dum moritur, premi, c.18.n.217. toto paragrapho p.375
Horrendum eſt inopinè inter illecebras rapi, & inter delicias mori, c.19. n.252. toto paragrapho, p.469
Nemo grauius moritur, quàm qui peccato viuit, c.20.n.140. p.523
Peccator etſi inſtante morte ſuſpirarit ſalutis profugium, ſolet non inuenire remedium, c.20. n.103.toto paragrapho, p.544

Mulier.

Pecunia principũmq; amicitia ſunt muliercularũ incantaméta, & ad eas corrũpendas validiſſima oſcilla

Digitized by Google

oſcilla, cap. 16. numero 159. toto §. pagina 178
Sordidarum muliercularum domus ſunt inſidiarum emporia, & inopinatum cladium theatra, c.16.n.162.toto §.p.185
Nullum malum dirius muliere, c.16.n.171.pagina 187
Quæ nulla indagari poſſunt induſtria, per muliercalas produntur, & indagantur ſecreta, c.16.n.178.toto §.p.190
Vna mulier, ſi fraudulenta, pro multis hoſtibus valet ad vires euertendas, & calamitates homini conciliandas, c.16.n.219.toto §. pagina 203
Arma mulierum execrationes ſunt, c.17.num.35. p.244
Mulier mariti eſt infortunium, ſi frequenter adeat publicum, cap. 21. numero 187. pagina 629

Multitudo.

Indigeſta militum multitudo minùs metuenda hoſti, & plus extimeſcenda ducenti, c.20.n.105. toto §.p.511

Mundus.

Mundi felicitas perſonata eſt, cap.18.num.204. p.371

Munificentia.

Deus vel exiguo etiam obſequio ad munificentiam allicitur, c.17.num. 233. toto §. pagina 301

Munus.

Bonus Reip. miniſter curabit muneris obligatione implere; ſed ad nocendum non ampliare, c.16.n.59.toto §.p.153
Munia, officiane in fœminarum gratiam dilargita illis afferunt lucrum; ſed dilargientibus probrum c.16.n.192.toto §.p.195.
Munus ſordeſcit, vbi gerens ſine patrimonio ornatior & comptior lucet, c.17.n.137.toto §. p.274
Munus ritè exequens præmitur frequenter inopia; diteſcit, qui adulterat, abundantia, c.17. n.155.toto §.p.278
Munus, ſi venalitium, aut emptitium ſit, in æquitatem armatus, & impietatem tuetur, c.17.n. 167.toto §.p.282
Sæpè contingit munus peruerti, & ſtipendio honoratum delargientis eſſe inimicum, c.17.n. 205.toto §.p.293
Dei miniſtri munus exercent ignauè; miniſtri ſæculi ſtudioſiſſimè, c.18.num.265.toto §. pagina 389
Non eſt muneris labor excuſandus, etſi laboris fructus non expectetur metendus, c.19.n.223. toto §.p.460

N

Natura.

CVpiditas naturæ non ſemel leges ignorat, c. 15.n.351.toto §.p.115
Natura ſine diſciplina manca eſt, cap.19.n.181. p.448

Naufragium.

Miſerum eſt ipſo in virtutis portu, cæco diſperire naufragio, cap. 17. numero 185. toto §. p.288

Neceſſitas.

Quos liberius appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur, c.15.n. 280.toto §.p.90
Si deſit neceſſitas, quod colebatur, proiicitur, obliuionique traditur, cap. 15. num. 384. toto §. p.126
Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores leuandæ principis neceſſitati tributum pendant, & debiliores non ſoluant, cap.15. numero 401. toto §. p.132
Nonnulli volunt ſibi opem in neceſſitatibus ferri, detrectant tamen præſtare, c.21.n.97.toto §. p.194

Negligentia.

Negligentia non ſolum eſt egregiis facinoribus detergenda; ſed eximiis virtutibus compenſanda; capite 18. numero 21. toto §. pagina 318

Nobilitas.

Nonnulli importunè, opportuneque ſuam nobilitatem oſtentant, & ſplendorem ſanguinis iactant, c.17.n.141.toto §.p.275
Nobilitas gratiſſima eſt, ſi ore referatur alieno, c.17.n.141.ibid.
Ignobilis eſt vitiorum vernula, licet nobili exortus proſapia, cap. 18. num. 216. pagina 378
Solùm cum nobilibus ſunt expetenda connubia, cùm morum relucet gratia, c.21. n.13.toto §. p.564
Qui depræliari refugit contra vitia, obſcurauit nobilitatis ſtemmata, & obliterauit auita nomina, c.21.n.73.toto §. p.585

Nocere.

Vel reculæ grauiſſimum detrimentum afferent, ſi plurimæ ad nocendum conuenerint, c. 15. n.217.toto §.p.69

Nomen.

Plus curant homines, quam implere honeſtis factis, deprædicari nominum linguis, c.18.n.226. toto §.p.378.
Soli iuſti nomen habent, c.18.n.227.p.378
Dei nominis inuocatio calamitatis remedium, & felicitatis illicium, c.21.n.29.toto §. p.570
Nomina non tam clareſcunt de maiorum poſterorumve nobilitate, quam de poſſeſſionum, diuitiarumque ſplendore, c.21. num.89. toto §. p.589

Digitized by Google

Nuptiæ.

Honor nuptiarum fœcunditas, origo fœcunditatis eſt caſtitas. cap.21. numero 191. toto paragrapho p.630

Nutrire.

Quæ à nobis imprudenter Nutrita, iuſtè in nos conuertere ſolent arma. c.15.n.231. toto paragrapho p.74

O

Obedientia.

Homo dæmone peior turpiſſimè obſecundat, vt pereat. c.15.n.275. toto paragrapho pag.89

Quæuis principum decreta à miniſtris exactiſſimè adimplentur, diuina ſatis frequenter violantur. cap. 21.numero 101. toto paragrapho pag. 596

Renuntiare aliquando commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis eſt non ſolum virtutis lucrum; ſed felicitatis augmentum. c.21.n.131. toto paragrapho p.606

Facilè impletur obedientia nobis iucunda, non adeo facile amara. c.21. numero 143. toto §. pag.611

Deo prorſus parere vera eſt libertas; imò & inconcuſſa felicitas. cap.20. num. 171. toto paragrapho p.622

Oblectatio.

Periculoſum eſt templa profanare, & deuotionem Oblectamentis miſcere. cap.16. n.286. toto paragrapho p.224

Obligatio.

Bonus Reipublicæ miniſter curabit muneris obligationem implere; ſed ad nocendum non ampliare. c.16.n.59. toto §.p.153

Obligatio rarius extorquet obſequium, quàm vtilitas, aut appetitus. cap. 15. numero 23. toto paragrapho p.9

Obliuio.

Aliorum in gloria memoriâ permanent fixa, glorioſa faciliùs Obliuione deleta. c.19. n.119. toto paragrapho p.459

Si deſit dependentia aut neceſſitas, quod colebatur, proijcitur, Obliuionique traditur. c.15. n.184. toto §.p.126

Obſequium.

Nonnulli vel fictis offenſionibus irritantur; ſed obſequiis veris non demerentur. c.15.n.248. toto paragrapho p.80

Obſequium Deo exhibendum non eſt ante executionem impudenter publicandum. cap.17. n.71. toto paragrapho p.254

Deus vel exiguo etiam obſequio allicitur ad munificentiam, & magnis ſæpè offenſionibus prouocatus continet iram.c.17. numero 223. toto paragrapho pagina 248

Felicior eſt, qui ruit in rationis obſequium; quam qui vincit ad criminis patrocinium. c. 20.n.140.toto §.p.523

Obſequia rarius ab obligatione exhorta, quam ab appetitu, aut vtilitate profecta. c.15.n.23. toto §.p.9

Mirum eſt ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat Obſequia, quàm ſpes exhibuerit officia. c.21.n.49. toto §.p.577

Occaſio.

Non ſemel parentes filiabus Occaſiones concinnauerunt erroris, & impedierunt ſalutis. c.15. n.88. toto §.p.29

Magna vxori errandi Occaſio præſtantur, ſeſe deſpici à marito arbitretur. c.15. n.169. toto §.pag.53

Peccandi anteuertimus Occaſiones, & maturamus nobis calamitates. cap.15. numero 316. pag.103

Occaſio Circes ad inſtar ingenia mutat.: qui ante certamen ſibi promittebat victoriam, in campo oſtendit ignauiam.c.15. num.321.toto §.pag.104

Peccatum, ne properantem ſalutis Occaſionem rapiat, peccatorem quodammodò illigat.c.15. n.360. toto §.p.118

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum Occaſiones.cap.17. num.46. toto §. pag.247

Sunt qui ſubiectorum diſſimulent prauitatem, quia ipſis ad delinquendum concinnauere Occaſionem. c.17. n.91. toto §.p.260

Deo ſacratis non ſolùm culpa fugienda; ſed culpæ etiam proximitas declinanda. c.19.n.138. toto §.p.437

Sanctorum feſtiuitates vertere ſolet malitia in criminum Occaſiones. cap. 21. n.201. toto §. pag. 634

Mundi tenebræ corda excæcant, etſi oculos videre permittant. cap.16. n.244. p.211

Magnatum facta omnium oculis expoſita. c.18. n.146. p.354

Odium.

Sic iudex omnem querelam ſubmoueat, vt nihile vis tribuatur odio; ſed cauſæ merito. c.15. n.283. toto §.p.91

Offenſa.

Nonnulli vel fictis Offenſionibus irritantur; ſed Obſequiis veris non demerentur. c.15.n.248. toto §.p.80

Minus tibi timendum ab eo, quem hoſtiliter offendis, quàm ab eo, cuius cauſa delinquit. c. 16.n.188. toto §.p.193

Nil iuſtis adeo graue, vt diuinam intueri Offenſam, & auribus percipere iniuriam. cap.16. n.244. toto §.p.211

Auferre nititur vitam, qui ad Dei trahere molitur Offenſam. c.20.n.45. toto §.p.493

Officium.

Munia officiave in fœminarum gratiam delargita illis afferunt lucrum; ſed dilargientibus pro-

Digitized by Google

brum. cap. 16. numero 192. toto §.pag. 195.
Officia exigit populus ab eo, quem ad dignitatem euexit. c.17. n.151. p.277

Onus.

Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia. c.16. n.89. toto §.p.163
Coniugium affert ſecum carnis tribulationem, & oneris grauitatem. cap.16. num.98. toto §. pag.166
Onera ferente maiora opprimunt. c.16.n.294. pag. 227

Opera.

Non ſemel quæ in aliis auerſamur, exequimur. c.15. n.221. toto §.p.71
Negligentia non ſolum eſt egregiis facinoribus deterenda, ſed eximiis virtutibus compenſanda. c.18. n 21. toto §.p.318
Plus curant homines, quàm implere honeſtis factis deprædicari nominum linguis. cap. 18. n.216. p.378

Opinio.

Rarus eſt, qui non amplectatur opinionem appetitui fauentem, & delitiis patrocinantem. c.15. n.150. toto §.p.48

Oraculum.

Dæmon proferre affectat oracula, vt nocentiſſima inferre valeat commenta. cap.18. n.103. toto paragrapho p.340
Nonnulli ipſa figmenta dicendi modo venditauerunt oracula. cap.18. numero 113. toto §. pag.343

Oratio.

Sine orationis ſuffragio tardat calamitatis medela, eius auxilio facilè aſciſcitur medicina. c.15. n.396. toto §.p.130
Oratio vultus animæ eſt. cap.18. numero 43. pag.324
Sacerdos vt viam laicorum poſſit dirigere cæleſtibus ſtuduerit vacare. cap.18. numero 78. toto paragrapho p.334
Deus non eſt, qui anxiis non valuit clamoribus reuocari, & violenter potuit auferri. cap.18. n.192. toto §.p.367
Bellum à precationibus eſt incipiendum, & placato priùs numine eſt adornandum. cap. 20. n.20. toto §.p.485
Felicior eſt inter acceptas plagas oratione protectus, quàm inter victorias precibus nudus. c.20. num.298. toto §.p.542

Ornatus.

Munus ſordeſcit, vbi gerens ſine patrimonio ornatior & comptior lucet. cap.17. num.137. toto paragrapho p.274
In regum ornatu peccare quodamodò ſacrilegium eſt. c.18. n.265. p.389
Ornatus fœminæ caſtitatis hoſtis eſt. cap. 19. n.230. p.463

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet. c.21. num.164. toto §.p.619

P

Parentes.

Non ſemel Parentes filiabus occaſiones concinnauerunt erroris, & impedierunt ſalutis. c.15.n.88.toto §.p.29
Filij quodammodò fugunt peruerſos parentum mores, vt eximias etiam virtutes. c.17. n.31. toto paragrapho p.242
Filij execranda fouent parentum vota, & operas ſuas conferunt ad improba deſideria. cap. 17. n.42. toto §.p.246
A parentibus filij non ſemel prauitatem edocentur, & ad delicta inſtigantur. c.17. num.65. toto paragrapho p.252
Diſcant Parentes cognatique concordiam inter coniuges fouere; & lites non ſeminare. c.19. n.87. toto §.p.420
Sibi Parentes imputent filiorum caſus, ſi laſciuire permittant, nec vtili auſteritate cuſtodiant. c.21. n.189. toto §.p.629

Paſtor.

A Deo quodammodò ob ipſum Deum oportet animarum miniſtrum aliquando recedere, vt ſibi commiſſos ad virtutem curet reducere. c.19. n.129. toto §.p.434

Patientia.

Matrimonium Patientiæ non ſemel præbet materiam & ideò magnam exigit tolerantiam. c.19.n.46. toto §.p.408
Vera patientia alienos defectus portat, & dum portat, proximum amat. cap.19. n.67. toto §. pag.415
Inueniuntur plures laudabilis tolerantiæ expertes, & patientiæ indignæ conſortes. cap. 19. n.71. toto §.p.416
In grauiſſimas difficultates ſolet incidere, qui leues Patientiæ occaſiones detrectauerit ſuſtinere. cap. 19. numero 235. toto paragrapho pag.464
Prudentis eſt calamitatem Patienter ferre, & propriis culpis adſcribere. cap. 21. num. 139. toto §.p.609

Patria.

Patriæ, conterraneoque Peculiatis debetur affectus, ſi vagetur peregrinus. c.19. n.124. toto §.p.433

Patrocinium.

Felicior eſt qui ruit in rationis obſequium, quanqui vincit ad criminis patrocinium. c.20. num. 140. toto §.p.513

Patronus.

Virtus ſingularem aliquando patronum, voluptas copioſum ſortitur contra virtutem tutelarium exercitium. c.19.n.177. toto §.p.447

Digitized by Google

Paupertas, Pauper.

Non ſemel iudex, vt adulетur potentibus, pauperis obſurdeſcit rationibus. c. 15. num. 290. toto §.p.94

Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores Principi tributum pendant, debiliores non ſoluant. cap. 15. n.401. toto §.p.132

Frugalitas in diuitias ipſam paupertatem conuertit. c.16. n.273. p.220

Malè in Rempublicam, æquitatemquè auguratur poteſtas, ſi paupertate preſſa, aut vrgenti aliqua neceſſitate grauata. c.17. n.177. toto paragrapho p.285

Iuſtis ac Pauperibus benefacere eſt ingentiſſimi ſibi lucrum acquirere. c.17. n. 234. toto §. pag.302

Qui debitas altari non ſoluit decimas, paupertatis ſibi maturabit ærumnas. c. 18. n.29. toto paragrapho p.320

Honeſtum erubeſcimus pauperiem, & iactamus diuitiarum ſordidam facultatem. c.18. n.70. toto §.p.331

Pauper ſubuenit ſæpè ſæpiùs generoſus, diues manum comprimit auarus. c.19. n.168. toto paragrapho p.444

Exhibitum indigenti ſubſidium eſt præbentis amplum commodum, ſecurumquè propugnaculum. cap.19. num.173. toto paragrapho pag.446

Nullus egentem videt, vt ſubueniat; ſed habentem nullus non videt, vt quid auferat. c.19. n.214. toto §.p.458

Pax.

Ad turbandum coniugum pacem nunquam deſunt ſcandala, & concordiæ impedimenta. c.19.n.14. toto paragrapho p.397

Peccator, Peccatum.

Amicitiæ Deus oſtendit deſiderium, dum exprobrat delinquenti Peccatum. c.15. n.18. toto paragrapho p.7

Peccatores non adlaborant timoris cauſas ſeponere; ſed adnituntur ſopire. c.15. n.70. toto paragrapho p.24

Peccatori aliquando eſt felicitas, ſecuritas nunquam. c.15. n.7[illegible]. ibidem

Ea nonnulli peccant impudentia, ac ſi licerent delicta. cap. 15. numero 75. toto paragrapho pag.25

Ea eſt peccatoris amentia, vt nouas timoris cauſas adlaboret incrementare, dum timorem geſtit depellere. cap.15.n.91. toto paragrapho pag.30

Grande beneficium eſt Peccatorem calamitatibus premi, ſupplicium grande proſperitatibus fortunari. cap. 15. numero 95. toto paragrapho p.31

Grauius eſt Peccatum excuſare, aut defendere, quam committere. c.15. numero 109. toto paragrapho p.35

Suſpicio ius Peccandi facit. c.15. numero 128. pag.41

In eas ſe conijcit Peccator anguſtias, vt ambiguus ab vtraque parte cogatur inextricabiles ſuſtinere miſerias. c.15. n.138. toto §. p.44

Peccatis prudens accelerenda eſt correctio. c.15. n.177. p.56

Is Peccandi eſt furor, vt celeres anteuertamus occaſiones, & maturemus nobis calamitates. c.15. n.316. toto paragrapho p.103

Qui aliquando tempus profudit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidus. c.15. n.328. toto §.p.107

Peccatum rigorem expectorat, & ne properantem ſalutis rapiat occaſionem, Peccatorem quodammodò illigat. c.15. numero.360. toto §.pag.118

Peccata, ſi publicè perpetrentur, inſtar inundationis ſunt. c.16.n.41. p.147

Peccator ſuis culpis aduerſario vires refundit, quibus proſtratus miſerabiliter perit. c. 16. n.42. toto §.p.148.

Mira eſt peccatoris ſocordia, periculis dormit cinctus, vt munitionibus quiret vallatus. c.16. n.85. toto §.p.162

Peccator dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati ſæpè inuenitur proximior. c.16.num. 181. toto §.p.191

Ibi Peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem. c.16. n.199. toto §.p.197

Qui à Deo recedit, cæcitatem, & calamitatem incurrit. c.16.n.237. toto §.p.209

Ibi peccator luctuoſiſſimam patitur calamitatem, vbi irriſione affectat de honeſtare virtutem. c.16. n.262. toto §.p.217

Peccatorum gaudia poſt mortem lamentis, & inhonoratione ſoluuntur. c.16.n.307. toto §. pag.232

Diuites magnateſque de diuitiarum priuilegio impunè videas in Peccata proruere, illiſque licere. c.17. n.19. toto §.p.239

Inauſpicata eſt, ſi contingat Peccatori fortuna; auſpicatior, ſi diuexarit miſeria. c.17.n.240. toto §.p.303

Ea eſt Peccatoris cæcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promittat ſibi miſericordiam. c.17. numero 259. toto paragrapho pag.308

Peccatores etiam calamitatibus diuexati, ne reſiliant ab erroribus, confictis ſibi blandiuntur ſpebus. c.18. n.25. toto §.p.319

Falsò exiſtimata ſecuritas grauior Peccatoris calamitas. c.18. n.117. toto §.p.345

Quo maior Peccatori arridet felicitas, eo proximior imminere ſolet calamitas. c.18.n.121. toto §.p.346

Sunt qui ſpecioſo correctionis titulo rapiant, & inuideant aliis Peccata. c.18.numero 161.toto §.pag. 358.

Diſplicebit, ſi tota ſimul, Peccatoris fortuna; iuſti placebit, ni per partes fuerit inſpecta. c.18. n.221. toto §.p.376

Vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, & inaurat ſæpè Peccatum. c.18. numero 270. toto §. pag.391

Bonus ſuperior curet pluſquam Peccatorem punire, Peccatum tollere. c.19. num.53. toto §. pag.411

In hac vita Peccatorum pœnas ſoluere, eſt ingens beneficium, & ſæpè virtutis præmium. c.20. n.128. toto §.p.518

Peccator quo paſſu deterior, & infeliciter degit ſecurior. c.19. numero 209. toto paragrapho pag. 456

Digitized by Google

Peccator videt imminere ſibi periculum, & tamen deuorat, ne deliquerit Peccatum. c.20. n.32.toto §.p.489

Noſtra delicta cæcis oculis prætermus, in aliena Peccata ardenter inuehimur. c.20.num.20. toto §.p.498

Nullus inuenitur, qui ſe poſſit abſoluere. c.20. n.65. p.498

Peccator fit inſolentior, dum culpis inuenitur obſcurior. c.20. numero 69. toto paragrapho pag.499

Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur, & timoribus abigitur. c.20. n.73. toto §.p.500

Nemo grauiùs moritur, quàm qui Peccato viuit. c.20. n.140. p.523

Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam. c.20. n.152. toto §.527

Peccator, tum cæcior ſibi promittit felicitatem cùm inſidiis impetitus, & calamitati iam traditus. cap.20. numero 184. toto paragrapho. pag.538

Pecator, etſi inſtante morte ſalutis ſuſpirarit profugium, ſolet non inuenire remedium. c.20. n.203. toto §.p.544

Non ſemel dum punitur Peccatum, perpetratur in ipſa punitione delictum. c.21. n.16. toto paragrapho p.565

Cum conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare. cap.21. numero 35. toto paragrapho pag.572

Miſerum ſolet caſum incurrere, qui detrectat cum ſceleribus bellum gerere. c.21. num.57. toto paragrapho p.579

Peccator ea ſtupiditate tenetur, vt cum non ignoret periculum, non curet ſolicitare remedium. c. 21. numero 135. toto paragrapho pag. 608

Qui Peccatis indulget, ſibi prouideat effugium: nam à tergo ſequitur detrimentum. c.21.num. 160. toto § p.617

Vide Culpa, Delictum.

Pecunia.

Præ ſe ipſis videntur homines æſtimare diuitias, & anteferre ipſi ſaluti Pecunias. c.15. n.141. toto §.p.77

Pecunia principumque amicitia ſunt muliercularum incantamenta, & ad eas corrumpendas validiſſima oſcilla. c.16. numero 139. toto paragrapho p.178

Numquam deeſt vitiis exercendis pecunia, ad virtutes premit inopia. c.17. numero 9. toto §.p.236

Sæculi honor in pecunia eſt. c.18. numero 244. pag.383

Peregrinatio.

Iuuenes oblectationis ſæpè cauſa Peregrinantur, ſed Peregrinati variis periculis irretiuntur. c.16. n.111. toto § p 170.

Conterraneo peculiaris debetur affectus, ſi vagetur Peregrinus. c.19. numero 124. toto §. pag. 433

Perfidia.

Perfidia graue Reipublicæ incommodum. c.16. n.152. p.182

Periculum.

Quo voluptas periculoſior, eo à nonnullis habetur dulcior. c.15. numero 124. toto paragrapho p.41

Qui libidini addictus, ad imminens periculum probatur improuidus. c.15. numero 181. toto paragrapho p.57

Eius detrectari debet conſortium, à quo videtur imminere periculum. c.15. numero 194. toto paragrapho p.61

Prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela, contra inopinata diſcrimina. c.15. n.380. toto §. pag.115

Iuuenes, dum oblectationis ſæpè cauſa Peregrinantur, variis periculis irretiuntur. c.16. n.11. toto §.p.139

Homines in obſcœni amoris argumentum imprudenter affectant deſpexiſſe Periculum. c.16. n.29. toto §.p.144

Mira eſt peccatoris ſocordia: periculis cinctus, vt munitionibus quiret vallatus. c.16. n.85. toto §.p 162

Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia c.16. n.89. toto §.p.163

Luxuria ſic dementat homines, vt pericula. & imminentem mortem contemnant non magnanimi ſed deliri. c.16. numero 158. toto §. p.183

Grauius legibus aliquando periculum, quam à violatore, à iudice. c.21. numero 168. toto §.p.627

Fœminam, ni domus penetralibus lateat, adurgebunt pericula, aut dehoneſtabit non bona nota. c.19. n.130. toto §.p.463

Pulchritudo eſt alienum oblectamentum, proprium periculum. c.19. numero 243. toto §. pag.467

Stupidus peccator, cum non ignoret periculum, non curat ſolicitare remedium. c.21. n.136. toto §.p.608

Pernicies.

Subita eſt homini pernicies ex homine. c.16. n.85. p.162

Perſeuerantia.

Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non diſceſſit, triumphos ſibi perſeuerans aſciuit. c.20. n.132. toto §.p.520

Pertinacia.

Quantumuis rationi aduerſa, vanitas defendit pertinax à ſe peracta. c.15. numero 61. toto §. pag. 21

Pertinacia ſibi multiplicat pœnas, dum tuetur audacter culpas. c.20. numero 238. toto §. pag.557

Petitio.

Digitized by Google

Petitio.

Ingratitudo petitioni negat affectum. c. 15. numero 370.p.122

Philoſophus.

Verè Philoſophus extra fortunam degit. cap.16. n.118. p.172

Pietas.

Pietatis eſt teſtimonium defunctorum expiationem Religioſis actibus, victimiſque procurare.cap.21.n.21.toto §.p.567

Piſo.

Piſonis inhumana ſeueritas.cap.15.numero 248. pag.80

Pœna.

Culpæ deformitas ex pœnæ horrore coniicitur, & in ſupplicio videtur. cap. 15. num. 136. toto §. p.76
Nonnulli ab ipſis culpis contra pœnam ſortiuntur auxilium, & immunitas quodammodo priuilegium.c.16.n.69.toto §. pag.156
Qui eximiis excelluit dotibus, duris etiam excedet, ſi degenerarit, cruciabitur. c.16. n.229. toto §.p.206
Magna ſuperbiæ pœna inferioribus poſtponi. c.16.n.230.p.207
Digna magnatibus pœna eſt inferioris ope indigere, & auxilium ab infimis mutuari. cap.16. num.270.toto §.p.219
Qui ob ineundum coniugium deuorat culpam, in ipſo inuenire ſolitat pœnam, cap.19.n.17. toto §. p.398
Qui Deum ob creaturas relinquit, meritam in ipſis pœnam inuenit. cap.19. num. 24. toto §. p.401
Leuis voluptas duriſſimas afferre ſolitat pœnas. c.19 n.33.toto §.p.404
Grauiori pœna plectendus, qui legibus deliquerit informatus. capite 20. num. 30. toto paragrapho.p.494
Non eſt in omnes deriuanda pœna,quam vnius, aut alterius promeruit culpa. c. 20. num. 77. toto §.p.502
In hac vita peccatorum pœnas ſoluere eſt ingens Dei beneficium, & ſæpè virtutis præmium. c.20.n.128.toto §.p.518
Pertinacia ſibi multiplicat pœnas, dum tuetur audacter culpas. cap.20. num. 238. toto paragrapho p.557
Iniquis illata pœna eſt ad Rempublicam ſuffulciendam firma columna. cap. 20. num. 193. toto §.p.540
Bonus ſuperior inultam non patitur culpam, & inflictam ingemit pœnam. c.21.n.39.toto §. pag.573
Iuræ ſuſtinet pœnæ tormentum, qui æquitatis miniſtris præſtare renuit auxilium. c.21. n.81. toto §. p.588
Non punientur ſceleſti, ſi miniſtri tribunalium cupiditate corrupti. cap. 21. num.94. toto paragrapho.p.593

Pœnitentia.

Pœnitentia eſt cælorum ſcala. cap.15. num.343. pag.112
Quam adduxerat calamitatem culpa, ſolet cito depellere pœnitentia. cap.15. num.343. toto §. ibidem
Pœnitudo Euchariſtiæ vicaria eſt. c. 15. numero 345. p.115
Pœnitentia quod amiſſum dolet, ipſo dolore reſtaurat.c.18.n.196.p.368
Benè ſibi ominatur, ſi crimen occulerit pœnitentia, malè, ſi publicet inuerecundia. c. 18. n.65.toto §.p.33
Superior reſipiſcentem hilari vultu ſuſcipiat, & cum illo humaniſſimè ſe gerat.c.19.num.49. toto §.p.409
Diabolus non ſuadet aliquando pœnitentiam omittere; ſed procraſtinare, & differre. c.19. num.99.toto §.p.424
Pœnitentiam iam arripienti vanitatis dies in noctem vertitur, & color rerum mutatur.c.19. n.107.toto §.p.417
Ignominioſam ſæpè ſuſtinuit infamiam, qui vocante gratia amplecti diſtulit pœnitentiam. c.19.n.111.toto §.p.428
Fœlix, qui ob culpam dolore corripitur, & honeſta confuſione percellitur. c. 19. num.257. toto§.p.471
Bonarum mentium eſt à culpis prorſus abſtinere, & ſe ac ſi delinquant,punire. c.20.n.148. toto §.p.525
Ieiunij auſteritas, & humilitas, dum medentur culpis, ſæpè de hoſtibus reportauere victorias.c.20.n.157.toto §. p.528
Solet Peccator non inuenire remedium, etſi inſtante morte ſalutis ſuſpirarit profugium.c.20. n.203.toto §.p.544

Potentes, potentia.

Ea eſt hominum amentia, vt quo infirmioris metum excutiant, indignationi ſe potentioris exponant. c. 15. num.269. toto paragrapho. pag. 86
Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores leuandæ Principis neceſſitati tributum pendant, & debiliores non ſoluant. c. 15. numero 401. toto §. pagina 132
Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur. capite 18. numero 197. toto §. pagina 369

Poteſtas.

Malè in Rempublicam æquitatemque auguratur poteſtas, ſi paupertate preſſa, aut vrgenti aliqua neceſſitate grauata. cap.17.num.177. toto §. p.185
Poteſtas contra imbecilles frequenter extenditur, & iniquis interpretationibus ampliatur. c.20. num.225.toto §.p.552

Pompa.

Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur; virtus ſine pompa colitur.c.18. n.243. toto paragrapho pag.383

Digitized by Google

Pondus.

Nihil amori inuenitur ponderoſum, nullum eſt pondus moleſtum. c.16. num.55. toto §. pagina 152

Populus.

Populus principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur. c.16.numero 249.toto §.p.213

Qualis Princeps talis populus. c.16.numero 249. ibidem

Porta.

In ciuitatum aditu non ſemel prætenduntur inſidiæ, & exercentur violentiæ. c.16. n.47. toto §.p.149

Portus.

Miſerum eſt ipſo in virtutis portu odio diſperire naufragio.cap.17.num. 185. toto paragrapho pag.288

Præceptum.

Nonnulli inuiolatius ſeruant à ſe prolata, quàm legis obſeruarint præcepta.c.21. numero 65. toto §. p.582

Præcipitium.

Immeritum erigere ad alta eſt maturare ei præcipitia.c.18.n.128.p.348

Prædicator.

Grauiſſimi criminis reus conuincitur, qui nouit alios dirigere, & propriis patitur erroribus implicari.c.18.n.93.toto §.p.337

Præfectus.

Inferiores præfecti nequibunt, quæ ſunt ſui muneris adimplere, ni auxilium excellentiores adlaborarint præſtare.capite 20. num.125. toto §.p.534

Prælatus.

Bonus prælatus proprium contemnit detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum. cap.20. n.179.toto §.p.536

Præmium.

Plures conſtat præmium accipere, quam mereri c.15.n.356.p.116

A quo laudabiliter militia peragitur, nullatenus princeps remunerare cunctetur. cap. 15. numero 356.toto §.ibid.

Inſtar miraculi eſt, ſi iterum ſeruiat poſt exantlatos labores reiectus, & impræmiatus.c.15. n.371.toto §.p.122

Sæpè virtutis eſt præmium in hac vita ſoluere pœnas debitas ob peccatum c.20.n.128. toto §.pag.518

Præſens.

Liuido dente prouidentiam ſolet abrodere, qui nouit præſentanea ſolum attendere.c.20.n.136 toto §.p.521

Satis non eſt præſentia depuliſſe damna,niſi imminentia etiam anteuerteris detrimenta. c.20. num.234.toto §.p.555

Præſumptio.

Ea eſt peccatoris cœcitas, vt diuinam exaſperando iram, copioſam promitat ſibi miſericordiam. c.17. n. 259. toto paragrapho. pagina 308

Prauitas.

Prauitatem doctrina emendat. cap. 17. num.65. pag.252

Sunt qui ſubiectorum diſſimulent prauitatem, quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem,c.17. n.91.toto §.p.260

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel fouere contigit prauitatem. c.21. n. 206. toto §.p.636

Preces.

Bellum à precationibus eſt incipiendum, & placato priùs numine eſt adornandum, cap. 20. n.20.toto §.p.485

Vide *Oratio.*

Princeps.

A quo laudabiliter militia peragitur, nullatenus princeps remunerare cunctetur. c.15. n.356. toto §.p.116

Princeps à benefaciendo non vacet.c.15.n.401. pag. 132

Pecunia, Principumque amicitia ſunt muliercularum incantamenta, & ad eas corrumpendas validiſſima oſcilla. cap.16. num. 139. toto §. pag.178

Principes dedecet fidem violare, & ſibi iniuriam violando promiſſa inferre. cap. 16. num. 152 toto §.p.182

Si Principi adhærentes citò, ac præter opinionem diteſcant, eius obſcurabunt famam, & imminuent etiam fortunam. c.16. n.216. toto paragrapho.p.202

Populus Principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur.c.16. numero 249.toto §.p.213

Glorioſius Principis Epitaphium hoſtis deuictus, & ſubditis in libertatem aſſertus. c.16.n.304. toto paragrapho.p.231

Curet Princeps ab omnibus diligi, & ad muneris ſolum vtilitatem beneuolentiam lucrari. c.19.n.41.toto paragrapho p.406

Imperator tardè vindicet, facilè ignoſcat. c. 20. num.37. p.491

Principes de omnium debent ſalute curaſſe, nec ſingularitatibus offendiſſe.c.22.n.156. p.615.

Digitized by Google

Principium.

Vitium, vt deueniat ad vlteriora, initio tentat exigua. c.19. n.90. toto §.p.422

Priuilegium.

Qui ad delendum inimicum exortus, ſpeciali priuilegio inuenitur ornatus. c.15. num.363. toto §.p.119

Profanus, Profanare.

Periculoſum eſt templa profanare, & deuotionem oblectamentis miſcere. c.16. num.286. toto §.p.224

Nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum quod fuiſſe conſtat ſacris altaribus conſecratum. c.17. n.50. toto §.p.248

Raro in alios vſus videas conuerſum, quod profanis conſtiterit dedicatum. c.17. numero 54. toto §.p.249

Eccleſiaſtici non ſemel ſacros percipientes reditus in profanos, aut ſuperbos expendunt ſumptus. c.17. n.39.toto §.p.251

Prohibitio.

Nitimur in vetitum, & quo voluptas periculoſior, & à nonnullis habetur dulcior. c.15. n.124. toto §.p.40

Promiſſio.

Vitium ingentia lucra promittit; ſed damna grauiſſima affert. c.16. numero 125. toto paragrapho p.174

Principes dedecet fidem violare, & ſibi iniuriam violando promiſſa inferre. c.16. n.152. toto §. p.182

Ob flagitium promiſſa rarò non videntur impleta. c.16. n.185. toto §.p.192

Deo promiſſa non ſolum non implentur; ſed impletionis loco flagitia, & iniuriæ adduntur. c.16. n.186. toto §.p.193

Sunt qui promittant non animo dandi; ſed deſiderio accipiendi. c.17. numero 75. toto paragrapho p.255

Fides ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur; quæ ob virtutem, non rarò eluditur. c.18. n.238. toto §.p.381

Nonnulli inuiolatius ſeruant à ſe prolata, quàm legis obſeruarint præcepta. c.21. numero 65. pag.582

Propoſitum.

Obſequium Deo exhibendum, non eſt ante executionem imprudenter publicandum. c.17. n.71. toto §.p.254

Proprius.

Plus doloris affert vexatio à propriis inducta quàm ab exteris procurata. c.15. num. 265. toto §.p.85

Nonnulli ad extraneas inhiant delicias, faſtidiunt proprias. c.16. numero 21. toto paragrapho p.143

Inſolitum eſt propriis extranea præferre, vt frequentiſſimum extraneis propria anteponere. c.17.n.190. toto §.p.289

Proſapia.

Ignobilis eſt vitiorum vernula, licèt nobili exortus Proſapia. c.18. n.226. p.378

Proſperitas.

Proſperitas peccatori grande ſupplicium, grande beneficium calamitatis. c.15. n.95. toto §. pag.31

Periculoſam affert Dei obliuionem proſperitas. c.15. n.154. toto §.p.49

Laudabile deſiderium actionis proſperitas comitatur. c.15. n.138. p.44

Secundis rebus facilè turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi. c.14. n.347. toto §.p.114

Saltu ſe tendit aliquorum proſperitas. cap.15. n.363. p.119

Coniugum concors & iuſta voluntas grandis proſperitas. c.21. n.176 p.624

Prouidentia.

Certum eſt promanare ab inoculatiſſima prouidentia, quod à cæca querimur accidiſſe fortuna. c.15. n.229. p.73

Sapientis eſt non ſolùm attendere præſentia; ſed præcauere futura. c.15. numero 336. toto §. pag.109

Satis non eſt præſentia depuliſſe damna, niſi imminentia etiam anteuerteris detrimenta. c.20. n.234. toto §.p.555

Cùm conſtet exceſſibus calamitatem aſciſcere, audent homines numinis prouidentiam culpare. c.21. numero 35. toto paragrapho pagina p.572

Prouiſio.

Bonus ſuperior & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſolicitat prouidere. c.21. n.61. toto §. pag.581

Proximus.

Sacerdos ſit & proximis conſecratus, & à proximis expeditus. c.18. n.87. toto paragrapho pag.336

A Deo pro ſalute proximorum delegati nullum laborem excuſant, vt prouiderint eorum ſaluti. c.21. numero 148. toto paragrapho pag.615

Prudentia.

Grande luci prudentiæque oppoſuit impedimentum, qui carnis gerit negotium. c.15. n.104. toto §.p.33

Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat calamitatem aſciſcat. cap.18. numero 125. toto §.p.347

Prudens aget ſpontaneus, quod velit nolit, exequetur compulſus. c.15. numero 260. toto paragrapho p.84

Prudens ſecurus etiam vtitur ſolerti cautela

Digitized by Google

contra inopinata diſcrimina. c.15. num.380. toto §.p.125

Prudentis eſt non exaſperare, quem poſtea opus eſt, ſi exaſperetur. allicere. c.19. n.58. toto §. pagina 412

Publicus.

Obſequium Deo exhibendum, non eſt ante executionem imprudenter publicandum. c.17. n.71. toto § p.254

Malè ſibi ominatur, ſi crimen ſuum publicet inuerecundia; benè, ſi occuluerit pœnitentia. cap. 18. numero 65. toto paragrapho pagina 330

Delicta malè ſibi ominantur, ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant. c.18.n.147. toto §.p.384

Pudicitia.

Adulatio muliebris pudicitiæ faſcinum eſt. c.15. n.98. p.32

Mirum eſt pudicitiam plures auxiliatores ſortiri; frequens aduerſarios plurimos pati. c.20.n.24. toto §.p.487

Pudor.

Sic omnia luxuria infecit, vt omnes pudoris terminos tranſiluerit. c.16. numero 38.toto §. pag.146

Pueritia.

Populi eſt ſalus diligens circa erudiendos pueros ſolertia, vti pernicies ignauia. c.19.num.181. toto §.p.448

Pulchritudo.

Pulchritudo eſt alienum oblectamentum, proprium periculum. c.19. numero 243. toto §.p.467

Puritas.

Qui ad ſacra altaria cupit accedere, ab omni curet inquinamento purgari. c.21. numero 52. toto §.p.578

Purpura.

Purpura refugit immunditiam. c. 18. numero 265. p.389

Puſillanimes.

Puſillanimes de ipſa quandoque felicitate infelices. c.15. n.269. p 86

Q

Quærela.

SIc iudex omnem quærelam ſubmoneat; vt nihil eius tribuatur odio; ſed cauſæ merito. c.15. n.283. toto §.p.91

Aliquando non ſolùm captioſæ prætexuntur fallaciæ; ſed ad tegendam fraudem dantur quærelæ. c.16. n.171. toto paragrapho pag.187

Miſerum eſt calamitatem ſuſtinere; ſed miſerius, ſi querula voce non liceat dolorem euaporare. c.18. n.171. toto §.p.361

Quies.

Qui legem appetitus ſecutus nunquam quieſcit; ſed variis ſemper vorticibus agitatur. c.15. n.20. toto §.p.11

Solùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari. c.21. n.122. toto §.p.603

R

Rapina.

IMprobis miniſtris finem rapiendi fecit omnia rapuiſſe. c.16. n.61. p.154

Nonnulli rapinis inhiant, & huius aut alterius ſancti feſtum ſumptuoſiùs concelebrant. c.17. n 95. toto §.p.261

Ratio.

Si ratio conſuetudoque decertarint, vincet infeliciter conſuetudo, & deuicta lugebit non ſemel ratio. c.15. numero 32. toto paragrapho pag.12

Non ſemel iudex, vt aduletur magnatibus, infirmioris obſurdeſcit rationibus. c.15. n.290. toto §.p.94

Dei debent dilaudari iudicia, quantumuis noſtræ rationi videantur aduerſa. c.20. n.124. toto §.p.517

Felicior eſt, qui ruit in rationis obſequium, quam qui vincit ad criminis patrocinium. c.20. n.140. toto §.p.523

Receſſus.

Qui à reliquorum conuictu remotus; ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratus. c.18. num.230. toto §.p.379

Regnum.

Regnum ſapientiæ ſecurum. c.19. numero 162. pag.443

Religio, Religioſi.

Plures in communitatibus eſſe cupiunt laboris expertes, vtilitatis verò participes. c.15. num. 337. toto §.p.110

Nulli conſtabit, qui à virtute, & religione defecit. c.17. numero 244. toto paragrapho pag.305

Nonnulli religioſum aſſumunt ſtatum; ſed ſæcularem retinent ſtyllum. c.18. numero 150. toto §.p.355

Deo ſacratis non ſolùm culpa fugienda; ſed culpæ proximitas declinanda. c.19. numero 138. toto §.p.437

Vbi Deus ſeueram decreuit vindictam ſumere, aufert ſanctorum reliquias, quæ illum poterant retardare. c.19. n.278. toto §.p.476

Digitized by Google

Remedium.

Ipſo remedio ſæpiſſimè laboratur, & optimis medicinis morbus, quia adulteratæ adaugetur. c.17. n.146. toto §.p.176
Bonus ſacerdos in labore eſt remedium, & in calamitate ſolatium. c.20. num. 166. toto §. pag.531
Solet peccator non inuenire remedium, etſi inſtante morte ſalutis ſuſpirarit profugium.c.20. n.203. toto §.p.544
Ea ſtupiditate peccator tenetur, vt non curet ſolicitare remedium, cum non ignoret periculum. c.21. numero 135. toto paragrapho pag.608

Reprehenſio.

Amant homines ſuperiorem, qui delicta non carpat; ori manum imponat. c.18. num.256. toto §.p.387

Reſpublica.

Libidini traditus tractandæ Reipublicæ ineptus. c.16. n.206. p.199
Reipublicæ vtilitati attenditur, dum coram Deo conſilium à magnatibus capitur. c.21. n.172. toto §.p.622

Reſtauratio.

Spes eſt recuperationis, ſi virtus prorſus non expuncta; ſed aliqua ſcintilla ſeruata. c.16. n.240. toto §.p.210
Quæ exiguo tempore ob crimen dilapidata, longo tempore ac labore improbo indigebunt. reſtituta. c.21. numero 215. toto paragrapho pag.639

Rex.

In regum ornatu peccare quodammodò ſacrilegium eſt. c.18. n.265. p.389

Riualis.

Voluptatis aſſecla à riualibus adurgetur, à vindicibus punitur. c.19. num.240. toto pagrapho pag.466

Rubor.

Rubori parcatur, ſi plus eius detrimento acquiritur. c.16. n.267. p.218

Ruina.

Si aditus ſagaci aduerſus hoſtes non præmuniatur cautela,inopina premet ruina.c.18.n.213. pag. 374

Rumor.

In rumorem tranſit ſecretum ſi vel vni committatur. c.18. n.146. p.354

S

Sacerdos

IS debet eſſe Sacerdos, qui magnatum domos non curſitet; ſed ad ſe magnates virtute traxerit. c.17. n.158. toto §.p.279
Magna dignitatis titulo debetur ſacerdotibus reuerentia, etſi contradicat vita. c.17. n.182. toto §.p.286
In ſacerdotem nullus eſt ſine ſuffragio temporis eligiendus, nec ſine ſapientiæ dotibus initiandus. c.17. n.200. toto §.p.291
Sacerdos preces, hoſtiaſque offerens eſt temporalis vtilitatis fœcunda vena, & ſalutis cuſtodia. c.17. n.249. p.306
Id ſacerdotis eſſe debet eloquium, vt dignitatem non confuderit, ſed oſtenderit. c.18. n.43. toto §.p.324
Sacerdos, vt viam laicorum poſſit dirigere, cæleſtibus ſtuduerit vacare. c.18. n.78. toto §. pag.334
Sacerdos ſit & proximis conſecratus, & à proximis expeditus. c.18. numero 87. p.336
Sacerdotalis dignitas, vt candidiori luce reſplendeat, nulla ſpecie auaritiæ ſordeat. c.18.n.83. toto §.p.335
Ni ſacerdoti effloreat ſcientia, interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa. c.18. n.98. toto §. p.339
Magna felicitas ſortiri ſacerdotem virtutibus exornatum: in calamitate namque eſt ſolatium, & in labore remedium. c.20.n.166. toto §.p.531
Qui ad ſacra altaria cupit accedere, ab omni curet inquinamento purgari. c.21. num.52. toto §. pag.578

Sacrilegium.

Quodammodò ſacrilegium eſt in regum ornatu peccare. c.18. n.265. p.389

Sacrum.

Prouida ſingularitate debet gaudere, quod Domino conſtiterit dedicari. c.17. n.39. toto §. pag.245
Nullis aliis rebus inſeruire debet expenſum, quod fuiſſe conſtat ſacris altaribus conſecratum. c.17. n.50. toto §.p.248

Sæculum.

Sæculi honor in pecunia eſt. c.18. num.244. pag.383

Sanctitas.

Iuſtis pro felicitate eſt ſanctitas, improbis pro ſanctitate felicitas. c.18. numero 201. toto §. pag.370

Salarium.

Graue conſtat eſſe delictum, ſi ſeruientibus denegetur, aut differatur ſalarium. c.18. n.73. toto §.p.332

Digitized by Google

Salus.

Non ſemel parentes filiabus occaſiones concinnauerunt erroris, & impedierunt ſalutis.c.15. n.88.toto §.p.29

Saluti ſolet homo anteferre pecunias; & præſe ipſo æſtimare diuitias. cap. 15. n.241. toto §. pag.77

Peccatum ne properantem ſalutis occaſionem rapiat, peccatorem quodammodò illigat.c.15. n.360.toto §. p.118

Eo ipſo, quo vitia deſtruimus, nobis ſolutem comparamus. c.15.n.401. toto §. p.132

Virtus perennis ſalutis ſcaturigo. cap.16.n.237. p.209

Pro ſalute ſpirituali detrectant homines patem exegua, cùm pro caduca vita patienter tolerant dura. c.20.n.218.toto §.p.550

A Deo pro ſalute proximorum delegati nullum laborem excuſant, vt prouiderint eorum ſaluti. 21.n.148.toto §.p.613

Sapiens, Sapientia.

A ſapiente procul eſt feritas. cap. 15. num. 213. pag.68

Sapientis eſt non ſolum attendere præſentia ſed præcauere futura. cap. 15. numero 336. toto §. p.109

Sina ſapientiæ dotibus nullus eſt in ſacerdotem edigendus,nec ſine ſuffragio temporis initiandus.c.17.n.200.toto §.p.291

Regnum ſapientiæ ſecurum. cap. 19.num. 162. p.443

Scandalum.

Homo non ſemel homini grandius virtutis obſtaculum, quàm perpetratum delictum. c.15. n.41. toto §.p.14

Parentes non ſemel filiabus occaſiones concinnauerunt erroris, & impedierunt ſalutis. c.15. n.88. toto §.p.29

Peccata publicè perpetrata inſtar inundationis ſunt. c.16. n.41. p.147

Delicta malè ſibi ominantur, ſi in publicum audeant, & ſcandalum adducant. c.18. n.247. toto §. p.384

Impunita ſcandala armorum Reipublicę enerrrant vires, & felicitant hoſtes. c.20. n.17. totò §. p.484

Fœmina pompatico luxu procedens alienæ caſtitati inſidias extruit, aut propriæ ſuſtinet. c.21. n.164. toto §. p.619

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel fouere contigit prauitatem. c.21. n.206. toto §.p.636

Scelus.

Improbi ſe arbitrantur felices, ſi nacti fuerint ſcelerum occaſiones.cap.17.numero 46.toto §. p.247

Ineſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas opes afferendi. c.17. n.83. toto §. p.257

Non habet ad ſcelera corrigenda energiam, qui proprij criminis non deleuit offenſam. c.20. numero 152. toto §. pagina 527

Vide *Culpa, Delictum, Peccatum.*

Scientia.

Plures acceptam à numine ſcientiam, in ſui & numinis conuerterunt iniuriam. c.16. n.147. toto §. p.180

Ne ſacerdos effloreat ſcientia, interrogantibus opportuna reddere nequibit reſponſa. cap.18. n.98. toto §. p.339.

Scrupuloſi.

Nonnulli inueniuntur circa leuiſſima ſcrupuloſi circa grauiſſima nullis ſcrupulis agitati. c.17. n.230. toto §. p.301

Secretum.

Pluribus abſtruſa naturæ indagare ſecreta ſuaſit non laudabilis honeſtas; ſed deteſtanda cupiditas. c.16. n.116. toto §.p.171

Quæ nulla indagari poſſunt induſtria, per mulierculas produntur,& indagantur ſecreta.c.16. n.178. toto p.190

Sæpè domeſticorum garrulitas rapaces manus obarmat, dum occulta minus prudenter denuntiat. c.18. n.146. toto §.p.354

Secretum ſi vni committatur, iam rumor eſt. c.18. n. 146. ibid.

Securitas.

Nunquam peccatori ſecuritas, etſi aliquando felicitas. c.15. n.70. p.24

Peccator dum ſibi ad ſpeciem videtur tutior, calamitati ſæpè inuenitur proximior. c.16.n.181. toto §. p.191

Inepta gaudet ſecuritate, qui externam ſolum cauſam præcidit, nec amputare internam curauit. c.16.n.257.toto §.p.215

Falsò exiſtimata ſecuritas grauior peccatoris calamitas.c.18. n.117.toto §.p.345

Securior degit inter hoſtes ſolicitus, quàm ab hoſtibus diſtans ignauus. cap. 18. num.209. toto §. p.372

Peccator quo paſſu deterior, & infeliciter degit ſecurior. cap. 19. numero 209. pagina 456

Senectus.

Sibi grandæuus detrahit, ſi repueraſcens puerilia amplectatur placita, & imitetur veſtigia. c.16.n.262. toto §.p.217

Senem dedecet vitis infici, cùm in exemplum debeat virtutis proponi. cap.19. n.186.toto §. pag.450

Honorabilis ac venerandæ ſenectutis eſt proprium iuuenum audaciam fœnare,& vel aſpectu mores componere. cap. 19. numero 191. toto §. p.451

Senectus eximium bonum, dum morti propinquior, inuolet ad virtutem celerior. cap.29. num.196.toto §.p.452

Sententia.

Populus principum facta ſtudioſè imitatur, & ſententiam tenaciſſimè amplectitur. c.16. num.249. toto §.p.213

Sepulchrum.

Glorioſius Sepulchrum, quod moribus, non ſubſtructionibus commendatur. c.16. n.304. pag.231.

Seruitus, Seruus.

Homo dæmone peior turpiſſimè obſecundat, vt ſeruiat. c.15. numero 275. toto paragrapho pag.89

Quem vulgus appellare ſolet felicem, plerumque fortunæ eſt ſeruus. c.16. numero 89. pag.163

Paucos ſeruitus, plures tenent ſeruitutem. c.19. n.99. p.424

Domini nulla ſeruorum commiſeratione mouentur, vt ſuis cupiditatibus obſequantur. c.19. n.114. toto §.p.430

Simulatio.

Nonnulli ad ea, quæ ipſi ſuſpirant, duci violenter affectant. c.15. numero 298. toto §. pag.97

Singularitas.

Prouida ſingularitate debet gaudere, quod Domino conſtiterit dedicari. c.17. numero 39. toto paragrapho p.245

Singularis fortuna caſibus probatur obnoxia. c.18. n 133. toto §.p.350

Principes Superior. ſque de omnium debent ſalute curaſſe, nec ſingularitatibus offendiſſe. c.21. n.156. toto §.p.616

Socer.

Caueant Soceri lites inter filias, generoſque ſeminare, diſcant què concordiam inter eos fouere. c.19. n.87. toto §.p.420

Societas.

Prudenter aſtutus, ob cuius Societatem tulit aliquale detrimentum, ſtudebit declinare conſortium. c.15. n.190. toto §.p.59

Si iuuenis cum iuuene commoretur, ad flagitia ſæpè inſtigatur. c.17. numero 219. toto paragrapho p.29-.

Socium in felicitate habere eſt felicitatem formare. c.18. n.136. p.251

Qui a reliquorum conuictu remotus, ſæpè ſordeſcit criminibus obſcuratus. c.18. num.230. toto paragrapho p.379

Felix, qui inter peruerſos probus, infelix, qui inter probos peruerſus. c.19. n.153. toto §. pag.440

Ad ſcelus nunquam deeſt ſocius. c.19. num.177. pag.447

Socordia.

Mira eſt peccatoris Socordia, periculis dormit cinctus, vt munitionibus quiret vallatus. c.16. n.85. toto §.p.162.

Solatium.

Bonus Sacerdos in calamitate eſt ſolatium, & in labore remedium. c.20. num.166. toto §. pag.531

Optimus ſuperior culpa iam punita non ſatagit affligere; ſed ſolari. c.21. numero 127. toto § pag.605

Solicitudo.

Securior degit inter hoſtes Solicitus, quàm ab hobibus diſtans ignauus. c.18. numero 109. toto §.p.372

Somnus.

Somnus Somni eſca. c.15. n.31. p.12

Sparta.

Adulterium apud Spartas videbatur incredibile. c.16. n.22. p.143

Spectaculum.

In Spectaculis vitium non ſolum videtur, ſed diſcitur. c.16. n.298. p.228

Spectacula ſunt virtutum faſcinum, honeſtatis ludibrium, & calamitatum emporium. c.16. n.298. toto §.ibidem

Bonus Reipublicæ adminiſter otioſis gaudiis occupatus tempus non fraudabit; ſed publicis negotiis impendet. c.19. numero 103. toto §. pag.426

Spes.

Beneficium Spe fultum non eſt beneficium; ſed fœnus. c.15. n.23. p.9

Qui nil Sperat, nullum formidat. c.15. num.27. pag.11

Dei Spei fallacia tempus deſpicitur, & elabitur. c.15. n.99. p.32

Vitium falſa Spe ineſcat; vero dolore diſcruciat. c.15. n.145. toto §.p.46

Spes eſt recuperationis, ſi virtus prorſus non expuncta; ſed aliqua ſcintilla ſeruata. c.16. n.240. toto §.p.210

Peccatores etiam calamitatibus diuexati, ne reſiliant ab erroribus, confictis ſibi blandiuntur Spebus. c.18. numero 25. toto paragrapho pag.319

Mirum eſt, ſi accepto iam beneficio gratitudo maiora pendat obſequia, quàm Spes exhibuerat officia. c.21. numero 49. toto paragrapho p.577.

Splendor.

Parum eſt tibi Splendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire. c.18. numero 61. toto paragrapho pag. 329

Digitized by Google

Spiritus Sanctus.

A Dei ſpiritu venit, quod vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophæa. c.15. n.324. toto §.p.105

Sponſus.

Sponſi abſentia vxoris pudori inimica, & honori ſæpiſſimè aduerſa. c.15.n.58. toto paragrapho p.20

Spontaneus.

Prudens aget Spontaneus, quod velit nolit exequetur compulſus. c.15. numero 260. pagina 84

Stipendium.

Sæpè contingit Stipendio honoratum delargientis eſſe inimicum. c.17. n.205. toto paragrapho p.293

Strepitus.

Solùm qui accedit ad Deum, confuſaneum mundi fugit Strepitum. c.21. n.122. toto paragrapho p.603.

Studium.

Liberalia Studia ſunt, quæ famulantur virtuti. c.20. n.101. p.510

Subditus.

Ne ſubiectos miſera premat ruina, bonus ſuperior eliget Subire incommoda. c.15. n.294. toto paragrapho p.96

Glorioſius principis epitaphium ſubditus in libertatem aſſertus. c.16. n.304. p.231

Sunt qui ſubditorum diſſimulent prauitatem; quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem. c.17. numero 91. toto paragrapho pag.260

Nequit Superior ſubditorum corrigere errorem, ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem. c.17.num. 119. toto paragrapho p.268

Subiectio.

Nil tàm incommodum virtuti, quàm ſine honeſta Subiectione vagari. c.18. num.16. toto paragrapho p.316

Succurrere.

Parum eſt tibi Splendere, ni adnitaris plurimis ſubuenire. c.18.numero 61. toto paragrapho pag. 329

Suffragium.

Integrum tum reſplendet virginitatis elogium, cùm cæleſte ſortitur etiam Suffragium. c.21. n.118. toto §.p.602

Superbia.

Magna ſuperbiæ pœna inferioribus poſtponi.cap. 16. n.230. p.207

Nihil ambitoribus demiſſiùs, nihil ſi iam aſſecuti, ſuperbius. c.18. n.166. p.360

Dum ſuperbia vtiliter detrectat timere, Stragem ſibi ſolitat maturare. c.10. numero 85. toto §. pag. 504

Sumptus.

Eccleſiaſtici non ſemel ſacros percientes reditus, in profanos, aut ſuperbos expendunt ſumptus. c.17. n.59. toto §.p.251

Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur, virtus ſine pompa colitur. c.18. n.143. toto paragrapho pag. 383

Superior.

Superior magnitudini non detrahit, dum ſubditum officiis delinit. c.15. n.13. toto paragrapho p.6

Superior, qui priùs blandum adhibuit delinimitum, poſtea aſciſcet ſine querela cauterij & puluris mordentis auxilium. c.15. num.213. pagina 68

Bonus Superior eliget ſubire incommoda, ne ſubiectos miſera premat ruina. c.15. numero 294. p.96

Sunt qui Subiectorum diſſimulent prauitatem, quia ipſis ad delinquendum concinnauere occaſionem. c.17. n.91. toto §.p.260

Nequit Superior Subiectorum corrigere errorem, ſi ipſe etiam admiſerit prauitatem. c.17. n.119. toto §.p.268

Vbi Superior non eſt, qui cohibeat, quiſque quod ſibi placet, impunè tentat. c.17. n.133. toto §.p.272

Sæpè ab alio ad dignitatem electus Superioris titulo fulget; ſed eligienti reuera paret. c.17. n.163. toto §.p.282

Eximiis inter alios dotibus prælucenti, & honeſtis fructibus exundanti impenſior ſuperioris cura & maiora debentur commoda. c.17. n.227. toto §.p.299

Magnum eſt commodum Superiorem ſortiri virtutibus exornatum. c.18. numero 16. toto §.pag.316

Superioris præſentia mores informat, vitiaque exarmat. c.18.n.34. toto § pag.321

Amant homines ſuperiorem qui delicta non carpat; ſed ori manum imponat. c.18.n.256. toto paragrapho p.387

Curet Superior ab omnibus deligi, & ad muneris ſolùm vtilitatem beneuolentiam lucrari. c.19. n.41. toto §.p.406

Superior reſipiſcentem hilari vultu ſuſcipiat, & cum illo humaniſſimè ſegerat. c.19.n.49. toto §.p 409

Bonus Superior curet pluſquam peccatorem punire, peccatum tollere. c.19. num 53. toto §. pag. 411

Facilè per ſe ipſum Superior obtinebit, quod difficiliùs, aut nunquam per adminiſtros perficiet. c.19.n.82. toto §.p.429

Speciali fauore Deus Superiori adeſt, dum per ſe negotiis incumbit. c.19. n.85.p.420

Digitized by Google

Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit ſuſpicioſus. c.20. n.81. toto §.p.503
Superior ſic armari debet in culpam, vt conſeruet erga peccatorem beneuolentiam. c.20. n.183. toto §.p.537
Bonus Superior inultam non patitur culpam, & inflictam ingemit pœnam. c.21. n.39. toto §. pag. 573
Bonus Superior minùs dolet proprium diſpendium, quàm à ſuis perpetratum contra æquitatem delictum. c.21. n.45. toto paragrapho pag.575
Bonus Superior & ſubiectos corrigere, & ſubiectis ſolitat prouidere. c.21. numero 61. toto §. pag.581
Optimus Superior culpa iam punita non ſatagit affligere; ſed ſolari. c.21. numero 127. toto §. pag.605
Superiores de omnium debent ſalute curaſſe, nec ſingularitatibus offendiſſe. c.21. n.156. toto §. pag.616

Supplicium.

Culpæ deformitas ex iuſto Supplicio conijcitur, & in pœnæ horrore videtur. c.15. num.136. toto paragrapho p.76
Grauem mulctam debet præcedere rationabilis tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia. c.20. n. 40. toto §. p. 491
Bonus prælatus proprium contemnit detrimentum, vt puniat, & perſequatur delictum. c. 20. n. 179. toto §. p. 536
Iniquis illata pœna eſt ad Rempublicam ſuffulciendam firma columna. c. 20. numero 193. toto §. p. 540
Non ſemel dum punitur peccatum, perpetratur in ipſa punitione delictum. c. 21. numero 16. toto §. p. 565
Illatum ob culpam ſupplicium cohibet inſolentium audaciam, & procacium inſolentiam. c.21. n.114. toto §.p.600
Optimus Superior culpâ iam punita non ſatagit affligere; ſed ſolari. c.21. num.127. toto paragrapho p.605

Suſpicio.

Suſpicio, & temeritatis audacia homini quodammodò ſunt coæua. c.15. numero 113. toto §. pag.36
Suſpicio ius peccandi quodammodò facit. c.15. n.128.p.41
Nil fœminæ adeò curandum, vt iniquæ Suſpicionis impedire audaciam, & maledicam occludere linguam. c.19. numero 37. toto §. pag.405
Superior nec notam culpam diſſimulabit ignauus, nec ignotam præſumpſerit Suſpicioſus. c.20. n.81. toto §.p.503

T

Tauri.

QVæ apud Tauros inſtitutio. c.20. num.201. pag. 543

Temeritas.

Redundantia diuinæ clementiæ abutitur Temeritas & procacitas. c.20. n.203.p.544

Templum.

Honori Templum dicatum. c.16. numero 64. pag.154
Periculoſum eſt templa profanare, deuotionem oblectamentis miſcere. c.16. numero 286. toto §.p.214
Quantum templo reuerentiam debeamus, ab Angelis edocemur. c.16. n.286. toto paragrapho ibidem

Temporalia.

Semper ad Temporalia ingenium pollet viuacius, ad virtutem inuenitur hebetius. c.15. n.205. toto paragrapho p.65

Tempus.

Tempus eſt iracundiæ medicus, & rationis conſiliarius. c.15. n.45. toto § p.16
Pluribus Tempus non vita;ſed ſpatium eſt. c.15. n.328. p.107
Qui ſemel voluptati traditus, facilè exiſtimat Tempus præſcribere agnoſcitur delirare.c.16. n.51. toto §.p.150
Qui aliquando Tempus profudit paſſionibus impeditus, inſtaurare debet eximiè feruidus. c.15. n.328. toto §.p.107

Tenebræ.

Mundi Tenebræ corda excæcant, etſi oculos videre permittant. c.16. n.244. p.211

Terrena.

Cæleſtibus aliquando Terrena emuntur. c.17. n.59. toto paragrapho p.251

Theatrum.

Theatrum eſt veneris ſacrarium. c.16. num.198. pagina 128

Timor.

Qui nil ſperat, nullum formidat. c.15. num.27. pagina 11
Peccatores non adlaborant Timoris cauſas ſeponere; ſed adnituntur ſopire. c.15. numero 70. toto paragrapho p.24
Peccator nouas timoris cauſas ſolet incrementare dum timorem geſtit depellere. c.15. num.91. toto paragrapho p.30
Conſcientiæ Timor pius carnifex eſt. c.15. n.159. p.20
Grauiora ſæpè incurrimus, dum timidi fugere minora ſtudemus. c.15. numero 269. toto paragrapho p.86
Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubijci, & maculis ſordidari. c.15. n.393. toto paragrapho p.119
Amor & Timor amico fœdere, inueniuntur

Digitized by Google

vniti, & ad augendum peccatoris pondus quodammodo fœderati. c.16. n.102. toto §. pag.167
Plus tibi itimendum eſt ab eo, cuius cauſa delinquis, quàm ab eo, quam hoſtiliter offendis. c.16. n.188. toto §.p.193
Timor audaciæ comes. c.16. numero 204. pagina 198
A virtute vel leuiſſimo timore diſiungitur, vitiis tenaciſſimè adglutinamur. c.17. num.27. toto §.p.241
Humana potentia timetur, diuina temerariè deſpicitur. c.18. numero 197. toto paragrapho pag. 369
Timor ſæpè peſſimus interpres eſt. c.19. numero 264.p.473
Timorem contumacia ſubuertit. c.20. num.33. & 85. pag.489
Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur, & timoribus abigitur. c.20. n.73. toto §.p.500
Dum ſuperbiæ vtiliter detrectat timere, ſtragem ſibi ſolitat maturare. c.20. numero 85. toto §. pag. 504
Timor ad culpas tardiorem reddit. c.20. n.193. pag.540

Tolerantia.

Inueniuntur plures laudabilis Tolerantiæ expertes, & patientiæ indignæ conſortes. c.19. n.71. toto §.p.416
Eximia fortitudo non ſolùm pro virtute pugnat, ſed labores ob certamen etiam tolerat. c.20. n.143. toto §.p.524
Grauem mulctam debet præcedere rationabilis Tolerantia, & ſoliciti examinis diligentia. c.20. n.40. toto §.p.491

Tranquillitas.

Solùm qui accedit ad Deum, nouit placidè quieſcere, & confuſaneo mundi ſtrepitu liberari. c.21. n.122. toto §.p.603

Tribulatio.

Coniugium affert ſecum carnis Tribulationem, & oneris grauitatem. c.16.n.98.toto §.p.166

Tributum.

Moralitatis Tributa ſine querela pendenda.c.15. n.260. p.84
Sibi inuidet, qui beneficio honeſtum gratitudinis Tributum non pendit. c.15. nmuero 367. toto paragrapho p.121
Inſtar miraculi eſt, ſi potentiores leuandæ principis neceſſitati Tributum pendant, & debiliores non ſoluant. c.15. numero 401. toto §. pag.132

Triumpus.

Sæpè Triumphum attulit inimicus, & cladem inimicorum deſpectus. c.16. n.26. toto paragrapho p.144.
Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, Triumphumque adipiſci. c.16. n.294. toto §.p.227
Qui ob infortunia ab honeſtè inceptis non deſtitit, Triumphum ſibi perſeuerans aſciuit. c.20. n.132. toto §.p.520

Trophæum.

A Dei ſpiritu venit, quod vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophæa. c.15. n.314. toto §.p.105

Tutela.

Qui de afflictione iuſtorum ſibi parant tutelam, ob illatam ſubeunt afflictionem ruinam.c.16. n.232. toto §.p.208
Eo peccandi proceſſit libido, vt ſatis iam non ſit propria inquinari culpa; ſed alienæ etiam tutela. c.20. numero 89. toto paragrapho pag.506

V

Vagatio.

NIl tam incommodum, quàm ſine honeſta ſubiectione vagari. c.18. n.16. toto §. pag.316

Vanitas.

Quantumuis rationi aduerſa Vanitas defendit pertinax à ſe peracta. c.15. num.61.toto paragrapho p.21
Vanitas ad veri deſpectum inhabilis eſt. c.15. n.61. ibidem
Secundis rebus facilè turgeſcimus vani, & nobis gloriam arrogamus ſuperbi. c.15. n.347. toto §.p.114
Vanitati expromptè inſeruitur, debiti ſolutio in longum differtur. c.18. numero 146. pagina 384
Pœnitentiam iam arripienti Vanitatis dies in noctem vertitur, & color rerum mutatur. c.19. n,107. toto §.p.427
Eleemoſyna ſordeſcit faſtu elationis impenſa, nitet cum charitate, & hilaritate coniuncta. c.19. n.157. toto §.p.442

Venalitas.

Munus, ſi Venalitium, aut empticium ſit, in æquitatem armatur,& impietatem tuetur.c.17 n.167. toto §. p.282.
Iudicis venalitas, etſi induſtriè celetur, rariſſimè abſconditur. c.18. numero 60. toto paragrapho p.328

Venuſtas.

Venuſtas, oriſque gratia eſt aliorum oblectamentum, proprium periculum. c.19. n.143. toto §.p.467

Verbum.

Nonnulli verbis honorant; ſed actionibus depretiant. c.15. n.375. toto §.p.123
Id ſacerdotis eſſe debet eloquium, vt dignitatem non confuderit, ſed oſtenderit. c.18. n.43. toto §.p.324

Nonnulli

Digitized by Google

Nonnulli ipſa figmenta dicendi modo venditauerunt oracula. c.18. numero 113. toto §. pagina 443

Vehemens dolor totum animum ad ſe rapit, nec verba, lachrymasvè permittit. c.19. n.273. toto §. p.475

Veritas.

De veritate arma in veritatem conſtruuntur. c.16. n.150. p.181

Veridicus ſæpè ſpernitur; qui ad placitum loquitur, ad faſtigium dignitatis elicitur. c.18. n.110. toto §. p.342

Victoria.

Sæpè qui ante certamen ſibi promittebat victoriam, in campo oſtendit ignauiam. c.15. n.321. toto § p.104

De inſtrumenti vilitate clarior reſplendet victoria. c.15. n.332. toto § p.108

Propriis viribus fidens fit hoſtium præda, diuinis fretus illuſtri coronatur victoriâ. c. 16. n.282. toto §. p.223

Qui de morte victoriam cupit adipiſci, vbique & cum ipſa ſola paratus ſit congredi. c.16. n.290. toto §. p.226

Malè ſibi ominatur victoria non iure quæſita, ſed contra ius reportata. c.18. n.205. toto §. pag.371

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta, & victoriæ participes, & gloriæ inueniuntur conſortes. c.20. num.58. toto paragrapho p.495

Qui cupit perfecta coronari victoria, contentus non ſit vitia extenuare; ſed conetur prorſus atterere. c.20. numero 207. toto paragrapho pag.545

Humilitas & ieiunij auſteritas, dum medentur culpis, ſæpè de hoſtibus reportauere victorias. c.20. n.157. toto §. p.528

Vincula.

Nulla adeo inexorabilia ſunt vincula, vt gratiæ ope nequeant diſſolui; imò & faciliter rumpi. c.15. n.313. toto §. p.101

Vindicta.

Acri deſiderio ardet vindictæ, qui corde preſſit iniuriam, ne rogatus conceſſerit veniam. c.19. n.267. toto §. p.473

Vbi Deus ſeueram decreuit vindictam ſumere, aufert, ſi quid poterat retardare. c.19. n.278. toto §. p.476

Impœnitenda eſt vltio, quæ de legibus venit, deteſtanda, quam ſolus furor inducit. c.20. n.36. toto §. p.490

Imperator tarde vindicet, facilè ignoſcat. c.20. n.37. p.491

Violentia.

Nonnulli duci violenter affectant ad ea, quæ ipſi ſuſpirant. c.15. numero 298. toto paragrapho p 97

In ciuitatum porta non ſemel exercetur violentia. c.16. n.47. toto §. p.149

Deus non eſt, qui violenter potuit auferri, nec valuit anxiis clamoribus reuocari. c.18. n.192. toto §. p.367

Vires.

Vires diuiſæ facilè aduerſariis cedunt, & dolos ſubeunt. c.16. numero 207. toto paragrapho pag.200

Propriis viribus fidens fit hoſtium præda, diuinis fretus illuſtri coronatur victoria. c.16. n.282. toto §. p.223

Prudens vires ſuas metitur, ne ſi plus audeat, calamitatem aſciſcat. c.18. num.125. toto §. pag.347

Virginitas.

Integrum tunc reſplendet virginitatis elogium, cùm cæleſte ſortitur etiam ſuffragium. c.21. n.118. toto §. p.602

Virtus.

Homo homini grandius virtutis obſtaculum, quàm perpetratum delictum. c.15. num.41. toto §. p.14

Quiſque ad humanam affectionem inuenitur cautus & ſolertiſſimus, ad virtutem ineruditus ac tardus. c.15. numero 135. toto paragrapho p.42

Ad virtutem ingenium torpet hebetius, ad temporalia ſemper inuenitur viuacius. c.15. n.205. toto §. p.65

Ea quis ſolertia virtutibus debet ſeruire, qua vitiis conſueuit vacare. c.15. n.225. toto §. pag. 72

Paulatim prouehi eſt mediocris virtutibus. c.15. n.363. p.119

Ad ciuitatem, vbi oppugnatur virtus, facilè patebit hoſtibus aditus. c.16. num.76. toto §. pag.159

Vbi peccator irriſione affectat de honeſtare virtutem, ibi luctuoſiſſimam patitur calamitatem. c.16 n.267. toto §. p.218

Virtus perennis ſalutis ſcaturigo. c. 16. numero 237. p. 209

Spes eſt recuperationis, ſi virtus prorſus non expuncta, ſed aliqua ſcintilla ſeruata. cap. 16. n.240 toto §. p.210

Nunquam deeſt vitiis exercendis pecunia, ad virtutes premit inopia. c.17. num.9. toto §. pag.236

Ægrè ferunt homines à criminum deſiderio vel tantiſper retardari, tolerantiùs à virtutum exercitio inhiberi. c.17. numero 15. toto §. pag.237.

Vitiis tenaciſſimè adglutinamur; à virtute vel leuiſſimo timore diſiungimur. c.17. num.27. toto §. p.241

Filij quodammodò fingunt vt peruerſos parentum mores, ita eximias etiam virtutes. cpa.17. n.31. toto § p.242

Ineſt hominibus neſcio quis pruritus ſceleribus ſuffragandi, & contra virtutem ſuas operas afferendi. c.17. numero 88. toto paragrapho pag.259

Ea debet eſſe ſacerdotis virtus, vt magnatum domos non frequenter; ſed ad ſe magnates attrahat. c.17. n.158. toto §. p.279

Miſerum

Digitized by Google

Miſerum eſt ipſo in virtutis portu cæco diſperire naufragio.c. 17.n.185.toto §.p.288

Homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cùm ad virtutem inueniantur prorſus ineruditi. cap.17.n.210.toto §. p.294

Quidquid ad vitium pertinet,ſtudioſè perficitur, aliquid non rarò virtuti detrahitur. cap. 17. num.215.toto §.

Nulli conſtabit, qui à virtute & religione deficit. c.17.n.244.toto §.p.305

Magnum eſt commodum ſuperiorem ſortiri virtutibus exornatum. cap. 18. num. 16. toto §. p.316

Non ſuſtinent homines delicti occaſionem prolabi, virtutis ferunt amitti. cap.18.num.154. toto §. p.356

Se roborat virtus laceſſita. cap.18. num. 209. p.372

Iuſtorum conſortium ad virtutem eſt incitamentum.c.18.n.233.p.380

Fides ob crimen oppignerata inuiolatè ſeruatur, quæ ob virtutem, non rarò eluditur. cap.18. n.238.toto §.p.381

Negligentia non ſolùm eſt egregiis facinoribus deterenda; ſed eximiis virtutibus compenſanda. cap.18. n.21 .toto §.p.318

Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur,virtus ſine pompa colitur.c.18. n.243.toto §.p.383

Exiguo tempore ad prauitatis apicem peruenitur, ad virtutes tardiùs acceditur. cap.19. num.29 toto §. p.402

Sunt qui quærant maritare virtutis plauſum, &, vitiorum commodum. cap.19. num.62. toto §. p.413

Vt tibi commiſſos ad virtutem curet reducere oportet à Deo ob ipſum Deum aliquando recedere c.19.n.129. toto §.p.434

A virtutis itinere ſæpe auertimur, dum ciborum oblectamentis capimur. cap.19.n.134. toto §. p.435

Virtus ſingularem aliquando patronum, voluptas copioſum ſortitur contra virtutem tutelarium exercitum. cap.19. numero 177. toto §. p.447

Senectus, quia morti propinquior, ad virtutes inuolare debet celerior. cap. 19. num.196. toto §.p.452

Qui pro virtute decertantibus exhibent alimenta, & victoriæ participes, & gloriæ inueniuntur conſortes.c.20.n.58.toto §.p.495

In hac vita peccatorum pœnas ſoluere ſæpè virtutis eſt præmium, & ingens Dei beneficium. c.20.n.128. toto §.p.518

Eximia fortitudo non ſolum pro virtute pugnat; ſed labores ab certamen etiam tolerat. cap.20. n.143. toto §.p.524

In virtute poſita eſt vera felicitas. c.20. n.171. p.533

Virtutis eſt lucrum renunciare aliquando commodis, vt obſequaris honeſtè iuſſis. cap.21. num.131. toto §. p.606

Qui debuiſſent promouere virtutem, non ſemel fouere contigit prauitatem. cap.21. num.206 toto §.p.636

Viſus.

Nullus egentem videt, vt ſubueniat; ſed habentem nullus non videt, vt quid auferat. cap. 19.num.214. toto §. p.458

Vide *Oculi*.

Vita.

Tota nobis vita mentitur. cap.15. num. 145.pagina 46

Eo ipſo, quo vitia deſtruimus nobis vitam, & ſalutem comparamus. cap. 15.num.405. toto §. p. 133

Vis fortis ærumnoſum vitam non odit, mortem honeſtam non fugit. cap.16. num.301. toto §. p.229

Etſi contradicat vita, magna dignitatis titulo debetur ſacerdotibus reuerentia. c.27. n.182. toto paragrapho p.286

In freto vximus, morimur in portu.c.18. n.123. p.347

Iuſtus omni parte, dum viuit, ſolet arctari; ſed iniquus, dum moritur premi. cap.18. n.217. toto paragrapho p.375

Auferre nititur vitam, qui ad Dei trahere molitur offenſam.cap.20.num.45.toto paragrapho p.495

Pro volatica ac caduca vita patienter amplectuntur homines dura, pro ſalute ſpirituali detrectauerunt exigua. cap. 20. numero 214. toto paragrapho p.548

Pro volatica ac caduca vita patienter amplectuntur homines dura, pro ſalute ſpirituali detrectauerunt exigua.c.20.n.214.toto paragrapho p. 548

Vitium.

Vitium falſis ineſcat ſpebus, diſcruciat veris doloribus. cap. 15. num. 145. toto paragrapho p.46

Ne noxia ipſis incunabulis reſecata, ineuitabile quodammodò diſcrimen attulerunt adulta. c.15.n.101.toto paragrapho p. 64

Vitium faciliùs excluditur, quàm expellitur. c.15.n.202.ibid.

Eam induas ſolertiam concionator pro vitiis extirpandis, quàm mundialis pro virtutibus deterendis. cap. 15. num. 225.toto paragrapho pag.72

Vitio frequentia hominum munitiſſimum eſt præſidium, & ferè inexpugnabile munimentum.c.15 n.256.toto paragrapho p.82

Alienum vitium in iudicis verti ſolet opprobrium.c.15.n.283.p.91

A Dei ſpiritu venit, quòd vitiorum rumpamus vincula, & de hoſtibus reportemus trophæa. c.15.n.324.toto paragrapho p. 105

Præ ipſa morte timendum eſt vitiis ſubiici, & maculis ſordidari. cap.15.num.393.p.129

Eo ipſo, quo vitia deſtruimus, nobis vitam & ſalutem comparamus. cap.15. num. 405. toto paragrapho p. 133

Vitiis,non vſibus laboratur. cap.16.numero 12. p.143

Sunt qui vitia velint aliquatenus expugnari; ſed penitus noluerint extingui. cap.16.num.121. p.172

Vitium leui incommodo ingentiſſimum lucrum promittit; ſed leui lucro damnum grauiſſimum affert cap.16.num.125.toto paragrapho p.174

Ingenio vitæ fouemus. c.16.n.270.p.219

Digitized by Google

Strenui animi eſt in propria regione vitium aggredi, triumphumque adipiſci. c.16.n.294. toto §. p.217
In ſpectaculis vitium non ſolum videtur;ſed diſcitur. c.16.n.298.p.228
Nunquam deeſt vitiis exercendis pecunia; ad virtutes premit inopia. cap.17.num. 9.toto §. p.236
Diuites magnateſque in omnia vitia impunè aſpicies proruere, de diuitiarumque priuilegio illis peccata licere. cap. 17.num. 19. toto §. p.239
Vitiis tenaciſſimè adglutinamur; à virtute vel leuiſſimo timore diſiungimur. cap. 17. n.27. toto §.p.241
Nonnulli, ne reſilere valiant à vitiis, adaggeratis ſe adſtringunt impedimentis. c.17.n.79. toto §.p.256
Raro ſolitarium eſt vitium, ſecum pernicioſas appendices, conſequentiaſque affert peſtilentes. c.17.n.100.toto §.p.261
Sæpè cæleſti dignatione cæteris antelati, cenſuque copioſi,& vitiis inueniuntur infecti. c.17. n.103.toto §. p.264
Diuites de architectandis vitiis cogitant, & nota delicta fabricant. cap. 17. num. 106. toto §. p.265
Homines ab ipſa natura vitia videntur edocti, cum ad virtutem inueniantur prorſus ineruditi. c.17.n.210.toto §. p.294
Quidquid ad vitium pertinet ſtudioſè perficitur, aliquid non raro virtuti detrahitur. cap. 17. n.215.toto §.p.295
Superioris præſentia mores informat, vitiaque exarmat. c 18.n.34.toto §.p.345
Ignobilis eſt vitiorum vernula, licet nobili exortus proſapia. c.18.n.226.p.378
Vitiis ſumptuoſiſſimè inſeruitur, virtus ſine pompa colitur. cap. 18. numero 243. toto §. p.383
Vitium, ſi ex eo temporale reſultet commodum adhærebit quodammodò inuiſceratum. c. 18. n.250.toto §. p.385
Sunt, qui quærant maritare virtutis plauſum, & vitiorum commodum. cap. 19. num. 62. toto §.p.413
Vitium, vt deueniat ad vlteriora, initio tentat exigua. c.19.n.90.toto §.p.422
Senem dedecet vitiis infici, cum exemplum debeat virtutis proponi. cap.19. num. 186. toto §. p.450
Libera fronte in vitia armatur incuctus,quiſquis ab illis non ſordeſcit inquinatus. c.19. n.200. toto §.p.453
Qui obſiſtit generalitatis vitio, multiplici ſubiacet detrimento. cap. 19. num. 248. toto §. p.468
Miſerandus eſt induſtrius, ſi abutatur dexteritate, vitium tueatur acumine. c. 20.num. 101. toto §.p.510
Liberalia ſtudia ſunt, quæ famulantur virtuti. c.20.n.101.ibid.
Qui cupit perfectâ coronari victoriâ, contentus non ſit vitia extenuare; ſed conetur prorſus atterere. c. 20.n.207.toto §.p.545
Qui deprælia ri refugit contra vitia, obſcurauit nobilitatis ſtemmata, & oblitterauit auita nomina. c.21.n.74.toto §.p.585

Vnio.

Vel reculæ grauiſſimum detrimentum afferent, ſi plurimæ ad nocendum conuenerint. c. 15. n.217.toto §.p.69

Voluptas.

Per honoris contemptum libido tendit ad voluptatis illicium. c.15.n.37.toto § p.13
Quo voluptas periculoſior, eo à nonnullis habetur dulcior. c.15.n.124.toto §.p.40
Quo liberius appetitus voluptatem ſectemur, corporis eſſe neceſſitatem mentimur. cap. 15. n.20.toto §.p.90
Voluptas etſi mitis, eſt fera. cap. 15. num. 405. p.133
Qui ſemel voluptati traditus facile exiſtimat tempus præſcribere, agnoſcitur delirare. cap. 16. n.51.toto §.p.150
Voluptas fortitudinis eſt occaſus, & gloriæ næuus. c.16.n.81.toto §.p.160
Fœdæ ac breuiſſimæ voluptatis ſunt appendices importabilia onera, & pericula frequentia. c.16.n.89.toto §.p.163
Vera voluptas contemptus voluptatis. ca 16 num.199.p.197
Ibi peccator inuenire ſolitat veriſſimam afflictionem, vbi quærebat fallaciſſimam voluptatem. c.16.n.19; toto §. ibid.
Voluptas in tormentum vertitur. cap.16.n. 204. p.198
Voluptas crudelis tyrannus eſt. cap. 17.num.15. p.237
Voluptas laudatores habet. cap. 17. numero 42. p.246
Valuptas dolore emitur. cap. 18. numero 261. p.388
Leuis voluptas duriſſimas affert pœnas, & inextricabiles parit non ſemel anguſtias. cap. 19. n.31. toto §.p.404
Quàm longiſſimè diſtant à charitatis officiis,qui voluptatum ſe dedidere fallaciis. c. 19. n.148. toto §.p.439
Voluptas copioſum ſortitur contra virtutem tutelarium exercitum, virtus ſingularem aliquando patronum. cap.19. num. 177.toto §. p.447
Voluptate non egere magna voluptas eſt. c. 19. n.190.p.448
Fœmina blanditiis ad voluptatem allicitur; ſed poſteà indecore exibilatur. cap.19. num.227. toto §. p.461
Voluptatis aſſecla à riualibus adurgatur à vindicibus punitur. cap. 19. numero 240. toto §. p.466
Horrendum eſt inter illecebras inopinè rapi, & inter delicias mori. cap. 19. numero 252. toto §. p.469
Peccator ingeminatis anguſtiis premitur, dum voluptatibus trahitur, & timoribus abigitur. c. 20.n.73.toto §.p.500

Vſus.

Vitiis, non vſibus laboratur. cap. 16. num. 21. p.143
Non ſemel in vſus debitos diſtributum exiſtimatur diſpendium, cùm quidquid cupiditati, & errori

errori impenſum habeatur lucrum.c.17.n.22. toto §.p.240
Raro in alios vſus videat conuerſum, quod profanis conſtiterit dedicatum. c.17.n.54. toto §. p.249

Vtilitas.

Beneficium ſpe fultum non eſt beneficium; ſed fœnus. c.15.n.21.p.9
Vtilitas aut appetitus facilius quàm obligatio extorquere ſolet obſequium. c.15.n.23. toto §. ibid.
Nonnulli Dei cauſam agunt, propria vtilitate ducti, non legitimo zelo inflammati. cap.15. n.248.toto §.p.80
In detriumphandis hoſtibus præponenda eſt vtilitati honeſtas, nòn præferenda honeſtati vtilitas. c.16.n.133.toto §.p.176
Deſpicàbilis habetur honeſtas, cui pro Helice habeatur vtilitas. c.17.n.173.toto §. p.284
Plures vtilitatis volunt eſſe participes laboris expertes. c.15.n 339. toto § p.111
Bonus Reipublicæ miniſter nulli parcet labori, vt omnium prouideat vtilitati. cap 18. n. 57. toto §.p.328
Qui vtilitatis cauſa peruenit ad amicitiam, diſcedet, ſi aſſequatur minorem copiam.cap.18. n.136.toto §.p.362
Vtilitas ſopit conſcientiæ morſum, & inaurat ſæpè peccatum. c.18.n.170.toto §.p.391
Reipublicæ vtilitati attenditur, dum coram Deo conſilium à magnatibus capitur. c.21.n.172. toto §.p.622

Vultus.

Proditur animi natura per vultum. c. 19. n. 243. pag.467

Vxor.

Mariti aſpectus vxoris armat conſtantiam, & defendit pudicitiam. c.15. n.58.p.20
Vxoris pudori inimica non ſemel mariti abſentia. c.15.n.58.toto §.ibid.
Magna vxori errandi occaſio præſtatur, ſi ſe deſpici à marito arbitratur. c. 15. n. 169. toto §. pag.53
Vxoris pudicitiæ maritus conſulet, ſi dum intervallo diſtantior, obſequiis ac muneribus ſit præſentior. c.15.n.173.p.54

Z.

Nonnulli Dei cauſam agunt, non legitimo zelo inflammati; ſed propria indignatione commoti. c.15.n.248.toto §.p.80

F I N I S.



Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

1-6-2